



Signt. 1 op.
Est. 48
Tab. 3
Núm. 6

R° 1036

JUS ECCLESIASTICUM UNIVERSUM HODIERNÆ DISCIPLINÆ ACCOMMODATUM.

Ex ipsis Sacræ Scripturæ Litteris, SS. Canonibus, Conciliorum, tum Œcumenicorum, tum Synodalium Decretis, Pontificum Rescriptis, SS. Patrum Sententiis, Principum Edictis, & Magistratûs tàm Ecclesiastici, quàm Civilis Judicatis depromptum.

OPUS,

IN QUINQUE PARTES DISTRIBUTUM,

Omnibus Episcopis, & eorum Vicariis, Abbatibus singulisque Ecclesiasticis Judicibus, Advocatis, Patronis, Parochis, Confessariis, cæterisque tam SS. Theologiæ, quàm Jurisprudentiæ studiosis, utilissimum & apprime necessarium,

AUTHORE

ZEGERO BERNARDO VAN ESPEN,

Presbytero J. U. D. SS. Canon. Profess. in Academia Lovaniensi.

*Secunda Editio Hispana priori accuratior & mendis quamplurimis, quæ in prima passim occurrunt, præcipuè in Indicibus, diligenter expurgata. In ea æquè ac in prima studio & cura Lic. D. Francisci Mariæ Vallarna facta, quæ in aliis ad calcem Operis apposita erant Supplementa, suo loco inserta reperientur, & notantur hoc signo **

TOMUS SECUNDUS.

BIBLIOTECA PROVINCIAL SORIA

MATRITI : ANNO MDCCXCI.

IN TYPOGRAPHIA RAIMUNDI RUIZ.

SUPERIORUM PERMISSU.



LUDOVICUS SECUNDUS

CONTINUATIO PARTIS SECUNDÆ (*).

DE REBUS.

TITULUS XVIII.

Origo, Definitio, & Divisio Beneficiorum.

CAPUT I.

ORIGO, ET DEFINITIO BENEFICIORUM.

1 *Beneficium olim vocatum prædium Fiscale.*
2 *Beneficium & feudum olim coincidebant.*
3 *Prædia Clericis in alimentationem assignata* Beneficia *vocari cœperunt; & quare.*
4 *Multis seculis dispensatio proventuum Ecclesiasticorum mansit penes Episcopos.*
5 *Subinde prædia Clericis utenda concedebantur.*
6 *Ex his concessionibus habetur Beneficiorum origo.*
7 *Hæ concessiones primitùs tantum erant* personales *intuitu meritorum.*
8 *Rerum Ecclesiasticarum dispensatio quâ ratione Clericis committi cœperit.*
9 *Primum concredita vita eorum durante.*
10 *Tantùm illis qui operam Ecclesiæ impenderent.*
11 *Quomodo titulis portio annexa fuerit.*
12 *Unde* titulus Beneficii *nomen obtinuerit.*
13 *Definitio Beneficii juxta Canonistas..*
14 *Alia Theologorum; sed utraque coincidit.*
15 *Officium Ecclesiasticum est fundamentum Beneficii, etiam secundum Canonistas.*
16 *Non alium in finem hodie proventus Ecclesiastici dantur Clericis quàm olim.*
17 *Nullum Beneficium sine Officio.*
18 *Beneficium debet esse* perpetuum, *& quare.*
19 *Beneficia* manualia *non sunt propriè Beneficia.*
20 *Beneficium debet erigi auctoritate Episcopi.*
21 *Id pristinæ disciplinæ consentaneum est.*
22 *Quamcunque conditionem adjecerit fundator, fundatio* Beneficii *non est sine Episcopo.*
23 *Non sufficit data facultas celebrandi Missas.*
24 *Etiamsi esent perpetuæ ad vitam possidentium.*
25 *Vicarii perpetui deputandi erecto* titulo.
26 *Beneficium non præsumitur, si administratio proventuum ad tertium pertineat, & quare.*
27 *Spiritus Ecclesiæ circa Beneficia semper idem.*
28 *Cur conveniat scire pristinam Ecclesiæ circa Beneficia disciplinam?*

I. BEneficium, ait D. Du Cange in suo Glossario, verbo *Beneficium*, »Scriptoribus »mediæ ætatis, dicitur prædium fiscale, »quod à Rege vel Principe, vel ab alio »quolibet, ad vitam viro nobili utendum »conceditur. Ita autem appellatum est, »quòd ex mero dantis *Beneficio*, ac li»beralitate illud possideatur.« Hæc ille, qui & ibidem notat, quòd eodem penè sensu Latini hanc vocem usurpârunt, & prædia, quæ Principes militibus aliisque largiebantur, *Beneficia* appellârunt.

II. Post hæc exponit, quæ esset horum Beneficiorum conditio, & scopus; ostenditque ea naturam hodiernam *feudorum* habuisse, unde & factum est, ut illud, quod *Beneficium* primitùs fuit appellatum, post modum *feudi* nomen acceperit; ita ut *Beneficium*, & *feudum* promiscuè usurpentur in libris feudorum.

III. Cùm autem successu temporis prædia Ecclesiæ Clericis benemeritis, tanquam Ecclesiæ *militibus* ad usum dari cœperunt, etiam eâdem ratione *Beneficia* appellata sunt. Quando autem prædia, & fundi aliæque res immobiles Clericis concedi cœperint, incertum est.

IV. Hoc certum est, multis seculis, dispensationem proventum Ecclesiasticorum mansisse penes Episcopos, eorumque œconomos & Archi-Diaconos; ut secundum proportionem in Clericos fabricam Ecclesiæ, pauperes, & usum Episcopi distribuerentur.

V. Adhæc constat, quòd & subsistente hac dispensandi œconomia, subinde terræ, ac prædia nonnulla Clericis utenda concederentur.

Sic legitur in *Canone XXIII.* Concilii Aurelianensis I. anno 511. »Si Episcopus *humanitatis* intuitu, vineolas, vel »terrulas Clericis & Monachis præstiterit excolendas, vel pro »tempore tenendas, etiam longa transire annorum spatia com»probentur, nullum Ecclesia præjudicium patiatur, nec secu»lari lege præscriptio, quæ Ecclesiæ aliquid impediat, ap»ponatur.«

Et magis ad propositum ex Epistola Symmachi Papæ, qui sedit sub finem seculi V. legitur apud Gratianum *Caus.* 19. *q.* 1. *Can.* 61. »Possesiones, quas unusquisque Ecclesiæ proprio de»dit, aut reliquit arbitrio, alienari quibuslibet titulis atque »distractionibus, vel sub quocunque argumento non patimur; »nisi forte aut Clericis bonorum meritorum, aut Monaste»riis religionis intuitu, aut certè peregrinis, si necessitas lar»giri suasserit: sic tamen ut hæc ipsa non perpetuò, sed tem»poraliter perfruantur.«

VI. Hîc habemus, Clericis benemeritis ab Episcopis possessiones Ecclesiarum datas fuisse: quæ tanquam ex Episcoporum beneficentia profectæ, *Beneficia* cœperunt dici; non secus ac prædia à Principibus concessa viris nobilibus, aut militaribus ob eorum merita.

Undè ad hanc Symmachi Epistolam reflectens Cardinalis Baronius monet, hinc, quæ Beneficiorum Ecclesiasticorum origo fuerit, manifestum esse. »Cùm enim solerent, ait, Cle»rici ab ea Ecclesia per Episcopum singulis mensibus victus »causa meritam stipem accipere, postea factum, ut aliqui»bus ex his Ecclesiæ possessiones, quoad viverent, ab ipso »Episcopo concederentur, quæ *Beneficia* dici cœperunt, eò »quòd (ut Symmachus in ea Epistola) benemeritis tantum»modò concedere liceret. *Ad annum* 502.

VII. Interim ex citatis verbis tum Concilii Aurelianensis tum Symmachi, ad oculum patet, admodùm raras fuisse has concessiones; neque lege ordinaria, sed tantùm ex singulari aliqua necessitate, aut ob singularia personæ alicujus merita factas.

VIII. At labentibus seculis disciplinâ Ecclesiæ labescente, nec non Episcoporum, Œconomorum, vel Archi-Diaconorum in rebus Ecclesiæ dispensandis fidelitate, & integritate à pristino suo gradu declinante, frequentissimæ fuere dissensiones & quærelæ inter Clericos, quibus proventus Ecclesiæ distribui

cùm ex hac levi mutatione minimè methodo, quam D. Van Espen *sibi præscripsit, inficiatur.*

(*) *Ut Volumina hujus Operis commodiùs distribuantur, visum est à XVIII. titulo Partis secundæ initium dare Tom. II.*

bui debebant, & eos, quibus dispensationis cura incumbebat.

Hinc Clerici, ut se à prætensis vexationibus, & injusta dispensatione eximerent, primò cœperunt singuli Presbyteri sibi arrogare oblationes in Ecclesia propria factas; quæ ante ad Episcopum dividendæ ferri consueverant.

Cùm jam jus recipiendi oblationes, easque suis usibus applicandi ad singulos Presbyteros esset devolutum, tandem etiam cœperunt res Ecclesiasticæ passim dividi; atque singulis sua portio fundorum, unde proventus ipsimet reciperent, assignari; quod quidem non eodem tempore, nec ubique aut aliquo Decreto Conciliari introductum, sed paulatim de una Ecclesia ad aliam transit.

IX. At illud notandum, quòd sicuti prædia, quæ *Beneficiario* jure à Principe data possidebantur, mortuâ personâ extinguebantur, & ad Principem revertebantur; ita quoque primitùs comparatum fuisse videtur, ut res Ecclesiæ jure *Beneficiario* Clericis concessæ, tantùm ad eorum vitam censerentur datæ; ipsasque possiderent non *jure tituli*, sed tantùm jure *personali*; ut ita post mortem totaliter ad Episcopi dispensationem reverterentur.

X. Ulteriùs quemadmodum Principes sua bona jure *Beneficiario* dabant iis, qui servitium militare, aliave obsequia præstarent, similiter Episcopi bona Ecclesiæ possidenda, vel utenda, seu potiùs jus percipiendi eorum fructus dabant Clericis, ut Ecclesiæ *militarent*, seu officium exhiberent, quisque juxta vocationem suam. Hinc illud vulgatum approbatum per Bonifacium VIII. in *Cap. fin. de Rescriptis*, *in V I. Beneficium datur propter officium*; ubi Beneficium accipi pro jure percipiendi proventus, nemini dubium est.

XI. Cùm verò incommodum videretur, quòd moriente Presbytero successor ejus jus percipiendi proventus ab Episcopo, ejusque quasi liberaliter recipere denuò deberet, cœperunt singulæ Ecclesiæ jus percipiendi proventus intra limites suarum Ecclesiarum, suis Presbyteris, independenter ab Episcopis, vindicare; invaluitque tandem juris axioma, quòd Parochi habeant fundatam intentionem ad percipiendas decimas, oblationes, aliosque proventus intra fines suarum respectivè Parochiarum provenientes.

Jus itaque fructus percipiendi jam non personis, sed Ecclesiis, seu titulis annecti cœpit: ita ut qui titulum haberet, jus quoque fructus percipiendi ex bonis titulo annexis consequeretur; quæ disciplina tandem universaliter obtinuit, & recepta fuit.

XII. Hinc ulteriùs factum, ut ipse titulus tandem nomen *Beneficii* ferè obtinuerit; tum quòd illo obtento ipsum jus percipiendi proventus tanquam annexum obtineatur; tum quòd Ecclesiasticum officium, sive ministerium tanquam *principale*, jus verò percipiendi proventus, ut *minus principale & accesorium* considerari, & reputari debeat.

XIII. Canonistæ retinentes primam *Beneficii* nomenclaturam, quâ significatur, jus percipiendi certos proventus Clericis tanquam *militibus* Ecclesiæ concessum, illud solent definire: Jus perpetuum percipiendorum fructuum quorumcunque ex bonis Ecclesiasticis, seu Deo dicatis, propter officium spirituale auctoritate Ecclesiæ constitutum.

XIV. Theologi verò Beneficium magis considerantes penes titulum, & officium ecclesiasticum, definierunt illud, exprimendo ipsum officium seu ministerium Ecclesiasticum ut principale, hoc modo: Jus perpetuum ministrandi in Ecclesia auctoritate Episcopi constitutum, habens jus percipiendi fructus annexum.

Verùm sive Canonistarum sive Theologorum definitio teneatur, in idem recidere videtur: cùm & prior definitio sat exprimat, ipsum officium seu ministerium Ecclesiasticum ut principale, atque jus percipiendi fructus esse accessorium.

XV. Et licèt Canonistæ dicant, officium Ecclesiasticum non esse propriè Beneficium, fatentur tamen, esse *fundamentum* & *causam* Beneficii; quemadmodum loquitur Andreas Vallensis ad titulum *de Præbendis*, §. 1. *num.* 4.

Hoc sensu ait Synodus Tridentina *Sess.* 21. *cap.* 5. *De Reform. Beneficia ad Divinum cultum atque Ecclesiastica munia obeunda esse constituta.* Et Innocent. III. *lib. I. Epist.* 22. ad Auxitanum Archiepiscopum, scribit: » Dignitates & cætera » Beneficia Ecclesiastica piâ Fidelium devotione constituta fue» runt, certis assignanda personis, ut per ipsas personas in Ec» clesiis *devotum servitium* jugiter impendatur. «

XVI. Hinc patet, quòd licèt sensim circa proventuum Ecclesiasticorum dispensationem disciplina invaluerit diversa à pristina; tamen Ecclesia eodem semper spiritu procedens, Beneficia Ecclesiastica, seu jus percipiendi proventus ex bonis Ecclesiæ, non alium in finem Clericis assignata voluerit, quàm quo ab initio eis per Episcopos stipendia vel sportulas, aut annonas sive alimenta suppeditari voluit: nempe ut qui Altari servit, de Altari vivat; utque *possent vacare legi Domini*, quemadmodum dicebat piissimus Rex Ezechias præcipiens *populo habitantium Jerusalem, ut darent partes Sacerdotibus & Levitis* Lib. 2. Paralipom. cap. 31. v. 4.

XVII. Unde nec ullum Beneficium sine officio esse potest, quia uti » Divini juris est, ut qui servit Altari, de Altari vivat, » ita nec bono jure is, qui non servit Altari, de Altari vivit, si» cut stipendium non debetur nisi militanti, « ait Synodus Coloniensis anno 1549. *tit.* 9. *Can.* 3. Neque esse ex intentione Ecclesiæ, ut ullum Beneficium quantumvis *simplex*, uti vocant, sit sine *officio*, infrà ostendemus.

XVIII. Dicitur in definitione, jus *perpetuum*, hoc est, *ad vitam* Beneficiati; quæ perpetuitas ex ipsa Apostolica Doctrina, & pristina Patrum disciplina originem ducit.

Docet enim Apostolus, ut *unusquisque*, *in qua vocatione vocatus est*, *in ea permaneat*, 1. *Ad Corint. cap.* 7. Hinc & fixa perpetuaque fuit Ecclesiæ disciplina innovata per Synodum Tridentinam, ut dum quis alicui Ecclesiæ legitima auctoritate & vocatione adscriptus est, in ea permaneat, ibique suis fungatur muneribus, *Sess.* 23. *cap.* 16. *De Reformat.*

Cùm autem per quodcunque Beneficium Clericus adscribatur certæ Ecclesiæ, vocetturque ad certum *Officium* seu *Ministerium* Beneficio correspondens, ratio ipsa vocationis ipsaque Patrum disciplina suadent, ut in eo *perpetuò* maneat; neque ab eo removeatur, aut discedat, nisi justa aliqua ratio aliud persuadeat.

XIX. Hinc communiter concludunt Canonistæ, quòd si aliquod officium cum annexo jure percipiendi fructus erigatur temporale, & ad nutum revocabile, non esse *propriè* Beneficium Ecclesiasticum; & si de perpetuo fiat amovibile *ad nutum* seu *manuale*, amittere naturam veri Beneficii.

XX. Ulteriùs, ut sit Beneficium, atque pro Beneficio Ecclesiastico reputetur, requiritur, ut sit jus perpetuum *auctoritate* Ecclesiæ, seu Episcopi, aut Pontificis constitutum; quod etiam ex ipsa Patrum disciplina originem habere, non obscurum est.

XXI. Antiquitùs enim nemo Monasteriis Ecclesiasticis applicabatur, nisi ex Episcoporum auctoritate. Ipsa quippe ordinatio Clericorum Ecclesiæ, cui in Ordinatione adscribebatur, tanquam illius ministrum alligabat, ut ibidem sui Ordinis muneribus fungeretur; atque hoc pacto illius Ecclesiæ Clericus vel minister, seu ut hodie loqui amant, *Beneficiatus* constituebatur.

Ad hæc ministeriorum seu officiorum ordo per Clericos observandus, ab Episcoporum auctoritate pendebat, nullumque officium, seu ministerium sine eorum consensu quisquam suscipere poterat.

Dispensatio quoque proventuum Ecclesiasticorum primitùs ipsorum arbitrio credita erat.

Hæc Episcoporum auctoritas, ut aliquousque salva persistat, & munia Ecclesiastica, eorum interventu suscipi, & Ecclesiasticæ possessiones ab ipsis ad Clericos derivari videantur, visum est, nullum reputari verum Beneficium Ecclesiasticum, vi cujus Clerici Ecclesiasticis muniis alligatur & jus percipiendorum Ecclesiasticorum proventuum adipiscuntur, nisi auctoritate Episcopi jus tale probatum, atque pro vero titulo Ecclesiastico agnitum fuerit: quo fiat, ut dum Clericus vi hujus Beneficii seu tituli functionibus Ecclesiasticis applicatur, & jus ad fructus annexos acquirit, ea auctoritate Episcopi quodammodo fiant.

XXII. Hinc concludunt Canonistæ, quòd etiamsi testator in simplici legato cum onere Missarum voluerit, quòd ad illud debeat præsentari Clericus, sive Sacerdos ab Ordinario instituendus; si tamen non intervenerit auctoritas Episcopi, atque hac auctoritate erectum sit in Beneficium, tale legatum non erit Beneficium; uti post alios notat Pyrrhus Corradus *lib.* 1. *Praxis Benef. cap.* 2. additque, quòd nec per quamcunque conditionem Beneficio Ecclesiastico congruentem à testatore adjectam, legatum reputari poterit Beneficium, nisi auctoritas Episcopi intervenerit.

Post hæc concludit: » Nec proinde similis dispositio obnoxia » est cæteris solemnitatibus, ac requisitis Beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ ipsis tantùm Beneficiis conveniunt, si non » adsit prædictus Ordinarii consensus. «

XXIII. Quinimò etsi Episcopus concesserit facultatem celebrandi Missas fundatas ad certum Altare, aut Capellam, non propterea hæc fundatio censebitur Beneficium: » quia neque » per hujusmodi facultatem censetur illam in Beneficium Ecclesiasticum erexisse, aut instituisse; cùm hujusmodi actus celebrandi cadat etiam in privatis Oratoriis, in quibus non potest celebrari nisi de ipsius Episcopi licentia. « Pyrrhus Corradus ibid. *num.* 23.

XXIV. Et licèt etiam hujusmodi fundationes, aut Capellaniæ essent *perpetuæ* ad vitam ipsius Capellani, qui possit vitâ durante proventibus fundationis uti; tamen Beneficia non erunt, neque legibus Beneficiorum regentur, nisi auctoritate Episcopi in titulum Beneficii fuerint erectæ. Et si ad talem fundationem quis ad Ordines promoveretur, non diceretur promotus titulo *Beneficii*, sed titulo *Patrimonii*. Pyrrhus ibid. *n.* 23.

XXV. Cùm Vicarii perpetui juxta hodiernam disciplinam

sint

sint veri Beneficiati, conformiter ad hactenus dicta respondit sacra Congregatio, quòd Vicarii perpetui constitui non possint in vim Concilii Tridentini *Sess. 7. cap. 9. de Reformat.* nisi priùs erecta sit Vicaria perpetua auctoritate Episcopi in titulum; apud Fagnanum ad *Cap.* ADAUDIENTIAM, *de Rescriptis*, *num.* 100.

XXVI. Quia ex moderna disciplina (uti suprà notavims) redditus ipsi titulo Beneficii sunt annexi, atque ipse Beneficiatus vigore ejusdem tituli accipit jus percipiendi proventus illos, vitâ sua durante, judicatum aliquando fuit, testatorem noluisse Beneficium erigi, ex eo quòd voluisset, ut custodia & solicitudo Capellæ cum libera administratione hereditatis illi relictæ, esse deberet penes quandam Abbatem, ita Pyrrhus ibid. *num.* 20.

XXVII. Ex his, quæ de perpetuitate, nec non erectione tituli auctoritate Episcopi dicta sunt, non difficulter colligi potest, quòd si omnia, quæ juxta modernam Ecclesiæ disciplinam ipsa Beneficiorum conditio, erectio, collatio, & Beneficiorum obligatio requirunt, ritè & ex mente Ecclesiæ expenderentur, appareret, etiam spiritum Ecclesiæ in his mansisse invariatum; tametsi exterior disciplina in multis sit mutata.

XXVIII. Hinc ulteriùs intelligeretur, quàm utile, imò pene necessarium sit, non tantùm de moderna, sed etiam pristina circa Beneficia disciplina esse instructum; ut ex hac notitia faciliùs ipsæ Ecclesiæ spiritus, qui semper præcipuè attendendus est, percipi; ipsaque exterior disciplina, quantum possibile, secundum illum spiritum dirigi possit.

CAPUT II.

De Dignitatibus, et Personatibus.

1 *Definitio Dignitatis.*
2 *Primis seculis ignotum nomen* Dignitatis, *prout hodie accipitur.*
3 *Quæ hodie* Dignitates *dicuntur, durante vita communi Canonicorum, erant plerumque simplicia officia.*
4 *Deserta vita communi sensim in Dignitates denegârunt.*
* *Per erectionem Beneficiorum, & Dignitatum Ordines Sacri quasi vilescere cœperunt.*
5 *Quid Personatus?*
6 *Personatus multis seculis ignoti, unde originem sumpserint?*
7 *Textus juris qui Personatus, & Dignitates pro synonimis habere videntur.*
8 *Nonnunquam in jure distinguuntur.*
9 *Conciliatio textuum.*
10 *In Belgio Personatus rariores, & inter* simplicia *Beneficia reputantur.*
11 *Vera Dignitas debet esse cum administratione, licèt hodie etiam sit ea destituta.*
12 *Officium cum præeminentia non dicitur* Dignitas, *nisi in* titulum *perpetuum sit erectum.*
13 *Vicarius generalis Episcopi non censetur in* Dignitate *constitutus.*
14 *Unde dignoscatur, an Beneficium sit* Dignitas: *& de præeminentia inter Dignitates.*
15 *Jura honorifica, quæ in Dignitate constitutis competere solent.*
16 *Super his juribus contentiones vitandæ.*
17 *Quare hæc jura honorifica deferantur.*
18 *Ad quid Dignitates Ecclesiasticæ institutæ.*
19 *Unde contingat Dignitates Ecclesiasticas à multis ambiri.*
20 *In inferioribus Beneficiis aliqua tolerantur, non toleranda in Dignitatibus.*
21 *In materia dispensationis nomine* Beneficii *non veniunt Dignitates.*
22 *Dispensatio ad Beneficia* Curata, *& alia quæcunque, non comprehendit Dignitates Curatas.*
23 *Dispensatio super Dignitatibus non complectitur Dignitates* majores.
24 *Quæ sint Dignitates* majores *in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis.*

I. DIgnitas dicitur (ait Rebuffus) »quædam præeminen»tia cum jurisdictione, quæ cognoscitur ex præemi„nentia, & jurisdictione, quando ad hoc est instituta, ut „sit dignitas; & ex consuetudine, quando consuetudo facit, „ut sit dignitas.“ In praxi Benef. *part. 1. tit. Seculare Beneficium quotuplex, num* 7. Beneficia igitur, quibus hujusmodi præeminentia, vel ex institutione, aut consuetudine annexa est, vocantur *Dignitates.*

II. Primitùs Dignitatum nomen hoc modo sumptum incognitum erat. Cùm enim primis Ecclesiæ seculis, nondum exortis Beneficiorum titulis, per solam ordinationem Clericis Ministeriis Ecclesiasticis applicarentur; ipsaque Ecclesiastica munia essent ipsis Ordinibus annexa; atque per ipsam ordinationem jus percipiendi proventus Ecclesiasticos consequerentur, omnis quoque prærogativa, & præeminentia à dignitate Ordinum petebatur; isque major in ministerio Ecclesiastico reputabatur, qui major erat in Ordine.

III. Adhæc, quandiu Canonici Cathedralium, & Colegiatarum Ecclesiarum in communi quasi Regulares vixerunt, nomen Dignitatis vix notum fuit: imò pleraque, quæ hodie in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis pro Dignitatibus reputantur, olim vitâ communi durante non Dignitates, quin nec Beneficia fuerunt, sed simplicia officia, quæ à Superioribus pro arbitrio committebantur, & adimebantur; quemmadmodum ostensum est *parte 1. tit. 11.* ubi de Dignitatibus Capitulorum singulatim actum fuit.

IV. At Canonicis desertâ vitâ communi ad singularitatem, ac unà ad secularitatem magis delapsis, cœperunt ea, quæ primitùs duntaxat fuerant simplicia officia, erigi in titulos Beneficiales, & sensim etiam in Dignitates degenerari.

Utrumque notavit Molanus *lib. 2. de Canonicis, cap. 13.* ubi advertens, quòd Thesauraria apud quosdam sit oficium, à quo si inidoneus judicetur, reppellitur; apud plures verò sit aut Beneficium, aut Dignitas, vel Præeminentia, subjungit: »Priùs »simplicitati vetustatis magis competit: tunc enim omnia offi»cia in Clero erant *obedientiæ*, ut alicubi Clerus Colonien»sis loquitur. Posteriùs verò ex divitiis enatum est, quæ in »Cathedralibus, aliisque Capitularibus Ecclesiis, varia officia »non modò in Beneficia, sed etiam in Dignitates evexerunt.«

* Quidquod postquam Beneficiorum tituli exorti sunt, & separatim à collatione Ordinum conferri cœperunt; atque Officia, quæ inter Canonicos *in communi* viventes erant simplicia ministeria, qualia & hodie apud Canonicos Regulares plura reperiuntur, in Dignitates degenerârunt, vix dici potest, quantum inde vilipendium, & contemptus sacrorum Ordinum provenerit; nec jam ipsi Ordines, sed Beneficia & Dignitates æstimari, & pretio vulgò haberi cœperunt.

V. Personatus communiter à Canonistis dicitur, quædam prærogativa in Ecclesia sine jurisdictione, dum habet stallum in choro honorificum præ aliis; ita post alios tradit Rebuffus ad Concordata titulo *de Collationibus*, verbo *Personatus*: personatumque habere dicuntur, qui hujusmodi prærogativam obtinent.

VI. Quin hujusmodi *Personatus* labentis disciplinæ, & recentioris ætatis fœtus sint, dubium, non est. Neque enim ante seculum XI. ulla hujusmodi Personatûs mentio occurrit.

* Vix dubitare licet hos *personatos* Clericos, sive *Personatus*, demum invaluisse, postquam tituli Beneficiorum cum jure ad temporalia, separatim à collatione Ordinum conferri cœperunt: cui separationi plures abusus suam debere originem, in hoc opere non semel observatum est.

Crescente XI. seculo Clerici nonnulli Ecclesiarum *Personæ* dici cœperunt: illi nimirum, qui Ecclesias etiam Parochiales obtinebant, sed curam animarum totumque spirituale officium alicui Præsbytero, quem Vicarium suum dicebant, commitebant: quemadmodum infrà titulo *de Competentia Pastorali*, latiùs exponetur occasione Pastorum primitivorum, quibus Personati Clerici multùm similes erant, eandemque penè originem habuêre.

Hi enim Ecclesias obtinentes, & titulum sine officio retinentes, proventus Ecclesiarum percipiebant; atque certam quoque prerogativam, quemadmodum etiam nonnumquam in Capitula, & Monasteria sub qualitate Pastorum primitivorum, retinuerunt, & *Personæ* Ecclesiarum dicti sunt; nihil præter proventus aliquos, & certa honoris insignia retinentes.

VII. Personatum, & Dignitatem in jure nonnunquam pro synonimis accipi, noscitur ex variis textibus Decretalium. Et quidem in *Cap. 8. ✠ de Constitut.* Primiceriatus Tullensis Ecclesiæ, nunc *Personatus*, nunc *Dignitas*, nunc *Officium* appellatur. Rursus in *Cap. 8. ✠ de Rescriptis*, Decani, Archidiaconi, & alii dicuntur suprimere nomen *Dignitatis* suæ, tanquam si non habeant aliquem *Personatum.* Hîc per *Personatus* idem significari, quod antea expressum erat nomine *Dignitatis*, ex contextu evidens est.

Hujusmodi plures textus occurrunt, qui supponunt, *Personatum* & *Dignitatem*, synonima esse. Unde jam pridem notavit Cardinalis Hostiensis in *Summa, tit. de Præbendis*: quòd Dignitas sit quædam præeminentia in gradu, quæ aliquando vocatur *Personatus.*

VIII. Non desunt tamen etiam textus Juris, qui Dignitatem à Personatu distinguere, eaque tanquam inter se diversa statuere videntur.

In *Cap.* DE MULTA ✠ *de Præbendis*, ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. Personatus à Dignitatibus distinguuntur. Cùm enim dixisset Concilium, quòd jam pridem prohibitum fuerit, ut nullus diversas Dignitates Ecclesiasticas, vel plures Ecclesias Parochiales reciperet contra Sacrorum Canonum statuta, postmodum subjicit: »Hoc idem & in *Perso»natibus* esse decernimus observandum.«

Eadem distinctio non minus aperte occurrit in *Cap.* STATU-

TUTUM *de Rescriptis*, *in* VI. ubi decernitur, causas à Sede Apostolica non delegandas, nisi *Dignitate* præditis, aut *Personatum* obtinentibus, vel Canonicis Cathedralium Ecclesiarum.

IX. His, aliisque textibus allegatis concludit Fagnanus ad *Cap.* ADHÆC ℣ *de Præbendis*, negari non posse, quin revera in jure sint diversa; » necesseque esse fateri, prædicta differre non solùm nomine, sed etiam re & substantiâ, & verum esse, quod dicunt Archidiaconus, Joannes Andreas, & Oldradus: si horum duorum vocabulorum (Dignitatis, & Personatûs) virtus propriè sumatur, neutrum est alterum; licèt si largè sumantur & impropriè, vel sint synonima, vel sint convertibilia unum in altero. *Num.* 11. «

Fatetur quoque ibidem Fagnanus, quòd secundum locorum consuetudinem hæc nonnunquam accipiantur tanquam synonima.

X. Si Belgii nostri consuetudinem inspiciamus, passim in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis Beneficia præeminentiam sive locum honorificum in choro annexum habentia, sine ulla jurisdictione, aut administratione, non *Personatus*, sed *Dignitatis* nomen obtinent, atque pro Dignitatibus reputantur; uti in Præposituris multarum Ecclesiarum videri potest. Neque ullus in Ecclesiis Belgicis visitur Personatus cum aliqua præeminentia in choro; sed qui in aliquibus particularibus Ecclesiis Personatus supersunt, ii plerique inter simplicia Beneficia recensentur; adeò ut etiam minoribus ætate conferantur, uti ex Zypæo notat Andreas Vallensis, *tit. de Præbendis*, §. 2. *num* 7.

XI. Itaque ex vulgari & communi modo loquendi, hodie in multis Ecclesiis reputantur, & dicuntur etiam Dignitates, quæ nullam administrationem in Ecclesia habent; sed tantùm præeminentiam in choro, & aliis publicis actibus, tametsi uti observat Fagnanus loco citato *num.* 22. propriè dicta Dignitas sit cum administratione; aliàs dicenda Dignitas *ventosa*; » quæ » est, ait, abusivè Dignitas, & cujus effectus alius non est, » quàm ut invidiam generet, & scandalum seminet inter fratres. « Quid de Præpositis hodiernis, qui nullam administrationem anexam habent, nec aliquod in Ecclesia officium præstant, imò nec resident, dicendum sit, dixi *parte* 1. *tit.* 12. *c.* 1.

XII. Sicuti ad rationem Beneficii Ecclesiastici hodie spectat, quòd sit *perpetuum*, ita quoque præeminentia cum jurisdictione propriè pro Dignitate non reputatur; neque eam obtinens in Dignitate constitutus dicitur, ni perpetua fuerit, titulumque perpetuum vigore canonicæ institutionis assequatur.

XIII. Ita Vicarius generalis Episcopi non tantùm jurisdictionem, sed & præeminentiam quamdam habet præcedendo alios Canonicos, quin & Archidiaconum, præsertim dum nomine Episcopi intervenit in actibus suæ jurisdictionis seu administrationis; v. gr. in examine Ordinandorum, vel pro concursu ad Ecclesias Parochiales. Hîc tamen Vicarius non censetur propriè habere Dignitatem, neque in Dignitate constitutus; eò quòd omnis ejus jurisdictio, & ex hac profluens præeminentia sit duntaxat *vicaria* ad nutum revocabilis; unde nec similis Vicariatus cum alia Dignitate est incompatibilis.

XIV. Ut autem sciatur, quæ pro Dignitate haberi debeant, inspicienda est institutio, ac potissimum Ecclesiarum consuetudo. Quædam enim in una Ecclesia pro simplici Officio & Beneficio, & in aliis pro Dignitate reputantur. Similiter quoad ordinem & præeminentias inter Dignitates, singularum Ecclesiarum consuetudo, quæ in Singulis penè Ecclesiis diversa est attendenda est, uti rectè advertit Pinsonius de Beneficiis, *cap.* 4. §. 20. *num.* 7. additque, » consuetudinem cujusque Ecclesiæ ita » spectandam, ut eatenus quisque dicatur habere Dignitatem, » vel Officium quatenus reputatur esse in Officio, vel Dignitate, ut in hoc verè dici possit, plus esse in opinione, quàm » in rei veritate, quod omnes Interpretes, ait, uno simul ore » pronuntiant auctoritate *cap.* CUM OLIM *de Consuet.* «

XV. Jura honorifica, quæ hodie solent competere iis, qui in Dignitate sunt constituti; quæque hodie quodammodo indicia sunt Dignitatum; & utinam à plerisque præcipuè non appetantur! consistunt plerumque in loco honorabiliori sive digniori in choro, in congregationibus, & processionibus, aliisque publicis conventibus; item aliquando in vestium distinctione, quòd v. g. præter Superpelliceum, Rochetum ferre possint: insuper, quòd sæpiùs quàm reliqui Canonici, aliive de Clero incensentur, aliisque similibus; circa quæ singularum Ecclesiarum consuetudo principaliter attendenda est.

XVI. Hoc unum summopere dolendum, quòd ferè penes hæc sola jura honorifica Dignitates Ecclesiasticæ æstimentur, hæcque sint, pro quibus in Dignitate constituti maximè sæpè sunt soliciti; pro quibus conservandis, aut nonnunquam etiam augendis, contentiones & lites, cum magno laicorum scandalo excitantur, summoque fervore aguntur.

XVII. Sanè hæc honoris, & præeminentiæ signa unicè ex mente Ecclesiæ exhibentur, ut impleatur illud Apostoli, ad Rom. *c.* 13. *v.* 7. *Cui honorem*, *honorem*, id est, honor & reverentia exhibeatur iis, quibus honor ob gradum, quem in Ecclesia obtinent, debetur; non ut ipsi inde extollantur, sed potiùs ut memores officii sibi ratione eminentioris gradus incumbentis humilientur, & de ratione reddenda contremiscant.

XVIII. Meminisse debent, » quòd Dignitates in Ecclesiis » præsertim Cathedralibus, ad conservandam augendamque Ecclesiasticam disciplinam fuerint institutæ, uti loquitur Synodus Trident. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* ut qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliisque exemplo essent, atque » Episcopos operâ & officio juvarent. « Ex quo tanquam consequens infert Synodus: » Meritò qui ad eas vocantur, tales » esse debent, qui suo muneri respondere possint. «

Itàque quod ad Episcopos & Prælatos dixit S. Bernardus, ad omnes in Dignitate constitutos meritò dici potest: » Honorificatis autem (ministerium) non cultu vestium, non equorum » fastu, non amplis ædificiis, sed ornatis moribus, studiis spiritualibus, operibus bonis. «

XIX. At externa illa honoris, ac præeminentiæ signa, necnon opimi proventus Dignitatibus plerumque annexi, ita oculos hominum obfuscant, ut in iis onera annexa non videant, aut sanè non attendant.

» Multi enim non tantâ fiduciâ, & alacritate currerent ad » honores, si esse sentirent & onera, « uti loco citato *cap.* 7. loquitur Bernardus, qui & subdit: » Gravari profectò metuerent, nec cum tanto labore & periculo quarumlibet affectarent infulas Dignitatum. Nunc verò quia sola attenditur gloria & non pœna, purum esse Clericum erubescitur in Ecclesia; seque viles æstimant & inglorios, qui quocunque in eminentiori loco non fuerint sublimati. «

Itaque verissimum est, quod ait idem Doctor ibidem: » Meditantibus (Dignitates) honores blandiuntur, sed onera pensantibus tædio sunt, atque formidini. Non autem omnes capiunt hoc verbum. «

XX. At Ecclesia ipsas Dignitates secundum officia, ac onera iis annexa attendens; consideransque, quòd quo majori in gradu & officio Ministri sunt constituti, eò magis conveniat, ut præ cæteris sint ab omni vel specie mali immunes, nonnunquam in inferioribus Ministris aliqua toleranda, aut permittenda judicat, quæ nequaquam in Prælatis, atque in Dignitate constitutis toleranda, aut permittenda censet.

XXI. Quapropter etiam si Dignitates revera sint Beneficia, tamen si super aliquo defectu cum Clerico fuerit dispensatum, ut non obstante illo defectu, Beneficium habere queat, non intelligitur sub nomine *Beneficii* comprehensa *Dignitas*: ideoque nec vigore hujusmodi dispensationis, Dignitatem obtinere poterit; ita post Garciam, aliosque Canonistas Pyrrhus Corradus in *Praxi dispensationum*, *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 1.

XXII. Eadem ratione (pergit Corradus) si mandatum sit ad Beneficia *Curata*, & *quæcunque alia*, profectò non includitur Dignitas *curata*, quæ quidem Dignitas non excluditur, ex eo quòd non sit Beneficium Ecclesiasticum, sed quia est *qualificatum*.

XXIII. Ad hæc, quia inter Dignitates aliæ sunt aliis majores, etiamsi dispensatum sit simpliciter pro Dignitatibus, nequaquam tamen censetur dispensatum pro *majoribus*, & *principalibus*, nisi id sit expressum.

Quare juxta stylum Curiæ, quando dispensatio conceditur pro quacunque Dignitate, solet dici, quòd non obstante hoc defectu promoveri queat Orator ad Dignitates, etiam *majores* & *principales*.

XXIV. Majores autem dicuntur respectu Ecclesiarum Cathedralium & Metropoliticarum illæ, quæ in his Ecclesiis post Episcopalem, aut Archiepiscopalem sunt majores: pro qua majoritate dignoscenda, recurrendum esse ad consuetudinem Provinciarum & Ecclesiarum, post Mendozam tradit Pyrrhus Corradus loco citato *num.* 14. » Et sic, ait, aliquando prima dignitas est Archidiaconatus, aliquando verò Archipresbyteratus secundum locorum consuetudines; licèt hac consuetudine » circumspecta de jure communi Archidiaconatus sit major » Dignitas. «

Principales dicuntur in Ecclesiis Collegiatis, quæ sunt primæ in illis Ecclesiis; idque rursus spectatâ consuetudine Provinciarum & Ecclesiarum: habeturque principalis, si major Dignitas non sit in ea Ecclesia, etiamsi forsan aliæ nec minores ibidem sint; uti probat ibidem Pyrrhus Corradus.

Videri in hanc rem poterunt, quæ suprà *tit.* 10. *cap.* 3. dicta fuerunt in occassione dispensationis super irregularitate ex defectu natalium.

CAPUT III.

De Beneficiis Regularibus et Secularibus.

1 *Distinctio inter Beneficia secularia, & Regularia olim ignota.*
2 *Quæ Regularia dicantur; & quæ talia ex ipsa Beneficiorum conditione.*
3 *Beneficium Regulare ex fundatione.*
4 *Potest esse tale titulo præscriptionis.*
5 *Quid ad hanc præscriptionem requiratur.*

Quan-

6 *Quando requiratur possesio* 40. *annorum.*
7 *Quid Beneficium Seculare.*
8 *Omnia Beneficia præsumuntur* secularia.
9 *Exceptiones ab hac regula.*
10 *De quibus Beneficiis regula intelligenda: & ratio regulæ.*
11 *Regularia Regularibus, & Secularia Secularibus conferenda.*
12 *Prior pars regulæ probata à Synodo Tridentina.*
13 *An nondum professus, sed profiteri intendens possit habere Benificium Regulare.*
14 *Beneficia Regularia ex sua natura non conferenda nisi professis vi Concilii Trident.*
15 *Id conforme praxi hodiernæ.*
16 *Quædam Beneficia Regularia conferri possunt nondum professis.*
17 *Beneficia non Curata Secularia Regularibus conferri nequeunt.*
18 *An Monachi de jure possint ad Ecclesias Parochiales Seculares ab Episcopis assumi.*
19 *Utrum Monachi olim assumpti ad regimen Ecclesiarum Parochialium manerent Monachi.*
20 *Decretum Synodi Lateranensis de Monachis Ecclesiis Parochialibus præficiendis.*
21 *Hoc Decretum de Canonicis Regularibus non loquitur.*
22 *Canonici Regulares* de jure *ad Ecclesias Parochiales per Episcopum assumi possunt.*
23 *Contraria resolutio S. Congregationis probata à Gregorio XIII.*
24 *Ea resolutio magis militat in aliis Regularibus.*
25 *Sustinent Canonici Regulares hanc resolutionem non esse receptam; quod & praxi videtur conforme.*
26 *Canonici Præmonstratenses dicuntur habere privilegium obtinendi Ecclesias Parochiales seculares.*
27 *An Canonici Præmonstratenses Beneficiis Parochialibus præfecti, possint ad nutum solius Abbatis revocari.*
28 *Mendicantes ad Beneficia admitti non possunt.*
* *Regulares in regimine Ecclesiarum Parochialium Episcopis subjecti sunt. Quomodo ab iis possunt revocari?*

I. FAmosa, & communis est divisio Beneficiorum in *Regularia & Secularia*; quæ divisio præcipuè seculis posterioribus invaluit, postquam & ipsa officia claustralia, quæ primitiùs erant *merè officia*, vel *obedientiæ*, cœperunt sensim in Beneficia & Dignitates degenerare; cœperuntque Monachi etiam manentes Monachi ad functiones *hierarchicas* assumi.

II. Regularia Beneficia communiter hodie vocantur, quæ Religiosis addicta sunt, aut per Regulares regi debent.

Contingit autem pluribus titulis, ut Beneficia Regularibus habeantur addicta. Primò quidem ex vi institutionis, seu quasi natura & conditione Beneficiorum, eò quòd officium hujusmodi Beneficiis annexum, ipsam Regularium disciplinam, & regimen, quoad spiritualia, vel temporalia immediatè concernat: ideoque conveniens planè sit, ut Regularibus potiùs, quàm Secularibus officium illud committatur.

Hujusmodi Beneficia sunt Abbatiæ, Prioratus, tam Conventuales, quàm Claustrales, aliaque regulare regimen concernentia.

III. Secundò, Beneficium aliquod potest esse Regulare ex speciali fundatione; quia Fundator Beneficii ordinavit, ut Beneficium Regularibus esse addictum, sive per Regularem regeretur, ipsumque Beneficium ea conditione ab Ordinario admissum, & erectum fuit.

IV. Tertiò, titulo præscriptionis Beneficium aliquod antea seculare fieri potuit regulare; ità ut vi hujus præscriptionis jam Regularibus censeatur addictum, & per Regulares regi debeat.

De hoc titulo agitur in *cap.* 5. *de Præbendis, in VI.* ubi declarat Bonifacius VII. »Quando scribitur, ut provideatur »de aliquo Prioratu alicui Clerico *seculari*, provideri non po»test de Prioratu, qui per Religiosos (juxta modum præmis»sum) est solitus gubernari.«

Modus autem præscriptus, & in eodem Capitulo expressus est, »si tanto tempore ab uno, vel pluribus Religiosis extitit »continuè ac pacificè gubernatus, ut præscriptio legitima sit »completa.«

V. Ad hanc præscriptionem communiter post Glossam ad dictum *cap.* 5. requirunt Doctores possessionem quadraginta annorum; sive ut Beneficium illud fuerit continuè ac pacificè per 40. annos per unum, pluresve Regulares possessum, & tanquam Beneficium *regulare* ipsis Regularibus in *titulum* Beneficii collatum.

Si ipsis Regularibus esset collatum ex dispensatione tanquam seculare, aut forsan ob defectum Secularium commendatum; hæc quantumvis longissimi temporis possesio non sufficeret ad immutandam naturam Beneficii, uti rectè advertit Rebuffus ad Concordata titulo *de Collationibus*, §. *Volumus*, verbo *Regularia.*

VI. Monet quoque ibidem Rebuffus, requiri possessionem 40. annorum, ut Beneficium seculare reddatur regulare, aut econtra; sed id intelligendum esse, »quando probaretur Bene»ficium esse regulare, vel è contrario, vel vera qualitas, se»cùs si vera qualitas non probaretur; quia tunc sufficit quòd »fuerit *ultimò* possessum per Secularem, licèt non intervenerit »præscriptio, ad hoc ut Seculari debeatur; si probaretur pos»sesio hinc inde, eo casu attenderetur *ultimus* status.« Vide latiùs Pyrrhum Corradum *lib.* 1. *Praxis Beneficiariæ, cap.* 6.

VII. Beneficium seculare dicitur, quod Clericis secularibus est addictum. Seculares autem Clerici dicuntur, qui nullam professi sunt Regulam, sed in seculo Deo serviunt, ait Rebuffus *in Praxi Benef. part.* 1. *tit. Quotuplex sit Beneficium, num.* 1. Inde & Canonici seculares eo titulo distinguuntur à Canonicis regularibus: quod hi, & non illi professionem Religiosam juxta certam Regulam emittant; uti latiùs notatum est *parte.* 1. *tit.* 7. *cap.* 1.

VIII. Tradit ibidem Rebuffus *num.* 3. regulam à Canonistis communiter receptam: »Regulariter omne Beneficium præsu»mitur seculare ex primæva institutione, nisi probetur regula»re. Ideo (*ait num.* 4.) secularis non tenetur probare esse secu»lare, sed is, qui illud regulare dicit: quia habet præsump»tionem pro se, qui est secularis.«

IX. Exceptionem à Regula subjungit Rebuffus *num.* 6. quoad Cappellas fundatas in Monasterio: »Quia illæ, ait, præ»sumuntur Regulares, nisi per Seculares teneri sint solitæ.

Quod de his Capellis asserit Rebuffus, potiori jure dicendum est de Abbatia, Prioratu, aliisque similibus Beneficiis, quæ non tantùm in Monasterio sunt fundatæ, sed ipsum regimen Monasticum propriè respiciunt; proinde Clericis secularibus minùs conveniunt: utpote qui nec vitam regularem professi, nec in hac vivendi ratione instituti, minùs idonei ad regimen Monasticum creduntur: unde hic rectè applicatur illud Pontificis in *cap.* 49. ✠ *de Electione*, quòd in »Magistratum assumi non »debeat, qui formam discipuli non assumpsit, nec sit præfi»ciendus, qui subesse non novit.«

X. Regula ergò suprà expressa, & omnium Canonistarum calculo probata, intelligenda est de Beneficiis extra Monasterium in Ecclesiis secularibus fundatis; aut quæ ad populi, aut Cleri directionem spectant; atque eatenus Monachis, & Regularibus vitam contemplativam, & solitariam procul à conversatione secularium remotam profitentibus, minùs congruis.

Hinc Rebuffus *num.* 7. asserens, »Quòd Parochiales Eccle»siæ præsumantur seculares, quia regulares sunt cum eis inha»biles *Cap.* MONACHI ✠ *de Statu Monachor.*« Rationem inhabilitatis subjungit: »Nam Monachi plangentis, & non docentis »habent officium.« *Canon* MONACHUS, & *Can.* PLACUIT, *causa* 16. *quæst.* 1.

XI. Insuper in hoc Beneficiorum genere recepta est hæc regula: *Regularia Regularibus, Secularia Secularibus* conferenda.

Hæc regula ab omnibus Canonistis probata, fundatur in variis textibus Juriis, ac signanter in *cap.* CUM DE BENEFICIO, & *cap.* CUM SINGULA, *de Præbendis, in VI.* item *Clem. unica, de Supplenda neglig. Prælator.* in qua expressè dicitur, quòd Diœcesani negligentiam Prælatorum in conferendis Beneficiis vacantibus supplere debeant: »Prioratus, Ecclesias, adminis»trationes, & Beneficia hujusmodi, illa videlicet, quæ con»sueverunt per seculares Clericos gubernari, *secularibus* Cle»ricis: alia verò, quæ Religiosis duntaxat committi sunt solita, »vel conferri, *Religiosis* Monasteriorum, quorum Prælati hu»jusmodi negligentes fuerint, conferendo.

XII. Prior pars regulæ, quæ vult, Regularia Regularibus conferri, probatur à Synodo Trid. *Sess.* 14. *cap.* 10. *de Reform.* ubi statuit: »Regularia Beneficia, in titulum Regularibus »professis provideri consueta, cùm per obitum, aut resignatio»nem, vel aliàs illa in titulum obtinentis vacare contigerit, Re»ligiosis tantùm illius Ordinis, vel iis, qui habitum omninò »suscipere, & professionem emittere teneantur, & non aliis, »ne vestem lino, lanaque contextam induant, conferantur.«

XIII. Hoc decretum Synodi videtur admittere, ut Beneficia Regularia conferantur iis Clericis secularibus, qui habitum omnino suscipere, & professionem emittere teneantur; at Fagnanus, pluresque Canonistæ putant, distinguendum esse inter Beneficia Regularia: ut nimirùm illa, quæ administrationem, seu regimen monasticum, sive regulare annexum habent, ut sunt Abbatiæ, Prioratus, similiaque Beneficia regularia, non comprehendantur sub his verbis Concilii Tridentini; sed duntaxat Beneficia Regularibus conferri consueta, atque eo titulo *Regularia*; sed nullam administrationem, aut regimen Monasticum seu Regulare habentia: eamque distinctionem etiam probâsse Sacram Congregationem refert Fagnanus ad *cap.* CUM CAUSAM ✠ *de Electione, num.* 38. Nam proposito dubio: »an »præter Papam ordinarii Collatores possint Regularia Benefi»cia in titulum Regularibus professis provideri consueta, con»ferre etiam secularibus, qui illius Ordinis habitum omninò sus»cipere, & professionem emittere teneantur. Die 12. Decem»bris

» bris 1585. Sacra Congregatio censuit, posse etiam ordina-
» rios Collatores portiones Monachales, & Canonicales, & si-
» milia simplicia Beneficia Regularibus provideri consueta, con-
» ferre, nedum ejus Ordinis professis, sed & secularibus, qui
» habitum suscipere, & professionem emittere omninò teneantur. Abbatias tamen, & Beneficia administrationem habentia
» nonnisi professis juxta Canones per Ordinarios inferiores con-
» ferri posse. «

XIV. Probat igitur ibidem Fagnanus quoad Beneficia Regularia administrationem regularem habentia, in nullo derogatum esse per superius decretum Concilii Tridentini juri communi: ideoque & hodie juxta citatum *Cap. Nullus*, similia Beneficia regularia non posse conferri, nisi *expressè professis*. Quod & ipsum Concilium Tridentinum sat innuit *Sess.* 25. *cap.* 21. *de Regular.* dicens, quòd » confidat Pontificem pro sua pietate &
» prudentia curaturum, ut quæ in posterum vacabunt (id est,
» Abbatiæ, Prioratus, Præposituræ, quæ suos conventus ha-
» bent) non nisi Regularibus spectatæ vitæ, & sanctitatis con-
» ferantur. «

XV. Testatur quoque Rebuffus in *Praxi Benefic. tit. de Dispens. cum Regular. n.* 24. » Hodie non admitti aliquem in
» Francia ad Beneficia regularia, Prioratum, aut aliam adminis-
» trationem, nisi is sit *expressè* professus, nisi à Papa cum de-
» rogatione, & certa scientia, &c. sive conferantur ei Benefi-
» cia, sive ad ea eligatur, *Clem. In agro*, §. *Cæterùm.* «

XVI. Quoad Beneficia autem Regularia simplicia, cujusmodi sunt Præbendæ, portiones Monachales, & alia id genus, ad ea obtinenda » non requiritur actualis professio, imò nec ha-
» bitus regularis; sed satis est, ut hujusmodi Beneficia confe-
» rantur Clericis secularibus, qui habitum illius ordinis suscipe-
» re, & professionem emittere teneantur. « Fagnanus *num.* 34.

XVII. Secunda pars supradictæ regulæ, volens Beneficia secularia secularibus conferri, excludit à similibus Beneficiis ipsos Regulares.

Conformiter ad hanc regulam, ex omnium Canonistarum sententia, Beneficia secularia non Curata, ut sunt Canonicatus, Capellaniæ, aliaque similia sine dispensatione Papæ Regularibus conferri nequeunt. *Cap.* 9. ✠ *de Regularibus*, & latè Fagnanus ad *cap.* Quod Dei Timorem, ✠ *de Statu Monachor. num.* 18.

XVIII. Verùm de Beneficiis Parochialibus, & Curatis non adeò expeditum est; dubitaturque, num Regulares de licentia suorum Prælatorum ad hujusmodi Beneficia secularia promoveri nequeant; estque in hoc maxima inter Doctores varietas opinionum, ait Fagnan. ad *cap.* Quod Dei Timorem ✠ *de statu Monach.* asseritque » communiter teneri, Monachum de
» jure ex causa *utilitatis* de Abbatis consensu ab Episcopo pro-
» moveri posse ad Parochialem Ecclesiam sine dispensatione,
» dummodò cùm eo habitet alius saltem Monachus. «

Fundatur hæc Doctorum assertio præcipuè in citato *Cap. Quod Dei timorem*, ✠ *de Statu Monach.* ubi interrogatus Innocentius III. an Canonicus Regularis S. Victoris possent retinere officium Plebani, cui ante professionem præfuerat, respondet: » Licèt autem in Lateranensi Concilio de Monachis caveatur, ne singuli per villas, & oppida per quascunque Parochia-
» les ponantur Ecclesias, &c. quia tamen istud de canonicis Re-
» gularibus specialiter non cavetur, qui etsi à Sanctorum Mo-
» nachorum consortio non putentur sejuncti, regulæ tamen in-
» serviunt laxiori, & per antiquos Canones etiam Monachi pos-
» sunt ad Ecclesiarum Parochialium regimen in Presbyteros or-
» dinari, ex quo debent prædicationis officium (quod privile-
» giatum est) exercere: sic annuendum duximus postulatis ut
» exercens Plebani officium, si commodè fieri poterit, unum
» Canonicum Regularem tecum habeas ad cautelam: cujus in
» his, quæ Dei sunt & Regularis observantiæ, tam consortio,
» quàm solatio perfruaris. «

Ex hac Decretali concludunt Doctores, Monachos secundum antiquos Canones potuisse ad Ecclesiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari.

XIX. Verùm, an dum olim Monachi ad Parochiales Ecclesias, & regimen populi assumebantur, adhuc Monachi manerent, non ita constat; negativam multis novissimè adstruxit Nicolaus Desnos prior & Administrator generalis majoris Domus Dei Pruviniensis Ordinis Canonicorum Regularium Divi Agustini in *suo Canonico Seculari, & Regularibus*, *lib.* 3. *cap.* 15. & 16. contenditque » Monachatum consistere specificè
» & essentialiter in renuntiando curis secularibus, & solicitudi-
» nibus ac muniis Ecclesiasticis: quorum primo, ait Mona-
» chus differt à vulgaribus laicis, & secundo distinguitur à Clericis. «

Deindè citato Canone IV. Calchedonensis Concilii, quo Monachis injungitur conformiter ad eorum professionem *quietem amplecti, jejunio, & orationi tantummodo vacare, nec Ecclesiasticis, nec secularibus negotiis se ingerere, aut communicare*, tandem concludit: » Ex quo colligitur vera & germana, imò &
» unica characteristica Monachatûs, *abdicatio scilicèt secularium*
» *negotiorum, & curarum ac solicitudinum Hierarchicarum, ac*
» *Ecclesiasticarum.* «

XX. Quidquid sit, certum est, labentibus seculis, Monachos etiam ad curam animarum, & functiones Hierarchicas salvo Monachatu fuisse applicatos; quamquam ex illo verum sit, quòd per Concilium Lateranense sub Alexandro III. in *cap.* 2. ✠ *de Statu Monach.* cautum sit, » ne Monachi singuli per
» villas, & oppida per quascunque Parochiales ponantur Ec-
» clesias, sed in majori conventu, aut cum aliquibus fratribus
» maneant, nec soli inter seculares homines spiritualium hostium
» conflictum expectent. «

* Huic dispositioni Concilii Lateranensis in *cap.* 2. ✠ *de Statu Monachorum*, quâ decernitur, » ne Monachi per villas
» & oppida, per quascunque Parochiales ponantur Ecclesias,
» sed in majori Conventu, aut cum aliquibus Fratribus ma-
» neant, nec soli inter seculares homines spiritualium hostium
» conflictum expectent: Peckius hoc monitum subjungit: ideo-
» que velim prudentes esse Prælatos, ut Secularis Ecclesiæ re-
» gimen, quod vel ex dispensatione Pontificis Maximi, vel ex
» longi temporis præscriptione habent, non eos protrudant,
» quorum adolescentiæ multas vias lubricas ostendit natura, in
» quibus sine prolapsione aliqua consistere vix possint, nec eos,
» quos propter morum inelegantiam & asperitatem domi ferre
» ipsi nolunt, sed eos, qui sic cœlestium deliciarum copiâ exu-
» berant, ut in verbo Dei abundent, familiæ Christi fideliter in-
» serviant, & de quibus certior spes est, quòd iniquam cogi-
» tationem cohibere, lumbos & concupiscentiam comprimere,
» libidini resistere, lasciviæ effectum denegare, avaritiam atque
» rapinam contemnere, proximi læsionem devitare, superbiam
» vincere, invidiam & iram superare poterunt. «

Utinam & id attenderent eorum Monasteriorum Prælati, in quibus non sine magno abusu, ad Beneficia Parochialia, necnon directionem Monialium, quasi ex ordine prioritatis emissæ professionis potiùs, quàm ex meritorum & qualitatum consideratione, Religiosi promoveri consueverunt.

XXI. Innocentius III. in cap. *Quod Dei timorem*, meminit dispositionis seu Decreti Concilii Lateranensis III. Ibi asserit, quòd timendum est pro monachis ad Ecclesias Parochiales curandas assumptis, id specialiter non caveri de Canonicis Regularibus, *qui etsi à Sanctorum Monachorum consortio non putentur sejuncti, regulæ tamen inserviunt* Laxiori: quod ultimum intelligendum credo, quòd non tam arctam quam reliqui Monachi solitudinem, & à secularibus, & Ecclesiasticis functionibus separationem profiteantur; sed magis quàm Monachi ad Clerum accedant. Quem sensum non obscurè indicat, dum ex hac sua sententia infert, officium Plebani Canonico Regulari S. Victoris committi posse.

* Quòd Innocentius III. in jam antea relato *cap. quod Dei timorem*, *de Statu Monachorum*, dicat, Monachos per antiquos Canones potuisse ad Ecclesiarum Parochialium regimen in Presbyteros ordinari; indubiè more suo asseruit auctoritate Canonum, quos sub nomine S. Ambrosii & Bonifacii Papæ legerat, apud Gratianum 16. *quæst.* 1. *Can.* 21. & 25. quos Apocryphos, & Auctoribus illis falsò adscriptos hodie agnoscunt eruditi.

Nec enim legitur primis septem, aut octo seculis, Monachos in Monachatu manentes, ad Ecclesiarum Parochialium regimen fuisse assumptos, sive regimini similium Ecclesiarum applicatos: at si è Monachis per Episcopos ad simile regimen assumebantur, Monachi esse desinebant; & à vita Monachali, sive contemplativa & solitaria, ad Clericalem & activam transire censebantur, uti in hoc opere non semel notatum est.

XXII. Hinc communiter tradunt Doctores Canonicum Regularem sine dispensatione Pontificis de solius sui Prælati licentia posse per Episcopum ad Beneficium Parochiale, etiam seculare assumi: quòd & Synodus Tridentina supponere videtur *Sess.* 14. *cap.* 11. *de Reform.* specialiter ibidem decernens: » quòd Regularis de uno ad alium Ordinem translatus, etiam-
» si Canonicorum Regularium fuerit, ad Beneficia secularia,
» etiam Curata, omninò incapax existat. «

XXIII. Nihilominùs, cùm anno 1581. sub Gregorio XIII. quæsitum esset, an Canonici Regulares de licentia sui Generalis possint assumere curam tam ad tempus, quam perpetuò: Pontifex » noluit licere istis Regularibus, etiam de licentia sui
» Generalis absque permissu summi Pontificis assumere curam
» etiam ad tempus, multoque minùs Beneficium assumere Cu-
» ratum in titulum. « Ita se reperisse annotatum in libris publicis sacræ Congregationis asserit Fagnanus loco citato *num.* 16. additque: » Et subindè cum Canonici Regulares Lateranenses
» peterent, ut sibi liceret cum licencia sui Generalis obtinere
» Beneficia Curata in titulum vel ad tempus, & res à Con-
» gregatione delata esset ad Sanctissimum, Sanctitas sua abnuit.
» Ex his apparet (ait Fagnanus) Canonicos Regulares hac
» Decretali (quæ incipit *Quod Dei timorem*) non obstante, ho-
» die assumi non posse ad regimen Parochialium Ecclesia-
» rum absque dispensatione Romani Pontificis. «

Ul-

XXIV. Ulterius hinc infert Fagnanus, quòd si Canonici Regulares assumi nequeant absque dispensatione summi Pontificis, multo minùs assumi possint aliorum Ordinum Regulares: responditque Congregatio, Regularem ab Episcopo non posse præfici curæ animarum sine dispensatione Apostolica, quæ non videtur concedenda, nisi instante Episcopo pro necessitate, aut utilitate Ecclesiæ.

XXV. Verùm Gabriel Pennotus *lib. 2. Histor. tripart. Canonicor. Regul. Cap. 72.* multis probat, etiam jure novo, Canonicos Regulares sine dispensatione Apostolica de licentia suorum Superiorum ad Beneficia Secularia Curata posse assumi, modo *translati* non sint, de quibus in *cap. 11. Ses. 14.* Concilii Trident. neque obstare citatam declarationem S. Congregationis, seu decretum sub Gregor. XIII. quia docet eam declarationem quoad Canonicos Regulares numquam fuisse practicatam; asseritque S. Carolum Borromeum anno 1584. adeoque triennio post editam allegatam declarationem, quendam Canonicum Regularem ad concursum admisisse, eique Parochialem Ecclesiam contulisse; atque ita post dictum decretum resolvisse Rotam Romanam ibidem asserit Pennottus: quin & *num. 7.* refert anno 1602. Sacram Congregationem censuisse: » Decretis Concilii Tridentini Canonicum Regularem non pro» hiberi obtinere Beneficia Curata secularia, nisi fuerint ex iis » translatis, de quibus habetur *cap. 11. Sess. 14.*«

XXVI. Sententiam Pennotti amplectitur Ascanius Tamburinus *tomo 3. de Jure Abbat. disp. 9. quæst. 8.* subjungens ibidem Consilium Vincentii Parentii J. U. Doctoris idipsum fusè adstruentis. Conformiter ad hanc opinionem, videmus subindè Canonicos Regulares ad Beneficia Curata etiam secularia assumi: asseruntque Canonici Præmostratenses, se ex speciali quoque privilegio obtinere posse Ecclesiam Parochialem secularem, uti testatur Zypæus *consult. 1. de Institutionibus, num. 3.* ibidem notans, quòd si Ecclesia sit secularis nec unita Monasterio, sed simpliciter jus patronatus pertineat ad Prælatum, & ad eam præsentet Regularem, isque ab Episcopo admittatur; ratio major videtur, quòd is ex nutu Prælati non possit amoveri, quàm si esset Beneficium Regulare; eò quòd Beneficia secularia sint ex natura perpetua: adeoque Regularis ad simile Beneficium à Prælato præsentatus, ab Episcopo admissus, & institutus, videatur institutus juxte naturam ipsius Beneficii.

XXVII. Cæterum de amovibilitate, sive revocatione Præmonstratensium, qui Parochialibus Ecclesiis etiam unitis & Regularibus sunt præfecti, tractat Zypæus in Jure Novo, *tit. de Regular. num. 46.* ibidem citans duo Diplomata Pontificia, » alterum Joannis XXII. specialiter Evordiensi Abbatiæ conces» sum, alterum Julii II. an. 1512. Abbatiæ Præmonstratensi, » reliquisque generatim ejusdem Ordinis; per quæ datur » facultas Prælatis suos Religiosos amovendi quoties eis vide» bitur, sive ad nutum.«

Dein subdit: » Quem tamen non pro libidine, sed arbitrio » boni viri interponi oportet, atque ex causis justis, quia ho» nor delatus finem certi temporis, ac loci non habet. Non ta» men levi vel nulla ex causa amotis adversus superiores quere» lam concedo, ut facit Chenu *Recueil de Reglemens, tit. 33.* » *cap. 204.* ex doctrina Panormitani & Joannis de Selva, quam » per dispositionem Tridentini, *cap. 2. de Regularibus*, ces» sare existimo.« Hæc Zypæus.

Verùm cùm non ita pridem fusè disputatum fuisset in Gallia coram Commissariis per Regem deputatis, num Præmonstratenses essent amovibiles & revocabiles à suis Pastoribus ad nutum suorum Prælatorum sine consensu Ordinarii, factâ relatione, judicatum fuit per Parlamentum Regium 12. Sept. 1678. fas nos esse Abbatibus, neque Generali Ordinis eos sine consensu Ordinarii revocare. Totus status causæ ejusque occassio, necnon rationes utrimque productæ latè deducuntur in opere, quod intitulatur, *Journal Du Palais, tom. 7. pag. 17.* & sequentibus.

XXVIII. In Gallia ex edicto Caroli VII. nullus professus in aliquo Ordine Mendicantium potest promoveri ad quocunque Beneficium cujuscunque tandem qualitatis, exceptis Episcopatibus; sunt & provisi jampridem repulsi, & ad sua Monasteria remissi. Hodie tamen subindè mediante dispositione Pontificis ab Episcopis admittuntur ad Beneficia Curata in defectum Sacerdotum secularium. Decretum refert Tournetius in *Collectione Arrestorum, Lit. B. cap. 42.*

* Qualiter sive in Gallia, sive in Belgio, & aliis locis, Regulares per Abbates ad Ecclesias Parochiales eorum Monasteriis incorporatas, præsentati & instituti debeant ab Episcopis accipere curam animarum: necnon in iis, quæ eam curam concernunt, Episcopis subjiciantur, & eorum Ordinationibus obedire teneantur, & casu, quod in ea cura deliquerint, ab Episcopis puniri queant, neque possint per Abbatem, sine licentia Episcopi ab ea cura absolvi & revocari, declaravit Concilium Provinciale Cameracense sub Maximiliano de Berghes anno 1565. tit. *de Ministeriis Ecclesiæ, cap. 6.* in verbis: » Quotquot habent Curata Beneficia unita suis Ecclesiis, ut » Capitula & Abbates, non priùs committant Pastores iisdem » Beneficiis Curatis, quàm præsentati Ordinario fuerint, & ac» cepti ab eo: quoniam populus ejus curæ commendatus est, à » quo iidem Rectores potestatem, quàm curam animarum vo» cant, accipient, nec possunt, aut Abbates, aut Capitula ad» missos & approbatos ab Ordinario Rectores revocare, nisi » consenserit Episcopus: & iidem Rectores constituti manda» tis Episcoporum omninò pareant, ab iisque corrigantur si » quid deliquerint.«

Rursus in altera Synodo anno 1586. tit. *de Regularib. & Monialibus, cap. 5.* legitur: » Quamvis Religiosi, qui à suis » Prælatis destinantur ad Pastoratus suis Monasteriis subjectos, » seu incorporatos (quorum institutio ad Episcopos, aut Archi» diaconos pertinet) administrandos, ob id non eximantur ab » obedientia eorundem Prælatorum: tamen quia & Episcopo» rum, à quibus dicti Religiosi curam animarum accipiunt, & » Parochianorum interest, ut non temerè & sine causa revo» centur, decreto primi Concilii Cameracensis, *cap. 6. de Mi» nisteriis Ecclesiasticis*, inhærens, hæc Synodus statuit & de» crevit, nonnisi ex causa legitima, quam ipse Prælatus Epis» copo exponere debeat, ad Monasteria possint revocari: cau» sâ autem expositâ, Episcopus, & revocatum dimittere, & » in ejus locum præsentatum, si idoneus sit, admittere teneatur.«

Ex contextu prædictorum Decretorum non obscurum est, unicum eorum scopum fuisse, præcavere, ne per nimiam frequentem, & præcipitem Pastorum revocationem, spirituale Parochiarum regimen dispendium pateretur: unde causam revocationis non ipsis Regularibus, sed Episcopis aperiendam decernunt; utpotè quibus incumbit attendere, ne populi regimen spirituale ex hac mutatione seu revocatione dispendium patiatur.

Et ne ipsi Regulares prætenderent, quòd Pastoratibus Præpositi à promissa obedientia censerentur exempti, expressè declaravit posterior, eos per hanc in Pastoratibus ab Episcopis acceptam institutionem non esse exemptos.

Quod præterea in priori Synodo declaratur, similes Religiosos Ecclesiis Parochialibus Præfectos, jurisdictioni & correctioni Episcoporum subjici, juri communi conforme esse solidissimè coram Parlamento Parisiensi, probavit nominatissimus Advocatus Regius Talonius, atque conformiter ad ejus conclusionem pronuntiavit Parlamentum, Episcopum manutenendum in auctoritate puniendi Regulares, quantumvis *exemptos*, Parochialibus Ecclesiis Præfectos, in regimine suarum Ecclesiarum delinquentes. Integer discursus Advocati Regii, & sententia Parlamenti referuntur *in Supplemento Annotationum marginalium Sanctionis Pragmaticæ Regis Franciæ*, Editionis Francisci Pinsonii, anno 1666. pag. 1081.

CAPUT IV.

De Beneficiis Curatis, et simplicibus; ac præcipue de Capellaniis.

1 *Cura animarum alia quoad forum interius, alia quoad forum exterius.*
2 *A priori Beneficia propriè* Curata *dicuntur.*
3 *Beneficium cum onere juvandi Parochum in Confessionibus audiendis, aut concionando, non est Beneficium* Curatum.
4 *De Cura animarum quoad forum interius, quid dicant Concilium Lateranense IV. & Tridentinum.*
5 *Hæc etiam intelligenda de cura animarum Dignitatibus* Curatis *annexa.*
6 *Obtinentes Beneficium* Curatum *vi sui tituli exercet omnia, quæ Cura animarum requirit.*
7 *Neque ea sine causa, vel sine ordine juris adimi possunt.*
8 *Quæ dicantur Beneficia* Simplicia.
9 *An Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum veniat nomine* Simplicium *Beneficiorum.*
10 *Quid de Capellaniis; & quæ distinctio inter* Capellam & Capellaniam.
11 *Unde Capellarum Origo, & quid primitùs* Capella S. Martini.
12 *Capella postmodum dicta ædes sacra.*
13 *Quare dictæ fuerint* Palatinæ, *& de Capella Aquisgranensi.*
14 *Reges multa habentes palatia in singulis habebant Capellas hisque Presbyteri erant præpositi.*
15 *Exemplo Principum alii quoque laici cœperunt extruere* Capellas.
16 *Quomodo in Ecclesiis Parochialibus, & Canonicalibus extrui cœperint.*
17 *Capellæ sine auctoritate Episcopi erigi non poterant; & inde in Beneficia transierunt.*
18 *Numerus Capellarum in Ecclesiis Canonicorum valdè auctus; & quare.*
19 *Vigente vita communi Canonicorum, Capellani à Canonicis non distinguebantur.*

Ca-

20 *Capellani æquè ac Canonici ad persolvendum solemne divinum Officium obstricti.*
21 *Canonicatus & Capellania reputantur Beneficia* Uniformia.
22 *Quomodo Canonici se habere debeant erga Capellanos.*
23 *Unde nomen* Capellanorum *hodie viluerit.*
24 *Pro reformatione Capellanorum conveniens esset, eorum numerum minuere.*
25 *Capellaniæ in Ecclesiis Canonicalibus, quâ ratione* Simplicia *Beneficia.*
26 *Capellaniæ in Ecclesiis Parochialibus, aut separatis Sacellis, quem in finem primitùs institutæ.*
27 *Ex prima institutione residentiæ personali videntur fuisse obstrictæ.*
28 *Sensim persuasum fuit, oneri celebrandi Missam satisfieri per Missam* privatam; *eamque alteri committi posse.*
29 *Hinc tandem consuetudine obtentum, hujusmodi Capellanias residentiam non requirere.*
30 *Hæc Beneficia antonomasicè dicta sunt* Simplicia.
31 *Beneficia hæc videntur quasi sine officio; quid de his statuendum in Synodo Tridentina postulatum nomine Regis Galliæ.*
32 *Quid statuerit Synodus Tridentina.*
33 *Quibus hæc Beneficia conferenda.*
34 *Fundationes Missarum antequam in titulum Beneficii sint erectæ, manent laicales.*

I. BEneficia Curata dicuntur, quæ animarum curam annexam habent.

Hæc cura, si ad forum interius sive conscientiæ spectet, tunc Beneficium, cui similis cura est annexa, propriè vocatur *Beneficium Curatum*, utpote cui propriè cura spiritualis animarum incumbit.

Si autem cura hæc duntaxat pertineat ad forum externum & contentiosum, vi cùjus exerceat ea, quæ sunt jurisdictionis spiritualis, qualia sunt inquirere, suspendere, excommunicare, à censuris absolvere, aliaque similia, tunc Beneficia, quibus hujusmodi cura annexa est, impropriè dicuntur Beneficia *Curata*; neque nomine Beneficiorum *Curatorum* intelligi solent.

II. Beneficia itaque Curata propriè dicta sunt illa, quibus cura animarum quoad forum interius, sive directionem conscientiæ annexa est; ita possessor hujusmodi Beneficii vi sui tituli habeat curam animarum in foro interno respectu certarum personarum.

Hinc notat Rebuffus, quòd de jure communi nullum Beneficium habeat curam, nisi habeat populum, vel Clerum, cujus scilicet cura Beneficio annexa est, & Beneficiato incumbit.

III. Primò itaque Beneficium aliquod non dicitur *Curatum*, tametsi ex lege fundationis debeat Parocho, v. g. in officio concionandi, aut confessiones excipiendi assistere, eò quòd hujusmodi functiones possint esse sine propriè dicta cura animarum: quæ non tantùm requirit exercitium concionandi, aut confessiones audiendi; sed ea omnia, quæ saluti animarum populi, aut Cleri, cujus cura Beneficio annexa est, necessaria & utilia sunt: ut sunt administratio Sacramentorum, non tantùm Pœnitentiæ, sed Eucharistiæ, Extremæ Unctionis, & Matrimonii, aliaque plura.

IV. De hac cura loquitur Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *Cap.* 14. ✠ *de Ætate & qualit. Ordinand.* dicens: » Cùm sit ars artium regimen animarum, districtè præ» cipimus, ut Episcopi promovendos in Sacerdotes diligen» ter instruant, & informent, vel per seipsos, vel per alios » idoneos viros super divinis Officiis, Ecclesiasticis Sacramentis, » qualiter ea rite valeant celebrare.«

Similiter de hac cura loquitur Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* ubi supponit: » præcepto divino mandatum » esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves » suas agnoscere, pro his sacrificium offerre, verbique Divini » prædicatione, Sacramentorum administratione, ac bonorum » omnium operum exemplo pascere; pauperum, aliarumque » miserabilium personarum curam gerere, & in cætera munia » Pastoralia incumbere. «

V. Cùm ergo non tantùm Pastoribus, sed & Decanis, Præpositis & Archipresbyteris Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum cura seu regimen animarum, pro varia Ecclesiarum consuetudine, & fundatione, incumbat, hi quoque recogitare debent, ea, quæ ibidem Synodus Tridentina expressit, præcepto divino sibi incumbere respectu Cleri & populi, quorum Cura ipsis ratione Beneficiorum, vel Dignitatum commissa est, quodque regimen animarum ipsis incumbens, etiam dicendum sit, *ars artium.* Videri possunt, quæ dicta sunt, *part.* 1. *tit.* 11. *cap.* 2. *num.* 3.

VI. Ulteriùs, quia Beneficium Curatum necessariò requirit annexam curam animarum; consequens est, quòd etiam exigat facultatem faciendi ea omnia, sine quibus hæc cura plenè exerceri nequit: ideoque habens Beneficium Curatum, vi sui tituli seu Beneficii exercet ea omnia, quæ cura animarum requirit; nisi quædam specialiter ex generali ordinatione sint excepta, & Episcopis reservata.

VII. Inde præterea concluditur, quòd sicuti Beneficium de sua natura est perpetuum, id est, ad vitam Beneficiati, neque sine causa Canonica & non servato juris ordine eo privari invitus potest; ita nec cura animarum, omniaque ei annexa ipsi auferri sine causa & forma judicii servata adimi, neque in iis impediri, aut ab iis suspendi possint. Si enim hæc adimerentur, jam ipsum Beneficium quodammodo, saltem pro parte adimi censeretur, ademptis iis, quæ Beneficio ratione curæ animarum annexa sunt.

VIII. Beneficia, quæ non habent ullam curam animarum, nec in foro interiori, nec exteriori, utpote quæ nec populum, nec Clericum, in quem hujusmodi curam exerceant, habent, nec ullam administrationem, vocantur Beneficia *Simplicia*, uti communiter notant Canonistæ; qualis *simplicis* Beneficii meminit Gregorius IX. in *cap. fin.* ✠ *de Præbendis.*

IX. Canonicatus Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum nomine *Simplicium* Beneficiorum venire, communiter docent Canonistæ: quamquam in materia odiosa nomine Beneficiorum *simplicium* non venire Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium propter eorum eminentiam, & quia quasi ipsis Dignitatibus comparantur in *Cap.* STATUTUM *de Rescriptis*, *in VI.* doceant plerique Doctores; & ita videtur habere stylus Curiæ Romanæ, ut in materia restringibili, v. g. dispensationis, non veniant Canonicatus Cathedrales, nisi exprimantur, uti observat Garcias, de *Beneficiis*, *part.* 1. *cap.* 6. *num.* 56.

X. Beneficiis simplicibus etiam annumerari solent Capellaniæ, sive Capellæ, tum in Ecclesiis Catedralibus & Collegiatis, tum in particularibus Sacellis vel Oratoriis fundatæ.

» Practici Romani (ait Rebuffus in *Praxi Benef. tit. Secu» lare Beneficium quotuplex*, *num.* 14.) faciunt differentiam in» ter *Capellam* & *Capellaniam.* Nam *Capellanam* vocant, quan» do est corpus per se, & Ecclesia per se; & tunc litteræ Apos» tolicæ diriguntur Rectori talis Capellæ. Si verò Altare sit in » aliqua Ecclesia, tunc dicitur *Capellania*, & vocari solet per» petua, & dirigitur rescriptum tali N. perpetuo Capellano.«

XI. De varia Capellarum atque Cappellanorum significatione, eorumque origine latè tractat Du Cange in Glossario mediæ & infirmæ Latinitatis, verbo *Capella*, & verbo *Capellanus.*

In formulis Marculfi Monachi *Lib.* 1. *cap.* 38. fit mentio *Capellæ S. Martini*; præcipiturque juramenta præstari super hanc Capellam. Credit Hieronymus Bignonius in notis ad has formulas, hoc loco *Capellam* pro capsa dici, in qua Martyrum ossa conderentur.... Reliquias igitur Sancti Martini, ait, asservatas in Palatio innuit hæc formula.

At Du Cange loco citato credit hîc Capellam non accipi pro *Capsella*, in qua Sanctorum Reliquiæ conduntur, sed pro brevi *Capa* sive veste S. Martini.

XII. Quidquid sit, hoc notat ibidem Cangius, quod *Capella* postmodum appellata sit ædes ipsa, in qua asservata est *Capa*, seu *Capella* S. Martini intra Palatii ambitum ædificata; in quam etiam præcipuæ Sanctorum aliorum reliquiæ illatæ: unde ob hujusmodi reliquiarum reverentiam ædiculæ illæ *Sanctæ Capellæ* vulgò appellatæ. Ita ille, qui pluribus argumentis id confirmat.

XIII. Monet deinde quomodo Capellæ illæ dictæ fuerint *Palatinæ*; eò quòd in Palatio aut circa Palatium Regum & Imperatorum constructæ essent; atque inter præcipuas Francorum Regum Capellas Palatinas extitisse insignem illam Aquisgranensem *ex toto Romanorum orbe famosissimam*, ut ait Gaufredus de vita S. Bernardi *lib.* 2. *cap.* 6. Sermonem Caroli M. Imperatoris fundatione hujus Capellæ refert Miræus in Codice piarum donat. *cap.* 11. asseritque ibi Carolus, » se *pignora* » Apostolorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, à di» versis regnis & præcipuè Græcorum collegisse, quæ, ait, » huic sancto intuli loco, ut eorum suffragiis regnum firmetur, » & peccatorum indulgentia condonetur. «

XIV. Cùm verò Reges complura haberent Palatia, idque in qualibet Provincia, erant quoque in iisdem Palatiis ædes sacræ, quæ propria appellatione *Capellæ* dicebantur; in quibus sacra Divorum Lipsana, quæ secum deferri à Capellanis faciebant, reconderent, & asservarent.

His Capellis præpositi erant Presbyteri & Clerici, quæ ibidem Divinum Officium peragerent, atque inde *Capellani Palatini* vel *Regii* dicti: creditque Ludovicus Thomassinus de *Discipl. Eccles. part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 43. *num.* 3. præcipuum scopum Sacellorum Regiorum fuisse, ut ibi Presbyteri Divinum officium persolverent, cui Principes cum sua familia possent assistere.

XV. Lapsu temporis exemplo Regum, & Principum, alii etiam fideles laici cœperunt ad honorem alicujus Sancti extruere ædiculas sive Oratoria: idque subinde separatim ab Ecclesia Parochiali, aut alia Collegiata vel Cathedrali; etiam constitutâ

do-

dote pro Sacerdote, & fabrica aliisque ad Missarum celebrationem, aliaque Divina officia peragenda necessariis.

Hæc Oratoria, *Capellæ*, & postmodum *Sacella* quoque dicta fuerunt, & Presbyteri iis præpositi *Capellani*, vel *Sacellani*.

XVI. Dein laici non sufficientes extruere hujusmodi separatum Sacellum cum conveniente dote, cœperunt in ipsis Ecclesiis majoribus tam Parochialibus, quàm Collegiatis & Cathedralibus, laterales aliquas ædiculas, vel etiam Altaria in honorem hujus, illiusve Sancti, vel in memoriam alicujus mysterii vel miraculi extruere; eisque annectere annuos aliquos proventus pro Presbyteris, qui his ædiculis, vel altaribus præessent,

XVII. Jam pridem de Capellis statutum legitur *lib.* 5. *Capitul. Reg. Franc. cap.* 182. » Ne Capellæ in nostro Palatio vel » alicubi, sine permissu Episcopi, in cujus est Parochia, fiant. «

Hinc omnia illa Sacella, nec non altaria ubique Episcopi consensu constructa reperiuntur, & eadem auctoritate in titulum Beneficii erecta; ideoque à nomine ipsius Capellæ sive Altaris vel Sancti, sub cujus invocatione fundata sunt, ipsum Beneficium, seu *Capellania* vocari consuevit.

XVIII. Similium Capellaniarum numerus sensim mirum in modum in plerisque Ecclesiis tum Cathedralibus, tum Collegiatis auctus est; crediderunt que earum fundatores augmentum hoc non parum ad decorem domus Dei, & Divinorum Officiorum profectum pertinere, dum hi Capellani non tantùm Altaribus, seu Sacellis præessent; sed unà cum Canonicis diurnum pariter ac nocturnum officium Canonicum solemniter peragerent. Hanc enim fuisse fundatorum mentem, facilè ex fundationum instrumentis intelligitur.

XIX. Scribit Molanus, *lib.* 2. *de Canonicis*, *cap.* 34. » Hi » (scilicet Sacellani) quando adhuc vigebat Canonicorum vetus » disciplina, quæ exigebat, ut omnis Clerus Canonicè viveret, » non discernebantur à Canonicis, neque nomine, *neque functione*. Nulla erat distinctio Canonicorum à Sacellanis, imo nec » nomen Sacellanorum uspiam audiebatur, quod posteritas à » Sacellis derivavit, quasi innuere volens hos esse minores Sacerdotes. «

XX. Quidquid sit de hac Molani reflexione, hoc certum est, Canonicos & Capellanos quoad præcipuam & primariam functionem & officium, quod est ipsa Divini Officii solemnis persolutio, convenire; nec minus hos quàm illos persolvendo huic Officio ex sua institutione obstrictos esse solere.

Unde rectè monet Molanus » eos meminisse oportere, ut » in officio Ecclesiastico piè & devotè peragendo Majorum suorum, seu Antecessorum exempla sedulo insectentur: meminerint se de Altari & Ecclesia vivere, ut Altari & Ecclesiæ » irreprehensibiliter coram Deo & hominibus serviant. «

XXI. Hinc ulteriùs hujusmodi Capellaniæ reputantur incompatibiles cum Canonicatu in eadem Ecclesia; & quidem incompatibilitate *primi generis*, ut ajunt, qualis intercedit inter Beneficia *uniformia* sub eodem tecto, uti latiùs dicetur infrà *tit.* 20. *cap.* 4.

Ob eam officiorum uniformitatem, etiam Canonicorum & Capellanorum solet ferè esse vestium uniformitas; nisi quòd sensim Canonici materia, & pellibus magis pretiosis uti cœperint; aliaque nonnulla præeminentiæ signa sibi privativè tum in choro, tum in aliis Ecclesiasticis officiis attribuerint.

XXII. Solent Canonici in proventibus Capellanos multùm excedere; atque ex hac temporalium abundantia factum, ut Canonici quasi Capellanis dominare cœperint, ipsosque famulorum quoddammodo loco habere; de quo Canonicos monet Molanus dicens: » Canonici meminerint eos Sacerdotes esse, ideoque ob Sacerdotii dignitatem nunquam eis ut famulis abutantur. Meminerint eos ex prima institutione Canonicæ vitæ, non » minus quàm ipsi sint, Canonicos esse, ideoque semper ut *con*» *fratres* honorandos esse, & quàm maximè laborandum, ut » cum iis pax foveatur, & conservetur. «

XXIII. Imò quia proventibus, & dignitate Canonicis solent esse hodie multò inferiores, nomen Capellanorum hujusmodi hodie quoque quodammodo viluit; ut nec fere nisi tenuioris & vilioris conditionis Clerici ad eas soleant assumi: qui, quod dolendum, sæpè etiam sordido ac mercenario planè modo Divina Officia frequentant; Sacra quasi pro stipendio celebranda, unde vivant, conquirunt, seu veriùs emendicant; & extra tempus Divini officii cum maximo populi scandalo, ac Cleri vilipendio, & opprobrio otiantur, & reliqua, quæ otium consequuntur, sectantur.

XXVI. Quibus Cleri reformatio incumbit, meritò expendent, num convenientiùs ad Dei honorem, & decorem Ecclesiæ non foret, si Capellanorum illorum numerus in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis ad minorem numerum reduceretur; ut ita singuli honestam sustentationem habentes, non cogerentur ex emendicatis stipendiis & oblatis vivere; atque hinc ulteriùs contingeret ad Capellanias assumi Sacerdotes ea pietate, ac doctrina & morum honestate, qui præter Officium Chori, Missarum celebrationem, alias etiam Hierarchicas functiones obirent: sicque tandem vilium illorum ac otiosorum Sacerdotum numerus, qui adeò Ecclesiam scandalizat, & Sacerdotium in vilipendium aducit, saltem minueretur.

XXV. Ex hactenus dictis perquam manifestum est, quòd attentis similium Capellaniarum institutione, & moderno officio eis annexo, hujusmodi Capellaniæ inter Beneficia *simplicia* sint reputandæ, eo modo quo Canonicatus præsertim Collegiatarum Ecclesiarum Beneficia *simplicia* dicuntur; quia curam animarum, vel Dignitatem annexam non habent.

XXVI. Capellaniæ in Ecclesiis Parochialibus, aut in quibusdam Sacellis fundatæ, plerumque onus persolvendi Missarum solemnia annexum habent.

Notandum autem *Missæ* nomine pridem comprehensum fuisse Divinum Officium, ac præsertim ipsius Evangelii explanationem, quæ Missæ celebrationi connexa erat: ideoque admodum verosimile, has Capellanias primitus non esse fundatas ea intentione, ut earum possessores satisfacerent *simpliciter* Missam celebrando; sed ut tanquam Ecclesiarum illarum ministros, & Parochorum adjutores se exhiberent; aut sanè, ut in Sacellis divina officia convenienter fierent.

XXVII. Ulteriùs observandum, admodum verisimile esse, Capellanias has primitùs fundatas, & in titulos Beneficiorum erectas, ut earum possessores, tanquam veri titulares hujus illiusve Ecclesiæ *perpetuò* ibidem residerent; atque ibidem officia Beneficio annexa *per se* explerent.

Sicuti enim primis seculis ordinatio ordinatum Ecclesiæ alicui particulari adstringebat, ita juxta recentiorem disciplinam Beneficium adstringit, & incorporat possessorem Ecclesiæ, in qua Beneficium illud est fundatum; eâ nimirum ratione, ut huic Ecclesiæ tanquam ejus minister, juxta officium Beneficio annexum, deserviat. Unde etiam ex omnium Canonistarum sententia, omne Beneficium quantumvis tenue obligat ad personalem residentiam; & specialiter notat Fagnanus ad *cap.* CONQUERENTE ✠ *de Cleric. non resid.* dicens: » Beneficium quantumcumque » minimum, puta viginti sex solidorum, ex quo habetur pro » titulo, de jure communi personalem residentiam requirit, adeo » ut non residens Beneficio privari debeat. «

XXVIII. Verùm postquam invaluit, ut nomine Missæ intelligeretur Missa *privata*; persuasumque fuit, quòd hi, quibus onus Missas celebrandi incumbit, defungerentur Missæ *privatæ* celebratione sine alia cujuscumque Officii Ecclesiastici persolutione, sensim quoque creditum est, quòd in hac Missarum celebratione non videretur consideranda capacitas, aliave personalis qualitas hujus illiusve Sacerdotis; sed perinde esse, quis Missam celebraret, si modò expressè & nominatim in fundatione expressum non esset, quòd Capellaniam possidens *per se* celebrare deberet.

Hinc ulteriùs invaluit Missarum celebrationem hujusmodi posse alteti Sacerdoti commiti; idque sub Honorario celebrantibus dari consueto; fructibus Capellaniæ excrescentibus ipsi Beneficiato cedentibus.

XXIX. Hinc ulteriùs facilè conclusum est: cùm onus Capellaniæ per alium persolvi possit, Beneficiarum quoque ad *personalem* residentiam non obligari: quod dum usu multorum obtinuit, neque efficaciter per Superiores reprobatum, tandem consuetudine, quasi pro lege, obtinuit, hujusmodi Capellanias à residentia personali esse absolutas.

XXX. Dum ergo hæc Beneficia etiam à personali residentia, adeoque ab omni quasi officio exempta fuêre, meritò antonomasticè dici cœperunt Beneficia *simplicia*; eaque ratione rectè notavit Fagnanus loco allegato, quòd quidem de jure communi omne Beneficium requirat *personalem* residentiam, sed ex generali consuetudine Beneficia *simplicia* residentiam non requirant, nisi aliud sit inductum de jure speciali: supponens, propriè ea Beneficia dici *simplicia*, quæ ex consuetudine residentiam personalem non requirunt.

Hæc sunt illa Beneficia, quorum meminit Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 17. *de Reform.* permittens possidenti unum Beneficium, quod ad vitam ejus honestè sustentandam non sufficit, aliud *simplex* dummodo utrumque personalem residentiam non requirat, conferri.

XXXI. Verùm quia Beneficia dantur propter officium; injustumque apparet, ut proventus Ecclesiasticos percipiat, qui officium non præstat: neque Fundatorum animus fuisse appareret, in Clericos otiosos suos redditus profundere; viderenturque hujusmodi Beneficia otiosis Clericis & Sacerdotibus alendis, ac multiplicandis unicè penè servire; idcircò inter articulos pro reformatione Ecclesiæ nomine Caroli IX. Galliarum Regis Patribus Tridentinis oblatos, erat hic vigesimus quartus: » Cumque plura sint Beneficia, in quibus contra Beneficiorum » omnium institutionem invaluit *depravata* consuetudo, ut qui » ea possident nullo teneantur concionandi, Sacramenta administrandi, aut alio onere Ecclesiastico; Episcopus cum consilio Capituli his Beneficiis curam aliquam spiritualem impo» nat, aut si utilius videatur, ea Beneficia vicinioribus parochia» libus Ecclesiis uniat; Beneficium enim sine officio esse neque » debet, neque potest. «

XXXII. Synodus Tridentina hisce æquissimis postulatis aliquatenus satisfecit, dum unionem hujusmodi Beneficiorum tanquam primum medium, quo Ecclesiis Parochialibus tenuioribus provideri posset, assignavit *Sess.* 14. *cap. de Reformat.* & *Sess.* 23. *cap.* 18. *de Reform.* Item Beneficia simplicia Seminariis applicari, & incorporari voluit; atque *Sess.* 24. *cap.* 15. *de Reform.* ad augendas tenues Præbendas in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis, declaravit, quòd liceat Episcopis cum consensu Capituli aliquot *simplicia* Beneficia, non tamen Regularia, illis unire.

XXXIII. Cùm dubitari nequeat, quin Ecclesiæ atque Fundatorum intertio sit, ut hujusmodi Beneficia conferantur iis, qui se tanquam Ministros Ecclesiæ exhibeant; nec proventus Ecclesiasticos otiando consumant, indubiè Patroni, & Collatores similium Beneficiorum allaborare debent, ut hujusmodi Clericis conferantur, de quibus verisimilis saltem spes apparet, quòd operam suam utiliter Ecclesiæ impendent, & digni erunt, qui de proventibus Ecclesiæ vivant.

XXXIV. Si Laici Missas aliquas fundaverint, etiam cum onere functionis Hierarchicas obeundi; si hujusmodi fundationes auctoritate Episcopi in *titulum* Beneficii erectæ non fuerint, nequaquam reputabuntur Beneficia, sed remanebunt in terminis laicalis fundationis; poteruntque sine Episcopi institutione Presbytero alicui fundationes hæ ad tempus, aut in perpetuum secundum tenorem fundationis conferri. Bona quoque similis fundationis non Ecclesiatica, sed laicalia censebuntur, & juxta conditionem talium bonorum ad hæredes devolventur cum onere à Fundatoribus imposito, publicis quoque oneribus, non secus ac laicalia bona erunt subjecta; uti latiùs post alios citatos deducit Barbosa *lib.* 3. *Jur. Eccles. cap.* 5. Plura de hujusmodi fundationibus dicta sunt suprà capite primo.

TITULUS XIX.

De Ætate, & qualitate Beneficiandorum.

CAPUT I.

De Ætate ad Beneficia requisita.

1 *Nihil primis seculis de ætate Beneficiorum statutum, & quare.*
2 *Seculo XI. cœperunt Beneficia conferri non insignitis Ordine necessario.*
3 *Decreta Synodalia contra hunc abusum.*
4 *Vigentibus his Decretis non erat præfigenda ætas Beneficiis.*
5 *Seculo XII. mutatâ disciplinâ necesse fuit ætatem præfigere.*
6 *Concilium Lateranense III. præfixit ætatem Beneficiis Curatis, & Dignitatibus.*
7 *Eam præfixit independenter ab Ordinibus.*
8 *Decretum Concilii Lateranensis innovavit Synodus Tridentina.*
9 *Synodus Trid. requirit ad Dignitates non Curatas annum* 22. *completum.*
10 *An hoc Decreto comprehendantur Dignitates in Ecclesiis* Collegiatis.
11 *Veterum contentiones de ætate ad simplicia Beneficia requisita diremit Synodus Trident. requirens* 14. *annum inchoatum.*
11 *Hæc ætas in Belgio etiam requiritur, licèt sint Beneficia juris Patronatus* laici.
13 *Quæ etas ex præscripto Synodi requiratur ad Canonicatus Collegiatæ Ecclesiæ.*
14 *An major ætas requiratur ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium.*
15 *Antiqua regula Cancellariæ requirit* 14. *annos pro Canonicatibus Cathedralium, &* 10. *pro Canonicatibus Collegiatarum Ecclesiarum.*
16 *Hæc regula licèt inter regulas Cancellariæ hodie non referatur, tamen servatur in Gallia.*
17 *Ætas præcipuè exigitur, ut Provisus sit capax oneribus Beneficii satisfaciendi.*
18 *Minores ætate solos jure naturali inspecto, ad Beneficia aliqua promoveri possent.*
19 *Quomodo primitùs pueri ad Beneficia fuerint promoti.*
* *Cur hodie non æque ac olim pueri ad Beneficia promovendi.*
20 *Vestigium istius est in* pueris chori.
21 *Conferre Beneficia majora pueris functionibus obeundis inidoneis magnus abusus.*
22 *Potest esse interdum licita dispensatio super ætate.*
23 *Periculosum mediante hac dispensatione promoveri.*
24 *Dispensatio obtinenda à Pontifice, & quomodo impetranda.*
* *De reservata dispensatione super ætate, & de praxi eam in Curia Romana expediendi.*

I. PRimis decem Ecclesiæ seculis nulli editi leguntur Canones, qui ætatem certam Beneficiis præscriberent, sed quidquid de ætate statutum legitur, id unicè Ordines, & Ordinandos spectat.

Quandiù enim Beneficia ab ordinatione non fuêre sejuncta, sed Ordinibus ipsis mansêre annexa; ita ut qui Ordine aliquo insigniretur, hoc ipso Beneficiatus illius Ecclesiæ pro cujus necessitate, aut utilitate ordinabatur, censeretur; necesse non erat ætatem aliam requirere pro Beneficiis acquirendis, præter illam, quæ Ordinibus ipsis præfixa erat; cùm ipse Ordo loco Beneficii; & ipsa ordinatio collationis loco esset.

II. At dum circa seculum X. & XI. Beneficia ab Ordinibus separari, & separatim ab ipsa ordinatione conferri cœperunt; tandem abusus invaluit Beneficia conferendi iis, qui nec ætatem functionibus Beneficiorum obeundis, nec Ordinibus suscipiendis, qui ad eas functiones requirebantur, necessariam attigerant. Huic abusui ut occurreretur, statutum fuit, ut nullus de cætero similia Beneficia accipere posset, nisi Ordine requisito *actu* esset insignitus.

III. Ita in Concilio Claramontano sub Urbano II. anno 1095. legitur: » Nullus Episcopus in Ecclesia sua, nisi *Diaconus sit*, Archidiaconum instituere, nec Archipresbyterum, » aut Decanum, nisi *Presbyteri* sint, ordinare præsumat. Quod, » ut districtiùs teneatur, Apostolica auctoritate prohibemus & » interdicimus.« Apud Gratianum *dist.* 60. *Can.* 1. Et Canone sequenti sub nomine Calixti Papæ legitur: » Nullus in Præ» positum, nullus in Archipresbyterum, nullus in Decanum, » *nisi Presbyter*: nullus in Archidiaconum, nisi *Diaconus* » ordinetur.«

Prædicta Decreta renovata sunt in Concilio Romano sub Innocentio II. additurque: » Prohibemus autem ne adolescen» tibus, vel infra sacros Ordines constitutis, sed qui prudentiâ » & merito vitæ clarescunt, prædicti honores concedantur.« Apud Gratianum ibidem *Can.* 3.

Plura fuêre sub idem tempus similia Synodorum Decreta, quibus statuebatur, nullum ad Beneficium esse promovendum, nisi *actu* insignitum Ordine requisito.

IV. Hâc vigente disciplinâ necesse non erat ipsis Beneficiis specialem ætatem præfigere; sed hactenus sufficiebat, eam Ordinibus suscipiendis esse præscriptam: cùm non possent ad Beneficia promoveri, nisi *actualiter* Ordinibus essent insigniti: & consequenter ad ætatem Ordinibus præfixam pervenissent.

V. At cùm jam Beneficia ab Ordinibus essent separata, eaque non ampliùs cum ipsa Ordinatione conferrentur, difficile admodum fuit impedire ne darentur Ordinibus non insignitis, & etiam in minore ætate constitutis. Imò contraria multorum praxis adeò invaluit, ut tandem seculo XII. quasi pro lege invaluerit, Beneficia tametsi majora concedi posse Ordinibus necessariis *actu* non insignitis; modò tamen infra tempus *legitimum* eos Ordines susciperent. Ne verò hac occasione Beneficia conferrentur pueris, aut iis, qui ob defectum ætatis intra longum tempus Ordinibus illis initiari non possent, certa ætas pro obtinendis Beneficiis præfigi cœpit.

VI. In Concilio Lateransi sub Alexandro III. anno 1177. decretum fuit, » ut nullus in Episcopum eligatur, nisi qui jam tri» gesimum ætatis annum exegerit.... Inferiora etiam ministeria, » ut puta Decanatum, Archidiaconatum, & alias, quæ curam » animarum habent annexam, nullus omnino suscipiat, sed nec » Parochialis Ecclesiæ regimen, nisi qui jam vigesium quintum » annum ætatis attigerit, & scientia, & moribus commendan» dus existat. Cùm autem assumptus fuerit, si Archidiaconus in » Diaconum, & Decanus & reliqui admoniti non fuerint præfixo » à Canonibus tempore in Presbyteros ordinati, & ab illo re» moveantur officio, & aliis conferatur, qui & velint & pos» sint illud convenienter implere.«

Duo hîc statuta videmus: primò, quòd nullus ab Beneficia curam animarum annexam habentia promoveri queat, nisi qui vigessimum quintum annum ætatis attigerit. Secundò, quòd ad Beneficia promovendi tempore suæ promotionis non debeant *actu* esse ad Ordines requisitos promoti; sed sufficiat, si tempore à Canonibus præfixo promoveantur.

VII. Hinc sat manifestum est, ætatem illam hîc requiri independenter ab Ordinibus; quod hactenus nullo Canone decretum fuerat: ideoque, qui mediante dispensatione ante annum 25. in-

inchoatum ad Presbyteratum esset promotus, non posse equidem ad hujusmodi Beneficium ante 25. annum inceptum promoveri, communiter tradunt Canonistæ.

VIII. Decretum hoc Concilii Lateranensis innovavit Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reformat.* » veleus ut ne-» mo deinceps ad Dignitates quascunque, quibus animarum cu-» ra subest, promoveatur, nisi qui saltem 25. suæ ætatis annum » attigerit. «

IX. Circa ætatem requisitam ad obtinendum Dignitates vel Personatus, quibus nulla cura animarum incumbit, Synodus Tridentina decidere volens contentionem, quæ super ea erat inter Juris Interpretes, aliis requirentibus 25. annum inchoatum, aliis verò asserentibus sufficere annum 24. (uti videri potest apud Fagnanum ad citatum *cap.* INTER CÆTERA *num.* 34.) statuit: » Ad cæteras autem Dignitates, vel Personatus, quibus anima-» rum cura nulla subest, Clerici alioquin idonei, 22. annis non » minores adscribantur. «

Annum 22. requiri completum satis insinuat Synodus dum dicit: 22. *annis non minores*: & ita resolvisse S. Congregationem testis est Fagnanus loco allegato *num.* 37. & anno 1593. respondisse Episcopo Abulensi refert Garcias *de Benef. part.* 7. *cap.* 4. *num.* 70. ibidem ipsas Litteras S. Congregationis referens.

X. Quia Synodus Tridentina in dicto *cap.* 12. primùm loquitur de Dignitatibus Ecclesiarum Cathedralium, dubitârunt nonnulli, num postea loquens de Dignitatibus quibus nulla cura animarum incumbit, etiam comprehenderet Dignitates in Ecclesiis Collegiatis; ut nimirùm & ad has requiratur *annus* 22. *ætatis completus*. Dubio discusso, S. Congregatio resolvit affirmativè, uti post Garciam *num.* 58. tradit Fagnanus *num.* 48. Ratio decisionis fuit, quòd Synodus Tridentina loquatur quidem in citato *cap.* 12. de Dignitatibus Cathedralium Ecclesiarum; sed cum particula *præsertim*, quæ cùm sit *implicativa*, utique implicat idem in Collegiatis, easque includit, ait Fagnanus. Deinde attendi particulas has generales, *quascunque*, & *ad cæteras*, quæ sufficienter indicant, Synodum generatim omnes Dignitates voluisse comprehendere.

Monet ibidem Fagnanus cavendum esse ab Emmanuele Rodriguez contrariam S. Congregationis resolutionem referente, quam in hoc articulo apocrypham esse testatur, atque hinc elucet, quàm parum fidendum sit Resolutionibus, seu Declarationibus Cardinalium, quæ passim apud Auctores referuntur, sed de hoc latiùs *parte* 1. *tit.* 22. *cap.* 5.

XI. Cùm in antiquis Canonibus potissimum de præfigenda ætate Ordinibus suscipiendis actum esset, nihil penè certi quoad ætatem pro obtinendis Beneficiis, præsertim curam animarum, aut Dignitatem annexam habentibus ex illis Canonibus haberi potest; sed id potissimum ex recentioribus Decretalibus, & Conciliorum Decretis, præcipuè Concilii Tridentini petendum est.

Hinc anceps Veterum altercatio fuit, quæ ætas requireretur ad obtinendas Capellanias & alia simplicia Beneficia, uti ostendit Fagnanus loco citato *num.* 87. quam altercationem sustulit Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 6. *de Reform.* decernens, quòd » nullus primâ Tonsurâ initiatus, aut etiam in minori-» bus Ordinibus constitutus, ante *decimum quartum* annum Be-» neficium obtinere possit. «

Conformiter ad hoc Decretum, nullum Beneficium quocunque nomine appelletur, obtineri potest ante annum decimum quartum, non quidem completum, sed *inchoatum*, quemadmodum declarâsse Sacram Congregationem testatur Fagnanus.

Licèt in promulgatione Concilii Tridentini in Belgio dictum fuerit, nihil esse immutandum circa Jus Patronatûs laicorum; ideoque *caput nonum Sess.* 25. non esse recipiendum, in quantum jus illud restringit, uti monet Zypæus in Jure Novo *tit. de Jure Patronatus*, *num.* 3. nihilominus præsentandum, etiam à Patrono laico, debere esse 14. annorum, docet ibidem Zypæus: » quia, ait, id ad mutationem, aut diminutionem » Juris Patronatus non spectat, sed ad qualitatem præsentan-» di tantùm. «

Et Concilium secretum anno 1569. ad rescriptionem Concilii Frisiæ super admissione Concilii Tridentini, non obstante allegatione consuetudinis contrariæ huic Decreto, censuit hoc modo; *Deinceps debebit hic articulus* (de ætate 14. annorum) *observari.* Ita Zypæus *tit. de Elect. num* 11.

XIII. Quia Synodus Tridentina nullibi exigit quoad Canonicatus in Ecclesiis Collegiatis specialem ætatem, communiter receptum est, non requiri nisi 14. annorum, nisi tamen hujusmodi Canonicatibus, vel ex fundatione aliove titulo incumbat. onus, Missas, Evangelium, aut Epistolas dicendi, aut cantandi; quo casu ex Decreto ejusdem Synodi *Sess.* 22. *cap.* 4. *de Reform.* » quocunque ii privilegio, exemptione, prærogati-» vâ, generis nobilitate, sint insigniti, tenentur, juxto impe-» dimento cessante, infra annum Ordines suscipere requisitos: « adeoque debent tunc esse in eâ ætate, ut infra annum ad Ordinem Presbyteratûs, Diaconatûs, vel Subdiaconatûs, prout onus annexum requirit, promoveri queant: aliàs si simile onus aut Ordo annexus non sit, tantùm requiritur ætas 14 annorum; quam requisivit antiqua Regula 17. Cancellariæ in Canonicis Cathedralium Ecclesiarum.

XIV. Synodus Trident. *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* vult ut » in omnibus Ecclesiis Cathedralibus omnes Canonicatus, ac » portiones habeant annexum Ordinem Presbyterii, Diaconatûs, » vel Subdiaconatûs. « Hinc nonnulli concludunt, vi hujus decreti requiri ad Canonicatum Cathedralem, ut minus eam ætatem, ut infrà annum possit promoveri ad Ordinem Subdiaconatûs.

Verùm Synodus verbis allegatis subjungit. » Episcopus au-» tem cum consilio Capituli designet, ac distribuat, prout vi-» derit expedire, quibus quisque Ordo ex sacris imposterum » annexus esse debeat." Hîc sat indicat Synodus, nullum Ordinem Canonicatibus annexum censeri, priusquam Episcopus distributionem, & annexionem fecerit: & consequenter antequàm hæc facta sit, ætas nulla specialis à Synodo requisita videatur; quod & probat Fagnanus ad *Cap.* CUM IN CUNCTIS ✠ *de Elect. num.* 70.

XV. Citata Regula 17. Cancellariæ declarat, » quòd pro-» visiones, aut concessiones vel mandata de providendo de Ca-» thedralium Ecclesiarum Canonicatibus, & Præbendis, quæ » pro cujusvis personis, si 14. suæ ætatis annum non comple-» verint, quomodolibet emanaverint, nisi eis, quòd illos in » minore ætate recipere possint, per Sedem Apostolicam spe-» cialiter concessum fuerit; & quæcunque impetrationes de » Canonicatibus, & Præbendis in Collegiatis Ecclesiis, si impe-» trantes minores 10. *annis* fuerint, & de hoc in impetratione » hujusmodi expressa mentio non fiat, sint nullius roboris vel » momenti, & habeantur prorsus pro infectis."

XVI. Hæc Regula hodie, teste Choquier, inter Regulas Cancellariæ non refertur, tamen quoad ætatem Canonicorum in Gallia receptam esse, eamque hodie pro lege servari tradunt Practici, & in judicio contradictorio non semel firmatam; ac signanter anno 1616. judicatum, Clericum 14. duntaxat annorum posse obtinere Canonicatum in Ecclesia Cathedrali, non obstante statuto Synodi Turonensis 1583. quo decernebatur, Cathedralium Ecclesiarum Canonicos, annis viginti duobus minores non debere institui, utpote nunquam observato tanquam disciplinæ hactenus in Regno receptæ, & aliarum Ecclesiarum usui contrario. Brodeau ad Louëtium *Litt. E. num.* 1. Illius regulæ receptionem per Regnum Galliæ testantur quoque Acta Cleri Gallicani, *part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 2. *art.* 6. (a)

XVII. Quidquid sit de varia disciplina circa ætatem pro Beneficiis obtinendis necessariam, illud equidem certum, ætatem ideò requiri, ut Beneficium obtinens, functiones eidem annexas ritè obire queat; & consequenter ætatem functionibus esse commensurandam.

Quare Gregorius IX. in *Cap.* 35. ✠ *de Præbendis*, respondens Argentinensi Episcopo, quòd pueri non debeant reputari idonei, rationem hanc præmisit: » Cùm illi sint in Ecclesia ido-» nei reputandi, qui servire possint, & volunt in Ecclesiis."

Similiter Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reformat.* cùm dixisset Dignitates in Ecclesiis præsertim Cathedralibus ad conservandam, augendamque disciplinam Ecclesiasticam fuisse institutas; meritoque qui ad eas vocantur, tales esse debere, qui suo muneri responderi possint, tanquam consequens infert: » Nemo igitur deinceps ad Dignitates quascunque, qui-» bus animarum curam subest, promoveatur, nisi qui saltem » 25. suæ ætatis annum attigerit.

XVIII. Si igitur Beneficia aliqua requirerent eas in Ecclesia functiones, quæ per juniores Clericos ritè peragi possent; imò quodammodo junioribus Clericis propriè convenirent, uti sunt Minorum Ordinum functiones, quidni etiam ex mente Ecclesiæ illa Clericis in minore ætate conferri possint; modò tamen hac in parte Regulæ generales, quæ ætatem Beneficiis obtinendis præscripserunt, pro cujusque loci consuetudine observentur.

XIX. Observat Thomassinus *de Disciplina Eccl. parte* 1. *lib.* 1. *cap.* 45. quòd primis Ecclesiæ seculis pueri ad Beneficia promoverentur. Dum enim Episcopus pueros illos Tonsurâ aut aliquo Minore Ordine insigniebat, unà eos functionibus Ordinis Minoris suscepti obeundis certæ Ecclesiæ adscribebat, qua adscriptione mediante etiam jus vivendi ex bonis illius Ecclesiæ acquirebant; quod hodiernis Beneficiis respondebat.

* Verûm hodierna die alter usus invaluit. Hodie hujusmodi Beneficia simplicia possidentes Minores Clerici, solent Beneficiorum fructibus gaudere, tametsi Beneficiorum illorum onera nulla per se exsolvant, neque Ecclesiis deserviant.

Quapropter abusus conferendi Beneficia pueris tonsuratis, one-

tu Beneficiorum, quibus cura animarum annexa est, nisi nominati vel possessores annum 25. *completum attigerint.*

(a) *In Galliis Regia Declaratio, quæ* 13. *Januarii data est* 1742. *statuit irritam nominationem, vel possessionem respec-*

Van Espen Jur. Eccles. Pars II. Tom. II.

onera Beneficiis annexa obire non valentibus, nullatenus justificari potest per laudatam pristinam Patrum disciplinam, qui Minores Clericos functionibus Minorum Ordinum applicabant, atque eatenùs eosdem tanquam Ecclesiæ veros Ministros de proventibus Ecclesiasticis participare sinebant.

XX. Sic & hodie videmus in Catedralibus, & Collegiatis Ecclesiis assumi pueros Chori, quos *Chorales* dicimus, qui plerasque Ordinum Minorum functiones peragunt, atque cum aliis Clericis de Bonis Ecclesiasticis sustentantur.

Quòd autem hi pueri Beneficia habere hodie non dicantur, inde contingit, quòd secundum modernam disciplinam, Beneficia debeant esse *perpetua* & in titulum *perpetuum* erecta, quod circa similia puerorum officia nondum contigit: tamen si erigerentur, nihil vetaret (sepositâ lege positivâ) morigeros, & bonæ indolis, & exspectationis pueros, tametsi 14. annis minores, ad ea assumi.

XXI. At conferri Beneficia etiam majora ex humana quadam consideratione, & carnali affectu pueris ad munia Beneficiis annexa implenda omninò inidoneis ac insufficientibus, abusus est legi naturali, & divinæ contrarius; neque ullâ consuetudine, aut observatâ praxi purgandus: quem suo tempore vigentem meritò exagitat & deplorat S. Bernardus *Epist.* 42. »Scholares »pueri, & impuberes adolescentuli ob sanguinis dignitatem pro»moventur ad Ecclesiasticas Dignitates, & de sub ferula trans»feruntur ad principandum Presbyteris; lætiores interim quòd »virgas evaserint, quàm quòd meruerunt principatum; nec »tam illis blanditur adeptum, quàm ademptum magisterium.«

Hinc & interpellatus à Theobaldo Campaniæ Comite, ut sua vellet intercessione filio suo *parvulo* acquirere Ecclesiasticam Dignitatem, se excusavit hac ratione: »Nam honores, & dig»nitates Ecclesiasticas non ignoro deberi his, qui eas dignè se»cundum Deum administrare velint, & possint. *Epist.* 271.«

XXII. Cùm tamen non sit ætas quæ aliquem Beneficio dignum reddit, possintque subinde in minore ætate constituti tam eminentes habere qualitates, eæque circumstantiæ concurrere, ut dubitari nequeat, Ecclesiam noluisse ad hujusmodi casum præscriptas de ætate regulas extendere; dubitari etiam nequit, quin hujusmodi casu Superiorum dispensatio licita esse possit.

Exemplum indultæ dispensationis occurrit apud S. Bernardum in vita S. Malachiæ, ubi narrat sanctum illum virum ante completam ætatem eo tempore requisitam ordinatum fuisse in Diaconum, & Presbyterum; »in qua ejus utraque ordinatio»ne, ait, si quid præter Canonum formam processisse vide»tur, ut videre videtur, donandum tum zelo ordinantis, tum »*meritis* ordinati.«

XXIII. Deinde hoc insigni monito concludit: »Ego verò »istud nec in Sancto redarguendum; nec usurpandum consulo »ei, qui sanctus non fuerit.«

Sanè qui proprio motu ante ætatem à Canonibus præscriptam ad Ministeria Ecclesiastica festinat, verendum, ne non satis onera Ministeriis hisce annexa apprehendat; nec sufficienter advertat, quàm periculosum sit citra legitimam vocationem in munia Ecclesiæ intrare; aut certè tempus vocationis prævenire; uti timendum est, dum contra Ecclesiæ præscriptum ante ætatem legitimam ad ordines vel Ministeria Ecclesiastica prorumpunt; verendumque ne similes festini Ministri, non tam à Christo, quàm à propria ambitione, aut interesse aliave humana consideratione trahantur.

XXIV. Interim dispensatio super ætate sive ad Ordines, sive Beneficia, etiam Simplicia à solo Pontifice hodie conceditur; dispensatioque Episcopi esset nulla; uti post Barbosam aliosque testatur Pyrrhus Corradus in *Praxi dispens. lib.* 4. *cap.* 1.

Monet præterea Corradus ibidem *cap.* 2. quòd hæc dispensatio nunquam aut rarò concedatur alicui in minori ætate constituto; ita ut non obstante defectu ætatis possit Beneficium vacaturum obtinere ab Ordinario; sed cùm vacat Beneficium, debet à Papa Beneficii provisio peti cum dispensatione super ætate: »Ratione cujus provisionis solvuntur jura Cameræ Apos»tolicæ consueta: unde si Beneficii hujusmodi fructus excedant »valorem 24. ducatorum auri de Camera; solvenda erit etiam »*annata* Annatistis, perinde ac si Beneficii hujusmodi collatio »spectaret simpliciter ad Papam. Non enim poterit hoc casu »Beneficium conferri per Ordinarium, & dispensatio peti ad »partem à Papa; sed utrumque scilicet, & provisionem, & »dispensationem unico contextu, unicâ supplicatione, & unicâ »bullâ conceditur ab ipso Papa.

* Quo tempore, aut quo titulo dispensatio super ætate ad Beneficia fuerit Papæ reservata, nec apud Barbosam, nec apud alios, qui de hac reservatione & praxi testantur, legitur.

Hoc certum est, primis ut minus decem seculis notam haud fuisse eam reservationem, neque ullum extat in Historiis, aut Canonibus recursûs ad Romanum Pontificem pro obtinenda hac dispensatione exemplum, neque ullum alicujus Generalis Concilii, aut Ecclesiæ decretum legitur, quòd hæc dispensatio ad Pontificem fuerit delata; ut vix dubium sit, quin labentibus seculis, hæc reservatio, prout pleræque similes reservationes, invaluerit, postquam invaluit opinio quorundam Canonistarum, Episcopos quidem Decretis Pontificum & Conciliorum, necnon omnibus, quæ in Decretalibus continentur, & jus commune constituunt, ita constringi, & ligari, ut à præscripto eorum ipsis nefas esset recedere, nisi hæc dispensandi auctoritas ipsis speciali titulo indulta probetur; at Romanum Pontificem, hisce Decretis nequaquam ligari, sed ei plenam esse super iis dispensandi auctoritatem, uti in decursu hujus operis sæpiùs notatum fuit.

Si vera & sincera sit relatio Pyrrhi Corradi de Praxi Curiæ Romanæ in expedienda dispensatione super ætate, ut scilicet hæc non soleat expediri, nisi unà petatur Beneficii vacantis *provisio* à Papa: quodque hæc per Papam simul cum dispensatione super ætate concedatur, ac si Beneficii Provisio ad Papam spectaret, uti suprà num. 24. refertur, non videtur in alium finem à Curialibus inducta hæc praxis, quàm ut annatas aliaque jura in provisione Beneficiorum solvi consueta, postulantes hanc dipensationem solvere cogantur.

Si enim justa sit causa dispensandi super ætate, quidni Provisio ab Ordinario Collatore obtenta sufficiat? Quandoquidem ipse Orator post impetratam dispensationem super defectu ætatis capax sit, ut sibi ab Ordinario Beneficium conferatur: supponitur enim nullum ei præter defectum ætatis, canonicum impedimentum obstitisse, quominus Beneficii obtinendi esset capax.

Et revera hunc esse Curiæ Romanæ in hac praxi præcipuum scopum, non obscurè innuit Pyrrhus Corradus, speciatim annotans, quòd in hac Provisione solvantur, jura *Cameræ Apostolicæ*, ac si Provisio Beneficii spectaret simpliciter ad Pontificem.

CAPUT II.

De Ordine Beneficiis annexo.

1 *Primis seculis nihil de Ordine Beneficiis annexo statutum, & quare.*
2 *Quando, & quare id statutum.*
3 *Ordo aliquando* actu, *aliquando* aptitudine *annexus.*
4 *Ex fundatione dignoscendum utro modo sit annexus.*
5 *Si verba fundationis, quæ Ordinem requirunt, respiciant actum* provisionis, *censetur* actu *annexus.*
6 *Idque sive affirmativè sive negativè sint expressa.*
7 *Dum verba fundationis tantùm respiciunt functiones obeundas, censentur annexus* potentiâ.
8 *Si fundatio velit, ut Cappellanus* per se *Missam celebret, est Sacerdotalis, sed* aptitudine.
9 *Jure communi inspecto, Capellania, cui annexum est onus celebrandi Missas, est* Sacerdotalis.
10 *Quando & quare hujusmodi Capellaniæ à residentia absolutæ.*
11 *Non videtur indifferens per quos Missæ celebrentur.*
12 *Generali consuetudine similes Capellaniæ à residentia, & obligatione suscipiendi sacros Ordines exemptæ.*
13 *Hodie Capellania cum onere Missarum est Sacerdotalis.*
14 *Nisi secùs in fundatione sit expressum.*
15 *Decretum Synodi Tridentinæ obligans Capellanos ad* personalem *officii persolutionem.*
17 *An vi hujus Decreti Capellania cum onere Missarum sit Sacerdotalis, & residentiæ obnoxia.*
17 *Capellania cum onere interessendi divinis est obnoxia residentiæ.*
18 *Missarum privatarum celebratio per substitutum cur fieri possit.*
* *Utrum possessor simplicis Beneficii, onus ei annexum per se non adimplens, jure possit recipere partem proventuum.*
19 *Ordo Dignitatibus, & Beneficiis Parochialibus quomodo annexus.*
20 *Canonicatibus Ecclesiarum Cathedralium qualiter annexus.*

I. UTi super ætate ad Beneficia requisita primis Ecclesiæ seculis nihil statutum reperitur; eò quòd Beneficiorum collatione ipsi Ordinationi conjuncta, ætas Ordinibus præfixa, Beneficiis quoque eadem præfixa censeretur; eadem ratione de certo Ordine ad Beneficia requisito, aut iis annectendo mentio non occurrit; nisi postquam Beneficiorum provisio ab Ordinum collatione separata fuit.

II. Dum enim hæc separatio invaluit, cœperunt Beneficia conferri Ordinibus ad functiones Beneficiorum obeundas necessariis nondum initiatis; qui proventibus & honoribus prærogativisque temporalibus contenti, Ordines suscipere negligebant, functiones, quæ Ordinem requirebant, aliis committentes.

Hinc tandem prodiêre tot Conciliorum Decreta, Beneficiis Ordinem majorem aut minorem, pro cujusque Beneficii conditione, annectentia; nec non ipsos Beneficiatos urgentia ad personalem functionum, quæ ipsis Beneficiis sunt propriæ, persolutionem: eoque pacto indirectè urgebantur hujusmodi Beneficiati ad Ordinum susceptionem, sine quibus functiones illas *personaliter* sive per se persolvere non poterant.

Por-

III. Porrò spectata modernâ disciplinâ, ordo interdum dicitur Beneficio annexus *actu*, aliquando *habitu* vel *potentiâ*.

Priori modo censetur annexus, quando Ordo requiritur tempore collationis seu provisionis Beneficii: ita ut non possit quis de simili Beneficio provideri, nisi *actualiter* Ordine illo sit insignitus.

Posteriori modo dicitur Ordo Beneficio annexus, quando non requiritur quidem, ut quis habeat Ordinem Beneficio annexum tempore collationis; sed in ea sit ætate constitutus, ut infra tempus à jure præscriptum, Ordinem suscipere valeant.

IV. Ut autem sciatur, num Ordo sit *actu*, an verò duntaxat *aptitudine* Beneficio annexus, præcipuè attendenda sunt verba fundationis ex verbis enim fundationis maximè annexionis diversitas dignoscenda est.

V. Si enim verba fundationis dicant, præsentandum, aut instituendum esse, qui *actualiter* sit hoc illove Ordine insignitus indubitatum est, Ordinem illum actu Beneficio esse annexum, nec posse ad illo præsentari, aut in eo institui, nisi *actu* eo Ordine insignitum.

Ubi autem verba fundationis non quidem addunt particulam *actualiter*; sed tamen verba fundationis, quibus Ordo exprimitur, rescipiunt ex necessitate ipsum *actum præsentationis*, institutionis, aut collationis, communis opinio censet Ordinem *actu* esse annexum: eoque casu requiri ut præsentandus, aut instituendus, tempore præsentationis, institutionis, aut collationis sit *actu* ordinatus, nec sufficere, ut in ea sit ætate, ut infra tempus à jure præscriptum ordinari queat.

Unde si in fundatione cautum sit, ut instituatur Sacerdos, qui Missam per hebdomadam celebret, tunc nisi sit Sacerdos tempore collationis, & institutionis non valebit collatio vel institutio, ait Rebuffus *in Praxi Benef. part.* 1. *tit. Requisita ad collationem, num.* 35. nam qualitas adjuncta verbo intelligitur secundum tempus verbi, id est, in ipso actûs initio.

VI. Neque refert, utrum verba fundationis concepta fuerint affirmativè, puta, *præsentetur*, vel *instituatur* Sacerdos, an verò negativè, puta, non *præsentetur*, vel *non instituatur* nisi Sacerdos; cùm æquè per priorem, quàm posteriorem formulam requisierit Fundator præsentari, aut institui Sacerdotem: qui autem *actu* Ordinem non suscipit, sed tantùm *aptus* ut infra tempus aliquod eum suscipiat, revera non est Sacerdos; & per consequens, verum non est, quòd juxta verba fundationis præsentetur, aut instituatur Sacerdos, aut non nisi Sacerdos.

VII. Si vero verba fundationis Beneficii non respiciant ipsum actum præsentationis, collationis, vel institutionis, sed illius prosecutionem, sive functiones, quas Beneficiatus post obtentum Beneficium obire jubetur, *annexio* Ordinis censetur facta respectu aptitudinis: nec requiritur Ordo *actu* tempore præsentationis, collationis, vel institutionis, sed satis est, ut is, cui de Beneficio providetur, sit in ea ætate, ut infra tempus à jure constitutum eum Ordinem suscipiat. Has regulas probat Garcias *de Benef. part.* 7. *cap.* 1. *num.* 57. quas novissimè tuetur Fagnanus ad *Cap.* UT ABBATES ✠ *de Ætate & Qual. ordinand. num.* 54. eamque esse communem Rotæ theoriam, ac sæpius à S. Congregatione probatam asserit.

VIII. Itaque si fundatio Capellaniæ habeat, ut Capellanus *per se* Missam celebret, censebitur quidem Capellania *Sacerdotalis*, non *actu*, sed *aptitudine*: eò quòd verba non respiciant actum provisionis, sed functionem præstandam à Capellano obtentâ Capellaniâ. Idem erit, si dictum ait, Capellanum teneri ad continuam, & personalem residentiam in Ecclesia, atque ibidem Missam diceret: erit Sacerdotalis ob adjectam obligationem *personaliter residendi*; aut obligationem *per se* celebrandi, sed tantùm *aptitudine*; quia verba Ordinem requirentia tantùm respiciunt functiones & onera Capellaniæ. Ità resolvisse S. Congregationem ibidem refert Fagnanus, *num.* 52.

IX. In fundatione Capellaniarum frequenter cautum reperitur, Capellanum teneri ad celebrationem unius vel plurium Missarum per hebdomadam pro anima Fundatoris, nullâ de *residentia*, aut persolutione *personali* factâ speciali mentione; quo casu dubitatur, num hujusmodi Capellania ob onus celebrandi Missas annexum reputanda sit *Sacerdotalis* saltem *aptitudine*, id est, an providendus de simili Capellania debeat tempore *provisionis* esse in ea saltem ætate, ut infra tempus à lege præscriptum ad Sacerdotium possit promoveri.

Inspectâ naturâ, & conditione Beneficiorum, ex dispositione Canonum, & Juris communis, dicendum esset, hujusmodi Capellanias esse Sacerdotales, saltem *aptitudine*.

Cùm enim ex præscripto Canonum, & Juris communis Beneficium detur propter officium; & qui Beneficium obtinet, debeat officium annexum persolvere; ideoque omne Beneficium eodem jure residentiam requirat, consequens apparet, quòd obtinens hujusmodi Beneficium teneatur ad Sacerdotium promoveri; eò quòd sine Sacerdotio non queat officio, scilicet celebrandi Missas, Beneficio annexo, satisfacere.

X. Verùm cùm hæc Capellaniæ viderentur onus celebrandi Missas duntaxat annexum habere, sensim consuetudine inductum fuit, ut hæ Capellaniæ à residentia absolverentur, quemadmodum titulo præcedenti *cap.* 4. notatum fuit.

Hoc verò demum invaluisse verisimile est, postquam creditum fuit, nihil aut parum interesse quis Missam celebret; sed totum fructum Sacrificii à Christo tanquam primario offerente & Hostia oblata provenire.

Hac enim persuasione semel receptâ, sine difficultate indultum fuit, ut Sacerdotes hujusmodi Missarum onere gravati, aliis Missas celebrandas committerent; creditumque, intentioni Fundatorum abundè satisfieri, modo Missarum præscriptus numerus exactè persolveretur.

XI. Verùm cùm indubitatum sit, pietatem ac devotionem Sacerdotis non parùm conferre, ut fructus abundantior Sacrificii obtineatur; plurimumque intersit, an malus, an bonus Sacerdos Missam celebret; meritò sane dubitari posset, an ea fuerit Fundatorum intentio, ut hæc Missarum celebratio per quemcumque indifferenter Sacerdotem, quantumvis mercenarium, persolvatur; imò non rarò viliores, proh dolor! quærantur, ut minori honorario defungi queant.

XII. Quidquid sit, generali quasi consuetudine introductum est, ut Missarum celebratio Capellaniæ annexa, aliis delegari queat. Hinc ulteriùs invaluit, has Capellanias ratione hujusmodi oneris Missarum non esse Sacerdotales; sed simplicibus Beneficiis solam Tonsuram Clericalem requirentibus, annumerari; nisi speciatim & expressè fundatio, vel statutum, aut specialis consuetudo contrarium exprimant & requirant: quemadmodum latè deducit Garcias *de Benef. part.* 7. *cap.* 1. *num.* 75.

XIII. Et *num.* 88. refert resolutum per Rotam, quod Capellania non requirat residentiam, nisi Fundator jusserit, quòd » Capellanus per seipsum inservire teneatur: quia ex generali » consuetudine Beneficia simplicia personalem residentiam non » requirunt: & licèt id non procedat, ubi liquidò constat de » particulari consuetudine in contrarium, tamen ad eam pro» bandam non sufficit probare prædecessores resedisse, & per » se ipsos inservisse, cùm simus in materia facultativa, sed quòd » id fecerint coactè, & non voluntariè. Quod satis difficile erit. «

Eandem sententiam probat quoque Fagnanus loco citato; atque frequenter à S. Congregatione responsum fuisse, Capellanias fundatas sub onere Missarum, vel ut Capellanus Missas celebret, fundatas non esse Sacerdotales; ipsumque Capellanum Beneficii onere defungi, si per alium Missæ celebrentur.

XIV. Prædicta autem procedunt, nisi in fundatione secùs caveatur ac sufficienter exprimatur. Unde petenti Episcopo Aquilano, an Capellania de jure patronatûs laicorum posset conferri ei, qui non est ejus ætatis, ut intra annum ad Ordines » promoveri possit, onera subiturus, quæ dictæ Capellaniæ sunt an» nexa juxta *cap.* 4. *vers.* II VERO, *Sess.* 22. S. Congregatio cen» suit, non posse conferri, si ei injunctum sit onus dicendi Mis» sas personaliter, vel Evangelium, vel Epistolam cantandi, vel » in fundatione dictum fuerit, ut obtinens esset Sacerdos, vel » Diaconus, vel Subdiaconus. «

Non requiritur autem, ut hoc in fundatione expressè exprimatur, sed satis est, ut id verbis æquipollentibus statutum fuerit; quemadmodum post Garciam monet Fagnanus *num.* 76. idque pluribus exemplis, & S. Congregationis resolutionibus confirmans.

XV. Hactenus dictis de Capellaniis celebratione Missarum gravatis, & tamen Ordinem Sacerdotalem nec *actu*, nec *aptitudine* requirentibus, repugnare videtur Synodus Tridentina, *Sess.* 22. *cap.* 4. *de Reformat.* decernens, ut » ii, qui Digni» tates, personatus, officia, Præbendas, portiones, ac quæli» bet alia Beneficia in dictis Ecclesiis obtinent, aut in posterum » obtinebunt, quibus onera varia sunt annexa, videlicet, ut alii » Missas, alii Evangelium, alii Epistolas dicant, seu cantent; » quocunque ii privilegio, exemptione, prærogativâ, generis » nobilitate sint insigniti, teneantur, justo impedimento cessan» te, infra annum Ordines suscipere requisitos; alioquin pœ» nas incurrant, juxta Constitutionem Concilii Viennensis, quæ » incipit, *Ut ii qui*, quam præsenti decreto innovat. Cogant» que Episcopi eos diebus statutis dictos Ordines per se ipsos » exercere, ac cætera omnia officia, quæ debent in cultu divi» no præstare, sub eisdem & aliis, etiam gravioribus pœnis, » arbitrio eorum imponendis. «

Si ergo Capellaniæ in hisce Ecclesiis fundatæ sint cum onere Missarum, videntur vi hujus Decreti teneri earum possessores ea per se præstare; & consequenter cogi posse ad Ordinem suscipiendum, sine quo ea præstare nequeunt.

XVI. Imprimis admittit Fagnanus *num.* 80. quòd qui obtinet Capellaniam *Sacerdotalem* in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata, teneatur per se officium præstare conformiter ad Decretum.

At si Capellania sit simpliciter fundata in tali Ecclesia sub onere celebrandi per hebdomadam aliquas Missas pro anima Fundatoris, negat Fagnanus, eam propterea esse *Sacerdotalem*, aut Capellanum vi prædicti Decreti teneri celebrare per se; creditque hoc Decretum esse intelligendum de publicis Officiis Divinis,

nis, id est, Officiis Chori; atque per *Missas* ibidem intelligi *Missas Conventuales*, quæ partem Divini Officii Choralis constituunt; non autem Missas *privatas*, quarum celebratione hujusmodi Capellaniæ gravatæ censentur.

XVII. Hinc concludit, Capellanias in Cathedrali, aut Collegiata Ecclesia fundatas cum onere interessendi Divinis Officiis requirere *personalem* residentiam: eò quòd conformiter ad hoc Decretum, ac insuper Decretum ejusdem Synodi *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reformat.* omnes Divina per se, & non per substitutos compellantur obire.

Probat ulterius ibidem Fagnanus, quòd Capellania fundata in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata cum onere *deserviendi in Divinis*, requirat personalem residentiam; eò quòd verba *deservire in Divinis* hîc posita videantur significare servitium Chori, quòd in hujusmodi Ecclesiis venit nomine *Divini Officii* sive *Divinorum*: qui autem tenetur ad Officium Chori tenetur illud per se, non per substitutum persolvere.

Notat quoque Garcias *de Benef. part.* 7. *cap.* 1. *num.* 89. quòd » Capellaniæ habeant residentiam personalem, quando ul» tra Missarum celebrationem habent onus adjuvandi Curatum » in cantando, & aliis similibus. «

XVIII. Igitur videtur, quòd sola celebratio Missarum, præsertim *privatarum* aut *votivarum*, quæ ad publicum, & solemne officium Ecclesiæ non pertinent, id speciale habeat, quod per Substitutum persolvi queat, nisi in fundatione aliter ordinatum fuerit; quod indubiè non Canonum, aut Patrum auctoritate, sed forsan ex viliori de harum Missarum celebratione idea, sensim consuetudine introductum est: circa quam consuetudinem quid fieri expediat, pro temporum, & locorum variis circumstantiis Superiores, ac præcipuè Episcopi expendere debent. Illud saltem imprimis curandum, ut hæc Missarum officia eâ, , quâ par est reverentiâ & devotione peragantur; nec mercenariis, & vilibus Sacerdotibus, per quos ipsum sacrificium profanetur, & in vilipendium adducatur, committantur.

* Cùm ea tamen soleat esse Fundatorum intentio, ut proventus in fundatione assignati cedant ei, qui Officium à Fundatore præscriptum adimplet, juxta illud: *Beneficium datur propter Officium*, non apparet sat conforme menti Fundatoris, ut hi, qui nullum planè officium præstant, proventibus, & quidem plerumque pro majore parte fundationis, gaudeant.

Si appareant proventus abundantiores quam requirunt onera in fundatione expressa, conformius videretur & menti Ecclesiæ & Fundatorum, ut his Beneficiis aliqua onera per Beneficiatos ad utilitatem Ecclesiæ exsolvenda imponerentur, quàm quòd major proventuum pars cedat nullum officium præstanti.

XIX. Concilium Lateranense sub Alexandro III. in *Cap.* CUM IN CUNCTIS, §. INFERIORA ✠ *de Elect.* statuit, ut » si as» sumptus in Archidiaconum, in Diaconum, & Decanus & re» liqui admoniti, non fuerint præfixo à Canonibus tempore in » Presbyteros ordinati, ab illo removeantur officio, & aliis » conferatur. «

Ex hoc Decreto unanimi consensu concludunt Doctores, Archidiaconatui, & Decanatui, aliisque Beneficiis ibidem nominatis Ordinem esse annexum, sed *aptitudine* duntaxat; ut scilicet assumptus ad tale Beneficium eum assumere intra tempus à Canonibus præfixum teneatur. Quod verò sit illud tempus, dicetur capite sequenti.

XX. Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reformat.* vult ut » in omnibus Ecclesiis Cathedralibus omnes canonicatus, » ac portiones habeant annexum Ordinem Presbyterii, Diaco» natus vel Subdiaconatus; Episcopus autem cum consilio Ca» pituli designet, ac distribuat, prout viderit expedire, qui» bus quisque Ordo ex sacris annexus in posterum esse debeat; » ita tamen, ut dimidia saltem pars Presbyteri sint, cæteri » verò Diaconi, aut Subdiaconi; ubi verò consuetudo lau» dabilior habet, ut plures vel omnes sint Presbyteri, omni» nò observetur. «

Quamvis Synodus velit, omnibus Canonicatibus Cathedralibus annecti Ordinem sacrum, ut minimum Subdiaconatus; tamen quandiu Episcopus annexionem non fecerit, non videtur quòd Canonicatus hi aliquem Ordinem annexum habeantur ex sola Synodi dispositione; quemadmodum suprà de annexione Præbendæ Lectori Theologiæ notavimus, *part.* 1. *tit.* 10. *cap.* 6.

Si autem Episcopus vi hujus Decreti Ordines annexuerit, tantùm videbuntur annexi *aptitudine*, id est, quòd assumendi ad Canonicatus debeant esse in ea ætate, ut infra tempus præscriptum ad Ordinem annexum promoveri queant, uti satis apertè indicat Synodus *Sess.* 22. *cap.* 4. *de Reformat.*

CAPUT III.

INTRA QUOD TEMPUS ORDO BENEFICIO ANNEXUS SUSCIPIENDUS, ET QUÆ PŒNA NON SUSCEPTI.

1 *Ordo* actu *annexus requiritur tempore provisionis.*
2 *Ordo annexus* aptitudine *debet suscipi tempore à Jure definito; ni aliud habeat fundatio, aut consuetudo, vel statutum.*
3 *Concilium Lateranense dixit suscipiendum intra tempus à Canonibus præfixum.*
4 *Tempus illud est unius anni.*
5 *Synodus Trid. Canonicos & Capellanos in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis obligat ad suscipiendos Ordines annexos intra annum.*
6 *Annus ille currit à tempore pacificæ possessionis.*
7 *Quando possessio est litigiosa non currit.*
8 *Non promotus intra annum debet probare Beneficium fuisse litigiosum.*
9 *Annus currit, etiamsi fructibus Beneficii non gaudeat.*
10 *Hodie in Gallia datur Provisso biennium ad Ordinem suscipiendum, & quare.*
11 *Promovendus ad Beneficium Parochiale hodie non debet actu ullo Ordine esse insignitus.*
12 *Ratio hujus disciplinæ*
13 *Non promotus intra tempus*, ipso jure *privatur Beneficio Parochiali, nec illud ei iteratò conferri potest.*
14 *Non obtinet hæc pœna in obtinente Collegiatam, quæ simul est Parochialis Ecclesia.*
15 *Obtinens Dignitatem etiam Curatam, non privatur* ipso jure *ob non promotionem ad Ordinem.*
16 *Beneficium Parochiale ob non promotionem vacat, & alteri potest conferri.*
17 *Ut non promotus dejiciatur ex possessione, debet priùs citari, & audiri; & quare.*
18 *Quæ sit praxis in Gallia.*
19 *Non promotus ad Ordinem tenetur ad restitutionem fructuum, si animo non recipiendi Ordinem, Beneficium Parochiale acceperit.*
20 *Id quoque in aliis Beneficiis locum habet.*
21 *Qui sciens sic contulit, etiam restitutioni obnoxius est.*
22 *Ordinem intra tempus suscipiendo à restitutione liberatur, licèt animo non suscipiendi, Beneficium acceptaverit.*
23 *Quomodo obtinentes Beneficia non Parochialia ad suscipiendum Ordinem annexum cogendi.*
24 *Qualiter Episcopus dispensare possit in susceptione Sacerdotii cum obtinente Beneficium Parochiale.*
25 *Quid circa non promotionem ad Ordines habeant privilegia, & usus Universitatis Lovaniensis.*

I. ORdo, vel annexus, est Beneficio *actu*, vel duntaxat *aptitudine*, juxta distinctionem traditam capite præcedenti.

Si priori modo annexus sit requiritur indubiè, ut tempore provisionis seu institutionis habeat Ordinem annexum, alias proviso erit nulla ob defectum qualitatis in proviso requisitæ.

II. Major est difficultas, quando Ordo annexus est Beneficio aptitudine: sive quando providendus de Beneficio non debet *actu* esse Ordine annexo insignitus; sed sufficit intra certum tempus ad Ordinem promoveri. Si ex fundatione aut statuto, aut consuetudine speciali ipsius Ecclesiæ tempus illud determinatum non sit, indubiè ad tempus jure communi determinatum recurrendum est.

III. Concilium Lateranense sub Alexandro III. in *Cap.* 7. ✠ *de Elect.* Postquam statuit, ut Decanatum, Archidiaconatum, & alia, quæ curam animarum habent annexam, nullus omninò suscipiat, sed nec Parochialis Ecclesiæ regimen nisi qui jam 25. annum ætatis attigerit, subjungit. » Cum autem assump» tus fuerit, si Archidiaconus in Decanum, & Decanus & re» liqui admoniti, non fuerint præfixo à Canonibus tempore in » Presbyteros ordinati: & ab illo removeantur officio, & aliis » conferatur, qui velint & possint illud convenienter adim» plere.«

IV. Quòd sit tempus à Canonibus præfixum, Concilium non expressit; at posteriores Constitutiones id de annali intellexisse videntur; ut scilicet ad Ordinem annexum infrà annum promoveri debeant.

Concilium Lugdunense sub Gregorio X. intelligens Canonem ab Alexandro III. editum circa susceptionem Sacerdotii per eum, qui ad regimen Parochialis Ecclesiæ est promotus, negligi, eundem renovans, unà declarat, quod sit tempus à Canonibus præfixum, dicens: » Et *intra annum* à sibi commissi » regiminis tempore numerandum se faciat ad Sacerdotium promoveri.« *Cap.* 14. *de Elect. in VI.*

Huic Decreto conforme est, quod sub nomine Concilii Viennensis decernitur in *Clement.* 2. *de Ætate & Qualit. Ordinand.* ut ii, qui Dignitates, Personatus, Officia, vel Præbendas, quibus certi Ordines sunt annexi, pacificè nunc obtinent in Cathedralibus vel Collegiatis Secularibus vel Regularibus Ecclesiis, vel obtinuerunt in futurum, ad ejusdem Ordines se promoveri faciant *intra annum* sub pœnis ibidem expressis.

V. Synodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 4. *de Reform.* vult, » ut ii, qui Dignitates, Personatus, Officia, Præbendas Por» tiones, ac quælibet alia Beneficia in dictis Ecclesiis obtinent,

» aut

» aut in posterum obtinendum, quibus onera varia sunt an-
» nexa, videlicet ut alii Missas... dicant, seu cantent; quocun-
» que ii privilegio, exemptione, prærogativa, generis nobili-
» tate sint insigniti, teneantur, justo impedimento cessante, in-
» fra annum Ordines suscipere requisitos: alioquin pœnas incur-
» rant, juxta Constitutionem Concilii Viennensis, quæ inci-
» pit: *ut ii qui*; quam præsenti Decreto innovat. «

Hoc Decretum absolutè decernere, ut similia Beneficia obtinentes teneatur *infra annum* Ordines requisitos suscipere, notat Fagnanus *ad Cap.* CUM CUNCTIS ✠ *de Elect. num.* 63. atque eatenus Concilium Tridentinum dictam Clementinam declarasse; quæ non ita clarè & præcisse adstringebat obtinentes hujusmodi Beneficia ad Ordines suscipiendos; sed tantummodo quandiu non promovebantur, privabat voce *activa* in Capitulo, & dimidia parte distributionum.

Bonifacius VIII. cuidam super interpretatione citati Decreti Concilii Lugdunensis respondens, ait: » Annus autem hujusmo-
» di, qui à tempore illo incepit, quo ipsius Ecclesiæ regimen
» commissum tibi extitit, & possessionem ejus pacificam habuis-
» ti; vel per te stetit quominus haberes eandem, tibi non cu-
» currit, si promoveri justo impedimento detentus intra tempus
» hujusmodi nequivisti. « *Cap.* 35. *de Elect. in VI.*

VI. Ex hac Decretali habetur, quòd annus ille non currat simpliciter à tempore commissi regimen, sed à tempore, quo illius possessionem *pacificam* habuit; aut per eum stetit quominus haberet.

VII. Unde si litigiosa esset possessio Beneficii, pendente lite, & quandiù per ipsum promotum non stat, quominus pacifi-
» cus illius sit possessor, annus non currit.

VIII. Beneficium autem fuisse litigiosum probare debet non promotus, uti notat Rebuffus in Praxi Benef. *part.* 2. *tit. de Non promotis intra annum &c. num.* 41. quid dein *num.* 42. addit: » Cujus prætextu vidi multas impetrari Parochiales, quia
» possidens lites sibi fingebat, sed ante Deum, cui omnia sunt
» aperta, iste, qui fingit litem, satis est privatus, nec aliquem
» habet titulum; ideoque recipiendo fructus est prædo, & fur,
» & falsarius; quòd falsò nomen Curati sibi vindicat, & adscri-
» bit, cùm non sit: quamobrem tenebitur ad restitutionem fruc-
» tuum, ut quos ex re non sua, cùm sit privatus, accipit, &
» mala fide; alioqui non dimittitur peccatum nisi restituatur
» ablatum. «

IX. Sed quid si obtinens Parochiale Beneficium non recipe-ret fructus primi anni propter jus *deportus*, ut vocant Galli? Nihilominus tenebitur promoveri, ait Rebuffus ibidem *num.* 11. alioquin erit privatus anno elapso; tum quia grex est eidem commissus, & habet pacificam possessionem Curæ, ac liberum exercitium animarum.

X. Notat quoque Rebuffus *num.* 45. » quòd postquam an-
» nus iste computatur à die pacificæ possessionis adeptæ: & in
» hoc regno Galliæ *pacificam* possessionem quis non dicitur ha-
» bere ante annum, ob id post annum pacificæ possessionis *alte-
» rum* habet annum ad promovendum, & ita declaravit Senatus
» Parisiensis anno 1547. in mense Februario. « Deinde monet istam declarationem apprimè utilem & hodie communem in dicta Curia.

XI. Porrò cùm promotus ad Parochiale Beneficium, teneatur intra annum à die pacificæ possessionis ad Sacerdotium promoveri, videbatur nullus posse ad simile Beneficium Parochiale assumi, nisi saltem in Ordines Subdiaconatûs esse constitutus; cùm aliàs juxta sacros Canones ob interstitia inter Ordines servanda, nequidem intra biennium Sacerdotio insigniri posset; quod & non obscurè supponit *Cap.* 5. ✠ *de Ætate & Qualitate Ordinand.* Nihilominus tradit Rebuffus in *Praxi Benef. part.* 1. *tit. Requisita ad collationem*, *num.* 33. quòd Beneficia etiam Curata quis possit habere, etiamsi primam tantum habeat Tonsuram. Et licèt Fagnanus dicat opinionem Rebuffi non esse conformem citato *Capitulo* 5. nihilominus fatetur, quòd secundum opinionem Rebuffi, in practica servetur: » Nam, ait,
» Parochiales etiam conferuntur Clericis primæ Tonsuræ. (b) Et
» S. Congregatio Concilii aliàs consulta, an matrimonium con-
» tractum coram Parocho adhuc intra annum ad sacros Ordines
» non promoto, sed primâ tantùm Tonsurâ initiato sit validum?
» respondit esse validum. Quam sententiam Clemens VIII. ad
» sè relatam approbavit: « Hæc Fagnanus ad *Cap.* PRÆTEREA ✠ *de Ætate & Qualitate Ordin. n.* 8.

XII. Cùm enim Ecclesia optet, ut promotio ad Sacros Ordines potiùs fiat titulo Beneficii, quàm titulo Patrimonii, haud difficulter permittit, ut Beneficium etiam ante Ordinem sacrum susceptum Clerico conferatur, & super interstitis dispensetur, si Ordinum accelerationem ipsum Beneficium requirat; ita quidem, ut ea de causa permittat quoque Capitulo Sede vacante intra annum à die vocationis Litteras dimissoriales concedere; uti supra *part.* 1. *tit.* 9. *cap.* 2.

XIII. Si obtinens Beneficium Parochiale intra annum à die pacificæ possessionis adeptæ ad Sacerdotium promotus non fuerit, auctoritate Constitutionis Concilii Lugdunensis in allegato *Cap.* LICET CANON, » Ecclesiâ sibi comissâ est privatus, nullâ
» etiam præmissâ monitione. « Additque Bonifacius VIII. in *Cap.* COMMISSA *de Elect. in VI.* quòd nec ipsi non promoto ullatenus eâ vice iteratò poterit conferri.

XIV. Idem tamen Bonifacius in *Cap.* STATUTUM *eod. tit. in VI.* declaravit Constitutionem Gregorii X. in Concilio Lugdunensi editam de privatione Ecclesiæ Parochialis commissæ ob non promotionem ad Sacerdotium, » ad Collegiatas Ecclesias,
» etiamsi aliàs Parochiales extiterint, & assumptos ad earum re-
» gimen non extendi; sed antiqua jura servari potiùs debere
» in iisdem. «

Antiqua jura, quorum hîc meminit Bonifacius, sunt ea, quæ habentur in *Cap.* 7. ✠ *de Elect.* ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. quibus quidem præcipitur, ut Beneficia aut Dignitates cum cura animarum obtinentes, tempore à Canonibus præfixi promoveantur, & in Presbyteros ordinentur: sed pœna *privationis ipso jure* in non obedientes non adjicitur; quæ demum decreta fuit per Concilium Lugdunense sub Gregorio X. contra obtinentes Parochiale Beneficium; quæ Constitutio cùm pœnalis sit, restringenda apparuit Bonifacio VIII. ad Beneficia, quæ propriè & simpliciter sunt Parochialia.

XV. Hinc ulteriùs concludit Rebuffus titulo *de non promotis*, quòd illa privationis pœna ob non promotionem non habeat locum in Decretalibus, Præposituris, & Archidiaconatibus: » Ideò qui possidet præposituram in Ecclesia Collegiata
» (ait) sine promotione per annum, non tamen est privatus,
» nisi fuerit monitus: quia non est Parochialis *simpliciter*, de
» qua *Cap.* LICET CANON, licèt æquum & bonum esset, ut
» per Concilium vel per Papam hoc statueretur; & hoc ad ser-
» vitium tenderet. « Hæc ille *num.* 30. qui & *num.* 60. monet, non procedere etiam in Ecclesia Curata non Parochiali.

XVI. Itaque obtinens Beneficium Parochiale, & intra annum à die adeptæ pacificæ possessionis, non promotus ad Sacerdotium, cessante legitimo impedimento, ipso jure Beneficio est privatus, neque ampliùs titulum possidendi habet; potestque per non promotionem tanquam vacans impetrari & conferri, ait Rebuffus loco citato *num.* 1.

XVII. Rectè tamen monet ibidem Rebuffus, quòd priusquam provissus de Parochiali Beneficio amoveatur de possessione, debeat citari, & audiri; non quidem, ut *privetur*, sed ut sciatur, an sit *privatus*: quia potuit subesse legitimum impedimentum non promotionis; quod consequenter eum à pœna privationis eximere potuit; conformiter ad *Cap.* LICET EPISCOPUS, *de Præbendis, in VI.*

XVIII. In Gallia, teste Rebuffo *ibidem num.* 50. » hodie
» post annum conferunt Ordinarii, & facta ab illis collatione,
» vel provissione à Papa, impetrantur litteræ in causa novita-
» tis directæ Judici Regio, coram quo impetrans dicit se cano-
» nicè Beneficium assecutum, & esse in possessione Beneficii,
» quod vacat per non promotionem talis, &c. nisi impedimen-
» tum probet adversarius, vel promotionem, aut dispensatio-
» nem, adjudicabitur impetranti possessio saltem per recreden-
» tiam; & sic servatur in forensi judicio. « Subjungit Rebuffus *num.* 51. » sed ante adjudicationem uno finito termino dari po-
» terit alius ad probandum dictum impedimentum, quia de
» gravi agitur præjudicio: ut contendit *decis.* 177. Ægidius. «

De eadem praxi testatur quoque Tournetius in sua collectione Arrestorum *Litt. V. num.* 2. eamque in judicio contradictorio aliquando confirmatam fuisse refert.

XIX. Cùm ob non promotionem ad Sacerdotium intra annum ipso jure Beneficio Parochiali possessor sit privatus, quæritur quid de fructibus perceptis sit statuendum?

Bonifacius VIII. in citato *Cap.* COMMISSA, cuidam dubitanti super hac quæstione ita rescribit: » Si promoveri ad Sacerdo-
» tium intendens parœcialem receperis Ecclesiam, ut fructus per
» annum ex ea percipias, ipsam postmodum dimissurus, tene-
» beris

(b) *Altera hodie in Galliis observari debet Jurisprudentia: etenim de Parœciis, cæterisque Beneficiis, quibus animarum Cura annexa est, hæc decrevit Galliarum Rex Ludovicus XV. in Declaratione, quam Versaliis dedit* 13. *Januarii* 1742. *his verbis*: » *Voulons & nous plait, que nul Ecclesiastique ne puis-
» se être pourvu dorénavant, d' une Cure ou autre Benefice à
» charge d' ames, soit sur la presentation des Patrons, soit en
» vertu de ses dégrés, soit à quelq' autre titre, ou par quel-
» que Collateur que se soit, s' il n' est actuellement dans l' Or-
» dre de Prétrise, & s' il n' a atteint l' age de* 25. *ans accom-
» plis; faute de quoi, voulons, que sans avoir égard aux pro-
» visions obtenues, qui seront regardées comme nulles, & de
» nul effet, soit en jugement ou autrement, ladite Cure, ou
» ledit Benefice, soient censés vacans & impétrables, & qu'
» en consequence il y soit pourvu librement, & de plein droit,
» d' un sujet capable, par ceux à qui la collation ou l' institu-
» tion en appartiennent. « Hæc declaratio in Comentarios Supremi Senatus Parisiensis relata est* 26. *Januarii* 1742.

» beris ad restitutionem, cum eos receperis fraudulenter."

XX. Hanc Bonifacii decisionem in jure potiùs naturali quàm positivo fundatam esse, plures, quos citat & sequitur Garcias *de Beneficiis, part. 3. c. 4. num.* 37. opinantur; ideoque non tantùm in Beneficio Parochiali, sed & in aliis quibuscunque ordinem sacrum requirentibus obtinere autumant: eosque, qui eo animo Beneficia hæc accipiunt, restituere debere fructus perceptos, utpote qui eos receperint fraudulenter: asseritque Flaminius de *Resignatione, lib. 9. q. 10. num.* 4. quòd hodie inoleverit stylus in Curia Romana, exigendi juramentum à petente Beneficium, quod illud non accipiat animo dimittendi.

XXI. Addit insuper Bonifacius, »illum autem, qui eam »tibi contulit, cùm te non crederet ad hujusmodi Ordinem pro»movendum (præter Divinum, quam exinde incurrit offen»sam) ad servandam indemnem eandem Ecclesiam decernimus »obligari."

Utinam hæc satis attenderent Beneficiorum Collatores, qui non rarò affectu carnali excæcati parùm attendunt, nùm is, cui Beneficium conferunt, animum habeat Beneficio deserviendi; ita ut ignorantia, si quæ sit, adeò crassa sæpè non sit, ut meritò sit timendum, ne coram Deo intimorum scrutatore pro scientia reputetur; & fructuum restitutioni ob hujusmodi promotionem obnoxii teneantur.

XXII. Circa restitutionem fructuum faciendam ab illo, qui accepit Beneficium Parochiale animo non assumendi Sacerdotium, hanc exceptionem addit Bonifacius VIII. *nisi mutatâ voluntate promotus fuerit*; innuens eo casu restitutionem non esse faciendam; quia suscipiendo Ordinem, & voluntatem mutando, culpam, si quæ fuit in acceptando, eluisse, & emendâsse videtur; ipsamque privatione tituli, quæ ipsum restitutioni fructuum redderet obnoxium, susceptione Ordinis prævenisse.

XXIII. Quamvis pœna privationis *ipso jure* ob non promotionem ad Sacerdotium tantùm obtineat quoad Ecclesias Parochiales juxta citatum *Cap.* LICET, & Prioratus Conventuales juxta *Clement. 1. §.* CÆTERUM, *de Statu Monach.* tamen si Beneficia Ordinem annexum habeant, poterunt eorum Possessores ad Ordinum susceptionem urgeri: & si cessante justo impedimento, monitis non obtemperaverint, etiam tandem ad sententiam privationis procedi poterit; quemadmodum latiùs ostendit Fagnanus ad *Cap.* QUÆRIS ✠ *de Ætate & Qualit. Ordinand.* ubi modum procedendi ad hanc privationem observandum proponit.

XXIV. Ex Decreto Bonifacii VIII. in *Cap. 34. de Elect. in VI.* potest Episcopus cum obtinente Parochialem Ecclesiam dispensare, ut usque septennium litterarum studiis insistens, promoveri minimè teneatur, nisi ad Ordinem Subdiaconatus duntaxat.

Synodus Tridentina *Sess. 7. cap. 12. de Reformat.* statuit, »ut facultates de non promovendo, præterquam in casibus à »jure expressis concessæ, ad annum tantùm suffragentur."

Hoc Decreto sublatam esse facultatem concedendi ratione studii dispensationem ad septennium, de qua in citato *Cap. 34.* resolvisse sacram Congregationem refert post alios Barbosa de Officio Parochi *part. 1. cap. 5. num. 22. & 23.*

XXV. Conformiter ad dictam Constitutionem Bonifacii VIII. concessit Universitati Lovaniensi Martinus V. quòd obtinentes Beneficia quæcunque etiam *cum cura* »ratione ipso»rum usque ad *septennium*, à tempore illorum pacificæ possessionis computandum, dummodò post habitam pacificam possessionem eandem (nisi aliud eis super hoc Canonicum suffragetur) infra annum in Subdiaconos ritè sint ordinati, ad aliquem ex præfatis Ordinibus se promoveri facere minimè teneantur, nec à quoquam compelli possint inviti."

Simile privilegium concessit Eugenius IV. immediatus Martini V. successor, declaratque ratione Beneficiorum obtentorum etiam *cum cura*; »usque ad septennium à tempore quo »hujusmodi (id est, *in quacunque Facultate*) studio insistere »inceperint, computandum, dummodo infra illius annum pri»mum, si & prout jus exegerit, in Subdiaconos ritè ordinati »sint, ad aliquem ex Diaconatus, & Presbyteratus Ordinibus »se promoveri facere minimè teneantur, nec ad id à quoquam »inviti compelli possunt."

Hæc quidem ante Synodum Tridentinam; an post hanc Synodum Gregorius XIII. speciali Bullâ jus Nominationum tam à Sixto IV. Universitati, quàm à Leone X. aliisque Pontificibus Facultati Artium concessum innovans, & confirmans, expressè voluit, & mandavit, »quod hi, qui ad Beneficia *curam* »*animarum* habentia nominati fuerint, non admittantur, nisi »priùs ab ordinario locorum prævio examine, absque concursu »faciendo, fuerint approbati; quodque in eis *personaliter* re»sidere teneantur, nec se eo nomine excusare possint, quòd »in dictis Universitate & Facultate Artium scholares sint, seu »docentes, aut Magistri.

(c) *In Hispania residentiam Beneficiorum Curatorum, aliorumque ab iis naturalitatis privilegium habentibus obtento-*

Et in *Placeto* Philippi II. super usum hujus Bullæ præcipitur, ut in nominatione ad Beneficia *curata* vigore Bullarum Papalium facienda, exprimantur clausulæ, & obligationes de obeundo examine, & *residentia* (c), de quibus in hac Bulla.

Ut huic Bullæ, ac Placeto satisfiat, non tantùm jubetur nominatus acceptans Beneficium Parochiale subire examen Ordinarii; sed eorum, qui à Rectore, aut Facultate Artium ad examinandum fuerint deputati; atque nominandus à Facultate Artium inter alia jurat, »quòd si vigore suæ nominationis cu»ram aliquam Pastoralem acceptare possit, non priùs tamen »eam acceptabit, quàm prævio examine idoneus judicatus fue»rit per eos, quos facultas deputaverit.... Quoque infra *annum* »unum ab obtenta pacifica possessione *personaliter* in ea reside»bit. Nec eam resignabit, nisi integro anno residerit, aut »aliam obtinuerit."

Cùm ergo acceptans Beneficium Parochiale debeat esse idoneus tempore acceptationis, ac insuper infra annum à pacifica possessione adepta personaliter residere, evidens est, quoad similia Beneficia usum privilegii de non promovendo *ad septennium* esse sublatum. Personalis enim residentia, etiam personalem officii Pastoralis persolutionem infert, quæ sine Ordine suscepto fieri nequit.

CAPUT IV.

De Scientia, aliisque Qualitatibus ad Beneficia requisitis.

1 *Scientia major vel minor pro diversitate Beneficiorum necessaria.*
2 *Unde mensuranda scientiæ necessitas.*
3 *Non exigua scientia necessaria in promovendis ad Dignitates Curatas.*
4 *In Canonicis Ecclesiarum Cathedralium quæ scientia requiratur.*
5 *Canonici Cathedrales tales eligendi, qui consilio Episcopis assistere queant.*
6 *Synodus Tridentina optat, ut saltem dimidia pars Canonicatuum in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis detur Graduatis.*
7 *Gradum Academicum Synodus reputavit pro publico eruditionis testimonio.*
8 *Visitatio Academiæ Lovaniensis requirit strictum examen circa promovendos in Jure, ut Ecclesiis melius consulatur.*
9 *Multum nocent Ecclesiæ, & Republicæ, qui gradus Academicos indignis annuunt.*
10 *Enormis peccati arguuntur indignis gradum conferentes.*
11 *Sententia Joannis Gersonis de indebita graduum Academicorum collatione.*
12 *Quæ Beneficia in Belgio requirant gradum Academicum.*
13 *In regno Galliæ requiritur ut promovendus sit Regnicola.*
14 *Quid de hoc obtineat in Hispania, & Belgio.*
15 *Non solet huic juri Papa derogare.*
16 *Qualitates in fundatione expressæ sunt servandæ.*
17 *Beneficia Patrimonialia, quæ; & facta collatio* non consanguineo, *est valida, non concurrente consanguineo.*
18 *Secus in Beneficiis debitis Graduatis.*
19 *Quomodo graduum computatio ineunda, dum agitur de Beneficiis Patrimonialibus.*
20 *Beneficia Patrimonialia non facilè admittenda; & quare.*
21 *Conditio prælationis consanguineorum est odiosa, ideoque restringenda.*
22 *Quædam Dignitates debent conferri Canonicis.*
23 *An sufficiat fuisse Canonicum tempore adeptæ Dignitatis.*
24 *Erectio Canonicatûs ad retinendam Dignitatem.*

I. INter qualitates in providendo de Beneficio imprimis recensenda est scientia talis, quæ officio, ob quod Beneficium datur, sive Beneficio incumbenti, obeundo est necessaria.

Porrò cum officia Beneficiis annexa varia sint, eorumque functiones majorem vel minorem scientiam requirant, non una quoque, nec æqualis ad omnia Beneficia scientia requiritur.

II. Porrò talis generaliter requiritur, quæ functionibus Beneficio annexis adimplendis necessaria & conveniens est.

Hinc Synodus Tridentina *Sess. 24. cap. 12. de Reform.* postquam dixit, Dignitates in Ecclesiis, præsertim Cathedralibus, ad conservandam, augendamque Ecclesiasticam disciplinam fuisse institutas, ac proindè meritò, qui ad eas vocantur, tales esse debere, qui suo muneri respondere possint, tanquam consequens subinfert: »Nemo igitur ad Dignitates quascun»que, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui »saltem 25. suæ ætatis annum attigerit, & in Clericali Ordi-

rum, præscribunt leg. 20. 27. & 36. tit. 3. lib. 1. Recop. & Actum Accordatum 6. cap. 22. num. 3. tit. 8. lib. 1. Recop.

» dine versatus, doctrinâ ad suum munus necessaria ac mo» rum integritate commendetur. «

III. Cùm his Dignitatibus *cura animarum* incumbat, ea cumprimis doctrina necessaria est, quæ regimini animarum, quod à Patribus *ars artium* vocari consuevit, ritè obeundo requiritur, & quidem eò eminentior doctrina, & eruditio major, quòd cura Dignitatibus his incumbens, non tantùm aliquos simplices laicos, sed plerumque Clerum numerosum concernit; qui quo ad vitam perfectiorem vocantur, eò eruditione majore opus in Directore. Hoc utinam attenderent, qui hasce Dignitates sine ullo penè onere existimant, minoremque ad eas doctrinam necessariam, quam ad quodcunque Beneficium Parochiale.

IV. Ulteriùs omnes dignitates, quin & Canonicatus in Ecclesiis Cathedralibus instituti sunt, ut in regimine Ecclesiæ Episcopo opera, & consilio assistant, atque propterea Capitulum Cathedrale, Ecclesiæ *Senatus* appellari meruit.

Unde singulariter de Canonicis Cathedralibus verificatur, quod præterito seculo de Universis Canonicis dixit Cardinalis Polus: » Canonicatus, & Præbendas instituendi ratio & cau» sa hæc fuit, ut qui ad eas assumuntur Episcopo assistant, eum» que in muneris sui functione *consilio*, & *opera* adjuvent, & » in Divinis celebrandis Ecclesiæ inserviant: « In decreto Reform. Cleri Anglicani *num.* 3. Habetur tom. 14. Concil. General. *col.* 1743.

Quare Molanus expendens Canonicorum institutum & vocationem, ait: » Beati sunt illi Canonici, & verè omni lau» de dignissimi, qui non contenti bonâ vitâ, & Canonico Ec» clesiæ officio, secundum mensuram donationis opitulatores es» se cupiunt in Ecclesia Dei, scientes hanc esse vocationem » suam. « *Lib.* 1. *De Canon. cap.* 27.

V. Inter articulos nomine Caroli IX. Regis Galliæ Patribus Tridentinis pro reformatione Ecclesiæ oblatos legitur hic ordine 27. » Cum Episcopus ea jurisdictione uti non debeat, » secundum antiqua decreta, nisi consulto Capitulo, quemad» modum nec alia suæ Diœcesis gravia negotia tractare: dan» da est diligens opera ut Canonici Cathedralium Ecclesiarum » sint assidui in Ecclesia Cathedrali, bonis moribus, & scien» tia præditi, quique saltem 25. annum attingant; nam ante » illam ætatem cùm non possint per leges humanas rebus suis pros» picere, quomodo Episcopo consulere poterunt? «

Quamvis non decrevit omnia, quæ hoc articulo continentur, sat tamen ostendit, non mediocrem scientiam in Canonicis, præsertim Cathedralibus requiri.

VI. Hac de causa desideravit, ut non tantùm præcipuæ Dignitatis Doctoribus, aut Licenciatis in Tehologia, aut jure Canonico conferrentur, sed insuper » hortatur, ut in Provin» ciis, ubi id commodè fieri potest, Dignitates omnes & sal» tem dimidia pars Canonicatuum in Cahedralibus Ecclesiis, » vel Collegiatis insignibus conferantur tantùm Magistris vel » Doctoribus, aut etiam Licentiatis in Theologia, vel Jure » Canonico. «

VII. Ut quid enim hosce gradus Academicos exigi putabimus, an forsan tanquam quosdam varios honoris titulos? Nequaquam sanè: sed ut publica eruditionis testimonia, quibus omnibus constaret, eos scientiâ vel Theologicâ, vel Juris Canonici ita instructos, ut meritò publicum testimonium mererentur.

Hoc in jam citato decreto luculenter expressit Synodus Tridentina. Postquam enim declarâsset, Dignitates præsertim in Ecclesiis Cathedralibus ad conservandam, augendamque Ecclesiasticam disciplinam institutas, ac propterea neminem ad eas promovendum, nisi *doctrinâ* ad suum munus exequendum necessaria commendetur, mox ea, quæ de gradibus Academicis ex ipso Decreto jam relata sunt, subjecit tanquam medium, quo finis ille obtineretur; id est, nemo ad eas promoveretur, nisi doctrina ad suum munus exequendum necessaria commendetur; de qua ex gradu Academico tanquam publico doctrinæ tesimonio constaret.

Luculentiùs id declaravit *Sess.* 22. *cap.* 2. *de Reformat.* requirens, ut quicunque post hæc ad » Ecclesias Cathedrales erit » assumendus, scientia ejusmodi polleat, ut muneris sibi injun» gendi necessitati possit satisfacere; « deindè subjungens: » Ideoque anteà in Universitate studiorum Magister, sive Doc» tor, aut Licentiatus in Sacra Theologia, vel Jure Canonico » meritò sit promotus, aut publico Academiæ testimonio ido» neus ad alios docendos ostendatur."

Cùm hoc loco exigat Synodus, ut promovendus ad Ecclesiam Cathedralem *publico* Academiæ testimonio ad alios docendos idoneus ostendatur, nisi gradu Academico fuerit insignitus, manifestè evincitur, gradum Academicum ex mente Synodi esse vice publici testimonii, quo promovendus ad Ecclesiam Cathedralem idoneus ad alios docendos ostendatur.

VIII. De hac veritate persuasi Principes Belgii, nihil ideò in hujus Universitatis visitatione anno 1617. inculcârunt, atque enixè præceperunt, quam ut nemini, signanter in Theologia, aut Jure gradus Licentiæ, aut Doctoratûs annueretur, nisi prævio de capacitate & eruditione *stricto examine*, *solique idonei admittantur*, *inidonei autem omni privato affectu sepositò* (ait visitatio circa Facultatem Theologicam) *repellatur.*

In eadem præscribitur Doctoribus Juris examini Graduandorum præpositis, ut passim ubicunque libuerit per totum jus Civile, vel Canonicum respectivè Licentiandos examinent.

Et *ne illis dedecori sit* (ait Visitatio) *repulsam pati*, *statuimus*, *ut notabili tempore ante repetitionem dictum examen* RIGOROSUM *fiat.*

Rationem verò instituendi hujus rigorosi examinis ex ipsa visitatione attendamus: » Ne paucarum legum (ait) aut Canonum » Licentiati fiant, sed in theoria juris perfectè versati in pales» tram praxeos ut doti & spectabiles Viri prodeant, qui clien» tibus prudenter & candidè patrocinentur, *atque Cathedrali» bus*, *aut Collegiatis Ecclesiis probè consulant*, statuimus. «

IX. Non dubium proindè, verissimè notatum esse à viro erudito Petro Tholosano *lib.* 18. *de Republ. cap.* 9. *n.* 6. » Quòd » multum nocet Reipublicæ, quòd professores aliqui reperiun» tur, parùm timoratæ conscientiæ, & non considerant quale » pecus arcadicum introducant Ecclesiis, & Subselliis, ad gra» tiam sæpè Gradus profanis concedentes: nec considerant, se » reddituros rationem coram Deo, & hominibus de tanta in pro» bandis studiis negligentia."

Hujus sui dicti rationem præmiserat: » Siquidem indigni po» titi Gradibus, vel mercati eosdem, eorum favore Beneficia » Ecclesiastica & seculares Dignitates sub persona peritorum in» vadunt, præripiunt pauperibus doctis, & benemeritis."

X. Qui hæc, aliaque incommoda in Rempublicam seu Civilem, seu Ecclesiasticam ex indebita & nimium facili graduum Academicorum collatione redundantia serio attenderit, nescio an nimii rigoris damnabit dictum cujusdam Auctoris relatum ab Andrea Bouwens J. C. Mosæ-Trajectino *lib.* 2. *de Juris*, *Justitiæque Usu*, *& Abusu*, *cap.* 3. » eos Academicos mortaliter peccare, qui gradibus & titulis insigniunt indignos; adeoque » velut *publico* testimonio Tribunalibus, & Dei Ecclesiis im» ponunt."

XI. Refert Joannes Sinnichius in Saule Exrege *lib.* 1. *c.* 122. §. 465. de Joannes Gersone, quòd inter alias causas, ob quas Cancellariatui Academiæ Parisiensis renuntiare meditaretur, hanc allegaret: » Cogor ad deliberationem aliorum, vel pro con» suetudine temporis ignaros scientiâ, & perniciosis moribus » promovere. « Ad quæ verba reflectens Sinnichius ait: » Cen» suit nimirùm indignorum ad gradus Academicos promotio» nem, gravem esse iniquitatem, ideò utique, quia immanem » Reipublicæ tam Ecclesiasticæ, quam Politicæ infert perniciem. «

XII. Ad quas Dignitates ex decreto Concilii Tridentini, cum ex Bulla erectionis novorum Episcopatuum requiratur gradus Academicus, notavimus suprà *part.* 1. *tit.* 10. & *tit.* 22. ubi actum fuit de Canonicatibus graduatis.

De scientia necessaria pro obtinendis Beneficiis Parochialibus specialiter tractabitur infrà *tit. de Concursu ad Beneficia Parochialia*; ubi unà de examine promovendorum ad hæc Beneficia agetur.

Sunt & aliæ nonnullæ qualitates, vel ex privilegio aut consuetudine Regni vel Ecclesiæ; aut ex speciali Beneficii fundatione requisitæ.

XIII. Ita in Regno Franciæ sive ex privilegio, sive consuetudine pluribus Regum Edictis firmata, requiritur, ut promovendus ad quodcunque Beneficium sit Regnicola, nisi à Rege litteras naturalitatis obtinuerit. Unde Rebuffus in additione ad Regulam Cancellariæ *de Idiomate*, ait: » Nota tamen quòd » in Francia nec Ordinarius, nec Legatus posset alienigenæ » conferre, qui si conferant illud Beneficium, à regnicola im» petrari poterit, quod est notandum; & hoc privilegium reg» ni non solùm prohibet extero habere Ecclesiam Parochialem, » de qua hæc loquitur, sed etiam alia quæcunque Beneficia, » ac alia bona, etiamsi illi fuissent Cardinales, sine Regis bene» placito, obtinere non possent. Quamvis D. Gomez hic » *quæst.* 2. volens Cardinalibus favere, multa pro ipsis ad» dixerit; tamen in Francia servatur quod dixi. «

De eodem jure testatur quoque Choppinus de Domanio Franciæ *lib.* 1. *tit.* 11. & latiùs probatur in probationibus libertatum Ecclesiæ Gall. *cap.* 30.

* Nec dubium est quin in Galliarum regno antiquus sit usus conferendi Beneficia nisi Regnicolis, aut iis, qui litteras naturalitatis à Rege obtinuerunt.

Observat autem Antonius le Vaillant, Advocatus in Parlamento Parisiensi in Notis marginalibus ad Observationes Georgii Louetii in Molinæum, ad regulam Cancellariæ *de Infirmis resignantibus*, *num.* 44. quòd sufficiat, » litteras, quas vo» cant *de naturalitate* obtinere, pendente lite, & modò sint » ante decisionem in Curia Computorum registratæ, Provisio » invalescit, quia (ait) est impedimentum politicum & non ca» nonicum, & ideo Rex illud potest tollere. «

XIV. Simile esse privilegium & consuetudinem in Regno His-

Hispaniæ testis est Didacus Covarruvias *Pract. Quæst. cap.* 37. *num.* 5. plures ibidem de hoc jure tractantes (d) & illud ut rationabile adstruentes citans.

In Placeto Caroli V. super usu Nominationum Facultatis Artium in hac Universitate cavetur *art.* 1. quòd nullus poterit nominari vigore indultorum dictæ Facultati Artium concessorum ad aliquod Beneficium hujus Patriæ, nisi sit ex eadem patria oriundus, vel si extraneus, resederit in dicta patria & studuerit decem annis, aut obtinuerit à Principe litteras consensûs in forma. Latiùs Zypæus *tit. de Elect. num.* 13.

XV. De iisdem Regum indultis agit Pyrrhus Corradus *lib.* 2. *Praxis Beneficiariæ, cap.* 9. notatque, quòd quia hæc indulta concessa sunt ad instantiam Imperatoris, Regum & aliorum maximorum Principum, nunquam Papa derogare consueverit in læsionem Imperatoris & Regum.

XVI. Subinde ex lege fundationis Beneficia debentur certo generi personarum, v. g. Clericis ejusdem Ecclesiæ, cantoribus, musicis, aliisve certis qualitatibus vestitis; tuncque hisce & non aliis hujusmodi Beneficia conferenda sunt.

XVII. Quin & subindè ad Capellanias similiave Beneficia simplicia vocantur *consanguinei* Fundatoris, solentque vocari Beneficia *patrimonalia* (e); de quibus agit Garcias, *de Beneficiis, part.* 7. *cap.* 15. *num.* 6. notatque quòd facta collatio alteri, quàm consanguineo sit invalida: » quod tamen (ait *num.* 7.) » procedit & accipiendum est, contradicente & opponente se » aliquo consanguineo, & sibi fieri provisionem petente; aliàs » enim præsentatio seu provisio alteri facta sustineretur. «

XVIII. Rectè tamen monet *num.* 10. advertendum id quod dicitur, collationem sustineri ob non concursum alicujus qualitatem illam habentis, » non esse verum in Beneficiis, quæ sunt » conferenda *qualificatis*, non ob favorem & respectum personarum, sed Ecclesiæ & Beneficii, ut meliùs & magis idoneis » personis provideatur, ut graduatis: tunc enim non valeret » collatio aliter facta, etiamsi nullus qualificatus peteret sibi fieri, quilibetque etiam non qualificatus posset petere, declarari collationem nullam. «

XIX. Plura dubia circa hæc Beneficia ibidem proponit & resolvit Garcias, atque inter cætera resolvit *num.* 23. in Capellaniis, ab quas vocantur consanguinei proximiores, faciendam computationem secundum leges: » quia quamvis in Beneficiis & Capellaniis non succedatur jure *hæreditario* & *successionis meræ*, tamen negari non potest, quin ubi consanguinei vocantur, sit materia successionis, saltem aliquo modo & adinstar. «

XX. Cùm verò in Beneficiis Ecclesiasticis omnis species successionis hæreditariæ sit meritò vitanda; neque ministeria secundum sanguinem, sed secundum merita sint distribuenda, hujusmodi conditio Beneficii fundationi non facilè adjicienda; neque à Prælatis facilè admittenda; quemadmodum de Bursis seu portionibus pauperum studiosorum notavi *tit.* 11. *cap.* 4. *n.* 17.

XXI. Hinc ulteriùs concluditur, hujusmodi conditiones tanquam naturæ Beneficiorum, ac sacris Canonibus quodammodo contrarias, ut odiosas esse restringendas; ideoque intra verborum tenorem & rigorem esse concludendas: quapropter si in similium Beneficiorum fundatione dictum non sit, adveniente vacatione, eam publicandam esse, necessaria publicatio non erit, neque consanguinei collationem impugnare poterunt, titulo non factæ publicationis; modò non appareat fraus, aut præcipitantia aliqua ex parte collatorum intervenisse ad excludendos consangnineos, & ita in casu occurrente cum aliis Doctoribus aliquando respondi, & conformiter judicatum fuit.

XXII. In multis Ecclesiis aut ex statuto, aut ex fundatione, vel consuetudine inductum est, ut Dignitates non nisi Canonicis conferri queant; aut ex Canonicis eligi debeant. Sic in Ecclesiis Belgicis vi erectionis ad tres Dignitates, nimirùm Archidiaconatus, Archipresbyteratus & Pœnitentiaratus Canonici Graduati assumi debent.

Meminit quoque Pyrrus Corradus *lib.* 2. *Prax. Ben. cap.* 9. Indulti Sixti V. quo cautum est, ne » ad principales Dignitates existentes in quibusdam locis Diœcesis Leodiensis aliæ personæ præterquam Canonici majoris Ecclesiæ dictæ civitatis » Leodiensis, actu præbendati, & personaliter in ea residentes, » eligi possint. «

XXIII. Occasione hujus indulti Sixtini, » cùm dubitare- » tur, ait Pyrrus Corradus, an qualitas Canonicatus requi- » reretur, momento temporis, vel successivè, fuit dictum, » hoc negotium versari in actu potiùs momentaneo; quia in- » dultum dicit, quòd nullæ personæ, præterquam Canonici eli- » gantur, & sic qualitas Canonicatus prærequiritur tempore » electionis, unde sufficit, adesse de eo tempore. «

Ratio potissima fuit (ait) » quòd cùm indultum verisimili- » ter requirat dictam qualitatem, ad hoc ut Dignitas perso- » nis magis dignis conferatur, parum interest, quòd postea de- » ficiat illa qualitas Canonicalis ex qua oritur præsumptio me- » ritorum, cùm ea deficiente adhuc tamen remaneat præsump- » tio honestatis, bonitatis, & meritorum, propter illam qua- » litatem præcedentem.

Deinde subjungit: » Unde passim videmus, quòd, stan- » tibus supradictis, licèt quis, ut dictum est, non possit as- » sequi Dignitatem, nisi fuerit in Ecclesia Canonicus, nihil- » ominùs non prohibetur postmodum suum Canonicatum re- » signare, retentâ supradicta dignitate. «

Si tamen statutum aut privilegium vel fundatio vellet, ut nullus esset Decanus, v. g. nisi simul esset Canonicus, apparet, quòd eo casu non posset manere in ea dignitate dimisso Canonicatu; quia tunc esset Decanus & non Canonicus, quod tenori fundationis videtur contrariari: » & sic aliquando Cancellaria Ro- » mana expedivit creationem in Canonicum cum clausula, *ex* » *nunc, prout ex tunc, & econtra*, ad effectum retinendi Dig- » nitatem; puta, quòd Orator litigabat super Canonicatu, & » Præbenda, & nolebat in eventum evictionis Canonicatûs & » Præbendæ prædictorum, amittere Dignitatem, quam obtine- » bat, quæque simul cum Canonicatu, & Præbenda oporte- » bat vigore prædictorum statutorum retinere: unde ex nunc, » prout ex tunc, in eventum evictionis, creatur canonicus, ad » effectum retinendi prædictam Dignitatem. «

XXIV. Ita Corradus loquens ibidem de quibusdam Ecclesiis Gallicanis Cathedralibus, Metropolitanis & Collegiatis, » in quarum statutis cavetur expressè, quòd nullus ibidem Dig- » nitatem, administrationem, Personatum, vel officium ob- » tinere possit, nisi in illis Canonicus existat, « uti loquitur Leo X. in Concordatis inter ipsum, & Franciscum I. reservans sibi potestatem creandi Canonicos ad effectum duntaxat inibi obtinendi Dignitatem, personatum, administrationem vel officium hujusmodi, & non consequendi primam Præbendam vacaturam.

Vide Rebuffum ad hunc textum Concordatorum: ibi latè tractat de hujusmodi Canonicis honorariis & titulatis.

TITULUS XX.

De Pluralitate Beneficiorum.

CAPUT I.

SEMPER VETITA BENEFICIORUM PLURALITAS, ET RATIONES PROHIBITIONIS.

1 *De pluralitate Beneficiorum nihil expressè in antiquis Canonibus.*
2 *Dum Canones vetant aliquem ad plures Ecclesias ordinari, pluralitatem Beneficiorum damnant.*
3 *Quid de hac re decreverit Synodus Chalcedonensis.*
4 *Decretum Synodi VII. & ratio prohibitionis.*
5 *Ostenditur hoc Decreto* pluralitatem *Beneficiorum fuisse damnatam.*
6 *Pluralitas Beneficiorum quantumvis* simplicium, *&* tenuium *jure communi vetita.*
7 *A nonnullis in Synodo Tridentina distinctio Beneficiorum compatibilium, & incompatibilium reprobata, & quare.*
8 *Singula officia singulis Beneficiis annexa vetant unii plura conferri.*
9 *Injusta Beneficiorum pluralitas, quia unus accipit stipendia plurium.*
10 *Fundatorum intentio per Beneficiorum pluralitatem defrau-*

(d) *Hanc doctrinam comprobant leg.* 14. 15. 16. 17. 18. 19. 25. & 36. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop. quibus addenda est l.* 66. *cap.* 5. *tit.* 4. *lib.* 2. & *Actum Accordat.* 30. *tit.* 2. *lib.* 3. *Recop.*

(e) *Propriè Beneficia* Patrimonialia *in Hispania vocantur quæ conferri non possunt nisi Originariis earum Diœcesium, ubi similis consuetudo florescit; uti verificatur in Burgensi, Palentina, Calagurritana, aliisque; de quibus tribus prioribus fit mentio in lege* 21. 22. 23. & 25. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopil. leg.* 34. *circa fin. lib.* 2. *tit.* 5. *ejusdem; Act. Acordat.* 4. *cap.* 10. *tit.* 1. *lib.* 4. & *postremò in Remission.* 13. *tit.* 6. *lib.* 1. & 2. *tit Act. Acordat. lib. etiam* 1. *ejusdem Recop.*

fraudatur ; & vagandi occasio datur.

11 *Pluralitas Beneficiorum sæpiùs juri naturali repugnat.*

12 *Beneficiorum pluralitas in certis circunstantiis licita esse potest.*

13 *Quæ circunstantiæ concurrere debeant, ut pluralitas non sit juri naturali contraria*

14 *Qui titulo consuetudinis, aut dispensationis plura Beneficia securè retinere vult, qui attendere debeat.*

I. IN pristinis Ecclesiæ Canonibus nihil quidem contra pluralitatem Beneficiorum decretum legitur ; eò quòd Beneficiorum ab ipsis Ordinibus distinctio nondum invaluisset ; neque Beneficiorum Collatio ab ipsa Ordinatione separata esset.

II. Verùm cum ordinari ad aliquam Ecclesiam, eique in ipsa ordinatione adscribi esset juxta illius temporis disciplinam illius Ecclesiæ Beneficiatum constitui ; etiam pluribus Ecclesiis adscribi, sivè intitulari idem erat, quòd plura Beneficia in diversis Ecclesiis obtinere.

Hinc quoque intelligitur, quòd ubi Canones vetant quemquam duabus Ecclesiis adscribi vel intitulari, reipsa prohibuerint plura Beneficia in diversis Ecclesiis ab eodem possideri ; atque hoc sensu, verissimum est, jampridem sacris Canonibus pluralitatem Beneficiorum damnatam esse.

III. Concilium Chalcedonense *Can. X.* ait: » Non licere Clerico in duarum Civitatum Ecclesiis eodem tempore » in catalogum referri ; & in ea, in qua in principio ordinatus est ; & in ea, ad quam tanquam ad majorem confugit, » propter magnæ gloriæ cupiditatem : eos autem qui hoc faciunt, propriæ Ecclesiæ restitui, in qua ab initio ordinati » sunt, ut illic *solùm* ministrent.... Eos autem, qui ausi fuerint » post magnæ hujus, & universalis Synodi definitionem aliquid » eorum, quæ sunt prohibita, facere, statuit sancta Synodus » eos proprio gradu excidere. « Fragmentum, seu summarium hujus Canonis refert Gratianus *caus.* 21. *quæst.* 1. *Can.* 2. his verbis: » Clericum in duarum Ecclesiis civitatum eodem tempore conscribi non oportet. «

IV. Idipsum generalioribus terminis decreverunt Patres Synodi VII. *Can. XV.* fundamenta hujus prohibitionis exprimentes : » Clericus ab hoc deinceps tempore in duabus Ecclesiis » non collocetur : negotiationis enim & turpis lucri proprium est, » & ab Ecclesiastica consuetudine alienum. Ab ipsa enim Do» mini voce audivimus non posse quempiam duobus dominis » servire ; vel enim unum odio habebit, & alterum diliget ; vel » unum amplectetur, & alterum negliget : unusquisque ergo » secundum dictum Apostolicum, in eo, in quo vocatus est, » debet manere, & in una Ecclesia assidere. Quæ enim propter turpe lucrum fiunt in Ecclesiasticis negotiis, ea à Deo » sunt aliena. «

Hîc eat apertè declarat Synodus, nullam velle permittere in duabus Ecclesiis ejusdem Clerici eodem tempore intitulationem sive adscriptionem ; eò quòd nemo possit duobus Dominis, id est, duabus Ecclesiis servire ; neque in duabus *assidere*, seu *residere*.

Si ergò Synodus improbet adscriptionem Clerici in duabus Ecclesiis, eò quòd nemo possit eodem tempore duobus Dominis, id est, duabus Ecclesiis deservire ; atque unusquisque debeat in una Ecclesia *assidere*, seu *residere*, in qua vocatus est, consequitur, quòd eodem fundamento pluralitas Beneficiorum in diversis Ecclesiis generaliter damnata censeri debeat.

V. Certum quippe est, inspectis sacris Canonibus, quin & jure Decretalium, atque ipsâ Beneficiorum institutione omne Beneficium requirere personalem residentiam, ac *personale* Officium in illa Ecclesia, in qua ipsum Beneficium fundatum, vel erectum est ; quam personalem residentiam, & personale officium, quia eodem tempore idem in diversis & dissitis Ecclesiis præstare nequit, consequens est, eodem jure, & attentâ ipsâ Beneficiorum institutione, pluralitatem Beneficiorum non secus quam intitulationem Clerici in diversis Ecclesiis esse generaliter interdictam.

Unde Alexander III. in *cap.* 13. ✠ *de Præbendis* scribens: » istud esse omni rationi contrarium, ut unus Clericus in una, » vel diversis Ecclesiis plures Dignitates, vel personatus obtineat, « hanc assignat rationem : » Cùm singula officia in Ecclesiis *assiduitatem* exigant personarum. «

VI. Hinc communiter concludunt Canonistæ, quòd sicuti nullum Beneficium, quantumvis tenue in proventibus, jure communi eximitur à personali residentia ; ita nec ulla de jure dentur Beneficia *compatibilia* ob proventuum tenuitatem, saltem in diversiis Ecclesiis.

Hanc in rem admodùm notanda sunt verba citati Canonis XV. Synodi VII. quæ allegatis verbis immediatè subnectuntur : » Ad hujus autem vitæ usum sunt diversa studia, ex » iis ergo si quis velit, ea quæ sunt corpori ad usum necessaria comparet. Dixit enim Apostolus, *Usui meo, & iis qui mecum sunt subministraverunt manus meæ.* « Act. cap. 24. v. 23.

His declarat sat dilucidè Synodus, neque ad comparandum vitæ necessaria, Clericum in diversis Ecclesiis adscribendum ; sed aliunde, etiam laborando manibus suis, potiùs debere sibi de necessariis providere.

VII. Quapropter inter articulos nomine Caroli IX. Galliarum Regis Concilio Tridentino exhibitos, decimus quartus differentiam compatibilium & incompatibilium Beneficiorum, quoad pluralitatem ut novam, & antiquis Decretis incognitam exhibet, & aboleri postulat. » Unum tantùm Beneficium uni confe» ratur sublatâ (quod attinet ad pluralitatem) compatibilium, » & incompatibilium Beneficiorum differentiâ, quæ distinctio ut » est nova & antiquis decretis incognita, ita Ecclesiæ Catholi» cæ magnam calamitatem attulit.«

VIII. Ulteriùs, quia singula Beneficia sua habent annexa officia, convenit, ut singulis committantur personis. » Sicut » enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem » membra non eundem actum habent ; ita in Ecclesiæ corpore se» cundum veridicam Pauli sententiam, in uno eodemque spiritu » alii conferendum est hoc officium, alii committendum est illud: » neque uni, quantumlibet exercitatæ personæ uno tempore » duarum rerum officia committenda sunt, quia si totum cor» pus est oculus, ubi auditus ? sicut enim varietas membrorum » per diversa officia, & robur corporis servat, & pulchritudi» nem repræsentat, ita varietas personarum per diversa nihilo» minus officia distributa & fortitudinem, & venustatem sanctæ » Dei Ecclesiæ manifestat. Et sicut indecorum est, ut in corpo» re humano alterum membrum alterius fungatur officio, ita ni» mirum noxium, simulque turpissimum, si singula rerum mi» nisteria personis totidem non fuerint distributa. «

Hæc ex *Can.* 1. *Dist.* 89. ubi notant Correctores Romani, illa quidem non haberi in Epistolis S. Gregorii, ut à Collectoribus citantur, sed referri à Joanne Diacono *lib.* 2. vitæ ejusdem sancti Pontificis *num.* 54. tanquam dicere soleret : » Singula » Ecclesiastici juris officia singulis quibusque personis singulatim » committi debere, asserens, quia sicut in uno corpore &c. «

Hinc Gratianus huic Canoni præmittit hoc monitum : » In » dispensatione verò Ecclesiæ hanc regulam observandam no» verit, (Episcopus) ut nulli quantumvis exercitatæ personæ » duo simul committat officia.«

Similiter Bonifacius VIII. in *cap.* 1. *de Consuet. in* VI. improbans consuetudinem retinendi plures Dignitates, rationem improbandi ex ipsa pluralitate officiorum petit dicens : *Cum unum oficium vix dignè valeat aliquis adimplere*, quasi diceret ; cùm unum officium vix dignè valeat adimplere, indignum est, plures habere Dignitates, quæ eum pluribus officiis obeundis adstringunt.

IX. Insuper singula Beneficia juxta hodiernam disciplinam, suos habent annexos proventus, quibus Beneficiati tanquam Ecclesiæ Ministri alantur. Injustum autem apparet, ut unus stipendia pluribus Ecclesiæ Ministris destinata accipat, atque hinc rursus injusta apparet pluralitas Beneficiorum. » Nonnulli (ait » Concilium Lateranense in *cap.* 3. ✠ *de Clericis non resid.*) » modum avaritiæ non ponentes, Dignitates diversas Ecclesias» ticas, & plures Ecclesias Parochiales, contra sacrorum Ca» nonum instituta nituntur accipere, ut cum unum officium vix » implere sufficiant, stipendia sibi vindicent plurimorum.«

Joannes XXII. in *Extravagante* EXECRABILIS, *de Præb. in Comm.* recensens incommoda ex pluralitate Beneficiorum promanantia primo loco recenset, quòd » interdum unus, qui » unum quamvis modicum vix officium implere sufficeret, *plu» rimorum* sibi vindicat *stipendia*, quæ multis litteratis viris vi» tæ puritate, ac testimonio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent abundè sufficere, æquâ distributione collata. «

X. Ipsa quoque Beneficiorum institutio, & fundatio eò tendit, ut plures Ministri constituantur Ecclesiæ ; dum igitur unus occupat plura Beneficia, contra ipsam Beneficiorum primam institutionem, ipsamque Fundatorum intentionem numerus ministrorum diminuitur, ipsique cultui Divini Officii detrahitur ; quod etiam inter incommoda ex pluralitate Beneficiorum provenientia reponit Joannes XXII. in citata Extravagante, additque: » Habentibus ipsa (plura Beneficia) paratur vagandi materia, » Divini cultus minuuntur, hospitalitas in ipsis Beneficiis de» bita non servatur.«

XI. Hæc, aliaque ex pluralitate Beneficiorum sequi solita incommoda, reddunt plerumque pluralitatem illam illicitam, præveniendo etiam omnem juris positivi constitutionem, sive prohibitionem, efficiuntque ut consuetudinem retinendi plura Beneficia tanquam corruptelam & abusum reprobet Pontifex in *cap.* 1. *de Consuet. in* VI.

XII. Et Sanctus Thomas *Quodlib.* 9. *quæst.* 7. *atr.* 11. enumerans prædictas inordinationes, quas pluralitas Beneficiorum in se continet ; dixit pluralitatem Beneficiorum non esse annumerandam actionibus de se indifferentibus ad bonum & malum ; sed annumerandam actionibus » quæ absolutè consideratæ de» formitatem, vel inordinationem quandam important ; quæ ta» men aliquibus circumstantiis advenientibus, bonæ efficiuntur: » Sicut occidere hominem vel percutere, in se deformitatem » quam-

» quamdam importat: sed si addatur, occidere malefactorem » propter justitiam vel percutere delinquentem causa disciplinæ, » non erit peccatum, sed virtuosum. « Hæc Sanctus Thomas, additque: *in numero harum actionum videtur esse, habere plures Præbendas.*

XIII. Deindè docet, quòd nî concurrant circumstantiæ, quæ omnes illas inordinationes, quas pluralitas illa in se continet, abstergant, ipsa pluralitas Beneficiorum maneat prohibita jure naturali; nullâque consuetudine, aut dispensatione justificari queat.

XIV. Quapropter qui vigore consuetudinis, aut dispensationis in pluralitate Beneficiorum securus esse desiderat, necessariò expendere debet, an reverà hujusmodi concurrant circumstantiæ, quæ omnem illam inordinationem tollant; nihilque adeò supersit, quod ipsam pluralitatem jure naturali illicitam reddat; sed solùm jus positivum, consuetudine, aut dispensatione solubile obstet, quominùs pluralitas in talibus circumstantiis esset illicita: uti latiùs infrà cap. 5. ostendetur.

CAPUT II.

Quomodo pluralitas Beneficiorum sensim invaluerit; et quibus potissimum prætextibus.

1 *Beneficiorum pluralitas certis in casibus licita; & ii nimium extensi.*
2 *Synodus VII. unum duabus Ecclesiis præfici permitit.*
3 *Verus sensus Synodi.*
4 *Idipsum permitit Synodus Emeritensis.*
5 *Exponitur sententia hujus Synodi.*
6 *Quomodo Decreta Synodorum contra earum mentem extensa sint.*
7 *Ipsa pluralitas ex hac mala interpretatione multùm invaluit.*
8 *Quantus fuerit abusus hujus pluralitatis in Gallia seculo XII.*
* *Seculo XIII. orta est in Galliis disputatio circa pluralitatem Beneficiorum.*
* *Quid tunc definitum fuerit.*
* *Refertur quid de pluralitate Beneficiorum senserit Gregorius IX.*
* *Dispensatio securam non efficit conscientiam illius, qui plura possidet Beneficia.*
* *Definitionis Theologorum Parisiensium meminit scriptor vitæ Sancti Ludovici Francorum regis.*
* *Quid fecerit Sanctus Rex, ut pluralitatem Beneficiorum è suo regno eliminaret.*
* *Quid peragere deberent Principes, ut abusum illum omninò exploderent, exponitur.*
9 *Praxis multorum non censetur probata, quia dissimulatur.*
10 *Abusus hic etiam erat circa Beneficia* Curata.
11 *Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. contra Beneficiorum pluralitatem.*
12 *Decretum hoc extirpando huic abusui minimè sufficit.*
13 *Dispensationem expressè probans eas frequentiores reddidit.*
* *Dispensandi auctoritas ad possidenda plura simul Beneficia, quandonam Summo Pontifici reservata fuerit, determinatur.*
14 *Quærela Joannes XXII. de excessu dispensationum.*
15 *Decretum hujus Pontificis contra hunc abusum.*
16 *Etiam post hoc Decretum abusus perduravit.*
17 *Commendarum usus circa Ecclesias Parochiales primitùs utilis.*
18 *Quomodo hæ progressu temporis palliandæ pluralitati Beneficiorum subservierint.*
19 *Abusus regebatur regulâ ab Innocentio III. traditâ.*
20 *Synodi Londinensis Decretum contra hoc palliamentum.*
21 *Idem prætextus acriùs rejectus.*
22 *Ostenditur, quomodo Commendarum usu quidam fœdè abuterentur.*
23 *Permittit Innocentius unum duas Ecclesias habere*, si una ex altera pendeat.
24 *Quomodo hæc regula palliandæ pluralitati Beneficiorum subservierit.*

I. OMnem Beneficiorum pluralitatem pristinis Canonibus vetitam fuisse capite præcedenti ostensum: unaque notatum, Beneficiorum pluralitatem plures inordinationes continere, ob quas etiam præveniendo omnem legem positivam, jure naturali plerumque vetita sit.

Attamen & illud animadversum ex Sancto Thoma, posse nonnunquam circumstantias concurrere, quæ omnes inordinationes pluralitati plerumque conjunctas, abstergant; eamque inspecto solo jure naturali licitam reddent.

Cùm verò casus nonnulli hujusmodi circumstantiis circumscripti in Canonibus essent expressi, mirum quomodo Clericorum multorum ambitio, & avaritia, è quibus Beneficiorum pluralitas oriri solet, eos casus contra Canonum sententiam, & Patrum mentem extenderint; atque Beneficiorum pluralitati incrementum dederint.

II. Synodus Œcumenica VII. *Can. XV.* adeò districtè interdicit Clericum in duabus Ecclesiis collocari, id est, juxta modernam disciplinam, in duabus Ecclesiis Beneficiatum esse, ut ne quidem ad inopiam sublevandam id permittat; sed velit ut potiùs manibus laborando victui necessaria sibi comparare studeat, uti *cap. præced.* retulimus, subjungit tamen hanc cautionem: » Et hoc quidem in hac à Deo custodita civitate. In » iis autem, quæ extrà sunt locis, propter hominum inopiam » permittatur.«

III. Verus hujus Canonis sensus est, quòd unus idemque Sacerdos possit duabus Ecclesiis extra civitatem constitutis deservire, dum ea est hominum in iis Ecclesiis inopia, ut singulæ singulos Sacerdotes habere nequeant: quo casu ut hominum illorum necessitati, quantum possibile est, succurratur, permittit Canon, ut idem Sacerdos duabus Ecclesiis sibi vicinis deserviat.

IV. Legitur quoque in Synodo Emeritensi anno 666. *Canon. XIX.* » In Parochiis multæ sunt Ecclesiæ constitutæ, quæ » à Fidelibus factæ, aut parum, aut nihil de rebus videntur habere. Sacerdotali ergo Decreto Presbytero *uni plures* extant » commissæ; unde cavendum est, ne occurrente paupertate ordo ibidem non impleatur Missæ.«

Hîc rursùs permitti videtur Beneficiorum pluralitas, dum *uni* Presbytero plures Ecclesiæ extant commissæ, idque *Sacerdotali Decreto.*

V. Verùm si rursùs ex mente Concilii sensus Canonis teneatur, nihil cum vetita Beneficiorum pluralitate commune eum habere apparebit. Agitur in hoc Canone de Ecclesiis haud vel parùm fundatis in eadem Parochia existentibus, in quibus Missæ per certos dies celebrari debebant; quæ facilè per unum Sacerdotem celebrari poterant; ideoque incongruum non habebatur *uni* Sacerdoti earum Missarum, accedente præsertim Ecclesiarum paupertate, celebrationem committere: hocque solicitè eodem Canone cavetur, ut Presbyter ille, juxta Episcopi jussionem, in iis Ecclesiis Missarum solemnia congruo tempore persolvat.

His igitur Canonibus permittitur uni Sacerdoti duabus Ecclesiis deservire; sed eo duntaxat casu, quo utrique simul per se satisfacere potest; & Ecclesiarum, vel populi necessitas, & servitium id postulant.

VI. At unà cum seculis labente Ecclesiasticâ disciplinâ, quod hisce ac similibus Canonibus canonicè decretum fuit, hominum avaritia, & ambitio in proprium commodum detorserunt; atque in pallium pluralitatis Beneficiorum quorumcunque, etiam Curatorum, & Dignitatum, idque in Ecclesiis quantumvis à se procul dissitis, assumpserunt; præsertim invalescente seculo IX. & sequentibus pernicioso illo, & melioribus temporibus inaudito principio, quòd *quis officio, & oneribus Beneficiis etiam* Curatis *annexis*, per alium *satisfacere posset*: ac per consequens, nec personaliter in loco Beneficii residere teneatur; quæ tamen personalis residentiæ obligatio præcipuum erat incompatibilitatis fundamentum.

Quanto impetu, hoc principio semel admisso, Beneficiorum quorumcunque pluralitas propagata fuerit, ex decretis Conciliorum, quæ ei opposita fuerunt innotescit.

VII. Synodi Parisiensis anno 829. *Can. XLIX.* hujus excessûs locupletissimum testimonium reddit. Primo itaque ponit hanc generalem Regulam: » Sicuti unicuique civitati convenit » proprium habere Episcopum, ita & unamquamque Basilicam Deo dicatam decet, & oportet proprium habere Presbyterum.«

Posita hac regulâ, subdit: » Avaritia sanè, quæ est idolorum servitus, quod non sine magno pudore prosequimur, » quosdam invasit Presbyteros, suisque retinaculis adeò vinxit, » captivosque effecit, ut instar cæcorum effecti, nesciant quo » eant, nesciantque quid esse, vel quid agere debeant. Hi namque ignibus avaritiæ æstuantes, sacerdotalique dignitatis immemores, curam Basilicarum, in quibus promoti sunt, postponentes, datis quibusdam xeniis, aut pollicitis non solùm à » Clericis, verùm etiam à laicis, alias Basilicas contra fas ad » Christi famulatum peragendum suscipiunt.«

Deplorat post hæc, quòd hinc » religio Christiana fuscatur, » & sacerdotalis ordo confunditur, imò avaritia Sacerdotum à » subditis denotatur, locaque Deo dicata cultu sibi debito privantur, & animarum pericula generantur.«

VIII. Cùm autem abusus hic admodum faveret avaritiæ, & ambitioni hominum, neque prætextus eum palliandi deessent; continuò collabentibus seculis magis invaluit, uti ex multiplicibus Conciliorum Decretis intelligi potest: in tantum ut & in ipsa Gallia consuetudo perversa retinendi plura Beneficia ita invaluisset seculo XII. ut teste Alex. III. in *cap.* 15. ℵ *de Præb.*

præ

præ multitudine delinquentium emendari non posset, ita enim scribit ad Genuensem Arhciepiscopum: » Cùm non ignores, » quòd una Ecclesia unius debeat esse sacerdotis, mirabile ge- » rimus, & indignum, quòd uni personæ locum in pluribus Ec- » clesiis velis concedere, vel in Episcopatu tuo inducere con- » suetudinem Ecclesiæ Gallicanæ: quæ cùm unum ad plura re- » cipiat Beneficia, contra sanctorum Canonum instituta, non » approbatur à nobis, licèt non possit præ multitudine delin- » quentium emendari." Ità legitur in integra Decretali.

* Abusum pluralitatis Beneficiorum in Ecclesiis Gallicanis, etiam seculo decimo tertio admodùm fuisse frequentem, & radicatum, evincit disputatio acerrima eo seculo super hac materia pluralitatis Beneficiorum inter Theologos Parisienses excitata, & per plures annos continuata, de qua scribit Thomas Cantipratanus Tractatu *de Apibus*, *pag.* 70. inter alia, quòd circa annum 1235. habita fuerit *longa valdè, & multò solemnis disputatio; an uni eidemque personæ liceret habere plura Beneficia*: ac tandem determinâsse *omnes pariter Doctores, exceptis duobus, nemini licere tenere duo Beneficia sine dispendio animæ, dummodo unum valeret quindecim libras Parisienses.*

* Indubiè hæc summa *quindecim librarum* Parisiensium eo tempore ad honestam beneficiati sustentationem sufficere credebatur.

Exponit etima ibidem Cantipratanus, quàm infaustus fuerit exitus *duorum* illorum Doctorum, qui pluralitati Beneficiorum renuntiare nolentes, eam mordicùs frivolis quibusdam ratiunculis justificare nitebantur.

Post hæc refert, quòd triennio elapso rursus super eadem quæstione disputatio habita fuerit, præsidente Guillelmo Parisiensi Episcopo; atque rursus ex omnium Theologorum resolutione per Episcopum conclusum, & probatum esse, *duo Beneficia teneri cum salute animæ non posse, dummodò unum valeret quindecim libras Parisienses.*

* Citat ibidem plures illius ætatis magni nominis Doctores, qui pluralitatem Beneficiorum in suis scriptis reprobârunt. Addit præterea, quòd narrante fratre Bernardo quondam Pœnitentiario Domini Papæ, & Fratre Ordinis Prædicatorum, dixerit beatissimæ memoriæ Papæ Gregorius IX. interrogatus si posset *de plenitudine potestatis cum plurium Beneficiorum detentioribus dispensare*, responderit: *Non possum nisi tantùm super vexatione detinentium dispensare.*

* Hisce relatis, subdit hic Scriptor, hoc notandum monitum: » Quis ergo sapiens erit, quis fallat se, & sibi super dis- » pensatione aliqua blanditur? Esto quòd multi Magistrorum » dicant: hoc & multi alii opinentur in contrarium: *hoc solum* » *mortale ab Augustino, omnium Doctorum maximo, judicatur,* » *quod quis incertitudinis periculo, aut mortalis peccati discri-* » *mini se committit.*

* Hujus disputationis, necnon resolutionis Theologorum, & Episcopi Parisiensis meminit quoque eruditus & Scriptor vitæ sancti Ludovici Regis Francorum *lib.* 4. *num.* 16. rectè ibidem reflectens, hanc disputationem nonnisi cum fine seculi finituram; eò quòd ab una parte loquatur *veritas*, & ab altera parte corruptio cordis *parce que d' un côté c' est la verité qui parle, & de l' autre la corruption du cœur.*

* Monet præterea, quòd tametsi Rex Ludovicus impendere non posset Censuras Ecclesiasticas ad comprimendum hunc abusum, ipse tamen efficaciùs impenderit, scilicet nulli habenti Beneficium, alterum conferendo, nisi priori dimisso.

* Si Principes sanctum hunc Regem æmularentur, vix dubium, quin in suis ditionibus magna ex parte hunc abusum eliminarent: præsertim si super litteris dispensationum in Curia Romana obtentis, litteras Placiti concedi vetarent, saltem super pluralitate majorum Beneficiorum: vel nisi manifesta esset, aut ritè probaretur sufficiens ratio dispensationis.

IX. Nec mos possidendi plura simul Beneficia, nec diuturnitas illius consuetudinis, nec multitudo eorum, qui eam sequuntur, possunt ei approbationem Ecclesiæ conciliare. Id ipsum declaravit Alexander III. *num.* 8. citatus; cui suffragatur Innocentius III. in *cap.* 18. ✠ *eodem* subjiciens hanc regulam: » Cùm multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta » fuerint in judicium, exigente justitiâ non debeant tolerari."

X. Nec tantùm hic abusus circa Beneficia simplicia simul possessa, sed etiam circa Parochiales Ecclesias, cum summo animarum periculo eo excreverat, ut non duas, vel tres, sed sex, aut plures Ecclesias plurimi haberent; quemadmodum testatur Concil. Lateran. sub Alexand. III. *cap.* 14. quod & huic abusui occurrere volens, sequens edidit Decretum relatum in *cap.* 3. ✠ *de Cleric. non resident.* » Quia nonnulli modum ava- » ritiæ non ponentes, Dignitates diversas Ecclesiasticas, & plu- » res Ecclesias Parochiales, contra sacrorum Canonum instituta » nituntur accipere, ut cùm unum officium vix implere suffi- » ciant, stipendia sibi vindicent plurimorum: ne id de cætero » fiat, districtiùs inhibemus. Cùm igitur Ecclesia vel Ecclesias- » ticum Ministerium committi debuerit, talis ad hoc persona » quæratur, quæ residere in loco, & curam ejus per se ipsam » valeat exercere. Quod si aliter actum fuerit: & qui receperit, » quod contra sacros Canones accepit, amittat; & qui dede- » rit, largiendi potestate privetur."

XI. Abusui tam abominando, sed multorum avaritiæ & ambitione admodum opportuno, extirpando, haud sufficiebat hoc Synodale Decretum; imò teste Concilio Lateranensi sub Innocentio III. » propter præsumptiones & quorundam cupiditates, » *nullus* hactenùs, aut rarus de prædicto statuto fructus pro- » venerat."

Itaque hoc Concilium efficacius remedium adhibere desiderans, statuit, » ut quicunque receperit aliquod Beneficium » habens curam animarum annexam, si priùs tale Beneficium » obtinebat, eo sit *jure ipso* privatus: si fortè illud retinere » contenderit, alio etiam spolietur. Is quoque, ad quem prioris » spectat donatio, illud post receptionem alterius liberè con- » ferat, cui meritò viderit conferendum; & si ultra tres men- » ses conferre distulerit, non solùm ad alium secundum statu- » tum Lateranensis Concilii, ejus collatio devolvatur; verùm » etiam tantùm de suis cogatur proventibus in utilitatem Eccle- » siæ, cujus illud est Beneficium, assignare, quantum à tem- » pore vacationis ipsius constiterit ex eo esse perceptum. Hoc » idem in personatibus decernimus observandum: addentes ut » in eadem Ecclesia nullus plures Dignitates, aut personatus ha- » bere præsumat, etiamsi curam non habeat animarum. "

XII. Hoc rursus Decretum, licèt in pluribus pro temporum duritie condescendens, sive dissimulans: utpotè nihil de pluralitate Præbendarum, neque Beneficii curati cum Canonicatu aut alio simplici Beneficio disponens, suum non habuit effectum.

Et quidem anno 1237. id est, viginti annis ab edito hoc Decreto, cùm in Synodo Londinensi per Legatum Sedis Apostolicæ convocata statutum hoc pronuntiaretur, tanta multitudo obtinentium plura Beneficia reperta est, tantusque tumultus excitatus, ut ab executione Decreti supersedere coactus fuerit Legatus. Habetur tom. 11. Conciliorum *col.* 525. & seq.

XIII. Præterquam quod prædictum Decretum tantùm loqueretur de pluralitate Beneficiorum curatorum, Dignitatum, & Personatuum, pluralitatem aliorum Beneficiorum dissimulando, addidit insuper hanc clausulam: » Circa sublimes tamen & lit- » teratas personas, quæ majoribus Beneficiis sunt honorandæ, » cùm ratio postulaverit, per Sedem Apostolicam poterit dis- » pensari. "

Quia hac expressione Decreti, quo pluralitas damnabatur, via quodammodo justificandi ostendebatur, & dispensatio contra legem probabatur, & quasi offerebatur; ipsæ dispensationes adeò fuêre frequentes, ut tandem tanquam jus ordinarium invaluisse videantur; uti non obscurè significat Decretum Concilii Lugdunensis *in cap. 3. de Officio Ordinarii*, *in IV.* id unum permittens Ordinariis locorum, ut » subditos suos plures Dignitates, » vel Ecclesias, quibus animarum cura imminet obtinentes, seu » personatum, aut Dignitatem cum alio Beneficio, cui cura si- » milis est annexa, districtè compellant, *dispensationes*, qua- » rum auctoritate eas canonicè tenere se asserunt, intra tempus » pro facti qualitate ipsorum Ordinariorum moderandum arbi- » trio, exhibere. " Et si non exhibuerint, tunc Ecclesiæ, quas sine dispensatione illicitè detineri constiterit, libere possint conferri aliis per eos, ad quos collatio earum pertinet.

» Cæterùm (ait Concilium) si dispensatio exhibita sufficiens » evidenter appareat, exhibens nequaquam in Beneficiis hujus- » modi, quæ canonicè obtinet, molestetur. Provideat tamen » Ordinarius, qualiter nec animarum cura in eisdem Ecclesiis, » Personatibus, seu Dignitatibus negligatur; nec Beneficia ipsa » debitis obsequiis defraudentur. Si verò de dispensationis ex- » hibitæ sufficientia dubitetur, super hoc erit ad Sedem Aposto- » licam recurrendum; cujus est æstimare, quem modum sui » Beneficii esse velit. "

Hîc patenter indicatur, quàm frequens esset dispensationum usus, & quàm difficulter Ordinarii Clericos ad dimissionem Beneficiorum cogere possent; modò saltem dispensationem in consueta forma expeditam proferre possent, imò quodammodo ipsis Ordinariis præciperetur, ne Clericos simili dispensatione munitos turbarent.

* Porrò notandum, quòd in nullo hactenus celebrato Concilio similis clausula reservans, & indulgens Apostolicæ Sedi dispensandi facultatem expressa reperiebatur; ut vel hinc non leve sumatur argumentum, Decreta, seu Canones hujus Concilii esse attribuenda potius Pontifici Innocentio III. amplificandæ auctoritati Pontificiæ intentissimo, quàm ipsi Concilio; quod & plures viri eruditi annotârunt.

Unde nec hæc Decreta per Decretales Gregorii IX. sub diversis titulis dispersa adscribuntur simpliciter Concilio Lateranensi: sed *Innocentio III. in Concilio Lateranensi.*

Observat autem Dandinus Alteserra in Commentario ad hanc Decretalem Innocentii III. quòd primus hic Pontifex per hanc Decretalem dispensandi auctoritatem super pluralitate Beneficiorum Sedi Apostolicæ reservaverit: quodque hoc Decretum effugere non potuerit sinistram interpretationem Scriptorum istius se-

seculi, præsertim Matthæi Parisiensis *ad annum* 1235. ubi de collectione Decretalium loquens, quæ facta est Auctore Gregorio IX. » in quibus (inquit) quædam innovavit, ne scilicet illegitimi in Prælatias, vel Ecclesiastica Beneficia, nisi adepta à » Sede Romanâ legitimationis dispensatione obtineant, sciens inde Curiæ Romanæ pro impetratione tali multa emolumenta » provenire: *sicut ex Statuto Innocentii pro dispensatione plurium Beneficiorum obtinendorum.* «

XIV. De multiplici hac dispensatione à Pontificibus obtenta, seu potiùs extorta conqueritur Joannes XXII. in *Extravagante* 2. *de Præbendis*, *in Comm.*, dicens: » Execrabilis quorundam tam Religiosorum, quàm Secularium ambitio, quæ » semper plus ambiens, eò magis insatiabilis creditur, quo sibi ampliùs indulgetur, & improbitas importuna petentium à » nobis & prædecessoribus nostris Romanis Pontificibus non tam » obtinuisse, quàm extorsisse plerumque noscuntur, ut unus » interdum etiam ad unum Beneficium Ecclesiasticum minus idoneus, in diversis Ecclesiis nedum vicinis, sed ab invicem longè distantibus, imò nonnunquam in diversorum Regnorum » partibus situatis, plures quàm duas vel tres, aut plures etiam » Dignitates, vel personatus, officia seu Prioratus, aut diversa Ecclesiastica Beneficia curam animarum habentia possit dispensativè, cùm aliàs non liceret de jure communi, recipere, » simul licitè retinere. «

XV. Post hæc enumeratis incommodis, quæ ex hac pluralitate in Ecclesiam redundant, subdit: » Nos itaque tot malis, » tantisque discriminibus occurrere cupientes; omnes & singulas dispensationes super receptione, ac retentione plurium » Dignitatum, personatuum, officiorum, Prioratuum, aut Beneficiorum, quibus cura sit animarum annexa, sub quacunque forma, vel expressione verborum à nobis, vel dictis prædecessoribus nostris cuicunque personæ concessas, (Cardinalibus tamen sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui circa nos universali Ecclesiæ serviendo singularum Ecclesiarum commoditatibus » se impendunt; ac Regum filiis, qui propter sublimitatem eorum, ac generis claritatem sunt potioris prærogativâ gratiæ » attollendi, duntaxat exceptis) deliberatione super hoc cum » fratribus nostris habita diligenti, de ipsorum consilio, & ex » certa nostra scientia in forma subscripta duximus taliter moderandas, quòd per moderamen nostrum effrenatam circa » easdem personas talium Beneficiorum multitudinem refrenemus, ipsique impetrantes fructu dispensationum hujusmodi » totaliter non frustrentur. «

XVI. Verùm experientiâ nimis quàm compertum est, quàm velociter reviviscant abusus, ubi radicitùs extirpati non sunt; quamque ipsa Decreta soleant esse inefficacia, dum in iis ipsis rima, per quam rursus abusus sibi introitum paret, relinquitur, & probatur.

Unde & Beneficiorum pluralitatem etiam post hanc Joannis XXII. Constitutionem sub pallio dispensationis Apostolica non parùm frequenter fuisse, posteriorum Synodorum Decreta sat demonstrant; atque inter alia Synodi Coloniensis an. 1536. *part.* 1. *cap.* 32. quo suum contra pluralitatem Beneficiorum zelum ostendens, eam admittere cogitur, quæ dispensatione Sedis Apostolicæ nitebatur: monens, ut qui adversus Decreta eam pluralitatem proscribentia tueri se volent dispensatione Sedis Apostolicæ, *viderint*, *ut causam dispensationis obtentæ Deo comprobent.*

XVII. Denique ad palliandum Beneficiorum pluralitatem tandem posterioribus seculis, plurimùm juvit *Commendarum & unionum* usus, qui pristinis Ecclesiæ temporibus ritè institutus in maximum tandem degeneravit abusum, & colorem multiplicandis in eamdem personam Beneficiis, subministravit.

Olim vacante aliquâ Ecclesia, cui ob bellorum tempestatem, aliave de causa non statim de pastore provideri poterat, is, cui providendi cura commissa erat, alicui etiam interdum vicino Pastori curam ejus *commendabat*; modo non absimili, quo hodie *deservitura* committebatur. Sicuti ergo *deservitura* hodierna, ita & *commenda* non nisi ad utilitatem Ecclesiæ vacantis, idque necessitate cogente, & durante vacatione committebatur; atque de simili commenda intelligendum est, quod dicitur in *Can.* 3. *caus.* 21. *quæst.* 1. » Qui plures Ecclesias re» tinet, unam quidem *titulatam*, alteram verò sub *commenda*» *tione* retinere debet. «

XVIII. Progressu temporis *Commendatarii*, varios sive necessitatis, sive honestatis titulos obtendentes, fructus ipsarum Ecclesiarum occupârunt; atque ut diutiùs iis fruerentur „ quo„ minùs iis provideretur de proprio Pastore, varia impedimen» ta objectare solebant. «

Huic fraudi ut occurreretur præscriptum legitur in *cap.* 15. *de Elect. in VI.* ne *Commenda* duraret ultra sex menses.

At Commendatarii, qui fructus Ecclesiarum ambiebant, super hoc Decreto dispensationem à Sede Apostolica variis artibus extorquebant, quâ mediante non tantum ad vitam, sed etiam cum pleno jure percipiendi proventus Ecclesiarum, detractis duntaxat impensis necessariis pro Vicario, commendas plurium Ecclesiarum retinebant.

XIX. Insuper in pluralitatis justificationem abutebantur regulâ probata ab Innocentio III. in *cap.* 54. ✠ *de Elect.* quòd nullus possit plures Parochiales Ecclesias obtinere, *nisi unam intitulatam*, *alteram commendatam haberet*: quæ de vera commenda ad tempus, non verò de fictitia hac intelligenda erat.

Dum enim ita ad vitam in *commendam* plura Beneficia retinentur, verba quidem Canonum servari videntur, at mens & verus sensus Canonum negligitur: quandoquidem evidens sit, ejusmodi Commendatarios non nisi *voce* distingui ab iis, qui *titulo* Beneficii possiderent, eaque incommoda oriebantur, sive per modum hujusmodi commendæ, sive per modum tituli plura Beneficia ab eadem persona possiderentur.

XX. Unde Synodus Londinensis anno 1237. *Can. X.* decernit, ut Vicaria Parochialis Beneficii nulli concedatur, *nisi juret residentiam ibi facere*, *ac eam faciat continuè corporalem.* Rationem subjungit: » Sic eluditur illi dolo, quo sæpè » assignato alicui nomine personatûs modico, simulatè dabatur » illi Ecclesia sub ficto nomine *Vicariæ*, qui timens alia Beneficia perdere, metuebat eam recipere ut persona. «

Hic nomine Vicariæ significari *Commendam*, & nomine *personæ* ipsum Beneficiatum *intitulatum* dubitari nequit.

XXI. Multò expressiùs hunc abusum proponit, & condemnat Concilium apud Salmurum ann. 1235. ab Archiepiscopo Turonensi, ejusque Suffraganeis celebratum *Can.* XXVIII. » Item nonnulli Episcopi, & alii Prælati, propriis lucris & » commodis suorum inhiantes, Ecclesias Parochiales, quæ proprios possunt habere Sacerdotes, Clericis, & aliis personis » Ecclesiasticis, habentibus alias Ecclesias Parochiales, vel competenter beneficiatis, ut possint eos pluribus onerare Beneficiis, commendant unam, vel duas Ecclesias Parochiales, in » animarum suarum periculum, & scandalum plurimorum: ut » sic habeant *commendatas*, quas secundum Canones habere » non posunt *intitulatas*: quòd fieri de cætero prohibemus, sta» tuentes, ut qui taliter Ecclesias commendatas recipit, vel » de cætero receperit, careat Ecclesiâ sic commendatâ; & » conferens potestate conferendi illam Ecclesiam illâ vice sit » privatus. «

XXII. Graphicè quoque hunc abusum describit Synodus Londinensis anno 1268. *Can.* XXXI. atque in eum vehementissimè invehitur, & inter alia rectè notat, originem commendationis bonam, regulamque ante traditam ex *cap.* 54. ✠ *de Elect.* esse Canonicam, sed ad palliandam avaritiam ea multos abuti, & in alienum sensum detorquere: » Quidam (ait) ra» tionis expertes, vel Juris Regulas contemnentes, dum ad plu» rium Ecclesiarum occupationem, velamen aliud non habentes » quomodò ditari festinant, vacantes Ecclesias sibi commenda» ri procurant, amplectentes juris verba, non sensum, quod » aliquando permittit unam haberi Ecclesiam intitulatam, & » aliam commendatam. Et cùm juxta sanum intellectum, prop» ter necessitatem, vel utilitatem vacantis Ecclesiæ, jus com» mendationis, non tàm præceptoriè, quam permissivè fuerit » introductum, ipsi ad cupiditatis suæ lucrum omnia conver» tentes, in ipsarum Ecclesiarum dissipationem, non solùm » unam, sed plures recipiunt commendatas. «

XXIII. Innocentius III. citato *cap.* 54. ✠ *de Elect.* dicens, quòd nullus possit plures Ecclesias Parochiales obtinere, addit, *nisi una penderet ab altera*, id est, una alteri esset unita.

Hæc quoque regula ex vero Canonum sensu accepta nihil irregulare habet. Quidni enim duæ Ecclesiæ vicinæ, quæ ob devastationem, aut alia occasione Presbyteros alere nequeunt, neque duos ob incolarum paucitatem requirunt, uniri possint, atque ita unitæ per modum unius uni conferri: de quo casu loquitur *Can.* 2. *dist.* 70.

XXIV. Verùm progressu temporis hæc regula in apertissimum abusum, & abominandum prætextum pluralitatis beneficiorum degeneravit.

Cœperunt enim dicis causâ, neglecta necessitate, aut utilitate Ecclesiarum, plures Ecclesiæ etiam à se invicem remotissimæ & admodum opulentæ uniri in favorem alicujus personæ; idque vitâ ejus durante: quâ unione factâ, unum specie tenus Beneficium conferebatur, sed quod reipsa plura secum trahebat; nec non nisi voce tenus è pluralitate Beneficiorum differebat.

Unde Prælati præformandis articulis reformationis faciendæ in Concilio Tridentino à Paulo III. deputati dicere non dubitârunt: » Quid de unionibus Beneficiorum ad *vitam unius*, ne » scilicet obstet illa Beneficiorum pluralitas ad obtinenda incompatibilia, nomine est *mera fraus* legis? «

Tot palliis, & involucris tecta Beneficiorum pluralitas, mirùm quantùm instante Concilio Tridentino invaluisset! ut propterea non exigua Patribus Tridentinis cura fuerit, abusum illum extirpandi, variaque Decreta condendi, uti capite sequenti ostendetur.

CA-

CAPUT III.

Quid contra pluralitatem Beneficiorum actum, et statutum in Concilio Tridentino.

1 *Circa tempus Concilii Trident. summopere invaluerat Beneficiorum etiam Curatorum pluralitas, & ex hac Pastorum non residentia.*
2 *Abusuum scaturigo est Pastorum absentia.*
3 *De restituenda Pastorum residentia ante omnia soliciti fuêre Patres Tridentini.*
4 *Ut hæc haberetur, judicarunt Beneficiorum pluralitatem funditùs esse tollendam.*
* *Abrogatio pluralitatis Beneficiorum enixè petitur.*
5 *Postulatio Episcoporum Hispaniæ contra Beneficiorum pluralitatem.*
6 *Postulata hæc primùm nonnihil temperanda credit Synodus.*
7 *Referuntur Decreta Synodi Sessione septima edita.*
8 *Quorum Beneficiorum pluralitas hisce decretis improbata.*
9 *Non satis constat, an per hæc Decreta etiam Beneficiorum simplicium non curatorum pluralitas esse improbata.*
10 *Decretum Synodi magis extensum, & dubitationem eximens.*
11 *Beneficia requirentia* residentiam, *vi hujus Decreti sunt incompatibilia, sive residentia requiratur ratione* curæ animarum, *sive ratione* servitii.
12 *An Rectoratus cum Parochiali sit incompatibilis ex primo capite.*
13 *Quæ sint incompatibilia ob residentiam ratione* servitii.
14 *Incompatibilitas exsurgit ex residentia* præcisa, *non* causativa, *& utriusque definitio.*
* *Distinctio inter residentiam præcisam, & causativam multis seculis incognita.*
15 *Exemplum Beneficiorum requirentium residentiam, sed tantùm* causativam.
16 *Synodus Tridentina agnovit aliqua Beneficia non requirere residentiam; & eatenus à Jure communi recessit.*
17 *Habenti Beneficium ad vitam honestè sustentandam non sufficiens, potest alterum conferri, modò utrumque residentiam non requirat.*
18 *Quod sit* sufficiens *reputandum, cujusque conscientiæ relinquitur; & hîc frequens excessus.*
19 *Hodie consuetudine inductum, ut sine dispensatione retineatur simplex Beneficium cum alio etiam sufficiente; & unde hæc consuetudo orta sit.*
20 *Synodus Trid. videtur tantùm permittere* unicum *Beneficium simplex primo adjungi.*
21 *Synodus Tridentina in vetanda pluralitate Beneficiorum præcipuè attendit impossibilitatem satisfaciendi utriusque oneribus.*
12 *Ex Decreto Synodi Trid. non videntur incompatibilia Beneficia* difformia *in eadem Ecclesia.*
23 *Consonat generalis Ecclesiarum Consuetudo.*
24 *An cum Dignitate, cui annexus est Canonicatus, possit haberi alia Dignitas, aut Canonicatus in eadem Ecclesia.*

I. CIrca tempus Concilii Tridentini adeò Beneficiorum pluralitas, non tantùm Beneficiorum simplicium, sed & Curatorum, imò & Episcopatuum invaluerat, ut omnes passim Parochiæ & Diœceses suis destituerentur Pastoribus; ac ubique penè non nisi mercenarii aliqui Sacerdotes gregibus intenderent.

II. Cùm autem compertum esset, abusibus qui Ecclesiam eo tempore quodammodo inundaverunt, remedium efficax nequaquam afferri, quandiù absentibus Pastoribus dabatur lupis in greges grassandi libertas, Patribus visum, fuit, mox de hoc abusu non residentiæ tractare; ipsosque Pastores ad residentiam adigere. Sed cùm Pastorum residentia sperari non posset, quando pluralitas Beneficiorum præsertim Curatorum permitteretur, mox in ipso Synodi initio contra hunc pluralitatis abusum à Patribus agi cœptum fuit.

III. Unde in Congregatione celebrata immediatè post habitam Sessionem secundam, nimirum 9. Januarii 1546. Guillielmus de Prato Episcopus Claromontensis sententiam suam de residentia Episcoporum proferens, urgebat Patres, ne in materia residentiæ aliquid *frigidè* & *superficialiter* statuerent: » siquidem, ait, per tantam & non residendi licentiam orbis » gravissimum malum indies latiùs serpit. Quis enim ignorat, hac » captata occasione magna ex parte hæreses esse natas, & auctas mirum in modum, indiesque magis ac magis augeri? Nec » videntur facturæ finem, donec hanc occasionem quærentibus, » occasionem amputaverimus.“

IV. Inter media verò hanc occasionem amputandi tanquam præcipuum suggerit: » Primò, Beneficiorum, & maximè Episcopatuum *pluralitas* ab omnibus tollatur funditùs. Quod ita » necessarium censo, inquiebat, ut optem memoriam illius pluralitatis oblivione sempiterna deleri; tanquam avaritiæ cleri» calis (ob quam tam malè audit ordo Sacerdotum) primogeni» tam, & omnium malorum *lernam.*« Habetur tom. 14. Concil. General. *col.* 1633. & sequentibus.

* Nec solus in Concilio Tridentino extitit Episcopus Claramontanus, qui Beneficiorum pluralitatem abrogandam esse demonstravit; hujus quoque abusus omnimodam extinctionem ann. 1547. enixè petierunt Lipomanus Episcopus Veronensis, & Bernardus Diaz Episcopus de Calahorra, aliique Præsules, quorum nomina in actis, vel in historia Concilii Tridentini extant consignata; & ut finem sibi propositum assequerentur, contendebant omnem inter compatibilium & incompatibilium pristinis seculis incognitam distinctionem esse destruendam.

Optandum sanè fuisset, ut conformiter ad postulata horum Patrum omnis Beneficiorum pluralitas, nec non distinctio compatibilium & incompatibilum fuisset penitùs sublata, quemadmodum & nomine Caroli IX. Regis Galliarum postulatum fuisse legitur, uti suprà *cap.* 1. *num.* 7. notatum est.

Licèt enim aliquibus casibus possit esse licita, quin & conveniens Beneficiorum pluralitas, non dubium tamen, quin multò majora incommoda, & scandala orta sint in Ecclesia, & continuò oriantur per toleratam Beneficiorum pluralitatem, & distinctionem inter compatibilia & incompatibilia, quàm sint timenda, aut unquam timeri potuerunt ex generali abolitione pluralitatis Beneficiorum.

V. Plures in ipso Concilio in eundem abusum exarserunt; & quidem cùm prævìè ante Sessionem de hac materia agi cœptum esset, Episcopi Hispani aliis nonnullis adjunctis petierunt » declarandum, pluralitatem Cathedralium Ecclesiarum esse ma» ximum abusum, monendosque singulos, ac nominatim Cardi» nales, ut unâ solâ sint contenti, atque alias intra breve tempus » relinquant, certè ante exitum Concilii. Tollendam quoque mino» rum Ecclesiarum pluralitatem, eâ non in posterum modò, sed » in præteritum etiam prohibita, revocatisque omnibus dispen» sationibus antea concessis, Cardinalibus aliisve minimè excep» tis, nisi justas, ac legitimas afferant causas, quas coram Ordinario curent approbandas.«

VI. Hæc Præsulum illorum postulatio rigidior apparebat, multis, quàm præsens rerum statutus pateretur, unde nonnihil temperandam crediderunt; atque primùm majoribus & magis noxiis abusibus occurendum, ac sensim, temporum duritie nonnihil emollitâ ulteriùs progredi posse, hocque consilium Synodo placuisse patebit, si decreta edita Sessione VII. conferantur cum Decreto in eadem materia Sessione XXIV. evulgato.

VII. Primò itaque *Sess.* 7. *cap.* 2. *de Reformat,* decernit ut » nemo quacunque etiam Dignitate, gradu, aut præeminen» tiâ præfulgens, plures Metropolitanas seu Cathedrales Eccle» sias in titulum, sive commendam, aut alio quovis nomine con» tra sacrorum Canonum instituta, recipere, & simul retinere » præsumat: cùm valdè felix sit ille censendus, cui unam Ec» clesiam benè ac fructuosè, & cum animarum sibi commissa» rum salute regere contigerit.«

Deinde *cap.* 4. » quicunque de cætero plura Curata, aut » alias incompatibilia Beneficia Ecclesiastica, sive per viam » unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocun» que nomine & titulo, contra formam sacrorum Canonum, & » præsertim constitutionis Innocentii III. quæ incipit, *De mul» ta*, recipere, ac simul retinere præsumpserit; Beneficiis ip» sis juxta ipsius Constitutionis dispositionem ipso jure, etiam » præsentis Canonis vigore, privatus existat.«

VIII. Hinc in primis improbat Synodus pluralitatem non tantùm Cathedralium Ecclessiarum sive Episcopatuum, sed etiam Curatorum, aut alias incompatibilium Beneficiorum, reprobatis illis fictitiis titulis, & involucris, *unionis ad vitam*, & *commendæ perpetuæ.*

Quia autem Synodus non explicat, quæ Beneficia habeat tanquam *incompatibilia*, unaque remittit ad Constitutionem Innocentii III. in *Cap.* DE MULTA ✠ *de Præbendis*, dubium erat num Synodus terminos dictæ Constitutionis excedere voluisset, aut reprobare pluralitatem Beneficiorum, in dicta Constitutione nominatim non reprobatam.

IX. Hinc ulteriùs dubium erat, an hactenus indemnata esset pluralitas Beneficiorum, quæ nec Dignitates, nec Personatus, nec Parochiales Ecclesiæ essent; utpote sola, quæ in ea Constitutione Innocentii II. exprimuntur.

X. Postmodum verò Synodus volens efficaciùs remedium huic abusui adferre, eumque quasi radicitùs evellere, *Sess.* 24. *cap.* 27. *de Reform.* Decretum edidit » quod in quibuscunque » personis, quocunque titulo, etiamsi Cardinalatûs honore ful» geant, mandat observari, ut in posterum unum tantùm Be» neficium Ecclesiasticum singulis conferatur. Quod quidem, si ad » vitam ejus, cui confertur, honestè sustentandam non suffi» ciat, liceat, nihilominus aliud simplex sufficiens, dummodo » utrumque personalem residentiam non requirat, eidem con» ferri. Hæcque non modò ad Cathedrales Ecclesias, sed etiam

» ad

„ ad alia omnia Beneficia, tam secularia quàm regularia quæ-„ cunque etiam commendata, pertineant, cujuscunque tituli ac „ qualitatis existant.“

XI. Itaque ex Decretis Concilii Tridentini concludendum, Beneficia esse incompatibilia, *si residentiam personalem* requirant, idque sive residentia ratione curæ animarum, sive ratione servitii requiratur; uti notat Fagnanus ad *Cap.* CUM JAM DUDUM ✠ *de Præbendis*, *num.* 39.

Et primo capite incompatibiles sunt duæ Parochiales, item Parochialis cum Baptismali: & similiter Beneficium, cui injunctum est onus adjuvandi in cura animarum.

XII. Item is, qui habet Rectoratum, si curam exerceat per Vicarium *amovibilem*, non potest obtinere Parochialem; quia amovibilitas indicat curam residere apud Rectorem. Si tamen aliunde probaretur, curam nullam esse penes Rectorem, tunc hoc ex capite nec residentiæ necessitas, nec exinde resultans incompatibilitas concludi posset.

Hinc consulta S. Congregatio, an casu, quo cura unita sit alicui Ecclesiæ ex altera dependenti, ita ut ei per Vicarium *perpetuum* deserviatur juxta *Cap.* EXTIRPANDÆ. §. QUI VERO ✠ *de Præb.* resultet ratione *curæ animarum* incompatibilitas talis Ecclesiæ cum alia Parochiali; respondit negativè, apud Fagnanum loco citato *num.* 41. Nec aliud indubiè resolutionis fundamentum fuit, quàm quòd curâ animarum in Vicarium *perpetuum* translatâ, Rector Ecclesiæ, cui Ecclesia Parochialis est unita, nomine tenus duntaxat Pastor, aut Curatus dicatur.

XIII. Ob residentiam ratione *servitii* » ex Decreto Concilii » Tridentini exsurgit incompatibilitas, non solùm in Parochia-» libus, & Curatis, sed etiam in Beneficio Curato, & Canoni-» catu, & in pluribus Canonicatibus, tam Cathedralium, quàm » Collegiatarum Ecclesiarum, cùm personalem residentiam re-» quirant propter servitium, ut in *cap.* 12. *Sess.* 24. licèt de » jure communi hoc esset controversum, ut patet ex opinioni-» bus suprà relatis. Item ex Congregatione incompatibilis est » præbenda Theologalis erecta per unionem aliquot simplicium » Beneficiorum cum Parochiali, vel Canonicatu. Idemque di-» cendum de pluribus Monasteriis, seu Capellaniis servitium per-» sonale, seu residentiam requirentibus propter Divini Officii » celebrationem.“ Ita Fagnanus.

XIV. Hæc tamen dicta de incompatibilitate Beneficiorum simplicium residentiam requirentium intelliguntur communiter, quando requiritur residentia *præcisa* & *simplex*, non autem de casu, quo residentia non est præcisa & simpliciter obligatoria; sed *causativa*; ita post alios Canonistas Gonzalez *ad Regulam* 8. *Cancell. Gloss.* 15. *num.* 20. vocatque residentiam *præcisam* & simplicem, quando requiritur sub pœna *privationis tituli*. Non simpliciter autem, sed *causativè* requiri dicit, quando solùm requiritur respectu privationis fructuum; nimirùm, ut non residendo privetur quidem fructibus, sed nequaquam privetur titulo.

Deinde *num.* 23. testatur, sæpiùs judicatum fuisse, quoad incompatibilitatem Beneficiorum simplicium inspiciendam esse residentiam *præcisam*, & non sufficere causativam, quod & praxis communis declarat.

* Verùm ista distinctio inter residentiam *præcisam* & simplicem, & residentiam *causativam*, contra Canones necnon contra mentem Fundatorum invaluisse apparet; juxta intentionem enim Ecclesiæ & Fundatorum, Beneficia debent per ipsos Beneficiatos deserviri; & consequenter omninò contrarium esse videtur intentioni Ecclesiæ & Fundatorum, ut Beneficium retineatur per eum, qui illi deservire non intendit, tametsi proventibus ipsius Beneficii careat: quia interim verum manet, per ipsum Beneficiatum oneribus Beneficii non satisfieri, nisi tamen absens, nec personaliter exhibens officium, alibi adeò utiliter Ecclesiæ inserviret, ut meritò existimetur, quòd etiam absens, Ecclesiæ & Fundatorum intentioni satisfaciat.

XV. Exemplum occurrit in Capellaniis Ecclesiæ Collegiatæ S. Petri hîc Lovanii, quæ residentiam ratione servitii in choro requirunt; sed tantùm *causativam*, id est, *privationis fructuum*, non autem *tituli*: quare & Theologi plures hujusmodi Capellanias obtinentes, & earum titulo ad Ordines promoti, postmodum ad Ecclesias Parochiales assumpti, eas unà cum Parochiali, tanquam simplex Beneficium residentiam non requirens retinent; licèt nullos non residentes fructus percipiant.

XVI. Beneficia omnia etiam Simplicia de jure communi requirere personalem residentiam suprà notatum fuit: unaque observatum, posterioribus seculis sensim quædam simplicia Beneficia à residentia fuisse absoluta; atque ita tandem invaluisse distinctionem inter Beneficia residentiam requirentia, & non requirentia.

Hanc distinctionem quamvis nonnulli è Patribus Concilii Tridentini, tanquam antiquis Ecclesiæ Decretis incognitam, abolitam vellent, tamen eam penitùs abolere Concilium conveniens, pro temporum conditione, non judicavit; sed eam apertè in suo Decreto supposuit; atque eâ in declaranda Beneficiorum incompatibilitate, & pluralitatis proscriptione usa est: atque eatenus, ob stabilitam per consuetudinem disciplinam, à jure communi non nihil recessit.

XVII. Itaque quoad Beneficia personalem residentiam non requirentia distinguit Concilium; utrum ad vitam ejus, cui conferuntur honestè sustentandam sufficiant, an non.

Si Beneficium quod quis obtinet sit sufficiens, non poterit obtinere secundum; quantumvis simplex & residentiæ non obnoxium, & ad vitam ejus cui confertur non sufficiens. Quia Concilium permittit, ut possit alterum Beneficium conferri ei, qui jam unum obtinet hac conditione, si primum quod obtinet, *ad vitam ejus honestè sustentandam non suficiat.*

Quando autem quis habet Beneficium Ecclesiasticum *non sufficiens*, permittit Concilium, » ut liceat nihilominus aliud » simplex sufficiens, dummodo utrumque personalem residen-» tiam non requirat, eidem conferri.“

XVIII. Quæ esse debeat proventuum quantitas, ut Beneficium aliquod dicatur *sufficiens*, Concilium non determinavit. Cùm enim hæc sufficientia ex multis factis determinanda sit, judicatum est, ut determinatio hæc cujusque potiùs conscientiæ judicio, quàm forensi disceptatione decidenda remitteretur.

Dolendum porrò nihil esse frequentius, & jam pridem fuisse, quàm ut „ hîc cæca & indomita impingat cupiditas: quan-„ do quisque pro suo, non pro Episcopi arbitrio hoc sinitur „ definire; (uti ad Clerum suum scribebat jam pridem Rure-» mondensium Antistes Henricus Cykius) Sustentationem sui, » quam in Clericis omnibus, ipsisque etiam Episcopis ex Tri-» dentini Concilii sententia, oportet esse frugalem, hospitalitatis, » & beneficientiæ velamine, illi volunt esse magnificam; vitæ hu-» jus impendia non pro necessitate, aut eo quod naturæ satis es-» se queat (quæ parvo est contenta) sed pro affectu privato, & » habendi libidine metientes; & ex cujuscunque Beneficii acces-» sione proventu aucto, aliquid etiam ad familiæ splendorem, » ad vestium luxum, ad prædiorum aliorumque, sive fixarum, si-» ve mobilium rerum proventum accedere volunt, & ut in plu-» res benefici esse possint, aut ad sui nominis memoriam ce-» lebrandam, opulentas erigere fundationes, domum domo, & » agro agrum è Beneficiorum proventibus semper conjungunt: » & hoc satis esse arbitrantur ad palliandam, aut excusandam » inexplebilem avaritiam, si hunc sibi scopum propositum ha-» beant. «

XIX. Interim ex libera taxatione sufficientia relicta judicio cujusque privati, tandem consuetudo invaluit, ut super retentione simplicis Beneficii residentiam non requirentis, nulli moveatur quæstio; tametsi Beneficium, aliud seu simplex, seu non simplex opulentum, & evidenter sufficiens habeat: atque ita videtur consuetudine eatenus derogatum Concilio Tridentino, in quantum prohibuit, unum *sufficiens* habenti, alterum etiam simplex residentiam non requirens conferri.

Unde si solùm jus positivum attendamus, id hodiè consuetudine sublatum videtur; & per consequens, concurrentibus iis, quæ inordinationes pluralitati Beneficiorum connexas planè abstergunt; ipsaque Ecclesiæ utilitate exigente, ut quis similia duo Beneficia simul retineat, non apparet necessaria dispensatio, quâ juri positivo derogetur; utpote jam per contrariam consuetudinem sublato.

XX. Ulteriùs Concilium Tridentinum permittens, ut habenti Beneficium, quod ad vitam ipsius honestè sustentandam non sufficit, aliud simplex sufficiens conferatur, de *unico* simplici adjungendo loqui videtur; quemadmodum Concilium Mediolanense V. sub S. Carolo intellexisse non obscurum est.

Cùm enim in Concilio IV. Mediolanensi declaratum esset; licere habenti unum Beneficium non sufficiens conferri alterum simplex conformiter ad Synodum Tridentinam, in Concilio V. declarat: » Id ita locum habeat, ut ne tamen eo prætextu cau-» sâve vitæ honestè sustentandæ plura quàm duo Beneficia sim-» plicia uni eidemque conferri liceat sine concessu, permissu-» ve Sedis Apostolicæ.“ *Part.* 3. *tit. Quæ ad Beneficiorum collationem attinent.*

XXI. Dum Synodus Tridentina declaravit incompatibilia plura Beneficia cujuscunque conditionis, aut qualitatis, quorum utrumque *residentiam* requirit, præcipuè reflexisse videtur ad impossibilitatem satisfaciendi oneribus Beneficiis hujusmodi incumbentibus: quæ impossibilitas resultat ex requisita *personali* residentia.

XXII. Cùm igitur illa impossibilitas satisfaciendi oneribus utriusque Beneficii sæpè cesset, si Beneficia sint in eadem Ecclesia, habeantque officia diversi ordinis & generis annexa, quæ *Difformia* dicuntur, etiam tunc incompatibilitas illa cessare videtur ex mente ipsius Synodi: declaravitque conformiter S. Congregatio » consuetudini permittenti, quòd in eadem Ec-» clesia Dignitates cum Canonicatibus teneantur, non esse de-» rogatum à Concilio Tridentino *Sess.* 24. *cap.* 17. *de Reform.* « Ita Garcias *de Benef. part.* 21. *cap.* 2. *num.* 246.

XXIII. Et quidem generalis hodie consuetudo permittit Beneficium Curatum, aut etiam Dignitatem cum Canonicatu in ea-

eadem Ecclesia retinere ; imò in aliquibus Ecclesiis Dignitates conferri, nisi Canonicis non possunt : quemadmodum in Ecclesiis Cathedralibus Belgicis ad instantiam Philipi II. per Paulum IV. Pontificem erectis, Archidiaconus, Archipresbyter, & Pœnitentiarius ex Canonicis Graduatis assumi debent, uti *part.* 1. *tit.* 10. *cap.* 1. notatum fuit (f).

Itaque ex generali consuetudine ad obtinendum in eadem Ecclesia Canonicatum, aut Capellaniam etiam requirentem residentiam, unà cum Beneficio Curato, aut Dignitate dispensatio non requiritur : eò quòd jus positivum per dispensationem tollendum contrariâ consuetudine sublatum sit.

XXIV. Quid si Canonicatus sit ipsi Dignitati annexus, ipsaque Dignitas nullos habeat proventus præter Præbendam ; an cum hoc Canonicatu, & Dignitate annexa, possit in eadem Ecclesia haberi alia Dignitas difformis? Si Canonicatus sit Dignitati annexus per suppresionem, ut ipse titulus Canonicatûs sit suppressus, tunc revera non erit nisi simplex Dignitas ; & consequenter alius Canonicatus cum hac Dignitate in eadem Ecclesia sine dispensatione haberi posset ; non autem Dignitas, quia pluralitas Dignitatum in eadem Ecclesia specialiter vetita est in *cap.* De multa ✠ *de Præbendis*, neque hactenus consuetudo ei in hoc derogâsse scitur.

Si autem Canonicatus æquè principaliter annexus sit, & consequenter eum obtinens sit revera Canonicus, & simul in Dignitate constitutus, non poterit in eadem Ecclesia aliam Dignitatem sine dispensatione retinere : nam nemo in eadem Ecclesia potest esse *triplex* absque dispensatione Summi Pontificis; uti post alios docet Garcias loco citato *num.* 238. additque: » Nec valet consuetudo vel statutum in contrarium, ex *cap.* 1. » *de Consuet. in V. I.* «

CAPUT IV.

De varia Beneficiorum incompatibilium specie.

1 *Incompatibilitas Beneficiorum præcipuè fundatur in impossibilitate residendi in diversis Ecclesiis.*
2 *Arctior residendi obligatio in Beneficiis Curatis, etiam majorem causat incompatibilitatem.*
3 *Distinctio Beneficiorum incompatibilium* primi & secundi *generis, & illorum definitio.*
4 *Plura Beneficia conformia sub eodem tecto incompatibilia* primi *generis ; etiamsi non requirant residentiam.*
5 *An Concilium Trident. circa hoc aliquid innovaverit.*
6 *Quæ dicantur Beneficia* uniformia.
7 *Quæ sint incompatibilia* secundi *generis.*
8 *An per Synodum Trid. hæc distinctio Beneficiorum imcompatibilium sit sublata.*
* *Circa distinctionem Beneficiorum incompatibilium primi & secundi generis, mens Concilii Tridentini exponitur.*
9 *Ut Beneficium vacet per assecutionem secundi, requiritur possessio hujus* pacifica.
* *Ante captam secundi Beneficii possessionem non vacat primum ipso jure.*
10 *Idque non tantùm de facto, sed &* de jure.
11 *In Gallia non inducitur privatio primi per assecutionem secundi ; sed datur optio eligendi alterutrum.*
12 *Necessitas optandi tantùm est post possessionem pacificam.*
13 *Ex praxi Galliæ habetur annus, & dies ad optandum.*
14 *Quomodo aliqui hac optandi libertate abuterentur ; & quomodo ei per Edictum Regium fuerit occursum.*
15 *Optandi libertas pluribus Parlamentorum arrestis confirmata.*
16 *Declaratum duos Canonicatus esse incompatibiles ; nec dimissum posse gravari pensione.*

I. INcompatibilitas Beneficiorum præcipuè fundatur in impossibilitate eodem tempore residendi in diversis Ecclesiis; & ex illa impossibilitate, resultante aliâ impossibilitate satisfaciendi officiis, & oneribus utrique Beneficio annexis.

II. Cùm autem indubitatum sit, residentiam arctiorem requiri in Beneficiis Curatis, aliisque majora officia annexa habentibus, quàm in Beneficiis simplicibus : pluraque incommoda per non residentiam Pastorum plerumque sequi, quàm ex non residentia Canonicorum, aut Capellanorum, consequens est, quòd etiam major inter priora, quam posteriora intercedat incompatibilitas ; eò quòd pluralitas secum trahat non residentiam, quæ minùs in illis, quàm in his toleranda est.

III. Hinc communiter recepta est distinctio Beneficiorum incompatibilium, in Beneficia incompatibilia primi, & secundi generis.

Incompatibilia primi generis dicuntur, inter quæ tanta intercedit incompatibilitas, ut per assecutionem pacificam secundi *ipso facto* vacet primum : quemadmodum de Beneficiis Curatis, Dignitatibus, & Personatibus statuit Concilium Lateranense in *cap.* De multa ✠ *de Præb.* & expressiùs Joannes XXII. in *Extrav.* Execrabilis. *de Præbendis, in Commun.* addens, » quòd qui deinceps receperint Dignitatem, vel » Personatum, seu officium, aut aliud Beneficium curam animarum habens annexam, si antea simile Beneficium obtinebant, illud, quo *ipso jure* privati noscuntur, absque morâ » dispendio in Ordinariorum manibus dimittere debeant pari » modo : alioquin ex tunc sint ipso jure secundo privati, & nec » dum ad sacros suscipiendos Ordines, quin etiam ad habendum quodcunque aliud Ecclesiasticum Beneficium inhabiles » reputentur. «

Itaque attentis hisce Decretalibus incompatibilia sunt primi generis, duo Beneficia Curata, duæ Dignitates, aut Personatus ; item unum Curatum cum Dignitate, idque sive in una, sive in diversis Ecclesiis.

IV. His addunt communiter Canonistæ duo Beneficia *uniformia*, etiamsi sint simplicia, sub *eodem tecto*, id est, in eadem Ecclesia; idque auctoritate *Cap.* 9. ✠ *de Concess. Præbendæ non vacantis*, ubi respondetur, vacare *ipso jure* Præbendam obtentam per assecutionem secundæ Præbendæ in eadem Ecclesia. Idipsum non obscurè decernitur in *Clem. fin. de Præbendis*, dum dicitur, primam Præbendam *hoc ipso* vacaturam, cùm secundam Archidiaconatui annexam fuerit pacificè assecutus. Unde Glossa ibidem verbo *hoc ipso*, ait : » Patet, » quòd in Præbendis ejusdem Ecclesiæ *ipso jurè* per assecutionem secundæ vacat prima. «

Quin credit post alios Garcias *part.* 11. *cap.* 5. *num.* 182. id quòque » procedere, etiam si Beneficia sint talia, quæ non » requirunt residentiam in conformibus titulis. «

V. Deinde *num.* 186. monet » cavendum à Zerola, qui » ait, quòd hodie per Decretum Concilii Trid. *Sess.* 24. *c.* 17. » *de Reformat.* possit quis habere duo Beneficia conformia sub eodem tecto, modò sint simplicia, & non requirant residentiam, » & non sufficientia: quæ doctrina est falsa, ait, & absque fundamento: nam Concilium ibi nihil innovat seu disponit circa hoc. «

VI. Dicuntur autem *uniformia*, quando sunt ad eundem finem & munus instituta ; qualia solent esse Canonicatus, & Capellaniæ ; aliàs siquidem in nomine conveniant, sed munia annexa sint planè disparata, non censebuntur *uniformia* ; neque sub hac incompatibilitate comprehendi ; quemadmodum notat Gonzalez ad Reg. 8. Cancell. *Glossa* 19.

VII. Incompatibilia *secundi* generis voçantur, quæ quidem simul retineri non possunt ; sed quorum primum tamen non vacat *ipso jure* per assecutionem pacificam secundi : dicunturque propterea incompatibilia *quoad retentionem*. Hujusmodi Beneficia incompatibilia inspecto jure Communi sunt duo Canonicatus, aut duæ Capellaniæ residentiam requirentes, item Canonicatus, & dignitas, aut etiam Beneficium Curatum, nimirùm in diversis Ecclesiis.

* Beneficiorum incompatibilium primi & secundi generis distinctio, pluraque alia, quæ innumeras quæstiones & litigia pariunt, priscis Patribus erant ignota ; & feliciter sopita fuissent, si auctoritate Concili Tridentini omnis omninò Beneficiorum pluralitas fuisset simpliciter & indistinctè proscripta, & avita Patrum disciplina restituta fuisset, quemadmodum plures zelosiores Episcopi desiderabant, uti *cap.* 3. observatum est.

VIII. Quippe dubitatur, num hæc incompatibilium distinctio per Synodum Tridentinam *Sess.* 7. *cap.* 4. *de Reform.* sit sublata, quia decernit, quòd » quicunque de cætero plura Curata, aut alias incompatibilia Beneficia Ecclesiastica contra formam sacrorum Canonum, & præsertim Constitutionis Innocentii III. quæ incipit, *de multa*, recipere, ac simul retinere præsumpserit, Beneficiis ipsis juxta ipsius Constitutionis » dispositionem *ipso jure*, etiam præsentis Canonis vigore, privatus existat. « Videtur ergo pœnam privationis *ipso jure* per Constitutionem, *de multa*, decretam contra obtinentes plura Beneficia Curata extendisse ad omnia Beneficia *aliàs incompatibilia*.

Attamen communior opinio praxi conformis credit, per hoc Decretum pœnam privationis *ipso jure* ad omnia generaliter Beneficia aliàs incompatibilia non esse extensam ; sed Synodum exprimendo Beneficia *Curata*, ac dein subjiciendo clausulam generalem, *& aliàs incompatibilia*, voluisse duntaxat comprehendere alia incompatibilia, de quibus loquitur Constitutio, *de multa*, ut Dignitates & Personatus. Vide Zypæum in Jure Novo *tit. de Clericis non resid. n.* 11.

* Quamvis communior opinio habeat, distinctionem inter compatibilia *primi* & *secundi* generis per Synodum Tridentinam omnino non esse sublatam ; fatendum tamen est, quòd, teste Garcia

(f) *Constat tamen in Ecclesia Rupellensi nonnullisque aliis Cathedralibus Galliarum, Dignitatum possessionem esse incompatibilem cum possessione Canonicatuum ejusdem Ecclesiæ; id quidem pro Ecclesia Rupellensi declaratum est litteris patentibus, quæ* 20. *Maii anno* 1664. *datæ sunt, ut prærogativâ Sedis Cathedraticæ hæc Eclesia donaretur.*

Garcia de Beneficiis *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 84. sæpiùs à Congregatione Cardinalium super interpretatione Concilii Tridentini responsum fuerit, Decretum Concilii Tridentini *Sess.* 7. *cap.* 4. *de Reformat.* spectare ad omnia Beneficia alias quâcunque ratione incompatibilia.

Neque diffiteri posse videtur, quin inspectis verbis Decreti, videri possit Concilium loqui in hoc Decreto generaliter de omnibus Beneficiis quâcunque ratione incompatibilibus; quantumvis & hoc fatendum sit, propter obscuram Decreti expressionem, in pluribus regionibus eo modo intellectum, & receptum videri hoc Decretum, ut distinctio inter incompatibilia *primi* & *secundi* generis nequaquam censeatur per hoc Decretum sublata; ita ut Concilium salvam reliquerit distinctionem horum Beneficiorum ad eum effectum, ut incompatibilia *primi* generis vacent *ipso jure*; non autem *secundi* generis: sed quod primum Beneficium per adeptam possessionem pacificam secundi non vacet ipso jure, sed duntaxat per sententiam Judicis posse eo privari.

IX. Porrò ad vacationem Beneficii per assecutionem alterius incompatibilis primi generis, non sufficit ejus collatio etiam acceptata, sed requiritur ejus *pacifica* possessio; aut saltem ut per eum sterit, quominùs eam acceperit, juxta clausulam expressam in citata Extravagante Joannis XXII. » Postquam secundi possessionem habuerint, vel per eos omni dolo, & fraude cessantibus, quominùs habeant, steterit. « Et in *Clementina fin. de Præbendis*, Pacifice *fuerit assecuntus.*

* Quandoquidem nullum tempus in jure determinatum sit, intra quod Beneficiatus teneatur realem & corporalem Beneficii possessionem accipere; idcircò & communi Doctorum opinione & praxi receptum est, ut ob acceptum Beneficium secundum non inducatur vacatio *primi*, ante adeptam corporalem possessionem secundi: tametsi per ipsum Beneficiatum stetisset, possessionem corporalem *secundi* accipere

Unde quod in *num.* 9. conformiter ad *Extravagantem* Joannis XXII. dictum est, primum Beneficium vacare, si per Beneficiatum steterit, *quominus pacificam possessionem habeat*, referendum est non ad possessionem, sed ad vocem *pacificam*, & per eum stet, quominus *hæc* possessio sit *pacifica.*

Voluit enim per hanc declarationem Pontifex præcavere, ne prætextu alicujus suscitatæ controversiæ, sive litis fraus fieret Canonibus, pluralitatem Beneficiorum vetantibus.

Contingebat enim non rarò, ut qui plurimum Beneficiorum proventibus gaudere cuperet, possessionem quidem realem *secundi* Beneficii acciperet, ut eâ mediante proventus illius sibi cederent; sed ne per hanc adeptam possessionem, *primum* Beneficium amitteret, cum ficto aliquo adversario colludens, litem sibi suscitari procurabat; ut ita possessio appareret *non pacifica.*

Itaque ut hisce fraudibus occurratur, declaravit Pontifex in citata Extravagante, quòd per possessionem *secundi* Beneficii, vacet prius, si probari queat, quòd per ipsum Beneficiatum steterit, quominus hæc jam capta possessio fuerit pacifica.

Et sanè cùm ante captam possessionem, Beneficiatus nullos proventus ipsius Beneficii queat obtinere; & consequenter non videatur ante captam possessionem Beneficium perfectè habere; sed demum à capta possessione jus percipiendi proventus Beneficii acquirat, mirum non est, quòd ante acceptam possessionem nulla prioris Beneficii inducta sit vacatio, eò quòd hactenus nonnisi unius Beneficii, in cujus possessione est, proventibus gaudeat.

X. Hinc concluditur, quòd demum indicatur vacatio primi per assecutionem secundi, si assecutio & possessio secundi sit pacifica, non solùm de facto, sed etiam *de jure*, id est, non litigiosa, absque controversia juris, & facti judiciali & extrajudiciali; ita aliis citatis latè exponit Garcias *de Benef. part.* 11. *cap.* 5. §. 1. *num.* 105. ubi *num.* 108. ait, quòd primum litigiosum vacet per assecutionem, & possessionem pacificam secundi.

XI. Hæc quidem ex dispositione Constitutionis, *De multa*, innovata per Synodum Tridentinam; at eam in Gallia, saltem quoad pœnam privationis *ipso jure* primi Beneficii per assecutionem secundi, non esse receptam, testatur Franciscus Le Roy Antecessor Andegavensis *lib.* 2. *Instit. Juris Canonici*, *cap.* 16. asseritque, in Gallia receptam esse *optionem*, sive jus optandi, de quo Alexander III. in *Cap.* 4. ✠ *de Ætate & qual. Præficiend.* scribens, quòd Episcopo liceat » habentes plures Ecclesias, quæ ex uno non pendeant, appellatione postpositâ cogere ad unam ipsarum, quam maluerint dimittendam. «

XII. Verùm sicuti privatio primi Beneficii per assecutionem secundi juxta Decretalem *De Multa*, & Extravagantem Joannis XXIII. non inducitur, nisi post adeptam *pacificam* possessionem secundi Beneficii; ita nec *optionis* necessitas inducta censetur, nisi post assecutionem *pacificam* secundi.

XIII. Cùm autem in Gallia nemo *pacificus* propriè reputetur, nisi post pacificam *annalem* possessionem, uti supra notatam est, etiam ante annum pacificæ possessionis ad optandum cogi non potest: quod novissimè annotavit Claudius Horrii in libro cui titulus: *Nouveau traité des matieres Beneficiales, & Ecclesiastiques accomodé à l'usage present*, ubi *pag.* 99. ait: » In Francia provisus de duobus Beneficiis incompatibilibus » habet annum & diem ad faciendam suam *optionem*, si sit possessor *pacificus*, potest unum è duobus dimittere ad manus » Collatoris ordinarii. (g) «

XIV. Hac libertate retinendi per annum integrum duo Beneficia incompatibilia nonnulli Ecclesiastici abutebantur, nimirùm per annum proventus Beneficiorum percipiendo; ac dein anno elapso per quendam collusionem suscitando sibi simulatum adversarium, quo interim proventibus utriusque gaudere pergerent. Cui abusui ut occurrentur, anno 1681. Regio Edicto cautum est, ut » cùm uni, eidemque personæ collata sunt duo Beneficia Curata, aut Canonicatus aut Dignitas & Beneficium » Curatum, aut duo alia Beneficia incompatibilia, sive sit lis, » sive sit pacificus possessor, provisus non gaudebit fructibus, » nisi illius Beneficii, in quo *actualiter* residebit, & servitium » *per se* exsolvet: quodque fructus alterius Beneficii, aut etiam » utriusque, si in neutro resederit, & præstiterit servitium *per* » *se*, impendentur in solutionem Vicarii, aut Vicariorum, qui » servitium præstiterint, vel in reparationes, ornamenta, aliumque usum Ecclesiæ ipsius Beneficii; idque juxta ordinationem » Episcopi Diœcesani. « Refertur integrum Edictum in opere, quod intitulatur *Journal des Audiences*, *tom.* 4. *lib.* 4. *cap.* 6.

XV. In Actis Cleri Gallicani *tom.* 2. *part.* 2. *tit.* 15. referuntur Parlamentorum arresta, quæ hanc optionem supponunt, eamque in omni genere Beneficiorum incompatibilium locum habere sat patenter declarant; ac per consequens, distinctionem inter Beneficia incompatibilia primi & secundi generis, quoad vacationem *ipso jure* hodie in Gallia esse sublatam.

XVI. Inter cætera *num.* 14. refertur judicatum per arrestum 10. Februarii 1667. duos Canonicatus esse incompatibiles in eadem persona; injunctumque plures possidentibus *unum optare*, addità hac notabili clausula: Sic ut non possint pensione illos, quos eligerint dimittendos, gravare: quod conforme esse Canoni Concili Calchedonensis, infrà ostendemus, titulo *de Pensionibus.*

CAPUT V.

De Dispensatione super pluralitate Beneficiorum.

1 *Nulla dispensatio licitam reddit pluralitatem Beneficiorum, ni absint circumstantia, quæ inordinationes abstergant.*
2 *Interdum graviores, interdum leviores causæ ad has inordinationes abstergendas sufficiunt.*
3 *Vix occurrunt sufficientes quoad pluralitatem Beneficiorum Curatorum; & in Regno Galliæ nulla dispensatio super hac admittitur.*
4 *Quid in Belgio obtineat.*
5 *Nulla dispensatio super pluralitate Beneficiorum sine causa tuta est in foro* poli.
6 *Hæc est sententia unanimis Canonistarum.*
7 *An quis satisfaciat rejiciendo onus in Papam dispensantem.*
8 *Petens dispensationem debet prævie examinare, an sit justa causa: & quod motivum petendi.*
9 *Aliquando licita dispensatio.*
10 *Debet semper esse recta intentio; debentque utentes dispensatione eam sæpè discutere.*
11 *Hodie super pluralitate Beneficiorum solus Papa dispensat.*
12 *An hodie duæ Parochiales Ecclesiæ sibi vicinæ uni ad tempus concedi queant sine dispensatione Pontificis.*
13 *Dispensatio qua ratione odiosa, & restringenda.*
14 *Hanc regulam probat Bonifacius VIII.*
15 *Possidentes plura Beneficia ex dispensatione, tenentur Ordinariis petentibus dispensationes exhibere.*
16 *Possunt Ordinarii dispensationes examinare, & minus legitimè obtentas rejicere.*

(g) *Ubi agitur de duobus Beneficiis, quorum unum oneri* deportus *obnoxium est, hæc sancivit Galliæ Rex in Declaratione data* 13. *Januarii* 1742. *his verbis:* » *Ordonnons que dans les* » *Provinces où le droit de* déport *est établi, ceux qui se trouve-* » *ront pourvûs de deux Cures, ou d'une Cure, ou d'un autre* » *Benefice incompatible, soient tenus de faire leur option entre* » *lesdits Bénéfices dans l'année, à compter du jour de leur pri-* » *se de possession du dernier desdits Bénéfices, dont ils auront* » *été pourvûs, sans que ladite année, puisse être censée n'avoir* » *couru que du jour de l'expiration de l'année du deport, & fau-* » *te par eux, d'avoir satisfait à la presente disposition, le pre-* » *mier desdits deux Bénéfices, sera réputé avoir vaqué de plein* » *droit par l'obtention du second, & comme tel, conferé par* » *ceux qui on droit d'y pourvoir.* « *Hæc Declaratio in Commentarios Supremi Senatus Parisiensis relata est* 26. *Januarii* 1742.

17 *Debent intra statutum tempus exhiberi ; & quæ pœna non exhibentium.*
18 *Etiam possessores* triennales *exhibere dispensationes tenentur.*
19 *Imò tituli possessionis exhibendi.*
20 *Quando super dispensatione consulenda ab Ordinario Sedes Apostolica.*
* *Litteræ dispensationis super pluralitate Beneficiorum in Belgio litteris* placet *indigent.*

I. OStendimus suprà capite primò hujus tituli, habere plura Beneficia esse referendum inter actiones, quæ ob inordinationes iis annexas jure naturali ita sunt vetitæ, ut nonnisi concurrentibus circumstantiis eas inordinationes abstergentibus licitæ reddi possint ; eam omnem juris humani prohibitionem præveniendo, uti docet S. Thomas.

Hinc infert idem Doctor, pluralitatem Beneficiorum repugnare juri *naturali*, quandiu non adsunt circumstantiæ eas inordinationes abstergentes ; ac per consequens nullâ consuetudine, nullave humanâ dispensatione justificari posse pluralitatem, quandiu hæ circumstantiæ reipsa desunt : » eò quòd dispensatio humana, ait, non auferat ligamen juris naturalis, sed solùm ligamen juris positivi, quod per hominem statuitur, & per » hominem dispensari potest.“

II. Porrò non omnium Beneficiorum pluralitatem, easdem inordinationes, nec eadem incommoda habere annexa, constat; ideòque & indubitatum est, subinde graviores causas requiri, subinde leviores sufficere ad purgandam ab hisce inordinationibus Beneficiorum pluralitatem ; eamque attento jure naturali justificandam.

III. Quia verò vix sufficientes rationes occurrunt, quæ compensent incommoda *ex non residentia* Beneficiorum Curatorum sive Parochialium nata oriri ; adeoque etiam ex pluralitate hujusmodi Beneficiorum, præsertim longè inter se dissitorum; ideò in regno Galliæ ex Edicto Blesensi *art.* 11. nulla habetur ratio dispensationis, ut quis plures Episcopatus, vel plures Parochiales Ecclesias simul habere possit, » & qui hujusmodi dispensationes impetraverunt, cadunt à Beneficiis, quæ ante obtinebant, » itemque revocatur hujusmodi dispensatio auxilio provocationis » tanquam ab abusu interpositæ.“ Ita Pinsonius in tractatu de *Beneficiis*, verbo *Militia*, *cap.* 3. *num.* 56.

IV. Eeandem mentem fuisse Principum Belgii insinuat Edictum Caroli V. 28. Novemb. 1541. *art.* 32. & 33. quo cautum est, quòd in omnibus litteris Placeti concedendis super provisionibus Apostolicis Parochialium Beneficiorum exprimetur, provisum teneri *personaliter* residere in loco Parochiæ, nec per alium posse deservire : quo sat insinuatur, intentionem Principis esse, ut nec pluralitas Beneficiorum Parochialium, quæ residentiam, & servitium *personale* in utroque Beneficio non compatitur, admittatur.

In *placeto* Caroli V. 25. Octob. 1548. super Bullis Petri Episcopi de Fano Nuntii Apostolici ad has Belgicas Provincias fuit inserta clausula : Quòd conferet Beneficia curata Clericis *residentibus* & nativis ex his partibus, qui sciant idioma, absque dispensatione in contrarium.

V. Interim in quorumcunque Beneficiorum plaralitate requiritur causa legitima, eaque talis, quæ sufficiens sit, inordinationes pluralitati annexas abstergere, ut per dispensationem quantumvis Pontificiam, Beneficiorum pluralitas coram Deo justa, & licita reddatur.

Unde de pluralitate Beneficiorum loquens Abbas Panormitanus ad *Cap.* DUDUM ⁂ *de Elect.* ait » Dispensatus etiam *per* » *Papam* circa pluralitatem Beneficiorum *sine causa*, licet sit » tutus quoad Ecclesiam militantem, non tamen quoad triumphantem; & sic non valet dispensatio quoad Deum.“ Et rursus ad *Cap.* CUM ADEO ⁂ *de Rescriptis*, de eadem pluralitate loquens ait ; » Ubi non subest causa rationabilis, non excusatur quis quoad Deum, etiam ex dispensatione Papæ.“

VI. Eandem sententiam unanimi suffragio amplectuntur Canonistæ ; quemadmodum videri potest apud Fagnanum ad *Cap.* EX PARTE ⁂ *de Clericis non resid. num.* 65. ubi agens de dispensatione Papæ super pluralitate Beneficiorum, probat sententiam Joannis de Lignano docentis, quod si Papa dispensaret pro nuda sua voluntate non habita relatione ad bonum publicum, *non foret dispensator, sed dissipatur.* Ac dein cum eodem De Lignano concludit. » Ex quo sequitur, ut quoad Deum » non sit tutus is, cum quo sic dispensatur, imò verius dis» sipatur.“

Et generaliùs de dispensatione loquitur, & omnium Interpretum consonantia testatur ipse Fagnanus ad *Cap.* NIMIS ⁂ *de Filiis Presbyt. num.* 8. dicens : » est *unanimis* consonantia Ca» nonum, Conciliorum, & Interpretum, ut necessitatis, vel » utilitatis causa in dispensatione debeat esse magna ; seu quod » idem est major, maxima, justa, evidens, urgens, & his con» similes, quibus sacri Canones promiscuè utuntur tanquam sy» nonimis. Alioquin si ejusmodi causa desit, non est dispensatio.“

VII. Quod ergo nonnulli dicunt, *Papa dispensavit, ipse sibi viderit, ego immunis sum*, tanquam merum cavillum explodit Cardinalis Bellarminus in Epistola ad suum nepotem ; fatetur tamen, quòd hic cavillus securos multos reddat ; at, ut ipse ait, *tutum neminem.* Rationem subdit : Quoniam Papa non » est Dominus, sed dispensator ; ideoque qui iniquam dispensa» tionem petit, iniquitatis causa est, & qui ea utitur, eadem » semper irretitur iniquitate.“

VIII. Igitur dispensationem super pluralitate Beneficiorum postulare meditanti meritò inculcatur illud S. Bernardi ad Robertum Nepotem suum, Epist. 1. num. 9. *Attende cor tuum, discute intentionem, consule veritatem.*

Instabunt forsan alii : Nùm causa sufficiens subsit, expendendum Pontifici relinquimus : *Utinam* (dicebat similibus Bernardus Epist. 7. num. 9.) *non licentiam quæsiissetis, sed consilium, id est, non ut liceret, sed an liceret.* Sed verendum, ne pluribus eorum dici possit, quod subdit Bernardus : *Malum in corde conceperant, opere tamen ausi non sunt adimplere, nisi cum licentia. Conceperunt dolorem, sed non pepererunt iniquitatem, donec iniquo Papa conceptui præbuisset assensum....Quod tamen*, cum eodem Doctore asserere ausim, *summum fecisse Pontificem nequaquam crediderim, nisi aut circumventum mendacio, aut importunitate victum.*

Profectò si quis seriò attendat, quomodo, & à quibus hodie dispensationes solicitari, ac postulari soleant ; facilè comperiet, quòd pluribus sine injuria regeri posset, quod hujusmodi olim regerebat S. Bernardus : Non satis » de propria causa confidentes remorsas, ac remordentes conscientias Apostolicâ conati » estis delinire licentia. Frivolum satis remedium, quod non est » aliud, nisi more Protoplastorum, canteriatis conscientiis texere perizomata, videlicet ad velamentum, non ad medicamentum. *Epist.* 7.“

IX. Si omnibus attentè ac maturè expensis, intelligantur tales esse circumstantiæ, ut omnis inordinatio pluralitati Beneficiorum connexa videatur sublata ; » ut puta, ait S. Thomas, » si sit necessitas in pluribus Ecclesiis ejus obsequio, & pos» sit plus servire Ecclesiæ, vel tantumdem, quàm alius præsens « ita ut solum jus *positivum* pluralitati obstet, tunc, si subsit insuper causa sufficiens recedendi à jure positivo, adsitque recta intentio in bonum Ecclesiæ unicè directa, licita erit dispensatio ; quemadmodum docet S. Thom. *Quolib.* 9. *art.* 15. *in respons.*

X. Dum autem » aliquis hac intentione plura Beneficia habere vellet, ut sit ditior, ut lautiùs vivat, & ut facilius ad Episcopatum perveniat in aliqua Ecclesiarum, ubi est Præ» bendatus, non tolluntur prædictæ deformitates, « ait S. Thomas *loco citato*, unde per dispensationem pluralitas Beneficiorum cum tali intentione apud Deum justificari nequit. Et uti jam pridem dixit Guillelmus Parisiensis *tit. de Collation. Benef. cap.* 6. » Indubitanter sciendum est, quòd Romanus Pon» tifex quantumcunque largam dispensationis gratiam videatur » facere in Beneficiis cum aliquibus personis, tamen non dispen» sat cum avaritia, cupiditate, vel ambitione earum, nec in» dulget eis indulgentiis suis, & his vel aliis vitiis. «

Rectè ergo monuit Synodus Coloniensis anno 1536. *part.* 1. *cap.* 32. » Qui dispensatione Apostolicâ adversus hæc (pluralitatem Beneficiorum) se tueri velint, hi viderint, ut causam dispensationis obtentæ *Deo* comprobent. «

XI. Hodie super retentione plurium Beneficiorum solus Pontifex dispensat ; quod paulatim ex consuetudine & stylo Curiæ Romanæ introductum esse notat Rebuffus in Praxi Benef. *part.* 2. *tit. de Disp. ad plura beneficia, num.* 2. Huic consuetudini introducendæ non parùm indubiè favit Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *cap.* DE MULTA. ⁂ *de Præbendis*, dum vetitâ Parochialium Ecclesiarum, Dignitatum, & Personatum pluralitate, hanc clausulam subjecit : » Circa » sublimes tamen & litteratas personas, quæ majoribus Beneficiis sunt honorandæ, cùm ratio postulaverit, per *Sedem Apos» tolicam* poterit dispensari. «

Hac expressione creditum fuit, Concilium nulli nisi Pontifici dipensandi licentiam competere voluisse, quemadmodum innuit Mathæus Parisiensis ad annum 1235. loquens de statuto Innocentii III. super dispensatione plurium Beneficiorum obtinendorum ; quod aliud esse non potest, quam decretum relatum in citato *cap.* DE MULTA.

XII. Hinc nonnulli crediderunt, si in gratiam Ecclesiæ Parochialis unio ad tempus fiat, aut etiam in Commendam seu Deservituram detur Rectori Parochialis Ecclesiæ vicinæ, v. g. ob Ecclesiæ tenuitatem, id sine dispensatione Pontificis non licere ob Concilium Tridentinum *Sess. 7. cap.* 4. *de Reformat.* Verùm id ex mente Concilii nequaquam Episcopis prohibitum esse, probat Zypæus in Jure Novo *tit. de Clericis non resid. num.* 6. quod & supposuit Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 17. *cap.* 3. ubi modum suggerens providendi tenuioribus Ecclesiis Parochialibus, ait : » Licebit Episcopis per unionem vicinarum, & minorum Ecclesiarum, aut simpliçium Beneficio-

rum, vel per concessionem Deserviturarum: » (quæ cum *Commendis* coincidunt) vel aliàs per modum provisionis provi» dere. « Mens enim Synodi Tridentinæ fuit præcavere, ne fierent uniones, aut commendæ in favorem personarum, non autem in bonum Ecclesiarum. Quod & praxi notoriè est conforme.

XIII. Circa dispensationem plurium Beneficiorum à Pontifice impetratam notandum, eam utpotè indulgentem pluralitatem Beneficiorum, sacris Canonibus eatenus vulnus aliquod infligere eoque titulo reputandam esse odiosam, nec consequenter ultra expressum verborum tenorem posse extendi: quemadmodum notat Rebuffus in *Prax. Benef. part. 2. tit. de Disp. ad plura Beneficia, num.* 64: ibidem inferens: » Quamobrem » non extenditur etiam ad casum habentem majorem rationem, » arguendo à majori ad minus; ut nec dispensatus ad Curatum „ censeatur dispensatus ad simplex.“

Hinc ulteriùs infert *num.* 67. » Ideoque debet esse cautus » impetrans, ut exprimat & Simplicia, & Curata, aut aliàs qua» lificata, alias neutiquam in dispensatione comprehenderentur. «

XIV. Hisce conforme est, quòd respondit Bonifacius VIII. in *cap.* 21. *de Præbendis, in VI.* » Non potest dispensatio su» per pluralitate Beneficiorum concessa, impetranti prodesse, » qui aliquod *quantumcunque modicum* Beneficium subticuit in » eadem. «

Eidem fundamento innititur, quod subjungit: » Illud autem » Apostolicæ Sedis indultum, ut quis duo Beneficia curam ani» marum habentia, si aliàs canonicè conferantur eidem, pos» sit recipere ac simul licitè retinere; intelligitur de duobus *pri» mis* Beneficiis, quæ cum cura post dictum indultum obtinere » contingit eundem. «

XV. Cùm autem non rarò impetrentur dispensationes ex » falsa narratione, vel ex causa minus legitima, aut per importunam inhiantium solicitationem, qua mediante non rarò non concedenda conceduntur; aut etiam interdum ipsæ dispensationes contra mentem concedentis extenduntur, voluit Synodus Tridentina *Sess. 7. cap. 5. de Reformat.* ut » Ordinarii lo» corum, quocunque plura Curata, aut aliàs incompatibilia „ Beneficia Ecclesiastica obtinentes, dispensationes suas exhi„ bere districtè compellant, & aliàs procedant juxta Constitu„ tionem Gregorii X. in Generali Lugdunensi Concilio editam „ quæ incipit, *Ordinarii*; quam eadem sancta Synodus inno„ vandam censet, & innovat.“

Constitutio Gregorii X. quam hic innovat Synodus Tridentina, refertur in *cap.* 9. *de Officio Ordinarii, in VI.*

XVI. Concilium autem Lugdunense & Tridentinum illius Constitutionem probans, & innovans, non tantùm permiserunt Ordinariis simpliciter revideri dispensationes, sed etiam rejici, ac reprobari, si absque vera & legitima causa fuerint impetratæ, uti monet Weymesius in Analysi ad hanc Constitutionem *num.* 7. » Etsi enim, ait, illa rejiciendi potestas non » reperiatur expressè data Episcopis, quia tamen Concilium » Lugdunense voluit non molestari amplius eos, quorum dis» pensatio exhibita evidenter apparet sufficiens, satis intel» ligitur à contrario sensu, Ordinariis attribuisse potestatem » molestandi eos, quorum dispensatio evidenter sufficiens non » est: cùm alioqui frustra videretur data examinandi potestas, » si reprobandi non competeret. «

XVII. Debent autem secundum constitutionem Concilii Lugdunensis, dispensationes suas „ exhibere intra tempus pro „ facti qualitate ipsorum Ordinariorum moderandum arbi„ trio (h).“

Si verò intra tempus, justo cessante impedimento, nullam dispensationem exhibuerint, tunc vigore dictæ Constitutionis *eo ipso* Beneficia illa illicitè detineri constabit; poteruntque illa tanquam verè vacantia per eos, ad quos collatio spectat, liberè aliis personis idoneis conferri. „Ita enim recep„ tum est (ait Weymesius *num.* 8.) ut ibi lex vel Canon „ sic ipso facto imponit pœnam incurrendam ex eo, quòd „ Judex statuerit terminum defensionis, eo ipso pœnam in„ currat Reus, quòd se non defenderit, etiamsi nulla inter„ cesserit Judicis condemnatio vel declaratoria sententia.“

XVIII. Notat quoque ibidem Weymesius *num.* 10. possidentes plura Beneficia, se non posse tueri contra hoc Decretum de exhibenda dispensatione per Regulam Cancellariæ de *triennali possessore*: propterea quod ipsis adversetur juris communis prohibitio, quæ non patitur eos juris Beneficio adjuvari: & ita S. Congregationem declarâsse testatur.

* Quin & monet auctor Gallicus Notarum in Concilium Trid. *Edit.* 1706. *pag.* 118. quòd triennalis possessio non suffragetur incompatibilitati, vel pluralitati Beneficiorum, eo quòd hæc possessio abusum non abstergat, & ita judicatum in Parlamento Parisiensi anno 1611.

XIX. In Analysi ad Constitutionem Gregorii X. in Concilio Lugdunensi editam, contendit Weymesius *num.* 11. quòd possessores plurium simul Beneficiorum incompatibilium non tantùm dispensationes suas, sed etiam possessionum *titulos* ipsis Ordinariis exibere teneantur: „ cùm Ordinarii rectè judi„ care vix possint de dispensationibus, nisi simul etiam vi„ deant, & cognoscant titulos, quorum vigore Beneficia *plu„ ra incompatibilia* possidentur, receptum est, teneri Bene„ ficiatos etiam titulis Ordinariis exhibere, adeò ut titulorum „ exhibitio censeatur de substantia actûs, & absque illa non in„ teligantur Beneficiati satisfecisse suis Ordinariis, etiamsi ma„ ximè affirment se justè & canonicè possidere; quia tituli ne„ cessario exhiberi debent & in scriptis probari, nec sufficiunt „ testium dicta, quòd scripturam titulorum ipsi viderint, ne„ que etiam de eo solo dispiciendum est, an titulus aliquis „ subsit, sed etiam an bonus sit & validus, quod non nisi ex „ ejus inspectione cognosci potest.“

XX. „ Si de dispensationis exhibitæ sufficientia dubitetur, „ super hoc ad Sedem Apostolicam recurrendum; cujus est „ æstimare, quem modum sui Beneficii esse velit“ ait Concilium Lugdunense in hac Constitutione.

Quid si quidem de dispensatione constet; sed Ordinarius intelligat, non sine scandalo tolerari posse? Indubiè Sedes Apostolica, & super hoc informanda & consulenda erit conformiter ad responsum Alexandri III. in *cap.* 6. ⁂ *de Præbendis*, quo respondit, quòd æquanimiter sustineat, si mandatum pro alicujus provisione à Sede Apostolica directum Ordinarius non exequatur, *si non potest ei sine scandalo provideri.*

* Juxta receptam hic in Belgio, aliisque passim provinciis praxim, litteræ dispensationis super pluralitate Beneficiorum executionem habere nequeunt nisi præhabito Principis *Placito*; non solent enim similes dispensationes è Curia Romana emanantes executionem habere, si appareat, illas sine scandalo, aliisque incommodis executioni mandari non posse.

Neque enim litteræ *Placiti* super simili dispensatione dari solent, nisi priùs auditis Ordinariis, è quibus si intelligant, eam dispensationem sine scandalo, aliisque incommodis executioni mandari non posse, aut id aliunde Consiliis Regiis notum sit, Placitum haud facilè annuetur: solum enim scandalum, quòd prævidetur exoriturum ex litterarum Apostolicarum executione esse justam & sufficientem causam negandi Placitum, certum est; uti probavi in Tractatu de Publicatione Legum & Placito Regio.

TITULUS XXI.

De Ordinaria Beneficiorum Provisione.

CAPUT I.

QUI BENEFICIORUM COLLATORES *ORDINARII*, AC PRÆCIPUE DE JURE EPISCOPI.

1 *Qui dicantur Collatores* ordinarii.
2 *Episcopus ex jure communi habet fundatam intentionem in collatione Beneficiorum suæ Diœcesis.*
3 *Collatio soli Episcopo competit, quando collatio Beneficiorum erat conjuncta Ordinationi.*
* *Pristinis seculis omnium Beneficiorum provisio censebatur Ordinaria.*
4 *Ratio suadens Episcopo deferendam esse Beneficiorum collationem.*
5 *Jus Episcoporum circa Beneficiorum collationem reputatur* favorabile.
9 *Si non ostendatur Beneficii collator, tunc ad ipsum Episcopum collatio spectare censetur.*
7 *Olim Episcopus in electione Ministrorum Clerum suum consulere debebat.*
8 *Capitulum Cathedrale jus illud Cleri prætendit in collatione Beneficiorum.*
9 *Episcopus prohibetur personas instituere, aut destituere sine consilio Capituli.*
10 *Id præcipuè obtinet quoad Canonicos Cathedrales; & quare.*
11 *Hinc in aliquibus Ecclesiis Cathedralibus electio Canonicorum*

(h) *Hæc constitutio, quæ incipit*, Ordinarii *recense-*

tur XVIII.

rum est communis ; sed non ubique eodem modo ad electionem concurrunt.

12 *Aliquando Episcopi suffragium æquivalet suffragio Capituli.*

13 *Ad vitandam discordiam inducta alternativa inter Canonicos, & Episcopum.*

14 *Dum Episcopus confert Capitulariter cum Canonicis, quod suffragium habeat.*

15 *Aliquando concurrit ut Canonicus, & suffragio Canonici gaudet.*

16 *Quomodo jus eligendi Canonicos Cathedrales in aliquibus Ecclesiis ad solum Capitulum devolutum sit.*

17 *Episcopus hodie in collatione Præbendarum ad suam collationem spectantium, non petit consilium Capituli.*

18 *Jure communi collatio Præbendarum in Ecclesia Collegiata spectat ad Capitulum.*

19 *Unde fiat, quòd collatio similium Præbendarum in multis Ecclesiis spectet ad solum Præpositum.*

20 *Ad quos soleat spectare Dignitatum collatio in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis.*

21 *Jus collationis Beneficiorum unde hodie præcipuè colligendum.*

22 *In omni Beneficiorum provisione convenit, ut interveniat auctoritas Episcopi.*

23 *Ostenditur, quomodo hodie in omni collatione aliquatenus Episcopi auctoritas interveniat.*

24 *Collatio Beneficiorum olim Ordinis Episcopalis meritò dicta, hodie est jurisdictionis.*

25 *Non tamen transit in Capitulum Sede vacante.*

26 *Ratio Canonistarum petita ex natura fructuum, seu proventuum Episcopalium ; quibus jus collationis annumerat.*

27 *Quàm mala idea de Beneficiorum collatione hic concipiatur.*

28 *Hæc ratio à Spiritu Ecclesiæ aliena.*

29 *Ratio Canonistarum nullibi in jure probata: & quæ sit ratio, quòd jus conferendi non transeat ad Capitulum Sede vacante.*

30 *Collatio Beneficiorum Curatorum in multis Ecclesiis Gallicanis devolvitur ad Capitulum, & in Belgio à Capitulo concursus instituitur.*

I. IN materia collationis Beneficiorum, nomine *Ordinarii* non tantùm venit Episcopus ; sed etiam quivis alii, quibus quocunque titulo competit jus collationis nomine proprio, quo dici queant collatores jure *suo* seu *ordinario* ; & non ex alicujus speciali delegatione pro hac illave vice. Vide Garciam *de Benef. part. 5. cap. 4. num. 1. & 2.*

II. At si ipsum primævum jus collationis Beneficiorum spectetur, id primariò, & quasi naturali jure competit Episcopis; adeò ut omnium Canonistarum calculo, probata sit hæc regula, quòd » juris communis dispositione, primævoque Ecclesiæ usu attentis, omnia Beneficia quandocunque & quomodocunque vacantia, ad Episcopi seu Ordinarii loci collationem spectent.“ Ita post alios Cardinalis de Luca *tomo 1. in Summa Beneficiorum*, §. 2. *n.* 6. qui dein notatis nonnullis singularibus casibus, quibus jus collationis ad inferiores collatores devolutum est, subjungit *num.* 16. » His autem casibus particularibus cessantibus, » generaliter fundata est Ordinarii intentio in provisione Beneficiorum in ejus Diœcesi, vel territorio existentium, nisi ex » Apostolica concessione, seu immemoriali consuetudine, vel » præscriptione, alteri inferiori Prælato istum jus in aliquibus » Beneficiis quæsitum sit.“

III. Imprimis quandiu ipsa Beneficia à sacra Ordinatione sejuncta non fuerunt ; & ipsorum Ordinum collatio vice collationis Beneficiorum fuit, omnis quoque Beneficiorum collatio penes solum Episcopum remansit. Certum enim est, Episcopum semper fuisse solum *Ordinarium* Ordinationis ministrum ; uti latiùs suprà *tit. 9. cap. 2.* ostensum est.

* Quandoquidem ante seculum XI. vix sciatur, Beneficia à collatione Ordinum fuisse separatim collata ; sed ad illius usque tempus, ipsam Ordinationem vicem subiisse collationis Beneficiorum, sive per ipsam Ordinationem Clericos fuisse singulis Ecclesiis, tanquam earum Ministros, adscriptos, atque per eam adscriptionem consecutos jus participandi de proventibus Ecclesiæ in alimentationem Ministrorum primariò destinatis, etiam ad eam usque ætatem ad solum Episcopum Beneficiorum, ut hodie loquimur, provisio pertinuisse creditur, neque ante eam ætatem, de aliis Collatoribus Ordinariis Beneficiorum ab ipsa Ordinatione distincta, quidquam legitur ; omnesque illæ innumeræ ferè, ac quotidie incidentes difficultates, & quæstiones circa Beneficiorum distinctionem, jura Collatorum, modum & formam collationis, ætatem & qualitates Beneficiandorum, aliaque similia, demum post erectos titulos Beneficiales, & separatam eorum ab Ordinatione collationem, sive provisionem, emerserunt, & Ecclesiam turbare cœperunt.

Quin neque ante hanc inductam separationem, quidquam de provisione Apostolica, sive Romani Pontificis, sive vigore Reservationis, sive Gratiæ Expectativæ, vel Præventionis, vel Devolutionis legitur : nec mirum, Pontifices enim Romani singulis Episcopis juxta Canonicas sanctiones, liberas Clericorum suorum Ordinationes permittebant.

Hæc & notavit Franciscus Duarenus *de sacris Ministeriis, lib. 2. cap. 3.* observans, quòd ante erectionem titulorum solerent disputare antiquiores, ut quærerent, *quis Ecclesiæ ministrum ordinare*, & *quis ordinari deberet* ; recentiorum verò quæstiones (ait) hæ sunt vulgò usitatæ, *quis Beneficium conferre, cui conferri possit.*

Et rursus *lib. 3. cap. 1.* ubi quærens, quam in conferendis Beneficiis potestatem habeat Romanus Pontifex, respondet » eum » priscis temporibus, nullum jus, nullamque potestatem Ordinandorum Sacerdotum, aut Clericorum extra propriam Diœcesim sibi vindicâsse.“

Ex his ulteriùs concludit : » Cùm ergo Pontifex Romanus » secundum antiquos Canones in alienis Ecclesiis neminem *ordinare*, id est, ad Ministerium Ecclesiæ promovere possit ; satis perspicuum est ex his, quæ, 2. *lib. cap. 3.* diximus, Ecclesiastica Beneficia totius orbis ab eo conferri non posse ; nec » verò dubium est, quin vetustiores sanctioresque urbis Romanæ Episcopi, sede Ecclesiaque propriâ contenti, reliquis Episcopis Ecclesiarum ipsis commissarum liberam administrationem » reliquerint, quasi urbis hujus magis, quàm orbis Episcopi.“

IV. Erectis verò Beneficiorum titulis ; nec non horum collatione sensim ab ipsa Ordinatione sejuncta, ratio, quæ Episcopum constituit ordinarium Ordinationis ministrum, eique Ordinandorum detulit electionem, etiam suadet, Beneficiandorum electionem Episcopo primariò deferendam esse, & quasi jure deberi.

Ut quid enim Clericorum Ordinatio Episcopis concredita, nisi quia per Ordinationem eliguntur, & constituuntur Ecclesiæ ministri, qui unà cum & sub Episcopo laborent & ministrent : naturale autem sit, ministros eligi, & ordinari ab eo, cui principale, & præcipuum regimen incumbit.

Quia ergo collatione Beneficiorum, non secus atque sacra Ordinatione, Clerici functionibus Ecclesiasticis applicantur; quid naturalius, quàm ut hi tituli per Episcopum, tanquam suæ Ecclesiæ Caput, & primum ministrum distribuantur, & ministri inferiores eligantur.

V. Hinc concludunt Canonistæ, quòd jus Episcoporum in Beneficiorum collatione sit favorabile, utpote in sacris Canonibus fundatum, ipsique quodammodo ministerio Episcopali connaturale, & congenitum. Quare, qui Episcopum à Beneficiorum collatione excludere, ejusque collationem restringere prætendit, titulum probare debet; aliàs in dubio pro Episcopo judicandum.

VI. Si ergo nova Dignitas, aut Beneficium erigatur ; neque ex ipsa erectione, aut aliunde probetur, illius collationem, aut præsentationem alicui esse specialiter delatam, ipsa collatio ad ipsum Episcopum spectabit ; hoc solo titulo, quod omnium Beneficiorum suæ Diœcesis sit Ordinarius collator, quousque probetur, collationem ad alium spectare.

VII. Episcopi, ut in Ministrorum electione securiùs procederent, Concilium Clerici sui adhibere, quin & populi testimonium de Ordinandorum moribus & conversatione audire solebant jam pridem. » Ut Episcopus sine Consilio Clericorum suorum Clericos non ordinet; ita ut civium conniventiam & testimonium quærat, « ait Concilium Carthaginense IV. *Can. XXII.*

De hac disciplina videri potest Thomassinus *de Disciplina Ecclesiæ, part. 1. lib. 2. cap. 5.*

VIII. Cùm autem successu temporis, Capitulum Cathedrale quasi ipsum Clerum representare cœperit, ipsumque Ecclesiæ *Senatum* constituere, prætendit etiam juxta Canonum præscripta in ministrorum electione, & in Beneficiorum collatione, quà Clerici functionibus Ecclesiasticis applicantur tanquam in re summi momenti, Capituli consilium esse expetendum.

IX. Huic conforme apparet quod scribit ad Patriarcham Hierosolymitanum Alexander III. *in Cap. 4. ✠ de His, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli* : » Novit tuæ discretionis prudentia, qualiter tu, & fratres tui unum corpus sitis; » ita quòd tu caput, & fratres tui membra esse comproben» tur. Unde non decet omissis membris te aliorum consilio in » Ecclesiæ tuæ negotiis uti, &c. Inde est, quod Apostolicâ » auctoritate prohibemus, ne Abbates, Abbatissas vel alias per» sonas Ecclesiasticas, sine *assensu*, vel *consilio* Canonicorum » tuorum instituere, vel destituere, aliqua de cætero ratione » præsumas. « (i)

X. Porrò quod de *institutione* personarum hîc generaliter dicitur, id singulari ratione militare videtur in institutione, aut elec-

(i) *In Hispania Præbendarum, quæ vulgò dicuntur de Officio, & virtute concursûs publici conferuntur, tantùm pertinet earum provisio ad Episcopum & Capitulum : & ita cautum est in leg. 11. tit. 6. lib. 1. Recopil. In Ecclesiis verò, quæ Juris-patronatus Regii sunt, solum Capitulo propositio conceditur, cum earum provisio ad Regem nostrum privativè pertineas.*

electione ad Præbendas Cathedrales. Cùm enim Canonici, & Episcopus unum quasi corpus sit, æquum apparet, ut ad electionem membrorum totum corpus concurrat: quod & Zypæus notat in Jure Novo *tit. de Præbendis*, *num.* 4.

XI. Hinc indubiè factum, ut in nonnullis Ecclesiis Cathedralibus etiamnum hodie, Canonicorum electio spectet ad Episcopum, & Canonicos. At illud notandum, quòd in illis Ecclesis, in quibus hæc collatio ad Episcopum, & Capitulum spectat, non ubique eodem modo ad electionem Capitulum & Episcopus concurrant.

XII. In aliquibus enim Ecclesiis, Episcopi suffragium æquivalet suffragio Capituli; ita ut non simul Capitulariter eligant Canonici & Episcopus, sed Episcopus separatim eligat, & Capitulum suum suffragium Episcopi suffragio æquivalens depromat; ideoque hoc casu, & Episcopus, & Capitulum suum jus sive suffragium diverso loco, diversoque tempore vel modo dare possint; uti notat de Luca *loco citato*, *num.* 10. Episcopus nempè singulariter, Capitulum verò collegialiter.

XIII. Quia verò ob concurrentiam in diversas personas non rarò difficultates oriebantur: » laudabilis inolevit usus (ait de Luca) hujusmodi juris exercitium dividendi per alternativam, » seu per menses & tempora, ut quilibet nomine consortis totum jus absque hac discrepantia exerceat.“

XIV. Plerumque autem electio hæc simultanea fit per Episcopum, & Canonicos Capitulariter congregatos: soletque Episcopus tanquam caput Capituli proponere, & concludere, eoque titulo suffragium decisivum in paritate habere; præter quod subinde habet suffragium absolutum; quemadmodum in electione Canonicorum Graduatorum in Ecclesiis Belgicis recenter erectis per Bullam erectionis statutum esse notavimus, *part.* 1. *tit.* 10. *cap.* 1. *num.* 26.

XV. Quòd autem nonnunquam Episcopus interveniat ut Canonicus, nec alio consequenter gaudeat suffragio quàm Canonici, patet ex *Cap.* 15. ✠ *de Concess. Præbendæ*, in verbis: » Nisi fortè Archiepiscopus non ut Prælatus, sed ut *Ca*» *nonicus* vobiscum jus habeat conferendi.“ Quando censeatur interesse Capitulo, ut *Prælatus*, vel ut *Canonicus*, notatum est suprà, *part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3. *num.* 5.

XVI. Ulteriùs labentibus seculis cœperunt Capitula Cathedralia se ab Episcoporum jurisdictione eximere; atque bona Capituli separare à proventibus Episcopi, & corpus suum ita distinguere, ut etiam à negotiis suis omninò Episcopum excludere cœperint, ut nec ipsum Capitulo interesse sinerent; quemadmodum ex dictis *citato cap.* 3. colligi potest. Non mirum proinde, quòd ipsum Episcopum ab electione Canonicorum etiam excluserint, atque jus electionis tandem conniventibus Episcopis ad solos Canonicos devolutum sit: quod consuetudine introduci posse, probat Innocentius III. in *Cap.* 31. ✠ *de Elect.* ubi mandat Episcopo Florentino, ut à petitione Episcopi Vulterani prætendentis jus electionis cum ipsis Canonicis, absolvere studeat Canonicos, » maximè, ait, si sit notorium, quòd » in Thusica generalis consuetudo servetur, ut in Cathedralibus » Ecclesiis *solum* Capitulum, *irrequisito* Episcopo, eligendi » Canonicos habeat facultatem.“

XVII. In pluribus Belgicis, vicinisque Ecclesiis, soli Episcopo jus conferendi præbendas Cathedrales, excluso Capitulo, competit; neque in hac collatione consensum, aut consilium Capituli expetunt; uti monet Zypæus *loco citato*.

XVIII. Sicuti naturale est, ut Canonici Cathedrales unà cum Episcopo tanquam sub capite eligant corporis sui membra; ita quoque jure communi electio Canonicorum Ecclesiarum Collegiatarum spectare videtur ad Canonicos unà cum suo Decano, aut illo, qui cum Canonicis unum corpus, sive Capitulum constitutit: de quo jure vide Garciam, & ab eo citatos, de *Beneficiis*, *part.* 5. *cap.* 4.

XIX. Verùm quia multæ Ecclesiæ Collegiatæ aliquando fuere Regulares, electio Canonicorum etiam in pluribus illarum mansit apud solum Præpositum, tanquam qui tempore Regularitatis erat caput Congregationis: idque ad normam Regulæ Monachalis S. Benedicti, & Canonicalis S. Grodegangi; quæ Abbati, sive Præposito liberam dant facultatem recipiendi Monachos, & Canonicos; uti observat Thomassinus *de Discipl. Eccl. parte* 4. *lib.* 2. *cap.* 9.

XX. Dignitates tam in Ecclesiis Cathedralibus, quàm Collegiatis, quæ ipsum Capituli regimen, ac disciplinam Canonicalem præcipuè concernunt, ad electionem Capituli ordinariè spectant; nisi quod hodie ferè primæ Dignitates in Collegiatis, & majores post Pontificalem in Cathedralibus nominationis Regiæ (k) ex indulto Pontificio sint subjectæ. Dignitates verò in Cathedralibus, quæ propriè ipsum regimen Hierarchicum concernunt, uti sunt Archidiaconatus, Pœnitentiariatus, Archipresbyteratus ad solius Episcopi collationem plerumque pertinent.

XXI. In his autem omnibus, quemadmodum & in aliorum Beneficiorum provisione, attendendus est usus singularum Ecclesiarum, qui, sive ex jure communi, sive speciali fundatione, sive legitima præscriptione, aut privilegio originem habeat, servandus est: cùm hîc non nisi de puncto disciplinæ agatur, quæ pro temporum, & locorum varietate esse potest.

XXII. Interim cuicumque Beneficiorum collatio, sive provisio competat, illud invariatum remanet, Beneficium dari propter officium; atque per Beneficium constituti ipsum Beneficiatum ministrum Ecclesiæ illius, in qua Beneficium est fundatum.

Cùm ergo à Patrum institutis alienum videatur, ut quisquam in Ecclesiæ ministeria se sine Episcopi cui principalis totius Diœcesis cura incumbit, consensu intrudat, etiam visum fuit, Episcopo aliquam circa Beneficia auctoritatem conservare; tametsi libera eorum collatio ad alios esset devoluta, aut saltem per jus Patronatûs aliumve titulum restricta. Unde seculo XII. Cantuariensi Archiepiscopo, & ejus Suffraganeis scribens Alexander III. vocat consuetudinem *pravam*, quòd Cle» rici Ecclesiastica Beneficia sine consensu Episcopi Diœcesani, » vel Officialium suorum recipiunt, minùs quàm deceat, ait, » cogitantes, quomodo id à Patrum Sanctorum est institutio» nibus alienum & Ecclesiasticæ contrarium honestati.“ *Cap.* 3. ✠ *de Institut.*

XXIII. Hoc jus Episcoporum consistit partim in jure ipsos Beneficiatos examinandi; curam animarum ipsis committendi; aut etiam eos instituendi, sive titulum conferendi, quæ plerumque Episcopis eorumve Archidiaconis salva manent: tametsi jus præsentationis, collationis aut electionis ad inferiores translatum sit, uti in sequentibus, ubi de Institutione, item de Jure Patronatûs agetur, ostendetur.

XXIV. Collatio Beneficiorum quandiu Ordinationi connexa fuit; seu potiùs quandiu per ipsam Ordinationem collatio Beneficiorum facta fuit, etiam collatio Beneficiorum Ordinis Episcopalis meritò dicebatur: at hodie non Ordinis, sed *jurisdictionis* esse reputatur: eoque titulo etiam competere Episcopo ante consecrationem, modò confirmatus sit, & possessionem acceperit apud omnes in confesso est, & quotidiana praxis evincit.

XXV. Cùm ergo Beneficiorum collatio jurisdictionis, non quidem contentiosæ, sed voluntariæ sit, videtur in Capitulum Sede vacante jus illud collationis debere transire; utpote succedens Episcopo in ea, quæ sunt jurisdictionis. Nihilominus, si ad solum Episcopum spectet libera collatio, Capitulum Sede vacante eam futuro Episcopo reservare debet, quemadmodum decidit Bonifacius VIII. *Cap. unico*, *Ne Sede vacante*, *in VI.* & notavimus *part.* 1. *tit.* 9. *cap.* 2.

XXVI. Rationem communiter post Glossam ad *Cap.* CUM OLIM ✠ *de Majorit. & Obed.* assignant Canonistæ, » quia om» nes fructus & jura Episcopalia debent fideliter custodiri, & » reservari successori. Sed collatio Beneficiorum (ait) inter bo» na Episcopalia & fructus computatur, & magnum fieret præ» judicium Episcopo successori per talem collationem, & ideò » non potest conferre, nec distrahere tales fructus, sicut » nec alios.“

XXVIII. Quàm hæc Doctorum opinio nata sit, crassam, & carnalem de collatione Beneficiorum imprimere ideam, nemo non videt. Hinc enim facilè persuadetur, collationem Beneficiorum non secus ac alia quæcunque temporalia jura & emolumenta requirendam ac solicitè conservandam esse, tanquam quæ Collatoribus, nescio quid commodi aut emolumenti adferat: aut saltem jus aliquibus personis si benè affectis gratificandi. Unde passim *liberum* Beneficiorum collationem reputant esse *gratiam*.

At cùm in collatione Beneficiorum unicè attendi queat bonum Ecclesiæ, ut nimirùm de optimis Ministris ipsi provideatur; omnisque carnalis affectus hîc planè exulare debeat (uti suprà *part.* 1. *tit.* 13. *cap.* 15. notatum est, & infrà titulo *de Cavenda personarum acceptione in provisione Benef.* latiùs ostendetur) facilè intelligitur, quàm hæc de collatione Beneficiorum idea sit à veritate & spiritu Ecclesiæ aliena: rectèque propterea observatum ad D. Fleury in *Inst. Juris Canonici*, *part.* 1. *cap.* 15. à Recentioribus collationem Beneficiorum referri inter *fructus*, & emolumenta Episcopatûs, aut Dignitatis, quam olim ut *onus* potius non parùm conscientiam onerans considerâssent Patres. Addere potuisset: Et semper ut tale

(k) *Catholicis Regibus non solùm jure, antiquataque consuetudine, justis titulis, & Apostolicis constitutionibus, & ut Ecclesiarum Cathedralium Patronis, pertinet provisio Archiepiscopatuum, Episcopatuum, Prælaturarum, Abbatiarumque Consistorialium* horum Hispaniæ Regnorum, *ut ait l.* 1. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recopil. ann.* 1565. & Indiarum, *ut præscribit l.* 1. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recopil. Indiar. Verùm etiam omnium Dignitatum, Canonicatuum, Præbendarum, Personatuum, Beneficiorum, &c. virtute Concordati anno* 1753. *Romanam Sedem inter & Regem nostrum celebrati, quod extat in antea citata l.* 11. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recopil. mensibus Ordinario à jure concessis exceptis.*

le considerârunt, & considerant, qui sciunt, & attendunt, quantum onus simili juris collationis sit anexum; quantaque ratio reddenda sit, si de indigno, aut minus digno Ministro ex aliquo humano, aut carnali affectu Ecclesiæ providerint.

XXVIII. Neque ullibi in Canonibus, aut Decretalibus ratio, ob quam libera Beneficiorum collatio Sede vacante ad Capitulum non devolvatur, refunditur in ipsam naturam collationis, quasi hæc instar *fructuum* Episcopatûs esset futuro Episcopo reservanda; sed Honorius III. in *Cap.* 2. ✠ *Ne Sede vacante*, declarans collationem præbendæ à Capitulo Sede vacante factam non tenere, hac dat rationem: »Cùm nusquam »inveniatur cautum in jure, quòd Capitulum vacante Sede, »fungatur vice Episcopi in collationibus Præbendarum.«

XXIX. Ratio verisimilis illius disciplinæ ex consuetudine profluit, quæ à generali devolutione jurisdictionis in Capitulum exemit hanc Beneficiorum collationem; utpote ex jure quasi primigenio, & naturali Episcopo competentem: quemadmodum suprà diximus: maxime cùm hic ageretur de electione *libera* Ministrorum Ecclesiæ, quam tenaciùs conservat Episcopo, de quo plus, quàm de Capitulo confidit, quemadmodum notat Lotterius *de Re beneficiaria*, *lib.* 2. *q.* 2. *num.* 22.

XXX. Verùm refert Cabassutius in sua juris Canonici theoria & praxi *lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 12. quoad *Curata* Beneficia posse Capitulum, dum vacat Sedes Episcopalis, saltem in Franciæ Regno providere Parochiis, conferendo eos in titulum potiùs, quam Commendam: hancque Capitulorum posessionem iteratis Parlamentorum arrestis firmatam testatur Pinsonius de Beneficiis, *tit. de Modis acquirendi Benef.* §. 16. *num.* 18. 19. & 20. ita judicatum est à Parlamento Parisiensi 6. Septembris ann. 1642. Consulantur acta Clerici Gallicani *tom.* 1. *tit.* 1. *cap.* 2. *num.* 30. In Belgio & Hispania passim, etiam Sede vacante instituunt Capitula Cathedralia concursum ad vacantes Ecclesias Parochiales, sive ad Episcopi, sive aliorum Ecclesiasticorum Collatorum vel Patronorum collationem, aut præsentationem spectantes; de quo latiùs titulo sequenti.

CAPUT II.

De Collatione, et qua forma expedienda.

1 *Quid propriè dicta collatio; ejusque divisio.*
2 *Quæ dicatur collatio* libera.
3 *Describitur collatio* non libera.
4 *Quomodo collatio differat ab Electione & præsentatione.*
5 *Per collationem confertur titulus Beneficii.*
6 *An laici conferre possint.*
7 *Jus acquisitum ex collatione cum alio Beneficio permutari potest, secus jus ortum ex sola præsentatione.*
8 *Collatio de jure solo verbo expediri poterat; hodie litteras requiri.*
9 *Formula collationis remissivè.*
10 *Collatio ab Ordinario solet concipi tanquam facta* motu proprio.
11 *Omittitur mentio supplicationis factæ, ut suspicio ambitus evitetur: quod Collatores meritò attenderent.*
12 *In litteris collationis modus vocationis exprimendus.*
13 *Exprimenda Eccclesia, in qua Beneficium est situm; item nomen ultimi possessoris.*
14 *Debent adscribi duo ut nimium testes, qui collationi interfuerint.*
15 *An testes debeant esse omni exceptione majores.*
16 *Litteræ expediri debent per Notarium.*
17 *Apponenda* data.
18 *Ex* data *cognoscitur de jure devolutionis, aut de præventione.*
19 *Concurrentibus duabus collationibus, ex data de validitate cognosci subinde debet.*
20 *Si ab eodem duæ collationes factæ, nec de prioritate constet, neutra valet.*
21 *A duobus factæ collationes duobus, is prior est, qui prior est* in possessione.
22 *Si neuter est in possessione, collatio Pontificia præfertur collationi Ordinarii: & collatio Ordinarii collationi Vicarii.*
23 *Quid requiratur, ut una collatio* prior *alterà censeri debeat.*

I. Collatio propriè dicta definitur communiter, assignatio seu concessio Beneficii vacantis facta ab habente potestatem.

Dividitur autem in collationem liberam & non liberam.

II. Prior dicitur, quæ fit solo jure Collatoris, ita ut non restrinatur ad aliquam personam, ratione juris alteri competenti; hæcque nomine collationis propriè intelligitur.

III. Posterior autem est, quæ fit alicui personæ quasi ex necessitate; dum ratione alicujus juris huic personæ competentis, aliove titulo alicui determinatæ personæ collatio facienda est: atque eatenus collator libertatem conferendi non habet; ideoque collatio *non libera* dicitur, v. g. si restringatur ad præsentatum à patrono, aut nominatum ab Universitate, vel ad permutatarium ratione permutationis, soletque hæc collatio vocari *institutio*, de qua infrà agetur.

IV. Collatio *libera*, & propriè dicta differt ab electione, & præsentatione, quòd per collationem acceptatam, etiam ante adeptam possessionem, acquiratur jus *in re*, *cap.* 17. *de Præbendis*, *in VI.* Per electionem verò, & præsentationem etiam acceptatam, tantum jus *ad rem*, hoc est, jus aliquod, quo mediante Episcopus, aliusve, ad quem collatio sive institutio spectat, constringi queat ad collationem ei faciendam, si aliud Canonicum impedimentum non obstet.

V. Itaque per collationem, quæ aliàs dum libera non est, *institutio* appellari solet, Beneficium verè acquiritur & *titulus* confertur; atque de hac collatione intelligitur *cap.* 1. *de Regulis Juris*, *in VI.* dicens: »Beneficium Ecclesiasticum non »potest licitè sine *institutione* canonica obtineri.«

VI. Hinc ulteriùs concludunt communiter Canonistæ, laicis jus collationis competere non posse; utpotè qui Beneficia, sive titulos Beneficiorum dare nequeant: quamvis Reges & alii nonnulli Principes jus collationis sibi competere credant; verboque *collationis & conferendi* in suis litteris utantur: de quo latiùs ubi de nominatione Regia, & de jure Regaliæ agemus.

VII. Adhæc cùm per collationem acquiratur jus *in re*, sive ipse titulus Beneficii, concludunt Doctores, jus illud, etiam ante adeptam possessionem, permutari tanquam Beneficium cum alio Beneficio posse; secus verò jus *ad rem* ex sola electione, aut præsentatione ante collationem sive institutionem competens: & ita judicatum refert Ant. Faber in Codice *lib.* 2. *tit.* 1. *Definit.* 58. Vide Rebuffum *in praxi*, *part.* 3. *tit. de Permutatione*, *num.* 23.

Circa formam collationis per Ordinarios collatores, sive Episcopum, sive alium inferiorem expediendæ nihil in jure cautum; videturque inspecto jure communi *verbo* expediri posse, neque ullam scripturam requiri.

VIII. Verùm hodie collationes fieri, aut saltem probari nequeunt sine *litteris*; uti testatur Rebuffus *in praxi*, *part.* 1. *tit. Requisita ad collationem bonam*, *num.* 25. ubi quærit, an Episcopus, & alii inferiores possint *solo verbo* conferre, & sine litteris collationem probare; & respondet, non posse propter eorum fraudes, nec crederetur illis sine litteris. Huic conformis est moderna praxis, quæ non solet quemquam ad possessionem Beneficii in vim factæ collationis admittere, nisi litteras collationis, quas *Patentes* vocare solent in forma expeditas, adferat, & exhibeat.

IX. Formulam collationis exhibet Rebuffus; extatque apud Barbosam in appendice ad tractatum de *Officio Episcopi*, *formula* 67. in qua formula præcipuè hæc notanda sunt.

X. Primò, quòd collatio per Ordinarios semper ita exprimatur, ut videatur facta *motu proprio*; neque ullius supplicationis, aut petitionis pro Beneficio obtinendo per aliquem factæ mentio fit: sed simpliciter Collator dicit, se permotum ad hanc collationem ei faciendam, ex notitia meritorum ejus, quæ hisce fere verbis exprimi solent: »Quia de litterarum scientia, vitæ »ac morum honestate, aliisque virtutum meritis, quibus illa»rum largitor personam tuam insignivit, fuimus famâ ac fide »dignis testibus certiorati, quæ nos ad gratiam tibi faciendam »excitant &c.« Ita formulam apud Rebuffum.

XI. Rectè autem monet D. Fleury in *Inst. Juris Canonici*, *part.* 2. *cap.* 21. omitti mentionem supplicationis, aut petitionis, quia esset disciplinæ Ecclesiasticæ contraria, utpotè quæ omnem ambitum ad Beneficia reprobat.

Utinam in conferendis Beneficiis hæc formulæ clausula seriò attenderetur; sed proh dolor! ita hodie ferè proceditur, ac si soli supplicantes, ne dicam ambientes, idonei essent: creduntque multi Collatores, se probè suo functos officio, si ex supplicantibus magis idoneo conferant; quasi non supplicantium ratio nulla habenda esset: tametsi sciant, aut facile scire possint, hos multò capaciores esse.

XII. Adhæc in ipsa formula collationis exprimitur modus vacationis ipsius Beneficii. »Nec potest Episcopus, vel Archie»piscopus habere modum vacandi pro expresso; quia hoc ad »Papam solùm pertinet,« ait Rebuffus in *Praxi*, *part.* 2. *tit. Requisita in litteris collat. num.* 15.

XIII. Exprimitur etiam Diœcesis, ubi Beneficium situm est; & si sit Ecclesia per se, exprimitur nomen *Sancti*, aliàs esset collatio incerta, quæ non valet; uti monet Rebuffus ibidem *num.* 17.

Debet insuper exprimi nomen illius, per cujus mortem, aut resignationem, aliove modo Beneficium vacat, aliàs ob incertitudinem litteris collationis non crederetur. Rebuffus *num.* 18.

XIV. Adscribi quoque debent duo ut minimum testes in litteris collationis, qui in ipsa collatione præsentes fuerint: nec admittuntur collationes Episcoporum, nec aliorum Collatorum sine testibus conscriptæ, uti testatur Rebuffus *ad Concordata*, *in*

in Rubrica, *de collationibus*; & ita per Senatum Parisiensem declaratum fuisse 7. Junii 1527. refert, ac dein subjungit: aliàs non creditur collationi Ordinarii in præjudicium alterius, sive jure ordinario, sive jure devoluto conferant. » Quinimo etiam-» si Episcopus postea daret litteras suas testimoniales, quibus » diceret se contulisse; illæ litteræ non probarent, ad vitandas » fraudes, " ut ex Bertrando docet ibidem Rebuffus *tit. Requisita in litteris collat. num.* 31.

XV. Requiritur insuper, quòd testes descripti in his collationibus sint omni exceptione majores; ideò familiares, & domestici, quibus imperari potest, non probarent; ita Rebuffus ad Concordata loco citato; & ita statutum per Senatum fuisse anno 1550. scribit; quod & testatur Pinsonius *De Benef. tit. de variis institutionum conditionibus*, *num.* 21. Quòd tamen postremum non ita scrupulosè hîc servatur; nec testium qualitas, aut fides examinari solet.

* Tametsi in Belgio hactenus statutum non reperiatur, quòd testes in litteris collationis adscribendi, debeant esse *omni exceptione majores*, neque sciatur in qualitates similium testium scrupulosè inquiri; quia tamen fides litterarum aliquatenus dependet à fide testium, indubiè tutius est, hisce in litteris, etiam testes *omni exceptione* majores adhibere, ne aliàs ob defectum integritatis testium, fides litterarum in dubium vocetur.

XVI. Præter duos testes exigitur fides Secretarii, aut Notarii, qui litteris subscribat, eisque fidem publicam det; imò in nonnullis locis vice Secretarii requiruntur duo Notarii: refertque Rebuffus *loco jam allegato*, præceptum fuisse arresto Senatûs Parisiensis anno 1527. omnibus collatoribus Ordinariis, ne distribuant collationes sine testibus & *Secretario* vel *duobus Notariis*: quod in iis locis observandum credo, ubi in omni publico instrumento requiritur *duorum* Notariorum testimonium. Notat etiam Gonzalez ad *Regulam* 8. *Cancellariæ* §. 3. *proœmiali*, *num.* 153. quòd Secretarius Episcopi debeat esse *Notarius*, ut queat litteras collationis conficere.

XVII. Denique in litteris collationis exprimenda *Data*, videlicet non tantùm quo anno, & mense, sed etiam quo die facta sit; quæ pluribus difficultatibus, & dubiis enodandis sæpè necessaria est.

XVIII. Imprimis ex Data frequenter dignosci debet, an collatio intra tempus à Canonibus præstitutum facta sit, an non fuerit jus devolutionis ad Superiorem; de quo infrà *cap.* 4.

Deinde non rarò ex Data dependet, num Papa Ordinarii collationem non prævenerit; quâ prævention utitur etiamnum in Gallia; de quo jure agetur *titulo* 23.

XIX. Ulteriùs si duæ collationes ejusdem Beneficii factæ diversis personis concurrant, ex Data, de prioritate earum inter se, nec non validitate, & prærogativa judicari debet.

XX. Et quidem si ab uno, eodemque facta sint duæ collationes; neque ex *Data* neque aliunde appareat, quæ sit anterior, neutram valere judicatum refert Choppinus *lib.* 1. *de sacra polit. tit.* 6. *n.* 7. & notat Rebuffus de *Pacificis possess. num.* 367. ubi unà monet, quòd de prioritate » possit cons-» tare ex ordine scripturæ, quando in libro Curiæ Romanæ » vel Episcopi sunt collationes ambæ descriptæ, tunc prior » scripta censetur prior, *cap.* MANDATO, *de Præbendis*, *in VI.* » sic fuit (ait) judicatum per Senatum Tolosanum. «

XXI. Si à duobus facta fuerit collatio duobus; neque appareat de prioritate, si unus priùs acceperit possessionem, is alteri præferetur, tametsi unus à Papa, alter ab Ordinario collationem acceperit, uti deducitur *in cap.* 31. *de Præbendis*, *in IV.* quia *potior est conditio possidentis*. Et licèt hæc Decretalis tantùm loquatur de collatione Papæ, aut ejus Legati, & collatione Ordinarii simul concurrentibus; nihilominus decisionem obtineri etiam in quacunque alia collatione concurrente cum collatione Papæ, monet Rebuffus loco citato *num.* 171. imò tametsi una esset facta ab Episcopo, & altera ab ejus Vicario; quia est ubique eadem ratio.

XXII. Ubi verò neuter est in possessione, & de prioritate collationis non constat, tunc is, cui Sedes Apostolica contulit vel Legatus, erit alteri præferendus, dicto cap. 31. *Propter conferentis ampliorum prærogativam*: quæ ratio etiam obtinet in Episcopo & ejus Vicario: ut proinde & hîc obtinere debeat decisio, & ita aliquando judicâsse Senatum Parisiensem testatur Rebuffus ibidem *num.* 373.

* Ubi tamen est dubium, an Sedes Apostolica Beneficium contulerit, tunc alia in Francorum Regno observatur jurisprudentia: etenim Decretalis Bonifacii VIII. præferens in dubio Pontificiam Provisionem Provisioni Ordinarii, in Gallia non recipitur; sed è contrario in hoc Regno Provisio Ordinarii præsumitur & judicatur ipsam Provissionem Pontificis præcessisse, etsi Provisio Ordinarii non probetur Provisionem Apostolicam præcessisse, uti infrà *tit* 23. *cap.* 7. *num.* 32. notatur.

XXIII. Plura de hac prælatione concurrentium collationum habet Rebuffus, & latè agit Gonzalez ad *Regulam* 8. *Cancell.* §. 3. *Personali*, ubi secutus Glossam docet, quòd prioritas unius horæ vel etiam unius puncti, si de ea constet, faciat præventionem: sed an satis de prioritate constet si in litteris collationis unius *horæ* sit expressa; & in litteris ulterius tantùm expressus fuerit *dies*, latè examinat Rebuffus loco allegato, & Brodeau ad Louetium *Lit. M. num.* 10. qui casu incidente consuli poterunt.

CAPUT III.

De Electione, ejusque forma.

1 *Electio generaliter sumpta quid significat.*
2 *Electio subinde sumitur pro omni provisione Beneficii.*
3 *Aliquando pro particulari modo providendi.*
4 *Propriè dicitur electio, quando requiritur confirmatio.*
5 *Beneficia electiva* confirmativa *propriè dicuntur* electiva.
6 *In his locum non habet prævention Papæ in Gallia.*
7 *Non censentur comprehensa, nisi* specialis *eorum mentio fiat.*
8 *In quorum Beneficiorum electione servanda forma*, cap. QUIA PROPTER ✠ de Elect.
9 *Si electio ad Capitulum spectet, soli Canonici de jure vocandi sunt.*
10 *Ex speciali titulo etiam non Capitulares jus eligendi habere possunt.*
11 *Canonici suffragium non habent, nisi sint ut minus Subdiaconi.*
12 *Omnes suffragio gaudentes ad electionem vocandi, & quomodo.*
13 *Quomodo citandi absentes, & de fide Nuntii asserentis esse citatos.*
14 *Qui absentes sint vocandi.*
15 *Quandiù absentes spectandi.*
16 *Interdum etiam unus solus, non expectatis absentibus, eligere potest.*
17 *Quandonam absens possit de jure per procuratorem eligere.*
18 *Possunt constitui plures procuratores.*
19 *Si duo constituti ambo ad eligendum concurrant, quis præferendus.*
20 *Dum ex duobus neuter in solidum est constitutus, nullus admittendus.*
21 *Extraneus in procuratorem non admittendus, nisi consentiente Capitulo.*
22 *An aliquando in electione votum dari possit per litteras.*
23 *An procurator unum suo, & alium nomine constituentis possit eligere.*
24 *Consuetudine induci potest, ut ad electionem non vocentur absentes.*
25 *De simili consuetudine in Gallia; neque à jure improbatur.*
26 *Non vocatus ad electionem opponendo se, electionem irritare potest.*
27 *Si non opponat, electio firma manet.*
28 *Non vocatus tacitè consentiendo electioni, eam censetur approbare.*
29 *An suffragium latum non capitulariter possit electionem alidam facere.*
30 *Suffragia debent* capitulariter *dari.*
31 *In electione à majore parte concludi solet.*
32 *Major pars non semper eodem modo computatur.*
33 *An de jure requiratur etiam* sanior *pars.*
34 *Hodie non ponderantur, sed numerantur suffragia.*
35 *Interdum Beneficia ad electionem Capituli spectantia conferuntur per* turnum.
36 *An Capitulum propriâ auctoritate electionis formam in collationem* turnariam *possit mutare, si in fundatione ejus facta electio præscripta?*

I. ELectionis nomen ex suo instituto denotat generaliter delectum rei alicujus, vel personæ è duabus, vel pluribus: atque hoc sensu dicitur in *cap.* 7. *de Regulis juris*, *in VI. In alternativis debitoris est electio.*

In hac autem materia restringitur ad personam; quatenus aliqua persona ad certam Ecclesiæ functionem, aut dignitatem è pluribus eligitur.

II. Hoc autem modo sumptum nomen *electionis*, dupliciter accipi potest. Primò generaliter, ut non solùm electionem propriè & specificè sumptam, sed & postulationem, præsentationem, nominationem, ac collationem comprehendat: nam & in his omnibus eligitur à præsentantibus, nominantibus, & conferentibus persona idonea ad Beneficium vacans.

III. Secundò, accipi potest pro electione, prout à dictis modis providendi distinguitur: sumiturque pro designatione, seu electione personæ ad certum Beneficium plurium suffragiis *collegialiter*, sive capitulariter facienda; & de hac tractatur ab titulo Decretalium Gregorii IX. & Bonifacii VIII. *de Electione.*

IV. Observat autem Rebuffus in *praxi*, *part.* 1 *tit. de Elect.* quòd ista dicatur *propriè* electio, quæ indiget confirmatione. Altera autem, quæ non exigit confirmationem sed quam

Canonici, vel alii eligendo conferunt, non sit propriè electio, & vim potiùs habeat collationis, quàm electionis.

V. Hinc quædam Beneficia electiva *confirmativa*; quædam electiva *collativa* vocantur.

Et quidem priora solùm dicuntur propriè *electiva*, præsertim quando in electione servatur forma à Concilio Lateranensi præscripta in *cap.* QUIA PROPTER ✠ *de Elect.*

VI. Observat autem Petrus de Tonduti *lib.* 1. *quæst. benef. cap.* 40. *num.* 8. » hujus distinctionis esse maximum effectum: » nam Beneficia *propriè electiva*, in quorum electione servatur » forma dicti Capituli QUIA PROPTER, in Gallia regias nomina- » tiones admittunt, alia non item: in electivis *collativis* admit- » tunt Galli Pontificiam præventionem, non autem in *con- » firmativis.*«

VII. Notat quoque Garcias *de Beneficiis*, *part.* 1. *cap.* 7. *num.* 27. quòd » Beneficia *electiva* adeò sunt speciali nota digna, » ut non veniant in mandatis de providendo, nisi de electione » facta fuerit *specialis* mentio, etiamsi nullus modus exprimatur, » sed simpliciter mandetur provideri de Beneficio vacaturo.« Quin nec sub generali reservatione comprehendi Beneficia electiva veriùs existimat Gonzalez ad *Reg.* 8. *Cancell. Gloss.* 19. vide latiùs Fagnanum ad *cap.* NULLUS ✠ *de Elect.* item Antonium Fabrum *lib.* 1. *tit.* 3. *definit.* 45. & 47.

VIII. Electiones autem, in quibus servanda est forma citati *cap.* QUIA PROPTER » sunt illorum Prælatorum, per quorum » mortem Ecclesia remanet *viduata* & sine Pastore, nempe » Episcoporum, Abbatum, & Prælatorum Ecclesiarum Colle- » giatarum, qui habent in iis generalem jurisdictionem, ratione » cujus possunt appellari *sponsi.*« Ita Garcias *loco citato*, *num.* 19. Idipsum tradit Fagnanus ad dictum *cap.* QUIA PROPTER, latiùs ibidem ostendens, quinam dicantur Prælati, per quorum mortem Ecclesia dici queat *viduata* ad sensum illius Capituli; & aliqua retulimus suprà *part.* 1. *tit.* 31. *cap.* 8.

Multa quidem specialia sunt observanda in electione facienda secundum formam dicti Capituli; de qua agetur capite sequenti, plura nihilominùs sunt omni electioni communia, quæ hoc capite sunt exponenda.

IX. Imprimis si electio ad Capitulum spectet, soli ii suffragium habere possunt, iique soli vocandi, qui Capitulum constituunt, seu verè sunt de Capitulo. Quapropter si in eadem Ecclesia sint diversi generis beneficiati; puta aliqui sint Canonici, alii Capellani, aut Portionarii, vel similes, soli Canonici sunt vocandi, utpotè soli constituentes propriè Capitulum; uti notat Fagnanus ad *cap.* NULLUS ✠ *de Elect.* asseritque ex Compostellano, Curiam Romanam tenere, quòd soli Canonici sint vocandi, & soli Canonici faciunt Capitulum, qui unum corpus constituunt. Videre possunt quæ dicta sunt *part.* 1. *tit.* 7. *cap.* 5. ubi unà notatum, neque obtinentes Dignitates, ni sint simul Canonici, esse de Capitulo, neque suffragio gaudere in electionibus.

X. Et hæc quidem jure communi; at ex speciali consuetudine, fundatione aut privilegio, etiam extranei sive non capitulares subinde ad electionem admittendi, & vocandi sunt, uti colligitur ex *cap.* 3. ✠ *de causa possessionis & propriet.* ubi respondit Innocentius III. electionem Episcopi factam à capitulo Cathedrali fuisse *nullam*, quia vocati non fuerant *Clerici* conventualium Ecclesiarum, qui Electioni Episcopi *consueverant* interesse.

Similiter respondit S. Congregatio apud Fagnanum loco citato *num.* 39. Portionarios non ideò censendos esse capitulares, licèt vel semper, vel plurimùm habeant vocem in Capitulo; consequenter supponens, interdum alios præter capitulares posse gaudere suffragio in actibus capitularibus.

XI. Ulteriùs commune est omnibus electionibus capitularibus, quòd Canonici suffragio non gaudeant, etiamsi id iis ab aliis esset concessum, nisi ut minùs in Ordine Subdiaconatûs sint constituti; quemadmodum statutum est in *Clementina* UT II, *de ætate & qualit. Ordinand.* innovata per Synodum Trid. *Sess.* 22. *cap.* 4. *de Reformat.* de quo latiùs *part.* 1. *tit.* 7. *cap.* 5.

XII. Omni electioni illud quoque commune est, quòd omnes suffragio, seu jure communi seu speciali titulo gaudentes, vocari & admitti ad electionem debeant.

Vocandi autem sunt per signa solita, sive campanæ, sive vivæ vocis, si præsentes sint; absentes verò per litteras, vel nuntium secundum locorum consuetudinem, quæ in hac vocationis forma observanda est; quemadmodum monet post alios Barbosa *lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 12. *num.* 88.

XIII. Citatio absentium facienda est *singulariter* & *personaliter*, si sciatur ubi degant; & commodè & sine periculo fieri possint per litteras, vel nuntium, nisi de consuetudine aliter servetur. » Quòd si nesciatur ubi commorentur, citatio facien- » da erit per publicum edictum in Ecclesia, vel ubi soliti sunt commorari, vel legi debent litteræ citatoriæ Capituli præsente » Capitulo & Clero, vel si citandus inveniri non potest, cita- » tio facienda est in ejus domo, & si domicilium non habeat, » tunc facienda erit in loco, ubi habitare consueverit; vel in » ejus Ecclesia seu Beneficio, quia ibi residentiam facere præ- » sumitur.«

Hæc Barbosa post Glossam, aliosque ibi citatos; ac dein *num.* 95. subjungit: » Et nuntio præsentim jurato creditur, an » aliquis ex vocalibus absens sit vocatus.«

XIV. Absentes autem vocandi, qui intra eandem Provinciam sunt; uti ex *cap.* 35. ✠ *de Elect.* communiter docent Doctores, in verbis: » Vos fratribus omnibus, qui fuerint in » *Provincia*, convocatis, &c.«

Merito tamen notandum dictum Glossæ, verbo *In Provincia*: » Hîc videtur expressum, quòd omnes illi & soli, qui » sunt in Provincia, vocandi sunt ad electionem: & per hoc » videtur sic intelligendum, si sunt *in Provincia*, *Cap.* QUIA » PROPTER *eod.* Et quòd dicit *in Provincia*, sic est intelligen- » dum, si sunt in Provincia ita propinqui, quod commodè sint » vocandi: quia si Provincia esset multùm lata & longa, non » debet vocari: quia periculum est in mora. Et eodem modo » si esset extra Provinciam, & propinquus tunc vocandus esset.«

In *Cap.* IN GENESI, ✠ *de Elect.* cujus meminit Glossa, dicitur, quod de *toto Regno Franciæ* vocentur absentes de consuetudine Ecclesiæ; quæ tamen hodie exolevit, ut mox dicemus.

XV. Si vocati intra terminum assignatum, modò tamen competens sit, non venerint, non sunt de cætero exspectandi; poteritque iis absentibus ad electionem procedi *cap.* 18. & 19. ✠ *de Elect.*

Essent tamen exspectandi, etiam elapso termino (ait Barbosa *num.* 97.) ubi absque periculo, & incommodo exspectari possent, & aliquâ causâ necessariâ, vel utili detinerentur, & Superior pro certo haberet, non longè abesse, præsertim cùm nullum esset periculum in mora modici temporis: si dolo potiùs ipsos excludendi, quàm alia legitima causa acceleretur electio in ipsorum præjudicium, reclamationi locum esse, resolvunt ibidem citati.

XVI. Quòd si finis termini ad electionem faciendam immineret, possent pauciores, etiam unus solus non exspectatis convocatis, eligere; quia tempus interpellat pro homine. Barbosa *ibidem*, *num.* 98.

XVII. Quia ordinariè ab electione, præsertim ad Dignitates, & Prælaturas notabile Ecclesiæ bonum dependet, Concilium Lateranense sub Innocentio III. » penitùs interdixit, ne » quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit ab- » sens in loco, de quo debeat evocari, justoque impedimento » detentus venire non possit, super quo si opus fuerit, fidem » facit juramento, & tunc si voluerit, uni committat de ipso » Collegio vicem suam«. *Cap.* 42. §. 1. ✠ *de Elect.*

Ex hoc textu habetur, quòd solus absens, & legitimo impedimento detentus, possit per *Procuratorem* eligere; notatque Barbosa *loco citato*, *num.* 108. » quòd non dicatur absens » ad hunc effectum is, qui est in aliqua parte civitatis, etiam » remota, vel propè in hortis. Si verò quis sit præsens in loco, » vel in cœnobio, ubi fit electio, sed tantâ ægritudine deten- » tus, ut non possit ad talem locum accedere, poterit ille unum » vel plures de Collegio sibi substituere ad eligendum, vel » Electores debent aliquos ad eum mittere, ut ejus suffragium » petant.«

XVIII. Juxta hoc Decretum Concilii Lateranensis videtur *unus* duntaxat constitui potuisse procurator ad eligendum; quod & indicat Bonifacius VIII. in *cap.* 46. *de Elect. in* VI. unà permittens, quòd » si quis justo impedimento detentus in elec- » tionis negotio nequeat commodè interesse, possit, nedum uni » (prout dicitur in Concilio Generali) sed etiam *pluribus* vi- » ces suas committere.«

Ubi ergo Concilium *unum* solùm constitui permissit, Bonifacius plures constitui permittit; ita tamen, ut dum plures constituuntur, cuilibet in solidum facultas eligendi detur, tuncque melior sit conditio præoccupantis.

XIX. » Verùm si ambo concurrant insimul, & postulent » se admitti, audiri eos non expedit: quia possent vota sua di- » rigere in diversos, sicque res non haberet exitum, & quod ab » eis hoc casu fieret, non valeret; sed is admittatur duntaxat, » quem Capitulum vel pars major elegerit: vel si concordare ne- » queant, is, qui primò in instrumento, vel litteris procura- » tionis exstiterit nominatus.«

Antequam ergo procedatur ad ordinem scripturæ, recurrendum est ad electionem Capituli. » Tabelliones enim præpo- » nunt, quos volunt in instrumentis: & ideò fuit æquius pri- » mò recurri ad electionem Capituli, per quam magis idoneus » eligeretur: secundò ad scripturæ ordinem in subsidium.« Ita Glossa hîc, verbo *nequeant*.

XX. » Si autem nullus ipsorum *in solidum* fuerit deputatus, » tum propter rationem eandem (ait Bonifacius) ipsorum ali- » quis non debebit admitti: sibique imputet, qui sic eos consti- tuit indiscretè.«

XXI. Constituendus autem procurator ad eligendum est aliquis de Capitulo; neque invito Capitulo extraneus admitti debet, uti declarat Bonifacius VIII. At si Capitulum consen-

tiat, poterit extraneus constitui, uti notat Glossa, verbo *nolente Capitulo.*

XXII. Addit insuper Bonifacius, quòd licèt nullus de Capitulo velit esse procurator, nec Capitulum extraneum admittere, » non possit equidem Canonicus absens per litteras exprimere votum suum, quod non est ante scrutinium; sed in » ipso scrutinio *secretè* & *singulatim* tantummodò exprimendum."

Evidens est, Pontificem hîc loqui de electione per *scrutinium*, in qua non tantùm nominis publicatio, sed etiam expressio secretò in scrutinio fieri debet, uti notat Glossa hîc, verbo *votum suum.* Quare in electione ubi per vota publica proceditur, nihil obstat quominùs per scripturam absens votum suum dare queat; præsertim si consuetudo Ecclesiæ hujusmodi voti dationi non adversetur.

XXIII. Denique declarat Bonifacius VIII. » cùm unus » est procurator simpliciter constitutus, si is unum suo, & » alium Domini sui nomine, in scrutinio nominandum duxerit, » nihil agit, nisi de certa eligenda persona sibi Dominus de» derit speciale mandatum, tunc enim in illam ejus, & in aliam » suo nomine licitè poterit consentire."

Rationem cur priori casu *nihil agat*, allegat Glossa hîc, verbo *nihil agit*, » quia quâ conscientia tenetur meliorem elige» re suo nomine, eadem ratione tenetur ad idem nomine Do» mini sui."

XXIV. Hæc quidem ex jure communi; at non omnium Ecclesiarum est hodie eadem consuetudo, idemque usus circa necessitatem vocandi absentes in negotio electionis; præsertim ubi de electione agitur, quæ vicem *collationis* subit; quæque in minoribus Beneficiis, & Dignitatibus inferioribus locum habere solet: uti nec eadem est consuetudo, circa constitutionem procuratoris, & voti dationem justo occurrente impedimento.

XXV. Unde licèt fuerit olim Galliæ consuetudo, ut absentes vocandi essent ad electionem de toto Regno Galliæ, uti suprà notavimus, » illa tamen consuetudo prorsus antiquata est, » nec ullibi servatur, adeò ut non vocentur, nisi soli, qui » sunt in civitate vel oppido, in quo Capitulum convocatur; » & si secus agendum esset, excideret sæpè Capitulum juribus » suis, & per ejus moram aperiretur locus, aut præventioni Pa» pæ, vel Legati."

Ita Cabassutius in *Juris Canonici theoria & praxi, lib. 2. cap. 24. num. 2.* Et consuetudo non vocandi absentes probatur in *cap. 33. de Præbendis, in VI.* ubi dicitur » quod cùm » in Ecclesiis Canonicorum, Præbendarum, vel Beneficiorum » collatio est facienda, absentes Canonici sint vocandi; nisi, » ait, consuetudo habeat eos ad talia *non vocari.*"

XXVI. Si unus ex Electoribus, sive præsentibus, sive absentibus, canonicè & juxta Ecclesiæ consuetudinem vocatus non sit, ejus contemptus non quidem irritam facit electionem, sed contemptus opponendo se electioni eam irritare potest, *cap. 28. ✠ de Elect.*

XXVII. Si autem se non opponat, aut electioni factæ accedat, rata manebit electio: quemadmodum in citato Capitulo deciditur. Cùm enim esset quæstio, an duo Electores essent contempti, dicit Pontifex: » quòd si eos vocatos non fuisse » constiterit, sed contemptos, infirmanda erit electio penitùs » taliter celebrata; nisi postea propter pacis bonum curave» rint consentire."

XXVIII. Imò ut electio firma maneat, satis est, quòd contemptus etiam tacitè electioni consentiat; videturque electionem approbare, & ab oppositione, sive impugnatione desistere per votum datum *extra* Capitulum, electione jam factâ. Ubi autem semel consensit, non posse ampliùs electionem impugnare, post alios tradit Ascanius Tamburinus *de Jure Abbatum, tomo 1. Dips. 5. Quæst. 3.*

XXIX. Rectè tamen advertit ibidem *num. 13.* quòd hujusmodi vota data per contemptos extra Capitulum tantùm prosint, ne electio, aliàs valida irritetur; tamen non augeant numerum eligentium: adeoque si cui in Electione unum votum defuisset ad Canonicam electionem, votum contempti ita *extra* Capitulum post factam electionem datum, prodesse non posset.

Rationem subdit Tamburinus *num. 14.* » Quòd generaliter » in omnibus explicandis per Capitulum, & Universitatem *collegialiter*, & simul in unum consensus, vel dissensus præstari debet, & actus expediri."

XXX. Quin & *quæstio 6. num. 4.* ait, quòd sit » de substantia ipsius Canonicæ electionis, ut fiat in communi Cog» natione, ubi præsentes adsint omnes electores; quia non » valet, nisi sit communiter celebrata, ut habetur in Cap. In » GENESI, *eod. tit.* tunc autem dicitur communiter celebrari, » cùm in uno loco omnes ectores ad suffragia ferenda congre» gantur: singulariter autem fieri intelligeretur, quando singu» li in suis Monasteriis manentes suffragia mitterent. Ratio hu» jus est; nam ea, quæ fiunt ab aliqua Universitatem nomine » Universitatis, debent fieri per congregatos in unum; ad hoc » enim ut actus dicatur gestus ab Universitate, oportet, quòd » more solito congregetur Collegium, & ibi fiat conclusio de » actûs explicatione."

XXXI. Quamvis autem unus solus non vocatus, sive contemptus possit electionem, etiam unanimi omnium aliorum consensu factam, irritare; unius tamen imò nec plurium præsentium contradictio ordinariè impedire nequit electionem à majori parte eligentium factam; atque ita verificatur illud Pontificis *in cap. 36. ✠ de Elect.* » quòd plus in talibus consueverit contemptus *unius* » obesse, quàm multorum contradictio in præsenti."

Sicuti enim in aliis actibus Capitularibus, ita & in electione solet à pluralitate suffragiorum concludi: ita ut is electus censeatur, in quem major pars Eligentium consenserit.

XXXII. Hoc autem intelligendum, nisi aliter in fundatione, vel speciali statuto cautum sit; quæ aliquando duas tertias partes totius Capituli, aut majorem partem omnium de Capitulo existentium requirunt; ita ut non sit censendus electus, qui plura suffragia habet respectu aliorum, in quos vota conspirârunt, sed requiratur, ut habeatur major pars totius Capituli. Si ergo sint duodecim Canonici, & quatuor eligant Petrum, tres Joannem, & quinque Paulum; licet Paulus in hac electione habeat plura suffragia, non tamen haberetur pro electo, si requiratur major pars *totius* Capituli; cùm revera majorem partem non habeat. Si autem tantùm exigeretur *pluralitas* suffragiorum, tunc censeretur electus.

XXXIII. Concilium Lateranense in *cap. 42 ✠ de Elect.* vult, ut is scrutinio publicato censeatur electus, » in quem om» nes vel major & *sanior* pars Capituli consentit." Hinc communiter concludunt Canonistæ, quòd de jure communi non tantùm major pars Capituli, sed & *sanior* requiratur; adeoque non tantùm numerari, sed & ponderari vota debeant; interdumque minor pars ob merita, & zelum eligentium præponderare majori parti debeat.

Verùm apparet ex intentione Concilii, partem majorem semper præsumi debere etiam saniorem; nisi ostendatur quòd contra sacrorum Canonum præscripta elegerit. Exempli gratiâ, si major pars esset interdicta, vel suspensa, aut elegisset personam secundum jura incapacem; & ita intellexisse videtur Glossographus ad *cap. 6. ✠ De his quæ fiunt à Prælato &c.* verbo *sanioris*, ubi interrogans: » Sed nonnè eo ipso major est, » quod est sanior? Respondet: Dic quòd ubi aliqua pars non » est *sana*, puta quia *indignum* eligit, vel quia in damnum Ec» clesiæ aliquid facit, ibi dico majorem partem illam, quæ sa» nior est, & præferenda est: aliàs nisi utraque pars in electio» nibus esset *sana*, non statim dicerem majorem *saniorem*, imò » quandoque minorem esse præferendam.

XXXIV. » Et utique si aliter res esset, injiceretur inter vo» cales pomum discordiæ amaricantis zeli, mutuarum accusa» tionum, & contumeliarum, & implacabilis odii fomenta, si » merita, vel demerita essent exploranda, & invicem compu» tanda vocalium," uti rectè advertit Cabassutius *in Juris Canonici theoria, & praxi, lib. 2. cap. 34. num. 14.*

Quare hodie in omni electione obtinet, quòd jam pridem in electione Monialium præcipit observari Pontifex *in cap. 34. de Elect. in VI.* » ut non zeli ad zelum, nec meriti ad meri» tum, sed solùm numeri ad numerum fiat collatio."

XXXV. Quin interdum, ad evitandas contentiones, & dissensiones in electionibus Capitularibus occurrentes, consuetudine, vel ex speciali statuto receptum est, ut præbendæ, aliave inferiora Beneficia ad electionem, vel collationem Capituli spectantia, per *Hebdomadarium* sive *Turnarium*, ut vocant, conferantur; seu quòd is, in cujus hebdomada Beneficium vacare contingit, unum præsentet Capitulo, cui tanquam à toto Capitulo electo Beneficium conferatur: cujus statuti meminit Pontifex in *cap. fin. de Præbendis, in VI.* notatque Glossa ibidem, verbo *statuto*, quòd tales consuetudines, & statuta sint in multis Ecclesiis Gallicanis.

Hunc quoque modum eligendi Canonicos in Ecclesia Cathedrali Antuerpiensi, cujus statuta à Sede Apostolica probata sunt, à 300. annis servari testatur Zypæus *tit. de Elect. num. 14.* eumque modum in erectione Ecclesiæ Daventriensis à Sede eadem, procurante Rege, probatum esse.

XXXVI. Si tamen in ipsa fundatione cautum esset, ut ad Dignitates & Præbendas electio fieret *capitulariter*, formam electionis privatâ suâ auctoritate, ut Canonici immutarent, atque desertâ electione Capitulari ad Hebdomadarium vel Turnarium transferrent, haud facilè permitteretur; refertque Renatus Choppinus, Statutum Capituli Claromontani, quo electionem Canonicorum solitam fieri per communem Capituli electionem, transtulerant ad Turnarios, appellantem tanquam *ab abusu* Procuratore Regio à Senatu Parisiensi fuisse cassatum. *Lib. 1. de Sacra Polit. tit. 1. num. 3. 4. 5. & 6.*

CA-

CAPUT IV.

De Triplici Forma Electionis a Concilio Lateranensi descripta.

1 *Triplex forma à Concilio Lateranensi præscripta; & quare.*
2 *In quibus electionibus servanda.*
3 *Forma electionis per* compromissum.
4 *Compromissarii servare debent formam compromissi.*
5 *Quot & quales esse debeant Compromissarii, in jure non est definitum, & unus etiam extraneus sufficit.*
6 *In Compromissum consentire debent omnes jus eligendi habentes.*
7 *Electio per* inspirationem quasi divinam, *ejusque forma.*
8 *Electiones olim hac formâ factæ, hodie penè ignotæ.*
9 *Electiones, quæ hodie tales vulgò dicuntur, non sunt illæ, de quibus loquitur Concilium.*
10 *Electio per* scrutinium.
11 *Assumendi* scrutatores; *& unde sic dicti.*
12 *Assumi debent tres scrutatores.*
13 *Eligendi sunt ex ipsis Electoribus.*
14 *Debent vota* secretè *exquirere.*
15 *Duplex modus dandi suffragia in electione per scrutinium.*
16 *Vota* singillatim *exquirenda.*
17 *Omnium Eligentium vota exquiri debent.*
18 *Suffragia dari debent* absolute.
19 *Vota non data absolutè rejicienda; uti charta* alba.
20 *Suffragia in scriptis redigenda.*
21 *Suffragiorum publicatio quomodo facienda.*
22 *Collatio suffragiorum ante facienda.*
23 *An in computandis suffragiis attendenda pars* sanior, *& major* zelus.
24 *Publicato scrutinio facienda electio illius, in quem major pars consensit.*
25 *Rarior hisce in partibus hujus electionis usus, frequentior in Germania, & quare.*

I. TRiplex forma electionis proponitur à Concilio Lateranensi sub Innocentio III. in *cap.* QUIA PROPTER ✠ *de Electione*, nimirùm per *compromissum*, per *inspirationem quasi divinam*, & per *scrutinium*; additque electionem aliter factam non valere; & qui contra præscriptas formas eligere attentaverint, eligendi eâ vice potestate priventur.

Has formas in electionibus servandas præscripsit Concilium, » propter diversas, ait, electionum formas, quas quidem in» venire conantur, & multa impedimenta proveniunt, & mag» na pericula imminent Ecclesiis viduatis. «

II. Hîc singulariter notant Doctores præeunte Glossographo, hæc verba: *Ecclesiis* VIDUATIS, cùm sint posita in proœmio Constitutionis, designent, inquiunt, causam finalem & regulant totam dispositionem: ita post alios Fagnanus ad hoc *cap. num.* 5. atque inde infert *num.* 6. quod dispositio hujus Capituli locum non habeat, nisi in electione illorum Prælatorum, per quorum obitum Ecclesiæ manent *viduatæ*, & sine Pastore; prout latiùs capite præcedenti expositum fuit.

* Attamen Molinæus ad Regulam *de Informis resignantibus*, *num.* 5. & 6. hæc docuit his verbis: » Si Dignitas non » sit talis, per quam sit *viduata* Ecclesia, & licèt ex specia» ciali statuto, aut consuetudine debeat in hujus electione ser» vari forma Capituli *Quia propter*, non propterea censetur » propriè dignitas electiva; & si forma omittatur, non prop» terea fit electio nulla. «

Nec mirum exactiorem electionis formam in similibus Dignitatibus, quarum vacatione Ecclesia dicitur *viduata*, præscriptam, & sub pœna nullitatis esse servandam, quàm in aliis Dignitatibus: quia non solet per vacationem Dignitatis Ecclesia dici *viduata*, nisi obtinens Dignitatem, unà obtineat ipsum regimen spirituale Ecclesiæ, sive sit Pastor ipsius Ecclesiæ, & cura animarum ipsi incumbat.

Si tamen in limine fundationis cautum sit, in electione ad eam Dignitatem esse servandam formam in citato Capitulo præscriptam, crederem electionem factam contra tenorem fundationis, ut nullam fore declarandam.

III. Per *compromissum* dicitur fieri electio, quando » eli» gendi potestas aliquibus viris idoneis committitur, qui vice » *omnium* provideant Ecclesiæ viduatæ de Pastore. « Uti loquitur Concilium Lateranense.

IV. Hi Commissarii, cùm sint quasi mandatarii, sive procuratores ipsius Capituli, seu Congregationis in negotio electionis, limites commissionis, seu mandati excedere non possunt: tenenturque formam compromissi exactè servare, *cap.* 35. ✠ *de Elect.*

Undè sicuti omni electioni hoc à jure inest, ut eligatur *dignus*, ita quoque omni compromisso hæc conditio tacitè inesse censetur, ut compromissarii teneantur dignum eligere; & si secus elegerint, mandati fines censentur excessisse; neque eatenus mandantes, seu comittentes factum eorum probare debent, neque ipsis imputandum venit, quemadmodum deciditur in *cap.* 27. *de Electione, in VI.*

V. Quot debeant esse compromissarii, aut quas habere debeant qualitates, in Jure determinatum non est; imò & in unum compromitti posse ostendit casus relatus in *cap.* 8. ✠ *de Elect.* Nec tantùm in unum, aut plures de Capitulo; sed & in extraneos compromitti posse constat, *cap.* 8. & 21. ✠ *de Elect.*

VI. Tametsi in negotiis, & actibus Capitularibus sufficere soleat consensus majoris partis; tamen in compromittendo omnium consensus exigitur, adeò ut vel *unius* dissensus compromissum impediat: nam per compromissum ipsi eligentes, quodammodo jure eligendi, saltem pro hac vice, privantur; quod sine singulorum consensu fieri nequit: præsertim quia hæc eligendi forma tantùm est subsidiaria, & pendens ab eligentium voluntate. Vide Glossam ad *cap.* 42. ✠ *de Elect.* verbo *vice omnium.*

Cùm autem rarò contingat, quòd omnes velint suo suffragio privari, & unanimiter in compromissarios consentiant, rarissima quoque est hæc electionis forma; atque hîc in Belgio vix nota.

VII. Altera forma electionis exprimitur in Decreto Concilii Lateranensis his verbis: *Nisi forte communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem* (additur in quodam codice *Spiritûs Sancti*) *absque vitio celebrata.*

Quamvis enim moris sit, & in Jure expressum, ut in omni electione, nimirùm propriè dictâ, & ubi de Beneficiis *verè electivis*, quibus Ecclesiæ *viduitatæ* de Pastore providetur, Spiritûs Sancti gratia invocetur, *cap.* 14. & 18. ✠ *de Elect.* nominatimque cautum sit in Concilio Basiliensi *Sess.* 12. præmittendam esse Missam de Spiritu Sancto, specialiter tamen dicitur illa electio fieri per *inspirationem Spiritus Sancti*, qua communi suffragio, & ab omnibus concorditer quasi divino Spiritu afflatis, nullo discrepante, aliquis eligitur: idque nullo prævio tractatu, ex quo præsumi possit aliqua persuasio, vel suggestio in gratiam eligendi intercessisse, ipsosque eligentes permotos fuisse potiùs humanis aliquibus persuasionibus, aut considerationibus, quàm Spiritûs Sancti inspiratione.

VII. Hujusmodi electiones fuisse referuntur, S. Ambrosii, S. Nicolai, & S. Severi Episcopi Coloniensis: uti hîc notavit Hostiensis, notatque Concilium Lateranense pauca de hac electione dixisse, quòd, peccatis nostris impedientibus, rarò aut nunquam occurrat.

IX Dicitur quidem vulgò electio unanimi suffragio facta, quasi per *inspirationem Spiritus Sancti*: sed tamen quia in omni electione tractatus præcedere, & vota colligi, aliaque solemnia servari consueverunt; dici nequit electio per *inspirationem Sancti Spiritûs*, qualis hîc intelligitur; quæ scilicet sine ullo tractatu, ullaque formâ servatâ, quasi impulsu solius Spiritûs Sancti peragitur. Hæc enim hodiè revera rara est, & ferè nostris temporibus inaudita; multumque dubito, an facilè esset admittenda, & probanda, ne sub prætextu hujusmodi divini impulsûs, regulæ electionum ab Ecclesia præscriptæ negligantur, & tumultuariis ac præcipitatis electionibus porta aperiatur.

X. Tertia species, seu forma electionis, eaque principaliter intenta à Concilio, & quæ latiùs describitur, est electio per *Scrutinium*: & in citato *cap.* QUIA PROPTER, his verbis exprimitur: » præsentibus omnibus qui debent, & volunt, » & possunt commodè interesse, assumantur tres de Colle» gio fide digni, qui secretè, & singillatim vota cunctorum dili» genter exquirant; & in scriptis redacta mox publicent in com» muni; nullo prorsùs appellationis obstaculo interjecto; ut is » collatione habitâ, eligatur, in quem omnes, vel major & sa» nior pars Capituli consentit. «

XI. Juxta formam hîc expressam hæc notantur præcipuè ad hujus specialis electionis formam pertinentia.

Primò, ut assumantur *Scrutatores*, qui à *scrutatione* nomen acceperunt; eò quod eis incumbat secretè vota & suffragia eligentium diligenter *scrutari*, sive inquirere, & in scriptum redigere. Hinc & forma electionis nomen mutuavit per *Scrutinium.*

XII. Vult autem Concilium, ut tres Scrutatores assumantur. Hinc communiter concludunt Doctores, non minùs quàm *tres* assumi posse: imò multi credunt nec plures assumendos; neque ab hac opinione tanquam communiore & magis consonante Litteræ hujus decreti esse recedendum, consulit Fagnanus ad hoc *cap.* QUIA PROPTER, *num.* 44.

XIII. *Assumantur* (ait Concilium) *tres de* COLLEGIO *fide digni.* Hinc concludunt Doctores, ad essentiam hujus electionis spectare, quòd Scrutatores assumpti sint de *Capitulo*: sive ex iis, qui jus eligendi habent. Si enim vel ex consuetudine, privilegio, aliove titulo nonnulli extranei jus eligendi haberent,

possent & ex his in Scrutatores assumi. Licèt enim non sint *absolutè*, & *simpliciter* de Capitulo, seu Collegio, sunt tamen quoad hunc actum electionis. Vide Barbosam *lib.* 1. *Juris Eccles. cap.* 19. *num.* 191.

XIV. Requiritur præterea, ut Scrutatores vota exquirant, *secretè*, id est, secundum communem Interpretum opinionem & praxim, seorsim ab aliis de Capitulo: ut sic quisque liberiùs votum suum exprimere valeat, exemplo testium, qui propterea secretò, & seorsim ab aliis examinandi sunt, *cap.* VENERABILES, ✠ *de Testibus.*

XV. Potest autem hæc votorum *secreta* scrutatio duplici modo fieri. Primò, si singuli electores viva voce proferant coram Scrutatoribus quem eligant, & aliquis Scrutatorum scripto votum excipiat; quem modum tenendum esse sentiunt nonnulli citati à Barbosa *ibidem*, *num.* 201.

Alio modo, ut quisque eligendum in schedula votum suum scriptum deferat, ita ut nec ipsis Scrutatoribus notum fiat; hunc-que modum convenientiorem credit ipse Barbosa, consulitque ut semper sic fiat, *num.* 204. Credo optimum, in hisce inhærere receptæ consuetudini, donec ob comperta inconvenientia, aliter forsan à Superioribus ordinatum fuerit.

XVI. Nec tantùm *secretè*, sed & *singillatim* vota sunt exquirenda; & ita electores non vocentur *bini*, aut *terni*, sed *singuli*; quemadmodum indicat Concilium in verbis *secretè* & SINGILLATIM; idque, ut evitetur confusio, & insuper liberiùs vota sua sine metu & periculo revelationis exprimere possint.

XVII. Dicit Concilium, *vota* CUNCTORUM *diligenter exquirant*; quibus significatur, omnium omninò Electorum vota esse exquirenda: & si unius duntaxat omittatur, sive contemnatur, electio erit nulla.

XVIII. Debent autem vota exprimi *absolutè & determinatè*. Unde jam pridem Concilium Lugdunense sub Gregorio X. in *cap.* 2. *de Elect. in* VI. » in electionibus, & postulationibus » ac *scrutiniis*, ex quibus jus oritur eligendi, vota conditiona» lia, alternativa vel incerta penitùs reprobavit. «

XIX. Declarat deindè Concilium Lugdunense, hujusmodi vota habenda esse *pro non adjectis*, quod & procederet, licèt etiam alio ex capite vota essent nulla; uti rectè notat Barbosa loco citato, *num.* 200. qui & ait: » Si in Scrutinio per *schedulas* celebrato reperiatur aliqua schedula *alba*, tunc eâ re» jecta, ac si non esset, cætera vota numerantur. «

XX. Supponit Concilium, post votorum factam scrutationem in scriptis ea redigi, in verbis: ET IN SCRIPTIS REDACTA *mox publicent*. Hanc redactionem in scriptis esse de substantia hujus electionis dubitat nemo. Redigi autem debent per Scrutatores, vel per Notarium, uti notat Glossa, verbo *redacta*; additque: » Et quòd dicit *secretè*, Capitulum tantùm exclu» ditur, & non personæ necessariæ. « Glossam probans Fagnanus, monet, quòd ex praxi ubique recepta, Notarius, seu Tabellio intervenieus, & vota in scriptum redigens, possit esse laicus. Vota autem in scriptis redigi convenit, ne aliàs forsan posteà quæstio incidat, dicaturque, scrutatores memoria lapsos.

XXI. Votis in scriptum redactis, vult Concilium *mox publicetur in communi*, id est, fiat publicatio scrutinii, quæ & *publicatio consensuum* vocatur, *cap.* 48. ✠ *de Elect.* Per hanc enim publicationem aperiuntur vota eligentium, sive qui elegerint, idque *in communi*, » non exprimendo in quorum favorem data fuerint, vel quot ex electoribus in hanc vel illam » personam descenderint, sed tantùm explicando numerum per» sonarum, quæ suffragium tulerunt. « Ita Barbosa ibidem *num.* 216. post Ascanium Tamburinum de *Jure Abbatum*, *tom.* 1. *disp.* 5. *quæst.* 6. *num.* 15. qui & addit, » hanc publica» tionem ordinari ad majorem certitudinem collationis pos» teà faciendæ. «

XXII. Subdit enim Concilium: *ut is* COLLATIONE *habita eligatur*, *in quem omnes vel major & sanior pars Capituli consentit*. Hinc patet, à Scrutatoribus esse faciendam suffragiorum collationem, ut ex ea appareat, in quem major, & sanior pars Capituli consenserit.

XXIII. Quod ut sciatur, requiri videtur, ut collatio fiat non tantum numeri ad numerum, sed zeli ad zelum, & meriti ad meritum, ut post alios citatos docet Barbosa *num.* 219. Nam » particula illa *major* intelligitur respectu *numeri*, & alia *sanior* » denotat auctoritatem, zelum & meritum Electorum. « Quando autem fiat collatio *meriti ad meritum*, ibidem subjungit. Quidquid sit de necessitate hujusmodi collationis, inspecto jure communi, certum est hodie eam collationem esse obsoletam, solamque collationem *numeri ad numerum* esse notam; uti capite præcedente notavimus.

XXIV. Ex allegatis verbis Concilii statuunt Doctores, substantialiter requiri, ut factà votorum collatione, & publicato scrutinio fiat communis electio, quæ est unus actus totius Capituli, qui non dicitur consummari, donec aliquis nomine totius Capituli, electum pronuntiaverit; quod aliquando fit per unum de Electoribus à Capitulo ad hoc designatum. Si verò nulli sit commissum, fit ab eo, qui Capitulo præest, vel qui primam vocem obtinet; qui petit ab Electoribus: *Placet ne vobis electionem publicari?* Respondentibus illis, *Placet*; nomine omnium dicit, talem *eligo*, *electumque pronuntio*, *& in communi coram vobis pronuntio*: uti videri potest in formula apud Barbosam, *num.* 225.

XXV. Cæterum quia hæc electionis formula principaliter à Concilio Lateranensi præscripta est, pro eligendis Episcopis, Abbatibus, similibusque majoribus Prælatis, rarior est ejus in Belgio, uti & in Gallia usus; eò quòd non tantum Episcoporum, sed & aliorum majorum Prælatorum nominatio, Electionibus penè abrogatis, ad Regem (l) ex specialibus indultis & concordatis devoluta sit; quemadmodum de Episcopis & Abbatibus parte primâ ostensum est, & de primariis Dignitatibus in Ecclesiis Collegiatis ostendetur infrà.

In Ecclesiis verò, quæ Concordatis Germaniæ comprehenduntur, frequentior est hujus electionis usus, ob reservatas Capitulis Episcoporum, & Monasteriis Abbatum suorum electiones: sed sicuti de collatione *zeli ad zelum* notatum fuit, consuetudinem juri communi derogâsse, ita quoad alia minutiora potest Ecclesiarum consuetudini, citra nullitatem electionis, meritò aliquid deferri.

CAPUT V.

INTRA QUOD TEMPUS BENEFICIA CONFERENDA; ET DE JURE DEVOLUTIONIS.

1 *Beneficia conferenda intra* sex *menses.*
2 *Excipiuntur Episcopatus, & Prælaturæ Regulares; & quare.*
3 *Semestre computandum à die* notitiæ.
4 *Quando censeatur habita* notitia *vacationis.*
5 *Tempus hoc currit de momento ad momentum.*
6 *Lapsum temporis etiam impedit justum impedimentum.*
7 *Lapso tempore ad conferendum, Collatores excidunt jure conferendi; & an mora hîc purgari queat.*
8 *Post lapsum sex mensium jus conferendi devolvitur ad Superiorem.*
9 *Devolvitur ad Episcopum non Collatoris, sed Beneficii.*
10 *Episcopo negligente, ad quem de jure, & consuetudine fiat devolutio.*
11 *An collatione spectante ad Episcopum & Capitulum, devolutio fieri possit ad Capitulum.*
12 *An collatio per* turnum *inter Capitulum, & Episcopum mutet naturam devolutionis.*
* *Exponitur quomodo id præcisè sit intelligendum.*
13 *Utrum negligentia* Turnarii *noceat Capitulo.*
14 *In exemptis quomodo fiat devolutio.*
15 *Beneficia Regularia Regularibus, & Secularia Secularibus, etiam jure devolutionis, conferenda sunt.*
16 *Devolutio Beneficiorum fit cum qualitatibus, & conditionibus primæ collationis.*

I. IN Concilio Lateranensi sub Alexandro III. statutum legitur *cap.* 2. ✠ *de Conces. Præbendæ* » Cùm præben» das Ecclesiasticas, seu quælibet officia in aliqua Ecclesia vaca» re contigerit non diù maneant in suspenso, sed intra *sex men» ses* personis, quæ dignè administrare valeant, conferantur. Si » autem Episcopus, ubi ad eum spectat, conferre distulerit, » per Capitulum ordinetur. Quod si ad Capitulum pertinuerit, » & intra præscriptum terminum hoc non fecerit, Episcopus se» cundum Deum hoc cum religiosorum virorum consilio exequa» tur: Vel si omnes fortè neglexerint, Metropolitanus de ipsis » secundum Deum absque illorum contradictione disponat. «

Juxta hoc Decretum Beneficiis vacantibus provideri debet intra *sex* menses: idque sive per collationem, sive per electionem providendum sit.

II. Declarat tamen Innocentius III. in *cap.* 12. ✠ *de Concess. Præbendæ* Decretum hoc » ad Archiepiscopatum, vel » Episcopatum non solere extendi, sed ad Personatus alios, & » minora Ecclesiastica Beneficia coarctari. « Episcopatibus enim & majoribus Dignitatibus Regularibus provideri debere intra *tres* menses statuit Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *cap.* 41. ✠ *de Elect.* » Ne pro defectu Pastoris gregem do» minicum lupus rapax invadat, aut in facultatibus suis Ecclesia » viduata grave dispendium patiatur: volentes in hoc etiam » occurrere periculis animarum & Ecclesiarum indemnitatibus » providere. «

III. Semestre hoc, intra quod provisio Beneficiorum ex Decreto Concilii Lateranensis fieri debet, computandum est, non sim-

(l) *In Hispania etiam nullus est hodie hujus electionis usus (Præbendis vulgò de Officio exceptis) cùm absolutè, non solùm primarium Dignitatum, verùm etiam Beneficiorum Ecclesiasticorum, cujuscunque qualitatis, nominatio à Regis voluntate pendeat, l.* 11. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recopil. convent.* 1.

simpliciter à die vacationis ipsorum Beneficiorum, sed à die *notitiæ*; quemadmodum declarat Innocentius III. in *cap.* 3. ¤ *de Supplenda negligentia Prælat.* Et in *cap.* 5. *de Concess. Præb.* expressè ait: » Semestre autem tempus non à tempore vacatio- » nis, sed notitiæ ipsius potiùs volumus computari."

IV. Si vacatio Beneficii contigerit, eaque in loco Beneficii publicè innotuit, facilè præsumetur in Collatore notitia; nisi aliunde ignorantia probetur, juxta *Clem. unic. de Concess. Præbend.* rectèque monet Garcias de *Beneficiis part.* 10. *cap.* 2. *num.* 32. post alios ibidem citatos, *notitiam* hîc intelligi *veram* vel *præsumptam* vacationis, » quæ, ait, determinari debet per » judicem, considerata qualitate Beneficii, modo vacationis, & » longitudine temporis illius, distantiâ locorum, & famâ."

V. Deindè notat *num.* 43. tempus sex mensium currere *de momento ad momentum*, » ita quòd si Beneficium vacavit, & » fuit nota vacatio 1. Martii horâ 11. usque ad 1. Septemb. ho- » ra 10. per totam, & non post, providere possunt."

VI. Sicuti justa ignorantia impedit jus devolutionis, eò quòd justè ignorans *negligens* dici nequeat; ita quoque aliud quodcunque impedimentum jus collationis reservat; idque sive fuerit *juris* impedimentum, sive *facti*; uti monet Rebuffus in *Praxi Benef. part.* 1. *tit. de Devolut. num.* 13. & apertè fundatur in *cap.* 5. ¤ *de Concess. Præb.* ubi respondet Innocentius III. tempus suspensionis Archiepiscopi in *sex* mensibus nullatenùs computari. Rationem addit: » Cùm illa Lateranensis Concilii » constitutio contra *negligentes* tantùm fuerit promulgata; & » tunc si voluerit, non tamen valuerit Archiepiscopus in con- » ferendis Præbendis uti propriâ potestate.

Denique subdit: » Tempus etiam, quo ad Sedem Aposto- » licam accessit, & apud illam permansit, vel recessit ab illa, in- » tra *sex* menses nullatenus computetur."

VII. Sex mensibus à notitia vacationis elapsis, nî justum impedimentum probetur, Collatores, & electores jure providendi Beneficio exciderunt, adeò quidem, ut inspectâ juris dispositione, ipsa collatio, aut electio, post lapsum sex mensium sit nulla, *cap.* 3. & 5. *de Suppl. negl.* atque ad *cap.* 3. verbo *Imponatis*, ait Glossa: » Hîc evacuatur opinio illorum, qui dicunt, » quòd mora in electionibus possit purgari." Hanc opinionem Glossæ, quamvis plures Doctores de *jure* veram esse non sine fundamento substineant, nihilominus uti notat Zypæus in Jure Novo *tit. Ne Sede vacante*, *num.* 1. » In his partibus, quandiu » Superior nihil præstitit, inferiores judices conferunt." Hoc & menti Concilii Lateranensis conformius esse, credit ibidem Zypæus.

VIII. Post lapsum sex mensium jus conferendi ab inferiore collatore devolvitur ad ejus immediatum Superiorem, *cap.* 3. ¤ *de Suppl. negl. Prælat.*

Itaque si Capitulum negligens fuerit, devolvitur ad Episcopum; etiamsi ipse Episcopus unà cum Capitulo habeat jus conferendi; sed non ut Episcopus, sed ut Canonicus, *cap.* 15. ¤ *de Concess. Præbendæ.*

IX. Et quidem devolutio fit ad Episcopum non collatoris negligentis, sed ad illum, in cujus Diœcesi situm est Beneficium, in cujus collatione negligentia est commissa. Rebuffus *loco citato*, *num.* 39.

X. Si autem ipse Episcopus negligens fuerit, devolvitur provisio ad Archiepiscopum, & ab hoc ad Primatem, & hinc ad summum Pontificem, *cap. fin.* ¤ *de Suppl. negl. Prælat.* Hisce in Provinciis Primates non sunt; unde ab Archiepiscopis immediatè devolutio fit ad Summum Pontificem, & in Regno Galliæ unicus est Primas Lugdunensis, ad quem jus conferendi à quibusdam Archiepiscopis devolvitur. (m) Rebuffus *loco citato*, *num.* 23. & 24.

XI. Juxta citatum Decretum Concilii Lateranensis in *cap.* 2. ¤ *de Concess. Præbend.* subindè etiam ab Episcopo jus devolvitur ad Capitulum; at hoc hodie non servatur, uti ibidem *num.* 23. monet Rebuffus, & Choppinus *lib.* 1. *de Sacr. Polit. tit.* 3. *num.* 13. Si tamen collatio spectaret conjunctim ad Capitulum & Episcopum, ita ut Episcopus Capitulum indicere, atque Capitulo præsidere debet; & in collatione suffragium cum reliquis Canonicis haberet; si Episcopus conferre negligeret, posset indubiè Capitulum intra tempus præscriptum ad collationem procedere; & Decanus, aut Senior Capituli convocare Capitulum: ne aliàs in potestate Episcopi esset, Capitulum jure conferendi privare, & juri devolutionis locum facere.

XII. Si collatione spectante ad Capitulum & Episcopum, conventum sit, ut *per turnum* conferantur, nunc per Capitulum, nunc per Episcopum solum; si Capitulum negligat, devolutio fiet non ad Episcopum, qui est par collator cum Capitulo, sed ad Archiepiscopum, ait Garcias *de Benef. part.* 10. *cap.* 3. *num.* 35. » quia divisio non tollit, aut mutat jus devo- » lutionis, quæ est ad proximum Superiorem, & non ad eun- » dem inferiorem, qualis est in hoc casu Episcopus."

* Quod hîc ex Garcia observatum fuit, ob neglectam collationem jus conferendi devolvi ad Metropolitanum, si Episcopus in suo turno solus conferat, procedit in casu, quo non obstante divisione *turni* in Episcopum & Capitulum, jus conferendi remanet *simultaneè* penes Episcopum & Capitulum; ita ut jus designandi personam potiùs, quàm ipsum jus collationis dici debeat divisum; quemadmodum contingere solet, ubi inter Canonicos jus conferendi *per turnum* Beneficia, est introductum: aliàs si jus collationum reverà esset divisum inter Episcopum & Capitulum, ita ut in suo turno Capitulum, excluso Episcopo, integrum jus conferendi in *solidum* haberet, non videtur quòd Episcopus à jure devolutionis, negligente Capitulo intra tempus conferre, esset excludendus; cùm eo casu non esset par cum Capitulo Collator.

XIII. Similiter si *Turnarius* negligat præsentare intra tempus præscriptum, Capitulum aliud tempus non habet; ut ibidem *num.* 36. monet Garcias: Nam committens, & commissarius non debent habere nisi unum terminum, seu semestre, ait *num.* 38.

XIV. Hæc quidem si agatur de non exemptis. Ab exemptis enim, & Romano Pontifici immediatè subjectis non fit devolutio ad Episcopum; sed immediatè ad Pontificem tanquam exemptorum immediatum Superiorem, *cap.* 2. & 3. *de Suppl. neglig. Prælat.* 5.

Si Regulares Prælati Prioratus, Ecclesias, administrationes, aut quævis alia Beneficia ad eorum collationem spectantia, intra tempus à Concilio Lateranensi præscriptum conferre negligant, » Diœcesani locorum in non exemptis suâ, in exemptis » verò Apostolica auctoritate, negligentiam super hoc suppleant » eorundem," ait *Clem. Unica de Suppl. negl. Prælat.*

XV. In eadem Clementina præcipitur Diœcesanis, ut supplendo negligentiam Prælatorum conferant Beneficia servata Beneficiorum conditione & qualitate; » illa videlicet, quæ con- » sueverunt per Seculares Clericos gubernari, secularibus Cle- » ricis: alia verò, quæ Religiosis duntaxat committi sunt soli- » ta, vel conferri, Religiosis Monasteriorum, quorum Præla- » ti negligentes fuerint conferendo."

XVI. Hinc statuitur hæc regula à Canonistis; *devolutio fit cum qualitatibus, & personis, quæ in prima erant collatione.* Ita Rebuffus *loco cit. num.* 43. qui inde *num.* 41. infert, » si » Episcopus conferre debeat Nominato, ita tenebitur Archie- » piscopus, ad quem devolutum erit. Item, si quis debebat con- » ferre alicui de genere (ait *num.* 42.) fundatoris, ut is, ad » quem devolutio facta est, teneatur sic conferre."

Idipsum in aliis quoque Beneficii qualitatibus dicendum: quia ipse Superior duntaxat intrat in jus ipsius collatoris ordinarii; & consequenter eodem jure, iisdemque legibus uti debet: quamvis Rex succedens jure Regaliæ in collationes Episcoporum, Sede vacante, in aliquibus utatur jure nonnihil liberiore, quàm ipse Episcopus uti posset, ut infrà notabitur; sed id ob eminentiam Regis specialiter receptum est.

(m) *Id non est hodie accuratè verum. Quippè cum anno* 1675. *Albinga ad Archiepiscopatum erecta est, Archipræsul Bituricensis huic erectioni suum dare consensum noluit, nisi ea lege, ut integra jurisdictio & jura omnia Primatuum Sedi Bituricensi conservarentur in Albingam Metropolim & Diœceses ejus suffraganeas. Quæ quidem jura non tantùm Archiepiscopo Bituricensi; sed etiam ejusdem urbis Capitulo Sede vacante, concessa sunt Concordatis, quæ hac de re habita fuere* 7. *Maii ann.* 1675.

TITULUS XXII.

De Concursu ad Parochiales.

CAPUT I.

PROPONITUR, ET JUSTIFICATUR FORMA CONCURSUS A SYNODO TRIDENTINA PROPOSITA : ET QUOMODO PROPONENDUM EDICTUM CONCURSUS.

1 *Synodus Tridentina novam formam providendi Ecclesiis Parochialibus induxit : & quis scopus Decreti.*
2 *Scopus Decreti magis attendendus, quàm cortex verborum.*
3 *Quomodo in Belgio receptum.*
4 *Duplex forma indicendi Concursum proponitur.*
5 *Arguitur hæc forma tanquam Clericorum ambitioni & præsumptioni serviens.*
6 *Hæc oppositio priori formæ opponi non potest.*
7 *Posterior forma tantùm quasi* subsidiariè *à Synodo proposita fuit.*
8 *Synodus noluit per hanc formulam infringere regulas legitimæ vocationis ; neque clericorum ambitionem fovere.*
9 *Probatur auctoritate S. Caroli.*
10 *Rationes, ob quas formula hæc videatur Clericorum ambitioni subservire.*
11 *Mens Synodi non fuit, ut quis se concursui sistat, qui non sit de sua vocatione sat securus.*
12 *Optandum esset, ut omnes* nominatim *ab Episcopo vocari possent : sæpè tamen securiùs ab alio vocationem suam intelligunt Clerici.*
13 *Per edictum ad concursum soli vocantur, qui satis de sua vocatione sunt securi.*
14 *Quare potiùs posterior, quàm prior forma hîc recepta.*
15 *Necessitas legitimæ vocationis ad Beneficia præsertim Curata.*
16 *Edictum indicti concursus ita proponi debet, ut in* omnium *passim notitiam venire possit.*
17 *Quod tempus præfigendum in Edicto, intra quod vocati se examini sistere teneantur.*
18 *Tempus intra quod Edictum sit proponendum, Synodus Trid. non determinat ; S. Carolus intra* triduum *proponi voluit.*
19 *Synodi Belgicæ tempus non definiunt ; volunt tamen citissimè Ecclesiis Parochialibus provideri.*

I. SYnodus Tridentina expendens, quantoperè interesset salùti animarum, ut singulis Parochiis boni, idoneique Pastores, qui verbo, & exemplo populum pascerent, præficerentur ; novam providendi Ecclesiis Parochialibus formam, temporum conditioni accomodatam, introduxit, & observari præcepit. *Sess.* 24. *cap.* 18. *de Reformat.*

Hunc fuisse scopum Decreti significat ipsa Synodus, præfationis loco hæc permittens : » Expedit maximè animarum sa» luti, à dignis, atque idoneis Parochis gubernari : id ut diligen» tiùs ac rectiùs perficiatur, statuit &c.“

II. Hinc rectè deducit Zypæus *consult.* 1. *de Election.* in hac provisionis forma præcipuè esse attendendam salutem animarum, cui ipsa Synodus per suum Decretum optimè provisum voluit ; hancque apicibus juris prævalere, » ut potiùs ea » attendatur, quàm unius jotæ defectus in concursu obrepens. « Deindè subjungit *num.* 7. » Ut si unquam verum sit, eum pec» care in legem, qui verba legis amplexus, contra legis nititur » voluntatem, id maximè hîc obtineat.“

Relatis post hæc nullitatibus concursus, quas Barbosa, aliique passim, attentis verborum apicibus, inducunt, ostendit, hisce in regionibus magis ex mente, & scopo ipsius Concilii, quàm juxta verborum apices formam concursus esse receptam. Hanc libertatem, & ipsa Synodus Tridentina indulsisse videtur, dum in fine sui Decreti declarat : » licere etiam Synodo Provin» ciali, si qua in supradictis circa examinationis formam adden» da, remittendave esse censuerit, providere.“

III. Itaque in Belgio forma provisionis, prout à Concilio præscripta est, ferè ubique recepta est, (n) neglectis tamen, pro temporum & locorum conditione, nonnullis verborum apicibus ; nimirum magis ipsius Synodi mente, & scopo, quam exteros verborum cortice attentis, uti in sequentibus notabitur.

(n) *Quod etiam in Hispania receptum est, & hodie virtute conventionis tertiæ, quæ extat in leg.* 11. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recop. non solùm Ecclesiæ Parochiales Beneficiaque Curata deinceps prævio concursu & examine debent conferri, quando in mensibus Ordinarii vacaverint, verùm etiam in Reservatis & etiamsi juris Patronatus fuerint, reservatò tamen in eis præsentationis jure illis, quod à jure tenentur.*

IV. Primò itaque statuit Synodus, ut cùm Parochialis Ecclesiæ vacatio quomodocunque contigerit, » Episcopus, & qui » jus Patronatus habet, intra decem dies, vel aliud tempus » ab Episcopo præscribendum idoneos aliquot Clericos ad re» gendam Ecclesiam coram deputandis Examinatoribus nomi» net. Liberum sit tamen aliis, qui aliquos ad id aptos nove» rint, eorum nomina deferre, ut possit posteà de quibusli» bet ætate, moribus, & sufficientia fieri diligens inquisitio. Et » si Episcopo, aut Synodo Provinciali pro regionis more vide» bitur magis expedire, per Edictum etiam publicum vocentur, » qui volent examinari. «

V. Scribitur, à nonnullis è Patribus Tridentinis huic formæ indicendi concursum fuisse oppositum, » illum concursum » peritorum locum dare nimis apertum, & publicum ambitio» ni. Prisci temporis Patres professos, Ecclesias à se dari *re» cusantibus* eas ; nova autem ista ratione introduci, ut non mo» do illas apertè procuraret, sed etiam dignum se profiteri, & » captare fas esset (o). «

VI. Quidquid sit de veritate hujus relationis, hoc certum est, Synodum hîc proposuisse duplicem formam evocandi Clericos ad concursum.

Priori formæ allegata in contrarium ratio convenire non potest. Eâ enim formâ servatâ, non ipsi ad concursum venientes *propriâ* voluntate se ad Ecclesias præsentant ; sed ab Episcopo, aliove auctoritatem habente *speciatim*, ac nominatim vocantur, & examinatoribus tanquam idonei præsentantur.

VII. Quoad posteriorem formam, notandum imprimis, quod hæc forma tantùm à Patribus quasi subsidiariè proponatur, ut si prior servari non queat, hæc assumi possit ; si Episcopo aut Synodo Provinciali pro *regionis more* magis videbitur expedire : ita ut eam magis permittere pro temporum circumstantiis, quàm *absolutè* probare videatur.

VIII. Adhæc indubitatum est, Synodum Tridentinam per hanc posteriorem formam evocandi per *Edictum publicum*, noluisse infringere, vel in minimo labefactare regulas *legitimæ vocationis* à Patribus jampridem præscriptas ; sed voluisse firmam manere regulam ab Apostolo expressam : *Nemo sumit sibi honorem, sed qui vocatur à Deo tanquam Aaron* : Imò nec intendisse probare, Clericorum ad Beneficia præsertim *Curata* cursitationes, & solicitationes. Noverat enim jam pridem ex mente Patrum dictum à Sancto Thoma : » Si aliquis pro » se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsump» tione redditus indignus. « 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 5. *ad* 3.

IX. Noverat id S. Carolus, qui promovendis rebus Concilii hoc ipso tempore, quo Decretum editum fuit, intendebat, qui idcirco hac formâ uti haud formidabat, edictumque publicum proponendum statuit in Concilio Provinciali I. *quo omnes invitentur, qui volent examinari, vel alios examinandos nominare* : hancque formam à Synodo, *re diligenter considerata* electam esse ibidem asseritur.

Quis verò suspicetur, quòd unquam induci potuisset hic sanctissimus Præsul, ut hæc forma evocandi Synodali Decreto, pro tota sua Provincia probata fuisset, nisi scivisset, etiam cum hac forma regulas legitimæ vocationis ad Beneficia, præcipuè Curata posse consistere, neque per eam Clericorum ad Beneficia curata capessenda ambitionem, vel aviditatem foveri, aut excitari. Scitur enim quàm solicitus fuerit, ut » darе» tur opera à Confessario Seminarii, præcipuè in sermonibus, » & confessionibus, ut omnis ex Clericorum mentibus sitis & » aviditas Beneficiorum tollatur ; proindè videatur, ut ea de re » ne ipsi quidem inter se colloquantur ; ac iis sæpiùs inculcetur, » quàm aversi ab omni rerum humanarum cogitatione, Eccle» siastici Ordinis homines in via Domini ambulare debeant.

X. At dicet quispiam, dum ejusmodi edictum publicum appenditur, nonne omnes passim Clerici excitantur, & monentur, ut qui Beneficium Parochiale vacans desiderat examini se sistat ; atque ad illud quasi ad præmium studiis, & eruditioni propositum concurrat? Nonnne qui se ad simplicem hujusmodi edicti publicationem examini præsentat, & ad Beneficium Parochiale concurrit, ostendit, se Beneficium illud desi-

(o) *Hæc erat in Conc. Tridentino ratio Gallorum Præsulum, ut concursum ad Beneficia Curata improbarent. Synodi Trid. hac de re Decretum in Galliis ubique receptum non fuit, viget tamen ejus executio in minori seu Aremorica Britannia. Legatur eruditum opus* des Loix Ecclesiastiques *à D. de Hericourt elaboratum edit.* 1743. *prima Part. pag.* 235. 236.

siderare, quando specialiter ab Episcopo non vocatus, proprio motu accurrit?

XI. Certum est mentem Ecclesiæ non esse, ut ad publicationem edicti quispiam se sistat, qui non priùs seriò examinaverit, num ad curam animarum à Deo sit vocatus; signaque tam internæ, quàm externæ vocationis pro rei magnitudine discusserit: quin & intima conscientiæ scrutatus sit, an ad curam animarum non *proprii* commodi aut vanæ gloriæ intuitu, sed ad promovendam Dei gloriam, & salutem animarum procurandam unicè moveatur.

XII. Verum quoque est, quòd conveniens esset ut nemo ad curam animarum, nisi Episcopo specialiter vocante & movente applicaretur; atque ita vocationem suam ab ipso intelligeret. Dubitari tamen nequit, quin frequenter possit contingere, ut quis per alium, qui vitam totumque ejus statutum intimè novit, meliùs ac securiùs vocationem suam, quàm per solum Episcopum, cui sæpè parùm notus est, intelligat.

Sic Theologi in Collegiis Academicis studentes sæpè multo securiùs à pio, docto, & zeloso Præside vocationem suam accipient, quàm ab Episcopo, cui eorum vita, & conversatio, aliaque in dijudicanda vocatione attendenda, minùs perspecta esse solent.

XIII. Itaque dum per dictum vocantur omnes qui volent examinari, soli ii vocari censentur, qui in se tam internæ, quàm externæ vocationis sufficientia indicia habent: & licèt non ab Episcopo, ab alio tamen, qui locum Episcopi supplet, ad curam ita se mitti intelligunt, ut merito confidant, quòd à Deo vocentur, & à Christo in vineam suam mittantur, seu potiùs extrudantur.

XIV. Quia autem hodie tum propter latitudinem Diœcesium, tum ob erectas publicas Academias, ad quas ex omnibus Diœcesibus indifferenter Clerici studiorum causa concurrunt, vix fieri potest, ut Episcopi omnium Clericorum exactam notitiam accipere queant; ideò hæc posterior forma à Synodo Tridentina proposita ubique passim recepta fuit; ut hoc pacto etiam ii, qui Episcopo minùs noti sunt, se examini sistere queant, modò tamen aliundè sat securi de sua vocatione reddantur.

XV. Quàm autem necessaria sit legitima vocatio ad Beneficia Ecclesiastica, præcipuè Curata; quamque periculosum, etiam optimâ intentione suscipere regimen animarum à Deo non vocatum, eruditè, ac solidè ostendit Antonius Godeau Venciensis Episcopus in *Discursu de vocatione ad Statum Ecclesiasticum*; una notas legitimæ vocationis è Patribus assignans; meritò legendus, ac serio examinandus, & ruminandus a junioribus Clericis, qui se ad statum Ecclesiasticum vocatos nonnumquam nimis facilè credunt.

XVI. Edictum hoc ita affigendum est, ut finis illius obtineatur, id est, ut per illud vocentur *omnes*, qui examini se sistere volent. Unde nec locus ubi affigi debeat, nec tempus, quo affixum remanere, à Synodo determinata sunt; sed ea arbitrio Episcoporum relicta, ut hi despiciant qui pro more, & circunstantiis locorum fieri expediat, ut effectus edicti habeatur, id est, in *omnium* notitiam indictio concursûs perveniat quatenus plures examini se sistentes, possint capaciores Ecclesiis Parochialibus præfici. Quare non tantùm Archiepiscopus Mechliniensis, in cujus Diœcesi est universitas Lovaniensis, sed alii Episcopi edictum indictionis concursus ad scholas publicas dictæ Universitatis affigi jubent, ut hoc pacto ad notitiam Clericorum ibidem studentium venire possit.

XVII. Debet Edictum continere tempus intra quod qui examinari volent, se Episcopo, & Examinatoribus sistere debeant. Cùm verò edictum hoc in locum nominationis ab Episcopo, aut patrono faciendæ ex præscripto Synodi Tridentinæ subrogetur, videtur juxta mentem Synodi tempus illud esse *decem* dierum: nisi tamen Episcopus ex causa rationabili prorogandum duxerit; quam prorogationem ultra alios decem dies extendi vetuit Pius V. in Bulla super forma concursûs, quæ incipit: *In conferendis 33. in Bullar. Roman.* At hic in Belgio hæc Bulla Pii V. saltem quoad hoc punctum recepta non videtur; sed juxta verba Concilii Tridentini tempus hoc arbitrio Episcopi relictum apparet. Dicit enim Concilium nominandos esse ab Episcopo, aut Patrono Clericos aliquos idoneos intra decem dies vel aliud tempus *ab Episcopo præscribendum*; unde Zypæus monens, nullatenus attendendum ad apices, quos nonnulli in forma concursûs sub pœna nullitatis requirunt, iis annumerat & hunc, quòd *edictum propositum fuerit cum majori termino quàm viginti dierum.*

XVIII. Quando autem edictum sit affigendum, Synodus Tridentina non determinavit. Sanctus Carolus in Concilio I. Mediolanensi statuit: » Ut cùm primum Episcopus Parochialem Ec» clesiam vacare cognoverit, intra *triduum* ad Cathedralis, & » vacantis Ecclesiæ januam publicum edictum per totos dies, » vel aliud longius tempus, ejusdem Episcopi arbitrio propo» situm esse jubeat. «

XIX. Synodi Belgicæ nullum tempus proponendo edicto, sive concursui indicendo determinant; hoc unum monet Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 17. *cap.* 6. » Ecclesiis Parochialibus » vacantibus curabunt Episcopi & Archidiaconi, ut quàm fieri » poterit *citissimè*, iisdem de idoneis Pastoribus provideatur. «

CAPUT II.

Quæ Ecclesiæ Parochiales Concursui sint subjectæ.

1 *Forma concursûs potissimùm ex Decreto Concilii Tridentini petenda.*
2 *Refertur Decretum Concilii exprimens Ecclesias Concursui subjectas.*
3 *Decretum suâ generalitate quascunque Ecclesias Parochiales complecti videtur.*
4 *In multis usu, & interpretatione restrictum, & quare.*
5 *Prima restrictio quoad Ecclesias Curatas in Ecclesiis Collegiatis.*
6 *Secunda restrictio in Ecclesiis Parochialibus, quibus deservitur per Vicarium* amovibilem.
7 *Parochiales, quibus præest Vicarius* perpetuus, *subjacent concursui.*
8 *Declarationes Cardinalium contrariæ innituntur Bullæ Pii V. hîc non promulgatæ.*
* *Fit quædam difficultas adversus Concursum, cui Vicariæ perpetuæ subjacent.*
* *Ea difficultas solvitur.*
9 *Tertia restrictio quoad Parochiales annexas Dignitati.*
10 *Restrictio hæc fallit, si dignitas sit annexa Parochiali.*
11 *Decretum Concilii comprehendit Ecclesias* Patrimoniales.
12 *Quomodo* Patrimoniales, *uti nominati Academici in concursu aliis sint præferendi.*
13 *Synodus omnem vacationis modum suo Decreto comprehendisse videtur.*
14 *Exceptus modus vocationis per resignationem in* favorem; *& quo fundamento.*
15 *Idque sive provisio fiat in Curia Rom. sive in partibus.*
16 *Idem est de* permutatione.
17 *Hæ exceptiones* usu *receptæ sunt.*
18 *Reservatio non impedit concursum.*
19 *Cur Concilium expresserit nominatim reservationem in favorem* Cardinalium.
20 *Concilium complectitur etiam Ecclesias juris Patronatûs.*
21 *Excipit tamen Ecclesias Patronatûs* laici.
22 *Ecclesias Juris Patronatûs* mixti *nonnulli volunt concursui esse subjectas.*
23 *His consonat Constitutio Pii V.*
24 *Aliud habet praxis harum Provinciarum, si laicus cum Ecclesiastico in præsentatione concurrat.*
25 *Quid si per* Turnum *præsentent.*

I. QUandoquidem forma provisionis per concursum primùm introducta & præscripta sit per Synodum Tridentinam, ex hujus potissimùm Synodi Decreto desumenda sunt, quæ ad formam hujus provisionis pertinent; atque in terminis hujus Decreti hærendum, præsertim in his dictionibus, » Ubi Concilium receptum, prout sonat, non ut quo» tidianæ interpretationes, Decreta, aut constitutiones Româ » adferri possint, quæ præter mentem Concilii, Decretum al» terent, amplient, aut restringant; « ait Zypæus *Consult.* 1. *de Elect. num.* 6. Quare nec Bulla Pii V. formam concursûs describens hisce in ditionibus usu recepta est, uti suprà notavimus; & infrà adhuc notabitur.

II. Itaque ut sciatur in quorum Beneficiorum provisione servanda sit forma concursûs, ipse textus Concilii Tridentini potissimùm expendendus est.

Verba ergo Synodi sunt, *Sess.* 24. *cap.* 18. *de Reformat.* » Cùm Parochiâlis Ecclesiæ vacatio, etiamsi cura Ecclesiæ, vel » Episcopo incumbere dicatur, & per unum vel plures admi» nistretur, etiam in Ecclesiis patrimonialibus, seu receptivis » nuncupatis, in quibus consuevit Episcopus uni vel pluribus cu» ram animarum dare, quos omnes ad infrascriptum examen te» neri mandat, per obitum, vel resignationem, etiam in Cu» ria, seu aliter quomodocunque contigerit, etiamsi ipsa Pa» rochialis Ecclesia reservata, vel affecta fuerit generaliter vel » specialiter, etiam vigore indulti seu privilegii in favorem S. Ro» manæ Ecclesiæ Cardinalium; seu Abbatum, vel Capitulorum, » debeat Episcopus &c. «

III. Hac generali expressione cum omnibus clausulis ampliantibus, sat insinuat Synodus, se velle, ut forma concursûs præscripta, in cujuscunque Ecclesiæ Parochialis provisione, quantum conditio temporum ferebat, servaretur: eò quòd expediat maximè animarum saluti, à dignis, atque idoneis Parochis gubernari; id quod per provisiones in forma hîc præscripta rectiùs obtineri posse confidebat.

IV. Verùm quia hic providendi modus observari non potest,

test, nisi inferiorum Collatorum, & Patronorum jus sæpiùs diminuatur, uti infra videbitur : mirum quomodò paulatim subtili interpretatione, usuque contrario Decretum tam generaliter conceptum in multis restrictum sit.

V. Imprimis licèt Concilium velit concursum fieri, tametsi cura *Ecclesiæ* vel *Episcopo* incumbere dicatur, & per *unum* vel *plures* administretur; nihilominus receptum est, sæpiusque declaratum, non esse locum concursui, quando cura animarum spectat ad Ecclesiam Collegiatam, & cura exercetur per Canonicos vel Hebdomadarios, vel alios Clericos; ita Gonzalez ad *Regulam* 8. *Cancellariæ*, *Glossa* 6. *num.* 158.

Idipsum refert Garcias *de Beneficiis*, *part.* 9. *cap.* 2. *n.* 180. qui tamen ibidem *num.* 176. fatetur: quòd similia Beneficia sint *curata* ex hoc Decreto Concilii: atque attentis verbis Concilii, censuisse aliquando Rotam in hujusmodi Beneficiis esse locum concursui, ob expressa verba Concilii jam citata.

Deinde recitatis contrariis declarationibus S. Congregationis concludit *num.* 18. » Unde dictum Decretum Concilii de » concursu faciendo, non videtur receptum, seu intellectum ex » auctoritate Papæ, & S. Congregationis Concilii quoad Bene» ficia, quorum cura per plures administratur, maximè in Ec» clesia Cathedrali, vel Collegiata. «

VI. Quin & usu receptum est, concursum non habere locum, si cura sit penes Capitulum aut Monasterium, vel aliquam Dignitatem, & excerceatur per *unum*, sed Vicarium amovibilem; eò quòd per mortem talis *Vicarii* non videatur vacare Ecclesia Parochialis, qui neque *verum* Beneficium Parochiale habere censendus est.

VII. Sed quid si Ecclesia Parochialis quidem sit unita & incorporata alicui Monasterio, aut Capitulo vel Dignitati; sed cura actualis sit penes Vicarium *perpetuum*, qui instar veri beneficiati instituatur? Contrariæ hîc in speciem referuntur S. Congregationis declarationes; quemadmodum videre est apud Pyrrhum Corradum in *praxi Beneficiorum*, *lib.* 3. *cap.* 3. & Massobrium *in praxi habendi concursum ad vacantes Parochiales*, *Præludio* 14. ubi notat ex Rebuffo, aliisque: » quòd disposita in » Beneficiis Curatis locum habere videantur in Vicariis *perpe*» *tuis*; & Vicaria *perpetua* dicatur Beneficium Ecclesiasticum; » & hujusmodi Vicarii habeant verum titulum; ideoque non pos» sint removeri etiamsi Rector principalis moriatur.

Si itaque erecta sit Vicaria in titulum, omnisque cura animarum in Vicarium translata, solo nomine Pastoris primitivi sine ulla cura animarum, aut jure ad functiones Pastorales penes Capitulum, Monasterium, aut Dignitatem remanente, tali casu concursui locum esse, asserit post Garciam aliosque Massobrius *loco citato*, *dub.* 2.

Et sanè cum reipsa penes hujusmodi Vicarium sit titulus Beneficii Parochialis, eique non secus atque vero Parocho cura incumbat; & per ejus mortem Ecclesia Parochialis verè vacare dicatur, vis inferretur Decreto Concilii tam generalibus & enixis terminis concepto, si similes Vicarias concursui non subjectas esse diceremus.

VIII. Referuntur quidem nonnullæ declarationes Cardinalium, quæ Vicarias *perpetuas* concursui non esse subjectas declarârunt, uti post Garciam refert Massobrius *loco citato*. Sed notat Gonzalez, hasce declarationes potissimum inniti Constitutioni Pii V. de Vicariis perpetuis, quæ incipit *Ad exequendum*, 46. *in Bullar. Roman.* quæ Vicarias perpetuas à concursu eximit; eamque eatenus ipsi Concilio derogâsse; dicitque consequenter non esse servandam formam Concilii, sed formam dictæ Constitutionis; » quatenus (ait) sit *contraria* Con» cilio, quia est posterior per quatuor annos à publicatione dic» ti Concilii. « Hæc ad *Reg.* 8. *Canc. Glossa* 5. §. 3. *num.* 53. Hoc autem intelligi debet de locis, in quibus hæc Constitutio Pii V. recepta probatur: quod hisce in partibus hactenus contigisse non videtur; ideoque & Ecclesias Parochiales licet Monasteriis, & Capitulis unitas, & per Vicarios perpetuos deserviri solitas, concursui exponi, & juxta formam à Concilio præscriptam conferri videmus, & pro concursu judicâsse Senatum Brabantiæ contra Capitulum Nivellense, testatur Zypæus *Consult.* 2. *de Elect.*

* Verùm quamvis fateatur Zypæus, Consilium Brabantiæ judicâsse Vicarias perpetuas subjacere concursui, uti suprâ monuimus, ipse tamen super hac quæstione consultus respondit, verius esse Parochiales Ecclesias, quoad titulum Capitulis aut Monasteriis unitas & incorporatas, nequaquam subjectas esse concursui, tametsi etiam auctoritate Episcoporum in *Vicarias perpetuas* postmodum fuerint erectæ.

Idque hoc unico, ut apparet, fundamento, quòd titulus Beneficii Parochialis, non obstante hac erectione, maneret extinctus, adeoque decedentibus Vicariis, non posset dici, Ecclesias illas verè vacare.

* Verùm in hoc fallitur Zypæus: per erectionem enim *Vicariæ perpetuæ*, rursus novus, ac verus titulus Parochialis per Episcopum erigitur, & vigore hujus sic erectæ Vicariæ perpetuæ, Vicarius perpetus verum titulum Ecclesiasticum, & Beneficium Parochiale consequitur.

Ulteriùs vigore hujus tituli, per Canonicam institutionem, & possessionem, assequitur jus ad omnes functiones ad curam animarum spectantes, sive verum jus Parochiale, unà cum jure ad competentiam pastoralem, aliaque jura Parochialia, ut & propterea Vicariæ perpetuæ à Canonistis *vera* Beneficia reputentur, ut *num.* 7. notatum est.

Verùm quidem est, quòd non obstante hac in Vicariam perpetuam erectione, nihilominus non totaliter annulletur ejusdem Ecclesiæ Parochialis incorporatio, sive unio, saltem quoad temporalia, & jura honorifica, aliave curam & regimen spirituale animarum non attingentia; sed hæc incorporatio manens salva post erectionem Vicariæ perpetuæ, non impedit erectionem *veri tituli* Parochialis, sed id unum operatur hæc remanens incorporatio, quòd Vicarius perpetuus vigore hujus tituli, sive Vicariæ perpetuæ, non consequatur jus percipiendi omnes decimas, & proventus de jure communi, ad Ecclesiam Parochialem pertinentes, sed ob factam unionem duntaxat jus ad competentiam pastoralem consequantur.

Verùm hæc decimarum, aut proventuum aliorumve jurium ad Monasteria, aut Capitula transalatio, non impedit veri tituli conditionem, non magis quàm si citra unionem, sive incorporationem à Beneficio Parochiali pars proventum abstraheretur.

Igitur rectè judicavit Concilium Brabantiæ, Vicarias perpetuas, conformiter ad Decretum Concilii Tridentini, concursui esse subjectas.

Accedit, quòd, cùm Concilium Tridentinum per suum Decretum intenderit modum præscribere & formam, qua salubriùs possit saluti animarum provideri, omninò à mente Concilii Tridentini videretur alienum, ejusmodi Vicarias perpetuas à concursu eximere: quandoquidem per has Vicarias Ecclesiis Parochialibus de Rectoribus non minùs provideatur, quàm per Beneficia Parochialia non incorporata.

Et sanè, si Ecclesiæ Parochiales Capitulis, aut Monasteriis incorporatæ, & in quibus per Vicarios perpetuos cura animarum exercetur, à concursu eximerentur, vix ullæ Ecclesiæ Parochiales ex Præscripto Concilii Tridentini concursui subderentur; quandoquidem pleræque præsertim rurales Capitulis, aut Monasteriis reperiantur incorporatæ.

X. Si Ecclesia Parochialis sit annexa Dignitati, ipseque obtinens Dignitatem *per se* exerceat curam animarum, verusque Pastor sit, atque Parochialem Ecclesiam obtineat, eam nec hoc casu concursui subjacere, communis est Doctorum interpretatio, quam & usus recepit: si nimirùm ipsa parochialis *accessoriè* unita sit; quo casu fieri collationem Dignitatis, potiùs quàm Ecclesiæ Parochialis crediderunt; ideoque hîc propriè non esse casum Concilii Tridentini loquentis de collatione, seu provisione Ecclesiæ Parochialis. Atque hinc rursus apparet, quòd decretum Concilii Tridentini strictè, & ad verborum rigorem interpretandum crediderint: quod quàm conforme sit menti ipsius Concilii, hanc formam concursûs præscribentis, ut diligentiùs ac securiùs saluti animarum provideretur, alii viderint.

X. Interim si Canonicatus, aliudve Beneficium sit unitum Ecclesiæ Parochiali viâ *suppressionis* vel *accessionis* concursui eam subjectam esse dubitari nequit. Parochialis enim eo casu manet in suo *integro* ac *naturali* statu; atque per mortem possessoris verè contingit vacatio Ecclesiæ Parochialis; & propriè provisio fieri debet de Ecclesia Parochiali.

XI. Vult Concilium formam concursûs observari etiam in Ecclesiis *patrimonialibus*, quorum Beneficiorum nulla fit expressa mentio in jure nostro, neque in jure tangitur materia istorum Beneficiorum; uti post alios observat Gonzalez *ad Regulam* 6. *Cancell. Gloss.* 9. §. 1. ubi latè de his Beneficia tractat, & aliqua jam suprà *tit.* 19. *cap.* 1. notata sunt.

Illud hîc notandum, quòd Concilium hujusmodi Beneficia concursui subjiciens, ostendat, voluisse suum Decretum ad omnes passim Ecclesias Parochiales extendere : quia hæc Beneficia ejus sunt conditionis, ut sub simplici Beneficiorum appellatione non veniant; ipsaque impetratio Beneficii sit *nulla*, si ipsa *Patrimonialitas* non sit expressa; uti notat Gonzalez dicto loco.

XII. Adhæc observandum, ita institui concursum in hisce Ecclesiis Patrimonialibus, ut tamen qualitati Beneficiorum non derogetur. Unde si plures quidem se examini sistant, at unus duntaxat *Patrimonialis*, sive qualitatem illam habens, quam Beneficia Patrimonialia requirunt, hic aliis præferendus erit : si modo & moribus, & doctrinâ, aliisque qualitatibus ad regimen Parochialis Ecclesiæ vacantis idoneus sit.

Idipsum locum habet in Ecclesiis Parochialibus, quæ Graduatis, aut Nominatis Academicis debentur. Hi enim si idonei per examen reperiantur, cæteris concurrentibus præferendi sunt; tanquam qui qualitatem requisitam, aut jus aliquod ad Beneficium vacans præ aliis concurrentibus habent; & ita quoad Nominatos Lovanienses quotidie practicatur.

* Certùm est juxta Decretum Concilii Tridentini esse concursui exponenda. Verùm, quia Beneficia notanter Curata non sunt jure hæreditario deferenda, omnisque carnis & sanguis affec-

fectus, præsertim in horum provisione abesse debet, optandum esset, ut hæc Beneficia penitùs fuissent abolita, nullaque saltem de novo admittantur per Episcopos.

XIII. De circumstantiis, in quibus Beneficia Curata concursui obnoxia sunt, hæc habet Concilium Tridentinum: » Cùm » Ecclesiæ Parochialis vacatio per obitum, vel resignationem, » etiam in Curia seu aliter quomodocunque contigerit.

Si hæc verba Concilii in sua generali expressione attendantur, non obscurum erit, Synodum omnem vacationis modum voluisse comprehendere.

XIV. Hîc nihilominus visum fuit, subtili satis interpretatione, non comprehendi Parochialem Ecclesiam, quando resignatur coram Pontifice non simpliciter, sed in *favorem* certæ personæ; atque ita quotidiè practicari testatur Pyrrhus Corradus in *Praxi Benef. lib. 3. cap. 3. num. 5.* eamque interpretationem fundârunt in hoc, quòd resignatio *in favorem* non inducat vacationem propriè; ut ibi loquitur Corradus; vel ut dicit Garcias *de Beneficiis, part. 9. cap. 2. num. 158.* » Beneficia » resignata *in favorem* non dicuntur vacare ad effectum, ut al» teri conferri possint. «

XV. Addit Corradus, hoc casu cessare concursum » sive » resignatarius sit provisus in Curia, sive in partibus. Quando » enim resignatarius neque est in Romana Curia præsens, ne» que ad eandem transmissit testimonium suæ idoneitatis, tunc » expediuntur litteræ suæ provisionis in forma *Dignum*, quas » postea suo Ordinario præsentabit, ut examinetur non per » concursum, sed tantùm ab Examinatoribus Synodalibus si» mul cum Ordinario, & si reperiatur idoneus, consequitur » possessionem Parochialis Ecclesiæ. «

XVI. Cùm in permutatione Beneficiorum, non alia intervenire censeatur vacatio, quàm in resignatione *in favorem*, imò ipsa permutatio tacitè contineat resignationem in favorem, eâdem ratione, nec hîc formam concursûs requiri tradunt communiter Canonistæ, quos loco citato citat Corradus.

XVII. Licèt forsan non sine fundamento dubitari posset, num hujusmodi interpretatio tam generali expressione Concilii consonet, præsertim ubi tam dissertè, & sine ulla distinctione provideri vult per concursum, quando Ecclesiæ Parochialis vacatio per *resignationem etiam in Curia* contigerit, etiamsi Parochialis Ecclesia reservata, vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter, nihilominus indubitata hodie praxis est, in hujusmodi resignatione, & permutatione cessare concursum; uti testatur Corradus, qui huic praxi objiciens verba Concilii Tridentini, ob quæ non videtur sufficere examen sine concursu, respondet: *Quæ nihilominus sufficere diu observavimus.*

XVIII. Ne autem per reservationes, aut affectiones forma concursus à Concilio præscripta impediatur, aut restringatur, addit Concilium: » Etiamsi ipsa Parochialis Ecclesia reservata, » vel affecta fuerit generaliter, vel specialiter, etiam vigore in» dulti, seu privilegii in favorem Romanæ Ecclesiæ Cardina» lium, seu Abbatum, vel Capitulorum. «

XIX. Concilium ut omnem reservationem comprehenderet, exprimere voluit reservationem in favorem *Cardinalium*, eò quòd dubitarent Canonistæ, utrum in generali constitutione, Cardinales, ob eorum eminentem dignitatem, & singulares prærogativas, intelligerentur comprehensi, si nulla ipsorum specialis mentio fiat. Gonzalez ad *Reg. 8. Cancell. Gloss. 24. num. 11.*

XX. Sub Decreto Concilii etiam comprehendi Ecclesias juris Patronatûs; sive quæ ad alicujus Patroni præsentationem alias essent conferendæ, ex ipso Decreto manifestum est. Vult enim » ut Episcopus, & qui *jus Patronatus* habet, intra decem dies, » vel aliud tempus ab Episcopo præscribendum, idoneos ali» quot Clericos ad regendam Ecclesiam coram deputandis Exa» minatoribus nominet. « Hîc clarè supponit Concilium, aliquem habere jus patronatûs Ecclesiæ vacantis, in cujus provisione formam concursûs servari vult, illudque quotidianæ praxi est conforme.

XXI. Verùm tantùm de jure Patronatûs Ecclesiastico hîc Concilium loqui, verba sequentia Concilii apertè declarant; quibus aliam formam providendi Ecclesiis Parochialibus ad jus Patronatûs laicorum spectantibus præscribit, quòd nimirùm, » qui à Patrono præsentatus erit, ab eisdem deputatis (ad » examen) examinari, & non, nisi idoneus repertus fuerit, ad» mitti. «

XXII. Si jus Patronatûs sit *merè laicale*, formam concursûs servari non debere apud omnes in confesso est: sed si sit jus Patronatûs *mixtum* dubitari posset; eò quòd ex quorumdam Canonistarum sententia, qualitas Ecclesiastici tanquam dignior trahere debeat ad se qualitatem laicalem tanquam minus dignam; atque hoc titulo jus Patronatûs censeri debeat potiùs Ecclesiasticum, quàm laicale; præsertim in hoc casu, ubi esse Ecclesiasticum magis favet Ecclesiæ, cui meliùs per concursum provisum iri præsumitur.

XXIII. Hac indubiè ratione motus Pius V. in citata Bulla, quæ incipit, *in conferendis*, inter Parochiales Ecclesias concursui subjectas enumerat illas, quæ Jurispatronatûs Ecclesiastici, *vel aliorum, seu Clericorum & LAICORUM SIMUL* fuerint.

Cui Constitutioni verisimiliter innituntur Declarationes Cardinalium, quibus non semel declaratum est, Ecclesias Parochiales Jurispatronatûs *mixti* subjacere concursui; etiam quando jus Patronatûs pertinet pro duobus partibus ad laicum, & pro una tantum ad Ecclesiasticum. Vide Pyrrhum Corradum *citato cap. 3.* & Garciam *dicto cap. 2. num. 70.* Eamque sententiam amplexus est S. Carolus in Concilio V. Mediolanensi *parte 3. tit. Quæ ad Beneficiorum collationem attinent.*

XXIV. Verùm si revera sint Patronatûs *mixti*, id est, Laicus, & Ecclesiasticus simul ad præsentationem concurrant, ipse Laicus hic in Belgio concursum excludet: neque per concursum patientur Laici quidquam imminui, aut detrahi de jure suo: ipsumque Concilium in Belgio receptum esse cum expressa clausula, salvo jure Patronatûs Regis, ejusque vassallorum, notat Zypæus *tit. de Constitut. num. 6.* & notoria praxis ostendit, quæ Ecclesias Parochiales hujusmodi Jurispatronatûs mixti à concursu eximit: quemadmodum & ob mixturam Laici, hæc aliaque Beneficia eximuntur à Reservationibus Pontificiis, & nominationibus Academicis: unde quoad hunc articulum, nec dicta Constitutio Pii V. nec Declarationes Cardinalium eidem innixæ in Belgio receptæ sunt.

XXV. Si autem jus Patronatûs ita *mixtum* sit, ut præsentatio *alternatim* sive per turnum spectet, nunc ad Laicum, nunc ad Ecclesiasticum; ita ut ad eandem præsentationem nunquam concurrat, tunc in *turno* Ecclesiastici censetur totum Ecclesiasticum, & consequenter eâ vice Ecclesia Parochialis vacans, tanquam ad præsentationem Patroni Ecclesiastici spectans, concursui subjecta est, juxta expressa verba Concilii Tridentini. Neque hoc casu aliquod præjudicium generatur Patrono Laico; quia etiam per collationem in forma concursûs factam *turnus* Ecclesiastici consumitur; uti infrà titulo de Jure Patronatûs ostendetur.

CAPUT III.

De Examinatoribus, et examine.

1 *Synodus Tridentina desideravit, ut Episcopus* per se *examini intersit.*
2 *Licèt Episcopus etiam sine justa causa absit, non propterea concursus est invalidus.*
3 *Debent ut minus cum Episcopo adesse tres Examinatores.*
4 *Hi in Synodo Diœcesana quotannis eligendi.*
5 *Ob intermissionem Synodorum non intermittendus concursus.*
6 *Nimis inhærent cortici verborum; qui concursum volunt esse* nullum *ob defectum Examinatorum* Synodalium.
7 *Examinatores hodie eliguntur ab Episcopis extra Synodum.*
8 *Quales eligendi Examinatores.*
9 *An Synodus in eligendis Examinatoribus aliquem ordinem præscripserit.*
10 *An ob non servatum ordinem concursus sit nullus.*
11 *Quid in Examinatoribus præcipuè desideraverit Synodus.*
12 *Ex Decreto Synodi evincitur, gradus Academicos non nimium facilè esse annuendos.*
13 *Juramentum ab Examinatoribus præstandum.*
14 *Juramentum illud tantùm semel præstatur.*
15 *Examinatores nihil occasiones examinis accipere possunt.*
16 *Examinatores sine omni spe retributionis examen facere debent; nec potest Ordinarius stipendium ipsis assignare.*
17 *Super quibus examen instituendum.*
18 *Non tantùm circa doctrinam, sed etiam alias qualitates.*
19 *Debet attendi capacitas ad* hanc vacantem *Ecclesiam.*
* *Quid ab Examinatoribus Synodalibus præcipuè sit attendendum.*
20 *Examinandi circa exercitium orationis.*
21 *Super formandis concionibus.*
22 *An unquam aliàs* curam *animarum egerint.*
23 *Examinatores totam vitæ seriem examinare debent.*
24 *Quàm difficile sit per examen, prout hodie instituitur, exactam notitiam Examinandorum accipere.*

I. COncilium Tridentinum vult, ut » transacto constituto tempore, omnes, qui descripti fuerunt, examinen» tur ab Episcopo, sive eo impedito, ab ejus Vicario genera» li, atque ab aliis examinatoribus non paucioribus, quam tribus. «

Ex his satis intelligitur, desiderâsse Synodum, ut ipse Episcopus huic examini intersit, eique præsideat; quo præsens possit de capacitate Examinandorum ipse exactiùs, securiùsque judicare. Cumque hîc agatur de re summi momenti, & undè præcipuè rectum regimen Diœcesis dependet, non facilè alia negotia ab hoc examine Episcopos, quibus salus animarum, & spirituale Diœcesium regimen cordi sunt, avocabunt: verendumque ne Episcopis circa hoc examen negligentibus, & passim aliis id credentibus, frequenter regeri possit illud S. Bernardi: » Optimi videlicet æstimatores rerum, qui magnam de » minimis, parvam, aut nullam de maximis curam gerunt. Sed

» ut liquidò datur intelligi, patientiùs ferimus Christi jacturam, » quàm nostram « *Lib.* 4. *de consid. cap.* 6.

II. Interim quia nonnunquam contingere potest, ut & zelosissimi quique Episcopi nonnullis aliis negotiis gravissimis detineantur, permittit Synodus, ut hujusmodi impedimento occurrente, possit coram Vicario ejus generali examen peragi. Imò tametsi minimè conveniat, cessante justo impedimento, examen Vicario committi, si nihilominus committatur, non propterèà inducetur nullitas examinis; aut concursus ob id nullitate argui poterit; quemadmodum notat Garcias *de Beneficiis, part.* 6. *num.* 119. monens illa verba, *eo impedito*, posita esse ad demonstrandum convenire, quòd ab Episcopo, cessante impedimento, fiat examen. Huic opinioni conformis est omnium Diœcesium praxis.

III. Vult autem Synodus, ut cum Episcopo, ejusque Vicario generali adsint alii examinatores non pauciores, quàm *tres*; non quòd præcisè requiratur numerus *trium*, sed quòd non possint esse pauciores quàm *tres*.

IV. Ut autem capaciores, magisque integri sint hi examinatores statuit Concilium: » Examinatores autem singulis an» nis in Diœcesana Synodo ab Episcopo, vel ejus Vicario ad mi» nus sex proponantur; qui Synodo satisfaciant, & ab ea pro» bentur. Advenienteque vacatione cujuslibet Ecclesiæ *tres* ex » illis eligat Episcopus, qui cum eo examen perficiant, inde» que succedente aliâ vacatione, aut eosdem, aut alios tres, » quos maluerit, ex prædictis illis sex eligat. «

Ab hac Synodi deputatione, seu probatione, hi dicuntur examinatores *Synodales*.

V. Concilium Tridentinum eâdem hâc Sessione, qua promulgavit Decretum *de forma concursûs ad Ecclesias Parochiales*, etiam decreverat *cap.* 2. ut *Synodi Diœcesanæ* QUOTANNIS *celebrentur*. Hac ergo Decreti executione supposita, & ei conformi annua celebratione Synodi Diœcesanæ optimâ ratione decrevit Concilium, ut *quotannis* in Synodo examinatores ad examen concursûs deputarentur. At supponere Concilium vovoluisse, ob intermissionem Synodorum, etiam concursum esse necessario omittendum; cò quòd examinatores in *Synodo* propositi & probati non haberentur, à ratione alienum, & nimis litterale est.

VI. Cùm enim Concilium hanc formam concursûs, & examinis proposuerit tanquam medium aptissimum, quo dilegentiùs, ac rectiùs Ecclesiis Parochialibus provideatur, crediderit*que* maximè expedire animarum saluti à dignis, atque idoneis Parochis eas gubernari, nullatenus verisimile est, Concilium ab hac formalitate voluisse validitatem concursûs dependere; aut eam examinandi rationem cessare, propterèà quòd examinatores in Synodo Diœcesana deputari non habeantur.

Unde Zypæus *Consult.* 1. *de Elect.* inter nullitates concursus à Barbosa, aliisque cortici verborum nimiùm inhærentibus contra mentem Synodi allegatas; reponit sequentes, quòd » exa» minatores in Synodo non sint approbati, & quidem *tres* in Sy» nodo approbati non sint adhibiti, vel singulis annis in Syno» do sex examinatores non sint propositi, nominatim quidem, » & non in genere, vel sub nomine dignitatis, vel in locum de» nominatorum eo anno mortuorum alii subrogati non sint ab » Episcopo cum consilio Capituli, & dummodò mox intra an» num Synodus celebretur: nam elapso anno Synodi, omnium » officium exspirare volunt, adeò ut nisi sex in Synodo nomina» ti supersint, cæterorum officium nullius sit momenti, nec » Episcopo liceat alios sumere; adeò quidem ut quamvis in » prioribus Synodis probati sint examinatores, nullius flocci sint, » nisi in ultimis Synodis sint expressè confirmati, & quidem tam » scrupulosè ut quamvis competenti numero examinatores fue» rint Synodales, si quis tamen accesserit non Synodalis, actum » aliorum irritet."

Has aliasque nullitates ex ipso verborum rigore petitas, & quæ hodie ubique concursum cessare facerent, videre est apud Barbosam *de Officio Episcopi, part.* 3. *Allegat.* 60. & Massobrium *in praxi habendi concursum, Requisito* 11. & 12. quas & communis praxis omnium passim Diœcesium, in quibus concursus viget, tanquam menti Concilii Tridentini contrarias rejecit; quòd si admitterentur, concursum in pluribus Diœcesibus impossibilem redderent.

* Porrò rectè monet Zypæus *num.* 9. quòd mens Concilii Tridentini fuerit saluti animarum per maximè idoneos Parochos providere. » Quod & Synodus I. Provincialis Mechliniensis con» siderans, litteram occidere, rationemque legis vivificare, com» miserit prudentiæ Episcoporum, omnia ad examen hujusmo» di necessaria, & provisiones post examen ipsorum judicio ne» cessarium factas, validas declaraverit: profectò, ait, salubrius » quam Romanistæ quidam Curiales, qui omnes consectantur » subtilitates, ut hujusmodi concursus subvertant, quo via ape» riatur Romipetis, qui annatas augeant."

VII. Examinatores necessarios credunt Episcopi; at ii, dum Synodus Diœcesana ob temporum & rerum circumstantias haberi nequit, ab ipsis Episcopis tanquam Synodi Diœcesanæ Præsidibus, & præcipuis directoribus eligi possunt; uti & ab ipsis etiam sine consilio sui Cleri, aut Capituli eligi, longo usu invaluit: dicunturque nihilominus examinatores *Synodales*; eò quòd fungantur vice illorum, qui à Synodo essent probandi.

VIII. Quales autem Concilium desideraverit in examinatores assumi, declarat verbis sequentibus: » Sint verò examinato» res Magistri, seu Doctores, aut Licentiati in Theologia, aut » Jure Canonico, vel alii Clerici, seu Regulares etiam ex ordine » Mendicantium, aut etiam seculares qui ad id videbuntur ma» gis idonei."

IX. Credit multisque astruere conatur Fagnanus ad *Cap.* INTER CÆTERA ✠ *de Rescriptis*, à Concilio inter diversa personarum genera hîc expressa, non esse datam optionem Episcopo deputandi in examinatores, quos vellet; sed potiùs ordinem esse præscriptum, » adeò ut Clericos gradu Magisterii, aut » Doctoratûs, aut Licentiaturæ carentes eligere non debeat, » ubi aliorum his qualitatibus præditorum copia suppetat. « Et consequenter Episcopum ad secundam partem alternativæ, quæ incipit à particula disjunctiva, *vel*, pervenire non debere, quandiu primæ possit esse locus.

X. Monet tamen Fagnanus ibidem *num.* 54. » etsi Episco» pus eligere debeat examinatores prædictis qualitatibus insigni» tos, si eorum copia suppetat; non tamen sequitur, ut si alios » Clericos eligat, concursus propterèa sit nullus. Deinde sub» jungit: » Sacra Congregatio Concilii alias consulta in casu » Montis Regalis; an concursus habitus coram examinatoribus » Synodalibus *non Doctoribus*, *vel Magistris*, aut saltem Li» centiatis in Theologia, vel Jure Canonico, sit *nullus*, cùm » præsertim alii exstant his qualitatibus præditi: » Die 2. Augus» ti 1602. respondit, debuisse quidem eligi examinatores, qui » sint Magistri, sive Doctores, aut Licentiati in Theologia » aut Jure Canonico. Cæterum etiamsi his qualitatibus careant » concursum non esse propterea *nullum*. «

XI. Etiam hîc nullum de validitate concursûs quæstionem moveri intelligimus, tametsi omissis Graduatis in examinatores assumantur Clerici non Graduati. Equidem decretum Concilii sat evincit, voluisse Concilium indicare, in examinatores esse assumendos, qui eruditione, aliisque dotibus magis idonei sunt; qui huic examini, à quo Ecclesiarum Parochialium provisio dependet, non tantùm corporaliter præsentes sint, & aliquas quæstiones præformatas proponere queant; sed justum, rectumque judicium de concurrentium capacitate ad regimen animarum ferre possint.

XII. Hîc rursus nota, Concilium solicitum, ut idonei examinatores eligerentur, Graduatos specialiter designaverit; tanquam qui publicum capacitatis, & eruditionis testimonium acceperint: quo rursus elucet, quomodo Ecclesiæ imponant, qui hujusmodi publica testimonia nimia facilitate annuunt; de quo suprâ *tit.* 19. *cap.* 4.

XIII. Hi examinatores ex præscripto Concilii Tridentini jurare debent » omnes ad sancta Dei Evangelia, se, quâcunque » humanâ affectione postpositâ, fideliter munus executuros. «

XIV. Juramentum non in quolibet actu examinis præstari debet, nec præstari solet; sed tantùm semel in initio assumptionis: quamvis optandum esset, ut examinatores ad examinandum properantes, semper præstiti à se juramenti meminissent, omnemque humanum affectum deponerent, ac signanter placendi Episcopo, à quo dependent; & non rarò promotionem ulteriorem exspectant, quo facilè contingit, affectu excæcante, ut favorabiliùs judicent de iis, quos noverunt Episcopo gratiores, licèt etiam sciant, aut facilè scire possint Episcopum humano affectu erga nonnullos præoccupatum; de quo affectu, nimirùm placendi, hodie major suspicio esse potest, dum à solo Episcopo constituuntur.

XV. Ut magis integri, & indifferentes sint examinatores vult Concilium, ut » caveant, ne quidquam prorsus occasio» ne hujus examinis, nec ante, nec post accipiant: alioquin » simoniæ vitium, tam ipsi, quàm alii dantes incurrant, à qua » absolvi nequeant, nisi dimissis Beneficiis, quæ quomodo» cunque etiam obtinebant, & ad alia in posterum inhabiles » reddantur. «

XVI. Hic rigor satis insinuat, Concilium omninò voluisse, ut hoc examen sine omni spe remunerationis perageretur: ne vel spe munerum Examinatores in judicando excæcari contingeret. Imò teste Garcia *de Benef. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 374. declaravit S. Congregatio: » Non potest Ordinarius statuere aliquod » stipendium, etiam minimum Examinatoribus deputatis in Sy» nodo pro concursu Parochialium, & si Synodus Diœcesana » secùs statuerit, Decretum esse irritum, & nullum. «

XVII. Statuto tempore per Edictum transacto, omnes qui descripti fuerint, ab Episcopo, ejusve Vicario, & examinatoribus Synodalibus examinari debent, juxta Decretum Concilii Tridentini.

Circa quæ examen versari, & institui debeat, indicat Synodus ubi postquam dixit, liberum esse etiam aliis, quàm Episcopo, & Patrono, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum

no-

nomina deferre, subjicit: » Ut possit posteà de cujuslibet æta-» te, moribus, & sufficientia fieri diligens inquisitio: « Idip-sum clariùs expressit his verbis: » Peracto deinde examine, re-» nuntientur quotquot ab his idonei judicati fuerint ætate, mo-» ribus, doctrinâ, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Ec-» clesiam gubernandam opportunis. «

XVIII. Hîc patenter supponit Synodus, examen non tantùm circa doctrinam, sed etiam cæteras qualitates, ac dotes ad regendam Parochialem Ecclesiam necessarias esse institutum: aliàs enim quomodò peracto examine renuntiare possent, qui non doctrinâ duntaxat, sed & moribus prudentia, & cæteris rebus ad vacantem Ecclesiam gubernandam opportunis essent idonei?

XIX. Notatu dignum, quòd Concilium velit, ut non tantùm examinetur, an quis sit idoneus ad Parochiam regendam, sed utrum sit idoneus ad hanc VACANTEM *Ecclesiam administrandam.* Quis enim nescit, quempiam posse sufficere Parochiæ rurali, & paucorum incolarum regendæ, qui non sufficiat Parochiæ urbanæ, & numerosæ administrandæ? Hinc S. Carolus in Concilio Mediolanensi *part. 3. tit. de Examinandi ratione*, vult » cùm initur examen illius, cui in curam certa Ec-» clesia Parochialis tradenda est, videant ante examinatores, qui, » qualis, & quàm numerosus populus sit, cujus Parochialem » curationem is suscipiet. Quâ sanè re diligenter exploratâ, in » examine quod inhibunt, sibi proponant accuratè perspicere, » an ad eam curam suscipiendam, gerendamve idoneus omni-» nò ille sit. «

* Quandoquidem Concilium Tridentinum velit, ut Examinatores inquirant, utrum concurrentes sint idonei ad regendam *vacantem* Ecclesiam, indubiè magis consonum esset menti Concilii, ut vacante aliqua Ecclesia Parochiali, non spectaretur plurium aliarum Ecclesiarum vacatio, ut unico instituto concursu omnibus vacantibus provideretur, sed & unâ vacante, pro hac particularis haberetur concursus; ut ita examen cum respectu ad hanc Ecclesiam vacantem institueretur, qui respectus non ita commodè haberi potest, quando instituitur concursus, & examen super pluribus simul vacantibus Ecclesiis, prout hodie in pluribus Diœcesibus fieri solet.

Quin & in aliquibus Diœcesibus id consuetum est fieri, ut, examine peracto, idonei aut magis idonei renuncientur ad vacantes Ecclesias, qui quæstionibus propositis meliùs satisfecisse judicantur; sæpè nullo, aut modico habito respectu ad cæteras qualitates, quæ pro singularum Ecclesiarum Parochialium vacantium conditione essent requirendæ.

Quis enim nescit, pro diversitate Parochiarum, & variâ populi conditione & genio, varias quoque in Pastore & Rectore qualitates requiri, non tantùm in doctrina & scientia, sed & in modo conversandi & agendi.

Aliter agendum cum populo moribus agrestibus & planè incultis addicto, aliter cum populo genii cultioris & nobilioris.

Quod autem in quibusdam Diœcesibus invaluit, ut concurrentes declarare jubeantur, ad quam vacantem Ecclesiam concurrant, meritò expenderint Episcopi, utrum menti Ecclesiæ & Concilii Tridentini, necnon vocationi ad regimen animarum sat sit conforme.

XX. Ea profectò mens non fuit nec S. Caroli, nec Concilii Mediolanensis suprâ citati, in quo describuntur dotes, quas in examine sibi proponere debent examinatores, & quas à suis candidatis requirere potissimum tenentur. Concilium statuit: ut primò de toto vitæ statu, & genere ejus quæratur, qui examen subit.

Deinde inter alia quæri vult: » An in orationis sanctæ stu-» dio, usuque versatus. Quibus meditationibus instructus, Deum » tacitus oret. Qui orationis modus. Qui illius fructus, quæve » utilitates. Quæ regulæ præparationis ad orationem, & cætera » multa ejusdem generis, prout prudens piusque examinator, » pro ratione, aut personæ de qua quæritur, aut causæ ob » quam fit examen, opus esse viderit.«

Hæc tametsi ab omnibus, qui clericali militiæ adscribuntur perquiri velit, monet tamen: » tùm *maximè* ab iis, qui vel Sa-» cerdotio initiantur, vel Parochialem curam suscipiunt, vel » sacræ confessionis audiendæ munus sumunt, vel in tractatione » Verbi Dei, sacrisque concionibus versari volunt.«

XXI. Post hæc adjungit nonnulla specialiter quærenda ab iis, qui Ecclesiis Parochialibus præficiendi sunt; nec solùm quæratur, sed & *experiundo cognoscatur*, inquit, » An sermo-» nes contexere, habereve sciant.

» An si quos habuerint, unde sumpserint, aut quam illis » contexendis, conscribendisve rationem adhibuerint, & verò » si quos apud se conscriptos tunc habeant, eos ostendant, » atque tradant.

» An in eo genere aliquid ex tempore possint, tunc extem-» poraneo, brevique sermone periculum fiat, quantum concio-» nando valeant.«

XXII. Præterea illud quæri statuit: » An aliàs unquam cu-» ram animarum gesserit: quod si affirment; tum interrogentur » etiam, & ubi gesserint, & cur inde discesserint.

» An intelligant quanti illud sit, animarum curam suscipe-» re, rursusque gerere; quæque partes, ac virtutes illæ sint, » quibus bonum, ac vigilantem animarum curatorem prædi-» tum esse oportet.«

XXIII. Hæc pauca ex pluribus ibidem propositis, sat ostendunt, S. Caroli mentem fuisse, ut examinatores circa totam vitæ rationem, & omnes conditiones in Parocho requisitas sedulò inquirerent, & examen instituerent.

Ex hac quoque examinandi ratione apparebit, quàm procul à spiritu S. Caroli absint examinatores illi, qui hærentes circa steriles nonnullas, & abstrusas quæstiones, quæ ad directionem populi nihil, aut parum conferunt; & qualitatibus, ac scientia Pastoris boni nullam, aut exiguam curam habent.

XXIV. Porrò quæ tum de examinatoribus, tum examine Ordinandorum dicta sunt *tit. 9. cap. 4.* hîc quoque applicari possunt, atque imprimis hîc maximè locum habeat, quod ibidem observatum est, quàm difficile sit ex testimoniis adferri solitis, de vita, & moribus examinandorum judicare; ni aliundè noti sint auctores testimoniorum; quamque temerè hisce testimoniis sæpiùs fides habeatur. Deindè quàm parùm sufficere queat examen unius, alteriusve horæ, ut sufficiens notitia habeatur capacitatis ad regimen animarum, quæ est *ars artium.*

CAPUT IV.

De Renuntiatione Idoneorum, et de Electione magis idonei, et de collatione huic facienda.

1 *Peracto examine, renuntiandi qui sint idonei.*
2 *Inter Examinatores concluditur à pluralitate suffragiorum: & in paritate decidit Episcopus.*
3 *Decisio hæc facienda in ipso examine.*
4 *Examinatores judicium suum dare debent* collegialiter.
5 *Debent dare judicium de idoneitate quoad* omnes *qualitates.*
6 *Non omnia requiruntur ad essentiam concursûs.*
7 *Ex approbatis Episcopus debet eligere digniorem.*
8 *Episcopi est judicare quis sit dignior.*
9 *Vigore Concilii Trident. à judicio Episcopi in electione dignioris non appellatur.*
10 *Appellationem permissit Constitutio Pii V.*
11 *Ad hanc appellationem non requiritur prævia probatio* irrationabilis *judicii Episcopi.*
12 *Non passim tamen nec facilè hîc admittenda appellatio.*
13 *In Belgio Constitutio Pii V. recepta non est.*
14 *In hac electione Episcopus non adstringitur judicio Examinatorum.*
15 *Non potest tamen eligere illum, quem Examinatores judicaverunt inidoneum.*
16 *Electio tanquam magis idoneo facienda collatio ab eo, ad quem de jure pertinet.*
17 *In reservatis videtur collatio petenda à Pontifice.*
18 *Id in Belgio non servatur; & quare.*
19 *Hæc obtinet in Parochialibus* liberæ *collationis.*
20 *Decretum Concilii Trident. quoad Ecclesias Juris patronatûs Ecclesiastici.*
21 *Concilium loquitur de* institutione authorizabili.
22 *Attento jure communi videtur electio dignioris potiùs Patrono, quàm Episcopo delata.*
23 *Aliquando judicatum electionem Patrono competere.*
24 *Institutio etiam auctorizabilis potest competere Archidiacono.*
25 *Malè confunditur institutio cum datione curæ animarum.*
26 *Archidiacono competit interdum institutio jure tantùm delegato.*
27 *Potest etiam jure* proprio & ordinario *eam habere.*
28 *Potest electio dignioris competere Episcopo, tametsi institutio pertineat ad Archidiaconum.*
29 *Capitulum sede vacante confert Parochiales, & instituit concursum.*

I. » PEracto examine (ait Concilium Tridentin.) *renuntien-» tur*, *quotcunque* ab his (examinatoribus) idonei ju-» dicati fuerint ætate, moribus, doctrinâ, prudentiâ, & aliis re-» bus ad vacantem Ecclesiam administrandam opportunis. «

II. Si inter examinatores non conveniant super idoneitate, aut inidoneitate aliquorum, qui examinati sunt, tunc à pluralitate suffragiorum concluditur, aut si vota sint paria vel singularia, accedere poterit Episcopus, ejusve Vicarius, qui in examine præsens fuerit, quibus magis videbitur, uti loquitur Synodus Tridentina.

III. Hæc autem accessio fieri omninò debet in ipsomet examine, & coram iisdem examinatoribus simul congregatis, non autem separatim, ait Massobrius in *Praxi habendi concursum*, *requis.* 3. secutus Garciam de *Benef. part. 9. cap. 2. num.* 58. Rationem subjicit: » Nam approbatio, vel reproba-» tio eorum, qui examinantur, non potest fieri separatim, sed » ab

» ab examinatoribus simul cum Ordinario. « Notat quoque ibidem *num.* 56. à S. Congregatione resolutum fuisse : » examen » esse faciendum coram Episcopo, vel ejus Vicario absque co» rum voto decisivo, & tantùm eos posse accedere, ubi vota » sunt paria, vel singularia. «

IV. Idipsum tradit Cardinalis de Luca in *annotatione ad hoc cap.* 18. *Concilii Tridentini*, *num.* 9. dicens, quòd examinatores » *collegiativo* jure, votum, sive secretum, sive pu» blicum, aut in scriptis vel ore tenus, pro diversis locorum » stylis, in *ipso actu*, proferre debeant, quos scilicet approbent, » & quos reprobent. «

V. Cùm capacitas ad regendam Ecclesiam Parochialem non consistat in sola doctrina, etiam non sufficit, ut examinatores proferant judicium super sola concurrentium doctrina; sed requiritur, ut renuntient, ac judicent qui inter examinatos sint *absolutè* idonei ad vacantem Ecclesiam administrandam; uti ex suprà relatis Concilii verbis est manifestum. Unde teste Garcia *de Benef. part.* 6. *cap.* 2. *num* 236. censuit Congregatio, » quòd » huic decreto non est satisfactum per relationes examinatorum, » quorum aliqui simpliciter renuntiaverunt examinatum idoneum » quoad litteraturam, aliique aprovaverunt eum ad litteraturam, » quoad reliqua dicentes esse *onus* Episcopi. «

VI. Verùm si quid ex his omissum esset, v. gr. ipsi examinatores *absente* Episcopo, sua vota in communi collegissent, judiciumque deprompsissent, & Episcopo *absenti* illud per litteras significâssent, uti hîc fieri solet, nequaquam propterea de nullitate concursûs erit arguendus.

VII. » Ex his (ab examinatoribus tanquam idoneis renun» tiatis) Episcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum » judicaverit, « ait Concilium Tridentinum.

Debent ergò vi Decreti Concilii Episcopus ex renuntiatis tanquam idoneis ad vacantem Ecclesiam administrandam eligere *digniorem*. Neque hîc aliquid possitivi Concilium statuit, aut Episcopo injungit, sed obligationem ex jure etiam naturali profluentem proponit, & servare mandat.

VIII. Dicendo autem, *quem magis idoneum* JUDICAVERIT, significat, judicium de majore idoneitate inter approbatos ab examinatoribus, relinqui Episcopo; ita nimirum, ut Episcopus præeligendo ex humano affectu minus dignum postposito *digniore* graviter quidem peccet; sed tamen ipsa electio in foro externo impugnari nequeat, quemadmodum generaliter de electione *minus digni* omisso digniore docent post S. Thomam communiter Theologi, & Canonistæ, de quo latiùs infrà, ubi de *vitanda acceptione personarum in Beneficiorum collatione*, agetur.

IX. Unde notat Fagnanus ad *Cap.* EAM TE ✠ *de ætate* & *qualit. Ordinand. num.* 26. quòd licèt aliquando in Rota resolutum fuerit, quòd à reprobatione examinatorum detur appellatio devolutiva, » tamen non potest postpositus ab irratio» nabili judicio Episcopi appellere in *vim Concilii*. «

X. Addit expressè hæc verba, *in vim Concilii*, nam post Concilium supervenit constitutio Pii V. quæ incipit *In conferendis*, in qua §. 7. decernitur: » Ut autem non solùm dig» nis, sed *magis idoneis* repertis, juxta ejusdem Concilii De» cretum Parochiales Ecclesiæ conferantur: Volumus, & de» cernimus, quòd si Episcopus minus habilem posthabitis magis » idoneis elegerit; possunt ii, qui rejecti fuerint à mala electio» ne hujusmodi ad Metropolitanum, vel si ipse eligens Metro» politanus, aut exemptus fuerit, ad viciniorem Ordinarium, » uti nostrum & Sedis hujusmodi delegatum, aut aliàs ad ip» sam Sedem Apostolicam appellare, ac præelectum ad novum » examen coram ipso appellationis Judice, & ejus examinato» ribus provocare. Et constito de prioris eligentis irrationabili » judicio, eoque revocato, Parochialis magis idoneo per eun» dem Judicium appellationis auctoritate nostrâ (quatenus col» latio ad Episcopum, à quo appellatum fuit, spectaret) con» feratur, aliàs eidem magis idoneo per judicem appellatio» nis approbato conferenda, remittatur ad eum, ad quem col» latio, provisio, vel institutio spectabit. Hæc tamen appel» latio interposita interim non impediat, aut suspendat quo» minùs electio per Ordinarium primo loco facta interim de» bitæ demandetur executioni; & provisus ab eadem Eccle» sia causâ appellationis hujusmodi pendente non amoveatur. » Et si quis à sententia per Judicem appellationis lata duxe» rit appellandum, is tunc ad Sedem ipsam Apostolicam ap» pellabit. «

XI. In vim hujus Constitutionis posse rejectum ab irrationabili Episcopi judicio appellare, saltem quoad effectum devolutivum, satis apparet manifestum; & notant passim recentiores Cononistæ, qui hujus Constitutionis meminêre, dicuntque, neque postpositum debere ante introductam appellationem per aliqua *nova* documenta probare, Episcopi judicium fuisse irrationabile; sed oportere ut id probetur per *novum* examen, aut aliunde coram *judice appellationis*, uti latè probat Fagnanus loco jam citato; asseritque sæpiùs à Sacra Congregatione, & Rota Romana ita decisum fuisse.

XII. Monet tamen Fagnanus ibidem *num.* 39. quòd etsi ad obtinendum novum examen in judicio appellationis, non sit necesse, ut priùs constet de *irrationabili* judicio, nihilominus S. Congregatio non consueverit novum examen decernere, nisi dato aliquo *fumo irrationabilitatis* & malæ præelectionis Episcopi. Deinde nonnullis interpositis refert, » die 21. Febr. 1612. » censuisse S. Congregationem concursum novum in Urbe insti» tuendum, ubi orator de veritate narratorum dederit fumum, » id est, postquam per attestationes extrajudiales, vel alia uni» formia documenta de hujusmodi suspicione, & gravamine ali» qualem fecerit fidem, ut sic probabilis, & sufficiens causa cum » excuset à calumnia. «

Sanè nisi hæc cautio adhibeatur, sed indifferenter appellatio ab electione Episcopi, tanquam irrationabiliter facta admittatur, rarissimus, aut penè nullus instituetur concursus, qui non litibus, & quæstionibus, non sine gravi animarum dispendio, subjacebit.

XIII. Cùm verò hisce in ditionibus concursus instituatur ex præscripto Concilii Tridentini, neque constet, constitutionem Pii V. hactenus hîc receptam, & juxta modum in Belgio usitatum legitimè publicatam; non solent quoque ab electione Episcopi appellationes interponi; neque facilè eas Episcopi admitterent; inhærentes Concilio Tridentino danti auctoritatem Episcopo eligendi ex approbatis ab examinatoribus, *quem cæteris magis idoneum judicaverit*, scilicèt ipse Episcopus.

XIV. Quinimò cùm Concilium judicium de *magis idoneo* detulerit Episcopo, non apparet, quòd in hac electione, sive judicio ipse dependeat à judicio, & suffragio examinatorum, ut si ipsi examinatores inter examinatos *ordinem* servassent, exprimendo quos præ aliis judicaverint tanquam magis idoneos esse præferendos, Episcopus deberet hunc ordinem servare; sed posset, hoc ordine neglecto, eligere quem ipse cæteris magis idoneum judicat; idque etiam justè ac licitè, si ex particularibus informationibus noverit, illum revera præ hoc ad vacantem Ecclesiam esse magis idoneum. Si autem ex humano aliquo affectu minùs idoneum magis idoneo præeligat, electio quidam illicita erit in foro poli, graviterque coram Deo culpabilis erit Episcopus, sed in foro fori valida erit: & ita habet praxis quotidiana.

XV. Hæc tamen eligendi libertas à Concilio Episcopis data restringitur ad eos, qui examine peracto ab examinatoribus *idonei* judicati fuerunt ætate, moribus, doctrinâ, prudentiâ, & aliis rebus ad vacantem Ecclesiam administrandam oportunis. Nam postquam dixit, quotquot ita *idonei* sunt, peracto examine esse renuntiandos, immediatè subjungit: EX HISQUE Episcopus *eligat* &c. manifestè significans, *ex his*, qui tanquam idonei renuntiati sunt, ab Episcopo eligendum illum, quem *ex his* magis idoneum judicaverit. Unde ex omnium Canonistarum sententia, non licet Episcopo eligere illum, quem examinatores, aut eorum major pars *inidoneum* judicârunt: tametsi ipse judicaret ex particularibus informationibus hunc esse idoneum: imò cæteris magis idoneum. Nam, ut ante notandum fuit, judicium de idoneitate ipsis examinatoribus Synodalibus, & juratis à Concilio Tridentino delatum est; ipsi verò Episcopo tantùm suffragio decisivo in paritate concesso.

XVI. Postquam ex renuntiatis ab examinatoribus tanquam idoneis ad vacantem Ecclesiam administrandam, Episcopus elegerit quem cæteris magis idoneum judicaverit, tum vult Concilium: » ut illi & non alteri, collatio Ecclesiæ ab eo fiat, ad » quem spectabit eam conferre. «

XVII. Hinc statuunt Cononistæ, quòd si Ecclesia vacans sit ex *reservatis* Sedi Apostolicæ, aut vacet in mense *reservato*, Episcopus quidem possit instituere concursum; & ex renuntiatis idoneis eligere quem cæteris magis idoneum judicaverit; sed quòd debeat ipse electus à Pontifice collationem accipere; atque ita vi Concilii Trid. eatenus quidem esse reservationem sublatam, quòd ea non obstante concursus institui queat; sed tamen collatio examinato, & ab Episcopo tanquam magis idoneo electo, facienda sit ab ipso Pontifice, ad quem titulo reservationis collatio spectat. Et ita declaravit Pius V. in sæpè citata Constitutione in verbis: *electus nobis aut Successoribus nostris pro* COLLATIONE *obtinenda*, &c.

XVIII. Verùm quia pro obtinenda collatione à Romano Pontifice tempus subinde non modicum requireretur, incommodumque foret, tanto tempore Ecclesiam Parochialem vacare, usus in hisce Provinciis invaluit, ut collatio etiam in reservatis fiat ab Episcopo (p); ipsaque reservatio, quoad Parochiales saltem per concursum conferri solitas, penitùs censeatur sublata, ac provideatur indifferenter, & eodem modo Ecclesiis Parochialibus reservatis & non reservatis: de quo usu testatur Zypæus *in Jure novo*, *tit. de Elect. num.* 15. & latiùs deducit, & a verbis

(p) *Ut Episcoporum auctoritas circa institutionem collationemque Præbendarum, Beneficiorum &c. illæsa remaneat, in convent.* 6. *contenta in leg.* 11. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recopil. expressis verbis declaratur, omnes Institutiones & Collationes in Hispania à suis respectivè Diœcesanis recipi debere.*

bis Concilii dissonum non esse hunc usum, contendit *Consult.* 1. *de Elect.*

XIX. Et hæc quidem tam circa electionem dignioris ex approbatis faciendam ab Episcopo, quàm obtinendam collationem, procedunt quoad Ecclesias Parochiales *liberæ* collationis; at si sint *Jurispatronatus Ecclesiastici*, tuc Concilium electionem subinde ad Patronum, interdum ad Episcopum spectare declarat.

XX. Si enim „institutio ad Episcopum, & non alium pertineat, is, quem Patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit, Episcopo præsentare teneatur, ut ab eo instituatur. Cùm verò institutio ab alio, quàm ab Episcopo, erit facienda; tunc Episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat." *Syn. Trid. Sess.* 24. *cap.* 18. *de Reformat.*

XXI. Institutio hîc accipitur non pro institutione corporali, seu missione in possessionem, sed pro institutione auctorizabili, sive tituli collatione, & titulum Canonicum tribuit; de qua institutione loquitur regula juris dicens: „Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine *institutione* Canonica obtineri." *Cap.* 1. *de Regula Juris, in VI.*

XXII. Unde si jus commune spectemus, Patroni Ecclesiastici potiùs, quàm Episcopi esset, ex approbatis ab examinatoribus eligere, quem cæteris magis idoneum ad vacantem Ecclesiam administrandam judicaverit: quia de jure institutio Canonica seu *auctorizabilis* ad Episcopum pertinet, præsertim in Beneficiis Curatis; adeò ut ne de consuetudine ea Archidiacono competere posse videatur, *cap.* 4. ✠ *de Officio Archid.* cujus hæc est rubrica: *Archidiaconus sine mandato Episcopi non committit curam animarum, id est, non habet institutionem* AUCTORIZABILEM. Et in *cap.* 7. ✠ *eod.* tribuitur Archidiacono institutio non *auctorizabilis*, seu tituli collativa, sed *corporalis.*

XXIII. Quapropter orta difficultate super jure eligendi magis idoneum ex approbatis in concursu inter Abbatem S. Vedasti, & Episcopum Atrebatensem, judicatum fuit per Consilium Privatum, Abbati in vim hujus Decreti Concilii Tridentini competere electionem, non obstante quod Episcopus assereret, institutionem esse penes Archidiaconum. Hujus sententiæ meminit Zypæus in *Jure novo, tit. de Inst. num.* 5. & integram refert Antonius Anselmo inter varia documenta concernentia bona, & jurisdictionem Ecclesiasticam *pag.* 28. Notat autem Zypæus, Consilium Privatum per hanc sententiam: „tacitè decidisse, institutionem, vel administrationem vacantis „Parochialis, quam Episcopus Archidiacono competere asse„rebat, non esse *tituli* collativam."

XXIV. Quin tamen institutio tituli collativa, seu *auctorizabilis* aliis, quàm Episcopis competere possit, evidenter supponit Concilium Tridentinum in verbis supra expresis: *Cum institutio* AB ALIO, *quàm Episcopo erit facienda.* Quidni ergo & Archidiacono ex consuetudine, aliove titulo competere poterit? Quemadmodum ad aliquos Archidiaconos Belgicos, ac signanter Mechliniensem transtulit.

XXV. Neque citatum Capitulum quartum loquitur de hac institutione tituli collativa, sed de *cura animarum*: hacque Archidiaconum dare non posse sine licentia, & mandato Episcopi prætextu consuetudinis, rescribitur ab Alexandro III.

Glossographus seu Rubricæ Auctor, *curam animarum* & institutionem *auctorizabilem* pro synonimis accipit; cùm tamen hæc sine illa dari queat: & Archidiaconi Belgici dantes institutionem auctorizabilem, institutum pro *cura animarum* ad Episcopum remittunt. Similiter Nominatis Facultatis Artium in hac Lovaniensi Universitate vi Privilegii Apostolici, & vigore clausulæ *Cæterum*, in processu fulminato super executione Bullæ Gregorii XIII. contentæ, datur collatio, sive institutio tituli collativa à quocunque Clerico tanquam Sedis Apostolicæ Subdelegato, & tamen pro cura animarum adiri debet Episcopus. Quare Rubrica dicti Capituli quarti confundens *curam animarum* cum institutione *auctorizabili*, non consonat suo *nigro* de sola cura animarum loquenti.

XXVI. Competente autem per consuetudinem, aliove titulo institutione auctorizabili ipsi Archidiacono, quæri posset, an eo casu institutio ad alium quàm Episcopum, ad mentem Concilii Tridentini, dicenda sit pertinere. Si Archidiacono competat ex sola delegatione Episcopi; ità ut instituendi auctoritas sit tantum *vicaria* ad nutum Episcopi revocabilis; videbitur institutio esse penes Episcopum, qui per Archidiaconum eam concedat; non secus atque curam animarum per suum Vicarium generalem.

XXVII. At si institutio auctorizabilis pertineat ad Archidiaconum *jure proprio*, & independenter à delegatione Episcopi, jure sui Archidiaconatûs, tunc auctoritas instituendi censebitur Archidiacono *propria*; & consequenter ad alium, quàm Episcopum spectare videbitur institutio. Quod enim Archidiaconis competit jure proprio, sive jure Dignitatis, non competit jure vicario, sed *ordinario*; æquè ac ea, quæ aliis inferioribus Prælatis aut Pastoribus jure suæ Dignitatis, aut Beneficii competunt; quemadmodum supra *part.* 1. *tit.* 12. *cap.* 1. ostendimus: & consequenter nec hîc eandem cum Episcopo personam constituere dicendi sunt. Quod & non obscurè declaratur in *cap.* 3. *de Appellat. in VI.* dum ibidem deciditur, ab Archidiaconis Suffraganeorum Archiepiscopi Remensis esse appellandum ad ipsos Suffraganeos, non ad Archiepiscopum: idque indubiè, quia Archidiaconi jurisdictionem jure proprio exercentes, censebantur habere tribunal distinctum à tribunali Episcopi; atque ita ab eodem ad eundem non appellabatur.

XXVIII. Non ergo sine fundamento, ubi institutio auctorizabilis competit Archidiacono, prætendunt Episcopi, competere sibi electionem magis idonei ex approbatis, quem Patronus ei præsentet, ad quem institutio spectat, nimirùm Archidiacono: hocque jure hodie utitur Archiepiscopus Mechliniensis.

XXIX. Cùm verò Episcopus teneatur unum eligere ex approbatis ab Examinatoribus Synodalibus, atque huic & non alteri collatio facienda sit; videtur hæc collatio potiùs *necessaria*, quàm libera; eoque titulo Capitulum Sede vacante concursum ad Parochiales, etiam aliàs ad liberam collationem Episcopi spectantes, instituit & absolvit: quod & suadet salus animarum, quæ ex diuturniore Ecclesiarum Parochialium vacatione non lève multoties detrimentum subit: & ita non semel à S. Congregatione declaratum esse testatur Garcias *de Beneficiis, part.* 9. *cap.* 2. *num.* 8. & praxis quotidiana confirmat.

CAPUT V.

De Vicario, seu Deservitore, Ecclesia Parochiali vacante, constituendo.

1 *Synodus Tridentina vult vacante Ecclesiâ Parochiali constitui Vicarium seu Deservitorem.*
2 *Hoc Decretum locum habet in Ecclesiâ Parochiali etiam concursui non subjecta.*
3 *An Episcopus semper debeat constituere Vicarium.*
4 *Semper Ecclesiæ vacanti providendum de Presbytero, qui curam ejus habeat.*
5 *Vicarius constituendus ab Examinatoribus Synodalibus probari non debet.*
6 *Etiam deputandus ab Episcopo in Ecclesiis ad aliorum collationem spectantibus.*
7 *Etiam Dignitatibus annexis.*
8 *Licèt sint Juris Patronatus laici.*
9 *Episcopi est Vicario assignare portionem congruam ex proventibus Ecclesiæ vacantis.*
10 *Idque etiamsi jus percipiendi proventus ad alium pertineat.*
11 *Hi, qui hoc jus habent, subinde plus sunt soliciti de fructibus lucrandis, quàm de idoneo Vicario constituendo.*
12 *Vicarius succedit in functiones Pastorales.*
13 *Probatur ex formula deputationis,*
14 *Non succedit in ea, quæ Pastoralia non sunt.*

I. CUm sæpè contingat, non posse statim Ecclesiæ Parochiali vacanti de idoneo Rectore provideri, præsertim si per formam concursûs providendum sit; ne per eam moram populus Sacramentorum, ac divini verbi necessario pabulo careat; atque ita salus animarum in discrimen veniat, Concilium Tridentinum præscribens formam concursûs in Ecclesiarum Parochialium provisione servandam, statuit; quòd „debeat Episcopus statim habitâ notitiâ vacationis Ecclesiæ, si „opus fuerit, idoneum in ea Vicarium, cum congrua, ejus „arbitrio, fructuum portionis assignatione constituere, qui „onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec ei de rectore provide„tur." *Sess.* 24. *cap.* 18. *de Reform.*

II. Quamvis non omnes Ecclesiæ Parochiales subjaceant concursui, uti suprà vidimus, nulla tamen est Ecclesia verè Parochialis, cujus adveniente vacatione non sit constituendus, aut designandus quispiam, qui tempore vacationis, & donec de Rectore ei provideatur, curam Parochiæ habeat, & populo spiritualia administret; ne aliàs defectu Sacerdotis, & Deservitoris, sive Vicarii populus Sacramentorum usu, aliisque ad salutem necessariis destituatur.

III. Quare clausula à Concilio addita, *si opus fuerit*, significat quidem relinqui arbitrio Episcopi, num idoneus aliquis *vicarius* juxta formam ibidem expressam sit constituendus; sed nequaquam permittit Episcopo, relinquere Ecclesiam vacantem sine Presbytero, qui curam ejus agat, populoque Sacramenta, aliaque ad salutem necessaria tribuat. Quid enim, si in eadem Parochia sint Vice-Pastores, qui Ecclesia vacante curam ejus habere possint; aut vicinus Parochus, qui ob exiguam quam regendam habet communitatem, sine magno incommodo possit vacantis Ecclesiæ curam habere, & populo necessaria administrare? Quidni tunc Episcopus subinde judicare poterit, novi Vicarii ad vacantem Ecclesiam regendam deputatione opus non esse, sed Vice-Pastoribus, aut vicino Parocho curam committi posse? Atque ad hunc casum eam clausulam referendam esse monet Garcias *de Benefic. part.* 9. *cap.* 2. *num.* 13. quamvis in ri-

rigore dici queat, hosce Vice-Pastores, aut Parochum vicinum per demandatam sibi curam Parochiæ vacantis, constitui *Vicarios*, seu *Deservitores*.

IV. Equidem illud certum est, Ecclesiæ vacanti statim à vacatione providendum esse de Præsbytero, qui curam ejus suscipiat; adeò quidem, ut in casibus repentinis, & ubi Episcopus abest, possit ob periculum imminens, Capitulum, aut Ecclesiæ vacantis Patronus Vicarium constituere, qui interim curam ejus agat; uti S. Congregationem declarâsse testatur Garcias *de Benefic. part. 9. cap. 2. num.* 11. subjiciens *num.* 12. hoc monitum: » Non tamen intelligas, quòd Collegium isto casu possit dare jurisdictionem alias non habenti, & approbationem ad Sacramentum pœnitentiæ administrandum, &c. » sed solùm potest illud ponere ad custodiam. «

V. Deputationem, & electionem Vicarii ad vacantem Ecclesiam Concilium defert Episcopo; neque in ejus assumptione examinatores Synodales audire debet; nec ab his Vicarius examinari, aut probari, sed illum Episcopus deputare potest, quem ipse idoneum judicaverit.

VI. Hæcque deputatio Vicarii competit Episcopo non tantùm quoad Ecclesias suæ collationis; sed etiam ad aliorum collationem, electionem, vel provisionem, etiam Sedis Apostolicæ vigore reservationis, spectantes. Imò licèt Ecclesiæ vacantes non subjaceant concursui, nihilominus Episcopo earum vacatione occurrente constituendi Vicarium auctoritas competit.

VII. Quare vacante Dignitate in Ecclesia Cathedrali, aut Collegiata, cui annexa est Parochialis, Episcopus nominat, ac deputat Vicarium, seu Deservitorem; quamvis ipsa Parochialis sic unita concursui non exponatur; uti notat Massobrius in *Praxi habendi concursum, Requis. I. Dubio* 16. qui & ibidem *Dubio* 19. resolvit, etiam in Ecclesiis unitis Capitulis deputandum esse per Episcopum idoneum Vicarium; tametsi etiam Ecclesiis illis deserviretur per Vicarios duntaxat amovibiles: tamen quoadusque de hujusmodi Vicario debitè per Capitulum esset Ecclesiis vacantibus provisum, Episcopus nominare poterit Vicarium, sive Deservitorem.

VIII. Similiter Ecclesiæ Patronatûs laici, quin & Regii, quamvis à forma concursûs exemptæ, ab Episcopis sine prævia Patroni, aut Regis nominatione, vel præsentatione, Vicarium, seu Deservitorem accipiunt, qui curam Ecclesiæ vacantis habeat, donec de Rectore ei provideatur.

IX. Episcopi quoque arbitrio permittit Concilium, determinare portionem *congruam* Vicarii sustentationi necessariam; utique ex fructibus ipsius Ecclesiæ Parochialis vacantis. Dicit enim: » Cùm congrua, ejus (Episcopi) arbitrio, *fructuum* portionis assignatione. « Quibus sat indicat ex fructibus Ecclesiæ vacantis, eam portionem esse assignandam.

X. Tametsi enim fructus Ecclesiarum vacantium subinde ad domum mortuariam defuncti Pastoris, saltem pro certo tempore pertineant; vel alii Archidiaconi jus percipiendi fructus vacantium Ecclesiarum (quod jus *deportus* vocant) habeant; imò aliquando Episcopi jure illo gaudeant, tamen semper jus illud intelligitur ad illos spectare, *deductis oneribus*, inter quæ est hæc congrua portio Vicario, seu Deservitori debita.

Unde cùm in Diœcesi Antuerpiensi fructus vacantium Ecclesiarum spectent ad Episcopum; eosque nomine Episcopi administret Sigillifer, mandat Synodus sub Miræo *tit.* 12. *cap.* 22. ut îdem Sigillifer debitis oneribus curet satisfieri.

XXI. Ut autem hi, ad quos jus percipiendi proventus Ecclesiarum vacantium devolvitur, majorem eorum partem suis usibus applicare queant, subinde ubi possunt, vacationem Ecclesiarum protrahunt; vel Sacerdotes parùm idoneos, & mercenarios exigua portione contentos, vel Parochos vicinos, plus quàm sufficienter oneratos, in Deservitores non sine notabili populi detrimento nominant, suo proprio commodo magis, quàm animarum saluti, & Ecclesiæ vacantis bono intenti; cùm tamen proventus Ecclesiarum vacantium ipsis attribui hoc solo titulo soleant, quòd vacantium Ecclesiarum curam habere debeant; quemadmodum videri potest apud Auctores de jure *deportus* tractantes, qui omnes unanimiter ex cura, seu custodia Ecclesiarum vacantium Archidiaconis incumbente, jus *deportus* Archidiaconis competere asserunt.

XII. Vicarius autem constitutus debet *onera ipsius Ecclesiæ* vacantis *sustinere*, uti loquitur Concilium Tridentinum: hoc est, subire onera Pastoralia; ipsique Ecclesiæ, & populo in Pastoralibus deservire: unde Vicarius *Deservitor*, & Vicaria dici solet *Deservitura*: tanquam qui omnia præstet, quæ ipse Parochus præstare deberet.

XIII. Hæc in litteris deputationis Vicarii, sive Deservitoris, quarum forma extat apud Barbosam in appendice ad tractatum *de Officio Episcopi, formula* 56. ita exprimuntur: » Te Vicarium ipsius Ecclesiæ S. N. constituimus, & deputamus, cum » auctoritate Missas, & alia Divina officia celebrandi, Sacramenta administrandi, & alias functiones Ecclesiasticas obeundi, » ad quæ tenetur, & quæ animarum quilibet Rector, & administrator præstare & obire solet. «

XIV. At si Pastoratui, sive Beneficio Parochiali aliqua sint annexa, quæ nec curam animarum concernunt, neque inter Pastorales functiones recenseri solent, hæc ad Deservitorem seu Vicarium haud transeunt. Exempli gratia, si Parochus, vel Plebanus in Ecclesia Collegiata, vel Cathedrali obtineat locum inter Canonicos, vestemque Canonicalem, & intret Capitulum, hæc Deservitori dari non solent; quia jure speciali Pastori deferuntur, neque Pastoralia sunt.

TITULUS XXIII.

De Mandatis, & Reservationibus Apostolicis.

CAPUT I.

ORIGO, ET PROGRESSUS MANDATORUM *DE PROVIDENDO*, ET RESERVATIONUM.

1 *De quibus mandatis hic agatur.*
2 *Mandata quare dicantur* Expectativæ.
3 *Quid reservatio Apostolica.*
4 *Reservatio alia specialis, alia generalis.*
5 *Mandatorum usus non fuit ante seculum XII.*
6 *Mandatis his usus fuit Alexander III.*
7 *Preces Pontificum tunc temporis simùl erant* mandata.
8 *Olim interdum dabantur* Monitoriæ, Perceptoriæ, & *Executoriæ; secùs hodie.*
9 *Dictarum litterarum mentio in Decretalibus.*
10 *Pontifices Mandata dare volebant iis, qui aliud Beneficium non habebant.*
11 *Dabantur Clericis sine titulo ordinatis.*
12 *Dicebantur in forma* pauperum, *vel in forma* cùm secundum Apostolum.
13 *Vocata etiam in forma* communi, *& quare.*
14 *Hujusmodi rescripta in Decretalibus occurrunt.*
15 *Ordinarii nonnunquam hisce Mandatis obsequi detrectabant; & quare.*
16 *Sub initium seculi XII. frequentiora fuêre hæc Mandata.*
17 *Non solebant Pontifices singulas Ecclesias plusquam* uno *mandato gravare.*
18 *Honorius III. per Nuntios suos petivit duas Præbendas in Cathedralibus, & duas portiones in Cœnobiis per Angliam, & Galliam.*
19 *Prætendebant Mandatarii etiam Beneficia Patronatûs* laici; *sed hæc Mandatis non comprehendi declaravit Gregorius IX.*
20 *Hæc interpretatio ubique obtinet.*
21 *De mandatis, & Reservationibus conquesti sunt Angli apud Innocentium IV.*
22 *Excusat Pontifex factas Reservationes; & pro parte tollit futuras.*
23 *Seculo XIII. Ecclesiæ Canonicorum etiam Belgicæ Mandatis & Expectativis multum gravatæ fuerunt.*
24 *Generalem Reservationem Beneficiorum apud S. Sedem vacantium, primum fecit Clemens IV.*
25 *Hæc reservatio dicitur* clausa in Corpore Juris.
26 *Baronum Galliæ querelæ contra Bonifacium VIII. de excessu Expectativarum; & ejus defensio.*
27 *Clemens V. & Joannes XXII. & Benedictus XII. Reservationes ampliaverunt.*
28 *Quare in Gallia facilius tunc receptæ.*
29 *Querela Regis Angliæ contra nimias Reservationes ad Clementem VI.*
30 *Pontifex respondet non esse in potestate Regis Reservationes restringere.*
31 *Qua ratione hæc auctoritas specialiter competat Ecclesiæ Romanæ.*
32 *Schisma Avenoniense incrementum dedit Expectativis & Reservationibus.*
33 *De iis abrogandis actum in Concilio Constantiensi.*
34 *Quid decreverit Martinus V. & Eugenius IV.*
35 *Quid contra eas decretum in Concilio Basiliensi.*
36 *Decretum hoc receptum in Gallia; at posmodum pro parte abrogatum.*

In

37 *In Germania Reservationes manserunt.*
38 *Quid in Belgio.*
39 *Post Concilium Basiliense* Expectativarum *usus in Italia; & de earum abolitione inter Cardinales deliberatum.*

I. MAndata Apostolica, de quibus hic agere instituimus sunt mandata, quibus Papa de Beneficio provideri mandat: Unde vulgò dicuntur, Mandata *de Providendo.*

II. Hæc mandata, si sint ad *vacatura*, dicuntur etiam *Expectativæ*; & qui hujusmodi mandatum in sui favorem obtinuit, dicitur habere *Expectativam.* Hinc dicit Rebuffus in praxi *part.* 1. *tit. de Expectativis, num.* 1. » Papa solet scribere ad » Beneficia *vacatura* per Expectativas. « Deinde *num.* 3. ait: » Expectativæ gratiæ sunt, ex quibus Beneficium impetrans » expectat. «

III. Aliquando Papa mandat provideri per reservationes, ait Rebuffus *ibidem*, *tit. de Reservationibus*: quando nimirùm suæ dispositioni aliqua Beneficia vacatura reservat, cum inhibitione electoribus, aut Collatoribus facta, ad eorum electionem, vel collationem, vacatione adveniente procedendi sub pœna nullitatis.

IV. Hæ reservationes aliæ sunt speciales, aliæ generales. Speciales sunt, quando certum aliquod Beneficium in individuo vacaturum, dispositioni Sedis Apostolicæ reservatur.

Generalis verò erit, si omnium regni, vel certi loci Beneficiorum, vel personarum seu dignitatum fieret amplissima reservatio; qualis est omnis illa reservatio, quæ dicitur *clausa* in Corpore Juris; item contenta in Regulis Cancellariæ, de quibus infrà agetur.

V. Quo tempore Pontifices hisce mandatis, & reservationibus uti cœperint, incertum est; illud equidem sat constat, mandatorum, & expectativarum usum antiquiorem esse, quàm reservationum saltem generalium.

Mandatorum autem Apostolicorum *de providendo*, & *Expectativarum* initia referunt communiter Canonistæ ad seculum XII. scribitque Vir eruditus, & in Canonibus ac historiis admodum versatus Franciscus Florens, hanc mandatorum speciem non videri antiquiorem Alexandro III. quod & Rebuffus, aliique passim tum veteres, tum recentiores Canonistæ annotârunt; unà monentes, nullam horum mandatorum in Decreto Gratiani, utpotè Alexandro III. antiquiore, mentionem fieri; uti aliis citatis habet Gonzalez ad *Regul.* 8. *Cancell. Glossa* 1. *Proœm. n.* 25.

VI. De Alexandro III. legitur, quòd Præbendam petierit ab Abbate S. Remigii pro certo Clerico: » Devotionem ves» tram, ait, per Apostolica scripta rogantes attentiùs, mo» nentes, atque *mandantes*, quatenus eidem Clerico Divini » amoris intuitu, & pro reverentia B. Petri & nostra, in ali» quo Beneficio Ecclesiastico sibi competenti, unde vitæ ne» cessaria in vestra semper devotione possit honestè percipere, » liberaliter provideatis. « *Epist.* 43. in prima appendice ad litteras Alexandri III. Pro altero quoque Clerico eidem Abbati scripserat eadem penè servatâ formâ *Epist.* 7. è qua constat mandata hujusmodi fuisse tam ad Beneficia *vacatura*, quàm vacantia; ait enim: » Præbendam si qua nunc vacat, vel quæ » primò *vacaverit*, ei concedas liberaliter. «

VII. Ex his litteris intelligitur, quòd tempore Alexandri III. preces Pontificum pro obtinendo Beneficio alicui Clerico adjunctas haberent *mandatum*, *monentes*, *atque mandantes*, ait.

VIII. Cumque nec his obsequerentur Collatores Ordinarii, junctæ postmodum fuêre litteræ *executoriales*; vel etiam *Executores* nominabantur, qui ipsos Collatores auctoritate Apostolica ad obsequendum mandatis, interdum quoque per censuras, urgerent.

Verùm, uti observat citatus Franciscus Florens, » ab ini» tio, ne Collatores Ordinarii gravius conquerentur, immi» nui jura sua; Pontifices non statim, & primis litteris, vel » mandato, compellebant eos ad conferendum vacans, vel pro» ximè vacaturum Beneficium. Primò *Monitorias* scribebant; qui» bus si non obtemperabatur; Secundò *Præceptorias*. Tertiò » si perstarent in contumacia, dabant *Executorias*, quibus con» tumaciam cessantium Collatorum puniebant: ideò *Executoria» les appellatas*, quia iisdem litteris, Executorem delegabant, » & concedebant, qui recipi faceret impetrantem, & provi» deret de Beneficio, quod tunc vacabat, vel erat proximè » vacaturum. Procedente verò tempore, ubi cœpit hujusmo» di mandatorum auctoritas invalescere, non ampliùs tres litte» ras diversis temporibus, sed unas tantum dederunt, etiam ad» dito statim executore, qui cessante Ordinario Collatore con» ferret, exemplo Juris Civilis, quo aliquando Prætor, pro » conditione causæ, vel personæ, vel temporis adversus con» tumaces, ordinem, & compendium trium edictorum ita mo» derabat, ut statim *Peremptorium* daret; quod apellatur, *unum » pro omnibus.* «

IX. Harum litterarum *monitoriarum*, *præceptoriarum* & *executoriarum* frequens mentio occurrit in Decretalibus, præsertim Innocentii III. & Honorii III. ac signanter in *capit.* 30. 37. 38. & 40. ✠ *de Rescriptis*; è quibus tribus postremis conflata est formula mandatorum Apostolicorum Concordatis Galliæ subjecta; & cujus clausulas exponit Rebuffus in praxi *tit. de Clausulis mandatorum.*

X. Insuper ex citatis litteris Alexandri III. noscitur, quòd Pontifices profiterentur hujusmodi Mandatis velle providere viris litteratis, præsertim aliud Beneficium, aut unde viverent, non habentibus. *In epist.* 43. prologi loco scribit: » Pastoralis so» licitudo nos admonet, pro viris Ecclesiasticis, & præsertim » pro his, qui nullum habent Ecclesiasticum Beneficium, & » sunt bonæ opinionis & famæ, solicitos existere. «

Idipsum & subsequentes Pontifices professi sunt. Unde in *cap.* 6. ✠ *de Præbendis* respondet Lucius III. quòd si ille, pro quo scriptum est, Beneficium Ecclesiasticum, unde honestè valeat sustentari, habeat, cujus in Mandato mentio non habetur, Ordinarius ille de Beneficio providere non teneatur.

XI. Imò ut major horum mandatorum justitia appareret, solebant hujusmodi mandata dari pro Clericis pauperibus sine sufficienti Beneficio à suis Episcopis ordinatis; mandabaturque Episcopis, ut hisce Clericis de Beneficio vacante, aut primo vacaturo providerent.

XII. Hæc mandata dicebantur in *forma pauperum*, vel in forma *Cùm secundum Apostolum*, id est, in forma præscripta ab Innocentio III. in *cap.* 16. ✠ *de Præbendis*, cujus initialia verba sunt, *Cùm secundum Apostolum.*

XIII. Dicebantur quoque in forma *communi*; tum quòd esset ordinaria, & *communis* mandatorum formula; tum etiam, quòd hujusmodi mandata viderentur unicè tendere ad juris communis executionem: urgendo scilicet Episcopos, ut Clericis, quos pro servitio suarum Ecclesiarum ordinaverant, de Beneficio, unde honestè sustentari possent, providerent: » Cùm secundum » Apostolum, qui altari servit, vivere debet de altari (ait In» nocentius III.) & qui ad onus eligitur, repelli non debet à » mercede: patet à simili, ut Clerici vivere debeant de patri» monio Jesu Christi cujus obsequio deputantur. «

XIV. Similis rescripti non semel in Decretalibus Gregorii IX. mentio fiat; ac nominatim in *cap.* 13. ✠ *de Ætat. & Qualit. Ordinandor.* ubi appellatur mandatum in *forma communi.* Et in *cap.* 27. ✠ *de Rescriptis*, ubi Episcopo Uratismensi postulanti » per Sedem Apostolicam edoceri, utrum alicujus » Ecclesiæ perpetuo Vicario de proventibus Vicariæ, bonisque » paternis, habenti unde commodè valeat sustentari, teneatur » per illam formam *communem* CUM SECUNDUM APOSTOLUM, » in Ecclesiastico Beneficio providere: « Respondet Innocentius III. » non esse providendum; cùm per prædictam for» mam necessitatibus *pauperum* Clericorum (qui *nullum* sunt Ec» clesiasticum Beneficium assecuti) Sedes Apostolica duxerit » esse providendum. «

XV. Verùm tametsi formula litterarum præferret, eas nonnisi pro litteratis, & in utilitatem Ecclesiarum concedi, tamen non rarò contingebat, ut per sub-& obreptionem, aut importunas solicitationes à Pontificibus hujusmodi mandata in gravamen Ecclesiarum, & Ordinariorum extorquerentur.

Hinc mandatis hisce sæpius Ordinarii obsequi retractabant; quod indicant frequentes litteræ *executoriæ*, & executores, quibus ad Ordinarios compellendum uti oportuit.

XVI. Ex Decretalibus quoque Honorii III. immediati Successoris Innocentii III. quæ habentur inter Decretales Gregorii IX. manifestum est, hæc mandata tempore ipsius Honorii III. fuisse non parùm frequentia; pluresque eorum occasione exortas quæstiones & difficultates, quibus in suis Decretalibus respondet Honorius.

XVII. Hoc quoque ex ejusdem Pontificis responsis intelligitur, eo tempore solitam fuisse inseri hanc clausulam mandatis *de providendo*, sive expectativis: *nisi de mandato nostro eadem Ecclesia foret in alterius receptione gravata.* Vide *cap.* 30. ✠ *de Rescriptis* notanter in parte *decisa*; item *cap.* 38. ✠ *eod. & cap.* 2. *eod.* in quinta Compilatione Decretalium Honorii III. per Cironium: è quibus hoc insuper non obscurum est, Pontifices tunc temporis solitos non fuisse, plusquam uno mandato vitâ suâ durante eandem Ecclesiam gravare.

XVIII. Nullam hactenùs generalem Beneficiorum reservationem à Sede Apostolicica factam reperimus, hoc unum legimus, quod Honorii III. Legatus, sive Nuntius in Anglia anno 1226. in Concilio apud Westmonasterium nomine Pontificis ad sublevandam Romanorum inopiam, petierit » ab omnibus » Ecclesiis Cathedralibus, duas Pontifici Præbendas exhiberi, » unam de portione Episcopi, alteram de Capitulo. Et similiter » de Cœnobiis, ubi diversæ sunt portiones Abbatis & Con» ventûs: à Conventibus, quantum pertinet ad unum Mona» chum, æquali facta distributione bonorum suorum, & ab Ab» bate tantundem. « Hæc plenius referuntur ex Matthæo Parisiensi tom. 11. Concilior. General. *col.* 303. ubi unà narratur, quomodo postulata hæc effectum non habuerint, eò quòd » ve» nissent Nuntii Regis ad omnes Prælatos, qui de Rege Baro-

» nia

» nias tenebant in capite destinati districtè inhibentes, ne lai-
» cum feudum suum Romanæ Ecclesiæ obligarent, unde servi-
» tio sibi debito privaretur.“

Similia sub idem tempus nomine ejusdem Pontificis postulata fuisse à Prælatis Galliæ per Romanum S. Angeli Cardinalem, narratur in dicto tomo Conciliorum Generalium *col.* 293. una relatis rationibus Prelatorum, ob quas postulatis annui non posse ostendebant, quibus Cardinalis acquievit.

XIX. Interim mandatis seu expectativis utebantur Pontifices, & quidem mandatarii, sive expectantes etiam Beneficia Juris-patronatûs *laicalis* sibi deberi, vigore Mandatorum contendebant; uti ex querelis Baronum Regni Angliæ ad Gregor. IX. Honorii III. proximum successorem constat. At ipse Pontifex Gregorius IX. datis litteris ad Nobiles Angliæ, declaravit, quod » intentionis suæ non fuerit, nec existat, ut Beneficia in Reg-
» no Angliæ constituta, quæ ad præsentationem pertinet *secu-*
» *larium* Patronorum, auctoritate suâ cuiquam conferantur. « *Epist.* 13. quod ipsum *epist.* 14. significavit Othoni Cardinali Legato suo in Anglia.

XX. Hæc mandatorum & Expectativarum restrictio & interpretatio dein *generaliter* invaluit, & hodie retinetur; effecitque, ut Principes & Nobiles Beneficiorum Patroni minùs ægrè hujusmodi mandata tulerint; imò nonnunquam promoverint, eaque in favorem suorum familiarium à Pontificibus postulaverint; quin & importunis precibus quodammodo extorserint.

XXI. At cùm per hujusmodi mandata nonnunquam etiam Beneficia majora, & curam animarum habentia Italis, qui nec residebant, nec curam ullam Ecclesiarum gerebant, conferrentur; imò & ipsi Legati Pontificis similibus mandatis Ordinarios gravandi auctoritatem assumerent; indeque fieret, ut pecuniæ extra regnum exportarentur, ipsumque regnum multùm gravaretur, Ecclesiæ depauperarentur, & Ministris destituerentur, magnæ subinde etiam Regum & Magnatum querelæ excitatæ fuerunt: quales anno 1245. apud Innocentium IV. deposuerunt Magnates & Universitas Regni Angliæ, quorum epistola publicè in Concilio Lugdunensi coram Pontifice lecta fuit. Habetur tomo 11. Concilior. General. *col.* 663.

XXII. Distulit responsum Pontifex, quia, ut asseruit, tam arduum negotium morosa indiguit deliberatione: indistanter tamen se responsa daturum pollicendo. An & quid responderit, non constat; sed illud scribitur, quòd anno 1252. idem Pontifex ante factas Beneficiorum reservationes revocaverit, rescideritque, addens: » Et qualitas temporis, quod diebus istis
» potissimum fuit ob eorum *malitiam* redimendum, & nonnul-
» lorum instantia *importuna* extorsit, quòd de Archiepiscopati-
» bus, vel Episcopatibus, seu Abbatiis, & Prioratibus man-
» davimus per nostras litteras in diversis partibus provideri. «

Dein reservationibus revocatis, declarat, hujusmodi Beneficiis per Ordinarios Collatores esse *canonicè* providendum.

Citata verba sat indicant certissimum esse, hujusmodi mandata nonnunquam instantia importuna à Pontificibus extorqueri.

Cùm autem Innocentius tantùm de Episcopatibus, Abbatiis, & Prioratibus loquatur, reservationes & expectativas minorum Beneficiorum in suo reliquisse vigore videtur.

XXII. Et sanè circa hoc tempus adeò excreverant mandata *de providendo*, ut etiam pro moderatione acciperetur Alexandri IV. qui immediatè Innocentio IV. successit, Constitutio, quæ non permittebat Ecclesias Canonicorum gravari plùs quàm *quatuor* mandatis; uti fidem facit Synodus Coloniensis anno 1260. *Can. XIII.* eandem Constitutionem observari præcipiens: » Per quòd (ait) maximè Ecclesiarum Collegiatarum
» quieti prospicitur, illarum præsertim, quæ plurium Clerico-
» rum receptionibus ad vacatura Beneficia sunt gravatæ. «

Altera ejusdem Provinciæ Synodus anno 1266. celebrata exponit, quantæ difficultates orirentur occasione hujusmodi Mandatorum, dum vacante *unâ* Præbendâ, *duo*, vel *plures* auctoritate Apostolicâ, vel Legatorum ejus, aut quavis alia auctoritate jus se habere assererent, atque ipsa Capitula per suos respectivè executores ad receptionem æqualiter urgerent; ubi & remedia hisce adhibenda præscribit *Can. XXXIV.*

XXIV. Quamvis hæc sufficienter evincant, Expectativas, & speciales hujusmodi reservationes magnum sumpsisse incrementum, tamen hactenus non legitur ullum Decretum editum fuisse, quo *generaliter* alicujus generis Beneficia Sedi Apostolicæ reservarentur.

Primus Clemens IV. Sedi Apostolicæ reservavit generaliter Beneficia, quæ apud *eandem Sedem* vacare contigerint. Constitutio hæc refertur in *cap.* 2. *de Præbendis*, *in* VI. asseritque in procemio Constitutionis, quòd collationem Beneficiorum *apud Sedem Apostolicam* vacantium specialiùs cæteris, *antiqua* consuetudo Romanis Pontificibus reservavit.

XXV. Reservatio hæc quantumvis non extet in Decretalibus Gregorii IX. dicitur tamen *clausa in Corpore Juris*; habeturque præ cæteris reservationibus minùs odiosa, & cæterissublatis nonnunquam conservata; uti infrà notabitur *cap.* 3. ubi unà notabitur ratio, ob quam hæc reservatio inducta dicitur.

XXVI. Eandem reservationem renovavit Bonifacius VIII. in *Extrav.* PIÆ, *de Præbendis*, *inter Communes*.

Hinc Pontificem plures reservationes, & Beneficiorum provisiones fecisse in Regno Galliæ, patet ex epistola Baronum illius Regni ad Cardinales, quibus acriore stylo provisiones illas depingunt. Huic epistolæ respondentes Cardinales, non inficiantur, Pontificem plures reservationes, & provisiones fecisse, at ostendere student, eas à Pontifice in Ecclesiæ, Regnique utilitatem factas. Extant hæ litteræ, uti & Baronum, *tomo* 4. *Histor. Universitatis Parisiens. pag.* 22. & *seqq.* ac dein. *pag.* 31. refertur epistola ipsius Bonifacii responsoria ad epistolam Baronum; atque inter alia vult, ut conferantur inter se provisiones Præbendarum factæ à Rege & Episcopis, & provisiones factæ à Pontifice, expendaturque, quæ magis in utilitatem Ecclesiarum, & Regni cedant.

XXVII. Clemens V. immediatus Bonifacii VIII. Successor rursus reservationem Beneficiorum *apud Sedem Apostolicam* vacantium renovavit; & pro efficaciore executione addidit hanc clausulam: *Hac reservatione nostra, & Decreto ligari volumus* IGNORANTES. Refertur in *Extrav.* 3. *de Præbendis*, *inter Communes*.

Successor Clementis Joannes XXII. non tantùm eandem reservationem renovavit, & ampliavit in *Extrav.* 4. *eod.* sed insuper aliam addidit in *Extrav. Execrabilis*, *eod.* cui dein generaliorem adjecit Benedictus XII. qui Joanni successerat, referturque in *Extrav. Ad regimen*, *eod. tit.* quæ postmodum in Regulas Cancellariæ transierunt; & à nonnullis pro reservationibus in *Corpore Juris clausis* reputatæ fuerunt; de quibus latiùs *cap.* 3. agetur.

XXVIII. Porro cùm hi, ac nonnulli sequentes usque ad Gregorium XI. Sedem Apostolicam tenerent Avenione in Gallia, inde dicti Papæ Avenionenses, reservationes hæ, & expectativæ facilius à Gallis exceptæ fuêre; at non æquè in aliis Regnis. (q)

XXIX. Recitat Odoricus Raynaldus ad annum 1343. litteras Eduardi Regis Angliæ ad Clementem VI. proximum successorem Benedicti XII. in quibus altè de hisce reservationibus, & gravaminibus indè Ecclesiis, & Regno suis obvenientibus, scribitque, se instanter per Communitatem Regni sui rogatum, ut prædictis dispendiis occurreret.

XXX. Anno sequenti respondens Pontifex, inter alia dicit, quòd litteræ Regiæ innuere videantur, » quòd super reser-
» tionibus, & provisionibus Ecclesiarum (ait) in tuis tibi Par-
» lamentis liceat aliquid ordinare, quodque reservationis, & pro-
» visiones Apostolicæ à tua dependeat voluntate. Profectò, dilec-
» tissime fili, illa concordia, quam in tuo Parlamento habi-
» tam tuæ prædictæ describunt litteræ, nimis existeret temera-
» ria, & divinis Constitutionibus inimica, per quam Aposto-
» licæ Sedis reservationes & provisiones dependerent ex tuo vo-
» luntatis arbitrio, tuque per ipsas potestatem ejusdem Sedis
» Apostolicæ, quod profanum est dicere, coarctares: quam-
» quam Nos, qui Ecclesiarum omnium, tanquam Pastor uni-
» versalis earum, invigilamus commodis, uti non intenderimus,
» nec intendamus reservationibus & provisionibus hujusmodi,
» nisi quantum utilitatibus & necessitatibus Ecclesiarum ipsa-
» rum crediderimus expedire. «

XXXI. Deindè hanc auctoritatem speciali jure Ecclesiæ Romanæ asserens, dicit, eam non ab Apostolis, sed à Christo esse fundatam: » Non enim quævis terrena sententia (ait) sed illud
» *Verbum*, per quod constitutum est cœlum, & terra, per
» quod denique constituta sunt omnia elementa, eandem Ro-
» manam fundavit Ecclesiam; quæ quidem omnes Parochiales,
» Metropolitanas, & Cathedrales Ecclesias, & ipsarum cujus-
» libet Ordinis dignitatem instituit: ad cujus Pastorem, & Rec-
» torem Ecclesiæ, videlicèt Romanum Pontificem, omnium Ec-
» clesiarum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispo-
» sito noscitur pertinere.

XXXII. Demum, circa seculum XIV. exorto luctuoso illo schismate in Ecclesia Romana, quod per quadraginta & amplius annos Ecclesiam in duas, aut subindè tres partes divisit, mirum! quantopere Pontifices, quorum alter Romæ, alter verò Avenione sedebat, hasce reservationes, & expectativas extenderint; ipsasque Beneficiorum provisiones, quo suis Familiaribus, & adhærentibus providerent, sibi atraxerint, quemadmodum apud Nicolaum Clemangis, Theodoricum Niëm, aliosque Scriptores coævos, qui schismatis hujus historiam, necnon

(q) *In Germania anno* 1323. *habita sunt Norimbergæ generalia Imperii Comitia*, *in quibus Decretum datum est adversus Provisores*, *id est*, *adversus eos*, *qui Roma revertebantur cum provisionibus minimè Canonicis ad obtinendum primum Beneficium*, *quod vacare debebat. Statutum illud reperitur* tom. 1. Spicilegii Ecclesiastici, *quod à Lunig collectum est; motivum autem hujus statuti refertur à Patre Barre in sua German. Histor.* tom. 6. pag. 479.

non Pontificum unius, & alterius obedientiæ vitas scripserunt, videre est.

XXXIII. Cùm autem circa initium seculi XV. esset congregatum Concilium Constantiense, tam pro extinctione schismatis, quàm pro reformatione abusuum, qui occasione schismatis supra modum irrepserant, & altas radices egerant, etiam de reservationibus restringendis, & restituendis collationibus Collatoribus ordinariis actum est; atque inter articulos reformationis faciendæ per Papam unà cum Concilio, antequam dissolvatur, ordine secundus fuit: *Item de Reservationibus Sedis Apostolicæ*, Sess. 40.

XXXIV. Super hoc articulo aliquid in Concilio Constantiensi statutum fuisse non legitur; at scribitur, quòd Martinus V. in Concilio Constantiensi electus, *quatuor* menses voluerit esse liberos ab expectavis, seu Mandatis; quod & Eugenium IV. Martini successorem confirmâsse scribitur; atque ab eo tempore regulam *de Octo* publicatam fuisse credunt, de quo latiùs infrà *cap.* 4.

XXXV. Interim hisce non contenti Collatores ordinarii rursus in Concilio Basiliensi abrogationem reservationum, & liberam Beneficiorum collationem urgere cœperunt; ac tandem materiâ discusâ, primò *Sess.* 12. statutum: » De cætero ge» neralem reservationem omnium Ecclesiarum Metropolitana» rum, Cathedralium, Collegiatarum, & Monasteriorum, ac » Dignitatum *electivarum*, per Romanum Pontificem de cæ» tero fieri, aut facta uti non debere; reservationibus *in Cor» pore Juris clausis*, & his, quas in terris Romanæ Ecclesiæ ra» tione directi vel utilis dominii mediatè, seu immediatè sub» jectis fieri contingerit, semper exceptis. «

Addebat autem Concilium, ut nihil contra » hoc decre» tum Papa attentaret: « addita hac exceptione: » Nisi ex mag» na rationabili, & evidenti causa in litteris Apostolicis nomi» natim exprimenda. «

At hanc clausulam *Sess.* 23. *cap.* 5. revocavit, eò quòd nonnulli contra mentem Synodi eâ abuterentur, uti ex integro contextu Decreti (quod Suprà *part.* 1. *tit.* 13. *cap.* 1. relatum est) cognosci potest.

Deinde *ead. Sess. cap.* 6. » ipsas omnes (reservationes) tam » generales, quàm speciales, sive particulares, de quibuscun» que Ecclesiis, & Beneficiis, quibus tam per electionem, quàm » collationem aut aliam dispositionem provideri solet, sive per » Extravagantes, *Ad regimen*, & *Execrabilis*, sive per regu» las Cancellariæ, aut allias Apostolicas Constitutiones introduc» tas, hæc sancta Synodus abolet, statuens ut de cætero ne» quaquam fiant: reservationibus *in Corpore Juris expressè clau» sis*, & his, quas in terris Romanæ Ecclesiæ ratione directi, » seu utilis dominii, mediatè, vel immediatè subjectis, fieri » contigerit, duntaxat exceptis. «

XXXVI. Decretum hoc ambabus ulnis Clericus Gallicanus amplexus est; atque auctoritate Caroli VII. in Conventu Bituricensi Sanctioni Pragmaticæ insertum fuit, & pro lege observari voluit.

At postmodum Sanctione Pragmaticâ sub Leone X. in Concilio Lateranensi abrogata, & in ejus locum subrogato Concordato inter ipsum Leonem, & Franciscum I. Mandatorum Apostolicorum usus aliquantulum restitutus fuit, uti videri potest in dicto Concordato, titulo *de Mandatis Apostolicis*, & cap. sequenti latiùs dicetur.

XXXVII. Non ubique eâdem veneratione Decreta Concilii Basiliensis recepta fuisse notorium est. Unde & usus reservationum in multis locis, non obstante dicto decreto, remansit, quemadmodum de Germania sufficienter probat Concordatum initum inter Federicum Imperatorem & Principes Nationis Germanicæ, & Nicolaum V. ubi reservationum usus in multis ipsi Sedi Apostolicæ conservatur, uti ex textu Concordatorum cuique obvium est videre.

XXXVIII. In hisce quoque Belgicis Provinciis post Concilium Basiliense reservationes, ac provisiones Sedis Apostolicæ admissas fuisse satis constat, probatque Edictum Philippi Pulchri Patris Caroli V. evulgatum Brugis 20. Maii 1497. in quo quidem referuntur querelæ Procuratoris Fiscalis seu Regii, quòd per provisiones has nonnunquam illiterati, idioma patrium ignorantes, quin & subindè ipsi Principi suspecti in Beneficia etiam majora intrudantur, attamen earum usus nec aboletur, nec restringitur; at id unum » mandat Princeps omnibus suis subditis, » tam Ecclesiasticis, quam secularibus cujusvis conditionis, ne » exequantur, aut exequi patiantur ullas litteras expectativas, » aut reservativas, processus, sententias executoriales, aut ullas » Bullas, aut provisiones Apostolicas super Beneficiis sitis in his» ce Provinciis sub pœna privationis fructuum, & effectuum eo» rundem, exilii extra has Provincias, punitionis exemplaris, & » inhabilitatis gaudendi fructibus ullius Beneficii siti in iisdem » Provinciis, priusquam dictæ Bullæ, & Provisiones Apostolicæ » visæ sint in supremo Senatu Regio, atque litteræ patentes » consensûs Regii pro earum executione expeditæ fuerint.“ Habetur integrum Edictum in prima parte Edictorum Flandriæ *lib.* 1. *Rubrica* 8. ubi *num.* 1. refertur & aliud Edictum Maximiliani, & Philippi Archiducum Austriæ de anno 1484. & renovatum anno sequenti super eadem materia, diciturque, in hisce Provinciis plures quam in aliis Regnis admissas fuisse expectativas, aliasque similes provisiones Apostolicas.

Cæterùm de dicta clausula Edicti inhibente executionem Bullarum Apostolicarum sine litteris Regiis, quas hodie *Placet* dicimus, agetur titulo sequenti, ubi ostendetur quis sit scopus, & effectus hujus clausulæ & Edicti.

XXXIX. Refert ex Cardinali Papiensi Odoricus Raynaldus ad annum 1464. *num.* 67. » agitatum fuisse in Consistorio Car» dinalium de concedendis, vel non concedendis gratiis, quas » *Exspectativas* appellant, ac varias, discrepantesque fuisse Pa» trum sententias, nonnullos non concedendas opinatos, tanquam » Præsulibus Ecclesiarum admodum exosas; Joannem verò Car» dinalem Episcopum Portuensem contrà sensisse: *Is* (inquit) » *diu laborasse dixit Sedem Romanam, antequam posset assequi, » ut paterentur Ordinarii gratias in suis Dicœsibus dari, & » negligendam idcò prærogativam non esse, tam multis acquisi» tam molestiis, ubi enim per unum tantùm Pontificem desitæ » essent dari, futurum ut dari ampliùs non possent sine scanda» lo, differendum tamen menses aliquot, donec novi Pontifica» tus Nuntii ad Nationes, & Principes pervenissent.* Addit Pa» piensis: Pontificem ac majorem Patrum partem in Portuensis » judicium consensisse. “ Hæc Raynaldus.

Ex his sat constat, abolitionem reservationum & expectativarum factam in Concilio Basiliensi non ubique receptam; quod & evincunt ea, quæ de hac materia in Concilio Tridentino proposita & decreta sunt, de quibus capite sequenti.

SUPPLEMENTUM
AD CAPUT I.

RURSUS DISCUTIUNTUR ORIGO, PROGRESSUS, ET ABUSUS MANDATORUM *DE PROVIDENDO*, ET RESERVATIONUM.

1 *Olim ante XII. seculum summus Pontifex Clericos benemeritus patronis Beneficiorum commendabat.*
2 *Hujus commendationis formula.*
3 *Precibus quibus constabat, abditum est Mandatum.*
4 *Infelix exitus & precum, & mandati Stephano Tornacensi displicuit.*
5 *Legatus Honorii III. à Gallis petit pro Sede Apostolica duarum Præbendarum reservationem.*
6 *Hujus postulationis motiva.*
7 *Repulsam patitur Legatus.*
8 *Hujus repulsæ rationes.*
9 *Quandonam, & qua occasione invaluerit reservatio Episcopatuum* in partibus *infidelium.*
10 *Abusus istius reservationis.*
11 *Discrimen inter Episcopos Titulares & Positivos.*
12 *Circa tempus Clementis V. invaluit opinio, quòd Papa pro suo arbitrio de Beneficiis posset disponere.*
13 *Eam in summo Pontifice potestatem agnoverunt Principes: præsertim Philippus Pulcher Galliæ Rex.*
14 *Eam sibi vindicárunt Papæ ob imminentem sibi Ecclesiarum omnium solicitudinem.*
15 *Ex Epistola S. Gregorii Magni ad Clerum Mediolanensem concluditur, quòd ipsi reservatio Beneficiorum displicuisset.*
16 *Reservationes ut erant ante Concilium Basiliense, in Belgio post Synodum admissæ; & quare.*

* I. MOdus conferendi Beneficia per mandata, & reservationes Apostolicas, à quibusdam Jurisperitis vocabatur *extraordinaria* Beneficiorum collatio. Antequam iste modus conferendorum Beneficiorum in Ecclesia vigeret, commendare solebant summi Pontifices Clericos benemeritos *ordinariis* collatoribus, eosque instanter rogabant, ut illis Clericis primùm vacantia Beneficia conferrent. Neque enim usque ad seculum XII. eò præcesserat Romanorum Pontificum conatus, ut Beneficiorum vacantium in exteris Dicœcesibus collationem sibi reservarent, nec mandatis designabant Clericos, quibus conferri debebant.

II. Preces, quas ab initio adhibuerunt summi Pontifices, in postulandis Beneficiis, erant admodum modestæ. Quædam harum formula legitur *in epist.* 13. quam Hadrianus IV. ad Episcopum Parisiensem conscripsit his verbis: » Rogantes attentiùs, » quatenùs pro Beati Petri, & nostrarum reverentia litterа» rum, primum personatum, vel honorem, qui in tua vacabit » Ecclesia, ei concedas, ut ipse nostras sibi *preces* sentiat fruc» tuosas, & nos de nostrarum *precum* admissione, gratiarum ti» bi exsolvere debeamus actiones.“ Hadrianus urget suarum precum admissionem, promittitque se eo nomine gratias acturum esse; quæ omnia indicant in istis precibus non contineri perfectam obligationem.

III. At Alexander III. Hadriani IV. successor cœpit ro-

gare mandando ; forsan quia Pontificum preces à Beneficiorum Patronis non semper admissæ fuerunt. In prima append. *epistol.* 43. ad Abbatem S. Remigii ita scribit : » Devotionem ves- » tram per Apostolica scripta rogantes , attentiùs monentes , at- » que *mandantes*:" citatus est ille textus capite superiori *num.* 6.

IV. Verùm preces ejusmodi mandato munitæ suum ubique effectum semper non habebant : infelici earum succesu commotus Stephanus Tornacensis , qui tunc S. Evurtii Aurelianensis Abbas erat , scripsit ad Lucium III. Alexandri III. successorem , Epistolam , quæ in volumine Epistolarum Stephani 90. recensetur. Sic autem loquitur. » Scripsit pro eo (Her- » næo Subdiacono) felicis recordationis pater Alexander De- » cano , & Caconicis S. Aniani Aurelianensis : scripsistis & vos » primò , & secundò ; sed neque preces , neque præceptum » vestrum , quamvis tres Præbendæ vacarent, voluerunt audi- » re. Absit pater ut inanes , sint preces vestræ , contempti- » bilis auctoritas , elusorium præceptum ; & nunc demùm tan- » ta , si placet , virtute super eos intonet Majestas vestra , ut » qui blanditiis juvari non potuerunt , imperio discant vinci. (r) «

V. Nec precibus tamen , nec mandatis summorum Pontificum seculo XIII. ratio ubique habita est , cùm postulârunt aut sibi reservare quorundam Beneficiorum collationem voluerunt. *Num.* 18. capitis præcedentis observatum est , quòd Legatus Honorii III. postulaverit à Prælatis Regni Galliæ reservationem duarum Præbendarum ad usum Sedis Apostolicæ : sed notandum , quod refertur *tom.* 11. *Concilior. General. col.* 303. ex Matthæo Parisiensi , quo motivo hæc nomine Pontificis se postulare diceret Legatus , & quæ Prælati opponerent , & quanta pecuniarum moles ex hac reservatione ad Curiam Romanam obventura diceretur.

VI. » Allegat Legatus (ait Historicus) scandalum sanctæ » Romanæ Ecclesiæ , & opprobrium vetustissimum , notam sci- » licet concupiscentiæ , quæ radix dicitur omnium malorum, » & in hoc præcipuè , quòd nullus potest aliquod negotium in » Romana Curia expedire , nisi cum magna effusione pecuniæ, » & donorum exhibitione : sed quoniam scandali hujus , & in- » famiæ , Romana *paupertas* causa est , debent Matris inopiam » sublevare , ut filii naturales : quia nisi à vobis , & aliis bonis, » & honestis dona reciperemus , deficerent nobis necessaria vi- » tæ , quod esset omninò Romanæ incongruum dignitati.

» Ad istud itaque scandalum penitùs eradicandum (pergit » Legatus nomine Pontificis) per Consilium Fratrum nostrorum » Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium , quandam providimus » formam , cui si volueritis consentire , à scandalo Matrem ves- » tram poteritis liberare , & in Curia Romana sine donorum » obsequio exhibitionem Justitiæ obtinere."

VII. Respondebant autem Episcopi Gallicani , » scandala, » quæ Legatus Pontificis pro motivo postulatæ reservationis al- » legabat , nequaquam removenda per similes Reservationes ; sed » è contrario majora timenda è divitiis ex hujusmodi reservatio- » nibus ad Curiam Romanam devolvendis."

VIII. Atque inprimis observabant , » quòd si hujusmodi » Reservationes , & bonorum distributio fierent , proportionaliter » omnes in Curia Romana fierent divites , cùm multò plus es- » sent recepturi quàm *Rex propriùs* ; & sic Majores non solùm » divites , sed & ditissimi fierent.

» Cùm igitur (subjungunt) vermis divitiarum sit superbia, » Majores vix causas audirent , sed eas in immensum differrent, » & Minores scriberent inviti , cujus rei experimentum in evi- » denti est , quia & modò negotia protrahunt , etiam post per- » cepta obsequia , & securitatem percipiendi ; & sic periclita- » retur justitia , oporteret conquerentes mori in januis Roma- » norum tunc plenissimè dominantium. Item cùm vix possibile » sit , fontem cupiditatis desiccari , quod nunc faciunt per se, » facerent per alios , & suis multò majora quàm nunc dari mu- » nera procurarent ; modica enim nulla sunt in conspectu divi- » tum cupidorum. Item multæ divitiæ facerent Romanos insa- » nire , & sic inter diversas parentelas tantæ orirentur seditio- » nes , quod possit timeri potiùs excidium civitatis , cujus etiam » modò penitùs expers non est."

Plura alia Regno Galliæ ex hac postulata reservatione imminere incommoda præsagiebant , ob quæ vehementer hanc postulationem aversebantur ; adeò quidem , ut Prælati in Conventu præsentes Legato Apostolico dicere non vererentur , se scire , quòd sine maximo scandalo postulata ad effectum deduci non possent.

» Quia esto (inquiunt) quòd aliquis assentiret , nullus esset » ejus assensus in rebus , quæ omnes tangunt , cùm ferè omnes » Majores , & generaliter omnes subditi , necnon & ipse Rex, » & omnes Principes parati sint contradicere , & resistere us- » que ad capitis expositionem , omnis honoris privationem , præ- » sertim cùm videatur imminere propter hoc scandalum subver- » sio Regni , & Ecclesiæ Generalis. « Hæc fusiùs narrat Mat- » thæus Parisiensis ad annum 1226.

IX. Incommodis à Matthæo Parisiensi narratis , ac timendis occurrere voluerunt Galli ; reservationem tamen Episcopatuum prohibere non potuerunt.

Notatum fuit *parte* 1. *tit.* 13. *cap.* 2. *num.* 4. ex Barbosa, quòd primus Pontificum fuerit Clemens V. qui dispositioni Sedis Apostolicæ reservavit Episcopatus *in partibus infidelium*, populo cleroque carentibus , per Clementin. *In plerisque* , *de Elect.* quod argumento est , ante hanc reservationem Clementis V. etiam cæteris Episcopis licuisse , aliquos ordinare Episcopos ad similes Ecclesias Cathedrales , adeoque modernam disciplinam , quâ soli Pontifici Romano auctoritas esse creditur, Episcopos ad similes Ecclesias ordinandi , nonnisi ætate Clementis V. id est , sub initium seculi XV. ortum habuisse.

Porrò ex hujus Clementinæ contextu intelligitur , occasionem hujus reservationis fuisse abusum , qui ex frequentiore similium Episcoporum ordinatione proveniebat.

X. Ad hujusmodi enim Ecclesias populo & clero Christiano carentes , passim ordinabantur Religiosi , præsertim ex Ordine Mendicantium , qui ad similes Ecclesias assumpti , & in Episcopos consecrati , cum notabili Pontificalis Officii dedecore vagabantur , & quæstum ex Episcopalis officii functionibus faciebant : » Qui Religiosi tales (ut ait Glossa) per totam » vitam instant vagando & discurrendo per Diœceses , quæren- » do vicariatus ab Episcopis habentibus latas Diœceses ; & ut » ipsi sint Episcopi *portativi* , sicut videmus in multis civitatibus, » in quibus non resident Episcopi , & isti Episcopi non resi- » dentes , dant Vicariatum suum cuidam Religioso Episcopo, » qui vulgariter appellatur Episcopus *portativus* , qui confert » Ordines Episcopi : vel die *instabilitate vagationis* , quia isti » vadunt ad Curias Principum , & quærunt habere pensionem, » & multoties Principes eos habent tanquam familiares , & tan- » quam Capellanos."

Optandum esset , ut id , quod in hac Clementina interdicitur Prælatis , non frequentaretur in Curia Romana ; atque per hanc reservationem ipsis abusibus remedium fuisset allatum.

XI. Quid enim distant multi , qui hodie , tum Regulares, tum Seculares ordinantur ad Ecclesias Cathedrales *in partibus infidelium* sitas Clero ac populo Christiano , omnique redditu temporali destitutas , quique vulgò dicuntur *Titulares* , ab his , quos in hac Clementina describit Pontifex , quosque Glossographus vocat Episcopos *portativos* ; quique non in alium finem videtur ordinati Episcopi , nisi ut in Principum aulis , Pontificali charactere insigniti , tanquam Legati , seu Nuntii Pontificis resideant ; vel Episcopis opulentioribus , & illustriores Ecclesias obtinentibus , Vicarios in Officii Pontificalis exercitio agant , aut certè in ipsa Curia Romana officia nullatenus ad Pontificale officium pertinentia , obeuntes , Ministri aulæ Romanæ cum Pontificalis Officii depressione habeantur."

Et sicuti observat Glossographus , quòd Episcopi illi *portativi* irent ad Curias Principum , & quærerent habere pensionem , & multoties Principes eos haberent tanquam familiares, & tanquam Capellanos ; ita & hodie conspiciuntur Episcopi ad similes Ecclesias ordinati , in Curia Romana quærere à Pontifice pensiones , & in familiares Capellanos Pontificis assumi.

Itaque per hanc Clementis Constitutionem id unum effectum videtur , quòd auctoritas ordinandi Episcopos ad similes Ecclesias Episcopis fuerit adempta , & Romano Pontifici reservata.

Ceterùm de origine , & abusibus horum Episcopi Titularium latiùs actum est in notis ad *part.* 1. *tit.* 15 *cap.* 4. *num.* 27.

XII. Quod ulteriùs *part.* 1. *tit.* 13. *cap.* 2. *num.* 4. ex Barbosa , aliisque observatum est reservationes Episcopatuum circa tempus Clementis V. invaluisse , majusque sensim incrementum sumpsisse , mirum videri non debet.

Scitur enim circa ea tempore invaluisse , quin & à Canonistis receptam esse opinionem , quòd ad Romanum Pontificem pertineret libera omnium Beneficiorum , & Dignitatum per totam Ecclesiam Catholicam dispositio ; atque hæc opinio etiam ipsos Principes , eorumque Ministros occupâsset.

XIII. Quare & videmus , quòd & Principes non tantùm eam in Pontifice reservandi auctoritatem recognoscerent ; sed & subindè apud Pontificem instarent , ut vacantem Ecclesiam suæ provisioni reservaret ; præsertim dum videbant favore Pontificis ad vacantem Ecclesiam promovendam esse personam sibi gratam.

Ita legimus Philippum Pulchrum Regem Galliæ institisse apud Clementem V. ut vacantem Senonensem Ecclesiam suæ dispositioni reservaret , atque mediante hâc reservatione , & favente Pontifice , Episcopus Cameracensis ad Ecclesiam Senonensem transferretur.

Litteras Clementis V. ad Philippum Regem exhibet Stephanus

(r) *Quatuor primi numeri hujusce capitis excerpti sunt ex Epistola , quam D. Van Espen die* 20. *Julii ann.* 1726. *scripsit ad D..... Canonicum Cameracensem. Quæ supersunt ex ea Epistola , & omissa sunt , nec spectant argumentum , quod tractatur , nec ullius sunt momenti , respectu juris Ecclesiastici.*

nus Baluzius *tom. 2. Vitarum Paparum Avenionensium, pag.* 144. ex quibus habetur, quòd Rex institerit, ut vacanti Ecclesiæ Senonensi per Pontificem provideretur de persona, *quæ suis desideriis grata foret*, & de qua *fiduciam gereret pleniorem*; atque nominatim institerit, ut Philippum Cameracensem Episcopum ad Metropolitanam Senonensem vacantem transferret. Respondit Pontifex, cùm desiderio Regis super hac translatione aliter satisfieri non possit, provisionem Ecclesiæ Senonensis *hac vice dispositioni nostræ, & Sedis Apostolicæ duximus reservandum.*

Litteras, quibus Pontifex Senonensem Ecclesiam suæ dispositioni reservavit, exhibet ibidem Stephanus Baluzius *pag.* 142.

XIV. Porrò in his litteris præmittit Pontifex, » quòd immi» nente sibi Ecclesiarum omnium solicitudine generali, circa illas » salutaris providentiæ studium adhibere ipsum conveniat. «

Quibus præmissis subjungit, sibi incumbere, ut de idoneis Pastoribus provideatur vacantibus Ecclesiis: ac descendens nominatim ad vacantem Ecclesiam Senonensem, dicit: » quòd in» tendens huic Ecclesiæ vacanti *de persona secundum cor suum* » *idonea, quæ tanto oneri, & honori congruat, providere,* » *provisionem ipsius Ecclesiæ hâc vice dispositioni, & ordina*» *tioni suæ, & Apostolicæ Sedis, ex certis, & magnis ratio*» *nibus, & causis, quæ* (ait) *nostrum ad hoc animum move*» *runt, cum Fratribus nostris super hoc deliberatione præha*» *bitâ diligenti, de ipsorum Fratrum consilio specialiter reservet.*

Ex his nequaquam obscurum est, eam tunc fuisse Pontificum opinionem, quòd omnium Ecclesiarum solicitudo, & provisio quodammodò ad Romanum Pontificem pertineret, ut, si expedire videretur, posset ipse de Pastore vacanti Ecclesiæ providere.

Insuper cùm & ipsi Principes hanc in Pontifice auctoritatem agnoscerent, & in suis ditionibus admitterent, non mirum, si Pontifices, instigantibus Curialibus, omnes sensim Ecclesias Cathedrales, & Metropolitanas dispositioni Sedis Apostolicæ reservârint, uti notatum est.

XV. Quàm parùm autem hujusmodi reservationes placuissent S. Gregorio, cognoscitur ex Epistola ad Presbyteros, Diaconos, & Clerum Mediolanensis Ecclesiæ; significaverat quippe Clerus Mediolanensis Sancto Gregorio, omnium eligentium in Constantium Ecclesiæ Mediolanensis Diaconum convenisse consensum, ut vacanti Ecclesiæ Episcopus præficeretur, super qua electione sententiam ipsius S. Gregorii expetebat.

Respondit autem Gregorius per hanc Epistolam, dictum Constantium » *dudum sibi benè cognitum fuisse*, sibique cùm » in urbe Regia responsa Sedis Apostolicæ faceret, longo tem» pore adhæsisse, ac nihil unquam in illo, quod reprehendi » passim potuisset, invenisse.

» Verùm tamen (ait) quia antiquæ deliberationis meæ inten» tio est, ad suscipienda Pastoralis curæ onera, pro nullius » unquam misceri persona, orationibus prosequor lectionem » vestram, ut omnipotens Deus, qui futurorum actuum nos» trorum semper est præscius, talem vobis Pastorem præbeat, » in cujus lingua, & moribus exhortationis divinæ pascua va» leatis invenire. «

Sic metuebat sanctissimus & illuminatissimus Pontifex se immiscere electioni Episcopi, ut nec de capacitate personæ sibi notæ judicium ferret: quantò minus sibi, ablato aliis jure, eligendi provisionem vindicare, seu reservare voluisset.

XVI. Reservationum & Expectativarum abusum reprobavit Concilium Basileense; eas tamen ut erant ante hujus Decretum, retinuerunt Provinciæ Belgicæ, quod mirum videri non debet, si attendatur, quòd Philippus Dux Burgundiæ, & Comes Flandriæ omni studio fovebat partes Eugenii IV. contra Concilium Basileense, uti habetur ex Historicis illius temporis.

Atque inter alios Odericus Raynaldus ad annum 1439. *num.* 27. recitat Epistolam Eugenii IV. ad Carolum VII. Regem Galliæ, in qua Eugenius significat Regi Galliæ, » quòd » rem dignam magnâ laude peregerit dilectus filius *Dux Bur*» *gundiæ*, qui (inquit) per suas patentes litteras præcepit sub » gravibus pœnis in suis Dominiis, ne ullis litteris illius sceleratissimæ Conventiculæ (Concilii Basileensis) aliquis obediret, » aut ad sua dominia illas auderet deferre. «

Et in litteris ad ipsum Ducem Burgundiæ eum instanter rogat, ut in hoc proposito perseveret: „Perge (inquit) ut cœpisti, „ suscipiens scutum unitatis Ecclesiæ, & defensionis nostræ.“

Cùm igitur Decreta Concilii Basileensis hisce in provinciis non reciperentur; imò nec inferri sinerentur, mirum non est, si Reservationes, & Expectativæ hisce in Provinciis cum ordinaria sequela incommodorum, ampliùs quàm in aliis Provinciis sensim invaluerint, uti coram Maximiliano & Philippo Principibus Belgii exposuit Procurator Regius, unà singulatim exponens plurima incommoda, quæ ex his Reservationibus, & Expectativis, aliisque Romanæ Curiæ provisionibus in Rempublicam, seu Politicam, seu Ecclesiasticam redundarent; quæ & dictos Principes promoverunt, ut publicis Edictis hisce Reservationibus, & Expectativis, aliisque è Curia Romana emanantibus provisionibus limites posuerint, uti expositum est.

CAPUT II.

Quid circa Expectativas, et Reservationes actum in Concilio Tridentino.

1 *Conventus delectorum Cardinalium sub Paulo III. censet expectativas abolendas.*
* *Querelæ Principum Germaniæ adversus reservationes & expectativas.*
2 *Oratores Galli earum extinctionem postulant in Concilio Tridentino.*
3 *Sententia Bartholomæi de Martyribus dicta in Concilio Tridentino super mandatis* de providendo.
4 *Cardinalis Lotharingia ea abolenda judicavit.*
5 *Quid de his censuerit Didacus Covarrubias.*
6 *Decretum Concilii Tridentini circa Expectativas, & Reservationes.*
7 *Expectativæ, aliæque gratiæ ad* vacatura *per Concilium Tridentinum omninò sublatæ.*
8 *Erectio Canonicatûs supernumerarii cum jure ad futuram Præbendam vetita.*
9 *Sublatæ reservationes* mentales; *& quales hæ fuerint.*
10 *Prædictæ gratiæ nec Cardinalibus concedi possunt in derogationem juris Ordinariorum.*
11 *Concordata Galliæ Mandata* de providendo *reservant.*
12 *His per Concilium Tridentinum derogatum credunt Galli.*
* *Quæ restituunt jus commune, hæ facilè recipiuntur.*
13 *Concilium Tridentinum Provisiones Apostolicas conservavit.*
14 *Etiam hodie reservationibus defertur.*
* *Expedit tamen ut potiùs singulis Episcopis in sua respectivè Ecclesia competat provisio Beneficiorum, quàm soli Romano Pontifici.*

I. INter abusus, quos in Synodo Tridentina reformandos notavit Conventus delectorum Prælatorum sub Paulo III. notatur: » Alius abusus est in *Expectativis*, & *Reservationibus* » Beneficiorum, quibus & datur occasio, ut aliena mors desi» deretur, & libenter audiatur. Præcludunt etiam aditum su» premum dignioribus cum vacant, dant litibus causam. Om» nes has putamus tollendas esse. «

* Non solùm ante Concilii Tridentini celebrationem, sed etiam in ipso Concilio plures ac gravissimæ extiterunt querelæ adversus Reservationes, & Expectativas.

Inter querelas, quæ ante Concilium Tridentinum factæ sunt, notanda occurrunt Principum Germaniæ gravamina, nomine Nationis Germanicæ circa annum 1510. cum remediis, & advisamentis ad Cæsaream Majestatem missa, quorum gravaminum quartum his verbis exprimebatur: *Quòd Beneficia, & Dignitates majores Cardinalibus, & Protonotariis reservantur.* Quintum contra Expectativas hoc tenore erat conceptum: *Quòd expectativæ gratiæ absque numero conceduntur, & multæ interdum ad unum Collatorem, unde surgunt quotidianæ lites, & pecuniæ dilapidantur, tum illæ, quæ pro Bullis gratiarum (quæ nunquam effectum sortientur) expositæ sunt, tum illæ, quæ pro litibus deducendis confirmantur. Inde apud quosdam ortum est proverbium: Quisquis gratiam Expectativam ab urbe extraxerit, centum, aut ducentos aureos nummos in cistam simul ad ipsam gratiam reponat, quibus ad prosequendam litem opus habebit*: integra habentur apud Goldastum tom. 2. Constit. Imperial. *pag.* 119.

II. Quemadmodum Principes Germaniæ notârunt, Expectativas, similesque Curiæ Romanæ provisiones, multifarias, & dispendiosas parere lites; similiter & Oratores Regis Galliæ monuerunt, nullum aptius esse remedium minuendis litigiis inter Ecclesiasticos, quàm si *Præventiones*, & similes Provisiones è medio tollerentur. Inter articulos nomine Caroli IX. Regis Galliæ Patribus Trident. oblatos vigesimus primus erat his verbis expressus: „ Mandata *de providendo*, expectativæ, re„ gressus, fiduciariæ resignationes, & commendæ revocentur, „ & omninò arceantur ab Ecclesia veluti Decretis contraria. “

In reflexionibus enim suis ad articulos Reformationis per Legatos Sedis Apostolicæ Sub Pio IV. in Concilio Tridentino propositos, & quorum unus erat de minuendis litigiis inter Ecclesiasticos, dixerunt: » se existimare, nullam aliam es» se rationem, aut viam præscindendarùm hujusmodi litium, quàm » si tollantur omninò Præventiones, & alii illegitimi modi acqui» rendi Beneficia, qui nuper in Christi Ecclesiam magno malo ir» repserunt; uti refertur in libello, cui titulis: *Memoires sur* » *le Concile de Trente, editionis* 1654. *pag.* 574.

III. Cardinalis Pallavicinus *lib.* 23. *histor. Concilii Trident. cap.* 7. *num.* 7. refert, quòd nominatissimus ille Bracarensium Archipræsul Bartholomæus de Martyribus recenter Româ redux, multa de propensione Pontificis ad reformationem dixerit; atque illustri præconio in cœlum extulerit integritatem probitatemque Caroli Cardinalis Borromæi, adeò ut dixerit: *Obsta-*

cula salutari emendationi non à Pontifice, nec ab ejus sororis filio (Carolo Borromæo) *sed à nobis injici*: & adjecisse: hinc sibi animum accessisse, quo majori studio ac fervore suam impenderet operam ad ea cogitanda, & in Concilio exponenda, quæ tantum opus promoverent. Deindè notat Pallavicinus: » Id quod in dicenda sententia maximè notabile auditum est, » acris reprehensio fuit, qua invectus est in *mandata providendi in forma pauperum*, sicuti dicebantur. In proventibus Ecclesiasticis distribuendis spectandam esse doctrinam, & virtutem, non paupertatem, cùm oporteat consulere muneribus, non hominibus: egentibus subveniendum esse per eleemosynas: non per Sacerdotia. «

IV. Similiter Cardinalis Lotharingiæ Româ quoque cum Bartholomæo redux, in eadem Congregatione sententiam suam circa capita reformationis exponens, » improbavit etiam *mandata providendi*; narravitque mentem esse Pontificis ut ea » tollerentur. « Pallavicinus loco citato *num.* 11.

V. Deindè *num.* 12. ait: » In hanc sententiam ivit Didacus » Covarrubias Episcopus Civitatensis: monuit, hujusmodi mandatorum usum fuisse inductum, cùm Episcopi cuncta Sacerdotia distribuebant, nec tam multa reservabantur, ex quibus » nunc Romanus Pontifex abunde habet, ut per se ipsum » ea conferat. «

VI. Hisce aliisque rationibus permoti Patres Decretum hoc evulgârunt *Sess.* 24. *cap.* 19. *de Reformat.* » Decernit sancta Synodus, mandata *de providendo*, & gratias, quæ *Expectativæ* » dicuntur, nemini amplius etiam Collegiis, Universitatibus, Senatibus, & aliis singularibus personis etiam sub nomine indulti, » aut ad certam summam, vel alio quovis colore concedi, hactenus concessis cuiquam uti licere. Sed nec reservationes mentales, nec aliæ quæcunque gratiæ ad *vacatura*, nec indulta „ ad alienas Ecclesias, vel Monasteria alicui, etiam ex sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus concedantur, & hactenus concessa, abrogata esse censeantur.“

VII. Hoc Decreto omnia tolli mandata *de providendo*, expectativas, & gratias quascunque *ad vacatura*, quæ olim à Pontifice impetrari solebant de Beneficiis ad collationem vel provissionem Episcoporum, Capitulorum, aut singularium personarum expectantibus, evidens est, & notat Gonzalez ad Regulam 8. Cancellariæ §. 2. *proœmiali*, *num.* 57. qui deindè subjungit: » Ideoque cùm jam redierint illa felicia tempora decretorum, quando nullæ erant expectativæ, multo minus moderni Episcopi querelam formare valebunt de expectativarum „ obstaculis. Et plura ac plura jura, quæ sunt sub titulis De Rescriptis, De Præbendis, & De Concessione præbendæ, tàm „ in Decretalibus, quàm in Sexto, & Clementinis, ac Extravagantibus, unà cum eorum glossis, & tractatibus de Expectativis per Doctores compositis, jam hodie evanuerunt, & ab „ aula recesserunt.“

Monet quoque *num.* 63. Expectativas per Concilium Tridentinum esse omninò sublatas, etsi illæ factæ sint de consensu Ordinariorum; & ità declarâsse S. Congregationem.

VIII. Declaratum quoque fuisse, hodie non posse erigi *Canonicatum supernumerarium ad futuram Præbendam*: quia hæc erectio species esset *Expectativæ*. Neque id ipsis etiam Capitulis licere, eadem Congregatio declaravit. Gonzalez ibidem *n.* 67.

IX. Sustulit insuper Concilium reservationes *mentales*. „Erat „ autem reservatio *mentalis* (ait Gonzalez *num.* 67) quando Papa reservabat Beneficium vel in specie, vel in genere per Bullam, vel per Breve, ut personæ gratæ provideret, quam non „ exprimebat, sed *in mente* retinebat; & sic in nullius personæ „ expressè favorem facta fuerat reservatio. Tunc enim dicebatur mentalis, quasi in mente retenta, quoad provisionem per„ sonæ. Deindè quando vacabat Beneficium, mandabat fieri pro„ visionem alicui sub data reservationis, vel anteà, vel post, ut „ sibi placebat.“

X. Adhæc ut libera ac intacta maneret Episcopis, aliisque inferioribus Collatoribus Beneficiorum ad eorum respectivè provisionem spectantium collatio, constitutum etiam fuit per Concilium, ne hujusmodi gratiæ, aut reservationes mentales aut indulta ad alienas Ecclesias, vel Monasteria alicui etiam ex S. R. E. Cardinalibus concedantur, & hactenus concessa abrogata censeantur. Quod & ad amussim observari videmus, ait Gonzalez *num.* 76. observatque, quòd si quæ indulta à Pontificibus concedantur Cardinalibus, ea concedi quoad Beneficia aliàs ad provisionem Sedis Apostolicæ spectantia; adeoque sine Ordinariorum læsione.

XI. In Concordatis Galliæ inter Leonem X. & Franciscum I. extat titulus de Mandatis Apostolicis, quo statuitur, & ordinatur, quòd quilibet Romanus Pontifex litteras in forma *Mandati* dare possit: nimirùm, unum Collatorem habentem collationem *decem* Beneficiorum *in uno*: habentem autem collationem *quinquaginta* Beneficiorum & ultra, in *duobus* Beneficiis dumtaxat gravare possit: ita tamen quod in eadem Ecclesia Cathedrali vel Collegiata unum Collatorem pro tempore in duabus Præbendis non gravet.

Ut autem litibus obvietur, quæ occasione litterarum mandatorum hujusmodi oriri possent, præscriptum est, hæc mandata dari sub *forma* ad calcem Concordatorum subjecta.

XII. Quamvis in Gallia Concilium Tridentinum non fuerit quoad omnes Reformationis articulos receptum, hoc tamen Decretum abolitionis expectativarum ambabus ulnis amplexi sunt (s); crediderunteque post hoc Decretum, hunc titulum Concordatorum *de Mandatis Apostolicis* cessare; uti monet Pinsonius de Beneficiis, ad *verbum* INSTITUTIONE §. 6. *num.* 12. & 13. qui dein *num.* 14. infert: » Nunc itaque, & ex præmissis » concludendum est, in *solis* Academiarum Graduatis, Curiæ » Parisiensis in vim Indultorum Nominatis, & Candidatis, mandatorum, sive litterarum *Expectativarum* usum ad vacatura » Beneficia, nobis superesse.“

De non usu Concordatorum quoad articulum de *Mandatis Apostolicis* testatur quoque Claudius Fleuri in *Instit. Juris Canonici*, *lib.* 2. *cap.* 15.

* In Gallia, uti & in Provinciis Belgicis, facilè recipiuntur Decreta Concilii Tridentini, vel etiam Pontificia, quibus jus commune, & Ordinariorum de providendo Beneficiis auctoritas contra reservationes, aliasque Provisiones Curiæ Romanæ restituitur, aut integra conservatur.

Unde notat Molinæus ad Regulam de Infirmis resignantibus *num.* 260. » quod Papa non possit contravenire formæ in Concordatis præscriptæ, in quantum derogaret *amplius* juri communi, aut Ordinariorum, sed si apponeret clausulas, quibus » *magis rediretur* ad jus commune, hæc valerent, & recipierentur.“

Eodem fundamento plures fuisse receptas hîc & in Gallia Regulas Cancellariæ, earumque clausulas, in quantum juri Ordinariorum favere posse videntur, in decursu hujus operis annotatur.

XIII. Ut suis in Decretis sibi constet Concilium Tridentinum, id observare necesse est. Sicuti mens ejus fuit, integrum, illibatumque servare Ordinariorum jus in conferendis Beneficiis, ita nec Pontificis jus de certis Beneficiis providendi jam jure Decretalium, vel Extravagantium vel Regularum Cancellariæ stabilitum, & receptum, tollere, aut infringere voluit. Undè licèt mandata de providendo, atque hujusmodi gratiæ, quibus juri Ordinariorum hactenùs stabilito, obstaculum fiebat, sint sublata, salvæ nihilominùs manserunt reservationes illæ, quibus certorum Beneficiorum provisio ad Sedem Apostolicam jam tum devoluta, & ei addicta erat: eæque etiamnum hodie in plerisque Ecclesiis sunt in usu, sub certis tamen limitationibus, & conditionibus, juxta particulares Ecclesiarum leges, & consuetudines, vel concordata, quemadmodum de singulis agendo notabitur.

XIV. Cùm enim spectet duntaxat ad disciplinam, ad quem Beneficiorum provisio pertineat, nihil justius, nihil ad pacem Ecclesiæ conservandam opportunius, quàm ut consuetudines, & leges jam stabilitæ serventur; modò id præcipuè curetur, ut Beneficiorum provisio ad ædificationem Ecclesiæ, & sine personarum acceptione fiat.

* Quantumvis Beneficiorum Provisio ad solam externam Ecclesiæ disciplinam, mutationi obnoxiam, spectare dicatur, nihilominùs illud indubitatum manet, quòd singulis Episcopis pro Ecclesiarum suarum regimine, jure quodammodo proprio competat electio Ministrorum, præsertim eorum, quibus cura animarum incumbit.

Illud præterea sat constat, per decem circiter secula non legi Romanos Pontifices Electionem, aut Ordinationem Clericorum, seu Ministrorum Ecclesiæ extra suam Diœcesim Romanam sibi attraxisse: ut propterea, nec per illa tempora quidquam de Reservationibus, aut Expectativis, aliisque similibus Provisionibus Apostolicis legatur.

Neque & illud negari potest, exactiorem, & certiorem notitiam de capacitate, ac moribus Ordinandorum, & ad Ministeria Ecclesiastica assumendorum habere posse singulos Episcopos, & Ordinarios in suis respectivè Diœcesibus, quàm Romanum Pontificem de promovendis per dissitas Provincias.

Idipsum sat evidenter fatetur Curia Romana, dum ex solito stylo Provisio Beneficii expediri non consuevit in forma *gratiosa*, nisi promovendus munitus sit testimonio sui Ordinarii; aliàs Provisio expediri soleat in forma *dignum*, sive *commissoria*, ut Provissio fiat in partibus auctoritate Apostolicâ, modò prævìè constiterit de capacitate providendi, uti exposuimus infrà *tit.* 24. *cap.* 1.

(s) *Cùm in Hispania Concilium Trid. non solùm receptum sit, verum etiam Rex noster Catholicus sit ejus Protector, ut colligitur ex Actis Accord.* 9. *tit.* 3. *lib.* 1. & 4. *cap.* 2. & 20.

CA-

tit. 1. *lib.* 4. *Recop.* & *leg.* 62. *cap.* 2. *tit.* 4. *lib.* 1. *ejusd. Recop. neque Expectativæ, neque Coadjutoriæ cum futura successione admittuntur.*

CAPUT III.

De Reservatione Beneficiorum vacantium apud Sedem Apostolicam.

1 *Reservatio alia* clausula *in Corpore Juris*; *alia* extra *Corpus Juris.*
2 *Famosior illius species.*
3 *Refertur Decretum hujus reservationis.*
* *Quomodo sensim invaluerit jus Præventionis, & Reservationis.*
* *Clemens III. non est auctor* cap. 2. de Præbend. in VI. *sed Clemens IV.*
* *Clemens IV. primus est, qui statuerit plenariam Beneficiorum omnium dispositionem ad Papam pertinere.*
* *Quod quidem jus sibi confirmârunt, & arrogârunt ejus successores.*
4 *Cur reservatio Beneficiorum Papæ indulta.*
5 *Declaratio Bonifacii VIII. quoad hanc Reservationem.*
6 *Hodie restringitur ad vacationem per obitum.*
7 *De Beneficiis vacantibus apud* S. Sedem *debet Papa intra* mensem *providere.*
8 *Mense elapso providet Ordinarius.*
9 *Currit hic mensis à die vacationis, etiam ignoratæ.*
10 *In aliis Provisionibus tempus Pontifici non est præfixum.*
11 *Vacante Sede Apostolica possunt Ordinarii Ecclesias Parochiales in Curia Romana vacantes conferre.*
12 *Pontifices salutem animarum Reservationibus anteponendam judicant.*
13 *An collatio Ordinarii valida sit facta nondum mense elapso?*
14 *Hæc Reservatio minus cæteris odiosa: & quare.*
15 *Huic Reservationi non censetur per generalem clausulam derogatum.*
* *Cur Reservationes Beneficiorum in Curia Romana vacantium non ita sint odiosæ.*
16 *Interdum laici Reservationi in favorem Regis Galliæ renuntiat Pontifex.*
17 *Non comprehendit Beneficia Juris Patronatûs* laici.

I. FAmosa est Reservationis divisio in eam, quæ dicitur *clausa in Corpore Juris*; & in eam, quæ dicitur *extra Corpus Juris.*

II. Prima, & famosior Reservatio *clausa in Corpore Juris*, omnium consensu habetur illa, de qua in *cap. 2. de Præbendis; in VI.* imò credunt nonnulli hanc solam dici posse reservationem *clausam in Corpore Juris*: quemadmodum post alios citatos notat Chokier *in Comment. ad Reg. 1. Cancellar. num. 23.* atque teste Gomezio ad Regulam *de Triennali, quæst. 31.* dicit antiquus Glossator Regularum Cancellariæ, »Quòd licèt per »23. annos legendo, & practicando revolverit Jus Canonicum, »nihilominùs non repererit nisi unicam Reservationem *in Corpore Juris clausam*, quæ est illa, de qua in dicto *cap. 2.*

III. In citato *cap. 2.* Clemens IV. secutus, ut ait, *antiquam consuetudinem*, »auctoritate Apostolicâ statuit, ut Ecclesias, Dignitates, Personatus, & Beneficia, quæ apud Sedem »ipsam (Apostolicam) deinceps vacare contigerit, aliquis præter Romanum Pontificem, quacunque super hoc sit auctoritate munitus, sive jure ordinariæ potestatis ipsorum electio, »provisio, seu collatio ad eum pertineat, sive litteras super aliquorum provisione generales, vel etiam speciales sub quacunque forma verborum receperit (nisi ei sit super conferendis »eisdem in Curia Romana vacantibus specialis, & expressa ab »ipso Pontifice summo auctoritas attributa) conferre alicui, seu »aliquibus non præsumat.«

* Notat Molinæus ad Regulam Cancellariæ de *infirmis Resignantibus, num. 172.* »Quod Præventiones primùm usurpatæ »sint de vacantibus in *Curia Romana*, non jure Reservationis, »sed *Præventionis*: & hoc plausibiliter ab Ordinariis toleratum »ad vitandam *diuturnam vacationem Ecclesiis damnosam*, & »eò quod vacatio in loco remoto non poterat nisi tardè ad notiam Ordinariorum pervenire. Tum initio Pontifices Romani »non solebant personis, sed Ecclesiis providere, nullâ personarum acceptione habitâ.

»Postquam autem (pergit hic Auctor) attentârunt etiam »vacantia *in partibus* jure Præventionis conferre, tum cœperunt vacantia in Curia sibi jure Reservationis præsumere.

»Ostendit & ibidem, hanc reservationem ante Clementem III. (t) non fuisse notam, quantumvis Pontifex in suo Statuto relato in *cap. 2. de Præbend. in VI.* pro colore novi sui »statuti antiquam consuetudinem prætexerit.

»Quin & eodem loco probat, nequidem Cœlestino III. Clementis successori, hanc reservationem notam fuisse; neque »ante evulgatum per Bonifacium VIII. sextum Decretalium, »Statutum Clementis de hac reservatione fuisse.« Pluribus idipsum prosequitur Molinæus, & in notis ad *cap. 2. de Præb. in IV.*

* Apparet admodum verisimile, Auctorem dicti Capituli 2. non fuisse Clementem III. sed Clementem IV. qui sedit circa annum 1265. ad marginem enim *capit. 1. de Præbend. in VI.* quod inscribitur Clementi III. notatur: *In vetustioribus codicibus constanter legitur Clemens IV.* & in Editione Antonii Contii anni 1570. hoc Capitulum hanc habet inscriptionem: Clemens III. *aliàs* IV. similiter & in corpore glossato editionis anni 1572. ac dein in omnibus editionibus Decretalium subjicitur capitulum 2. cum hac inscriptione *idem*: ut admodum verisimile sit, similiter & hoc capitulum 2. non Clementi III. sed IV. esse adscribendum: quod & innuere videtur Gregorius X. in *cap. 3. eodem, in VI.* ubi hanc Constitutionem adscribit suo *Prædecessori*, quòd potiùs ad immediatum præcedentem, qui erat Clemens IV. quàm ad Clementem III, qui centum circiter annis Gregorium præcesserat, referendum apparet.

Itaque mirum non videbitur, quòd hujus reservationis nulla fiat mentio in Decretalibus Gregorii IX.

* Neque etiam mirum videbitur, hanc reservationem primùm ab hoc Clemente IV. inductam, si attendatur, quòd hic inveniatur primus inter Romanos Pontifices, qui per suam Decretalem declaravit, »quòd Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum plenaria dispositio ad Romanum Pontificem noscatur pertinere, quodque non solùm ipsa cum vacant, possit de jure conferre, verùm etiam jus in ipsis tribuere vacaturis.«

* Idem jus postmodum sequentes Pontifices sibi asseruerunt; atque inter alios Bonifacius VIII. asserere non dubitavit, quòd de jure communi omnes Ecclesiæ per orbem diffusæ ad Romanam Ecclesiam pertineant, *cap. Si Papa 10. de Privilegiis, in VI.*

Clemens V. idem jus etiam in Beneficiis ad collationem Ordinariorum spectantibus tanquam indubitatum Sedi Apostolicæ vindicat *in Clementina 1. ut lite pendente*: postquam enim declarâsset Beneficium extra Curiam vacans ad Provisionem Ordinarii spectare, addit hanc clausulam: »salvâ tamen in præmissis omnibus Rom. Pontificis potestate, ad quem Ecclesiarum, Personatuum, Dignitatum, aliorumque Beneficiorum Ecclesiasticorum, plena, & libera dispositio, ex suæ potestatis plenitudine noscitur pertinere.«

Posito autem hoc principio, & in Scholis à plerisque Canonistis, præsertim post evulgatum sextum librum Decretalium, & librum Clementinarum, probato, nemini mirum videri debet, & jus Præventionis subsequentes sibi vindicâsse Rom. Pontifices, ac tandem omnium penè Beneficiorum, ac Dignitatum provissionem Sedi Apost. resevâsse.

IV. Rationem factæ reservationis credit fuisse Glossographus ad *cap.* STATUTUM *de Prævendis, in IV.* ne Papa per Ordinarios præveniretur. »Habebant (ait) Episcopi ante Constitutionem Clementis procuratores in Curia, qui statim, cùm »vacabant Beneficia, conferebant illa: & sic præveniebant »Papam; unde motus Clemens promulgavit Constitutionem.«

V. Declaravit autem Bonifacius VIII. in *cap. 34. de Præbendis, in VI.* Decretum Clementis IV. »locum habere in »Beneficiis, qui Legati, aut Nuntii Sedis Apostolicæ, vel quivis alii ad Romanam Curiam venientes, vel etiam recedentes ab illa habere noscuntur, si eos in locis vicinis ipsi Curiæ *mori* contingat; quemadmodum si in loco ubi eadem Curia residet, morerentur.«

»Item si aliquis Curialis, peregrinationis, aut infirmitatis, »aut recreationis, seu quavis aliâ causâ ad locum Curiæ *vicinum* in hujusmodi loco *vicino* decedat: dummodò ibi (etiamsi erat ad ipsam Curiam reversurus) domicilium, seu domus »propria non existat.«

Deindè subjungit: „Loca verò intelligantur *vicina* eidem „Curiæ in præmissis, quæ remota ultra duas dietas legales „(quas hoc casu sic specialiter volumus computari) à loco ubi „moratur, ipsa Curia non existunt.“

VI Quamvis variis modis contingere possit, ut Beneficia vacent in *Curia*; puta renuntiatione, privatione, aliisque similibus titulis, quos latiùs refert Garcias *de Benefic. part. 5. cap. 1. §. 2.* nihilominùs, quia Bonifacius VIII. in citato *cap. 34.* exponens Decretum Clementis IV. tantùm loquitur de vacatione per *obitum*, receptum est, signanter in Gallia, quod sola vacatio contingens in Curia per *obitum*, censeatur vacatio ad mentem Clementis IV. & consequenter sola Beneficia vacantia per *obitum* in Curia, seu loco vicino Curiæ, habeantur pro reservatis reservatione *clausa in Corpore Juris*; uti post Pinsonium de *Beneficiis* ad verbum *Canonica* §. 9. *num. 5.*

(t) *Mendum est Molinæi, & auctoris novorum collectaneorum Cleri Gallicani; hic etiam* tomo X. part. 1. col. 172. de Præbendis, & Dignitatibus *tribuit Clementi III. cùm ad Clementem IV. ejus auctorem referri debeat, uti inferiùs à D. Van Espen eruditè demonstratur.*

monet Perardus Castellus in Praxi Curiæ Romanæ *pag.* 186. edition. 1693.

VII. De his autem Beneficiis *apud Sedem Apostolicam*, vel in *Curia* vacantibus, debet Pontifex intra *mensem* à die vacationis providere; alioquin dicto tempore elapso, collatio ad Ordinarios revertitur; ut nimirùm per *seipsos* aut ipsis in remotis agentibus, per suos Vicarios generales quibus id canonicè fuerit comissum, conferri valeant, *cap.* 3. *de Præbend. in VI.*

VIII. Si enim intra mensem Sedes Apostolica non contulerit, cessat reservatio; adeòque obstaculum collationi Ordinarii injectum censetur sublatum. Hoc igitur casu propriè non fit devolutio à Pontifice ad Ordinarium, quæ à Superiore ad inferiorem fieri nequit; sed jus Ordinarii tantummodo relaxatur, seu impedimentum injectum tollitur.

IX. Vult autem Glossa ad dictum *Cap.* 3. verbo *Numerandum*, mensem hunc currere à die *vacationis*, non à die *scientiæ*; quam sententiam sequitur Anton. Faber. ad Codicem *lib.* 1. *tit.* 2. *Def.* 35. & probat Chokier *loco citato*, *num.* 3.

Ratio assignatur à Glossographo, quia »istud non statuitur »in odium negligentiæ Papæ, quia tunc non curret mensis iste nisi à die notitiæ, sed statuitur istud tempus in favorem »Ecclesiarum ne diu maneant sine Prælato: ideo currit iste »mensis à die vacationis ut dictum est: secus in aliis temporibus relictis cæteris Prælatis in odium negligentiæ eorum.

X. Termini hujus præfixio locum non habet in aliis reservationibus, aut in Beneficiis jure devoluto ad Pontificem spectantibus. In horum enim provisione nullum reperitur tempus Pontifici præfixum, intra quod conferre debeat, aut quo elapso, reservatio, multo minus devolutio cesset; uti notat Garcias.

XI. Ulteriùs declaratur in *Cap.* 4. *De Præbendis*, *in VI.* quòd, si Sede Apostolica vacante, Ecclesias Parochiales vacare contingeret, Ordinarii possint liberè ad earum collationem procedere; similiter si vivente Pontifice vacaverint; sed ante obitum de iis non providerit. Ratio assignatur: *Ne ipsarum vacatio diuturna periculum valeat animabus afferre.*

XII. Hinc ostenditur, Pontifices ita Beneficia reservâsse, ut nequaquam per eam saluti animarum aliquod dispendium, aut dispendii periculum generari velint: ipsamque animarum salutem omni reservationi anteponendam judicaverint.

XIII. Quamvis mense non elapso collationi ipsius Ordinarii vinculum aliquod, vigore hujus reservationis, sit injectum, credunt tamen non pauci, collationem Ordinarii factam ante mensem elapsum eatenùs validam, ut si Pontifex intra mensem non contulerit, confirmetur, sed potiùs non irritetur; exemplo collationis factæ ab Ordinario spreto Patrono; quæ, Patrono non opponente, & intra tempus non præsentante, valida manet; uti infrà *tit. de Jure Patronatûs* dicetur. Vide Pinsonium loco citato *num.* 17. & 18.

* Canonistæ Galli melioris notæ nunquam dubitarunt, collationem Ordinarii de Beneficio vacante in Curia Romana, validam esse, tametsi à vacatione mensis necdum esset elapsus: idipsum resolvit Molinæus ad Regulam *de Infirmis*, *num.* 175. »Non enim »(inquit) prævenit, sed jure Ordinario & Primitivo utitur; semper »enim remanet verus, & naturalis Collator habitu, utcunque »Beneficium sit pro hac vice reservatum in Curia; imò etiam est »Collator actu, si Papa non vult uti, vel non utatur dictâ re»servatione, quæ etiam odiosa est, & de facili etiam cum ex»tensione (quæ hoc casu favorabilis est) sit recursus ad jus »commune."

Observat præterea Molinæus *num.* 178. quòd si Papa contulerit incapaci, aut nulliter *intra mensem*, possit Ordinarius *pleno jure* conferre; quam Molinæi sententiam laudat, & probat Louetius ad dictum numerum Molinæi.

XIV. Adhæc, omnes quidem reservationes passim à Canonistis dicuntur *odiosæ*; & eatenus juxta Regulam Juris *Odia restringenda*, *favores ampliandi*, etiam in dubio restringendæ, ob præjudicium, quod inferunt collationibus Ordinariorum: hoc tamen notant unanimi consensu, hanc *reservationem* esse fortiorem (u), vehementiorem, & amplioris prærogativæ, omnibus aliis reservationibus; uti post alios loquitur Gonzalez ad regulam 8. Cancell. *Gloss.* 13. *num.* 35. idque *in reverentiam loci*, *ubi Sedes Apostolica residet*, ait Castellus in citata Praxi Cur. Rom. *pag.* 186.

Unde & in Concilio Basiliensi, quin & in Concordato inter Leonem X. & Franciscum I. Regem Galliæ, sublatis aliis reservationibus, hæc una salva mansit.

XV. Inde etiam concludit ibidem Gonzalez, quòd nisi de illa fiat *specialis*, & *individua* mentio, non censetur comprehensa in quacumque dispositione Papæ, vel narrativa. Quod adeò procedit (ait *num.* 36.) ut neque per clausulam *motus proprii*, in facultate conferendi quæcumque Beneficia reservata contentam, veniant Beneficia vacantia *apud Sedem*. Imò nec Cardinales vigore suorum Indultorum conferre possunt Beneficia vacantia in Curia; Gonzalez ibidem *num.* 37.

* Observatum est superiùs *num.* 14. reservationem Beneficiorum vacantium in Curia, præ cæteris à Canonistis reputari minus odiosam, id in eo videtur fundatum, quia hæc reservatio eum habere prætextum videretur, quòd per eam Pontifices de his Beneficiis in Curia vacantibus citiùs possent vacantibus Ecclesiis providere: quemadmodum eo titulo primùm horum Beneficiorum provisionem sibi attribuisse Pontifices suprà ex Molinæo notatum est.

XVI. Monet Castellus in citata Praxi Curiæ Romanæ, *pag.* 190. quòd si quis oriundus è Gallia resideat in Curia Romana pro servitio Regis, Papa soleat ei dare speciale *Breve*, quod dicitur, *de non vacando in Curia*; quod ita vocatur, quia vigore hujus Brevis fit, ut per obitum illius, *Beneficia* non censeantur *vacare in Curia*, scilicet cum effectu reservationis; cui per *Breve* ipse Papa pro hac vice renuntiat, permititque Regi nominationem eo modo ac si nulla reservatio intervenisset: soletque hujusmodi Breve per Oratorem Regium nomine Regis à Pontifice peti; uti patet ex formula ipsius Brevis quæ ibidem *pag.* 191. à Castello integra refertur.

XVII. Reservatio hæc quantumvis aliis reservationibus fortior sit, & amplioris prærogativæ, habet tamen cum aliis reservationibus id commune, quòd ad Beneficia juris patronatûs *Laici* non extendatur: quod non tantùm in Gallia, sed & apud Hispanos servari, notat Pinsonius loco suprà indicato *num.* 8. & latiùs deducit Carolus Fevretius tractatu *de Abusu*, *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 13. (x)

(u) *Id est*, *reservationem collationis Beneficii vacantis in Curia Romana.*

(x) *Antequam caput illud absolvatur*, *notandum est D. Van Espen non distinxisse inter Beneficia*, *quæ vacant apud* Sedem Apostolicam, *& Beneficia*, *quæ vacant in Curia Romana. Molinæus*, tom. 4. pag. 277. *edit. Paris. ann.* 1681. *citat varios Auctores*, *qui discrimen admittunt inter vacantiam* in Curia Romana, *& vacantiam* apud Sedem Apostolicam. *Relatis eorum testimoniis*, *ita concludit*: »*Ex quibus collige vacationem* »*apud* Sedem Apostolicam *latiùs patere*, *quàm vacationem* in »Curia Romana; *vacatio enim in Curia est eorum*, *qui in Curia Romana*, *vel extra eam intra duas dietas decedunt*; *vacatio autem apud Sedem Apostolicam est omnium Beneficiorum summo Pontifici reservatorum per regulas Cancellariæ*, »*vel per reservationes Apostolicas.*«

CAPUT IV.

De Reservationibus contentis in Extravagantibus *Execrabilis*, et *Ad regimen*, et duabus primis Regulis Cancellariæ.

1 *Reservationes contentæ in Extravagantibus à nonnullis creduntur* Clausæ in Corpore Juris.
* *Discutiuntur tituli*, *qui in earum defensionem afferri solent.*
2 *Constat hodie* extra Corpus Juris *eas versari.*
3 *Hæ Reservationes tantùm fuêre* temporales.
4 *Quandonam transierint in Regulas Cancellariæ*, *incertum.*
5 *Reservationes hæ saltem sub finem seculi XV. erant in Regulis Cancellariæ.*
6 *Reservationes hæ successu temporis multùm auctæ fuêre.*
7 *Refertur prima Regula Cancellariæ*, *uti hodie exprimitur.*
8 *Referuntur Reservationes Extravagantis* Ad regimen.
9 *Additio prima ad hanc regulam facta à Sixto V.*
10 *Additio secunda Clementis VIII. & quare.*
11 *Hæc additio non est in usu in Belgio.*
12 *Reservatio Extravagantis* Execrabilis *ab usu recessit*,
13 *Proponitur textus secundæ Regulæ Cancellariæ.*
14 *In quibus aucta vel mutata.*
15 *Hæc Regula hodie in multis Regnis non obtinet.*
16 *Notabilis Reservatio huic Regulæ adjici solita primùm inducta per Pium V.*
17 *In Gallia*, *Germania*, *& Belgio locum non habet.*
18 *Probatur quibusdam exemplis quoad Belgium.*
19 *In Patria Obedientiæ usus Reservationum quomodo retineatur.*
* *Declaratio Henrici II. Galliarum Regis quoad Concordatum*, *& Regulas Cancellariæ*, *quem locum habeat in Britania.*
20 *Reservationes in Patria Obedientiæ in Regno Galliæ incorporata*, *restrictæ ad Reservationem* Mensium, & Alternativæ.
21 *Eadem restrictio per* usum *in Belgio invaluisse videtur.*

I. PRæter generalem reservationem Beneficiorum vacantium *apud Sedem Apostolicam*, quæ vulgò dicitur reservatio *clausa in Corpore Juris*, de qua actum est capite præcedenti, sunt insuper reservationes Joann. XXII. & Benedicti XII. quæ à nonnullis quoque reservationibus *clausis in Corpore Juris* an-

annumeratæ fuêre, eò quòd extent *in Extravagantibus* EXECRABILIS & AD REGIMEN, *de Præbendis*, *inter Communes*, quæ Corpori Juris Canonici solent annecti, & partem constituere.

* Ut reservationes illæ generales, de quibus anteà; & per quas pro majore parte Provisio Beneficiorum, Episcopis, aliisque Collatoribus Ordinariis, necnon Patronis Ecclesiasticis, & Electoribus jus eligendi, & præsentandi, ac providendi adimittitur, & ad Romanum Pontificem transfertur, minus odiosæ apparerent, & faciliùs reciperentur, variis titulis, quasi Ecclesiæ necessarias, & utiles, eas justificare studuerunt Pontifices.

Et quidem inter alia, in sua Extravagante *Ad regimen* Benedictus XII. non obscurè innuit, se has reservationes facere, ut de idoneis, & aptioribus personis provideretur Ecclesiis vacantibus, dicens: » quòd in desideriis gereret, quòd per suæ » diligentiæ studium, ad quarumlibet Ecclesiarum, & Monaste» riorum regimina, & alia Beneficia Ecclesiastica juxta *Divinum* » *beneplacitum*, & suæ intentionis effectum, viri assumantur » idonei, qui præsint, & prosint committendis eis Ecclesiis, » Monasteriis, & Beneficiis prælibatis."

Sed quis porrò nesciat, merita, & qualitates promovendorum ab Beneficia, & Dignitates vacantium Ecclesiarum multò faciliùs ipsis Episcopis, quàm Romano Pontifici posse esse perspecta?

Alter in justificationem harum reservationum titulus passim allegatur, quòd per Beneficiorum provisionem Pontifex intendat *pauperibus* Clericis providere.

Verùm meritò dubitatur, num hic titulus ad justificandas has reservationes præ anteriori sit magis idoneus.

Cùm enim Beneficia, & bona Ecclesiastica cujusque particularis Ecclesiæ, tum ex intentione Fundatorum, tum Canonum præscripto sint instituta, & relicta, ut ministris, necnon pauperibus singularum illarum respectivè Ecclesiarum provideatur, quid justius aut rationabilius, quàm ut Episcopis, & Ordinariis Collatoribus per Fundatores aut sanctos Canones designatis, horum distributio, & dispensatio integra conservetur: utpote quibus propiùs, & Clericorum paupertas & merita innotescunt, quidquid singulis hîc & nunc conveniat ex bonis Ecclesiæ, vel Beneficii distribui.

Accedit, quòd ob expensas, & sumptus in Curia Romana faciendos pauperibus Clericis vix ad Beneficia notanter Simplicia, pateat accessus, ut ob id Beneficia Simplicia in qusbusdam Ecclesiis, & Provinciis à reservatione mensium manserint exempta, ut infrà *cap.* 5. *num.* 29. notabitur.

Unde non mirum, Episcoporum, aliorumque Prælatorum, quin & Principum contra has reservationes motas querelas non cessâsse; imò toties quoties occasio se obtulit, eorum abolitionem, & reformationem postulatam esse, & etiamnum ab omnibus ut odiosas reputari; eoque titulo ex communi omnium Doctorum sententia restringendas dici, tanquam antiquis sacris Canonibus contrarias, ut in decursu hujus tituli sæpiùs observavimus.

II. Has reservationes, quarum sunt auctores Joann. XXII. & Benedictus XII. êsse extra Corpus juris communis est opinio, & hodie recepta. Nam licèt Extravagantes tam Joannis XXII. quàm Communes soleant Corpori Juris adjungi, atque cum Decreto Gratiani, & Decretalibus Gregorii IX. & Bonifacii VIII. unum volumen seu Corpus hodie conficere; tamen clausæ in Corpore Juris non reputantur, sed extra Decretum, & Decretales *vagari*; propterèa *Extravagantes* appellatæ.

III. Adhæc, uti communiter observant Canonistæ, non possunt hæ reservationes haberi pro *clausis in Corpore Juris*; quia tantùm ex mente Auctorum temporales fuêre. Dicit enim Benedictus XII. Ordinationi, dispositioni, & provisioni nostræ reservamus, *donec miserationis Divinæ clementia nos universalis Ecclesiæ regimini præsidere contigerit.* Ex quibus manifestum est, reservationem non nisi vitâ suâ durante Pontificem durare voluisse.

IV. Quando verò hæ reservationes quasi perpetuæ factæ sint per relationem in Regulas Cancellariæ, quæ per omnes Pontifices altero assumptionis die de novo publicari & renovari solent, incertum est.

Dicit quidem Gomezius in procemio ad Regulas Cancellariæ *quæst.* 1. Regulas Cancellariæ à Joanne XXII. initium, & originem habuisse; at unà notat *quæst.* 2. » quòd hæ Regulæ ab » initio introductæ fuérint, ut Officiales Cancellariæ per eas in » litteris expediendis instruerentur, ut patet (ait) ex Regulis » Joannis XXII. & Benedicti, & aliorum. Et licèt à tempore » Nicolai V. aliquid plus ad eas circa *judicia* additum fuit, il» lud tamen respici *actum* in Curia gerendum."

Apparet ergo primitùs, etiam usque ad tempora Nicolai V. qui sedit sub medium seculi XV. Regulas Cancellariæ unicè penè respexisse formam expediendi litteras, & judicia in Cancellaria reddenda; non autem reservationes Beneficiorum similesque materias extra Cancellariam se extendentes.

V. Quidquid sit, constat, reservationes contentas in citatis Constitutionibus, seu Extravagantibus, Regulis Cancellariæ tempore Innocentii VIII. (qui sedit circa finem seculi XV.) fuisse insertas; uti evidens est ex hujus Pontificis Regulis, ad quas antiquus Glossator Alphonsus Soto Hispanus sua Glossemata scripsit, quæque ulterioribus annotationibus illustravit Joannes à Chokier Ecclesiæ Cathedralis Leodiensis Canonicus.

VI. Ulteriùs & hoc constat, reservationes has per subsequentes Pontifices in promulgatione Regularium Cancellariæ, quam altero suæ assumptionis die facere consueverunt, in multis auctas fuisse.

VII. Regula prima hodie hoc tenore exprimi solet: » Impri» mis fecit easdem Reservationes, quæ in Constitutione felic. re» cordat. Benedicti PP. XII. quæ incipit: *Ad regimen*, conti» nentur, & illas innovavit, ac locum habere voluit, etiamsi » Officiales in eadem Constitutione expressi Apostolicæ Sedis of» ficiales ante obitum eorum esse desierint, quoad Beneficia, » quæ tempore, quo Officiales erant, obtinebant. Declarans ni» hilominùs Beneficia, quæ dictæ Sedis Officiales, qui ratione » officiorum suorum hujusmodi ejusdem Sedis Notarii erant, » etiam dimissis ipsis officiis, & quandocunque assecuti fuerint » sub hujusmodi reservationibus comprehendi. Ac reservavit Be» neficia, quæ per Constitutionem piæ memor. Joannis PP. XXII. » quæ incipit *Execrabilis*, vacant, vel vacare contigerint. Quam » Constitutionem, & reservationem S. S. tam ad Beneficia ob» tenta, quàm alia quæcumque, de quibus Ordinarii, & alii » Collatores Concilii Tridentini decreta disposuerunt, & dis» ponent in futurum, extendit, & ampliavit, & ea etiam Bene» ficia omnia dispositioni suæ reservavit, de quibus per dictos » Ordinarios, aut alios Collatores contra ejusdem Concilii decre» torum formam dispositum fuerit. Decernens irritum, &c.

VIII. Primo itaque per hanc regulam renovantur reservationes contentæ in Extravagante Benedicti XII. quæ incipit, *Ad regimen*, qua reservantur imprimis Beneficia vacantia per assecutionem quoruncunque Beneficiorum à Sede Apostolica obtentam. Item Beneficia omnia, quæ promoti ad Episcopatus auctoritate Apostolicâ tempore suæ promotionis obtinebant. Item Beneficia Officialium Curiæ Romanæ, qui in ipsa Extravagante exprimuntur. Hæc ultima reservatio à tempore Innocentii VIII. fuit per hanc regulam extensa ad Beneficia, quæ dicti Officiales obtinebant tempore quo erant Officiales, tametsi tempore mortis Officiales esse desiissent.

IX. Reliqua verò, quæ sequuntur, post Innocentii VIII. tempora addita esse notat Chokier ad hanc regulam *num.* 8.

Et quidem hæc appendix: *Declarans nihilominus*, usque ad verba, *Constitutionibus comprehendi*, apposita fuit à Sixto V. qui demùm anno 1585. ad Pontificatum fuit assumptus: idque occasione difficultatis, quæ circa Extravagantem *Ad regimen*, & hanc regulam in Rota Romana exorta fuerat; uti ex Garcia refert Chokier.

X. Altera appendix, quæ incipit à verbis: *quam constitutionem*, *& reservationem*, & finit in verbis, *dispositum fuit*, apposita fuit per Clementem VIII. anno 1592. aliique sequentes Pontifices retinuerunt.

Observat autem Chokier hanc posteriorem appendicem eo fuisse adjectam, ut præter dictas reservationes, etiam hæc induceretur ob non observatam Constitutionem Pii V. de data 16. Maii 1566.

Hæc Constitutio est illa, quâ dictus Pontifex formam Concursus à Synodo Tridentina præscriptam explicat, & in nonnullis extendit; uti titulo præcedenti annotavimus; eamque in Belgio receptam non esse observavimus; & hic de Brabantis testatur Chokier dicens: *Juxta quam* (Constitutionem Pii V.) *Cancellaria*, *& Rota passim judicat*, *licèt* BRABANTI *eam non admiserint.*

XI. Porrò uti ipsa Constititutio hactenùs usu recepta non est, ita nec appendix Regulæ, & in ea contenta reservatio usu recepta est. Neque enim ulla hactenus Beneficia Sedi Apostolicæ reservata; aut Sedi Apostolicæ provissionem admissam scimus de Beneficiis ob non servatum in eorum Collatione Concilii Tridentini Decretum; præcipuè quoad Ecclesias Parochiales, quas in Belgio tanquam ab omni Pontificia reservatione exemptas Ordinarii conferunt.

XII. Similiter reservatio Extravagantis *Execrabilis* hîc innovata, quâ reservatur Beneficium vacans ob retentionem alterius Beneficii incompatibilis, ab usu recessit; quemadmodum notavit Rebuffus in Praxi *part.* 1. *cap. De forma signaturæ*, & Garcia *de Beneficiis*, *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 47.

XIII. Secunda Regula olim hac formulâ expressa fuit: » Item reservavit specialiter omnes Ecclesias etiam Patriarcha» les, Archiepiscopales, Episcopales, necnon Monasteria vi» rorum valorem 200. florenorum auri communi existimatione » excedentia, quotiescunque illis uti voluerit. «

XIV. Hæc regula congruit cum Regulis posteriorum Pontificum; nisi quòd causâ majoris lucis addita sit vox *Primatialis* post dictionem *Patriarchalis*; & loco clausulæ finalis, *quotiescunque* &c. reposita sit ista: *Et voluit quòd excessus ejusmodi in litteris exprimatur.*

XV. Regulam hanc reservativam Ecclesiarum Metropolitanarum, & Cathedralium, neque in Belgio, neque in Gallia, nec

nec Hispania locum habere notorium est; utpotè Regibus nominationem Episcoporum, sive jure Indulti, sive Concordati habentibus, quemadmodum *part.* 1. *tit.* 13. *cap.* 8. ostensum est.

Similiter, nec quoad Monasteria virorum ullus est hisce in Provinciis Regulæ usus. Ad Abbatias enim Reges personas nominare solent: Prioratus verò Conventuales & perpetui eligibiles esse solent; neque ulla Monasteria in Belgio vigore Regulæ Cancellariæ, aut alio jure reservata novimus.

XVI. Huic Regulæ Pius V. anno 3. sui Pontificatûs aliam reservationem adjecit, quæ hodie partem hujus Regulæ facit, atque his verbis exprimitur: » Ac etiam reservavit Dignitates, » & Beneficia omnia ad collationem, præsentationem, electio» nem, & quamcunque aliam dispositionem Patriarcharum, » Primatuum, Archiepiscoporum, & Episcoporum, necnon » Abbatum, ac aliorum quorumcunque Collatorum, & Col» latricum, secularium, & regularium, quomodolibet (non » tamen ad collationem cum alio vel aliis, aut etiam ad alterius » præsentationem, vel electionem pertinentia) quæ post illo» rum obitum, aut Ecclesiarum, seu Monasteriorum, vel alia» rum Dignitatum suarum dimissionem, seu amissionem, vel » privationem, seu translationem, vel aliàs quomodocunque » vacaverint, usque ad provisionem successorum ad easdem » Ecclesias, aut Monasteria, vel Dignitates Apostolica aucto» ritate faciendam, & adeptam ab eisdem successoribus paci» ficam illorum possessionem, quomodocunque vacaverint, & » vacabunt in futurum. «

XVII. In Gallia hanc quoque reservationem cessare propter Concordata, & jus Regaliæ, notat Chokier ad hanc Regulam: uti nec in Germania, ubi Concordatis locus est.

Hæ quoque Belgicæ Provinciæ hanc Pianam reservationem agnoscere non videntur; sed Beneficia ad liberam Episcoporum collationem spectantia, si Sede vacante contingat vacare, futuro Episcopo reservatur.

XVIII. Unde cùm quidam Dinoix impetrâsset à Pontifice vigore hujus Regulæ duas Capellanias, unam in Ecclesia B. Mariæ, & alteram in Ecclesia S. Walburgis in civitate Brugensi, spectantes ad *liberam* collationem Episcopi Brugensis, quæ vacaverant *Sede vacante*, isque peteret *Placetum* à Consilio privato, fundando se in Regula Cancellariæ hâc Pianâ appendice aucta: Consilium privatum petiit advisamentum à Vicariatu Brugensi, qui respondit, in novis Episcopatibus Belgicis fructus perceptos tempore vacationis reservari futuro Episcopo; cùmque collatio Beneficiorum computetur inter fructus, eam quoque reservandam esse; & ita observari Atrebati, ubi jus Regaliæ locum non habet. Tornaci autem ob jus Regaliæ Regem ibidem conferre, nec Pontificem ullatenus se immiscere. Regulam autem Cancellariæ cum hoc additamento hîc nunquam fuisse receptam, aut placetatam. Conformiter ad hoc advisamentum, *Placetum* negatum fuit per apostillam 20. Novembris. 1641. uti & in simili casu negatum fuit in eodem Concilio 1. Martii 1642. Carolo Mesuruir, qui impetraverat à Pontifice Præbendam Furnensem, quæ vacaverat Sede Episcopali Iprensi vacante.

XIX. Licèt enim hisce in Regionibus Regulas Cancellariæ, necnon reservationes Apostolicas agnoscamus, atque ob id dicantur *Patriæ Obedientiæ*, quemadmodum in Regno Galliæ dicuntur Ducatus *Britanniæ*, & Comitatus *Provinciæ* vulgò *Provence*, (y) ad distinctionem aliarum ejusdem Regni Provinciarum, quæ Concordatis utuntur; cum ea tamen moderatione recipiuntur, ut privilegiis, juribus, ac moribus inveteratis Provinciarum accomodentur; nec aliam esse Pontificum mentem arbitrantur. Et si quid in litteris, aut provisionibus Romanis hisce contrarium contineatur, credunt vel per *sub* aut *obreptionem* à Pontifice emanâsse; aut certè eos suas Regulas, aut Decreta *generaliter* expressa ad Provincias aliis legibus, & usu inveteratò utentes nolle extendi: ideòque dum earum executionem suspendunt, nihil contrarium auctoritati, aut præeminentiæ Sedis Apostolicæ facere arbitrantur Judices Regii, uti in titulo sequenti latiùs ostendetur.

XX. Superfluum non erit advertere, quòd sub omni respectu Provinciæ Belgicæ dici non debeant *patriæ obedientiæ*: hæc enim obedientia restringenda est ad Regulas Cancellariæ, notanter de reservatione *octo mensium*, & *alternativa*: nam de reliquo etiam hæ Provinciæ, non tam *patriæ obedientiæ*, quàm *consuetudinariæ* dicendæ sunt.

* Refert Peraldus Castellus in sua praxi Curiæ Romanæ *pag.* 332. Nuntium Apostolicum anno 1544. obtinuisse ab Henrico II. Rege Galliarum declarationem, quâ decretum fuit, quòd Concordatum non obtineret in Britannia, & quòd Regulæ Cancellariæ, quin & illa *de Mensibus*, & *Alternativa*, & generaliter omnia alia jura Papæ, quibus gaudet in *Patriis Obedientiæ*, locum haberent in hac Provincia, usque ad ipsam etiam expeditionem Bullarum *sub plumbo*: » quod tamen » (ait Castellus) restrictum fuit anno 1553. per actum declaratio» nis, ad *solam* Regulam *de Mensibus & Alternativa*. «

XXI. Restrictio, quæ per actum declaratorium facta scribitur quoad Britanniam, eadem, si non expressâ declaratione, usu saltem quoad hasce Belgicas Provincias esse facta videtur. Nam præter reservationem *Mensium*, & *Alternativæ*, non apparet alia hîc reservatio Regularum Cancellariæ nota, aut usitata: unde cæteris omissis hanc solam in sequentibus elucidabimus.

(y) *Addenda est Provincia, seu Comittatus Ruscinonensis.*

CAPUT V.

De Reservatione octo mensium.

1 *Tempore Concilii Basiliensis Pontifex dabat Expectativas in octo mensibus.*
2 *Quatuor menses erant* liberi.
3 *Nulla tunc erat mensium reservatio.*
4 *Inducta est octo mensium per Regulam Cancellariæ.*
5 *Hæc Regula quando* octavo *loco posita sit.*
7 *Hæc Regula quâ ratione dicatur* odiosa, *& restringenda.*
7 *Menses computandi ut jacent.*
8 *Episcopus quando censetur conferre in mense reservato.*
9 *Si dubitetur, quo mense vacaverit, præsumitur pro possessore.*
10 *Si nullus sit possessor, præsumitur pro Ordinario.*
11 *Beneficium vacans in mense Ordinarii semper manet ad dispositionem Ordinarii; & vacans in mense reservato, manet reservatum.*
12 *Debet reservationis* plena *esse probatio.*
13 *Cessat reservatio hæc mortuo Papa.*
14 *Similiter aliæ reservationes inductæ per Regulas Cancellariæ.*
15 *Sede Apostolicâ vacante Ordinarii liberè conferunt.*
16 *Regula etiam comprehendere videtur Ecclesias Parochiales.*
17 *Usus in Belgio has à reservatione eximisse videtur.*
18 *Dignitates* electivæ *non comprehenduntur sub Regula.*
19 *Dignitatum collatio, & electio in multis Ecclesiis libera est à reservatione.*
20 *Leodiensibus Decanatuum electio in omnibus mensibus concessa.*
21 *Canonicatus graduati à reservatione exempti.*
22 *Reservatio hæc se non extendit ad Beneficia Patronatûs laici.*
23 *Idque quocunque titulo laicis competat, saltem in Belgio.*
24 *Etiamsi* mixtum *sit.*
25 *Imò licèt plures sint Ecclesiastici Patroni, quàm laici.*
26 *In Hispania Beneficia juris Patronatûs Ecclesiastici etiam exempta sunt; quod & in Belgio videtur usu receptum.*
* *Quædam Ecclesiæ Belgicæ à reservatione mensium exemptæ.*
27 *An Beneficia* certo generi personarum *conferenda comprehendantur sub generali reservatione.*
28 *Notandum monitum Covarruviæ in hac materia.*
29 *Beneficia* simplicia *in multis Ecclesiis exempta à reservatione; & quare.*
30 *Regula includit omnem vacationis modum; excepta vacatione per resignationem.*
31 *Sub resignatione hic comprehenditur* permutatio, *quam in omni mense Ordinarii admittere possunt.*
* *Quæ reservatio significetur in Regula Cancellariæ de reservatione mensium.*

I. QUod Papa circa tempus Concilii Basiliensis soleret dare expectativas, ac mandata de providendo in *octo mensibus* per Regnum Galliæ, indicat ipsa Pragmatica Sanctio *tit. de Collationibus*, §. *Frustra enim*, ubi abolitis omnibus Expectativis, hæc moderatio subjicitur: » Exceptis illis » gratiis & nominationibus, super quibus processus sunt expe» diti, quas ex certis rationalibus causis in *octo mensibus*, qui» bus *hactenus cursum habere consueverunt*, tolerandas duxi» mus, donec aliter ordinatum fuerit. «

II. Et in eadem *Sanctione*, *eod. tit.* §. *Quod si quis*, fit mentio *quatuor mensium*, quibus gratiæ *expectativæ*, vel nominationes cursum non habent.

Ad quæ verba reflectens Cosmas Guimier Sanctionis hujus Glossographus, ait: » olim habebant Ordinarii *quatuor* men» ses liberos, in quibus non sortiebantur effectum gratiæ *expecta*» *tivæ*, sed per Concordata inter Sixtum IV. & Ludovicum XI. » Regem Franciæ, quæ incipiunt *Ad universalis*, habuerunt » sex menses, Februarium, Aprilem, Junium, Augustum, Oc» tobrem, & Decembrem. Hujusmodi tamen Concordata non » sortita fuerunt effectum, tanquam juri communi, & decre» tis Constantiens. & Basiliens. contraria. « Habetur citata Constitutio Sixti IV. in *Extravag.* 1. *de Treuga & Pace*, *inter Communes.*

III. Porrò tum ex citatis verbis Sanctionis, tum Extravagantis Sixti IV. apparet, quòd nulla eo tempore facta fuerit *mensium reservatio*; sed Pontifices duntaxat declaraverint, *quatuor* menses esse exemptos à gratiis *expectativis*; quæ tunc tem-

temporis admodum erant frequentes : ita ut propriè tunc non esset *octo* mensium reservatio in favorem Sedis Apostolicæ ; sed potiùs reservatio *quatuor* mensium in gratiam Ordinariorum contra Expectantes, & Mandatarios Apostolicos ; uti etiam advertit Castellus *loco citato*, *pag.* 329.

IV. At successu temporis per Regulam Cancellariæ introducta est octo mensium reservatio ; vocaturque vulgò Regula *de Mensibus* ; quæ his verbis exprimi consuevit : » Item cupiens » idem D. N. Papa pauperibus Clericis, & aliis benemeritis personis providere, omnia Beneficia Ecclesiastica cum cura, & » sine cura, secularia, & quorumvis Ordinum regularia, qualitercunque qualificata, & ubicunque existentia, in singulis Januarii, Februarii, Aprilis, Maii, Julii, Augusti, Octobris, & » Novembris mensibus, usque ad suæ voluntatis beneplacitum » extra Romanam Curiam aliàs quam per resignationem, quocunque modo vacatura, ad collationem, provisionem, præsentationem, electionem, & quamvis aliam dispositionem, quorumcunque collatorum, & collatricum, secularium, & quorumvis Ordinum regularium (non tamen S. R. E. Cardinalium, » aut aliorum sub Concordatis inter Sedem Apostolicam, & » quoscunque alios, initis, & per eos, qui illa acceptare, & » observare debuerant, acceptatis, & observatis, quæ lædere » non intendit, comprehensorum) quomodolibet pertinentia, » dispositioni suæ generaliter reservavit. Volens in supplicationibus, seu concessionibus gratiarum, quæ de dictis Beneficiis » tunc vacantibus, etiam Motu proprio fient, de mense, in quo » vacaverint dispositivè mentionem fieri, alioquin gratias nullas » esse. Ac consuetudines, etiam immemorabiles optandi majores, & pinguiores Præbendas, necnon privilegia etiam in limine erectionis concessa, & indulta Apostolica circa ea, ac etiam » disponendi de hujusmodi Beneficiis, aut quòd illa sub hujusmodi reservationibus nunquam comprehendantur, etiam cum » quibusvis derogatoriarum derogatoriis, & fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus, & aliis decretis, quorum tenores, pro expressis haberi, & latissimè extendi voluit, quibusvis personis, & collegiis cujuscunque dignitatis, statûs, gradûs, ordinis & conditionis existentibus quomodolibet concessa, adversus reservationem hujusmodi minime suffragari. «

V. Notat Gonzalez ad hanc Regulam *gloss.* 1. *num.* 5. quòd merito in *novis* regulis fuerit hæc regula apposita in *octavo* loco, continuata cum cæteris regulis de *reservationibus* loquentibus, & sublata de loco, in quo erat tempore Pii V. & Gregorii XIII. Nam tunc erat (ait) sita prope finem omnium regularum Cancellariæ, & in ordine 69.

VI. Hæc regula, in quantum reservat Beneficia ad collationem, seu dispositionem inferiorum Collatorum spectantia, » est » Episcopis & Ordinariis præjudicialis, & detrahit potestati ordinariæ, & corrigit jus commune, & eatenùs regula hæc odiosa est, ait Chokier in procœmio Regulæ *num.* 20. & consequenter *restringenda* ; « uti multis docet Gonzalez ad hanc regulam §. 6. *procœmiali.*

VII. Menses, de quibus loquitur regula, computandos esse prout ipsi collocantur, & jacent per totum circulum anni, sive quilibet mensis habeat 30. dies, sive plus sive minus, monet post alios Gonzalez *glos.* 2. *num.* 1. » Quo fit (ait *num.* 6.) ut » mensis Apostolicus terminetur in dimidia nocte ultimi diei & ex » illa dimidia nocte in posterum incipiat mensis ordinarius, & durat usque ad dimidiam noctem ultimi diei illius mensis. « *Leg.* MORE ROMANO, *ff. de Feriis.*

VIII. Hinc ulteriùs *num.* 11. » Proinde quando Episcopus » confert aliquod Beneficium vacans ad finem sui mensis, vel » in principio illius, in illa ultima nocte, quæ dat finem mensi ordinario, & principium mensi Apostolico, vel è converso, consultè faciet, si ante collationem faciat examinari testes de hora » & puncto obitûs ultimi possessoris, & in ipso collationis instrumento annotaverit, ut sic evitetur controversia, quantum » possibile sit super tempore vacationis, an contigerit in mense ordinario, vel potius in Apostolico.«

IX. Post hæc inquirit, si dubium sit, quo mense vacatio contigerit, cui onus probandi incumbat ? Respondetque pro possessore esse præsumendum, & si quis contra possessorem prætendat, is probare debeat, vacationem in hoc aliove mense contigisse.

X. Quod si neuter sit in possessione, tunc præsumptio erit pro illo, qui ab Ordinario collationem obtinuit : » quoniam non » solùm non præsumitur reservatio ratione mensis, sed etiam debet concludenter probari vacatio de mense Apostolico, ut Provisus à Papa obtinere possit.

» Ratio est, quia cùm ordinarius, & provisus ab eo fundet » intentionem suam de jure communi, *cap. Ex frequentibus, de* » *Institutionibus.* Felinus in cap. *Cum venerabilis*, *num.* 32. » *de Exceptionibus.* Rota *decis.* 78. *num.* 1. & per totam, parte prima diversorum, & diximus *in* §. 1. *procœmiali*, *in principio*. Et sublatâ reservatione nostræ regulæ, Episcopus possit » providere liberè in omnibus mensibus. Caputaq. *decis.* 214. » *num.* 5. *part.* 2. Cassad. *decis.* 3. *num.* 4. & *decis.* 4. num. 1. » & 2. *de Privilegiis.* Puteus *decis.* 492. *n.* 3. *lib.* 2. Crescentius » *decis.* 3. *n.* 4. *de Privilegiis* : sequitur, quod provisus ab ordinario nihil aliud probare tenetur, nisi anterioritatem suæ » collationis in jure communi fundatam, & quòd onus probandi » reservationem, ratione mensis, spectat ad provisum Apostoli» cum se fundantem in vacatione in mense Apostolico, cùm » hoc sit suæ intentionis fundamentum.«

XI. Hæc Gonzalez, qui ibidem *num.* 84. & *sequentibus*, probat, Beneficium vacans per mortem Beneficiati in mense Ordinarii, manere ad provisionem Ordinarii, etiamsi vacatio duraverit usque ad mensem Apostolicum ; quemadmodum Beneficium, cujus vacatio contigit in mense Apostolico, manet reservatum, licèt vacatio protrahatur ad mensem ordinarium.

XII. Denique notat *num.* 98. quòd quando agitur de probanda vacatione in certo mense ad effectum reservationis, tunc, sepositis particularibus circumstantiis, probatio debeat esse plena & concludens : aitque in Rota decisum, quòd semper impetrans teneatur *plenè*, & concludenter probare narrativam vacationis ; in qua principaliter se fundat ad inducendam reservationem.

XIII. Dicit Pontifex in hac Regula, se in dictis mensibus reservare Beneficia *usque ad suæ voluntatis beneplacitum* : cujus clausulæ vigore cessat reservatio, mortuo Papa, quemadmodum deciditur in *cap.* 1. *de Rescriptis*, *in* VI.

XIV. Imò etsi hæc clausula adjecta non esset, tamen ex natura Regularum Cancellariæ, per mortem Papæ reservatio extingueretur. Regulæ enim Cancellariæ morte Pontificis extinguuntur ; ut monet Gomesius *quæst.* 2. *procm. ad Reg. Cancel.* quod & significatur per verba procœmialia Regularum, *Ex tunc* SUO TEMPORE DURATURAS : unde & per novum Pontificem altero assumptionis suæ die de novo publicantur. „ Quæ „ publicatio non ad illum effectum fit, ut innotescant, cùm fe„ rè eædem Regulæ sunt, quæ approbantur, sed ut per hu„ jusmodi publicationem dignoscatur voluntas approbatoria ip„ sius novi Pontificis. “ Hæc Gomesius.

XV. Hinc deducitur, quòd » vacante Sede Apostolicâ Ordinarii liberè conferant Beneficia in omnibus mensibus sine ulla distinctione ; quia tunc sunt obstacula sublata, & omnes » menses dicuntur Ordinariorum ; idque donec & quousque novus Papa fuerit assumptus ad apicem Pontificatûs, ac potiùs, » donec is Regulas Cancellariæ publicaverit, quod solet postridiè suæ assumptionis.“

XVI. Regula hæc in mensibus designatis reservat generaliter, » omnia Beneficia Ecclesiastica, cum cura & sine cura secularia, & quorumvis Ordinum regularia, qualitercumque » qualificata, & ubicunque existentia.“

His ergo verbis Regulæ attentis, & in sua generalitate, prout sonant, intellectis ; dubium non apparet, quin hac imprimis reservatione comprehendantur Ecclesiæ Parochiales, ut pote Beneficia *curata*, sive cum *cura.*

XVII. Verum reservationem Ecclesiarum Parochialium per Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 18. *de Reformat.* sublatam esse credunt nonnulli cum Navarro ; » idque usu in multis Diœcesibus fuit receptum, ut nuper plurimi Episcopi harum regionum testati sunt in gravi quadam causa, « ait Zypæus *Consult.* 1. *de Elect.* Deinde notat, quòd Concilium Tridentinum hîc sit receptum, prout sonat, non ut quotidianæ interpretationes, Decreta, Constitutiones Româ adferri possint, quæ Decretum alterent, » amplient, aut restringant, vel » *Regulam octavam* De Reservationibus, quoad Beneficia curata » Parochialia *abrogatam* restituant.“

XVIII. Sub generalitate illa verborum licèt videantur comprehendi etiam Beneficia majora, tamen, quia Dignitates nominatim non exprimuntur, etiam non censentur comprehensæ; præsertim si sint *electivæ confirmativæ* ; quas sub generali reservatione non comprehendi suprà notavimus.

XIX. Hinc usu harum regionum, Dignitates hujusmodi *electivæ* à reservatione sunt exemptæ ; eliguntque passim Capitula suos Decanos in omnibus mensibus sine ulla distinctione ; neque ulla quoad hasce Dignitates reservatio hîc nota est.

* Conformiter ad hunc usum Belgii judicavit Consilium Privatum, Capitulum Rothomagense posse eligere *Thesaurarium* in *omni* mense, uti refert Laury in Collectione Arrestorum, Arresto 138.

Ratio hujus exceptionis à reservatione deducta est in resolutione Doctorum Lovaniensium in causa Thesauraria Ecclesiæ Insulensis : quæ infrà ponitur (z).

(z) Resolutio Doctorum Lovaniensium pro Thesauraria Ecclesiæ Sancti Petri Insulis.

Documenta continentia media Domini Nicolai Parent præ-

Quin

tendentis ad Thesaurariam Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Petri Insulis ipsi de ea proviso à Sancta Sede in mense reservato, & media Domini Raymundi Ludovici de Valory electi ad hanc dig-

Quin & passim Dignitates electivæ *collativæ* ab hac reservatione sunt solutæ, ipsaque Capitula liberè eas in omnibus mensibus eligendo conferunt.

XX. Testatur quoque Chokier hanc Regulam *Gloss.* 11. *dignitatem. Media Domini Parent. Dominus Parent dixit Pontificem esse absolutum Dominum omnium Beneficiorum, ipsum esse Collatorem ordinarium in Ecclesia Sancti Petri Insulani, tanquam ipsi immediatè ab ejus fundatione subjecta: his suppositis principiis sanctam Sedem potuisse disponere de omnibus Beneficiis hujus Ecclesiæ ab Anno* 1066. *quo tempore fuit fundata usque in annum* 1422. *quo incipiunt ejus registri ad collationes: quòd* Martinus V. *juribus suis tamen utendo, voluerit bene partiri menses, in quo deputati nationum, quæ interfuerunt Concilio Constantiensi, consenserunt: quòd hæc Partitio observata fuerit in Flandria & particulariter in dicta Sancti Petri Ecclesia, & quòd debeat considerari tanquam jus commune hujus Provinciæ: quòd ab ipso anno* 1424. Joannes de Donay *fuerit factus Possessor Thesaurariæ in mense reservato per indultum concessum Carolo VI. Regi Galliarum; quòd ab illo tempore usque in* 1472. *solus* N. Basin *fuerit provisus per mortem anno* 1462. *& quòd licèt non constat ex registris vi quarum provisionum fuerit admissus, inferendum est id factum fuisse vigore Romanarum juxta adagium*, extremis probatis media probantur, *siquidem anno* 1472. Joannes de Lac *fuerit in possessionem admissus ad hanc dignitatem vigore expectativarum, sicut etiam* Joannes de Courouble *anno* 1540. *vi indulti concessi Carolo V. quibus semper supponitur distributio mensium, & siquidem* Bertrandus Verviant *in aula Romana eam obtinuit quasi vacantem in Februario* 1634. *quòd fuerit confirmatus per sententiam Concilii Gandavensis, contra* Joannem de l' Annoy *à capitulo electum: quod hæc collatio juncta dictæ sententiæ faceret ultimum statum Thesaurariæ, nulla ab eo habita difficultate, & jam deberet decidere de fiduciaria à se prætensa, quod etiam collationes Romanæ prædictæ deberent in suum favorem decernere quoad integrum possessorium, si quidem aliæ dignitates dictæ Ecclesiæ præsertim Decanatûs & Scholasteria subjiciebantur mensium reservationi, siquidem* Josse de Vandenberge, Josse de Lion, Guilbertus Natalis, & Philippus Corroger, *Romæ Provisi Decanatu, obtinuerant sententias fiduciarias, & tres ultimi sententias ad plenum possessorium contra* Ludovicum Pontrain, Petrum Pollet, Martinum de Flandre & Carolum Magnire *à Capitulo electos: quòd pro certo habendum foret has sententias non fuisse latas nisi attento bono jure Pontificis, & attenta possessione, quam sibi conservaverat in hanc Ecclesiam, agnitam à Capitulo ab anno* 1463. *dum petit à Pio II. potestatem semel ad Decanatum eligendi; quod adhuc ab eo tempore agnovit contrahendo cum* Josse de Lion & Gilberto Natalis *post sententias pro ipsis latas, se non opponendo tribus collationibus Scholasteriæ, queniadmodum etiam chori Episcopatui in favorem* Pauli Philippi l' Hermite, *quam præcesserat commissio Capitularis data* Vincentio Vermender *de exercendis functionibus, donec à Sancta Sede fuisset provisum alicui ad hanc dignitatem, ita ut non possit amplius Capitulum multa efficere cum suo prætenso jure electionis ad hanc dignitatem, sub prætextu quòd aliæ Ecclesiæ Flandrica illo gaudeant, cùm hoc fiat titulo temporis immemorialis vel indulti ipsis à Sancta Sede concessi, vel quia habent usus differentes ab usu Ecclesiæ S. Petri, in qua tam pro collatione Dignitatum, quàm Præbendarum debet esse uniformitas.*

Media Domini Vallory. *Dominus* Vallory *è contra sustinebat electiones esse juris communis, quod exemptio prædictæ Ecclesiæ non fuisset concessa nisi à* Clemente VII. *Anti-Pontifice; quòd qualiscunque posset esse, non concerneret nisi justitiam litigiosam; quòd thesauraria esset ut & aliæ dignitates electivæ, siquidem ante annum* 1217. *Capitulum ad illam eligebat, quoties vacabat: quòd hæc probarentur per sententiam arbitrariam anni* 1217. *extractam à cartulario, in quo inseritur pars observatorum in dicta Ecclesia antequam urbs sub Philippo Augusto Rege Galliæ in cineres quasi redigeretur anno..... quòd hæc sententia lata contra Præpositum dictæ Ecclesiæ prætendentem collationem dictæ thesaurariæ, & quæ fuit confirmata à* Goswino *Episcopo Tornacensi, & ab Honorio III. ferat hanc Dignitatem electivam esse sicut aliæ Dignitates: quòd factum ab illo tempore usque in annum* 1422. *quo incipiunt registri ad collationes, sit in favorem Capituli interpretandum tanquam juri communi conforme & solis actis hujus Ecclesiæ, de quibus cognitio posset haberi: quòd partitio mensium à* Martino V. *facta, non fuisset à Concilio Constantiensi approbata; quòd è contra videretur ibidem in Sessione* 4. *fuisse decretum ut fieret reformatio reservationum Apostolicarum, sicut super* 17. *aliis capitibus seu articulis: quòd in Sessione* 43. *facta fuisset quoad sex capita reformatio, duodecim aliis, inter quæ erant reservationes, relictis; quia ut dicit* Schestrate *tendebant ad diminutionem potestatis summi Pontificis, quòd num.* 24. Adrianum VI. reliquisse electiones liberas *Decanatuum* in civitate, & Diœcesi Leodiensi consistentium, nec illos sub speciali vel generali reservatione comprehendi.

XXI. Ex speciali declaratione Pauli IV. in Bulla erectionis novo-Martinus V. *bene evitaverat, sed quod Concilium Basileense absolverat reformationem reservationum Apostolicarum in Sessione* 12.: *quòd ab anno* 1440. *usque in* 1469. *pragmatica composita ex decretis hujus Concilii fuisset observata in dicta Ecclesia, fatente Domino* Parent, *quod fidem debet facere, Breve Pii II. non fuisse postulatum anno* 1463. *ut posset eligi ad Decanatum, nisi in timore quòd si contingeret pragmaticam abrogari in Gallia, expectativæ in dicta Ecclesia iterum inciperent post obitum* Philippi Boni, *Ducis Burgundiæ, & præsertim ut videtur ex Registris dictæ Ecclesiæ post comminatas censuras ab hoc Pontifice eodem anno, nisi ejus imposterum mandata acciperet: quòd non obstante hoc Breve, & ejus tenore, in quo decernebatur electionem ad hanc Dignitatem confirmandam fore à Sancta Sede,* Hugo de Lanoi *electus consequenter anno* 1476. *jam assumpserat confirmationem à Præposito, non à Sancta Sede; & quòd Capitulum ad Decanatum perrexisset eligere in omnibus mensibus, imò reservatis, nullo se his opponente, usque in annum* 1567: *quòd tantum abesset, ut satisfactum fuisset Collatoribus Flandriæ decreto* Martini V. *nunquam tot querelas deposuerant, testibus edictis seu decretis Ducum Burgundiæ, & appellationibus quasi ab abusu, à provisionibus Romanis factis à* Joanne Roussel *Procuratore Generali Flandriæ annis* 1497. & 1500. *quòd quoties thesauraria vacaverat ab anno* 1472. *electione ipsi provisum fuerat: quòd verum est* Joannem de Courouville *non sumpsisse possessionem anno* 1540. *post electionem in favorem ipsius factam, sed vigore indulti concessi Carolo V. sed quòd hoc exemplum Collationis, cui Capitulum non poterat se opponere, & quæ poterat accidere in mense Ordinarii, non poterat ipsi esse præjudicio, neque continuare possessionem prò Sancta Sede: quòd à morte hujus per indultum præbendati, factæ fuerint tres Electiones in ipsis mensibus reservatis, his comprehensa electione* Bertrandi Verviane *Electi à Capitulo ante impetrationem Bullarum Romanarum: quòd reservationes quales jam vigent in Flandria, ibidem non fuerint introductæ nisi à Concilii Tridentini tempore: quòd nullus intervenerit tractatus, & nullus Princeps suum consensum formaliter dederit: quòd omnia Capitula Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum Flandriæ subjectarum reservationibus quoad Præbendas & Beneficia inferiora, & quæ fuerant expectativis submissa, tam pro Præbendis quàm Beneficiis inferioribus, gauderent nihilominus jure electionis in omni mense quoad Dignitates suas, ut patet per suas declarationes publicas, de quibus in processu, nulla mentione facta de indultis concessis à Summis Pontificibus: quòd reservationes non debeant extendi nisi juxta usum observatum in Flandria: quòd tantum abest ut distributio mensium vel reservatio Dignitatum harum sit Jus commune, Parlamentum Flandriæ decreto de* 22. *Decembris anni* 1703. *inhibuit*, ne diceretur & sustineretur Flandriam esse patriam obedientiæ, & octavam observari Regulam Cancellariæ: *quòd expectativæ sublatæ à Conciliis Basileensi & Tridentino, non possint inferre consequentiam extensionis pro reservatione mensium absque læsione dicti Articuli, & absque quòd fiat Jurisprudentia Canonica arbitraria: tandem quòd exemplum ipsius* Verviane *tantum abest ut corrovoret & faveat Domino* Parent, *sed potius statuat & pondus addat juri Domini* Vallory, *siquidem* Verviane *fuit electus anno* 1634. *in mense reservato. Verùm tamen est ipsum immediatè post suam electionem à Sancta Sede obtinuisse eandem Dignitatem, ut patet per ejus hîc subjunctam declarationem:* Ego Bertrandus Vervianus Thesaurarius & Canonicus insignis Ecclesiæ Collegiatæ Sancti Petri Insulensis, coram vobis admodum Reverendis Dominis meis Decano & Capitulo, Capitulariter congregatis, declaro me mutare causam possessionis Thesaurariæ aliàs captæ, & thesaurariam eandem vigore Litterarum Apostolicarum & non in vim provissionis ordinariæ ad electionem factæ possidere & retinere, illiusque possessionem continuare. Actum in capitulo die trigesima Octobris anni millesimi sexcentesimi trigesimi septimi. *Sed Dominus* Vallory *probavit Vervianum non ita se gessisse, nisi sequi tribus annis ex post, ut esset possessor triennalis. Antequam ejus declarationem faciam; quod non sit mirum eum obtinuisse contra* Joannem de Lannoy *litteras appositoriales cùm fuerit electus ejus loco* ad conservationem juris, *allegato medio ita decisivo, sicut ejus possessio triennalis, ut patet ex ejus scriptis; quòd si Senatus Gandegavensis non attenderit ad hanc possessionem & pro certo crediderit ut dicit Dominus* Parent, Vervianum *reposuisse omne suum jus inter manus Capituli; quòd in hoc casu hac sententia fuerit lata contra omnes leges jurisprudentiæ, præcipuè in patria consuetudinaria, in qua maximè inhærendum ultimo statui beneficii in materia oppositoriali, & possessioni quoad plenum possessorium, cùm utrumque sit incontextabiliter pro Capi-*

novorum Episcopatuum, novem Præbendæ affectæ *Graduatis* ab omni quacunque reservatione eximuntur; uti ostensum est suprà, *part.* 1. *tit.* 10. *cap.* 1. *num.* 7. Unde & illæ sine ulla mensium distinctione à Canonicis Graduatis unà cum Episcopo juxta tenorem Bullæ eliguntur; uti & Archidiaconus, Archipresbyter & Pœnitentiarius è Canonicis Graduatis assumendi, ab Episcopo liberè in omnibus mensibus constituuntur.

XXII. Sicuti sub generali *Beneficiorum* expresione non veni-

pitulo: quòd consequenter ex utroque Capite non debebat attendi in præsenti instantia ad sententiam fundatam in particulari medio vel latam contra regulas: quòd respectu Decanatus & Scholasteriæ licèt Sancta Sedes fuisset in pacifica possessione nominandi, non erat ratio propter quam etiam ipsi thesauraria subjiceretur, secundum adagium, tantum præscriptum quantum possessum: *sed tantum abest, ut hoc ita sit, ut & possit induci usus particularis ad dictam Ecclesiam, & contrarius aliis Ecclesiis Flandriæ, accidit illam sustinuisse quatuor processus pro tot factis electionibus ad Decanatum spatio plusquam centum triginta annorum, quorum eventus fuisset felicior, si sibi providisset coram aula independente contra sententias latas juxta Gubernium Insulanum & Senatum Gandavensem, sicut fecit Capitulum S. Salvatoris in Arlebeke, ratione sui Decanatûs, in favorem cujus accessit Decretum à summo Senatu Mechliniensi sub dato.... &c. anno* 1594. *& Capitulum S. Hermes in Renaix opponendo se inscriptioni Bullarum, quas obtinuerat Nicolaus Viucq pro Thesauraria dictæ Ecclesiæ, quâ oppositione mediante fuerunt ex Decreto Consilii Statûs in anno* 1641. *rejectæ: & tandem ut accidit Ecclesiæ S. Petri Insulani, dum appellavit ad aulam superiorem stabilitam Insulis à Statibus generalibus à sententia lata in Gubernio quoad plenum possessorium in favorem Philippi Corroyer, cui Sancta Sedes providerat de Decanatu, hæc fuit infirmata per decretum 4. Martii* 1713. *respectu collationis Chori-Episcopatûs assumptæ Romæ à Paulo Philippo l' Hermite, & tres consequenter factas de Scholasteria, non est mirum Capitulum sese illis non opposuisse habitis pluribus sententiis contrariis electioni Decanatûs, ex eo, quod nullus Canonicus poterat dispensari à sumptibus litis pro duabus Dignitatibus tam laboriosis, & tam exigui proventûs, sed quòd si aliquando sit necessum scire quale sit jus Capituli in hasce Dignitates, ostendetur provisionem Pauli Philippi l' Hermit esse primam & solam collationem datam ab aula Romana quoad Chori-Episcopatum, cum Capitulum semper de ea disposuerit ab ante, & intra tres menses; & respectu Scholasteriæ, quòd sit Dignitas fundata ex redditibus dictæ Ecclesiæ, & cujus sibi reservavit dispositionem aut electionem per acta ipsa fundationis hîc junctæ.* Quòd Collatio dictæ Scholasticæ sicut aliorum Ecclesiæ personatuum.... ad capitulum nostrum in perpetuum de cætero remanebunt, *confirmatum est post ab Episcopo Tornacensi, & Papa Honorio IV. quod sine dubio impedivit Dominum de Chansues ne substineret illius ultimam collationem, quia secundum Fevret, Tractatu de* Abusu, lib. 3. cap. 1. num. 6. *folio* 213. *nulla potest alienari collatio contraria fundationi. Insuper inauditum foret, crassos errores interdum à Capitulo in hac materia commissos posse statuere usum contrarium, & inferre consequentiam contra electionem ab ipso conservatam super thesauraria sub prætextu statuendæ uniformitatis collationis in dicta Ecclesia, quæ potius foret difformitas respectu usus aliarum Ecclesiarum Flandriæ & læsio formalis Jurisprudentiæ ibi semper observatæ. Non obstantibus omnibus his rationibus Gubernium Insulanum & Parlamentum Flandricum confirmando ipsius sententiam, adjudicârunt oppositorialia Domino* Parent, *interpretando adjudicatam à Senatu Gandavensi* 1641. *in favorem* Verviani, *non fuisse fundatam in ipsius possessione triennali, sed unicè in ipsius provisionibus Romanis. Videtur à Judicio Parlamenti Flandrici decerni reservationem mensium habere locum in dicta Ecclesia in Dignitates, ut etiam in Præbendas, & contradicere formaliter decretum ejusdem Parlamenti supra citatum die vigesimâ secundâ Decembris* 1703.

QUÆRITUR QUID JURIS?

RESOLUTIO.

» Visis & examinatis rationibus, & fundamentis, tam ex parte provisi Apostolici de dignitate Thesaurariæ in Ecclesia » Collegiata S. Petri Insulensis, quam ex parte electi à Capitulo ejusdem Ecclesiæ ad eandem dignitatem, productis, & » nobis infra scriptis summariè exhibitis censemus electum à Capitulo apparentiori titulo innixum quàm provisum Apostolicum, atque illum potiùs quàm hunc in pleno possessorio debere obtinere & manutenendum esse. Cùm enim provisus » Apostolicus non possit aliunde Jus suum firmare, nisi titulo » reservationis Apostolicæ, sequitur, quòd ad probandum titulum necesse sit, ut probetur, quòd dignitas Thesaurariæ, » in hac Ecclesia Collegiata Sancti Petri Insulensis comprehendatur sub reservatione; sive, quòd hæc Dignitas in mensibus reservatis vacans vigore reservationis pertinet ad provisionem Sedis Apostolicæ.

» Porrò indubitatum est, nullam provisionem Apostolicam » vigore reservationis admitti posse, nisi ipsa reservatio, cui » provisio innititur plenè probetur recepta & admissa. Apud » omnes quippe expeditum est, reservationes Apostolicas de » Beneficiis, præsertim extra Italiam sitis, esse admodum odiosas, utpote Juri communi contrarias & ordinariorum Juri » detrahentes, eoque titulo nequaquam admittendas vel recipiendas, nisi plenè probetur earum admissio & receptio.

» Unde & auctores, etiam Curiæ Romanæ addictissimi & » auctoritatem Papalem in provissione præsertim Beneficiorum » ultra modum extollentes, nequaquam negare audent, provisum ab ordinario esse præferendum provisso Apostolico, si » provissus Apostolicus plenè probare nequeat, Beneficium vacâsse in mense reservato, atque ita inter alios Hieronymus » Gonzalez quondam Advocatus Curiæ Romanæ asserere non » dubitat in suo commentario *ad Regulam* 8. *Cancellariæ* » *gloss.* 11. quòd si nesciatur, quo mense præcisè vacaverit Beneficium, utrùm scilicet in mense reservato, vel in mense » ordinario, & neque provisus Apostolicus, neque provisus » ab ordinario fuerit in possesione, provisum ab ordinario esse præferendum, nisi provissus Apostolicus plenè probet, » Beneficium vacâse in mense reservato, quoniam (ait *n.* 37.) » non solum non præsumitur reservatio ratione mensis, sed » etiam debet concludenter probari vacatio de mense Apostolico, ut provisus â Papa obtinere possit. Ratio est (per» git) quia, cùm ordinarius, & provisus ab eo fundet intentionem suam de Jure communi *cap. ex frequentibus, de Institutionibus.* Atque hanc in rem citatis pluribus auctoribus » tanquam consequens infert: sequitur, quòd provisus ab ordinario nihil aliud probare tenetur, nisi anterioritatem suæ » collationis in Jure communi fundatam, & quòd onus probandi reservationem ratione mensis spectat ad provissum Apostolicum se fundantem in vacatione in mense Apostolico, cùm » hoc sit intentionis fundamentum.

» Igitur, ut provisus Apostolicus queat obtinere contra » provisum ab ordinario, sive electum à Capitulo necesse est, » ut plenè & concludenter probet reservationem. Quandoquidem pro fundamento suæ provisionis alleget ipsam reservationem Apostolicam.

» Fatendum quidem est hîc in Belgio, ac nominatim in » Flandria admissam jam pridem & receptam fuisse, & etiam » hodie vigere reservationem 8. mensium, sive Regulam Cancellariæ, per quam dispositioni & provisioni Sedis Apostolicæ reservantur Beneficia cum Cura, & sine Cura vacantia in 8. mensibus, sed hanc mensium partitionem vel reservationem inductam fuisse auctoritate Martini V. in Concilio Constantiensi approbantibus Nationibus, uti prætendere » videtur provisus Apostolicus, omni caret fundamento.

„ Neque enim Martinus V. in Concilio Constantiensi electus, ullam mensium reservationem aut partitionem induxit „ aut eam nationes Concilium Constantiense coficientes probâsse „ leguntur. Constat quidem ex actis Concilii Constantiensis, intentionem Concilii fuisse, ut per futurum Pontificem reformatio „ Ecclesiæ super quibusdam articulis, ac notanter de reservationibus Beneficiorum institueretur: ita enim legitur Sess. 40. „ Concilii Constantiensis: *Sacrosancta generalis Synodus, in Spiritu S. legitimè congregata universalem Ecclesiam representans statuit, & decernit, quod futurus Romanus Pontifex per Dei gratiam de proximo assumendus cum hoc sacro Concilio, vel deputandis per singulas nationes debeat reformare Ecclesiam in capite, & in membris, & Curiam Romanam secundum dignitatem & bonum regimen Ecclesiæ antequam hoc Concilium dissolvatur, super materiis articulorum aliàs per nationes in reformatorio oblatorum, qui sequuntur primò de numero, qualitate & natione Dominorum Cardinalium: secundo item de reservationibus Sedis Apostolicæ.*

„ Martinus V. in Concilio Constantiensi electum Pontificem super hoc articulo de reservationibus Beneficiorum cum „ Concilio vel deputatis per singulas nationes reformationem aliquam fecisse non legitur, sed illud à quibusdam asseritur, quòd „ *absoluto Concilio*, scilicet anno 1418. Martinus V. aliquam „ mensium partitionem induxerit, quatuor menses à reservationibus & expectativis liberos Ordinariis dimittens, ut hoc „ pacto querelis Prælatorum, qui per expectativas & reservationes querebantur, se totaliter jure providendi de Beneficiis in suis Diœcesibus spoliari, aliquatenus satisfecisse videretur; uti notat Berardus Castellus Advocatus in Parlamento » Parisiensi in tractatu Gallico, cui titulus: *Usage de la Cour* » *de Rome, pag.* 327. Ubi, postquam locutus est de Regula » 8. mensium & alternativa subjungit: *Entre les regles il y* » *avoit celle du partage des mois & de l' alternative, que quel-*

niunt Dignitates, ita nec sub generali reservatione comprehendi Beneficia Juris patronatus *laicalis*, apud omnes expeditum est: soletque hujus conclusionis ratio hæc assignari, ne laici retrahantur à fundatione, constructione, vel dotatione Ecclesiarum seu Beneficiorum; ita post alios Gonzal. *Gloss.* 18. *num.* 3.

XXIII. Hinc concludunt, quòd reservatio includat Beneficia Juris patronatûs laicalis; quando hoc competit, non ex fundatione, constructione, aut dotatione; sed ex præscriptione,

» ques uns tienent avoir été fait peu aprés le Concile de Cons-
» tance en l' année 1418. *pour appaiser les Eveques, qui avoient*
„ toujours resisté aux nouveautez que la Cour de Rome avoit
„ commencé d' introduire contre leur droit par la disposition
„ absolue des Benefices de leur Diocèse.

„ Ex his patescit imprimis, hanc partitionem mensium, „ etsi supponeretur facta per Martinum V. nullatenus factam „ fuisse approbantibus ipsis nationibus, quandoquidem ipsum „ Concilium tempore factæ hujus partitionis esset dissolutum „ & nationes separatæ.

» Imò quàm parum satisfactum fuerit Prælatis, & natio» nibus per hanc mensium partitionem, probant querelæ Epis» coporum & Patrum contra has reservationes factæ in Con» cilio Basileensi, quæ tandem Patres Basileenses permoverunt, » ut Sessione 23. decretum ediderint, quo omnes reservatio» nes Beneficiorum quoruncunque abolerentur, reservationi» bus in corpore Juris expressè clausis, & his, quas in ter» ris Romanæ Ecclesiæ ratione directi, seu utilis dominii me» diatè vel immediatè subjectis fierit contigerit duntaxat exceptis.

» Verùm, cùm tempore confecti hujus decreti dissensio exor» ta esset inter Eugenium Papam & Patres Basileenses, susti» neretque Eugenius ob factam à se Concilii hujus dissolutio» nem & translationem ad civitatem Ferrariensem, non tam es» se reputandum hunc conventum ut Concilium quàm Con» ciliabulum, noluit Eugenius eique adhærentes decretum hoc » pro decreto Concilii recipere, neque Principes Eugenio fa» ventes in suas ditiones invehi, & executionem habere.

» Porrò Philippus Bonus eo tempore Dux Burgandiæ & » Flandriæ Comes patres Eugenii contra Concilium Basileense » sustinebat: scribit enim Godefridus in vita Caroli VII. Re» gis Galliæ ad annum 1438. dissidium tum fuisse inter Euge» nium IV. & Concilium Basileense, quòdque Dux Burgun» diæ & Rex Angliæ tuerentur partes Eugenii; & Monstrele» tius testatur, Ducem Burgundiæ plenissimmè stetisse à parti„ bus Eugenii.

„ Quod verò hic Dux in favorem Eugenii vetuerit, De„ creta Concilii Basileensis in suas terras invehi, testatur ipse „ Eugenius in litteris ad Carolum Septimum Regem Galliæ, „ quas exhibet Odericus Raynaldus in continuatione annalium „ Baronii ad annum 1439. num. 27. in quibus narrat quòd rem „ dignam magnâ laude peregerit dilectus filius Dux Burgun„ diæ, qui per suas patentes litteras præcepit sub gravibus pœ„ nis in suis Dominiis, ne ullis litteris illius sceleratissimæ con„ venticulæ (Concilii Basileensis) aliquis obediret, aut ad sua „ Dominia illas auderet deferre.

„ Cùm igitur Princeps Decretum Concilii Basileensis de sub„ blatis reservationibus nollet in suis Dominiis recipi, mirum „ non est, quòd Episcopi & Collatores ordinarii acquiescere „ debuerint moderationi reservationum per prædictam parti„ tionem mensium inductæ, quæ hisce in partibus ac notan„ ter in Flandria huc usque tolerata fuit, juxta terminos & ex„ pressionem regulæ 8. de reservationibus mensium.

„ Ex hujus verò partitionis mensium receptione & usu nul„ latenus concludi posse, uti prætendere videtur provisus Apos„ tolicus, ipsas Dignitates electivas in mensibus reservatis va„ cantes Sedi Apostolicæ esse aut unquam fuisse reservatas, at„ que vigore hujus reservationis ad provisionem Sedis Aposto„ licæ pertinere, evidenter probat praxis omnium Ecclesiarum „ tam Cathedralium quàm Collegiatarum tum in Brabantia, tum „ in Flandria; in quibus, licèt hæc partitio mensium sine re„ gula reservativa octo mensium vel etiam alternativa sit recep„ ta, in nulla tamen earum viget, aut viguisse unquam scitur „ reservatio dignitatum electivarum, sed hæ omnes à reserva„ tione exemptæ hactenus remanserunt ad liberam electionem si„ ve provisionem Capitulorum & Ordinariorum, quod nec ip„ se provisus Apostolicus negare audet: ut proinde ex re„ ceptione hujus partitionis mensium sive regulæ nullatenus in„ ferri possit, etiam dignitatem Thesaurariæ esse reservatam, „ de qua in casu præsenti.

„ Quòd autem provisus Apostolicus ad enervandam vim „ hujus argumenti allegat, hunc usuum Ecclesiarum tam Ca„ thedralium quàm Collegiatarum fundari in possessione imme„ moriali aut speciali indulto Apostolico, mera divinatio & nul„ lo fundamento innixa conjectura est.

„ Si enim hæc mensium partitio sive reservatio etiam Dig„ nitates illas electivas comprehenderet, quâ specie omnes Ec„ clesiæ Belgicæ sese contra Romanam Curiam adeo potentem „ & juribus suis tam solicitè invigilantem in possessione illa im„ memoriali tueri potuissent ulterius? Verisimile ne est, quòd „ nullus has Dignitates ambiens ad Curiam Romanam recurris„ set pro obtinenda provisione ipsamque Ecclesiarum posses„ sione,

„ sionem pacificam interturbâsset? Ut proinde nullatenus sit ve„ risimile, quòd Ecclesiæ Belgicæ generaliter in pacifica pos„ sessione eligendi in omnibus mensibus ad omnes dignitates „ electivas quietè permansissent, nisi creditum fuisset, parti„ tionem mensium, sive regulam reservativam has Dignita„ tes non complecti.

„ Non Majori fundamento nititur, quod de indulto Apos„ tolico conjicit provisus Apostolicus, quandoquidem similia „ indulta difficillimè à Sede Apostolica impetrentur: & si quæ „ essent, apud Historicos, qui earum Ecclesiarum meminerunt, „ mentio aliqua occurreret, vel saltem in Ecclesiarum illarum „ antiquis registris reperirentur annotata. Quòd si quid eorum „ haberetur, indubiè provisus Apostolicus non prætermisisset „ eorum aliquid in medium adferre.

„ Quod autem addit provisus Apostolicus, in Ecclesia Col„ legiata S. Petri Insulensis debere esse conformitatem quoad „ reservationem tam quoad Præbendas quàm quoad Dignita„ tes, nescitur, cur hæc potiùs in hac quàm in aliis Eccle„ siis exigatur.

„ Nequaquam igitur ullatenus verisimile est, Ecclesias Bel„ gicas suas Dignitates titulo præscriptionis aut immemorialis „ possessionis à reservatione Apostolica exemisse aut earum li„ beram electionem aut provisionem speciali Indulto Aposto„ lico impetrâsse, sed eo indubiè titulo mansêre exemptæ à „ reservatione, quòd hæc reservatio sive partitio mensium si„ miles Dignitates electivas minimè complecteretur.

» Pro quo in primis notandum, quòd Sess. 12. Concilii » Basileensis habita die 14. Julio anno 1433. statutum fuerit, » generalem reservationem omnium Ecclesiarum Metropolitana» rum, Monasteriorum, ac Dignitatum electivarum per Ro» manum Pontificem de cætero fieri, aut facta uti non debe» re, reservationibus in corpore Juris clausis, & his, quas in » terris Romanæ Ecclesiæ ratione directi seu utilis domini ime» diatè, vel immediatè subjectis fieri contigerit, semper excep» tis; sed quòd per electiones & confirmationes Canonicas se» cundum Juris communis dispositionem prædictis Metropoli» tanis Cathedralibus, Monasteriis & Collegiatis Ecclesiis ac » Dignitatibus electivis debitè provideatur.

» Evidens est per hoc Decretum, Concilium Basileense à » reservatione Papali liberas declarâse non tantùm Episcopa» tus & dignitates Abbatiales, sed generaliter omnes Dignita» tes electivas, etiam in Ecclesiis Collegiatis, ipsamque electionem » & confirmationem Capitulis & Ordinariis integram esse voluisse.

» Hinc ulteriùs intelligitur, salvo hoc decreto sub reser» vatione octo mensium non potuisse dici reservatas esse Dig» nitates electivas.

» Verùm quidem est, ut suprà notavimus Ducem Burgundiæ » Comitem Flandriæ decreta Concilii Basileensis vetuisse in » suas ditiones invehi; sed & illud constat, Principem illud » id unicè vetuisse in favorem Eugenii IV. qui Concilium » Basileense dissolverat, & Ferrariam transtulerat, ipsumque » Basileense Concilium ulteriùs pro legitimo Concilio agnos» cere nolebat.

» Cùm verò Decretum hoc Sess. 12. publicatum per ipsum » Eugenium patenter approbatum legatur per Bullam ipsius Eu» genii publicatam Sessione decimâ sextâ, quâ ratificat omnia » ab ipso Concilio hactenus edita, nequaquam præfatum De» cretum recenseri potest inter Decreta hujus Concilii, quæ » Princeps in suas Provincias admitti vetuisset: quandoquidem » & ipse Eugenius IV. cui hic Princeps summopere favebat, » hoc Decretum probâsset.

» Non mirum proinde, quòd, licèt partitio mensium, si» ve reservatio octo mensium in Belgio, ac notanter in Flan» dria ob non recepta Decreta Concilii Basileensis post ejus » translationem & dissolutionem publicata (quale erat illud de » sublatis reservationibus publicatum Sessione 23.) fuerit hac» tenus tolerata & recepta, ab ea tamen reservatione in om» nibus generaliter Ecclesiis harum ditionum Dignitates electi» væ manserint exemptæ, & libera earum provisio & electio in » omnibus mensibus Ordinariis manserit salva. Eâdem indubiè » ratione factum est, quòd in regula 8. Cancellariæ de men» sibus post tempora Concilii Basileensis conceptâ & editâ nul» la fiat nominatim Dignitatum electivarum mentio; quæ ta„ men, ut comprehenderentur, speciatim exprimenda fuissent.

„ Neque desunt urgentissimæ rationes, quæ suadent, simi„ les Dignitates præ aliis Beneficiis simpliciter collativis à reser„ vatione substrahi & Ordinariorum provisioni liberas conservari.

» In primis enim similes Dignitates electivæ confirmativæ » annexum habere solent officium & administrationem tum in » temporalibus tum in spiritualibus, singularem industriam, eru» ditionem, fidelitatem, aliasque qualitates requirens, quæ Or„ di-

ne, consuetudine, vel privilegio. Ita Gonzalez dicto loco *num.* 18. Hinc refert *num.* 22. quòd ad excludendam reservationem nostræ Regulæ, ratione Juris Patronatûs *laicalis* oporteat docere de Jure Patronatûs ex *fundatione*, vel *constructione*, aut *dotatione*.

„ dinariis magis & faciliùs innotescere & perspectæ esse pos-„ sunt & solent, quàm Romano Pontifici ejusve Ministris.

„ Et ut de cæteris Dignitatibus, puta, Decanatu, Can-„ toria, nihil dicamus, quis ambigat, quin in Thesaurario spe-„ cialis industria, justitia, diligentia, & fidelitas requiratur? „ Utpote cujus fidei omnis Ecclesiasticæ supellectilis seu thesau-„ ri administratio & custodia est concredita, ut loquitur Con-„ cilium Coloniense anno 1260. cap. 8. eos propterea monens, „ ut hanc Ecclesiasticæ supellectilis seu thesauri custodiam eo-„ rum fidei atque curæ commissam ita conservent fideliter & „ solerter, quòd inde non sint reprehensibiles.

„ Porrò quis ambigat æquum & justum esse, ut à Canoni-„ cis Ecclesiæ Clerum repræsentantibus eligatur is, cui ipsius „ Ecclesiæ thesaurus concreditur, nec non Ecclesiastici exte-„ rioris apparatûs cura committitur?

„ Quid insuper rationi magis congruum, quàm ut confir-„ matio similis Ministri committatur ei, cui cura spiritualis hu-„ jus Ecclesiæ incumbit, qui in hac Ecclesia Collegiata est ip-„ se Præpositus?

„ Præterea singulari titulo semper odiosa visa est reser-„ vatio, per quam ipsa Beneficiorum conditio & qualitas à fun-„ datoribus requisita infringitur aut saltem alteratur.

„ Quandoquidem autem in præsenti agatur de Dignitatibus „ verè electivis, id est, electivis confirmativis, ad quas electi, „ antequam ad possessionem admitti queant, tenentur obtine-„ re à Superiore confirmationem, consequens est, quod & „ hoc titulo similes Dignitates à reservatione præ reliquis sim-„ plicibus Beneficiis, ut sunt Canonicatus, jure merito reman-„ serint exemptæ, & ut exemptæ passim ab omnibus reputa-„ tæ fuerint, quandoquidem hæ Dignitates, quæ ex sua fun-„ datione & primæva conditione sunt electivæ confirmativæ per „ reservationem fierent merè collativæ.

„ Si enim titulo reservationis provisio ad Sedem Apostoli-„ cam devolveretur, Sedes Apostolica simpliciter similibus Dig-„ nitatibus vacantibus provideret non secus ac de cæteris Be-„ neficiis collativis, neque provisus Apostolicus ab ullo confir-„ mationem suæ provisionis petere juberetur, sed vigore solius „ provisionis Apostolicæ in possessionem corporalem induceretur.

„ Igitur cùm per similium Dignitatum reservationem condi-„ tio earum mutaretur, ipsarumque fundatio inverteretur non si-„ ne Ecclesiarum illarum præjudicio, non mirum, quòd simi-„ les Dignitates electivæ confirmativæ per Concilium Basileense à „ reservatione præ reliquis Beneficiis merè collativis fuerint subs-„ tractæ, & quòd, non obstante receptione reservationis men-„ sium quoad Beneficia merè collativa, hæ Dignitates electivæ „ confirmativæ in omnibus Ecclesiis tam Cathedralibus quàm „ Collegiatis hîc in Belgio manserint exemptæ, earumque electio „ libera remanserit penes Capitula, & earum confirmatio pe-„ nes Ordinarios.

„ Similiter tametsi in Gallia vigore Concordati inter Leo-„ nem X. & Franciscum I. Romano Pontifici fuerit conservatum „ jus præventionis quoad omnia Beneficia, imò & ipsas Dignita-„ tes sub his verbis: *Declarantes nos & Successores nostros jure „ præventionis dignitates, personatus, administrationes, & of-„ ficia, cæteraque Ecclesiastica Beneficia secularia, & quorum-„ vis Ordinum regularia quæcunque & quomodocunque qualifica-„ ta tam in mensibus graduatis, simplicibus & nominatis, quàm „ ordinariis Collatoribus præfatis assignatis vacantia, ac etiam „ sub dictis mandatis comprehensa, liberè conferre*, nihilomi-„ nus præventio non admittitur quoad Beneficia propriè elective: „ teste enim Petro Tondulo *lib.* 1. *quæst. Benef. cap.* 40. „ *num.* 8. in electivis collativis admittunt Galli Pontificiam præ-„ ventionem, non autem in confirmativis.

„ Nequaquam ergo sufficit, ut provisus Apostolicus probet, „ in Ecclesia Collegiata S. Petri Insulensis receptam esse par „ titionem mensium sive regulam Cancellaria reservatoriam 8. „ mensium, quemadmodum & hæc recepta est in omnibus pas-„ sim Ecclesiis Flandriæ, sed necesse est, ut probet *plenè & „ concludenter* reservationem etiam illarum Dignitatum electivo-„ rum confirmativarum in hac Ecclesia, præter usum omnium „ cæterarum Ecclesiarum Flandriæ, esse receptam & stabilitam.

„ Porrò, quæ hactenus provisus Apostolicus in probatio-„ nem admissæ & stabilitæ reservationis Dignitatum electivarum „ ac signanter Thesaurariæ in Ecclesia Collegiata S. Petri Insu-„ lensis adduxisse dicitur, planè insufficientia sunt ad adstruen-„ dam hanc reservationem adeo extraordinariam, & à moribus „ & usu totius Flandriæ exorbitantem.

„ Quod enim asserit, *que le Pape est le maître absolu de tous „ les Benefices*; conforme quidem est opinioni quorundam Ultra-„ montanorum Curiæ Romanæ adulantium, & Romani Pontifi-„ cis auctoritatem in immensum amplificantium, sed planè con-

Verùm hæc non consonant praxi hodiernæ præsertim Belgicæ, quæ ab omnibus reservationibus, expectativis, nominationibus, quin & concursu eximit generaliter Beneficia Jurispatronatûs laicalis; quocunque titulo jus illud laicis acquisitum sit. Sed

„ trarium est moribus nostris, qui nullam in Pontifice disponen-„ di de Beneficiis auctoritatem hîc agnoscunt, præter eam, quæ „ longo usu & Principum atque Episcoporum consensu expres-„ so vel tacito admissa & excepta probatur.

„ Quapropter tametsi in Gallia (quæ regulam reservatoriam „ 8. mensium non recepit) jus præventionis sub certis tamen „ modificationibus Pontifici concedatur, hoc tamen jus præven-„ tionis Belgium non agnoscit.

„ Neque provisio Apostolica vigore hujus Juris in Belgio ad-„ mitteretur in mensibus Ordinariorum, neque in Gallia, neque „ in Belgio ulla Apostolica provisio de Beneficiis Jurispatrona-„ tûs Laici, vel etiam mixti recipitur. Evidens argumentum quòd „ illa in Pontifice plenitudo potestatis providendi de omnibus „ Beneficiis (quam provisus Apostolicus ei attribuere studet) „ non agnoscatur.

„ Neque hæc auctoritas Pontificis quoad Collationem Benefi-„ ciorum eo titulo major asseri potest in Ecclesia Collegiata „ S. Petri Insulensis, quòd hæc per exemptionem prætendatur „ immediatè subjecta Sedi Apostolicæ, quandoquidem certum „ sit, uti rectè advertit provissus capitularis, hanc exemptio-„ nem non spectare nisi Jurisdictionem contentiosam, nullate-„ nus verò ipsam provisionem Beneficiorum aut Dignitatum.

„ Quapropter in Ecclesiis Flandriæ nulla quoad reservatio-„ nem Beneficiorum aut Dignitatum intercedit differentia inter „ Ecclesias exemptas vel non exemptas. Notumque est, quòd „ in Ecclesia Cathedrali Gandensi, non secùs ac in aliis Eccle-„ siis, Dignitates electivæ confirmativæ, ut sunt Decanatus, „ Cantoria, Thesauraria, & Scholastica, hactenus remanserint „ exemptæ à reservatione, & per Capitulum in omnibus men-„ sibus per electionem iis provideatur, tametsi hæc Ecclesia „ exemptionis titulo glorietur & se specialiter in omnibus suis „ litteris ut exemptam proclamet.

„ Ex his habetur, quàm infirma sint fundamenta seu prin-„ cipia, ex quibus conficere vult provisus Apostolicus *que le „ saint Siege à pû disposser de tous les Benefices de cette Egli-„ se de puis l'an.* 1066. *tems de sa fond ution.* Cùm è contrario „ concludere debuisset, Capitulum mansisse in possessione eli-„ gendi ad has Dignitates conformiter ad Jus commune & ter-„ minos fundationis, quoad usque probatum esset, Jus provi-„ sionis Capitulo fuisse ademptum, & ad Sedem Apostolicam „ devolutum.

„ Nec creditur, quòd Sedes Apostolica ab anno 1066. us-„ que ad tempora Concilii Basileensis, ullam provisionem de „ Beneficiis hîc in Belgio sitis expedierit: vigore reservationis „ mensium; tametsi non diffiteamur ab eo circiter tempore „ Curiam Romanam cœpisse uti mandatis de providendo, nec „ non expectativis ad vacatura usque circa tempora Concilii „ Constantiensis & Basileensis, in tantum gravâsse Ordinarios, „ ut eorum ingentes quærelas contra Sedem Apostolicam ex-„ citaverint, ac tandem tum per Concilium Constantiense, tum „ per Basileense, ac demum per Concilium Tridentinum re-„ media expostulaverint adhibenda, uti & nonnulla adhibita „ fuêre, & earum usus tandem hîc in Belgio abrogatur reser-„ vationibus dumtaxat sub quodam moderamine toleratis.

„ Quod autem per provisum Apostolicum allegatur provi-„ sio Joannis de Douay facta in mense (ut prætenditur) re-„ servato vigore indulti Carolo VI. Regi Franciæ à Sede Apos-„ tolica concessi, ad probandam reservationem Dignitatis the-„ sauriæ tunc temporis in Ecclesia S. Petri fuisse receptam, „ posset in speciem saltem aliquid concludere, si Pontifices „ similia indulta Regibus & Principibus concedere non consue-„ vissent, nisi in mensibus sibi reservatis; sed cùm nemo ig-„ norare possit, Pontifices similia indulta sub id tempus passim „ Regibus & Principibus concessisse in omnibus mensibus & „ quoad Beneficia nulli reservationi obnoxia, nihil omnino vel „ in speciem ex hoc indulto Caroli VI. & provisione in vim „ illius de Thesauraria in Ecclesia Insulensi eo tempore factâ, „ pro receptione ipsius reservationis concludi potest.

„ Et quidem sub idem penè tempus, nimirum circiter an-„ no 1436. Eugenius IV. indultum concessit Regi Franciæ, in „ vim cujus mandat Prælatis, ut quibusdam Officialibus Regis „ in ipso indulto Papali nominatis semel in vita sua de proxi-„ mo vacaturo Beneficio provideant sine ulla mensium aut Be-„ neficiorum reservatorum aut non reservatorum distinctione, ut „ proinde ex hac provisione nullatenus concludi queat, provi-„ sionem hanc factam fuisse vigore reservationis, aut reserva-„ tionem mensium saltem quoad Thesaurariam eo tempore in „ Ecclesia, S. Petri fuisse receptam.

„ Neque plus ponderis habet secundo loco productum per „ provisum Apostolicum, scilicet quòd anno 1472. Joannes de „ Lacu obtinuerit provisionem Thesauriæ vigore cujusdam ex-

„ pec-

XXIV. Sed quid si Jus patronatûs non sit *merè* laicale, sed mixtum? Nec tunc sub reservatione generali, aut hujus

» pectativæ : ut enim verum esset, Joannem de Lacu vigore cujus» dam expectativæ obtinuisse provisionem Thesaurariæ ; inde ta» men concludi non posset, reservationem hujusvel aliarum Dig» nitatum in Ecclesia Collegiata S. Petri Insulensis fuisse agnitam.

» Neque quippe ignorat expectativas plurimum differre à re» servatione ; per reservationem enim sive partitionem men» sium Beneficia in mensibus reservatis vacantia vigore reserva» tionis spectant ad plenam provissionem Sedis Apostolicæ, ne» que ad similia Beneficia vacatura dantur aut unquam datæ fuis» se expectativæ leguntur.

» Expectativæ quippe, sicuti & mandata de providendo » concedebantur ad Beneficia vacatura spectantia ad provisio» nem Ordinariorum, quibus mandabatur, ut expectantibus » & mandatariis Apostolicis de vacaturis Beneficiis ipsi provi» derent, & Ordinariis recusantibus in ipsis litteris nominaban» tur executores in partibus, qui auctoritate Sedis Apostolicæ » Beneficia vacantia expectantibus conferrent.

» Hinc non dicitur Joannem de Lacu provisionem Thesaura» riæ obtinuisse, à Sede Apostolica, quemadmodum obtinuisset, » si titulo reservationis eam à Sede Apostolica impetrâsset, sed » dicitur, quòd vigore expectativæ missus fuerit in possessionem.

» Neque mirum apparere debet, Sixtum IV. qui eo tem» pore Pontificatum gerebat, Joanni de Lacu dedisse expec» tativam ad vacaturam Thesaurariam, tametsi ad provisionem » Capituli & Ordinarii spectantem, quandoquidem de eodem » Pontifice conquestus fuerit Procurator Generalis coram Ma» ximiliano & Philippo harum ditionum Principibus per expec» tativas ab hoc Pontifice indultas.

» Jus Ordinariorum innutile reddi in his verbis, *& quant* » *ausdittes Bulles expectatives, par icelles les collations des Ordi*» *naires ont été rendues infructueuses, au prejudice, tant desdits* » *Ordinaires, que des impetrans de leurs droits & des colla*» *tions, & contre l' intention des Fondateurs.*

» Et quidem hæ querelæ Procuratoris Generalis contra has » expectativas impulerunt Principes, ut contra has Romanæ Cu» riæ provisiones publicaverint edictum die 12. Septembris an» ni 1485. quod integrum refertur *part.* 1. *editorum Flan*» *driæ*, *rubrica* 8. *tit.* 1. quo vetantur similes expectativæ in » has Provincias ulteriùs recipi.

» Verum quidem est tempore publicati hujus edicti, hunc » Pontificem Sixtum IV. fuisse defunctum, sed notandum, Pro» curatorem Generalem suas querelas potissimùm direxisse con» tra expectativas, quæ â decem aut undecim annis (qui erant „ anni Pontificatûs hujus Pontificis) multùm invaluerant, & Ec» clesias Belgicas multùm vexaverant. Verba ejus sunt : *Car tou*» *tes provisions depéchées en Cour de Rome, ont été fort accrues,* » *& quasi doubles depuis dix ou onze ans en ça* : sicuti Indul» tum, quòd dicitur concessum Carolo VI. Regi Franciæ de » providendo de Thesauraria in Ecclesia Collegiata S. Petri In» sulensis non probat admissam reservationem hujus Dignitatis » in mensibus reservatis, ita nec Indultum, vigore cujus Ca» rolus V. dicitur providisse de hac Dignitate Thesaurariæ vi» gore Indulti Apostolici.

» Dicitur enim Carolum V. ejusque Successores usque in » hodiernum diem in vim Indulti Leonis X. providere de om» nibus primariis Dignitatibus post Pontificalem in Ecclesiis Ca» thedralibus, & de Principalibus in Ecclesiis Collegiatis, tametsi » hæ Dignitates in hisce Ecclesiis nunquam reservationi Aposto» licæ vigore hujus regulæ 8. mensium sciantur fuisse subjectæ.

» Quantum ad provisionem hujus dignitatis Thesaurariæ in » persona Bertrandi Verviani, cùm eam & in Curia Romana » obtinuerit, & à Capitulo nec sciatur in vim cujus provisionis » sententiam reverentialem reportaverit, nihil concludenter ex » hac provisione pro fundanda receptione provisionis Apostoli» cæ inferri potest. Quandoquidem igitur nullus indubitatus ac» tus possessionis, nullusque legitimus titulus per provisum » Apostolicum adducatur ad fundandam inductam reservationem » Pontificiam, quoad Dignitates electivas confirmativas in Ec» clesia Collegiata S. Petri Insulensis, non apparet, quâ spe» cie provisus Apostolicus prætendere queat, has Dignitates in » hac Ecclesia sub reservatione Sedis Apostolicæ comprehendi » titulo immemorialis possessionis vel præscriptionis.

» Quis enim nescit, ad inducendam similem præscriptionem » seu possessionem, ubi nullus titulus specialis probatur, inniti » debere concludentibus, nec controversis actibus possessionis » per tempus immemoriale continuatis : notanter si per similem » præscriptionem introductum prætendatur, quod & juri com» muni contrariatur, nec non generali patriæ praxi opponitur, » ipsamque Beneficiorum fundationem, si non evertat, saltem » alteret, & Ecclesiarum communi utilitati natum est officere, » quale est ipsa reservatio Dignitatum, quæ titulo similis præs» criptionis in hac Ecclesia contra jus commune & usum cæte» rarum Ecclesiarum, nec non fundationem seu institutionem Regulæ contineri communiter resolvunt Canonistæ, præsertim quando Patroni laici habent *majorem*, aut æqualem partem vo-

» earum Dignitatum inducta prætenditur, uti suprà ostensum est.

» Imò tametsi probaretur per Sedem Apostolicam aliquoties, » etiam titulo reservationis, huic Dignitati mensibus reservatis » fuisse provisum, atque in vim hujus provisionis sine ulla con» tradictione Capituli provisum Apostolicum fuisse ad possessio» nem admissum, & pacificè in ea perseverâsse ; nihil tamen in» de concludenter pro recepta & stabilita reservatione Aposto» lica concludi posset.

» Neque enim conniventia Capituli, aut etiam ejusdem po» sitiva approbatio similis provisionis Apostolicæ, ejus est effi» caciæ, ut contra communem patriæ usum hæc Dignitatum re» servatio in hac Ecclesia recepta censeri debeat, eâque median» te ipsa primæva Dignitatum conditio alteratur, & contra com» munem Ecclesiæ utilitatem earundem Dignitatum provisio ad » potestatem extraneam, scilicet Curiam Romanam, legitimè » devoluta cum ingenti incommodorum sequela, quæ similes re» servationes secum trahere consueverunt, & de quibus jam » pridem tam altè tum Belgii Ministri, tum Ecclesiarum Prælati » conquæsti fuere, & ad quorum querelas plura contra provi» siones Romanas Principum edicta prodierunt.

» Quod vel in præsenti casu eò magis militat, quòd cùm per » regulam reservativam 8. mensium provisio Canonicatuum in » 8. mensibus pertineat ad Sedem Apostolicam, natum sit fieri, » ut Capitulum constet ex plerisque Canonicis, qui suam ad » Canonicatus Promotionem referre debeant Sedi Apostolicæ, » qui, ut eam in se collatam gratiam recognoscant, facilè pro» visioni Apostolicæ annuent : præsertim cùm à Sede Apostolica » meruerint obtinere provisionem Canonicatûs, spectare queant » eâdem viâ aliquando & Dignitatum provisionem se obtenturos.

» Refert Renatus Chopinus *lib.* 1. *de sacra Politia*, *tit.* 1. » *num.* 3. 4. 5. & 6. deliberationem Capituli Claromontani, » quâ electionem Canonicorum solitam fieri per communem Ca» pituli electionem transtulerant ad Turnarios, appellante tan» quam *ab abusu* Procuratore Regio à Senatu Parisiensi fuisse » cassatam, *quam tamen Summus Pontifex diplomate confirmârat.* » Eo indubie fundamento, quòd penes Capitulum non esset aucto» ritas mutandi modum providendi de Canonicatibus in ipsa fun» datione præscriptum, vel longævâ consuetudine observatum.

» Et Antonius Faber in suo Codice *lib.* 10. *tit.* 2. *definitio*» *ne* 48. agens de unione Beneficiorum notansque : „ *Quoniam* „ *unio Beneficiorum odiosa est, & à communi Ecclesiarum uti*„ *litate aliena, nunquam nisi ex magna & necessaria causa* „ *permitti debeat, vocatisque in eam rem omnibus illis, quo*„ *rum interest : ac post hæc expressis iis, qui vocandi sunt,* „ *addit vocandum quoque Procuratorem generalem, non so*„ *lùm, si Juspatronatus ad Principem pertineat, sed etiamsi* „ *ad alium, nempe ratione publicæ utilitatis, & ad hoc ipsum* „ *despiciendum an publicè utilis futura sit unio, an inutilis,* „ *quin & addit, eum esse vocandum pro tuenda Principis auc*„ *toritate, ad quem pertinet, ut Beneficiorum omnium, quæ* „ *in territorio sunt, protector & conservator existimetur.*

„ Ex his concludit, quòd si non „ *vocato Procuratore ge*„ *nerali unio facta sit, possit & soleat ille ab ea tanquam ab* „ *abusu provocare, semperque ea provocatio admittatur,* etiam „ post centum annos, *quia unio semper & perpetuò gravat.*

„ Quidni igitur reservatio Dignitatum, etiamsi per Capi„ tulum privatâ auctoritate aliquando fuisset admissa, Principis „ auctoritate eâdem ratione cassanda esset ; ut pote non minùs „ quàm unio Beneficiorum publicæ utilitati præjudiciosa, & non „ minùs quàm ipsa unio continuò gravans, ac ipsam Dignitatum „ primævam conditionem evertens aut saltem alterans.

» Nec minùs hîc locum habere debet quàm in ipsa unione sine „ interventu Procuratoris Regii factâ, quod subjungit idem „ auctor : quid ergo si nulla provocatio sit ab ea unione, quam „ inaudito Procuratore generali, aut non vocatis iis, quorum in„ terfuit, factam esse appareat, idem jus constitui debebit, „ non ut abusiva pronuntietur unio, sed ut perinde ac si facta „ non esset, nulla ejus ratio habeatur, negligaturque à Senatu, „ quæ, neglecto Principe Senatuque, facta fuit.

„ Itaque censent infrascripti, per provisum Apostolicum „ nequaquam probatum esse sufficienter, reservationem digni„ tatis Thesaurariæ, de qua in casu, in hac Ecclesia Collegiata „ S. Petri contra jus commune, nec non communem usum alia„ rum Ecclesiarum Belgi esse legitimè receptam & stabilitam, & „ consequenter Capitulum in jure eligendi, ejusque provisum „ esse manutendum, quousque aliunde plenè & concludenter „ provisus Apostolicus titulum reservationis approbaverit.

„ Ita responsum Lovanii 30. Julii 1715.

» Erat signatum = Z. B. Van Espen J. U. D. SS. Can. Pro» fessor : J. F. Hertals J. U. D. & Professor Primarius : Lau» rentius Hacquius J. U. Doct. & Antecessor Primarius : L. Wi» rix, J. utriusque Doct. & Prof. ordinand. Amandus Baubens, » J. U. Doct. & Prof. ordin.

vocum in dicto Jure patronatûs mixto, uti loquitur Gonzalez num. 15. Rationem dat *num.* 12. „Nam in favorabilibus po„tiùs est attendenda qualitas laicalis; ne laicus propter Cleri„ricum perdat suum privilegium. Hoc enim æquum est, quòd „in re individua non patiatur quis præjudicium ratione socie„tatis, quæ illi cum altero communis est.“

XXV. Quidni & hâc ratione merito à reservatione eximatur Juspatronatus laicale *mixtum*, licèt pars vocum Patronorum Ecclesiasticorum esset *major*: veluti si ad unum laicum & duos Clericos pertineat: quod & notoria praxis Belgii confirmat, quamvis de Jure contrarium credat Gonzalez *num.* 16.

XXVI. Teste Garcia de *Benef. part.* 5. *cap.* 1. *num.* 557. Beneficia Juris patronatûs Ecclesiastici ab hac, aliisque reservationibus eximuntur „in Hispania, præsertim (ait) in his Regnis „Castellæ; atque indifferenter Beneficia Jurispatronatûs, etiam „Ecclesiastici ad præsentationem Patronorum providentur *in „partibus*, in quocunque mense vacaverint, ut videmus „quotidiè.“

Hæc consuetudo Hispaniæ à Belgica non omnino discrepat. Videmus enim & hisce in partibus ad Patronorum etiam Ecclesiasticorum *particularium* præsentationem, Beneficia in omnibus mensibus conferri.

* Quamquam cùm dicitur, Beneficia juris Patronatûs Ecclesiastici à reservatione mensium esse exempta, intelligendum videtur, de jure Patronatûs Ecclesiastici *ex fundatione*, *& dotatione* primitùs orto, quod est verum jus Patronatûs, & qui jure illo gaudent, censentur esse veri Patroni, non secus ac Laici simili titulo fundationis vel dotationis jus hoc assecuti, etsi dum competit titulo *dignitatis* aut *Officii Ecclesiastici* dicitur *Ecclesiasticum*; & ita definit jus Patronatûs Ecclesiasticum celebris Jurisconsultus Lovaniensis Vandevelde in suo manuscripto Tractatu de *qualitatibus Beneficiorum*, *tit.* 2. „Jus Pa„tronatûs Ecclesiasticum (ait) est, quod quis habet ratione suæ „Ecclesiæ seu Beneficii; quia nempe *fundatio* seu *dotatio* fac„ta est ex bonis Ecclesiæ, vel certè ex *bonis Laicis* jure Pa„tronatûs in Ecclesiam, seu personam Ecclesiasticam, ab ini„tio vel postmodum transcripto, vel translato.“

In eodem Tractatu notat citatus Vandevelde, quòd à reservatione mensium exemptæ sint Ecclesiæ *per totam Arthesiam*; conferantque Collatores Ordinarii Beneficia in omnibus mensibus, uti & Patroni præsentant; creditque Arthesianos exemptionem illam habere ex antiquo jure Gallicano fundato in *Sanctione Pragmatica* Caroli VII. adeò ut, licèt Arthesia à Regno Galliæ fuerit divulsa, illam tamen exemptionem, sive libertatem constanter retinuerint Ecclesiæ Arthesianæ.

Et revera hanc Arthesiæ à reservationibus Apostolicis exemptionem ex antiquo jure Gallicano, & usu profluere evidenter probant litteræ Caroli V. Imperatoris datæ Gandavi 12. Maii 1531. in quibus Carolus approbavit Privilegia, libertates, francisias, & exemptiones Episcopi Atrebatensis, & totius Cleri Arthesiæ ab omnibus reservationibus Apostolicis, expectativis, regressibus, accessibus, nominationibus, & coadjutoriis, & in effectu ab omnibus aliis Provisionibus Apostolicis exorbitantibus, & tunc non usitatis in Arthesia, & civitate Atrebatensi, ac nominatim potestatem conferendi Beneficia in *omni* mense secundum ordinem, & dispositionem juris, eo modo & forma, quibus ante; *Ceux etant de sort de France*, *& avant qu' ils fussent sous notre Souverainete*, fecerant, & gavisi fuerant.

Habentur hæ litteræ in libello, cui titulus: *Privilegia Nominationum Lovaniensium*, &c. Editionis Leodiensis anno 1665. pag. 28.

Insuper ex his litteris sat manifestum est Arthesianos hanc à reservatione mensium exemptionem, & plenam in provisione Beneficiorum libertatem, ex Concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. Regem Galliæ prætendisse; sed ex *antiquo jure* Gallicano, & continuato usu (cujus in litteris mentio fit) uti & citatus Vandevelde quoque notavit.

Habet & jus illud Ecclesia Collegiata Sancti Amati in civitate Duacensi, eò quòd hæc Ecclesia ex vico Arthesiæ, qui vocatur *Broylus*, ad civitatem Duacensem fuerit translata: atque ita manserit in libertate, quâ gaudebat existens in Arthesia.

Eodem indubiè titulo Ecclesia Tornacensis hac libertate gaudet, nimirùm quòd se manutenuerit in jure Gallicano, quo aliquando gravisa fuerat Regi Galliæ subjecta.

XXVII. De Beneficiis certo generi personarum conferendis, an contineatur sub generali reservatione, dubitatur: asseritque Covarr. *Pract. quæst. Cap.* 36. *num.* 4. quòd „si Be„neficia patrimonialia, vel Canonicatus Cathedralium Eccle„siarum, qui Theologis Magistris vel Juris Pontificii Doctori„bus ex electione sunt conferendi, apud *Sedem Apostolicam* „vacaverint, non facilè admittitur derogatio hujus privilegii, „vel consuetudinis, nec recipitur summi Pontificis collatio in „præjudicium Ecclesiarum, quibus maxima utilitas compara„tur, si ad unguem, & exactè jura ista serventur.“ Hæc ille, qui adductâ auctoritate Glossæ, aliorumque Doctorum pro hac interpretatione, nihilominus diffiteri non audet, „opinionem „istam dubiam esse, quoad hæc *patrimonialia* Beneficia & Ca„nonicatus, propter verba illius reservationis, cujus mentio „fit in *cap.* 2. *de Præbendis*, *in VI.* quæ adeo generalia sunt, „ut & hæc Beneficia comprehendere videantur.“

XXVIII. Tum pro resolutione dubii subjungit hoc notandum monitum: „Propterea lectorem admoneo hac in con„troversia quòd diligenter observet, quid praxi receptum fue„rit, & quid sit Christianæ Reipublicæ, ac ministerio divino „conducibilius, siquidem admodum conducat, hæc Beneficia „non comprehendi ullis reservationibus.“

XXIX. Antonius Faber ad *Definitionem* 11. *lib.* 1. *tit.* 2. apponit hanc notam, *num.* 3. „Observa eo jure nos uti, ut „Simplicia Beneficia possint in *quolibet* mense conferri ab Or„dinario licèt verba Regulæ *de Reservatione mensium*, sint „generalia, & loquantur de Beneficiis omnibus, sive cum cu„ra sint, sive etiam sine cura: ideo fortâsse quòd facilè capienda „sit interpretatio per quam unaquæque redeat ad suam naturam. „Prima autem Beneficiorum natura illa fuit, ut omnia & quocun„que mense conferri possent per Ordinarium. At potiùs quod „æquum non sit pauperem Ecclesiasticum pro simplici Beneficio „obtinendo tantis sumptibus onerari, ut cogatur ire, aut mittere „Romam, in eamque rem plus fortasis impendere, quam mul„torum annorum redditus ferre posit.“

Per simplicia Beneficia indubiè hic intelligit Faber Beneficia, quæ antonomasticè vocantur *simplicia*, ut sunt Capellaniæ, de quibus suprà *tit.* 20. *cap.* 2. quæ & in Belgio in multis Ecclesiis in *omni* mense, tanquam à reservatione liberæ, conferuntur.

XXX. Regula comprehendit Beneficia non tantùm vacantia per mortem; sed quocunque modo. Unde omnis modus vacationis includitur; modò reverà tamen Beneficium vacet; Excipit tamen modum per resignationem.

XXXI. Cùm autem in omni Beneficiorum permutatione includatur aliqua resignatio *in favorem* permutantium; ita ut permutatio nihil aliud sit, nisi quædam reciproca resignatio, quæ fit inter utrumque permutantem, ideo & vacationem hanc excipi credunt Interpretes; uti notat Chokier *Glossa* 7. *num.* 6. qui *num.* 7. addit & hanc rationem: „Quia reservatio est ju„ris communis correctoria; eoque restringenda est, & prop„terea quoad effectum reservationis, Beneficia renuntiata ex „causa permutationis, non dicuntur *verè* vacare.“

* Per resignationem in hac regula non tantùm significari resignationem in *favorem*, vel ex causa permutationis; sed & puram & simplicem, quæ fit per liberam dimissionem Beneficii ad manus Ordinarii, post Joannem Chokier in Commentario ad hanc Regulam, multis probat Gonzalez in expositione hujus Regulæ, *Glossa* 14.

Quapropter si Beneficium vacet in mense reservato per simplicem dimissionem, Ordinarium posse providere sustinent prædicti Auctores; hæcque interpretatio tanquam Ordinariis favorabilis, provisiones Beneficiorum ad jus commune reducens, non dificulter usu recipitur.

CAPUT VI.

De Alternativa.

1 *Regula de reservatione mensium secunda sua parte continet relaxationem quæ vulgò dicitur* Alternativa.
2 *Refertur textus regulæ.*
3 *Regula quoad hanc partem, quâ ratione favorabilis.*
4 *Alternativa solis Episcopis hodie competit.*
5 *Nec Abbatibus Episcopalem auctoritatem habentibus.*
6 *Neque Capitulo Sede vacante conferenti Beneficia ad liberam Episcopi collationem spectantia.*
7 *Alternativa tantùm datur Episcopis residentibus.*
8 *Verba regulæ prout hodie exprimitur, requirunt* veram, *&* personalem *residentiam.*
9 *Absens à Diœcesi etiam ex justa causa, & ad modicum tempus non gaudet* alternativa *juxta rigorem regulæ.*
10 *Judicatum quòd Episcopus absens ex urgenti causa ad* duos *dies non gaudeat alternativâ.*
11 *Non sufficit quod habeatur de jure pro residente.*
12 *Rigor ille non ubique receptus.*
13 *Episcopi ut alternativâ gaudeant, eam acceptare debent.*
14 *Gratia alternativa est personalis respectu Episcopi acceptantis.*
15 *Episcopus acceptatâ alternativâ, non potest sine licentia Sedis Apostolicæ renuntiare, & ad quatuor menses redire.*
16 *Episcopus non residens, acceptatâ alternativâ, non gaudet jure* 4. *mensium.*
17 *Episcopus demum uti potest alternativâ, quando litteræ acceptationis à Datario sunt receptæ.*
18 *Formula litterarum acceptationis.*
19 *Formula testimonii notorialis.*

Tes-

20 *Testimonium Datarii de facta acceptatione.*
21 *Quoad Beneficia, quæ vigore alternativæ Episcopus libere conferre potest, regula restricta est.*
22 *Regula hodierna non permittit vi alternativæ conferri, nisi Beneficia ad* solius *Episcopi liberam collationem spectantia.*
23 *Ex restrictione Regulæ videtur factum, quòd Episcopi in collatione Beneficiorum non debeant petere Consilium Capituli.*
* *In institutione alternativæ quid insinuare voluerit Curia Romana.*
* *Querela Francisci de Vargas, & suum Consilium de imminuenda Beneficiorum collatione, quam sibi arrogat Summus Pontifex.*

I. REgula, quæ hodie vulgò dicitur *Regula octava de reservatione mensium*, duas partes continet, quæ olim separatas regulas conficiebant; quemadmodum monet Chokier in procemio Regulæ *num.* 20. quarum primâ reservantur provisioni Pontificis Beneficia vacantia in *octo* mensibus; posteriore verò parte, quæ incipit à verbis: *Insuper Sanctitas sua*, relaxatur hæc reservatio in favorem Episcoporum in suis Diœcesibus residentium, quoad *duos* menses; ita ut sex menses liberi maneant; atque Episcopi alternativè menses habeant cum ipso Papa: quæ gratia propterea vocatur *Alternativa.*

II. Exprimitur autem in modernis Regulis hæc formula: »Insuper Sanctitas sua ad gratificandum Patriarchis, Archi»episcopis, & Episcopis intenta, & ipsis quandiu apud Ec»clesias, aut Diœceses suas verè ac personaliter resederint dun»taxat, de omnibus, & quibuscunque Beneficiis Ecclesiasticis »cum cura & sine cura, secularibus, & Regularibus ad libe»ram ipsorum duntaxat, non autem aliorum cum eis dispo»sitionem, seu præsentationem, vel electionem, nec etiam cum »consilio, vel consensu, seu interventu Capitulorum, vel alio»rum, (aut aliàs pertinentibus) quæ antea in mensibus Fe»bruarii, Aprilis, Junii, Augusti, Octobris, & Decembris »extra Curiam ipsam vacare contigerit (dumodo aliàs dispo»sitioni Apostolicæ reservata, vel affecta non fuerint) liberè »disponendi facultatem concessit. Ac etiam voluit, ut si ip»si in collatione, aut alia dispositione Beneficiorum, in aliis »sex mensibus, videlicet Januarii, Martii, Maii, Julii, Sep»tembris, & Novembris vacaturorum (quæ etiam dispositio»ni suæ, ut præfertur, reservavit) seu etiam aliorum dis»positioni suæ, & dictæ Sedis aliàs quomodolibet reservato»rum vel affectorum se intromiserint, aut quominus provisio»nes, & gratiæ Sanctitatis suæ de illis debitum effectum con»sequantur, impedimentum quoquo modo præstiterint, usu »& beneficio prædictæ facultatis eo ipso privati existant, ac »collationes, & aliæ dispositiones de Beneficiis illius prætex»tu deinceps faciendæ, nullius sint roboris, vel momenti. Illi »verò, qui gratiam alternativæ prædictæ acceptare voluerint, »acceptationem hujusmodi per patentes litteras manu propriâ »susbcriptas suoque sigilo munitas, & in sua quisque Civita»te, vel Diœcesi datas, declarare, & litteras ipsas huc ad »Datarium Sanctitatis suæ transmittere teneantur, quibus ab »eo receptis, & recognitis, ac in libro ad id deputato re»gistratis, tunc demum, & non antea, uti incipiant gratiâ su»pradicta. Declarans præterea exceptionem positam in Regu»la favore S. R. E. Cardinalium, & Indultum conferendi Be»neficia reservata concessum Cardinali Episcopo non suffraga»ri Capitulo ratione communionis, & consortii juxta decla»rationem felicis recordationis Urbani Papæ VIII. Prædeceso»ris sui editam die 10. Septembris anno millesimo sexcente»simo vigesimo sexto, quam Sanctitas sua in omnibus, & per »omnia approbat. Decernens sic in præmissis omnibus per quos»cunque, &c. judicari debere, ac irritum, &c.«

III. Notat autem Chokier loco citato, hoc inter utramque partem esse discrimen; quòd »prima contineat reservationem, »& manibus Ordinariorum ligamen imponat; atque ideo Epis»copis, & Ordinariis præjudicialis & detrahens potestati ordi»nariæ, & corrigens jus commune; & eatenus regula hæc odio»sa sit. Secunda verò pars, dictam reservationem, & vinculum »moderetur, & partim relaxet, ac impedimentum removeat; »sitque Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, ac aliis Eccle»siis favorabilis; ac proinde etiam amplianda; cùm innitatur ju»re communi.«

IV. Gratia hæc, sive relaxatio reservationis quoad *duos* menses conceditur duntaxat *Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis*; idque hodie adeò clarè expressum est in regula, ut nulla dubitandi ratio suppetat; quamvis olim dubitatum fuerit, quemadmodum notavit Gonzalez *ad Regulam* 8. *Cancellar. Gloss.* 42. *num.* 2. ac dein *num.* 3. infert: »hodie cessant De»cissiones dicentes, quòd Capitula Cathedralium gaudere po»terant *alternativa* mensium; & quòd Episcopus tanquam dig»nior, & caput poterit illam acceptare, etiam invito Capitulo. »Ratio est (ait) quia alternativa *antiqua* non erat restricta ad »solos Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, sicut res»tringit regula nostra, sed omnibus Collatoribus concedebatur.«

V. Imò cum Abbates etiam *nullius* Diœcesis, ac Episcopalem jurisdictionem in suis districtibus exercentes, revera non sint Episcopi juxta restrictionem modernam ipsius regulæ *alternativâ* mensium gaudere non possunt.

VI. Similiter si ex statuto, privilegio vel consuetudine Capitulum Sede vacante conferret Beneficia ad collationem Episcopi spectantia, tamen non gaudet *alternativâ*; quia tametsi succedat in jurisdictionem Episcopalem, non tamen in hanc gratiam, quæ speciatim Episcopis datur, & cum Episcopo extinguitur, ut infrà videbitur.

VII. Verùm nec omnibus Episcopis hæc alternativa conceditur, sed *tantùm residentibus*: quæ conditio in hodierna regula hâc formulâ exprimitur: *Ipsis quandiu apud Ecclesias, aut Diœceses suas verè ac personaliter resederint duntaxat.*

VIII. Hæc verba si propriè & in rigore accipiantur, non obscurè requirunt *veram* ac *personalem* residentiam apud Ecclesias, aut Diœceses: omnemque *fictam* residentiam excludunt; quemadmodum observat Gonzalez *Gloss.* 43. *num.* 15. monetque dictionem *verè*, omnem dubitationem removere: »nam »requirit (ait) *veram*, *realem*, & *actualem* residentiam, & »*omnem* fictionem excludit.«

Ponderat insuper, quòd in regula occurrat dictio, *personaliter*; quæ est (ait *num.* 23.) *præcisa*, & exigit *realem*, & *veram* ac personalem residentiam.

Expendit denique particulam *duntaxat* in regula expressam, »quæ est (inquit) limitativa ad solam residentiam veram, »& personalem, & præcisam, ac exclusiva fictæ, ac impro»priæ residentiæ.«

IX. Ex his infert *num.* 26. »quòd ad gaudendum alterna»tivâ *fictâ* residentia non prosit: & quòd absens ex justa causa »& ad modicum tempus, quandiu abest, non possit frui alter»nativa in Beneficiis tempore talis absentiæ vacantibus, & con»sequenter dispositioni Apostolicæ sint reservata.

»Aliud namque est *verè & personaliter* residere, & adesse; »& aliud *verè* abesse, & pro residente haberi," ait *num.* 28. quod & in sequentibus confirmat multis exemplis ex jure petitis.

Conformiter ad hanc Regulæ expressionem decisum fuisse dicit, quòd Episcopus absens tribus mensibus sibi permissis, recreationis causâ, animo redeundi, non gaudeat *alternativâ.*

X. Dehinc *num.* 41. dicit anno 1603. contigisse, quòd Episcopus Segobiensis, habens *alternativam*, & continuò in sua Diœcesi residens, ob adventum Regis Catholici ad locum quatuor duntaxat milliaribus à sua Diœcesi distantem à sua Diœcesi ad *duos dies* duntaxat abfuerit, ut Regem in eo loco salutaret, eique gratias ageret de nominatione, quam Rex Catholicus de ejus persona fecerat ad Archiepiscopatum Compostellanum; cumque spatio istorum duorum dierum vacâsset Canonicatus in mense *Aprili*, qui est mensis Ordinarii respectu Episcopi gaudentis *alternativâ*, aliàs reservatus; quæsitum fuit, an Episcopus Segobiensis ex tam justa causa, & ad tam modicum tempus absens, censendus esset *residens* ad mentem regulæ, ut *alternativâ* etiam eo tempore gauderet.

XI. Et quamvis dubitari nequeat, qui hujusmodi absentia de jure habeatur pro residentia & Episcopus ita absens habendus sit residens; nihilominus propter dictionem *verè* in regula positam, quæ omnem planè fictionem excludere videtur, resolvit Gonzalez *num.* 83. Episcopum Segobiensem non potuisse uti *alternativâ.* »Et quamvis (ait) maxima æquitatis ratio ad »favorem ordinariæ provisionis concurrat, non tamen est re»cedendum à verbis regulæ, quæ licèt sit dura, ita tamen »est scripta.«

XII. Ad hanc, aliasque rigorosas, & litterales interpretationes reflectens Perardus Castellus in Praxi Curiæ Romanæ *pag.* 334. dicit, hos rigores residentiæ indubiè in Britannia esse temperatos; adeò ut si Episcopus ex præcepto Regis, aut ob bonum commune suæ Ecclesiæ in causis urgentibus, & necessariis esset absens à Diœcesi, equidem reputaretur residens in ordine ad alternativam.

Neque in Belgio hujusmodi rigorem, ac duritiam regulæ admittendum credo, sed Episcopum in simili casu pro residente reputatum iri; præsertim quia, uti testatur post Gonzalez Chokier *gloss.* 15. particula illa *verè* recenter, nimirum post tempora Sixti V. huic regulæ addita fuit: nam tempore Pii V. Sixti V. & Gregorii XIII. in *alternativa* non aderat verbum *verè*, neque *personaliter*. Garcias *part.* 5. *cap.* 2. §. 10. *num.* 460. qui est videndus.

XIII. Ut autem Episcopi etiam residentes alternativâ fruantur, »eam acceptare debent; acceptationemque hujusmodi per »patentes litteras manu propriâ scriptas, suoque sigillo muni»tas, & in sua quisque civitate vel Diœcesi datas, declarare, »& litteras ipsas huc ad Datarium Sanctitatis suæ transmittere »teneantur, quibus ab eo receptis, & recognitis, ac in libro ad »id deputato registratis, tunc demum, & non anteà uti inci»piant gratia supradicta.«

Hinc concluditur, gratiam alternativæ esse *voluntariam*, atque pendere à mero beneplacito Episcopi eam acceptare vo-

len-

lentis; quam in favorem residentiæ Pontifex Episcopis offert.

XIV. Ulteriùs inde sequitur, gratiam illam, ejusque acceptationem esse *personalem* respectu Episcopi acceptantis, eamque morte ipsius Episcopi exspirare; ejusque successorem debere denuò acceptare si uti voluerit. Imo si Episcopus post acceptationem alternativæ translatus sit ad alium Episcopatum, si *alternativâ* hac uti desideret, tenetur eam de novo acceptare. Gonzalez *gloss.* 58. *num.* 18. quia illam priùs ut Episcopus talis Diœcesis acceptâsse censetur.

XV. Ubi autem Episcopus semel *alternativam* acceptavit, non potest pro libitu suo ab ea recedere, uti ibidem monet Gonzalez *num.* 14. quia acceptatio est mensium commutatio, id est, Episcopus, qui ut cæteri ordinarii Collatores, habebat quatuor menses *liberos*, nimirùm Martium, Junium, Septembrem, & Decembrem, acceptando alternativam permutat hos quatuor menses cum sex aliis, scilicet, Februario, Aprili, Junio, Augusto, Octobri, & Decembri: quæ permutatio cùm sit ad instar contractus cum Pontifice, non potest ab eo sine consensu Pontificis resiliri. Quod in ipsa Regula hodie expressum est, dum dicitur: » Et post factam acceptationem, & admis» sionem, in Dataria *neutri* parti liceat, nisi concordi consen» su, ab ea recedere.“

XVI. Inde ulteriùs infertur, quòd si Episcopus acceptata alternativa, *non resideat*, non possit nequidem conferre Beneficia vacantia in Martio, aut Septembri; quæ indubiè conferre potuisset, si alternativam non acceptâsset.

Cùm enim menses illi, qui alias erant è quatuor ordinariis juxta priorem partem hujus Regulæ, per acceptationem alternativæ, sint facti *Apostolici*, non potest Episcopus per *non residentiam* eos facere ordinarios; uti probas Gonzalez *gloss.* 43. *num.* 122. qui & *gloss.* 58. *num.* 23. dicit, non raro plures Episcopos, postquàm acceptârunt *alternativam*, supplicare Papæ, ut ligamen alternativæ dissolvere dignetur, ipseque Papa ad suos *octo*, Episcopus verò ad suos *quatuor* (prout erat ante acceptationem alternativæ) restituatur; quod & ipse Papa, vel Datarius ejus nomine nonnunquam ex causa concedunt.

XVII. Quâ formulâ acceptatio *alternativæ* fieri & insinuari debeat, supra relata Regulæ verba satis significant, atque unà indicant, quòd tunc *demum & non anteà* Episcopi uti incipant gratiâ alternativæ, dum litteræ acceptationis à Datario *receptæ* & *recognitæ* fuerint.

Ut autem facilior sit *recognitio* per Datarium facienda, solent litteræ hac formula expediri, & ad Datarium transmitti.

XVIII. Formula litterarum acceptationis alternativæ prout refertur à Gonzalez *gloss.* 62. *num.* 33. hæc est. » Nos N. Dei » & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus N. volentes observare » Regulam reservatoriam mensium Apostolicorum Sanctissimi » Domini Innocentii XII. nec non frui gratia, & beneficio al» ternativæ Episcopis apud Ecclesias, aut Diœceses suas verè » & personaliter residentibus per eandem Regulam concessæ. » Propterea humiliter, & debita cum reverentia, ac omni me» liori modo, quo possumus, & debemus, libenter præfatam » alternativæ gratiam acceptamus, ac eâ uti velle declaramus; » in cujus voluntatis, acceptionis & declarationis fidem, præ» sentes patentes litteras per nostrum Secretarium, & Aposto» licum Notarium scriptas, nostrâ manu propriâ subsignamus, » sigillique nostri soliti impressione muniri facimus, & eas ad » Illustrissimum & Reverendissimum Dominum ejusdem D. N. » Papæ Innocentii XII. Datarium transmittere curabimus, jux» ta formam, & ad effectum, de quibus in prædicta Regula. » Data in ædibus nostris, vel in tali loco hujus nostræ Civita» tis, vel Diœcesis, sub tali anno, die, & mense, testibus » ad præmissa vocatis.“

XIX. Postmodum dictus Secretarius, & Notarius hanc fidem facit. » Et quia ego N. auctoritate Apostolica Notarius, » & Secretarius prædicti Reverendissimi Domini mei Archiepis» copi dictas patentes litteras manu propriâ scripsi, & omnibus » supradictis, unà cum dictis testibus interfui. Ideò hoc præ» sens publicum fidei, ac testimonii instrumentum signavi, & » subscripsi meis solitis & consuetis signo & subscriptione in » præmissorum fidem.“

XX. Dein postquam litteræ à Datario fuerint recognitæ, & probatæ, solet ab eodem Datario dari testimonium recognitionis tenoris sequentis: „ Nos N. Sanctissimi Domini Innocen» tii XII. Datarius. Notum facimus, omnibus & singulis, ad » quos spectat, qualiter pro parte Reverendissimi in Christo » Patris D. N. Episcopi N. præsentatæ, & recognitæ fuerunt » litteræ acceptationis gratiæ alternativæ mensium, Præsulibus » apud Ecclesias, aut Diœceses suas verè & personaliter resi» dentibus ab eodem Sanctissimi D. N. Papa concessæ. In quo» rum fidem præsentes litteras manu propriâ subscripsimus, & » sigillo nostro muniri fecimus, ac in eodem libro registrari » fecimus &c.“

XXI. Quemadmodum alternativa quoad residentiam per posteriores Pontifices, apositione dictionis *verè* restricta fuit, uti suprà notatum est, ita quoad Beneficia, quæ alternativæ essent subjecta, non parùm limitata fuit.

Alternativæ enim antiquæ extendebantur etiam ad Beneficia *simultaneæ* & *non liberæ* collationis, uti ex Puteo refert Gonzalez *gloss.* 45. *num.* 24. qui *num.* 25. monet, quod in modernis alternativis, & Regulis deficiebant verba illa: *Nec etiam cum consilio, vel consensu, seu interventu Capitulorum, vel aliorum, aut aliàs pertinentibus*, donec Sixtus V. in sua Regula addidit præfata verba, prout hodie jacent in Regula. „ Et „ sic (ait Gonzalez) ante Regulam Sixti V. forsan dicebantur „ Beneficia liberæ collationis ad effectum, ut intraret alterna„ tiva, quæ providebantur ab Episcopis cum consensu, con„ silio, vel interventu alterius, modò non essent simultaneæ „ collationis, vel ad electionem seu præsentationem aliorum.“ Hodie verò contrarium est dicendum.

XXII. Regula enim uti hodiè exprimi solet, dat Episcopis alternativam in quibuscunque Beneficiis, *ad liberam ipsorum* DUNTAXAT, *non autem aliorum cum eis dispensationem, seu præsentationem, vel electionem; nec etiam cum consilio, vel consensu, seu interventu Capitulorum, vel aliorum, seu aliàs pertinentibus.*

Ex his patet, juxta modernam Regulæ expressionem, alternativam non extendi ad Beneficia, quæ quocunque modo ad alterius, quàm Episcopi liberam, ac plenam dispositionem spectant; & quorum provisioni intervenire alii, quàm Episcopus, quovis modo debent. Ex quo patet per posteriores Pontifices additas esse clausulas reservationis amplificativas, & auctoritatis ordinariæ restrictivas.

XXIII. Cùm verò non tantùm excipiantur Beneficia, quæ consensu Capitulorum conferenda sunt; sed & illa, in quarum provisione Episcopus Consilium Capitulorum petere debet; hinc forsan contigit, ut in Beneficiorum provisione Episcopi consilium Capituli sui petere desierint, ut alternativà gaudere possent, cùm aliàs de jure in similibus consilium Capituli expetendum esset, uti suprà notatum est.

* Injunctam Episcopis necessitas postulandi, vel acceptandi alternativam; regulæ, restrictiones & clausulæ, quas Summi Pontifices alternativæ imposuerunt, non obscurè insinuant, quòd Curia Romana voluerit, ut Episcopi alternativam veluti gratiam tanquam à Sedis Apostolicæ beneplacito dependente postulare, & agnoscere debeant; tamen cum Episcopi jure proprio, sive jure dignitatis suæ Episcopalis sint omnium Beneficiorum intra limites suæ Diœcesis consistentium quasi naturales Collatores; ita ut dum eis *alternativæ* mensium in collatione Beneficiorum annuitur, nihil ipsis tam de novo dici debeat accedere, quàm pars aliqua illius juris, quod ipsis titulo suæ dignitatis competebat, & per reservationes Pontificias erat substractum, rursus restitui.

* De hoc jure Ordinariorum in collatione Beneficiorum, nec non de prætensione Curiæ Romanæ attribuentis Summo Pontifici omnium Beneficiorum plenam provisionem, queribundus scribebat è Concilio Tridentino 28. Novembris 1551. Franciscus de Vargas.

Cùm enim quibusdam Patribus videretur in Concilio discutiendam materiam beneficialem, scribit de Vargas, ejus se esse opinionis, ut in hac » materia tractanda ante omnia, deberet » esse *plena* libertas examinandi, & dicendi: atque ante omnia » necessarium esse probare, quod jus Papa prætendere queat » providendi de Beneficiis, cujuscunque sint conditionis; quod » ubi fiet, clarè adstruam (ajebat) ex principiis, & fundamen» tis juris naturalis, divini, & humani, nec non ex pristina Ec» clesiæ praxi, ex varia mutatione, quæ circa Ecclesiæ discipli» nam contingit ex jure Canonico, pristino, & hodierno, ex » naturali ratione, ac ex ea, quam recta politia requirit, neces» sitate, per hæc omnia principia (ait) probaturus sum Roma» num Pontificem non habere tale jus disponendi de Beneficiis, » quali hodie utitur, quod nullatenus minueret suam dignitatem, » aut auctoritatis plenitudinem.“

CAPUT VII.

De jure Præventionis et regula Cancellariæ: *De Verisimili Notitia.*

1 *Præventio Pontificia in quo ab expectativis, & reservationibus differat.*

2 *Jus præventionis eidem, cui reservationes, fundamento innititur: est tamen usus istius recentior.*

* *Primitùs nec jus præventionis, nec jus devolutionis ad Romanum Pontificem notum fuit.*

3 *Tempore Bonifacii VIII. usus præventionum erat stabilitus.*

4 *Ad præcavendas fraudes in præventione occurrentes condita regula Cancellariæ de* Verisimili notitia.

5 *Scopus regulæ intelligitur ex proœmio olim illi præfixo.*

6 *Hoc proœmium à posterioribus Pontificibus sublatum.*

7 *Regula semper mansit invariata.*
8 *Refertur textus Regulæ.*
9 *Regula in Gallia pro lege Regni adoptata.*
10 *Regula hæc juri conformis.*
11 *Notitia debet esse* verisimilis; *nec extraordinaria admittitur.*
12 *Quod tempus requiratur, ut notitia sit* verisimilis.
13 *Regula locum habet in provisione facta* motu proprio.
14 *Item si sufficiens quidem tempus intercesserit, sed tamen cursor missus sit* ante obitum.
* *Item si rumor extiterit Beneficiatum esse mortuum, qui tamen adhuc vivebat.*
15 *Habet locum in omnibus Beneficiis, etiam Dignitatibus.*
16 *Etiam in collationibus Ordinariorum.*
17 *An huic Regulæ per Papam derogari queat in Gallia.*
18 *Regula hæc jus præventionis non impedit.*
19 *Præventiones minùs odiosæ, quàm expectativæ.*
20 *Synodus Basileensis abrogatis expectativis salvum voluit jus præventionis.*
21 *Clerus Gallicanus resolvit rogandam Synodum Basileensem pro abrogando jure præventionis.*
22 *Idipsum factum in Germania.*
23 *Synodus Basileensis à suo Decreto non recessit.*
24 *Pontifices jam pridem moderatè usi sunt hoc jure; & quare?*
25 *In locis ubi est reservatio mensium, non est locus præventioni.*
26 *In Gallia per Concordata jus præventionis est stabilitum.*
27 *Hic articulis multis displicuit.*
28 *Anno* 1547. *mandatum fuit Oratoribus Regiis pro abrogatione hujus articuli in Synodo Trid.*
29 *Idem mandatum fuit anno* 1561. *Oratori Regio ad Pontificem; & quid hic exposuerit.*
30 *Aliquando interdictum fuit Judicibus Regiis rationem præventionis habere.*
31 *Id postea revocatum, manetque hodie jus præventionis.*
32 *Si dubium sit, quid prius contulerit, præsumitur pro Ordinario.*
33 *Præventioni non subjacent Beneficia Jurispatronatûs laici.*
34 *Provisio tantùm obtinet* rebus integris.
35 *Per actum etiam præparativum fit res* non integra.
36 *Debet hic actus concernere ipsam collationem.*
37 *Aliquando collatio invalida impedit præventionem*
38 *Præsentatio Patroni, & Indultarii reddunt rem* non integram, *etiam ante secutam collationem.*

I. PRæventio Pontificia in hoc à mandatis, & reservationibus differt, quòd per mandata Pontifex non conferret ipsa Beneficia; sed mandaret de iis per Ordinarios certis personis provideri; inde dicta mandata *de providendo*, suæ & frequenter non ad Beneficia de facto vacantia, sed *vacatura* dabantur. Per reservationem quoque non fit Beneficiorum collatio, seu provisio, sed per eam duntaxat Pontifex Beneficia suæ dispositioni reservat, id est, reservat sibi conferenda, vacatione illorum occurrente.

Per præventionem verò Pontifex prævenit Ordinarium Collatorem, conferendo scilicet Beneficium ad Ordinarii collationem spectans: ita ut in *præventione* revera Pontifex conferat: quæ propterea tuntùm locum habet in Beneficiis *verè* vacantibus.

II. Quandonam hoc jure præventionis uti cœperint Pontifices, incertum est. Credit Ludovicus Thomassinus *de Discipl. Eccl. part.* 4. *lib.* 2. *cap.* 14. quòd hoc jus præventionis innitatur quidem eidem fundamento, cui innituntur mandata *de providendo*, & *reservationes*, atque ex eodem principio suam habeant originem; tamen usum præventionis, Mandatis *de providendo*, & reservationibus esse multò recentiorem, ibidem observat; neque in Decretalibus Gregorii IX. ullam fieri præventionis mentionem, quamvis *Mandatorum de providendo* sæpiùs meminerint.

Imò credit, ab introducto usu horum *mandatorum* fluxisse duo circiter secula, antequam palàm stabilitus fuerit præventionis usus; eum enim sensim, & gradatim quasi invaluisse, & introductum fuisse credit.

* Non dubium tamen, quin hoc jure Præventionis demum usi fuerint Pontifices, postquam apud nonnullos Canonistas, ac notanter Ultramontanos invaluit opinio, Pontificem Romanum esse *Ordinarium Ordinariorum*; atque ita quodam modo auctoritate ordinariâ Pontifici competere provisionem Beneficiorum, in quacunque Orbis Christiani Diœcesi; proindè in ea provisione posse cum Ordinariis concurrere.

Observat autem Georgius Louetius in notis ad Molinæum *in Regulam de Infirmis Resignantibus*: „Nec in Decretorum to» to volumine legimus, Papam in conferendis Beneficiis Ordi» narium esse Ordinariorum.... sed Sixti Decretalium nova juris» prudentiâ Summi Pontifices Præventionibus quodam jure om» nimodam in Collatores Ordinarios potestatem sibi tribuerunt; » eamque qualitatem (Ordinariorum Ordinarii) non propter Or» dinariorum negligentiam, ut antiquo jure; sed *plenariè*, & » ex supremæ potestatis plenitudine assumpserunt *in cap. Licèt,* » *de Præbend. in* VI. *Clement.* 1. *Ut lite pendente.*

Imò nec ante jus novum Decretalium facilè reperies, ob negligentiam Ordinariorum recursum patuisse ad Sedem Apostolicam pro collatione Beneficii; sed si quæ difficultas oriebatur, terminabatur in Synodo Provinciali, ut observat Hieronymus à Costa in Tractatu *de Origine, & Progressu proventuum Ecclesiasticorum, pag.* 105.

III. Quidquid sit, hoc satis constat tempore Bonifacii VIII. hoc jus præventionis in usu fuisse. Nam consultus hic Pontifex super Beneficio collato diversis personis à Sede Apostolica, ejusve Legato, & Ordinario *eodem die*; nec constabat, quæ collatio fuerit prior facta, respondit Bonifacius, quòd si nullus sit in possessione, is, cui Sedes ipsa, vel Legatus contulit, erit alteri præferendus. Rationem addit: *Propter conferentis ampliorem prærogativam.*

Hîc apertè supponitur, Pontificem, ejusve Legatum posse in Beneficiorum collatione cum Ordinario concurrere; imò ipsum non solùm posse *prævenire*, sed si dubium sit, cujus collatio *prior* fuerit, Pontificis collatio præsumatur præcessisse; propter *ampliorem ejus prærogativam* in conferendis Beneficiis.

IV. Hæ præventiones tempore Joannis XXII. qui viginti circiter annis post Bonifacium VIII. ad Pontificatum fuit assumptus, adeò invaluerant; atque ad eas occupandas, & Ordinariorum collationes præveniendas, tot fraudes & malè artes adhibeantur, ut ipse Joannes XXII. Regulam Cancellariæ ediderit, quæ vocatur *de verisimili Notitia*, quæ hodie est trigesima, ut hujusmodi fraudibus occurreretur.

X. Hunc enim Regulæ scopum indicavit ipse Joannes XXII. in procœmio regulæ præfixo: » Item, ut in habendis Beneficiis » Ecclesiasticis *fraudes* evitentur, servetur conscientiæ puritas, » & ambitionis via præcludatur ambitiosis &c. «

VI. Ita refertur à Ludovico Gomezio in commentario ad hanc regulam, unà notante, regulam illam à Martino V. cum eodem procœmio fuisse promulgatam; at Nicolaum V. in promulgatione ejusdem regulæ sustulisse dictum procœmium; » quod » brevitatis causà factum opinor (ait) cùm alias indignum videre» tur tam salutare procœmium, ex quo *mens*, & *intentio* col» ligitur Conditoris, sustulisse. « Nicolaum secuti sunt ejus successores, ipsam regulam sine procœmio promulgantes, qualiter & hodie inter regulas Cancellariæ exstat.

Interim sat convenit, eam editam esse ad obviandum fraudibus, & cupidæ ambitioni eorum, qui Ordinarios prævenire satagentes, Beneficiorum collationem, etiam nec dum mortuis eorum possessoribus, impetrare quavis arte moliebantur: unde teste Gomezio loco citato, *quæst.* 1. convenit inter Doctores, Regulam factam fuisse *ab obviandum fraudibus, quæ fiebant in Curia ad præveniendum Ordinarios.*

Quamvis Regulæ huic detractum fuerit procœmium, nihil tamen circa ipsum corpus regulæ mutatum unquam fuisse monet idem Gomezius, » nullusque Pontificum (ait) verbum » aliquod addidit, vel mutavit ad regulam Nicolai, sed *inte*» *gra* mansit usque in hodiernum diem, cùm tamen aliæ re» gulæ aliquam receperint mutationem. « Neque à tempore Gomezii usque ad hæc nostra ullam mutationem accepisse scimus.

VIII. Regula exprimitur his verbis: » Item voluit, & or» dinavit, quòd omnes gratiæ, quas de quibusvis Beneficiis Ec» clesiasticis, cum cura, vel sine cura, secularibus vel regula» ribus, per obitum quarumcunque personarum vacantibus in » antea fecerit, nullus roboris, vel momenti sint; nisi post » obitum, & ante Datam gratiarum hujusmodi, tantum tem» poris effluxerit, quod interim vacationes ipsæ de locis, in » quibus personæ prædictæ decesserint, ad notitiam ejusdem D. » N. verisimiliter potuerint pervenisse. «

IX. Hæc regula teste Rebuffo in Praxi Benef. *part.* 1. *tit. de Reform. Bullæ gloss.* 1. » fuit recepta, & registrata in Par» lamento Parisiensi anno 1493. 20. Novembris, & ubique in » regno Franciæ recepta, & in forensi judicio ad unguem ser» vatur, estque lex regni effecta, adeò quod sicut Imperator » legem (ut dicunt) canonizatam & à Canonibus approbatam » non potest revocare, licèt eam legem ex libro tollat: sic nec » Papa regulam incorporatam & descriptam in registris Curiæ, » etiamsi tollat illam, nam eo casu servabitur tanquam lex reg» ni, non tanquam Papæ regula. «

X. Deindè notat, quòd » ex visceribus juris sit extracta, » maximè ex *cap.* 2. ✠ *de concess. Præb. non vacantis*, ubi » Beneficia, antequam vacent, non debent impetrari, & nisi » vacatio pervenerit ad notitiam conferentis, vel pervenire po» tuerit; nam collatio, quæ non est verisimilis, non est cre» dibilis, nec facta creditur. «

XI. Imò etiamsi aliquis probare vellet, se per modum aliquem extraordinarium, & plusquam humanum, aut verisimiliter in Urbem absolvisse, probatio ejus non admitteretur, ait Rebuffus *num.* 5. » quia tantummodo *verisimile* admittetur, vi» delicet quòd eques cursor Romam potuit ire sex diebus ex

» Lu-

„ Lutetia, vel ex Lugduno quinque, hoc recipietur. Ex Tholo-„ sa autem octo, vel septem: distinguenda autem sunt tem-„ pora, æstatis videlicet & hiemis: in Legato tamen inspicitur, „ an equi celeres essent designati ad illum locum, in quo ipse „ degebat, & ex loco, in quo obiit Beneficiarius: & tunc cur-„ sus velox recipietur, alioqui non; unde in praxi vulgò solet, „ dici, *s'il y à postes assignées*, ut quantum possunt celeriter „ currere, alioqui per dietas computabitur. "

XII. Et Chokier ait, „ tempus *verisimilis* notitiæ Leodio „ Romam esse novem dierum, Rota tùm sæpiùs, tum novissimè „ in unà Bullarum resignationis Canonicatûs S. Pauli de an-„ no 1619. decidit. "

Antiquus autem Glossographus, quem sequitur Chokier, rectè monet, *verisimile* illud relinqui arbitrio Judicis, qui ex locorum distantia, die obitûs, aliisque circumstantis determinet, an tantum tempus effluxerit ab obitu Beneficiati usque ad datam provisionem, quòd interim vacationes ipsæ de loco, in quo Beneficiatus decessit, ad notitiam Pontificis *verisimiliter* potuerint pervenisse.

XIII. Regula etiam procedit, tametsi *motu proprio* gratia facta esset, ait Rebuffus *gloss.* 2. *num.* 2. „ tum ut evitetur „ fraus, quæ fieret apponendo hanc clausulam, tum etiam quia „ hæc clausula non tollit ambitionem impetrantis, nec votum „ captandæ mortis. "

Et ita jampridem judicatum fuisse in Rota Romana testatur Gomezius ad hanc Regulam, *quæst.* 2.

XIV. Quinimò licèt tempus sufficiens effluxisset inter datam provisionis, & obitum Beneficiati; ut notitia verisimilis vacationis haberi potuisset, nulla tamen erit provisio, si probetur, cursorem ante *obitum* Beneficiati discessisse, quod dici solet *cursus ambitiosus*; uti monet Claudius Fleury in Instit. Jur. Canonici *lib.* 2. *cap.* 21.

* Id etiam procedit, tametsi esset rumor communis, Beneficiatum mortuum esse, si tamen reverà mortuus non fuerit, collatio facta nulla erit in vim hujus Regulæ, quia dum agitur dumtaxat de invaliditate actûs, non autem de pœna infligenda, rumor communis, aut probabilis ignorantia non excusat, nec actum validum reddit, uti in hoc articulo latiùs probat Gregorius Louetius in notis ad Regulam *num.* 16.

XV. Quamvis hæc regula nominatim non loquatur de *Dignitatibus*, & sub nomine Beneficii etiam generaliter expressi Dignitates comprehendi non soleant, tamen & in his regulam locum habere rectè notat Rebuffus *gloss.* 3. tum quò ratio decisionis in his locum habeat; tum præcipuè, quia regula hæc naturali æquitati, & honestati innixa & ad vitandas fraudes inducta, *favorabilis* est reputanda. In *favorabilibus* autem nomine Beneficii generaliter expressi, prout in hac regula per particulam *quibusvis*, veniunt Dignitates.

XVI. Adhæc licèt Regula hæc tantùm loquatuor nominatim de provisione Papæ, ob naturalem tamen æquitatem, & honestatem, extensa est non tantùm ad Legatum Papæ, sed etiam ad Ordinarios Collatores; prout in Gallia observari post Rebuffum, aliosque testatur Carolus Fevretius in tract. *de Abusu*, *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 5.

XVII. Favor ejusdem regulæ, ipsaque naturalis ratio, cui innitur, efficiunt, ut in Gallia hujus regulæ derogationem non admittant, atque ab ea derogatione appellationem *tanquam ab abusu* recipiant; ut post Rebuffum ibidem refert Fevretius. Si tamen provisio facta sit in vim procuratorii ad resignandum; & resignans mortuus fuerit, antequam provisio esset expedita; si adjecta fuerit clausula, *etiamsi* PER OBITUM *vacet*, & Papa huic regulæ derogaverit, admittitur derogatio, valebitque provisio, licèt ipso die expeditæ provisionis resignans fuisset mortuus, & consequenter *verisimilis* notitia de morte resignantis in Curia non haberetur: „ quia (ait Rebuffus *gloss.* 4.) justa fuit „ arreptio itineris ante mortem, cùm haberet procuratorium ad „ resignandum: & ita (ait) servamus in Regno, dummodò à „ tempore mandati seu procuratorii *verisimiliter* potuerit Cur-„ sor accedere ad Curiam. " Id tamen limitandum, nisi fraùs aliqua subesse probetur; uti observat Rebuffus ad Concordata *de Mandatis Apostolicis*, §. *Declarantes*, verbo *Jure præventionis*.

XVIII. Quamvis Regula hæc fraudibus, & ambitioni de captandis, & solicitandis Beneficiis vivorum occurrere voluerit, nequaquam tamen auctoritatem Pontificis in præveniendo, seu concurrendo cum Ordinariis in provisione Beneficiorum imminuere ullatenùs intendit: mansitque jus hoc semper Sedi Apostolicæ salvum.

XIX. Illud quoque notandum, quòd licèt per has præventiones videatur aliquo modo imminui jus collationis Ordinariorum, tamen has præventiones minùs odiosas esse, quàm expectativas, quibus non de vacantibus Beneficiis providebatur, sed *vacatura* promittebantur: cùm Pontifex utendo præventione, Beneficia *vacantia* duntaxat conferat: atque ipsis Ordinariis ut minùs æquale secum jus conferendi relinquat.

XX. Quare Synodus Basileensis solicita restituere jura Ordinariorum, præsertim circa collationem Beneficiorum, atque eum in finem omnes expectativas ad Beneficia *vacatura* abrogans, nihilominùs hoc jus præventionis Pontifici nominatim reservavit *Sess.* 31. *art.* 2. ubi post abrogationem expectativarum subjicit: *Neque etiam collationes* per PRÆVENTIONEM *fiendas intendit impedire.*

XXI. Clerus tamen Gallicanus in Conventu Bituricensi eam clausulam Concilii Basiliensis non approbavit; resolvitque Patribus Concilii proponendum, ut eam revocarent, aut saltem declararent, Ordinariis Collatoribus manere salvum tempus *sex* mensium, iis à Concilio Lateranensi sub Alexandro III. concessum; intra quod si non contulerint, meritò eorum negligentiam Superior vel jure præventionis, vel devolutionis supplere poterit.

XXII. Idipsum à Germanis, saltem nonnullis optatum fuisse, evincit, quod legitur in Synodo Frisingensi anno 1440. *Can. XXV.* „ Supplicetur sacro Concilio (Basiliensi) ut decla-„ rare dignetur, quòd vigore horum Decretorum non intende-„ rit tollere inferioribus Collatoribus Ordinariis *tempus* Late-„ ranensis Concilii, quodque ante ipsius lapsum non habeat lo-„ cum præventio. "

XXIII. Non legitur, Concilium Basiliense, occasione harum supplicationum Decretum suum renovâsse, aut limitâsse, vel exposuisse; sed jus integrum præventionis Sedi Apostolicæ reliquit; adeoque, uti passim notant Canonistæ, potest Pontifex, etiam in mensibus ordinariis ipsos Collatores prævenire.

XXIV. Nihilominùs, uti notat Gonzalez ad Regulam 8. Cancellariæ §. 4. *Proœm.* non passim hujusmodi provisiones facere vult, nec intendit, ut minùs de illo Episcopi conqueri valeant. Quod profectò valde laudabile est (ait) ac suâ urbanitate, & liberalitate dignum. Quia, ut dixit textus in *Can.* PERVENIT, *caus.* 11. *quæst.* 1. *Si qua unicuique Episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos Ecclesiasticus custodiri ille ordo debuit, confundatur.* Hæc ille; qui pluribus ibidem ostendit, quòd quamvis de jure Pontifex prævenire Ordinarios possit, non tamen sit honestum, quòd aliis auferat potestatem: quodque ex hoc non usu evitentur non modica inconvenientia.

XXV. Imò teste Joanne Chokier in proœmio Regulæ 8. *num.* 17. „ hodie *nunquam* confert Papa per præventionem, de-„ betque Datarius respondere: *Adeat Ordinarium.* " Quod ut observetur iis in partibus, ubi inter Sedem Apostolicam, & Ordinarios menses divisi sunt, atque ipsa Sedes Apostolica reservando sibi sex vel octo menses, reliquos Ordinariis liberos dimisit, valdè justum est. Per illam quippe mensium divisionem tacitè quodammodo Pontifex Ordinariis addixisse videtur, quod jus conferendi iis in mensibus liberum ipsis maneret.

Hinc in Belgio, ubi hæc mensium divisio stabilita est, præventionum usus exolevit: neque ulla in mensibus Ordinariorum provisio Apostolica jure præventionis unquam expeditur: quare nec Regula *de verisimili notitia* hîc penè nota est.

XXVI. At in Gallia per Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. jus Præventionis Pontifici expressè reservatur titulo *de Mandatis Apostolicis* his verbis: „ Declarantes.... Nos & „ successores nostros jure *præventionis* Dignitates, Personatus, „ Administrationes, & Officia, cæteraque Beneficia Ecclesiasti-„ ca, secularia, & quorumvis Ordinum Regularia, quæcunque, „ & quomodocunque qualificata, tam in mensibus graduatis, „ simplicibus, & nominatis, quàm ordinariis Collatoribus præ-„ fatis assignatis vacantia, ac etiam sub dictis mandatis compre-„ hensa, liberè conferre. "

XXVII. Hic unus fuit ex articulis, qui receptionem Concordatorum præcipuè retardavit, ipsasque oppositiones, tum ex parte Parlamenti Parisiensis, tum Cleri, & Universitatis formârunt; quæ latiùs referuntur in Historia Concordatorum, quin & frequentium querelarum occasionem hic articulus subministravit.

XXVIII. Legitur datum fuisse in mandatis Legatis Regis Galliæ anno 1547. ut Patribus Tridentinis inter alia exponerent, quòd *præventiones*, quas Papa vi Cancordati in Regno Galliæ facit, sint contrariæ Concilio Lateranensi; quodque dictæ præventiones pariant magnam confusionem in regno, quòd Collatores Ordinarii per eas frustentur suo jure.

XXIX. Idipsum injunctum fuit Ferrerio Regis Christianissimi Oratori, & Legato ad Papam Pium IV. anno 1661. idque ad querelas, quas Regi fecerant Ordines generales Regni super hoc articulo *præventionum*; quemadmodum videre est in probationibus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 22. *num.* 34. ubi *num.* 35. subnectitur discursus, quem super articulo coram Pontifice habuit ipse Ferrerius, in quo potissimùm urget Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. quo Collatoribus datur facultas conferendi Beneficia, idque intra *sex menses*, „ quo illis (ait) liceret de vita, & moribus ordinandi diutiùs „ deliberare. Quam collationem nisi intra id tempus fecissent, „ conferendi potestatem proximo superiori deferri, & grada-„ tim Romano Pontifici: hujus Constitutionis fuisse favorem, ut „ quan-

» quanquam diurna Beneficiorum vacatio esset Canonibus exossa, » illud tamen semestre non currere, nisi Prælato scienti Bene- » ficii vacationem. Quòd si præventionibus locus est, vix esse » ut supervacanea non sit non solùm hæc Concilii Lateranensis » temporis definitio, & gradatio, sed etiam Antiochenum, at- » que Aurelianense Concil. quibus definitum est, Episcopo, cui » totius Diœcesis animæ committuntur, relinquendas esse Bene- » ficiorum collationes."

XXX. Hæc, aliaque ibidem à Ferrerio nomine Regis, & Ordinum Regni Gallicani Pontifici exposita, sat evincunt, quàm ægrè has præventiones tulerint Galliæ Proceres; quod & manifestum fit ex Edicto Aurelianensi, *art.* 12. quo interdicitur omnibus judicibus Regni Galliæ, ullam in judicando possessorio Beneficiorum rationem habere provisionum, quæ obtentæ essent per *præventionem*, idque sub pœna privationis suorum officiorum; nec possint impetrantes hujusmodi provisionibus uti sine licentia Regis.

XXXI. Meminit hujus Edicti etiam Carolus Fevretius Tractatu de Abusu *lib.* 2. *cap.* 7. *num.* 3. unà monens, Carolum IX. Regem Galliæ ad requisitionem Cardinalis Ferrariensis Legati Apostolici in Gallia dedisse declarationem 10. Jan. 1562. quâ hic articulus, quantum ad *præventiones* Pontificias fuit revocatus.

Itaque post hanc declarationem usque in hodiernum diem salvum manet jus *præventionis* in Provinciis Regni Galliæ Concordatis utentibus; quantumvis illud odiosum esse, & in favorem Ordinariorum restringendum credant.

XXXII. Hinc imprimis statuunt, quòd si dubium sit, quis priùs contulerit, an Papa, an Ordinarius, præferendam esse collationem Ordinarii, contra decissionem *cap.* SI A SEDE *de Præb. in VI.* quam in hoc casu dicunt non observari: quia Ordinarius confert *jure ordinario*, *& primitivo*; & quia Papa tantùm habet jus præventionis, debet ostendi, Papam *prævenisse* Ordinarium; quod ubi non ostenditur, manet collatio Ordinarii facta jure *proprio*, & *ordinario*. Vide Castellum in sæpiùs citata Praxi Curiæ Romanæ *pag.* 274. & notam Guillelmi Noyer ibi subjectam.

XXXIII. Deindè nullam præventionem admitunt in Beneficiis Juris Patronatûs *laici*: » Patroni enim laici in Francia » nunquam subjecerunt colla præventionibus, « ait Fevretius *num.* 7. & quantum ad Rescripta Pontificia, etiam in causa permutationis, si quando derogatum voluerint Juri Patronatûs laicalis, sive per præventionem, totum fuit cassatum, & revocatum tanquam avusivum; ita Fevretius *num.* 7. Quod & in Hispania religiosissimè servari testatur Covarrubias *Practicar. Quæst. cap.* 36. » ubi Patrono laico licet conqueri de ta- » cita vel expressa derogatione, sicut apud Gallos. «

Tametsi textus Concordatorum quæcunque Beneficia, etiam Dignitates generatim exprimat, nihilominùs non credunt, comprehendi Dignitates electivas titulo *fundationis*, præsertim *laicalis*, uti observat Fevretius loco citato *num.* 6. ibidem unà asserens, hodie passim judicari, Dignitates omnes, etiam *electivas confirmativas*, sed alio titulo quàm fundationis, subjectas esse juri *præventionis*; quamvis aliquando de eo dubitatum fuisset.

XXXIV. Præventio demùm locum habet, si provisio Pontificia facta fuerit *rebus integris*, hoc est, necdum à Collatore Ordinario incepto negotio collationis. Si enim Canonicæ institutionis fines, vel levissimè attigerit, quamvis ad exitum non perduxerit, tamen *rebus integris* non ampliùs extantibus, collationi Pontificiæ nullus locus dabitur. Ita Pinsonius *de Benef. tit. de Canonicis Institutionum conditionibus*, §. 10. *num.* 2.

XXXV. Rex autem non censetur integra, quando quoquo modo negotium inchoatum est, non tantùm per actum aliquem essentialem, sed etiam solùm præparatorium, v. gr. per *pulsum campanæ* ad congregandum Capitulum pro electione; aut etiam ad deliberandum de forma, aut die electionis faciendæ, aliumve actum, quo electores, Collatores, aut Patroni ostenderunt, se non fuisse in defectu utendi suo jure, ait Brodæus ad Louetium *litt. P. num.* 25. atque ita judicatum fuisse testatur, *præventioni* locum non fuisse, eò quòd prævièad provisionem Apostolicam actum fuisset in Capitulo de electione facienda.

XXXVI. Aliud esset (ait ibidem Brodæus) si Capitulum Sede vacante dedisset tantummodo deservituram alicujus Ecclesiæ Parochialis vacantis, *donec provideatur per futurum Episcopum.*

Cùm enim hic actus non fuerit expeditus per Collatorem, neque concernat ipsum *titulum*, impedire nequit præventionem Papæ; cum respectu tituli res manserit integra.

XXXVII. Quinimò collatio, aut actus provissionis etiam *nulliter*, & *invalidè* factus per Ordinarium aliquando constituit rem non integram, ipsamque præventionem impedit; ut si Ordinarius contulerit non Graduato in mense Graduatis affecto; collatio quidem nulla est in favorem Graduati se opponentis, sed tamen præventionem impedit; uti docet post alios citatos Fevretius *loco citato.*

XXXVIII. Præsentatio Patroni, & Indultarii reddunt rem *non integram*, etiam ante secutam Collationem. Id est, si constiterit quòd Patronus Clericum Episcopo præsentaverit, ut ei Beneficium conferret, tunc non habetur ratio præventionis Pontificiæ.

Præsentatio Patroni id juris sibi vindicat, quia vetus illa est, & antiquior præventionis jure, quod sibi summus Pontifex arrogat. Indultarii quoque præsentatio rem non integram reddit, & jus illud ipsi tribuitur, vel propter personam Regis, in cujus gratiam *Indulta* concesa sunt; vel propter Dignitatem Officiatorum, quibus data sunt. Tandem cum præsentatio illa facta sit Episcopo, qui est de primario jure Beneficiorum Collator ordinarius, non posset ei sine aliqua injuria per Papæ præventionem auferri collatio Beneficii, quod illi jam præsentatum fuit, quodque juxta Concilium Aurelianense *secundum priorum Canonum Regulam in potestate Episcopi consistit*, ut legitur apud Gratianum *Can. Omnes Basilicæ, ex Concil. Aurelian. I. Caus.* 16. *quæst.* 7.

TITULUS XXIV.

De Provisione Apostolica.

CAPUT I.

DE PROVISIONE IN FORMA *DIGNUM*, ET IN FORMA *GRATIOSA.*

1 *Provisio in forma* dignum *unde sic dicta.*
2 *Per hanc provisio propriè non fit per Papam, sed per Ordinarium.*
3 *Ante obtentam collationem ab Ordinario Provisus nullum habet titulum.*
4 *Non potest Beneficium resignare ante habitam ab Ordinario provisionem.*
5 *Neque capere possessionem.*
6 *Ordinario recusante litteras provisionis ad quem recurendum.*
* *Qua auctoritate Episcopi exequantur litteras Apostolicæ provisionis in forma* dignum *sibi directas.*
7 *Forma* dignum, *alia* antiqua, *alia* novissima.
8 *Quid circa has formulas habeat hodierna praxis, præcipuè in Gallia.*
9 *Formula litterarum provisionis, seu* visa *per Ordinarium.*
10 *Examine peracto quomodo Ordinarius conferat.*
11 *Ordinarius hîc censetur Episcopus Beneficii.*
12 *Provisio in forma* dignum *alteri directa in Gallia non recipitur, nisi ob causam.*
13 *Examen alteri per Ordinarium delegari potest.*
14 *Episcopi meritò personaliter examini intersunt.*
15 *Ratio inductæ hujus formulæ.*
16 *Quando Papa sufficienter est instructus de capacitate Supplicantis fit provisio in forma* gratiosa.
17 *Provisio in hac forma est propriè provisio Apostolica.*
18 *Forma Signaturæ in hac formula.*
19 *Hæc provisio dirigitur ad ipsum Supplicantem, cui & inscribitur tanquam Beneficiato.*
20 *Formula inscriptionis.*
21 *Tenor provisionis.*
22 *De executore hujus provisionis.*
23 *Hodie quoad Beneficia præsertim Curata non solet dari provisio in forma* gratiosa; *& quare.*
24 *Quoad Beneficia Simplicia frequentior est provisio in forma* gratiosa.

I. REscripta, sive provisiones Apostolicæ aliquando expediuntur juxta hodiernum stylum Curiæ Romanæ in forma *gratiosa*; aliquando autem & quidem frequentiùs, saltem quoad provisiones de Beneficiis Curatis, in forma *dignum.*

Vocatur autem provisio hæc in forma *dignum* à primis verbis Bullæ, *quia* DIGNUM *arbitramur.*

II. Verùm, uti rectè notant Canonistæ, quando provisio expeditur in forma *dignum*, tunc propriè de Beneficio non providet Papa; sed potiùs ipsi Ordinario, vel executori provideri

ri mandat; quare non immeritò hujusmodi provisio dici posset mandatum *de providendo*.

In hac enim provisione remittit supplicantem ad Ordinarium, ut supplicanti de Beneficio provideat, si modò *prævio* examine eum idoneum repererit, sub hac clausula: »Mandamus quatenùs, si post diligentem examinationem dictum N. ad obtinendum Beneficium N. idoneum esse repereris, super quo conscientiam tuam oneramus, eidem N. dictum Beneficium actoritate Apostolicâ conferas.«

III. Evidens hinc est, provisionem, seu collationem Beneficii non haberi immediatè à Pontifice, sed eam obtineri debere ab Ordinario: ipsumque supplicantem ante obtentam ab Ordinario collationem, nullum adhuc titulum Beneficii habere.

IV. Unde si Resignatarius obtinuerit provisionem in forma *dignum*, non poterit ante obtentam collationem ab Ordinario, suum Beneficium alicui resignare, uti post Flaminium Parisium de Resignat. Beneficiorum, *lib. 3. q. 1. num.* 149. monet Carolus Fevretius tract. *de Abusu*, *lib. 3. cap. 4. num. 12.*

V. Refert quoque ibidem Fevretius, jam pridem Regiis Edictis cautum esse, quòd non possit capi possessio Beneficii vigore provisionis in forma *dignum* ante obtentas litteras Ordinarii, quas vulgò *Visa* appellant, quæ ipsam collationem continent.

VI. Si Ordinarius simpliciter recuset litteras provisionis, sive *Visa*, jam pridem dubitatum fuit, ad quem haberi deberet recursus. Et quandoquidem Ordinarius hîc videatur procedere auctoritate *Apostolicâ*, visum fuit nonnullis, ad Sedem Apostolicam pro novo Executore recurrendum esse. Verùm cum hîc de functione Hierarchica, nimirùm examine super capacitate ad Beneficium agatur, aliis visum fuit, rationi & conservationi Hierarchicæ subordinationis congruentius esse, ut gradatim ad immediatos Superiores appellari deberet; & ita in Gallia obtinere, & variis Regiis Edictis cautum esse testatur post alios Fevretius loco citato; & latiùs videri potest in actis Cleri Gallicani: quod tamen in Patria juris *scripti*, sive *obedientiæ*, aliter observari notat Perardus Castellus in Praxi Curiæ Roman. *pag.* 252. asseritque ibidem semper recurri ad Episcopum vicinorem, uti ex stylo Curiæ Rom. præscribitur in forma *dignum novissima*.

* Cùm Provisiones in forma *dignum* spectent potissimum Beneficio, quibus animarum cura annexa est, nihil mirum, quòd supplicans sui Beneficii possessionem capere non possit, quin antea ejus capacitas à Beneficii Episcopo, seu Ordinario probata fuerit; agitur enim de cura animarum committenda, quæ propriè ipsum Ordinarium spectat; quare non sine fundamento monet Melchior Pastor in suo tractatu *de Benefic. lib. 2. tit. 13. num. 3.* »cognitionem hanc esse jurisdictionis *ordinariæ*, & per mandata hujusmodi non tribui novam jurisdictionem, sed jurisdictionem ordinariam excitari.

»Hinc etiam sequitur Vicarios Generales Ordinariorum, »aut Capituli Sede vacante idem munus posse exequi, tametsi de illis in Mandato nulla mentio facta fuerit.«

Ex his ulteriùs infert citatus Auctor eodem *lib. tit. 15. num. 3.* quòd »si Ordinarius expressâ causâ renuat provisum admittere; & si provisus causam esse insufficientem & injustam »credat, debeat appellare ad Metropolitanum: nam Ordinarius »(ait) in istis casibus procedit ut Ordinarius, non ut *Delegatus*.

Quandoquidem Melchior Pastor supponat ex praxi Regni Galliæ, sive patriæ consuetudinariæ, quòd Episcopus in executione provisionis Apostolicæ in forma *dignum* sibi directæ, procedat ut Ordinarius, rectè concludit, auctoritatem exequendi hujusmodi Provisionem Episcopo commissam transire in *Vicarium Capituli* Sede vacante, eò quòd in Capitulum, ejusque Vicarium, transeant omnia, quæ sunt jurisdictionis *ordinariæ*, sive quæ Episcopus exequitur, ut Ordinarius.

Insuper bene concludit, supposità hac opinione & praxi, appellandum esse ad Metropolitanum.

Interim certum est, praxim hanc, & opinionem Regni Galliæ esse contrariam stylo, & opinioni Curiæ Romanæ, cùm iudubitatum sit, Curiam Romanam sustinere, Episcopum in executione similis Provisionis non procedere ut *Ordinarium*, sed ut *Delegatum* Sedis Apostolicæ, & in vim solius hujus delegationis.

Hinc ex stylo, & opinione Curiæ Rom. in pluribus partibus, saltem extra Regnum Galliæ invaluit, & etiam hodie receptum est, executionem similis provisionis commissæ Episcopo, non posse fieri per Vicarium Capituli Sede vacante: imo nec solet ex stylo Rom. Curiæ similis provisio, Sede Episcopali vacante, dirigi ad Vicarium, aut Officialem Capituli; sed ad Episcopum viciniorem, ejusve Vicarium, uti in notis ad citatum textum Pastoris observat quoque Joannes Solier *littera B.* qui & ibidem monet, quòd in Senatu Tolosano inconcussè judicetur commissa Episcopo, vel ejus Vicario, nulliter, & abussivè per Vicarium Capituli, Sede Episcopali vacante, expediri.

Quod quidem contrarium videtur opinioni, & praxi, quam in regno Galliæ receptam asserit Melchior Pastor; sed observandum quòd Senatus Tholosanus procedat juxta praxim partiæ *obedientiæ*, quæ magis quàm cæteræ Provinciæ Regni Galliæ, quæ *consuetudinariæ* dicuntur, stylum Curiæ Rom. amplectitur, & sequitur.

Quantumvis praxis, & opinio in Regno Galliæ, seu patria consuetudinaria recepta, & quam sequitur Melchior Pastor, sit sat conformis avitæ Patrum disciplinæ, nihilominus, quia in pluribus Provinciis non sat scitur hæc praxis, & opinio stabilita; convenientius apparet, ut in executione similium commissionum procedatur juxta praxim in Provinciis receptam, & usitatam, ne aliàs in notabiles difficultates incidatur, notanter in executione dispensationum matrimonialium.

VII. Forma, quæ hactenùs provisiones in forma *dignum* repræsentavit, hodie ex stylo Curiæ Romanæ vocari solet *Forma dignum antiqua*, ad distinctionem alterius formæ recenter introductæ, quæ vocatur *Forma dignum* NOVISSIMA, qua expediuntur provisiones de Beneficiis *reservatis* Sedi Apostolicæ; præstituuntur Executori 30. dies, intra quos provisionem facere tenetur; aliàs ad *viciniorem* Suffraganeum recurrendi facultas conceditur.

VIII. Observat quoque ibidem Castellus, nullam esse differentiam apud Gallos, inter provisionem in forma *dignum* ANTIQUA, & formam *dignum* NOVISSIMA; quàmvis juxta stylum Curiæ Romanæ non una inter utramque formulam differentia intercedat, quam paucis hîc exhibet Castellus, & latiùs formulis formæ *dignum novissima* prolatis, & constit. 32. *Cogit nos*, Pii V. Flaminius Parisius *de Resignat. benef. lib. 8. quæst. 7. num.* 197. Quamvis omnis provisio Beneficiorum reservatorum, item quæ fit vigore resignationis in Curia Rom. soleat expediri in forma *dignum novissima*, nihilominùs in patria *consuetudinaria* semper proceditur, ac si expedita esset in *forma dignum* ANTIQUA, & in terris juris scripti seu *obedientiæ*, ac si esset expedita in forma *dignum novissima*; etiamsi esset revera in forma *dignum antiqua*.

IX. Formulam litterarum provisionis, seu *Visa* expeditam per Episcopum vigore Signaturæ in forma *dignum* sibi oblatæ, exhibet Claudius Horry in novo tractatu *de Materiis Ecclesiasticis*, *pag.* 437. edit. 1695. & alteram expeditam per Vicarium Episcopi *pag.* 459.

X. Postquam enim, examine facto, Ordinarius Supplicantem reperit idoneum, tunc quasi conditione impleta ad provisionem auctoritate Apostolica procedit, ipsumque Beneficium ei confert hac formulâ: *Auctoritate Apostolicâ conferimus, & de illo etiam providemus*.

XI. Ordinarius hîc reputandus est Episcopus, ejusve Vicarius generalis loci, in quo Beneficium situm est, tametsi etiam ipsum Beneficium esset unitum Monasterio, aut Capitulo exempto; quemadmodum post Rebuffum & Philippum Probum notat Fevretius *de Abusu*, *lib. 3. cap. 4. num.* 14. Quia maximè interest Ordinariis, seu Episcopi, ut ad Beneficia, præsertim Curata, in sua Diœcesi nemo admittatur, nisi quem ipse *prævio* examine idoneum judicaverit.

XII. Imò si provisio in forma *dignum* alteri, quàm Ordinario committeretur, tanquam abusiva rejiceretur, ait Fevretius *ibid. num.* 15. nisi tamen Ordinarius esset suspectus, aliave justa causa subesset, cur Ordinario committenda non videretur: quo casu posset, Ordinario neglecto, ejus Metropolitano committi; uti eodem loco monet Fevretius, & in contradictorio judicio decissum fuisse refert.

XIII. Quamvis ipsa provisio ab Ordinario, ejusve Vicario generali, juxta tenorem litterarum Apostolicarum expedienda sit, examen tamen alteri committi posse communis est opinio, quæ & hodie invaluit, juxta *Clementinam unicam*, *de Offic. Judic. Deleg.* ubi dicitur, examen testium per Judicem Delegatum alteri posse committi: quamvis fatendum sit, quòd verba provisionis Apostolicæ: *Si post examinationem idoneum reperis*, *super quo conscientiam tuam oneramus*, meritò dubium ingerant, an intentio Pontificis sit, ut *alteri* examen committatur: quia tamen praxis eam interpretationem admisit, ea servari potest: modò tamen talibus examen committat Ordinarius, ut eorum judicio de idoneitate Supplicantis acquiescere possit; atque meritò confidat, quod ad ipsorum relationem moralem de idoneitate certitudinem habeat. Pontifex enim supponit, quòd ad provisionem non procedet, nisi post examinationem eum *idoneum repererit*, ejus *conscienciam super hoc onerando*.

XIV. Optandum sanè esset, ne leviùs nonnunquam quibusvis Examinatoribus crederent, majoremque hujus examinis, præsertim ubi de Curatis Beneficiis agitur, curam haberent, ac frequentiùs ipsi per se assisterent.

XV. Forma *dignum* inducta fuit, ut inidoneis ad Beneficia aditus occluderetur: unde Papa nunquam dat provisionem Beneficii nisi sub conditione: *Si Orator idoneus repertus fuerit*; & ideò si ei ignotus fuerit, committit examen, & provisionem Ordinario loci, ubi Beneficium est situm, quæ provisio hac formâ expeditâ ab illa commissione, etiam solet vocari in forma *commissoria*.

XVI. Si verò ipse Papa prævìè per testimonium Ordinarii sit

sit sat instructus de capacitate Oratoris, tunc litteræ solent expediri in forma *gratiosa*, id est, sine ulla commissione super examine per Ordinarium faciendo, priusquam provisio obtineatur; sed absolutè per Papam fit provisio, & vigore hujus provisionis potest Orator capere possessionem Beneficii sine examine prævio, vel litteris provisionis, sine *visa* ab Ordinario obtentis.

XVII. Quare provisio in hac forma *gratiosa* expedita, est vera, & propriè dicta provisio Apostolica; ubi è contra provisio in forma *dignum* potiùs est mandatum *de providendo* directum ad ipsum Ordinarium, sive ejus Vicarium generalem; uti suprà notavimus.

XVIII. Forma hæc in Signatura Papæ ita solet concipi: *Cum expressione, quòd dictus Orator testimonio Ordinarii sui de vita, moribus, & idoneitate commendetur.* Quâ expressione significat Papa, litteras esse expediendas in forma *gratiosa*; nec consequenter dirigendas, aut inscribendas Ordinario, aut ejus Vicario.

XIX. Litteræ autem provisionis in forma *gratiosa* diriguntur ad ipsum Supplicantem, cui semper hujusmodi litteræ inscribuntur; quin & titulus Beneficii ipsi tribuitur: utpotè qui jam per Apostolicam provisionem ipsum Beneficium habere supponitur. Quapropter si de Canonicatu agatur, scribitur N. *Canonico*, etiamsi ante Canonicus non esset.

XX. Juxta Signaturam Papæ Bulla extenditur hoc tenore: » Vitæ, & morum honestas, aliaque laudabilia probitatis, & » virtutum merita nos inducunt, ut specialibus favoribus prose- » quamur: cum itaque Beneficium, &c. « Si Orator si Doctor, aut Licentiatus in altiori scientia, tunc incipit: LITTERARUM SCIENTIA, *vitæ*, *& morum honestas*, &c. Si nobilis, *Nobilitas generis*: Si Regularis, RELIGIONIS ZELUS, *vitæ merita* &c.

XXI. Post hæc narratur qualitas Beneficii, modus vacationis, aliæque adduntur clausulæ; ac dein fit provisio hac formâ: *Apostolicâ tibi auctoritate conferimus, & providemus.*

XXII. Deinde juxta stylum Curiæ nominatur Executor, vel etiam plures, quatenùs ipse, vel duo, aut unus eorum per se, vel alium, vel alios, ipsum Oratorem per se, vel suum Procuratorem in corporalem possessionem auctoritate Apostolicâ inducant, & defendant inductum.

Hi Executores hodie de stylo Curiæ debent esse in Dignitate constituti, solentque esse Officiales Episcopi, modò sint principales, non *foranei*, eò quòd hi Dignitatem habere non censeantur; uti notavi *part.* 1. *tit.* 12. *cap.* 4.

XXIII. Verùm cùm nonnulli ad evitandum examen Ordinarii solicitarent provisionem in *forma gratiosa*; idque nonnunquam exhibitis falsis testimoniis, aut certè talibus, quæ intuitu aliorum Beneficiorum, vel tempore, quo ejusmodi testimonium Orator merebatur, data fuerant; aut etiam interdùm aliorum Ordinariorum, quàm locorum, in quibus Beneficia sita erant, utebantur; idcircò ad querelas Episcoporum cautum fuit in Gallia Edicto Regio ann. 1647. nullum vigore provisionis in forma *gratiosa* admitti posse ad possessionem Beneficii, cui *cura animarum* incumbit, nisi prævie examen Ordinarii subierit, sub pœna nullitatis.

Neque hîc in Belgio facilè quisquam ad possessionem beneficii Curati sine examine Ordinarii admitteretur vigore provisionis in forma *gratiosa* in Curia Romana obtentæ. Scitur enim, quam multis modis Pontifici, in remotis agenti, imponi possit; & unà scitur, quàm periculosum sit, ad curam animarum admittere, de quorum capacitate, & moribus certitudo non habetur; ut proindè jure omnibus modis soliciti sint Episcopi, ut se de qualitatibus eorum informare queat.

XXIV. At in cæteris Beneficiis, quæ nullam curam animarum annexam habent, non difficulter recipitur provisio in forma *gratiosa*; imò examen circa providendos de Beneficiis simplicibus penè exulavit, credunturque ad Simplicia Beneficia capaces, qui saltem Ordine Sacro sunt initiati.

CAPUT II.

FORMA *NOVÆ PROVISIONIS*: ITEM *PERINDE VALERE*; NECNON *PERINDE* ETIAM *VALERE*, *ET RATIONI CONGRUIT*.

1 *Ad quid inducta forma* Novæ Provisionis.
2 *Differentia inter* Novam Provisionem, *quando prior fuit à Papa, vel quando ab Ordinario.*
3 *Provisio hæc non retrotrahitur ad datam primæ provisionis; & quis hujus effectus.*
4 *Hæc provisio non præjudicat juri quæsito per primam provisionem.*
5 *Huic provisioni simile est Rescriptum* Perinde valere.
6 *Quomodo hoc Rescriptum detur.*
7 *Per hoc Rescriptum non intendit Papa derogare juri tertii.*
8 *In Supplica pro hoc Rescripto exprimendi nominatim omnes defectus primæ provisionis.*
* *Plures sunt defectus, qui per Rescriptum* Perindè valere *non tolluntur.*
9 *Quid Rescriptum* Perindè ETIAM valere.
10 *Hujus Rescripti nullus hodie est usus in Gallia.*
11 *Rescriptum* Rationi congruit *cur ita dicatur.*
12 *Regula Cancellariæ de hoc Rescripto.*
13 *Finis hujus Rescripti.*
14 *Per hoc Rescriptum gratiæ antè concessæ nihil ad validitatem accedit.*
15 *Hujus Rescripti rarior usus in Gallia; & quare.*

I. SPecialis quoque forma provisionis est, quæ vocatur forma *novæ provisionis*; & integra refertur à Rebuffo in Praxi *parte* 1. qui & clausulas in ea contentas explicat.

Hæc forma inducta est, ut suppleantur defectus, qui anteriori provisione forsan intervenerunt; utque priorem provisionem confirmet, & in quantum opus, denuò revalidet, & reformet.

II. Hîc notandum, quòd si petatur *nova provisio* ad confirmandam provisionem ab ipsomet Papa signatam, tunc *nominatim* exprimendos esse defectus, ob quos *nova* provisio petitur; alias non conceditur: quia nisi *nominatim* exprimatur, supponitur provisio Papæ esse valida.

Si autem prior provisio fuerit per Ordinarium facta, tunc sufficit, ut in supplica ponatur generalis hæc & vulgariis clausula: *Cùm ex certis causis de primæ provissionis viribus hæsitetur, &c.* Papa enim tanquam Ordinariorum Sperior defectus ipsorum supplere potest, nihilque nocere credit, si saltem ad cautelam provisiones Ordinariorum confirmet, & si opus est, etiam validet.

III. Hæc provisio non retrotrahitur ad datam primæ provisionis; sed tantùm operatur à die ipsius expeditionis: ideoque si alicui tertio jus qæsitum sit inter utramque datam, inutilis erit hæc *nova* provisio. Habet enim Papæ provisio semper hanc implicitam clausulam, quæ in Bulla exprimitur: *Dummodò tempore datæ præsentium non sit in eo (Beneficio) alicui specialiter jus quæsitum.*

IV. Per hanc Provisionem juri vigore primæ provisionis quæsito nullatenus præjudicatur; sed jus juri accumulatur, uti ex verbis supplicæ innotescit: *Eidem Oratori sine præjudicio vel ad illud jam aliunde, ut præfertur, quæsiti, sed jus juri addendo, & antiquum conservando, & de illo etiam providere dignemini*, &c.

V. Huic formæ provisionis admodum simile est Rescriptum, quod vulgò dicitur *Perinde valere*, suppletque locum *novæ* provisionis in Beneficiorum provisionibus expeditis per litteras, seu Pullas Apostolicas.

VI. Rescriptum itaque datur *Perinde valere*, quando Papa gratiam suam ex parte invalidam confirmat: *nova* verò provisio datur, quando collatio facta fuit ab alio, quàm à Papa; ita Rebuffus *in Praxi*, *part.* 2. *tit. de Rescript.* Perinde valere, *num.* 1. & suprà notavimus, *novam* provisionem non dari, quando provisio facta fuit à Papa.

Itaque petitur hoc Rescriptum, quando quis dubitat, primam Papæ provisionem ex aliqua causa impugnari posse, ut *perinde valeat*, ac si valida fuisset tempore impetrationis.

VII. Plura de hoc Rescripto tradit Rebuffus loco citato, enumerans defectus, quibus per hoc Rescriptum mederi potest, notatque *num.* 27. quòd sicuti per *novam* provisionem, ita per hoc Rescriptum non intendat Papa derogare *juri tertii*: atque eatenùs effectus hujus Rescripti non retrotrahitur ad datam primæ provisionis.

VIII. Deindè *num.* 37. monet, quòd supplica oporteat exprimere omnes defectus; nec expressio unius suppleat non expressionem alterius. Unde habetur (ait) in Practica Romana, quòd in gratia *perinde valere*, non debet suppleri præter illud, quod est in supplica.

* Notat post Rebuffum Melchior Pastor de Beneficis *lib.* 2. *tit.* 12. *num.* 4. » quòd ea impedimenta hoc Rescripto *perinde* » *valere* (de quo in textu) tollantur, quæ pendent ex *nutu Pa-* » *pæ*, aut *Legati*: nam (ait) si collatio sit nulla, defectu man- » dati ad resignandum, novo mandato opus est: si collatio sit » contra bonos mores, publicam disciplinam, Concordata, cons- » titutiones regias, statuta, consuetudines Ecclesiarum solem- » niter approbatas, Senatus consultis firmatas, litteræ *perinde* » *valere* non admittuntur. «

Neque in Belgio per simile Rescriptum, Provisiones Apostolicæ hujusmodi defectibus laborantes revalidarentur: eò quòd non magis in Belgio, quàm in Regno Galliæ, ejusmodi consuetudines, & statuta infringi citra Reipubl. seu Politicæ, seu Ecclesiasticæ inversionem queant: ipsaque publica Ecclesiæ, & Reipublicæ tranquilitas requirat, similia statuta Ecclesiarum, & consuetudines integras servari: ut proinde crediderim, similia Rescripta haud facilè in Consiliis Regiis recipienda, aut placetanda.

IX. Est ex stylo Curiæ Romanæ rescriptum quoddam, quod dicitur *perinde etiam valere*: hoc impetratur, quando gratia à Papa primò facta, postea fuit revocata. Per hoc quip-

pè

pè rescriptum gratia revocata ad pristinum vigorem revocatur, & reducitur.

X. Hujus Rescripti nullus hodie usus est in Gallia : eò quòd ibi pro regula receptum sit, Papam non posse gratiam semel à se concessam revocare. Vide Castellum *pag.* 314.

XI. Datur quoque subindè Rescriptum quod vocatur *Rationi congruit* : quia in procemio Papa ponit hæc verba : *Rationi congruit, & honestati* &c.

XII. Hujus Rescripti mentio fit in hodierna Regula 11. Cancellariæ, quæ ita sonat : » Item voluit D. N. Papa, quòd » concessa per felicis recordationis Alexandrum VIII. Prædecessorem suum, & de ejus mandato, expediantur in forma » *Rationi congruit*, *&c.* sub die coronationis suæ, ut moris » est, & idem quoad concessa per piæ memor. Innocentium XI. etiam Prædecessorem suum ad sex menses duntaxat, » ab ipso die coronationis incipiendos observari voluit. «

XIII. Ex his intelligitur finis hujus Rescripti : nimirùm, ut litteræ provisionis expediantur super gratiis à prædecessore non tantùm immediato (uti erat in antiquis Regulis) sed etiam mediato factis, super quibus litteræ expediri non potuerunt, quia Papa, qui concesserat, morte præventus fuit.

Hunc quoque scopum Rescripti in suo procemio significat Pontifex dicens : » Rationi congruit, & honestati, ut ea, quæ » de Romani Pontificis gratia, seu benignitate in prosequendo » justa desideria petentium processerunt, licet ejus *superve-* » *niente obitu*, *Apostolicæ* super illis *litteræ non fuerint confectæ*, » suum plenum consequantur effectum. «

XIV. Notandum autem, per has litteras non revalidari, aut confirmari priorem gratiam, vel aliquem ejus defectum suppleri ; sed tantùm valent ad hoc, ut gratia à Prædecessore facta, & quæ defectu litterarum probari non potest, per has litteras probari, & plenum effectum sortiri possit, eodem modo ac si per Prædecessorem litteræ expeditæ essent.

Id non obscurè significant verba Rescripto inseri consueta: » Ne autem pro eo quod super collatione, & provisione Be- » neficii superveniente obitu, Apostolicæ litteræ confectæ non » fuerint, collationis, & provisionis hujusmodi *frustreris ef-* » *fectu*, volumus, & auctoritate Apostolicâ decernimus, quòd » collatio, & provisio prædictæ perinde à dicta die valeant, &c. «

XV. Plura de hoc Rescripto videri possunt apud Rebuffum in Praxi, *part.* 2. *tit. de Gratia* RATIONI CONGRUIT : Hujus tamen usus in Gallia rarior est, eò quòd Beneficiorum saltem minorum possessio accipi soleat vigore solius Signaturæ sine litteris, sive Bullis in forma expeditis, uti capite sequenti latiùs dicetur.

CAPUT III.

Provisio Apostolica expedita ad *petitionem Partis* et de *Signatura*, et ejus Effectu.

1 *Provisiones Ordinariorum solent expediri in formula* motus proprii, *secus Apostolicæ.*
2 *Pontifex nunquam censetur providere* motu proprio, *nisi expressè declaret.*
3 *Provisio Apostolica* motu proprio *non admittitur in Gallia.*
4 *Provisio facta ad petitionem Oratoris est relativa ad supplicam.*
5 *Pontifex præsumitur permoveri ad concedendum per expressa in supplica.*
6 *Provisio sæpè invalida est ob non rectam supplicæ expressionem.*
7 *Ut de validitate & effectu provisionis Apostolicæ judicetur, notitia exprimendorum, & clausularum adjici solitarum necessaria est.*
8 *Prius de* Signatura *agendum ; & hujus definitio.*
9 *Partes Signaturæ describantur ; & unde dicta sit* Signatura.
10 *Signatura continet* summatim, *quæ in litteris, seu Bullis provisionum latiùs extenduntur.*
11 *Absoluta Signaturâ censetur gratia perfecta.*
12 *Ad essentiam provisionis non exigitur Bulla ; sed requiritur ad ejus executionem.*
13 *Regula Cancellariæ requirens expeditionem Bullæ ante executionem.*
14 *Regula â posterioribus Pontificibus in nonnullis aucta ; & quare.*
15 *Hodie ex stylo Curiæ Romanæ necessaria est expeditio Bullarum, ut habeatur effectus provisionis, qui stylus in Signaturis supponitur.*
16 *Signaturæ creditur, etiamsi à Bulla discrepet ; item quoad certas circumstantias.*
17 *Aliquando Signatura sine Bulla* plenam *fidem facit.*
18 *Quid agendum cùm expeditio Bullæ haberi nequit.*
19 *In Gallia sola Signatura sine Bullis in plerisque Beneficiis sufficit.*
20 *Signatura hodie in Gallia verificari debet à duobus Bancquariis.*
21 *Formula verificationis Signaturæ.*
22 *In Belgio possessio Beneficii non accipitur sine litteris.*
23 *Signatura in effectu easdem clausulas continet, quæ in Bullis occurrunt.*

I. PRovisiones, sive collationes Ordinariorum eo tempore expediri solere, tanquam *motu proprio* factæ essent, nullâ alicujus supplicationis, aut petitionis pro obtinendo Beneficio factâ mentione, notavimus suprà *tit.* 21. *cap.* 2. *num.* 10. secùs quoad provisiones Apostolicas stylus hodiernus habet. Hæc enim plerumque expediuntur ad supplicationem partis ; ita ut in ipsis litteris nominatim exprimatur, provisum pro tali Beneficio *supplicâsse*, ipsumque Pontificem ad ejus supplicationem, seu petitionem gratiam fecisse.

II. De hac provisione loquitur Bonifacius VIII. *in cap.* 23. *de Præbend. in* VI. ubi unà declarat, omnem *gratiam*, sive provisionem censeri datam ad *petitionem* partis, nisi *expressè* secùs cautum sit. » *Motu* quoque *proprio* (ait) tunc solùm gra- » tia fieri censeatur, cùm hoc *expressè* cautum fuerit in eadem. «

III. Et sanè hodie in his, vicinisque Provinciis rarissimus est usus provisionum *motu proprio* ; imò si Claudio Fleury *in Instit. Juris Canon. lib.* 2. *cap.* 21. credimus ; provisiones *motu proprio* expeditæ in Gallia non ampliùs admittuntur, postquam compertum fuit, clausulam *mutu proprio* ese formulam styli.

IV. Provisio autem, quæ datur ad supplicationem, seu petitionem alicujus, censetur semper esse relativa ad supplicam, sive ad illa, quæ ipsi Pontifici exposita sunt. Nec enim præsumitur Pontifex aliud velle dare, quàm petitur ; quòd & satis innuit signando ad calcem supplicæ : *Fiat ut petitur.*

V. Ulteriùs, quia gratia, sive provisio respondet supplicæ, creditur ipse Pontifex permotus ad gratiam hanc annuendam per ea, quæ in supplica sunt expressa ; unà supponens, nihil falsi in supplica esse expressum, aut veri, quod exprimi oportuisset, omissum.

VI. Unde si quid falsi sit expressum, aut veri omissum, ratione cujus ipse Pontifex per *errorem* concessit, alias non concessurus, ipsa provisio tanquam *sub-&-obreptitia* erit invalida; eò quòd data censeatur provisio sub hac tacita conditione : modò omnia *sincerè* ac *verè*, prout oportet, in supplica sint expressa : idque ea expressione seu forma, quæ juxta stylum in Curia Romana requiritur.

VII. Ut ergo de validitate, aut invaliditate provisionis Pontificiæ judicari queat, conveniens, imò necessarium est, ut intelligatur, quæ, & qualiter in supplica sint exponenda juxta receptum stylum Curiæ Romanæ.

Insuper ex stylo Curiæ Romanæ adjici solent in ipsis litteris provisionis variæ clausulæ, tum ad ipsam gratiam, tum ad ejus effectum, & executionem pertinentes, à quibus ipsa gratia, ejus effectus, & executio sæpè dependerit : quarum proindè notitia, tum pro intellectu litterarum provisionis, tum recto earum usu, & executione non conveniens modò, sed penè necessaria est.

VIII. Priusquam tamen de exprimendis in ipsa supplica, & clausulis, quæ litteris provisionis inseri solent, agatur, prænotandum, ante confectionem litterarum seu Bullarum, priùs confici quandam minutam, seu protocolum ipsarum litterarum, quæ ex stylo Curiæ vocatur *Signatura.*

Definitur autem à Rebuffo in Praxi, *part.* 1. *tit. de Signatura gratiæ* : » Scriptura in papyro conscripta, à Papa vel ejus » Delegato, absque sigillo, in medio scripta, partis supplica- » tionem, Papæque concessionem breviter continens. «

IX. Itaque Scriptura hæc continet primò ipsam partis supplicationem, qua Pontifici exponit, tale Beneficium vacare, illudque sibi à Sede Apostolica conferri petit.

Deindè post supplicationem sequitur consensus ipsius Papæ, qui exprimitur, vel per ipsum Papam, signando *Fiat ut petitur* ; vel per ejus Delegatum signando : *Concessum ut petitur in præsentia D. N. Papæ* : atque ab hac signatione hæc scriptura vocatur *Signatura*, quasi scriptura *signata*, id est, subscripta.

Post hæc ponitur concessionis Papæ declaratio, quæ incipit ab his verbis Signaturæ : *Et cum absolutione à censuris* &c. Nam quod Papa simpliciter concedit, dicendo : » *Fiat ut pe-* » *titur*, vel : *Concessum ut petitur*, posteà exprimit, quæ con- » cedere velit : & hanc partem vocant Pragmatici *dispositionem*, » seu *clausulam*, ubi Papa conscribit illas clausulas, quas con- » cedere cupit. " Ita Rebuffus ibidem *num.* 23.

X. Ex his patet, ipsam Signaturam omnia in effectu, & compendiosè continere, quæ in ipsis litteris, seu Bullis postmodum latiùs extendenda, & exprimenda sunt ; ut propterea dici queat *minuta* ipsarum litterarum, sive Bullarum : nam, ut dicit Rebuffus *num.* 15. solent describi *summatim* omnes clausulæ in Bulla ponendæ.

Quomodo, & per quos Signatura expediatur juxta stylum Curiæ, diximus suprà *Tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 23. *cap.* 2.

XI. Cùm ipsa Signatura contineat summatim non tantùm ipsam

sam supplicam, sed & ipsum consensum Papæ cum omnibus clausulis, indubitatum est, ipsam *gratiam*, sive *provisionem* per ipsam Signaturam accepisse suam perfectionem; neque ulteriores litteras, sive Bullas ad *essentiam* gratiæ perficiendam requiri. Sicuti contractus censetur perfectus, quando contrahentes hinc inde coram Notario Protocollum signârunt, & minuta, seu Protocollum per Notarium est absolutum,

XII. Hinc notat Chokier ad Regulam Cancellariæ *De judicando juxta formam supplicationis*, *num.* 24. quòd » quoad es- » sentiam, & effectum gratiæ non requiratur Bullarum expedi- » tio; verumtamen de stylo Curiæ, & quoad exercitium gra- » tiæ, sive illius probationem, & canonizationem, aliud di- » cendum est: quia executor non aliter gratiam exequitur, ni- » si Bullis expeditis: cùm demum ab illis potestas ipsorum, & » *probatio* gratiæ pendeat.

XIII. Hic stylus Curiæ, qui effectum, & exercitium gratiæ, seu provisionis suspendit à litteris, seu Bullis expeditis, expressus est in citata Regula Cancellariæ, quæ tempore Innocentii VIII. erat 25. hodie autem est 27. soletque his verbis proponi: » Item cùm ante confectionem litterarum gratia Apos- » tolica sit informis, voluit, statuit, & ordinavit idem Do- » minus Noster, quòd Judices in Romana Curia, & extra eam » pro tempore existentes, etiam si sint S. R. E. Cardinales, » causarum Palatii Apostolici Auditores, vel quicunque alii, » non juxta supplicationum signaturam super quibusvis interpre- » tationibus (nisi in dicta Curia duntaxat sint commissiones jus- » titiam concernentes per placet S. R. E. Vice-Cancellarium » juxta facultatem super hoc sibi concessam signatæ) sed juxta » litterarum super eisdem impetrationibus, & concessionibus » confectarum tenores, & formas judicare debeant. Decernens » irritum &c. «

XIV. Regula hæc per posteriores Pontifices nonnihil extensa, & ampliata fuit; ac signanter Adrianus VI. addidit initialia hæc verba: *Cùm ante confectionem litterarum gratia Apostolica esset informis*: per quæ noluit significare, gratiam esse *informem* quoad essentiam, sed duntaxat quoad probationem, & quia executor, nisi Bullis expeditis, gratiam exequi vetatur.

Juxta antiquam expressionem Regulæ dubitatur, num Regula tantùm loqueretur de Judicibus in Curia existentibus; cujus dubii tollendi causa Julius III. addit hæc verba: *Et extra Curiam*, quæ omne dubium tollunt.

* Ex additione per Julium III. facta per verba, *etiam extra Curiam*, manifestum est mentem Pontificum, & Curiæ Romanæ fuisse, ut nullæ provisiones Beneficiorum, quâcunque formâ in Curia Romana effectum suum habere queant, nisi postquam litteræ per Papam fuerint signatæ, & insuper expedita fuerit Bulla in Cancellaria, vel Dataria, quæ relaxari non soleat, nisi taxis Cancellariæ, aut Datariæ solutis.

XV. Inspectis quoque verbis Regulæ prout hodiè est concepta, necessariò requiruntur litteræ, seu Bullæ in forma expeditæ, priusquam gratiæ seu provisionis plenus effectus vel executio haberi queat. Unde hodiernæ omnes Signaturæ supponunt conficiendas, & expediendas Bullas conformiter ad Signaturam; ipsæque Signaturæ semper ita formantur, ac si litteræ necessariò expediri deberent. Exempli gratiâ, dum in Signatura omissum est nomen, per cujus obitum Beneficium vacat, ponitur in Signatura: *Cujus nomen proprium, si videbitur, in* LITTERIS *exprimitur*. Dein in tertia parte Signaturæ: *Ac* LITTERÆ *in forma suplicis provisionis*; aliæque plures similes clausulæ mentionem *litterarum* facientes probant, quòd Signatura supponat expeditionem *litterarum*; uti & omnes illæ abbreviationes in Signatura positæ, quæ nisi in litteris extenderentur, intelligi non possent.

XVI. Porrò, quia ipsa Signatura est *minuta* ipsarum litterarum, si hæ à Signatura tanquam à sua *minuta* discrepent, credit Chokier ad hanc Regulam *num.* 33. quòd crederetur Signaturæ. Et ita à Senatu Parisiensi judicatum refert Rebuffus *in Praxi*, *part.* 1. *tit. Tertia pars Signaturæ*, verbo, *Datum*, *num.* 10. Addit insuper, quòd credetur Signaturæ quoad circumstantias gratiæ, puta, temporis, vel qualitatis.

XVII. Vult quoque Rebuffus in *Praxi*, *part.* 1. *tit. Tertia pars Signaturæ*, verbo *Datum*, *num.* 5. quòd » fallat hæc » Regula, quando approbata (Signatura) per librum registri » Signaturarum fuerit; quia tunc facit plenam fidem, sicut pro- » tocollum Notarii: & eo casu habebo sumptum, & valebit » quoad probationem; nam ex stylo Curiæ Romanæ *gratiæ* Pa- » pæ possunt ex registro sumi, & aliter probari, quam per lit- » teras Bullatas." Hæc Rebuffus.

Prosequitur dein *num.* 7. » Secundò restringe (hanc regu- » lam) quando alio modo fuerint (Signatura) approbata, & aliis » adminiculis fulcita, utpote per mensularios expertos, qui de- » posuerunt eam bonam, & secundum stylum Curiæ Romanæ » conceptam."

XVIII. Hinc infert *num.* 8. » Practica ergo est in Francia, » ut si non possim obtinere Bullam obstante legitimo belli, vel » alio impedimento, ut impetrent litteras Regias, per has impe- » dimentum narrem, & petam mihi concedi, ut liceat appro- » bare per experientes dictam Signaturam & verificari; & con- » cedi solet, obstante & constante impedimento, & hoc vidi sæ- » pius fieri, & hoc quandoque etiam sine litteris per supplicatio- » nem, quando est notorium impedimentum; sed alias concedi » non debet."

XIX. Quin, teste Claudio Fleury, citato *cap.* 21. » Post- » quam provisiones Pontificiæ factæ sunt frequentiores ob resig- » nationes in *favorem*, pensiones, nec non præventiones in om- » ni genere vacationis, visæ sunt Bullæ expeditæ in pergameno, » & plumbo sigillatæ, nimis dispendiosè respectu minorum Be- » neficiorum, ideoque inducta est praxis accipiendi possessionem » vigore simplicium Signaturarum, quæ sunt ipsarum Bullarum » minutæ. Necessitas autem Bullarum remansit in provisione » Episcopatuum, Abbatiarum, & aliorum Beneficiorum, quæ » provisum constituunt Caput alicujus Corporis Ecclesiastici."

De eodem usu Regni Galliæ testatur Perardus Castelius in sæpiùs citata Praxi Curiæ Romanæ, *pag.* 162. dicitque hoc privilegium, uti & plura alia, solis Gallis esse concessum.

XX. Ad evitandas autem fraudes, novissime cautum est Edicto Regio anno 1667. quòd nulla fides habebitur *Signaturis*, Bullis, aliisque Curiæ Romanæ expeditionibus, nisi duorum Expeditionariorum seu Bancquariorum certificatione ad calcem originalis adscriptâ minutæ fuerint: quod rursus renovatum fuit altero Edicto Regio 7. Septembris anno 1691. in quo præterea plura de Bancquariorum officio, & numero, ac juribus constituuntur: extatque integrum apud Claudium Horry in suo *Tractatu novo de Materiis Ecclesiasticis*, *pag.* 52. edit. 1695.

XXI. Exhibet ibidem *pag.* 530. integram Signaturam *per obitum* signatam à duobus Bancquariis hac formula gallicè expressâ: » Nos infrascripti Consiliarii Regis, Bancquarii expedi- » tionarii Curiæ Romanæ, commorantes in hac civitate Parisien- » si, notum facimus omnibus, quorum interest, hanc præsen- » tem *Signaturam* esse legitimam, veram, & originalem, & *Da- » tam* illius esse die 7. Novembris ultimi; in quorum fidem has » signavimus Parisiis hâc 28. Januarii 1688." Et erat signatum *Baudet De Beaumon*, *& Le Maire*.

XXII. In Belgicis Provinciis sequimur citatam Regulam Cancellariæ; neque sine litteris, seu Bullis in forma expeditis possessio Beneficii, vigore provisionis Romanæ accipitur.

XXIII. Verùm sive vi simplicis Signaturæ, sive litterarum provissio recipiatur, eædem tamen clausulæ verificari debent: quia, diximus, Signatura omnia summatim continet, quæ in Bullis, ex Signatura tanquam minuta conficiendis, latiùs duntaxat extenduntur.

Rebuffus in *Praxi Beneficiorum* exponens Signaturam, ejusque clausulas, eam in tres partes dividit. Prima pars, quæ continet ipsam supplicam, dicitur *Corpus* Signaturæ. Secunda pars dicitur, in qua Papa, vel ab eo commissus subscribit Oratoris supplicationi. Tertia autem Pars est dispositio, & Papæ concessio; & quod ipse simpliciter concessit, dicendo, *Fiat ut petitur*, hîc singillatim exprimitur.

Præcipuas clausulas in tribus hisce partibus Signaturæ summatim quidem, in Bullis verò extensè exprimi solitas breviter in sequentibus exponemus, ut & Signaturarum, & Bullarum aliqualis notitia haberi queat.

CAPUT IV.

De exprimendis in prima et secunda parte Signaturæ.

1 *Debet exprimi nomen Supplicantis, & cujus sit Diœcesis.*
2 *Papa non facilè providet exteris ob ignorantiam* idiomatis, *juxta Regulam Cancellariæ quæ refertur.*
3 *Aliqua ex hac regula sublata, & quare.*
4 *Aliqua addita, & ratio additionis.*
5 *An Regula de omnibus Beneficiis Curatis intelligatur.*
6 *Hæc Regula in jure Divino fundatur.*
7 *Non admittitur ejus derogatio in Gallia; nec in Belgio.*
8 *Exprimendum Beneficium vacans, ejusque qualitates.*
9 *Regula Cancellariæ de qualitatibus exprimendis.*
10 *Verus valor exprimendus juxta Regulam Cancellariæ, quæ exhibetur.*
11 *Olim non debebat valor exprimi.*
12 *Expressio valoris præcipuè fit ob taxationem* annatarum.
13 *Annata in plures species dividitur; & unde sic dicta?*
14 *Prima species annatæ; & pro quibus Beneficiis solvenda.*
15 *Secunda species; & quare dicta* commune servitium.
16 *Tertia species, quæ dicitur* minuta servitia.
17 *Quarta species dicta* quindennium; *quando solvatur.*
18 *Nonnulli credunt Joannem XXII.* annatarum *auctorem.*
19 *Alii Bonifacium IX.*
20 *Certum est hodiernam annatarum formam primùm à Bonifacio IX. inductam, & quæ hæc forma.*
21 *Annata hodie non comprehendit fructus* unius *anni,*
* *Annatarum solutio, aut promissio sub cautione, exigitur priusquam provisionis Beneficii litteræ relaxentur.*

* *In Concilio Constantiensi contra Annatas à Gallis graviter pugnatum est.*
* *Galli contenderunt nullo modo Annatarum jus probari posse.*
* *Sententia Gersonii exponitur & probatur.*
* *Annatas videtur habuisse ut simoniacas.*
* *Ea quoque creditur fuisse mens Universitatis Parisiensis.*
* *Rationes in gratiam Annatarum allatæ possunt insufficientes videri.*
22 *Ad annatam constituendam* verus *valor exprimendus.*
23 *Beneficia non consistorialia solent exprimi sub valore* 24. ducatorum *auri de camera.*
24 *Nunquam inquiritur verus valor horum Beneficiorum.*
25 *Ratio inductæ consuetudinis*
26 *Ubinam hæc consuetudo locum habeat.*
27 *Clausula expressionis veri valoris hodie in hujusmodi Beneficiis est meri styli.*
28 *Beneficia consistorialia non taxantur juxta verum valorem.*
29 *Exiguus est in Belgio usus Regulæ de* exprimendo vero *valore.*
30 *Exprimendum est Beneficium* ante *obtentum.*
31 *Ratio hujus expressionis.*
32 *De Papæ Signatura, ejusque diversa forma.*
33 *Effectus diversi singularum formarum, remissivè.*
* *Provisio Apostolica primitùs in communi & simplici forma expediebatur.*
* *Clausulæ provisionis insertæ, necnon novæ quædam formulæ in Decretalibus Gregorii IX. non leguntur.*

I. PRima pars Signaturæ, uti & litterarum sive Bullæ continet ipsam supplicam partis.

Hîc debet non tantùm nomen ipsius Supplicantis exprimi, sed etiam cujus sit Diœcesis: item Diœcesis, in qua situm est Beneficium, quod petitur; ratio est, quia Papa faciliùs providet indigenis, quàm exteris, ait Rebuffus in expositione *primæ partis Signaturæ.* (a)

II. Adhæc quia exteri frequenter non callent, saltem perfectè, idioma loci, etiam hac ratione non facilè Papa exteris providere intendit, saltem de Beneficiis Curatis; idque juxta Regulam 20. Cancellariæ *De Idiomate*, quæ hodie hoc tenore exprimitur: » Item voluit, quòd si contingat ipsum alicui perso» næ de Parochiali Ecclesia, vel quovis alio Beneficio exercitium » curæ animarum Parochianorum quomodolibet habente, pro» videre; nisi ipsa persona intelligat, & intelligibiliter loqui sciat » idioma loci, ubi Ecclesia, vel Beneficium hujusmodi consis» tit, provisio seu mandatum, & gratia desuper quoad Paro» chialem Ecclesiam, vel Beneficium hujusmodi nullius sint ro» boris vel momenti."

III. Hæc Regula nonnihil diversa est ab antiquis. Imprimis enim in antiquis habebantur hæc: *Vel mandare providere, vel gratiam expectativam concedere*: quæ è Regula sublata sunt indubiè ob Decretum Concilii Tridentini, quod mandata de providendo, & expectativas *ad vacatura* abolevit.

IV. Addita autem sunt à Gregorio XIII. & Successoribus: *Vel quovis alio Beneficio exercitium curæ animarum quomodolibet habente*; » ut nimirum includantur omnia Beneficia curam » animarum habentia, qualia sunt *succursus*; qui licet non sint » *curata Beneficia*, sed *simplicia*, sub dispositione tamen hu» jus additionis comprehendentur," ait Chokier ad hanc Regulam *num.* 7.

V. Interim quod hîc de Beneficiis curam animarum habentibus generaliter dicitur, indubiè intelligi oportet de cura respectu populi, qui patrio idiomate dirigendus est alioquin si cura duntaxat concernat Clerum, sub hac Regula hujusmodi Beneficium non comprehenderetur. Quia licèt Provisus non intelligat idioma loci in quo Beneficium est situm, novit tamen idioma, quo indigent, hi quorum cura sibi incumbit: atque ita cessat ratio ipsius Regulæ.

Ut quid enim Regula peritiam idiomatis loci, in quo Beneficium situm est, requirit, nisi quòd ignorans hoc idioma nesciat eos, quorum curam habet, instruere, ad bonum incitare, confessiones eorum audire, aliaque eis subsidia spiritualia subministrare, quæ cura animarum requirit?

VI. Unde quemadmodum jure Divino mandatum est omnibus, quibus cura animarum commissa est, oves suas verbi Divini prædicatione, & Sacramentorum administratione pascere, uti loquitur Synodus Trident. *Sess.* 23. *c.* 1. *de Reform*, similiter jure divino tenentur idioma populi, cujus curam habent, callere: quia sine hujus peritia ea præstare nequeunt (b).

VII. Quare notat Rebuffus in additione ad hanc regulam, in Francia non admitti dispensationem contra illam regulam, *quæ est* (ait) *juris Divini*. Neque in Belgio admitti posse similem dispensationem, sat insinuant Edicta Regia, quæ nullam de *non residendo* clausulam in provisione Beneficiorum Curatorum admitti volunt (c); non alium in finem, quàm ut similia Beneficia obtinentes *per se* curam animarum subire cogantur, quod sine notitia idiomatis fieri nequit: Quare in Edicto Caroli V. de 20. Octobr. 1541. expressè cautum est, non concedendas litteras *Placeti* super dispensatione *imperitiæ idiomatis*, quoad beneficia Curata. Habetur parte 1. Edictorum Flandriæ *lib.* 3. *Rubrica* 1.

VIII. In supplica non tantùm exprimendum Beneficium vacans; sed & Beneficii qualitates, quæ possent Pontificem forsan ad annuendum postulationi reddere difficiliorem; v. g. an Beneficium sit curatum, vel non; si Dignitas, si Personatus, item si Beneficium sit electivum.

IX. De hac qualitatum expressione est Regula Cancellariæ, quæ hoc tenore exprimitur: » Item voluit, quòd super » Beneficiis Ecclesiasticis, de qualitatibus illorum, videlicet: an » Dignitates, Personatus, vel Officia sint, eisque immineat cu» ra animarum, & ad illa consueverint qui per electionem assumi, » mentio fiat; aliàs gratiæ desuper factæ sint nullæ. Et si qua» litates hujusmodi affirmativè, vel conditionaliter non expri» mantur, negativa expressè desuper fiat in Beneficiis, quæ ta» les qualitates, vel ex eis aliquas consueverint habere."

De qualitatibus conformiter ad hanc regulam, & stylum Curiæ Romanæ exprimendis, videri possunt, Chokier in commentario ad eamdem regulam, & ab eo citati.

X. Insuper *verus* valor Beneficii de stylo Curiæ Romanæ exprimendus est juxta regulam Cancellariæ *De exprimendo valore Beneficiorum in impetrationibus*; quâ decernitur, » quòd » in gratiis, quas quibusvis personis de Beneficiis vacantibus, » seu certo modo vacaturis, fieri contigerit, illorum, & alio» rum quorumcunque Beneficiorum, quæ dictæ personæ tunc » obtinuerint, seu de quibus eis fuerit provisum, vel conces» sum, aut mandatum provideri, *verus annuus* valor per marchas » argenti, aut sterlingorum, vel libras Turonens. parvorum, seu » florenos auri, aut ducatos, vel uncias auri, seu aliam mone» tam secundum communem æstimationem exprimatur, nisi per» sonæ prædictæ Beneficia, quæ tunc obtinuerint, aut in qui» bus, vel ad quæ jus eis competit, juxta ipsarum oblationes, » aut aliàs dimittere teneantur. Alioquin gratiæ prædictæ sint » nullæ. Et idem servetur in gratiis, quas à Sanctitate sua mo» tu proprio emanare contigerit: quoad Beneficia tamen, de » quibus per Sanctitatem suam pro tempore providetur, seu » provideri mandatur, aut aliàs disponitur, ac litteris, per quas » pro tempore ad Ecclesiarum Patriarchalium, & Cathedra» lium, ac Monasteriorum regimina promotis conceditur, ut » Monasteria, & alia Beneficia Ecclesiastica secularia, & re» gularia per eos obtenta, & in quibus, & ad quæ jus eis com» petit, retinere possint.

XI. Ad hanc valoris expressionem reflectens Panormitanus ad *Cap.* AD AURES ✠ *De Rescriptis*, *num.* 4. ait: » Puto quòd » circumscripto stylo Curiæ non sit de jure veteri necessarium » facere mentionem de quantitate valoris: quia Beneficium de» bet principaliter conferri propter spiritualia: temporalia autem » veniunt accessoriè ad spiritualia. Sed quia hodie ut plurimùm » conferuntur Beneficia propter temporalia, ideò fuit ordinatum » & est de stylo Curiæ, ut fiat mentio de valore: tamen benè » considerando, non est provisio inutilis; quia dispensatio tem» poralium non debet cuique committi, sed secundum qualita» tem personæ debet committi dispensatio."

XII. Varias edictæ hujus Regulæ rationes à variis adduci notat Gomesius in procemio ad hanc regulam: » Nam quidam » (ait) existimârunt eam editam causâ tollendæ avaritiæ, ne sci» licet per taciturnitatem valoris, aliquis ultra merita, & plus» quam oportet, de Beneficiis Ecclesiasticis caperet, & ita per » falsam valoris expressionem debitus dispensationis modus Pa» pæ (cui est hæc cura à Deo demandata) tolleretur. Quidam » verò propter annatas, ne defraudarentur, regulam factam fuis» se existimant. Et istorum opinio magis recepta videtur ex » eo, » *rit, & hæc ignorantia* (*l.* 24. *tit.* 6. *lib.* 1.) *causa est ejus remotionis à Beneficio; siquidem ad* Doctrinæ *remotionem consideratur ut causa sufficiens ex jam suprà citata leg.* 4.

(a) *Vide leg.* 14. *tit.* 19. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop. in quibus præscribuntur qualitates, quas quis habere debet, ut in Hispaniæ Regnis possit Beneficium Ecclesiasticum obtinere.*

(b) *Huic doctrinæ consona est, etiam dicta l.* 14. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopil. ubi præcipitur solùm Naturales ad Beneficia præsertim Curata admitti debere*: para predicar y enseñar nuestra Fè Cathólica. *Quod etiam extensum est ad Dominia Indica per leges* 30. *tit.* 6. *&* 4. *tit.* 13. *lib.* 1. *Recop. Ind. adeò ut nullus admittatur ad Beneficia Curata* (*Doctrinas leg.* 41. *tit.* 6. *lib.* 1. *ejusdem*) *si illarum Regionum idioma ignoravet.*

(c) *Pro Regnis Hispaniæ vide* leg. 27. tit. 3. lib. 1. Recop. *& Aut. Acordat.* 6. cap. 22. num. 3. tit. 8. lib. 1. *ejusdem Recop. in quibus demonstratur, obtinentes Beneficia Curata præcisè in eis debere residere; ac per consequens ex ll. jam antea citatis, debere etiam patrium idioma scire, ut cum effectu & profectu resideant.*

» eo, quia regula ista de valore, adhæret taxis Annatarum. » Nam videmus quòd in Beneficiis, in quibus non solvitur an- » nata, non exprimitur valor, ut patet in Monasteriis Monia- » lium & Hospitalibus datis ad administrationem."

XIII. Nomen *Annatæ* esse nomen generis, quod in varias species dividitur, monet Fagnanus ad *Cap.* PRÆTEREA ✠ *Ne Prælati vices suas &c.* Annatas autem sic nuncupari (ait) quia omnes debentur ex fructibus primi anni Beneficiorum vacantium.

Prima species est Annata propriè dicta; & hoc modo assumit nomen speciei, ait Fagnanus.

XIV. » Annata sic sumpta solvitur (ait Fagnanus) pro om- » nibus Beneficiis inferioribus præter Episcopatus, & Abbatias » Consistoriales, & est dimidia pars veri valoris annui fruc- » tuum Beneficii vacantis, & hæc integrè Summo ipsi Pon- » tifici relinquitur."

XV. Secunda species est *commune servitium*, quæ est certa quantitas pro quolibet Episcopatu, vel Abbatia Consistoriali secundum antiquam taxam solvenda.

Dicitur *servitium*, quia juxta vulgare Italicum quælibet datio nuncupatur *servitium*, sive debita sit, sive non, inquit Fagnanus. Dicitur autem *commune*; quia ejus dimidium tribuitur Papæ, reliquum S. Collegio Cardinalium inter ipsos Cardinales præsentes dividendum.

XVI. Tertia species Annatæ » sunt *minuta* servitia; quæ » sunt quinque portiunculæ, quæ secundum proportionem taxæ » fructuum Episcopatus, vel Abbatiæ inter certos Papæ Minis- » tros, & Officiales dividuntur." Fagnanus *ibid. n.* 12.

XVII. Quarta species Annatæ vocatur *Quindennium*, quæ » à prædictis differt nomine tantum, & accidentali temporis » præfinitione, quia de quindecim in quindecim annos, juxta » Constitutionem Pauli II. abolitis aliis solutionum Annatarum ter- » minis usque ad sua tempora observatis, pro Beneficiis perpetuò » *unitis* solvitur ab illis, in quorum favorem talia Beneficia sunt » unita, ut in Extrav. *Decet Romanum.*" Fagnanus *num.* 13.

XVIII. Annatarum originem plures referunt ad Joannem XXII. *in Extravagante* 11. *de Præbendis, inter Communes*, ubi reservat Sedi Apostolicæ fructus, & proventus primi anni, Beneficiorum vacantium inferiorum Episcopatibus, & Abbatiis, in verbis: » Præsertim cùm Archiepiscopales & Episco- » pales Ecclesiæ, ac regulares Abbatiæ ab hujusmodi solutione » fructuum (ut dicunt) in dictis litteris eximantur."

XIX. Ob hanc exceptionem, & quia suam reservationem ad triennium restrinxit, credunt alii, huic Pontifici originem Annatarum adscribi non posse; sed earum auctorem esse Bonifacium IX. qui anno 1392. durante schismate, » ingravescen- » tibus rei pecuniariæ difficultatibus, ob continuos armorum fra- » gores sanxit, ut redigendorum ex omnibus Sacerdotiis, quæ » à Sede Apostolica conferentur, vectigalium, quæ primo la- » bente anno obvenirent, dimidia pars in fiscum Pontificium » inferretur."

Hæc Odorycus Raynaldus ad annum 1392. *num.* 5. qui & ad annum 1399. *num.* 12. refert verba Theodorici Niem, quibus testatur, hunc Pontificem primos fructus unius anni omnium Ecclesiarum Cathedralium, & Abbatiarum vacantium suæ Cameræ reservâsse.

Idipsum de eodem Pontifice scribit Platina in ejus vita; qui addit, quòd Annata ab ipso imposita tantùm conficeret *dimidiam* partem proventuum primi anni: » Annatarum usum Be- » neficiis Ecclesiasticis primus imposuit (ait) hâc conditione, ut » qui Beneficium consequeretur, *dimidium* annui proventûs » Fisco Apostolico persolveret."

XX. Quidquid sit de primo auctore, ac primigenia Annatarum origine, certum est, quòd forma, quæ hodiè in solutione, & exactione Annatarum tenetur, primùm inducta sit à Bonifacio IX. quemadmodum notat Fagnanus *loco citato, num.* 10. dicens » Antea enim per Pontifices exigebantur median- » tibus eorum Commissariis, fructus integri unius anni per trien- » nium, tertia pars quolibet anno, reliquis duabus tertiis partibus » proviso relictis. Sed Bonifacius, ut consuleret ipsis provisis, & » obviam iret extorsionibus, quæ per Commissarios committeban- » tur, reduxit Annatæ solutionem ad medietatem valoris annui » fructus, cum onere tamen, ut provisus anticipatè de propriis » pecuniis in relaxatione suarum litterarum eam solveret. Et prop- » tereà in relaxatione supplicationis fiebat obligatio in Camera » de illam solvendo; & sic litteræ in totum expediebantur, quæ » retentæ in Camera Apostolica relaxabantur, mediante quie- » tantiâ Thesaurarii."

XXI. Deinde monet, hinc patere non ideò *annatam* vocari, quod complectatur fructus omnes unius anni; » sed quia » solvitur ratione fructuum *primi anni*; vel quia dicta Anna- » ta per Bonifacium IX. introducta, successit in locum reserva- » tionis, quam antea Pontifices facere consueverant pro suis » & Romanæ Ecclesiæ necessitatibus de omnibus fructibus, & » proventibus unius anni Beneficiorum ad tempus vacantium; » vel quæ exinde usque ad triennium aut quinquennium, vel » aliud tempus, in certis designatis Provinciis vacarent: quos » quidem fructus pro se, & Camera Apostolica Romani Pon- » tifices per suos Collectores percipiebant. «

* Constat ex dictis *num.* 20. & 21. formam exigendi & solvendi *Annatas* reduci ad impositionem certæ cujusdam summæ pecuniariæ; hæc solvi debet, aut de ea solvenda sufficiens cautio præstanda est, priusquam litteræ provisionis relaxentur: id in Curia Romana usitatum fuisse tempore Concilii Constatiensis constat ex responsione Nationis Gallicanæ contra Cardinales appellantes à deliberatione trium Nationum facta in Concilio Constantiensi circa usum Annatarum

Ex hac enim responsione intelligitur tempore hujus Concilii, conformiter ad dictam formam exigendi Annatas per Bonifacium IX. primùm inductam litteras Provisionis non fuisse expeditas, & relaxatas, nisi priùs per Provisos factâ promissione, ac præstitâ *omnimoda securitate & cautione* de solvenda Camerariis Sedis Apostolicæ summa taxata, sive descripta in libris Cameræ Apostolicæ intra designatos terminos, prout hæc omnia latiùs ibidem describuntur.

Porrò quia Provisus de Episcopatu, Abbatia, aliave Prælatura, hujus Provisionis nullum planè effectum habere posset sine litteris provisionis, conclusit prædicta Natio Gallicana, hanc Annatam, sive jura temporalia exigi, & solvi, vel promitti pro ipsa provisione: & quod in effectu ipsa provisio non concedatur, vel obtineatur, nisi solutis, vel saltem promissis hisce juribus temporalibus.

* Notat etiam Natio Gallicana *art.* 9. *suæ Responsionis* quòd litteris in Cancellaria expeditis, & deinde bullatis, ac etiam registratis portentur ad Cancellariam, à qua haberi non possunt, nisi Provisus primò se obligaverit ad solvenda prædicta jura.

Imò jam notaverat Natio Gallicana *art.* 8. *suæ Responsionis*, » violentari Provisos ad solutionem, vel promissionem » horum jurium temporalium per retentionem & detentionem » litterarum: tales modi, ajebant Galli nunquam inducunt con- » suetudinem, neque præscriptionem, cùm sint violenti; & » quia quantumcunque promoti benedicti vel consecrati (& » notum sit Monasteriis, vel Ecclesiis, quibus præficiuntur) si- » ne litteris ejusmodi non possint intrare in possessionem, prop- » ter Constitutionem pœnalem factam in favorem hujusmodi in- » debitarum exactionum, quæ incipit: *Injunctæ.* «

Hinc conclusit Natio Gallicana; hæc jura temporalia exigi, & solvi, vel promitti pro ipsa provisione, sive ut Pro- » visus suæ provisionis effectum habere queat.

Prætereà ostenderat *art.* 7. » quòd non petantur, neque exigantur hæ Annatæ per Cameram Apostolicam, & DD. Car- » dinales, *ob vacantias Ecclesiarum*: *quia vacant*, sed quia *con- » ferunt*, seu quia collationi, & promotioni (quæ fit per Pa- » pam) assentiuntur. «

Hanc assertionem suam duplici ibidem probant argumento: primò, quia ab eis qui promoventur ad Prælaturas hujusmodi extra Curiam, & per alium quàm per Papam conferuntur, nihil habent, vel exigunt.

Secundò, ex eo, quòd nihil percipiant in tali exactione nisi DD. Cardinales, qui *actu sunt præsentes*; & tamen de jure communi etiam absentes participarent, si quia *vacant*, deberentur, vel exigerentur.

* Ex his ulterius deliberavit Natio Gallicana, nullâ præscriptione, aut consuetudine, privilegio, vel statuto, hanc Annatarum exactionem justificari posse; » Quia (ait *art.* 7.) nul- » lo statuto, privilegio, consuetudine, præscriptione, aut alio » titulo potest induci, quòd propter *conferre* aut *consentire* » promotioni, aut electioni alicujus Monasterii, vel Ecclesiæ » Cathedralis, sive ut præficiatur administrationi Prælaturæ Be- » neficii, sive Ecclesiæ, aliquid possit, vel debeat peti, vel » exigi: « eò quòd secundum Apostolicas, & Canonicas Tra- » ditiones clarissimè foret Simoniacum. «

Et *art.* 8. postquam ostendit Provisos *violentari* ad solvendam, vel promittendam Annatam, per retentionem, ac detentionem litterarum provisionis, inferre non dubitavit, *hoc esse simoniacum, vel suspectum de simonia* (d).

Argumento in justificationem exactionis Annatarum, à præscriptione, aut consuetudine petito, opposuit prætereà Natio Gallicana, quòd ad eas solvendas Prælati in Curia Romana provisi *violententur*; sive per violentiam ad earum solutionem adigantur per retentionem, sive non relaxationem Bullarum, sive litterarum provisionis: » tales enim modi nunquam inducunt » consuetudinem, neque præscriptionem, cùm sint *violenti.*

Cùm

(d) *Non ita censent in Galliis complures Jurisconsulti; ajunt enim Annatam esse veluti donum gratuitum quod de consensu Regis ex libera Præsulum voluntate summo Pontifici conceditur; non ergo Annatas respectant ut Bullarum pretium; atque ea expositio Pragmatica Sanctione nititur, quæ donum gratuitum nuncupat Annatæ decimam partem, quam Prælati consecrandi, vel recens consecrati Papæ, ejusque administris largiri consueverant.*

Cùm verò ex parte DD. Cardinalium appellantium, in justificationem Annatarum allegaretur, Papæ subveniendum esse ab inferioribus Ecclesiis; respondit Natio Gallicana *art.* 17. quòd » quilibet Episcopatus certos suos habet redditus pro » dotatione, & sustentatione sua, sive Episcopi; sicut habet » Episcopus Romanus quæ sufficere, & sufficere possunt cum » industria, & alia, quæ ordinariè supérveniunt: nam Apos» tolus ex industria quærebat, sibi victum, ne quibus minis» trabat esset nimium onerosus. Et sanè si non sufficiant red» ditus Episcopi Romani de præsenti, primò habet requirere sub» sidium à Clero suæ civitatis & Diœcesis, deinde suæ Pro» vinciæ, & per modum subsidii charitativi temporalis & non » perpetui census: & postmodum ab aliis Ecclesiis immedia» tè subditis potest subsidium benignè implorare: quæ cau» sâ necessariâ suppositâ expressaque & vera) honestè non pos» sunt denegare ad tempus.

» Nec tunc fortè exactio subventionis facienda respectu da» tæ temporalitatis per Fundatores Ecclesiarum, ut certum onus » supportetur, aut aliquid aliud fiat secundum eorum ordina» tionem, ne frustrentur ordinatione & intentione sua; sed tan» tùm respectu eorum, quæ proveniunt ratione spiritualitatis, & » dotis constitutæ à jure, ut sunt decimæ, oblationes, portio ca» nonica mortuariorum & similia. «

Igitur evidens est, Nationem Gallicanam, modum exigendi Annatas tum temporis usitatum, eò præcipuè titulo, ut simoniacum vel saltem de simonia suspectum reputâsse; quia Provisi ad promittendum descriptas in libris Cameræ Apostolicæ taxas *violentabantur* per retentionem litterarum provissionis.

Insuper constat Nationem Gallicanam, existimâsse, exactionem Annatarum juxta prædictam formam, nec consuetudine, nec præscriptione purgari posse (e).

* Sub idem tempus Joannes Gersonius, ejus ætatis Theologus piissimus, ac doctissimus, atque Universitatis Parisiensius Cancellarius, qui & ipse Concilio Constantiensi interfuit, hanc formam exactionis Annatarum ut apertam, & pernitiosam labem simoniæ palam pronuntiare non dubitavit.

Et quidem in tractatu *de potestate Ecclesiæ, consideratione* 8. hæc habet: » Si judicia minora reprobantur in Moyse, videa» mus in Summo Pontifice & Curia sua, quid de tot profa» nissimis, & indignissimis causarum, & litigiorum continuis & » anxiis occupationibus? Quid de Beneficiorum quorumcunque » etiam minorum collationibus, & signationibus manu Papæ? Quid » de Annatarum exactionibus. «

Et paucis interpositis: » maximè (ait) dum recipit *Annatas*: » quoniam ex hac copula, quandiu perseveraverit, orietur ine» vitabiliter leprosa pestis simoniæ, inficiens sua contagione, ne» dum caput, sed penè singula Ecclesiæ membra. «

* Et in tractatu *de Simonia* ex professo hanc materiam discutiens, eam format conclusionem (cui & probandæ integrum Tractatum impendit): » *Simoniaca labes contra jus divinum, vel* » *simoniacâ specie suspectum est* in conferente Beneficium Eccle» siasticum, etiam si sit Papa, exigere, vel extorquere à Be» neficiando promptam pecuniam sub titulo *primorum* fructum, » ac impedire possessionem, & efficationem suam quousque sol» verit illam pecuniam. «

Post hæc ponit objectiones contra hanc conclusionem, atque inter cæteras quinto loco petitam ex communi, & diuturna praxi his verbis: » Ampliùs, quia non est probabile quòd » per tot tempora tolerâsset Ecclesia in promoventibus, & » promotis talem exactionem pecuniarum, si fuisset simoniaca » de jure Divino: *quia non solùm qui faciunt mala, sed qui* » *consentiunt facientibus*, (secundum Apostolum Rom. 1.) *dig*» *ni sunt morte.* «

Ad hanc, uti & ad secundam, tertiam, & quartam objectiones petitas ex praxi inferiorum Prælatorum, & Canonicorum exigentium temporalia ab admitendis ad possessionem, vel ab admittendis ad Beneficia, vel Religionem, respondet Gersonius: » Quòd valdè multa, proh dolor! sint & facta sunt, » habentia malam speciem turpis quæstûs, & in multis simo» niacam pravitatem, sicut & alia vitia regnare videmus pas» sim apud homines, virtutes autem rarò, propterea dicit lex » antiqua: *Non sequeris ad multitudinem ad faciendum malum*, » Exod. 23. 2. hæc enim est argumentatio pessima, multitudo » facit, hoc igitur est licitum; quoniam oppositum consequen» tis frequenter, & quasi semper stat cum antecedente.

» Preterea respondet ad argumentum, sive objectionem pe» titam ex diuturna tolerantia Ecclesiæ; quod apud bonos, » conscientiosos & eruditos, quos non excæcavit malitia, vel » superbiæ, vel adulationis, vel avaritiæ, talis simoniaca pes» tis reprobata est per prædicationis, & doctrinas, verbis & » scriptis, & novissimè per hoc sacrum Concilium, scilicet » Constantiense, judiciali severitate damnata fuit in capite. «

Habetur hic Tractatus Gersonii tom. 2. operum ejus ultimæ Editionis.

* Nec tantùm Gersonius de hac Annatarum exactione querelas deposuit, eamque ut simoniacam reputavit: sed etiam plures Universitates, ac signanter Facultas Theologica Parisiensis eam simoniacam esse respondit, ut intelligitur ex instructione anno 1561. data Ferrario per Carolum IX. Regem Christianissimum, per quam injunctum fuit huic Regio Oratori, rogare Pontificem nomine Regis ut querelarum radicem contra has excindere dignaretur.

Quandoquidem (ait) Annatæ illæ prohibitæ fuerint variis Regum Prædecessorum Constitutionibus; veluti contrariæ libertatibus Ecclesiæ Galicanæ: & insuper *per ipsam facultatem Theologicam Parisiensem Sorbonicam, aliasque Regni Universitates deliberatum, & conclusum fuerit, Annatas exigi non posse circa enormen simoniam, tam per eum, qui pecuniam dat, quàm per eum, qui pecùniam recipit.* Integra hæc Institutio exhibetur inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 22. *num.* 34.

* Scio ab Ultramontanis, ac novissimè à Prospero Fagnano, plura adduci in justificationem modernæ praxis Curiæ Romanæ exigendi, & recipiendi Annatas; sed si rationes per Fagnanum, aliosque in hujus praxis justificationem adductæ sine præventione serio discutiantur, & cum argumentis per Nationem Galicanam in Concilio Constantiensi, nec non per Gersonium, aliosque aductis conferantur, nescio num sufficientes videbuntur.

XXII. Ut tamen Annata modo saltem apparenter justo taxari possit pro ratione fructuum Beneficiorum, exprimendus est juxta hanc Regulam, & stylum Curiæ Romanæ *verus* valor Beneficiorum vacantium secundum communem æstimationem.

XXIII. Verùm hodie consuetudo tam in Galia, quàm in Belgio invaluit, ut valor omnium Beneficiorum, exceptis Episcopatibus, Abbatiis, aliisque *consistorialiter* conferendis, exprimatur sub taxa 24. *ducatorum auri de Camera*; tametsi *verus* eorum valor secundum communem æstimationem ascendat etiam ad triplum, & amplius illius taxæ.

Unde formula consueta in omni supplicatione, & provisione hujusmodi Beneficiorum est: *Quòd illorum proventus valorem annum 24. ducatorum auri de Camera non excedat.*

XXIV. Unde quoad hujusmodi Beneficia nunquam fit examen, aut inquisitio circa proventus Beneficiorum, in ordine ad veritatem hujus expresionis; sed sive exigui, sive magni, & notabiles sint Beneficiorum proventus, semper hæc formula servatur; neque unquam ob falsam valoris expressionem provisio, ut sub vel obreptitia, impugnatur.

XXV. Quæ sit hujus consuetudinis seu styli origo, incertum est. Hoc constat, vi Concordatorum Germaniæ Beneficia, quorum proventus non excedunt valorem 24. florenorum de camera, a solutione Annatarum esse immunia, in verbis: *Sed de Beneficiis, quæ valorem 24. florenorum auri de Camera non excedunt, nihil solvetur.*

Cùm ergo Principes sæpiùs institisent apud Romanos Pontifices pro moderatione Annatarum, verisimile est, tandem obtentum esse, ut Beneficia, & Dignitates non consistorialia exprimerentur sub expressione istius taxæ Cameralis, 24. ducatorum auri de Camera: ut sub umbra talis taxæ Cameralis, immunitas Annatarum sine aliorum consequentia tribueretur, uti loquitur Zypæus Consult. 6. de Rescriptis, *num* 2.

XXVI. Ut ut sit de occasione inductæ consuetudinis certum est, eam non tantùm in Belgio & Gallia, sed & in Hispania & Germania invaluisse, uti ex Chokier ubi notat Zypæus; aditque idipsum amplè etiam expressum fuisse in quadam decisione Rotæ Romanæ data 20. Novemb. 1624. verba eo spectantia ex originali ibidem exhibens; ubi notandum, quòd expressè dicatur, hoc introductum fuisse per Concordata, *ut evitetur solutio Annatæ in Curia.*

XXVII. Hinc potest, clausulam expressionis valoris in hujusmodi Beneficiis hodie tantùm esse meram formulam styli; nec significare verum valorem Beneficiorum non excedere 24. ducatos auri de Camera, sed vi consuetudinis sat notæ nihil aliud significare, quàm hæc Beneficia solutioni Annatarum non esse subjecta.

* Nemo tamen negaverit, quin dolendum sit, quòd adigantur fideles, & signanter Ecclesiæ ministri, ut æquivocis istis formulis & falsam præferentibus impressionem uti debeant, maximè in rebus sacris.

XXVIII. Similiter licèt Episcopatus, & Abbatiæ Consistoriales etiamnùm hodie Annatas seu *servitia communia* solvere debeant, (f) nihilominus verus eorum valor, qui *nunc* est secun-

(e) *Articuli, qui modo citati sunt videntur exscripti ex historia Conciliorum, ab Edm. Richerio elaborata, Tomo I.*

(f) *Quæritur, quare Annatæ* servitia communia *dicantur? Hanc refert rationem Tuschius* conclus. litt. A. 328. num. 1. „ *Quia negotium in Consistorio examinatur, & fit provisio, &* „ *sic tam Papa, quàm Cardinales inserviunt & laborant, &* „ *ea propter medietas istius Annatæ est Papæ, alia medie*„ *tas est Cardinalium.*“

cundum eorum communem æstimationem, non exprimitur; sed secundum antiquam taxam Cancellariæ Romanæ, quæ semper retinetur: quemadmodum notat Fagnanus ad dictum *Cap.* PRÆTEREA.

XXIX. Hinc facilè intelligitur, non esse hodiè hisce in partibus magnum usum hujus Regulæ; atque cessare quæstiones circa illam moveri solitas, quas apud Chokier, aliosque ejus Commentatores videre licet.

XXX. Non tantùm Beneficium, pro quo supplicatur, exprimendum est cum omnibus suis qualitatibus; sed etiam quantumvis exiguum ante obtentum *cap. 23. de Præbendis, in VI.* ubi dicitur, quòd si ad petitionem alicujus Beneficium conferatur à Sede Apost. provisio sit nulla, si *quantumcunque modicum* Beneficium ante obtentum taceatur; neque defectus hic suppleretur, etsi Provisus vellet Beneficium illud statim dimittere; uti notat Rebuffus *in Praxi, part. 1. tit. de Forma novæ provisionis.*

XXXI. Cùm enim pluralitas Beneficiorum sit contraria sacris Canonibus, nunquam Papa censetur velle eam probare, nisi saltem de ea priùs certior factus sit, ut habitâ notitiâ dispiciat, num justa sit causa dispensandi.

XXXII. Post supplicam sequitur Signatura, quæ subinde ponitur, ab ipso Pontifice sub hac formula: *Fiat ut petitur*, cum appositione primæ litteræ sui nominis Baptismalis, v. gr. *Fiat ut petitur A.* in Signatura moderni Pontificis Innocentii XII. qui ante Pontificatum vocabatur *Antonius.* Aliquando Signatura ponitur per Commissarium Pontificis sub has forma: *Concessum ut petitur in præsentia* S. D. N. P. cum expressione sui nominis.

XXXIII. De hac duplici Signatura, ejusque diverso effectu videri possunt, quæ dicta sunt *part. 1. tit. 13. cap. 2.* ubi etiam monuimus aliquando recurrendum esse ad Signaturam, ut sciatur quâ forma ipsa Signatura fuerit expressa; cùm id ex tenore Bullæ dignosci nequeat, eò quòd Bullæ eodem modo conficiantur, sive sub una sive sub altera forma fuerit Signatura posita.

* Primitùs Romanas Beneficiorum Provisiones, in simplici illa forma, & stylo expeditas fuisse, quibus Ordinariorum Provisiones expediebantur, & hodie expediuntur, admodum verisimile est: neque enim clausulæ illæ, aut conditiones, puta, valoris, & Beneficiorum expressiones, derogationes, absolutiones ad effectum, & similes, quibus litteræ, sive Bullæ Provisionum juxta modernum Curiæ Romanæ stylum replentur, nec tempori Alexandri III. aut etiam Innocentii III. adhuc notæ fuisse videntur: nulla enim earum clausularum, aut provisionis juxta modernum stylum expeditæ in Registris, aut Actis Innocentii III. mentio occurrit: sed formula Provisionis, si quæ reperitur, simplex est.

Igitur verisimile est, eas clausulas, quibus hodiernæ Romanæ Curiæ Provisiones abundant, demum post tempora horum Pontificum invaluisse, nec omnes eodem tempore.

Quidquid sit de tempore, quo clausulæ hodie inseri solitæ sunt introductæ; quidquid etiam sit de occassione, aut scopo hujus introductionis; hoc satis constat, multiplices illas clausulas (quas sub hoc titulo exposuimus) multiplicandis potius, quàm minuendis, aut extinguendis litibus, occasionem subministrâsse.

* Prætereà & illud constat, ob has multiplices insertas clausulas, nec non earum juxta stylum Curiæ solitas expressiones, eas Provissiones Apostolicas frequenter defectibus, aut nullitatibus reddi obnoxias: atque hinc ulteriùs contingit, quòd Provisi, si effectum Provisionis consequi velint, litesque & controversias evitare, cogantur rursus ad Curiam Romanam recurrere, ut hisce defectibus & nullitatibus, per novam provisionem medeatur, puta, per Rescriptum *perinde valere*, vel per Rescriptum *perinde etiam valere*, aliasve similes novæ Provisionis formulas, quas hisce defectibus, & nullitatibus medendis Curiam Romanam postremâ ætate adinvenisse, & recepisse scitur, cùm nec harum formularum sive Rescriptorum ullum in Decretalibus Gregorii IX. vel vestigium occurrat.

Similiter nec dubium, quin cum hisce formulis & clausulis, nec non novis Rescriptis illa Cancellariæ, & Datariæ ministrorum invaluerit numerosa turba, qui conficiendis, revidendis, plumbandis, & registrandis, nec non describendis his litteris Provisionibus impenduntur, & de taxis, & juribus harum litterarum participant.

CAPUT V.

De Clausulis tertiæ partis Signaturæ.

1 *Tertia pars Signaturæ incipit ab absolutione à censuris, cujus formula refertur.*
* *Clausula absolutionis à Censuris, recentioris styli est.*
2 *Hæc absolutio tantùm prodest ad unum effectum.*
3 *Non operatur quoad omnes excommunicationes.*
4 *Clausula surrogationis, quando Beneficium est* litigiosum.
5 *Hæc clausula respicit dispositionem* Cap. 2. Ut lite pendente, in VI.
6 *Huic dispositioni per eam clausulam derogatur.*
7 *Hodie in provinciis Belgicis hæc clausula reputatur esse tantùm* styli.
8 *Additur clausula surrogationis quoad* possessorium.
9 *Apud Belgas fit surrogatio apud Judicem, coram quo lis pendet.*
10 *Clausula qua permittitur, ut in una è variis formis litteræ expediantur.*
11 *Formulæ* Si neutri, *item* Si nulli, *&* Si alteri, *quo modo differant; & quando adhibeantur.*
12 *Clausula* Cum gratificatione opportuna, *quando opponatur; & quis ejus finis.*
13 *Non admittitur in Gallia, & quare.*
14 *Clausula* Anteferri *præcedenti admodum similis, in Gallia quoque non admittitur.*
15 *Clausulad erogatoria Jurispatronatus.*
16 *Hæc clausula necessaria, si Beneficium sit Jurispatronatûs* laici.
17 *Papa non intendit præjudicare juri laicorum.*
18 *Papa solet concedere derogationem pro* medietate; *& quis hujus effectus*
* *Dissensum Patronorum præsertim inter laicos in Belgio & in Gallia Papa supplere non potest.*
19 *Quid intendatur per clausulam ad priorem relativam*: Citra tamen illius approbationem.
20 *Hæc clausula in Belgio, & in Gallia est sine effectu.*
21 *Uti & hæc*: Ex fundatione, aut dotatione.
22 *Verba clausulæ*: Etiam nobilium & Illustrium, *quare apponantur.*
23 *Supponit Curia Romana Papam posse derogare Jurispatronatus* mixto; *sed aliud à Belgis servatur.*
24 *Clausula* Litigiosum *supponit derogationem Jurispatronatus laici* litigiosi; *quod à Belgis non recipitur.*
25 *Quid indicet clausula* Devolutum.
26 *Generalis Clausula derogatoria Statutorum; & quis ejus effectus.*
* *Clausula derogatoria in litteris Apostolicis apposita non derogat statutis aut consuetudinibus Ecclesiarum solemniter approbatis.*
27 *Quid significetur per Clausulam Signaturæ*, Committatur.
28 *Clausula Bullæ de non tollendo jure tertii.*
29 *Regula Cancellariæ huic clausulæ correspondens.*
30 *Hæc per sequentes Pontifices ad* quamcunque *provisionem Papæ extensa.*
31 *Regula intelligitur de quocunque jure.*
32 *Mandat Papa, ut executor cognoscat de jure alteri quæsito.*
33 *Hæc auctoritas hodie Executori apud Belgas non competit.*
34 *Ordinario, cui provisio in forma* Dignum *committitur, tantùm competit examen super capacitate providendi.*
35 *Clausulæ omnes, quæ sunt styli, habentur pro expressis.*
36 *De appositione* Datæ, *remissivè.*

1. TErtia pars Signaturæ incipere solet ab hac clausula: *Et cum absolutione à censuris ad effectum*, &c. quæ in litteris seu Bulla hoc modo extenditur: *Te à quibusvis excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis à Jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, harum serie absolventes, & absolutum fore censentes ad effectum præsentium duntaxat consequendum.*

Hæc clausula unicè respicit impetrantem, qui aliquâ censurâ esset innodatus, quæ ipsum ad Beneficium obtinendum redderet incapacem.

* Cùm autem hujus clausulæ nulla in Decretalibus Gregorii IX. mentio fiat, argumentum sat concludens est, eam demum Provisionibus Apostolicis fuisse insertam postremis seculis, postquam Excommunicationes, aliæque Censuræ Ecclesiasticæ supra modum frequentes esse cœperunt, ac notanter Censuræ *juris*, & *latæ sententiæ*; idque levissimis ex causis.

Hinc & contingere poterat, ut nonnunquam Provisus aliqua simili *juris* censura esset, vel crederetur innodatus, eoque titulo effectum provisionis consequi non posset. Huic incommodo ut occurreretur, credidit Curia Romana addendam hanc clausulam, quæ hodie reputatur meri styli: unde non operatur ut ejus vigore Provisus reddatur capax obtinendi Beneficium, non obstante censura ritè illatâ, aut pœnâ quam incurrisse posset: atque inter alios Georgius Louetius in *notis ad Molinæum in Regulam de infirmis, num.* 397. monet hanc clausulam non comprehendere graviora & majora delicta. Et ibidem in nota marginali notat Antonius Vaillant Advocatus Parlamenti Parisiensis, quòd » hæc clausula non reddat habilem, si aliunde sit in» habilis & *ritè excommunicatus*, vel crimen commisserit ante » Provisionem, quod suspensionem inducat.

II. Itaque hæc generalis clausula hodie est exigui effectus. Quod si impetrantem absolvat à censuris, eum non absolvit, nisi duntaxat ad *hunc effectum consequendum*; id est, ut sit capax

pax hujus provisionis. Unde nec impetrans vigore hujus absolutionis poterit celebrare, nec Horis interesse, nec alia facere: quia *ad hunc effectum* tantùm est absolutus, inquit Rebuffus, *tit. de Forma novæ provisionis*, verbo TEQUE ABSOLVENTES, *num.* 15. nec aliud posset Beneficium post istam absolutionem obtinere ab Ordinario vel alio, nisi absolveretur de novo. Imò nec fructibus Beneficii gaudere potest: omnesque aliæ pœnæ excommunicatorum contra eum obtinebunt.

III. Deinde nec in omnibus excommunicatis hæc clausula, vel hunc unum effectum operatur, uti dicto loco monet Rebuffus, plures ibidem casus referens, ad quos clausula hæc non extenditur: qui hodie nominatim exprimuntur in Regula Cancellariæ 66. *de insordescentibus*: unde hæc clausula hodie *meri* styli sine aliquo effectu esse solet.

IV. Frequenter quoque inseritur Signaturæ hæc clausula: *Et quatenus litigiosum existat, litis status & nomina judicum, & collitigantium, juraque & tituli eorum exprimi, vel pro expressis haberi possint.*

V. Hæc clausula, uti & aliæ adjungi consuetæ (de quibus infrà dicetur) relationem suam habet ad *Cap. Si ii, Ut lite pendente*, ubi statuitur, Beneficia litigiosa non posse conferri per Ordinarios Collatores, lite adhuc indecisâ uno collitigantium decedente, *ne propter novos adversarios litigia in Ecclesiæ dispendium prorogari contingat.*

VI. Per dictam ergo clausulam vult Papa, statum litigiosum haberi posse pro expresso, & eo non obstante, provisionem suam sortiri effectum, & provisum surrogari in locum defuncti collitigantis, non obstante dispositione dicti Capituli.

VII. At nec in Gallia, nec in Belgio dispositio dicti Capituli *Si ii*, observatur: possuntque Ordinarii Collatores conferre Beneficia vacantia tametsi *litigiosa*. Itaque hæc clausula in hisce provinciis reputatur esse duntaxat *de stylo*: monetque propterea Rebuffus Regulam Cancellariæ 29. *de surrogandis Collitigantibus*, se in Regno Franciæ non vidisse servari; uti nec in Belgio servatur.

VIII. Sequitur dein clausula in Signatura: *Et litteræ in forma simplicis provisionis, gratiosæ surrogationis, etiam quoad* POSSESSIONEM. Hæc clausula, ut sensum perfectum habeat, debet connecti cum verbis in fine aliarum clausularum positis, *expediri possint*, id est, *litteræ in forma*, &c. *expediri possint.* Per hæc ergo permittit Papa, ut litteræ *surrogationis* in locum Collitigantis expediantur, sive lis sit super petitorio, sive possessorio.

IX. At apud Belgas, uti & in Gallias, interrogatio fit apud judicem, coram quo litigatur, notaturque in additione ad Castellum *in Praxi Curiæ Romanæ*, *pag.* 207. non requiri in Gallia litteras in forma pro surrogatione; sed eam fieri judicialiter per simplicem libellum supplicem, vigore Edicti Regii anni 1667. *tit.* 15. *art.* 16.

X. Dein sequuntur hæ clausulæ: *Et gratiæ* SI NEUTRI, SI NULLI, PERINDE VALERE, ETIAM VALERE, cum gratificatione opportuna, *simul vel separatim expediri possint.*

Hæ clausulæ dependent quodammodo à clausula superiùs expressa *de Litigio.* Cùm enim provisiones de Beneficio *litigioso* sint multiplicis formæ; intendit Papa per has clausulas provisionem expediri sub una è formis hîc expressis, quæ Supplicanti utilior, & opportunior esse possit.

XI. In priori forma *Si neutri*, Papa supponit, esse *duos* duntaxat Collitigantes, & neutri illorum jus aliquod competere, ac per consequens, quòd Supplicans possit habere litteras *Si neutri*, quibus mandetur Supplicanti provideri, si constiterit *neutri* Collitigantium ullum jus competere. Si autem sint *plures* Collitigantes, quam *duo*, tunc expediuntur litteræ *Si nulli*; eâdem in reliquis cum præcedentibus formâ. Interdum autem ipse supplicans est unus è litigantibus, petitque surrogari in locum Collitigantis, *Si alteri jus non competat.* De clausulis *Perinde valere*, item, *Etiam valere*, suprà egimus.

XII. Clausula verò *Cum gratificatione opportuna*, supponit esse plures Concurrentes in *Data*; vultque hoc casu Papa proviso *gratificatum*; ut nimirùm præferatur provisis.

XIII. Verùm cùm in omnibus provisionibus hæc clausula *gratificationis*, quasi de stylo inseratur, hodie in Gallia non admittitur; obtinetque hoc principium, quòd plures provisiones in Data concurrentes *mutuo concursu sese impediant*: uti observat Castellus *in citata Praxi*, *pag.* 210.

XIV. Similiter clausula *Anteferri*, præcedenti admodùm similis, per quam consequitur impetrans prærogativam ante eos, qui priores in *Data* fuerint, improbatur in Gallia, teste Joanne D'Artis Antecessore Parisiensium Tractatu *de Beneficiis*, *Sect.* 7. *cap.* 2.

De omnibus hisce clausulis, quæ ferè sunt, saltem hisce in regionibus, duntaxat de stylo, consuli poterit Rebuffus in *Praxi*, *part.* 1. *tit. de Rescripto*, SI NEUTRI, &c.

XV. Post hasce clausulas sequuntur subinde derogationes Regularum Cancellariæ *de Infirmis resignantibus*, de qua infrà *tit. de Resignatione Beneficiorum*, *& de Verisimili Notitia*, de qua supra actum est; ac tum subditur clausula derogatoria Juris Patronatûs: » At cum derogatione *Juris Patronatus*, si quod » sit, citra tamen illius approbationem, videlicet si laicorum » tantùm, etiam Nobilium & Illustrium, eisque ex dotatione, » vel fundatione competat, pro medietate, aliàs seu si litigio- » sum vel devolutum sit in totum «

XVI. Hæc clausula necessariò exprimenda, si Beneficium sit Jurispatronatûs *laici*; si enim non exprimeretur, provisio censeretur subreptitia; eò quòd Papa nunquam censeatur velle derogare Juripatronatûs laicorum.

XVII. Imò ut Papa ostendat, se nolle Patronis laicis præjudicare, aut eorum juri derogare, additur in Bulla seu litteris, quæ ex Signatura tanquam *minuta* seu *protocollo* conficiuntur, in fine ipsius clausulæ: *Et de consensu Patroni, seu Patronorum.*

XVIII. Verba in supplica posita, *pro medietate*, referuntur ad casum, quo plures sunt Patroni; petiturque pro eo casu derogari saltem *pro medietate*, hoc est, si medietas Patronorum consentiat, tunc *gratia* habeat suum effectum. Hoc autem solet Papa concedere; eò quòd tunc non videatur Patronis præjudicium fieri: quia dissentientibus Patronis, neque in unam personam, saltem pro *majore* parte consentientibus, juxta jus commune Ordinario competit decisio, uti infrà titulo *de Jure Patronatûs* ostendetur. Quod autem Ordinario competit, id & sibi licere Papa non ambigit.

* Evidens tamen est, quòd hæc ratiocinatio, & jus Pontifici assertum supponat opinionem Ultramontanorum existimantium, Papam esse *Ordinarium Ordinariorum*, & posse in qualibet Diœcesi jura Ordinariorum exercere, & pro Ordinario esse reputandum.

Verùm quia non ubique ea in Pontifice auctoritas agnoscitur, uti in hoc opere notatum est, etiam hæc clausula non recipitur, notanter quoad Patronos Laicos, in quorum præjudicium etiam in Belgio nulla derogatio Papalis admittitur.

XIX. Verba *citra tamen illius approbationem*, significant, quod Papa per hanc provisionem nullatenus intendat approbare Jusparronatus *laicale.* Unde in litteris hæc clausula exprimitur hoc tenore: *Verificato priùs coram Ordinario* (si sit in forma *Dignum*) *dicto Jure Patronatus.*

XX. Notat autem Fevretius *de Abusu*, *lib.* 4. *cap.* 9. eam clausulam esse in Gallia sine effectu, eò quòd Ordinarius nec in possessorio, nec petitorio de hujusmodi jure cognoscere queat; sed hæc cognitio ad Magistratum pertineat, cui & notoria praxis Belgii est conformis. (g)

XXI. Per verba, *ex fundatione*, vel *dotatione*, insinuatur, quòd si non esset ex fundatione, aut dotatione, sed ex privilegio, aliove simili titulo, Pontifex etiam in totum derogare possit. Sed hæc distinctio hîc non admittitur (h): quia quocunque titulo Juspatronatus laicis competat, modo sit *laicale*, nulla ejus derogatio admittitur.

XXII. In eadem clausula sequitur: *Etiam Nobilium & Illustrium*: sub quibus comprehenduntur Reges, Duces, & Marchiones, quæ sub generali nomine Patronorum non censerentur comprenensi: ideoque ipsorum juri non censeretur derogatum per generalem duntaxat Jurispatronatûs laicalis derogationem: ipsaque provisio haberetur subreptitia.

XXIII. Finalia clausulæ ipsius verba: *Aliàs seu si litigiosum*, *vel devolutum sit in* TOTUM, referuntur etiam ad superiora hæc verba: *Videlicet si laicorum* TANTUM: cum quibus faciunt hanc constructionem: Si laicorum tantùm derogatio fiat pro medietate; sed si non sit *laicorum* tantùm, sed partim laicorum, partim Clericorum, tunc fiat derogatio *in totum*; quod significat particula *aliàs.*

Supponit enim Curia Romana, quòd Juspatronatûs *mixtum* reputandum sit pro mero Ecclesiastico; quasi dignius trahere debeat ad se minùs dignum. At hisce in partibus quoad derogationem, potiùs reputatur *laicum*; saltem eatenus ut nunquam cum præjudicio laici ei derogari queat, ut suprà notavimus.

XXIV. Verba sequentia, *seu litigiosum*, indicant, quod Papa possit, & intendat derogare Juripatronatûs, si sit *litigiosum* etiam in *totum*: sed nec hoc in Gallia, aut in Belgio receptum est; sed Patroni etiam lite pendente præsentant.

XXV. Verbum *devolutum* indicat, quòd si per negligentiam Patroni, juxta juris dispositiones, jus conferendi esset devolutum ad Papam, intendat Papa Juripatronatûs derogare, etiamsi *devolutio* non sit expressa.

XXVI. Post has clausulas sequitur in signatura: *Ac statuto-*

(g) *Vide Act. Acord.* 4. *cap.* 33. *prope medium, tit.* 1. *lib.* 4. *Recop. ubi dicitur ad Ecclesiasticum talis cognitio in Hispania pertinere.*

laicalis derogatio, ut apertè decissum est in leg. 25. *tit.* 3. *cum Remis. n.* 1. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recop. & leg.* 11. *conventione* 2. *ejusd. tit.* 6. *& lib.* 1.

(h) *Neque etiam in Hispania admittitur talis Patronatûs*

torum primò dictorum , cæterorumque omnium quomodolibet contrariorum latissimè (supple) *in litteris extendendorum.*

Hæc generalis clausula continet derogationem statutorum, quæ possent provisionis effectum impedire. Sed cum tantùm sit generalis , nihilque nominatum exprimat, nullum præjudicium facit juri tertii , quod ex statutis posset prætendi ; uti rectè notat Castellus *pag.* 234.

* Observat Melchior Pastor *in Tractatu de Beneficiis, lib.* 2. *tit.* 10. *num.* 2. quòd statutis , consuetudinibus , ac privilegiis Ecclesiarum solemniter approbatis , per similes clausulas derogatum non censetur , neque derogari potest & si derogaretur, appellari posset ab executione Rescripti tanquam *ab abusu.*

Neque etiam in Belgio clausula derogatoria quoad hujusmodi statuta, consuetudines , & privilegia facilè effectum sortiretur, quandoquidem Principibus nostris etiam curæ sit , ut hujusmodi jura & statuta integrè conserventur , ut in hoc opere non semel notatum est.

XXVII. Si provisio sit expedienda in *forma dignum* , ponitur post clausulas prædictas, *Committatur* , quo significatur Officialibus Curiæ , ut expediant litteras vel in forma *dignum antiqua* , vel *novissima* , prout materia exigit ; ejusque executio committatur Ordinario , aut alteri juxta stylum , pro materiæ exigentia committatur.

XXVIII. Hæc forma continet clausulam , de qua quidem nihil est in Signatura expressum ; sed in litteris exprimi debet: *Dummodò tempore datæ præsentium non sit specialiter alteri jus quæsitum.*

XXIX. Huic clausulæ respondet Regula 18. Cancellariæ *de non tollendo jus quæsitum* , quæ hodie exprimitur his verbis: » Item , ne per varias , quæ pro commissionibus , seu mandatis, » & declarationibus habendis in causis plerumque fiunt suggestiones , justitia postponatur , idem D. N. decrevit , & declaravit suæ intentionis fore , quòd deinceps per quamcunque sig» naturam , seu concessionem , aut gratiam , Litteras Apostolicas » pro commissionibus , seu mandatis , aut declarationibus hujus» modi , etiamsi motu proprio, ex certa scientia , ac etiam ante » motam litem à Sanctitate sua emanaverint , vel de ejus manda» to faciendas , nulli jus sibi quæsitum quomodolibet tollatur.“

XXX. Monet Chokier ad hanc Regulam *num.* 5. eam pleniorem factam per Paulum III. qui statuit illius effectum producendum *ad quacumque commissionem , sive mandata , aut declarationes , etiamsi motu proprio , & ex certa scientia , aut etiam ante motam litem à Sanctitate sua , vel ejus mandato emanaverint.*

Quæ verba ideò inserta sunt regulæ , ut latissimè fieret ejus interpretatio , ne jus alteri quæsitum per quamcunque Papæ concessionem tolleretur , inquit Chokier *num.* 6.

XXXI. Dein *num.* 7. refert , Auditores Rotæ aliquando resolvisse , verbum *quomodolibet* positum in fine Regulæ referendum non ad verbum *tollatur* , sed ad verba , *jus quæsitum* ; sicque comprehendit jus qualecunque , & cujuscunque generis directi, vel indirecti, & etiam impropriè sumptum etiam minimum.

XXXII. Cùm igitur Papa non velit per suam provisionem tollere jus alteri quæsitum , sequitur altera clausula , *vocatis qui fuerint vocandi* ; ut nimirum cognoscat , an jus alteri alicui sit quæsitum , antequam provisionem faciat , aut provisum in possessionem inducat.

XXXIII. Verùm hæc clausula , uti & aliæ connexæ , v. g. *amoto quolibet illicito detentore* , quæ ipsi Commissario , vel executori tribuunt cognitionem ipsius causæ sive in petitorio , sive in possessorio , in Belgio uti & in Gallia sine effectu est: eò quòd controversia super possessorio in materia Beneficiali decidenda sit coram Senatu Regio , idque semper in Litteris *Placeti* exprimatur , in petitorio autem coram judice ordinario Beneficii, vel judicibus Synodalibus delegatis *in partibus* : idque postquam possessorium plenè fuerit evacuatum , uti notat Fevretius *de Abusu , lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 18.

XXXIV. Deindè monet , quòd Ordinarius teneatur dare litteras , vulgò *Visa* , si ipsum provisum prævio examine deprehendat capacem , absque ulla discussione causæ præter examen super capacitate providendi: quia Ordinarius in hoc casu tantùm censetur Executor quoad solum examen super capacitate Provisi ad Beneficium , de quo agitur.

XXXV. Hæ sunt præcipuæ clausulæ , quæ provisionibus Romanis inseri consueverunt ; notatque Chokier ad Regulam de non tollendo jus quæsitum *num.* 15. » quòd omnes clausulæ de » tylo , & consuetudine apponi solitæ , habeantur pro appositis , etiamsi non exprimantur.

XXXVI. Signatura, uti & litteræ concluduntur per appositionem *Datæ* , quæ per *Datarium* , seu ejus substitutum apponi consuevit ; de qua actum est *parte* 1. *tit.* 22. *cap.* 1. ubi unà notatum fuit , primo solere apponi *parvam datam* , ac deinde extensam , & circa parvam datam esse Gallorum speciale privilegium.

CAPUT VI.

De Placeto Regio super Provisionibus Apostolicis.

1 *Ecclesia in promulgandis legibus & mandatis suave Divinum regimen imitatur.*
2 *Non semper in hisce Divinum lumen S. Pontifici adest.*
3 *Patiuntur Pontifices , ut leges ipsorum , antequam recipiantur , revideantur.*
4 *Id potiore jure in Provisionibus Beneficialibus , quam legibus obtinet.*
5 *Antiqua Belgii consuetudo requirit* Placetum *Regium pro executione Provisionis Pontificiæ.*
6 *Hanc consuetudinem inter Jura Belgarum retulit Guicciardinus.*
7 *Eadem est in Gallia & Hispania consuetudo.*
8 *Consuetudo hæc quoad Provisiones Beneficiales per Principum Edicta firmata.*
9 *Gubernatrix Belgii scripsit Litteras Provisionis Nuntii Apostolici deberi placitari.*
10 *Idipsum edixit Philippus II.*
11 *Idipsum Litteris Nuntiorum insertum.*
12 *An hæc Edicta quoad Nuntios hodie observentur.*
13 *Scopus* Placeti.
14 *Supplica pro* Placeto *communicatur Procuratori Regio ; & quare.*
15 *Quid fiat , illo audito.*
16 *Concessio* Placeti *non derogat juri privatorum.*
17 *Clausula conservatoria juris tertii* Placeto *inseri solita.*
18 *Clausula à Senatu Brabantiæ adjici consueta.*
19 *Clausula hæc ostendit , quòd Principes neminem citra juris ordinem jure suo privari velint.*
20 *Id conforme juramento à Principibus Belgii præstari solito.*
21 *Clausula* Placeti *evincit , Executores Bullarum non posse de Beneficiis judicare.*
22 *Placetum subindè annuitur cum limitatione, vel modificatione.*
23 *Modificationes adjiciendæ Provisionibus Beneficiorum Parochialium.*
24 *Frequentia similium modificationem exempla.*
25 *Notabilis clausula addita à Consilio Sanctiore.*

I. REctè nuper notavit Auctor Tractatûs *de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ , lib.* 2. *cap.* 3. Solemne esse Ecclesiæ , ut in gubernandis Fidelibus » Divinum regimen imitetur, » nec solùm attingat à fine usque ad finem fortiter , sed etiam » disponat omnia suaviter. Itaque honoris Principibus debiti me» minit , illorum jura servat illæsa , ordinem , & dignitatem » Episcoporum veneratur , populorum studia , & usus attendit, » omniaque ita ponderat , ut consensum , & obedientiam po» tiùs obtineat , quàm extorqueat ; amore alliciat , quàm timore » impellat : nec infirmitati solùm parcit , sed interdum etiam » malitiæ cedit in iis , quæ cum Religionis periculo non sunt » conjuncta.“

II. Deindè subjungit: » Verùm lumen illud S. Spiritûs , quod » summo Pontifici adest , cùm explicanda sunt fidei mysteria, » & tradenda morum præcepta , non perpetuo illi hypocrita» rum fraudes , aulicorum adulationes , improborum mendacia » detegit , non adversus ambitiosorum importunitatem , Magna» tum preces , suspecta Officialium consilia , immotum servat. » Quid si , quod tamen sine gravi fundamento suspicari nefas est, » summus Pontifex aliquo ulciscendæ injuriæ , congregandarum » divitiarum , augendæ familiæ , aliove pravo affectu impellere» tur ad præcipiendum aliquid suæ potestatis limites transcen» dens , aut justitiæ repugnans ? Nec enim altitudo , & sancti» tas , solii sanctum facit , & à peccato securum. Num , si quid » hujusmodi contingeret , ab exequendo mandato non liceret » abstinere ? Quod autem in mandatis singularibus , etiam in » communibus legibus liceret , quamvis longè difficiliùs legibus » desit justitia , quam præceptis particularibus.“

III. Ex his tanquàm consequens infert : » Possunt igitur, dis» simulantibus etiam summis Pontificibus , expendi novæ leges, » antequam recipiantur , ut si quæ prodierint , quibus non sit » necesse , vel etiam expediens parere , suspendatur executio, » ac suspensionis causæ significentur , dummodo id cum bona fi» de , reverentia debita , & intentione sincera fiat.“

IV. Quòd si hujusmodi per sub vel obreptitionem , aut particularium consuetudinum , privilegiorum , aut jurium ignorantiam , aut aliquorum malitiam in generalibus legibus , quæ maturiùs expendi solent, contigere queant , quantò ampliùs in Provisionibus Beneficialibus , quæ ambitiosorum , & avarorum fraudibus , & importunitatibus , quin & imposturis non rarò obtinentur.

V. Hinc antiqua , ac notissima est Belgii nostri consuetudo , & praxis , ut Bullæ ac Diplomata Pontificia , præsertim in materia Beneficiali , executionem habere nequeant , neque in ju-

judicio proferri, nisi priùs super earum executione habeatur consensus Regius per litteras, quas vulgò hîc dicimus, Litteras *Placet*, vel *Placeti*, Gallis autem dicuntur *Pareatis*.

VI. Hinc jura Belgarum describens Ludovicus Guicciardinus, ait: »Quod res Ecclesiasticas attinet, easdem ferè habet cum Pontifice Maximo Princeps in hac Ditione sua conventiones, quas in Regno suo Rex Galliarum..... nec Beneficium ullum, aut gratiam potest conferre, nec expedire in hanc terram diplomata, aut quid aliud tale, quod effectum sortiatur, absque Principis quidem, vel Consiliorum ejus *placeto*, atque consensu.«

VII. Eam esse usitatam, & notoriam praxim Regni Galliæ, ut provisiones Beneficiales executioni non mandentur sine litteris *Pareatis*, notius est, quàm ut probari debeat.

In Hispania quoque litterarum Apostolicarum executionem differri, ac *suspendi Regii Prætorii decreto, & auctoritate*, testis est Covarrubias *practic. qq. cap.* 35. *num.* 6. rationem subjiciens: »Ut Maximus Christi Vicarius, ait, interim cer»tior fiat, quot & quantis afficiatur incommodis, & gravami»nibus Respublica ista propter multa, quæ ab ipso falsis pre»cibus, & suggestionibus impetrantur, quæ minimè Sanctissi»mus Pontifex foret concessurus, si per sinceram, justamque »narrationem certè sciret, quid spirituali, Ecclesiastico, & »temporali hujus Regni, & Principatûs recto regimini sit con»ducibilius. (i)

VIII. Plura sunt Principum Edicta, quibus hic usus, nominatim quoad Provisiones Beneficiales stabilitur, & inviolabiliter observari præcipitur. Nam uti notat Zypæus in Jure Novo *tit. de Constitutionibus*, *num.* 3. Beneficialia Diplomata subreptione, gratiâ, & sordibus sæpè obtinentur.

Suprà *tit.* 23. *cap.* 1. *num.* 28. meminimus Edicti Philippi Pulchri de 10. Maii 1497. quo admitti vetuit Beneficialia rescripta Curiæ Rom. nisi examinata, recognita, & probata fuerint à supremo Regio Senatu litteris *Placeti* Regii impetratis, & expeditis.

IX. Maria Regens, & Belgii Gubernatrix 9. Martii anno 1553. per litteras significavit Parlamento Mechliniensi, etiam litteras Legatorum sive Nuntiorum Sedis Apostolicæ continentes provisionem Beneficiorum debere *placetari*, tametsi facultates Nuntiorum fuerint placetatæ (k). Habentur hæ litteræ tom. 1. Edictorum Brabantiæ *lib.* 2. *tit.* 1. *cap.* 9. promittiturque in iisdem litteris Edictum extensius super eadem materia.

X. Hoc edictum evulgatum est anno 1574. per Philippum II. Regem Hispaniarum, quo cavit, ne quis ullius argumenti Bullas, gratias, provisiones, indulta, aliave mandata ex Urbe, aut à Legatis Pontificis profecta, per Belgium executioni mandare ausus sit, nisi prius comprobata fuerint, vel in sanctiore Consistorio, vel in Consilio Brabantiæ, sub pœna proscriptiones, & publicationis bonorum in contumaces. Ita refert Hubertus Loyens tractatu *de Curia Brabantiæ*, *cap.* 29. *tit. de Litteris Placeti.*

XI. Et in verificatione Litterarum, seu Facultatum Cardinalis Caraffæ Legati *à Latere* ad has Provincias, cautum est, quòd qui obtinuerint à Legato quamcunque provisionem, gratias, aut Bullas, non poterunt iis uti, sine prævio obtento speciali *placeto* Regio, uti consuetum est fieri in omnibus Provisionibus, & Bullis Apostolicis. Habentur litteræ verificatoriæ in libello continente Privilegia nominationum Lovaniensium, & diversa alia indulta nominandi ad Beneficia &c. impresso Leodii anno 1665. *pag.* 137.

XII. Zypæus loco suprà citato, citatis prædictis litteris Mariæ Regentis dicit, quòd illas quoad Nuntios Apostolicos praxis non observet: »præsertim, ait, cùm Nuntii nunc apud Prin»cipes Belgii resident, & ante exercitium legationis litteras sua»rum facultatum eis exhibent.« Et reverà Nuntii passim solent dare rescripta delegationis Judicum in causis appellationum, quæ citra ullum Principis placitum suam sortiuntur hisce in Provinciis executionem; uti & litteras dispensationum super aliquibus impedimentis Matrimonii, aliisque, ad quæ ipsorum auctoritas se extendit; at si Beneficia conferendi auctoritate uterentur, haud credo, quòd provisiones ipsorum sine *placeto* admitterentur.

XIII. Porrò scopus seu finis hujus *placeti* non est, legitimas Pontificum provisiones infringere, aut earum executioni obicem objicere; sed præcavere, ut ne per sub vel obreptitiè, vel etiam fraudulenter impetratas, vel potiùs extortas provisiones, jura Regia, ac vassallorum violentur; aut Provinciarum receptis ac stabilitis juribus, privilegiis, & consuetudinibus, cum magna Reipublicæ, seu politicæ, seu Ecclesiasticæ perturbatione contraveniatur. Verba Bullæ, ac Diplomata Pontificia revideri debent ab iis, qui supremæ jurisdictioni vice regia præsunt, ut cognoscant, an nihil contineant, aut admixtum habeant quod rempublicam lædere possit, *in quo omnis placeti usus consistit*, inquit Hubertus Loyens loco citato, & suprà ex Covarrubia quoque vidimus.

XIV. Hinc moris est, ut libelli supplices pro impetrandis litteris *placeti* super Bullis Romanis communicentur Procuratori Regio, seu Officio Fiscali; utpotè cujus partes sunt nomine Regis invigilare, ne quid admittatur quod Rempublicam turbare, vel lædere posset.

XV. Audito autem Officio Fiscali, tum Senatus examinat, an *placetum* sit annuendum, vel denegandum. Si enim nihil deprehendat, quod juribus Regiis deroget, aut reipublicæ temporali, vel spirituali noceat, aut inveteratas Patriæ consuetudines, & jura infringat, executionem permittit: Sin autem aliquid prædictorum meritò vereatur, *placetum* denegat, aut saltem differt, quoadusque proprius de sensu Pullæ, rerum circumstantiis, aut mente Pontificis constiterit, & instructus fuerit ipse regius Senatus. (l)

XVI. Porrò sicuti scopus impetrationis *placeti* regii prævie ad executionem Bullarum Pontificiarum, est præcavere, ne quid sub obtentu similium Bullarum irrepat, quod publicum regimen, seu politicum, seu Ecclesiasticum turbet, aut jura regia, vel provinciarum inveteratas consuetudines convellat, ita obtentum *placetum* hoc unum operatur, & declarat, quòd in Bulla nihil illorum occurrat: ideoque Rex, cujus partes sunt jura publica sua auctoritate tueri, executioni illius obsistere nolit.

Si verò privatus quispiam per executionem Bullæ jus suum lædi existimet, huic *Placetum* Regium non officit: utpotè sola jura publica attingens; privatis verò quibusque jus suum conservans, eisque integrum permittens, jus suum coram legitimo judice prosequi.

XVII. Ut id certiùs constet, nullusque dubitandi locus relinquatur, solet ipsis litteris *placeti* adjici hæc clausula finalis: *Salvo jure partis*, *quæ* opponere poterit *quidquid opponendum judicaverit.*

XVIII. Senatus Brabantiæ nomine Regis litteras *Placeti* annuens, hanc cautionem addit, quòd si »occasione hujus provisionis quæstio incidat, ea instituenda & agitanda sit in pos»sessorio quidem coram ipso Senatu Brabantiæ; in petitorio »autem coram Judice Ecclesiastico competente in Brabantia »residente. Et si quæstio per appellationem ad Curiam Ro»manam foret devoluta, tunc ea coram judicibus Delegatis, & »competentibus, atque itidem in Brabantia residentibus pro»sequenda erit.« (m)

XIX. Hic luculenter ostenditur, Regis voluntatem haud esse, ut subditi sui prætextu Bullarum, aut Placeti super earum executione concessi, per viam *facti*, sive extra Juris ordinem, per

(i) *Doctrinæ Covarrubiæ addenda est novissima lex Regni*, *quæ est* 37. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop. anno* 1768. *promulgata in renovatione Pragmaticæ Sanctionis*, *anno* 1762. *editæ*: *In utraque præcipitur ne litteræ Apostolicæ executioni mandentur*, *ni prius in Supremo Castellæ Senatu præsententur*, & Regio Exequatur (*vulgo* el Passe) *impetretur*: *his tantùm litteris exceptis*, *quæ indulgentias* (*circa quas quid sit agendum*, *in leg.* 12. *tit.* 10. *lib.* 1. *Recop. cautum est*) *Dispensationes Matrimoniales*, *Ætatis ad Ordines*, *Extratempora*, *Concessiones Oratorii*, *aliasque ejusdem naturæ continent*: *Attamen Brevia Pœnitentiariæ*, *etiam Sede Episcopali vacante*, *tantùm quæ ad forum conscientiæ spectant*, *excluduntur*, *secùs aliæ concessiones. Quod etiam in Regnis Hispaniæ Indicis observatur per textus in leg.* 2. 3. & 4. *tit.* 9. *Recop. ejusdem*: *adeò ut per remiss. fin. tit.* 9. *lib.* 1. & *Remiss. penult. tit.* 20. *ejusd. libri*, *non solùm litteræ Indulgentiales in Tribunali Sanctæ Cruciatæ*, *verùm etiam in Supremo earum Senatu exhiberi debent*, *eum in finem*, *ut necesse non sit eas inferioribus eorum Regnorum Senatibus præsentare.*

(k) *Conducunt Acta Acord.* 2. 5. 6. & 7. *tit.* 8. *lib.* 1. *Recop. In quibus*, *præter disposita in Regia Pragmatica* num. 7. *citata*, *præscribitur Nuntio Apostolico necessitas exhibendi in Supremo Senatu suæ legationis litteræs*, *ante earum exercitium*, *ut cum restrictionibus in dictis textibus annotatis*, & *Regio Exequatur impetrato*, *illis possit uti. Adde etiam*, *quæ dicuntur num.* 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. & 17. *in Remiss. ad finem ejusdem tit.* & *lib.* & *nota facultates Nuntio Apostolico concessas nullum roborem habere quoad Dominia Indica*, *in quibus illis neutiquam uti potest*, *uti in Schedula Pintiæ expedita* 8. *Maii* 1605. *aliaque Matriti* 10. *Decembris* 1607. *stabilitum est.*

(l) *Cùm verba* Placetum & Regis Exequatur *synonima sint*, *sicuti in Belgio primo indigent*, *ad litterarum Apostolicarum executionem*, *ita secundo in Hispania*, *ùt jam antea declaratum est.*

(m) *Circa causarum devolutionem per appellationem ad Curiam Romanam idipsum in Hispania inter alia stabilitum est in cap.* 12. *Concordati*, *Romanam Sedem interque Regem nostrum anno* 1737. *celebrati*: & *novissimè in erectione Tribunalis*, *vulgò* de la Rota *à SS. P. Clemente XIV. die XXVII. Martii anni* 1771. *approbati.*

per Provinciarum inveteratos mores & privilegia stabilitum, suis juribus priventur, aut lædantur.

XX. Id conforme est juramento, quo Principes Belgii in sua inauguratione se astringunt, quòd neminem subditorum tractabunt, aut tractari sinent, præter ordinem Juris singularum civitatum, & tribunalium, ubi materia incidens agitari debebit.

XXI. Hæc cautio insuper ostendit, clausulam Signaturæ, sive Bullæ, quâ designantur Executores, qui de causa sive in *possessorio*, sive *petitorio* cognoscant, hisce in partibus nullius, aut exigui esse effectus; quemadmodum hoc tit. *cap.* 4. notavi.

XXII. Subindè inspectis Bullis, sive litteris provisionis judicatur earum quidem executionem non omninò impediendam, aut *Placetum* negandum: sed concedi posse cum quibusdam limitationibus, vel modificationibus, non ut auctoritati Apostolicæ, aut ejus Provisionibus aliquid detrahatur, sed ut earum executio cujusque Provinciæ juribus, consuetudinibus, & publico regimini accomodetur.

XXIII. Edicto Caroli V. 20. Octobris 1541. cavetur, ut in omnibus litteris *Placeti*, concedendis super executione Bullarum, sive Provisionum Apostolicarum de Beneficiis Curatis, & Ecclesiis Parochialibus inseretur, quòd impetrans tenebitur residere in loco suæ Curæ, nec possit per alium jubere eam exerceri.

Eodem Edicto mandatur, litteras Placeti non concedi super privilegio non residendi in Beneficiis Curatis, nec super dispensatione in ætate, aut inscitia idiomatis; vel concessione coadjutoriæ Præbendarum, aliorumque simplicium Beneficiorum. Habetur Edictum volum. 1. Edictorum Flandriæ *lib.* 3. *Rub.* 1.

XXIV. Placeto ejusdem Caroli V. super usu privilegiorum nominandi, quæ à Sede Apostolica Facultate Artium in hac Universitate Lovaniensi concessa erant, plures articuli inserti sunt, quibus usus illorum Privilegiorum certis legibus, & limitationibus circumscribitur.

Si Conciliorum registra revolvantur, infinita propemodum reperientur *Placeta*, quibus executio Bullarum sub nonnullis limitationibus, aut modificationibus, Provinciarum, & Ecclesiarum juribus, & privilegiis accommodatis conceditur.

XXV. Notandum, quod refertur in Registro Ms. Archiepiscopatus Mechliniensis *Cent.* 3. *art.* 19. Cùm quidam anno 1624. postulâsset in Consilio Sanctiori Litteras *Placeti* super Bulla provisionis Beneficii vigore factæ resignationis, quæ unâ continebat derogationem *Regulæ*, *de* 20. *diebus*, datum fuit *Placetum* adjecta hac clausula: Sine præjudicio juris contendentium, qui rationes suas hactenus deductas poterunt allegare coram judice competente, sive in possessorio, sive in petitorio: ita tamen, ut si decisio causæ dependeat à puncto derogationis Regulæ *de* 20. *diebus*, in Bulla contentæ, Judices nihil resolvere poterunt, nisi priùs Regem consuluerint, adjecto proprio judicio. Idipsum in eodem Consilio Privato resolutum fuit 19. Junii 1646.

TITULUS XXV.

De Jure Patronatûs.

CAPUT I.

De Origine Juris Patronatus, et de Advocatis Ecclesiarum.

1 *Nomen* Patroni, *uti hodie sumitur, multis seculis ignotum.*
2 *Res tamen significata non ignota fuit.*
3 *Fundatoribus olim tributa, quæ hodie patronis competunt.*
4 *Jura quædam honorifica olim Fundatoribus data.*
5 *Nomina Fundatorum Ecclesiis inscripta; quin eorum nomine appellata.*
6 *Ante seculum VI. Jus Præsentationis competiisse Fundatoris nonnullis visum.*
7 *Jus illud seculo V. competiisse Episcopo Fundatori, certum est.*
8 *An etiam Laicis Fundatoribus?*
9 *Tempore Justiniani Imp. præsentatio Fundatoribus Laicis competebat.*
10 *Competebat etiam eorum hæredibus.*
11 *Seculo VII. illud jus erat receptum in Hispania.*
12 *Fundatoribus erat jus petendi alimenta.*
13 *Erat ipsis & eorum hæredibus jus defensionis.*
14 *Ob hoc jus defensionis Fundatores appellati sunt Advocati, Patroni, & Defensores.*
15 *Præter Fundatores fuerunt jam pridem speciales Defensores.*
16 *Seculo V. hujusmodi Defensores petiti à Concilio Carthaginensi.*
17 *His Defensoribus semper licebat ingredi locum judicii.*
18 *Assumebantur ex numero Scholasticorum, seu Causidicorum.*
19 *Hi postmodum dici cœperunt Advocati.*
20 *Defensores primitùs in causis Civilibus Ecclesiis patrocinabantur.*
21 *Sequentibus seculis assumpti viri potentiores, qui Ecclesias contra oppressiones defenderent.*
22 *Horum Advocatorum fit mentio in antiquis legibus Longobardorum.*
23 *Ratio constitutorum Advocatorum.*
24 *Otho I. Imp. ad instantiam Fundatoris Abbatiæ Gemblacensis dat ei in* Advocatum *Comitem Lovaniensem, ubi & scopus Advocatiæ exprimitur.*
25 *Advocati etiam jus dicebant.*
26 *Advocatis sua jura assignabantur.*
27 *Advocati variis prætextibus plura extorquebant.*
28 *Advocati suas Advocatias aliis in feudum dabant; & Subadvocatum constituebant.*
29 *Plures subinde Subadvocati constituti: sed ne numerus excrescere, cavebant Fundatores.*
30 *Jura Subadvocatorum limitabantur.*
31 *Propter Advocatorum excessus, libertatem non habendi, vel eligendi* Advocatum *Monasteria desiderârunt.*
32 *Id exemplis ostenditur.*
33 *Interdum ipsi Principes sibi Advocatiam reservabant.*
34 *Advocatia omnium Ecclesiarum ab Imperatore delata Duci Brabantiæ.*
35 *Concordatum inter Prælatos, & Ducem Brabantiæ super juribus Advocatiæ.*
36 *Hujus Advocatiæ reliquiæ.*
37 *Quod remedium, ne Advocati Ecclesias in rebus temporalibus gravent.*

I. NOmen ipsum Juris Patronatus eo sensu, quo accipitur sub titulo Decretalium *de Jure Patronatus*, & hodie passim à Canonistis, & Theologis intelligitur, non reperitur, apud antiquos Auctores Canonum, & Legum, ait eruditus Franciscus Florens in Tractatu *de antiquo Jure Patronatu*, monetque nomen *Patroni*, quod in *Cap.* 1. & 2. ✠ *de Jure Patronatus*, apud Gregorium extat deesse in Collectione prima, & in integris Canonibus, qui extant in Concilio Cabilonensi II. sub Carolo Magno, & Triburiensi sub Arnulpho. Fuit autem hæc dictio *Patroni* addita à Raymundo Decretalium Collectore, facilioris intellectus causa: quia ætate Raymundi nomen *Patroni* in ea significatione, quam hodie habet, invaluerat.

II. Verùm, licèt nomen *Patroni* in hodierna significatione ignotum esset, res ipsa tamen non erat omninò incognita; adeò ut hîc applicari queat illud S. Augustini, tractatu *in Joannem*: » Quamvis Parochia, & Monasteria novis nominibus appellata » sint; res tamen ipsæ ante nomina sua erant. «

III. Fundatoris enim, & Fundationis nomine Veteres quidem utebantur, aut ea ferè iis tribuebant jura, quæ ipsis hodie Patronis tribuuntur. Non quidem, quòd hodierna Patronorum jura pristinis Ecclesiæ seculis nota, & secundum modernam disciplinam ordinata fuerint, quod nonnisi sensim accidit, sed quòd in antiquis Canonibus, ac monumentis occurrant multa, quæ ipsum Jus Patronatus, licèt non nomine, reipsa tamen in hodierna etiam acceptione notum fuisse ostendunt; ipsiusque initia, & progressum satis probant.

IV. Imprimis legimus primis seculis jura quædam honorifica ipsis Ecclesiarum Fundatoribus fuisse concessa ex virtute *gratitudinis*, uti loquitur Guillelmus Parisiensis *lib. de Moribus, cap.* 9. Et Alexander III. in *cap.* 24. *de Jure Patronatus*, in prima collectione apud Antonium Augustinum, ait, Sanctos Patres aliqua Patronis reservâsse, *quæ planè observentur.*

V. Si legimus, nomina, & elogia Fundatorum in eorum Ecclesiis solemniter sub initium seculi V. fuisse inscripta; uti testis est, qui sub id tempus floruit, S. Paulinus *epist.* 10. & 12. quin & à Fundatoribus cœperunt, etiam antiquissimis temporibus, ipsæ Ecclesiæ nomen suum mutuare, atque titulus Ecclesiæ nomen Fundatoris præferre. Unde inter titulos, sive Basilicas Romanæ Ecclesiæ numerantur Basilica Constantiniana, titulus Damasi, titulus Equitii, titulus Pastoris, titulus Vestinæ, titulus Eudoxiæ, titulus Lucinæ, & Fasciolæ; nomine petito à Fundatoribus, sive masculis, sive fœminis.

Hæc Florens loco citato, qui pluribus exemplis aliarum Ecclesiarum, quæ à nomine Fundatorum jam pridem appellatæ sunt, idipsum confirmat: notatque, quòd is solus honor Patrono, ut de nomine ejus Basilicæ, id est, Ecclesiæ, Orato-

ri-

ria Monasteria denominarentur, ab initio videatur attributus. Hinc tamen mox quædam alia jura honorifica accessisse patebit ex dicendis *cap.* 6. ubi de hisce juribus tractabitur.

VI. Quin & jus nominationis, seu (uti hodie vocatur) *præsentationis*, à seculo IV. aut saltem initio V. Fundatoribus delatum fuisse, credit Franciscus Le Roy Antecesor Aurelaniensis in Prolegomensis ad titulum *de Jure Patronatus*, *cap.* 2.

VII. Probare id videtur Canon X. Concilii Arausicani I. anno 441. in quo decernitur, Episcopum non esse prohibendum in alieno territorio Ecclesiam edificare, » servatâ, ait, » *ædificatori* Episcopo hac gratiâ, ut quos desiderat Clericos in » re sua videre, ipsos ordinet is, cujus territorium est; vel » si ordinati jam sint, habere acquiescat. «

Quin hîc Episcopo ædificatori jus planè simile jure hodierno præsentationis reservetur, negari nequit; adeoque jus illud jam seculo V. Fundatoribus deferri cœpisse constat.

VIII. Sed id specialiter Episcopo ædificatori indultum fuisse credit Franciscus Florens, eò quòd idem Canon loquens de Secularibus Ecclesias ædificantibus, nihil illis simile annuat. Imò quòd Canon XXXIX. Concilii Arelatensis II. ann. 452. eundem Canonem confirmans additâ hac clausulâ: » Et si quid » Ecclesiæ fuerit ab Episcopo conditore collatum, is, in cu» jus territorio est, auferendi non habeat exinde potestatem. » *Hoc solùm ædificatori Episcopo credimus reservandum*: « quasi ex professo ædificatorem alium præter Episcopum ab hac gratia excludat. Ita Florens.

Verùm si rectè verba expendantur, nescio, an ipse Laicus ædificator eo Canone submoveatur. Quidquid sit, in inficias ibit nemo, quin hisce Canonibus ut minùs fundamentum juris *præsentationis*, quod potiorem ipsius Juris Patronatûs portionem constituit, fundamentum positum sit.

IX. Cùm enim Episcopo gratia hæc ratione ædificatæ Ecclesiæ in aliena Diœcesi data esset, vix fieri potuit, quin hoc exemplo idem jus ad alios Fundatores, eadem suadente ratione, extenderetur.

Et sanè seculo VI. sub Justiniano Imperatore, Monasteriorum, Xenodochiorum, & Ecclesiarum Fundatoribus competisse jus designandi Administratores, Præfectos, & Presbyteros, manifestum est ex *L.* 46. *Cod. de Sacros. Eccles.* & variis Justiniani Novellis: ac notanter *Novella* 57. *cap.* 2. ubi jubet à Fundatoribus *idoneos* in Ecclesiis, quas fundaverint, nominari, & eligi, non quidem quoslibet indifferenter, sed dignos ex Episcopi Diœcesani judicio, & examine probandos: *Ut non* (ait) *profanentur sancta Dei, sed intacta hæc, & ineffabilia, tremendaque constituta, sanctè, & Deo amabiliter, & venerandè tractari.*

X. Idipsum inculcat *Novella* 123. *cap.* 18. quâ non tantùm Fundatoribus, sed etiam eorum hæredibus permisit, ut Clericos denominent, & eligant: idoneos verò nominatos ab Episcopis ordinari, & consecrari vult.

XI Jus illud in Hispania quoque seculo VII. stabilitum fuisse, evincit Decretum Concilii Toletani IX. quo decernitur *Can. II.* » ut quandiu earundem Fundatores Ecclesiarum » in hac vita superstites extiterint, pro eisdem locis curam per» mittantur habere solicitam, & solicitudinem ferre præcipuam; » atque *Rectores* idoneos in iisdem Basilicis iidem ipsi *offerant* » Episcopis ordinandos. Quòd si tales forsan non inveniantur » ab eis, tunc quos Episcopus loci probaverit Deo placitos » sacris cultibus instituat, cum eorum conniventia servituros. » Quòd si spretis eisdem Fundatoribus Rectores ibidem præ» sumpserit Episcopus ordinare, & ordinationem suam irri» tam noverit esse, & ad verecundiam sui alios in eorum lo» co, quos iidem ipsi Fundatores condignos elegerint, ordi» nari. « Refertur à Gratiano *Can.* 32. *caus.* 16. *q.* 7.

XII. Qui & ibidem *Can. XXX.* ex Concilio Toletano IV. *Can. XXXVII.* refert statutum, ut Fundator ad egestatem redactus ab Ecclesia alatur, de quo jure infrà *cap.* 6.

XIII. Ex citato Concilio Toletano *Can. I.* & *II.* videmus, eo tempore Fundatoribus, eorumque hæredibus jus fuisse animadvertendi in conservationem locorum à se vel à parentibus in Ecclesiam collatorum: » Filiis vel nepotibus ac hones» tioribus propinquis ejus, qui construxit, vel ditavit Eccle» siam, licitum sit hanc bonæ intentionis habere solertiam, ut » si Sacerdotem, seu Ministrum aliquid ex collatis rebus pro» viderint defraudare, aut commonitionis honestæ conventio» ne compescant, aut Episcopo, vel judici corrigenda denun» tient. Quod si talia Episcopus agere tentet, Metropolita» no ejus hæc insinuare procurent. Si autem Metropolitanus » talia agat, Regis hæc auribus intimare non differant. « De hoc jure Fundatorum latiùs agemus infrà *cap.* 6.

XIV. Illud interim hîc notandum, ex hac tuitione & patrocinio Ecclesiarum, sive rerum ad eas spectantium, nomen *Patroni*, *Defensoris*, *advocati*, & *Custodis* Fundatoribus datum fuisse; hodieque passim jura, quæ olim Fundatoribus data fuerunt, Patronis tanquam Fundatoribus tributa esse; adeoque sensim nomine *Fundatoris* quasi oblite-

rato, nomen *Patroni* solùm retentum esse.

XV. Id nihilominùs negari non potest, primis & mediis seculis datos fuisse Ecclesiis speciales Defensores, qui & dein *Advocati* dicti sunt, sed à Fundatoribus, & modernis Patronis planè diversos.

XVI. Sub initium seculi VI. Patres Africani in Synodo Carthaginensi resolverunt, ut eorum Legati » peterent ex no» mine omnium Provinciarum à gloriosissimis Imperatoribus, » ut dent facultatem *Defensores* constituendi *Scholasticos*, qui » in actu sunt, vel in munere defensionis causarum, ut mo» re Sacerdotum Provinciæ, idem ipsi, qui *defensionem* Ec» clesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotiis Ec» clesiarum, quoties necessitas fagitaverit, vel ad obsistendum » obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi Judi» cum secretaria. « Finalia verba Codex Græcorum expressit: *Secreta judiciorum ingredi.* Ut autem notat Zonaras ad hunc Canonem, *Secretum* apud Latinos est *judicii locus.*

XVII. Postulant ergo Patres Africani, ut eorum Defensores semper possint ingredi *locum judicii*, sive ut possint habere accessum ad judicem, & causarum expeditionem.

XVIII. Præterea petunt, ut Defensores constituere queant ex Ordine *Scholasticorum*, id est, Causidicorum more *Sacerdotum Provinciæ.* Erant enim inter ipsos Gentiles, Sacerdotes *Provinciales*, sive *Provinciæ*, quorum Curæ suberant templa, atque sacra in Deorum templis peragenda. Hi autem in Africa eligebantur ex ordine Causidicorum ex Constitutione Constantini in *L.* 46. *Cod. Theod. de Decurionibus.* Patrum Postulatis annuit Imperator, permittens, ut more Sacerdotum Provinciæ, *Defensores* Ecclesiarum ex numero Scholasticorum eligerentur, Constitutione relata in *L.* 38. *Cod. Theod. de Episcopis.*

XIX. Hi Defensores postmodum dici cœperunt *Advocati*, uti legitur in Capitularibus Regum Francorum *lib.* 7. *cap.* 392. » Pro Ecclesiarum causis ac necessitatibus earum, atque servo» rum Dei, Executores, vel *Advocati*, seu *Defensores*, quo» ties necessitas ingruerit, à Principe postulentur.“

Et hinc fortè invaluit, eos omnes appellari *Advocatos*, qui alium quoquomodo defendunt, uti monet Franciscus Le Roy in dictis Prolegomensis, *cap.* 10.

XX. Interim ex citato Canone Africano patet, Defensores præcipuè assumptos, ut in causis *civilibus* defensionem, & patrocinium Ecclesiarum susciperent, essentque uti hodie loquimur, Ecclesiarum speciales *Causidici*, seu *Advocati*: & ipsi pro Episcopis, & Clericis in judicium comparerent, & causas prosequerentur; quod minus conveniens Episcopis, & Clericis credebatur: de quo plura habentur apud Du Cange in Glossario, verbo *Advocati.*

XXI. Porrò cùm successu temporis compertum esset, Ecclesias frequenter ampliùs potentiâ, quàm facundiâ pro rerum suarum conservatione adversus potentum, ac divitum oppressionem indigere, cœperunt non ampliùs è Scholasticis, sed è Proceribus, & Optimatibus Defensores Ecclesiarum eligi: qui ob defensionem, & patrocinium Ecclesiis impendendum, exemplo pristinorum Defensorum, dicti quoque fuêre *Advocati*: atque hi sunt, qui à recentioribus Scriptoribus vocantur *Ecclesiarum Advocati*, *Vicedomini*, *Custodes*, & *Guardias* habentes, qui omnes junguntur in *cap.* 23. ✠ *de Jure Patronatus.*

XXII. De his Advocatis extat specialis titulus 47. *lib.* 2. *Legum Longobardorum*, qui inscribitur *de Advocatis*, & *Vicedominis*; atque *cap.* 5. » Omnibus Episcopis, Abbatibus, cunc» toque Clero omninò præcipitur, Vicedominos, Præpositos, » *Advocatos*, sive Defensores bonos habere, non crudeles, nec » cupidos, non perjuros, non falsitatem amantes; sed Deum ti» mentes, & in omnibus justitiam facientes, vel diligentes. «

XXIII. Dein *cap.* 9. ratio redditur, cur expediat Clero hujusmodi Advocatos habere: » Quia Episcopi, & universi Sa» cerdotes ad *solam* laudem Dei, & bonorum operum actionem » constituuntur.“

XXIV. Ipsi Fundatores, ut magis cautum esset rebus Monasteriorum, aut Ecclesiarum, interdum Advocatum designabant, eumque auctoritate Principis confirmari petebant. Exemplum illius occurrit apud Miræum in Codice *Piarum donationum*, *cap.* 32. ubi refertur diploma, quo ad instantiam S. Wiberti Fundatoris Monasterii Gemblacensis, Otho I. Imperator, & Rex Lothariensis, & Francigenum dedit Advocatiam » ipsius » Abbatiæ de Gembloues Lamberto Comiti Lovaniensi, viro » forti, & bellicoso, qui (ait) vice nostrâ, contra omnium in» quietationem, adjutor eorum sit ac defensor.“

In ipsa præfatione idem Advocatiæ scopus exprimitur his verbis: » Ne aliquando secularis potentiæ homines aliqua per» suasione, vel injustâ dominatione perturbent quietem Fratrum. «

XXV. Advocati autem non tantùm Monachos, & Ecclesias ab infestationibus, & irreptionibus defendere debent; sed insuper ipsis, necnon eorum colonis, & aliis eorum subditis justitiam administrare; uti multis ostendit Du Cange in Glossario, verbo *Advocati*; & passim in omnibus fundationum antiquarum diplomatibus indicatur.

XXVI. Ne porrò *gratis* judicia, seu placeta tenere viderentur, certa jura ipsis constituta fuêre, ac ordinariè tertia pars bonorum, sive mulctarum, quæ in reos, sive injustè litigantes decernebantur, ipsis concessa fuit.

Reperitur apud Miræum in Codice *Piarum donationum*, *cap.* 95. charta Conradi Imper. quâ anno 1145. confirmat Marsnam, & alia Prædia Monasterio S. Remigii Remensis donata. In hac charta dicit Imperator: » Nostræ discretionis est, legaliter » providere tam legitimum Monachis Advocatum, qui potiùs » prodesse noverit, quàm obesse, potiùs allodium tueri, quàm » vastare."

Tum deindè describit quid *Advocatiæ* debeatur; atque inter alia ait: » In talibus scilicet *Placitis* generalibus, quantumvis » servitium determinatum, *tertiam* pecuniæ partem, in talibus » *placitis* generalibus acquisitæ, recipiet Advocatus.... Si effusio » sanguinis, seu banni infractio, seu latrocinium infra alodium » emerserint, placitâre non poterit Præpositus sine Advocato; & » exinde tertiam partem recipiet Advocatus. " Pluribus hæc ostendit Du Cange *loco citato*, ac dein notat, quòd Ecclesiarum Prælati, dum hæc tenebantur *Placita*, sive judicia, Advocatis & eorum famulis certa ac definita cibaria exhibere tenerentur.

XXVII. At Advocati hisce non contenti, variis prætextibus jura augebant, variasque taxas exigebant; ipsaque Monasteria, & Ecclesias mirum in modum sæpè gravabant (n): & qui facultates eorum tueri debuissent, eas potiùs rapiebant, & ex Defensoribus direptores facti videbantur.

Hinc in citata charta Conradi Imperatoris: » Exactiones, » talias, quas quidam *precarias*, vel *petitiones* nominant, vel » *accubitus vastatorios*, Regia censura contradicit penitùs Ad» vocato." De hoc excessu Advocatorum sub idem tempus, scilicet seculo XII. querelæ passim in Pontificum, Conciliorum, ac Regum, quin & fundatorum diplomatibus occurrunt; ut videre est apud Du Cange loco indicato, quibus jungi potest Decretalis Lucii III. in *cap.* 23. ✠ *de Jure Patronatus.*

XXVIII. Quin & Advocati, præcipuè personæ illustres, advocationes suas aliis in Beneficium, seu in feudum dabant. Hujus exemplum occurrit in charta Adelberonis III. Metensis Episcopi, in qua explicat jura ad Monasterii Trudonensis Advocatum, & Subadvocatum pertinentia, anno 1065. ubi meminit cujusdam Odonis *eandem Advocatiam in Beneficio* habentis: apud Miræum in *Notitia Ecclesiarum Belgicarum*, *cap* 90. Et apud eundem in Diplomatibus Belgicis *lib.* 1. *cap.* 33. notum facit Balduinus Pius Comes Flandriæ, quòd Advocatiam Monasterii Eihamensis sibi retineat, sed tamen Subadvocatum statuat Arnulphum de Aldenarda; cui *injungimus* (ait) *supplere vicem nostri*, *in parvis tantùm negotiis*, *nobis majora reservantes.*

Rationem præmiserat: » Sed quia vicini ejusdem Ecclesiæ » nonnullas molestias ei inferunt, pro quibus ad nos sæpè recurrere vos oportet, nos verò citra curam nostri Principatus occupati de singulis minutis rebus non valemus ad adjutorium » vestrum venire, aliâ viâ aggressi sumus vobis consultum facere."

XXIX. Cùm autem ejusdem Monasterii, aut Ecclesiæ plura essent nonnunquam prædia à se invicem, & à Monasterio dissita, contingebat, prætextu facilioris tuitionis, ab eodem Advocato plures dari Subadvocatos; quorum numero non rarò Monasteria, & Ecclesiæ haud modicè gravabantur: ideoque nonnunquam in ipsa fundatione numerus determinabatur.

Hujus rei testimonium suppeditat diploma Othonis I. Imp. quo constituit vice sua Advocatum Monasterii Gemblacensis Lambertum Comitem Lovaniensem, eâ adjectâ conditione, » ut » Comes Lovaniensis nunquam in Advocatiam Gemblacensem, » præter *unum Subadvocatum* habeat: id est, ut donum hujus Ad» vocatiæ à Rege (qui major Advocatus est) plusquam ad *ter» tiam* manum nunquam deveniat."

XXX. Dein adjicit, quòd » Subadvocatus in villis ad Abba» tiam pertinentibus nihil aliud juris habeat, nisi per singulos an» nos de unaquaque domo denarium unum, gallinam unam, ave» næ sextarium unum."

XXXI. Verùm cùm experientia quotidiana doceret, quòd neque Canones, neque Principum Edicta, neque Fundatorum leges sufficerent Advocatorum excessus comprimere; tandem Monasteria, & Ecclesiæ vice privilegii habuerunt, à similibus Advocatis liberari; aut saltem posse pro suo arbitrio, quem vellent, Advocatum eligere; neque posse eum *Placitum* nisi invitatum tenere.

XXXII. Apud Miræum in Notitia Ecclesiarum Belgicarum *cap.* 87. exhibetur diploma Henrici III. in quo deplorat, Nivellensem Abbatiam multis calamitatibus fuisse attritam, prædia multa à Comitibus fuisse occupata, quæ restitui mandat; ac dein subjungit: » Non sit ibi Advocatus quisquam, vel Comes, » nisi quem Abbatissa elegerit; nec requirat ipse Advocatus, » vel Comes aliquod judicium, vel placitum, nisi invitetur ab » Abbatissa, vel Præposito. Sit ab omni potestate Comitis, vel » Advocati ulteriùs libera, nisi invitentur justitiæ causâ."

Et quidem *cap.* 101. extat instrumentum dotationis Collegii Canonicorum Lensensis in Arthesia per Comitem Boloniæ, quo » liberam potestatem concedit Canonicis assumendi quem» cunque voluerint Advocatum, qui tandiu, & non ulteriùs, eò» rum rebus, vel eorum causis præsit, *quandiu* eis placuerit."

XXXIII. Videri etiam potest diploma Godefredi Barbati Lotharingiæ, & Brabantiæ Ducis, quo Montem S. Guiberti immunitate, ac privilegiis anno 1123. honorat; atque inter alia decrevit, ut » uno me excepto, nullus ibi quidquam juris habe» ret; *Advocatum nullum*, nisi me susciperet. Per Abbatem, & » per me, si necessitas exigeret, componenda componerentur, » corrigenda corrigerentur." Apud Miræum in Codice *Piarum Donat. cap.* 76.

Hîc obiter notandum, quòd ad Monasteria, quæ ipsos Principes Supremos pro Advocatis, seu Protectoribus habuêre, alludat Synodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 8. *de Reformat.* à visitatione Episcoporum eximens *pia loca*, *quæ sub Regum* IMMEDIATA *protectione sunt*, *sine eorum licentia.*

XXXIV. Refert Zypæus *Resp.* 1. *de Jure Patronatus*, *num.* 15. quòd » Conradus II. Imper. Ducibus Brabantiæ jus » Advocatiæ concedat in omnes Ecclesias, & Ecclesiasticas per» sonas, earumque bona in suo Principatu existentium, sed in » gratiam ipsorum. Quia nimis grave eis esset propter distantiam, » & paupertatem Regem ipsum adire. Ubi & hoc, ait, nulli li» citum esse alicujus Ecclesiæ Advocatiam usurpare, nisi ban» no Regio ad hoc esset institutus. Et infrà; mandat ut nomine » Imperii ita tueantur, & defendant; ità *quòd*, inquit, *ab ipsis* » *nil per potestatem recipiant*, *aut exigant præter jus Advoca» tiæ*; *quia Advocati non debent esse deprædatores*, *sed De» fensores Ecclesiarum.*"

XXXV. Deindè *num.* 16. subjungit: » Cùm Duces Bra» bantiæ progressu temporis plura exigissent, sub Joann. III. an» no 1336. est transactum, ut per omnes simul Brabantiæ Præ» latos præstitis 1600. corevveis, quas *angarias* vocat, & ca» num certorum dierum nutrimentis, ab omni ulteriori onere » essent liberi: *salvis corevveis recipi consuetis in expeditioni» bus*, *& cavalcaturis publicis*, *cùm eos guerram apertam ha» bere contigerit.*"

XXXVI. Hujus Advocatiæ reliquiæ indubiè sunt, quòd Prælati in Brabantia specialiter ipsum Ducem, sive ejus supremum Senatum pro judice recognoscant. Et in Tabulis Legum Brabantiæ Joannis Ducis anni 1312. decernitur: » Insuper vo» lumus, ut Monachi, Moniales, Presbyteri, & qualescunque » Religiosi, si quando offendantur, ad arbitrium nostrum spectent.

Hinc Carolus V. in instructione Præfecti saltuum, Venatoris Brabantis, seu *Warant-meester* anno 1545. ultim. Februar. *art.* 1. asserit, » quòd ab omni ævo Dux Brabantiæ fuit tutor, » & protector omnium Monasteriorum, & locorum piorum, & » bonorum eorum in Brabantia, & per dictum Venatorem ea » defendit, & protexit, & ideò idem Venator omnes injurian» tes ejus punire potest, & de omnibus delictis in Monasteriis » ab aliquibus eò venientibus commissis cognoscere, & punire, » excluso loci ordinario Officiario, qui nequidem per præver» tionem punire potest. Ut Conc. Brabant. 1545. irritam decla» ravit compositionem à Majore de Merecthem factam cum quo» dam, qui silvas Monasterii de Diligem inciderat, seu truncâ» rat; cujus correctio non erat sub ordinaria jurisdictione, sed » Principi, ut *Advocato* Monasteriorum competit, qui eam » exercet per dictum Venatorem."

Hactenùs Zypæus in Jure Novo tit. *de Foro competenti*, *num.* 3. qui & ibidem subjicit, cur hæc tuitio nominatim Præfecto saltuum à Duce demandata sit: » Quæ res (ait) originem » eam habuit, quòd primi Monachi, & Regulares solerent in » saltibus, & rure habitare, ut semoti à strepitu seculari divinis » contemplationibus liberiùs vacarent."

XXXVII. Porrò sicuti contra Abbates seculares, & Commendatarios efficacissimum medium esse diximus, *part.* 1. *tit.* 22. *cap.* 6. si proventus Monasteriorum distribuantur secundum intentionem Fundatorum; similiter nullum potentius remedium erit adversus excessus Advocatorum, quàm si proventus Ecclesiarum, & Monasteriorum in usus pios, & pauperum alimoniam impendantur. Dum enim Principes vident, bona à suis Majoribus donata juxta leges fundationis, & piam parentum voluntatem distribui, incitantur, ut piæ Majorum suorum intentioni faveant, eamque adjuvent: at quando è converso vident, bona illa contra Fundatorum mentem in luxum, & profanos usus insumi, incitantur, ut ea retrahant, aut saltem minus defendant; atque frequenter verificatur illud vulgatum: *Quod non capit Christus*, *rapit Fiscus.*

CA-

(n) *Subditis Regi Catholico subjectis sine ejus consensu nulla gravamina imponi possunt*, *leg.* 4. *cap.* 14. & 20. *tit.* 14. *lib.* 3. *leg.* 19. *tit.* 6. *lib.* 3. *leg.* 27. *tit.* 25. *lib.* 4. *leg.* 1. 2. 3. & 9. *tit.* 11. *lib.* 6. *Recop. Act. Acord.* 1. *cap.* 2. *tit.* 6. *lib.* 3. & *Act. Acord.* 4. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recopilat. ejusdem.*

CAPUT II.

De varia specie Juris Patronatus.

1 *Primis seculis omne Jus Patronatûs erat ejusdem naturæ.*
2 *In Synodo VIII. videtur aliquod vestigium distinctionis.*
3 *Hodie aliud est laicum, aliud Ecclesiasticum; & notabiles utriusque differentiæ.*
4 *Non omne, quod competit personæ Ecclesiasticæ, est Ecclesiasticum.*
5 *Etiam competens Ecclesiastico ob donatos proventus Ecclesiasticos, non est semper Ecclesiasticum.*
6 *Quid sit propriè Jus Patronatus Ecclesiasticum.*
7 *Potest esse Ecclesiasticum, licèt ex fundatione laici habeat originem.*
8 *Descripto Juris Patronatus laicalis.*
9 *Laicale etiam est, licèt patrimonium acquisitum sit ex rebus Ecclesiæ.*
10 *In dubio potius censetur laicum, quàm Ecclesiasticum.*
11 *Juspatronatus laicale, quando dicatur reale.*
* *Jus Patronatus annexum feudo, manet laicum, si cum feudo transivit ad Ecclesiam.*
12 *Juris realis Patronatûs fit frequens mentio in Decretalibus.*
13 *Hoc jus originem habuit ex Oratoriis in Nobilium castris, & villis constructis.*
14 *Nominatio Presbyterorum ad similia Oratoria primitùs non erat propriè* Præsentatio.
15 *Quomodo in veram præsentationem transierit.*
16 *Jus Patronatus Ecclesiarum ruralium, & Minorum Capitulorum hinc originem sumpsisse videtur.*
17 *Quandonam Jus Patronatus laicum dicatur* personale.
18 *Idem Beneficium subinde est Jurispatronatus laici & Ecclesiastici.*
19 *Aliquando laicus & Ecclesiasticus tantùm concurrunt divisim, vel alternativè.*
20 *Simili casu utrumque Jus Patronatus manet separatum.*
21 *Ecclesiasticus in suo turno gaudet prærogativis laici.*
22 *Si laicus, & Ecclesiasticus verè concurrant, erit Juspatronatus* mixtum.
23 *In mixto attenditur qualitas conservationi Jurispatronatus magis favens.*
24 *Si agatur de præscriptione, attenditur jus Ecclesiasticum.*
25 *Sæpiùs attenditur laicum ob hujus prærogativas.*
26 *Id procedit, licèt plures sint Ecclesiastici, &* unus *tantùm laicus.*
27 *Jus Patronatus ad Beguinas, Confraternitatem laicam aut Ecclesiarum Edituos spectans, quale sit.*
28 *Jus Patronatus ad Universitatem Parisiensem pertinens declaratum fuit* laicale.
29 *Prædicta jura, licèt possint dici mixta prævalet tamen qualitas laicalis.*

I. NOtant communiter Interpretes, multis seculis unius duntaxat generis Jus Patronatus fuisse; neque differentiam ullam inter Ecclesiasticum & laicum in antiquis Canonibus, vel Novellis Justiniani notam esse: sed divisionem Juris Patronatûs in Ecclesiasticum & laicum, & differentias inter utrumque sensim labentibus seculis, non tam Canone, quam consuetudine invaluisse; uti infrà *cap.* 5. ostendetur.

II. Aliquod vestigium distinctionis videtur occurrere in Canone XV. Concilii Œcumenici VIII. circa finem seculi IX. Dicitur enim: » Si Episcopus convictus fuerit construxisse Mo» nasterium redditibus Ecclesiasticis, tradat ipsum eidem Ec» clesiæ Monasterium; si verò de *propriis* rebus, aut aliis qui» busdam conventionibus, habeat id secundum propriam po» testatem, & voluntatem, omni vita sua; & post finem vitæ » dimittat, & conferat hoc quibuscunque voluerit, non ta» men seculare diversorium fiat. «

III. Hîc de Jure Patronatûs ipsius Monasterii agi, ex contextu Canonis sat verisimile apparet: quidquid interim sit, hoc indubitatum est, hodie receptam esse divisionem Juris Patronatûs in *Laicum*, & *Ecclesiasticum*, atque inter utrumque varias, ac notabiles intercedere differentias, ut proindè necesse sit scire, ad quam speciem hoc, illudve Jus Patronatûs referendum sit.

IV. Jus Patronatûs non semper Ecclesiasticum est, quia competit personæ Ecclesiasticæ, nisi illi ratione tituli Ecclesiastici, sive Ecclesiæ competat. Quod enim ratione sanguinis, aut patrimonii competit, semper censetur laicum, sive obtinens sit laica, sive Ecclesiastica persona. Clericus enim quoad patrimonialia reputatur laicus.

V. Imò cùm Clerici hodie proventus Ecclesiasticos adinstar patrimonii *suos* faciant, & in foro externo ut patrimonialia passim reputentur quoad liberam dispositionem tam inter vivos, quam mortis causa, Jus Patronatus ex propriis ejusmodi bonis Clerico obveniens, *laicum*, & patrimoniale reputabitur, ait Franciscus Le Roy in Prolegomenis ad titul. *de Jure Patronatûs*, *cap.* 6. » Nisi Clericus palam, & conceptissimis ver» bis testetur, & scribat, se Ecclesiam illam fundare ex bo» nis alterius Ecclesiæ, quam tenet, eique Jus Patronatûs addicat. «

VI. Jus Patronatûs Ecclesiasticum itaque propriè dicitur, quod competit Ecclesiæ, seu ratione Ecclesiæ sive Clerico, sive etiam laicæ personæ, v. gr. Abbatissæ.

VII. Neque refert, quòd primitùs ex patrimonio, & fundatione laici originem habuerit: nam sufficit posteà quovis modo, sive testamento aut donatione, translatum esse in Ecclesiam, Capitulum, seu Collegium Ecclesiasticum Canonicorum regularium, aut secularium; aut alicui Dignitati, aut Beneficio Ecclesiastico esse annexum.

Ita communiter docent Canonistæ, & non obscurè probatur in *Cap. unico, de Jure Patronatus, in VI.* ubi dicitur, quòd Ecclesia, vel Monasterium, cui à laico Juris Patronatûs collatio facta est, habeat *semestre* ad præsentandum; quod evidens est Juris Patronatûs Ecclesiastici indicium, uti infrà *cap.* 5. videbimus.

Huic Canonistarum resolutioni etiam consonat moderna praxis. Hoc ipso enim, quo Jus Patronatus probatur alicui competere ratione Dignitatis aut tituli Ecclesiastici, reputatur Ecclesiasticum; neque de origine ipsius ulterius inquiritur.

VIII. Laicale verò appellatur, quòd alicui, sive laico, sive Clerico competit ratione proprii patrimonii, non Beneficii, vel Ecclesiæ.

IX. » Nec interest, quòd patrimonium illud acquisitum sit » intuitu Ecclesiæ. Quia cum ex generali consuetudine Clerici » de talibus bonis testari possint, & in illis eis ab intestato suc» cedatur, sicuti in patrimonialibus, (o) videtur Clericus do» tans, vel extruens Ecclesiam sibi, suisque hæredibus, vel » consanguineis Jus Patronatûs ratione patrimonii reservâsse, & » ita laicale judicatur. « Ita Emmanuel Gonzalez ad *Cap.* 5. *de Jure Patronatus, num.* 3. consentitque Franciscus Le Roy in Prolegomenis ad titulum *de Jure Patronatus*, *cap.* 6.

X. Qui & ibidem tradit, » verius esse, quòd si dubium » sit, quale sit jus Clerico competens, an laicum, an Eccle» siasticum, in dubio judicandum sit laicale; quia Clerici nihil » habere præsumuntur in bonis, ut de S. Augustino Possi» dius, & quia omnes ferè antiqui Canones, ubi de jure Fun» datorum, agunt tantùm de laicis, & eorum hæredibus. « Hæc Le Roy addens ita in Gallia obtinere, ob privilegia huic specialiter competentia, idque confirmari credens verbis Guillelmi Benedicti ad *Cap.* RAYNUTIUS, verbo *Et uxorem* NOMINE ADELASIAM, *decis.* 1. *num.* 24. » Omnia Beneficia præsupponuntur » habere Patronos, Fundatores, aut Dotantes, cùm naturali» ter Beneficia non nascantur, sed producantur in esse artificia» liter per laicos, qui ut plurimùm sunt Ecclesiarum Fundatores. «

XI. Jus Patronatûs ulteriùs dividitur in *reale*, & *personale*. Reale dicitur, quod glebæ seu fundo, vel castro alicui adhæret, & à Fundatore adscriptum est.

* Si Jus Patronatus sit reale, sive adhærens alicui feudo; illudque cum *nexu feudali* transierit in Monasterium vel Capitulum, Jus Patronatûs huic feudo annexum manere, & reputari Laicum, notat Molinæus *ad Consuetudines Parisienses*, §. 45. *num.* 24. & ad Regulam Cancellariæ *de Infirmis Resignantibus*, *num.* 46. & in notis ad hunc locum Molinæi Georgius Louetius ita scribens: » Ecclesiastici (qui inter homines *ma*» *nus mortuæ* in Regno annumerantur) ex Regis privilegio (ad» mortisamenta Pragmatici vocant) possunt in Regno immo» bilia possidere, feuda, & alias feudales dignitates: & tales, » privilegii virtute, feuda integrè possident sine ulla diminutio» ne cum omni jure, ut cæteri Regum homines, nec feudo» rum jura in aliquo in eorum persona diminuuntur: ideò si » Jura Patronatûs à feudis dependeant, naturam, & qualitatem » primam Juris Patronatus *Laicorum* retinent, quæ non con» funditur, nec mutatur: Ecclesia enim alio jure immobilia » possidet, alio ea, quæ sunt juris *spiritualis*, seu *Ecclesias*» *tici*: causæ sunt distinctæ, media separata, extrema veluti » inter sese opposita, quæ unionem & confusionem impedlunt: » & cùm Ecclesiastici Ordinis intersit, primam hanc Juris Pa» tronatûs qualitatem retinere, ut libera, & absque ulla Sum» mi Pontificis prævention Juris Patronatus remaneat dispositio, » iniquum esset, privilegia concessa eis esse damnosa. «

Hæc porrò procedunt, & dicta sunt de illo Jure Patronatûs ratione feudi competente, non de illo, quod ratione *personæ* tantùm competit: » Si enim jus illud Patronatûs *me*» *rè personale* ad Ecclesiam quoquo titulo pervenerit, erit Ec» cle» *cessione bonorum Ecclesiasticorum, intuitu Ecclesiæ, an patrimonii, sint ea adquisita.*

(o) *In Hispania hujus consuetudinis observantia per* leg. 13. tit. 8. lib. 5. Rec. Remissionemque 14. ad finem tit. 3. lib. 1. ejusdem, *commendata est: ideò nullum datur discrimen in suc-*

» clesiasticum, cùm primum *Laici* subjectum amiserit, & aliud » Ecclesiasticum susceperit: ita intelligitur (ait Auctor præ- » dictus) *cap. Si Laicus, de Jure Patronatus, in VI.* non ve- » rò de Patronatu fundo, vel feudo inhærenti, ut imperiti non- » nulli dixerunt. «

XII. Juris realis Patronatûs mentio occurrit in *Cap.* 18. ✠ *de Sententia & Re judic.* ubi quæstio incidit occasione fundi, vel curiæ in pignus dati, cui Jus Patronatus adhærebat: An præsentatio vigore hujus Juris Patronatûs competeret Creditori, cui fundus datus erat *in pignus*; an verò ipsi Debitori, qui manet dominus fundi. De qua quæstione agetur *cap.* 4.

Et in *Cap.* 7. ✠ *de Jure Patronatus*, supponitur Jus Patronatûs annexum certæ *villæ*; quæriturque, cui competat, an domino villæ, an ei, cui villa data erat *ad firmam*; de qua quæstione similiter *cap.* 4. discurretur.

XIII. Jus Patronatûs hoc originem habuisse apparet ex Oratoriis, & Sacellis, quæ jam pridem viri nobiles circa suos fundos, aut in suis domibus extruebant. Cùm enim domus, seu castra ipsorum, vel etiam villæ fundis ipsorum adjacentes procul ab ipsa Ecclesia Parochiali distarent, pro commoditate familiæ hæc Oratoria, vel Sacella extruebant; iisque Presbyteros, qui sacra peragerent, præficiebant cum consensu Episcopi, uti colligi potest ex Canone XXII. Synodi Agathensis, necnon multis Canonibus Conciliorum seculo VII. & VIII. celebratorum; in quibus sæpiùs hujusmodi Oratorium, & Presbyterorum mentio fit. Porrò quia hæc Oratoria, & Sacella pro commoditate castrorum, vel villarum, seu ea inhabitantium erant instructa, visum fuit, quòd ex mente Fundatorum sequi deberent dominos castrorum, & villarum: ac per consequens, & ipsis deferendam assumptionem, seu nominationem Presbyterorum, qui hisce Oratoriis, vel Sacellis deservirent.

XIV. Hæc quidem nominatio Presbyterorum ad similia domestica Oratoria primitùs non erat propriè dicta *præsentatio*, qualis hodie Patronis competit, quia cùm Oratoria hæc non essent erecta in Beneficia, dici nequibat *præsentatio* strictè dicta; præsentatio enim tantum fit ab Beneficia, sive consistit in nominatione Clerici ad Beneficia.

XV. Verùm successu temporis, Oratoria, seu Sacella pro commoditate Nobilium, eorumque familiis extructa, & fundata, non tantùm in Beneficia Simplicia, sed etiam in Parochiales Ecclesias mutata fuêre; uti ostendit Ludovicus Thomassinus *de Disciplina Eccles. part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 33.

XVI. Imò cum Principes subinde plures Presbyteros in suis castris, aut villis adscripserint, qui ibidem integrum Officium Canonicum peragerent, contigit, ut Oratoria similia in Canonicorum Capitula denegârint. Exemplum hujus habemus in Canonicis Capellæ Ducis Burgundiæ, de quibus in *Cap.* 16. ✠ *de Privilegiis.*

Dum ergo prædicta Oratoria, seu Sacella transierunt in similia Beneficia, mansit Jus Patronatûs, seu jus præsentationis, apud illos, quibus fuerat jus nominandi Presbyteros, priusquam essent in Beneficia erecta.

Hinc non malè advertit, qui hanc esse causam autumat, cur plures Ecclesiæ Parochiales, & minora Capitula ruri existentia, sint Juris Patronatûs laici.

XVII. Jus Patronatûs laicum dici potest *personale*, quando fundatione, dotatione, aliove titulo competit independenter ab aliqua certa re, cui esset annexum.

Nec enim *personale* dicitur, quasi certæ alicui personæ adstrictum sit; sed ut ab eo distinguatur, quòd *rei* inhæret, sicuti hodie personalia nomina, seu credita non eo tantùm titulo dicuntur, quòd certam aliquam personam non egrediantur, nec ad hæredes transeant; sed quòd prædiis, aliisque rebus non inhæreant: neque *realizatæ*, ut loquuntur, sint, at in mera personalitate subsistant.

XVIII. Interdum contingit, ut idem Beneficium sit Juris Patronatûs Laici, & Ecclesiastici, sintque reverà ejusdem Beneficii duo Patroni, alter Laicus, alter Ecclesiasticus.

XIX. Contingere verò potest, ut hi Patroni in præsentatione non simultaneè, sed divisim, vel alternativè concurrant: ita ut per vices, seu per turnum Jure Patronatûs utantur: atque in turno unius interquiescat, & quasi cesset Jus Patronatûs alterius; ipsæque litteræ præsentationis unius tantùm Patroni, scilicet Turnarii mentionem faciant.

XX. Hoc casu, cùm propriè hi duo Patroni non concurrant in præsentatione, sed singuli separatim suo jure utantur, etiam ipsa Jura Patronatûs non censentur sibi juncta; nec unum alteri commixtum; nec dici potest conflatum è bino illo Jure Patronatûs unicum, quod *mixtum* diceretur: at in turno laici manet merè laicale, in turno autem Ecclesiastici merè Ecclesiasticum.

XXI. Quare in turno Ecclesiastici sortitur conditionem, & qualitatem Juris Patronatûs Ecclesiastici.

Unde, licèt præventio Papæ locum non habeat in Gallia quoad Beneficia Juris Patronatûs laici, aut mixti, eam tamen locum habere in turno Ecclesiastici, quando prædicto modo turnatim conferunt laicus, & Ecclesiasticus, non semel judicatum fuisse refert Charondas in *Observat. ad Jus Francorum.* Item subjacere nominationi Graduatorum, judicatum refertur in libro, cui titulus, *Journal des Audiences, part.* 2. *lib.* 2. *cap.* 43.

XXII. Si autem Patroni hi, scilicet laicus, & Ecclesiasticus, verè concurrant in usu Juris Patronatûs, atque simul præsentent, litteræque præsentationis utriusque nomine expediantur, tum jura illa sibi invicem quasi miscentur, atque unum quodammodo Jus Patronatus constituunt, quòd *mixtum*, tanquam ex duobus compositum dici solet.

XXIII. Cùm igitur hoc jus habeat mixturam utriusque juris Ecclesiastici, & laici, etiam maturam, & conditionem utriusque induit: ita quidem ut in casu particulari attendatur conditio unius, aut alterius, quæ conservationi ipsius juris videtur favere. Et ratio est, quam tradit Glossa, & quam omnes passim sequuntur, in *Cap. unico, de Jure Patronatus, in* VI. quòd propter communionem non privilegiatus sortitur naturam privilegiati.

XXIV. Hinc infert Fagnanus ad *Cap.* CUM PROPTER ✠ *de Jure Patronatus, num.* 28. & 29. quòd » si agatur de præs- » criptione Patronatus mixti, in qua Ecclesia est magis privile- » giata, quàm laicus, censetur Patronatus totus Ecclesiasticus, » ut requiratur ab ejus præscriptionem idem tempus, quod re- » quiritur contra Ecclesiam. Similiter cùm Patronus laicus habeat » ad præsentandum quadrimestre, Ecclesiasticus semestre, si » mixtus sit Patronatus, uterque Patronus habebit semestre, » quia hoc casu melior est conditio Patronatus Ecclesiastici, » quàm Laicalis. «

XXV. Deindè de prærogativis Juris Patronatus laicalis subjicit: » E converso, si versemur in materia, in qua Jus Patro- » natus laicorum sit firmius, & magis privilegiatum, quàm Ec- » clesiasticum, Patronatus mixtus ex utroque totus censetur lai- » calis. Et ideò cùm in materia derogationis potentior sit Patro- » natus laicalis, quàm Ecclesiasticus, quamvis Legatus *de la-* » *tere* possit conferre Beneficia Juris Patronatûs Ecclesiastici, non » tamen poterit conferre, quæ sunt Patronatûs *mixti*: quia in » hoc reputantur, ac si essent Patronatûs *ex toto* laicalis. «

XXVI. Probat quoque ibidem Fagnanus, quod & suprà *tit.* 23. *cap.* 4. diximus, Jus Patronatus mixtum censeri laicale quoad prærogativas juris laicalis, tamessi multò plures essent Ecclesiastici Patroni, quàm Laici: imò tametsi multi essent Ecclesiastici, & unus duntaxat laicus; atque tandem *num.* 59. ex dictis concludit, » in mixtis prævalere qualitatem magis fa- » ventem, & per quam jus alterius non læditur ex communio- » ne, etiamsi qualitates contrariæ sint numero plures. «

XXVII. De aliquibus Juribus Patronatûs jam pridem dubitatum fuit, cui speciei accensenda essent, & consequenter quibus regulis, & conditionibus subjacerent.

Atque ita dubitatur de Jure Patronatûs ad Confraternitatem (p) laicorum, aut Ecclesiarum ædituos spectante, cujus generis censendum sit. Credit Philippus Probus in additionibus ad Glossam Pragmaticam *de Collat.* §. *Statuit*, verbo *Præsentatio*, Jus Patronatus competens Beguinis, prout & illud, quòd obtinent procuratores fabricæ, esse Ecclesiasticum. Idipsum notat *tit. de Elect.* §. *quod si quis*, verbo *Fabricæ.*

Covarrubias verò *Practicar. Quæst. cap.* 36. *num.* 8. loquens de Beneficiis spectantibus ad Jus Patronatûs, seu presentationem alicujus Fraternitatis laicorum, qui solent causa pietatis Collegia aliqua constituere, censet hoc Jus Patronatûs, & ei simile, non esse Ecclesiasticum, sed *laicorum.*

» Nam etiamsi hoc Collegium (ait) causa pietatis constitutum » adhæreat, & sit affixum alicui Ecclesiæ, ipsi tamen, ex qui- » bus Collegium, & Universitas constat, & ad quorum voces, » ac suffragia præsentatio fit, laici sunt omninò, & ad hanc » Universitatem laicorum præsentatio pertinet, non ad Eccle- » siam, nec ad aliquam Ecclesiasticam dignitatem. Sic sanè » aliquot aliis adductis hanc opinionem veram esse censet Feli- » nus. Unde omnia, quæ conveniunt Juri Patronatûs laicorum, » erunt planè applicanda, & aptanda huic Juri Patronatus com- » petenti fraternitatibus laicorum, etiamsi hæc Collegia adhæ- » reant alicui speciali Ecclesiæ. Atque ideò apud Hispanos non » admittuntur derogationes, quæ fiunt in præjudicium præsen- » tationis, quæ ad hæc Collegia pertinent. «

XXVIII. Similiter refert Renatus Choppinus *lib.* 3. *de Dominio Regis, tit.* 27. *num.* 12. post longas utrinque disceptationes judicatum fuisse à Supremo Regis Senatu, Jus Patronatûs spectans ad Universitatem Parisiensem, censeri eatenus saltem esse *laicum*, ut ei per reservationem, præventionem, aliisque modis derogari nequeat, sed placere ab Academia sola, quasi à profano » Patrono, ad vacua imposterum Sacella candidatos » suos offerri, nominarique ordinario Collatori; « uti loquitur Choppinus.

Li-

(p) *Jus Patronatus posse habere Confraternitates asserit Hispana* lex 11. convent. 4. tit. 6. lib. 1. Recop.

XXIX. Licèt enim negari nequeat, quin similia corpora aliquam rei spiritualis mixturam habeant, eoque titulo Jus Patronatûs illis annexum meritò dici queat *mixtum*, uti ad citatum locum Glossographi Sanctionis Pragmaticæ, verbo *Fabricæ*, in margine notavit Franciscus Pinsonius, nihilominus, quoad prærogativas Juri Patronatûs laico competentes, dici debebit, & rectè vocabitur *laicum*, juxta ea, quæ de Jure Patronatûs mixto suprà notata sunt.

Huic conforme est, quòd Magistri Fabricæ Ecclesiarum, aut Mensæ pauperum, si laici sint, & à laicis instituantur, ratione administrationis, non coram Judice Ecclesiastico, sed laico hodie conveniantur, uti *part.* 1. *tit.* 5. *cap.* 5. *num.* 7. notatum est. Indicium haud obscurum, hujusmodi Corpora magis ut laica, quàm ut Ecclesiastica reputari. (q).

CAPUT III.

De Modo acquirendi, et probandi jus Patronatus.

1 *Præcipuus titulus acquirendi Jus Patronatûs est Ecclesiæ fundatio.*
2 *Ex fundatione acquiritur sine speciali reservatione.*
3 *Non usus inducit præsumptionem non reservationis.*
4 *Ubi constat de fundatione, pro Jure Patronatûs præsumitur.*
5 *Modò sit vera fundatio.*
6 *Solius fundi donatio non sufficit.*
7 *Fundatio ex Canonum præscripto requirit dotationem sufficientem.*
8 *Requiritur constructio, & dotatio.*
9 *Idipsum probat Synodus Tridentina.*
10 *Fundi Dator potest Benefactor, sed non Patronus haberi.*
11 *Synodus Tridentina non vult ob quamcumque dotationem Jus Patronatus admitti.*
12 *Ob dotationem, aut dotis augmentum Jus Patronatûs sine consensu prioris Patroni non annuendum.*
13 *Fallit, si Patronus dotare nolit; nec aliter dos haberi queat.*
14 *Quomodo per fundi dationem, dotationem, & constructionem tres Patroni constitui queant.*
15 *Primitùs jus hoc solo fundationis titulo delatum.*
16 *Cœpit postmodum etiam titulo præscriptionis; & quare.*
17 *Requiritur tempus memoriam hominum excedens.*
18 *Id probatur Decreto Synodi Tridentinæ.*
19 *Quot præsentationes requirantur ad præscriptionem.*
20 *In quibus personis Synodus Trid. requirat ampliores probationes Juris Patronatûs.*
21 *Nonnulla Jura Patronatûs rejicit.*
22 *Qui tantùm est in quasi possessione Juris Patronatûs, an ex Decreto Concilio Tridentini præsentare queat.*
23 *Probatio per Concilium requista etiam obtinet in possessorio.*
24 *Fallit, si tantùm sit quæstio, cui competat.*
25 *Jus Patronatûs ortum alio quàm fundationis titulo, per Synodum Triden. abrogatum.*
26 *Concilium Trident. apud Belgas promulgatum salvo Jure Patronatûs Regii, & Vasallorum.*
27 *Decreta Concilii Triden. in quantum restringunt Jus Patronatûs laicorum, in Belgio non sunt recepta.*
28 *Probatio Juris Patronatûs in Belgio admittitur adinstar aliorum jurium.*
29 *Præsentatus à possessore præfertur præsentato à proprietario.*
30 *Ipsa immemorialis possessio habetur pro vero titulo, & quod in Gallia obtinet.*
31 *Olim laici Ecclesias occupárunt; & quomodo inde ortum Jus Patronatûs.*
32 *Quomodo ulteriùs ad Monasteria, & Capitulum devolutum.*
33 *An privilegio Pontificis acquiri possit.*
* *Utrum Pontifex Beneficia liberæ collationis possit subjicere Juri Patronatûs.*

I. JUs Patronatûs acquiri, ac jampridem concessum fuisse Ecclesiarum Fundatoribus, ostendimus capite primo, hunc que esse legitimum, magisque probatum titulum Juris Patronatûs nemo dubitat.

II. Et quidem vi fundationis acquiri Jus Patronatûs sine speciali reservatione fundatoris, aut concessione Episcopi, non obscurè insinuat Clemens III. in *cap.* 15. ✠ *de Jure Patronatus*; præsertim si addantur, quæ leguntur in integra Decretali apud Antonium Augustinum in secunda Decretalium Collectione. Constat enim ex integra Decretali, quæsitum fuisse à Clemente III. *Si aliquis efficiatur* Sola *Ecclesiæ constitutione Patronus.* Cui quæstio ita respondit Pontifex: *Quòd si aliquis Ecclesiam cum assensu Diœcesani construxit, ex eo Jus Patronatûs acquirit*: quasi diceret, solam fundationem sufficere, nec requiri specialem juris illius reservationem.

Hinc Glossa ad *Can.* 6. *de Consecrat. dist.* 1. ait: »Fundatori Jus Patronatûs *ipso jure* debetur, etiamsi non petat, »vel in pactum deducat.«

Hanc opinionem multis astruit Franciscus Le Roy in Prolegomenis ad Commentarium de Jure Patronatûs *cap.* 15. & ita in Rota Romana resolutum fuisse refert. Unà tamen monet, quod licèt specialis reservatio non sit necessaria, præsertim per scripturam, tutius tamen sit, tabulas conscribi, & in iis Jus Patronatûs nominatim reservetur, ut si dubitetur, facilius probari possit.

III. Attamen si ab antiquo fundata fuerit Ecclesia, & Fundator ejusve hæredes Jure Patronatûs usi non sint, præsumendum est, eos in ipsa fundatione jus hoc remisisse ac voluisse fundare Ecclesiam liberam, aut certè successu temporis, saltem tacitè, eo non utendo, renuntiâsse; uti monet ibidem Le Roy.

IV. Interim si de Jure Patronatûs dubitetur, & probetur aliquem esse Fundatorem, aut saltem Fundatoris hæredem, ipsi Jus Patronatûs adjudicabitur: eò quòd fundatio secum soleat trahere Jus Patronatûs; ideoque præsumatur Fundatori reservatum, nisi contrarium quodammodo ostendatur: quod & innuitur in *cap.* 14. ✠ *de Testibus*, ubi ad probandum Jus Patronatûs, sola *Fundationis* probatio requiritur.

V. Hæc autem intelligi oportet de veris Ecclesiæ Fundatoribus, id est, qui & fundum ac dotem convenientem pro fabrica, nec non ministris, aliisque necessariis ad Dei cultum ritè peragendum conferunt, quique ideò veri Ecclesiarum Fundatores dici merentur.

VI. Quòd enim nonnulli per *fundationem* intelligi voluerint *fundi dationem*, quasi solius fundi, in quo Ecclesia materialis ædificari posset, datione, sive alicujus *dotis* assignatione Jus Patronatûs censeretur acquiri, à jure hodierno, & pristinis Canonibus alienum est.

Tam enim in Decretalibus, quàm sacris Canonibus, fundatio accipitur pro constructione & dotatione, quemadmodum pluribus citatis ostendit Le Roy in dictis Prolegomenis *cap.* 13.

VII. Deinde Canones loquentes de *fundatione* indubiè loquuntur de *fundatione* sive extructione ritè, & secundum Regulas Canonicas peragenda. Canones autem prohibent ædificari Ecclesiam, nisi priùs assignentur, quæ necessaria sunt pro luminaribus, pro custodia & ministrorum stipendiis; quinimò ante ipsam fundationem dos assignari debet, uti post alios rectè advertit Fagnanus ad *cap.* Quoniam ✠ *de Jure Patronatûs*, *num.* 34.

VIII. Hinc ulteriùs ibidem latè probat, Jus Patronatûs solâ *fundi* datione non acquiri, neque solâ constructione; sed constructione & dotatione: quod & astruit Zypæus *Resp.* 3. *de Jure Patronatûs*; illudque conforme est Concilio Tridentino *Sess.* 14. *cap.* 12. & *Sess.* 25. *cap.* 9. *de Reform.*

IX. Nam dicto *cap.* 12. expressè statuitur: »Nemo etiam »cujusvis dignitatis Ecclesiesticæ vel secularis, quacunque ra»tione, nisi Ecclesiam, Beneficium, aut Capellam de novo fun»daverit, & construxerit; seu jam erectam, quæ tamen sine »sufficienti dote fuerit, de suis propriis & patrimonialibus bo»nis competenter dotaverit, Jus Patronatûs impetrare, aut ob»tinere possit, aut debeat. In casu autem fundationis, aut do»tationis hujusmodi institutio Episcopo, & non alteri inferio»ri reservetur.

X. »Qui ergo vilem tantùm aream dederit (ait Zypæus ibi»dem *num.* 9.) nihil de suo aliud in dotem, vel structuram »contulerit, Patronatum acquirere non potest: nec hujusmo»di nomen, magna nimis secum jura trahens explicita in nobis, »ei Episcopus reservare; benefactor quidem dici potest, & ho»nor aliquis sessionis, processionis, sepulturæ, &c. ex arbi»trio Episcopi ei deferendus decerni.«

XI. Quin nec ob qualemcunque dotationem Jus Patronatûs ab Episcopis admitti debere, satis indicavit Synodus Tridentina citato *cap.* 9. ubi dicit: »Patronatus quicunque in Ec»clesiis, quibuscunque aliis Beneficiis, etiam Dignitatibus an»tea liberis, acquisitis à quadraginta annis citra, & in futurum »acquirendi, seu ex augmento dotis, seu ex nova constructio»ne, vel alia simili causa, etiam auctoritate Sedis Apostolicæ, »ab iisdem Ordinariis, uti delegatis, ut suprà, qui nullius in »his facultatibus, aut privilegiis impediantur, diligenter cognos»cantur: & quos non repererint ob *maximè evidentem* Eccle»siæ, vel Beneficii, seu Dignitatis necessitatem legitimè consti»tutos esse, *in totum revocent*; atque Beneficia hujusmodi si»ne damno illa possidentium, & restituto Patronis eo, quod »ab eis idcirco datum est, in pristinum libertatis statutum re»ducant: non obstantibus privilegiis, constitutionibus, & con»suetudinibus, etiam immemorabilibus.«

Nullatenus ergo Synodus credidit, omnem Ecclesiæ dotationem, aut constructionem esse legitimam causam concedendi Juris Patronatûs. Consonat id & praxi, utpote quæ non omnes, qui Ecclesiæ non satis dotatæ augmentum dotis conferunt, aut

(q) *Repete hîc notata* part. 2. Juris Ecclesiastici, tit. 1. de Sacramentis in genere, lit. B.

aut successu temporis ad inopiam redactæ succurrunt, pro Patronis recipit; licèt illos Benefactoribus annumeret.

XII. Quinimo si vi primævæ fundationis, aliove titulo aliqui esset Ecclesiæ Patronus, non posset Episcopus alteri, etiam notabilem dotem de novo offerenti, Jus Patronatûs cum præjudicio prioris Patroni concedere, nisi hujus consensus accederet.

XIII. Si tamen de dotanda Ecclesia interpellatus, eam dotare recuset, si necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas dotem, aut certè ejus augmentum requirat, eaque haberi nequeat, nisi eam offerenti Jus Patronatûs annuatur; non apparet, cur Episcopus Jus Patronatûs huic dotanti annuere non posset, saltem ut unà cum Fundatore concurrat.

Cùm enim fundatio requirat *dotem*; censetur dotans quodammodo partem in fundatione habere; imò ipsi fundationi effectum tribuere. Constructio quippe Ecclesiæ sine dote ad exhibendum cultum divinum, parùm utilis, & exigui effectûs est.

XIV. Unde etiam post alios Canonistas docet Fagnanus loco citato, quòd si ad ipsam fundationem tres concurrant, unus assignando aream seu fundum; alius expensas constructionis conferendo; & tertius eam dotando; omnes censeantur assequi Jus Patronatûs, ac omnes *in solidum* effici Patronos: atque ita intelligendam esse Glossam dicentem, Jus Patronatûs acquiri tribus ex causis, quas hoc vulgari versu expressit *Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.*

XV. Quamvis primitûs Jus Patronatûs, præcipuè *laicum*, non alio, quàm fundationis titulo delatum fuisse legamus, lapsu tamen temporis receptum fuit, titulo præscriptionis acquiri posse.

XVI. Cùm enim jus illud, non ut merè spirituale, sed potiùs ut temporale reputaretur, quod & ad hæredes transmissibile esset; ejusque juris laicos capaces esse jam nemo dubitaret, consequenter visum est, nihil obstare, quo minùs præscriptione, adinstar aliorum jurium, acquiri posset: idque non tantùm contra Patronum, sed & contra Ecclesiam *liberam* etiam à laico; quemadmodum sat apertè deciditur in *Cap.* 24. ✠ *de Elect.* ubi populo asseritur jus præsentandi Clericum, eo solo titulo, quòd in *antiqua* quasi possessione eligendi, seu præsentandi esse ostenderetur.

XVII. Si tamen agatur de præscriptione Juris Patronatûs, præsertim laicalis, contra Ecclesiam liberam, non sufficit tempus 40. annorum; sed exigitur tanti temporis quasi possessio, cujus contraria memoria non existat, juxta *cap.* 1. *de Præscriptione, in VI.* eò quòd præsumptio sit contra præscribentem; ipsumque jus commune ei contrarietur. Juxta Canones enim, omnes Ecclesiæ sunt in ordinatione Episcopi, & à Jure Patronatûs liberæ existunt: ipsumque Jus Patronatûs ut quædam servitus Ecclesiæ imposita consideratur.

XVIII. Consonat Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 9. *de Reform.* decernens, ut »titulus Juris Patronatûs sit ex *fundatione*, vel *dotatione*, qui ex authentico documento, aut aliis »jure requisitis ostendatur: sive etiam ex multiplicatis præsen»tationibus per antiquissimum temporis cursum, qui hominum »*memoriam excedat*, aliasve secundum juris dispositionem.« (r)

XIX. Synodus numerum psæsentationum non exprimit; sed simpliciter vult ex *multiplicatis* præsentationibus per cursum temporis, qui hominum memoriam excedat, factis titulum Juris Patronatûs probari: unde nec inter Doctores de numero convenit: asseritque Franciscus Le Roy in citatis Prolegomenis *cap.* 16. in Foro sibi per manus traditum esse, ad præscribendum Juris Patronatûs proprietatem contra verum Patronum, vel etiam titulo munitum, tres præsentationes requiri & sufficere. Et hoc (ait) fortè probant ex *cap.* 3. ✠ *de Causa possess. & propriet.* ubi Summus Pontifex docet, jus eligendi per *tres* electiones non aliter acquiri, quàm si completa sit legitima præscriptio.

XX. Ulteriùs Synodus Tridentina eodem *cap.* 9. vult, ut »in iis personis, seu Communitatibus, vel Universitatibus in »quibus id jus plerumque ex usurpatione potiùs quæsitum præ»sumi solet, plenior, & exactior probatio ad docendum ve»rum titulum requiratur, nec inmemorabilis temporis proba»tio aliter eis suffragetur, quàm si præter reliqua ad eam ne»cessaria, præsentationes, etiam continuatæ non minori sal»tem, quàm quinquaginta annorum spatio, quæ omnes effec»tum sortitæ sint authenticis scripturis probentur.«

XXI. Deinde ulteriùs addit: »Reliqui Patronatus omnes »in Beneficiis, tam secularibus, quàm regularibus, seu Pa»rochialibus, vel Dignitatibus, aut quibuscunque aliis Benefi»ciis in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia: seu facultates, & »privilegia concessa tam in vim Patronatûs, quàm in alio quo»cunque jure nominandi, eligendi, præsentandi ad ea, cùm »vacant (exceptis Patronatibus, super Cathedralibus Ecclesiis, »competentibus, & exceptis aliis, quæ ad Imperatorem & »Reges, seu regna possidentes, aliosque sublimes, ac supre»mos Principes, jura imperii in dominiis suis habentes, per»tinent, & quæ in favorem studiorum generalium concessa »sunt) in totum prorsus abrogata, & irrita, cum quasi pos»sessione inde secuta, intelligantur; Beneficiaque hujusmodi, »tanquam libera, à suis collatoribus conferantur; ac provi»siones hujusmodi plenum effectuum consequantur.«

XXII. Ex his finalibus verbis deducit Fagnanus ad *cap.* CONSULTATIONIBUS ✠ *de Jure Patronatûs, num.* 9. »ad vali»ditatem præsentationis, vel institutionis non sufficere, ut præ»sentans communiter reputetur Patronus, & sit in *quasi pos»sessione* juris præsentandi, nisi doceat de *titulo & proprie»tate* Juris Patronatûs ad præscriptum Concilii.«

XXIII. Et dein *num.* 7. refert, declarâsse S. Congregationem, Decretum Concilii Tridentini habere locum etiam *in petitorio & possessorio*: »ideoque admittendam non esse præ»sentationem, nec præsentati institutionem faciendam esse, ni»si PROBATO priùs *jure* Patronatûs ad præscriptionem ejus»dem Concilii. Imò etiamsi post Concilium Ordinarius admi»sisset præsentationem simpliciter, & absque causæ cognitio»ne posse prætensum Patronum à sua quasi possessione repel»li, nisi patronatum *legitimè* probaverit juxta formam dicti »Concilii.« Quin & addit *num.* 11. resolvisse S. Congregationem, admittendum non esse ad præsentandum, tametsi probaverit, se per XL. annos præsentâsse, & in possesione, vel quasi possessione fuisse.

XXIV. Deinde monet tandem *num.* 16. si constet quidem de Jure Patronatûs, sed quæstio sit inter duos, cui competat; eo casu non requiri formam probationis per Concilium Tridentinum præscriptum; atque inter præsentatos præferendum esse præsentatum ab illo, qui tempore præsentationis erat in quasi possessione præsentandi sive Juris Patronatûs.

Idipsum notat Zypæus in Jure Novo tit. de *Jure Patronatûs num.* 6. Rationem addens: „Quippe cùm hîc cesset ra„tio Decreti, ne scilicet Ecclesiæ liberæ in servitutem & clientela„lam, præsertim secularium, redigantur.“

XXV. Similiter Zypæus reflectens ad citata Decreta Concilii, asserere non dubitat, quòd cujusdam Baronis Jus Patronatûs magis ex proventibus jam ante Ecclesiasticis, & privilegio, quàm ex fundatione ortum multùm periclitaretur, *nisi* (ait) *hîc Concilium Trident. sine mutatione Juris Patronatûs esset receptum.* Consult. 4. *de Præbendis num.* 2.

XXVI. Indubiè per finalia hæc verba indicare voluit Zypæus limitationem, quæ in promulgatione Concilii Tridentini in Belgiio addita fuit; & cujus ipse meminit in Jure Novo *tit. de Const. num.* 6. ubi refert, quòd in litteris Gubernatricis Belgii, quibus nomine Regis publicatio Concilii mandabatur, expressè dictum fuerit, mentem Regis esse, nihil mutari circa Regalia jura, privilegia Suæ Majestatis, aut suorum vasallorum, Statuum aut subjectorum, & speciatim circa *Jus Patronatûs*, Indultum, seu Jus Nominationum.

XXVII. Quæ clausula quoad conservationem Juris Patronatûs consonat iis, quæ Consilia Regia, à Gubernatrice super executione Decretorum reformationis Concilii Tridentini consulta, notaverant.

Nam ad *cap.* 12. & 13. *Sess.* 21. hæc nota erat: »Quæ ad »coarctandum Jus Patronatûs sancita sunt, consentiunt omnes, »ad Patronos *laicos* (s) extendi non debere.«

Ad *cap.* 9. *Sess.* 25. hæc: »Versiculo *Reliqui Patronatus*, »abrogatur Jus Patronatus omne, quod ex fundatione vel do»tatione, quæ authentico documento ostendatur, natum non »est, & præscriptio immemorialis (nisi 50. annorum continuæ »præsentationes authenticis scriptis (t) probentur) rejicitur, »paucis quibusdam Patronatibus exceptis. Id existimant plera»que Concilia admitti non debere in Patronatibus *laicis*, ne »jus cuiquam quæsitum auferatur, & subditi in antiqua, quam »habent, possesione turbentur. Nimiùm etiam coarctari pro»bationes, ita restrictas, uti Synodus decrevit, præsertim quoad »eos, qui circa limites Provinciarum incolunt, & hostilibus ex»cursibus expositi, documentis antiquis fortè spoliati sunt. Pro»bationis modum proinde arbitrio judicantium rectius relinqui.«

Ita refert Antonius Anselmo Jurisconsultus Antuerpiensis in suo Triboniano Belgico *cap.* 33. §. 52.

XXVIII. Conformiter ad has notas, & clausulam litteris Gubernatricis appositam, praxis Belgii habet, ut probatio Juris Patro-

(r) *In Galliis Decretum illud receptum non fuit, licèt prudens & legitimum: hoc Decreto Gallis id unum displicet, quod Episcopum efficit judicem rei, quam Jurisdictioni Civili esse obnoxium volunt.*

(s) *Litteræ Apostolicæ in derogationem laici Patronatûs expeditæ in Hispania vigore* leg. 25. tit. 3. & Remis. n. 1. ad finem tit. 6. *lib.* 1. *Recop. nullum sortiuntur effectum.*

(t) *In Gallis requiruntur tantùm XL. annorum continuatæ possessionis authenticis probatæ scriptis. Totidem anni Clerico vel Laico sufficiunt, ut præscriptione jus Patronatus possit adquirere, ac XXX. duntaxat anni sufficiunt Episcopo, ut possit Jus Patroaatûs Laicum comparare; desiderantur verò XL. anni, si de præscriptione Ecclesiastici Juris Patronatus agatur.*

tronatûs, præsertim laicalis, fiat & admittatur eadem forma, qua aliorum jurium probatio; atque possessorium adjudicetur possidenti, sive ei, qui in quasi possessione præsentandi esse probatur.

XXIX. Consequenter præsentatus à possessore præfertur ei, qui est præsentatus à proprietario, juxta *cap.* CONSULTATIONIBUS ✠ *de Jure Patronatûs*, & *cap.* EX LITTERIS ✠ *eod.* quæ hîc, non obstante Decreto Concilii Tridentini, suum vigorem retinuerunt. Ipsa deinde possessio memoriam hominis excedens etiam hîc pro titulo habetur: neque ad fundationis aut dotationis specialem titulum probandum ulteriùs urgentur, qui hujusmodi possessionem probant.

XXX. Advertens quoque Franciscus Florens, quòd Trident. Patres cum, tempore memoriam hominum excedente, vellent adhuc justum & authenticum titulum, qui exhibeatur, ait: » Ultimum illum non sat probatur in Gallia, ubi vetustas » illa pro titulo, & vicem legis tenet. «

Quare & hodie verùm est in Belgio, & in Gallia, nullam fieri differentiam, saltem quoad jus præsentandi, inter Jus Patronatûs laicis competens titulo fundationis, & competens titulo præscriptionis, uti jam pridem notavit Rebuffus in Praxi Benef. in *tertia parte Signaturæ*, *num.* 71.

XXXI. Præter fundationem, & dotationem, nec non præscriptionem, est & alius titulus, seu modus, quo primùm ad laicos, & dein ad Monasteria, & Capitula Jus Patronatûs satis frequenter transivit.

Circa seculum VIII. & IX. contigit, ut Principes non tantùm bona Ecclesiastica usurparent, sed ipsa etiam Monasteria, quin & Parochiales Ecclesias; easque suis militibus darent in feudum, vel alodium: eoque titulo omnes earum obventiones haberent, uti pluribus ostendit Filesacus in *Querela Ecclesiæ Gallicanæ*; & aliqua diximus suprà *part.* 1. *tit.* 31. *cap.* 7. & plura dicentur infrà *de Congrua Parochorum portione*: ubi de primitivis Pastoribus agetur; qui occasionem portioni congruæ dederunt.

Hi Laici primùm quidem in his Ecclesiis, quas tanquam proprias possidebant, earum se dominos appellantes, Presbyteros assignatis modicis emolumentis propriâ auctoritate, & inconsulto Episcopo instituebant, & destituebant. At cùm id tanquam Ecclesiis admodum præjudiciosum in Synodis vetitum, fuit, cautumque, ut nullus absque consensu Episcopi cuilibet Presbytero det vel auferat Ecclesiam, *Can.* NEMINEM, 16. *quæst.* 7. ex Concilio Cabilonensi, cœperunt Presbyteros iis Ecclesiis præficiendos Episcopis præsentare; & ita Jus Patronatûs habere in Ecclesiis, quas in beneficium, sive alodium acceperant; uti latiùs deducit Franciscus Le Roy in citatis Prolegomenis *cap.* 17.

XXXII. Adhæc, cùm plures laici Ecclesias, quas in feudum acceperant, in Monasteria & Capitula transtulerint, uti infrà titulo *de Congrua Portione* ostendetur, etiam ipsi Monachi, & Canonici Presbyteros iis Ecclesiis præficiendos præsentare cœperunt, atque hinc jus præsentandi seu Jus Patronatûs Monasteriorum, & Capitulorum pro majore parte originem sumpsit: quod licèt origine laicale fuerit, postquam tamen in Monasteria, & Capitula transivit, pro Ecclesiastico reputatur, uti capite præcedenti ostendimus.

XXXIII. Sicuti præscriptione, ita & ex privilegio summi Pontificis acquiri posse Jus Patronatûs, de jure indubitatum est; & notat Pinsonius in tractatu *de Beneficiis*, *tit. de Oneribus & Immunitatibus Ecclesiarum*, §. 6. *n.* 8. unà tamen addens: » Licèt illud apud nos non usquequaque servetur, tanquam Or» dinariorum liberæ dispositioni, & collationi contrarium, cui » nulli obices adjici possunt, nisi in ipso fundationis actu, & » instrumento dati sint.«

* Quod modò dictum est, ex Privilegio Summi Pontificis, Jus Patronatûs acquiri posse, de Jure certum esse, intelligi debet de Jure Pontificio recentiore, sive Decretalium, quo Jure R. Pontifex declaratur *Ordinarius Ordinariorum* & omnium Beneficiorum liberam dispositionem ipsi competere asseritur: quo jure recepto, & admisso rectè conclusêre ejus Commentatores, Romano Pontifici fas esse, concedere Jus Patronatûs, sive Jus præsentandi ad Beneficia, liberæ ejus dispositionis (ut supponitur) subjecta.

Verùm hoc Jus in Pontifice, quantumvis in Decretalibus expressum, non ubique Catholici recognoscunt, nec admittendum arbitrantur Privilegium, quo Romanus Pontifex Beneficia liberæ Collationis pro suo arbitrio Juri Patronatûs obnoxia redderet, atque ita quod ista Beneficia tolleret, aut enervaret liberam Provisionem Ordinariorum; & id quidem in Gallia non admitti colligitur ex verbis Pinsonii supra relatis; neque in Belgio admitteretur, præsertim dum in fundatione Beneficiorum adversaretur.

CAPUT IV.

QUOMODO JUS PATRONATUS TRANSFERATUR.

1 *Jus Patronatûs transit cum Dignitate.*
2 *Hoc jus separatim quomodo transire possit.*
3 *Jus Patronatûs laicum* reale *transit cum re, cui adhæret.*
4 *Transit, licèt nominatim expressum non fuerit.*
5 *In hac alienatione non requiritur licentia Episcopi.*
6 *Translato* utili *dominio, transit quoque Jus Patronatûs.*
7 *Transit in conductorem* ad firmam.
8 *Elocatio* ad firmam *naturam sapit contractus censualis.*
9 *Qua de causa Monasteria prædia darent* ad firmam.
10 *Conditiones hujus contractûs.*
11 *An transeat in maritum ratione dotis.*
12 *An in viduam ratione dotarii.*
13 *Utrùm competat usufructuario.*
14 *Præsentatio facta à bonæ fidei possessore est valida; nec invalidatur re evictâ.*
15 *Non transit in creditorem ratione pignoris.*
16 *Jus Patronatûs præsertim* laicale *consideratur hodie ut* temporale, *& de eo solus judex laicus cognoscit.*
17 *Jus hoc est transmissibiles ad hæredes.*
18 *Transit ad hæredes ab intestato; si nihil in contrarium sit statutum.*
19 *Transit ad singulos hæredes in solidum.*
20 *Hæredes* unius *Patroni tantùm habent unum suffragium.*
21 *Succeditur in stirpes.*
22 *Potest jus præsentandi dividi* per turnum.
23 *Per turnum præsentant interdum* divisim; *& tunc non est* mixtum.
24 *Interdum Jus Patronatus est mixtum, dum nominatio fit per* turnum.
25 *Potest in fundatione caveri, ut non deferatur jure hæreditario: & quid tunc juris.*
26 *Unde invaluerit abusus vendendi Jus Patronatûs.*
27 *Abusus per Pontifices reprobatus.*
28 *Habita venditio hujusmodi ut Simoniaca.*
29 *Ostenditur Jus Patronatûs esse* spirituali *annexum.*
30 *Venditio Juris Patronatûs hodie habetur irrita, & Simoniaca.*
31 *An rectè dicatur vendi cum ipso fundo.*
32 *Pretium fundi augendum non est intuitu Juris Patronatûs annexi.*
33 *Unde proveniat, laicos Jus Patronatûs tanti facere.*

I. JUs Patronatus Ecclesiasticum competens ratione Officii, Dignitatis, aut Beneficii Ecclesiastici transire unà cum Officio, Dignitate, aut Beneficio ad quemcumque tituli illius possessorem, ad instar omnium aliorum jurium hujusmodi titulo annexorum, indubitatum est.

II. At separatim ab ipso Officio, Dignitate, aut Beneficio, in alterum transferri non posse citra solemnitatem in alienatione rerum, & jurium Ecclesiæ requisitam, probant Zypæus *Responso* 4. *de Jure Patronat.* et Franciscus De Roye in *Prolegomenis ad titulum de Jure Patronatus, cap.* 18. ubi monet, in permutatione Juris Patronatûs Ecclesiastici requiri consensum Episcopi: » tunc enim (ait) alienatur res ad ipsam Ecclesiam pertinens, » ideoque non nisi servatis solemnitatibus alienari potest.«

III. Si Jus Patronatûs laicum fuerit reale, id est, fundo, aut castro vel Toparchiæ, alterive juri, aut rei annexum, transit instar alterius juris realis in ipsum possessorem, & Dominum rei, quemadmodum notant omnes Interpretes ad *cap.* 13. ✠ *de Jure Pratronatus*, ubi Hospitalarii empto feudo Jus Patronatûs acquirere dicuntur, quod huic feudo adhæret.

IV. Imò cùm hîc agatur de jure inhærente ipsi rei, ut jus hoc translatum censeatur, necesse non est, ut in ipsius rei translatione Juris Patronatûs mentio facta sit: quemadmodum loco citato rectè observat Franciscus De Roye: semper enim (ait) alienatio facta præsumitur cum sua causa; exemplo aliorum jurium realium, servitutis, hypothecæ & similium, quæ semper rem ipsam sequuntur, tametsi in ipsa alienatione nominatim non sint expressa.

V. Ulteriùs, quia hîc agitur principaliter de alienatione rei merè profanæ, & Laicalis; de alienatione verò Juris Patronatûs duntaxat *accesoriè*, sive in consequentiam, nullam requiri in hac alienatione Episcopi licentiam, aliamve solemnitatem in alienandis rebus Ecclesiæ observandam, tradunt passim Canonistæ, quibus & praxis consonat.

VI. Ampliatur hæc conclusio ex communi Canonistarum Doctrina, ut locum habeat, etiamsi villa, aut fundus, cui Jus Patronatûs inhæret, sulummodo quoad *utile* dominium transierit: ita nimirùm, ut saltem jus præsentationis sit apud Dominum *utilem* tametsi forsam ipsum Jus Patronatûs maneat apud Dominum directum.

Quandiù enim aliquis pro Domino habetur, seu quandiù habet *utile* Dominium, omnis usus ipsius rei, & jurium ei annexorum est penes utilem Dominum, solo titulo dominii remanente apud Dominum directum.

VII. Hoc fundamento rescripsit Alexander III. in *cap.* 7. ✠ *de Jure Patronatus*, præsentationem Clerici vigore Juris Patronatûs annexi cuidam villæ, competiisse militi, si constiterit, villam illam fuisse à Monasterio, cui dominium illius competebat, militi illi datam *ad firmam*, id est, ad longum tempus elocatam.

Quæ-

VIII. Quæ elocatio naturam sapiebat cujusdam contractus emphyteuticarii, vel potiùs censualis, quo utile dominium transfertur, uti probat De Roye ad *dictum cap.* 7. & etiam Fagnanus ad idem Capitulum, *num.* 12. unà observans, dationem ad *firmam* hîc necessariò summendam pro elocatione ad longum tempus, quæ habeat naturam hujusmodi contractûs.

IX. Notat ibidem ulteriùs Franciscus De Roye, quòd ut » plurimùm Monasteria, vel etiam laicis prædia sua dabant ad » *firmam*, vel ut edulia, aliave necessaria pro pensionibus » acciperent ad victum & vestitum... vel etiam Abbates laicis » prædia sua dabant ad *firmam*, ad longum tempus, ad vi» tam, ad centum annos, ut ita eorum favorem gratiam, & pa» trocinium emendicarent. «

Deindè subjungit: » Ejus rei luculentum exemplum extat » apud Ingulphum in Historia Croylandensis Monasterii. Ubi » cùm ejus Monasterii Abbas alicujus potentioris defensionem si» bi, suisque Monachis demereri vellet, placuit tenementum ali» quod ad *firmam* alicui dare ad terminum vitæ. Sed tandem cui» dam Comiti nomine Normanno manerium aliquod datum est » ad terminum centum annorum, ut illud teneat ab eo Mo» nasterio, & per *firmam* singulis annis certa quædam grana ei » solvat. Ejus Normanni frater successit in eam *firmam*, eam» que alteri Monasterio donavit. In Regia descriptione bono» rum istius Monasterii relatum illud prædium, quia post elap» sum *firmæ* terminum ad illud redire debet, sed eo pen» dente est possessio firmariorum, inquit Ingulphus. «

X. Plura videri possunt apud Du Cange in Glossario, verbo *Firma*. Interim ex allegato exemplo patet, dationem ad *firmam* esse elocationem ad longissimum tempus. Ulteriùs pendente firmâ, *firmarium* de ea disponere posse, eamque inter ejus possessiones numerari; ac tandem eam ad hæredes ejus transire pro residuo tempore: Finito autem tempore ad Dominum redire. Quæ omnia satis probant, per dationem ad *firmam* transire *utile dominium* in firmarium, directo dominio remanente penes concedentem.

Ex quo autem receptum fuit, auctoritate hujus Decretalis Alexandri III. præsentationem competere *firmario*, titulo utilis dominii Villæ, cui Jus Patronatûs est annexum. Concluserunt ulteriùs Canonistæ, maritum posse præsentare ratione Juris Patronatûs fundo dotali annexi; uti tradit de Roye *in citatis Prolegomenis*, *cap.* 12. Quia (ait) jure civili maritus dicitur *Dominus* fundi dotalis; & naturale dominium uxoris, durante matrimonio, interquiescit.

XI. Deinde postquam creditum fuit, idque auctoritate Glossæ, (uti notatum est, suprà *tit.* 21. *cap.* 11.) collationem & præsentationem Beneficiorum fructibus annumerari, conclusum fuit præsentationem ad maritum hac ratione spectare; quòd ipse omnes planè fructus fundi dotalis percipiat. » Sicut enim » (ait De Roye) homagia, & servitia uxori debita maritus re» cipit, & præstat pro rebus dotalibus, quod est ex gene» rali consuetudine Franciæ, ita & Jus Patronatus exercet. «

Idipsum jam pridem tradidit Rochus de Curte *De Jure Patronatûs*, verbo *Ille vel is*, *num.* 62. Illudque sat probari credidit ex citato *cap.* 7. Nam cùm ibi etiam præferatur conductor locatori in præsentatione, debet (ait) etiam maritus præferri uxori à fortiori. Rationem præmiserat: Quia minus jus habet conductor ad longum tempus in rebus conductis, quàm maritus in dote. Maritus enim censetur habere dominium dotis.

Verùm quidem est, quòd præsentatio non sit fructus habilis ad sustentationem onerum Matrimonii; quia (ait De Curte) sufficit quòd ipsa universitas, in qua est Jus Patronatûs, ad id sit habilis; & ubi universitas transfertur, non consideratur ipsum Jus Patronatûs, sed transit *accessoriè*.

Similiter non obstat, quòd maritus non possit recipere fructus, qui in *brevi* non renascuntur; qua, uti advertit de Curte *num.* 46. » maritus non percipiet istum fructum præsentatio» nis, tanquam maritus, & tanquam Jus Patronatus sit de re» bus dotalibus; sed percipiet tanquam universitatis, & per » quandam consequentiam. «

* Sed hanc quæstionem tractans Georgius Louetius in notis ad Molinæum in Reg. Cancellariæ de *Infirmis Resign. num.* 45. » distinguendum existimat » de Jure Patronatus ratione fundi » vel feudi uxoris pertinente, aut personali ratione sanguinis, pu» ta familiæ competente. Primo casu præsentatum à marito » præferendum existimat; cùm nihil prorsus habeat uxor in » fructibus fundi dotalis: & ea est Molinæi opinio *in* §. 1. *Gloss.* 2. *num.* 2. *ad Consuet. Parisienses*: non idem in secun» do casu (ait) cùm Jus Patronatus uxoris personæ magis ad» hæreat, & inter rerum dotalium fructus non ita propriè an» numeretur. « (u)

Licèt hæc distinctio inter Jus Patronatus *reale* & *personale* appareat non malè hîc applicata; illud tamen certum est, multum hac in re valere usum & consuetudinem locorum, si quæ probari possit.

XII. Quapropter juxta secundi casûs solutionem, si maritus uxori post mortem suam fundum, cui Jus Patronatûs annexum, assignaverit in dotarium, » ea sola (ait De Roye) » jus illud post mortem mariti exercere potest; quia est fruc» tuaria, sicque fructus omnes percipit, & lucratur, ita ut » interquiescat adhuc hæredum nuda proprietas. «

Similiter post Lambertinum, aliosque tradit Fagnanus *loco citato*, *num.* 57. jus præsentadi magis pertinere ad uxorem relictam usufructuariam omnium bonorum, quàm ad hæredem.

Nihilominus Renatus Choppinus *de Domanio Gallico, lib.* 9. *tit.* 13. secutus Joannem de Imola, jus præsentationis usufructuario negat, rationem hanc subnectens: » Quæcunque enim » non renascuntur singulis annis minimè habentur in fructu nec » quasi fructus fundum augent. « Ipse quoque Rochus De Curte loco citato, monet, casu occurrente de hac quæstione esse meritò cogitandum ob varias Doctorum opiniones.

XIV. Hoc certius est, & communi calculo receptum, præsentationem factam à bonæ fidei possessore esse validam; imò nec præsentatum à Beneficio vi hujusmodi præsentationis obtento removendum; tametsi ex post facto constiterit, Jus Patronatûs revera ad præsentantem tempore præsentationis non pertinuise, *cap.* 19. ✠ *de Jure Patronatûs*; eò quòd bonæ fidei possessor fructus consumptos faciat suos *revocabiliter*: præsertim si ex iis non sit factus locupletior uti per præsentationem factus non creditur.

XV. In creditorem, cui fundus pignori datus, sive hypothecatus est, jus præsentandi non transire, si nulla juris illius specialis mentio facta sit, rectè post alios Canonistas tradit Fagnanus *loco citato*, *num.* 16. Nam in creditorem, nec directum, nec utile dominium transfertur: neque etiam fructus suos facit, sed eos omnes debitori pignus luenti restituere tenetur.

Idipsum legitur in Synodo Saltzburgensi ann. 1420. *Can. XXII.* » Ad omnium quoque dubitationem, sive quæs» tionis materiam amputandam, statuimus: ut, si quis prædium » suum, cui jus attinet Patronatûs, cuiquam obligaverit indistinc» tè, jus præsentandi apud ipsum obbligantem resideat cum ta» le jus æstimari non possit &c... in sortem nequeat computari. » Cùm semper fructus rei pignoratæ in sortem debeant compu» tari, juxta Canonicas & legitimas sanctiones. «

XVI. Jus Patronatûs, præsertim *laicale*, hodie adeò habetur, & consideratur, tanquam temporale, & patrimonii laicalis, ut receptum sit, quòd sicut de temporalibus laici coram judice Ecclesiastico non sunt conveniendi, ita nec Jure Patronatûs laico Judex Ecclesiasticus cognoscere possit, nec in possessorio, nec in petitorio, idque contra Decretalem Alexandri III. in *cap.* 3. ✠ *de Judiciis*, ubi dicitur: » Causa Juris Patrona» tûs ita conjuncta est, & connexa spiritualibus causis, quod non » nisi *Ecclesiastico* judicio valeat definiri. « Vide late Franciscum De Roye *in allegatis prolegomenis cap.* 29. ubi notat, ubique penè, ac signanter in Gallia, quæstionem de Jure Patronatûs laico non tantùm in possessorio, sed etiam in petitorio coram judice Regio tractari: quod & in Belgio observatur. (x)

* Imò incidente quæstione, num Jus Patronatûs esset merè *Laicale*, an verò *mixtum*, Parlamentum Mechliniense judicâsse, cognitionem & decissionem hujus quæstionis spectare ad Judicem *Laicum*; id refert de Laury in sua Arrestorum Collectione, *Arresto* 3.

XVII. Adhæc jus illud tanquam portionem patrimonii, aut saltem titulo patrimonii acquisitum, & quasi temporale, ut partem hæreditatis ad hæredes, unà cum reliqua hæreditate transmitti receptum est; notatque Glossa ad *Canonem* FILIIS, *caus.* 16. *quæst.* 7. idque indistinctè, sive sint de sanguine, sive extranei, uti ex Canone CONSIDERANDUM, & *Canone* PLURES, *ead. quæst.* probat Glossa, quam uno consensu sequuntur Canonistæ, & praxis recepit.

XVIII. Si enim nihil in tabulis fundationis occurrat, quod transmissionem ipsius Juris Patronatûs ad certas personas ordinat, nec jus hoc alicui particulari rei adhæreat, illud jure hæreditario adinstar aliorum jurium temporalium ad hæredes sive ex testamento, sive ab intestato transmittetur: uti notat De Roye in sæpè citatis prolegomenis, *cap.* 19.

Cùmque jus illud naturâ suâ sit individuum, pro conditione individuorum transit in omnes hæredes *in solidum*, idque sive

(u) *Ista nota Georgii Lovet repetitur in tom. V. operum Molinæi Edit. Paris* 189. *col.* 1.

(x) *In Hispania quæcunque ad Regium Patronatum pertinent, eorum cognitio ex* Acto Accord. 4. cap. 2. 5. 7. 15. & 16. num. 4. & 5. Remis. lib. 1. tit. 6. Recop. *Supremo Senatui* (*vulgo de la Camara*) *privativè competit; in suis dominiis Indicis ad eorum Regia Tribunalia* ex l. 1. & 47. tit. 6. lib. 1. leg. 34. & 35. tit. 15. lib. 2. leg. 2. tit. 12. lib. 5. Recop. Ind. *In cæteris Patronatibus non laicalibus ad Ecclesiasticum, secundum cap.* 12. *Concordati inter Sanctam Sedem, Regemque nostrum Catholicum anno* 1737. *celebrati.*

ve pro æquali, sive inæquali parte sint hæredes; quemadmodum Jure Civili omnes filii Patroni æqualiter succedunt liberto tametsi inæqualiter à patre instituti sint hæredes, *L.* 7. §. 5. *ff. de Operis Libertorum.*

XIX. Itaque hæredes omnes in *solidum* ad præsentationem concurrunt, ita tamen, ut ipsa præsentatio non dividatur; sed ut unica nomine omnium fiat (y): quare rectè notavit Innocentius ad *cap.* 1. ✠ *de Jure Patronatûs*; jus hoc quidem esse *in solidum* apud singulos hæredes, quoad honorem, sive jura honorifica, sed non quoad præsentationem, quæ ita est apud omnes simul, ut apud nullum singulariter sit.

XX. Cùmque hæredes in hac præsentatione repræsentent personam Patroni defuncti; non plus juris habere possunt, quàm habuit defunctus; quapropter, si plures fuerint Patroni, omnes hi hæredes unum tantùm suffragium, quale habuisset defunctus in ipso actu præsentationis habebunt, *Clement.* 2. *de Jure Patronatûs.*

XXI. Ulteriùs, cùm hîc non secus, ac in aliis juribus succedatur jure repræsentationis, sive ex persona defuncti, meritò prævaluit sententia Innocentii IV. & Cardinalis Hostiensis, successionem fieri non in *capita*, sed in *stirpes*, uti de hæredibus plurium patronorum declaravit Pontifex in citata Clementina 2. dicens: » plures ab uno Patrono Ecclesiæ relicti hæredes, vocem duntaxat unius habebunt in præsentatione Rectoris. « Quod clariùs postmodum expressit Synodus Salisburgensis titulo *de Jure Patronatûs*, his verbis: » Item si Patronus plures filios, aut hæredes reliquerit, omnes illi succedant in *stirpes*. «

XXII. Porrò facilè contingit, quòd existentibus pluribus Patronis, aut Patroni unius hæredibus, diutiùs differatur præsentatio ob difficultatem consensûs patronorum, aut hæredum in eandem personam. » Ut ergo faciliùs provideatur Ecclesiis, » non inconveniens (ait Pontifex in citata Clementina) reputamus, Patronos ipsos inter se liberè posse convenire, de Rectore ab eis *alternis* vicibus præsentando. « Qui præsentandi modus hodie vocari solet *per turnum.*

XXIII. Hîc notandum, hanc præsentandi rationem non semper eodem modo institui. Interdum enim ea lege præsentatio alternis vicibus, sive per *turnum* fieri debet, ut singuli in suo *turno* seorsim, nullâ compatroni factâ mentione, præsentent: ita ut in tali actu præsentationis alter Patronus nullas partes habeat; ipsumque Jus Patronatûs pro ea vice videatur apud solum *Turnarium* esse. Hoc casu, etiamsi alius jure dignitatis Ecclesiasticæ, alius jure fundationis laicalis Jus Patronatûs habeat; tamen non erit Jus Patronatûs *mixtum*; sed in turno Ecclesiastici erit merè Ecclesiasticum; in turno verò laici, merè laicum.

XXIV. Si verò ita per vices, vel per *turnum* dividatur, ut quidem Turnarius in suo turno personam nominet, sed tamen utriusque nomine præsentatio fiat, tunc propriè, nec præsentatio, nec Jus Patronatûs per *turnum* vel vices dividitur; sed tantùm conventum videtur inter Patronos, quòd simul consentient in eam personam, quam alter ipsorum alternis vicibus nominabit; hicque communi nomine præsentabitur.

Exemplum hujus refert De Roye citato *cap.* 19. ex Guillielmo Thorneo Anglo in Chronico ad ann. 1227. concordiæ cujusdam inter Abbatem S. Augustini Cantuariensis, & certos Barones super Jure Patronatûs cujusdam Ecclesiæ, ita ut quotiescunque Ecclesia vacaverit, Abbas & Conventus S. Augustini, & Barones semper *simul* præsentabunt, ita scilicet, quod » Abbas & Conventus S. Augustini Cantuar. una vice liberè pro » voluntate sua conferent Ecclesiam prænominatam, cui voluerint, & Barones alia pro voluntate sua. Præsentabunt autem » Abbas & Conventus per litteras facientes mentionem de jure » Baronum de S. & Barones similiter de S. præsentabunt per » litteras facientes mentionem de jure Abbatis. «

Quando hoc modo præsentant, quamvis singuli in suo turno dicantur habere præsentationem, revera tamen indivisum manet Jus Patronatûs, & communi nomine exercetur: ideoque in exemplo allegato, & huic similibus reverà erit Jus Patronatûs mixtum, & judicari debebit, prout de jure mixto judicandum esse diximus *cap.* 3.

XXV. Et hæc quidem nisi per tabulas fundationis, aut locorum consuetudines circa successionem Juris Patronatûs aliud cautum fuerit.

Potest enim Fundator alicui de sua familia, aut etiam extraneis Jus Patronatûs assignare, si nolit illud jure hæreditario, vel succesionis deferri. Et quòd uni è liberis suis Jus Patronatus assignetur, ad evitanda dissidia non rarò convenit. Et ita S. Everardus Comes, Ludovici Pii gener in testamento suo cavit, ut ex liberis suis *tertius* Adalardus habeat suum Jus Patronatûs in quadam Ecclesia. Apud Miræum in Codice Piarum Donat. *cap.* 12.

Frequenter & tabulis fundationum, & locorum consuetudinibus obtinuit, ut Jus Patronatûs primogenito de familia deferatur; præcipuè si feudo illustri jus hoc fuerit annexum: quo casu eædem penè leges, ac interpretationes sequendæ, & accipiendæ in delatione hujusmodi Juris Patronatus, quæ in feudis ac fideicommissis gentilitiis, aut familiaribus traduntur, & à Doctoribus in materia feudorum, & fideicommissorum examinantur; & huic materiæ nominatim applicatas regulas in materia feudorum, & fideicommissorum tradi solitas, vide apud Franciscum Le Roy in citatis Prolegomenis, *cap.* 8. 9. & 19.

XXVI. Cùm laici Jus Patronatûs adinstar patrimonii, rerumque temporalium per successionem, venditiones, aliosque contractus, unà cum patrimonio, ac rebus temporalibus transferri videbant, quin & iisdem ferè legibus subjacere, illud ut rem merè temporalem habendum, atque ut talem etiam separatim vendi posse facilè sibi persuadebant: eamque persuasionem seculo XII. invaluisse sat insinuat querela Joannis Sarisberiensis *lib.* 7. *cap.* 17. *de Nugis Curialium*, dum ait: quòd Jus advocationis, aut Patronatûs Ecclesiæ emeretur, *ut ejus occasione facilior esset aditus in Ecclesias.*

XXVII. Eandem consuetudinem in Anglia viguisse colligitur ex *cap. de Jure Patronatûs*, in prima Collectione apud Ant. Augustinum; & habetur in appendice ad Concilium Lateranense *part.* 15. *tit. de Jure Patronatûs*, *cap.* 16. ubi Alexander III. scribit Wintoniensi Episcopo: » Ad aures nostras pervenit, quòd R. & W. de Hortun *Jus Patronatus* » ejusdem loci ab eo, ad quem spectabat præsentatio, *emerunt.* » Quibus decedentibus R. filius W. jam dicti patris exemplo Jus » Patronatûs Ecclesiæ *emere* non dubitavit, & Canonicis de Stod» leia tantas molestias intulit, persecutiones & gravamina, » quòd metu & dolo illius seducti, juri suo penitùs renuntiaverunt. «

Ad hunc casum referendum esse responsum, quod in dicta appendice Capite sequenti immediatè sequitur, sat apparet manifestum: & post Antonium Augustinum notat Franciscus de Roye ad *cap.* 16. ✠ *de Jure Patronatûs.* Responsum autem ita sonat: » De Jure verò Patronatûs in præscripta Ecclesia hoc tuæ discretioni mandamus, quatenus si prædictus R. » Jus Patronatûs comparavit, cùm hoc inconveniens sit, & penitùs inhonestum *vendi* Jus Patronatûs, contractum illum, » sublato appellationis remedio, Apostolicâ fretus auctoritate, » non differas revocare. «

XXVIII. Raymundus Decretalium Gregorii IX. Compilator hoc Responsum retulit in *cap.* 16. ✠ *de Jure Patronatûs*, nonnullis detractis, & additis, ut ex utriusque collatione constare potest.

Notanda autem præcipuè hæc addita: *Quod est spirituali annexum*: quibus innuere voluit, Jus Patronatûs, vel eo titulo vendi non posse, ac irritum esse contractum, quia *spirituali* est *annexum.* Hoc clariùs exprimitur in citato *cap.* 19. in prima Collectione ad eundem casum spectante; ubi expressè dicitur: *Cùm Jus patronatus sit connexum spirituali, nemini licitum est vendere illud*, atque admodum verisimile est, Raymundum prædicta verba ex hoc *cap.* 19. primæ Collectionis desumpsisse, & suæ Decretali adjecisse.

Interim eodem fundamento postmodum usus quoque fuit Innocentius IV. in Rescripto quodam apud Matthæum Parisiensem in Additamentis *pag.* 104. dicens: » Irritas esse decernimus alienationes, emptiones, & venditiones de Patronatibus & advocatiis Ecclesiarum, quæ cum sint *spiritualibus* » *annexa*, emi, & vendi nequeunt.

XXIX. Et sanè cum jam pridem Jus Præsentationis Clerici ad Beneficium, tanquam præcipuum in Jure Patronatûs habitum fuerit; imò ipsum Jus Patronatûs nonnunquam simpliciter *Jus Præsentationis* appelletur, negari nequit, quin spirituali aliquo modo sit connexum; tametsi eatenus dicatur profanum, in quantum ex patrimonio laicorum titulo fundationis, aut dotationis solet habere originem, eique adhærere.

XXX. Hinc uno consensu concludunt Interpretes, Jus Patronatûs per se simpliciter vendi, aut cum alio temporali jure commutari non posse, ipsamque alienationem tanquam Simoniacam esse irritam: refertque Joannes Mareschal *in suo Tractatu de Juribus honorificis*, *cap.* 1. duo Arresta, quibus judicatum fuit, Jus Patronatûs separatim vendi non posse, venditionemque irritam esse. Aliud simile Arrestum refertur à Renato Choppino De Domanio Regis *lib.* 3. *tit.* 19. *num.* 4.

XXXI. Quòd verò plerique addunt, cum ipso fundo seu gleba, cui adhæret, vendi posse; id non ita accipiendum, quasi ipsum Jus Patronatûs fundo adhærens vendi posse existiment, sed duntaxat, quòd per venditionem fundi tanquam ejus accessorium in venditionem transferatur: ita ut re verà dici queat, Jus Patronatûs transferri mediante venditione; at ven-

(y) *In Hispania non solùm quoad præsentationem, dum omnes hæredes concurrunt, eis jus in solidum competit, verùm etiam per dispositionem* leg. 9. tit. 6. lib. 1. Recop. *si aliqua pensio aliudve eis assignatur* (*nisi aliter expressum fuerit*) *debent omnes ea gaudere, tanquam si unius tantùm extiterit.*

venditione non afficiente Jus Patronatûs, sed ipsum duntaxat fundum. Quemadmodum in venditione fundi hypothecati non venditur hypotheca, licèt illa fundo inhærens fundum sequatur.

XXXII. Unde in hujusmodi venditione fundi, cui Jus Patronatus adhæret, pretium valori ipsius fundi, sine respectu ad ipsum Jus Patronatus, respondere debet; ut ita appareat Jus Patronatus non vendi, nec pretio æstimari; sed simpliciter tanquam fundi venditi accessorium transferri.

Si enim pretium fundi ex consideratione Juris Patronatûs adhærentis augeatur, evidens erit, ipsum Jus Patronatûs pretio temporali æstimari, & reipsa, non secus ac ipsum fundum, partem seu mercem ipsius venditioni constituere, & venditioni subjici.

XXXIII. Adhæc, qui fundum pluris emunt, quia Jus Patronatûs annectitur; idque eò ampliùs quò plura, & opulentiora Beneficia juri illi sunt subjecta, sat ostendunt, se profanam planè de jure præsentationis, quod potissimum attenditur, habere ideam; non dubitantes, sibi jus illud præsentationis facilè valere eo pretio, quod ejus intuitu ampliùs pro fundo empto dederunt.

Hæc autem ut consequantur, quid sperandum, nisi quòd suo jure præsentationis eo modo utentur, ut queant etiam temporalia, aut iis æquivalentia consequi; idque vel Simoniâ, vel sanè personarum acceptione interveniente: & inde ulteriùs ea omnia incommoda, quæ provisiones Simoniacas, & intervenientе personarum acceptione factas consequi solent: quæque fusiùs titulis De Simonia, & De cavenda acceptione personarum exponemus; atque unà ostendemus, quàm falsa soleat de Jure Patronatus idea haberi, quamque aberrent laici hujusmodi jus affectantes.

CAPUT V.

De Præsentatione, et differentiis inter Patronum Ecclesiasticum et Laicum.

1 *Præcipua pars Juris Patronatûs est* Præsentatio.
2 *Revera distinguitur jus præsentationis à Jure Patronatûs.*
3 *Potest esse patronus sine jure præsentationis; qui tamen hodie non patronus, sed Fundator vocari solet.*
4 *Olim patronus offerebat Clericum Ordinandum.*
5 *Hodie offert instituendum; quæ mutationis ratio.*
6 *Oblatio Clerici à patrono facta dicitur* Præsentatio.
7 *An rectè inde deducatur, Jus Patronatûs non esse servitutem.*
8 *Hodie Episcopus obligatur instituere præsentatum à Patrono.*
9 *Monebantur olim Patroni, ut præsentationem non nimiùm differrent.*
10 *An certum tempus Patronis olim fuerit præfixum.*
11 *Permisit Concilium Lateranense, ut Episcopus Ecclesiæ provideat, si quæstio super Jure Patronatûs intra certum tempus non sit terminata.*
12 *Creditum à Canonistis, hîc tempus certum præsentandi laicis præscriptum; idque* quatuor *mensium.*
13 *Alexander III. scripsit, Patronis competere* sex *menses.*
14 *Hinc à Doctoribus facta distinctio inter Jus Patronatûs laicum, & Ecclesiasticum circa tempus præsentandi, & à Bonifacio VIII. probata.*
15 *Tempus Patronis præscriptum tantùm currit à tempore notæ vacationis, & quæ notitia haberi debeat.*
16 *Patronus laicus in præsentatione variare potest; non autem Ecclesiasticus.*
17 *Hæc distinctio ex interpretatione Doctorum originem sumpsit.*
18 *Cur variatio patroni laici dicatur accumulativa.*
19 *Quod primarium hujus distinctionis fundamentum.*
20 *Patronus laicus variare tantùm potest* rebus integris.
21 *Quare Patrono Ecclesiastico negata variatio.*
22 *An Patronus laicus sæpiùs variare possit.*
23 *Patronus Ecclesiasticus præsentans indignum, excidit pro ea vice jure præsentandi.*
24 *Laicus alium præsentare potest; secus olim obtinuit.*
25 *Episcopus negligente Patrono confert jure* ordinario, *non autem jure devoluto, & quare.*
26 *Collatio Episcopi, spreto patrono, est valida: & quis ejus effectus.*
27 *Non idem de præventione, aut provisione Papæ; & quæ ratio differentiæ.*
* *Provisio Ordinarii, spreto Patrono, valida esset; secus Metropolitani, aut Papæ provisio facta ante tempus devolutionis expletum.*
* *Provisio Ordinarii valida est etiam ad excludendam præventionem Papæ, secus Provisio Papæ, spreto Patrono.*
28 *Quomodo collatio Ordinarii non noceat juri patroni.*
29 *Quando patronus dicatur Clericum præsentare.*
30 *Non tenetur Patronus* personaliter *accedere Ordinarium.*
31 *Hodie præsentatio fit per litteras.*
32 *Præsentatio non est perfecta, priusquam intimata sit Ordinario.*
33 *Sufficit intra tempus præfinitum litteras præsentationis à præsentato exhiberi Ordinario.*
34 *Litteris Ordinario non exhibitis potest Patronus Ecclesiasticus adhuc variare.*
35 *Ecclesiasticus à Papa præveniri potest, litteris Ordinario non intimatis.*
36 *Si litteræ intra tempus præscriptum non sint Ordinario exhibitæ, poterit liberè conferre.*
37 *Si Jus Patronatûs competat pluribus in Corpore, debet præsentatio* collegialiter *fieri.*
38 *Quomodo nominatio personæ præsentandæ hoc casu facienda.*
39 *Aliquando præsentatio à pluribus* separatim *fit.*
40 *Si à duobus Patronis duo præsententur, electio erit Ordinarii.*
41 *Si suffragia dividantur inter plures, præfertur à pluribus præsentatus.*
42 *Quid, si is institui nequeat.*
43 *Quid, si controversia sit, cui Jus Patronatûs competat.*
44 *Quid, si sit inter Ordinarium & prætensum Patronum.*
45 *Possessor, pendente lite, præsentare potest.*
46 *Quid, si neuter sit in possessione, sed constet Ecclesiam esse patronatam.*

I. JUS Patronorum potissimum consistere, præsertim hodie, in præsentatione, sive jure præsentationis Clerici ad Ecclesiam vacantem, expeditum est. Et quidem in *cap. 1. de Præbendis, in VI.* Jus Patronatûs, & jus præsentandi Rectorem Ecclesiæ, tanquam synonima accipiuntur à Pontifice.

II. Quin tamen revera Jus Patronatûs, & jus psæsentandi distinguantur, dubitari nequit. Certum quippe est, Patrono vi Juris Patronatûs plura jura præter jus præsentationis competere, uti Capite sequenti ostendetur. Hinc apertè Jus Patronatûs, & jus præsentandi distinguuntur in *cap. 1. de Jure Patronatus*, in secunda Collectione Decretalium apud Antonium Augustinum.

III. Imò potest Patronus habere jura honorifica, aliaque Patronis competentia, tametsi jus præsentationis non habeat, ut puta, si juri præsentationis renuntiaverit, aut alteri cesserit, retento nihilominus Jure Patronatûs. Unde cùm vidua Comitis Flandriæ exposuisset Innocentio III. quòd intenderet ad honorem Dei Ecclesiam fundare, peteretque in ea *Jus Patronatûs, & collationem Præbendarum* sibi & successoribus suis reservari; respondit Innocentius *lib. 3. Regest. Epist.* 192. » *Primum* » admittimus: *secundum* verò non duximus concedendum, cùm » tuæ non expediat saluti concedi.“ Hîc collationem accipi pro *præsentatione* rectè notat ac probat Bosquetus ad dictam Epistolam Innocentii; (z) unà ostendens, Patronis priùs jura honorifica, quàm præsentationis fuisse indulta; adeoque jus præsentandi semper fuisse à Jure Patronatûs separatum: quamvis ambigi nequeat, quin hodie à jure præsentationis tanquam à principaliore sua parte nomen suum mutuare soleat, isque Patronus dicatur, qui jus præsentationis habet: imò qui jus præsentationis non habet, Patronus dici non solet, sed Fundator.

IV. Monuimus non semel, olim Beneficiorum collationem, seu institutionem ab ipsa Ordinatione sejunctam non fuisse, sed in ipsa Ordinatione Clericos Ecclesiis adscribi solitos; atque per eam adscriptionem idem jus accepisse, quod hodie per Beneficiorum collationem, seu institutionem acquiritur.

V. Hac disciplina vigente, Fundatores sive Patroni Clericos offerebant Episcopo in Ordinatione; ut eos in Presbyteros Oratoriorum seu Ecclesiarum, quarum Patroni erant, ordinarent; eosque per Ordinationem his Ecclesiis adscriberent.

Conformiter ad hanc disciplinam legitur apud Gratianum *caus. 16. quæst. 7. Can. 32.* ex Concilio Toletano IX. » Decer- » nimus, ut quandiu Fundatores Ecclesiarum in hac vita super- » tites extiterint, pro iisdem locis curam permittantur habere » solicitam; atque Rectores idoneos in iisdem Basilicis, iidem » ipsi Episcopo offerant *ordinandos*.“

Postquam autem ipsa Beneficiorum collatio sejungi cœpit ab Ordinatione; nec ampliùs per Ordinationem, sed tituli Beneficialis collationem, seu institutionem canonicam ipsi Clerici cœperunt Ecclesiis adscribi: tum Patroni sive Fundatores non Ordinandos, sed in Beneficiis vacantibus instituendos Episcopo obtulerunt.

VI. Hæc oblatio vocari solet *præsentatio*, quia ipsi Patroni seu Fundatores curam solicitam Ecclesiarum à se vel Majoribus fundatarum habentes, Episcopo offerant, sive præsentent, qui in harum Ecclesiarum ministros assumi possent. Unde Præsentatio *nuda, qua facta & admissa, demum collatio ex principiis juris recentioris, & institutio ab Episcopo facienda est.*

(z) *Gonzalez ad cap. * hoc tit. num. 7. observat in ista Innocentii Epistola agi* de Collatione Præbendarum *in sensu stricto, & præcipuo: Plus continet* Collatio Præbendarum, *quàm*

Unde Gratianus inquirens, quid juris habeant Fundatores, ait: *Habent jus providendi, & consulendi, & Sacerdotes inveniendi*, post *Canonem* 30. *caus.* 16. *q.* 7. Hæc non obscurè innuunt, Gratianum supposuisse, jus præsentandi oriri ex cura, quam Fundatores eorumve successores Ecclesiis fundatis impendere debent.

VII. Hinc infert Franciscus De Roye in Prolegomenis ad titulum *de Jure Patronatûs*, *cap.* 5. Jus Patronatûs non esse servitutem, neque Ecclesiæ libertatem imminuere; quia (ait) „Patroni nullum jus in Ecclesiarum collatione habent; sed eam „*juvant*, eique *favent*, dum idoneos Clericos inveniunt, quos „Episcopus in iis instituat.“ Tum relatis verbis Gratiani, concludit: „Nunquam verò dixeris, auxiliatrices manus infringere libertatem.“

Verùm diceret Auctor hic, si Patroni id unum vellent, agerentque, ut Episcopo *adjutores* accederent pro inveniendis idoneis Sacerdotibus. At plus juris jam pridem prætenderunt & hodie prætendunt Patroni. Credunt quippe, sibi non tantùm esse jus inveniendi idoneos Sacerdotes, eosque simpliciter Episcopo Ordinandos, vel instituendos offerendi, ut de cætero liberum sis Episcopis eos recipere, vel repellere, sed ita sibi nominationem, seu præsentationem competere, ut à se nominatos ordinare, aut instituere Episcopus teneatur, nisi eos absolutè idoneos ostendere queat. Et quidem jam pridem in citato *Can. XXXII.* ex Concilio Toletano IX. hujusmodi Fundatorum jus supponi videtur. Dicitur enim: „Quòd si spretis ejusdem (Ecclesiæ) „Fundatoribus, Rectores ibidem præsumpserit Episcopus ordinare, & Ordinationem suam irritam noverit esse, & ad „verecundiam suam alios in eorum loco (quos idem ipsi Fundatores condignos elegerint) ordinari.“

VIII. Hodie Episcopos astringi instituere præsentatos à Patrono, nisi eos probaverint in idoneos, expeditum est. Licèt ergo verum sit, Patronos non habere Ecclesiarum collationem, negari nihilominus nequit, quin per suam præsentationem in Beneficiorum collatione præcipuas partes habeant: quandoquidem ipsa institutio præsentationem sequi debeat, nî probari queat, præsentatum esse non tantùm minùs idoneum, quàm alii qui haberi possent, sed *absolutè* inidoneum. Quod quàm difficile, quàm rarò probari notum est. Hinc institutio Episcopi, quæ Patroni præsentationem sequitur, vulgò & rectè appellatur collatio *necessaria*, quasi necessitate cogente huic Præsentato facienda; uti latiùs titulo sequenti *cap.* 1. exponetur; atque unà notabitur, quòd Patroni admodum soliciti meritò sint, ut prævie ad præsentationem de capacitate Præsentandi sint ritè instructi; eò quòd ex ipsorum præsentatione pendeat ipsa Ecclesiæ provisio. (a)

IX. Cùm ergo ex Fundatorum, seu Patronorum præsentatione præcipuè Ecclesiarum provisio pendeat, jam pridem legimus admonitos fuisse Patronos, ut tempestivè idoneos Clericos præsentarent; ne ex diuturniore Ecclesiarum vacatione, Ecclesiis dispendium inferatur.

Et quidem in Synodo Romana sub Eugenio II. *Can. XXIV.* qui repetitus fuit in Synodo Romana sub Leone IV. circa medium seculi IX. *Can. XXIV.* statuitur: „Et si secularium hominum sub jure sint constitutæ (Ecclesiæ) ab Episcopo illius Diœcesis admoneantur (seculares illi homines.) Et si admoniti Præsbyteros intra *trium* mensium spatium ibidem neglexerint constituere, curam exinde habens Episcopus, absque neglectu Principi (b) suggerat, quatenus ejus emendetur sententia.“

X. His Canonibus statutum fuisse, ut intra *tres menses* fiat præsentatio, & quidem præcedente monitione Ordinarii, credit De Roye, *in citatis Prolegomenis*, *cap.* 28. atque hinc concludit, malè notâsse Joannem Andream ad *cap.* 1. *de Jure Patronatus*, *in VI.* „nec antiquos Canones, ne Pontificum „Rescripta *certum* aliquod tempus definisse pro Patronis.“

Joanni Andreæ nihilominus consentit Vir eruditus Franciscus Florens ad *cap.* 1. ✠ *de Jure Patronatûs*, antiquioribus temporibus nullum nominatim tempus Patronis præfinitum fuisse; creditque primùm in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. tempus definitum fuisse.

Sanè inspectis verbis citati Canonis Synodi Romanæ, dubitari meritò posset, an Patronis *trium* mensium spatium ad præsentandum fuerit absolutè præfinitum, ita nimirùm, ut si intra tempus illud non præsentâssent, Episcopus *liberè* posset Ecclesiæ providere; cùm tantùm dicatur, Episcopum curam habentem, posse de neglectu Patroni Principem monere.

XI. Quidquid sit, ad hunc interim Canonem reflexisse videtur Concilium Lateranense sub Alexandro III. *Can. XVII.* ubi decernit, ut ordinet Antistes Ecclesiam, sicut viderit melius secundùm Deum ordinandam, „si de Jure Patronatûs quæstio emerserit inter aliquos, & cui competat, intra *tres* menses non fuerit definitum.“

Hîc de Patronis laicis agi, integer Canonis contextus, ipsumque nomen *Fundatorum*, & *hæredum* sat evincunt; atque inde confirmamur, ad citatum Canonem Synodi Romanæ, qui de Patronis *laicis* loquitur, hîc factam esse reflexionem.

XII. Interim hinc unanimi calculo conclussêre Canonum antiqui interpretes, præsentationi *laicali* tempus à Concilio Lateranensi hoc Canone præfinitum esse.

At cùm in nonnullis hujus Canonis editionibus pro *tres menses*, legeretur *quatuor*, uti in nota marginali ad hunc Canonem in collectione Conciliorum Generalium indicatur, etiam à nonnullis dari cœpit spatium *quatuor* mensium; præsertim postquam hæc lectio intravit Decretales Gregorii IX. nimirum *in cap.* 3. ✠ *de Jure Patronatûs.*

XIII. Cùm autem idem Concilium definiisset tempus *sex* mensium pro collatione Beneficiorum, uti refertur in *cap.* 2. ✠ *de Concess. Præbendæ non vacantis*, cœptum fuit id tempus ad præsentationem personarum ad Ecclesias vacantes extendi; ac nominatim ab ipso Alexandro in *cap.* 22. ✠ *de Jure Patronatûs*, scribente: „Illas autem Ecclesias, de quarum „Patronatu controversia fuerit, si intra *sex* menses postquam „vacaverint, non fuerit controversia terminata, licitum tibi „sit de persona idonea ordinare.“

XIV. Quamvis ex textu non appareat, de quo Patronatu, Laico, an Ecclesiastico agatur, nihilominus Decretalium Commentatores, ut hanc Decretalem conciliarent cum citato Capitulo tertio, quo duntaxat *quatuor* menses in simili casu ex Decreto Concilii Lateranensis conceduntur, cœperunt hanc Decretalem interpretari de Patronatu *Ecclesiastico*; alterum verò Decretum de patronatu *Laico*; atque ita à Doctoribus recipi cœpta est distinctio hactenus ignota inter Patronum Laicum, & Ecclesiasticum; ut illi ad præsentandum duntaxat quatuor menses, huic verò sex menses competerent; quæ distinctio tandem à Bonifacio VIII. probata fuit in *cap. Unico*, *de Jure Patronatûs*, *in VI.* unà declarante, quòd *semestre* competat etiam Ecclesiæ, vel Monasterio, cui à *Laico* Juris Patronatûs collatio facta est.

XV. Sicut autem tempus à Concilio Lateranense Collatoribus præstitum, non currit nisi à die *notitiæ*; ut suprà *tit.* 21, *cap.* 5. notavimus; ita & quatuor, vel sex menses Patronis ad præsentandum concessi, currere tantùm incipiunt ab eo tempore, quo probabiliter cognoscere potuerunt, vacâsse Beneficium. Puta, si mors Beneficiati publicè nota sit in loco, vel Ecclesia vacantis Beneficii, cùm palam sepultus fuerit. Unde non omninò certa & vera scientia Patroni desideratur, sed tantùm interpretativa, id est, ut morali quodam modo loquendi, scire potuerit & debuerit, vacâsse Beneficium; uti & ipse Molinæus ad *Consuet. Paris. tit. de Feudis*, §. 55. *gloss.* 10. *num.* 24. fusiùs probat: atque expressè supponunt Consuetudines Normannicæ *art.* 69. volentes tempus Patronis datum *computari à die, quo mors ultimi possessoris* COMMUNITER *nota est.*

XVI. Non tantùm quoad terminum temporis ad præsentandum inducta est differentia inter Patronum laicum, & Ecclesiasticum, sed insuper ex communi Doctorum interpretatione invaluit, quòd laicus intra tempus à Jure definitum possit successivè plures præsentare; eo saltem effectu, ut Episcopus queat etiam posterius præsentatum præferre priùs præsentato; Ecclesiasticus verò Patronus unum tantùm possit præsentare; & si de facto plures successivè præsentaverit, prior sit omninò præferendus.

XVII. Unde recepta est hæc vulgaris distinctio: Patronus Laicus intra tempus præfixum potest *variare*; secus Ecclesiasticus.

Hæc conclusio hodie unanimi Doctorum consensu probata, licèt expresso textu Juris inducta non sit, originem suam tamen habuit ex Decretali Lucii III. in *cap.* 24. ✠ *de Jure Patronatûs*, ubi proposita quæstione: „si Patronus Clericum idoneum Episcopo præsentaverit, postulaverit postmodum, eo „non refutato, alium æquè idoneum in eadem Ecclesia admitti, quis eorum alteri præferatur?“ Respondit Pontifex: „Judicio Episcopi credimus relinquendum, si *Laicus* fuerit, cui „jus competit præsentandi. Verùm si Collegium, vel *Ecclesiastica* persona præsentationem haberet, qui prior est tempore, jure potior esse videtur.

Cùm hîc judicio Episcopi committatur, è duobus à patrono *laico* ipsi præsentatis unum quem maluerit eligere, & instituere, non obscurè significatur, Patronum laicum posse variare; ut nimirùm secundum præsentando, det facultatem Episcopo, neglecto priùs præsentato, hunc postmodum præsentatum instituendi.

XVIII. Hanc variationem Doctores vocare solent *accumulativam*: eò quòd Patronus secundum præsentando, præsentationem præsentationi accumulet, non autem à priori recedat; hancque solam variationem permitti etiam patrono *Laico* commu-

(a) *Lex* 11. *convent.* 6. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recop. præcipit omnes ad Beneficia Ecclesiastica præsentatos, ab Ordinariis locorum, ubi sita sunt Collationem recipere debere.*

(b) *In Collectione Labbeana legitur* Principem.

munis est Canonistarum sententia, quam probat Fagnanus ad *citatum cap.* 24. eumque textui conformem ostendit.

XIX. Porrò hæc inter Patronum laicum, & Ecclesiasticum differentia contra veterem disciplinam, quæ eam non agnovit, inde inducta videtur, quòd pro firmissimo principio apud Canonistas receptum esset, laicos nullum prorsus jus dare posse in Beneficiis; & consequenter quòd ipsorum præsentatio nullum jus ipsi Præsentato daret; sed per præsentationem quodammodo tantùm Episcopo indicaretur, quòd hunc Præsentatum Patronus desideraret institui: atque ita nullatenus inconveniens judicabatur, si plures Episcopo successivè offerre posset, ut ex iis digniorem institueret; cùm nullum jus priùs præsentato per præsentationem videretur acquisitum, sed id demum ab Episcopo accipere debeat.

XX. Unde si Episcopus Præsentato institutionem dedisset, Patronus ampliùs alium præsentare non poterit. Variatio enim Patrono competit *rebus integris*, id est, ante institutionem, uti vulgò tradunt Doctores, sive antequam ipsi Præsentato jus aliquod firmum quæsitum sit.

Quod enim dicitur, præsentationem dare *jus ad rem*, id procedit respectu Patroni; quia Episcopus tenetur admittere præsentationem Patroni, ipsumque Præsentatum instituere, nisi Patronus variando alium præsentaverit. Unde rectè notat De Roye ad *cap.* 24. *de* ✠ *Jure Patronatûs*, »Quamvis prima »præsentatio pulsaverit *aures Episcopi*, attamen non tribuit jus »ad rem, sed est quodammodo in pendenti, an videlicet Pa»tronus in ea perseveret.«

XXI. Porrò sicuti Canonistæ crediderunt, præsentationem Laici non dare jus aliquod firmum ipsi præsentato, quia Laici nihil juris ad Beneficium dare possunt; ita è contra præsentationem Patroni Ecclesiastici habuere pro quasi collatione seu electione; eamque proinde jus aliquod ipsi Præsentato tribuere crediderunt, quod ei per secundam præsentationem auferri nequeat. Hanc rationem indicâsse videtur Glossa ad dictum *Cap.* 24. dicens, Patronum Ecclesiasticum variare non posse: »quia Clerici Patroni *pinguius jus* habent, quàm Laici; « id est, ex præsentatione Clerici plus juris tribuitur Præsentato, quàm ex præsentatione laici, uti exponit Zarabella ibidem *num.* 4. Vel ut clariùs Innocentius IV. ad dictum *capitulum* 24. »Idcircò Clericalis variatio est interdicta, quia illorum præsen»tatio vicem habet *electionis.*«

Hinc quoque factum, quòd Canones circa seculum XI. & XII. urgentes, ut Præsentati non ausint se Beneficiis ingerere, nisi priùs ab Episcopo institutionem acceperint, penè tantùm loquantur de præsentatis à Patronis *Laicis*, uti titulo sequenti *cap.* 1. videbitur.

XXII. Credunt plures Canonum interpretes, Patronum laicum non nisi semel intra quadrimestre variare posse, quos sequitur Fagnanus loco citato *num.* 8. Verùm cum hîc tantùm agatur de variatione *accumulativa*, per quam nullum præjudicium infertur Episcopo Beneficiorum Ordinario Collatori: imò è contra quo plures præsentantur, tantò amplior detur Episcopo eligendi libertas: verius apparet, Patronum laicum non semel duntaxat, sed plures variare posse; & ita post Glossam ad *Clementinam* PLURES *de Jure Patronatûs*, novissimè notavit Claudius Blondeau in Bibliotheca Canonica, verbo *Patronage*, *num.* 159.

XXIII. Ex hac differentia alia invaluit: quòd si Patronus Ecclesiasticus Clericum inidoneum præsentaverit, pro hac vice amittat jus suum præsentandi, & Ordinarius *pleno* Jure vacantem Ecclesiam conferre possit.

In quam rem expressa sunt verba Innocentii III. *lib.* 3. *Registri Epist.* 226. »Præfata Abbatissa (sanctæ crucis) præsen»tando *indignum*, illâ vice *amisit* jus præsentandi.«

Quod tamen intelligi debet, nisi incapacitatem Præsentati probabiliter ignorâsset.

XXIV. Si verò Laicus *indignum* præsentaverit, nequidem pro ea vice jure præsentandi privatur, sed alium adhuc præsentare potest, uti communiter tradunt Doctores ad *cap.* 4. ✠ *de Jure Patronatûs*, & ibidem pluribus probat Fagnanus; etiamsi *scienter* indignum præsentaverit.

Et quidem hodie utimur eo jure, ait de Roye ad *cap.* 14. ✠ *de Jure Patronatûs*, & addit: »Quòd tamen interpretes »ex novis recentiorum Pontificum Decretalibus introduxerunt »contra jus vetus.« Probat dein ex *Novella* 123. *cap.* 18. Justiniani Imp. & versione Juliani Antecessoris, quòd laicus præsentando *indignum* etiam pro ea vice privaretur jure præsentandi. E quibus concludit: »Adeò verum est, omnes olim Pa»tronos *eodem* jure habitos fuisse.«

XXV. Si Patronus laicus intra quadrimestre, vel Ecclesiasticus intra semestre non præsentaverit Episcopo, ad quem institutio pertinet, poterit Episcopus *pleno jure* tanquam Ordinarius Beneficiorum Collator conferre: idque non jure *devoluto*, *sed ordinario*: quia Ordinarius non confert vigore juris ex negligentiâ Patroni ad se de novo devoluti, sed vigore juris primitivi Collatoris, quod semper penes Episcopum, vel alium jus instituendi habentem remansit; ita ut per Jus Patronatûs, ceu quandam servitutem liberum usum illius juris habere tantùm impediatur: unde Jure Patronatûs, sive servitute illa non operante, jus primitivum, usum pristinum & liberum suum exercitium recuperat. Quare in litteris præsentationis necesse non est exprimere, collationem fieri *jure devoluto*: secus autem dum Metropolitanus ob negligentiam collatoris confert Beneficium spectans ad collationem sui Suffraganei, quia collatio hujus Beneficii non alio titulo quàm jure *devolutionis*, ob negligentiam inferioris, ad Metropolitanum spectat. Vide de Roye in Prolegomenis, *cap.* 28.

XXVI. Eodem ex fundamento receptum est, collationem Episcopi, aut alterius Ordinarii Collatoris esse validam, etiam factam adhuc currente tempore legitimo præsentandi: eamque firmam manere, & valere prout *ex tunc*, id est, à tempore collationis; si Patronus, vel expressè, vel tacitè nullum præsentando, aut invalidè præsentando, consentiat, aut se non opponat.

XXVII. Ita communiter tradunt Canonistæ, præsertim recentiores Pragmatici Galliæ; qui & addunt, non esse simile de præventione Papæ, vel Legati pendente, dicto tempore facta, quæ prorsus nulla est, & nunquam reconvalescit, inquiunt, quia odiosa est & subreptitia, & sic funditùs nulla: contra (ajunt) collatio Ordinarii favorabilis est, in jure communi actu & habitu fundata, nisi quatenus illius juris utilitatem servitus Patroni remoratur, vel impedit; quâ cessante, collatio Episcopi manet in naturali vigore suo. Videri potest Carolus Fevretius *de Abusu*, *lib.* 2. *cap.* 6. §. 13. item Franciscus de Roye ad *cap.* 8. ✠ *de Jure Patronatûs*, qui unà observant, collationem Ordinarii factam tempore nondum elapso, ita esse validam, ut etiam impediat præventionem Papæ respectu Patroni Ecclesiastici; tametsi ipse Patronus intra semestre præsentans, ipsam collationem Ordinarii antea factam irritet.

* Notatum est *num.* 26. collationem, sive provisionem Ordinarii esse validam, licèt facta sit, spreto Patrono, etiam intra tempus Patrono ad præsentandum competens: at secùs est, si Archiepiscopus aut Pontifex contulerint jure devoluto, sed tempore devolutionis nondum elapso, licèt postmodum fiat locus devolutioni, per lapsum temporis collatio Archiepiscopi, vel Pontificis non convalescet, nec valida erit; eò quòd ipsis nullum jus conferendi competat nisi ex jure *devoluto*, ut post Molinæum notat Du Casse in sua Praxi jurisdictionis voluntariæ, *cap.* 5. *num.* 3.

Hæc praxis rursus evincit, Romanum Pontificem non reputari *Ordinarium Ordinariorum*, sive Romano Pontifici non competere jus aliquod providendi de Beneficiis jure *ordinario*, sed duntaxat illud ipsi acquiri jure devolutionis, quemadmodum acquiritur Metropolitanis per negligentiam Ordinariorum sibi subjectorum.

* Collationem verò Ordinarii intra tempus Patronis ad præsentandum concessum factam, esse validam respectu *omnium*, nec resolubilem nisi respectu ipsius Patroni intra tempus præsentantis, multis ostendit Molinæus ad Regulam Cancellariæ de *infirmis Resignantibus*, *num* 53. ac signanter 68. & sequentibus, ubi quoque notat, quòd si Papa Patronum, sive Ecclesiasticum, sive Laicum prævenerit, præventio illa sit nulla & invalida, si ipse Ordinarius Beneficium contulerit, quia licèt ipsa collatio Ordinarii facta, *spreto Patrono*, sit resolubilis respectu Patroni, si intra præfixum tempus præsentaverit, semper tamen fuit valida, quandiu Patronus non præsentat, adeoque non potest habere locum præventio Papæ; eò quòd hæc non obtineat, nisi ubi Beneficium est vacans.

Pretereà latè ibidem probat, collationem Papæ, aut ejus Legati, Beneficii Juris Patronatûs, spreto Patrono, in Regno Galliæ reputari omninò invalidam; quod & pluribus prosequitur Georgius Louetius in notis ad Molinæum *num.* 60. qui tamen ibidem sub finem existimat: »Si Papæ provisio eandem »causam contineat, puta, sit per obitum, vel jure devoluto, »vel per resignationem, nullâ Juris Patronatûs Laicorum, nec »præventionis mentione factâ, nec etiam derogationis (pro hac »vice) quæ sunt veræ nullitatis causæ, contineant, *Patrono* »*non conquerente*, validam, & existimo provisionem non abu»sivam: eoque casu Papam Ordinariorum Ordinarium, eodem »quo Ordinarii Collatores favore amplectendum, posse, quæ »possunt alii Collatores; non enim eo casu licere tanquam *ab* »*abusu* provocare.«

Merùm in nota marginali ad hanc Louetii limitationem, monet vir eruditus Antonius Vaillant, »in Gallia Papam non es»se *Ordinarium Ordinariorum*, & non omnia posse, quæ pos»sunt Ordinarii: solo jure (inquit) præventionis gaudet, & »non potest prævenire Patronum Laicum intra tempora ei ad »præsentandum concessa.«

XXVIII. Quantum ad Beneficii Episcopum, qui dicitur Ordinarius, rectè monet de Roye, quòd licèt collatio Ordinarii spreto Patrono sit valida ipso jure, nihilominùs maneat liberum Jus Patrono intra tempus jure definitum præsentandi: eâ-

eâque præsentatione ipso jure sine ulla prævia juridica cassatione, in irritum cedat prior collatio Ordinarii.

XXIX. Præsentare dicitur Patronus, quando Clericum Episcopo, seu alteri jus instituendi habenti, instituendum, sive ordinandum exhibet, vel cum deducit ad Diœcesanum Episcopum, uti dicitur in *Novella* 57. aut uti vertit Julianus Antecessor, quando eum *offert* Episcopo.

XXX. Non tamen necesse est, ut ipse Patronus *personaliter* accedat ad Ordinarium, eique Clericum *per se* præsentet, seu offerat; sed potest ipsi Clerico præsentationis litteras tradere, deferendas ad Ordinarium *cap.* 6. ✠ *de His, quæ fiunt à Prælato, &c.* ubi refertur, quòd in certa » Provincia sæpè contingeret, quòd ad Ecclesias, in quibus Collegia jus præsentationis habere noscuntur, eorum Abbates, aut per se, aut per » *litteras* personas idoneas Episcopis Diœcesanis præsentent. « Quæ consuetudo non improbatur.

XXXI. Imò consuetudo præsentandi per litteras adeò hodie comprobata & recepta est, ut nulla nisi per litteras hodie admitti soleat: debentque Litteræ præsentationis in forma authentica, non secus ac litteræ Collationis expediri; monetque Claudius Horry in suo novo tractatu *de Materiis Beneficialibus, pag.* 149. *edit.* 1695. litteras etiam præsentationis expediendas esse per Notarios Regios Apostolicos constitutos Edicto Regis Galliæ in Decembri 1691. cujus suprà meminimus.

XXXII. Verùm ut præsentatio sit perfecta, suumque effectum habeat, non sufficit, litteras præsentationis esse legitimè expeditas, & acceptatas; sed requiritur, ut præsentatio facta sit à præsentante, & realiter exhibita Ordinario, vel ut loqui solent Pragmatici, *ut pulsaverit aures Ordinarii.* Præsentationis enim verbum refertur ad alium, sive sonat aliquem alteri præsentari. Unde Ordinarius meritò dicitur terminus *ad quem* ipsius præsentationis. Neque dicenda est præsentatio antequam sit facta Superiori, sed simplex tantùm *præparatio.* Quare præsentationem definit Rochus de Curte *in præfatione ad titulum de Jure Patronatûs, num.* 4. post Panormitanum, quòd » sit exhibitio quædam facta de Clerico præsente sensibus corporis illius, » cui fit præsentatio.“

XXXIII. Observat tamen ibidem Rochus, verbo *Honorificum, num.* 32. quòd valeat præsentatio facta per » instrumentum in absentia Superioris, si præsentatus infrà 4. menses deferat illud instrumentum ad Superiorem, & ipsum coram eo » præsentet; quod (ait) quotidiè contingit.“

XXXIV. Quandiu ergo præsentationis litteræ Ordinario, sive illi, cui jus instituendi competit, exhibitæ non sunt, adhuc informis est præsentatio; potestque non tantùm laicus, sed & Ecclesiasticus Patronus variare, idque non solùm accumulando secundam præsentationem priori, sed etiam à prima in toto recedendo, quemadmodum uno consensu notant Canonistæ ad *cap.* 25. ✠ *de Jure Patronatûs*, ubi sat innuitur, tum demum varationem interdictam Patrono Ecclesiastico, postquam idoneum Clericum Episcopo præsentaverit. Concluduntque ulteriùs, ante præsentationem Ordinario exhibitam, nullum jus esse Presentato quæsitum; demumque litteris præsentationis Ordinario exhibitis *jus ad rem* Præsentato quæsitum esse.

XXXV. Quinimò Patronum Ecclesiasticum posse à Papa præveniri, quandiu præsentatio *aures Episcopi non pulsaverit*, tametsi litteræ præsentationis fuerint expeditæ; quin & Præsentato traditæ cum expresso mandato, ut eas mox Ordinario exhiberet, isque eas tradere neglexerit, frequenter judicatum refert Brodæus in notis ad Louetium *litt. P. num.* 25. hancque sententiam hodie esse in foro receptam testatur.

XXXVI. Denique ex hisce conficitur, quòd non sufficiat, ut Patronus infra tempus datum ad præsentandum expedierit litteras præsentationis, sed requiratur, ut infra illud tempus realiter ipsa præsentatio fiat Ordinario; aliàs si litteræ præsentationis non fuerint exhibitæ, poterit Ordinarius elapso termino dato ad præsentandum, *liberè* conferre.

XXXVII. Si plures sint Patroni, ipsique Collegium, aut corpus aliquod constituant, ipsumque Jus Patronatûs Corpori, sive ipsis tanquam Corpus constituentibus competat, tunc præsentatio fieri debet *collegialiter.* Neque valeret præsentatio extra Collegium facta, tametsi eam singuli de Collegio probâssent. Quia quod singuli extra congregationem faciunt, dici nequit à Collegio, seu Corpore factum.

XXXVIII. Et reverà dum præsentatio ad plures ut Collegium, seu corpus spectat, præcedit præsentationem faciendam Ordinario quædam species electionis personæ præsentandæ: in qua electione, ea, quæ in electione *collativa* Canones observari præcipiunt, quoque ferè observanda sunt: v. g. quod omnes convocandi sint; quòd unus neglectus præsentationem irritam reddere, eò quòd neglectus sit, & conformiter ad ea, quæ suprà *tit.* 21. *cap.* 3. dicta fuerunt.

XXXIX. Sin autem Jus Patronatûs competat pluribus *divisim* sive *ut singulis*, tunc etiam separatim præsentare possunt; nec requiritur, ut consensus ipsorum eodem tempore præstetur; imò nonnunquam per diversa instrumenta separatim præsentationem facere possunt, aut per idem instrumentum, sed diverso tempore à singulis signatum.

XL. Contingere potest, ut de persona præsentanda inter Patronos non conveniat. Ad evitanda autem incommoda ex hac dissensione nata oriri, permittitur in *Clem.* 2. *de Jure Patronatus*, ut „ plures ad vacantem Ecclesiam possint eo modo præ„ sentare personas, quòd una ex eis eligi per Episcopum valeat, & admitti.“

XLI. Et id quidem, si à singulis Patronis unus præsentetur; at si ad plures quam duos præsentatio spectat, tunc qui à pluribus præsentatur, cæteris præferendus erit, juxta Decretum Concilii Lateranensis in *cap.* 3. ✠ *de Jure Patronatus*; debetque, quemadmodum in electione, etiam & hîc ex majori suffragantium parte concludi.

XLII. Quòd si Patroni jure suo singuli uti volentes, sive ut loquitur Concilium Lateranense, pro *sua defensione* plurimos præsentent; nec ille, qui majoribus meritis, & pluribus suffragiis juvatur, sine scandalo ab Episcopo institui queat, tunc vult Concilium Lateranense, ut *ordinet Antistites Ecclesiam, sicut melius secundum Deum viderit ordinandam.*

Modos, quibus secundum Canones Antistes providere posset, notat Franciscus De Roye in Commentario ad *cap.* 3. unâ addens quid moderna praxis in simili casu observet. » Hodie » (ait) plures Præsentati apud Regios Judices agunt invicem, vel » interdicto uti possidetis, vel unde vi, & celeriter, aut alteri » ex iis adjudicatur *recredentia*, ut loquuntur vel Judices illi » eum in pleno possessorio tuentur; vel sequestrant controversam Ecclesiam, ut in *cap.* 15. ✠ *de Judic.* seu ejus curam » committunt alteri cuidam extraneo Clerico. «

XLIII. Ubi autem contingit inter plures controversiam moveri, cui Jus Patronatus competat, atque ob eam controversiam diutius differtur provisio Ecclesiæ reseribit Lingonensi Episcopo Alexander III. in *cap.* 12. ✠ *de Jure Patronatus*: *Fas ei sit appellatione remota, in eadem* (Ecclesia) *personam idoneam instituere.*

Cùm hîc Alexander III. nullum tempus certum definiat, intra quod terminandæ sint hujusmodi lites, & quandiu expectandum sit, antequam Episcopo suo jure personam idoneam instituere queat, meritò suspicatur De Roye ad hoc Cap. illud Alexandri Responsum præcessisse Concilium Lateranense sub eodem Pontifice celebratum; quandoquidem in hoc Concilio præscripti sint *quatuor* menses, intra quos lis sit terminanda; intra quos si terminata non fuerit, tunc demum Episcopus Ecclesiam ordinare poterit, sicut melius secundum Deum viderit ordinandam, uti refertur in citato *cap.* 3.

Conformiter ad hoc Decretum Concilii Lateranensis respondit Innocentius III. Episcopo Conventiensi, » si de Jure Patronatûs quæstio emerserit inter aliquos: & ab eo, cui competit, intra quatuor menses non fuerit definitum, ex tunc Ec» clesiam non differas de persona idonea ordinare. «

Hinc imprimis concludunt Canonistæ, tempus præscriptum ad præsentandum etiam currere *lite pendente*: cùm tamen juxta communes Juris Regulas, contra *non valentem agere*, non currat præscriptio; hîc autem Patronus præsentare non potuerit: quare id favore Ecclesiarum, ne ob dissidia Patronorum diutiùs vacarent, specialiter introductum esse notat Joannes Andræas, & sat innuit Innocentius III. in integra Decretali, è qua desumptum est citatum Capitulum 27. in verbis: *Cùm propter discordias laicorum non debeat Ecclesiis præjudicium generari*, &c.

XLIV. Verùm Decretum Concilii Lateranensis locum non obtinebit, si controversia sit inter ipsum Episcopum, & Patronum: ut si Episcopus prætendat, Clericum sibi præsentatum ex causa non esse admittendum, aut certè Ecclesiam Patronatui non esse subjectam; sed ad se *pleno* jure spectare. Si enim hisce in casibus ob pendentem litem Patronus privaretur jure peæsentandi, esset quodammodo in potestate Ordinariorum semper jus præsentationis, hujusmodi litem suscitando, & protelando, excludere, uti rectè advertit De Roye, *cap.* 3. *de Jure Patronatûs.*

XLV. Præterea si lis quidem sit inter duos super jure præsentationis, sed alter sit in quasi possessione præsentandi, hic indubiè præsentare poterit; unde & tunc quæstio cessat; quemadmodum monet Hostiensis ad citatum *cap.* 3. Adeoque ut Decreto Concilii Lateranensis locus sit, debet supponi, neutrum ex contendentibus esse in possessione, quod difficile videtur, inquit ibidem Hostiensis: maximè hodie, quando controversia super Jure Patronatus præsertim Laico, instituitur coram Judice Regio, qui facilè alteri, si non *plenum* possessorium saltem *momentaneum*, sive *recredentiam* adjudicabit.

XLVI. Denique si sufficienter constet, Ecclesiam esse Patronatam, sed quæstio duntaxat sit, utri è duobus jus præsentandi competat, si uterque salvo suo jure in eandem personam consentiat, institutio neganda non erit; quod jam pridem supposuisse videtur Synodus Oxoniensis anno 1222. *Can. V.* statuens, quòd si ob pendentem litem post *quatuor* menses nullus

lus fuerit præsentatus, » Episcopus nulli Ecclesiam illam con- » ferat pro hac vice, nisi de *utriusque* Patroni consensu, ne » saltem aliquale præjudicium alteri Patronorum videatur ge- » nerari, si postmodum evicerit Jus Patronatûs. «

Quinimò hodie passim obtinuit, ut Patronis dissentientibus, si à singulis diversi præsententur, omnibus institutio detur, sine alterutrius præjudicio, qui habita institutione solent sibi in possessorio apud Judices Regios providere; uti notatum est.

CAPUT VI.

De Jure alimentationis, et superintendentia Patronis competentibus.

1 *Justum est, ut qui temporalia sua Ecclesiæ obtulerunt, etiam ab ipsa adjuventur.*
2 *Id probavit Concilium Toletanum; voluitque Fundatoribus in necessitate sucurri.*
3 *Jure Decretalium Fundatori debetur alimentatio.*
4 *Idipsum probat Pontificale Romanum.*
5 *Alimentatio hæc non debetur* merè *intuitu paupertatis; & debet esse largior, quàm in alios pauperes.*
6 *Amplius debetur ei, qui amplius contulit.*
7 *Quid in determinanda subventione Patrono debita sit attendendum.*
8 *Jus ad alimentationem non debetur titulo juris præsentationis, sed fundationis.*
9 *Alimentatio debetur in casu inopiæ, licet in fundatione non sit reservata.*
10 *Potest Fundator sibi vel successoribus pensionem reservare.*
11 *Quin & extraneo pensionem solvendam reservare potest.*
12 *Posset & cavere, ut fructus vacante Ecclesia sibi cederent*
13 *Fundator potest leges apponere, & executioni earum, & conservationi bonorum invigilare.*
14 *Si Episcopus ultra portionem competentem à rebus Ecclesiæ accipiat, potest Fundator contra ipsum agere.*
15 *Sacerdotes non administrantes bona juxta intentionem Fundatoris, à Patronis monendi, & Episcopo, vel judici deferendi.*
16 *Episcopus Metropolitano, Metropolitanus Regi.*
17 *An sine consensu Patroni bona Ecclesiæ alienari, aut gravari queant.*
18 *Quando de conservandis fundationibus agitur, hodie ad Regios judices recurri solet.*
19 *Etiam circa celebrationem Divini Officii Patroni invigilare possunt.*
20 *Decretum Concilii Tridentini his in speciem contrarium.*
21 *Quomodo Tridentinum in Belgio receptum.*
22 *Concilium Tridentinum curam Patronorum circa observantiam fundationis non excludit.*
23 *Patroni prætextu tuitionis nihil in Ecclesia usurpare possunt.*

I. DIgnum planè justumque jam pridem judicavit Ecclesia, ut iis, qui sua temporalia liberaliter sibi obtulerunt, ipsis quoque specialiter in temporalibus succurat, ubi eorum requirit necessitas, quemadmodum rectè exposuerunt Patres Concili Toletani IV. *Can. XXXVIII.* cujus fragmentum recitat Gratianus *Caus.* 16. *q.* 7. *Can.* 30.

II. » Præbendum est (ait Canon) à Sacerdotibus vitæ so- » latium indigentibus; & maximè his, quibus restituenda *vicis- » situdo* est. «

Hinc deinde tanquam consequens infert: » Quicunque er- » go fidelium de facultatibus suis Ecclesiæ aliquid devotione » propriâ contulerunt, si fortè ipsi, aut filii eorum redacti fue- » rint ad inopiam, ab eadem Ecclesia suffragium vitæ pro tem- » poris usu percipiant. «

Decreti sui æquitatem probantes subjungunt: » Si enim Cle- » ricis vel Monachis, seu peregrinis, aut quamlibet necessita- » tem sustinentibus, pro solo religionis intuitu, in usum res Ec- » clesiasticæ largiuntur, quantò magis his consulendum est, » quibus retributione justâ debetur. «

III. Ad hunc Canonem respexit Pontifex in *cap.* 23. ✠ *de Jure Patronatus*, scribens: » Pro fundatione quoque Ecclesiæ » honor possessionis fundatori servatur, & si ad inopiam vergat, » ab Ecclesia illi modestè (vel ut alia lectio habet moderatè) » succurritur, sicut in sacris est Canonibus institutum."

Ex citato Canone, & hac Decretali receptum est Fundatoribus, sive Patronis ad inopiam redactis, ab Ecclesia Patronata ratione factæ fundationis alimenta deberi.

IV. Unde & ex præscripto Pontificalis Romani Episcopus, factâ Ecclesiæ consecratione, dicit ad Fundatorem, quod si Fundator aut ejus hæredes » casu ad egestatem pervenerint, gratâ re- » cordatione, Ecclesia Fundatoris piam liberalitatem recognoscit. «

V. Porrò tum ex Canone Toletano, tum Decretali Pontificia manifestum est, Fundatoribus, sive Patronis subventionem illam non tantùm deberi intuitu *paupertatis*, sèd præcipuè intuitu *beneficentiæ* in Ecclesiam collatæ; ut proinde rectè moneat Rochus de Curte *de Jure Patronatus*, verbo *Et utile*, secutus Glossam, » Quòd teneatur Ecclesia Patronata ex red- » ditibus ultra necessaria remanentibus alere Patronum *pinguiùs* » quam alios pauperes. « Et ibidem *num.* 3.

VI. Eodem fundamento deducit post alios citatos Canonistas, si plures sint Patroni, omnibus quidem esse subveniendum, » deberi tamen magis subveniri ei, qui plus contulit in » fundando vel dotando Ecclesiam, licèt Jus Patronatus ad sin- » gulos pertineat in solidum. «

VII. Debebunt autem præstari alimenta secundum qualitatem Patroni, tam in vestibus, quam in cibo, uti *num.* 4. aliis relatis docet de Curte. Addendum tamen *spectatis Ecclesiæ Facultatibus.*

Nam in determinanda subventione Patrono debita ipsas Ecclesiæ facultates attendi debere, unanimiter docent Canonistæ secuti Glossam ad *cap.* 25. ✠ *de Jure Patronatûs*, ubi ad verbum *modestè* ait: Habito respectu ad *facultates* Ecclesiæ, & ad *qualitatem* personæ. » Quare Cardinalis Florentinus, quem » sequitur de Curte *num.* 2. hanc quæstionem, An teneatur Ec- » clesia in casu indigentiæ alere Patronum in domo *propria* ip- » sius Patroni, an possit Rector Ecclesiæ dicere Patrono, ve- » nias ad manducandum *mecum*, resolvit dicens: Considerabi- » tur persona Patroni, & ejus indigentia, & *conditio Ecclesiæ*, » quibus attentis aletur in Ecclesia, vel extra."

VIII. Cæterùm, quia hoc jus Patroni fundatur in munificentia, quam ab ipso ejusve parentibus, aut Majoribus Ecclesia accepit, & quam cognoscere justum, & æquum judicat; sat patet, Patronis jus hoc non competere ratione juris *præsentationis*, sed titulo *fundationis*, vel *dotationis*, ideoque hoc jus Fundatori competet; tametsi jus præsentationis transtulerit in Ecclesiam, vel aliam personam, vel eidem renuntiaverit. Et è conversio, si Ecclesia alicui simpliciter jus præsentandi, citra fundationem, aut donationem dederit, simili Patrono jus hoc alimentationis non competere, uti nec alia jura honorifica, judicatum refert Joannes Tornetius in sua Collectione Arrestorum *litt. P.*

IX. Porrò hæc subventio, sive alimentatio in casum inopiæ debetur Patrono, sive fundatori independenter ab ulla reservatione facta in ipsa fundatione, id est, tametsi in ipsa fundatione Fundator nihil sibi circa temporalia reservaverit; sed debetur ipso jure.

X. Posse enim Fundatorem vel sibi, vel successoribus pensionem aliquam annuatim etiam extra necessitatis casum solvendam reservare; (c) eamque ab Episcopo in fundatione, vel dotatione probatam, sive admissam exigi posse, tanquam indubitatum habent Canonistæ auctoritate *Cap.* 23. ✠ *de Jure Patronatus*, ubi statuitur, quòd Advocati, sive *Patroni* nihil ab Ecclesia exigere queant, *præter antiquos & moderatos redditus à locorum Episcopis institutos.* Ad quæ verba notat Glossa: » Sta- » tui ergo possunt redditus Patrono vice tributi, vel *pensionis*."

XI. Quinimo non tantùm reservare potest pensio, aliudve jus ipsi Patrono ejusve successoribus; sed etiam alicui tertio, si ita Fundatori visum fuerit: cujus exemplum occurrit in *cap.* 16. ✠ *de Censibus*; & ibi notat Panormitanus.

XII. Posset quoque in fundatione apponi, quòd fructus Ecclesiæ, quando eam vacare contigerit, cederent Patrono, (d) uti post Glossam ad *cap.* 13. verbo FUNDATIONE, *de Elect. in VI.* observat De Curte loco citato *num.* 7.

Hic tamen rectè monet, Presbyterum sua privatâ auctoritate non posse Patrono pensionem annuam de novo addicere, aut jam constitutam augere. Imò si intuitu obtinendæ faciliùs præsentationis ampliorem pensionem addiceret, aut jura Patrono directè & indirectè augere promitteret, difficulter à vitio Simoniæ se eximeret, de quo latius infrà titulo *de Simonia circa Beneficia.*

XIII. Nec tantùm pensionem aliquam sibi, & successoribus reservare potest Fundator, sed & leges quasdam fundationi apponere, earumque observantiæ, atque rerum à se collatarum conservationi invigilare, totiusque fundationis curam agere: quemadmodum jam pridem Patres & signanter Concilii Toletani IV. & IX. agnovere.

XIV. In Concilio Toletano IV. *Canon XXXIII.* statuitur: » Episcopos ita Diœceses suas regere, ut nihil jure præ- » sumant auferre, sed juxta priorum auctoritatem Conciliorum, » tam de oblationibus, quàm de tributis (vel ut alia lectio ha- » bet, *de decimis tributis*) tertiam consequantur. " *Tertia* enim pars *tibus Beneficiorum, in Provinciis Indiarum vacantium, in decimis consistentibus, reservationem fecit. Et per leg.* 1. *tit.* 16. *lib.* 1. *ejusdem Recop. etiam ratione Patronatûs decimas* (vulgò los dos Novenos) *in eisdem Dominiis sibi reservavit.*

(c) *Consonat lex* 9. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recop. citata num.* 19. *cap.* 4. *præcedentis.*

(d) *Adde Actum Acord.* 22. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recop. & leg.* 33. *tit.* 7. *lib.* 1. *Recop. Indicæ; In quibus Rex Catholicus in fruc-*

pars ex consuetudine Hispaniæ Episcopo debebatur, cùm alibi tantùm quarta debebatur; sed de hoc infrà, titulo *De Jure Beneficiatorum ad bona Ecclesiæ.*

Deinde prosequitur Concilium: » Quòd si amplius quidpiam » ab eis præsumptum extiterit, per Concilium restauretur; ap» pellantibus aut ipsis conditoribus, aut certè propinquis eorum, » si jam illi à seculo discesserint."

Agnoscit igitur Concilium, quòd Patrono cura incumbat, ut illibata & integra Ecclesiæ suæ bona conserventur, id quod rursus renovavit Concilium Toletanum IX. formamque, quâ suas querelas formare possint Patroni, describit *Can.* 1.

XV. Et primò quidem declarat, bona dispensanda esse juxta piam offerentium voluntatem; ac tum subjungit: » Verùm » ut rei hujus potior soliditas haberetur, condignis filiis, vel » nepotibus, honestioribusque propinquis ejus, qui construxit, » vel ditavit Ecclesiam, licitum sit hanc bonæ intentionis habe» re solertiam, ut si Sacerdotalem, seu ministrum aliquid ex » collatis rebus præviderint defraudare, aut commonitionis ho» nestæ conventione compescant; vel Episcopo vel judici corri» genda denuntient:" id est, eum honestè admoneant, ut à dissipandis Ecclesiæ suæ bonis abstineat.

Quòd si honestam hanc admonitionem aspernetur, permittit Concilium, ut vel *Episcopo, vel Judicio corrigenda denuntient.*

XVI. Ulteriùs pergit Concilium: „ Quòd si talia Episcopus „ agere tentet, Metropolitano ejus hæc insinuare procurent. Si „ autem Metropolitanus talia gerat Regis auditibus (alia lectio, „ *auribus*) intimare non differant."

Supponunt Concilia rationem, & curam bonorum Ecclesiæ incumbere Fundatoribus, sive Patronis eorumque hæredibus; ipsosque etiam auctoritatem Regiam posse implorare contra dispensatores.

XVII. Huc referri potest ratio Rectorum Angliæ, ut asserant, ne quidem à Summo Pontifice imminui, & quoquomodo usurpari posse patronatarum Ecclesiarum redditus, nec ullam exactionem iis imperari. » Item cùm Rex Angliæ & Mag» nates tam jure hæreditario, quàm bona & appropriata consue» tudine habent Jus Patronatûs Angliæ, & Rectores ad eorum » præsentationem institui nolunt; sicut nec debent, nec pos» sunt, in aliquam contributionem consentire inconsultis Patro» nis, quia sic posset suis Ecclesiis præjudicium generari. « Apud M. Paris *ad ann.* 1240.

Neque hodie facilè admitteretur notabilis bonorum alienatio, aut Ecclesiis gravamen imponi sine consensu Fundatorum: atque hinc potissimum originem ducit, quòd in rerum Ecclesiæ alienatione, earum unione, similibusque materiis consensus Regius petatur; (e) utpote qui ut plurimum Ecclesiarum Fundator est, aut creditur.

XVIII. Imò cùm de conservandis fundationibus agitur, hodie ferè ad solos Judices Regios, pro iis tuendis, recurritur. Nam uti monet Franciscus De Roye in *Prolegomenis ad titulum de Jure Patronatûs, cap.* 27. » Hodie fundationes Eccle» siarum dicuntur juris *publici*, cujus executio & conservatio » ad Reges pertinet. «

XIX. Nec tantùm circa bona temporalia, hæc Fundatorum, sive Patronorum cura versari debet; sed & circa officium Divinum aliaque ex præscripto fundationis peragenda. » Si Cle» ricus *Divinum Officium* in ea non celebret (ait De Roye) jux» ta ejus fundationem, Patronus eum vocare debet in jus, ut » fundationi satisfaciat, eoque cassu verius existimarem ipsius » Patroni electionem esse, an apud Judicem Ecclesiasticum agat, » quia cum Clerico agit, & de celebratione Divini Officii; an » verò apud secularem, quia de tuenda & observanda funda» tione agit, quod est secularis jurisdictionis. «

Et in hisce Provinciis, uti in Gallia nihil frequentius, quàm quòd quærelæ de non observatis fundationum legibus ad Regios Magistratus deferantur, ipsumque officium Fiscale, tanquam juris publici protector, sese immisceat.

XX. At hisce repugnare videtur Synodus Tridentina *Sess.* 24. *Cap.* 3. *de Reform.* decernens: » Patroni verò in iis, quæ Sacra» mentorum administrationem spectant, nullatenus se præsu» mant ingerere, neque visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut » bonorum stabilium, seu Fabricarum proventibus immisceant; » nisi quatenus id eis ex institutione ac fundatione competat: » sed Episcopi ipsi hæc faciant, & fabricarum redditus in usus » Ecclesiæ necessarios & utiles, prout sibi expedire magis vi» sum fuerit, expendi curent. «

XXI. Imprimis Consilia Regia, prævie ad publicationem Concilii Tridentini per has Belgicas Provincias, jussa suum de Decretis *Reformationis* depromere judicium huic Decreto hanc notam appenderunt: » Excluditur Patronorum officium in vi» sitationibus Ecclesiarum, ornamentorum, bonorum & pro» ventum, nisi ex ipsa fundatione id iis competat, & res to» ta committitur arbitrio Episcopi. Iterum hîc mentio fit de » præjudicio Juris Patronatûs Laici avertendo, & sufficere pa» tronos in pacifica possessione esse hujus juris, licèt ipsas lit» teras fundationis non proferant, fortè deperditas injurie » temporis. «

XXII. Cùm autem Concilium promulgatum in his Provinciis fuerit, conformiter ad hasce observationes, uti sat patet ex clausula litteris Gubernatricis ad Archiepiscopum Cameracensem insertâ; & nominatim notavit Bertrandus Loth in suis Resolutionibus, sequitur, Patronos laicos in possessione sua conservatos esse: quemadmodum usque in hodiernum diem perseverant.

XXIII. Adhæc nullatenus verisimile est, quòd Synodus Tridentina solicita semper inhærere, quantùm temporum conditio patiebatur, sacris Canonibus, voluerit curam & vigilantiam Patronorum pro tuendis legibus fundationis, Canonum auctoritate stabilitam evertere; sed cavere duntaxat, ne Patroni, prætextu defensionis, Episcopos in officiorum divinorum celebratione, aut Sacramentorum administratione turbarent, aut jura Ecclesiarum sibi appropriarent, conformiter ad Concilia Toletana.

Postquam enim Fundatorum curam & studium in tuendis rebus Ecclesiæ excitârunt, subjiciunt hoc monitum: » Noverint » autem conditores Basilicarum in rebus, quas eisdem Ecclesiis » conferunt, nullam potestatem habere; sed juxta Canonum » instituta, sicut Ecclesiam, ita & dotem ad ordinationem Epis» copi pertinere. « Hæc Toletanum IV. quæ eodem sensu, sed fortiùs expressit Concilium Toletanum IX. Canones utriusque Concilii jam citati referuntur apud Gratianum *Caus.* 10. *q.* 1. *Can.* 6. *Caus.* 16. *quæst.* 1. *Can.* 60. item. *Caus.* 16. *quæst.* 7. *Can.* 31. (f)

CAPUT VII.

De Juribus honorificis præcipue Patrono debitis.

1 *Quid honor, à quo jura honorifica dicuntur.*
2 *Jura honorifica consistunt in externis honoris symbolis, & quæ ad hoc Ecclesia elegerit.*
3 *Olim jura hæc non erant determinata.*
4 *Enumerantur jura honorifica hodie magis usitata.*
5 *Credunt plerique Canonistarum Gelasium I. meminisse honoris* Processionis.
6 *Non videntur Canonsitæ intellexisse sensum Gelasii.*
7 *Auctoritate Gelasii nihilominus invaluit honor Processionis.*
8 *Honor hic defertur subinde recipiendo* processionaliter *venientem ad Ecclesiam.*
9 *Quibus honor Processionis hoc modo exhibendus.*
10 *Subinde defertur, locum honoratiorem in Processione assignando.*
11 *Honor* thuris *in quo consistat.*
12 *Jampridem etiam laicis delatus.*
13 *Usus incensi primitùs non institutus ad honoris exhibitionem, & quomodo paulatim ad hoc deductus.*
14 *Aqua benedicta ad honorem exhibendum non instituta; & in quo consistat honor aquæ benedictæ.*
15 *Nonnulli volunt sibi porrigi aspergillum.*
16 *Hæc Patronorum postulatio contraria ritibus Ecclesiasticis.*
17 *Episcopi in Gallia, & Belgio Patronis se opposuerunt.*
18 *Conforme Arrestum Parlamenti Parisiensis.*
19 *Ratio ob quam non conveniat laicis tradi aspergillum.*
20 *Cur conveniat dari Episcopo.*
21 *In quo consistat honor* precum.
22 *Patronorum etiam Ecclesiasticorum nomina in precibus publicis recitanda.*
23 *Fidelium nomina in die anniversaria recurrente recitanda.*
24 *Toparchæ, & Patroni prætextu hujus honoris non possunt cogere Parochum ad differendum Divinum Officium.*
25 *Neque Parochi ad placendum Toparchis, aut Nobilibus illud differre possunt.*
26 *Honor* Sedis *in quo consistat; & unde proveniat.*
27 *Honor Sedis* in choro *solis Patronis de jure competit.*
28 *Potest Sedes specialis minoribus Magistratibus, & Nobilibus concedi in navi Ecclesiæ; & à quibus.*
29 *Honor Sepulturæ in quo consistat.*
30 *Jura honorifica non tantùm Patronis laicis, sed etiam Ecclesiasticis competunt.*
* *Quo titulo Ecclesiasticis jura honorifica competant; & quibus.*
31 *Patronus Ecclesiasticus non propria, sed Ecclesiæ suæ insignia apponere potest; & quare.*
32 *Fundatori jura honorifica debentur, licèt non habeat jus præsentationis.*

Qui

(e) *Vide Breve SS. Patris Benedicti Papa XIV. datum* 10. *Septemb. ann.* 1753. *quod extat in fine leg.* 11. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recopilat. & Remiss.* 20. *ejusdem tit. & lib.*

(f) *Confirmat prædictam doctrinam Lex* 11. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recop. convention.* 7.

33 *Qui jus præsentationis in Ecclesiam transtulit, retinet jura honorifica.*
34 *Patronus omnibus aliis, etiam Toparchis quoad jura honorifica præfertur; & quare.*
35 *Nullus potest habere sedem, aut sepulturam in choro in præjudicium Patroni.*
36 *Uxor, & filii Patroni quali honore gaudeant.*
37 *Patroni, aliique laici juribus his gaudentes, debent cedere Clero.*
38 *Circa usum horum jurium multum valet consuetudo.*
39 *Aliquando tamen tanquam abusus corrigenda.*
40 *Coram quo quæstiones de his juribus agitandæ.*
41 *Quid Patronis, Toparchis, aliisque in usu horum observandum.*
42 *Quæ à Parochis observanda.*

I. HOnor, à quo dicuntur jura honorifica, hîc sumitur pro cultu quodam, sive reverentia, quæ ob beneficentiam, vel auctoritatem singularem quibusdam ab Ecclesia exhibetur.

II. Cùm verò honor sit aliquid externum, externa quoque tantùm sunt ejus symbola, externæ honoris notæ; atque externis tantùm exhibetur actibus.

Ecclesia, spretis secularibus, aut mundanis honoribus eas honoris species elegit, & consecravit, quæ cum ipsa honoris exhibitione, etiam pietatem, & charitatem commendant, & continent; quibus suos benemerentes in suis ædibus, & publicis conventibus honorat, protectionis suæ gratiam refert, & reipsa implet illud Apostoli: *Cui honorem, honorem.* Ad Rom. cap. 13. v. 7.

III. Olim quidem Episcoporum, & Presbyterorum arbitrio reliquerunt Canones, quem honorem suis senioribus tribuerent; sed sensim quotidiano usu definitæ sunt quædam honoris species, quibus Ecclesia fideles quosdam coleret, quæ paulatim conversæ sunt in assiduam jurisdictionem; uti rectè advertit Franciscus de Roye Antecessor Andegavensis *lib. 1. de Juribus honorificis, cap. 1.* ac propterea tandem dicta sunt *jura* honorifica, seu honoris, utpote *jure* jam debita.

IV. Hæc jura magis usitata hodie, præsertim in Belgio, Gallia, vicinisque Provinciis ferè sunt, honor processionis, thuris, precum, sedis, sepulturæ, aquæ benedictæ, panis benedicti.

V. Plerique Canonistarum credunt honoris *processionis* jam pridem meminisse Gelasium I. eumque Patronis exhibitum fuisse; idque auctoritate *Canonum* 26. & 27. *caus.* 16. *quæst.* 7. in quorum priore sub nomine Gelasii Papæ dicitur: *Sciturus* (Fundator Ecclesiæ) *sine dubio præter* PROCESSIONIS *aditum, qui omni Christiano debetur, nihil ibidem se proprii juris habiturum.* Et in Canone sequenti: *Nihil se tandem sibi fundator ex hac Basilica noverit vindicandum, nisi* PROCESSIONIS *aditum, qui Christianis omnibus debetur.*

VI. Verùm hoc unum voluisse videtur Gelasius, quòd postquam Basilica fuerit ædificata, & sufficienter fundata, tum primùm ab Episcopo sit dedicanda, quâ dedicatione factâ, Fundatori concedendus sit *aditus processionis*, id est, liceat Fundatori in ea Basilica ad Missarum solemnia procedere, sicut omnibus Fidelibus conceditur aditus ad Ecclesias publicas ab Episcopis dedicatas, quemadmodum latiùs notant, & probant Franciscus Florens titulo *de Antiquo Jure Patronatus, pag.* 84. *edit.* 1679. & Franciscus de Roye loco citato, *cap.* 7.

VII. Quidquid sit, hoc constat, quòd auctoritate dictorum Canonum jus *processionis* inter jura honorifica fuerit relatum. Scribens enim Clemens III. vel ut alii volunt, Alexander III. in *cap.* 25. *de Jure Patronatus*: *Pro Fundatione quoque Ecclesiæ honor* PROCESSIONIS *Fundatori servatur*: mox subjungit: *Sicut in sacris est Canonibus institutum*: quibus verbis indicari citatos Canones Gelasii manifestum est: atque ita post hanc Decretalem unanimi Canonistarum calculo probatum est, inter jura honorifica Fundatori debita, esse honorem *processionis*, licèt inter ipsos Canonistas non conveniat, quid in allegatis Canonibus per *aditum processionis* intelligatur.

VIII. Hic *processionis* honor duobus potissimùm modis Patrono deferri potest, uti tradunt Canonistæ ad dictum *cap.* 5. atque nominatim expressit Cardinalis Hostiensis.

Primò, honor debetur Patrono, ait Hostiensis, ut ei *processionaliter* occurratur; id est; Patrono ad Ecclesiam venienti, Clerus Ecclesiæ *processionaliter* occurrat, eumque recipiat, & ad Ecclesiam deducat; quemadmodum recipi Episcopum præcipit hodiernum Pontificale Romanum.

IX. Rectè autem Cardinalis Hostiensis exprimendo hunc modum exhibendi honorem *processionis*, addidit hanc clausulam: *Si talis, & tantus sit*, hoc est, qui mereatur tantum honorem, puta si Rex sit, aut Principes *magnæ potentiæ*, juxta expressionem Pontificalis Romani, hunc titulum affigens Ordini recipiendi Principes: *Ordo ad recipiendum* PROCESSIONALITER *Principem* MAGNÆ POTENTIÆ.

Imò in Regno Galliæ solus Rex *processionaliter* recipi potest, quemadmodum refert Carolus Fevretius *de Abusu, lib. 3. cap. 2. num.* 13. si quidem (ait) suscipere cum processione, & elata cruce, subjectionis, ac honoris eximii signum (g) est.

Secundò, defertur honor *processionis* dando, vel cedendo alicui honoratiorem locum in ipsa solemni, ac publica processione.

X. De hoc honore Fundatori, ejusque hæredibus deferendo loquitur Pontificale Romanum tit. *de Consecratione Ecclesiæ*, ubi præscribit, ut Pontifex absolutâ consecratione dicat ad Fundatorem: » Quòd à Sanctis Patribus statutum est, in diei » dedicationis anniversario solemni, Fundatores, & eorum hæ» redes in *processionibus primos* esse debere."

XI. Honor *thuris* sive suffitus consistit in speciali, ac honorificâ thurificatione alicui in signum eminentiæ, aut benevolentiæ exhibenda.

Jampridem Episcopos, & Sacerdotes singulatim, & separatim à reliquo Clero, & populo suffitum accepisse, sat indicat vetus Ordo Romanus; & hodie ex præscripto Ritualium perseverat.

XII. Cùm ergo singularis hæc thurificatio facta Episcopis reputaretur symbolum honoris, sensim cum aliis honoris symbolis ad laicos transire cœpit. Scribit Codinus: » Circa vespe» ram abit Imperator ad Sanctam Sophiam, audiensque vesper» tinos hymnos incensatur, seu thuris suffitu honoratur à Pa» triarcha, omnesque simul aulici proceres etiam ad ultimum » usque," *lib. 3. cap. 14. num.* 17.

Et num. 21. » Incensat, seu thuris suffitu honorat Patriar» cha Imperatorem."

Honoris *incensi* exhibendi Patriarchiæ Gradensi à Monasterio S. Georgii meminit Honorius III. in *cap.* 8. ✠ *de Causa possess. & propriet.* Juncta antiqua consuetudine apud Cironium in quinta Collectione Decretalium.

XIII. Quod autem contendit Cironius ad hanc Decretalem, & *lib. 3. Observ. cap.* 6. latiùs probare vult, suffitum non esse propriè honoris argumentum, sed ad excitandum populum ad elevandum mentem in Deum, juxta illud Psalmistæ: *Dirigatur Domine oratio mea sicut* INCENSUM *in conspectu tuo*; vel ad repræsentandum effectum gratiæ, per quem purificamur, & abluimur, & abstergimur ab omni sorde peccati, uti loquitur S. Severus Alexandrinus in *Descriptione, & Ordine oblationis*; hoc quidem verum est, si primarium finem, quem sibi Ecclesia in usu *incensi* præfigit, attendamus; quemadmodum vel ex sola solemnis benedictionis *incensi* formula in Missali præscripta manifestum est. Sed cùm ipse usus *incensi* receptus fuit, Ecclesia voluit, ut etiam per ea, quæ ad pietatem, & cultum religionis adhibentur, honorificentur illi, quibus honor debetur; uti suprà monuimus, & in honore aquæ benedictæ, panis benedicti, & osculi pacis compertum est.

XIV. Aquæ enim benedictionem, aut ejus aspersionem in Ecclesia hodie receptam, non esse primitùs institutam, ut per eam honor alicui deferatur, ex precibus in ipsa benedictione recitandis patescit, sed dum aliquibus cum quadam prærogativa datur, honoris nota est; & eatenùs juribus honorificis aspersio aquæ benedictæ annumeratur, quemadmodum & de prærogativa in distributione panis benedicti notavimus *part. 2. tit. 5. cap.* 4.

XV. Nonnulli juribus honorificis gaudentes non contenti, si aqua lustrali, seu benedicta separatim, & ante alios laicos cum quadam honoris nota aspergantur, renuunt ab ipso Sacerdoti aspergi: voluntque sibi aspergillum porrigi, ut ipsimet aquam ex aspergillo accipientes seipsos aspergant.

XVI. Verùm quia ex antiquo usu aqua benedicta juxta Ecclesiæ præscriptum per aspersionem dari consuevit, isque ritus in omnibus etiam antiquis libris Ritualibus sit probatus, juxta illud Psalmi 50. *Asperges me hyssopo, & mundabor*, quem etiam inter aspergendum decantari jubet Ecclesia, non immeritò Episcopi se hisce Patronis, & Toparchis opposuerunt, contendentes, Ecclesiam quidem debita jura honorifica non improbare, sed esse cum ea moderatione exhibenda, ut ritus, & cæremoniæ ab Ecclesia piè instituti non evertantur.

XVII. Hanc in deferendis juribus honorificis Ecclesiæ mentem pernoscens Eminentissimus D. Camusius Episcopus Gratianopolitanus, in Ordinationibus Synodalibus *tit. 5. art.* 6. » Interdixit omnibus Parochis, eorumque Vicariis dare aquam » benedictam *ad manus* laicis, cujuscunque conditionis fuerint, » ne quidem Ecclesiasticis nisi Episcopis: iisque injungit illam » da-

(g) *In Hispania per leg. 7. tit. 1. Remiss. num. 1. ad fin. tit. 3. lib. 1. Recop. præceptum est, nullo modo Clerum extra Ecclesiam processionaliter, Cruceque elata (sicut assuefiebat) ad adventum Regis, Principis, Infantisve accedere debere: sed id tantùm, ut stante Clero processionaliter extra Ecclesiæ januam, & Cruce elevata intra eandem Rex, Princepsve recipiendus est.*

dare duntaxat per *aspersionem* etiam Toparchis locorum, quibus eam dabunt separatim & eorum familiæ, cùm fuerint in suis sedibus, aut scamnis, nec ante nec post aspersionem ullam faciant ipsis Toparchis inclinationem. «

Cumque in hac Diœcesi Mechliniensi idipsum quidam Toparchæ prætenderent, Alphonsus de Berges Archiepiscopus Mechliniensis edito Decreto (h) idem Parochis, aliisque Sacerdotibus injunxit, voluitque juxta præceptum Pontificalis omnibus, excepto solo Episcopo, per aspersionem dari.

XVIII. Imò dum quidam Toparcha non contentus prærogativâ aspersionis, contendebat sibi porrigi aspergillum, ipsumquè Parochum dare recusantem ad Parlamentum Parisiense evocabat, intervenit Cleri Gallicani Syndicus, prætendens hîc de rituum ac cæremoniarum observantia esse quæstionem, ideoque Actorem ad Episcopum Tolosanum tanquam suum Ordinarium remittendum esse, prout & à Parlamento remissus fuit: quâ remissione sat ostendit Senatus Regius, se nolle Actorem in jure honorifico tueri cum immutatione rituum Ecclesiasticorum. Vide latius Carolum Fevretium *lib.* 4. *cap.* 9. *num.* 5.

XIX. Et sanè cùm hæc aquæ lustralis aspersio sit quædam species benedictionis, superbiam sapit eam nolle admittere à Sacerdote, qui ad benedicendum ab Ecclesia specialiter ordinatus, & constitutus est, juxta illud Pontificalis Romani: *Sacerdotem oportet offerre*, BENEDICERE, &c.

XX. Sed quia Episcopus in Ordine Hierarchico est Presbytero superior, ipsamque plenitudinem Sacerdotii possidet, conveniens haud est, ut ipse à Presbytero benedicatur, quia juxta Apostolum: *Sine ulla contradictione quod minus est à majore benedicitur.*

XXI. Honor precum consistit in speciali recitatione, & commendatione alicujus in precibus. Jampridem usitatum fuit, ut aliquorum nomina, qui vel auctoritate, vel beneficentia in Ecclesiam eminebant, inter Missarum solemnia recitarentur; cujus rei testimonium luculentum suppeditat Synodus Emeritensis *Can. XIX.* » Salubri deliberatione censemus, & pro singulis quibusque Ecclesiis, in quibus Presbyter jussus fuerit » per sui Episcopi ordinationem præesse, pro singulis diebus » Dominicis sacrificium Deo procuret offerre, & eorum *nomina*, » à quibus eas Ecclesias constat esse constructas, vel qui aliquid » his sanctis Ecclesiis videntur, aut visi sunt *contulisse*, si vi» ventes in corpore sunt, ante altare recitentur tempore Mis» sæ; quod si ab hac decesserint luce, nomina eorum cum fi» delibus defunctis recitentur in suo ordine. «

Quin hæc recitatio nominum sit quædam nota honoris & præeminentiæ, negari nequit; ut proindè mirum non sit, si inter jura honorifica numeretur.

XXII. Refert Matthias Mareschal in tractatu de *Juribus honorificis*, *pag.* 102. *edit.* 1616. quòd licèt omnes Benefactores hoc habeant commune cum Patronis, & Toparchis, quòd publicè in concione sive *Prona*, ut vocant, precibus fidelium commendentur, ipsi tamen Patroni, & Toparchæ debeant *nominatim*, id est, expressis nominibus & qualitatibus commendari, si id petant; atque ita judicatum refert anno 1603. & rursus anno 1614. declaratum, jus hoc tam Patronis Ecclesiasticis, quàm Laicis competere.

XXIII. Hoc tamen ibidem pag. 205. monet, quòd licèt ad solos Patronos, & Toparchas pertineat, ut nomina eorum diebus Dominicis in precibus publicis recitentur, nihilominùs Benefactores, & Fundatores alicujus anniversarii, possint, & debeant nominari, & commendari Fidelium precibus die anniversarii recurrente; quod & praxi ubique receptum est.

XXIV. Rectè quoque ibidem *pag.* 197. & sequentibus, reprehendit Toparchas, aliosve viros nobiles, qui prætextu *honoris precum*, invertunt ordinem, & tempus Divini Officii, præcipientes illud vel accelerari, aut differri ad seram horam, & incommodam, in contemptum Sacerdotum, & non exiguum Parochianorum incommodum, qui nonnunquam ab Ecclesia Parochiali remoti Officio Divino idcirco assistere nequeunt.

Quæ incommoda occasionem dederunt, teste Mareschallo art. 3. Edicti Caroli IX. Regis Galliæ anni 1571. quo »inhibe» tur Dominis temporalibus, & aliis quibuscunque personis, » constringere Parochos, eorumve Vicarios mutare, aut dif» ferre horas ordinarias Officii Divini. «

(h) *Decretum Archiepiscopi Mechliniensis quo præscribitur ritus porrigendi Aquam benedictam.*

Alphonsus de Berghes, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mechliniensis, Primas Belgii ad Exercitus Regios Delegatus Apostolicus, suæ Majestati à Consilio Status, &c. Omnibus has visuris Salutem in Domino. Tenore præsentium mandamus omnibus, & singulis Diœcesis nostræ Pastoribus, Vicariis, aliisque Presbyteris, tam Secularibus, quàm Regularibus cujuscunque Ordinis, ut dum populum aquâ benedictâ aspergunt, modum ab Ecclesia in Pontificali Romano præscriptum exactè observent, in ejusdem conformitatem ip-

XXV. Notat dein Mareschallus *pag.* 201. esse abusum reprehensione dignum, quando ipsi Parochi, eorumve Vicarii sua sponte in favorem parentum, amicorum, aliorumve invertunt Officium Divinum.

Notat ibidem Mareschallus, quòd huic abusui Archidiaconi visitando occurrere debeant; his deficientibus ad Episcopum recurrendum, imò ad Judices Regios, qui injungent Parocho celebrare Divinum Officium horis ordinariis per manus injectionem in temporalia. Adde quæ de celebratione Officii Divini, ac præsertim Missæ Parochialis dicta sunt *parte* 2. *tit.* 5. *numer.* 11. & 12.

XXVI. Inter jura honorifica frequens, & eminens est honor *Sedis*, qui defertur assignando Sedem perpetuam & specialem alicui in Ecclesia, quæ eò honorabilior est, quo locus sessionis est honorabilior.

Censetur autem locus in Ecclesia honorabilior, qui magis ipsi Sacrario, & altari appropinquat. Unde Sedem in *Choro* honorabiliorem esse, quam Sedem in navi Ecclesiæ nemini dubium est.

Et quidem Chorum ex præscripto Canonum populo non patere, sed solis Clericis divinum Officium peragentibus, sat constat; atque honoris causa duntaxat nonnullis laicis sensim apertum esse; quod latiùs deducit Franciscus De Roye de *Juribus honorificis*, *lib.* 1. *cap.* 10.

Quin & anno 1240. Synodus Wigoriensis *Can. III.* »Ne » laici stent in cancellis, dum celebrantur Divina, salvâ tamen » reverentiâ Patronorum.

XXVII. Testatur Mathias Mareschal in citato tractatu *pag.* 85. non semel judicatum fuisse, solis veris Patronis, seu Fundatoribus competere jus *Sedis* in choro; quod si aliis competat, id magis ex convenientia, sive tolerantia, quàm jure procedat. Et *pag.* 97. dicit judicatum, soli Patrono dari actionem ad vindicandum Sedile in *Choro*; alios verò, quibus titulo diuturnæ possessionis competit, tantùm posse implorare officium Judicis.

XXVIII. Nobiles autem, & Officiarios inferiores pretendentes locum distinctum à reliquo populo, dicit remisos fuisse ad Ædituos, vel Parochos, aliosve, quibus jus competit loci in Ecclesia designandi, ut ab his in navi Ecclesiæ extra Chorum locum honorabilorem, spectata ipsorum conditione & dignitate acciperent. Ubi unà notat, quomodo in variis Ecclesiis jus assignandi loca in navi Ecclesiæ aliis competat.

XXIX. Honor *sepulturæ* versatur quoque circa locum honorabiliorem inhumationis in Ecclesia: isque hic similiter judicatur honorabilior, qui Sacrario est propinquior. Unde sepulturam habere *in Choro* maximè honorificum reputatur, nec olim laicis concedebatur; nunc verò Patronis specialiter annuitur. Sed de hoc jure latiùs agemus infrà titulo *de Sepulturis.*

XXX. Hæc jura honorifica non tantùm Patronis laicis, sed & Ecclesiasticis competunt, *Cap.* 3. ℣ *de Ædificandis Eccles.* ubi Alexander III. scribit, »quod si nova Ecclesia ex » proventibus veteris Ecclesiæ construatur, & dotetur, provi» deri debeat, « ut *competens* in ea honor pro facultate loci Ecclesiæ Matrici servetur.

* Quod modò dictum est de Patronis Ecclesiasticis, quibus jura honorifica competunt, id intelligi debet de iis Ecclesiasticis, qui sunt veri Patroni ex fundatione vel dotatione, puta, si Episcopus, aut Prælatus ex proventibus Ecclesiasticis, aut propriis fundaverit, aut dotaverit Ecclesiam; atque Jus Patronatus titulo fundationis, aut dotationis sibi delatum, annexuerit dignitati Episcopali, aut Prælaturæ: vel si ex proventibus alicujus Ecclesiæ Matricis erecta fuerit alia Ecclesia Parochialis, aut Capella, prior hæc Ecclesia Matrix tanquam Fundatrix meritò reputatur; eoque nomine Rectori hujus Ecclesiæ quædam jura honorifica, sive honoris deferuntur; quemadmodum in *cap.* 3. ℣ *de Ædificand. & reparand. Ecclesiis* respondet Alexander III. ut suprà notatum est.

Similiter titulo fundationis Episcopo jam pridem delatum fuisse jus præsentationis in Ecclesia, quam ipse fundaverat; atque eo titulo verum Jus Patronatus ei datum fuisse, supra hoc titulo *cap.* 1. *num.* 7. observavimus.

Igitur jura honorifica Ecclesiasticis non secus, ac laicis deferuntur in cognitionem munificentiæ, & liberalitatis, quam in fun-

sis districtè inhibendo sub pœna arbitraria, ne ulli personæ utriusque sexus, cujuscunque præeminentiæ, dignitatis, officii, status, aut conditionis, etiam in Dignitate Ecclesiastica constitutæ (iis tamen exceptis, quibus in Pontificali Romano idipsum conceditur) aspersorium extendant ad aquam benedictam manu inde sumendam, aut porrigant ad se aspergendum, aut eandem inde sumi permittant, consuetudine contraria quacunque (quæ abusus est) non obstante. Ut autem præsentes litteræ omnibus innotescant, illas ad valvas ordinarias per Diœcesim nostram affigi mandamus. Datum Bruxelis Diœcesis nostræ die 10. *Junii anno* 1681.

fundatione aut dotatione Ecclesiis exhibuerunt : nam ut rectè advertit Franciscus de Roye Antecessor Andegavensis in Tractatu suo de *Juribus honorificis*, *lib.* 2. *cap.* 3. » Sacri Canones (ait) in deferendis hisce honoribus *nomen*, *qualitatem*, & » *dignitatem* Fundatoris inspiciunt, ut ex causa pietatis & munificentiæ honorem deferant, & exhibeant, & infrà *num.* 33. » notabimus. «

Cùm igitur Capitula, & Monasteria, quæ solo titulo incorporationis habent jus præsentandi, sive nominandi ad Ecclesias illas Parochiales, quas vigore incorporationis sibi habent incorporatas, has Ecclesias non dotârint, aut fundaverint; sed è contrario decimas, aliosque redditus earum Ecclesiarum titulo incorporationis in usus suos, *sive ad mensam applicent*, nequaquam ut *veri* Patroni reputandi sunt; neque jura honorifica veris Patronis titulo fundationis, vel dotationis competere solita, prætendere possunt : sed si quæ jura honorifica in his Ecclesiis incorporatis vindicare velint, ea speciali titulo sibi competere probare debent.

XXXI. Cùm Patronus Ecclesiasticus Jus Patronatûs non habeat proprio nomine, sed nomine Ecclesiæ, sive Prælaturæ, vel tanquam Prælatus, qui jura ipsius tueatur, & exerceat, rationi planè consentaneum est, ut insignia Ecclesiæ, cui Jus Patronatûs proprium est, affigat; atque ita palam contestetur, ad Ecclesiam jus illud pertinere; uti rectè observat De Roye *lib.* 2. *cap.* 3. monetque sanctissimè observatum, Patronum Ecclesiasticum non posse in *lystra*, id est, zona funera, depingere insignia, seu *arma*, seu gentilitia; sed tantùm Ecclesiæ cujus Jure Patronatus utitur. (i)

XXXII. Porrò quia jura honorifica potissimum debentur ratione beneficii à Fundatoribus in Ecclesiam collati, ideò, uti communiter notant Doctores, ea jura honorifica debentur, tametsi jus præsentationis in ipsa fundatione remiserit Fundator, aut Ecclesiæ cesserit; idque dissertè asserunt consuetudines Normanicæ *art.* 12. uti loco citato refert de Roye : probatque non obscurè Pontifex in *cap.* 15. ✠ *de Jure Patronatûs*, ubi licèt neget Fundatori præsentationem, tamen concedit honorem *processsionis* & *alimentorum*.

XXXIII. Hinc ulteriùs verius existimat De Roye : » Quòd » si Fundator loco Religioso suam præsentationem donaverit, » attamen ei soli omnes alios honores deberi : quia semper ve- » rum est, eum esse Fundatorem, & semper retinere nomen, » qualitatem, & dignitatem Fundatoris, quam solam inspiciunt » sacri Canones, ut ea causa pietatis, & munificentiæ honorem » deferant, & exhibeant.«

XXXIV. Quinimò Patronus in juribus honorificis præfertur omnibus aliis laicis, etiam Senioribus, sive Toparchis, quantumvis omnimodam jurisdictionem habentibus. Ecclesia enim est quasi in dominio Patroni, seu Fundatoris; & ita jam pridem dixit Rochus de Curte *de Jure Patronatûs*, verbo *Honorificum*, *num.* 1. & ex professo tradit Matthias Mareschal in tractatu Gallico *de Jurib. honorif. p.* 17. *edition.* 1616. atque enumeratis singillatim omnibus juribus honorificis, concludit, omnem honorem & præeminentiam debitam esse Patronis præ Toparchis, aliisque jurisdictionem aliquam in Parochia habentibus.

Deindè *pag.* 202. dicit judicatum fuisse, nomina Patronorum tam Ecclesiasticorum, quàm laicorum esse diebus Dominicis recitanda in precibus publicis; atque post horum recitationem, demum Toparcharum aliorumque jure illo gaudentium. Et *pag.* 7. ait quòd quoties casus accidit, semper judicatum fuerit Jura honorifica Ecclesiæ competere Patronis privativè, & cum prælatione ad omnes alios Dominos. Id ipsum tradit De Roye *lib.* 2. *cap.* 3.

XXXV. Neque in præjudicium Patroni ullus in Ecclesia à Patrono fundata, potest Jure honorifico uti : asseritque Mareschal *pag.* 88. » quod tametsi Patronus Sedem, aut sepultu- » ram, seu monumentum sepulchrale in choro non haberet, nul- » lus tamen posset in ejus præjudicium sedem, aut sepulturam » in choro accipere. Et longa possessio contraria (ait) non præ- » judicat Patrono ; uti Senatus Rothomagensis 22. Decem- » bris 1570. judicavit. Secus videtur (inquit) inter alios To- » parchas, qui non sunt Patroni. Nam possessio, sive potiùs » quasi possessio immemorialis non debet interverti per alium, » quàm per verum Patronum«

XXXVI. Nec tantùm Patrono prærogativa conceditur, sed & liberis ejus, & uxori; judicatumque in publica processione liberos Patroni sequi immediatè patrem; uxorem quoque prærogativâ loci gaudere : ita tamen ut in publico congressu ipsa in ordine mulierum incedere debeat : quemadmodum latiùs deducit, & variis Parlamentorum arrestis confirmat Mareschal *pag.* 75. *& seq.*

(i) *In Dominiis Indicis, Regi nostro subjectis, juxta Leg.* 42. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recop. eorundem, quicunque Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, Capellasve, prævia Regis licentia, construxerit, & dotaverit, ei Insignia, seu sua arma gentilitia apponere permissum est.*

XXXVII. Notandum autem monet Mareschal *pag.* 20. & 21. quòd ubi dicitur, Jura honorifica competere Patrono cum prælatione ad omnes alios, id intelligatur de prælatione ad laicos, & seculares, nequaquam cum prælatione respectu Episcopi, Curati, aut aliorum Prælatorum, & Ecclesiasticorum peragentium Divinum Officium, cum pluvialibus vel superpelliciis in Ecclesia Parochiali. Refertque ex Joanne de Torres Philippum II. Regem Hispaniarum voluisse, ut in Ecclesia Valentina osculum pacis priùs Archiepiscopo Valentino, quàm sibi daretur. Hinc in plerisque Ecclesiis Toparchæ, tametsi Patroni, habent sua sedilia ad latus sinistrum, dimittentes latus dextrum ipsi Parocho, aliisque Clericis Divinum Officium peragentibus, teste Mareschallo *pag.* 107.

Quapropter Eminentissimus Camusius in citatis Ordinationibus Synodalibus, conformiter ad Ritualia præcipit : Priùs Clerum aquâ lustrali, quàm Toparchas, aut horum familiam esse aspergendum.

XXXVIII. Cæterùm in deferendis his Juribus honorificis plurimùm valet locorum consuetudo, tam quoad personas, quibus exhibenda, quàm modum exhibitionis. Unde Franciscus De Roye *lib.* 2. *cap.* 5. ostendens, quòd habentibus *mediam* duntaxat Jurisdictionem *de jure* non competant Jura honorifica, licèt in multis Ecclesiis contrarium invaluerit, habeantque Jura honorifica post Patronos, & Toparchas *altæ* Justitiæ, non quidem jure, sed veluti per patientiam, sive tolerantiam, subjungit : » Præcipuè illud ita obtinet, cùm diuturno usu longa qua- » si possessione fulciuntur. Nam in officiis, & honoribus exhi- » bendis, non modò videndum est, quid lege sancitum, sed » quid *consuetudine* valeat. « Deindè aliquibus interpositis concludit; » Ex quibus constat, in exhibendis honoribus non mino- » ris habendam esse receptam consuetudinem. Et ejus beneficio » nostris illis Senioribus competere *lystras*, *sepulturam*, *& sta- » tam sedem in Choro*, *& alios honores* ; si non jure, saltem per » tolerantiam, & cum eo temperamento, ut nec patrono, nec » Seniori altam justitiam habenti noceant.«

XXXIX. Si tamen sensim Jura aliqua honorifica invaluissent, quæ vel decori templorum officerent, aut Divinorum Officiorum rectam celebrationem impedirent, non dubium, quin usus hic, licèt longâ consuetudine firmatus, posset auctoritate publicâ nonnumquam corrigi, aut impediri.

Quapropter De Roye *lib.* 2. *Cap.* 6. inquirens, quæ Jura honorifica competant iis, qui *inferiorem* duntaxat justitiam habent, notat vel eo titulo usum lystræ (qui in quibusdam Galliæ Ecclesiis usitatus est) iis esse negandum, quòd nimia lystrarum, seu insignium appensio decori templorum noceat; & tandem concludit : » Ideoque si quis ex iis dominulis usurpatam *lystram* » ex longa consuetudine tueri velit, ad curam prætoris pertine- » re putarem, ne ita deformetur aspectus Ecclesiæ, nec illud » producatur ad consequentias; quia quod non ratione introductum, sed errore primùm, deindè consuetudine obtentum » est, in aliis similibus obtinere non debet, « ait Celsus in leg. 32. *ff. de legib.*

XL. Quæstiones si incidant super his juribus honorificis, deferuntur terminandæ ad judices Regios, non secus atque controversiæ super Jure Patronatûs Laico, cujus quædam plerumque accessiones sunt, præsertim quia similes quæstiones super possessione, aut quasi possessione institui solent. Constat autem & in Belgio, & in Gallia possessorium, etiam in rebus Ecclesiasticis coram Judicibus Regiis agitari. (k) Vide De Roye *Lib.* 2. *Cap.* 15. item Mareschall. *pag.* 182. & sequent. hic una ostendit, quâ formâ in hac materia causa sit instituenda; neque sufficienter probari jus patronatûs, vel jurisdictio, & his annexum jus ad honores, sive jura honorifica, ex eo quòd in vitro, aut aliqua parte ædificii, aut ornamento, vel altari insignia alicujus posita sint : id enim passim Benefactoribus conceditur, soletque in memoriam beneficentiæ insignia donatorum apponi rebus donatis.

XLI. Ecclesia itaque fundatoribus suis, aliisque in sublimitate constitutis in ipsis etiam templis, quæ domus orationis sunt, honorem defert; sed quia verendum est, *ne propter eum honorem iis veniat pes superbiæ*, ut alibi loquitur S. Bernardus, convenit ut præ oculis habeant illud S. Augustini Epist. 22. » Mag- » num est de honoribus, & laudibus hominum non lætari, » sed & omnem pompam inanem præcidere, & si quid inde » necessarium retinetur, id totum ad utilitatem honorantium, » salutemque conferre.«

Optimè hic congruit quod ad versum 6. *cap.* 23. *Matthæi*, notavit pius ac eruditus Auctor Compendii Moralis Evangelicæ : » Character Pharisaicus est semper velle, aut in ministerio » sacro, aut in commercio vitæ civilis aliquo discrimine » ab

(k) *In Hispania ea, quæ ad Jus patronatus Regium pertinent, privativè cognoscuntur à Regio Senatu (vulgo de la Camara) ut dicitur in Remiss.* 4. *tit.* 6. *lib.* 1. *& Act. Acordat.* 5. *ejusdem tit. & libr.*

„ab aliis secerni. Licet primum locum occupare, cum dignita-„ti, vel ordini debitus est, quandoque occupandus est, ne „alias jus, cujus Domini non sumus, concedamus; sinere possu-„mus nos eo deduci, cùm id defert urbanitas; nunquam illum „appetere, aut eò delectari ex amore præferentiæ oportet."

XLII. Parochi, & Sacerdotes laicis exhibentes jura honorifica meminerint illius sententiæ Apostoli, *rationabile* sit *obsequium* vestrum: & hujus, *Cui honorem, honorem*, ut non incidant in vitium *acceptionis personarum*, de quo Apostolus Jacobus *cap. 2. v. 1.*

Eminentissimus Camusius rationem suprà allegati sui Decreti circa aspersionem aquæ benedictæ hanc præmittit, quod intellexerit quosdam Parochos, eorumve Vicarios immemores dignitatis sui status exhibere laicis honores characteri ipsorum haud convenientes.

Caveant quoque, ne turpis quæstus in deferendis, aut annuendis honoribus, vel prærogativis se immisceat; cujus non raro periculum, & occasio in designatione, vel concessione loci sepulturæ occurrit; præcipuè iis in locis ubi jura Parochi, & Clericorum augentur pro qualitate loci sepulchralis.

Seriò attendendum à laicis & Clericis, templum esse *domus orationis*, ad quam in spiritu humiliato, tanquam filii unius ejusdemque Matris Ecclesiæ, eundem Patrem, qui est in cœlis, supplices oraturi accedunt: in ea omnia oportere spirare potiùs humilitatem, ac mundi pomparumque ejus contemptum, quàm illa externa honoris symbola, quæ superbiam ambitionemque excitare consueverunt, ac difficulter ipsam veram in corde humilitatem compatiuntur.

Et quidem cùm hæc honorum exhibitio passionem superbiæ multum nonnumquam excitet, contingit non raro hos honores arroganter exigi, studiosè conservari, & fervidè defendi; cunctaque subindè pro eorum conservatione moveri, nihilque non tentari. Quapropter rarò convenit Parochis, ut ipsi cum Toparchis, aliisque illustribus personis super his juribus suâ privatâ auctoritate se committant; sed potiùs quæstionem Episcopo, aut aliis Superioribus exponant, & eorum judicio subjiciant.

CAPUT VIII.

De Regalia.

1 *Regaliæ descriptio.*
2 *Pragmatici Galli ejus originem obscuram asserunt.*
3 *Primordia Regaliæ non adeò videntur obscura.*
4 *Regalia complectitur usumfructum bonorum temporalium, & collationem Beneficiorum.*
5 *Quoad primam partem originem traxit à* feudis.
6 *Feuda mortuo vassallo revertebantur ad dominum directum, quousque esset solutum* relivium.
7 *An feuda Ecclesiastica huic legi primitùs subjecta.*
8 *Verisimile est Reges Galliæ seculo VII. feuda Ecclesiæ illi legi subjecisse.*
9 *Credit P. De Marca Constitutionem Callixti II. occassionem huic introductioni dedisse.*
10 *Id factum credit propter abolitas investituras.*
11 *Regaliam fuisse jus merè feudale tempore Philippi Augusti ostenditur.*
12 *Idipsum evincit instructio Philippi Pulchri data quibusdam Episcopis.*
13 *Conditiones hodiernæ necessariæ pro clausura Regaliæ id ipsum probant.*
14 *Regalia juxta naturam feudorum primitùs tantùm complectebatur* feudalia; *hodie verò etiam decimas, & reliquos proventus Episcopatuum.*
15 *Collatio Præbendarum feudis annexa etiam ad Regem Sede vacante reversa.*
16 *Primitùs sola collatio feudis inhærens ad Regem spectasse videtur.*
17 *Hinc verisimiliter factum, ut quædam Ecclesiæ fuerint subjectæ Regaliæ quoad temporalia, & non quoad collationes Præbendarum.*
18 *Quo titulo extensa ad omnes collationes Præbendarum.*
19 *Feuda reguntur jure consuetudinario; neque ubique subjacent juri* relivii.
20 *Ex hac diversitate contigit, Ecclesias alias subjectas esse juri Regaliæ, alias exemptas.*
21 *Non omnes Ecclesias in Regno Galliæ subjacere juri Regaliæ agnovit Concilium Lugdunense.*
22 *Concilium loqui de hodierno jure Regaliæ probatur.*
23 *Canon Concilii editus ad postulationem Prælatorum Galliæ & Angliæ.*
24 *Concilium Regaliam extendi vetat.*
25 *Regaliam consuetudine inductam sustinet; desiderat tamen moderatum juris usum.*
26 *Jam pridem agnoverunt Pragmatici Galli, & ipsa Regia Parlamenta, quasdam Ecclesias ab hoc jure esse exemptas.*
27 *Quidam seculo XVI. prætenderunt esse jus Coronæ ad omnes Ecclesias extensibile, sed eorum opinio rejecta.*
28 *Quo tandem colore anno 1608. tentata Regulæ extensio ad omnes Ecclesias.*
29 *Nova Regia declaratio, jus Regaliæ esse jus Coronæ, & omnes Regni Ecclesias ei esse subjectas.*
30 *Contentiones, & motus in Regno Galliæ occassione hujus declarationis excitati.*
31 *Ad eos compensandos convocatus Clerus Gallicanus.*
32 *Quid nomine Cleri Regi expositum.*
33 *Ad hanc Cleri Supplicam secuta Regis declaratio quoad usum Regaliæ.*
34 *Clerus qua ratione, mediante hac declaratione, extensioni Regaliæ consenserit.*
35 *Clerus Gallicanus resolvit litteras dandas ad Innocentium IX. Papam.*
36 *Exponunt, quòd ob mala aliàs Regno, & Ecclesiis imminentia debuerint Regi cedere.*
37 *Ostendunt Regaliæ usum esse duntaxat disciplinæ.*
38 *Dicunt Regaliam esse ex iis, quæ pro temporum, & locorum conditione mutantur.*
39 *Totum statum causæ exponunt, & rationes, quæ ad condescendendum moverunt.*
40 *Quomodo in hac materia nonnumquam ipsi Romani Pontifices condescenderint.*
41 *His litteris respondit Innocentius XI. ostenditque sibi non satisfactum.*
42 *Scribit sibi sat constare in eo Conventu omnia* metu *acta fuisse.*
43 *Arguit eorum timiditatem & ignaviam in monendo Regem.*
44 *Dicit ipsos jura Ecclesiarum non potuisse alienare.*
45 *Rescindit & cassat eam extensionem & cessionem.*
46 *Non obstante Pontificia cassatione usus Regaliæ de facto in omnibus Ecclesiis obtinet.*
47 *Prima circa usum Regaliæ Regia modificatio circa Beneficia* litigiosa; *& quæ hujus modificationis occasio.*
48 *Beneficia litigiosa sex mensibus ante obitum Episcopi Regaliæ subjecta; & quod hujus juris fundamentum.*
49 *Beneficia de jure, vel de facto tantùm vacantia subjacent Regaliæ.*
50 *Quando* de facto *vacare censeantur ad hunc effectum.*
51 *Vacant de* facto, *si possessio acepta sit per procuratorem.*
52 *Secunda Regis modificatio circa quædam Beneficia, quibus cura animarum, aut jurisdictio, vel functio aliqua Ecclesiastica specialiter est annexa.*
53 *Quare hæc modificatio fuerit necessaria.*
54 *Tertia limitatio usus Regaliæ circa Beneficia spectantia conjunctim ad Capitulum, & Episcopum.*
55 *Ratio hujus limitationis.*
56 *Consentit Rex in has modificationes salvo jure Regaliæ quoad cæteras prærogativas.*
57 *Juxta Pragmaticos Gallos in Regalia omnia sunt* extraordinaria.
58 *Ex sententia Pragmaticorum Rex jure Regaliæ succedit in primitivum jus Episcoporum, & confert* pleno jure *Beneficia Patronatûs Ecclesiastici.*
59 *Papa nullas partes habet circa Beneficia vacantia in Regalia; & quare.*
60 *Non potest Rex à Papa præveniri, neque tempore Canonibus definito arctatur.*
61 *Semper Beneficium revertitur ad Regem, quandiu collatio Regis non habuit* plenum, & integrum *effectum.*
62 *Rex in Regalia non ligatur Regulis Cancelariæ.*
63 *Admittit etiam permutationes in* favorem.
64 *Obscura ratio & origo privilegiorum Regaliæ.*
65 *Plura intercurrunt, quæ sunt meræ disciplinæ.*
66 *Quid hic Ministris Regiis incumbat.*

I. VOx *Regalia* sumpta in plurali, frequenter sumitur pro juribus Fiscalibus, seu supremis juribus regiis, interdum autem pro feudis immediate à Rege relevantibus, de quibus aliisque nomenclaturis latè agit Du Cange in Glossario, verbo *Regalia*. At hodie vulgatissima est vocis hujus acceptio in singulari pro jure Regio fruendi omnibus proventibus Episcopatuum vacantium, & conferendi pleno jure omnia Beneficia non Curata, quousque novus Episcopus præstiterit juramentum fidelitatis, acceperit possessionem, aliaque absolverit, quæ ad clausuram Regaliæ requiruntur, de quibus supra *parte* 1. *tit.* 14. *cap.* 5.

II. Regaliæ ita sumptæ, & de qua hic unicè agitur, originem admodum obscuram esse fatentur passim Pragmatici, ipseque Pasquierus antiquitatum Gallicanarum diligentissimus, famosusque scrutator fatetur, se neminem hactenus reperisse, qui originem indicaverit: *Si quid enim* (inquit) *in historia obscurum est, id imprimis de hac materia prædicandum: Lib.* 3. *Disquisit. cap.* 15.

Et doctissimus Choppinus *lib.* 1. *de Sac. Pol. tit.* 7. *cap.* 9. asserere non veretur, nihil certi de origine Regaliæ ex antiquioribus monumentis erui posse; sed ex regiis tabulis duntaxat patriisque Senatusconsultis petita esse, quæ de hoc argumento scripsêre primi Jurisconsulti: *Sic ut Regaliarum cognitio vix patuerit* (ait) *antiquarum duntaxat rerum studiosis.*

III. Si his itaque, aliisque Gallicanis Scriptoribus fides sit, hæc materia non ex antiquis legibus, Canonibus, aut monumentis, sed ex consuetudine seu praxi patriis Senatusconsultis inducta, & firmata examinanda venit: quod & verissimum est, si consideretur cum omnibus iis solemnitatibus, effectibus, & accessionibus, quibus successu temporis tandem adornata, & aucta fuit. At si attendatur, prout in sua prima origine fuit, non adeò obscura apparebunt ejus exordia, neque accessionum epochæ. (l)

IV. Imprimis ex descriptione Regaliæ patet, Regaliam duo complecti: nimirùm jus percipiendi proventus temporales, & jus conferendi pleno jure Beneficia non curata: ideoque Ægidius Magister vulgò *Le Maire* in suo Tractatu *de Regalia cap.* 1. distinguit duplicem Regaliam, aliam *temporalem* quæ complectitur proventus temporales, & aliam *spiritualem* complectentem collationem Beneficiorum.

V. Regaliam quantum ad primam suam partem, sive jus percipiendi proventus temporales Episcopatuum vacantium, ex feudis originem suam habuisse rectè advertit Petrus de Marca; qui ubi ostendit, antiquitùs constitutos fuisse œconomos, qui Sede vacante proventus Episcopales reciperent & administrarent, (m) eosque futuro Episcopo servarent; dein seculis labentibus usumfructum ad Reges Sede vacante esse devolutum, ait: » Si quis verò inquirat in causas tam magnæ immutationis, is » reperiet eam esse profectam ex immutatione, quæ facta est in » conditione & qualitate bonorum ab Ecclesia possessorum. » Quemadmodum enim in Republica quoddam bonorum genus » extat, quod vulgò *feudum* vocant incognitum Romano Juri, » ideoque novis constitutionibus & antiquarum legum dispositioni » contrariis inductum; sic cùm Ecclesiæ Regum beneficio do» natæ fuissent bonis hujuscemodi, necessarium prorsus fuit, ut » illæ possiderent feuda iis conditionibus, quas in prima feudo» rum origine invexit publica utilitas. «

Eandem Regaliæ originem agnoscit Zypæus in Jure novo, *tit. de Elect. num.* 3.

VI. Porrò ea fuit primitùs feudorum conditio, ut non nisi ad vitam, & jure usufructuario à Domino utenda concederentur mortuo autem vassallo rursum ad dominum directum pleno jure redirent. At sensim tacito usu introductum & receptum fuit, ut illa ad hæredes transirent, Domino directo ita consentiente, & caducum feudum in eos transferente; idque soluto certo pretio, quo mediante hæredes feudum à domino relevabant; quodque propterea *relivium* dicebatur; de quo & variis ejus speciebus late agit Du Cange in Glossario, verbo *Relivium.*

Quandiu autem feudum à novo hærede non erat *relevatum*, manebat apud Dominum directum, qui & interim fructus feudi vacantis percipiebat.

VII. An feuda primitùs ea conditione ad Ecclesias transierint, non constat; verisimiliusque apparet, eam fuisse Regum & Principum mentem, ut sine hac restrictione in perpetuum transirent; præsertim cùm ea non personis singularibus, quarum morte fieri possent caduca, sed Ecclesiis, quæ non moriuntur, darentur: magisque id liberalitati Regum, & Principum conforme apparebat.

VIII. Quidquid sit, illud admodum verisimile est, quòd seculo XII. cœperint Reges Galliæ feudorum ad Ecclesias ex liberalitate Majorum suorum devolutorum usumfructum Sede vacante ad se recipere; donec novus Episcopus eorundem investituram à Rege accepisset, juramentumque fidelitatis præstitisset: quasi Episcopo moriente ipse feudi vassallus moreretur; atque ita ipsum feudum caducum fieret; & consequenter juxta leges feudorum ad Dominum directum donec à novo vasallo, id est, novo Episcopo relevaretur, redire deberet.

IX. Ita ferè Petrus de Marca *lib.* 8. *cap.* 22. *num.* 5. qui in ea est sententia, ut existimet, usumfructum reddituum Ecclesiasticorum introductum esse post constitutionem Calixti Papæ II. editam anno 1122. quæ Regibus tribuit potestatem exigendi à Prælatis universa officia & obsequia, quæ ratione *Feudorum* exhibere tenentur. *Quæ ex Regalibus debet, faciat,* ait Constitutio.

X. Hæc Constitutio extat in Chronico Abbatis Urspergensis ad ann. 1122. missa ad Henricum V. Imperatorem, pro sopiendis controversiis super *investituris*, quæ imperium cum Sede Apostolica multo tempore commisserant: arbitraturque de Marca *loco citato*, *num.* 6. » Reges resarciendis damnis suis » intentos, quæ toleraverant dimittendo jure investiendi Epis» copos ante consecrationem, dum Pontificibus Romanis ob» temperant ita cupientibus, jure suo usos esse quoad feuda, » ut Papa Calixtus approbaverat. «

XI. Legitur apud Rigordum de Gestis Philippi Augusti ad ann. 1206. quòd recusantibus pertinaciter Episcopis Aurelianensi & Antissiodorensi, ire vel mittere in exercitum, nisi quando Rex *personaliter* proficiscitur: » Rex eorum *Regalia* con» fiscaverit, scilicet ea *tantùm* temporalia, quæ ab eo *feuda» liter* tenebant: decimas, & alia spiritualia eis in pace dimit» tens. Ipse enim Rex Christianissimus semper timebat offen» dere Ecclesiam Dei, & ejus Ministros. « Hæc ille.

Hinc non obscurè elicitur, Regaliam suâ origine fuisse jus merè *feudale*, quo Reges æquè circa Prælatos Ecclesiæ, quam Laicos utebantur: idque non tantùm mortuis Prælatis, sed & viventibus, in casum confiscationis, juxta conditionem feudorum.

XII. Evidentiùs adhuc hanc Regaliæ primigeniam naturam evincit instructio à Philippo Pulchro data Archiepiscopo Senonensi & Episcopo Antissiodorensi ad componendam coram Pontifice controversiam exortam in Ecclesia Carnotensi; repræsentando Pontifici quæ hîc essent jura Regni: » Sicut *feudus* vas» sallo vacans interim cum suis redditibus à Domino licitè oc» cupatur, & propter defectum *hominis*, ut vulgari patriæ » nostro verbo utamur, de jure & generali consuetudine reg» ni nostri per Dominum, quousque superveniat persona, quæ » illi serviat, licitè destinetur, sic nos & nostri Antecesores » vacante Ecclesia Carnotensi, & temporalem Jurisdictionem, » & bona temporalia accipimus, & nostros facimus omnes fruc» tus, qui proveniunt ex eisdem. «

XIII. Si his addamus solemnitates, quæ etiamnum hodie requiruntur, & observantur in clausura Regaliæ, dubitari non posse videtur, Regaliam esse origine suâ jus feudale; atque juxta leges feudorum fuisse inductam.

XIV. Ex citatis verbis Rigordi constat insuper, Regaliam primitiùs comprehendisse *sola* feudalia; decimas autem aliosque Ecclesiasticos proventus ab ea fuisse exemptos, quod & De Marca *lib.* 8. *cap.* 22. *n.* 7. observavit; ibique ostendit, quomodo sensim ad decimas, omnesque proventus extensum fuerit; quod & latiùs ostendit Auctor Tractatus Gallici an. 1681. occasione controversiæ super extensione juris Regaliæ editi *parte* 1. *cap.* 9. ibidem ostendens, prætextu juris custodiæ, & juris spolii (n) hanc extensionem contigisse.

XV. Cùm verò ipsis feudis frequenter jus præsentationis, sive collationis sit annexum, uti suprà *cap.* 2. ostendimus, consequens visum fuit, ut revertente feudo ad Dominum directum, etiam jus præsentationis, vel collationis ei annexum debere ad Dominum directum reverti: atque hâc ratione collationem Præbendarum ad Regem jure Regaliæ primitùs pervenisse, adnodùm verisimile est.

XVI. Porrò sicuti sola feudalia primùm jure Regaliæ, juxta naturam feudorum, subjecta fuêre; ita & sola collatio Præbendarum feudis illis annexa ad Regem pertinuisse videtur: adnodumque verisimile, Regem nihil sibi attribuisse, nisi feuda cum omnibus, quæ iis videbantur annexa.

XVII. Et quidnî hinc contigisse dicamus, quòd in quibusdam Ecclesiis Regalia obtineret quoad temporalia, non autem quoad spiritulia; quemadmodùm jam pridem obtinuisse in nonnullis, tanquam indubitatum & notorium tradit Le Maitre in Tractatu *de Regalia*, *cap.* 4. Et variis Parlamentorum Arrestis confirmatum testatur De Marca *lib.* 8. *de Concordia Sacerdotii. & Imp. cap.* 24. *num.* 2.

XVIII. Postquam autem Regalia extensa fuit ad omnes fructus Ecclesiæ vacantis, atque unà à Canonistis præeunte Glossographo, dictum & receptum fuit, collationem Beneficiorum esse *in fructu*, fructibusque annumerari; sensim quoque inductum est, ut ubi Rex jure Regaliæ reciperet indistinctè omes fructus Episcopatûs vacantis, etiam ipsam Præbendarum collationem, tanquam partem fructuum haberet. Hoc & Petrus de Marca notavit *lib.* 8. *de Concordia Sacerdotii & Imperi, cap.* 22. *n.* 7. » Quoniam collatio Beneficiorum censetur pe» tinere ad *fructus*, secundum quod in libris Decretalium co» tinetur, eo jure prorsus opportunè usi sunt Reges ut usu » inveherent conferendi Præbendas, quarum provisio ad Epi» copum pertinebat."

XIX. Notandum insuper, Jura feudorum non ex jure scripto, sed potiùs consuetudinario constare; ideoque non easdn fuisse in omnibus Provinciis feudorum conditiones, & jura, ti re-

(l) *De origine & fundamentis Regaliæ legi possunt, quæ collectæ fuere in novis Cleri Gallicani Collectaneis* tom. 2. col. 524. 535. *&c.*

(m) *Huic doctrinæ consona est lex Hispana* 18. *tit.* 5. *Part.* 2.

(n) *Vide Remissiones* 31. *&* 32. *t.* 3. *lib.* 1.: 11. *in fine tit.* 8. *ejusd. lib. Acta Acordata* 5. *&* 8. *tit.* 8. *lib.* 1.: *Act.* 15. *cap.* 25. *tit.* 4. *lib.* 2.: 37. *dicti tit.* 4. *&* 1. *lib.*: *& Actum* 1. *tit.* 5. *lib.* 3. *Postremòque omnia, quæ in suprà relatis Actis incuntur, comprehenduntur in leg.* 11. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recopit. Hisp. Quoad Dominia verò Indica extat Actum Acordatum* 1. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recop. Castellæ.*

rectè observat Du Cange in Glossario, verbo *Relivium*, & verbo *Feudum*; atque inter cæteras consuetudinum dissonantias, hæc erat: quòd in aliquibus Provinciis Domino directo competeret mortuo Vassallo jus *relivii*; ipsique cederent fructus, quoad usque novus Vassallus jus hoc relivii solvisset, & investituram à Domino directo accepisset: in aliis verò Provinciis feuda *liberè* absque onere relivii ad hæredes vasalli transirent; neque Domino directo ususfructus acquireretur.

XX. Ex qua consuetudinum varietate facilè intelligi potest, cur non in omnibus Ecclesiis eodem tempore recepta fuerit Regalia, etiam quoad usumfructum feudorum ad Ecclesiam spectantium.

Cùm enim nec laicalia feuda illi juri essent in iis Provinciis subjecta, rationi dissonum visum fuisset, feuda Ecclesiastica illi oneri subjicere.

Unde Petrus De Marca *lib.* 8. *de Concordia Sacerdotii & Imp. cap.* 22. *num.* 5. rectè observavit, Jus Regaliæ imprimis introductum fuisse in Provincias, in quibus mutatio Domini necessitatem imponit solvendi *relivium* » Cùm econtra in illis, quæ » huic juri *relivii* obnoxiæ non sunt, nihil à Regibus tentatum » fuerit, quoad usumfructum Regaliæ.«

XXI. Ipsum quoque Concilium Lugdunense II. sub Gregorio X. hanc Ecclesiarum varietatem circa usum Regaliæ sat apertè agnovit in *Cap.* 13. *de Elect. in VI.* ipsa Regalia restringens ad eas Ecclesias, in quibus ab ipsa fundatione, vel ex antiqua consuetudine invaluerunt. Verba Canonis sunt: » Qui » autem ab ipsarum Ecclesiarum, cæterorumque locorum *fun-* » *datione*, vel ex *antiqua consuetudine* jura sibi hujusmodi » vindicant, ab illorum usu sic prudenter abstineant, & suos » Ministros in eis solicitè faciant abstinere, quòd ea, quæ non » pertinent ad fructus, sive redditus provenientes vacationis » tempore, non usurpent: nec bona cætera, quorum se asse- » runt habere custodiam, dilabi permittant, sed in bono statu » conservent.«

XXII. Hunc Canonem de hoc jure Regaliæ, de quo agimus, loqui, testis est Durandus Episcopus Mimatensis, vulgò dictus *Speculator*, qui ipsi Concilio interfuit. Verba ejus sunt: » Regalia hic vocantur jura Regi in quibusdam Ecclesiis & Mo- » nasteriis competentia: quia videlicet illis vacantibus Rex sub » prætextu custodiæ facit fructus suos, & etiam in quibusdam » Præbendas confert, sicut patet in quibusdam Ecclesiis Franciæ.«

XXIII. Testatur insuper Durandus ad clamorem Prælatorum Franciæ & Angliæ hunc Canonem editum esse. » Præsens cons- » titutio fuit (inquit) ad clamorem Prælatorum Franciæ & An- » gliæ promulgata. «

XXIV. Non tantùm evincit hic Canon, eo tempore Jus Regaliæ in *quibusdam duntaxat* Ecclesiis receptum, sed insuper, » qui Regalia de *novo* usurpare conantes, bona Ecclesiarum, » Monasteriorum aut locorum ipsorum *vacantium* occupare præ- » sumunt, quantæcumque dignitatis honore præfulgeant, Cleri- » cos etiam Ecclesiarum, Monachos Monasteriorum, & perso- » nas certas locorum eorundem, qui hæc fieri procurant, eo » ipso excommunicationis sententiæ subjacere decernit. «

XXV. Regaliæ autem usum in Ecclesiis, in quibus vel ex *fundatione*, vel ex *antiqua consuetudine* erat receptus, tolerare Concilium, modò tamen eò moderatè utantur, allegata Canonis verba sat evincunt.

Ad hunc Canonem reflexisse Ludovicum XII. Regem Galliæ an. 1499. verisimile est. » Prohibet enim universis Officiariis » suis, ne in Archiepiscopatus, Abbatias, & alia Beneficia Reg- » ni nostri, in quibus Jus Regale aut Custodiæ non habemus, » se intromittant; alioquin ut sacrilegi plectantur. « Apud Magistrum vulgò Le Maitre in Tractatu *de Regalia*, *cap.* 4.

XXVI. Itaque Canone Concilii Lugdunensis, » Confirma- » tum est (ait de Marca *Cap.* 24. *num.* 4.) Jus recipiendi rega- » lia in Ecclesiis ubi recepta erat illa consuetudo: cujus intro- » ductio vetita est quoad Ecclesias, quæ ei non erant obnoxiæ.«

Et *num.* 2. dixerat, » in quamplurimis veteribus arrestis Par- » lamenti Parisiensis edici, probandam esse possessionem Regis in » Ecclesiis juxta quam deinde Curia decernebat de jure Regaliæ.«

Post hæc relatis nonnullis Regum ordinationibus, nec non quodam vetere regesto, in quo enumerantur Ecclesiæ Juri Regaliæ non subjectæ, tandem *num.* 9. subjungit: » qui materiam » hanc cum aliqua cura tractarunt, veluti Ruzeus & Probus, » ex his constitutionibus consequi ajunt Jus Regaliæ non esse » ubique simile, nec in universo Regno vigere; Regem verò » eo uti non posse, nisi in Ecclesiis ubi possessionem habet » omni memoria antiquiorem. «

XXVII. » Attamen dissimulandum non est tentâsse jamdiu » quosdam persuasum omnibus facere Jus Regalium esse jus me- » rè Regium, & ad Coronam pertinere, ut ipsi loquuntur, at- » que adeò ad universas Regni Ecclesias porrigendum esse abs- » que discrimine. Ita enim ante hos trecentos ferme annos sen- » sit Joannes Butillerius in sua Summa Rurali. At Pasquierius, » tametsi Regius in Camera Computorum Advocatus esset, opi- » nionem illam erroneam esse contendit, & dignam potiùs adu- » latore aulæ, quàm Jurisconsulto Gallo. Addit verò Guido- » nem Fabrum Pibracium generalem Regis in Parlamento Pari- » siensi Advocatum, qui Jus Regaliæ generale ubique esse ur- » gebat Edicto statui, id obtinere non potuisse ac de sententia » fuisse dejectum. «

XXVIII. » Nihilominùs hinc factum est, ut vetus loquen- » di modus in antiquis Regum constitutionibus usurpatus, mu- » tatus dein fuerit. Edictum quippe anni millesimi sexcentesimi » sexti verbis ambiguis, & obliquè inflexis conceptum est, quæ » duplici interpretationi obnoxia sunt, cùm in eo contineatur » Regem nolle uti jure Regaliæ in detrimentum Ecclesiarum » exemptarum. (o) Verba enim hæc occasionem subministrâ- » runt investigandi, an exemptio illa intelligenda esset de exem- » tione juris & de præscriptione, aut de exemptione à Prin- » cipe concessa, sive titulo oneroso. Viam autem controversia » hæc aperuit arresto Parlamenti Parisiensis lato anno MDCVIII. » quo edicitur, ne Advocati in dubium advocent, an Rex jure » Regaliæ uti possit universis Regni Ecclesiis; quòd jam præju- » dicatum fuisset, edictum esse intelligendum de exemptione » concessa ob titulum onerosum. Querelam adversus hoc arres- » tum movit clerus Gallicanus apud Regiam Majestatem « (p).

XXIX. Hac Cleri intercessione obtentum fuit, ut hoc Arrestum Parlamenti Parisiensis sine executione suspensum remanserit usque ad annum 1673. quo Rex publico Edicto declaravit jus Regaliæ sibi competere in omnibus Ecclesiis sui Regni, exceptis iis, quæ titulo onoroso sunt exemptæ. Quæ declaratio edita 10. Februarii, fuit probata & registrata in Parlamento Parisiensi 18. Aprili ejusdem anni. Refertur integra à Claudio Blondeau in sua Bibliotheca Canonica, verbo *Regale*: cui subjicitur aliud Edictum Regium de 2. Aprilis anno 1675. prioris Edicti declaratorium.

XXX. Quantos motus hæc declaratio extensiva Regaliæ in Regno Galliæ excitaverit notum est; sciturque nonnullos Prælatos summo vigore & zelo se huic extensioni tamquam Ecclesiarum suarum libertatem in servitutem redigenti, & Canoni Concilii Lugdunensis apertè contrarianti opposuisse; hisque favisse summum Pontificem Innocentium XI. pluribus emissis Brevibus, quibus declarabat, quantopere sibi hæc extensio displiceret.

Contentiones, quæ hâc occasione inter Ministros Regios extensioni faventes, & Prælatos Ecclesiæ eidem repugnantes, eamque improbantes, & subjicere recusantes, facilè dignosci possunt ex lucubrationibus quæ utrimque evulgatæ fuerunt.

XXXI. Occasione horum motuum, & scissuræ inter Ministros Regios, & Prælatos Ecclesiæ, an. 1681. Jussu Regis celebratus fuit in Urbe Parisiensi Generalis Cleri Gallicani Conventus, in quo hæc Regaliæ extensio, seu regia declaratio proposita fuit.

XXXII. Post habitam deliberationem, expositum fuit Regi ex parte hujus Conventus, imprimis quòd auctoritas Episcopalis quoad prædicationem verbi Dei, reconciliationem pœnitentium, & exercitium Jurisdictionis spiritualis non parum læderetur per usum Regaliæ. Secundò quod ipse usus Regaliæ per nupera Parlamenti Parisiensis arresta esset non parum extensus: quapropter supplicavit, ut Rex integram vellet conservare Jurisdictionem Episcopalem, nec non declarare, quomodo hoc jure Regaliæ uti posthac intenderet.

XXXIII. Ad hanc Cleri expositionem & postulationem secuta est declaratio regia in Januario ann. 1682. quâ quidem prior declaratio ann. 1673. confirmatur quoad extensionem Regaliæ ad omnes Ecclesias, sed usus Regaliæ circa duo præcipuè puncta mitigatur, quam mitigationem infra referemus.

XXXIV. Hac declaratione Conventui Cleri Gallicani propositâ, & auditâ relatione Comissariorum suorum, ut pacem Regno, & Ecclesiis conciliaret, præveniretque incommoda, quæ divisio Sacerdotii & Imperii secum trahere solet, nec non attentâ mitigatione super usu Regaliæ per Regem factâ, resolvit de unanimi judicio omnium Provinciarum, jus Regaliæ *universale* indubitatum, & extra contestationem; eum in finem consentiens, in quantum opus esset, ut idem jus Regaliæ, quo Rex fruebatur in majore parte Ecclesiarum sui Regni ante Arrestum Parlamenti de 24. Aprilis 1608. maneat extensum ad omnes Ecclesias Regni juxta terminos declarationis Regiæ de 10. Februari 1673. Habetur hæc Cleri declaratio, uti & præ-

(o) *Adest contextus, qualis* art. 27. *Edicti anni* 1606. *vernaculò idiomate legitur*, N' entendons jouir du droit de Regale, si non en la méme forme, quæ nos Predeceseurs & Nous avons fait, sans l'étendre plus avant au prejudice des Eglises, qui en sont exemptes. *Hoc editum relatum est à Fontanone*, tom. 4. pag. 1033.

(p) *Hoc Arrestum datum est occasione Episcopatus Belicensis. Refertur ab Erudito Pinsonio*, Tractatu Gallico de Regaliis, pag. 378.

cedens Regia, apud Claudium Blondeau loco citato.

XXXV. Cùm verò non sine fundamento vereretur Clerus Gallicanus, ne hâc declaratione & consensu in extensionem Regaliæ exacerbaretur, & offenderetur ipse Pontifex Innocentius XI. resolvit, scriptis ad eum litteris rationem sui facti exponere, eumque hac ratione placare.

XXXVI. Litteræ hæ missæ fuêre 3. Februarii ejusdem anni. In his imprimis exponunt, Regni & Sacerdotii tutâ piâque concordiâ res humanas niti, » dum unum ab altero impugnatur, » periclitari utrumque, eâ occasione & de regno tolli justitiam, » & de Ecclesia pacem, schismata & scandala suscitari, & fie» ri animarum perditionem simul & corporum; sine horum » concordia res humanas nec incolumes esse posse, nec tutas; » uti jam pridem dixerunt Goffridus Vindocinensis, & Ivo » Carnotensis."

XXXVII. Dein ostendunt, Regaliæ usum non esse ex iis, quæ ad fidem spectant, vel quæ æterna lege sancita, inconcussa & invariata manere debent; sed ex iis, quæ Ecclesiastica prohibitione constant, in quibus ipsi Ecclesiarum Principes multa pro tenore Canonum judicârunt, multa pro temporum necessitate tolerârunt, & quædam temperârunt, non cæcâ tamen & indiscretâ relaxatione disciplinæ, sed si necessitas adsit, ex qua leges quoque mutari contigeret.

Eam verò necessitatem tunc subesse, si graves dissensiones, si turbulenti motus, tumultusque imminerent, quam *populorum stragem*, sancti Patres vocant; tunc enim charitatem, quæ summa Ecclesiæ lex sit, alias emollire ac temperare leges, ac *detrahendum aliquid Canonum severitati, ut majoribus morbis sanandis charitas sincera subveniat*: uti loquitur S. August. *Epist.* 50.

XXXVIII. Post hæc non obscurè concedunt, Concilium Lugdunense vetuisse jus Regaliæ extendi ad eas Ecclesias, quæ primævâ & immutatâ libertate gauderent: At inquiunt, » id sa» nè liquidò constat, nullum esse periculum, ut extensum, Fi» dei, moribusque noceat, quod illæsâ fide salvaque morum re» gulâ, longè lateque propagatum, plurimas jam Regni Eccle» sias occupârit; ex quo illud efficitur, Regaliæ causam, non ad » Fidei, morumque regulam, quæ immobilis & irreformabilis sit; » sed ad disciplinam, quæ pro locis ac temporibus subinde mu» tetur, quæque temperamenta, ac salubrem illam moderatio» nem admittat, omninò pertinere."

XXXIX. Tum totum causæ statum, necnon rationes ac necessitates explicant, quæ ipsos ad condescendendum huic extensioni, & nonnihil à Canonum tenore deflectendum moverunt, quodque » post Ecclesiarum quarundam libertatem totis sexa» ginta annis strenuè propugnatam victi in eo Tribunali, quod » ipsi antiquo more Regni appellavimus (inquiunt) acquiescere » potius, quàm omnia movere, regiam potestatem cum Pon» tificali committere, nova deinceps bella ciere vellemus. Nos » pacem anteponimus, nec in simili causa piget imitari Vindo» cinensem Abbatem, non minus fortitudine, quàm prudentiâ » clarum cujus verbis dicimus; *Habeat Ecclesia suam libertatem; sed summopere caveat, ne dum nimis emunxerit, eli» ciat sanguinem, & dum rubiginem de vase conatur erade» re, vas ipsum frangatur.*"

XL. Exponunt qualiter & ipsi Pontifices in hac ipsa materia aliquando rescripserint, cum Rege moderatè agendum; ac notanter Innocentius III. ad Galliæ Episcopos scribat *lib.* 3. *Epist.* 107. » Fraternitati vestræ consulimus bonâ fide quatenus » cum charissimo Filio nostro Rege, quantò meliùs poteritis, » componere studeatis; quoniam arcus, qui semper est tensus, » vires amittit, & nonnunquam Reges vincuntur mansuetudi» ne magis, quàm rigore."

XLI. Hisce litteris quàm parum pecatus fuerit Pontifex, patescit ex litteris in forma Brevis responsoriis, datis 11. Aprilis ejusdem anni 1682. in quibus statim in exordio scribit, sibi permolestum accidisse, ac planè acerbum, cognoscere ex litteris ipsorum, Episcopos, Clerumque Gallicanum, qui corona olim & gaudium erat Apostolicæ Sedis, ita se erga illam in præsens gerere, ut cogamur (ait) multis cum lachrymis usurpare illum Propheticum, *Filii matris meæ pugnaverunt adversus me. Cant.* 1. *v.* 5.

Et quidem » in ea causa resistitis (ait) in qua vestrarum Ec» clesiarum salus ac libertas agitur, & in qua nos pro juribus & » dignitate Episcopali in isto Regno tuenda, ab aliquibus ordi» nis vestri piis & fortibus viris appellati absque mora insurre» ximus, & jam pridem in gradu stamus nullas privatas nostras ra» tiones secuti, sed debitæ Ecclesiis omnibus solicitudini & in» timo amori erga vos nostro satisfacturi."

(q) *Ubi observandum est jus Regaliæ à Gallis Jurisconsultis non haberi ut jus mutationi obnoxium; docent enim illud esse imprescriptibile, nec posse alienari, uti loquitur D. de Hericourt.* Le droix de Regale ètant domanial, inalienable, & imprescriptible; les concessions gratuites & le non usage de ce droit dans quelques Provinces ne pouvoient faire de prejudice aut droits sacres de la Couronne. *Cui maximè consonum est,*

XLII. Scribit deindè, quòd ex eorum litteris intelligat, omnia in eorum Conventu *metu* gesta esse; redarguitque eos; quòd timuerint, ubi non erat timor. » Id unum (ait) vobis timendum » erat, ne apud Deum hominesque redargui jure possetis, lo» co atque honori vestro & Pastoralis officii debito defuisse."

XLIII. Officii eorum fuisse dicit; » Sedis Apostolicæ aucto» ritate studia sua adjungere; & Pastorali pectore, humilitate » sacerdotali causam Ecclesiarum vestrarum apud Regem age» re, ejus conscientiam de tota re instruendo etiam cum peri» culo Regium in vos animum irritandi."

Eam in condescendendo facilitatem, seu veriùs ignaviam increpat; *Quis* (inquit) *ausus est invidiæ se offerre, quis vel vocem unam emisit memorem pristinæ libertatis?*

XLIV. Illam litterarum partem non sine *animi horrore* se legere potuisse scribit, in qua dicunt: *Jure suo decedentes, illud in Regem contulisse*: » Quasi (ait) Ecclesiarum, quæ curæ » vestræ creditæ fuêre, essetis Arbitri, non Custodes, & qua» si Ecclesiæ ipsæ & spiritualia earum jura possent sub seculari » potestatis jugum mitti ab Episcopis, qui se pro earum liber» tate in servitutem dare deberent."

XLV. Et ne nimiùm dissimulando videretur officio suo deesse, aut factum tacitè approbare, ait: » Quamobrem per præ» sentes litteras traditâ nobis ab omnipotente Deo auctoritate » improbamus, rescindimus & cassamus, quæ in vestris Co» mitiis acta sunt in negotio Regaliæ cum omnibus exinde se» cutis, & quæ imposterum attentari contingat, eaque perpe» tuò irrita & inania declaramus, quamvis, cùm sint ipsa per » se manifestò nulla, cassatione aut declaratione hujusmodi non » egeant. «

XLVI. Quid receptis his litteris egerit Clerus Gallicanus, aut quid reposuerit, nescio; hoc scio, usum Regaliæ tam quoad spiritualia, id est, collationem Beneficiorum, quàm temporalia in omnes Ecclesias auctoritate regiâ, non obstantibus his Sedis Apostolicæ litteris, juxta declarationem regiam de ann. 1673. ejusque modificationem de anno 1682. inductum esse: & Regem de facto uti jure Regaliæ in omnibus Regni sui Ecclesiis Sede Episcopali vacante. (q)

Tria præcipuè sunt, circa quæ usus Regaliæ nonnihil limitatus apparet.

XLVII. Primum circa litigium. Jam vice privilegii Regaliæ receptum erat, quòd omnia Beneficia tempore aperturæ Regaliæ litigiosa caderent in Regaliam. Hinc contingebat, quòd imminente morte alicujus Episcopi possessoribus Beneficiorum moverentur lites, ut morte adveniente, Beneficia ipsorum jure Regaliæ impetrari possent; hoc quia multis fraudibus, & injustis vexationibus portam aperiret, declaratum est per edictum die 10. Februarii 1673. *litigium* non facere locum Regaliæ, nisi contestatio fuerit inter partes *sex mensibus* ante obitum Episcopi, aut Archiepiscopi.

XLVIII. Manet interim hoc Regaliæ privilegium, ut si Beneficia litigiosa, modò lis *sex mensibus* ante obitum Episcopi instituta & formata fuerit, cadant sub Regalia, ipse Rex ea tanquam verè vacantia jure regaliæ conferat.

Hoc privilegium alio non videtur niti posse fundamento, nisi quòd credatur, Regaliam habere locum, dum non constat, Ordinarium revera ritè contulisse, ipsumque locum vacantem esse de jure & facto repletum.

XLIX. Pridem enim Constitutione regiâ, quæ vulgò dicitur *Philippina*, edita in Octobri anno 1334. & renovata 5. Maii 1346. quam refert Le Maitre in tractatu de Regalia *cap.* 2. declaratum fuit, Reges Galliæ esse, & fuisse in possessione conferendi de jure & facto, vel *de jure tantùm*, vel *de facto tantùm.*

L. Vacat autem *de jure* tantùm, quando quis incumbit possessioni coloratæ ex prætenso justo titulo præcedenti.

De *facto* tantùm vacat, si collatio Beneficii facta sit, sed possessio corporalis nondum fuerit capta: quia revera titulum & jus habet Collatarius, sed tantùm deest possessio, quæ est *facti*: uti latiùs exponit citatus Auctor, unà monens, coformiter ad hanc regiam declarationem, infinita propemodum esse Parlamentorum arresta; quin & judicatum dicit, Beneficium tanquam vacans in Regalia impetrari posse, tametsi ipse Collatarius petierit à Capitulo ad possessionem admitti; sed tamen, recusante Capitulo, admissus non fuerit.

LI. Quin nec capta possessio per procuratorem impedit vacationem in Regalia. Licèt enim de jure possessio Beneficii capi queat per procuratorem; censeaturque fictione juris *per se* accepisse, qui accepit per *procuratorem*; id tamen in Regalia non procedere substinent Regii Ministri, dicentes: Regaliam non

quod antea dixerat Molinæus in Regulam, de Infirmis Resignantibus, num. 420. » *Id* (*de Regalia loquitur*) *non ex aliqua* » *concessione, vel privilegio Pontificis, Jurisve Canonici; sed* » *jure primitivo & peculiari Coronæ Franciæ ante omnia Jura* » *Canonica nato*"; *ut dixit in* Consuetud. Parisiens. §. 27. *num.* 10.

non admittere ullam *fictionem*. Le Maitre loco citato. (r)

LII. Secunda limitatio usûs Regaliæ facta ad postulationem Cleri Gallicani occurrit in declaratione de anno 1682. quia Rex declarat, quòd nulli imposterum conferri poterit in nulla Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata per ipsum, aut Successores suos, Decanatus aut Beneficium aliud habens annexam curam animarum vacans in Regalia, aut Archidiaconatus, Præbendæ Theologales, Pœnitentiariatus, aut alia Beneficia quorum Titulares speciale jus habent, nomine proprio, exercendi aliquam jurisdictionem, aut functionem spiritualem & Ecclesiasticam, nisi habeant ætatem, gradum, aliasque conditiones per sacros Canones, & ordinationes regias requisitas.

Volens ulteriùs, ut Provisi de similibus Beneficiis jure Regaliæ, se sistant Vicariis Capitulorum, si Sedes adhuc vacent; aut ipsis Prælatis, si novi successerint, ad obtinendam approbationem, & missionem Canonicam, priusquam ullam functionem exerceant.

Ut intelligatur, in quo consistat hæc moderatio Regaliæ, notandum, quòd Rex utendo jure Regaliæ Sede vacante, non tanquam Patronus præsentet ad Beneficia vacantia; sed intrando in jus Episcoporum, *pleno jure* conferat, titulumque Canonicum Beneficiorum se dare sustineat: ideoque nec ullâ Ordinarii institutione authorizabili opus esse, sed provisum vigore regiæ collationis posse possessionem Beneficii accipere, ac si ab ipso Episcopo collationem, & institutionem accepisset: de quo jure plura capite sequenti.

LIII. Cùm autem jam receptum esset, quæcunque Beneficia, exceptis solis Parochialibus, ad provisionem Episcoporum quocunque titulo spectantia, esse subjecta Regaliæ, atque jure regaliæ à Rege posse *pleno jure* conferri; etiam Decanatus aliaque supra expressa Beneficia *pleno* jure in Regalia vacantia conferebantur; ita ut functiones suas vi hujus collationis absque Ordinarii approbatione, vel missione Canonica obire possent: ideoque videtur Rex usum regaliæ non nihil temperâsse dum provissos de Decanatu, Archidiaconatu, aliisque Beneficiis curam animarum, aut jurisdictionem, vel functionem Ecclesiasticam specialem annexam habentibus, ad Ordinarios, pro obtinenda *approbatione*, & missione canonica, remittit.

LIV. Tertio videtur temperatus usus Regaliæ; eò quòd in Edicto de anno 1682. declarat Rex, sola illa Beneficia vacatura in Regalia, quæ revera spectant ad provisionem Episcopi defuncti; ita quidem, ut si Episcopus & Capitulum conferant per *turnum*, aut per *vices*; aut Præbendas diviserint; ut collatio unius lateris spectet ad Episcopum, alterius verò ad Capitulum. Rex jure Regaliæ non succedat, nisi in jus Episcopi; Capitulum verò jure suo utatur, ac si Sedes non vacaret.

Si autem collatio spectet conjunctim ad Episcopum & Capitulum; tunc, aperta Regalia, mittet Rex Comissarium, qui unà cum Canonicis eligat, supplens locum Episcopi.

Sin verò Episcopus intret Capitulum, ut in qualitate Canonici cum aliis Canonicis aliquem præsentet; cui dein in qualitate Episcopi ad præsentationem Capituli confert & instituit, eo casu rursus Commissarius Regis in præsentatione habebit suffragium Episcopi; ipsaque præsentatio Capituli fieri debebit ipsi Regi; ipsaque provisio nomine Regis expediri; quemadmodum debuisset exhiberi Episcopo, & ejus nomine collatio, sive institutio fieri; ita ut Rex jure Regaliæ succedat in totum jus Episcopi, permittendo illæsum jus Capitulorum.

LV. Jam enim auctoritate arrestorum invaluerat, ut liberè & solus Rex conferret Præbendas vacantes in Regalia, tametsi collatio spectaret ad Capitulum; & Episcopus duntaxat haberet suffragium *ut Canonicus*; quia, inquiebant, *Rex non patitur compartem*: & ita judicatum contra provisum per Capitulum Marsiliense 31. Augusti 1681. refertur in libro, cui titulus *Journal du Palais*, tom. 1. pag. 299. edit. 1713.

LVI. Deinde in eodem Edicto anni 1682. declarat se in hasce modificationes consentire sine præjudicio sui juris Regaliæ; » quo uti intendimus (ait) eodem modo, quo Prædecesores nostri » Reges, & nos hactenus usi sumus. «

LVII. Cùm autem jus Regaliæ, & quæstiones ejus occasione incidentes coram solis Judicibus Regiis, imò solo Parlamento Parisiensi agitentur & decidantur; mirum! quàm jus illud Regaliæ extensum, quotque privilegiis tandem cumulatum sit; adeò ut Pragmatici Gallici dicere non dubitarent: *In Regalia omnia sunt extraordinaria*. Fevret. *De Abusu*, *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 14.

LVIII. Imprimis sustinent, Regem jure Regaliæ succedere in plenum & primitivum jus Episcoporum; ideoque Regem Beneficia ad provisionem Episcopi spectantia posse conferre eo jure, quo primis seculis ipsi Episcopi de omnibus Beneficiis sui Diœcesis disponebant; quando necdum præsentatione Patronorum ligabantur. Hinc consequenter deducunt, Regem libere conferre Beneficia juris Patronatûs Ecclesiastici; tametsi præsentatio ad Monasterium aut Capitulum spectet, modò collatio, seu institutio ad Episcopum pertineat: quia Rex utitur jure primitivo Episcopi, quod per præsentationem Patroni non restringebatur: (s) & ita definitivè judicatum anno 1683. referturque ipsum Arrestum cum fundamentis tum ad Advocato Regalistæ, tum Advocato Regio adductis, inter probationes libertatum Ecclesiæ Gall. *cap.* 16. *num.* 60.

LIX. Ulteriùs Ministri Regii reputantes Regaliam, etiam quoad collationem Beneficiorum pro jure Regio, & Coronæ, censent; huic juri Papam nullatenus derogare posse, neque ullas in eo partes habere.

Quare nec vacantia in Curia, si Regalia tempore vacationis fuerit aperta, Papa conferre potest; sed à Rege conferuntur, uti notavit Le Maitre in tractatu de *Regalia cap.* 11. » Quia » (ait) vacatio in Regalia est extraordinaria & anomala, in qua » Papam solam habens inspectionem, non potest se dicere Ordi- » narium Ordinariorum; neque sibi nullum jus sive titulo de- » voluti, aut alio quocunque vindicare: nam Regalia in aliqua » Ecclesia apertâ Beneficium illius vacare non potest ad alterius » dispositionem, quàm Regis. «

LX. Imo ex sententia Pragmaticorum Galliæ Rex in hoc jure nullum agnoscens Superiorem, à nullo, etiam Papa, præveniri potest, neque negligentia ejus suppleri, tametsi intra tempus à Canonibus Patronis & collatoribus præfixum non contulerit. Quin juxta declarationem Ludovici XII. anni 1499. Regalia durat 30. annis: ita ut sufficiat intra illud tempus Beneficium, quod apertâ Regalia vacavit, conferri. Le Maitre *cap.* 5. Quod hodie nonnihil temperatum; de quo infra.

LXI. Deinde addit: quòd » si inter regalistam & Provisum » ab Ordinario fuerit lis, ipsique Regalistæ adjudicatum pos- » sessorium *momentaneum* seu *recredentia*, ut vocant, manserit- » que hoc modo in possessione & lite per 20. annos, postmo- » dum moriatur, licèt tunc Regalia non esset aperta, nihilo- » minus vacaret Beneficium in Regalia, ait Le Maitre: Nam » (ait) est principium notorium in materia Regaliæ, quod col- » latio semper revertetur ad Regem, quousque collatio Regis » habuerit suum *plenum* & *integrum* effectum; ipse Regalista » manserit in pacifica possessione, vel per judicium contradic- » torium, & definitivum fuerit exclusus. « Hæc ille, qui can- » didè dein fatetur, id esse in favorem Regaliæ contra collatio- » nem Ordinarii, & ejus Provisum.

Dein monet, quòd Regalista nequeat à lite in favorem Provisi ab Ordinario desistere; aut cum eo transigere sine consensu Regis; aliàs Rex possit rursus Beneficium jure Regaliæ conferre.

LXII. Ulteriùs progressi Pragmatici, privilegiis Regaliæ annumerant, » quod constitutiones Apostolicæ, vel statuta, & » consuetudines Ecclesiarum non astringunt Regem, quin pos- » sit uti & frui pro libito voluntatis jure suo Regaliæ. « Ita Ruzæus in Tractatu Juris Regaliorum *Privil.* 31. *num.* 1. Idipsum asserit Broudæus in notis ad Louetium *Lit. V. num.* 2.

Hinc concludunt, Regem in usu Regaliæ non esse subjectum Regulis Cancellariæ; quod adeo certum indubitatumque erat Philippo Probo in suprema Curia Bituricensi Advocato, ut, cum probare vellet, quòd licèt in Ecclesia Gallicana esset generalis consuetudo, ut nullus in Ecclesia Cathedrali aut Collegiata obtineat Dignitatem, nisi sit Canonicus; hac tamen consuetudine Regem Jure Regaliæ Dignitatem conferentem non adstringat, & in probationem adducat hoc argumentum: » Si enim non » obstent collationibus jure Regaliæ factis regulæ Cancellariæ, » prout nec etiam jus commune, ut ample probatur in plu- » ribus locis præsentis operis, ergò multo minùs obstabit hæc » consuetudo generalis, aut particularis, cùm non sit majoris » & efficacioris virtutis, sed minoris, ut patet intuenti. « *Quæst.* 31. *de Regalia.*

Idem asseruerunt post Probum communiter Pragmatici Galli; atque in specie, Regulam *De Verisimili Notitia* non constringere Regem, sæpiùs judicatum fuisse refert Broudæus loco citato; asseritque anno 1572. judicatum pro Regalista, non obstante, quòd provisio ei fuisset facta à Rege in civitate Parisiensi, *eadem die & hora obitûs* ultimi possessoris defuncti in civitate Meldensi, decem milliaribus Gallicanis distante Parisiis. Sufficit enim (ait Broudæus) quòd is per cujus obitum impetratum est Beneficium, obierit, & Beneficium ejus verè vacet, & hoc casu vulgò jactatur, *opinionem veritate præveniri.*

Similiter Regulam de 20. *diebus*, sive *de infirmis resignantibus*, non ligare Regem, Parlamentorum arrestis, & Pragmaticorum auctoritate receptum est: quemadmodum notat Broudæus ad Louetium *Litt. R. num.* 47. & jam pridem notavit cæterorum Pragmaticorum in propugnandis Regaliæ prærogativis facilè primus Carolus Molinæus ad Regulam *De Infirmis resignantibus*, *num.* 181. ubi quærit: » Quid si Rex ex causa re-

(r) *Cùm asseritur in Regalia nullam admitti fictionem, tunc non solvitur difficultas; quæ nasci potest ex possessione capta: dicendum itaque est, usus adesse plurimos, qui observari debent, quamvis eorum origo, neque causa detegi possint.*

(s) *Vide Conventiones V. & VI. leg.* 11. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recopil. Hispan.*

» resignationis nominaverit, sed resignans infirmus erat, & ex » infirmitate eadem infrà 20. dies à die præstiti consensûs vitâ » functus est, an Rex iterum per obitum nominare possit?« Postquam nonnulla adduxit, quæ suadere videntur, Regem iterum nominare non posse, contrarium tamen de facto notoriè servari, deinde subjungit: »Breviter ego dico, quòd ipsa » regula 18. (*De Infirmis resignantibus*) non potest habere » locum in Rege... Quod autem simile servatur in Rege, non » est in vim dictæ Regulæ, sed quia Rex Princeps supremus » est, qui nominationem suam ita tacitè, vel expressè limitare » solet. Et consequenter deficiente conditione tacitâ & expres- » sâ, videlicet quia infirmus non supervixit dictos 20. dies, de- » ficit consensus, & sic nominatio Regis; & consequenter re- » signatio tanquam sine ejus consensu facta; & sic de integro » per obitum potest Rex alium nominare.«

Regulæ quoque *De publicandis resignationibus*, non esse locum in Regalia, testatur Broudæus loco citato: quamvis hæc uti & duæ præcedentes in Regno Galliæ receptas esse nullus ambigat.

Quin & Veteribus omnibus jam pridem persuasum fuit, Decretum de *Pacificis Possessoribus*, insertum Pragmaticæ Sanctioni, & cui consonat Regula Cancellariæ *De Triennali Possessore*, non posse tueri pacificum Possessorem contra Regalistam, nisi triginta annorum continua & pacifica possessione fuisset munitus: uti videri potest apud Ruzæum *Privilegio* 23. ubi *num.* 2. ait: »Hodie in Regalia etiamsi quis possederit Bene- » ficium 10. vel viginti annis pacificè, si aperiatur Regalia, & » vacet Beneficium, vel de jure vel de facto, semper Rex il- » lud jure Regaliæ conferre poterit. Et ratio est, quia contra » jura, quæ sunt reservata Principi in signum superioritatis, » non præscribitur.«

Plures idem asserentes citat Broudæus *Litt. V. num.* 2. qui unà observat, Decretum hoc hodie etiam in Regalia obtinere; nec per Regalistam possessorem canonicè provisum turbari posse post trium annorum pacificam possessionem juxta articulum 27. Edicti anni 1606. evulgati ad postulationem Cleri Gallicani.

LXIII. Philippus Probus *quæst.* 34. querit: »Regaliâ apertâ, an Rex Beneficiorum & Dignitatum ad plenam dispositio- » nem Episcopi Episcopatus Regaliæ affecti pertinentium, re- » signationes admittere possit? Respondeo (ait) Regalistas te- » nere, quòd sic, sive illæ sint purè simpliciter factæ, aut » causâ *permutationis*, etiam & *in favorem*; quod ultimum vi- » detur durum, cùm in talibus dicatur, Simoniæ labem in- » tervenire.«

Ipse quoque Ruzæus *privilegio* 32. resignationes *in favorem* à Rege admitti non posse dicit; atque ita per Arrestum supremæ Curiæ decisum fuisse testatur.

Verùm & ad hanc resignationem jus Regaliæ posteriora Parlamentorum Arresta extendisse, monet Broudæus allegato, *num.* 47. & ex illo Carolus Fevretius De Abusu *lib.* 2. *cap.* 6. idque etiam *retenta pensione*: quia inquiunt, Rex Franciæ in materia Regaliæ *non tantùm fungitur vice Ordinarii, sed etiam summi Pontificis.* Addunt autem, »mirum non esse, si Ru- » zæus aliter senserit, quia eo tempore resignationes *in favorem* » parum erant in usu; successu verò temporis factæ sunt qua- » si *ordinariæ* in Curia Romana; nec conceduntur *dispensáti- » vè*, sed quasi res jure communi permissæ; Rex igitur hujus » juris communis particeps esse voluit.

Ita Fevretius, qui & addit, Regem dispensare super ætate; item posse conferre sub conditione *si vacet.*

LXIV. Hæc aliaque Regaliæ privilegia & prærogativæ, quæ passim à Pragmaticis Gallis annotantur, si ritè expendantur, eorumque prima origo inquiratur, non dubium, quin potiore jure de iis quam de ipsa Regalia dici poterit cum Renato Choppino *lib.* 1. *De Sacra Polit. tit.* 7. *num.* 9. non ex vetustis monumentis, sed ex Regiis Tabulis solùm, Patriisque Senatusconsultis petendam esse privilegiorum tractationem. Quin si ratio horum privilegiorum, omni secluso humano affectu, singillatim æquâ lance libretur, verendum, ne multorum una ratio fuisse reperiatur illa, quam in sua declaratione anni 1682. agnovit Rex ipse Christianissimus, nimirum, *Parlamenti Regii Parisiensis Zelus & ordinarius affectus pro augmentatione jurium Regiæ Coronæ*; *qui* (uti ait Rex) *ab aliquot annis dedit nonnulla Arresta, quæ non parum usum Regaliæ extenderunt.*

LXV. Interim & illud fatendum est, multa tum in Regulis Cancellariæ, tum Pontificis & Canonicis Constitutionibus, quibus privilegia Regaliæ contrariari videntur, meræ disciplinæ, & juris positivi occurrere; & quibus per contrarium usum derogari potest: unde his contrarius usus tolerari, modo ea, quæ jus naturæ ipsaque recta ratio in provisione Beneficiorum requirit, de reliquo observentur, potest: præsertim cùm & Pontifices & Concilia non semel declarârint, Constitutiones tametsi generaliter expressas, personas Regum ob eorum excellentiam, & specialem prærogativam non comprehendere; uti in ipsa quoque ultima generali Synodo Tridentina expressum est: atque signanter *sess.* 25. *cap.* 9. *De Reform.* ubi postquam specialem modum probandi jus Patronatûs proposuit, mox subjicit: »Exceptis illis, quæ ad Imperatorem, & Reges, seu » Regna possidentes, aliosque sublimes, ac supremos Prin- » cipes, jura Imperii in Dominiis suis habentes, pertinent.« Imo etsi hæc exceptio nominatim non esset expressa, nihilominus Reges non comprehendi, nî *nominatim* sint expressi, non semel & ipsi Romani Pontifices declarârunt; uti circa Expectativas sublatas *sess.* 24. *cap.* 19. *de Reform.* ostendetur capite sequenti.

LXVI. Hoc igitur Regiis Ministris, qui juribus Coronæ, & Regaliæ amplificandis studere videntur, præcipuè curandum, ut Rex Regalia, ejusque privilegiis in provisione Beneficiorum ita utatur, ut si regulis & Constitutionibus humanis eximatur, ipsas tamen regulas, quas ratio naturalis & Divina, nullo privilegio aut longævo usu, vel Arrestorum auctoritate flexibilis, aut mutabilis, servari præcipit, observet; atque ita ipsa Beneficia sine simonia, sine acceptione personarum, non ad favorem privatorum, sed in utilitatem & ædificationem Ecclesiarum conferantur, eique auctores sint, ut sequatur exemplum S. Ludovici in conferendis Beneficiis, ut si eum in usu Regaliæ Patronum sequi non pigeat, etiam in modo ea conferendi imitetur; de quo infrà titulo *De cavenda acceptione personarum in collatione Beneficiorum.*

Illud quoque meritò inculcant Ministri Regii verùm haud esse assertum Molinæi ad Regulam Cancellariæ *de infirmis resignantibus*, *num.* 185. »Canonicatus, Sacella, & similia Be- » neficia, ad meram, & perpetuam Regis collationem spectan- » tia, magis *secularia* & prophana Beneficia sunt, quàm Ec- » clesiastica.« Ut enim non inquiramus qualia in sua origine quædam ex illis fuerint, hoc compertum est, Canonicatus, præsertim Cathedralium Ecclesiarum, non posse inter *prophana Beneficia* computari, utpote qui non exiguam jurisdictionis, & regiminis Ecclesiastici portionem annexam habent. Scitur enim Capitulum Cathedrale ex Canonicis constans *Senatum* Ecclesiæ hodie constituere, atque unà cum Episcopo præcipua Ecclesiæ negotia absolvere, quin & Sede vacante in regimen & jurisdictionem Episcopi succedere; quemadmodum *part.* 1. *tit.* 8. *cap.* 1. ostendimus. Ut propterea admodum perniciosum sit Ecclesiis, dum Canonicatus tanquam *prophana* quædam Beneficia distribuuntur, non ut Ecclesiis ipsis, sed potius personis provideatur: & non rarò ipse Ecclesiæ *Senatus* ex pueris Senatorum Regiorum componatur.

CAPUT IX.

De Nominatione Regia extra Regaliam et de oblatis ad Monasteria.

1 *Rex plurium Ecclesiarum Patronus.*
2 *Reges prætendunt Beneficiorum plenam collationem.*
3 *Commitissa Flandriæ jus conferendi* pleno *jure habuisse olim videtur.*
4 *Similiter Reges Angliæ.*
5 *Reges Galliæ jure Regaliæ* pleno *jure conferunt.*
6 *Super hoc jure contentio inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum Regem Galliæ.*
7 *Jus hoc Regi competere posse ex tacito, vel expresso consensu Sedis Apostolicæ fatetur Bonifacius.*
8 *Rex huic Pontificis declarationi acquievit.*
9 *Reges & Principes etiam nostri* pleno *jure collationis utuntur.*
10 *Carolus Molinæus credit Beneficia ad* plenam *collationem Principum spectantia, esse potiùs* secularia, *&* prophana, *quàm Ecclesiastica.*
11 *Animadversio in dictum Molinæi.*
12 *Habentes collationem à Principe, curam animarum debent habere ab Ordinario.*
13 *Principes etiam aliis titulis, quàm Juris Patronatûs, Beneficia conferunt.*
14 *Concessit Leo X. Carolo V. ut nullus ad Principales Dignitates seculares nominetur, nisi ipsi* gratus.
15 *Vigore hujus Indulti Principes nostri nominant ad primarias Dignitates in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis.*
16 *Indulta conferendi Præbendas Regibus concessa, interdum tantùm personalia.*
17 *Indultum Regibus Galliæ datum in favorem Parlamenti Parisiensis.*
* *Quo motivo Sixtus IV. Indultum Parlamento Parisiensi concesserit.*
18 *Hoc Indultum quomodo extensum.*
19 *Jam pridem Imperatori competiit jus* Primariarum Præcum; *referturque antiqua earum formula.*
20 *Videtur primitùs Imperatori competiisse ex antiqua consuetudine.*
21 *Quomodo hodie his utatur Imperator.*

Ha

22 *Hæ præces per Synodum Tridentinam non censentur sublatæ; licèt sint species gratiæ spectativæ.*
23 *An Regi Galliæ competat jus collationis unius Præbendæ titulo* felices *ad Regnum* Adventûs.
24 *Rex Galliæ in adventu suo ad Regnum habet jus offerendi unum laicum Monasteriis.*
25 *Hoc jus videtur provenire ex Jure Patronatûs.*
26 *Quæ hoc jure frui possunt.*
27 *Divites eo jure non gaudent*
28 *Restringitur hoc jus ad Monasteria fundationis Regiæ.*
29 *Monasteria Ordinis S. Augustini non subjecta huic oneri.*
30 *Quid si dubitetur, num sit fundationis Regiæ.*
31 *Monasteria non nisi* uno *oblato gravari possunt.*
32 *Debet oblatus nutriri in Monasterio ut alter Religiosus.*
33 *Cogi potest, ut habitet in Monasterio, non tamen tenetur suscipere vestem Religiosam.*
34 *Rex Galliæ quædam Monasteria ob paupertatem ab hoc onere eximit.*
35 *Etiam Monasteria mulierum huic juri subjecta.*
36 *Principes nostri eo quoque utuntur jure in Monasteriis tam virorum, quam mulierum.*

I. QUin Reges, ac supremi Principes Ecclesiarum, quas Majores ipsorum vel fundârunt, vel dotârunt, Patroni sint; & titulo Juris Patronatûs etiam jure præsentandi gaudeant, nemo negaverit; ususque juris illius notissimus est.

II. At prætendunt Reges & Principes sibi ut Patronis, non tantùm competere simplicem præsentationem, qualis omnibus Patronis de jure competit, sed *plenam*, ac liberam Beneficiorum *collationem*: ita ut præter Regiam hanc collationem, vel donationem, non requiratur alia institutio *authorizabilis*, sive *tituli* collativa; sed tantùm institutio corporalis, sive immissio in possessionem.

III. Et quidem Comitissam Flandriæ jam pridem usum fuisse eodem jure, constare videtur ex *Cap. fin.* ✠ *de Concess. Præbendæ.* Hic scribit Honorius III. Episcopo, & Præposito Capituli Cameracensis: » Cùm dilecta in Christo filia Comi» tissa Flandrensis fecerit promissiones de non vacantibus Bene» ficiis Ecclesiarum, in quibus jus obtinet Patronatûs, & *do» nationes* eorum in manibus possuerit alienis. «

Quamvis enim Pontifex concessiones ab ea Comitissa factas non vacantibus Beneficiis, vel donationes alteri cuidam commissas, improbat, » nihil tamen improbat, imò nec attingit eo» rum, quæ pertinent ad Beneficiorum jam vacantium colla» tionem, seu concessionem, seu *dotationem* Comitissæ huic » ratione juris Patronatûs competentem, « ait Boëtius Epo in tractatu *de Regalia*, vel *Jure Principum in beneficiis Ecclesiasticis*, *num.* 4. » Quinimò (pergit Auctor) contra satis hinc » apparet, Comitissam, vel Comitem Flandriæ semper solere » singularia Beneficia Ecclesiarum, in quibus jus obtinebat Pa» tronatûs, absolutè conferre. « Qui & ibidem ostendit, *donationis* verbum, quo hî utitur Pontifex, de simplici præsentatione accipi non posse; sed pro *absoluta* donatione, seu collatione accipiendum esse: rectèque notat, similis donationis sex Præbendarum Sacerdotalium eidem Comitissæ competentis mentionem occurrere in *Cap.* 40. ✠ *de Testibus.*

IV. Reges Angliæ hoc quoque jure jam pridem usos fuisse, evincit Decretalis Innocentii III. cujus fragmentum extat in *Cap.* 6. ✠ *de Consuetudine*, & integra apud Antonium Augustinum in *Cap.* 4. *eod. tit.* in tertia Decretalium collectione.

In hac igitur integra Decretali de Rege Angliæ scribit Innocentius III. » Decanatum, & Præbendas ipsius Ecclesiæ (S. » Petri de Curia Cenomanensis) idem Rex, & Progenitores » *conferebant*, Diœcesano Episcopo etiam inconsulto.

V. Reges Galliæ Beneficia jure Regaliæ pleno jure conferre, & jam pridem contulisse ambigi nequit.

Extat inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *c.* 16. *num.* 46. instrumentum collationis Canonicatus vacantis in Regalia de anno 1422. in quo dicitur: » Beneficiorum Ecclesiæ » vacantium, dicta Regalia vigente, collatio, atque omnimoda » dispositio jure Regaliæ, & Regiæ dignitatis ratione, *pleno* ju» re noscatur pertinere ad nos.“

VI. Quin & tempore Philippi Pulchri hoc jure usos fuisse Reges Galliæ, constat ex contentione sat acri super eo jure inter ipsum Philippum, & Bonifacium VIII. cujus contentionis, necnon litterarum hinc inde scriptarum meminit Aufrerius Præses Tolosanus *in sua Repetitione* ad *Clem.* 1. *de Officio Ordinarii*; & antiquus Glossographus *ad Cap.* 15. *de Elect. in VI.* quæ è recentiore Corpore Juris per Correctores Romanos sublatæ sunt.

VII. Etsi autem Pontifex verbis sat acerbis hoc prætensum jus collationis improbaverit, nihilominus in quadam Bulla, contentione hac durante, emissâ, fatetur, jus illud Regibus posse competere, saltem accedente consensu Sedis Apostolicæ tacito vel expresso. Verba Bullæ sunt: » Ad te hujusmodi Ecclesias» tica Dignitatum, Personatuum, Canonicatuum, Beneficiorum, » & Præbendarum collatio non potest quomodolibet pertinere, » nec pertinet; nec per tuam collationem potest alicui jus ac» quiri, sine auctoritate, vel consensu Sedis Apostolicæ, taci» tis, vel expressis; quos qui acceperit, & se denegat acce» pisse, eis propter ingratitudinem est privandus. “

VIII. Rex huic conditioni acquiescens respondit: » Quòd » collatione Beneficiorum usus est, utitur sicut ad eum per» tinet de jure, & bona consuetudine, sicut S. Ludovicus, & » alii prædecessores, sui usi fuerunt, à tempore cujus memo» ria non existit, nec circa hoc fecit, nec intendit facere ali» quam novitatem; nec credit, quòd Papa sibi facere velit, » qui longum usum suum, & prædecessorum suorum in colla» tione hujusmodi novit plenissimè ab experto.“

IX. Hoc itaque jure & Reges Galliæ & Principes nostri uti pergunt, semper nomine *collationis*, vel *donationis* utentes. (t) Et quamvis non exprimant, se eo jure ex indulgentia, vel consensu Sedis Apostolicæ uti: ipse nihilominus continuus & notorius usus à Sede Apostolica non improbatus, de Sedis Apostolicæ consensu saltem tacito dubitari non sinit.

X. Carolus Molinæus ad Regulam Cancellariæ *de Infirmis resignantibus*, postquam ostendit, Regem, & nonnullos inferiores locorum Dominos habere *collationem* Canonicatuum, aliorumque Beneficiorum Simplicium, addit *num.* 126. » Sed » hujusmodi Canonicatus, Sacella & similia Beneficia ad meram » & perpetuam Regis collationem spectantia, magis secularia, & » *profana* Beneficia sunt, quam Ecclesiastica; quamvis non ni» si Clericis, (quos tonsuratos vocant) conferantur. Quia tali» bus ex voluntate Regis fundatoris destinata sunt. Unde non ha» bent de se ullam administrationem Clavium vel Sacramentorum. “

XI. Verùm uti rectè notat Ludovicus Thomassinus de *Disciplina Eccles. part.* 4. *lib.* 2. *cap.* 22. *num.* 12. » Majore cum » verisimilitudine dixisset Molinæus, aliqua ex hisce Beneficiis » hujusmodi fuisse in sua origine. Videmus enim & hodie plura » Oratoria in Principum & Magnatum domibus, ad quæ ipsi » Principes nominant Ecclesiasticos ad recitandum officium Ca» nonicum cum annexis certis proventibus; ita tamen ut totum » dependeat à pietate & voluntate illorum Magnatum, qui assu» munt, & dimittunt hos Ecclesiasticos, cum ipsis libuerit, abs» que ulla ab Episcopo dependentia in hac eorum arbitraria pia » liberalitate. Labente tempore, similia arbitraria & temporalia » officia mutantur in Beneficia perpetua; & quandoque aliqua cu» ra animarum eis annectitur, interim Patroni jus suum non amit» tunt; semperque permanent eorum Collatores. Admodum pro» babile est, nonnulla Beneficia, quorum ipsi Principes hodie ha» bent *plenam* collationem, fuisse primitùs Officia duntaxat ejus » conditionis; ac sensim & imperceptibiliter transiisse in Bene» ficia perpetua. «

Probabile quoque est, quod sicuti de similibus Officiis priusquam in Beneficia erigerentur, Principes pro libitu suo disponebant, nullo habito respectu ad Regulas collationi Beneficiorum præscriptas; ita existimârunt, erectionem illorum in Beneficia huic eorum juri non potuisse præjudicare; ideoque ea adhuc eodem *pleno* jure conferre posse. Hinc ea privilegia Regaliæ, quæ capite præcedenti notata sunt, verosimiliter pro magna parte emanârunt: quod tamen non nisi de his Beneficiis, quæ ejus conditionis fuerunt, aliqua veri specie dici posse videtur. Dein notandum: officia illa, quæ tantùm persolvendo officio Canonico primùm erant destinata, naturam non parum suam mutâsse, dum in Canonicatus, præsertim Cathedrales transîerunt; ut ex iis *Senatus* Ecclesiæ constituatur, ut capite præcedente observavimus, ubi unà ostendimus, quòd Regaliæ, quæ primitùs aliqua duntaxat Beneficia & bona comprehendebat, sensim ad omnia extensa fuerit; ut mirum videri non debeat sijus conferendi *pleno* jure paulatim quoque ad omnia Beneficia ad Regiam provisionem spectantia extensum sit.

XII. Porrò licèt liberum esset Principibus, aliisque Fundatoribus ad hujusmodi administrationes, sive fundationes assumere; & etiamnum hodie id ipsis liberum sit, quandiu in Beneficia auctoritate Ordinarii erecta non sunt: nunquam tamen licuit assumere Clericos, qui Missarum solemnia celebrarent, aut Sacramenta administrarent, nisi priùs per sacram Ordinationem ab Episcopis eam potestatem accepissent. Quapropter tametsi hodie quorundam Beneficiorum collatio *pleno* jure ad Principes pertineat, si quæ Sacramentorum administratio, aut cura iis animarum annexa sit, ea ab Episcopo accipi debet; nec eam laici quantumvis suprema, ac Regia auctoritate muniti dare queunt: quemadmodum jam pridem Imperatori declaravit Gregorius IX. apud Odoricum Raynaldum ad annum 1236. *num.* 21. „ Esto (ait) quòd aliqua Beneficia vacan„ tia

(t) *Rex noster Catholicus licèt jus præsentandi ad Beneficia, Dignitates &c. habeat, tamen in conventione* 6. *jam præcitatæ leg.* 11. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recop. collationem, seu institutionem Ordinariis intactam reliquit.*

» tia conferas, ut *curam* tamen *animarum* illas annexam com-
» mittere valeas, jus spirituale, quòd non cadit in laicum, non
» permittit."

Hac de causa Principes nostri, uti & Reges Galliæ quamvis Benefica plura *pleno jure* conferant, curam tamen animarum annexam nequaquam committere, vel dare intendunt; sed volunt, ut Provisi eam ab Ordinariis suis accipiant: quod & in ipsis provisionis litteris apponi solet.

XIII. Non tantùm titulo juris Patronatûs Principes Beneficiorum provisionem habere; sed & aliis titulis, nimirum Indulti Apostolici, vel Regaliæ, aut inveteratæ consuetudinis, ut in litteris provissionis exprimi solet, notorium est in illis Ecclesiis, quarum Principes Fundatores non fuisse scitur; & nihilominus Beneficiorum, & Dignitatum collationem obtinent.

XIV. Anno 1515. 4. Julii Leo X. per Bullam indulsit Carolo V. quòd nullus in Provinciis ei subjectis per ipsum (Leonem) aut Sedem Apostolicam, seu ejus Legatos seu Nuntios, ad Dignitates Abbatiales, aut quorumcunque Monasteriorum etiam per Priores, aut Præpositos regi ac gubernari solitorum, regimina præfici, nec illis, de quorumcunque personis quovis modo providere possit, nisi habitis priùs per Nos (ait) aut Sedem eandem intentione & consensu tuis de personis idoneis ad hujusmodi Dignitates, & regimina providendum.

Deinde ulteriùs subjungit: » De aliis verò Dignitatibus vide-
» licet secularibus, principalibus, & Regularibus Conventua-
» libus, intra prædictos districtus, nisi de locis tuæ ditionis sub-
» jectis existant, aut tibi *gratis & acceptis* de aliis locis oriun-
» dis providere, nec non gratiæ expectativæ, & specialiter re-
» servationes cum quibusvis ex illis descendentibus provisioni-
» bus & provideri mandatis intra eosdem districtus personis
» duntaxat, quæ locorum eorundem districtuum alienigenæ, vel
» extraneæ non fuerint, nisi forsitan tuus consensus aliis perso-
» nis super hujusmodi gratiis suffrageretur concedi, &c."

XV. Carolum in vim hujus Indulti prætendisse sibi esse jus nominandi personas ad Dignitates Abbatiales, nec non Dignitates principales in Ecclesiis secularibus, manifestum est ex iis, quæ narrantur in Compromisso inito inter Carolum, & Abbates, & Abbatissas Brabantiæ 21. Februarii 1521. quod refertur *Parte* 4. *Edictorum Brabantiæ*, *lib.* 4. *tit.* 1. *cap.* 6. ejusque meminimus supra *part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 8. uti & Concordiæ super hac quæstione initæ inter Philipum II. & dictos Abbates.

Sicuti ergo Principes nostri vigore hujus Bullæ Leoninæ nominant ad Abbatias juxta formam in dicta Concordia expressam; ita nominant quoque ad principales, sive primarias Dignitates in Ecclesiis Collegiatis; & principales post Episcopalem in Cathedralibus.

Ad hoc indubiè Indultum recipiunt Principes, dum in litteris nominationis ad primas Dignitates dicunt se nominare vigore *Indulti*, tametsi & addant, se id facere vigore *Regaliæ juris Patronatûs*, seu quo alio jure sibi competente: ut hoc pacto jus suum quocunque titulo competens conservent.

XVI. Regibus Galliæ plura jam pridem Pontificia Indulta concessa fuisse leguntur.

In Historia Universitatis Parisiensis *tom.* 4. *pag.* 28. & 32. refertur à Bonifacio VIII. indultum fuisse Philippo Pulchro, *quòd ad suum beneplacitum in qualibet Ecclesia Cathedrali, & Collegiata Regni sui una idonea persona poneretur.* Et Clemens VII. Papa Avenionensis indulsit Carolo VI. anno 1389. nominare ad duas Præbendas in omnibus Ecclesiis Cathedralibus. Et Innocentius VI. referente Guimerio, dedit Joanni Regi nominationem 30. Præbendarum: quorum omnium Indultorum meminit Ludovicus Thomassinus de *Disciplina Ecclesiast. part.* 4. *lib.* 2. *cap.* 21. *num.* 12. additque, visibile esse Indulta hæc fuisse personalia.

XVII. Gaudent hodie Reges Galliæ jure Indulti, sive gratiæ expectativæ in favorem supremi Regni Cancellarii, Præsidum, & Consiliariorum Parlamenti Parisiensis, quibus mandat Rex in vim Papalis Indulti provideri.

Gratiam hanc primùm factam Regibus Galliæ ab Eugenio IV. per specialem Bullam anno 1538. confirmavit Paulus III. ad postulationem Francisci I. indulgens, ut Prælati Collatores singuli semel in vita sua duntaxat, & non ultra provideant nominato Indultario de proximè vacaturo Beneficio, cujus anni proventus, deductis omnibus expensis, & oneribus, pertingunt ad taxam constitutam, id est, *ducentarum librarum* Parisiensium.

* Legitur, quòd Sixtus IV. ad exemplum Pii II. sui prædecessoris, intendens abrogationem Sanctionis Pragmaticæ, quam anno 1438. in Conventu Bituricensi promulgaverat Carolus VII. Rex Franciæ, concordatum concluserit cum Ludovico XI. Rege Galliæ relatum in Extravagante *Ad universalis*, *de treuga & pace*, *in Communibus*: utque Parlamentum Parisiense ad receptionem hujus Concordati inclinaret, eodem Concordato concessit *duas Expectativas* ad singulos Collatores Regni Galliæ in favorem Consiliariorum Parlamenti, aut eorum, quos ipsi vice sua nominare voluerint.

Sed nec hoc Concordatum, nec indultum receptum fuit, resistente Procuratore Regio, uti notat Franciscus Pinsonius in Præfatione ad suum Tractatum de *Indultis pag.* 33. qui & ibidem monet Paulum III. indultum Parlamento dedisse, ut ipsum magis obfirmaret in observatione Concordati inter Leonem X. & Franciscum I. quo Sanctioni Pragmaticæ, saltem quoad *liberas* electiones, non exiguum vulnus inflictum fuit.

XVIII. Indulti gratiam postmodum ad postulationem moderni Regis Ludovici XIV. auxit Clemens IX. editâ Bulla anno 1667. quam integram, uti & præcedentem Pauli III. refert Claudius Horry in novo Tractatu *de Materiis Beneficialibus*; notatque quòd Cancellarius, aliique Regii ministri hujusmodi indulto gaudentes, possint hanc gratiam alteri cedere, sive in alium transferre, exprimitque formam, quæ in hac cessione est observanda; quidque Cessionarius observare debeat, ut effectum Indulti obtinere queat. Vide quoque Cabassutium in *Juris Canonici Theoria & Praxi*, *lib.* 2. *cap.* 4.

XIX. Refert continuator Abbatis Urspergensis Litteras Rodulphi Hasburgii ad quendam Abbatem directas, quibus in vim *Primariorum Precum* Clericum nominat ad Beneficia ad collationem hujus Abbatis spectantia; quæ meritò pro antiqua *Primariarum Precum* formula refertur à Chokier *in Proœmio Scholiorum Primariarum Precum.* Verba formulæ sunt; » Cùm ex
» antiqua, & approbata, ac à divis Imperatoribus, & Regibus
» inclytæ recordationis nostris antecessoribus usque ad nos pro-
» ducta consuetudine quælibet Ecclesia in nostro Romanorum
» Imperio constituta, ad quem Beneficiorum Ecclesiasticorum
» pertinet collatio, super unius collatione Beneficii precum nos-
» trarum *Primarias* admittere teneatur, devotionem tuam ro-
» gamus, quatenus huic Clerico de Ecclesiastico Beneficio,
» quod ad tuam collationem spectat, ob Reverentiam Sacri Im-
» perii, & nostram, si quod vacat ad præsens, vel quampri-
» mùm vacaverit, studeas liberaliter providere, taliter faciens,
» quòd devotionem tuam nostra serenitas debeat meritò com-
» mendare, & ad tua justa desideria facilis inveniri."

XX. Cùm hîc nullius Indulti Apostolici, alteriusve tituli, quo hoc jus nitatur, mentio occurrat; sed totum ex antiqua consuetudine desumatur, admodum verisimile est, hoc jus *Primariarum Precum* consuetudine primitùs inductum esse: imò à solis *precibus* apud Collatores interpositis originem habuisse; atque sensim preces in jura & mandata transiisse; ipsosque Reges, & Imperatores exemplo Pontificum Romanorum primò precibus, ac dein mandatis usos fuisse, quemadmodum notavit Ludovicus Thomassinus *citato cap.* 21.

XXI. Quidquid sit, indubitatum est, Imperatores jam pridem usos fuisse, & etiamnùm hodie uti *Primariis Precibus*, quarum vigore Imperator coronatus nominat personas idoneas ad Beneficium vacaturum, quod ipse nominatus infrà mensem à die notæ vacationis duxerit acceptandum, facitque nominatum per Executores in litteris nominationis designatos recipi. Formulam hodiernam Primariarum Precum refert Chokier *in citato Proœmio*, qui & Bullam Pauli V. (u) confirmativam harum precum Scholiis illustravit; variasque quæstiones ad hanc materiam spectantes discussit; notatque *pag.* 18. ex Boetio Epone, quòd *primariæ Preces* » idcirco dicantur, quòd semel dun-
» taxat, seu pro *prima* saltem vice, non autem vel bis, aut
» sæpiùs uni & eidem Imperatori, in una eademque conce-
» dantur Ecclesia."

XXII. Nominationem vigore harum precum ad Beneficia vacatura esse speciem gratiæ *expectativæ* ad vacatura dubitari nequit: refertque Fagnanus ad *cap.* NULLA ✠ *de Concess. Præb. num.* 9. dubitatum aliquando, an eo titulo non censerentur hæ preces sublatæ per Concilium Trident. *Sess.* 24. *cap.* 19. *de Reformat.* ubi tollit omnes concessiones ad *vacatura*: attamen quæstione per Archiepiscopum Cameracensem hujusmodi nominatione gravatum delata ad S. Congregationem Concilii Tridentini Interpretem, censuit S. Congregatio, hasce primarias preces non comprehendi *dicto cap.* 19. quia non nominatur Imperator, qui est *speciali* notâ dignus. Et relatione facta ad Papam Gregorium XXII. ipse sententiam Congregationis probavit.

XXIII. Volunt nonnulli, etiam Regi Galliæ esse jus nominandi ad Præbendam titulo Felicis ad Regnum *adventûs*. Verùm alii, quos sequitur Cabassutius *in Theoria & Praxi Juris Canonici*, *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 11. dicunt, quòd ambitio, & adulatio Aulicorum jus istud introduxerit: » cui novæ intro-
» ductioni (ait Cabassutius) Senatus Parisiensis plerumque for-
» titer intercessit, existimans satis detractum Ecclesiæ fuisse per
» Regaliam, & Indulta in favorem suorum Officialium consti-
» tuta, nec patiens alios concurrentes ac rivales, per quos Be-
» neficia, ad quæ aspirant, sibi detrahi possint; ideoque novum
» istud indultariorum genus frequentibus Senatusconsultis sub-
» movit ac repulit, ut testatur Broudæus in Louetium *lit P. tit.*
Præ-

(u) *Quæ incipit*: Cùm post, *anno* 1620. *expeditæ.*

» *Præbenda felicis ad Coronam adventus.* Et ita non semel ju-» dicatum fuisse refertur.“

Diffiteri interim nequit Cabassutius interdum quoque pro indultariis fuisse judicatum, uti testatur citatus Broudæus ad Louetium *lit. P. num.* 6. ubi & meminit declarationis Ludovici XIV. moderni Regis Galliæ, qua edicitur: Hoc jus pro felici Regis ad Regnum adventu tantùm obtinebit in Ecclesiis Collegiatis, quarum Dignitates & Præbendæ non spectant ad collationem Ordinariorum Diœcesis, in qua sitæ sunt, & in quibus sunt plures quàm sex Præbendæ ultra Dignitates.

XXIV. Illud magis expeditum, atque longe usu receptum & probatum, » quòd Rex in principio sui Regni post suam » coronationem in Abbatia Regni sui de gardia sua existente, » ponere possit in Monasteriis Monachorum, unum Monachum, » & in Monasteriis Monialium quamdam Monialem: « uti loquitur Rebuffus *in Praxi Benef. part.* 3. *tit. de Oblatis*; *& quando Regio nomine in Monasteriis recipiendi sint*, *num.* 24.

Et eruditus Bosquetus *in notis ad Epist.* 138. Innocentii III. lib. 1. Regesti 13. ait: » Ab antiquo ex Christianissimorum Re-» gum rescriptis, laicis locus fuit in Monasteriis; quibus ali-» menta, non sub Fratrum, sed Præbendariorum nomine à » Monachis exhibeantur. «

Similiter Renatus Choppinus *lib.* 2. *de Domino Franciæ, cap* 28. *num.* 1. ait: » Regis item jura sunt hæc: Cænobiis alen-» dum offerre militem, qui acceptis in Bello vulneribus post-» modum nequeat corporis artificio vitæ necessaria quæritare. » De quo argumento cùm olim tractatum esset in Senatu, id » ipsum Principi ex Francisco Diademate licere in auspicatu » Regni, Ordo Supremus judicavit Arresto Parlam. ann. 1273. «

XXV. Jus hoc offerendi Cœnobio militem, esse effectum augustioris in sanctas Ecclesias Patronatûs, asserit Choppinus ibidem *num.* 3. » Rex enim (ait) beneficus est sacrarum Ædium » Patronus; qua in specie Legibus cautum est, exhausto & » egenti Patroni filio alimenta esse ex templi ipsius redditibus » suggerenda.“

Hanc juris illius originem, & titulum notavit quoque Rebuffus loco citato *num.* 21. additque » Quia licèt Rex aut Fis-» cus sit semper dives, & idoneus solvendo, tamen jure *Patro-» natûs* considerato, & Monasterio à se fundato, vel à Præde-» cessoribus Regibus, æquum fuit hujusmodi Præsentatis » subvenire. «

Cùm enim milites juramento Regi ad serviendum, & eum defendendum sint obstricti, quodammodo loco filiorum a Rege habendi sunt, saltem ut iis ad inopiam redactis succurratur; iisque impensum, censeri debeat Regi ipsi impensum.

XXVI. Unde pluribus Regiis Edictis cautum fuit, nullum posse hujusmodi Oblatorum loca in Monasteriis occupare, nisi sint milites *veterani* vulneribus pro servitio Regis sauciati; inhibitione facta Monasteriorum Superioribus alios admittendi, vel recipiendi, aut quamcunque pensionem assignandi, quibuscunque litteris Regiis essent muniti, uti latiùs deducit Carolus Fevretius De Abusu *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 4.

XXVII. Addit præterea quòd si Præsentatus à Rege esset sufficiens, ut sibi de necessariis honestè provideret, is possit repelli; eò quod similia loca non nisi pauperibus sint destinata: quod & in ipsis litteris oblationis Rex significat per hæc verba litteris apponi solita: *Par pitiè & aumone, & en faveur des services, que nous à fait.* Rebuffus *num.* 28. Addit tamen *num.* 29. » Non debit inquiri de *servitiis*, aut opponi, quòd » non servierit: quia duæ rationes sunt, & una cessante, non » cessat concessio. « Et videmus hodie hujusmodi loca concedi etiam illis, qui nunquam Regi specialiter servierint.

XXVIII. Ulteriùs cùm jus hoc innitatur titulo fundationis, seu Patronatûs, ideò & restringitur ad Monasteria fundationis Regiæ; quemadmodum notavit Choppinus loco suprà indicato *num.* 4. & ex professo Rebuffus *num.* 27.

(x) Formula qua à Rege nominatur oblatus ipsis Monasteriis.

Charles par la grace de Dieu, Roy de Castille, de Leon, d' Aragon, &c. A Religieuses personnes, nos Cheres & bien aimées les Prieure & Religieuses du Prieuré de l' Ordre de S. Bernard, en nostre pays & Duché de Brabant, salut & dilection: comme à cause de nostre Reception & advenement aux estat des Pays Bas & de Bourgoine nous compette, & avons droit d' en chacune Abbaye, Monastere, & Prieure, & Hospital du dit Pays, donner un pain & prebende avec les habillements & autres droits & emolument acoustumé & y appartenants mesme en vestre dit Prieuré, ou tel pain est vacant; pour ce est il que nous voulons en ce user de nostre dit droit, & pour le rapport que fait nous a esté de N. N. jeune fille, natife de la Ville de Bastoigne en nostre Pays & Duché de Luxemburg, & que ses plus Proches parens souffroient grande perte en leur biens, tant audit Bastoigne, qu' aux environ de la Ville maintenant possedé par la France, a la quelle cause la dicte N. N. se trouveroit sans aucune commodité; Avons en con-

XXIX. Quæstionem aliquando motam fuisse, num huic oneri subjecta essent Cænobia virorum Ordinis S. Augustini, uti refert Renatus Choppinus de *Sacra Politia*, *lib.* 3. *tit.* 2. *n.* 12. atque ipso in causa perorante, & postulante, » placuisse Sena-» tui, Clientem suum rectè appellâsse, & Curiales Primates, » seu *Prioratus Augustiniani* Ordinis, educatione Oblati mili-» tis, victuque neutiquam onerari, Arresto in publicis causarum » actionibus lato pridie nonas Junias ann. 1565.“

Fundamentum suæ causæ proponens Choppinus ajebat. » Prioratum, quem Cliens suus obtinebat, Augustinianæ Re-» gulæ subjici, & ita verè *Curionatum* censeri, animorumque » curationi conjunctum Sacerdotium. Proin suggerendis vetera-» no cibariis alligandum non esse, instar Parœcianæ Ecclesiæ » cujusvis. Multum enim interesse, an regularis Primatus Be-» nedictino Ordini subjaceat, an Augustiniano. Ille quidem nul-» lum parœciarum habet actu ipso regimen animarum annexum. » Nam cucullati Sacerdotes Benedictini cesserunt jam dudum Cu-» riali parœciarum administrationi, intra claustri septa rediri jussi » Chalcedonensi Concilio, Can. *Justa quæ*, 16. *Quæst.* 1. At » Monasticæ præfecturæ Ordinis Angustiniani, retinuerunt hac-» tenus sacram, spiritualemque prœciaci populi curationem: » Quum & Ilerdensis Synodi permissu monachi ordinari cœpis-» sent, & ad sacros Clericorum gradus promoveri. Unde Au-» gustiniani Ordinis cœnobitæ curialia etiamnum munera obeunt » in sacris suis Beneficiis, quasi Parochialis Ecclesiæ Pasto-» res soli.“

XXX. Verùm si dubitetur, an Abbatiæ sint ex fundatione Regali, nec ne, præsumuntur esse ex fundatione, ait Rebuffus *num.* 23. concluditque ulteriùs: Ideò mandante Rege, *si appareat vobis*, *quod sit de fundatione*, interim dum litigatur super hoc providebitur isti pauperi, & aletur, ut censuit Senatus anno 1550. die 17. Februarii: & latius probat Fevretius.

XXXI. Hoc jure oblationis Rex non intendit unum idemque Monasterium, nisi semel, suo durante regimine, gravare, ac propterea expressè in litteris (x) ponitur hæc clausula: *Pourvu toutefois, qu' autre n' ait eté recu.*

Ita refert Rebuffus *num.* 26. qui & *num.* 25. notat: » Quòd » si ille cui est provisum, adhuc viveret, debet Rex novus ex-» pectare mortem illius antequam provideat, ne sit molestus Mo-» nasterio, & ne uno, & eodem tempore sit gravamen duorum.“

XXXII. Debet autem ali in Monasterio tanquam alter Religiosus, uti & verba litterarum indicant: *Avons donné & octroyé, donnons & octroyons ledit lieu, & vivre d' un Religiex en votre dite Abbaye.* Et infra: *Delivrez par chacun jour pittance, vivres & autres ses necesitez telle que de raison, comme à un de vos dits Religieux, avec vestiment suffisant.*

XXXIII. Hinc concluditur, cogi posse oblatum ut habitet in Monasterio, ibique præstet servitia ab *oblatis* præstari solita; & portionem Monachalem accipiat, nisi ipse Conventus malit ei extra Monasterium pensionem solvere; uti Fevretius *num.* 46. judicatum refert ann. 1471.

Et quia sæpe non convenit miles veteranus cum Monachis; dicit Rebuffus *num.* 46. quòd oblatus soleat regulariter extra Monasterium ali.

XXXIV. Refert dein *num.* 47. per litteras patentes die 5. Maii 1636. Regem Galliæ exemisse ab hoc onere Abbatias, & Prioratus, qui in proventibus annuis non habent mille ducentas libras, omnibus oneribus deductis.

XXXV. Non tantùm Monasteria virorum, sed & mulierum, seu Monialium huic juri jam pridem subjecta fuisse notat Bosquetus ad citatam epistolam Innocentii III. testaturque Coppinus *num.* 13. vetus Arrestum insertum in stylo Parlamenti habere: » Rex potest suo jure ponere in Monasteriis Monachorum unum » Monachum, & in Monasteriis Monialium unam monialem.“ (y)

Ita nimirum, ut Monialium Monasteriis milites, sive viri offerri non possint: uti rectè notat Fevretius *num.* 43. asseritque non

sideration de ce que dessus & des services de ses ayeuls & davanciers, donné & conferré, donnont & conferont a la dicte N. N. pour Dieu & en aumône par ces presentes le pain & prebende qu' avons droit en vostre dit Prieuré & Monastere, à cause que ce que dit est, avec les habillement & autres droits & emoluments quelconque y apertenans. Si vous mandons, & commandons qu' ayez à recevoir, & admettre la ditte N. N: en vostre dit Prieuré & que dudit pain *& prebende, habillements, droits & emoluments accostumez & y appertenants la faites plenement & paisiblement jouir & user cessans tous contradits & empechements au contraire; car ainsi Nous plait il.*

(y) *Post insignem prope Parissios erectam domum, quæ militum invalidorum* Hospitium Regium *dicitur, statuit Rex Ludovicus XIV. ut Regia hæc domus deinceps ab invalidis militibus incoleretur, ac Monasteria ab eorum onere libera, victui ac cultui istorum militum consulerent: id enim constat litteris patentibus, quæ 7. Julii an. 1716. in majoris Consilii Commentarios lata sunt.*

non semel repulsam passos viros, qui litteras Regias ad Monasteria Monialium impetrârant.

XXXVI. Eodem jure utuntur Principes nostri, non tantum in Monasteriis, & Abbatiis virorum, sed & mulierum; idque jure Regaliæ, uti in litteris provissionis exprimitur: assignantque oblatis panem & præbendam Abbatialem *le pain & prebende*. Per *præbendam* intelligentes portionem Monasticam seu Abbatialem. Dein addunt, *avec les habillements & autres droits & emoluments quelconques y appertenant*, id est, cum vestitu, juribus, & emolumentis annexis. Et anno 1668. per litteras missas ad Gubernatorem Belgii, & per ipsum omnibus Consiliis Regiis intimandas declarabit Rex Catholicus, redemptionem Panis Abbatialis ad summam 150. florenorum annuè, vita Oblatorum durante. Et 26. Augusti anno 1677. scripserit Consilium privatum ad Abbatissam & Conventum Monasterii B. Mariæ *sub vinea* in civitati Lovaniensi, Oblatæ dandas esse vestes, & reliqua corpori necessaria, sicuti uni Religiosæ, nihilque oneris extraordinarii imponendum.

TITULUS XXVI.

De Institutione, & Possessione Beneficiorum.

CAPUT I.

De Institutione.

1 *Tres species institutionis.*
2 *Institutio auctorizabilis à concessione curæ animarum distincta.*
3 *Quid institutio auctorizabilis, & cur dicta collatio necessaria.*
4 *Institutio hæc de jure communi competit Episcopis, & quare.*
5 *Jus instituendi Beneficiatos Episcopis vindicavit Synodus Tridentina.*
6 *Posse etiam ad inferiores Prælatos pertinere agnovit Synodus Tridentina.*
7 *Idque tantùm ex privilegio.*
8 *In Belgio Archidiaconi instituunt.*
9 *Quî institutio ad Archidiaconos devoluta?*
10 *Plures alii inferiores Prælati hodie jus instituendi in Belgio habent.*
11 *Jure institutionis ad inferiores devoluto, ad Beneficia sine examine etiam idonei admittebantur.*
12 *Huic abusui quî occurrit Synodus Tridentina?*
13 *Synodus requirit examen Episcopi, etiam quoad Beneficia Simplicia.*
* *Ordinarius prætextu examinis circa qualitatem Provisi non potest agnoscere de titulo.*
14 *Sed praxis est contraria.*
15 *Cura animarum à solo Episcopo, ejusque prævio examine haberi hodie potest.*
16 *Titulus tamen Beneficii Curati etiam datur ab Archidiaconis, aliisque Prælatis inferioribus.*
17 *An institutio facienda intra semestre.*
18 *Institutio quare non differenda.*
19 *Si Ordinarius Præsentatum instituere differat, potest recurri ad Superiorem.*
20 *Potest à recusata institutione appellari.*
* *An Ordinarii recusare possint litteras vulgò* visa *ob causas sibi privatim notas.*
21 *Quomodo procedatur in Gallia, si Pontifex Bullas non expediat.*
22 *Jam pridem judicârunt Prælati Angliæ à recusata institutione posse appellari; sed examen debere esse penes judicem Ecclesiasticum.*
23 *Alexand. III. scriptis, si Ordinarius institutionem recusat, causas recusationis coram Superiore allegari debere.*
24 *Superior institutionem dare non potest, nisi causa recusationis plenè discussa.*
25 *Idipsum cautum Edicto Regis Galliæ; una reservans examen, & judicium de capacitate præsentati judici Ecclesiastico.*
26 *Consona sunt praxi Belgii.*
27 *Ostenditur, meritò hac institutionem dici necessariam.*
28 *Præcipuas partes in provisione Beneficii Patronati habent Patroni.*

I. TRes species institutionis assignat Prosper Fagnanus ad *cap.* CUM ECCLESIA ✠ *de Causa posses. & propriet.* » Prima species est institutionis corporalis, hoc est, immissio» nis in possessionem: « de qua capite sequenti. » Secunda spe» cies (ait Fagnanus) institutionis authorizabilis, id est, ap» probationis ad curam animarum. « Tertia species media inter corporalem, & authorizabilem institutionem est, quam vocant *collativam*.

II. Hæc tertia propriè est illa, quam hodie vocamus *institutionem auctorizabilem*, sive *tituli collativam*, & à concessione curæ animarum planè distinguitur, uti suprà monuimus; ubi notavimus, eam à Glossographo, quem hîc secutus videtur Fagnanus, malè confundi cum datione curæ animarum.

III. Institutio itaque propriè dicta, seu auctorizabilis, est ipsa Beneficii collatio, sive tituli canonica datio, sine qua ipsum Beneficium haberi non posse, pronuntiat prima Regula Juris in sexto Decretalium: ideoque, & *collatio* dicitur, sed *necessaria*, eò quòd instituens soleat constringi, eam certæ personæ sibi præsentatæ facere, ut ex dicendis patebit.

IV. Igitur, cùm per institutionem fiat Beneficiorum collatio, ipseque titulus Canonicus conferatur, & Clericus eâ mediante Ecclesiæ adscribatur, eam Canones Episcopis tanquam Ordinariis Beneficiorum Collatoribus, & muniorum Ecclesiasticorum primariis distributoribus detulerunt. Quare & jure communi cautum est, institutionem auctorizabilem ipsis Episcopis competere. *Cap.* 4. ✠ *de Jure Archidiac.*

V. Illud jus Episcopis quoque asseruit Synodus Tridentina *Sess.* 14. *cap.* 12. *de Reformat.* decernens, ut si ex causa fundationis, aut dotationis Jus Patronatûs impetretur, aut obtineatur, *institutio Episcopo, & non alteri inferiori reservetur.*

Deindè *cap.* 13. generaliter edixit: » Non liceat præterea » patrono cujusvis privilegii prætextu aliquem ad Beneficia sui » Juris Patronatûs, nisi Episcopo loci ordinario, ad quem pro» visio, seu institutio ipsius Beneficii, cessante privilegio, ju» re pertineret quoquo modo præsentare; aliàs præsentatio, ac » institutio, forsan secutæ, nullæ sint, & esse intelligantur. «

VI. Hic textus evincit, Patres Synodi Tridentinæ supposuisse, de jure institutionem Beneficiorum spectare ad Episcopum; unà tamen sat insinuantes posse eam *ex privilegio* ad alium etiam inferiorem pertinere: quod rursus *Sess.* 24. *cap.* 18. *de Reform.* apertiùs agnovit in verbis: Cùm *verò institutio ab* ALIO, *quàm ab Episcopo erit facienda*, &c.

Hîc Synodum loqui de institutione *auctorizabili*, sive tituli collativa suprà *tit.* 22. *cap.* 4. probatum est.

VII. Nec tantùm ex privilegio, sed ex consuetudine, sive præscriptione jus institutionis, non secus ac liberæ collationis, acquiri posse, colligitur ex *cap.* 6. ✠ *de Institutionibus*, cujus Rubrica habet: » Institutiones possunt de jure *speciali* ad *non Episcopos* pertinere, & pendente lite cum Diœcesano de» fenditur in possessione. « Unde monet ibidem Fagnanus » *num.* 16. certum esse, jus instituendi posse acquiri præs» criptione. «

Et quidem in citato capit. 6. respondit Innocentius III. Archidiaconum Richemundiæ esse in jure instituendi tuendum, eò quòd Archidiaconus hic probâsset, se & prædecessores suos in continua possessione instituendi fuisse; quamvis de jure communi Archidiacono *sola* institutio *corporalis* competat. *Cap.* 7. ✠ *de Officio Archidiaconi.*

VIII. Similiter in Belgio, Archidiaconis institutio etiam *auctorizabilis*, sive *tituli collativa* competit, quemadmodum notat Zypæus titulo *de Institut. num.* 4. An autem Archidiaconi *jure proprio*, sive jure suæ Dignitatis, an verò jure duntaxat delegato, & nomine Episcopi instituant, vide suprà *tit.* 22. *cap.* 4.

IX. Admodum verisimile apparet, quòd Episcopi primò soliti fuerint institutiones Præsentatorum à Patronis committere suis Archidiaconis; atque sensim hæc frequens delatio in jus Ordinariorum transierit; quemadmodum plura alia jura Archidiaconis quæsita esse notavimus *part.* 1. *tit.* 12. *cap.* 1.

X. Nec tantùm Archidiaconis, sed & aliis inferioribus Prælatis, & Capitulis jus instituendi eadem ratione acquisitum fuit. Cûm enim institutio sit quidem species collationis, sed *necessariæ*, id est, quæ fiat ad præsentationem, vel nominationem alterius, neque instituenti liberum sit, personam instituendam pro arbitrio eligere, haud difficiles fuere Episcopi, hanc collationem, seu institutionem aliis committere, & Prælatis inferioribus relinquere. Hinc passim Capitula, aut eorum Prelati gaudent jure instituendi Canonicos, aliosque suarum Ecclesiarum Beneficiatos.

XI. Jure hoc institutionis ad inferiores devoluto, contingebat, pasim in Beneficia, etiam ad præsentationem laicorum spectantia, quosvis Clericos sine defectu, & examine, aut sci-

tu

tu Episcoporum institui ; nec tantùm ad Beneficia Simplicia, sed etiam Curata ; atque hinc ulteriùs inidoneorum intrusio vel admissio sequebatur.

XII. Huic abusui occurrere volens Synodus Tridentina statuit imprimis *Sess. 7. cap. 13. de Reformat.* » Præsentati, seu » electi, vel nominati à quibusvis Ecclesiasticis personis, etiam » Sedis Apostolicæ Nuntiis, ad quævis Ecclesiastica Beneficia » non instituantur, nec confirmentur, neque admittantur, » etiam prætextu cujusvis privilegii, seu consuetudinis, etiam » ab immemorabili tempore præscriptæ, nisi fuerint priùs à lo» corum Ordinariis examinati, & idonei reperti. Et nullus ap» pellationis remedio se tueri possit, quo minùs examen subi» re teneatur. Præsentatis tamen, electis, seu nominatis ab » Universitatibus, seu Collegiis generalium studiorum exceptis. «

Deindè *Sess. 24. cap. 18. de Reformat.* » Quod si Eccle» sia Parochialis Juris Patronatûs laicorum fuerit, debeat qui à » Patrono præsentatus erit, ab iisdem deputatis Examinatoribus » Synodalibus examinari, & non, nisi idoneus repertus fue» rit, admitti. «

Denique generalius *Sess. 25. cap. 9. de Reform.* loquens de Jure Patronatûs laicorum, ait : » Adhæc liceat Episcopo præ» sentatos à Patronis, si idonei non fuerint, repellere. Quod si » ad inferiores institutio pertineat, ab Episcopo tamen juxta » alias statuta ab hac sancta Synodo examinentur : alioquin ins» titutio ab inferioribus facta, irrita sit, & inanis. «

XIII. Itaque si verba Concilii Tridentini attendamus, omnes indistinctè præsentati, & nominati ad quæcunque Beneficia, à quibuscumque Patronis, exceptis solis præsentatis, electis, seu nominatis ab Universitatibus, seu Collegiis generalium studiorum, debent, antequam instituantur, ab Ordinariis examinari, & idonei judicari : ut ita nullus in Ecclesiæ ministerium, per Beneficii collativam institutionem, sine Episcopi admissione, & approbatione assumatur.

* Non potest tamen Ordinarius prætextu hujus examinis cognoscere de jure, & titulo ipsius Præsentati, vel Electi, uti rectè observat Auctor Gallicus notarum in Concilium Tridentinum *pag.* 74. refertque, quòd cùm Episcopus Matisconensis recusâsset litteras admissionis, quas Galli *visa* vocant, proviso de Canonicatu, ad oppositionem motam contra provisum à Capitulo prætendente, Canonicatum hunc esse affectum Præceptoriæ : Provisum autem interjecisse ab ista recusatione appellationem *tanquam ab abusu* ad Parlamentum, hocque per Arrestum die 17. Julii 1601. declarâsse, malè & abusivè recusatum fuisse *visa*. (z).

XIV. Verùm praxis, seu consuetudo, hæc decreta, quantumvis suâ expressione generalia, ad sola ferè Beneficia, quibus cura animarum annexa est, restrinxit ; atque Beneficia Simplicia, sive sine cura animarum ab hoc examine exemit, uti notat Bouchel in *Summa beneficiali*, vel Claudius Blondeau, qui eam *Summam* sub titulo Bibliothecæ Canonicæ edidit, & auxit, verbo *Patronage*, *num.* 173. dicens, consuetum non esse pro Beneficiis Simplicibus examen institui. Et quotidie videmus, ab Archidiaconis, & Capitulis, aliisque jus institutionis habentibus, institui Beneficiatos sine Ordinariorum prævio examine, quando ipsis Beneficiis nulla animarum cura incumbit ; nihilque præter testimonium morum, litteras Tonsuræ, aut alterius Ordinis, vel ætatis, vel gradûs, alteriusve qualitatis, quæ ex fundatione, aut aliunde requiritur, exigi ; nullo super doctrina præmisso examine.

XV. Circa Beneficia verò, quibus cura animarum est annexa, ipsa Decreta Concilii Tridentini, examen, & approbationem Ordinandorum requirentia, ubique suum eatenus vigorem habent, ut nemo absque prævio Ordinariorum examine, & approvatione *curam* animarum Beneficiis illis annexam habere, aut exercere queat : neque illam ab alio quàm Ordinario accipere : vigetque Decretalis Alexandri III. in *cap. 4.* ✠ *de Officio Archidiaconi*, Eliensi Archidiacono scribentis : » Cùm sa» tis sit absurdum, & à Sanctorum Patrum institutionibus alie» num, ut Archidiaconus auctoritate propriâ debeat cuilibet Ec» clesiarum curam committere, ægrè nimis ferimus, quòd tu » sine mandato Episcopi tui curam animarum committis. Quo» niam igitur obtentu alicujus consuetudinis, non debes contra » sanctorum Patrum constitutiones venire, & quod ad tuum » non spectat officium, vindicare : Mandamus, ut nemini sine » licentia, & mandato Episcopi curam præsumas committere » animarum. «

XVI. Unde præter institutionem Archidiaconi, debet insuper accedere approbatio Ordinarii, qua non quidem ipse *titulus* Beneficii datur, sed cura animarum. Hæc datio curæ animarum à Canonistis secutis Glossam & Auctorem Rubricæ citati Capitis IV. nonnumquam cum institutione confunditur : cùm tamen vera institutio, sive collatio tituli non sit, quæ Archidiaconis, aliisque inferioribus Prælatis, qui tamen curam animarum dare nequeunt, etiam quoad Beneficia Curata competit.

Quapropter Capitula, aliave Corpora nihil de suo jure institutionis secedere autumant, uti nec ipsi Principes de auctoritate conferendi *pleno jure* Beneficia, & Dignitates, quamvis ipsos Beneficiatos pro animarum cura ad Ordinarium remittant.

Quinimò etsi Synodus Tridentina *Sess. 7. cap. 13.* ab examine Ordinariorum excipiat Præsentatos, electos, seu nominatos ab Universitatibus, seu Collegiis generalium studiorum, nihilominus nominatos, ab hac Universitate ad Beneficia Curata debere subire examen Ordinarii, suprà *tit 19. cap. 3. num. 24.* ostendimus.

XVII. Porrò, quia in omni institutione auctorizabili intervenit collatio Beneficii, crediderunt nonnulli, eam intra semestre juxta Decretum Concilii Lateranensis in *cap. 2.* ✠ *de Concess. Præbendæ*, esse faciendam. Verùm cùm collatio hæc non sit propriè dicta collatio, id est, voluntaria, sed necessaria, facienda ad præsentationem alterius, communior Doctorum opinio est, institutionem Decreto Concilii Lateranensis non comprehendi, neque Superiori ad instituendum de jure ullum tempus esse præfixum ; uti pluribus citatis notat Garcias de Beneficiis *parte 10. cap. 4.* monetque *num. 2.* idem esse in Beneficiis resignatis, ex causa permutationis, ad quorum collationem (ait) tempus præfinitum non est.

XVIII. Illud insuper observant, quòd factâ præsentatione, institutio in longum tempus differri nequeat. Cùm enim Patronis tempus ad præsentandum sit præfixum, ne aliàs Ecclesia diutiùs viduata, aut ministro destituta maneat, hic finis non obtinebitur, si institutio post præsentationem diutiùs protrahatur, uti rectè advertit Pyrrhus Corradus in Praxi Benefic. *lib. 4. cap. 7. num. 12.*

XIX. Ulteriùs præsentatus vi præsentationis jus ad ipsam institutionem habet : quare si Episcopus, Archidiaconus, aliusve jus instituendi habens, instituere negligat, aut recuset, recurri poterit ad Superiorem, qui tempus præfigat, intra quod id faciat, quo elapso ipso Superior supplebit, vel compellendo, vel instituendo. Ita Garcias loco citato *num. 5.*

XX. Quin & à recusata institutione Præsentatum appellare posse, tanquam à gravamine illato, probat Panormitanus aliique relati ibidem à Garzia *num. 9.* quod & quotidiana praxis comprobat.

* Quin & Ordinarii cogi possunt, ut assignent rationes, ob quas recusant institutionem, vel litteras, quas Galli *visa* nuncupare solent : id ita præscriptum est, ne aliàs in Ordinariorum arbitrio esset, frustrare Provisos jure sibi per præsentationem, vel electionem acquisito.

Latè idipsum probat Du Casse in suo Tractatu de Jurisdictione Ecclesiastica *tom. 1. cap. 5. num. 5.* ostenditque ibidem, Ordinarium non posse recusare exhibitionem causæ recusationis, eo prætextu quòd rationes recusationis *sibi soli notæ essent* ; nec eas probare posset, multisque ostendit, quàm perniciosum, quantisque incommodis obnoxium esset, si Ordinarii Provisos de Beneficiis possent rejicere ob rationes, quas sibi notas esse dicerent : rectèque ibidem applicat monitum datum Episcopis per Synodum Vasensem ann. 442. *Can. 8.* » Si » tantùm Episcopus se alieni sceleris conscium novit, quan» diu probare non potest, nihil proferat, sed cum ipso ad » compunctionem ejus secretis compunctionibus elaboret. «

Indubiè aliud esset, si ageretur de his, quæ à libera Ordinariorum commissione, & beneplacito dependent, uti suprà *tit. 5. cap. 2.* notavimus.

XXI. Quantum ad summum Pontificem qui institutionem Canonicam recusat, id refert Pinsonius in tract. *de Benefic.* ad verbum *Canonica*, *num. 71.* » Casu quo summus Pontifex » confirmationis, sive institutionis Canonicæ gratiam denegave» rit, & nominationi Regiæ Pontificias Bullas addere recusave» rit, magni Consilii Patres, vel alii, quorum ea de re notio » est, partes suas interponere solent, & candidatis, & nomi» natis Regiis, licentiam concedere adeundæ possessionis, sive » temporalis, sive spiritualis administrationis subeundæ, iis so» lis exceptis, quæ Ordinis esse dicuntur. «

XXII. Inter articulos anno 1316. à Prælatis Angliæ oblatos Regi Eduardo II. erat hic decimus tertius » Item petitur, » quòd personæ Ecclesiasticæ, quas Dominus Rex ad Benefi» cia præsentat Ecclesiastica, si Episcopus eas non admittat, ut » puta, propter defectum scientiæ, vel aliam causam rationa» bilem, non subeant examinationem laicarum personarum, in » casibus ante dictis, prout his temporibus attentatur de fac» to, contra Canonicas sanctiones : sed adeant judicem Eccle» siasticum, ad quem de jure pertinet, pro remedio, prout » justum fuerit, consequendo. «

Huic *ac potissimum Declaratio, quam Carolus VIII. Galliarum Rex, dedit 10. Martii anni 1431. Quod etiam in Hispaniæ Dominiis stabilitum est per leg. 14. 16. 17. 18. 19. & 20. tit. 3. lib. 1. Recop.*

(z) *In Galliis Patroni, & Collatores Beneficiorum tenentur inquirere, an Clerici, quibus Beneficia conferunt, sint ortu, & origine Galli, vel Regis indulgentia, & facultate in Album Gallorum relati : id enim jubent Regni Gallici Edicta*

Huic postulationi respondit Rex : » De idoneitate perso-» næ præsentatæ ad Beneficium Ecclesiasticum pertinet exami-» natio ad judicem Ecclesiasticum. Et ita est hactenus usita-» tum , & fiat in futurum. « Tomo 11. Concilior. General. *col.* 2466.

Hinc duo colligimus. Primum , quòd ipsi Prælati Angliæ agnoscant , Præsentatis , seu nominatis esse jus appellandi ad novum examen. Secundò à Prælatis ad judicem Ecclesiasticum pro remedio hoc casu esse recurrendum ; ipsumque Regem judicâsse , de idoneitate personæ præsentatæ ad Beneficium Ecclesiasticum examen pertinere ad judicem Ecclesiasticum , & ita hactenùs fuisse usitatum , & fieri debere in futurum.

XXIII. Cùm quidam Subdiaconus exposuisset Alexandro III. se fuisse præsentatum per Abbatem S. Petri Catalaunensis ad quandam Ecclesiam Episcopo Suessionensi , ut eum de prædicta Ecclesia investiret, & animarum ipsi curam committeret; quodque memoratus Episcopus Suessionensis eam dare recusaret , scripsit Alexander III. Abbati S. Remigii , & Archidiacono Remensi : » Quia indecens est, & penitùs obvium rationi, » ut prænominato Subdiacono , nisi pro manifesta & rationabi-» li causa , plebis cura denegetur : discretioni vestri per Aposto-» lica scripta præcipiendo mandamus , quatenus infra 40. dies » post harum susceptionem prædictum Episcopum monere , ac » propensiùs inducere studeatis , ut prædictum Subdiaconum de » præscripta Ecclesia investiat , & animarum sibi curam com-» mittat ; aut quare id facere non debeat , coram vobis rationa-» bilem causam ostendat. Quod si monitis vestris obtemperare » contempserit , vos nostra freti auctoritate sæpè dictum Sub-» diaconum , omni dilatione , & appellatione cessante , de præ-» dicta Ecclesia investiatis , & animarum sibi curam committa-» tis : ita quidem quòd memorato Episcopo de plebis cura , præ-» dicto verò Abbati de temporalibus debeat respondere. « Tomo 10. Concil. General. *col.* 1274.

XXIV. Idipsum & recentiores Synodi voluerunt, id unum tamen cautum volentes , ne Superior , ad quem appellatur, collationem ab Ordinario negatam concedat, nisi causis recusationis integrè discussis.

» Si præsentato , & petenti collationem sibi dari de quocun-» que Beneficio , renuerit Episcopus dare , cogatur causas re-» cusationis suæ in scriptis exprimere : nec liceat Superiori col-» lationem decernere , nisi priùs discussis causis , & judicatis, » propter quas Episcopus recusaverit collationem dare , alioquin » Superioris collatio nulla erit."

Ita Synodus Rothomagensis anno 1581. tit. *de Episcoporum Officiis , num.* 26. Idem quoque statuit Synodus Remensis tit. *de Episcopis , num.* 18.

XXV. Edicto Blesensi *art.* 13. decretum quoque fuit in Gallia, » quòd si obtinentes collationem , aut præsentationem re-» perti sint inidonei , & insufficientes , Superior, ad quem re-» current , non poterit eis dare provisionem , nisi informatus de » causis recusationis , quas eum in finem Ordinarii tenebuntur » exprimere , & inserere instrumento recusationis. «

Illud tamen eodem Edicto *art.* 12. additum erat , quòd si Ordinarius approbationem , seu *Visa* , ut vocant , dare recuset, quòd supremi Regii Senatûs coactione adversus Ordinarium non utentur , sed partes remittent ad Superiorem Ecclesiasticum , ut ab eo provisionem obtineant.

Plura tum posteriora Regum Edicta , tum Parlamentorum Arresta prædictis articulis conformia , videri possunt in Actis Cleri Gallicani *tom.* 2. *part.* 2. *tit.* 4.

XXVI. Hæc & praxi Belgii consona sunt. Si enim Præsentato , aut nominato Ordinarius collationem , aut curam animarum dare renuat, nihil usitatius , quàm ad Superiorem recursus , coram quo Ordinarius causam recusationis allegare tenetur; & si defectus sufficientis scientiæ allegetur , novum examen instituitur. (a)

XXVII. Hinc non difficile est intelligere , qua ratione ipsa institutio , quæ præter præsentationem Patroni requiritur ; ipsaque datio curæ animarum ab Ordinario danda , meritò dicatur collatio & provisio *necessaria* ; cùm vix negare eam cum effectu possit Ordinarius Præsentato , nisi impedimentum canonicum ipsi Præsentato obstare , probare queat.

XXVIII. Ulteriùs inde deduci potest , quàm verum sit, præcipuas in provisione Beneficii Patronati esse partes Patroni præsentantis ; utpotè , qui totius provisionis ponit fundamentum, ipsumque Ordinarium quodammodo constringit , ut huic personæ præsentatæ collationem Beneficii faciat ; tametsi eam minùs , aut vix idoneam sciat : ut proinde jure merito Patroni soliciti sint , quas personas ad Beneficia præsentent ; ipsisque frequenter magis , quàm ipsis Ordinariis imputabitur , si minus idonei ad similia Beneficia promoveantur.

(a) *Huic praxi Galliæ & Belgii conformis est Hispana.*

CAPUT II.

De Possessione , et forma eam accipiendi.

1 *Olim immissio in possessionem nota non fuit.*
2 *Postmodum exemplo feudorum invaluit.*
3 *Immissio in possessionem competit Beneficiorum Collatoribus; & quare.*
4 *Episcopo de jure communi ea competit.*
5 *Quomodo jus mittendi in possessionem ad Archidiaconos transierit.*
6 *Archidiaconi hodie eam Archipresbyteris committunt.*
7 *Prælati inferiores eam quoque dare consueverunt, idque etiam jure* Archidiaconali.
* *Utrum qui jus habent admittendi ad possessionem corporalem possint de jure Provisi cognoscere.*
8 *Collatores Ordinarii immissionem in possessionem possunt aliis committere ; & quibus hodie committere soleant.*
9 *Per quemlibet Clericum , aut Notarium Apostolicum possessio dari potest juxta ordinariam clausulam litteris collationis insertam.*
10 *An Notarius Regius sufficiat.*
11 *Quâ formâ uti debeat Clericus mittens in possessionem.*
12 *De externis & corporalibus symbolis , per quæ possessio realis traditur*
13 *Quid si Ecclesiam ingredi impediatur ad capiendam possessionem.*
14 *Clericus inducens in possessionem non cognoscit de justitia tituli.*
15 *Possessio accipi potest per procuratorem habentem* speciale *mandatum.*
16 *Exemplo Vassalli decretum jam pridem fuit , ut Beneficiati promittant Episcopis obedientiam.*
17 *Quod juramentum hodie præstent Provisi de Beneficiis Parochialibus.*
18 *Formula juramenti præstandi à provisis de Beneficiis Simplicibus.*
19 *Provisi de Dignitatibus , & Canonicatibus in Ecclesiis Cathedralibus , professionem fidei facere debent ex præscripto Synodi Tridentinæ.*
20 *An Decretum hoc etiam obstringat Canonicos Collegiatarum Ecclesiarum.*
21 *Canonici solent ante admissionem ad possessionem jurare observantiam Statutorum.*
22 *In his Statutis nonnunquam aliqua illicita occurrunt.*
23 *Meritò à Canonicis ante juramentum Statuta expenduntur.*
24 *Prælati curam Capitulorum habentes , ea meritò examinant: & Decretum Synodi Antuerpensis id præcipiens.*
25 *Idipsum meritò fieret circa juramenta opificiorum , & Academiarum.*
26 *Nonnulli à Beneficiatis exegerunt* Homagium *simile illi, quòd Vasallus promittit Domino directo.*
27 *Hæc Homagii exactio tanquam sapiens Simoniam , vetita fuit.*
28 *Multum differt à promissione Canonicæ obedientiæ.*
29 *In admissione ad possessionem solent certa jura exigi.*
30 *Quid de hac exactione habeant Decretales Gregorii IX.*
31 *Quid Synodus Tridentina , & posteriores Synodi.*
32 *Meritò ea Decreta expendunt , qui jura illa exigunt.*
* *An Decretum Concilii Tridentini Annatarum solutionem, vel exactionem improbet.*

I. Vigente pristina disciplina , quæ Beneficia ab Ordinatione non sejungebat , sed Clericis in ipsa Ordinatione, non secus atque hodie per Beneficiorum collationem , & institutionem , certis Ecclesiis alligabat , iisque una jus vivendi ex proventibus Ecclesiæ , cui alligati erant , tribuebat , incognita fuit , quæ hodie vocatur *institutio auctorizabilis* , item quæ hanc subsequitur , missio in possessionem , sive institutio corporalis.

II. At postquam erecta fuêre Beneficia Ecclesiastica , eaque separatim ab ipsa Ordinatione conferri cœperunt ; unà invaluere institutio , & missio in possessionem , idque exemplo feudorum , à quibus (uti notavimus *tit.* 18. *cap.* 1.) Beneficia suam originem habent.

Quapropter , sicuti post fictam , ut vocant , feudi investituram , quæ Beneficiorum institutioni *auctorizabili* respondet, nec non præstitum fidelitatis juramentum , aliasque cæremonias prærequisitas , Dominus directus tenetur Vassallum verè , & *corporaliter* investire , seu veram , & realem investituram dare, ita quoque receptum , quòd post datam institutionem collativam sequi debeant institutio corporalis , sive missio in possessionem.

Unde Petrus Gudelinus in tractatu de *Jure feudorum, part.* 2. *cap.* 9. postquam dixit , investituræ fictæ , sive civili eam quidem vim esse , ut Vassallum ita investitum Dominum utilem fa-

faciat, tribuatque ei possessionis ingrediendæ facultatem; sed tamen eum possessorem non constituat, priusquam is corpore rem apprenderit, neque investituræ feudali vim hanc tributam esse, subjungit: » In quo similis illa institutioni, seu investitu» ræ, quæ fit de Beneficiis Ecclesiasticis: quippe per hanc Cle» ricus quidem jus in Beneficio acquirit, sed nondum posses» sionem, donec in eam separato actu fuerit inductus.“ *Cap. Per tuas*, ✠ *de Donationibus.*

III. Sicuti autem ad Dominum spectat investire vassallum, seu in possessionem mittere; ita quoque ad Beneficiorum Collatorem spectat Beneficiatum in possessionem mittere. Qui enim Beneficii Collator est, is ipsum Beneficium dare censetur, dationis autem complementum est traditio possessionis rei donatæ. Unde ait Rebuffus in Praxi Benefic. *part.* 1. *tit. de Missione in possessionem*, *num.* 12. » Ordinarius, qui confert, » Archiepiscopus, Episcopus, vel alius, potest mittere in pos» sessionem.“

IV. Unde sicuti collatio Beneficiorum de jure communi spectat ad Episcopum, ita & missio in possessionem.

Hinc interrogatus Innocentius III. an viri Religiosi vigore indulti Apostolici convertendi Ecclesias suas decedentibus personis in proprios usus, possint licitè propriâ auctoritate possessionem earundem intrare, vel per Diœcesanum Episcopum in ipsa potiùs sint inducendi: Respondit Pontifex, » Suo Episcopo » inconsulto, in possessionem earum eis non est licitum introi» re; quia per indulgentiam hujusmodi *Episcopali juri* non cre» dimus derogari.“ *Cap.* 19. ✠ *de Privilegiis.*

V. Porrò sicuti ipse Dominus feudi potest missionem in possessionem alteri delegare; ita quoque Collatores ordinarii inductionem Beneficiati in possessionem aliis commitere possunt.

Et quidem cùm ipsa inductio in possessionem, seu institutio corporalis tantùm sit quædam sequela, quasi necessaria ad ipsam collationem, seu institutionem auctorizabilem, soliti jampridem fuêre Episcopi eam Archidiaconis, tanquam Vicariis suis delegare; eaque delegatio sensim in jus quoddam Archidiaconale transivit; ut propterea Innocentius III. in *cap.* 7. ✠ *de Officio Archidiaconi*, enumerans munia Archidiaconorum, inter alia dicat, quòd institutio *corporalis*, » tam super Benefi» ciis, quàm Dignitatibus ad (Archidiaconum) debeat pertine» re.“ Ex hoc Innocentii dicto concludunt uno consensu Canonistæ, de jure communi hodie institutionem competere Archidiacono.

VI. Postquam moribus tandem invaluit, Archidiaconis etiam institutionem auctorizabilem, seu tituli collativam competere, difficileque visum fuit, Archidiaconum accedere ad locum Beneficii, ut Beneficiatum in possessionem inducat; plerisque in locis ea Archipresbyteris ruralibus committitur, ut etiam notat Zypæus *tit. de Institution. n.* 4.

VII. Hoc insuper notat: » Collegia porrò, & Capitula pas» sim collegas in possessionem mittunt, ac titulum admittunt à » Patronis fortè datum, quòd est vice canonicæ institutionis: » nisi sicubi fortè in erectionibus Collegiorum Archidiaconi cu» rârunt sua jura institutionis præservari, ut Hoochstratæ.“

Notandum autem, quòd Decani Collegiorum, vel Capitulorum inducentes Collegas, vel Beneficiatos suarum Ecclesiarum in possessionem, dicant, se id facere jure suo *Archidiaconali*, quasi ea in parte jus Archidiaconale exercentes.

* Prælati, vel Capitula, quibus competit jus admittendi, & introducendi Beneficiatos in corporalem possessionem, vigore institutionis canonicæ à Collatoribus ordinariis, eorumve Archidiaconis obtentæ, non possunt sibi vindicare jus cognoscendi de validitate ipsius tituli, eoque prætextu possessionem recusare, non magis quàm Ordinarius, à quo provisus institutionem, vel *visa* petere debet, ut suprà dictum est.

Idipsum adstruit Renatus Choppinus *de sacra Politia*, *cap.* 8. *num.* 2. prolatis eam in rem pluribus Parlamentorum Arrestis; testaturque Carolus Molinæus ad Regulam Cancellariæ de *Infirmis resignantibus*, fuisse auctoritate Parlamenti Parisiensis prohibitum Capitulo Carnotensi adhibere causæ cognitionem in Præbendarum collationibus.

Ad hunc textum Molinæi Gregorius Louetius *num.* 40. fatetur quidem, id pluribus Arrestis firmatum esse; addit tamen: » Ego verò (ait) semper existimavi Capitula ad novorum Cano» nicorum receptionem non compellenda, quando aut corporis, » aut animi vitia *notoria* sunt: puta si lepræ morbo laborant; si » ex causa infamante condemnati fuerint; si illegitimi; si repug» nant Capituli statuta: supplicationis enim viâ, superiorem, aut » summa Tribunalia adire possunt, ut vocato detentore illegiti» mo, super negotio statuatur, & interea nihil contra Ecclesiæ » statuta, & juris rationem moliatur.“

VIII. Sed hæc obiter dicta sint. Cæterum sicuti Ordinariis Collatoribus liberum est ut per se in possessionem mittere queant, ita & id alteri cuicunque delegare possunt. Et quidem juxta stylum hodiernum » in collationibus Episcoporum, vel aliorum » solet mandari quibuslibet Ecclesiasticis personis, ac Tabellio» nibus, vel Notariis, ut inducant in possessionem talem Pro» visum: “ uti notat Rebuffus *loco citato*, *num.* 13. & patet ex formula collationis, & provisionis Ordinariorum, qua refert Rebuffus *in Praxi Beneficior. pag.* 20. *edit.* 1664.

IX. Unde ibidem monet Rebuffus: » Hodie per quemlibet » Sacerdotem, vel Clericum, vel per Notarium Apostolicum, » vel ab Episcopo creatum, potest quis in possessionem mitti.“

Interdum autem (ait Rebuffus *num.* 14.) Presbyter ponit in possessionem, & Notarius hoc attestatur, cujus attestationis formam ibi ad longum inserit Rebuffus. Observandum tamen præter Notarium debere adesse, ut minùs, duos testes, qui unà cum Notario de capta possessione testentur; super quibus Notarius instrumentum conficit.

X. Notarium debere esse *Apostolicum*, ut mittat in possessionem, monet ibidem Rebuffus *num.* 50. » Quia *Regius* non » est ad hoc Notarius (ait) sed tanquam privatus; & per Re» gem creatus est non ad hoc.

» Posset tamen Notarius Regius (ait *num.* 21.) si Presbyter » induceret in possessionem Curatum, vel aliquem Provisum, » attestari de hac missione in possessionem, & probaret hæc » missio; quia de his, quæ fiunt ante eum, attestari potest.“

Clericus verò mittere volens aliquem in possessionem, debet inspicere litteras collationis, suamque in iis expressam commissionem, eamque sequendo dicere: » Ego auctoritate Reveren» di D. Episcopi N. & in vim litterarum collationis ab eo factæ, » induco te in possessionem talis Beneficii N. (quod nominare » debet) & universorum jurium, & pertinentium dicti Bene» ficii, &c. « Ita Rebuffus *num.* 24.

XI. Adhæc immissio in possessionem requirit, ut cum ipsa pronuntiatione formæ quædam externa symbola realiter adhibeantur, per quæ apparet, quòd provisus possessionem accipiat; quæ symbola pro conditione Beneficiorum, & locorum consuetudine varia sunt.

XII. In Beneficiis Curatis, seu Parochialibus solet dari possessio per ingressum Ecclesiæ: » nam qui fundi possessionem » adipisci vult, introire fundum debet, non quamlibet ejus » partem circuire, « ait Rebuffus *num.* 26.

Secundò, per aspersionem aquæ benedictæ. » Ad Presby» terum enim & ad Curatum spectat aquam benedicere, & be» nedictam aspergere, ut populus ea aspersione sanctificetur, » & mundetur, & sic mundus ad altare veniat. « Rebuffus ibidem *num.* 27.

Solet quoque addi osculum majoris altaris: quia in majori altari debet celebrare Curatus, & pacem facere cum Deo, & orare pro populo ut Deo uniatur.

Tactus insuper libri Missalis, vel Antiphonarii, seu alterius libri Sacramentorum, qui in Beneficiis simplicibus esse solet symbolum possessionis. Canonici autem induci consueverunt per assignationem loci in Capitulo, & Stalli in Choro.

XIII. Hoc insuper notandum, quòd si ingredi Ecclesiam nequeat, possit tunc etiam capi possessio per tactum pessuli, vel ostii; imò aliquando accipitur possessio per aspectum pinnaculi Ecclesiæ, uti tradit Rebuffus loco citato *num.* 34. & latiùs in præfatione ad tractatum de *materia possessoria*, *tom.* 3. *ad Constit. Regias*, potestque sic adeptus possessionem agere possessorio.

Formulam adipiscendi hoc modo possessionem exhibet Claudius Horry in tractatu de *Materiis Beneficialibus*, *pag.* 594. è qua videri poterit, quid hîc observari debeat.

XIV. Clericus autem, vel Notarius inducens in possessionem tantùm est nudus minister; ideoque non recipit cognitionem de justitia tituli, vel collationis, nec differt mittere in possessionem: » sed postea Judex, coram quo causa agetur, » cognoscet, & pars, quæ est in possessionem missa, impetrat » litteras à Rege, vel à quibusdam Seneschalis, qui ad hoc » potestatem habent; in quibus convenitur pars ad videndum » provisum manuteneri in possessione, & saisina, in qua est. Et » pars se opponet, & jus eidem dicetur coram Seneschallo, » vel Baillivo: & baptizantur (ut Dicanici dicunt) contrariæ posses» siones, & allegantur: postea producuntur tituli, & sequestratur » Beneficium, vel credentia conceditur. « Hæc Rebuffus, *num.* 43. & 44. latiùs verò de hac agendi forma infrà, *part.* 3. agemus.

XV. Denique posssessio potest capi etiam per procuratorem speciale mandatum habentem. Idem speciale mandatum signanter requiritur, quia præviè præstari solet juramentum, quod præstandum est *in animam* constituentis; quod sine *speciali* mandato fieri nequit.

XVI. Quemadmodum Vassallus ante investituram tenetur ipsi Domino directo juramentum fidelitatis præstare; ita jam pridem cautum fuit, ut Beneficiati, præsertim de Beneficiis Curatis provisi, obedientiam suo respectivè Episcopo promittere, vel jurare teneantur.

Hodie in ordinatione promittunt Presbyteri Episcopo suo *obedientiam & reverentiam.*

XVII. Provisi de Ecclesiis Parochialibus hodie juxta Decretum Synodi P. II. Mecliniensis ante admissionem ad possessionem hac formulâ jurare debent: » Ego N. juro, & promit» to

» to obedientiam, reverentiam, & honorem summo Pontifici „ Romano, ac R. Domino Episcopo N. eorumdemque successo- » ribus. Item juro, & promitto Ecclesiæ meæ Parochiali de N. » fideliter deservire, secundum oneris illi annexi exigentiam, » & in eo personaliter residere: bona Pastoratûs, vel Eccle- » siæ meæ non alienabo; indebitè alienata, quantum in me erit, » fideliter recuperare studebo. Specificationem omnium fructuum » Pastoratûs mei, cum debita designatione hypothecarum, li- » mitum, & terminorum intra annum à festo Nativitatis & » Joannis Baptistæ proximè venturo, Archipresbytero tradam; » fructus anni, in quo me mori, aut meam Eclesiam dimit- » tere continget, subjicio, & obligo ad laudabilem deservitu- » ram, usque ad festum Nativitatis S. Joannis Baptistæ, mor- » tem, vel dimissionem meam proximè subsecuturum. Sic me » Deus, &c. «

Hujus juramenti præstandi obligationem renovavit Synodus D. Mechliniensis anno 1609. *tit.* 16. *cap.* 1. vultque illud præstari coram Archipresbytero, & duobus testibus; ac insuper professionem fidei juxta formam à Pio IV. præscriptam; utrumque ab eo præstitum esse Archipresbyter in registro suo annotabit, cum expressione diei, & testium.

XVIII. Ex præscripto hujus Diœcesanæ Synodi eodem titulo *cap.* 2. » Adepturus deinceps quodcunque Beneficium non » Curatum, præstare debet juramentum coram Archipresbytero, » & duobus testibus, antequam possessio ei detur, quòd spe- » cificationem omnium fructuum ejusdem sui Beneficii cum de- » bita designatione hypothecarum, limitum, & terminorum, » intra sex menses Archipresbytero tradet, & dies præstiti ju- » ramenti, & nomina testium registro Archipresbyteri exac- » tè inscribentur. «

Similis juramenti formula à Provisis de Ecclesiis Parochialibus, vel simplicibus Beneficii præstandi in omnibus passim Belgii Diœcesibus extat, & ante immissionem in possessionem exigitur.

XIX. Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* vult, ut » provisi de Canonicatibus & Dignitatibus in Ec- » clesiis Cathedralibus, non solum coram Episcopo, seu ejus » Officiali, sed etiam in Capitulo idem (scilicet Orthodo- » xæ fidei publicam professionem) facere teneantur; alioquin » prædicti omnes, fructus non faciant suos; nec illis possessio suf- » fragatur.“

XX. De Canonicis Collegiatarum Ecclesiarum non loqui Synodum Tridentinam in hoc Decreto agnoscit Synodus D. Mechliniensis *tit.* 1. *cap.* 4. » Quia tamen (ait) temporum calami- » tas, & invalescentium hæreticorum malitia cogit, ut nihil » prætermittatur, quod ad populorum ædificationem, & Ca- » tholicæ fidei præsidium, videatur posse pertinere; mandamus » ut omnes ac singuli Canonicatus, aut Dignitates in Eccle- » siis Collegiatis deinceps obtenturi, faciant fidei professionem » singuli in Capitulo suo, antequam residere incipiant. «

Verùm nec in hac Diœcesi Mechliniensi in omnibus Ecclesiis Collegiatis hujus Decreti usus viget, neque Canonici ante immissionem ad residentiam, publicam hanc fidei professionem emittunt. Qui non usus eo tolerabilior est, quòd hodie plerique ante adeptionem hujusmodi Canonicatuum, eam professionem in susceptione Ordinis sacri, vel Gradus Academici præstiterit.

XXI. At Canonici tam Collegiatarum, quam Cathedralium Ecclesiarum communiter jubentur ante adeptionem possessionis jurare, quòd Canonicum habeant ingressum, quodque statuta Capituli observabunt; bona quoque, ac jura, & privilegia pro posse tuebuntur, & conservabunt, neque secreta Capituli revelabunt.

XXII. De hoc Canonicorum juramento loquens seculo XVI. Synodus Coloniensis *part.* 3. *cap.* 19. deplorat, quod » ferè » quotquot sunt Cathedrales, & Collegiatæ Ecclesiæ suum ha- » beant volumen peculiarium statutorum, quæ interdum pro af- „ fectu privato cujuslibet augentur, ac crescunt. Inter hæc re- » perias (ait) quam plura, quæ *quæstum* magis, quàm pieta- » tem resipiant. «

Deinde ulteriùs dicit: » Et quantumvis pleraque inter hæc » *iniqua* reperias, adiguntur tamen omnes, qui recens admit- » tuntur, ut ad hujusmodi statutorum observationem (etiam pe- » nitùs ignari quid contineant illa) citra unum delectum jure » jurando se alligent: cùm tamen jur amentum non debeat es- » se iniquitatis vinculum, nec ad ignota extendi.“

Similiter Synodus Trinentina *Sess.* 24. *cap.* 14. *de Reform.* evidenter supponit, nonnunquam inter constitutiones, seu statuta Capituli, etiam à Sede Apostolica confirmata, reperiri nonnulla, quæ *simoniacæ labis*, aut *sordidæ avaritiæ* suspicionem habent.

XXIII. Quapropter meritò Provisi de Canonicatibus, priusquam hujusmodi juramenta faciant, seriò, & singillatim satatuta quorum observantiam jurare debent, expendent, ne aliàs vel temerariè, & sine judicio jurent, vel iniqua juramento confirment.

XXIV. Prælati quoque, aliique, quibus Capitulorum directio incumbit, non immeritò hujusmodi juramenta examinant, expenduntque, num ea, quæ jurantur, non tantum per se sint licita, & honesta, sed insuper, an pro temporum, & locorum conditione observari queant.

Quare rectè statuit Synodus Antuerpiensis ann. 1610. *tit.* 17. *cap.* 10. » Ut statuta singulorum Capitulorum, & juramenta ab » admittendis ad Beneficia præstari solita, decretis Concilii Tri- » dentini consentiant; exhibebuntur nobis omnia antiqua statuta, » & juramenta examinanda, ut si quæ in iis fortè reperiantur » supradicti Concilii Trident. repugnantia, emendentur.“

XXV. Et dein *cap.* 11. addit: » Hortamur autem in Do- » mino omnes, quos ea res concernit, ut revideant, atque per- » pendant juramenta antiqua, quæ ab admittendis ad officia, » opificia, aliaque munia præstari solent, eo fine, ut quæ in » usum deduci non possunt, omittantur.“

Optandum planè, ut juramenta, quæ ubique, etiam in Academiis, admodum frequentia sunt, & passim sine ulla penè advertentia, aut discussione tanquam quædam formula nihil signigficantes, à promovendis ad Officia, & Gradus leguntur, & emittuntur, reviderentur; atque superflua, & quæ in usum nunquam deducuntur, neque deduci possunt; imò nec à jurantibus, nec exigentibus frequenter satis intelliguntur, omitterentur: eaque sola conservarentur, quæ publica necessitas, aut utilitas exigit; utque in veritate, judicio, & justitia juraretur, tum sedulò attenderetur.

XXVI. Nonnulli Prælati non contenti promissione Canonicæ obedientiæ, etiam *homagium* è Clericis ad Beneficia, aut Ordines promovendis exigebant, idque non absimile ei quod Vassallus ratione feudi, & tanquam *homo* ipsius Domini directi, debet exhibere Domino directo; de quo, variisque ejus speciebus, & formulis, quibus à Vassallo exhibetur Domino, latè agit Du Cange in Glossario, verbo *Hominium*, seu *Homagium*.

XXVII. Hoc ex omnibus formulis præstandi *homagii* evincitur, professionem homagii tendere ad exhibitionem servitiorum temporalium, atque fidelitatem servandam in tuendis juribus, aut etiam vita temporali ipsius Domini. Proindè meritò jam pridem judicatum fuit, hujusmodi Homagium à Clericis exigi non posse; imò pro spiritualibus hujusmodi professionem exigere, Simoniacum esse, creditum est.

» Indignum est, & à Romanæ Ecclesiæ consuetudine alie- » num, ut pro spiritualibus facere quis *Homagium* compella- » tur, « ait Pontifex in *cap. fin.* ✠ *de Regulis Juris.*

In vita S. Guillielmi Abbatis Divionis apud Bollandum ad 1. Januarii *cap.* 3. legitur, eum maluisse S. Ordinis susceptionem differre, quàm assertione *jurisjurandi fidelitatem* Episcopo promittere: » Quia salubriter non poterat perpendere, ut pro his, » quæ solius Dei imperio *gratis* præstari debent, horum » ministro alicujus firmandæ (b) fide assertionem ullo modo » exhiberet. «

XXVIII. Hac de re ad quendam Episcopum scribens S. Fulbertus Episcop. Carnotens. *epist.* 24. ostendit, plurimun interesse inter promissionem canonicæ obedientiæ, & fidelitatis professionem. » Si Abbas S. Benedicti (ait) de vestro contemptu » culpam suam cognoverit, & illam deinceps subjectionem pro- » miserit, quæ vobis canonicè debetur, hortor, & suadeo ut » recipiatis: Sacramenta verò, & cætera, quæ ad *mundanam* » legem pertinent, propter amorem Regis missa faciatis; ut Re- » ligionem magis quàm secularem ambitionem vos sectari cog- » noscat. At si Abbas in tantam superbiam intumuerit, ut ipsam » quoque subjectionem *canonicam* vobis derogare contendat, su- » perbiæ, cui non parcit Deus, Dei servus quomodo parcat, » nescio. «

Prælati, & Canonici, qui nonnunquam à Beneficiatis suisque Vicariis exigunt servitia, & obsequia temporalia, meritò perpendunt, an re ipsa sibi *Homagium* pro spiritualibus exhiberi non petant.

XXIX. Denique, sicuti Dominus directus à novo Vassallo juxta consuetudines feudorum exigere solet certa jura, quæ *Relivia* dici solent, ita jam pridem Prælati nonnulli, item Archidiaconi, & Canonici in admissione Beneficiatorum voluerunt: quam consuetudinem tum à Pontificibus, tum Conciliis sæpiùs reprobatam legimus.

XXX. In *cap.* 9. ✠ *de Simonia* refertur ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. » Cùm in Ecclesiæ corpore omnia » debeant ex charitate tractari, & quod *gratis* receptum est, » *gratis* impendi: horribile nimis est, quòd in quibusdam Ec- » clesiis locum venalitas perhibetur habere, ita ut *pro Episcopis* » *vel Abbatibus, seu quibuscunque personis Ecclesiasticis po-* » *nendis in sede* (sedem) *seu introducendis Præsbyteris in Ec-* » *clesiam* aliquid exigatur. Putant plures ex hoc sibi licere, quia » legem mortis de *longa* invaluisse *consuetudine* arbitrantur: non » satis, quia cupiditate cæcati sunt, attendentes, quòd tantò „ gra-

(b) *Apud Bollandum largitur* sanandæ fidei.

» graviora sunt crimina, quantò diutiùs animam infelicem tenue-» rint alligatam. Ne igitur hoc de cætero fiat, & *vel pro per-» sonis Ecclesiasticis deducendis ad Sedem, vel Sacerdotibus » instituendis* aliquid exigatur, districtiùs inhibemus. Si quis au-» tem contra hoc venire præsumpserit, *portionem cum Giezi* se » noverit habiturum, *cujus factum turpis muneris exactione » imitatur.* «

Et Innocentius III. in *cap.* 36. ✠ *de Simonia*, rescripsit Archiepiscopo Cantuariensi, ut » pravam consuetudinem de » sua Provincia studeat abolere, per quam pro investitura, Ar-» chidiaconi *marcham* argenti, minores verò Decani *vacam al-» bam* sibi dare postulant, vel certam solvi pecuniæ quantitatem. «

XXXI. Plura in hanc rem Pontificum, & Conciliorum Decreta retuli in Tractatu *de Simonia circa Beneficia*, *parte* 1. *cap.* 2. §. 3. ac unà Decretum Concilii Tridentini *Sess.* 24. *cap.* 14. *de Reform.* detestantis, & reprobantis omnia, quæ à Canonicis exiguuntur à novis Canonicis, convertenda in suum proprium commodum in admissione ad possessionem; quibus addi potest Decretum Synodi Audomarensis anno 1484. *tit.* 12. *cap.* 10. » In admissione novi Canonici ad possessionem ni-» hil exigatur, quod in pios usus non convertatur, & à no-» bis probatum sit; non pecunia, non prandium, non aliud » quidvis, quod in cæterorum Canonicorum commodum cedat, » quacunque consuetudine etiam immemorabili non obstante. «

Dein §. 2. retuli ex Spicilegio Dacherii Epistolam Honorii II. ad Episcopum & Clerum Leodiensem, qua reprobat, & *detestabilem* vocat consuetudinem Patriæ Leodiensis exigendi per Decanos, & Archidiaconos *determinatam peccuniam* de *investituris* Ecclesiarum, & Altarium.

XXXII. Hæc meritò perpendent, qui sine ullo scrupulo, sola consuetudine se securos esse existimantes, jura etiam notabilia in admissione ad possessionem exigunt, & extorquent; & nisi iis prævìè solutis, possessionem dare renuunt, atque denegatione possessionis Provisos ad dandum cogunt: qui indubiè nonnunquam ad redimendam vexam licitè solvunt, tametsi exigentes forsan illicitè accipiant; ut hîc applicari subinde queat illud Christi dictum: *Beatius magis est dare, quam accipere*, Actor. *cap.* 20. *v.* 35.

* Quandoquidem per Decretum Concilii Tridentini suprà relatum improbaretur consuetudo quidpiam exigendi, aut ex fructibus deducendi in collatione Beneficiorum, aut admissione ad eorum possessionem, Decretum hoc Gallis perplacuisse scribit Historicus Concilii Tridentini *pag.* 689. Editionis Latine 1658. dicentibus, iis verbis tolli solutionem *Annatarum*: » Et sanè (ait Historicus) qui ea consideratè examinat, alium » iis sensum non temerè appinget, utcumque eventus osten-» derit, Romæ caput illud longè aliter intellectum esse.

CAPUT III.

De Regula Cancellariæ, De Annali Possessore.

1 *Quis primus Regulæ auctor; & quæ ejus origo.*
2 *Textus Regulæ exhibetur.*
3 *In Gallia recepta.*
4 *Quis præcipuè ejus scopus.*
5 *Habet locum in provisione Papæ etiam motu proprio expedita.*
6 *Hæc regula locum habet, tametsi possessor sit omni titulo destitutus.*
7 *An procedat in spoliatore: item in non habente titulum coloratum.*
8 *Non propterea incapaces foventur.*
9 *Quomodo contra intrusos procedi possit, non obstante hac Regula.*
10 *Regula non habet locum in provisionibus Ordinariorum.*
11 *Regula requirit annalem possessionem tempore impetrationis.*
12 *Debet esse* pacifica *possessio; & quæ talis habeatur.*
13 *Non desinit esse pacifica, quia possessor nullos fructus percipit, etiamsi iis per sententiam esset privatus.*
14 *Impetrans Beneficium annalis pacifici possessoris debet qualitatem, & gradum possessoris, & temvus continuatæ possessionis exprimere: sed quoad hoc Regulæ derogari solet.*
15 *Quoad tempus instituendæ, & prosequendæ litis, Regula hîc non obtinet.*
16 *Neque quoad solutionem expensarum, interesse, & mulctæ.*
17 *Quomodo intelligenda clausula regulæ de nullitate provisionis.*

I. PRimus hujus Regulæ auctor est Eugenius IV. uti notavit Gomezius *in præfatione hujus Regulæ*; eamque ad imitationem Feudorum conditam credit. » Jura enim Feudo-» rum, quæ disponunt Vassallum *per annum* possidentem, » sciente & non contradicente Domino, investitum præsumi de-» bere, adeo quòd ex tali possessione, sine titulo contra Do-» minum se defendere poterit, certè potuerunt dare causam, ut » ad similitudinem illorum jurium de *annali* possessione in ma-» teria feudali loquentium, ista Regula constitueretur: Nam » dispositio loquens de feudis in Beneficiis Ecclesiasticis trahitur, » & procedit, ut latè probat Decius *in consilio* 76. « Hæc Gomezius *loco citato.*

II. Regulam, prout ab Eugenio IV. primùm edita fuit, refert Gomezius, cui à Julio III. nonnulla edita fuerunt; quam additionem subsequentes Pontifices retinuerunt, eaque formula hodie exprimitur, estque 35. inter Regulas Cancellariæ.

» Item S. D. N. ut improbi lites exquirentium motus repri-» mantur, voluit, statuit, & ordinavit, quòd quicunque Be-» neficium Ecclesiasticum tunc per annum immediatè præceden-» tem pacificè possessum, & quod certo modo vacare præten-» ditur, deinceps impetraverit, nomen, gradum, & nobilita-» tem possessoris ejusdem, & quot annis ipse illud possederit, » ac specificam & determinatam, ex qua clarè poterit consta-» re, quòd nullum ipsi possessori in dicto Beneficio jus com-» petat, causam hujusmodi impetrationis exprimere, & infra » sex menses ipsum possessorem ad judicium evocari facere, » causamque ex tunc desuper infra annum usque ad sententiam » difinitivam inclusivè prosequi debeat, & teneatur. Alioquin » impetratio prædicta, & quæcunque inde secuta nullius exis-» tant firmitatis, & idem impetrans de damnis, & interesse » possessorem præfatum, propterea contingentibus ei satisfa-» cere; & si possessorem ipsum injustè, frivolè, & indebitè » molestare repertus extiterit, quinquaginta florenos auri per-» solvere Cameræ Apostolicæ sit adstrictus. Nec alius, quàm » præmissæ vacationis modus etiam per litteras *Si neutri*, aut » subrogationis, aut aliàs sibi quoad hoc, ut Beneficium hu-» jusmodi ea vice consequi, aut obtinere valeat, quomodoli-» bet suffragaretur: illudque nullatenus in antea litigiosum prop-» tereà censeatur. Quod etiam extendi voluit ad impetrantes Be-» neficia Ecclesiastica cujuscunque qualitatis per privationem, » & amotionem, vel aliàs propter commissa excessus, & cri-» mina, vacantia, vel vacatura, & similiter ad impetrantes » Beneficia tanquam vacantia per devolutionem. «

III. De hac Regula loquens Rebuffus, ait: „ Ista Regula „ est utilis, & servatur in Francia; unde impetratio judicatur » subreptitia & nulla, nisi exprimantur sequentia: « id est, quæ decernit Regula debere exprimi. In praxi Benef. Parte I. Gloss. prima ad hanc Regulam.

IV. Regulæ hujus utilitatem, & receptionem in Regno Galliæ nec ipse Molinæus diffitetur, aitque *num.* 83. ad Regulam *De Verisimil. notitia* edit. 1552. „ Non enim verum est, quod „ vulgò putant, reliquas omnes regulas (*dictis quatuor excep-„ tis*, scilicet, *de infirmis resignantibus*, *de verisimili Noti-„ tia*, *de Publicandis Resignationibus*, & Regula Cancella-„ riæ *de Idiomate*) prorsus inutiles, & spernendas esse. Qua-„ tenus enim jus commune, vel ordinarium juvant, rationabi-„ liter admittendæ sunt, & in causis decidendis usurpandæ, „ quò minùs à jure communi, & disciplina Ecclesiastica rece-„ datur: præsertim regula illa de *Annali Possessore*. Est enim „ lata contra involatores illos alienorum Beneficiorum, litium-„ que artifices, quos *Devolutarios* vulgò vocant. Ideò in omni „ foro, etiam in hoc Regno omninò practicanda est.“

Quod asserit Molinæus, hanc regulam conditam esse contra *involatores* alienorum Beneficiorum, ac rursus *num.* 88. regulam hanc duntaxat respicere *odium impetrantium*, ipsa initialia verba regulæ satis probant: *Ut improbi lites exquirentium motus reprimantur.*

V. Hinc ulteriùs cum Rebuffo *Glossa* VIII. infert Molinæus *num.* 84. regulam procedere, etiamsi Papa *motu proprio* conferat; idque etiamsi constet deesse supplicationem & favorem impetrantis, & sic esse *verum motum* (*proprium*) „ Quia cùm hæc regula lata sit publicæ utilitatis causa, & ad „ fraudes, & lites repellendas, non censetur Papa velle dero-„ gare, etiam clausulâ *motus proprii* appositâ, quæ nihil ope-„ ratur contra mentem verisimilem concedentis. “

VI. Quin & hinc conficiunt, quòd tametsi Possessor annalis esset *ipso jure* privatus per Extravagantem *Execrabilis*, ob Beneficiorum incompatibilitatem, equidem defendatur per hanc Regulam contra impetrantem, si per annum possedit, sive ante, sive post illam privationem, sive computatis extremis, anni tamen *continui*: & ita in privato per *non promotionem* juxta *cap.* LICET CANON, *De Elect. in VI.* teneri & judicari in Rota Romana asserit Gomezius *quæst.* 55. » Si tamen (ait Molinæus » *num.* 88.) per annum pacificè ante impetrationem adversarii » possederit, quod sufficit in odium impetrantium Beneficia Pos-» sessorum viventium, quia Regula istud odium duntaxat respicit » nec requirit Canonicum titulum, nec bonam fidem possessoris. » Et ita generaliter tenendum, & judicandum est.“

Idipsum asserit Rebuffus, qui & *Glossa* 3. ait, quòd si etiam hæreticus, vel simoniacus possederit per annum, equidem servanda sit regula. Idem de possessoribus Beneficiorum alio ex capite inhabilibus, post Gomezium astruit Molinæus *num.* 92.

VII. Imò *num.* 90. asserit, regulam prodesse quoque spoliatori, non quidem contra spoliatum, sed contra alium devolutarium impetrantem post annum pacificæ possessionis. » Quin » & procedit in eo, qui facto suo voluntario ab hoc ordinario » sese privaverit beneficio, puta resignando, & tamen remanet in possessione, quia si tertius sciens resignatarium, qui nunquam possessionem effectualem cepit, incapacem esse, vel deinde civiliter, vel naturaliter mortuum, vel repudiâsse casu, quo resignatio facta sit in forma secundi, vel tertii gradûs, adhuc potest Possessor contra eum se tueri hac regula, sive ante resignationem, sive post, sive tàm ante, quàm post, per annum pacificè possessioni incubuerit tempore datæ impetrationis à Papa, vel Legato, ut etiam Gomezius *quæst.* 57. ex longæva interpretatione Rotæ, quam ita indistinctè tenere, & judicare refert, & benè. Quia lex impetrantes Beneficia viventium possessorum multùm abhorret."

Refert quoque Antonius Faber in Codice *Lib.* 2. *tit.* 6. *Definit.* 15. judicatum fuisse, hanc Regulam tueri Possessorem, qui nullum titulum profert, ne *coloratum* quidem; non ita verò regulam de *triennali.*

VIII. » Nec propterea (ait Molinæus *num.* 92.) incapaces foventur; cùm eorum Beneficia liberè impetrari possint ab Ordinariis, qui etiam secuta devolutione ad superiores, possunt eos causâ cognitâ extrudere, & quibus hæc cura immineat. Justiùs enim solicitudinis cura cuique relinquitur, quàm violatoribus illis janua aperiatur."

IX. Et *num.* 88. postquam notaverat regulam hanc non in favorem possessorum, seu *odium* impetrantium Beneficia viventium editam esse, tanquam consequens infert: » Nec proinde defenduntur intrusi, vel aliàs titulo suo privati, contra quos inquirere debent Ordinarii, qui liberè etiam vacantia de jure tantùm conferrè possunt, & ab eis sine forma hujus Regulæ etiam sub clausula *quovis modo* impetrare licet, ut dixi in Regula *de Publicandis*, *num.* 152. quamvis possesor neqùeat deturbari, nisi causa cognita, *Cap.* LICET EPISCOPUS, *de Præb. in VI.* & si hæc Regula facta est odio impetrantium Beneficia possessorum, & ad hoc Romam, vel Legationem currentium, & in favorem Ordinariorum. Magis enim respicit, & tuetur favorem, & libertatem Ordinariorum, quàm possessorum, & intrusorum, etiam annalium, quos in jure communi reliquit, in quantùm viâ ordinariâ & ab Ordinariis providetur. "

X. Regula igitur non habet locum in Ordinario, uti notavit Gomezius *quæst.* 9. » Quia impetratio ab Ordinario (ait) contra annalem possessorem non videtur ita damnanda, aut calumniosa, sicut illa, quæ obtinetur à Papa; ideò minus punienda. Ratio est, quia Ordinarius, quando confert impetranti Beneficium annalis possessoris, jam habet, vel habere præsumitur certam notitiam illius possessoris: cùm visitare soleat singulis annis oves suas, & teneatur titulos possessorum perscrutari, ut dicit text. in *cap.* ORDINARII *de Offic. Ordin. lib.* 6. Et tradit Felin. *in cap. ad aures*, *in* 16. *conclusione*, *de Rescrip.* Et ideò conferendo simpliciter alteri Beneficium, præsumitur annalem possessòrem tanquam titulum non habentem negligere, ex quo meliùs cognoscit personas suæ diœcesis quàm Papa, ut dicit Glossa *in Clem. de Offic. Ordin.* Et propter hanc causam nulla præscriptio etiam triennalis currit contra Ordinarium, quominùs possit removere possessorem carentem titulo, ut tradunt omnes, & ibi latiùs Felin. in *cap.* LICET HELI, *de Simonia*, & est expressum in Concilio Basiliensi *tit. de pacif. poss.* Et ideò impetrans ab Ordinario, propter istam rationem non præsumetur molestator, nec improbus litigator. Secus tamen erit dicendum in impetrante à Papa, qui præsumetur injustus impentrans, & molestator, si non servat istam Regulam, ex eo, quia Papa in dubio non intendit concedere gratiam contra annalem possessorem, non factâ mentione istius Regulæ: quia non habet, nec præsumitur habere, sicut Ordinarii, notitiam possessorum orbis terrarum, ob varias occupationes rerum, propter quas multoties non concedenda concedit."

XI. Ut Regula obtineat, requiritur, ut Beneficium fuit possessum per *annum*, scilicet *integrum & continuum*; idque *tunc immediatè præcedentem*, ut ait Regula: hoc est, tempore *impetrationis*, quemadmodum rectè notat Rebuffus *Glossa* 4. & 5. » Unde si nunc possederit per *sex* menses (ait Rebuffus) & postea alius demum primus per alios sex menses, non habebit lo» cum hæc Regula, per hoc verbum, *immediatè præcedentem.*"

XII. Non sufficit per annum immediatè præcedentem possedisse, sed requiritur possedisse *pacifice*, id est, sine lite & controversia, ait Rebuffus *Gloss.* 6. additque: » Ideoque citatus etiam nulliter, dummodò processus sit introductus, non dicitur pacificè possidere," quia non sine lite, & controversia possedit." Idque sive lis fuerit in petitorio, sive possessorio: dummodo non sit super juribus, aut appendicibus Beneficii, quæ magis redderent illud pacificum; sed super *titulo* Beneficii; uti loquitur Molinæus *num.* 100.

XIII. Quapropter possessor non desinit esse *pacificus*, licèt nullus fructus percipiat; imò tametsi fortè ob crimen, aut suspicionem criminis ipsius possessoris fructus sequestrentur, aut etiam per sententiam privetur, modò tamen nulla ei super *titulo* lis aut controversia moveatur, aut mota sit.

XIV. Quando ergo quis in Romana Curia impetrare vult Beneficium annalis pacifici possessoris, tanquam de jure *vacans*, debet imprimis juxta tenorem Regulæ exprimere *nomen*, *gradum*, *& nobilitatem* possessoris. Item *quot annis* possederit. » Verùm hodie in quacunque impetratione, sive per obitum, » sive per resignationem, sive certo modo, sive provisiones *perinde valere*, *si neutri*, & similes, huic primæ parti Regulæ derogari solet, quoad scilicet expressionem gradûs, nobilitatis, & temporis, quo possedit is, cujus Beneficium impetratur." Ita Chokier ad hanc regulam *num.* 43. Et Pater Haunoldus Plettembergius in *Notitia Congregationum*, in notis ad hanc regulam *num.* 4. idipsum notat, additque: *Ideoque quoad hoc derogatum est huic Regulæ.*

XV. Vult insuper Regula, quòd impetrans, » Infra *sex menses* ipsum possessorem ad judicium evocari faciat, cauamque ex *tunc* desuper infrà *annum* usque ad sententiam diffinitivam inclusivè prosequi debeat, & teneatur." At quoad evocationem possessoris ad judicium infrà *sex menses* regula in Francia non servatur, teste Rebuffo *gloss.* 14. » Et in hoc Reg. no Franciæ sufficit (ait) intra annum agere possessorio coram judicibus Regiis."

Quoad alteram partem, scilicet prosecutionem causæ infra annum ad usque diffinitivam, notat Rebuffus *Glos.* 15. quòd regula dicat, PROSEQUI *debeat*, non dicat *finiri*: quia hoc non est in partis potestate semper, sed interdum judicis, & sufficit, quòd non stet per partem. Deinde subjungit: » Non vidi tamen ob » hoc Beneficium amitti in Francia, ubi processus sunt longissimi. Solent tamen impetrantes quandoque à Papa prorogationem impetrare: quod rarum est in hac patria, cùm in hoc » non servetur. " Quod de Regno Franciæ hîc monet Rebuffus, id & in Belgio servatur, neque in Belgio est ullus hujus Regulæ usus, quatenus processum judicialem concernit, vel formam futuræ instantiæ præfigit.

XVI. Similiter quod Regula statuit, » ut idem impetrans » de damnis, & interesse possessorem prædictum propterea contingentibus ei satisfaciat, & si possessorem ipsum injustè frivolè, & indebitè molestare repertus extiterit, quinquaginta » florenos auri persolvere Cameræ Apostolicæ sit adstrictus, nec » in Gallia, nec in Belgio per omnia servatur. « Nam Judices Regii cognoscentes de possessorio non solent victum condemnare ad *mulctam*: uti etiam observat Rebuffus *Glossa* 18. ad expensas verò, & interesse etiam in Beneficialibus, si à parte petantur, condemnare solent, etiam extra casum hujus Regulæ.

XVII. Quod autem dicit Regula, quod si non sint espressa exprimenda, *Impetratio*, *& quæcunque inde secuta nullius existant firmitatis*, sic intelligi oportet, quòd annalis pacificus possessor possit excludere impetrantem ob non expressionem requisitorum, *non ratione suæ possessionis annalis*, *sed subreptionis*, ait Rebuffus *Glossa* 16. Et uti rectè etiam notat Molinæus *num.* 103. » Hæc Regula nullo modo fovet Possessorem: » quia non impedit illum deturbari per impetrantem à Papa, vel » Legato, servatâ formâ: nec aliter jus impetrantis corroborat: meritò non requirit titulum coloratum, nec aliam » qualitatem possessoris. «

CAPUT IV.

De Regula Cancellariæ, de *Triennali Possessore.*

1 *Regula hæ desumpta est ex Decreto Concilii Basileensis & posteriores Pontifices eam vix mutárunt.*
2 *Cur in Regula mentio non fiat Concilii Basileensis: & quomodo in Gallia recepta.*
3 *Decretum Concilii prodest ad elucidationem Regulæ.*
4 *Refertur textus Regulæ.*
5 *Decretum Concilii Basileensis prout Sanctioni Pragmaticæ est insertum.*
6 *Requirit Regula, uti & Decretum, possessionem* triennalem.
7 *Triennium debet esse* completum.
8 *Insuper requiritur* continuum.
9 *Tempus prædecessoris an prosit successori.*
10 *An in eodem tempora possessionis conjungi queant.*
11 *Quomodo probetur triennium fuisse* continuum.
12 *Possessio triennalis debet esse* pacifica.
13 *Quid juxta Decretum Basileense exigatur, ut possesio fiat non pacifica.*
14 *Turbatus ab uno, videtur inspecto tenore Regulæ turbatus quoad omnes.*
15 *Secus inspectis verbis Decreti Basileensis; hocque in Gallia servatur.*

Quis

* *Quis effectus interruptæ possessionis quoad effectum Regulæ de triennali possessione.*

16 *Videtur sensus Regulæ hac in parte trahendus ad sensum Decreti.*

17 *Qui obtenta recredentia per triennium sine molestatione possedit, censetur triennalis pacificus.*

18 *Requiritur cum pacifica triennali possessione titulus saltem* coloratus.

19 *Quis dicendus titulus* coloratus, *clariùs in Regula, quàm in Decreto exprimitur.*

20 *Titulus coloratus dupliciter considerari potest.*

21 *Qui sint tituli* non colorati; *& cui incumbat probatio circa titulum.*

* *Reservatio, quæ clausa est in corpore juris, impedit effectum Regulæ citatæ.*

* *An possessor Beneficii teneatur probare colorem tituli.*

22 *Debet toto triennio adfuisse titulus coloratus.*

23 *Quare potiùs hæc Regula requirit titulum coloratum, quàm Regula* De Annali.

24 *Post pacificam triennalem possessionem Possessor molestandus non est.*

25 *Fallit, si agere impeditus fuerit; & quomodo de hoc impedimento protestandum.*

26 *An inter legitima impedimenta referenda minor ætas.*

27 *An Resignatarius Possessoris triennalis pacifici possit molestari?*

28 *Si post triennium molestetur pacificus Possessor, quomodo agendum.*

29 *Hoc intelligendum de molestatione privatorum.*

* *Quandonam ob abusum, qui intervenit in Provisione, impediatur effectus hujus Regulæ.*

30 *Nec Regula, nec Decretum Basileense vult, Beneficia sine titulo etiam post triennalem possessionem retineri.*

31 *Triennalis possessio non impedit, aliquem posse Beneficio sic possesso privari.*

I. REgulam hanc habuisse originem à Decreto quodam Concilii Basileensis notant omnes passim Commentatores; monetque Gomezius in præfatione ad hanc Regulam ex hoc Concilii Basileensis Decreto, eam ferè *ad verbum* transcriptam, paucis omissis, additis, vel immutatis.

Insuper observat Gomezius ibidem, eam à posterioribus Pontificibus vix fuisse mutatam, nisi quòd Adrianus VI. pauca quædam, ad extinguendas motas quæstiones, addiderit, quæ ibi designat Gomezius.

II. Quamvis autem ex dicto Decreto Regula sit desumpta, nulla tamen illius in Regula mentio occurrit: „ quia Summi Pontifices auctoritate illius uti noluerunt, ne sic tacitè „ (Concilium Basileense) approbare viderentur, " ait Gomezius.

Econtra in Gallia, hæc Regula non est recepta tanquam Regula Cancellariæ Romanæ, sed tanquam Decretum Concilii Basileensis, insertum Sanctioni Pragmaticæ, & confirmatum per Concordata inter Leonem X. & Franciscum I. uti monet Guillielmus Noyerius in notis ad praxim Curiæ Romanæ Perardi Castelli *pag.* 38. edit. 1693.

III. Interim cùm Decretum Basileense originem huic Regulæ dederit, non dubium quin ad elucidationem Regulæ non parum Decretum illud conferre queat, atque supplere ea, quæ forsan in Regula desiderari, vel dubia esse possent.

IV. Regula hodie 36. exprimitur his verbis; » Item statuit, & ordinavit idem D. N. quòd si quis quæcunque Beneficia Ecclesiastica, qualiacunque sint, absque simoniaco ingressu ex quovis titulo, Apostolica vel ordinariâ collatione, aut electione, & electionis hujusmodi confirmatione, seu præsentatione, & institutione illorum, ad quos Beneficiorum hujusmodi collatio, provisio, electio, & præsentatio, seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium pacificè possederit (dummodò in Beneficiis hujusmodi, si dispositioni Apostolicæ ex reservatione generali in corpore Juris clausa, reservata fuerint, se non intruserint) super eisdem Beneficiis taliter possessis molestari nequeat, nec non impetrationes quaslibet, de Beneficiis ipsis, sic possessis factas, irritas & inanes censeri debere decrevit, antiquas lites super illis motas penitùs extinguendo."

V. Decretum Concilii Basileensis prout insertum est Pragmaticæ Sanctioni, diciturque Decretum *de Pacificis Possessoribus*, & è quo regula desumpta est, hoc tenore expressum est; » Quicunque non violentus, sed habens coloratum titulum, pacificè, & sine lite Prælaturam, Dignitatem, Beneficium, vel Officium triennio proximo hactenus possedit, vel in futurum possidebit, non possit postea in peritorio, vel possessorio à quoquam etiam ratione juris noviter impetrati molestari, excepto hostilitatis casu, vel alterius legitimi impedimenti, de quo protestari, & juxta Concilium Viennense illud intimare teneatur. Lis autem hoc casu quoad futuras controversias intelligatur, si ad executionem citationis, jurisque sui in judicio exhibitionem, ac terminorum omnium observationem, processum fuerit. Ordinarii autem diligenter inquirant, ne quis sine titulo Beneficium possideat. Quod si talem quandocunque repererint, declarent jus illi non competere, vel huic (si sibi videatur) nisi sit intrusus, seu violentus, aut alias indignus, vel alteri idoneo provideant."

VI. Sive verba Regulæ, sive decreti attendantur, manifestum est, intentionem auctorum, sive conditorum fuisse, ut *pacifici* triennales Beneficiorum possessores, haud facilè vexentur, aut molestentur, sed pro veris, & Canonicis Beneficiorum Possessoribus reputentur, nisi se in Beneficia vel intruserint, vel per simoniam intraverint: ipsèque titulus saltem *coloratus* cum pacifica triennali possessione concurrens pro vero titulo habeatur.

VII. Imprmis ergo requiritur, tam ex Regula, quàm ex Decreto, ut quis possederit Beneficium *triennio proximo*, ut habet Decretum; vel ut exprimitur in Regula, *per triennium possederit*, id est, *completum, & consummatum*, ut loquitur Glossa Pragmatica *pag.* 422. editionis Parisiensis an. 1666. ubi notat ex Joanne Andræa, aliisque, » quòd ubicunque lex tempus certum requirit, quod intelligatur *completum, & de momento ad momentum*, nisi aliud lex declaret, vel simus in favorabilibus."

VIII. Nec tantùm completum, sed & continuum triennium possessionis exigitur, nam præpositio *per* denotat omnimodam continuationem. Et *continuum* triennium requiri, asserit Rebuffus in Tractatu *De Pacificis possessoribus*, *num.* 320.

IX. Hinc infert *num.* 321. quòd tempus prædecessoris non possit hîc juvare successorem; eò quòd tempora possessionis conjugi nequeant, nec *unum continuum* efficere: quia sicut in bonis Ecclesiæ non succeditur jure hæreditario, ita nec in titulo Beneficii, qui debet haberi à Superiore, succedetur, ait Rebuffus. Aliud est in profanis, in quibus jus, seu titulus potest in successorem transferri: & ita tempora possessionis conjugi & continuari, & ita decisum fuisse in Rota Romana, testatur Gomezius ad hanc Regulam *quæstion.* 20. Quin & credit Rebuffus *num.* 324. quòd tempora non conjungerentur, licèt successor esset *surrogatus* in jus, & possessionem alterius.

X. Imò si quis post *biennalem* possessionem ressignâsset Beneficium, postmodum autem cognita invaliditate resignationis reversus ad Beneficium possedisset per *annum*, inspecta stricta juris ratione, ob interruptam possessionem, hâc Regulâ juvari non poterit, ait ibidem Rebuffus: licèt contraria opinio æqua ei videatur. Et quia uti notat *num.* 328. non est prohibita accessio » temporis in uno & eodem, etiam in Benefícialibus, licèt in diversis secus. "

XI. Ad probandum tamen triennalem possessionem fuisse continuam » sufficit probare extrema, id est, principium primi anni & finem tertii; quia possessio præsumitur continuata; " ait Probus in additione 18. ad Glossam Pragmaticam *pag.* 419. nisi probet auctor possessionem fuisse interruptam.

XII. Non sufficit per triennium *completum & continuum* possedisse, sed insuper requiritur, ut *pacificè* possederit, id est, sine lite & controversia, sive in possessorio, sive petitorio, quemadmodum capite præcedenti expositum fuit.

XIII. „ Lis autem hoc casu quoad futuras controversias intelligatur, (ait Decretum Basileense) si ad executionem citationis, jurisque sui in judicio exhibitionem, ac terminorum omnium observationem processum fuerit. "

Ac hæc verba notat Glossa Pragmatica *pag.* 434. Ut dicatur Beneficium litigiosum tria requiruntur. „ Primò, quod emanaverit citatio executata. Secundò, quòd titulus agentis fuerit in judicio competenti parti adversæ exhibitus. Tertiò, quod omnes dilationes ordinariæ juris, vel styli, quæ dantur ad litem contestandam, sint elapsæ ante triennium. "

Notat tamen ibidem Probus *num.* 3. „ Si non sint lapsæ dilationes, quia per partem adversam stetit, ut quia suo dolo, aut malitia, vel cavillationibus, aut subterfugiis, fecit quòd non sunt lapsæ, quod regulis vulgatis est firmatum: aliàs esset in potestate adversarii, quòd præscriptio triennalis non interrumperetur. "

Vide etiam Zypæum *Respons.* 3. *de Præbend. num.* 4. ubi scribit, per illa allegata verba aliud non velle Concilium, quàm contestationem, aut aliam diligentiam, quæ fieri potuerit ex circumstantiis, & judicis arbitrio.

XIV. Quærit Gomezius *quæst.* 22. utrum interruptio pacificæ triennalis possessionis, facta ad citationem unius prosit aliis; resolvitque affirmativè; & ita tenere Rotam Romanam asserit.

Sed quid si quis ante completum *triennium* litigaverit contra unum, an post *triennalem* possessionem possit etiam molestari ab alio, qui intra triennium non molestavit, adeoque respectu unius fuit in pacifica possessione? Inspecto tenore Regulæ, apparet, quòd nequidem adversus hunc tertium poterit hujusmodi *triennalis* possessor se tueri: quia Regula requirit, ut per *triennium pacificè* possederit: dicitque Gomezius *quæst.* 22. quòd invaluerit ista opinio in Rota, quod Beneficium semel litigoi-

sum *cum uno*, efficiatur litigiosum, seu veriùs *non pacificum* quoad omnes alios. Rationem allegat Gomezius: » Quia sicuti » in præscriptione civili requiritur bona fides tanquam unum » substantiale, ita in hac triennali requirit Regula pacificam pos- » sessionem pro forma substantiali. Quo stante, ubi aliquis citat » pacificum possessorem, clarum est, quòd per illam citationem » desinit esse pacificus: & per illam citationem extinguitur unum » ex substantialibus requisitis in ista Regula, videlicet pacifica » possessio."

XV. At Rebuffus magis attendens praxim Galliæ, & Decretum Pragmaticæ Sanctionis, sive Concilii Basileensis, dicit: » quòd licèt quis litigaret adversus unum per triennium, & ad- » versus alios non, post triennium non poterit ab aliis molesta- » ri; quia fuit pacificus quoad alios. Et quia textus Decreti di- » cit, quem non posse venire post triennium, nisi alleget im- » pedimentum, & protestetur intra triennium; ergo vult (ait » Rebuffus) ut pacificè possideat adversus illum, qui non est » protestatus; qui non fuit impeditus agere, si non moveat li- » tem, non poterit postea agere, & ista est *Praxis indubia* » *Regni*, juri & rationi conformis." Ita Rebuffus *num.* 200. & rursus *numer.* 363. ita sæpiùs judicatum testatur.

* Quapropter ex Rebuffo turbatio civilis, sive judicialis non interrumpit possessionem pacificam, nisi tantùm respectu turbantis: quod etiam probat Molinæus ad Regulam *de publicandis resignationibus*, *n.* 355. dum nimirùm possessor, duntaxat *civiliter* turbatus fuit: sed si *naturaliter* de sua possessione fuerit deturbatus, sustinet, hanc turbationem nocere quoad *omnes*. Quod & Gregorius Louetius in notis ad citatum locum Molinæi observavit: » Quia (ait) *naturalis* interruptio, quæ de facto possiden- » tem de possessione dejicit, omnibus prodest, impedit possi- » dentis præscriptionis continuationem: civilis autem, quæ pos- » sessionis continuationem de facto non impedit, prodest tantùm » interrumpenti ad juris conservationem."

XVI. Cùm Regula ex decreto fuerit desumpta, atque tam Decretum, quàm Regula ad lites super Beneficiis, per quas cultus divinus, & Ecclesiarum cura negligetur, aliaque innumera incommoda oriri solent, minuendas, & amputandas sint composita, non apparet, cur non eundem sensum ipsi Regulæ dare liceat, eumque *pacificè* possidere non censeamus respectu illius, qui per triennium tacuit: cum Regula contrarium expressè non dicat. Vide Zypæum *Resp.* 3. *de Præbendis*, *num.* 7.

XVII. Insuper refert Rebuffus, non semel per arrestum Parlamenti judicatum, » quòd si adjudicatâ recredentiâ adversarius » taceat per *triennium*, & permittat possidêre partem adversam, » non poterit possessor post triennium, etiam à parte adversa » molestari super possessorio."

XVIII. Præter triennalem pacificam possessionem requirit Decretum Concilii Basileensis, ut possessor sit *non violentus*, sed habens *coloratum titulum*, vel ut exprimit Regula, Beneficium » sine simoniaco ingressu, ex quovis titulo Apostolico, » vel ordinaria collatione, & electionis hujusmodi confirmatione, » seu præsentatione, & institutione illorum, ad quos Beneficio- » rum hujusmodi collatio, & provisio, electio, & præsenta- » tio, seu quævis alia dispositio pertinet, per triennium pacificè » possederit."

Notat Gomezius *quæst.* 26. quòd licèt Regula non exprimat, an *verum*, an *coloratum* duntaxat titulum requirat, » satis tamen appareat requirere solum *coloratum*, ex Decreto Con- » cilii Basileensis, à quo secundum communem opinionem ha- » buit originem ista Regula; in quo Concilio expressè dicitur, » quòd sufficit, quòd Possessor *triennalis* habeat titulum *colora- » tum*. Imò Regula ista indistinctè loquens debet capere inter- » pretationem à matrice, & à fonte."

XIX. Sicuti ipsa Regula interpretationem aliquam accipere potest à Decreto, tanquam matrice & fonte, ita in nonnullis Decretum à Regula explanationem accipit; ac signanter, ut intelligatur, quis *coloratum* titulum habere dicendus sit; quod clarioribus terminis Regula expressit; quemadmodum notavit Rebuffus, qui inquirens quis dicendus *titulus coloratus*, ait, *num.* 43. » Et brevi dicendum est coloratum dici titulum, dum » tamen quis ex Apostolica, vel ordinaria collatione, aut elec- » tione, aut electionis hujusmodi confirmatione, seu præsenta- » tione, & institutione illorum, ad quos Beneficiorum hujusmo- » di collatio, & provisio, electio, & præsentatio, seu quævis » alia dispositio pertinet, obtineat, ut declaratur in Regula 33. „ Cancell. licèt ob aliquod vitium titulus non dicatur justus."

XX. Ulteriùs pro intellectu Regulæ quoad titulum *coloratum* monet Gomezius *quæst.* 27. advertendum diligenter, dupliciter posse considerari titulum *coloratum*. „ Primo modo, quoad ef- „ fectum istius Regulæ. Secundo modo, quoad effectus juris com- „ munis. Quoad effectum istius Regulæ, pone istam conclusio- „ nem pro firma: quòd omnis ille dicitur habere titulum colo- „ ratum, qui non excluditur in Regula."

XXI. Idem tradit Chokier ad hanc Regulam *num.* 85. ex quo dein infert: „ Ideoque illi soli *discoloratum* titulum ad ef- „ fectum hujus Regulæ habere dicuntur, qui habent titulum per „ simoniam, vel de Beneficio reservato reservatione in Corpo- „ re Juris clausâ: quia isti duo casus excepti in Regula firmant „ Regulam in contrarium in casibus non exceptis." Et conformiter judicatum refert Antonius Faber in Codice *lib.* 1. *tit.* 2. *Definit.* 5. Et plura de titulo colorato vide apud Glossographum Sanctionis Pragmaticæ *pag.* 415. ubi & pag. 417. ostendit » quòd qui dicit, aliquem possedisse sine titulo colorato, » debeat illud probare; cùm nemo teneatur probare titulum suæ » possessionis: & ideò pars agens non audietur, nisi contra pos- » sessorem aliquid probet, per quod priùs appareat, ipsum non » habere titulum coloratum. Sed ad instantiam judicis benè tene- » retur possessor colorem tituli probare; quia in his exuberat » officium judicis."

* Cùm in Regula de triennali possessione duntaxat excipiatur reservatio clausula in *corpore juris*, quæ collationem obtentam ab Ordinario impedit, quominùs obtineat vim tituli colorati, rectè concludit Melchior Pastor *Tractatur de Beneficiis*, *lib.* 3. *tit. final. num.* 2. » Quòd licèt Beneficium concessum, sit » reservatum generaliter, aut specialiter in gratiam alterius Colla- » toris, vel Mandatarii, aut Indultarii, collatio facta ab Ordi- » nario in gratiam alterius sit *colorata*: Nam in Beneficiis reserva- » tis Ordinarius retinet *habitu* jus conferendi, initio inspecto, & re- » servationi censetur derogatum, beneficio hujus Regulæ."

Hinc ulteriùs infert *num.* 12. » Hoc jure Provisus ab Ordi- » nario de Beneficio familiaris, aut domestici alicujus Cardina- » lis, eidem reservato, Indulto generali contra adversarium ab » eodem Cardinali postea provisum, uti potest hâc Regulâ, si » per triennium pacificè possederit.

» Idem de cæteris reservationibus, indultis, & privilegiis ge- » neraliter, aut specialiter concessis Prælatis, aut Capitulis di- » ci potest, non obstantibus clausulis derogatoriis irritantibus in » privilegio, vel Indulto contentis: nam per illas clausulas ex- » ceptio hujus Regulæ non excluditur."

Subditque & *num.* 13. quòd » idem jus in Gallia Principes » sibi præscripserint: nam cùm olim jus Regaliæ ab hac Regula » esset liberum, ut ab aliis Regulis Cancellariæ, & Constitutio- » nibus Pontificiis formam Provisionum beneficialium præscriben- » tibus, & reservatio Beneficii vacantis in Regalia duraret tri- » ginta annos, ut Constitutione Ludovici XII. statutum fuerat, » uti notat Rebuffus ad eandem Regulam, & Papon. in sua » Collectione Placitorum *lib.* 3. *num.* 1. tandem placuit Hen- » rico IV. felicis & immortalis memoriæ, Edicto anni 1606. hanc » Regulam in Regalia admittere, & provisum ab Ordinario » post triennium pacificæ possessionis contra Regalistam fieri „ securum."

Quæ suprà Glossographus Sanctionis Pragmaticæ dixit de titulo *colorato*, ac signanter, quòd is, qui possidet, non debeat probare colorem tituli; sed qui defectum coloris opponit, debeat eum probare, intelligenda sunt, modò provisus habeat titulum per provisionem Sedis Apostolicæ, aut Ordinarii, aut alterius, cui de jure jus conferendi competit, uti habetur in Regula.

Dum enim ex simili titulo aliquis est in possessione non tenetur ipse probare *colorem* tituli; sed adversarius debet probare titulum non esse coloratum.

Si verò nullam provisionem, vel titulum acceperit ab eo, cui de jure dandi provisionem, vel titulum auctoritas competit, non potest dici habere titulum *coloratum*, nec consequenter vigore possessionis *triennalis* juvari.

XXII. Præterea Sanctionis Pragmaticæ Glossographus non ostendit non sufficere, quòd titulus coloratus superveniat post unius, alteriusve anni possessionem; sed requiri ab initio titulum *coloratum*, sive quod *integro triennio* pacificè possederit Beneficium cum titulo *colorato*. » Unde (ait) præscriptio triennalis in- » cipiet currere ab eo tempore, quo habuit titulum *coloratum*."

XXIII. Quare hæc regula *De Triennali* potiùs requirat titulum saltem *coloratum*, quàm regula *De Annali* (de qua capite præcedenti actum fuit) rationem allegat Antonius Faber in Codice *lib.* 1. *tit.* 2. *Definit.* 15. » Quoniam illa *triennalis* tri- » buit jus in Beneficio, hæc (*De Annali*) non item; sed ex- » cludit duntaxat impetrantem ob non expressas qualitates, ne- » que tam in favorem possessoris inducta est, quàm in odium » malè impetrantis."

XXIV. Effectus ergo pacificæ possessionis triennalis cum titulo colorato est, quòd super eodem Beneficio taliter possesso molestari nequeat, uti loquitur Regula. Decretum verò ait: » Non possit posteà in petitorio, vel possessorio à quoquam, » etiam ratione juris noviter impetrati, molestari."

Ultima hæc verba, *ratione juris noviter impetrati* videntur incidere cum his verbis Regulæ: *Nec non impetrationes quaslibet de Beneficiis ipsis sic possessis factas, irritas, & inanes censeri debere decrevit.*

XXV. Subdit tamen Concilium Basileense: » Excepto hos- » tilitatis casu, vel alterius legitimi impedimenti, de quo pro- » testari juxta Concilium Viennense intra triennium tenetur."

Decretum Concilii Viennensis, ad quod hîc fit remissio, ha-

babetur in *Clem.* CAUSAM *de Electione*, ubi decernitur, „ quòd „ si propter appellati, aut suorum metum, vel potentiam in- „ timatio appellationis fieri nequeat in domo, quam ipse appel- „ latus habitare communiter consuevit, vel si domus ista in re- „ motis existat, in Ecclesia Cathedrali, in cujus civitate vel „ Diœcesi consistat Beneficium, prout & in loco Beneficii ipsa „ protestatio fiat quoad propositum nostrum, & aliàs quoad „ notitiam possidentium perveniat, aut verisimiliter valeat. " Ita Probus ad *Gloss. Prag. pag.* 432.

Poterit ergo ille, qui legitimo impedimento fuit impeditus, actionem suam instituere, & etiam post *lapsum trienni* agere; modò de impedimento ante completum triennium *protestatus* fuerit juxta formam hîc expressam, nisi tale subfuisset impedimentum, ut nec ipsa protestatio fieri potuisset; puta si omni tempore incarceratus fuisset. Rebuffus *de Pacificis Possess. num.* 402.

XXVI. Inter legitima impedimenta refert Glossa Pragmatica *minorennem* ætatem; creditque Minori, cujus Beneficium aliquis titulo colorato per triennium pacificè possedit, esse, saltem judicis arbitrio, dandam restitutionem; ad quam opinionem Glossæ reflectens Philippus Probus ait *pag.* 430. *nota* 4. „ Unum tamen tibi dico, quod nunquam vidi, nec auribus per- „ cepi, quòd in hoc casu prout nec in aliis spiritualibus minor „ fuerit restitutus, nec quoad decretum, quod versatur circa „ petitorium, nec quoad retinendæ possessionis interdictum, „ quod concernit possessorium, coram judicibus in Gallia agi- „ tari privatè consuetum."

Fallit ubi dolus subest, vel circumventio, ut pluribus arrestis est judicatum. Ita in nota marginali ibidem monet Franciscus Pinsonius.

XXVII. Ipsa autem triennalis pacifica possessio cum titulo colorato ita firmat jus possessoris, ut si Beneficium sic possessum alteri resignaverit; atque vigore hujus resignationis in jus ipsius pacifici triennalis possessoris sit surrogatus resignatarius, non possit jus ipsius *triennalis* possessoris de novo discuti; sive surrogatus molestari nequit ob defectum juris sui prædecessoris pacifici triennalis; sed benè discuti potest novus titulus surrogati, aut inhabilitas ipsius personæ: ut rectè notavit Rebuffus *numer.* 188.

XXVIII. Si quis molestetur *post triennium*, practica est in Francia, ait Rebuffus *num.* 73. „ ut is impetret Litteras Regias „ *de pacificis possessoribus* vocatas, per quas præcipitur parti, „ ut non habeat illum pacificum possessorem ampliùs molestare, „ si de narratis apparuerit, ut in *cap.* 2. *de rescript.* & debet „ impetrans probare, & ostendere suum titulum, sub quo ip- „ se possedit, nec potest cogere adversarium suum ad osten- „ dendum titulum, antequam ipse suum exhibuerit: & ita cen- „ suit Senatus in juridicis conventibus Molinis celebratis an- „ no 1534."

XXIX. Hoc tamen intelligendum de molestatione privatorum molestantium possessores triennales: nam Ordinarii ex officio etiam possunt inquirere de titulis possessorum triennalium; de qua inquisitione Ordinariorum hæc habet Decretum Basileense: „ Ordinarii autem inquirant diligenter, ne quis sine justo „ titulo Beneficium possideat. Quod si talem *quandocunque* re- „ pererint, declarent jus illis non competere, & huic si sibi vi- „ deatur (nisi sit intrusus, vel violentus, aut aliàs indignus) vel „ alteri idoneo provideant."

* Quemadmodum Regula *de triennali* possessore non tuetur possessorem injustum adversus Ordinarium, quo minus de titulo inquirat; ita nec contra Officiarium Regium agentem pro interesse *publico*. Unde notat Molinæus ad Regulam *de infirmis Resignantibus*, *num.* 206. Decretum *de pacificis possessoribus*, nec hanc Regulam unquam habere locum, ubicunque potest appellari *tanquam ab abusu*: quoniam abusus, non solùm reddit titulum discoloratum, sed etiam funditùs nullum: quia hæc appellatio non interponitur, nisi quando *publicum* interesse vertitur: quare & in hac specie appellationis, pars principalis & formalis est procurator Regius, uti infra *part.* 3. *tit.* 10. notabitur.

Idipsum observat Melchior Pastor *in Tractatu de Beneficiis*, *lib.* 3. *tit. fin. num.* 24. rectè unà distinguens inter casus, in quibus per abusum *principaliter* utilitas publica Ecclesiæ ostenditur, in quibus, si damnum Ecclesiæ reparabile non sit, abusus semper durat, nullâ præscriptione obstante; & casus, in quibus primario ostenditur utilitas privatorum, & *secundariò* utilitas publica, in quibus abusus præscribitur, eodem tempore, quo privatorum quærela præscribitur; uti, si collatum sit Beneficium spreto Patrono post semestre, si jus Patronatûs sit Ecclesiasticum, aut post quadrimestre, si Laicale sit, Patronus non auditur, nec alius quisquam, quoniam eo tempore querela Patroni præscribitur.

XXX. Hæc tamen ostendunt, quòd licèt Decretum Basiliense, uti & Regula Cancellariæ, tueantur triennales possessores contra impetrantes Beneficia viventium, & alios super Beneficiis ipsos molestantes, nequaquam tamen velint, ut Beneficia sine titulo possideantur; sed ut Ordinarii de titulis possidentium Beneficia inquirere queant *quandocunque*, id est, „ non „ solùm post lapsum trienni, sed etiam non obstante quocun- „ que cursu temporis, aut tolerantiâ Superioris, quæ non tri- „ buit jus injustè possidendi absque nova collatione" ait Glossa Pragmatica *pag.* 447. Additque: „ Quòd quamvis præsumatur „ pro illo, qui diu Ecclesiam possedit, ita quòd non teneatur „ ostendere titulum suum, si tamen constaret de intrusione, vel „ alio vitioso ingressu, omninò poterit removeri."

XXXI. Porrò jus triennalis Possessoris titulo *colorato* innixum, & præsumptioni juris, non potest esse fortius, majorisve auctoritatis, quàm jus in vero, & legitimo titulo fundatum; ideoque sicuti hoc jus non impedit, quin ex nova causa superveniente possit suo vero titulo privari, & suo jure excidere; ita nec triennalis pacifica possessio cum titulo colorato efficere potest, quin ex nova causa superveniente, & titulo colorato, jure ad Beneficium excidere possit: ac per consequens ex causa superveniente Beneficium pacificè per triennium cum titulo colorato possessum fiat impetrabile: quemadmodum benè observavit Rebuffus *n.* 189. & exemplificat in eo, qui haberet Ecclesiam Parochialem „ & intra annum post dispensationem ad „ biennium fruitus, non est promotus ad sacros Ordines, *Cap.* „ LICET CANON, *de Elect. in VI.* Idem esset (ait) si esset adep- „ tus post triennium secundum Beneficium incompatibile cum „ primo."

TITULUS XXVII.

De Resignatione, & Permutatione Beneficiorum.

CAPUT I.

DE RESIGNATIONE PURA ET SIMPLICI, ET RESIGNATIONE *IN FAVOREM*, ET EX *CAUSA PERMUTATIONIS*; HARUMQUE ORIGINE.

1 *Olim resignatio, & renuntiatio habebantur pro synonimis; hodie distinguuntur.*
2 *Omnis resignatio includit quandam renuntiationem.*
3 *Pluribus seculis omnis resignatio fuit simplex & pura; nec alia in Decretalibus nota.*
* *Ante XII. seculum incognita erat Beneficiorum resignatio.*
4 *Resignatio* conditionalis *opposita* puræ *duplex est.*
5 *Resignatio* in favorem *qua ratione dicatur* conditionalis.
6 *Clausula huic resignationi apposita impedit liberam Beneficii collationem.*
7 *Resignatio* in favorem *juxta hodiernum stylum Curiæ Rom. dicitur resignatio* simplex.
8 *Hæc resignatio* simplex *eadem est cum resignatione in* favorem; *& quare dicatur resignatio* cum provisione.
9 *Quæ dicatur in Curia Rom. resignatio* sine provisione.
10 *Stylus Curiæ mutatus circa expressionem verborum non autem circa substantiam resignationis* in favorem.
11 *Resignatio* in favorem *non occurrit in Libris Corporis Canonici.*
12 *Sub initium seculi XVI. quæstio nota fuit: an licitæ essent resignationes* in favorem: *& quæ producta argumenta pro earum licito usu.*
13 *Senatus Parisiensis eas illicitas judicavit: & quo fundamento.*
14 *Quomodo, & quando hæ clausulæ*, in favorem, *item* non aliàs, nec aliter, *in procuratoria resignationum irrepserint.*
15 *Resignationes olim etiam coram Ordinariis fiebant.*
16 *Nihil de purgatione simoniæ pro justificanda hac resignatione allegatum.*
17 *Sensim usus harum resignationum, etiam in Parlamentis Gallicanis receptus.*
18 *Hæ resignationes frequenter de simonia suspectæ, aliisque incommodis subjectæ.*
* *Resignatio in favorem multis abusibus obnoxia.*
19 *An non satius fuisset earum usum nunquam admisisse.*
20 *Resignatio ex causa permutationis etiam* conditionalis *est.*
21 *Permutationes Beneficiorum jam pridem vetitæ.*
22 *Non propterea prohibita Beneficiorum translatio auctoritate Episcopi.*

Ob

23 *Ob datam transferendi auctoritatem cœpit Beneficiorum resignatio ad effectum translationis.*
24 *Declaratum vi hujus resignationis Beneficia sic resignata aliis, quàm compermutantibus conferri non posse.*
25 *Ex hac declaratione quomodo permutationes hodiernæ Beneficiorum invaluerint.*
26 *Qua ratione transitiones Beneficiatorum de una ad aliam Ecclesiam potius dicantur* permutationes, *quàm* translationes.
27 *Permutationes, ut hodiè fieri solent, olim incognitæ fuerunt.*
28 *Quomodo Ecclesia hodiernas Beneficiorum permutationes admittat.*
29 *Quam hodiernæ permutationes sint periculosæ.*

I. REnuntiatio, & resignatio Beneficiorum primitûs pro synonimis sumptæ sunt, ut constat ex *cap.* 8. ✠ *de Renuntiat.* ubi resignatio accipitur pro renuntiatione; & apertiùs in *cap.* 1. *de Renuntiatione, in VI.* At stylus Curiæ Romanæ, & hodiernus modus loquendi, resignationem à renuntiatione distinguit: ut nimirùm per resignationem ferè intelligatur resignatio *in favorem*; per renuntiationem verò illa, quam dicimus, *dimissionem* puram, & sine ulla conditione fieri solitam.

II. Omnis tandem resignatio quandam renuntiationem, sive dimissionem Beneficii includit. Neque enim resignari potest Beneficium, nisi unà renuntietur Beneficio, ipseque Beneficiatus se exuat suo Beneficio.

Unde renuntiatio prout complectitur & renuntiationem *strictè* dictam, & resignationem, dici potest cessio, seu dimissio Beneficii Ecclesiastici, quæ spontè, & liberè fit cum auctoritate Superioris.

III. Olim omnis renuntiatio erat resignatio simplex, & pura absque ulla conditione: unde de hac sola specie renuntiationis, seu resignationis agitur sub titulo Decretalium *de Renuntiatione*, uti rectè advertit Franciscus de Roye Antecessor Andegavensis *lib. 2. de Institut. Juris Canonici*, *cap.* 18. unà advertens, quod & harum renuntiationum, sive resignationum usus frequentior esse cœperit sub Alexandro III. neque ullus antiquior Pontifex Alexandro de his agat in libris Decretalium.

* Non mirùm ante tempora Alexandri III. vix quidquam occurrere de renuntiatione, & resignatione Beneficiorum, quia ante tempora hujus Pontificis, tituli Beneficiorum vix adhuc erant ab ipsa Ordinatione sejuncti.

Durante autem disciplinâ, quâ Clerici in sua ordinatione adscribebantur certæ Ecclesiæ, ipsa ordinatio erat quodammodo vice *Provisionis* Beneficii: quia per adscriptionem huic Ecclesiæ adscriptus, sive ordinatus consequebatur jus participandi de temporalibus hujus Ecclesiæ tanquam ejus Minister: Clericus autem, qui dimittebat Ecclesiam, cui in ipsa ordinatione fuerat adscriptus, censebatur renuntiare juri ad temporalia istius Ecclesiæ, quæ ipsi tanquam ministro istius Ecclesiæ competebant. Itaque dimittere Ecclesiam, tunc idem in effectu erat, quod hodie renuntiare Beneficio.

Sed quia renuntianti, sive deserenti Ecclesiam, liberum non erat alium Clericum eidem Ecclesiæ in suum locum surrogare, ideirco nulla apud veteres resignationis Ecclesiarum aut Beneficiorum mentio occurrit; sed solius dimissionis, sive simplicis renuntiationis.

IV. Resignatio conditionalis opposita renuntiationi, seu resignationi *puræ* & *simplici* ad manus Ordinarii, alia dicitur in *favorem*, aliâ *causâ permutationis*; id est, quæ fit, postquam inter partes de permutandis Beneficiis convenit: & Beneficia resignantur, ut juxta permutationem conceptam alter alterius Beneficium consequatur.

V. Prior quidem vocatur conditionalis duplici respectu. Primò, quia recipit conditionem, si Resignatarius acceptet Beneficium resignatum. Quæ conditio, quem effectum habeat, patebit ex dicendis *cap.* 3.

Secundò dicitur conditionalis, quia ex parte resignantis solet in ipsa resignatione appponi clausula: *Et non aliàs, nec aliter, aut alio modo*; quæ clausula inducit conditionem, & est limitativa potestatis, ac præservativa; uti tradit post alios Flaminius Parisius *loco citato*, *num* 16. 17. 18. & 19.

VI. Addit dein *num.* 21. » Et est tantæ potentiæ hujusmodi clausula, ut Papa ex potestate ordinaria non videatur posse alteri conferre Beneficium resignatum, quàm nominatio. « Imo hodie usus invaluit, quòd si Papa alteri conferret, aut alio modo, quam in ipso resignationis instrumento esset expressum, ipsa provisio censeretur nulla; uti latè deducit Fevretius *de Abusu*, *lib. 2. cap. 6. num.* 12. modò tamen conditio adjecta non sit juri publico contraria.

VII. Invaluerat jam pridem stylus Curiæ Romanæ, ut in frontispicio ipsius supplicationis pro resignatione ad favorem certæ personæ ponerentur ad latus dextrum hæc verba, *Resignatio in favorem*, quibus indicabatur, esse supplicationem pro hujusmodi resignatione; at tempore Gregorii XII. mandatum est, ut non apponerentur illa verba, *in favorem*, tanquam *non necessaria & suspecta*, *neque in capite*, *neque in corpore*, ait Flaminius Parisius *lib.* 8. *quæst.* 7. *num.* 36. notatque, quòd loco illorum verborum posita sit vocula, *simplex*; ita ut hodie ordinariè notari soleat supplica resignationis *in favorem* his verbis, *Resignatio simplex*, quæ tamen idem valent, quod *resignatio in favorem*: » Namque ille resignans (ait Flaminius) renuntiat *simpliciter* in manibus Papæ, qui (Papa) » postea ad preces Resignatarii, ei dictum Beneficium resignatum confert: Nam Papa non habet respectum ad mentem » Resignantis, sed ad supplicationem humiliter sibi factam à » Resignatario. «

VIII. Hæc ille, qui & monet *lib.* 1. *quæst.* 2. quòd ex stylo Curiæ in eadem supplica, in qua quis renuntiat coram Papa, alter supplicet pro collatione; quemadmodum ex formulis resignationis ab eodem Flaminio *lib.* 8. *quæst.* 7. relatis videri potest, qui & *num.* 39. benè monet, » quod licèt Copistæ com» positores supplicationum apponant hujusmodi verbum *simplex*, » non tamen erit simplex resignatio eo modo, quo fit coram Or» dinario, vel coram Papa *absque provisione*, sed potiùs *in fa*» *vorem*. Et hoc est (ait) de mente Rotæ; ac dicitur *condi*» *tionalis* resignatio, attento quòd unus renuntiat, alter suppli» cat pro collatione; quamvis in capite, vel in corpore non di» catur *in favorem*, *nec aliàs*, *nec alio modo*, *&c.*"

IX. Resignatio *simplex* coram Papa *absque provisione*, cujus sibi meminit Flaminius, dicitur, quando aliquis renuntiat liberè, & simpliciter Beneficium ad manus Papæ; ita ut liberum sit Papæ alicui pro libitu providere; quod contingit in promotis ad *incompatibilia*, qui in litteris habuerant Decretum, ut debeant renuntiare *liberè*, & simpliciter in manibus Papæ infra duos menses. Et nunc in capite supplicæ ponitur, *Resignatio simplex sine provisione*. Dicitur autem *sine provisione*, quia in eadem supplica renuntiationis, nullus pro collatione, seu provisione supplicat, quemadmodum in resignatione *in favorem* fieri notavimus: & constat ex formula supplicæ, quam *lib.* 8. *quæst.* 7. refert Flaminius.

X. Ita quamvis quoad expressionem verborum, circa resignationes *in favorem*, non nihil mutatus sit stylus Curiæ Romanæ, res tamen eadem perseverat, manetque reverà resignatio *conditionalis*, & in favorem certæ, ac determinatæ personæ; ipsaque clausula *nec aliàs*, *nec aliter* semper subintelligitur.

XI. Itaque de hodierna resignatione *in favorem*, licèt ex stylo Curiæ dicatur *simplex*, verissimè dixit Flaminis Parisius *de Resignatione Beneficiorum*, *lib.* 1. *quæst.* 2. *num.* 3. » Re» signationes *in favorem* non erant in usu tempore Alexandri III. » Innocentii III. & Clementis V. E ideò non nisi de resignatio» ne *simplici* fit mentio in Decretalibus, *Lib.* VI. & Cle» mentinis. «

XII. Imò seculo XIV. eas necdum notas fuisse apparet, testaturque Arnulphus Ruzæus supremæ Curiæ Parisiensis Consiliarius *in suo tractatu juris Regaliorum*, *Privilegio* 32. *num.* 2. tempore Georgii de Ambasia de Regno Franciæ Legati *à latere* (sub initium seculi XVI.) in Palatiis ortam fuisse, & ventilatam hanc quæstionem; *utrum resignatio* IN FAVOREM *certæ personæ valeret*, *vel censeretur simoniaca*. Nonnulli eas esse licitas, atque à simonia omninò exemptas asserebant: quia illicitum non apparet desiderare aliquem, de cujus capacitate quis sufficienter est persuasus, habere in Beneficio successorem, eumque Papæ proponere, posseque Papam propositioni consentire sine ullius *pactionis* interventu. Quia non potest dici esse peccatum, quando quis vult renuntiare Beneficio suo, & consentit ut alteri conferatur: » quia Superior videtur solùm re» signationem acceptare; non autem verba apposita (*non aliàs*, » *nec aliter*) in procuratorio, quæ habentur *pro non adjecto*... » Quod in istis resignationibus, quæ fiunt in Curia Romana, vel » coram Legato, vel Ordinario solent Procuratores præstare ju» ramentum, quòd non intervenerit fraus, dolus, neque alia » simoniæ labes... Quòd clausula apposita per Notarios non de» bet nocere partibus, præsertim quòd *ex stylo ipsorum* appo» nitur, quæ nihil operatur... Præsertim quòd in quibusdam » procuratoriis apponitur illa clausula, *sub beneplacito* Summi » Pontificis, vel ejus Legati, aut alterius ad id Canonicam po» testatem habentis, quæ clausula multùm juvat... Quòd ante» quam conferatur Beneficium parti, supplicatur benignè Sum» mo Pontifici, Legato, vel Ordinario, aut alteri ad id potes» tatem habenti, sibi conferri Beneficium in ejus manibus resig» natum, & resignationem admittit Superior solùm habito res» pectu ad supplicationem, & quòd intentio supplicantis est ta» lis. Non autem habetur ratio ad clausulas positas in procura» torio, quæ tanquam superfluæ rejiciuntur. "

XIII. Hæc ibidem Ruzæus, qui & testatur, quòd his rationibus non obstantibus, per Arrestum supremæ Curiæ declaratæ fuerint similes resignationes *illicitæ*, & *simoniacæ*, tanquam continentes mentalem ut minùs pactionem ex parte resignantis, & conventionalem juxta expressa verba Procuratorii ad resignandum. „ Et quia procurator, qui debet diligenter serva-

„ re

„ re fines mandati, non potest aliter facere, quia si resignat „ purè & simpliciter, illud est contra tenorem mandati. Si ve- „ rò resignet in favorem talis, *& non aliàs, nec aliter, nec* „ *alio modo*, est contra naturam resignationis, & adstringit „ collatorem ad conferendum tali, cùm dependeat à sua mera „ libertate collatio Beneficii. Et sic in omnem casum vitiatur ta- „ lis actus; & quod dicitur simoniacè renuntiare, hoc expresso „ quòd alteri conferatur. "

XIV. Interim ex hoc discursu Ruzæi apparet, quòd circa annum 1500. incœperint hæ clausulæ, *in favorem*, *non aliàs*, *nec aliter* &c. irrepere in Procuratoria resignationum, idque forsan potiùs ex ignorantia, & stylo Notariorum, quàm intentione resignantium. Apparet quoque, quod Pontifices, neglectis his clausulis, resignationes illas passim admitterent tanquam *simplices*: quodque interdum etiam exprimeretur, quòd Resignantes se subjicerent *beneplacito Papæ*.

XV. Apparet insuper, quòd non tantùm coram Papa, aut Legato, sed & Ordinario ejusmodi resignationes fierent: ac per consequens nondum invaluisset reservatio harum resignationum Sedi Apostolicæ, quæ postmodum facta est, uti capite sequenti notabimus.

XVI. Hoc notatu dignum, inter omnes probationes pro justificatione harum resignationum à Ruzæo adductas, nullam peti ab auctoritate Pontificis *purgandi simoniam*. Argumentum admodum probabile, nondum tunc opinionem de auctoritate Pontificis purgandi simoniam in resignatione notam fuisse, aut saltem adhuc parùm receptam, ut in argumentum pro justificatione resignationis adducenda non videretur, uti rectè advertit Ludovicus Thomassinus *de Disciplina Eccles. part.* 4. *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 15.

XVII. Interim hoc scimus, usum earum resignationum, non obstante illo Parlamenti arresto sensim invaluisse, nec tantùm in Curia Romana, sed in Senatibus Regiis admissum fuisse; quin (ut suprà notavimus) Senatos Regios judicâsse, Papam non posse Beneficia in favorem certæ personæ resignata cum clausula, *non aliàs*, *nec aliter* alteri conferre, & per consequens Senatus Regios opinionem suam de usu harum resignationum mutâsse, contrariamque praxim admisisse.

An hæc mutatio adscribenda sit opinioni de purgatione simoniæ hîc interveniente, quæ Canonistis, & Theologis multùm familiaris esse cœpit, incertum est; quin contribuerit, vix dubitari potest: quamvis hîc nulla purgatio simoniæ necessaria videatur; neque in hanc purgationem refundi debere, quod hujusmodi resignationes hodie non ab Ordinariis, sed a Summo Pontifice probari debeant, quemadmodum ostendetur capite sequenti.

XVIII. Illud tamen inficiari nequit, in hisce resignationibus non raro simoniam, ut minus mentalem, intervenire, easque ut plurimum esse suspectas, quòd potiùs in favorem carnis & sanguinis fiant, quam in utilitatem Ecclesiæ. Certum quoque est, per has resignationes Beneficia quasi jure hæreditario in nepotes, & cognatos transmitti; aditumque & dignioribus ad Beneficia sæpè occludi, ipsosque Ordinarios jure collationis fraudari.

* Resignationes *in favorem* frequenter de simonia esse suspectas, multisque aliis vitiis subjectas, brevi verborum compendio expressit Michaël Rosellius in *Historia Pontificiæ Jurisdictionis*, *lib.* 1. *cap.* 4. *num.* 11. Postquam enim ostendit *num.* 10. renuntiationes Beneficiorum tandem *sine causa ob solum favorem admissas*; nec ampliùs attendi cœptum ad sex illas causas, quas *in cap.* 10. ✠ *de Renunt.* expressit Alexander III. subjungit. *num.* 11. » Sic perierunt jura, nec de cæ- » tero attenduntur sex illæ causæ, propter quas solas exaudiri » debere renuntiantem, ajebat idem Alexander III. grande pro- » cul dubio vulnus Ecclesiæ, cui nulla unquam manus mede- » bitur, nisi ipsa Pontificia suprema, *resecans favorabiles illas*, » *sed pestiferas resignationes*, quibus boni excluduntur, in- » digni admittuntur; fitque plurimum hæreditaria Beneficiorum » successio, quam tantoperè disciplina Ecclesiastica abhorruit. » Quod si resecârit, non forte ditiorem Episcopatum suum pos- » teris relinquet (quid enim prodest homini, si totum mundum » lucretur, animæ autem detrimentum faciat) ac sanctiorem. » Hæc ille. Utinam exaudiatur! «

XIX. Varia incommoda, & quidem gravia, quæ resignationes comitari solent, meritò dubitari faciunt, an non satius fuisset, juxta superiùs allegatum supremæ Curiæ Arrestum, nunquam hujusmodi resignationes admitti. An non & meritò nomine Caroli IX. Regis Galliæ à Patribus Concilii Trindentini postulatum fuerit, ut *Resignationes* IN FAVOREM *ejiciantur omninò à Curia Romana*? quamvis iis admissis & receptis, interdum in certis circumstantiis aliquis iis licitè in utilitatem Ecclesiæ uti posse videatur, quemadmodum capite sequenti latiùs dicetur.

XX. Altera species resignationis *conditionalis* hodie non minus, quàm præcedens communis, dicitur *Resignatio causa permutationis*. In permutationem enim uterque permutantium suum Beneficium resignat eâ conditione, ut alter alterius Beneficium assequatur: atque ita, tacita saltem & hîc utrimque resignatio *in favorem* intervenit: atque hâc ratione resignatio, quæ intervenit, revera est *conditionalis*.

XXI. Etiam seculo XII. hasce resignationes seu permutationes ab aliquibus iniri cœpisse constat ex Concilio Turonensi sub Alexandro III. *in cap.* 8. *de Præbendis*; quod *permutationem Dignitatum* fieri prohibet.

Verùm cùm Concilium Turonense de sola permutatione Dignitatum loqueretur, quæsitum fuit, num permutatio *Præbendarum* licita censeretur: respondit Urbanus III. in *cap.* 5. ✠ *de Rerum permut.* » Generaliter, teneas, quòd commutatio- » nes Præbendarum de jure fieri non possunt, præsertim cum » pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiri- » tualibus labem continet semper simoniæ. «

Ex his, aliisque Pontificum responsis, nec non Conciliorum Decretis circa idem tempus editis, manifestum est, permutationes Beneficiorum, præsertim pactione præcedente, fuisse reprobatas, tanquam de simonia ut minus admodum suspectas.

XXII. Nequaquam tamen traslationes Beneficiatorum auctoritate Superioris planè reprobatæ fuerunt; quas, & in Episcopis jam pridem Canones admisserunt, dummodo utilitas, aut necessitas Ecclesiarum has translationes postularet.

Hinc Urbanus III. in citato responso, quo permutationes Præbendarum per Concilium Turonense vetitas respondit, adjungit: » Si autem Episcopus causam inspexerit necessariam, » licitè poterit de uno loco ad alium transferre personas; ut quæ » uni minus sunt utiles, alibi se valeant utiliùs exercere. «

Evidens est per hanc clausulam, Pontificem non aliud velle, quàm Episcopos posse beneficiatos sua auctoritate transferre de una Ecclesia ad aliam, si inspexerint causam necessariam hujus translationis. Permutationes ergo Beneficiorum hîc probatas esse, ex prædicta clausula erui nequaquam potest.

XXIII. Attamen cùm ex responso Pontificis in Decretales relato haberetur, Episcopis licitum esse, Beneficiatos de uno loco ad alium transferre, cœperunt Beneficiati sua Beneficia ad manus Episcoporum resignare eâ conditione tacitâ, vel expressâ, ut eorum auctoritate ad mutuas Ecclesias transferri possent; sive alterius Beneficium consequi.

XXIV. Et primitùs quidem credebatur hæc Beneficiorum resignatio esse libera, quasi Beneficia ita resignata *verè* vacarent, possentque Episcopi ea *liberè* conferre; quin, & Expectantes, seu mandatarii Apostolici illa tanquam vacantia acceptare.

Verùm cùm alia sciretur esse mens Resignantium; sciretur- que, Beneficia hæc non resignari, nisi sub ea conditione, ut alter in alterius Beneficium surrogaretur, respondit Bonifacius VIII. Biterensi Episcopo in *cap. unico*, *de rerum permutat. in VI.* quòd expectantes, seu mandatarii Apostolici hujusmodi resignata Beneficia, tanquam vacantia acceptare nequeant: *Æquitatem* (ait) *præferentes hac in parte rigori*. Quasi diceret, licèt *de rigore* talia Beneficia *verè* vacent, tamen æquum non est, aliis ea conferri; quia Resignantes, nisi credidissent vi hujus resignationis se ad mutua Beneficia transferendos, ea non resignassent.

Eâdem æquitatis specie motus Pontifex in *Clementina unica*, *de rerum permutatione*, declarat: „ Ne concessione Ju- „ ris utentibus præsertim circa spiritualia illudatur, siqua Bene- „ ficia ex causa permutationis ab aliquibus resignata, aliis, quàm „ ipsis permutare volentibus conferantur, nullius hoc esse vo- „ lumus firmitatis."

XXV. Cùm ergo auctoritate Juris jam stabilitum esset, Beneficia ex causa permutationis resignata non posse aliis quàm ipsis permutantibus conferri, cœperunt Beneficiati passim sine metu amittendi sua Beneficia permutationes Beneficiorum concipere, & ex causa permutationis ad manus Episcoporum resignare; certi quòd si Episcopi permutationes non admitterent tranferendo Resignantes de uno ad illum Beneficium, ipsi permanerent in suis Beneficiis, nihilque de suo amitterent.

Episcopi verò scientes ex similium permutationum rejectione nihil sibi commodi obvenire; neque se posse de Beneficiis sic resignatis alicui alteri providere, admodum faciles fuêre, ut permutationes, sive resignationes ex causa permutationis admitterent ad beneplacitum Resignantium.

XXVI. Et quidem ipsi permutare volentes tractatum permutationis concipientes, permutationem conceptam ab Episcopis probandam nudè proponere cœperunt: adeò ut initium ipsum & fundamentum ab ipsis permutantibus poneretur; ipsi verò Episcopi consensum suum darent, atque permutantes, vi resignationis ex causa permutationis jam priùs inter ipsos conceptæ, de uno loco ad alium transferrent, aut transferendi auctoritatem impartirent. Quapropter hujusmodi mutationes Beneficiorum potiùs hodie vocantur *permutationes* Beneficiorum; quàm *traslationes*; eò quòd permututio per ipsos Beneficiatos priùs concepta præcipuas in hac mutatione, & translatione de una ad aliam Ecclesiam partes obtineat.

XXVII. De hisce permutationibus à compermutantibus concipi solitis verè dixit Boëtius Epo apud Duacenos olim

SS. Canonum Antecessor primarius in tractatu *de Saturnino permutationis Beneficialis jure*, *num.* 32. „ Permutationis be- „ neficialis exempla nullis in antiquis, aut Canonibus aut his- „ toriis Ecclesiasticis reperiuntur : adeò ut nec apud Isidorum, „ nec apud Burchardum, nec apud Ivonem, nec apud ipsum „ quidem novissimum Decretorum Collectorem Gratianum ulla „ prorsus extet permutationis beneficialis mentio. "

XXVIII. Illud quoque certum est, quòd licèt Ecclesia Resignationes Beneficiorum hujusmodi ignotas toleret, & admitat, nihilominus, non minus hodie, quàm olim, Ecclesia execretur turpes, ac illicitas in Beneficiorum resignationibus pactiones : necnon omnes de una ad aliam Ecclesiam translationes, quas non utilitas, aut necessitas Ecclesiarum, sed ambitio, aut turpis quæstus, vel carnis, & sanguinis carnalis affectus extorquent : quas licèt auctoritas humana subinde probet, aut non improbet, semper eas auctoritas divina, & lex æterna damnabit ; & Ecclesia à Spiritu Sancto directa execrabitur.

XXIX. Unde quia non rarò permutationes Beneficiorum non ad mentem Ecclesiæ instituuntur, sed vel pravis pactionibus infectæ sunt, vel à carnali affectu prodeunt, non immeritò hanc permutationis materiam *Saturninam* se vocâsse credit citatus Boëtius. „ Equidem (ait *num.* 1.) nominavi *Sa- „ turninam* permutationis hanc materiam non alia de causa, „ quàm quòd suos fœtus in summum sæpenumero soleat ad- „ ducere discrimen ; non secùs ac Saturnus crudeliter fœtum „ devorat proprium, sicut est in fabulis : licèt id ad naturam „ temporis, quod edax est rerum, plerique referant. Certè per- „ mutationes istæ beneficiales frequenter scrupulos gignunt in „ animis permutantium adeò duros, adeò præterea vehemen- „ tes, ac urentes, eosdemque justos, ut Saturni voracitas nul- „ llos unquam consimiles genuerit cruciatus illis ipsis, qui „ devorabantur : cùm graviter læsa conscientia non tempora- „ rios, at perpetuos experiatur cruciatus, qui ne morte qui- „ dem corporis finiuntur ; sed magis ac magis crescunt, & „ graviores, acrioresque redduntur, nisi salutaribus ante mor- „ tem fuerit expiata pœnitentiæ Christianæ, Catholicæque re- „ mediis. Quorum quidem remediorum præstat non indige- „ re, prudenter abstinendo talibus commerciis, quàm teme- „ rarias & quasi nundinatorias faciendo permutationes tantum „ subire periculum, cujus amator dignus est, qui pereat in illo."

CAPUT II.

De quorum consensu Resignationes admittendæ : et quæ causa requiratur.

1 *Adscriptus certæ Ecclesiæ eam, inconsultu Episcopo, deserere nequit.*
2 *Per Beneficium Clericus Ecclesiæ adscribitur.*
3 *Jure Decretalium, inconsulto Episcopo, nemo Beneficio renuntiare potest.*
4 *Quomodo contraria Praxis quoad renuntiationes simplices invaluerit.*
5 *Resignatio* in favorem *hodie à solo Papa admititur.*
* *Resignatio in favorem unionis faciendæ fieri potest auctoritate Ordinarii.*
* *Legatis Apostolicis non est facultas admittendi resignationes* in favorem.
6 *Ordinarius non potest hujusmodi resignationem probare rejecta conditione.*
7 *Hæc reservatio solet refundi in purgationem simoniæ à Papa faciendam.*
8 *Non intervenit hîc simonia juris* positivi.
9 *Purgatio simoniæ non videtur hîc magis necessaria, quàm in permutatione Beneficiorum.*
10 *Sicuti permutatio Beneficiorum potest à simonia esse immunis, ita & Resignatio* in favorem.
11 *Dispensatio, non purgatio simoniæ in Resignatione* in favorem *requiritur.*
12 *Vera ratio, quare potiùs permutatio, quàm Resignatio* in favorem *coram Ordinario fieri possit.*
* *Summus Pontifex resignationem* in favorem *à labe simoniæ non purgat.*
13 *Permutationes præmissa pactione improbavit Urbanus III.*
14 *Declaravit tamen posse Episcopum Clericum de uno ad alium locum transferre.*
15 *Hîc non probantur hodiernæ Beneficiorum permutationes.*
16 *Hæ permutationes frequenter illicitæ ; possunt tamen subinde esse licitæ.*
17 *Id confirmat S. Thomas.*
18 *Jure communi approbatio permutationis spectat ad Episcopum, licèt non sit collator Beneficiorum.*
19 *In Gallia inferiores Collatores etiam permutationes admitunt.*
20 *Exhibetur acta resignationis ex causa permutationis factæ coram Capitulo.*
21 *A recusata hujusmodi resignatione admittitur in Gallia recursus ad Superiorem.*
22 *In Belgio permutationis approbatio ferè ad solos Episcopos spectat.*
23 *Ad nonnullos tamen inferiores etiam in Belgio translata hæc auctoritas.*
24 *Collatores Ordinarii super permutatione Beneficiorum saltem audiendi sunt.*
25 *Patroni quoque interpellandi sunt, ut consensum præstent.*
26 *Superior consensum Patroni Ecclesiastici supplere potest.*
27 *Consensus Patroni laici absolutè necessarius ; neque suppleri potest.*
28 *In permutatione præter auctoritatem Superioris requiritur justa causa, & recta intentio ex parte permut antium.*
29 *Causæ permutationum ab Episcopis expendendæ.*
30 *Pius V. vetuit resignationes ex levibus causis admitti.*
31 *Vetuit idem, ne Ordinarii suis, aut resignantium consanguineis, affinibus, vel familiaribus conferant.*
32 *Quæ ratio editæ hujus Constitutionis.*
33 *Hæc non ubique recepta ; nec in Belgio observatur.*
* *Cur admissa non est Pii V. constitutio inhibens Ordinariis, ne admittant resignationes in favorem consanguineorum aut affinium resignantis.*
34 *Quod præcipuè in hac Constitutione intenditur, ubique servandum.*
35 *Hodiernæ permutationes, præsertim notabilis Beneficii cum Beneficio nullius, aut exigui proventus, rarò omni ex parte licitæ.*
36 *Possunt tamen aliquando esse licitæ.*

I. PRistinis Ecclesiæ seculis, nullum ordinari potuisse, nî unà certæ Ecclesiæ, in qua functiones Ordinis susceptî obiret, adscriberetur, sæpiùs notatum fuit ; eamque disciplinam per Synodum Tridentinum *Sess.* 23. *cap.* 16. *de Reform.* renovatam fuisse notavimus suprà *part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 4. additque Synodus : *Quòd si locum, inconsulto Episcopo, deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur.*

Quo Decreto manifestè prohibentur Clerici, etiam nullum Beneficium habentes, sed in ipsa ordinatione alicui Ecclesiæ tantummodò adscripti, ab ea, *inconsulto Episcopo*, recedere, ait Fagnanus ad *cap.* 4. ✠ *de Renunt.* ubi *num.* 15. subjungit: „ unde cavendum est à modernis Collectoribus, dum aliis re- „ latis, dixerunt, Presbyteris, & Clericis non habentibus Be- „ neficium in titulum personalem residentiam requirens, li- „ citum esse ire quò velint, & Ordinarios teneri eis litteras „ commendatorias concedere. Hoc enim est contra præcitatum „ Concilii Decretum. "

II. Cùm autem per Beneficiorum collationem hodie contingat, Clericos certis Ecclesiis, in quibus ipsa Beneficia fundata sunt, adscribi, consequens apparet, Clericos non magis in his Ecclesiis, quibus per Beneficiorum acceptationem, & Canonicam in iis institutionem alligati sunt, posse, *inconsulto Episcopo*, renuntiare, quàm si in ipsa ordinatione illis Ecclesiis essent adscripti.

III. Quapropter Tornacensi Episcopo etiam seculo XII. rescripsit Alexander III. „ Universis personis tui Episcopatûs sub „ districtione prohibeas, ne Ecclesias tuæ Diœcesis ad ordina- „ tionem tuam pertinentes, absque assensu tuo intrare audeant, „ aut detinere, aut *te* dimittere *inconsulto*. "

Hoc responsum pristinis Ecclesiæ Canonibus conforme, in Decretales Gregorii relatum, nimirùm in *Cap.* 4. ✠ *de Renunt.* partem juris communis constituit. Ex quo communiter concludunt Canonistæ, resignationes Beneficiorum, etiam simplices & absolutas fieri debere de consensu Superioris Ecclesiastici, qui vinculum illud, quo per institutionem Canonicam fuit Ecclesiæ adscriptus, solvere potest.

IV. Sensim renuntiationes, sive resignationes simplices & absolutæ Beneficiorum rariores esse cœperunt ; ipsique Superiores absque difficultate easdem admittere ; nam, uti post Zarabellam notat Fagnanus *loco citato*, *num.* 12. „ Superiores non „ curant, ut Beneficiati recedant de Beneficiis ; quin potius con- „ tenti sunt, ut possint aliis conferre."

Ex hac superiorum facilitate in admittendis Beneficiorum resignationibus invaluit tandem libera facultas renuntiandi Beneficiis ad manus Collatorum ; eaque sine consensu Episcopi sive Ordinarii deferendi, & se à vinculo, quo Ecclesiæ erat adstrictus, liberandi, nisi titulo Beneficii ad Sacros Ordines fuerit promotus ; quo casu ex præscripto Concilii Tridentini *Ses.* 21. *cap.* 2. *de Reform.* & Synodorum Belgicarum resignari non potest, nisi factâ mentione, quod ad illius Beneficii titulum sit promotus ; neque ea resignatio admittenda nisi constet, quòd aliàs commodè vivere possit ; & aliter facta resignatio nulla est : de quo actum suprà *tit.* 9. *cap.* 5.

Non eadem etiam hodie est libertas resignationis conditionalis, sive *in favorem* sive *causa permutationis*.

V. Et quidem resignatio in favorem certæ personæ cum clau-

clausula *non aliàs, nec aliter*, licèt primitùs etiam coram Ordinario facta videatur, hodie tamen solus Papa eam admittere potest; adeò ut nec Legatus eam probare possit, nisi *speciali* facultate sit instructus; uti notat Rebuffus in Praxi *part.* 3. *tit. de Resignatione conditionali*: eaque opinio hodie communiter tum à Canonistis, tum Theologis recepta est; ut pluribus citatis tradit Garcias de *Beneficiis*, *part.* 11. *cap.* 3. eamque probavit Pius V. per Constitutionem, quæ incipit: *Quanta Ecclesiæ* 58. *in Bull. Rom.* ubi absolutè prohibetur resignatio in favorem coram Ordinario, etiam in casibus, in quibus permittitur fieri resignatio simplex coram Ordinario.

* Si autem resignatio, seu renuntiatio non fiat in favorem certæ personæ, sed in favorem *unionis faciendæ* cùm clausula *non aliter, nec aliàs*, Ordinarius eam admittere poterit; & eo casu, si unio non sequatur, vel ob defectum solemnitatis rescindatur, resignans sine novâ collatione ad suum Beneficium reddit, uti monet Louetius in notis ad Molinæum in Regulam *de publicandis resignationibus*, *num* 175.

Hæc enim resignatio in favorem *unionis*, cùm non fiat in favorem certæ personæ, etiam dici nequit propriè dicta resignatio *in favorem*, prout hæc hodie accipitur, quæque speciem aliquam simoniæ, aut saltem hæreditariæ successionis in Beneficia præfert; sed unicè fit in favorem Ecclesiæ, quæ, ut supponitur, unionem illam requirit; nec eatenus sacris Canonibus, quemadmodum resignatio in *favorem certæ personæ* adversatur.

* Collatoribus ordinariis etiam Episcopis fas non esse juxta stylum, & praxim modernam admittere & probare resignationes in favorem, *num.* 5. notavimus; quin & id observat Molinæus ad Regulam Cancellariæ *de infirmis resig. num.* 184. additque nec id licere Legatis Apostolicis, etiam *à latere*, in vim generalis clausulæ, sive facultatis admittendi *quascunque resignationes*: » Sed (ait) requiritur, ut specialiter, & nominatim » id concessum fuerit. «

Rationem addit: » Hæc enim simoniaca est, & prohibi- » ta, & novum genus dispensationis exigens, igitur gratiâ & » facultate *speciali* opus, nec transit cum clausulis quantumvis » generalibus, & ita practicatur. «

Quin & addit, quod, tametsi interdum inter *facultates* Legati à latere specialiter, & nominatim expressa fuerit licentia admittendi hujusmodi resignationes, tamen Senatum Regium facultatem Legatorum nunquam voluisse admittere, nisi sub hac conditione, *ne possent in favorem admittere.*

Cùm verò nec Ordinariis, nec Legatis Apostolicis fas sit approbare resignationes *in favorem*, rectè ibidem observavit Molinæus, nec simplices resignationes coram Ordinariis, vel Legatis Apostolicis admissas recipi, si ex clausulis vel circumstantiis sufficienter patescat, eas revera fuisse *in favorem*, prout ibidem in casu quodam occurrente ostendit, resignationem quandam *simpliciter* factam coram Legato fuisse revera resignationem *in favorem*, ob clausulas ab ipso resignante in procuratorio expressas.

VI. Quin & ibidem dicit Garcias *de Beneficiis*, *part.* 11. *cap.* 3. *num.* 155. quòd nec poterit inferior à Papa conditionem rejicere, sive habere pro non adjecta, & resignationem simpliciter admittere: quod & multis probat Rebuff. loco supra allegato.

VII. Rationem hujus reservationis communiter refundunt Interpretes in simoniam, quam in hisce resignationibus intervenire credunt propter clausulam *nec aliàs, nec aliter*, quæ pactionem quandam continere videtur. Omnem autem pactionem in spiritualibus simoniam continere probant ex *Cap. fin. de Pactis*, junctâ Glossâ. Dicit enim Pontifex: » Pactiones factæ à vo- » bis (ut audivimus) pro quibusdam spiritualibus obtinen- » dis, cùm in hujusmodi omnis pactio, omnisque conventio de- » beat omninò cessare, nullius penitùs sunt momenti. «

Cur autem pactiones nullius sint momenti docet ibidem Glossa: *quia hujusmodi pactiones inducunt* SIMONIAM.

Ut ergo hæc resignatio à simonia eximatur, eam à Papa confirmandam putârunt: utpote cui soli ex eorum opinione auctoritas purgandi simoniam competit.

Hinc Andreas Vallensis in Tractatu *de Beneficiis*, *Lib.* 3. *tit.* 28. *num.* 2. postquam dixit, quòd resignatio in favorem debeat fieri coram Pontifice juxta stylum Curiæ, & Constitutionem Pii V. rationem subjungens, ait: » Quia conditio in- » ducit *Simoniam*, secundum Glossam, & plerosque Docto- » res, quam *solus* Pontifex, non etiam Ordinarius, vel Le- » gatus *purgare* potest, tanquam quæ sit juris positivi, non » divini, vel naturalis. «

VIII. Verùm si sit simonia duntaxat juris *positivi*, eam per Canonem, aut aliquod Decretum *positivum* inductam esse oportet. At Canones & Decretales, quæ pactiones in spiritualibus simoniacas, & illicitas esse dicunt, nihil de *novo* constituunt; sed tantùm quid sit, declarant; uti ex ipsorum tenore manifestum est; ac notanter verbis citati Capituli finalis ※ *de Pactis*, patescit Pontificem pactiones illas non facere, sed declarare, seu potiùs supponere illicitas esse. Dicit enim idem de his pactionibus esse dicendum, quod de aliis, *quæ observatæ vergunt in animæ detrimentum*: quæ indubiè non jure positivo duntaxat, sed & divino, ac naturali illicitæ sunt.

IX. Ulteriùs, si resignatio *in favorem* contineat simoniam à solo Pontifice purgandam, propter pactionem in ea intervenientem; cur non similis simonia dicitur intervenire in resignatione Beneficiorum ex *causa permutationis*: quandoquidem & hæc resignatio sit *conditionalis*: contineatque pactionem & conditionem, quòd *non aliàs nec aliter* resignentur Beneficia, quàm sub ea conditione, ut alter alterius Beneficium consequatur?

X. Sed dicent forsan: Compermutantes tantùm simpliciter intentionem suam Ordinario exponunt, qui si eam probet, suâ auctoritate permutationem conceptam probat; atque compermutantes à vinculo, quo ratione Beneficii Ecclesiis suis respectivè alligabantur, absolvit; & de una Ecclesia ad aliam Ecclesiam transfert: in quibus nulla vel species simoniæ esse videtur.

Nequaquam negavero, quin si permutatio Beneficiorum fiat pro ut eam Canones fieri volunt, ea possit ab omni simonia esse planè exempta. Sed quidni resignationem *in favorem* similiter immunem à simonia esse posse dicamus?

Sicuti enim secundum formam juris, permutantes totum auctoritati Superiorum subjiciunt, in unum postulantes, ut si Superiori videatur, ipsos à vinculo, quo suis Ecclesiis alligantur, absolvat, atque suâ auctoritate ad mutuas Ecclesias transferat: similiter resignans in favorem certæ personæ, exponit Pontifici, se desiderare à vinculo, quo huic Ecclesiæ per Beneficium obstringitur, absolvi; modo tamen hunc, quem huic Ecclesiæ maximè convenire judicat, succesorem habere, aut nominare queat; totum interim, quemadmodum permutantes, Pontificis arbitrio subjiciens: qui hoc unum expendere debet, num conveniat, ratioque sufficiens sit, ut in Canonibus, qui prohibent, quòd quis sibi successorem nominent, dispensandum sit.

XI. Itaque nulla hîc, non magis quàm in permutatione Beneficiorum, purgatione *simoniæ* opus videtur; sed solâ dispensatione, quâ permittatur, ut quis sibi Successorem nominet; quæ dispensatio sensim, uti multæ aliæ Pontifici reservari potuit, sicuti eam hodie illi reservatam scimus.

Et licèt legamus, Pontifices aliquando cum simoniacis per dispensationem mitiùs egisse, pœnasque simoniacorum mitigâsse, nullibi tamen legimus, Pontifices contractum alioquin simoniacum à simonia purgâsse; aut indulsisse, ut conventiones, quæ alias essent simoniacæ, sua auctoritate absque simonia inirentur: quemadmodum latius ostendemus *tit.* 29.

Hinc cum nomine Caroli IX. in Concilio Tridentino peteretur, ut resignationes *in favorem* dejicerentur omninò à Curia Romana, ratio non à simonia petita fuit, sed à transgressione Canonum vetantium designationem successoris: *est enim* (ajunt) *sacris Canonibus constitutum, ne quisquam sui Officii quærat, aut eligat Successorem.*

XII. Soli ergò positivæ reservationi adscribendum, quòd resignatio in favorem, non æquè resignatio *ex causa permutationis* fieri queat coram Ordinario. Ulteriùs hinc discimus, quòd Rex Galliæ admittens resignationes *in favorem* Beneficiorum vacantium in Regalia, non *purget simoniam*; sed tantum permittat Beneficiatis electionem, seu nominationem Successoris.

* Pactiones in spiritualibus, & provisionibus Beneficiorum continere simoniam, non tantùm juris humani, sive positivi, sed juris Divini nullâ humana auctoritate purgandam, probatum est superiùs; atque ulteriùs conclusum, quòd si resignatio *in favorem* censeatur simoniaca ob clausulas *non aliter, nec aliàs*, hæc per Pontificem abstergi, sive purgari nequeat, ideoque nec dici posse, approbationem sive admissionem hujus resignationis esse Pontifici reservatam; quasi solus Pontifex resignationem hanc à simonia purgare queat.

Illud fatendum est; admodum esse verisimile ad inducendam hanc reservationem, plurimum contribuisse Scholasticorum, & Canonistarum aliquorum opinionem, qui similes resignationes *in favorem* ob interpositam clausulam, *non aliter, nec alias*, esse simoniacas dicebant; easque Auctoritate Pontificia ab hac labe esse purgandas.

Certum enim est, quod tunc temporis reperirentur Doctores non pauci, præsertim inter Canonistas, qui asserere non vererentur, eam esse Pontificis auctoritatem, ut non tantùm similes pactiones à Simonia purgare, sed quòd & ipse Pontifex sine simonia Beneficia liberè *vendere* posset, uti de quibusdam Canonistis altè deploravit celeberrimus ille Prælatorum Conventus sub Paulo III. ad indicandos abusus in Concilio Tridentino reformandos, uti in hoc opere non semel notavimus.

Et quidem Molinæum in ea fuisse opinione, quòd auctoritas admittendi resignationes *in favorem* Romano Pontifici fuerit reservata; ita, ut neque Legatis *à latere* hujus resignationis admissio concedatur ob simoniam, quæ huic resignationi inesse credebatur, patescit ex ejus verbis *num.* 5. relatis.

Hoc sanè negari nequit, quin hodiernæ Beneficiorum resig-

nationes *in favorem* frequenter sordidis ac illicitis, quin & simoniacis pactionibus sint infectæ; sed has auctoritate Pontificiâ ab omni labe expurgari, nescio, quo fundamento asseri queat.

XIII. In resignatione *ex causa permutationis* videtur intervenire conventio, sive pactio, quâ compermutantes inter se conveniunt, ut alter alterius Beneficium habeat; sive quâ mediante Beneficia inter se permutentur. Hæ pactiones, & conventiones super spiritualibus cùm illicitæ & simoniacæ viderentur, rescripsit Urbanus III. » Generaliter tenendum, quod commutationes » Præbendarum de jure fieri non possunt: præsertim (ait) cum » *pactione* præmissa, quæ circa spiritualia, vel connexa spiritua- » libus labem continet semper simoniæ. « *Cap.* 5. ℟ *de Rerum permutat.*

XIV. Deindè ibidem subjicit Pontifex: „ Si autem Episco- „ pus causam inspexerit necessariam, licitè poterit de uno lo- „ co ad alium transferre personas; ut quæ uni loco minùs sunt „ utiles, alibi se valeant utiliùs exercere.

Ex hoc Pontificis responso, aliisque Canonibus, & Decretis habetur, quòd omnis conventio super permutatione Beneficiorum vetita sit; relicta tamen Episcopo auctoritate Beneficiatos de uno ad alium locum transferendi, si id in utilitatem cedere posse perspexerit.

XV. De sola ergò Beneficiatorum translatione auctoritate Episcopi ob necessitatem, aut utilitatem Ecclesiarum facienda, hîc agit Pontifex, eamque probat; & antiquitùs nonnunquam factam, & à sacris Canonibus probatam scimus.

At hodie non tantùm fiunt auctoritate Episcoporum translationes, sed inter ipsos Beneficiatos passim incuntur permutationes Beneficiorum; atque super iis, non secus atque super contractibus civilibus, publica instrumenta conficiuntur: quarum nec antiquitas meminit, nec Canones ullibi probant.

XVI. Verum est, inspectis Canonibus, & Decretis permutationes hujusmodi videri absolutè vetitas; utpote *pactionem* aliquam continentes, quam reprobatam esse in spiritualibus declaratur in citato *Cap.* 5. ℟ *de Rerum permutat.*

Nec sanè diffitendum est, in his permutationibus *crebrò aliquam simoniæ labem, aut aliam illicitam intervenire corruptelam*, uti loquitur Synodus Coloniensis *part.* 1. *cap.* 34. nihilominus si ob utilitatem, aut necessitatem Ecclesiarum duo Beneficiati simpliciter inter se deliberent de permutandis Beneficiis; atque conceptum permutationis etiam coram Notario expediant. eâ intentione, ut Beneficiis ad manus Ordinariorum resignatis auctoritate Superiorum, & viâ Canonicæ institutionis alter alterius Beneficium assequatur, sive de una ad aliam Ecclesia transferatur, hujusmodi permutationem posse esse à simonia, omnique alio vitio immunem credunt Canonistæ, quamvis permutationes periculosas esse non ambigant.

XVII. Itaque cum Doctore Angelico 2. 2. *quæst.* 110. *art.* 1. *ad.* 5. dicendum: „ Nec permutatio Præbendarum vel „ Ecclesiasticorum Beneficiorum fieri potest propriâ auctoritate „ *partium* absque periculo simoniæ: potest autem Prælatus „ ex officio suo permutationes hujusmodi facere pro causa utili, „ vel necessaria. "

XVIII. Inspecto jure Decretalium, Superior, sive Prælatus, cujus auctoritate permutationes fieri possunt, solus Episcopus videtur. Nec enim aliis inferioribus Prælatis hæc auctoritas Jure communi delata scitur. Nec mirum; cùm ipsis Episcopis tanquam Ecclesiarum primariis directoribus, præcipuè incumbat judicare, & declarare, an expediat personas de una Ecclesia ad aliam transferri.

Hinc statuunt Canonistæ, approbationem permutationis de quibuscunque Beneficiis Jurisdictioni Episcopi subjectis, ab Episcopo esse faciendam; tametsi collatio Beneficiorum aliis competat: notatque Joannes Chokier in tractatu *de Permutatione Benef. num.* 7. „ Quòd, si nec collatio, nec confirmatio „ pertineat ad Diœcesanum, nihilominus illius auctoritas re- „ quiratur, etiamsi illorum, ad quos pertinet Beneficiorum pro- „ visio, intervenerit auctoritas. "

XIX. Dicit tamen Molinæus ad Regulam *de infirmis resignantibus*, *num.* 29. quòd in Gallia Episcopi perdiderint auctoritatem, quam de jure habent in permutationibus inferiorum Collatorum, addens: „ Inferiores enim Collatores Beneficiorum „ ad suam collationem pertinentium, permutationes, *incon-* „ *sultis* Diœcesanis, apud nos expediunt, & hoc contra jus „ Pontificium in Gallia toleratur. " Quod & alii Galliæ Pragmaticæ notârunt.

XX. Exhibet Claudius Horry in suo novo tractatu de *materia beneficiali*, *pag.* 505. actam, per quam constat, quòd quidam Presbyter exhibuerit Capitulo Ecclesiæ Metropolitanæ Parisiensis actam resignationis *ex causa permutationis* in suum favorem factæ de Canonicatu & Præbenda in Ecclesia Collegiata S. Stephani a Græcis in Civitate Parisiensi, petieritque in vim hujus resignationis, eam Præbendam sibi à Capitulo conferri: *Et en consequence les auroit tres humblement requis & supplez de vouloir bien* AGRE'ER *ladite resignation, & sur icelle luy accorder luers lettres de collation & provision.*

Cùm verò Capitulum tertiò requisitum (quarum requisitionum formulæ, & attestationes ibidem exhibentur) tergiversaretur, litterasque approbationis, resignationis, & collationis non daret; tandem ipse Resignatarius pro approbatione resignationis, & collatione Canonicatûs recurrit ad Archiepiscopum Parisiensem, rogans, ut ipse defectum Capituli supplendo, dictam resignationem approbare, & collationem dare dignaretur.

In consequentiam hujus requisitionis, Archiepiscopus Parisiensis litteras provissionis in favorem requirentis expedivit, quæ integræ exhibentur à Claudio Horry *pag.* 509.

In his litteris præfatur imprimis Archiepiscopus: „ Cano- „ nicatum, & Præbendam secularis & Collegiatæ Ecclesiæ „ S. Stephani à Græcis ad collationem, provisionem, & quam- „ vis aliam dispositionem venerabilium virorum Decani, Cano- » nicorum & Capituli Ecclesiæ nostræ Parisiensis existentes, & » pertinentes, liberos nunc & vacantes per dimissionem, seu » resignationem Magistri Petri De Laistre Presbyteri, illorum » ultimi legitimi & immediati posessoris, in manibus dictorum » Decani, Canonicorum, & Capituli per Magistrum Carolum » de Blois, ejus procuratorem ad id ab eo specialiter constitutum, » *causa tamen Canonicæ permutationis* dictorum Canonicatûs & » Præbendæ pro Capella sancti Leonardi juxta pontem sanc- » ti Mauri nostræ Diœcesis, & *non aliàs, aliter, nec alio* » *modo* factam. «

Hinc manifestum est, Archiepiscopum Parisiensem agnoscere, resignationes *ex causa permutationis* posse fieri & probari à Capitulo tanquam ordinario Collatore Præbendæ resignatæ.

XXI. Post hæc subjungitur in dictis litteris, quæ cum præcedentibus sensum perfectum conficiunt: „Quam (resignationem) » admittere recusaverunt prout tribus actis, primò scilicet 28. » secundo verò 30. tertio denique 31. diebus hujusve mensis » Augusti initis, Monssinot & Horry signatis, nobis legitimè » compertum est; tibi præsenti, sufficienti, capaci & idoneo, » in *recusationem* dictorum Venerabilium Decani, Canonico- » rum, & Capituli Ecclesiæ nostræ ad conservationem tui juris » contulimus, & donavimus, conferimusque, & donamus, ac » de illis suis juribus, & pertinentiis universis providimus, & » providemus per præsentes. «

Hæc ulteriùs probant, non tantùm resignationes ex causa permutationis coram Ordinariis Collatoribus fieri; sed etiam ab eorum rejectione ad Superiorem recursum admitti.

XXII. In Belgio tamen id nequaquam generaliter receptum est, sed Episcopi auctoritate probandi permutationes Beneficiorum ad inferiores Collatores spectantium etiamnum hodie potiuntur; nec apud nos hactenus praxis invaluit, ut Collatores inferiores passim, inconsultis Diœcesanis, permutationes expediant, aut resignationes causâ permutationis admittant.

XXIII. Hoc tamen negare non possumus, approbationem permutationis ad ea, quæ jurisdictionis Episcopalis sunt, non autem quæ Ordinis sunt, pertinere: & consequenter longâ consuetudine ad Prælatos inferiores transferri posse, quemadmodum rectè notat Joannes Chokier *loco citato*, *cap.* 6. addens: » Quale jus habent inferiores ab Episcopo Leodii, qui quotidie » permutationibus Beneficiorum, quorum ipsi Collatores sunt, » auctoritatem præstant. " Tali jure utuntur & hîc quædam Capitula circa permutationes Beneficiorum Simplicium ad eorum plenam collationem spectantium: quæ consuetudo juvatur ex *Cap. Unico*, *de Rerum permutat. in* VI. ubi videtur Episcopo tantùm dari facultas probandi permutationes Beneficiorum ad suam collationem spectantium.

XXIV. Quamvis de jure communi, & hodierna Belgii praxi Collatores inferiores permutationes suâ auctoritate expedire non possint, nisi speciali titulo eam auctoritatem acquisiêrint; tamen, quia de Beneficiis ad ipsorum collationem spectantibus transferendis de una in aliam personam agitur, meritò prævie ante permutationem audiri debent, uti tradit Chokier *in dicto tractatu*, *cap.* 19.

XXV. Nec tantùm Collatores, sed & Patronos audiendos, & interpellandos esse, communis est Canonistarum sententia; quin, & inter alia requisita ad validitatem permutationis requirit Rebuffus in Praxi *parte* 3. *tit. de Permutatione*, *num.* 12. consensum illorum, ad quos præsentatio spectat, vel electio (c).

XXVI. Sed quid, si Superior judicet permutationem valdè utilem, aut etiam necessariam Ecclesiæ, & Patronus consentire nolit? Cogi poterit, vel superior approbare eam poterit, ait Rebuffus *num.* 22. additque: „ Et hodie usus communis ob- „ tinuit, quòd post requisitionem Patroni, maximè etiam eo „ non consentiente, permutatio approbatur ab Episcopo & va- „ let; & sic judicavit totus Senatus Parisiensis."

Declarationem Cardinalium conformem refert Garcias *de Beneficiis*, *part.* 11. *cap.* 3. *num* 127.

XXVII. Hæc quidem si jus Patronatûs fuerit Ecclesiasticum, Si

(c) *Adde jam anteà citatum Breve Benedicti XIV. contentum in fine leg.* 11. *& remissionem* 20. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recop.*

Si autem laicum fuerit, non tantùm Patronus interpellari debebit, jusque consensus postulari; sed & reipsa obtineri debet. Quocautem nec Ordinarius, nec Papa, saltem in Gallia, & his Prvinciis, consensum resignationi dare queat, sive juri Patrontûs derogare sæpiùs sub titulo *jure Patronatûs* notatum fuit; Idque sive jus Patronatûs laicum proveniat ex fundatione, sive exprivilegio. Imò etiam jus Patronatûs sit mixtum, hoc est, prtim laicum, partim Ecclesiasticum: idque etiam ubi plures essent Ecclesiastici, quàm laici, uti superiùs ostendimus *tit. 25. cap. 2.* Et declausula derogatoria juris Patronatûs laicalis Bullis Pontificii inseri solitâ, videri possunt quæ suprà *tit. 24. cap. 5.* notata sunt.

Et quidem Edicto Regio in Februario an. 1678. in Gallia declaratum est, omnes conventiones permutationis Beneficiorum juris Patronatus laicalis, & resignationes, aliaque acta inde subsecuta, esse nula, & abusiva, si Patroni laici non annuerint præsentationi, aut dederint suum consensum *in scriptis* ante captam possesionem, etiamsi dicti Patroni fuerint interpellati, & requisiti; quæ requisitiones, & interpellationes declarabuntur nullæ. In actis Cleri Gallicani *tom. 5. parte 8. tit. 3. n. 24.*

XXVIII. Ut permutationes Beneficiorum omni ex parte sint licitæ, non tantùm requiritur Superiorum auctoritas, quâ mediante, Beneficiati de una Ecclesia ad aliam transferantur; sed insuper requiritur recta intentio, & justa causa.

Certum imprimis est, permutationes illas nullâ, etiam Summi Pontificis, auctoritate ex omni parte justificari posse, in quibus non utilitas, aut necessitas Ecclesiarum, sed lucrum aliudve temporale à compermutantibus attenditur.

Unde ex S. Thomâ *in 4. Dist. 25. quæst. 3. art. 3.* notat Chokier in Tractatu *de Permut. Benef. parte 2. cap. 21.* » quòd » permutatio debet fieri pro causa spirituali, puta, ut meliùs » Deo serviatur, seu ut tali loco possit quis Deo meliùs servire.«

Et Petrus Cantor in Verbo Abbreviato *cap. 40.* ait: » Si » quis legitimè sortitus est Ecclesiam, & quærit occasionem ut » eam dimittat, *quia alia pinguior est & uberior*, secundum » pœnam constitutam in Canonibus puniri deberet, & in ea » manere omni tempore vitæ suæ.

Si hodiernæ permutationes ritè expendantur, verendum, ne & hodiè dicere possimus cum sapientissimo illo delectorum Prælatorum Conventu sub Paulo III. » Alius item abusus in per» mutationibus Beneficiorum, quæ fiunt cum pactionibus, quæ » simoniacæ omnes sunt, nulloque respectu habito nisi lucri.«

Et quod jam pridem notavit Rebuffus *in praxi, part. 3. tit. de Resignatione expressâ, num. 3.* » Hodiè causa causarum » (resignationum) est affectio carnis: quia omnes volunt suos con» sanguineos præficere Ecclesiis, quibus fortè malè præfuerunt, » ut pessimè quoque illi postea præsint; & ista est, quæ jam du» dum labefactavit totam Ecclesiam. Altera etiam est causarum » regina pecunia.«

XXIX. Non tantùm ex parte permutantium exigitur recta intentio, atque justa causa permutationis, sed & ipsis Superioribus constare debet, permutationes in utilitatem aut necessitatem Ecclesiæ fieri. Tunc enim licitè posse Episcopum de uno loco ad alium transferre personas, declarat Pontifex in *Cap. 5. de Rerum permutat.* » Si causam inspexerit necessariam: ut » quæ uno loco minus sunt utiles, alibi se valeant utiliùs exerce» e.« Vel ut loquitur S. Thomas verbis suprà citatis: » Potest » prælatus ex officio permutationes hujusmodi facere, pro causa » tili, vel necessaria.«

Ex quibus facilè est concludere: Prælatis in permutationum aprobatione unicè utilitatem, aut necessitatem Ecclesiarum præ oculis habendam esse.

Ulteriùs prævie ad approbationem seriò examinandum, num permutatio hujusmodi motivo necessitatis, aut utilitatis nitatur; idque eo exactiùs examinandum, quo majora sunt Beneficia, dequorum permutatione tractatur, majusque posset esset præjuccium, quod similium Beneficiorum parùm Canonica permutato parere potest.

XXX. Pius V. Papa animadvertens, quanta Ecclesiæ Dei incommoda omni tempore attulerit, & nunc quotidiè afferat ministrorum in eam vitiosa ingressio; quodque hoc malum in cæteris frequens, tum maximè in Beneficiorum & officiorum dimissione admittatur; præcavere voluit, ne *resignationes* ipsæ dehinc pro cujusque arbitrio, nullisque vel certè levibus de causis passim & temerè admittantur.

Hunc in finem prohibet, resignationes ullas coram Ordinariis admitti nisi ex certis, & determinatis causis in constitutione nominatim expressis, quas singillatim examinat Flaminius Parisius *Lib. 5. de Resignat. Benef. quæst. 6.*

XXXI. Decernit insuper in eadem Constitutione, quòd Ordinarii admittentes resignationes ex causis ibidem expressis, conferre non possint ulla Beneficia suis, aut resignantium consanguineis, & affinibus, vel familiaribus. Verba Constitutionis sunt: » Cæterùm præcipimus, atque interdicimus, nec ipsi Episcopi, » aut alii collatores de Beneficiis, & officiis resignandis prædic» tis, aut suis, aut dimittentium consanguineis, affinibus, vel » familiaribus, etiam per fallacem circuitum multiplicatarum in » extraneos collationum, audeant providere.« Incipit, *Quantæ Ecclesiæ, 58. in Bull. Rom.*

XXXII. Hanc Constitutionem editam esse, ne illæ renuntiationes fiant ob carnis affectum, & nec consanguinei, vel familiares fiant hæredes bonorum Ecclesiæ, rectissimè post Cardinalem Tuschum notavit Flaminius Parisius *in citata quæstione, num. 192.* cui & alteram adjicit *num. 193.* » Ut tollantur fraudes » & confidentiales renuntiationes.« Quæ ratio elicitur ex ipsis verbis Constitutionis immediatè præcedentibus: » Caveant au» tem Episcopi & Patroni, tam Ecclesiastici quàm laici, qui» cunque sint, ne verbo quidem, aut nutu, vel signo futuri in » hujusmodi Beneficiis successores, ab ipsis resignantibus, aut » aliis, eorum signatione, vel hortatu designentur, aut de his » assumendis promissio inter eos, vel etiam intentio qualiscun» que intercedat.«

XXXIII. Hanc Planam Constitutionem non esse ubique receptam; atque resignationes coram Ordinariis præter formam hîc expressam multis in locis admitti, constat. Hanc disciplinam in Galliis observari satis testantur Acta nova Cleri Gallicani *tom. 10.*

Et quidem Garcias loquens de hac Constitutione *part. 11. cap. 3. num. 270.* testatur, eam non benè servari in Hispania; » ubi prætenditur (ait) eam non esse receptam, sed esse ab ea » supplicatum, saltem quoad illud de non conferendis Beneficiis » resignatis consanguineis affinibus, aut familiaribus collatorum, » vel resignantium, audivi ita fuisse per Consilium Regium scrip» tum Episcopis.«

Similiter Zypæus in Jure novo *tit. de Renuntiat.* postquam summatim retulit hanc Constitutionem, subjungit: » Sed ut mul» tæ aliæ, hæc Bulla hîc publicata aut usu recepta non est, quia » restringit Ordinariorum facultates: etiamsi fortè hîc non ex» pressæ causæ, jure tamen non improbatæ essent.«

Notorium sanè est, hîc in Belgio passim admitti resignationes, & permutationes coram Ordinariis ex causis in hac Constitutione non expressis; atque Beneficia resignata conferri consanguineis, affinibus, & familiaribus Ordinariorum resignantium, non obstante hâc Constitutione; nullamque propterea quæstionem de similium resignationum validitate moveri.

* Ex dictis concludere licet Pii V. Constitutionem, in quantum restringit auctoritatem Ordinariorum, in plerisque Regnis non esse receptam: atque Episcopos, non obstante hâc Constitutione, admittere resignationes ex *causa permutationis in favorem* consanguineorum, & affinium resignantium, jisque Beneficia resignantium conferre.

Probè quippe intelligebant Episcopi, per hanc Constitutionem nequaquam resignationibus simoniacis, vel carnem & sanguinem ac hæreditariam successionem præferentibus finem imponendum, aut moderationem adferendam; sed duntaxat auctoritati Episcoporum limites figendos, dum hæc Constitutio hasce Beneficiorum resignationes, & provisiones in favorem consanguineorum, & affinium Resignantium, in Curia Romana admitti non interdicit; sed eas admittendi Romano Pontifici auctoritas integra relinquitur.

Et sanè, si attendantur hodiernæ, & frequentes Beneficiorum resignationes *in favorem*, vix ullæ reperientur, quæ non fiant *in favorem* consanguineorum, aut affinium ipsorum resignantium, quæ tamen in Curia Romana indifferenter admittuntur: ut vel hinc patescat in Curia illa ad prædictam Pii V. Constitutionem fieri reflexionem exiguam.

XXXIV. Cæterùm in quantum hæc Constitutio vetat, resignationes levibus, aut nullis ex causis admitti; aut Beneficiorum resignatorum intuitu carnis, & sanguinis provissionem fieri; vel pactiones simoniacas, aut confidentiales interponi; eatenus prædicta Constitutio non tantùm omnes omninò Ordinarios, sed & ipsum Pontificem obstringit.

Licèt enim resignationes ex levibus, aut nullis causis, vel intuitu carnis, & sanguinis, aut cum *occulta* pactione simoniaca, vel confidentiali factæ, & admissæ coram Pontifice, vel Ordinariis in locis ubi Constitutio recepta non est, lege *positiva* non irritentur, aut in foro fori tanquam invalidæ non semper argui queant; semper tamen coram supremo Judice, & in foro poli, ut illicitæ, & Legi æternæ contrariæ condemnabuntur; quemadmodum suprà circa dispensationem Pontificiam super pluralitate Beneficiorum notavimus; & infrà circa collationem Beneficiorum factam minùs dignis, omissis dignioribus, notabimus.

XXXV. Sed dicet quis, passim solent fieri permutationes Canonicatuum, aliorumque Beneficiorum notabilium cum Beneficiis Simplicibus, frequenter etiam nullius proventus, quæ *de Pertica* dici consueverunt; & quibus etiam ipsi resignantes nunquam intendunt deservire; quinimò eadem mox, absolutâ permutatione, dimittere intendunt: ita ut sat appareat, hujusmodi permutationes eo solo fine fieri, ut Ordinariis libera provisio eripiatur, & notabiliora Beneficia cedant Resignatariis. Negari non posse videtur, similes resignationes sæpè de fraude, &

de carnali affectu meritò esse suspectas, & rarò totaliter ab iis exemptas.

XXXVI. Fieri tamen potest, ut quis hujusmodi resignationibus, vel permutationibus, postquam usus nunc invaluit, rectè utatur.

Quod si enim videat, quòd Canonicatui ulteriùs deservire nequeat, aut satis appareat, se aliò vocari; & consequenter intelligat, Ecclesiæ melius, & utilius esse, ut Canonicatum dimittat; at unà advertat, quòd si liberè eum ad manus Ordinarii dimittat, eum verisimiliter indigno, aut certè parùm digno conferendum. Quidnî eo casu, ut consulat Ecclesiæ, eum potiùs resignabit ex causa permutationis illi, quem scit admodum Beneficio illi convenire, multumque fructus in Ecclesia adferre posse: id unicè in hac permutatione præ oculis habens, ut Ecclesiæ de optimo ministro provideat, mediante quidem medio, quo multi abutuntur; sed quo jam introducto, ipse in utilitatem Ecclesiæ benè utitur; cavendo tamen, ne id in pusillorum scandalum cedat?

CAPUT III.

De Procuratorio ad resignandum.

1 *Resignatio Beneficii fieri potest per procuratorem etiam* laicum.
2 *Procurator ad resignandum hodie constitui solet per instrumentum* publicum.
3 *Debet Procuratorium confici à Notario, & qualis hic esse debeat.*
4 *In Camera Apostolica non admittitur Procuratorium, nisi præter Notarium adsit sigilum Communitatis.*
5 *Resignans unà cum Notario instrumento subscribere debet.*
6 *Requiritur Procuratorium* speciale.
7 *Quod hîc dicatur* speciale.
8 *Procuratorium ad aceptandum simul, & resignandum non valet.*
9 *Ratio, ob quam speciale mandatum requiritur, evincit hanc disciplinam esse recentem.*
10 *Procurator præstare debet juramentum in animam resignantis.*
11 *Querela Synodi Coloniensis de præcipiti, & facili hujus juramenti præstatione.*
12 *Quod hîc optat Synodus, meritò & in aliis juramentis servaretur.*
13 *Procurator ad resignandum constitui solet cum facultate substituendi; & quando substitutus possit uti mandato.*
14 *Refertur Regula Cancellariæ de consensu præstando in resignationibus.*
15 *Ratio hujus Regulæ.*
16 *An præsens in curia possit præstare consensum per Procuratorem.*
17 *Quo loco hic consensus præstandus.*
18 *Qualis hic consensus requiratur.*
19 *Hic consensus demùm perficit resignationem.*
20 *Procuratorium ad resignandum datum sine limitationis temporis quandiu duret.*
21 *Morte mandantis exspirat procuratorium ad resignandum.*
22 *Aliquando, mortuo mandante, potest Procurator adhuc præstare consensum.*
23 *Procurator revocatus potest præstare consensum, quandiu revocatio non fuit intimata.*
24 *Revocatione Procuratoris non extinguitur mandatum, nisi revocatio sit intimata.*
25 *Quomodo, & cui hæc intimatio facienda.*
26 *Quandiu resignanti sit liberum revocare mandatum.*
27 *Dato procuratorio ad resignandum coram Papa, non potest fieri resignatio coram Ordinario.*
28 *Quæ in constitutione Procuratoris hodie exiguntur, antiquitùs incognita fuêre.*

I. REnuntiatio, sive resignatio tam simplex, quàm *in favorem*, vel *causa permutationis*, fieri potest non tantùm per ipsummet Resignantem, sed etiam per Procuratorem, seu Mandatarium.

Et quidem cùm Procurator resignationem faciat nomine alieno, potest non tantùm Clericus, sed & laicus Procurator constitui, uti post Glossographum ad *Clementinam unicam, de Renunt.* notat Rebuffus in Praxi, *parte 3. tit. de Procuratoris ad resignadum constitutione, num.* 17. quamvis secundum Glossographum tutiùs videatur constituere Clericum.

II. Procurator autem constitui potest, vel per litteras privatas ipsius Resignantis, vel per instrumentum publicum, atque hoc posterius est tutius, & fieri consuetum. Imo monet Rebuffus loco citato *num.* 5. quòd *vix reciperentur litteræ privatæ ad resignandum*: asserìque Flaminius Parisius *lib.* 9. *de Resignat. Benefi. quæst.* 6. non semel fuisse resolutum in Cancellaria Romana, non posse aliquem vigore Epistolæ missivæ præstare consensum resignationi: »Et ideò hodie (ait) communis, & recepta ex stylo sententia est, mandatum requiri ad renuntiandum in forma *publici instrumenti.*«

III. Hinc primò requiritur, ut confectum sit à Notario publico: eoque Apostolico, præcipuè si de resignatione facienda in Curia Romana agatur. Imò si juxta consuetudines, aut leges patriæ requirantur duo *Notarii* pro forma publici instrumenti, debebunt & in confectiones hujus Procuratorii duo intervenire; quia aliàs non esset in forma *publica* instrumenti.

IV. Monet Flaminius Parisius loco allegato *qæst.* 7. *num.* 2. non sufficere instrumentum Procuratorii esse confectum in forma solita, »ut admittatur à Notariis Cameræ, & Cancellariæ, sed ulteriùs requiri, quòd fuerit obsignatum sigillo *publico* judicis ordinarii, vel Communitatis, & melius esset (ait) »ut utrumque sigillum apponatur; & posteà debet fieri recognitio sigilli, ut de stylo observatur.«

V. Deindè *num.* 3. & 4. notat ex Rebuffo: »In Gallia lege Regiâ cautum est, ut Resignans subscribat instrumentum »resignationis: idque optimum esse (ait) ut ubique fieret ad tollendam fraudem.«

In Belgio hodie receptum est, quòd Resignans unà cum Notario ipsi instrumento subscribebat; quim & in omnibus *publicis* instrumentis observatur, ut partes subscribant: non autem testes; (d) nisi in testamentis (e) ex Edicto perpetuo Principum nostrorum de anno. 1611.

VI. Præterea ad resignandum debet esse mandatum speciale, uti post alios citatos docet Flaminius dicta *quæst.* 7. *num.* 9. quod & expressè habet Regula Cancellariæ 45. *de Consensu in resignationibus*, in verbis: *Per Procuratorem suum ad hoc ab eo* SPECIALITER *constitutum.* Et in Regno Galliæ cautum esse, nullum Procuratorem resignare posse ex procuratorio *generali*, monet Rebuffus loco citato *num.* 32.

VII. Speciale mandatum hîc dicitur, si nominetur expressè Beneficium, & detur facultas renuntiandi. Debet autem Beneficium resignandum describi, & exprimi nomen & locus, ubi est, ut stylo fieri videmus, ait Flaminius *num.* 20.

Hinc ulterius infert, non admittendum procuratorium generale ad resignandum omnia, & quæcunque Beneficia, quæ constituens habet: testaturque Carolus Fevretius *de Abusu lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 6. hujusmodi mandata generalia ad resignandum esse declarata abusiva & nulla per Edictum Henrici II. Regis Galliæ anno 1550. subditque ex Molinæo in Commentario ad hoc Regium Edictum: »Mandata illa generala, »tam de jure Canonico, quàm multis Curiæ Senatusconsutis »fuisse reprobata, utpotè multis fraudibus obnoxia, & disciplinam Ecclesiasticam inquinantia, quæ quidem disciplina »non admittit in spiritualibus generalitatem.« Citat quoque iidem decisionem Rotæ conformem.

VIII. Multo minùs recipitur procuratorium ad aceptandum, & resignandum simul aliquod Beneficium, uti notat Rebuffus *num.* 16. quia non potest quis constituere ad renuntiandum Beneficio, quod nondum habet. Nec refert, quòd procuratorium detur in tempus, quo habiturus est: quia hoc ipsum reddit procuratorium incertum. Deindè, uti rectè advertit Flaminius *lib.* 9. *quæst.* 10. ad validitatem mandati inspicitur tempus, quo instrumentum procuratorii fuit confectum, quo tempore Beneficium resignandum non habebatur: unà nonens, peccare illum, qui acceptat beneficium, ut illud posteà renuntiet, additque: »Ob id in Curia de stylo, quando »datur examen, apponitur clausula: *Dato priùs juramento, quòd »illud non recipiat animo renuntiandi.*«

IX. Et ita quidem exigitur *speciale* mandatum, ut nec generale etiam *cum libera* sufficiat: idque ideò quia resignatio, seu renuntiatio Beneficiorum habetur pro *donatione*, quæ requirit speciale mandatum; eò quòd non censeatur quis constituendo Procuratorem ad administrandum, dedisse mandatum ad donandum. Quæ ratio à Doctoribus communiter allegari solita, sat insinuat, hanc opinionem, & praxim exigendi *speciale* mandatum ad resignandum, primùm suam originem habuisse, postquam Beneficia potissimum penes commoda temporalia considerari cœperint, ipsis oneribus spiritualibus, quæ Beneficiis annexa

(d) *Cùm in Hispania in formatione Scripturarum, Processuum, &c. æqualis norma præscripta sit Regiis tabulariis, atque Ecclesiasticis Notariis, in* leg. 32. tit. 3. lib. 1. & in Remiss. 26. in fin. tit. 2. lib. 4. Recop. *Sua instrumenta tantùm ipsi signare, & partes subscribere debent, non autem testes: quæ praxis conformis est ei, quæ in Belgio, Galliaque observatur.*

(e) *Notandum est quod in Hispania in Testamento scripto, (& eo quod vulgò* cerrado *dicitur) necessaria est scribæ signatio, & septem testium subscriptio, ex* leg. 2. tit. 4. lib. 5. Recop. *In nuncupativo verò dicta subscriptio testium non requiritur ut constat ex* leg. 1. dict. tit. & libr.

nexa sunt, non attentis. Quo factum est, ut Beneficia tanquam multùm commoda, & utilia ipsis Beneficiatis considerari, & reputari cœperunt; cùm tamen secundum veram ideam, & Ecclesiæ, ac Fundatorum intentionem, reputari deberent tanquam onera humeris Beneficiatorum imposita propter officia eis annexa. Interim undecunque praxis hæc originem habuerit, equidem cùm inducta sit, observanda est.

X. Præterea speciale mandatum exigitur ob juramentum à Procuratore in *animam* resignantis præstandum; quòd in hac resignatione *non intervenerit fraus*, *dolus*, *simoniæ labes*, *seu quævis alia illicita pactio*, *seu etiam corruptela*; quod juramentum in omni resignatione præstari debet; ut & propterea expressa clausula de hujusmodi juramento præstando procuratoriis de resignando inseri consueverit.

XI. De hoc juramento exigi tolito loquitur Synodus Coloniensis anno 1536. *part.* 1. *cap.* 34. asseruntque ibidem Synodi Prælati, » sibi haud clam esse, in resignationibus & permu» tationibus multa *ancipitia perjuria* committi ab his, qui fre» quenter, subitò ac non præmedititi, aut ipsi aut per suos » Procuratores (id quod ejusdem reatus, & culpæ est) jure» jurando ante manus impositionem, testantur, in hujusmodi re» signationibus, seu permutationibus, nullam simoniæ labem, aut » aliam illicitam intervenisse corruptelam; cùm res (inquiunt) » crebò longè secus habeat, per quod ipsi gravem in se Dei iram » proculdubio provocant.“

Deindè concludunt: » Majori ergo cura, diligentiorique quàm » antehac fieri consuevit, pervestigatione prævia, hæc juramen» ta exigi convenit.“

XII. Utinam non tantùm in hujus juramenti exactione, sed & eorum, quæ in assumptione ad officia, opificia, necnon Gradus Academicos exiguntur, hoc Synodale monitum attenderent, quibus juramentorum exactio incumbit! Nimis enim notum est, quàm *subitò*, *ac non præmeditatè* hæc juramenta soleant præstari.

XIII. In procuratorio ad resignandum solet dari Procuratori constituto potestas alium *substituendi*, cum eadem auctoritate, qua ipse constitutus est. Hoc casu substitutus non solùm suum mandatum substitutionis debet exhibere, sed etiam mandatum Procuratoris, à quo fuit substitutus: uti docet Fevretius *de Abusu lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 5. testaturque cautum Edicto Henrici II. Regis Galliæ, Procuratorem ad resignandum in Curia Romana se negotio resignationis immiscere non posse, nisi ipsum procuratorium ad resignadum reipsa habeat.

XIV. Per Regulam Cancellariæ, quæ hodie est 45. & inscribitur, *de Consensu in resignationibus & pensionibus*, » Papa vo» luit, & ordinavit, quòd super resignatione cujuscunque Benefi» cii Ecclesiastici, seu cessione juris in eo, quam in manibus suis, » vel in Cancellaria Apostolica fieri contigerit, Apostolicæ litte» ræ nullatenus expediantur, nisi Resignans, vel cedens, si præ» sens in Romana Curia fuerit, *personaliter*, alioquin per Procu» ratorem suum, ad hoc ab eo *specialiter* constitutum, expedi» tioni ejusmodi in eadem Cancellaria expressè consenserit, & » juraverit, ut moris est. Etsi ipsum Resignantem, seu ceden» tem pluries super uno, & eodem Beneficio, in favorem di» versarum personarum, successivè consentire contigerit, voluit » Sanctitas sua, quòd primus concensus tenere debeat, & alii » posteriores consensus, ac litteræ eorum prætextu, etiam sub » priori data expeditæ pro tempore, nullius sint roboris, vel » momenti.

XV. » Hæc Regula fuit edita ad tollendas fraudes, quæ » possent oriri: quia posset quis nomine alterius porrigere sup» plicationem resignationis, & alium privare Beneficiis. Nam » consensus per supplicationem sufficiebat de jure communi. Igi» tur ad tollendas fraudes, cautum est requiri consensum præs» titum per se, vel per Procuratorem specialiter ad hoc cons» titutum.« Ita Chokier ad hanc Regulam *num.* 9.

XVI. Ex verbis Regulæ notorium est, quòd præsentes in Curia debeant *personaliter* præstare consensum, neque posse constituere Procuratorem ad resignandum. Absentes autem consensum præstare teneantur per Procuratorem ad hoc *specialiter* constitutum. Monet nihilominus Flaminius. Parisius *lib.* 9. *de Resignatione Benefic. quæst.* 12. *num.* 8. quòd quando consensus præstatur in Camera, Notarii Cameræ admittant Procuratores etiam præsentium.

XVII. Consensus autem hic exprimendus est in Camera, vel Cancellaria, id est, coram Notariis Cameræ, vel Cancellariæ. Hinc infert Flaminius Parisius, *de Resignat. Benefic. lib.* 8. *quæst.* 8. *num.* 33. non sufficere consensum etiam *expressum*, si ille consensus fuit præstitus alio in loco, quàm in Camera, vel Cancellaria.

XVIII. Notat quoque *num.* 28. » non esse validum consen» sum, qui colligitur ex supplicationis porrectione ad effectum, » ut abdicetur jus à Resignante, & satisfiat huic Regulæ.« Ulteriùs *num.* 29. infert, » non esse sufficientem, quoad hunc effec» tum, consensum, qui appellatur *parvus*; nam *parva* data, & » *parvus* consensus datur à Datario, & remanet penes partes.“

XIX. Denique monet *num.* 41. post præstitum dictum consensum abdicari jus à Resignante, non autem ante. De quo latiùs agemus *cap.* 5. Et *num.* 43. dicit, juxta omnes hunc esse *formalem* consensum, à quo computatur tempus, de quo in Regula *de Infirmis resignantibus*, de qua tractabimus *cap.* 5.

XX. Mandatum, seu procuratorium semel legitimè, & sine limitatione temporis datum, solo lapso temporis, etiam plurium annorum, de jure communi non expirat, aut revocatum præsumitur. Unde refert Flaminius Parisius *lib.* 9. *quæst.* 13. resolutum fuisse in Rota Romana, » consensum præstitum post » quadriennium à die confecti procuratorii esse bonum: quia vo» luntas semper censetur durare, donec de mutatione non ap» pareat.«

At in Gallia, resignatio ei procuratorii anno elapso facta non valet, ut lege Regia cautum esse, testatur Rebuffus loco citato *num.* 18.

XXI. Licèt de jure solo temporis lapso non expiret, aut revocatum censeatur procuratorium ad resignandum, nihilominus quia est verum mandatum, etiam communibus regulis mandati subjicitur; & iisdem modis extinguitur.

Unde sicuti de jure mandatum *re integra* solvitur, & expirat morte Mandantis; ita & procuratorium ad resignandum extingui per mortem resignantis, communis est omnium opinio; & non obscurè probatur in *Clementina ultima*, *de Procuratoribus*: idque etiam procedit, licèt ipse Procurator ignoraverit mortem resignantis: modò tamen ante exhibitam supplicationem resignans reverà mortuus fuerit; uti rectè notat Flaminius *lib.* 9. *quæst.* 24.

XXII. Si tamen, vivente resignante, supplicatio resignationis fuerit per Procuratorem exhibita, & signata, vivente resignante, poterit Procurator vi ejusdem mandati post mortem Resignantis præstare consensum in Cancellaria, vel Camera pro expeditione litterarum, ut allegatæ Regulæ Cancellariæ satisfiat.

Hanc esse communem opinionem probatam per Alexandrum VI. & Leonem X. asserit Flaminius Parisius *lib.* 9. *quæstio* 24. Procurator enim post mortem Domini, tametsi nova negotia inchoare nequeat, potest tamen consummare, quæ per ipsum inchoata erant ante mortem mandantis, ut vulgo tradunt Jurisconsulti. Hoc eo magis in præsenti casu procedit, cùm Resignatario per supplicationem *signatam* videatur jus acquisitum; uti advertit Flaminius *num.* 18. Ipse enim consensus posteà præstandus in Camera, vel Cancellaria, non tan exigitur ad perfectionem ipsius resignationis, quàm ad expeditionem litterarum, quæ ad probationem tantùm requiruntur, ideoque consensus datus etiam ad *diem signatæ* supplicationis retrotrahitur.

XXIII. Id quoque procedere, dicit Flaminius *num.* 24. » etiamsi probaretur, constituentem ante ejus mortem mutâsse » voluntatem. Nam si illa voluntas *revocata* non fuit intimata, » juxta *Clementinam unicam*, *de Renuntiat.* potest Procurator, » eo mortuo præstare consensum formalem.“ Rationem subjungit *num.* 26. quia juxta citatam Clementinam non sufficit, revocationem esse factam, sed debet esse intimata.

XXIV. Cùm enim illusio, & variatio in personis Ecclesiasticis maximè sit vitanda, constituitur in citata Clementina, » ut si quis ad cedendum Pontificali, aut alii cuilibet Dignitati, » vel Beneficio Procuratorem spontè, ac liberè constituerit, & » ipsum ignorantem postmodum duxerint quomodolibet revo» candum; teneat cessio facta per eum antequam ad ipsius, vel » illius (in cujus manibus cessio fuerat facienda) notitiam *revo» catio* hujusmodi sit deducta.“

Itaque non sufficit revocatum esse Procuratorem, nisi ipsa revocatio sit ad notitiam deducta, sive intimata; & ita in praxi receptum esse, testatur ibidem Flaminius *lib.* 9. *quæst.* 25. *num.* 2.

XXV. Sufficit autem, hanc intimationem factam esse vel Procuratori, vel ipsi Superiori, in cujus manibus resignatio facienda erat, uti constat ex verbis Clementinæ suprà relatis.

Hinc deducitur, intimationem factam in Camera, vel Cancellaria sufficere, quando Procurator constitutus est ad renuntiandum coram Pontifice: quia, quæ fiunt in Camera, vel Cancellaria, dicuntur fieri in consistorio Papæ; atque ita sæpiùs resolutum fuisse, sufficere intimare Notariis Cameræ, vel Cancellariæ, testatur Flaminius ibidem *quæst.* 26. qui & ibi exponit, quâ forma revocatio, & intimatio revocationis in Curia Romana fieri debeat, & soleat.

XXVI. Cæterûm indubitatum est, resignantem quovis tempore usque ad consumationem actus posse liberè mandatum revocare, ipsiusque negotii jam inchoati progressum ulteriorem per revocationem mandati sistere.

Hinc concluditur, revocationem procuratorii, etiam post porrectionem supplicationis, ejusque signaturam, esse validam eatenus, ut Procurator vi istius mandati non poterit postmodum in Camera, vel Cancellaria præstare *formalem* consensum, uti decisum aliquando fuisse refert Flaminius citato *lib.* 9. *quæst.* 28.

Si

XXVII. Si quis procuratorium dederit resignandi Beneficium ad manus Papæ, non poterit illud resignare coram Ordinario, nisi priùs actum revocationis in Curia Romana insinuaverit: atque renuntiationem in præjudicium hujusmodi procuratorii factam coram Ordinario esse nullam judicavit aliquando Senatus Tholosanus, quemadmodum testatur Joannes de Salva *de Beneficiis*, *part.* 3. *quæst.* 16. *num.* 14. idque conformiter ad *cap.* 2. ℣ *de Postulat. Prælat.* ubi vetatur, postquam postulatio fuit præsentata Papæ, ab ea recedi, ne videatur Papæ illudi.

XXVIII. Eorum, quæ hodie in constituendo, & revocando Procuratore ad resignandum, item de præstando consensu, vel ex usu, aut Pontificum, vel aliorum Superiorum auctoritate inducta sunt; pauca, aut nulla in pristinis Canonibus, aut libris reperies: indicium ea nonnisi postremis hisce seculis invaluisse, postquam resignationes, & permutationes fraudibus multis, & technis permixtis, invaluerunt; atque de Beneficis penè non secùs, ac de rebus temporalibus disponi, & quodamodo mercari cœptum est. His ut obviaretur, eas cautiones hic adhiberi visum, quas in negotiis civilibus Imperatorum Leges adhiberi volebant.

CAPUT IV.

Quinam Beneficia sua resignare possint.

1 *Hodie omnes possunt resignare Beneficium, nisi expressè prohibeantur.*
* *Beneficiorum idea, quæ ex ea libertate resignandi nascitur.*
* *De clausula* transeat, *quæ in Romana Curia usitata est.*
* *De valore tituli Beneficii, & oppositionibus factis cognoscere non possunt Curiæ Romanæ Officiarii: Ratio exponitur.*
2 *Obtinens Parochiale Beneficium potest resignare de jure communi ultimo die anni dati ad suscipiendum Sacerdotium.*
3 *Id tamen non admittitur ex hodierno stylo Curiæ Romanæ.*
4 *An promovendi ad Dignitates queant sua Beneficia resignare, quandiu reipsa promoti non sunt: & Regula Cancellariæ super hoc edita.*
5 *Ratio hujus Regulæ.*
6 *An hæc regula recepta sit in Gallia.*
7 *Pendente judicio criminali potest Beneficium resignari, quandiu reipsa privatus non est.*
8 *An per sententiam privatus possit resignare pendente appellatione.*
9 *Putant plures id non tantùm in resignatione simplici, sed* & in favorem *procedere.*
10 *Non apparet generaliter probanda hæc opinio.*
11 *Interdum confertur Beneficium in casum privationis accusati; idque eam clausula irritante provisionem alteri faciendam; quæ in Gallia non admittitur.*
12 *Resignatio valet, tametsi aliunde nihil habeat.*
23 *Non admittitur ex stylo Curiæ, si resignans sit sacro Ordine insignitus.*
14 *Unde hic stylus originem habuit.*
15 *Non servatur in Gallia, nec Belgio.*
16 *Minor in spiritualibus quando habeatur pro majore.*
17 *Minor, qui habetur pro majore, potest Beneficium resignare.*
18 *Resignationes Minorum rescissioni non solent esse obnoxiæ.*
19 *Resignari nequeunt iis, sub quorum potestate, & cura Minores consistunt.*
20 *Rescinduntur, dum eas malis artibus extortas esse apparet.*
21 *Interdum resignationes Minorum sine omni suspicione fraudis fiunt, reluctantibus parentibus.*

I. OLim quidem rariùs permittebatur, ut Clerici semel alicui Ecclesiæ adscripti eidem renuntiare possent. At labentibus seculis, labente sensim disciplinâ, tandem quoque invaluit, ut cuique quodammodo liberum esse credatur, non tantùm à vinculo, quo per Beneficii collationem, & institutionem Ecclesiæ fuit alligatus, se omni tempore solvere; sed insuper ipsum Beneficium quasi sibi proprium resignare simpliciter, vel *in favorem alterius*, vel *ex causa permutationis*. Ideoque Flaminius Parisius *lib.* 3. *de Resignat. Beneficior. quæst.* 1. quærens qui possunt Beneficia resignare? respondet: »Regula est affirmativa, omnes posse resignare eorum »Beneficia.«

* Non dubium, quin ea, quæ ex Flaminio Parisio notata sunt, scilicet de libertate resignandi Beneficia, profanam de Beneficiis Ecclesiasticis sint nata imprimere ideam; quasi Beneficia Ecclesiastica per Beneficiatos Jure proprietario, quasi res profanæ possiderentur; de quibus tanquam sibi propriis disponere possent.

Et quamvis similis hodie de Beneficiis passim idea habeatur, præsertim de Beneficiis nullam curam animarum habentibus; nihilominus indubitatum est, Beneficia Ecclesiastica semper consideranda, & reputanda esse, ut ministeria Ecclesiæ; & tanquam talia à Clericis possidenda, neque de illis, sive ex causa permutationis, sive resignationis, vel quocunque alio titulo disponi posse, nisi in utilitatem, ædificationem, ac profectum Ecclesiæ.

* Quantumvis autem, non obstante quacunque consuetudine, hæc à permutationibus, aut resignationibus Beneficia sint servanda, nihilominus observat post Molinæum ad Regulam *de Publicandis Resignat. num.* 243. Georgius Louetius sæpiùs in Supremis Franciæ Tribunalibus judicatum contra Collatores, seu Patronos Ecclesiasticos, qui Romæ suâ auctoritate Beneficiorum resignationem admitti impediebant, per verbum in Registris Datariæ appositum *nihil transeat*, rationem horum Arrestorum subjungens, ait: »Hæc, inconsulto Summo Pontifice, *turpis lucri* causâ committuntur: ideo per Arresta Curiæ, & magni Consilii Sacerdotes in Dignitate constituti delegantur, qui à die denegatæ resignationis provisiones concedunt cum clausulis ex stylo Cancellariæ Apostolicæ apponi solitis.

»Hoc judicatum pro Præpositura Andegavensi in Ecclesia »S. Martini pro Præbendis Ecclesiæ Cenomanensis, vivente »Cardinali de *Rambouillet* Cenomanensi Episcopo: pro Prioratu de *Lyons* Ordinis Cluniacensis, iis omnibus Senatusconsultis judicatum hæc verba *nihil transeat* extraordinaria contra publicam Regnicolarum libertatem. Idem dicendum, cùm »illicitis artibus provisionum publicationes, & possessiones impediuntur, ut hîc docet Molinæus.

»Monet autem ad hunc textum Louetii Antonius Vaillant »in nota marginali, à Parlamentis Regis pro approbanda resignatione, quæ in Curia Romana impeditur per verba *nihil transeat*, vix hodie committi simplices Sacerdotes; sed provisionem delegari Episcopo loci Ordinario.«

* Præterea observat, »non licere Officiariis Curiæ Romanæ »denegare provisionem, & cognoscere de validitate tituli, & »oppositionibus factis.« Nec mirum, quia si de his liceret Officiariis Curiæ Romanæ cognoscere, & judicare, Regnicolæ cogerentur super Beneficiis, seu causis beneficialibus extra Regnum in Curia Romana litigare, contra manifesta Regni illius privilegia, & consuetudines.

Quandoquidem non minus manifesta sint hanc in rem privilegia Belgii, quæ non permittunt Belgas coram exteris judicibus etiam in Curia Romana litigare, eodem fundamento non liceret Officiariis Curiæ Romanæ denegare provissionem Belgis, & cognoscere de validitate tituli, & oppositionibus factis à parte adversa.

Ex hactenus dictis sat intelligitur Parlamenta Regia per hunc procedendi modum nequaquam intendere, omnes Beneficiorum resignationes sine examine esse admittendas, sed præcipuum scopum esse, solicitè præcevere, ne hoc prætextu Curia Romana quæstiones super Beneficiis ad suum Tribunal trahat, & Regnicolas in Curia litigare cogat.

II. Hinc infert *quæst.* 2. *num.* 8. quòd promotus ad Ecclesiam Parochialem possit resignare *in favorem* Beneficium hoc Parochiale *ultima* die anni dati ad se promoveri faciendum ad Ordines Sacros; tametsi jam certò constet, ipsum intra annum ad Sacerdotium promoveri non posse; adeoque die sequenti *ipso jure* privandum Beneficio juxta Decretum Concilii Lugdunensis in *Cap.* COMMISSA *de Election. in VI.* quod privat *ipso jure* possessorem Beneficii Parochialis si intra annum ad Sacerdotium non sit promotus, de quo latiùs suprà *titulo* 19. *cap.* 3. Rationem hujus conclusionis allegat *num.* 9. »Quia antequam »annus sit *ex toto* elapsus, jus est penès illum, qui vult renuntiare, ac perfectè.«

III. Monet tamen *num.* 21. »Hodie autem hujusmodi re»signatio non admitteretur; namque quoties resignatur Paro»chialis, stylus obtinuit, ut debeat exprimi, *per quantum* »*tempus illam possedit resignans*; & si tempus est breve, ces»sio rejicitur; si autem, hoc expresso, Papa admittit resig»nationem, nulli dubium est, valere.«

Interim ex sententia Flaminii, quæ & communis est Canonistarum, in prædicto casu resignatio, nisi stylus quoad Parochialem specialiter obstaret, admitteretur hoc solo titulo, quòd nondum anno *ex toto* elapso, adhuc Beneficiatus retineat jus in Beneficio.

IV. Eodem titulo promovendi ad quascunque Prælaturas, aut Dignitates, quandiu reipsa promoti non sunt, Beneficia sua resignare possent, nisi obstaret Regula Cancellariæ 26. *de Beneficiis vacaturis per promotionem ad Ecclesias, & Monasteria*, quæ dicit: »Necnon quæcunque collationes, provisiones, & »dispositiones pro tempore faciendæ de præmissis, & quibus»vis aliis Beneficiis Ecclesiasticis secularibus, & regularibus, »quæ per promovendos, vel assumendos ad quascunque Prælaturas, inter illarum vacationis, & hujusmodi promotionis, »vel

» vel assumptionis tempora simpliciter, vel ex causa permuta-
» tionis ubicunque resignari, vel aliàs dimitti contigerit, cum
» inde secutis pro tempore sint cassæ, & irritæ, nulliusque ro-
» boris, vel momenti."

V. Rebuffus in Commentario ad Concordata, titulo *de Mandatis Apostolicis*, §. *finali*, notat, hanc Regulam editam esse ad obviandum fraudibus: » Quia ille, qui sciebat, se pro-
» movendum ad Episcopatum, vel Abbatiam, faciebat resigna-
» tiones secretas, vel permutabat cum alio Beneficio etiam mi-
» nimo. Ideò factâ posteà promotione Papa erat illusus, & nihil
» poterat conferre."

VI. Hæc Rebuffus, qui in Praxi Beneficiorum *parte* 3. in additione ad hanc Regulam, observat, quòd Papa per eam Regulam videatur quodammodò reservare suæ dispositioni Beneficia illorum, qui sic promoventur. » Unde putarem, (ait) in
» Francia, quòd si iste promovendus coram Ordinario resignaret
» Beneficia ante promotionem, quòd illa collatio valeret; cùm
» omnes regulæ sapientes reservationem sint in Regno Franciæ
» sublatæ."

* Insinuat Joannes Chokier in Commentario ad hanc Regulam *num.* 25. quoad reservationem Beneficiorum, quæ promovendi in Curia Romana obtinent, hanc Regulam hodie exolevisse, & quantum ad Belgium, nullus apparet hujus reservationis usus.

VII. Eodem ex fundamento reus criminis, quod privationem Beneficii meretur, sive ratione cujus reus per sententiam Beneficio privari potest, non impeditur resignare, quandiu per sententiam Beneficio privatus non est: quemadmodum post alios citatos ostendit Flaminius Parisius citato *lib.* 9. *quæst.* 16. idque etiam lite, sive judicio criminali pendente, tametsi probationes essent receptæ, & in causa conclusum. Quia quandiu Beneficio non est privatus per sententiam, adhuc remanet verus Beneficiatus, retinetque titulum Beneficii liberum; ac per consequens, nihil obstat, quominus illum resignare, aut permutare queat.

VIII. Quinimò etsi sententia privationis fuerit pronuntiata, si ab ea appellatum sit, posse, pendente appellatione, renuntiare, pluribus citatis docet Flaminius *num.* 25. & in facti specie respondit Rebuffus *consil.* 82. Quia per appellationem effectus sententiæ suspenditur, manetque possessor eodem loco, quo fuit ante sententiam.

» Si tamen is, qui nullum jus in Beneficio habuit, condem-
» natus appellavit, & pendente appellatione resignaverit, pla-
» cet resignationem *nullius* esse momenti, quasi quæ in frau-
» dem facta sit; præsertim si posteà appellatio injusta pro-
» nuntietur." Ita judicatum refert. Anton. Faber *lib.* 1. *tit.* 2. *deform.* 89.

IX. Credit quoque Chokier ad Regulam Cancellariæ *de Annali*, aliisque ab eo citatis, accusatum de crimine non tantùm simpliciter, & purè inter manus Ordinarii Beneficium resignare, sive Beneficio cedere posse; sed etiam *in favorem* coram Pontifice, vel ex *causa permutationis* coram Ordinario: » Nam
» qui renuntiat, jure suo utitur, & ideò nullam fraudem com-
» mittit: quippè qui sibi ipsi consulturus, vel amico, vel con-
» sanguineo, eidem Beneficio renuntiat, non ut alteri noceat." Hæc Chokier ex Gutierrez.

X. Imprimis quàm parùm Ministerio Ecclesiastico dignam ideam hæc ratiocinatio imprimat, probare opus non est; sed & illud falsum est, per hanc renuntiationem, fraudem nullam committi. Licèt enim tertio alicui injuria non fiat, tamen ipsum judicium inutile redditur, ipsique justitiæ fraus fit; cùm sat manifestè jurisdictionis, & auctoritatis judicialis effectum impediat, & vigorem enervet hujusmodi resignatio; atque hoc pacto impunitas criminum quodammodo haberi queat, aut saltem pœnis à Canone decretis criminum rei se subtrahere possint. Quapropter hujusmodi resignationes tanquam in fraudem factas, & subreptitiè impetratas, esse nonnunquam rejiciendas, & annullandas dubitandum non videtur; quemadmodum latè variis distinctionibus adhibitis ostendit Molinæus ad Regulam *de Infirmis resignant. num.* 155. & seq.

XI. Hactenus dicta de resignatione facienda, pendente judicio criminali, non procedunt, si Papa Beneficium illud alteri contulerit in casum privationis sequuturæ. Solet enim nonnunquam Beneficium alicujus de crimine accusati impetrari cum clausula, *ut si accusatus Beneficio privandus judicetur, illud cedat impetranti*; additurque clausula Decreti irritantis, vi cujus collatio, sive provisio istius Beneficii alteri facta irritatur: & consequenter impeditur renuntiatio in favorem alterius pendente judicio. De hac impetratione, & clausulis adjici solitis consuli poterunt Flaminius *citata quæst.* 165. item Rebuffus in Praxi *part.* 3. *tit. de Modis, quibus Beneficia vacant, num.* 52. ubi unà monet, cùm hæc clausula sapiat reservationem, quæ in Francia sublata est per Concordata, etiam resignationem, pendente judicio, factam in Gallia sustineri, non obstante illâ clausulâ.

XII. Sicuti quis jus suum alienare non prohibetur eo solo titulo, quòd per hanc alienationem ipsum alienantem ad inopiam redigi contingeret; ita nec idcirco quis Beneficium suum resignare prohibetur, tametsi Beneficio resignato non habeat unde se alat: modò tamen titulo illius Beneficii ad sacros Ordines promotus non fuerit.

XIII. Et ita quidem inspecto jure communi. At hodie notorius stylus Curiæ Romanæ habet, ut si resignans Beneficium Sacro Ordine sit insignitus, in supplica exprimatur clausula: *Aliundè commode vivere volens*: quæ clausula in litteris provisionis repetitur; respicitque *substantiam gratiæ*, ut notat Flaminius *lib.* 2. *quæst.* 6.

XIV. Stylus hic originem habet ex Constitutione Pii V. quæ incipit: *Quanta*, 58. *in Bullar. Rom.* quæ inter alia habet: » Sed nec horum ullus *Sacro Ordine* mancipatus, nisi religio-
» nem ingressurus, valeat ullo modo Beneficium vel officium
» Ecclesiasticum resignare, nisi *aliundè* ei sit, quo in vita pos-
» sit *commodè* sustentari."

Quamvis hæc Constitutio tantùm de Ordinariis loquatur, & non de resignationibus faciendis in Curia Romana: tamen quia ratio, ne Clerici in opprobrium Ordinis mendicare cogantur, etiam in his resignationibus militat, recepta quoque est in Curia, & inde stylus ille inolevit.

XV. Verùm quia hæc prædicta Constitutio Pii V. in Gallia recepta non est, neque prædicta clausula recipitur; sed habetur tanquam styli, ut notat Perardus Castellus in tractatu *de Usu, & Praxi Curiæ Rom. pag.* 175. quod eadem ratione dicendum de Belgio, quandoquidem nec hic Constitutio Pii V. usu recepta sit; uti suprà *cap.* 2. ex Zypæo notavimus.

XVI. Minorem 25. annis, at majorem 14. in spiritualibus haberi pro majore, communis est Interpretum opinio, fundata in *Cap. fin. de Judiciis, in VI.* in verbis: » Si annum quar-
» tumdecimum tuæ peregisti ætatis, in Beneficialibus, & aliis
» causis spiritualibus, nec non, & dependentibus ab eisdem,
» ac si major 25. annis existeres; ad agendum, & defendendum
» per te, vel per Procuratorem, quem ad hoc constituendum
» decreveris, admitti debebis."

XVII. Hinc ulteriùs concludunt Canonistæ, minorem 25. annis, sed majorem 14. posse resignare Beneficium, sive *simpliciter*, sive *in favorem*, vel *ex causa permutationis*; neque in tali resignatione requiri consensum, & auctoritatem Tutoris; uti post alios tradit Flaminius Parisius *lib.* 3. *quæst.* 7.

XVIII. Quod si in tali resignatione non reperiantur intervenisse fraudes, aut malæ artes, quibus ad resignandum minor verisimiliter inductus appareat, resignatio illa in tantum valida erit, ut nulli recissioni, aut restitutioni obnoxia sit; quemadmodum ibidem *num.* 11. tradit Flaminius, & non semel etiam per Senatum Regium judicatum fuisse testatur Broudæus in notis ad Louetium *litt. B. num.* 7. dicitque ex Parlamentorum Arrestis sat compertum esse, regulariter resignationes factas à minoribus 25. annis validas reputari, præsertim si jam pervenerint ad plenam pubertatem, id est, attingerint 18. aut 20. ætatis annum.

XIX. Monet tamen ibidem Broudæus, extare vetus Arrestum de 18. Junii anno 1554. quo vetatur omnibus Præceptoribus, Pædagogis; aliisque personis habentibus curam, administrationem, aut regimen puerorum, & scholarium, extorquere, aut acceptare ab ipsis ullas resignationes in eorum favorem directè, vel indirectè, sub pœna nullitatis hujusmodi resignationum, & provisionum inde secutarum mulctâ arbitrariâ, aliaque dignâ punitione. Jussumque est, ut hoc Arrestum in prima Congregatione Universitatis Parisiensis, aliisque locis necessariis solemniter publicaretur, ut nulla ignorantia prætendi posset. Hæc ibidem Broudæus, qui & integra Arresti illius verba refert.

XX. Si ergo minores resignaverunt sua Beneficia prædictis personis, vel in favorem ipsarum prolium, consangineorum, vel aliarum personarum per ipsos suppositarum, resignationes illæ invalidæ erunt, uti factæ & in favorem aliorum, quando ex circumstantiis sunt præsumptiones violentæ, ac fundatæ, resignationes *malis artibus* extortas fuisse; uti pluribus Arrestis declaratum fuisse annotat Broudæus.

Idipsum notavit Antonius Mornacius ad *Legem* 7. *ff. de Minoribus*, ubi postquam retulit, Molinæum notâsse, *Capitul. fin. de Judiciis, in VI.* » non servari in Gallia, quantum ad ejuratio-
» nes Beneficiorum, seu resignationes, ut loquimur, judicatumque
» Arrestis Consilii Regii plurimis, resignationes Minorum, li-
» cèt puberum, sine auctoritate parentum, vel curatorum, nul-
» las esse" immediatè subjungit: » Quod tamen intellige, si im-
» peritia, & facilitate juvenili, doloque adversarii inductus sit
» Beneficiarius, ut Beneficio cederet." Deinde refert duo Ar-
» resta, quibus ob fraudem, & dolum hujusmodi resignationes declaratæ fuêre nullæ.

XXI. Quòd autem nonnunquam resignationes à Minoribus citra consensum parentum, quin, & positivè iis reluctantibus fieri possint sine omni planè suspicione fraudis, benè ostendit Broudæus *citato num.* 7. atque unà observans, parentes nequaquam posse cogere filios suos, tametsi adhuc ætatem 25. annorum

norum non attigerint, ut Beneficia retineant; dum se nequaquam ad statum Ecclesiasticum vocatos sentiunt. (f)

CAPUT V.

De Regula Cancellariæ: *De Infirmis resignantibus.*

1 *Refertur textus Regulæ.*
2 *Quis primus Auctor.*
3 *Regula hæc ubique recepta.*
4 *Plura successu temporis addita.*
5 *Cœptum dubitari, an Regula obtineat in resignatione facta à* non infirmo; *& quæ ratio dubitandi.*
6 *Verisimilius est, non esse locum in resignatione facta à non infirmo.*
7 *Exponitur clausula Clementis VII.*
8 *Infirmitas adesse debet, non tempore expediti mandati, sed resignationis.*
9 *Regula loquitur de infirmitate corporis, non spiritûs.*
10 *Non sufficit quem esse in periculo mortis, nisi sit infirmus.*
11 *Procedit in correpto morbo contagioso, aut vulnere sauciato.*
12 *Requiritur ut resignans de* eadem *infirmitate decesserit.*
13 *In dubio de* eadem *decesisse præsumitur.*
14 *Regula loquitur de viginti diebus naturalibus, & completis.*
15 *Regula obtinet, tametsi Papa intereà moreretur.*
16 *Dies computandi à die præstandi consensûs.*
17 *Id quoque in Gallia receptum.*
18 *Requiruntur viginti dies, non computato die præstiti consensûs, nec die mortis.*
19 *Resignante infra viginti dies decedente, Beneficium vacat* per obitum, *ac si nulla resignatio intervenisset.*
20 *Resignatio hujusmodi in Curia facta non inducit reservationem.*
21 *Regula requirit, ut collatio sit facta vigore resignationis.*
22 *Inspectis hodiernis terminis regula certò obtinet in resignatione curam Ordinario.*
23 *Edicto Philippi II. videtur hic vetitum recipere novas regulas Cancellariæ sine* Placeto *Principis.*
24 *Edictum non loquitur expressè de Regulis Cancellariæ; quamvis eas comprehendere videatur, & una referuntur verba Edicti.*
25 *Regula hæc tempore hujus Edicti erat recepta cum omnibus clausulis modernis.*
26 *Concluditur ei locum esse in Belgio in resignationibus coram Ordinario.*
27 *In Gallia aliud obtinere jam pridem visum est Molinæo; & quare.*
28 *Zypæus Molinæi auctoritate deceptus.*
29 *Etiam in Gallia hodie Regula in resignatione ex causa permutationis coram Ordinario obtinet.*
30 *Regula non obtinet in resignatione* simplici *facta coram Ordinario.*
31 *Hodie communiter huic Regulæ derogatur, quando resignans absens est.*
32 *Derogatio hæc in Gallia admitti consuevit.*
33 *An etiam admittendi in Belgio.*
34 *Ratio, cur in Gallia potius, quam in Belgio admittenda.*

I. Regula *de viginti*, sive *de Infirmis resignantibus*, quæ est 19. his verbis hodie exprimitur: » Item voluit, quòd » si quis in infirmitate constitutus resignaverit aliquod Beneficium » sive simpliciter, sive ex causa permutationis, vel aliàs dimise- » rit, aut illius Commenda cesserit, seu ipsius Beneficii unionis dis- » solutioni consenserit, etiam vigore supplicationis, dum esset sa- » nus signatæ, & posteà infra viginti dies à die per ipsum resignan- » tem præstandi consensûs computandos, de ipsa infirmitate de- » cesserit, & ipsum Beneficium quavis auctoritate conferatur per » resignationem sic factam, collatio hujusmodi sit nulla, ipsumque » Beneficium nihilominùs per obitum censeantur vacare. « (g)

II. Primus hujus regulæ Auctor vulgò creditur Bonifacius VIII. qui sedit sub finem seculi XIII. » At difficile creditu, » ait Castellus in tractatu *de Usu & praxi Curiæ Romanæ*, eam » à Bonifacio VIII. inductam fuisse. Quia cum resignationes *in favorem* non innotuerint, nisi post tempora Bonifacii; imò ea- » rum usus demum frequentari cœperit mortuo Gregorio XI. (h) » tempore schismatis Avenionensis, Regula hæc nequit ab eo fuis- » se inducta; utpotè quæ resignationes *in favorem* concernit. Hæc ille.

III. Illud equidem certius est, eam in foro, & Curia, quotidiano usu receptam esse, ut testatur Flaminius Parisius *de Resignat. Benefic. lib. 12. in Præfat. num. 1.* Quin & in Gallia anno 1493. recepta, & Registris Curiæ Parisiensis inserta fuit. Similiter & in Belgio usu receptam esse notat Zypæus in Jure novo *tit. de Renuntiat. num. 3.* additque Vande Velde insignis Jurisconsultus Lovaniensis in notis manuscriptis ad hanc Regulam: » Et constat, secundum eam sæpissimè fuisse » judicatum in Artesia, Flandria, Brabantia, Mechliniæ, & no- » vissimè in Consilio Privato 10. Martii ann. 1639. «

IV. Insuper constat, hanc Regulam sæpiùs mutatam fuisse additionibus, & detractationibus clausularum per diversos Pontifices factis, ut in explicatione Regulæ observabimus: ideoque mirum non est, si apud interpretes hujus Regulæ, magna reperiatur opinionum diversitas, & confusio; eò quod antiquiores Regulam cum antiquis, Recentiores vero cum novis additionibus, & restrictionibus interpretati sint.

V. Dicit Regula: *Si quis in infirmitate constitutus.* Ex his verbis tanquam indubitatum conclusêre antiquiores hujus Regulæ Interpretes, primum requisitum hujus Regulæ esse, infirmitatem resignantis, id est, huic Regulæ locum non esse, nisi quis infirmus existens resignaverit.

Verùm Clemens VII. qui anno 1523. ad Pontificatum est assumptus, huic Regulæ inseruit clausulam: *Etiam vigore supplicationis, dum esset* SANUS, *signatæ*, uni notat Gomezius in præfatione ad hanc Regulam, qui & addit: » Quod odio » Cardinalis de Vigh, qui in Conclavi ei plurimum obstiterat, » Clementem fecisse, satis compertum est. Nihilominùs postre- » mò Paulus III. in suis extraordinariis regulis Clementem est » imitatus. « Hæc ille. Quidquid sit de hoc asserto Gomezii, illud constat, eam clausulam hucusque Regulæ manere insertam; atque ob eam additionem dubitare cœpisse hujus Regulæ Interpretes, utrum in resignatione factâ à sano Regula locum non haberet, si modò intra 20. dies juxta terminos Regulæ decessisset.

Et quidem Chokier in commentario ad hanc Regulam, putat ob hanc Clementis appendiculam, hodie non requiri, ut resignans aliquo tempore *infirmus* fuerit, ut huic Regulæ locus sit. » Modo post consensum per se, vel per Procuratorem præ- » sertim moriatur infra 20. dies, locus erit huic Regulæ, hoc » est, Beneficium vacabit per obitum, & non per resignatio- » nem, quamvis ab initio esset sanus. « Ita ille, qui hinc ulteriùs concludit: » Et proindè pro nihilo sunt diversæ diver- » sorum Doctorum hujus Regulæ limitationes, videlicet de se- » ne aliàs sano; item amente extra tempus deliri; item de cons- » tituto in periculo mortis tempore tempestatis, prælii, con- » tagionis: istæ, inquam, limitationes planè jam corruunt prop- » ter dictam Clementis VIII. appendicularem constitutionem. « Ita Chokier.

VI. At Rebuffus, quamvis referat Regulam cum dicta Clementiis appendicula, nihilominùs inter requisita Regulæ, primo loco requirere non dubitat, ut resignans sit in infirmitate constitutus; atque concludit: » Ergo si esset *sanus* resig- » nationis tempore, licèt posteà fato quodam moriatur intra vi- » ginti dies, nec tamen habebit locum hæc Regula; quia re- » signans non est *in infirmitate constitutus.* «

Et sanè, si infirmitas resignantis non exigeretur tempore resignationis, dicere non deberent, etiam moderni Pontifices: *Si quis in infirmitate constitutus resignaverit*; utpotè quæ nimis apertè supponunt, Regulam loqui de resignante *in infirmitate constituto*, uti rectè advertit citatus Vande Velde refutans opinionem Chokier.

VII. Unà notat Vande Velde, quòd Pontifices addendo eam clausulam: *Etiam vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ*, voluerint duntaxat declarare Regulæ locum esse, si quis in infirmitate constitutus resignaverit, tametsi hæc resignatio facta fuerit vigore supplicationis, dum esset sanus, signatæ.

Pro quo observandum, per supplicationem non fieri propriè resignationem, sed per consensum resignantis, sive per se, sive per Procuratorem specialiter ad hoc constitutum; quia paria sunt resignare, vel præstare consensum, ait Rebuffus ad hanc Regulam, *Glossa 2. num. 3.*

Imò, uti post Flaminium Parisium rectè advertit Chokier *num. 18.* » Potest supplica porrigi à quocunque, etiam sine » mandato speciali, & per litteras missivas, licèt ad præsen- » tandum consensum Notarii Cameræ, vel Cancellariæ illum » non extenderent, nisi de illo constaret per *publicum* ins- » trumentum «

Si itaque supplicatio pro approbatione resignationis exhibita fuerit, tempore quo resignans adhuc *sanus* erat, postmodum

(f) *Die 26. Aprilis 1695. Arresto declaravit Senatus Parisiensis, Clericum ægrotum non potuisse suum Beneficium resignare filio Medici, qui, durante morbo, eum curabat.* Ainsi, *doctissimus d'Hericourt de Legibus Eccles. part. 1. pag. 342.* l'on a entendu aux Benefices la disposition des Ordonnances, & des coutumes qui declarent nulles les donations, soit entre vifs, soit à cause de mort, faites en faveur des Administrateurs, au nombre des quels les Arrêts ont compris les Medecins. *Consule tom. V. Diarii Audientiarum.*

(g) *Huic Doctrinæ consonæ sunt Hispan. leg. 14. propt fin. tit. 3. & leg. 4. 5. & 7. prope fin. tit. 4. lib. 7. Recop.*

(h) *Gregorius XI. obiit anno 1378.*

dum verò resignans in infirmitate constitutus per se, vel specialem Procuratorem consensum præstet, locus erit Regulæ: quia reverà censetur resignare in *infirmitate* constitutus; quia *præstando consensum* propriè resignat: tametsi tempore supplicationis signatæ fuerit sanus. Voluerunt enim Pontifices, ut sicuti consensus præstitus post signatam supplicationem retrotrahitur ad Datam supplicationis; ita quoque ipsa infirmitas, quæ est tempore consensus præstiti, retrotrahatur ad eandem datam; censeaturque in infirmitate constitutus à Data supplicationis resignâsse.

VIII. Itaque infirmitas requiritur tempore resignationis, non autem tempore quo expeditur mandatum, vel instrumentum mandati ad resignandum; quia revera per tale mandatum, aut instrumentum mandati nondum fit resignatio. » Quid enim » si sanus hoc facit, & instrumentum penes se servat, vel non » levatur, sed manet in matrice Notarii, donec accedente in» firmitate levetur & tradatur cursori? Locus erit omninò huic » Regulæ, quæ loquitur de resignatione facta, vel executatâ » contemplatione infirmitatis,« ait Auctor Analysis ad hanc Regulam *num.* 128.

IX. Infirmitas, quam exigit Regula, intelligi debet modò vulgari de versa corporis infirmitate, à qua quis vulgò dicitur *infirmus*, sive in infirmitate constitutus.

Hinc rectè concluditur, Regulam intelligi debere de infirmitate corporis, non autem mentis, uti post Rebuffum rectè notat Auctor Analysis *num.* 141. » Nisi esset talis, & tam » vehemens mœror, ut ex eo sanitas corporis notabiliter læ» deretur; quia tunc concurret etiam infirmitas corporis, & » periculum vitæ: alioquin in sola ægritudine, de quo non » speratur mors, non adaptaretur hæc Regula. Si tamen ægri» tudo mentis alienationem induceret, non per hanc Regulam, » sed jure communi corruet resignatio, & quidquid inde se» cutum esset.«

X. Eâdem ratione nec in sene hæc Regula obtinet; quia propriè non dicitur infirmus; uti benè observat Rebuffus *Gloss.* 2. *num.* 13. post Gomezium ad hanc Regulam *quæst.* 7.

Similiter Regula non obtinet in adeunte bellum, aut mare; quia licèt aliquod periculum mortis immineat, nequaquam tales dicuntur *in infirmitate* constituti; sed sani sunt, & ut tales ab omnibus habentur. Rebuffus *num.* 14.

XI. Imò post Gomezium dicit ibidem Rebuffus, locum non esse huic Regulæ, si quis resignet *peste correptus*: nam Gomezio is dicitur infirmus, qui *jacet in lecto febre correptus*: Ad quam Gomezii opinionem reflectens citatus Auctor Analysis *num.* 126. non immeritò dicit: *Sed prorsus delirat*: » Quia quanto mor» bus periculosior est, quantò major sanitatis & vitæ desperatio, » tantò major dicitur infirmitas, in veris & propriis terminis » hujus Regulæ, sive verba, sive mentem, sive utrumque » inspicias.«

Deinde concludit idem Auctor: » Sive igitur resignans de» tineatur morbo, quo decumbit, sive non decumbat, sed » sedeat, vel etiam ambulet, si tamen ex eodem morbo, puta » vulnere ensis, vel collisione, lapsu, vel apoplexiâ, seu gravi » catharro, vel carbunclo pestifero laboret, & infrà viginti dies » de eodem morbo decedat, locus est huic Regulæ.

XII. Non sufficit resignantem tempore resignationis fuisse in infirmitate constitutum; sed insuper requirit Regula, ut de *ipsa infirmitate decesserit*, id est, ex illa infirmitate, in qua tempore resignationis constitutus erat. Unde concludit Rebuffus *Gloss.* 9. quòd si *fato* quodam moreretur, non haberet locum hæc Regula: ibidem unà notans: » Dicitur tamen mori » ex infirmitate, etiamsi febris ratione illius supervenerit, vel » aliud accederit ab ipsa infirmitate, secùs si extrà provenerit.« Deinde nonnullis interpositis tandem concludit: » ergò relin» quitur arbitrio Medicorum, quando censeatur obisse mortem » ex infirmitate.«

XIII. Si tamen dubium sit, præsumitur mortuus ex eodem morbo, vel infirmitate; uti monet Auctor Analysis *num.* 126. & etiam Rebuffus loco citato, qui consequenter concludit: » quòd sufficiat duo probare, primò, resignantem infirmum » tempore resignationis, & demum mortuum intra viginti dies; » quia præsumetur mortuus ex ipsa infirmitate, non nisi fuerit » contrarium probatum.«

XIV. Ut Regula obtineat, exigitur, ut de illa infirmitate decesserit intra *viginti* dies. Accipitur autem hîc dies pro die *naturali* viginti quatuor horarum, uti post Rebuffum *Gloss.* 9. monet Flaminius Parisius *lib.* 12. *quæst.* 8. unà notans, diem ultimum debere esse *totaliter* completum; ita ut si moriatur ipso die vigesimo, censeatur mori intra 20. dies ad mentem Regulæ: quamvis non attendatur, quâ *horâ* diei ipsa resignatio facta sit; quia Notarii Cameræ & Cancellariæ horam præstiti consensûs, seu factæ resignationis annotare non consueverunt.

XV. Observat insuper Rebuffus *citatâ Gloss.* 9. quòd Regula hæc etiam habebit locum, » etiamsi admissa resignatione » moreretur Ordinarius intra viginti dies, vel Papa: quia licèt » per mortem Papæ extinguantur Regulæ, tamen hæc Lex » Regni facta est eo ipso, quòd in Parlamento fuit recepta & » registrata: quæ in tantum fixa manet, ut nihil officiat mors » Papæ.«

XVI. A quo tempore dies illi viginti computandi essent, apud antiquos Regulæ hujùs Interpretes non exigua fuit difficultas, quam sustulit Julius II. addendo ipsi Regulæ hæc verba: *A die per ipsum resignantem præstandi consensus computandos*: quæ verba à posterioribus etiam Pontificibus retenta sunt.

XVII. Et quamvis Regula fuerit à Parlamento Parisiensi 20. Novembris 1493. registrata, & pro Lege Regni recepta absque dicta clausula, quæ demum sub initium sequentis seculi à Julio II. fuit adjecta, nihilominus, uti notat Auctor Analysis meritò in usum recepta est; qui *num.* 10. & 11. de tempore, quo dies illi computandi sunt; nec non hujus clausulæ receptione ita loquitur: » Circa tertium (hoc est, *ut infra* 20. *dies* » *decesserit*) notandum, quòd ante Julium II. hi viginti dies » currere incipiebant statim à resignatione admissa, sive colla» tio statim esset facta, sive dilata, & non priùs: unde si cons» taret de instrumento resignationis, in Camera, vel Cancella» ria Papæ, vel Legati de Latere, & constaret suspensam, vel » dilatam esse admissionem (quod minimè solent) si tamen quo» cunque casu contingeret diffissam esse admissionem, non in» ciperent currere XX. dies (etiam cessante regulâ Julii) nisi à » die admisionis, uti suprà probavimus, quidquid scripserit » Gomez. sed ab adventu Julii, qui die XXVIII. Novem» bris 1503. anno 1. hanc Regulam rursus innovavit & publica» vit, eique primus addit clausulam illam: à *die per ipsum re*» *signantem præstandi consensus computandos*: ex tunc, in» quam, hoc tempus non cœpit: nec deinceps currere incipit » nisi à die solius resignationis *admissæ*, veræque vacationis per » resignationem admissam, imò nec à die collationis; sed tan» tùm à die quâ ipsemet resignans, personaliter (si præsens sit » in Curia) alias per procuratorem ad hoc specialiter constitu» tum, expeditioni Bullarum consenserit & juraverit, ut mos » est, secundum Regulam XLIII. Innocent. VIII. Et quamvis » dicta clausula non habeatur in textu hujusmodi Regulæ, diu » ante adventum præfati Julii in usum receptæ, & etiam in » hoc summo Parisiorum Senatu, & in publica monumenta re» latæ, tamen ita proculdubio observandum, & judicandum » est; cùm per hanc clausulam justè additam, magis obvietur » fraudibus, & plenius Ordinariorum libertati consulatur.«

XVIII. Ulteriùs, cùm dicatur *infrà* 20. dies *à die per* ipsum resignantem præstandi consensus, infert Rebuffus *Gloss.* 10. *num.* 9. & post eum alii Interpretes, » quòd dies consensus non » computetur in termino viginti dierum; & hoc (ait) probatur » per dictionem A, quæ separationem, & exclusionem deno» tat. Unde si quis resignaret Kalendis Julii, & vixerit usque » ad vigesimum diem, adhuc habebit locum hæc Regula, & » censetur per obitum vacare: verùm si lapsus fuerit dies, va» lebit resignatio; quippe non computabitur hoc tempus de » momento ad momentum, sed tota dies computatur, ut si » quis resignaverit hora 7. Kalendarum Julii, tamen die se» quenti illâ horâ non erunt lapsi dies viginti, sed requiritur » tota dies evoluta.«

Refertur in libro, cui titulus, *Journal du Palais*, *tom.* 10. *pag.* 426. & *sequentibus*, quòd anno 1680. in magno Parlamento Parisiensi multùm disputatum fuerit, an Regulæ hæc requirat 20. dies *liberos* & *plenos* inter diem admissæ resignationis & diem mortis, ita ut nec ipse dies præstiti consensûs, nec dies mortis computetur; tandemque decisum fuerit in Martio anno 1682. tales dies requiri; ubi & opinionis hujus fundamenta videri possunt.

XIX. Dicit Regula, quòd si resignans ante elapsos illos viginti dies secundum tenorem Regulæ decesserit, ipsa collatio sic facta sit *nulla*, ipsumque Beneficium *per obitum* censeatur vacare: ita scilicet, ut Ordinarii Collatores de illo Beneficio possint providere, quin & nominati Academici illa acceptare, ac si nullâ resignatione præcedente, *per obitum* possessoris simpliciter vacarent. Rebuffus *Glossa* 12. ibi quoque dicit, vigore hujus Regulæ Beneficium, non obstante resignatione, ita censeri *per obitum* vacare, ut etiamsi alicui Beneficium tantùm deberetur *si per obitum* vacaret, equidem sic vacans deberetur.

XX. Et licèt resignatio facta esset in Curia Romana, nequaquam tamen propterea Papæ esse reservatum; sed si resignatio sit nulla vigore hujus Regulæ, poterit liberè tanquam *per obitum* vacans ab Ordinariis conferri; & ita *quotidie videmus Leodii*, *& in Urbe* (id est, Romæ) *practicari*, ait Chokier *numer.* 23.

XXI. Requiritur tamen ad inducendam nullitatem collationis, ut collatio sit facta vigore *resignationis*. Dicit enim Regula: *ac ipsum Beneficium conferatur* PER RESIGNATIONEM. Unde si infrà viginti dies resignans per sententiam Beneficio privaretur, aut Matrimonium iniret, aliove modo Beneficium vacaret, collatio esset valida non obstante hâc Regulâ; quia non est Beneficium collatum tanquam vacans per resignationem.

XXII. Olim anxiè disceptatum fuit, an Regula hæc concer ne-

neret resignationes, sive simplices, sive ex causa permutationis factas coram Ordinario: at postquam Paulus III. addidit ipsi Regulæ hæc verba, *quavis auctoritate*, quam subsequentes Pontifices quoque retinuerunt, communi penè calculo receptùm fuit, Regulam etiam in renuntiatione facta coram Ordinario extra Curiam Romanam locum habere; uti post Flaminium Parisium, aliosque citatos tradit Chokier *num.* 20. idque in resignatione causâ permutationis, sive permutentur Beneficia æqualia, sive inæqualia; sive reservatis fructibus, vel pensione, sive non reservatis, uti latiùs ostendit Flaminius Parisius *lib.* 12. *quæst.* 5.

XXIII. Notat autem Vande Velde in citatis observationibus M. S. » Hîc in Belgio videntur omnes Regulæ Cancellariæ » præsertim quatuor suprà scriptæ (nempe regula *De Viginsi diebus*, *de Publicandis resignationibus*, *de Virisimili notitia*, & » *de Idiomate*) ipso usu esse receptæ. «

Deinde subjungit: extat tamen Edictum Philippi II. » Regis de anno 1574. quòd etiam vetat mandari executioni Regulas Cancellariæ Apostolicæ non obtentis litteris *Placeti* in » Consilio Privato, vel Cancellaria Brabantiæ, si quæ forsan de » novo condentur, tendentes in præjudicium hujus Reipublicæ, aut alicujus tertii, prout Edictum istud expressè subjungit. «

XXIV. Verùm Edictum istud expressè non meminit Regularum Cancellariæ, prout hîc auctor innuere videtur; sed generaliter duntaxat de quibuscunque gratiis, indultis, privilegiis, sive particularibus, sententiis, aut executorialibus datis, aut emanatis à Papa, ejusve Legato, loquitur: sub qua generalitate comprehendi Regulas Cancellariæ non dubitavit dictus Auctor; nec ratio dubitandi videtur; tam attentâ Edicti generalitate, quàm ejusdem scopo.

Cùm hoc Edictum hactenus libris Edictorum non sciam insertum; missum tamen sciatur ad omnia Belgii Consilia, & in publicis monumentis asservari, & quotidiano usu firmiter ad hunc diem observari, ejus verba hîc inserere operæ prætium judicari.

Desirans, que les affaires Ecclesiastiques soient conduites, maintenues, & reglées selon les anciennes Constitutions, Canons & Conciles de la sainte Eglise, à l' honneur de Dieu & salut des nos Ames; AVONS *par avis & deliberations de nos principaux Consaux Souverains & Provinciaux de pardeça* ORDONNE, STATUE, ET DECLARE, *par forme* d' Edit perpetuel, *comme ordonnons, statuons & declarons que nulles Bulles, Provisions, ni autres Depéches ou Impetrations de Rome, ni de Legats ou Nonces Apostoliques, ou revocations d' aucunes Graces, Indults, Privileges, tant generaux que particuliers, ni aussi acune Sentence, ou Executoriales rendues & decretées hors nosdits Pays de pardeça, tendant directement ou indirectement au perjudice de cette Reipublique, ou d' aucun tiers particulier, se puissent admettre & sortir effet en jugement ou dehors, ni etre mises en execution en iceux nos Pays de pardeça, n' est que prealablement lesdites Lettres, Bulles, Sentences & autres Impetrations ayent été vués, visitées, & examinées par Nous en notre Conseil privé, ou en notre Conseil de Brabant, & que les Impetrans ayent obtenu nos Lettres Patentes de Placet à ce pertinentes.* Id est: Cupientes ut Ecclesiasticæ causæ curentur, protegantur, & dirigantur juxta prisca Statuta, & Canones Conciliorum Ecclesiæ, ad Dei honorem, animarumque nostrarum salutem. Ex consilio, & deliberatione Primarii cujusque, & Supremi Senatûs nostri, & Provincialium in ditionibus citerioribus, mandavimus, statuimus, & declaravimus in forma Edicti perpetui, prout mandamus, statuimus, & declaramus, nullas Bullas, Provisiones, aliasve litteras, aut gratias Romæ impetratas, sive Legatorum, sive Nuntiorum Apostolicorum; aut quarumcunque gratiarum, Indultorum, Privilegiorum, tam generalium quam particularium suppressiones; nullam insuper sententiam, aut Executoriale mandatum pronuntiata, aut decreta, extra dictas nostras ditiones citeriores, directè aut indirectè tendentia in præjudicium hujus Reipublicæ, aut alicujus tertii, admitti posse, effectumque suum sortiri in, aut extra judicium, nec executioni mandari posse in dictis Regionibus citerioribus, nisi prævie à Nobis in Consilio nostro Sanctiori, aut Senatu Brabantiæ, dictæ Litterræ, Bullæ, Sententiæ, aliæque impetrationes fuerint visæ, expensæ, & examinatæ, obtinuerintque Impetrantes Placeti nostri id spectantis litteras patentes. (i)

XXV. Cùm igitur Regula hæc tempore hujus Edicti extaret cum omnibus modernis clausulis, etiam hac Pauli III. nihilque à tempore promulgati hujus Edicti sciatur huic Regulæ additum, non sine fundamento idem auctor in observationibus ad hanc Regulam asserit, quòd *praxis*, *ususque Forensis jam pridem eam receperit cum* OMNIBUS *suprascriptis clausulis.*

XXVI. Hinc etiam concludere non dubitat, quòd ob dictam clausulam QUAVIS *auctoritate*, » hodie hic cesset disputatio, utrum Regula habeat locum in collatione ordinaria. «

Similiter Wamesius noster *Consilio* 257. *num.* 12. *de Prebendis*, postquam dixit, aliquorum, ac signanter Molinæi opinionem esse, hanc Regulam non obtinere in resignationibus ex causa permutationis coram Ordinario, subjungit: » Quorum opinio nunc subsistere vix potest, posteaquam posteriores Pontifices ampliando dictam Regulam addere consueverunt hæc » verba, *Acceptum Beneficium*, QUAVIS *auctoritate conferatur*. » Ut non sit dubium, quin in Ordinariis quoque locum habere » censeatur. «

XXVII. At in Gallia idem dici non posse apparet: eò quòd ibidem hæc Regula in Parlamento Parisiensi registrata sit, & pro lege Regni recepta triginta circa annis priusquam hæc verba *quavis auctoritate* à Paulo III. fuerunt addita. Et quidem Molinæus relato textu hujus Regulæ sine his verbis, ea ad marginem annotat tanquam à Paulo III. adjecta, unà monens: *Hæc additio in usum recepta non est Gallis*: qui & in Analysi sua ad hanc Regulam contendit, eam in resignationibus coram Ordinario non obtinere; eamque opinionem dicit ab ann. 1546. invaluisse, & ab eo anno secundum ea, se passim consuluisse fatetur: » & à cæteris togati nostri Ordinis (ait) eorumve majori & saniori parte certatim consuli, & responderi vidi; sique deinceps annis sequentibus tandem in hoc Senatu pluribus » classibus congregatis emanavit Arrestum hoc anno M. D. L. » Illustriss. Domino Ægid. Magistri solemniter pronuntiatum » die JOVIS XIV. Augusti, super Parochia de la *Boissiere*, » Diœcesis *Andegavensis*, quæ XIV. Junii M. D. XLII. per » Episcopum Ordinarium collata fuerat ad resignationem infirmi, qui posteà eodem mense, & sic infra XX. dies ex eadem infirmitate decessit: unde Episcopus contulit alii *per obitum*, qui reperiens resignatarium priorem in possessione, contra eum agit possessorio coram Seneschallo Andegavensi, ubi » recredentiam obtinet: Resignatarius appellat; & per Arrestum dictum est malè judicatum, benè appellatum: intimatus *per obitum provisus* in expensis causæ appellationis condemnatus: & emendando judicium, Resignatario difinitivè » adjudicatum plenum possessorium, cùm expensis damni, & » interesse causæ principalis. «

Hæc illo, qui dein tum ex tenore, tum scopo ipsius Regulæ æquitatem hujus Arresti ostendere conatur.

XXVIII. Zypæus *tit. de Renunt. num.* 3. citato Molinæo, simpliciter de hac Regula asserit: » Locum verò tantùm habet » in collatione Papæ, non Ordinariorum: « Deinde subjungit: » Sed an locum habeat in resignationibus ex causa permutationis factis? Papon. *lib.* 3. *Arrest. art.* 2. censet habere: Molinæus id exactiùs *num.* 29. & *seqq.* examinat, sentitque nec hoc » casu Regulam respectu Ordinariorum obtinere, quòd & magis probatur. « Imprimis, quod de sola Gallia Molinæus, nimis generaliter expressit Zypæus, qui præcipuè pro Belgio Juris Pontificii analysim scribebat.

XXIX. Adhæc, ipsa opinio Molinæi nec ab ipsis Galliæ Pragmaticis indistinctè recipitur, nec hodie in Parlamentis recepta apparet; uti videre est apud Brondæum in notis ad Louetium *litt. I. num.* 5. & *lit. P. num.* 42. & Fevretium *de Abuso*, *lib.* 2. *cap.* 6. *num.* 8. & 9. & alios ibidem citatos; qui varias in hac quæstione Parlamentorum decisiones, & Doctorum opiniones referunt.

Quæstio hæc circa annum 1673. incidit, & agitata fuit in Senatu Regio Metensi, in qua interveniens Advocatus Regius multis argumentis ostendit, huic Regulæ in resignatione ex *causa permutationis* coram Ordinario locum esse; atque inter alia asserere non dubitavit, Doctores omnes, qui post Molinæum scripserunt, uno consensu hanc opinionem sustinuisse; unà ostendens, hanc Regulam esse favorabilem; ideoque, & meritò in hac resignatione servandam: conformiter ad hanc Advocati Regii conclusionem judicavit Senatus 22. Novembris 1694. Habetur in libro, cui titulus *Journal du Palais*, *tom.* 5. *pag.* 169. & *sequent.*

XXX. Quoad simplicem, ac puram resignationem factam coram Ordinario, etiam à constituto *in extremis*, eam ex hac Regula impugnari non posse, tametsi intra paucos dies à factâ resignatione resignans decesserit, sat apud omnes compertum est. Neque contra collationem vigore similis resignationis factam admitti probationem fraudis eo titulo, quod *ab infirmo* facta sit. Aliud esset, si quis alium titulum fraudis probare vellet, puta nundationem, conventionem, pactionemve secretam inter resignantem & Ordinarium, cujus probatio recipi deberet; quia, uti post Molinæum, ait Broudæus citato num. 42. *non licèt Episcopo negotiari de Beneficiis.*

XXXI. Hodie communiter & de stylo derogatur huic Regulæ, quando Resignans est absens à Curia, ait Chokier *n.* 34. ex Gomezio ad hanc Regulam *quæst.* 39. qui tamen dictum suum limitat ad eos, qui sunt extra Italiam. » In Italia verò » (ait) aliquando solet concedi derogatio, quando locus resignationis distat à Curia, & Beneficia, quæ resignantur, non » sunt

(i) *Vide sæpè citatam leg.* 37. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop.*

» sunt reservata. Si verò sit locus vicinus Urbi, cum majore » difficultate conceditur. «

Hæc derogatio, olim rarissima, invalescere cœpit à tempore Leonis X. qui sub initium seculi XVI. sedit; nam uti notat Gomezius, tempore hujus Pontificis sæpiùs derogatum fuit huic Regulæ pro pluribus personis, ac sensim in omnibus resignationibus inseri cœpit.

XXXII. Derogationem hanc non tantùm in præjudicium Ordinariorum, sed & Graduatorum in Gallia admitti, & in Parlamentis Regiis non semel decisum, testantur passim Pragmatici Galliæ. Rebuffus ad Concordata *tit. de Collatoribus*, §. *Præfatique Ordinarii*, verbo *Vacare*, aliique passim; atque inde infert Castellus *pag.* 43. per frequentem hanc derogationem, Regulam penè reddi inutilem: qui *pagin.* 49. allegat virisimilem rationem introductæ hujus derogationis.

XXXIII. An hîc in Belgio derogatio ex stylo Curiæ litteris inseri solita, vim suam habeat in præjudicium Ordinariorum, & Nominatorum Academicorum, non perinde constat. Sæpiùs citatus Vande Velde *in suis ad hanc Regulam Observationibus quærit*: » Sed quid si Pontifex derogaverit huic Regulæ, » utrum ista derogatio nocebit Nominato? « Respondet: » Ne- » quaquam, quia licèt derogatio ista faciat primò quidem cessâre » Regulam, quatenus habet initium à Suâ Sanctitate, non ta- » men quatenùs hîc usu recepta est per modum legis, seu con- » suetudinis perpetuæ.«

Cùm anno 1624. petitum esset *Placetum* Regium in Consilio Privato super litteris provisionis Apostolicæ, quibus inserta erat clausula derogationis hujus Regulæ, Consilium annuit petitum *Placetum* cum hac expressa clausula: *Sans prejudice des parties, lesquelles se pourront servir de moyens deduits par leurs moyens ou ecrits, pardevant les Juges ordinaires, soit au petitoire, soit au possessoir. Bien entendu que si la decision du differens se trouve dependre* DU POINT DE LA DEROGATION DE LA REGLE DE 20. DIEBUS *contenue aux Bulles, lesdist Juges n' y resoudront rien sans en donner part à Sa Majestè, avec leur avis.* Id est: Sine partium præjudicio, quibus liberum erit adhibere media in responsione, aut scriptis suis deducta, judicibus ordinariis, tàm in petitorio, quàm in possessorio: Cum hac tamen cautela, ut si contestationis decisio penderet A PUNCTO DEROGATIONIS REGULÆ DE XX. DIEBUS in Bulla expressa, dicti Judices nihil statuant nisi suam Majestatem certiorem desuper fecerint, judiciumque suum opinantes adjunxerint.

Eadem rursus quæstione incidente inter Albertum du Bois Supplicantem pro *Placeto*, & Carolum Colins Opponentem occasione similis provisionis Apostolicæ de Præbenda in Ecclesia Collegiata S. Amati Duaci, multumque coram Consilio Privato esset disceptatum, tandem 19. Junii 1646. litteræ *Placeti* cum eâdem clausulâ datæ fuêre. Utrumque Decretum refertur in Registro MS. Archiepiscopatus Mechl. *Cent.* 3. *art.* 19.

Hinc non obscurum est, Judicibus Regiis expeditum haud fuisse, num derogatio Regulæ *de* 20. *diebus* hîc admittenda; atque hujus quæstionis dicisionem tanti momenti existimâsse, ut eam interioribus tribunalibus non crediderint committendam.

XXXIV. Et sanè, quandoquidem hîc in Belgio passim inter Ordinarios & Sedem Apostolicam sit recepta, & stabilita divisio mensium; neque ulla in mensibus Ordinariorum admittatur præventio (uti suprà *tit.* 23. *cap.* 7. *num.* 25. notavimus) quæ in Gallia juxta eorum Concordata in usum recepta est; mirum videri non debet, si non æquè facilè hîc in Belgio, ac in Gallia derogatio hujus Regulæ in præjudicium Ordinariorum admittatur.

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT V.

NOVÆ OBSERVATIONES FIUNT IN REGULAM CANCELLARIÆ *DE INFIRMIS RESIGNANTIBUS.*

1 *Hæc Regula eo nomine non donabatur ante Bonifacii VIII. tempora.*
2 *Interpretatio Regulæ* de infirmis *seu* viginti diebus *in favorem Cardinalium.*
3 *Quo tempore requiratur infirmitas, ut sit locus huic Regulæ.*
4 *Utilitas additionis, quæ Regulæ facta est à Clemente VII. & Paulo III.*
5 *Utrum Regula locum habeat in resignatione coram Ordinario.*
6 *Quid judicatum in Parlamento Mechliniensi.*
7 *Præcipuum ejus Arresti fundamentum.*
8 *Mens Regulæ supradictæ exponitur.*
9 *Præcipuus hujus Regulæ scopus.*
10 *An huic Regulæ sit locus in resignatione simplici coram Ordinario.*
11 *Derogatio huic Regulæ facta, an admittenda.*
12 *Observatio Molinæi in hujus Regulæ derogationem, qualis in Gallia admittitur.*
13 *Illam derogationem improbat Molinæus.*
14 *Proponit motiva, quibus Galliarum Rex effectum hujus derogationis impediret.*
15 *Rationes Molinæi à Gallis non probatæ, Belgarum usui patrocinantur.*
16 *Casus quidam, in quibus hujus Regulæ derogatio in Romana Curia non admittitur.*

I. *OBservat Joannes Solier in notis ad Melchiorem Pastorem *Tractatu de Beneficiis, lib.* 3. *tit.* 7. *litt. B.* quòd ante Bonifacium VIII. Regula *de Infirmitate* mentionem non haberet; ideoque de *viginti diebus*, non autem *de Infirmis Resignantibus* denominaretur: sed additis à Bonifacio VIII. *infirmitatis* verbis, cœperit promiscuè de *viginti diebus*, seu *Infirmis Resignantibus* nuncupari.

II. Observat præterea, quòd etiamnum hodie Regula habeat locum quoad Beneficia spectantia ad Collationem Cardinalium, tametsi nulla infirmitas præcesserit, modò ipse resignans intra *viginti dies* ab admissa resignatione decesserit: » Quia (ait) » indultum Cardinalium Regulam vocat *de viginti diebus*, non » autem *de infirmis Resignantibus*, intelligitur de antiqua illa, » cui aliàs locus erat, etiam extra casum *infirmitatis*, ut & » hodie sit ei locus ad *favorem* Cardinalium.«

Si hæc fiat & permittatur Regulæ interpretatio in favorem Cardinalium, ut ipsis integra, & libera maneat Beneficiorum provisio; nonne potiori jure hæc esset facienda, & retinenda Regulæ interpretatio in favorem Episcoporum, quibus non ex speciali indulto, sed *jure proprio* Beneficiorum provisio per suas respectivè Diœceses competere censetur?

III. Quod *num.* 8. *cap.* 5. observatum est ex Molinæo, sive Auctore Analysis in Regulam Cancellariæ de *Infirmis Resignantibus*, *num.* 115. infirmitatem requiri tempore factæ resignationis, idipsum probat hic Auctor ibid. *num.* 16. & *seqq.* notatque, quòd ad obviandum fraudibus, Regula » pro prin- » cipio morbi non ponderet, nec requirat aliud initium quam » tempus, vel datam ipsius resignationis, ergo admissionis. «

Hinc ulteriùs concludit, monetque admodum notandum in praxi, quòd sufficiat ad effectum hujus Regulæ, resignantem esse infirmum tempore resignationis admissæ, vel etiam tempore collationis, si diu post sequatur, vel etiam tempore *præstiti consensûs*, si postea præstitus fuerit, quantumvis prioribus nedum sanus fuerit, & sine suspicione infirmitatis.

Meminit & ibidem additionis factæ per Clementem VII. & Paulum III. quæ hodie legitur in textu Regulæ, quâ declaratum est & statutum » sufficere resignantem esse infirmum tem- » pore *dati consensûs*, quantumvis primi, etiamsi tempore ad- » missæ resignationis *sanus* fuerit, ut si de illa infirmitate infrà » vigesimum diem obierit, vacet per obitum. «

IV. Addit deinde: quòd, cùm sit libertati Ordinariorum favorabile, & ad fraudes *pravarum Datarum* restringendas; utque veteres sacri Canones minùs corrigantur & fraudentur, minusque pateat via successionis carnalis in Beneficiis Ecclesiasticis, utiliter statutum, omnino tenendum & practicandum est.

V. *Num.* 26. *cap. immediatè præcedentis* observatum est, quòd post addita per Paulum III. hæc verba *quâvis etiam auctoritate* huic Regulæ, dubium non esse, quin hæc Regula etiam obtinere debeat in resignationibus ex causa permutationis *coram Ordinario*; atque Regula cum hac additione videri in Belgio recepta.

Verùm, quoad hanc in Belgio receptionem, nuper in quadam causa dubitatum est; quin & plures è Parlamento Mechliniensi in eam inciderunt opinionem, hanc Regulam cum prædicta clausula hactenus non fuisse receptam: quod satis intelligitur ex iis, quæ referuntur in Collectione Arrestorum Parlamenti Mechliniensis adornata per Dominum Laury ejusdem Parlamenti Consiliarium *Arresto* 123. ibidem enim narrat, quòd, cùm ann. 1713. incidisset quæstio occasione controversiæ in possessorio de Præbenda secundæ fundationis vulgò *zellard* in Ecclesia Metropolitana Mechliniæ, quam quidam Joannes de Munnck viâ permutationis coram Ordinario acceperat ab Antonio de Munnck fratre suo, qui in infirmitate constitutus eam viâ permutationis resignaverat.

Cum autem resignans infrà viginti dies à facta resignatione obiisset, quidam Joannes Franciscus Bosselaer eandem Præbendam tanquam vacantem per obitum vigore hujus Regulæ, impetravit à Romano Pontifice, eò quòd vacatio contigisset mense reservato.

Porrò inter partes conveniebatur, resignantem nondum elapsis viginti diebus à facta resignatione ex ipsa infirmitate decessisse, atque obiisse in mense reservato; & per consequens, unica superesse visa fuit quæstio, utrum hæc Regula in Belgio esset recepta cum additione facta per Paulum III. sive utrum haberet locum in resignatione ex causa permutationis *coram Ordinario.*

VI. Plures ab utraque parte adductas auctoritates, refert Collectionis Auctor; testaturque omnibus discussis tandem ju- di-

dicatum fuisse per Arrestum die 2. Decembris 1713. Regulam hanc in his partibus non habere locum in resignationibus ex causa permutationis factis coram Ordinario : verba Auctoris gallicè expressa sunt : » *Il a été jugé , que la Regle de la Chancelle-* » *rie Romaine , dite de viginti , vel de infirmis Resignantibus,* » *n' a pas lieu en ce pais au regard des Resignations des Bene-* » *fices , qui se font pardevant les Ordinaires.* «

VII. Præcipuum hujus Arresti & Declarationis fundamentum fuisse asserit Auctor hujus Collectionis , quòd hæc Regula videatur concepta , & recepta , ut jus Ordinariorum contra Curiæ Romanæ usurpationes salvum esset : si autem hæc Regula etiam locum haberet in resignationibus coram Ordinario de Beneficiis vacantibus in mensibus reservatis , tunc frequenter vigore hujus Regulæ provisio Ordinario adimeretur , & ad Pontificem devolveretur , scilicet toties quoties resignans intra viginti dies à facta resignatione decederet.

VIII. Verùm notandum hîc unicè quæstionem esse posse de conservanda Ordinario sola collatione *necessaria* , sive institutione non libera , utpote quàm Ordinarius juxta terminos resignationis facere jubetur resignatario in instrumento resignationis , sive permutationis nominato ; ut proinde hæc Ordinarii provisio non possit reputari nisi *institutio necessaria* ; qualis dari solet ad præsentationem Patroni , quam Ordinariis conservari nullius , aut exigui momenti reputatur.

Adhæc , si publici intersit , jura Ordinariorum integra conservari , quidni & publici interest , Patronorum Ecclesiasticorum , aut Graduatorum , & Academicorum jura jam recepta & stabilita , quæ non minùs per has resignationes coram Ordinariis , quàm in Curia Romana factas , enervantur , integra servari ?

IX. Prætereà certum est , præcipuum hujus Regulæ scopum esse , quasi hæreditariam & testamentariam Beneficiorum in nepotes , & consanguineos ac familiares translationem , & successionem reprimere.

Quis porrò ambigat , quin non minus per has coram Ordinariis factas resignationes , vel permutationes Beneficia jure *quasi hæreditario* transferantur in fratres , nepotes , aliosque familiares secundum carnem & sanguinem , atque per resignationes in Curia Romana ?

X. Quod dicitur in resignatione simplici & pura , facta coram Ordinario , huic Regulæ Cancellariæ *de infirmis Resignantibus* locum non esse , restringendum est ad casum , quo non tantùm Ordinarius eam resignationem acceptavit , sive approbavit ; sed & ad casum , quo nullius , nisi ipsius Ordinarii interesse versatur , nullique præjudicium generari potest : quemadmodum etiam judicatum refertur , Regulam non obtinere in resignatione facta coram Pontifice , & ab eo acceptata , dum aliàs collatio pertinet ad Pontificem , & nullius alterius interesse occurrit.

In Opere , cui titulus : *Journal des Audiences , Part.* 1. *lib.* 2. *cap.* 162. ubi & *lib.* 4. *cap.* 20. judicatum scribitur , in hujusmodi resignatione etiam simplici Regulam obtinere , si ex circumstantiis sufficienter probetur eam resignationem factam in fraudem Graduatorum , aut nominatorum Academicorum.

Et hoc etiam est , quod dicit Molinæus ad Regulam *de infirmis* , *num.* 86. hanc esse conditam , ut Ordinarius , dum resignationem coram se canonicè factam admisit , non posse rursus vigore hujus Regulæ idem Beneficium tanquam per obitum vacans alteri conferre.

De simili casu verosimiliter actum fuit in Senatu Parisiensi anno 1550. de quo agit *num.* 270.

Indicia , ex quibus colligitur , resignationem factam in *fraudem* Graduatorum , allegat Molinæus ad hanc Regulam *num.* 110. & *seqq.*

XI. Paucis admodum *cap.* 5. *num.* 32. notatum fuit , derogationem hujus Regulæ admitti in Gallia ; quin & testatur Melchior Pastor in Tractatu *de Beneficiis* , *lib.* 3. *cap.* 6. *num.* 6. quòd si resignans supplicaverit pro derogatione hujus Regulæ, ipsa derogatio denegari nequeat : » Nam (ait) ex stylo Curiæ, » clausula derogatoria dictæ Regulæ in litteris beneficialibus ap- » poni solet ; & quæ sunt moris & consuetudinis , sunt » servanda. «

Quin & addit : » Si derogatio fuerit petita , & denegatur, » resignatarium appellare posse à negatione signaturæ , aut Bul- » læ , tanquam *ab abusu.* « Testaturque judicatum fuisse super appellatione interposita à resignatario , cui post resignationem admissam legatus Avenoniensis conferre noluerat Beneficium cum clausula derogatoria dictæ Regulæ *de viginti* , & differebat conferre , donec sibi constaret , resignantem supervixisse viginti dies post resignationem admissam ; quo judicio Senatus abusum tollendo , resignatarium ad Ordinarium dimisit, qui Beneficium ei contulit.

Monet idem Auctor , quòd si in supplica derogatio petita non fuerit , non suppleatur : suppleri tamen possit litteris *perinde valere* , si jus alteri non sit quæsitum.

XII. Mirum! in Gallia hanc Regulæ derogationem ita admissam ; quandoquidem evidens sit , hac derogatione Regulam *de infirmis* , obviandis fraudibus , nec non conservandis juribus Ordinariorum aptissimam , & ut talem in Regno admissam, omninò reddi inutilem , ut solidè probat Molinæus *in commentario ad hanc Regulam* , *num.* 127. & *seq.* ubi ex professo hanc quæstionem discutit : utrum huic Regulæ derogari queat.

Et primò quidem tanquam certum supponit , quòd , » Le- » gatus etiam *de latere* non potest , licèt habeat potestatem ge- » neralem derogandi omnibus Regulis Cancellariæ editis & » edendis , nisi specialem , & , ut ita loquar , individualem » habeat facultatem derogandi huic Regulæ , quia (ait) Re- » gula *jus* facit , utpotè *judicialis* , tum notabilis & favorabilis » est : & ita rectè tenet D. Ludovicus hîc *quæst. ult.* & in » procœmio lib. 6. «

Deinde addit , neque sufficere derogationes , quantumvis *generales* Papæ. Et quamvis non neget , quin Papa possit *nominatim* huic Regulæ derogare ; tamen notat , quòd Papa passim & indiscriminatim derogare non possit , nedum debeat , nisi graves (ait) urgeant causæ.

XIII. » Nec enim (inquit) Ecclesiæ dominus est , sed ad- » ministrator ; non autem habet potestatem malè administrandi.... » At cùm hæc Regula justis de causis facta sit , & *favorabilis*, » videlicet ad restringendum fraudes , quæ contra Canones ip- » sos , & jus publicum fiunt , derogationem injustam esse , ne- » dum odiosam.

» Cùm autem passim , (pergit Molinæus) sine delectu fiat » (derogatio) additis quinque *ducatis* , nemo non videt abusum, » & illusionem esse , quasi hæc Regula nundinationis causa fac- » ta sit , utque cariùs Bullæ veneant. Quid autem iniquius , quàm » legem præstare , pretioque refigi ? «

Cùm autem sciret hic Auctor , utpote praxeos Ecclesiæ , & Regni Galliarum apprimè gnarus , derogationem hujus Regulæ litteris provisionis ex causa resignationis , etiam in *favorem* , ex stylo Curiæ Romanæ passim inseri , & in Gallia admitti , quasi respondendo ad prædicta , ait : » His & aliis gravioribus obviam » ire non est *unius privati* , sed Ecclesiæ legitimæ congregatæ, » vel Principis ad quem in suo Regno spectat disciplinam Ec- » clesiasticam munire , & defendere , etiam adversus Prælatos » Ecclesiasticos abutentes.«

XIV. Post hæc subjicit motiva , quibus Princeps meritò inducendus videtur , ut effectum hujus derogationis in suo Regno impediat. Primò interest universalis Ecclesiæ , quòd » Beneficia » conferantur per suos Ordinarios ; quia ordo universalis des- » truitur, si unicuique sua jurisdictio illæsa non servetur, 2. *quæst.* » 1. *Cap.* PERVENIT , qui est textus Gregorii Magni.

» Tùm hæc (ait) derogatio non fit in resignationibus verè sim- » plicibus jure communi permissis , quarum gratiâ non itur ad » alium quàm Ordinarium ; sed fit pro resignationibus *in favo-* » *rem* , quæ veritæ sunt , simoniacæ, & ad fovendum abusum il- » lum , qui fit contra sacros Canones antiquos de prohibita suc- » cessione in Beneficiis, & ne liceat de illis testamentum facere.«

Denique notat , quòd » hæc Regula una cum Regula *de pu-* » *blicandis* , & *de verisimili notitia* , non solùm sunt receptæ » in toto Regno, sed in legem transierunt generalem ; ita quòd » inter leges Regni in custodiam Sacrorum Canonum , & liber- » tatis Ecclesiæ Gallicanæ , sancitas connumerari possunt : ergo » (ait) derogatio multiplicem abusum continet.«

Tametsi Molinæus credat , hæc sufficienter evincere , derogationem hujus Regulæ , ex stylo Curiæ Romanæ litteris provisionis ex causa resignationis *in favorem* inseri solitam , non fore recipiendam , sed tanquam *abusivam* rejiciendam , nihilominus fateatur contrarium in Regno servari , derogationemque admitti.

Testaturque Georgius Louetius in notis ad hunc Molinæi textum , quòd nisi contrarius usus forensis obstaret , ipse quoque ob rationes per Molinæum adductas , ejus opinioni subscriberet.

XV. Si forsan rationes ex Molinæo adductæ non fuerint visæ sufficientes , ut in Regno Galliæ , hæc derogatio tanquam abusiva rejiciatur *ob jus præventionis* , quo ibidem gaudet Pontifex ; non dubium equidem , quin sat probent , ut meritò hæc in Belgio , aliisque Provinciis , ubi jus Præventionis non est receptum , derogatio hujus Regulæ non admittatur ; quodque meritò clausulam derogationis in litteris expressam Consilia Regia per suas litteras *Placiti* probare noluerint , uti in textu notatum fuit *num.* 33.

XVI. Et *num* 31. observatum est , derogationem hujus Regulæ in Curia Romana non solere admitti ; dum agitur de Beneficiis *reservatis* , aut de vacantibus in locis Romæ *vicinis*, indubiè , ut vigore hujus Regulæ ipsa libera Beneficiorum illorum provisio salva conservetur Pontifici ; quidni igitur Principes , qui juribus Ordinariorum conservandis invigilare tenentur, hanc derogationem Regulæ non admittendam judicant?

CA-

CAPUT VI.

De Regula Cancellariæ, de *Publicandis Resignationibus.*

1 *Hæc Regula unde originem habuerit.*
2 *Refertur textus Regulæ.*
3 *Quæ huic Regulæ à Julio III. addita.*
4 *Regula in Gallia recepta sine additione.*
5 *A tempore Gregorii XIII. hæc Regula omissa, ob novam hujus Pontificis Constitutionem.*
6 *In multis locis dicta Constitutio recepta non est; sed manet Regula.*
7 *Quid in hac Regula statuatur.*
8 *Quo in loco publicatio facienda.*
9 *Resignatio censetur* publicata, *quando* palam *innotescit.*
10 *Solemnis & publica missio in possessionem æquivalet publicationi.*
* *Attamen accepta possessio non semper supplet vicem publicationis.*
11 *Quomodo in Gallia probanda possessio; & quæ possessio requiratur.*
12 *Præter possessionem* civilem *requiritur publicatio; nec publicatio sine possessione sufficit.*
13 *Intra quod tempus facienda publicatio; & quando hoc tempus currere incipiat.*
* *Utrum aliquod impedimentum sufficiat, ut tempus publicationis prorogetur.*
14 *Regula locum non habet, si vivo resignante capta sit solemniter possessio.*
* *Utrum satisfaciat Regulæ de* publicandis &c. *per hoc quod fuerit petita possessio, si publicatio secuta non fuerit.*
15 *Ad quid tempus in Regula præfixum.*
16 *Vivo resignante sufficit, ut saltem intra* triennium *accipiatur possessio.*
17 *Resignante mortuo in possessione intra tempus à Regula præfixum, potest Resignatarius capere possessionem.*
18 *Quin in Gallia in favorem Graduatorum, & Patronorum statutum.*
19 *Qua ratione Beneficium resignatum vigore hujus Regulæ vacet* per obitum.
20 *Beneficium vacans vi hujus Regulæ per Nominatum Academicum acceptari potest.*
21 *Provisio facta contra hanc Regulam est nulla; nec possessio prodest.*
22 *An huic Regulæ derogari queat.*
23 *An tempus præfixum prorogari.*
* *In Galliis summus Pontifex derogare non potest Regulæ* de publicandis resignationibus.
* *Mendum Louetii notatum ab Antonio Vaillant.*
* *In Belgio non videtur summus Pontifex posse derogare Regulæ* de publicandis resignationibus.

I. EX Regula *de Infirmis Resignationibus* videtur originem accepisse alia Regula Cancellariæ, quæ dicitur *de Publicandis Resignationibus.*

Cùm enim fraudatores viderent sibi liberum non esse, fraudem facere tempore infirmitatis propter Regulam *de Infirmis Resignantibus*, cœperunt infirmitatem, & periculum mortis prævenire, faciendo in sanitate resignationes *in favorem*; sed easdem occultando, quandiu resignantes viverent, ut ad mortem usque Beneficiis fruerentur: & sic major gliscebat, & succedebat fraus, quàm ante dictam Regulam *de Infirmis*; quia nec tempore quidem infirmitatis, & mortis detegebatur fraus, sed demum post obitum, & quandoque diu post. Hæc Auctor Analysis ad hanc Regulam *de Publicandis Resignantibus*; quid ibidem plures fraudes ex secretis, & occultatis hisce resignationibus profluentes notavit.

II. His itaque occurrere volens Innocentius VIII. Regulam hanc edidit, referturque à Joanne Chokier his verbis, prout ab hoc Pontifice promulgata fuit: » Item idem D. N. statuit & » ordinavit, quòd quæcunque Ecclesiastica Beneficia, sive in » Romana Curia, sive extra eam resignata, nisi de illis factæ re» signationes, (si in Romana Curia infrà sex menses, si extra » dictam Curiam factæ sint, infrà mensem) ex tunc, ubi dicta » Beneficia consistunt, publicatæ, & possessio illorum ab eis, » quos id contingit, petita fuerit: si resignantes ista postmo» dum in eorundem resignatorum possessione decesserint, non » per resignationem, sed per obitum hujusmodi vacare censean» tur: collationes quoque de illis tanquam per resignationem » vacantibus factæ, & inde secutæ, nullius sint roboris, vel mo» menti. (k)«

III. Notat autem Cokier *in Commentario ad hanc Regulam*, *num.* 12. quòd huic Regulæ addiderit Julius III. post verba *infra sex menses* sequentia, à *die datæ supplicationis, non à die præstiti consensûs.* Et in fine post verba, *collationes quoque*, addiderit, & hæc, *& quævis aliæ dispositiones.*

Regulam cum hisce apendiculis refert Rebuffus *in Praxi, part.* 3. scripsit enim post tempora Julii III. qui ad Potificatum anno 1550. fuit assumptus.

IV. At cùm hæc Regula fuerit recepta in Gallia, & registrata in Curia Parlamenti 27. Augusti 1493. & effecta lex regni, ut testatur Rebuffus, ideo sine illis appendicibus recepta fuit.

V. Notandum autem hanc Regulam à tempore Innocentii VIII. fuisse inter Regulas Cancellariæ, & ubique in viridi observantia usque ad tempora Gregorii XIII. qui anno 1583. Constitutionem evulgavit, quæ incipit, *Humano vix*, 85. *in Bull. Rom.* quâ novam formam *publicationis* præscripsit; eamque ubique observari voluit: atque ab eo tempore Regula hæc omissa fuit; nec hodie inter Regulas Cancellariæ reperitur: aitque Flaminius *lib.* 11. *quæst.* 9. eam Constitutionem ubique esse receptam.

VI. Verùm in Gallia receptam non esse formam publicationis in eam præscriptam, notorium est, notantque omne passim Pragmatici Galli Regulam Cancellariæ *de Publicandis Resignationibus* observari, & in Parlamentis Regiis secundum eam judicari, idque ad eam normam, qua pro lege regni recepta jam pridem fuit, & in Parlamento registrata.

Similiter hinc in Belgio non observatur Constitutio Gregorii XIII. sed hæc Regula uti notat Vande Velde in *suis observationibus ad hanc Regulam*, & usus quotidianus evincit.

Dicit quoque Garcias *de Beneficiis, part.* 11. *cap.* 3. *num.* 289. » Quoad resignationes, & permutationes coram Or» dinariis factas ista Constitutio non videtur usu recepta in his » partibus (Hispaniæ) saltem in hoc Episcopatu Abulensi. «

VII. Quapropter omissâ hac Gregoriana Constitutione (quam post Flaminium Parisium exponit Cokier in *Commentario ad hanc Regulam*) ipsam Regulam paucis exponere visum est.

Regula itaque requirit, ut resignationes publicentur, atque resignatarii possessionem petant ab iis, quos id contingit; idque intra sex menses, si resignationes sint factæ in Curia, & intra mensem, si extra: alias si intra illud tempus publicatæ non sint, nec petita possessio, & resignans in possessione post dictum tempus decesserit, Beneficium non per resignationem, sed per obitum vacare censeatur; atque collationes de Beneficiis tanquam per resignationem vacantibus factæ, & omnia inde secuta nullius sint roboris, vel momenti.

VIII. Publicatio, de qua loquitur Regula, debet fieri in loco Beneficii resignati: quod significant verba Regulæ, *ubi dicta Beneficia sita sunt*; ut scilicet hac publicatione innotescat in loco Beneficii, quis sit verus Beneficiatus, sive quis titulum Canonicum Beneficii habeat. » Quia (ait Rebuffus *Gloss.* 1. *ad hanc » Regulam*) interest populi agnoscere Pastorem suum, ut ab eo » Sacramenta percipiat, non à mercenario, & qui non est Pastor.«

IX. Publicatæ autem dicuntur resignationes, quando palam factæ sunt in ipso loco Beneficii, ita ut publicè innotescere queant: quod multis, variisque modis etiam pro diversitate Beneficiorum fieri potest, uti notat, & exponit Rebuffus *Gloss.* 10. monetque Zypæus, formam publicationis in Belgio strictè non servari. » Sufficit enim (ait) ut *palam* innotescat, nec celetur re» signatio, etsi in templo coram populo in celebritate Missæ, » aut contionis die festivo non promulgetur. « In Jure novo, *tit. de Renunt. num.* 2.

X. Hinc notat Antonius Faber *lib.* 1. *Codicis tit.* 2. *Definit.* 14. » Satis publicatam (resignationem) videri, si nec vi, » nec clam, nec precario, sed publicè resignatarius missus sit » in Beneficii possessionem. Id enim est (ait) quod vulgò dici » solet, missionem in possessionem publicationi æquivalere. «

Et uti ex Auctore Analysis refert Claudius Le Prestre *Centuria* 3. *cap.* 17. » Si possessio non fuerit momentanea, nec » per actus civiles, sed reales, & realiter, & palam continua» tos, ita ut juris possessio, novique non solum titularii, sed » effectualis possessoris adventus abierit in *publicam* notitiam: quia » tunc possessio juris & *publicè* continuata, publicationi & for» mæ hujus Regulæ æquipollet; imò præponderat, uti sæpiùs » judicavit Rota, uti refert Gomezius ad hanc Regulam *q.* 11. «

* Modò dictum est possessionem realem & corporalem resignatarii palam, & juxta formam ordinariam ac stylum consuetum acceptam hîc haberi pro *publicatione* resignationis factæ, hoc tamen notandum, quòd si post acceptam per resignatarium possessionem, resignans adhuc per se vel alium reciperet fructus, possessio resignatarii judicaretur simulata, nec sufficiens ut huic Regulæ *de Publicandis resignationibus* esset satisfactum: quia possessor Beneficii habetur ad effectum hujus Regulæ, qui fructus percipit, nisi „ resignans vi vel violentia » occupet Beneficium & conquerente resignatario, fructus per » ciperet: tunc enim nihil imputandum resignatario cui *via* fac» ti

(k) *Dictæ Regulæ addendæ sunt leg.* 6. *&* 7. *titul.* 4. *lib.* 7. *Recopil.*

» ti nocere non debet ,« uti observat Louetius in notis ad » Molinæum ad hanc Regulam *numer.* 10.

Qui & *num.* 268. monet » Si resignans exquisitâ *fraude* si- » mulatum *conductionis* titulum à resignatario obtinuerit , & ex » eo putativus possesor à pluribus habitus sit , tunc cum Re- gulæ non est abundè satisfactum, *publicationis* , omissio reddit re- » signationem eo casu nullam. «

Sat quippe constat , hac simulata conductione resignantem reipsa in perceptione fructuum Beneficii permansisse , ipsumque resignatarium non nisi simulatam possessionem Beneficii accepisse.

XI. Centuria 3. *cap.* 17. refert Le Prestre per Edictum Henrici II. de ann. 1550. *art.* 13. & 14. vetitum esse judicibus habere rationem provisionum de Beneficiis per resignationem , nisi vigore illarum possessio solemniter capta fuerit, de qua, quoad Beneficia in Cathedralibus & Collegiatis Ecclesiis , constet per instrumentum signatum à Graffiario , sive Notario dictarum Ecclesiarum , in forma , & modo , quibus instrumenta expedire solent , ipsam Provisi receptionem continens : & in casum re- cusationis , actam publicam istius recusationis.

XII. Quòd si tantùm intervenerit possessio momentanea, sive per actus civiles, quam hodie dicimus *possessionem juris*, hæc non sufficiet ; sed necessaria quoque erit *publicatio* in loco Beneficii , quemadmodum notat auctor Analysis : qui insuper ob- servat , non sufficere quoque publicationem resignationis in lo- co Beneficii , sive notorium esse , resignationem esse factam, quin & collationem Beneficii in favorem resignatarii subsecu- tam , sed insuper requiri possessionem. Idipsum notat Anto- nius Faber *loco citato Definit.* 59. dicitque , quòd Regula duo requirat *conjunctim & copulativè* , publicationem , & missionem in possessionem. Deinde infert : Ergò alterutrum intervenisse non sufficeret. Nisi tamen ipsa *solemnis* in possessionem immis- sio talis sit , ut publicationi æquivaleat , uti ibi quoque mo- net Faber.

XIII. Hæc autem publicatio & petitio possessionis debet fieri intra sex menses , si resignatio facta sit in Curia , & in- tra mensem , si extra Curiam.

Pro computatione autem mensium non inspicitur tempus consensus præstiti , sed tempus datæ supplicationis seu Bullæ ; & ita observari , & sæpius judicatum fuisse testatur auctor Ana- lysis *num.* 168. » Quia (ait) hoc favorabile est Ordinariis , & impetrantibus per obitum possessorum , quibus hæc Regula sub- » venire & prodesse voluit. «

* Cùm dictum est decerni in Regula *de publicandis resigna- tionibus* , ut publicatio resignationis fiat intra sex menses , si re- signatio facta sit in Curia Romana , intra mensem verò si ex- tra Curiam , id ita intelligendum est , modò legitima causa quæ impedimentum legitimum , seu necessitatem resignatario impo- nat , non intercesserit : putà si in itinere provisio ex violento casu amissa , si sit cursor occisus redeundo , uti observat Lou- etius in notis ad Commentarium Molinæi ad hanc Regulam *n.* 24.

Quod tamen intelligendum cum limitatione monet Antonius Vaillant in nota marginali , putâ si resignatarius publicè pro- testatus sit de impedimento : aliàs cùm hæ induciæ legales sint, & determinatæ à lege , currunt etiam contra ignorantem.

Et ad *num.* 233. monet similiter idem Vaillant » quòd non » sufficeret hodie docere de legitimo impedimento ; sed eo ca- » su deberet Resignatarius adire Judices Regios , & ab iis ve- » niam petere adipiscendæ possessionis , alioquin fortuitus casus » imputaretur ; quia hæ induciæ legales non possunt ullatenus » prorogari. «

Certum est in provinciis servandam praxim & stylum ob- servari consuetum.

XIV. Alteram conditionem addit Regula : *Si Resignantes ista* (Beneficia) *postmodum in eorundem resignatorum Beneficio- rum possessione decesserint.*

» Per hunc textum patet à contrario sumendo , quod si re- » signans moriatur ante mensem , vel ante sex menses in posses- » sione , Beneficium non vacabit per mortem.« Rebuffus ad hanc Regulam.

Unde ex verbis Regulæ rectè collegit Antonius Faber *loco allegato* , *Definit.* 60. » ut locum habeat hæc Regula dicen- » dum est tria conjunctim requiri : ut non sit facta publicatio in- » tra sex menses : ut non sit petita possessio : & ut resignans » decesserit post sex menses in possessiones. Ex quibus si vel » unum desit , non est locus Regulæ , & Beneficium per re- » signationem , non per obitum vacare intelligitur , tametsi mor- » tuus sit , qui resignaverit.« Et ita Senatum Sabaudiæ judicâs- se testatur.

Idipsum ante Fabrum notaverat Auctor Analysis : qui & *num.* 17. dicit : Regulam locum habere , tametsi resignatio pu- blicata non sit , nec possessio petita intra sex menses , aut men- sem , si modo ipse resignans post illud tempus in *possessione* mortuus non sit.

* Indubitatum tamen est , quòd huic Regulæ Cancellariæ *de publicandis resignationibus* non sit satisfactum , si infrà tem- pus præfixum fuerit quidem petita possessorio , sed publicatio non fuerit secuta , & resignans ultra tempus fuerit mortuus in possessione Beneficii , uti verba Antonii Fabri superiùs relat innuere videntur : sed sufficit ad effectum hujus Regulæ , id est ut Beneficium in vim hujus censeatur vacare per mortem , u publicatio resignationis debito modo , prout superiùs eam fa ciendam notavi , non fuerit facta , & resignans in possession Beneficii post tempus elapsum decesserit , uti & contra Go mezium notavit , & probavit Molinæus ad hanc Regulam *num.* 2 probatque *num.* 13. eos , qui eo modo Regulam interpretati sun (prout eam interpretatus videtur Antonius Faber) sensum aper tum , propriamque verborum significationem hujus Regulæ ri- diculâ sophisticatione subvertere ; ac tandem rejectâ hac tor tuosâ interpretatione , per quam ipsa Regula inutilis redderetur , obvium & verum ac genuinum hujus Regulæ sensum ex- pressit ; nimirum sufficere , ut hæc Regula obtineat , & vi hu jus Regulæ Beneficium censeatur vacare *per obitum* , quòd pu blicatio resignationis ritè facta non fuerit intra tempus præfixum & resignans post illud tempus in possessione Beneficii mor- tuus fuerit.

Et sanè cùm unicus scopus hujus Regulæ sit , occurrere , 8 modum ponere fraudulentis , & simulatis Beneficiorum resig nationibus , etiam indubiè intendit , ut resignans palam osten dat se verè ac sincerè , & non simulatè Beneficium resigna tum dimisisse per realem dimissionem possessionis ejusdem Be neficii , ut proinde nec ambigi possit , quin is sit verus ac ge nuinus Regulæ sensus.

XV. Nihilominus observare liceat , tempus sex mensium appositum non esse pro forma publicationis , nec ad eam pe se limittandam ; sed primò , ut infrà illas velut inducias , re signatarius vacet mora & periculo , etiamsi nullâ diligentia pe eum factâ , resignans moriatur. Secundò , ad limitandum po- nam , & effectum totius hujus Regulæ ut non habeat locum re signante quandocunque moriente , sed demum si in *possessi- ne* post illud tempus & ante dictam publicationem decedat.

Hæc auctor Analysis : qui dein *num.* 18. infert : » Satis st » igitur publicationem , & possessionis petitionem quandocun- » que vivo adhuc eodem resignante , & possessione incumben- » te , etiam eo infirmo , jamque in extremis laborante , dum- » modò non occultè sed palam , ita ut publicè nota facta sit » in loco Beneficii antequam resignans decederet. Et ita pre- » ticatur , & observatur. «

Itaque resignatario præfigitur tempus sex mensium , vel unius mensis , ut si intra illud tempus non publicaverit resignationem, & petierit possessionem , periculum subeat post illud tempus carendi effectu suæ resignationis : si nimirùm post elapsum tem- pus , non factâ publicatione , & petitâ possessione , ipse re- signans in *possessione* Beneficii resignati decedat.

XVI. Vivo ergo resignante nullum tempus Regula præfi- gît resignatario ad publicandam resignationem , aut petendam possessionem ; atque ita quoque judicatum anno 1636. refert Le Prestre *loco citato* ; ibi tamen in notis recentioribus per Guil- lelmum Gueret , advocatum Parlamenti notatur , hodie requi- ri in Gallia , ut possessio saltem capiatur intra *triennium* , vi- vo resignante ; aliàs resignans tanquam triennalis pacificus pos- sessor , quasi novo titulo contra resignatarium prævaleret.

XVII. Similiter si resignans moriatur in *possessione* ante lap- sum tempus sex mensium , vel unius mensis , tunc post mortem resignantis potest resignatarius capere possessionem : neque Be- neficium vacavit *per obitum* : quia Regula tria requirit , ni- mirùm , ut intra sex menses , aut unum mensem , nec publi- catio facta sit, nec petita possessio ; ac in *postmodum*, id est , post lapsum illud tempus resignans *possessione* moriatur ; quod hic non contingit , eò quòd non *postmodum* , sed *ante* mortuus sit.

XVIII. In Gallia per declarationem Regiam in Octobri an- no 1646. *art.* 13. ordinatum fuit in favorem Graduatorum , & Patronorum Ecclesiasticorum , ut nulla haberetur ratio provisio- num factarum in vim resignationis , aut permutationis , quæ Graduatis , aut Patronis possent præjudicare , nisi mandata ad resignandum , aut permutandum sint admissa *ante decessum* resignantium , vel permutantium ; & insuper ante dictum de- cessum insinuata in Graffiariatu Insinuationum. Verba Edicti Regii sunt : *Voulans pareillement pourvoir aux plaintes des Indultaires , Graduez & autres ayans expectatives reçues en France ensemble des Patrons Ecclesiastiques ; defendons que l' on aye aucun égard aux provisions des Collateurs ordinaires, & de leurs Vicaires sur resignation , demission ou permuta- tion , en cas que par icelles les Indultaires , Graduez , & au- tres ayans graces expectatives , soient privez de l' effet d' icelles ou les Patrons de leur droit de presentation ; si ces procura- tions pour resigner ou permuter ne sont admisses avant le de- ces du Resignant ou Permutant , & ne sont insinuées au Gref- fe des Insinuations avant ledit deces. Ce que voulons être gar- dé & observé par nos Juges , sans y contrevenir , à peine de nullité de leurs jugemens.* Id est : Volentes pariter , ut pro- videatur querelis eorum , quibus de gratia expectativa , prout in Gallia admittitur , provisum est , sive ratione Indulti , si- ta-

ratione gradus ; deinde & Patronis Ecclesiarum inhibemus , ne aliquis ullo modo deferat provisioni datæ titulo resignationis, abdicationis , aut permutationis per Collatores Ordinarios , aut eorum Vicarios , si contingat per dictas provisiones frustrari effectu gratias expectativas, quas obtinent Indulto donati , Graduati , aut cæteri , aut Patronorum præsentationem impediri nisi procurationes ad resignandum ante decessum resignantis, aut permutantis admissæ fuerint , & Graphiario Insinuationum ante dictum decessum exhibitæ. Volumusque per Judices nostros id observari , nec secùs agi , aliàs in pœnam judicium ipsorum irritum fore.

XIX. Quando autem juxta præscriptum Regulæ resignans in Curia Romana intra *sex* menses , vel coram Ordinario intra *mensem* omisit resignationem publicare , vel petere possessionem , & post lapsum illius temporis resignans moritur in *possessione* , Beneficium *non per resignationem*, *sed per obitum vacare censetur*. Non quòd ipsa resignatio fuerit nulla; aut quòd ipse resignans lapso tempore sex mensium habuisset jus aliquod , quasi annullato tunc effectu resignationis ; sed eo duntaxat effectu annullatur resignatio vigore hujus Regulæ , ut ob omissam publicationem , & possessionem intra tempus præfixum , & decessum resignantis in possessione post illud tempus , » resignatarius cadat à jure suo , nec Beneficium censeatur vacare per *resignationem* quoad hunc effectum : proinde censeatur Beneficium vacare *per obitum* , mortuo postea resignante ; ac si nunquam resignâsset.» Uti rectè notavit Antonius Faber citata *Definit.* 60. qui & ita refert judicâsse Senatum Sabaudiæ.

XX. Hinc infert Vande Velde in suis ad hanc Regulam observationibus , Beneficium vigore hujus Regulæ ob neglectam publicationem resignationis per Nominatos Academicos tanquam *per obitum* resignantis vacans posse acceptari : neque dici posse reservatum Sedi Apostolicæ tanquam vacans per resignationem *in Curia* : quandoquidem in Regula expressè dicatur, quòd non per *resignationem* , sed *per obitum* vacare censeatur.

Vult quidem Flaminius *lib.* 12. *quæst.* 8. *num.* 6. Beneficium esse *reservatum*, utpote per resignationem in Curia vacans: sed uti monet Vande Velde , » loquitur Flaminius in terminis » Constitutionis Gregorii XIII. quæ vult collationem fieri *caduc*» *cam* , si resignatio non fuerit publicata , & interim Beneficium » vacare per *resignationem* , ubi Regula nostra non vult vacare » nisi *per obitum*. " Hæc ille, qui monet hanc Constitutionem Gregorii XIII. hîc non esse hactenus receptam.

XXI. Non tantùm eatenus resignatio perdit suum effectum, ut Beneficium censeatur vacare per obitum , & non per resignationem ; sed insuper addit Regula : *Collationes quoque , & quævis aliæ dispositiones de illis tanquam per resignationem vacantibus factæ , & inde secutæ , nullius sint roboris , vel momenti.*

Quare si vi hujusmodi resignationis fuerit capta possessio post mortem resignantis , non poterit manuteneri in possessione , in qua resignans mortuus fuerat ante publicatam resignationem; cùm hîc annulletur & titulus , *& alia inde secuta* , ait Rebuffus *Gloss.* 17.

Inde ulteriùs deducit Rebuffus , quòd » si resignatarius itè» rum alteri resignaverit , & postea primus resignans , tunc resol» vetur jus tam primi resignatarii , quam secundi. "

XXII. Notat quoque Rebuffus *Glossa* 13. *num.* 18. quòd derogatio hujus non admitteretur in Gallia ; quandoquidem recepta est , & registrata in Parlamento , & sic effecta jus Gallorum. Idem astruit Auctor Analysis *num.* 3. ostenditque , hanc Regulam fortiorem , & firmiorem meritò reputari , quam regulam *de Infirmis* ; multoque minùs conveniens esse , ut huic Regulæ derogetur , quàm Regulæ *de Infirmis*. Et ex Ludovico Charonda *lib.* 1. *Resp.* 23. super hac Regula dispensare non posse Pontificem , judicatum esse refert Zypæus titulo *de Renuntiat. num.* 2. qui ibidem subdit : » Sed id hîc (in Belgio) » non admitterem si de potestate disputetur , sed bene si de » voluntate , ut subreptum esse credatur ; adeoque provisio » cum ea clausula nulla esse censeatur , nisi eam circumstantiæ » purgent."

XXIII. Quod de non admittenda derogatione Regulæ dixit Rebuffus , idipsum de prorogatione temporis ultra sex menses ad faciendam publicationem , vel petendam possessionem asserit *Gloss.* 4. atque præter generalem rationem , quod Regula sit tanquam Lex Regni recepta , addit : » Quia per istas » prorogationes nunquam fieret publicatio : & sic fraudarentur » nominati , graduati , & mandatarii , & daretur materia delin» quendi. " Quod ultimum præcipuè urget Auctor Analysis loco supra citato , ut ostendat , derogationem hujus Regulæ non esse admittendam.

* Ubi agitur de usu in Galliis observato , constat Regula *de publicandis resignationibus* per Pontificem derogari non posse, eò quòd per modum legis ibidem sit recepta , & in Parlamentis Regiis registrata , ut *num.* 22. ex Molinæo observatum est: de quo Galliæ usu latè quoque discurrit Georgius Louetius in notis ad Molinæum *nota* 6. ibidem unà inquirens , utrum derogatio Pontificis non posset operari in *Petitorio* coram judice Ecclesiastico.

Postquam enim observavit , hanc Regulam non tantùm esse registratam in Senatu Parisiensi anno 1493. sed denuò , approbatam Henrici II. Constitutione , in eodem Senatu verificata, & publicatâ anno 1550. monet , quòd nec possit prodesse Summi Pontificis derogatio , rationem subdens : » Cum ejus » potestas , & summa auctoritas non extendatur ad evellendas » Constitutiones Apostolicas in summis Franciæ Tribunalibus ap» probatas , & registratas , quæ duplici vinculo Apostolico , & » Regio ligatæ sunt. "

Post hæc quærit Louetius , an saltem derogatio Pontificis admittenda sit , & valeat in *Petitorio* coram judice Ecclesiastico : » Quandoquidem (ait) omnimodam in rebus spiritualibus » auctoritatem habeant Summi Pontifices : Regiæ autem Consti» tutiones super *Possessorio* Beneficiorum , non autem *Petito*» rio disponant : alia enim est (ait) possessoriæ controversiæ, » alia petitoriæ consideratio ; & ut judicum diversa potestas, » ita & axiomatum diversa ratio : unusquisque judicem suum » Principem habet : Principis sui legibus adstringitur , in iis » divisum est imperium : nec minùs Ecclesiastici judices Pon» tificis constitutionibus obligantur , quàm alii Regum legibus » adstringuntur. "

His tamen non obstantibus , contrarium existimat, nimirum nec in *Petitorio* derogationem Pontificis vires habere : rationem addit : » Recepta enim est hæc Regula in hoc Regno , non ut » lex Apostolica , seu Cancellariæ Apostolicæ , sed ut lex Reg» ni ; ideo Regnicolis observanda , & in eam cessat omnimo» da Summi Pontificis potestas : aliàs hæc constitutionis appro» batio Regni subditos opprimeret, & quod à judice Regio sum» ma cum ratione , & juris æquitate obtinerent , contrario ju» dicio coram Ecclesiastico judice magnis cum sumptibus amit» terent , & in eo quodammodo auctoritas Regia læderetur."

Monet hîc Antonius le Vaillant in nota marginali , falli in hoc Louetium , quòd dicat , *judices Ecclesiasticos Pontificiis legibus non minùs obligari , quàm alii Regum legibus adstringantur* : » Quia (ait) judices Ecclesiastici in hoc Regno juris» dictionem suam exercent , sub auctoritate Regis , à quo illius » exercitium mutuantur , & sic tenentur legibus Regni."

Quod ex Zypæo *num.* 22. relatum est , nimirum derogationem Pontificiam in Belgio admittendam , si sufficienter de *absoluta voluntate Pontificis ex circumstantiis constaret* , non credo , quòd Ministri Regii hîc in Belgio magis quàm in Gallia eam in Pontifice auctoritatem derogandi Regulæ , quæ pro lege patriæ recepta est , recognoscerent : sustinent enim quod æquè in Belgio , ac in Regno Galliæ judices Ecclesiastici jurisdictionem suam exerceant sub auctoritate Regia , uti in hoc opere non semel notavimus.

CAPUT VII.

Quando Resignans a Resignatione resilere ; vel ad Beneficium resignatum regredi possit.

1 *Resignatio ante admissionem Superioris perfecta non est.*
2 *Nullam vacationem inducit.*
3 *Resignatio facta coram Notario non est perfecta resignatio; & quis hic à Notariis error committatur.*
4 *Resignationes* in favorem , & ex causa permutationis *suspenduntur à conditione.*
5 *Jus plenum remanet penes Resignantem usque ad impletam conditionem.*
6 *Nec à resignante abdicatur, quousque Beneficium sit resignatario acquisitum.*
7 *Ante acceptationem resignatarii, & captam possessionem manet resignans in possessione.*
8 *Spoliatus possessione resignans esset restituendus.*
9 *Non tenetur permutans possessionem dimittere , antequam compermutans Beneficium acceptet.*
10 *Manet in pristina possessione , & in omnibus juribus.*
11 *Admissa resignatione non potest resignans à tertio turbari.*
12 *Resignans potest pœnitere ante admissionem Superioris.*
13 *Etiam resignatione à Pontifice admissa , adhuc recedi poterit , quandiu consensus* formalis *non est præstitus.*
14 *Permutatio non censetur perfecta , nisi alter alterius Beneficium sit assecutus.*
15 *Uno permutantium præmoriente , ex neutra parte censetur facta resignatio.*
16 *Etiamsi ab una parte facta sit Beneficii permutati collatio.*
17 *Aliquando tamen fallit.*
18 *Beneficio permutato evicto resolvitur permutatio.*
19 *An eo casu requiratur nova collatio , ut resignans ad suum Beneficium redire queat.*
20 *Hodie quatenus evincitur , eatenus reditur.*
21 *Conceduntur hoc casu litteræ Regiæ.*
* *Permutantes , non impleta conditione permutationis , hodie si-*

sine nova Provisione, ad sua Beneficia in Galliis redeunt: at dubitatur an ista jurisprudentia in Belgio admitteretur.

22 *Sine Judicis auctoritate non redditur ad Beneficium, cujus possessionem alter est adeptus.*

* *Stylus hodiernus in reditu ad Beneficium resignatum.*

23 *Regressus ex causa non impletæ permutationis, nec hodie damnatus.*

* *Utrum alter Compermutantium utrumque Beneficium simul retinere valeat, sive, ut ajunt, an possit* uti bona fortuna.

24 *Multa irrepserunt circa Beneficiorum resignationes, quibus circumspectè utendum.*

I. BEneficiorum resignationes faciendas, & probandas esse coram Superioribus, vel saltem Ordinariis Collatoribus, suprà *cap.* 2. ostensum est.

Hinc communiter concludunt Canonistæ, renuntiationem, vel resignationem non esse perfectam, quandiu à Superiore admissa non est.

Ex quo ulterius inferunt, quod antequam resignatio sit præsentata Superiori, & ab eo admissa, semper possit revocari, neque ipsa Superioris admissio retrotrahi possit, aut valere *ut ex tunc*, sed tantùm *ut ex nunc*: ita ut interim nihil actum censeatur.

II. Imò communis, & recepta est Doctorum conclusio, uti notat auctor Analysis ad Regulam, *de Infirmis*, *num.* 7. » quòd » resignatio non admissa nullam vacationem inducat, nec *possessiones* quidem, nisi (quantum ad possessionem) fiat animo » ex tunc (sine alia Superioris admissione, vel auctoritate) possessionem abdicandi, & de facto illam deserendo. «

III. Idem auctor ibidem *num.* 4. reflectit: » Ex eo, quòd » stylus quorundam imperitorum Tabellionum sic habeat, Titius » personaliter comparens *resignavit*, prout de facto *resignat* in » mei præsentia, & tales ad hoc constituit procuratores, &c. » putant, & argumentantur vulgares, statim resignationem esse » factam, quod est falsum (ait) quia nemo seipsum destituere potest, nec Tabellio quidem, qui non habet hanc potestatem, » nec hoc intendit. Tum sequeretur, quod Beneficium non » vacaret in Curia, sed in partibus, ubi confectum est instrumentum, etiamsi postea deferretur Romam, & ibi rursus » resignaretur, quia non impediret ibi vacare, & sic non in » Curia, cùm jam vacâsset, & sic in partibus.«

IV. Hactenus dicta indubiè magis militant in resignatione *in favorem*, aut ex *causa permutationis* (quales sunt hodie pleræque resignationes) quàm in resignatione pura, & absoluta, quæ renuntiatio, seu dimissio vocari consueverit.

Resignatio enim *in favorem*, vel ex *causa permutationis*, non est propriè dicta Beneficii dimissio; sive ipse resignans non intendit absolutè, & simpliciter se Beneficio exuere, vel Beneficium à se dimittere; quemadmodum in renuntiatione simplici; sed tantùm Superiori exponit, se paratum, Beneficium dimittere, si placeat, hanc determinatam personam ei successorem dare; vel de uno ad alium locum, in casu permutationis compermutantes transferre, sive in mutua Beneficia surrogare.

Inde habentur hujusmodi resignationes quasi *conditionales*, sive suspensivæ à conditione hac, si modò Beneficium detur juxta terminos resignationis; uti latè ostendit Flaminius *de Resignat. Beneficiorum*, *lib.* 1. *quæst.* 2.

V. Cùm igitur hujusmodi resignationes dependeant à conditione, consequenter nec resignans à se abdicare censetur jus, nisi adimpleta conditione; atque interim jus remanet apud resignantem: quin & possessio, & actio spolii ei competit, uti post alios citatos, tradit Flaminius *loco citato*, *quæst.* 3. *num.* 10. additque *num.* 11. » Est communis omnium Doctorum » resolutio, ut ante conditionem, vel modum impletum, Be» neficium maneat resignanti. «

VI. Ulteriùs, cùm conditio resignationis *in favorem* fit, ut Beneficium conferatur certæ personæ per resignantem designatæ, rectè colligitur, » non abdicare jus à resignante, nisi Beneficium resignatum acquiratur Resignatario, in cujus favorem » fuit facta cessio. « Ita Flaminius ibidem *num.* 47.

Rationem subjicit *num.* 48. » Namque semper videtur facta » cum hac conditione resignatio, dummodo Beneficium quæra» tur resignatario... Et hoc intelligitur, licèt non exprimatur; » quia mens resignantis est, ut non alius, quam resignatarius » consequatur Beneficium. «

Deinde ex eadem ratione adjungit: » Ita, & in renuntia» tione facta causa permutationis jus non abdicatur, si non se» quatur permutatio, & fiat hinc inde collatio. «

VII. Ulteriùs rectè concludit *num.* 56. quòd licèt sit admissa renuntiatio *in favorem* personæ designatæ, si tamen hæc persona fuerit absens, non abdicetur jus à resignante, antequam acceptet ille resignatarius. Consequenter mortuo resignatario ante acceptationem, resignans remanet in possessione, ac si nulla resignatio intervenisset.

Imò concludit idem Flaminius *quæst.* 7. *num.* 9. » posse re» signantem incumbere possessioni, & omnia pertinentia ratione » illius Beneficii resignati exercere, & gerere, donec Resigna» tarius capiat possessionem. «

VIII. Idipsum latè probat Joannes Chokier *in tractatu de Permutatione Benef. part.* 3. *cap.* 32. » nam ante acquisitio» nem, seu apprehensionem resignatarii, seu compermutantis » resignans, seu permutans dicitur adhuc possidere, & titulum » coloratum habere: imò si illa possessione spoliaretur, veniret » restituendus; quia resignans *in favorem* certæ personæ, qua» lis est is, qui permutat, *conditionaliter* videtur resignare, » videlicet dummodo Beneficium illi quæratur; & si hæc condi» tio non impleatur, permutatio non censetur facta: & proin» de jus, quod resignatario, seu compermutanti non quæritur, » non aufertur à resignante: ergo nec possessione, nec titulo, » nisi sit resignatario quæstitus, spoliatur resignans, & per con» sequens nec fructibus, qui sunt sequelæ possessionis.«

IX. Hæc ille, qui ibidem *num.* 5. dicit: » Non tenetur au» tem compermutans possessionem Beneficii permutati dimitte» re, donec, & quousque compermutans acceptet, *Cap.* SI TIBI » ABSENTI *de Præbendis.* Nam possessio demum transit à » resignante ex causa permutationis in compermutantem, si reip» sa sequatur permutatio: quia si non sequatur, nec sortire» tur effectum, videtur resolvi possessio ipso jure in resignan» tem ex causa permutationis, atque ita resolvisse Senatum Pa» risiensem refert Joannes Lucius *lib.* 2. *placitorum Curiæ*, *tit.* 4. » *placito* 7 ubi scribit, resignanti in favorem alterius Beneficium, » si ille repudiaverit, jus pristinum remanere; imò in casu » illius placiti datum & concessum est idem resignanti inter» dictum *uti possidetis* contra collegas, qui ipsi consueta mu» nia obire volenti adictum ad illa includere volebant. «

X. Testatur quoque Claudius Le Preste *Centuria* 1. *cap.* 87. judicatum 23. Jan. 1549. quòd si resignatarius non cœperit possessionem Beneficii resignati, resignantem non amisisse possessionem; neque ad ulla novæ possessionis jura teneri. Idipsum sæpius judicatum dicit Broudæus ad Louetium *lit. B. num.* 13.

XI. Refert quoque Antonius Faber. in Codice *lib.* 1. *tit.* 2. *Definit.* 55. quòd resignans *in favorem* etiam post admisam resignationem restitui debeat contra tertium, qui eum in possessione turbâsset: » quia quoad ad eum pertinet, ad cujus favo» rem, & commodum non resignavit, nec videtur resignâsse, » licèt jam resignatio in alterius favorem admissa sit. «

XII. Resignationem, aut renuntiationem perfici demum per admissionem, sive approbationem Superioris, vel Ordinarii suprà notavimus; ideoque ante hanc secutam admissionem, potiùs propositio resignationis, vel declaratio voluntatis resignandi dicitur, quàm vera resignatio, aut renuntiatio, qua hactenus, nec Beneficio exuitur resignans, nec ulli resignatario, aut alteri jus aliquod quæsitum est.

Unde concluditur, » quòd si quis proponat resignare, etiam » si hoc redigat in scriptis, vel constituat procuratorem ad re» nuntiandum, potest pœnitere, ex quo non fuit adhuc admis» sa renuntiatio à Superiore; nam res adhuc dicitur integra.« Ita Flaminius *lib.* 1. *de Resignat. Benef. quæst.* 12. *num.* 6.

Imò etiamsi renuntiatio, vel resignatio fuerit Superiori præsentata, si tamen non admisserit, poterit resignans pœnitere, & in Beneficio remanere. Flaminius ibidem *num.* 12.

XIII. Ulteriùs, si resignatio fiat coram Pontifice, poterit resignans pœnitere, non tantùm si supplicatio fuerit Papæ præsentata, sed etiam per ipsum admissa, & signata per *Fiat ut petitur*; idque quandiù consensus præstitus non fuerit in Camera, vel Cancellaria juxta Regulam Cancellariæ 44. *de consensu in Resignationibus*; de qua suprà *cap.* 3. asseritque Joannes Chokier in Commentario ad hanc Regulam *num.* 24. hoc quoque procedere, etiamsi supplicatio signata, & *data* fuerit, etiam post *parvam* datam, & præstitum *parvum* consensum, intimando in Curia, vel Cancellaria dictam revocationem, quod latiùs deducit per plures conclusiones Flaminius Parisius *citata quæstio* 12. ubi *num.* 39. monet. » Quamvis consensus præstitus in » Camera, vel Cancellaria retrotrahatur ad diem *Datæ*, tamen » non posse retrotrahi, quando ante consensum supervenit pœ» nitentia, & sic extrema non sunt habilia.«

Idem, quod in resignationibus *in favorem* obtinet, etiam in permutationibus locum habet, ait Chokier *num.* 27.

Ratio, ob quam post resignationem à Pontifice signatam, & à Datario datam & registratam, admittatur pœnitentia, & revocatio resignationis usque ad datum consensum formalem in Camera, vel Cancellaria, facilè intelligi poterit ex iis, quæ *cap.* 3. de consensu illo dicta fuêre.

XIV. In permutatione non tantùm intervenit tacita resignatio *in favorem*, seu conditionalis; sed insuper quædam reciproca Beneficiorum hinc inde resignatio; seu potiùs tacita conditio, quòd alter in alterius Beneficium succedet: adeo ut Beneficiorum permutationes nonnihil de contractu innominato, quem Jurisconsulti vocant *Do ut des*, participare videantur, & hoc titulo odiosæ sint admodum, & de simonia admodum

sus-

suspectæ & à Canonibus vix toleratæ. Hinc equidem invaluit, permutationem non censeri completam quoadusque alter alterius Beneficium fuerit assecutus.

XV. Unde ex Molinæo in Analysi ad Regulam *de Publicandis Resignationibus, num.* 141. refert Broudæus ad Louetium *litt. B. num.* 13. Si permutatio non sequitur, quod est, utroque, vel altero præmoriente, apparet neutrobique resignatum esse, & sic jure communi vacare per obitum.

Rationem præmisserat Molinæus: »Quia hujusmodi resignatio *conditionalis* est, prout conditionaliter fit, & admittitur eo ipso, quòd ex causa certæ futuræ permutationis, & non aliàs.

XVI. Addit quoque idem Molinæus, quòd quando collatio facta est ab una parte tantùm, tunc altero præmoriente hæc collatio, ut minus resolvatur; ipseque permutans, tanquam permutatione ab utraque parte non perfecta, ad suum Beneficium possit redire. »Collatio enim (ait) ex hac causa uni parti facta, conditionalis est, saltem conditione *resolutoria*, etiam jure communi. Resignatio enim seu vacatio, à qua incipit, conditionalis est: ergo collatio, quæ super eo fundatur, eadem conditione afficitur.«

XVII. Id tamen non procedit, si ex circunstantiis sufficienter appareat, quòd alter compermutantium non curaverit de Beneficio compermutato obtinendo; ut puta si permutatio Beneficii notabilis facta sit cum Beneficio admodum tenui, & nullius penè considerationis; ita ut tota permutatio unicè inita intelligatur, ut Beneficium illud notabile in compermutantem transferretur: adeoque translatione illa facta, ipsa permutatio ex mente, & intentione permutantium perfecta, & absoluta, censeri debeat.

XVIII. Conditio autem resolutoria, quæ inest collationi factæ vi permutationis, non tantùm operatur si ab initio non sequatur effectus permutationis; sed etiam jam factâ utrimque collatione & adepta possessione, perdurat conditio illa: quia impletum permutationis ab utraque parte sequi debet, & manere cum effectu.

Unde si hic inde facta collatione, & adepta possessione Beneficium unum evincatur ex defectu juris permutantis, conditio resolutiva eatenus operabitur, ut alter permutantium possit rursus ad suum Beneficium redire, tanquam permutatione ex parte altera non impletâ, & conditione resolutivâ evenientе. Nec enim aliter, aut aliàs Beneficium suum dimississe, seu resignâsse censetur, nisi ut cum effectu, & permanenter Beneficium compermutantis obtineret.

XIX. Altercatio jam pridem fuit inter Doctores, an simili casu resignans, seu permutans rediret ad suum Beneficium, alteri collatum sine *nova* collatione, sive provisione: quam quæstionem latè discutit Joannes de Selva *de Beneficii, quæst.* 27. resolvitque novâ collatione opus esse; quàm opinionem nonnulli Canonistæ inspectâ juris ratione veriorem crediderunt. Contrariam verò multis contra De Selva propugnat Boetius Epo apud Duacenses quondam SS. Canonum Antecessor Primarius in tractatu *de Saturnino permutationis beneficialis jure, num.* 308. *& seq.* quam opinionem praxis passim recipit, ut testatur Rebuffus tractatu *de Pacificis possessoribus*: relata enim opinione Joannis De Selva requirentis *novam* collationem, quam & de jure veriorem existimat, subdit *num.* 166. »Quamvis de consuetudine »Regni Franciæ non requiratur nova collatio, quæ consuetudo multis fuit probata Arrestis, & hoc anno 1325. die 2. »Maii, & etiam anno 1539. in vigilia Assumptionis Beatæ Mariæ pro magistro Bricon in causa unius Præbendæ Ecclesiæ Marisconiens. permutatæ cum una Ecclesia Parochiali, quæ Præbenda fuit evicta per magistrum Franciscum de Borges per »Regem nominatum.« Similiter tradit Antonius Faber in Codice *lib.* 1. *tit.* 2. *Definit.* 53. »Resignatione mutuâ Beneficiorum inter duos facta, si alter ex resignantibus in Beneficii »novi possessione, aut adipiscenda, aut retinenda controversiam patiatur, pristinam permutari possessionem, quam per »resignationem amiserat, recuperare potest, nec novâ indiget »provissione. Sic à Senatu aliàs pronuntiatum fuisse relatum est.«

XX Idipsum ex Molinæo ad Regulam *de Publicandis resignant. num.* 147. tradit Louetius *litt. B. num.* 13. Verba Molinæi sunt: »Passus evictionem redit ad antiquum Beneficium, titulum, & possessionem, *sine nova collatione*, sed ex veteri jure. Et ita apud nos (ait) etiam solo judice seculari adito practicamus, ut *quatenus evincitur*, etiam tam in *petitorio*, quam »in *possessorio*. Idque non solùm contra ipsum compermutantem, sed etiam contra quemvis in veteri Beneficio successorem. Et ità notoriè practicamus in hoc Regno.«

XXI. Quod hîc asserit Molinæus, etiam solo judice *seculari* adito posse permutantem redire ad suum Beneficium, testatur quoque Rebuffus *de Pacificis posses. num.* 186. expressè notandum monens, quod »evicto Beneficio possum impetrare litteras Regias, ut liceat mihi redire ad meum Beneficium, & hoc (ait) conceditur, ut fuit pronuntiatum anno 1539. in Vigiliâ Assumptionis. Sed si aliquid impetrat litteras *Regias* ad annullandam permutationem, quas dirigit judicibus *laicis* repellendum esse censuit idem Senatus anno 1522. die 7. Septembris.

* Novam Jurisprudentiam, de qua superiùs dictum est, quod permutans, vel resignans, evicto Beneficio sine *nova collatione* possit ad possessionem sui Beneficii sic resignati redire, confirmat Georgius Louetius, rationesque hujus novæ Jurisprudentiæ assignat in notis ad Molinæum *de publicandis resignationibus, num.* 140. »Ad evitandum (ait) circuitum, & cum resoluta permutatione, necessarium sit compermutata repetere »Beneficia, cùm permutationis arx & fundamentum sit, ut compermutatum quis habeat Beneficium, aliàs nulla permutatio, »nec viribus subsistere possit, optimo jure introductum fuit, »ut qui sub conditione subsecuta permutatum repetat, sine nova »collatione, sine novis sumptibus Beneficium. Et si novum admitteret *titulum*, antiquæ possessionis commoda admitterentur, »quod durum in his spiritualibus controversiis, in quibus novi domini annatis, aliisque tributis onerantur, eorumque conditio semper deterior.«

Licèt fundamentum hujus novæ Jurisprudentiæ à ratione juris, spectatâ modernâ circa Beneficiorum permutationis praxi, non videatur alienum, nescio tamen utrum hactenus in Belgio admissa sit.

XXII. Tametsi non videatur opus novâ collatione, evicto Beneficio permutato ob conditionem resolutoriam, quæ ipsi permutationi inesse censetur, nihilominus, ut quis Beneficii sui realem possessionem recuperare queat, judicis auctoritas necesaria est; præsertim cùm alius jam est in possessione ejusdem Beneficii, quem è sua possessione propria auctoritate deturbare non potest; sed judicis auctoritate opus est, quemadmodum notavit Rebuffus *loco citato, num.* 183. & Cokier ad Regulam Cancellariæ 4. *de clausula ponenda in litteris permutationum Beneficiorum*, quæ hodie est 40. eaque cavetur: „Et si ex causa permutationis resignationes fiant, ponatur clausula, quòd neutri permutantium jus acquiratur, nisi quilibet ipsorum jus habuerit „in Beneficio per ipsum acquisito.“

* Ut permutans evicto Beneficio ad suum Beneficium redire queat, opus esse litteris Regiis, præsertim si tertius aliquis fuerit in possessione Beneficii, superiùs notatum est; quod & obtinere, quotiescunque ex juxta causa resignans ad suum Beneficium regredi vult, scribit Melchior Pastor *in Tractatu de Beneficiis, lib.* 3. *num.* 4. »Si dolo (ait) vel metu, vel infirmitate ætatis, aliâve legitimâ causâ nullitas renuntiationis arguatur, judex ex officio, & mandato Regis in litteris Cancellariæ contento, resignantem in possessionem Beneficii restituit.«

Additque; »Et ex hac, aliâve causâ resignans restitutus »non tenetur vectigal, quod pro ingressu solvi solet, præstare, cùm sit *regressus justitiæ*.«

Hoc & convenit cum nova illa jurisprudentia, de qua ad num. 20.

XXIII. Regressus ad Beneficium resignatum ex causa non *impletæ permutationis*, nequaquam comprehenditur sub regressibus, quos nemini etiam de consensu, ad Beneficium Ecclesiasticum cujuscunque qualitatis concedi præcipit Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 7. *de Reformat.*

Hi enim regressus hæreditariam quandam in Ecclesiastica Beneficia successionem apertè fovebant; dum nimirum resignantes Beneficia sibi expressè reservabant regressum ab Beneficia resignata, præmoriente ipso resignatario; sæpiùs etiam, vitâ resignantium durante, reservatis omnibus proventibus Beneficiorum resignatorum: quare jam pridem per Parlamenta Regia, tanquam fraudulenti, & speciem hæreditariæ successionis non obscurè præferentes rejecti fuêre, uti videre est in probatione libertatum Ecclesiæ Gall. *cap.* 36. *num.* 25. & 26.

At regressus ex capite non impletæ permutationis, aut evicti Beneficii, nullam hujusmodi successionis speciem præfert, neque ullam fraudem; sed tantùm contingit, ut resignans Beneficium non privetur suo Beneficio contra leges permutationis; quæ dictant, Beneficium resignatum non dimitti, nisi re ipsa utrinque permutatio suum plenarium effectum sortiatur; & ipse resignans suo Beneficio non exuatur, nisi ea conditione, si alterius consequatur, & re ipsa obtineat, aut saltem per ipsum stet, quominus obtineat.

* Sunt & nonnulli alii cassus, præter eos, de quibus modò dictum est, in quibus ingressus conceditur; eò quòd similiter resignatio facta censeatur ex quadam causa, quâ non adimpletâ æquitas suadere visa est; ut resignans ad Beneficium suum redire possit; exempli gratiâ, si quis obtinuerit secundum Beneficium cum primo incompatibile, ac propterea primum resignaverit, creduntque communiter, quod in casum evicti secundi Beneficii incompatibilis resignanti regressus pateat ad primum jam resignatum: quod & probat Louetius ad Molinæum *de publicandis resignationibus, num.* 196.

Quam Louetii opinionem esse aliquatenus restringendam monet ibidem in nota marginali Antonius le Vaillant: »Si enim (ait)

» (ait) quis habeat Beneficium incompatibile, illud resignet pu-» rè, & simpliciter in manibus Ordinarii, provisio super tali de-» missione expedita non potest revocari, nisi resignans, aut ce-» dens in ipso actu resignationis protestatus fuerit, se dimittere » Beneficium ob incompatibilitatem cum alio, quod retinet, & » quod aliàs non esset dimissurus: quia eo casu, si alterum Be-» neficium evincatur sine facto suo, potest dimissum repetere; » quia lex nemini insidiatur."

Sed ne quis hâc *regrediendi* facultate abutatur, monendum censet & ipse Louetius, prætextu hujus æquitatis hæc non esse extendenda, » sed in suis terminis limitanda, cùm sit regressus » per Concilia generalia, & Concordata damnatus: ideò si quis » hujus æquitatis prætextu Beneficia diu conservare vellet, vel » hæreditario quodam jure possidere, fraudulenta hæc omnia es-» sent huic æquitati verè contraria."

Dum verò regressus de ea causa conceditur, resignans ad possessionem sui Beneficii redire nequit propriâ auctoritate, sed interponenda est auctoritas judicis, quemadmodum circa regressum ob evictum Beneficium, ut suprà notavimus *num.* 22. & signanter ex Melchiore Pastore *in additione ad dictum num.* 22.

Quin & in Gallia speciali Edicto Regio cautum est, quod alter permutantium non possit *uti bona fortuna*, sive utrumque Beneficium simul retinere, uti post alios Galliæ Pragmaticos tradit D. Du Casse Archidiaconus & Officialis Condomensis in suo Tractatu *de jurisdictione*, *tom.* 1. *cap.* 5. §. 4. neque sanè hæc Edicta ratione manifesta destituuntur.

Certum quippe est, quòd permutans non assequatur Beneficium alterius compermutantis, nisi sub conditione in ipso permutationis instrumento expressâ, quòd suum Beneficium dimittere intendat.

Prætereà certum est, quòd Ordinarius, aliusve permutationis approbator, eam censeatur probare conformiter ad formam, & conditionem per compermutantes in permutationis instrumento expressam.

Cùm ergo instrumentum permutationis habeat, ut *alter alterius* Beneficium assequatur, intentio Ordinarii, sive approbationis indubiè est, ut conformiter ad hanc expositionem, & postulationem *alter alterius* Beneficium via permutationis assequatur: nequaquam verò ut unus compermutantium utrumque Beneficium assequatur, vel possideat.

Proinde praxis Regni Galliæ permutationi, conditioni, & naturæ conformis censetur, & eatenus ubique meritò juxta eam judicandum, & procedendum videtur.

XXIV. Quæ tum hoc capite, tum præcedentibus juxta modernam praxim notata sunt, satis probant, quàm plurima hodie invaluisse, quæ pristinam Patrum disciplinam parùm redolent; imò potiùs profanum modum de Beneficiis disponendi exprimunt: ut proinde admodum circumspectus esse debeat, qui iis uti intendit: si omnem in sacris Ministeriis profanationem evitare, nihilque contra Ecclesiæ spiritum admittere velit.

TITULUS XXVIII.

De Pensionibus Ecclesiasticis.

CAPUT I.

QUÆ NATURA PENSIONUM; ET QUID DE IIS IN SYNODO TRIDENTINA ACTUM.

1 *Pensionum naturam rectè expresit Concilium* Delectorum Prælatorum *sub Paulo III. & quod illud Concilium.*
2 *Referuntur verba Concilii.*
3 *Quandonam ex sententia Concilii Papa possit annuere pensionem.*
4 *Abusus in dandis pensionibus.*
5 *Descriptio pensioni hîc tradita conformis pensionibus jam pridem ab Ecclesia probatis.*
6 *Primum exemplum pensionis ex Synodo Chalcedonensis.*
7 *Secundum exemplum ab eadem Synodo probatum.*
8 *Tertium ex illa Synodo desumptum.*
9 *Nonnulla pensionis exempla ex S. Gregorio.*
10 *Hæ pensiones planè conformes descriptioni à Concilio Delectorum Prælatorum traditæ.*
11 *Pristinus pensionum usus nulli displicuit; at in abusum degeneratus pluribus meritò displicuit.*
12 *In Synodo Tridentina à nonnullis dictum usum pensionum esse reformandum.*
13 *Oratoribus Regis Galliæ ad Synodum Tridentinam, injunctum, ut postularetur à Synodo statuendum, ne amplius ex causa* resignationis, *vel* litigii *pensio constitueretur.*
14 *Nomine Regis Galliæ petita abolitio pensionum.*
15 *Pontifex non judicavit pensionum usum totaliter tenendum; sed eas ceu quasdam eleëmosynas subinde annui posse.*
* *Quæ sunt pensiones, quas prætendunt posse imponi Beneficiis, velut quasdam eleëmosynas in favorem pauperum Clericorum.*
16 *Quare nonnulli Concilii Patres omnem pensionum usum tollendum judicarent.*
17 *Oratores Regis Galliæ expostulantes contra usum pensionum ostenderunt, se tantùm earum abusum carpere.*
18 *Expostulatio eorundem contra Decretum Synodi, quo pensionum usus probari videbatur.*
19 *Primùm, ut Decretum fuit propositum, multi reclamârunt.*
20 *Quomodo tandem Decretum reformatum & admissum; & quod de eo Patrum judicium.*
21 *Nota huic Decreto ab Oratoribus Regis Galliæ apposita.*
22 *Protestatio Cardinalis Lotharingiæ super hoc, aliisque Decretis in Synodo Tridentina evulgatis.*
23 *Synodus Tridentina usum pensione, nec positivè probavit; nec totaliter improbavit.*
24 *Pontifex Synodo per Legatos præsidens, pensiones esse quasdas* eleëmosynas *dixit.*
25 *Sanctus Carolus fortiter se introductioni pensionum opposuit, conformiter ad mentem Synodi Tridentinæ.*
26 *Usum tamen totaliter non improbavit; sed eandem de iis ideam expressit, quam Concilium* Delectorum Prælatorum *expresserat.*

I. VErissimam, ac planissimam Pensionum Ecclesiasticarum descriptionem exhibuit Concilium Romanum juvente Paulo III. habitum anno 1537. quod communiter vocatur *Concilium Delectorum Prælatorum sub Paulo III.* extatque in antiqua Collectione Conciliorum Crabbiana; atque deinceps frequenter recusum, & à viris doctissimis summopere laudatum; ejusque meminit Joannes Coclæus *in libro de Actis & scriptis Lutheri*, *ad ann.* 1539. ubi hæc de illo Concilio inter cætera scribit: » Evulgatum fuit, inscio Pontifice *egregium* quoddam » concilium de reformanda Ecclesia, & emendandis Romanæ Curiæ abusibus, à septem (credo legendum *novem*) doctissimis, » ac integerrimis viris ipsi Pontifici in secreto datum: nempè à » Card. Contareno, Card. Theatino, Card. Sadoleto, Card. » Polo Anglico: Archiepiscopis Salernitano, & Brundusino, » Episcopo Veronensi, Abbate S. Georgii Veneto, & à Fr. » Thoma Magistro sacri Palatii." Hæc ille, qui paulò infrà vocat, *hoc pium*, *ac salutare optimorum virorum Concilium.*

II. In hoc Concilio Doctissimi illi, ac integerrimi viri pensionum naturam, ac rectum usum his verbis expresserunt. » Alius abusus, cùm Beneficia conferùntur, seu cùm ceduntur » aliis, irrepsit, in constituendis super eorum fructibus pensio-» nibus; imò quandoque cedens Beneficio omnes sibi fructus re-» servat. Qua in re illud est animadvertendum, nulla alia de » causa, nulloque alio jure Pensiones constitui posse, nisi ut » quasdam eleemosynas, quæ in pios usus, & indigentibus con-» cedi debent."

Fundamentum sui asserti dein subjiciunt: » Nam redditus » sunt annexi Beneficio, ut corpus animæ: ideò sua natura perti-» nent ad eum, qui Beneficium habet, ùt possit ex eis vivere » honestè pro suo ordine, simulque queat sustinere impensas » pro divino cultu, & templi, sacrarumque ædium reparatione, » & quod reliquum est, impendat in pios usus; hæc est enim na-» tura reddituum."

III. Post hæc exponunt, quâ ratione, & quo casu Pontifex Pensionem constituere possit. » Verùm sicuti in rerum naturæ » administratione nonnulla fiunt à natura universali præter in-» clinationem universalis naturæ: sic in Pontifice, qui est uni-» versalis dispensator bonorum Ecclesiæ, si viderit eam fruc-» tuum portionem, quæ in pios usus expendi debet; aut ejus » partem in pium quempiam alium usum, ut expendatur magis » expedire, potest procul dubio id facere. Ideò jure meritò » pensionem ponere potest, ut subveniat egeno, præsertim » Clerico, ut honestè queat vitam ducere, pro ejusdem ordine."

IV. Ex his dein concludunt: » Ideò omnes fructus reser-» vari adimique id omne, quod divino cultui, sustentationique » habentis Beneficium, tribui debet, magnus est abusus. Item-» que pensiones dari Clericis divitibus, qui commodè, & ho-» nèstè vivere queunt ex redditibus, quos habent, magnus cer-» tè abusus, tollendus uterque."

Ita-

V. Itaque ex sententia hujus laudatissimi Patrum Concilii, pensiones aliud non sunt, quàm portio aliqua proventuum, quæ honestæ sustentationi habentis Beneficium superest, per modum cujusdam *eleemosynæ* in sustentationem alicujus Clerici reservata, vel assignata.

Hæc pensionis Ecclesiasticæ descriptio, si conferatur cum pensionibus, quas pristina Ecclesiæ disciplina admisit, & probavit, apparebit, eam esse verissimam, ex mente Ecclesiæ, pensionis descriptionem, & naturam; neque aliam unquam ab Ecclesia fuisse approbatam; licèt nonnullas pensiones huic descriptioni haud consonas tolerare cogatur.

VI. In Concilio Calchedonensi *Actione X.* legitur, quòd Maximus ordinatus Episcopus Antiochenus in locum Domni per Synodum depositi, rogaverit Patres Concilii, ut *humanitatem* in Domnum exercere vellent, assignando ei aliquam portionem proventuum Ecclesiæ Antiochenæ in sustentationem. Verba Maximi sunt: » Deprecor magnificentissimos, & glo» riosissimos judices, & sanctam hanc, & universalem Syno» dum; ut humanitatem exercere in Domnum, qui fuit An» tiochiæ Episcopus, dignemini, & statuere ei certos sumptus » de Ecclesiæ, quæ sub me est. «

Ad hæc Legati Sedis Apostolicæ responderunt: » Si quidem » Maximus suo arbitrio Domno voluerit esse consultum, ut » sumptus ei de sua Ecclesia, miserationis intuitu, prout æs» timaverit, largiatur; ut contentus *alimoniis*, quiescat im» posterum. «

Hoc responsum tota Synodus, unà cum judicibus, qui nomine Imperatoris Marciani aderant, comprobavit (l).

VII. In eodem Concilio *Actione* XII. discussâ a causâ Stephani, & Bassiani de Sede Ephesina contendentium, judicatum fuit, ut utroque remoto tertius ordinaretur Episcopus Ephesinus, sub hac moderatione: » Removebuntur quidem à sancta » Ephesiorum Ecclesia Bassianus, & Stephanus reverendissimi; » habeant autem dignitatem Episcopi, & ex redditibus memo» rata sanctissimæ Ecclesiæ, *nutrimenti* gratia, & consolationis, » annis singulis solidos aureos ducentos accipiant: alter verò se» cundum regulas ejusdem sanctissimæ Ecclesiæ, Episcopus or» dinabitur. «

Tametsi hîc pensionis nomen expressum non sit, nemo tamen negaverit, quin revera hisce Episcopis ex redditibus Ecclesiarum, quas deserere coacti erant, miserationis intuitu, & nutrimenti causa concessa fuerit, probante Concilio universali, quædam portio, coincidens cum ea, quæ hodie *pensio* dicitur; si modò ea detur juxta descriptionem, & usum ex citato Concilio propositum.

VIII. Est aliud in eodem Concilio Calchedonensi pensionis exemplum non absimile prioribus, in quo tamen, & illud notandum occurrit, quòd expressè caveatur, ut pensio non tantum commensuretur necessitatibus ipsius Pensionarii, sed insuper facultatibus Ecclesiæ, cui imponitur: idque secundum conditionem proventuum Ecclesiasticorum, quæ exigit, ut ex iis priùs provideatur honestæ sustentationi Ministrorum, aliisque necessitatibus Ecclesiæ; & tum demum, ex superfluis aliis indigentibus, etiam Clericis succurratur, quemadmodum prædictum Concilium Delectorum Prælatorum notavit.

Voluit ergò Concilium Calchedonense *Actione XIV.* ut casu, quo Athanasius restitueretur Ecclesiæ Parthenorum, tunc Sabiniano, qui in locum Athanasii fuerat ordinatus, daretur pensio. Verba Concilii sunt: » Sabinianus verò Reverendissi» mus Episcopus, & dignitatem Episcopatûs habeat, & substi» tutus sit, & pascatur, sicut Reverendissimus Episcopus An» tiochenorum Maximus, *secundum facultatem* Parthenorum » sanctissimæ Ecclesiæ, disposuerit (m). «

IX. Similia pensionis exempla non pauca occurrunt apud S. Gregorium: ac signanter *lib.* 11. *Epist.* 7. ubi Etherio Episcopo scribit de quodam Episcopo, quòd si verum sit, eum ita capitis passionem incurrisse, ut quod mente alienatâ agere solet, gemitus & fletus audire sit... alter in locum ejus ordinetur: sic tamen, ut quousque eundem in hoc seculo vita tenuerit, *sumptus* ei debiti, de eadem Ecclesiæ ministrentur.

Species quoque pensionis dici potest subventio, quam idem sanctus Pontifex subministrari vult Episcopis, quos hostilitatis furor ex Ecclesiis suis expulerat, & captivitatis, diversarumque necessitatum angustiæ comprimebant: de quibus ad Episcopos per Illyricum constitutos ita scribit *lib.* 1. *Epist.* 43. quòd hos debeant consolandos convicturosque sibi in Ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere. » Non quidem ut per communio» nem Episcopalis throni dignitas dividatur, sed ut ab Ecclesia » juxta possibilitatem *sufficientia* debeant *alimenta* percipere. «

X. Hæc, aliaque probata pensionis exempla si expendantur, & conferantur cum descriptione, quam citatum Concilium Delectorum Prælatorum delineavit, patebit, pensiones jam pridem ab Ecclesia probatas planè coincidere cum ea Prælatorum descriptione; atque pensiones revera ex intentione Ecclesiæ non esse concedendas, nisi ut quasdam *eleemosynas* Clericis indigentibus.

XI. Quandiu autem ea pensionum moderatio servata fuit, nulla quoque legitur contra eas facta Ecclesiæ oppositio. Sciebat enim hæc nihil injustitiæ subesse, si ex proventibus Ecclesiasticis, qui sustentationi Ministrorum Ecclesiæ supersunt, necessitatibus aliorum Clericorum indigentium provideatur.

At cùm labentibus seculis prætextu pensionum cœperunt proventus Ecclesiastici veris Titularibus, & Ministris Ecclesiarum subtrahi, & aliis non indigentibus indiscriminatim, & sine ulla moderatione reservari cum summa proventuum Ecclesiasticorum inversione, & dilapidatione; nequaquam defuêre, qui hujusmodi abusui reservationum, pallio pensionum tecto, se opposuerunt, dicentes pensionum hunc non esse legitimum usum, sed maximum abusum.

Plura in decursu hujus materiæ occurrent, quæ hanc oppositionem probant; hîc duntaxat ostendam, qui in Synodo Tridentina de usu Pensionum dictum, statutumque fuerit, & an alium usum probaverit, quàm eum, quem expressit Concilium illud Delectorum Prælatorum, quòd ipsi Concilio Tridentino præluserat; & speciatim à Paulo III. indictum fuerat, ut abusus in futuro Concilio Tridentino reformandos notaret, & sincerè exponeret.

XII. Legitur in Historia Concilii Tridentini quòd in Congregatione die 5. Martii anno 1546. occasione querelæ Episcopi Bituntini, qui ob non solutas pensiones suo Episcopatui impositas, à Pensionariis suis citabatur Romam coram Auditore Rotæ, nonnulla de pensionum usu dicta fuerint; atque inter alia à quibusdam Patribus dictum: » Æquum esse, & olim re» ceptum, ut Ecclesiæ opulentæ tenues sublevent; charitate » scilicet adducti, non vi adacti: sed non eum in modum ut si» bi necessaria adimant. Eam enim D. Pauli esse doctrinam. Ve» rùm, ut Antistites inopes de dimenso suo, quod ipsis susten» tandis vix sufficiat, cogantur demere, quod in divites con» ferant; id quidem haud esse tolerabile. Imò caput esse, de » cujus reformatione in Concilio sit agendum, rebus ad *veterem* » *& usum verè Christianum* revocatis. «

XIII. Inter articulos instructioni datos Oratori Regis Galliæ ad Synonum Tridentinam ann. 1562. unus erat quo petebatur, ne posthac pensiones constituerentur super Beneficiis resignatis, aut litigii causa. Verba instructionis erant: *Qué doresnavant ne se puisse tenir pensions sur Benefices qu' l' on resignera, ne pareillement constituer sur Benefices pour droit prétendu.* Habetur in libro, cui titulus: *Memoires pour le Concile de Trent. pag.* 174. editionis Parisiensis 1654.

XIV. His instructionibus insistens Orator Regius, anno 1563. Patribus Concilii nomine Caroli IX. Regis Galliæ inter alios articulos reformationis hic vigesimus quintus propositus fuit: » Pensiones super Beneficiis non constituantur, & quæ » sunt constitutæ, tollantur, quo redditus Ecclesiastici in ali» menta Pastorum, & pauperum, aliosque usus pios trans» ferantur. «

XV. Articuli hi ab Oratoribus Regis Christianissimi Concilio oblati per Legatos Sedis Apostolicæ ad Pontificem missi fuêre, qui plures quidem illorum probavit, sed non omnes; ac notanter hunc se non posse in totum probare, affirmans, pensionem esse *eleemosynas*, quarum distributio ad suam Sanctitatem spectat. Ita sibi à Cardinale Borromæo, id est, S. Carolo, relatum esse scribit ad Catharinam de Medicis matrem Regis tunc regentem, Insulanus vulgò *de Liste* Orator Regius apud Pont. Verba Epistolæ sunt: *Madame, le Pape à receu les articles de reformation présenté au Concile par les Ambassedeurs du Roy. Monsieur le Cardinal Borremæo m' a dit que Sa Saienteté les approuvoit en grande partie; mais non en tout: parce q' ils prejudicient aux preventions de quelques autres droits: mais principalement il trouve mauvais que les pensions sont tollues par ladite reformation, disant que ce sont des aumones que Sadite Sainteté à droit de faire par tout.* (n)

Ex his patet, quòd tametsi Pontifici non videretur omnis pensionum usus tollendus, nihilominus fassus sit ipse, eas non nisi ut *eleemosynas*, etiam à Pontifice esse dispensandas, ac per consequens ideam Pontificis de natura pensionum coincidisse cum ea, quam sæpè dictum Concilium Delectorum Prælatorum expresserat.

No-

(l) *Quod de Maximo Antiocheno, & Domno nunc refert D. Van-Espen, id deinde suppositicium, & ab aliquo impostore cæteris Conciliis Calchedonensis actionibus assutum probavit ipse vir doctissimus* tom VII. cap. 2. dissert. in Concilium Calchedonense, Sess. 12.

(m) *De istis Pensionibus eruditè disseruit D. Van-Espen Van Espen Jur. Eccles. Pars II. Tom. II.* cap. 2. *Dissertationis de Concilio Calchedonensi, & in Scholis in ejusdem Concilii Canones.*

(n) *Hæc leguntur in opere jam citato* pag. 374. *cui titulus.* Memoires pour le Concile de Trente, recueillis par feu Mr. Dupui Bibliothecaire du Roi, & imprimès à Paris chez Cramoisy. en 1654.

* Notandum quòd dum Pius IV. significavit retinendum usum pensionum, ut per eas, tanquam *quasdam eleemosynas* pauperibus Clericis Pontifex subvenire possit, id intellexerit de pensionibus, quas Romana Curia prætendit, posse pro suo beneplacito imponere quibuscunque Beneficiis, aut Dignitatibus, vel etiam Monasteriis in favorem, seu in subventionem quarumcunque personarum, quæ nec Beneficia illa unquam possederunt, nec ullum ad Beneficia illa jus prætendunt; quin nec Beneficiorum illorum capaces sunt: qualibus pensionibus passim gravatos videmus etiam ipsos Episcopatus, & Abbatias Italiæ in favorem Cardinalium, & aliorum Prælatorum Curiæ Romanæ: at in Gallia, & Belgio similes pensiones non admittuntur, ut *cap.* 3. hujus tituli observabitur. (o)

XVI. Licèt nec ipsi Galli, cæterique Concilii Tridentini Patres diffiteri possent, quin usus pensionum, si ut quædam eleemosynæ Pastoribus, aliisque Clericis indigentibus ex justa causa & moderatione distribuerentur, nequaquam esset improbandus: nihilominus experientia edocti, quàm infami & sacrilego modo proventus Beneficiorum obtentu pensionum dilapidarentur, quantaque hæc dissipatio secum traheret mala, usu earum admisso, abusum impedire non destiterunt, & contra pensionum usum ulteriùs Patrum zelum excitare, & earum sublationem, aut saltem restrictionem urgere.

XVII. Et quidem Oratores Regii in sua ad Legatos, & Patres Concilii Tridentini expostulatione 22. Septembris 1563. ostendere volentes: » Legibus Regni, aut Ecclesiæ Gallicanæ » nihil omino contineri, quod repugnet dogmatibus Ecclesiæ » Catholicæ, antiquissimisque Pontificum Decretis, & Ecclesiæ » universalis Conciliis. « Inter alia dicunt: » Non prohiberi Epis- » copum, qui neque sacras Litteras docere, neque prædica- » re unquam didicerit, se Episcopatu, si velit, uti debet, ab- » dicare: Benemeritum autem, qui per ætatem, aut morbum » amplius Episcopi munere fungi non potest, coadjutorem ac- » cipere, & in hac tantùm specie pensionem retinere. Nam ex- » tra hanc speciem, si quis velit colore pensionis quæsito, ut » pluralitatis prohibitionem eludat, super Beneficio pensionem » constituere, aut in favorem renuntiare, aut cum regressu, aut » causari, & defendere pluralitatem Beneficiorum ex nova & » bonis seculis incognita personarum & sacerdotiorum diffe- » rentia, &c. «

XVIII. Cumque hæc expostulatio à nonnulis carperetur, coactus fuit ejusdem Auctor Apologiam edere, in qua inter cætera dicebat: » Nec pœnitet dixisse, multa esse in his articu- » lis, quæ cum Patrum antiquis Decretis pugnant, ut de Be- » neficiorum pluralitate, *pensionibus*, resignationibus in favo- » rem, &c. «

Articuli, quorum hîc mentio fit, erant capita reformationis Sessione 24. evulganda; quorum decimo tertio decernebatur, ut » imposterum, omnes hæ Cathedrales Ecclesiæ, qua- » rum redditus summam ducatorum mille, & Parochiales, quæ » summam ducatorum centum secundum verum valorem, non » excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum » graventur. «

Hoc Decretum, quamvis pensiones positivè non probet, à nonnullis Patribus, non Gallis duntaxat, sed & aliis, probatum non fuit; eò quòd dum earum usum non nisi in tenuioribus Episcopatibus, & Beneficiis Curatis improbat, in reliquis eum probare, aut saltem abusus, qui pensionum prætextu invaluerat, à Concilio non sat efficaciter præscindi videretur.

XIX. Refert Cardinalis Pallavicinus in Historia Concilii Tridentini *lib.* 18. *cap.* 6. *num.* 1. quòd pro formandis articulis reformationis evulgandis *Sess.* 22. proposita capita quatuordecim fuerint, non undecim, sicuti Suavis narrat. Deinde subjungit: » Causa cur postea ad undecim fuerit redacta, hæc fuit, » quoniam duobus ex illis lex apponebatur, pensionem coar- » ctans, ne scilicet imposterum id oneris imponeretur Episco- » pis, & Parochis, quorum alteri non supra quingentos aureos » ex annuo proventu reciperent, alteri non supra quinquagin- » ta. Sed Episcopi vocabulum *pensionis* abominati, quippe ip- » sorum auribus, animisque permolestum, negârunt illud sibi » adjecta etiam limitatione probatum iri. Et quamquam oppo- » neretur, à Conciliis Lateranensi & Viennensi, & à Triden- » tino pariter sub Paulo & Julio pensionum consuetudinem fuisse » receptam, non tamen acquievêre. Qua propter conventum » est, ut sanctiones ea de re aliàs ex professo statuerentur. «

XX. Cùm ergò de articulis reformationis Sessione 24. edendis ageretur, rursus hæc pensionum materia proposita fuit; atque caput 13. qua parte de pensionibus statuebat, verbis utebatur generalibus, nimirum, ut nullum Beneficium majoribus pensionibus gravare posset, quam *tertiæ* partis fructuum, aut valoris eorundem, secundum id quod usu obtinuerat, cùm pensiones introductæ sunt: ut narrat historia ejusdem Concilii. » Ve- » rùm id Cardinali Lotharingio non expedire videbatur: quòd es- » sent Beneficia quædam admodum opima, quæ tametsi duas sol- » verent, gravari tamen non intelligerentur: alia verò adeo te- » nuia, ut pensionem perferre non possent; adeoque iniquam » esse hanc distributionem. Quare satius esse prohibere, ne Epis- » copatus valoris mille coronatorum, & parochiales Ecclesiæ cen- » tum, pensionibus gravarentur; de cæteris nulla mentione facta. «

Hoc Lotaringii medium à majore à parte Patrum laudatum fuit; & Decretum conformiter exaratum, & evulgatum, extatque *sess.* 24. *cap.* 23. non quòd illud abusui pensionum penitùs eliminando crederent sufficere; sed quòd temporum conditio, & confusio fortius remedium non paterentur, ut ipse Historicus innuit; cui non contradicit Pallavicinus hoc unum in eo arguens *lib.* 23. *cap.* 11. quòd huic Concilii Decreto opponat: *longe majus expectatum fuisse remedium deterrimo pensionum abusui*: ostendere studens remedium integrum expectari non potuisse.

XXI. Oratores Regis Christianissimi exemplar Decretorum ad Regem mittentes, huic de pensionibus Decreto hanc notam apposuêre; etsi haud ignorarent, illud suggerente Card. Lotharing. ita fuisse exaratum. » Hic non obscurè significatur pensiones » constitui, & reservationes fructuum fieri posse, tum in Cathe- » dralibus Ecclesiis, tum in Parœcis, si modò summam centum » aureorum annuus redditus earum excedat. Quod tùm maximè » adversatur iis, quæ in mandatis à Rege nostro accepimus. Nul- » lâ enim ratione, nulloque casu, fructus, aut eorum partem re- » servari vult Rex, neque conditionaliter aut dimidiatè, sed » simpliciter tantummodo Beneficia ejurari, ut integri fructus ad » eum, qui Beneficio incumbit, perveniant. Et sanè, si aliter fiat, » frustra aliquid statueretur posthac adversus eos, qui plura pos- » sident Beneficia. Facile enim cedent Beneficiis, si eorum fruc- » tus liceat retinere. «

XXII. Non dubium proinde hoc unum fuisse è Decretis Concilii Tridentini, cui congruit declaratio, & protestatio Cardinalis Lotharingiæ, tum suo, tum omnium aliorum Galliæ Episcoporum nomine facta coram Patribus Concilii in ultima ipsius Concilii sessione. „ Cùm nudius tertius (ait) meam de reforma- „ tionis articulis dicerem sententiam, præfatus sum etiam me val- „ dè cupere, ut prisca illa Ecclesiastica restitueretur disciplina; „ sed cum his corruptissimis temporibus, & moribus in- „ telligam non posse ea, quibus maximè opus est, protinus „ adhiberi remedia, interim assentiri, & probare ea, quæ „ nunc sunt decreta: non quòd ea judicem satis esse ad » integram ægrotantis Reipub. Christianæ curationem, sed » quòd sperem his priùs lenioribus fomentis adhibitis cum gra- » viora medicamenta pati potuerit Ecclesia, Pontifices Maxi- » mos, maximè D. N. Pium pro sua insigni pietate, & pru- » dentia diligenter curaturum, ut ea, quæ desunt, implens & » efficaciora inveniens remedia, in usum veteribus jam diù abo- » litis revocatis Canonibus, & maximè quatuor veterum illo- » rum Conciliorum, quæ quantùm fieri poterit, observanda » esse censeo; vel si expedire videbitur, frequentiori œcume- » nicorum Conciliorum celebratione, morbum ab Ecclesia pro- » pulsans, eam suæ pristinæ restituat sanitati. Hanc autem meam » mentem, & sententiam tum meo, tum omnium Galliæ Epis- » coporum nomine acta referri volo, & ut id fiat à Notariis peto, » & postulo. «

XXIII. Itaque ex iis, quæ in Synodo Tridentina acta sunt, non obscurum est, Patribus usum pensionum apparuisse odiosum multisque abusibus obnoxium; usum à Synodo nonnihil fuisse restrictum circa Episcopatus, & Beneficia Curata tenuiora; neque ullibi possitivè probatum, quanquam nec omninò improbatum, licèt id à multis postulatum esset; obsequens in hoc intentioni Pontificis, qui eas ut quasdam *eleemosynas* per Pontificem distribuendas retineri volebat, uti suprà notatum fuit.

Unde nec verisimile est, Synodo aliam fuisse de pensionibus ideam, quàm quæ à Concilio Delectorum Cardinalium expressa est; & conditioni proventuum Ecclesiasticorum, & SS. Canonibus conformis.

XXIV. Ulteriùs hoc habetur, quòd licèt Pontifex, qui Synodo per suos Legatos præsidebat, eamque moderabatur, responderit, usum pensionum non esse omninò improbandum, aut vetandum, nihilominus fassus sit eas ceu quasdam *eleemosynas* esse distribuendas. Undè nec alio sensu eas tolerandas Synodum judicâsse verisimile est.

XXV. De qua Synodi mente optimè instructus S. Carolus Borromæus, qui præcipuas in directione Synodi partes habebat, atque supradictum responsum Pontificis retulerat; & unà sciens, quàm difficulter intra hos limites pensionum usus contineatur, si usus earum semel invalescat, vix earum in suam Diœcesim admisit; & introducere volentibus strenuè se opposuit, quemadmodum vitæ ejus scriptor testatur *lib.* 7. *cap.* 35. verbis sequentibus: » Fructus suos unicuique Ecclesiæ, Pres- » byterisque singulis, integros relinqui curavit vehementer, & » effecit. Eo namque primùm Ecclesiam capescente, vel mag- » na ex parte, vel toto, alienis hominibus erant reservati: ex » quo fiebat, ut qui essent aliquo numero Presbyteri Sacer- do-

(o) *Id quidem de Galliis olim dici potuit; non autem hodie, ut deinceps notabitur.*

„ dotia recusarent, quorum facultatibus, pro dignitate vitæ cul-
„ tum minimè possem conservare. Qui verò accipiebant, parvi
„ pretii homines, neque doctrina, neque auctoritate satis mune-
„ ri suo facere valebant; ut præter Sacerdotis, ut tempora sunt,
„ ex ea re contemptum, neque sacra supellex pro decoro pa-
„ rari; neque refici, vel ornari Ecclesiæ; neque sarta tecta ha-
„ beri possent.

„ Igitur, pergit auctor, neque pensionis onus vel minimum
„ cuiquam Ecclesiæ imposuit unquam, & si quis fortè per auc-
„ toritatem superiorem obtinere vellet, contra totis viribus
„ pugnavi.

„ Cùm ex Præposituræ facultatibus, ex suis quidam, quo
„ plurimum utebatur, annuam pensionem sibi ferè impetrâsset;
„ ea Carolus, ut auferretur, statim effecit. Neque alius posteà
„ unquam conari aliquid simile ausus est."

XXVI. Unum tamen pensionis exemplum à Carolo imposi-
tæ subjungit dictus auctor: è quo intelligimus, usum pensionum
à Carolo non totaliter improbatum; ac unà videmus eandem de
pensionibus hùic Sancto fuisse ideam, quæ fuit Concilii Roma-
ni Delectis Prælatis.

Sacerdoti tantùm pensionem concessam scio. „ Is, cùm Ec-
„ clesiæ din utilem sanè operam pro doctrina, virtuteque sua
„ navâsset, demum multi laboris Parochiam habens, infirmaque
„ valetudine confectus, cùm eam relinquere cogeretur; neque
„ aliunde haberet vitæ sumptum; moderatam pensionem ex Ec-
„ clesia sua, quæ erat ex locupletoribus, à Carolo accepit."

CAPUT II.

Quæ usum pensionum reddant odiosum.

1 *Reservatio pensionis* odiosa *ex omnium Canonistarum sententia.*
2 *Quia contrariatur Juri communi.*
3 *Per pensiones necessaria subtrahuntur Ministris Ecclesiæ.*
4 *Hoc incommodum quomodo senserit S. Carolus.*
5 *Defraudatur Fabrica Ecclesiæ.*
6 *Proventus Ecclesiastici contra eorum naturam cedunt non servientibus.*
7 *Multi occasione pensionum acceptant Beneficia sine intentione deserviendi.*
8 *Per pensiones illuditur Canonibus vetantibus pluralitatem Beneficiorum.*
9 *Per pensiones fit, ut unus plurium stipendia vindicet.*
10 *Pensionarii nonnunquam similes iis, qui Beneficia sub modico stipendio dabant.*
11 *Pensionarii non secùs ac simoniaci spiritualia cum temporalibus commutant.*
12 *Pensiones faciunt, ut non habeatur de meritis Promovendorum recta discussio.*
13 *Pensiones occludunt pauperibus aditum ad Beneficia.*
14 *Usus pensionis facit, ut nulli* gratis *ad Beneficia pateat accessus.*
15 *Concluditur meritò potuisse postulari totalem pensionum abolitionem.*

I. PEnsionis reservationem super fructibus Beneficii Ecclesiastici esse odiosam, omnes scribentes testantur, ait Pyrrhus Corradus *in Praxi Beneficiaria, lib. 5. cap. 5. num. 1.*

Et Hieronymus Gigas *de Pensionibus* post Paulum De Roma dicit, quòd Pensio est *plaga fœtida* ex percussione nervi Ecclesiasticæ disciplinæ similitudinariè inflicta.

Odium Pensionis multis ex capitibus desumitur, ac præcipuè ex incommodis, & malis, quæ usus pensionum secum trahit, & in Ecclesiam invehit.

II. Pensionem contrariam esse Juri communi, & eo titulo *odiosam*, communis Canonistarum sententia est, eò quòd per pensionem proventuum portio Beneficio annexa à Beneficio separetur: atque ita Beneficiorum quædam scissio fiat de jure reprobata; sed de hac scissione latiùs infra *cap. 5.*

III. Ulteriùs, quia per pensionem pars fructuum à Beneficio subtrahitur, hinc frequenter occasione impositionis, & reservationis pensionum contingit, ut proventus Beneficiorum ipsis Ministris Ecclesiæ ita substrahantur, ut vix reliquum sit, unde juxta statum suum moderatè, ac frugaliter vivere queant: ex quo ulteriùs contigit, ut viri eruditione, ac moribus sufficientes ægrè reperiantur, qui Beneficiis illis præesse velint.

IV. Hoc incommodum ex pensionibus impositis sensit in sua Diœcesi S. Carolus: id constat *num. 25.* capitis præcedentis ubi textus ex ejus vita desumptus, citatus fuit integer: consulatur.

V. Ubi finalibus verbis illud pensionum incommodum exprimitur: nimirum, quòd per earum reservationem fiat, ut à Beneficiis, sive Ecclesiis subtrahatur illud, quo sacra supellex parari, vel refici aut ornari & sarta tecta conservari possent & deberent.

VI. Ulterius cùm proventus Beneficiorum dentur in sustentationem laborantium, & Ecclesiæ servientium; & ob id Beneficium dari dicatur *propter officium*, eo rursus odiosus est pensionum usus, quod dentur non servientibus; „ Nam pen-
„ sionarii (ait Gomezius ad Regulam de *Infirmis*, *quæst.* 16.)
„ non laborant in Ecclesia, neque seminant, & tamen metuunt, &
„ fructus sine labore manducant, contra naturæ ordinem, & con-
„ tra Apostolum dicentem, *qui non laborat, non manducet.*" (p)

VII. Ex quo propterea fit, quòd multi ad Beneficia Ecclesiastica aspirent, eaque acceptent, qui tamen nec Ecclesiæ servire; imò nec statum Ecclesiasticum assumere intendunt; ac duntaxat aliquam summam pecuniæ, ex Beneficio accepto accipere cogitant.

Optimè enim intelligunt, sibi notabilem pecuniæ summam non defuturam, mox ubi Beneficium duntaxat habuerint; licèt illi deservire, quin nec in statu Ecclesiastico perseverare intendant. Mox enim ut Beneficium obtinuerint, viâ resignationis aut permutationis *sub pensione* patebit, atque hac mediante nullo præstito, neque posthac præstando officio, non exigua sæpe summa pecuniæ, aut annuè præstanda, aut certè si maluerint, redemptâ pensione simul & semel solvetur. (q) Quàm frequens sit hic ex usu pensionum natus abusus, quotidiana & notoria multorum praxi nimium probatur.

VIII. Præterea per pensionum usum fraus fit Canonibus Beneficiorum pluralitatem vetantibus. Cùm enim pensiones revera Beneficia non sint, credunt pensionarii, quòd pensiones unà cum alio Beneficio retineri queant, salvis Canonibus pluralitatem Beneficiorum improbantibus: atque ita reipsa id pene assequuntur, quod per plurium Beneficiorum retentionem intendunt: in eademque etiam ferè incommoda hinc incidit Ecclesia, quæ vetando pluralitatem Beneficiorum evitari intendit.

Quid enim aliud, nisi plurium Beneficiorum emolumenta quærunt, qui plura Beneficia retinere desiderant? Hæc autem reipsa Pensionarii assequuntur, dum resignantes titulum, notabilem portionem proventuum retinent, eamque sibi sine ulla cura, aut labore, ab omnique expensa, & onere liberam solvendam.

IX. Ecclesia pluralitatem Beneficiorum improbans, id præcipuè improbat, quòd „ unus, qui unum quantumvis modi-
„ cum vix officium implere sufficeret, *plurimorum* sibi vindicet
„ *stipendia*: quæ multis litteratis viris, vitæ puritate ac testi-
„ monio bonæ famæ pollentibus, qui mendicant, possent
„ aliundè sufficere, æqua distributione collata " uti loquitur Pontifex in *Extravag.* EXECRABILIS *de Præbendis, inter Communes.*

X. Certè non absimiles videntur hujusmodi Pensionarii illis, qui jam pridem variis artificiis plura Beneficia retinere volentes, Beneficium alteri quidem modico constituto stipendio resignabant, ejusdem Beneficii vicariâ cùm majore parte fructuum sibi retentâ; quòd perniciosum artificium dum Ecclesia detexit, condemnare non dubitavit.

XI. Denique qui vel leviter hodiernum Pensionariorum, sive pensionibus inhiantium agendi modum attenderit, eosdem penè pensionum, & simoniæ effectus esse intelliget.

Imprimis per simoniam res Spirituales ad vilitatem quandam per commutationem cum rebus temporalibus rediguntur; & quodammodo rebus terrenis coæquantur, uti infra *tit. 30. cap. 1.* latiùs exponetur. Porro quis negavit, idem per usitatam pensionum praxim frequenter contingere? Nonne ad oculum patet, resignantes ac permutantes, æstimare Beneficia sua penès proventus annuos, eosque temporali pensione compensatos, aut æquatos velle; non aliter, ac si res merè temporales in foro appreciarentur, atque pretii suppletione ad æqualitatis terminos reducerentur? Num forsan res spirituales minùs deprimuntur, aut ad minorem utilitatem rediguntur, si pensione annua aliquot centenorum florennorum commutentur, quàm si certâ pecuniæ summâ interveniente commutatio fieret?

XII. Ulteriùs per simoniam fit, ait S. Gregorius, *lib. 7. Ep. 111.* „ ut nulla de actu probatio, solicitudo de moribus,
„ nulla de vita discussio, sed solummodò dignus, qui dare
„ pretium suffecerit, æstimetur. " An non idem est Pensionum effectus? Nonne prima, ne dicam unica, est Pensionariorum in Beneficiorum resignatione, aut permutatione cura, quis ampliorem ac pinguiorem pensionem dare velit?

Sit Clericus aliquis moribus, ac eruditione quantumvis excellens, qui Beneficium non ambiat; qui proventus ac reditus Ecclesiasticos consideret, ut Ministrorum sustentationi deputatos, & quod reliquum est, pauperum usibus applicandum;

(p) *Ad Thesal. cap. 2. vers. 10. legitur*: Qui non vult operari, non manducet.

(q) *Istæ pensiones redimi solent Leodii, Coloniæ, & in aliis Germaniæ locis*: *vocantur* Pensiones Banquiariæ, *id est*, Pensions Banquieres, raehetables par les Resignataires.

dum; si pensionem proventibus Beneficii proportionatam annuere nolit, à Beneficio excludetur.

XIII. Nonne quoque constat, per penssionum praxim æque, ac per Simoniam pauperibus plerumque ad Beneficia aditum intercludit? Quid enim experientiâ evidentius, quàm pensionarios illos passim quærere, qui pensionem non tantùm annuere volunt, sed de illius annua solutione securitatem dare possunt? Imò frequenter Pensionariis nec hoc sufficit, sed eum invenire student, qui si non expressè, saltem tacitè pensionis redemptionem addicat; aut ut minùs ex circumstantiis colligant, eum ad redimendum esse inclinatum; quod cùm à pauperibus non sperent, etiam illis, tametsi optimè merentibus, Beneficia sua resignare cavent.

XIV. Quid plura? Nonne ingenuè fatendum est, per pensionarios hodie eò rem penè redactam, ut dicere liceat cum Alexandro II. »Nulli unquam Clerico, quamvis Religioso, »quamvis scientia, & moribus prædito, Ecclesiasticum Bene»ficium concedatur (ego dico resignetur) nisi ei qui *profa»no pecuniæ* (Pensionis) *munere* illud emere studuerit: fit»que Ecclesia, & res ejus ita venalis, veluti quædam ter»rena, & vilis merx à negotiatoribus ad vendendum expo»sita.« *Caus.* 1. *quæst.* 3. *Can.* 9.

XV. Hæc, aliaque sunt, quæ ipsum pensionum usum tametsi in suis initiis laudabilem, & à Sanctis Patribus jam pridem comprobatum, adeo odiosum hisce posterioribus temporibus reddiderunt, & etiamnùm hodie reddunt, ut ideo plurimi optarint, & optent, ut earum usus penitùs tolleretur: non quasi eos lateret pensiones subinde licitè, quin & laudabiliter reservari, & imponi posse; sed quòd sciant, usum earum in tantum abusum degenerâsse, ut vix sperari possit, ut, usu retento, abusus tolli possit.

CAPUT III.

Discutiuntur causæ, ex quibus hodie pensiones imponi solent.

1 *Tribus de causis hodie solent imponi pensiones.*
2 *Non potest imponi pensio nisi in commodum habentis, aut prætendentis jus ad Beneficium.*
3 *Ratio hujus praxeos.*
4 *Etiam in Belgio hæc praxis obtinet.*
5 *Pensiones his causis impositæ tolerantur, non probantur.*
6 *Nulla earum causarum per se sufficit, ut pensio licitè exigatur.*
7 *Retentio pensionis ex causa* cessi juris *sapit simoniacam transactionem.*
8 *An hujusmodi probetur in* cap. 21. ✠ de Præbendis.
9 *Proponitur casus Capituli.*
10 *Prima parte responsi ostenditur, cessionem juris litigiosi non esse sufficientem causam pensionis.*
11 *Altera pars responsi.*
12 *Ex hac non probatur, pensionem in casu Capituli potuisse licitè exigi.*
13 *Pensio hæc non procedebat ex pactione partium, sed auctoritate judicis.*
14 *Hoc titulo pensiones hodiernæ multùm ab illa sunt disparatæ, & magis de simonia suspectæ.*
25 *Pensio de qua in Capitulo tantùm à Pontifice toleratur.*
16 *Ex hac tolerantia arrepta occasio malè faciendi.*
17 *In tolerandis quæ speciem mali habent, cautè procedendum.*
18 *Hodiernæ resignationes insufficientes sunt ad justificandas pensiones, & prima ratio insufficientiæ.*
19 *Qui potissimùm petere soleant pensiones titulo resignationis.*
20 *Secunda ratio insufficientiæ.*
21 *Ob hanc rationem retentio pensionis titulo resignationis reprobata per Synodum Chalcedonensem.*
22 *Similiter per Synodum Oxoniensem.*
23 *Tertia ratio insufficientiæ petita à Simonia.*
24 *Compensare inæqualitatem proventum in permutatione per pensionem, sapit simoniam.*
25 *Etiam Doctores laxiores reprobant pensiones solo titulo resignationis.*
26 *Pensiones ex prædictis causis, licèt injustæ respectu exigentium, possunt esse in utilitatem Ecclesiæ.*

I. PEnsiones hodie ferè tribus de causis imponi solent; scilicèt *pacis* causâ, quando Beneficium est litigiosum: secundò *causa resignationis*: & tertiò *causa permutationis*, ne resignantes vel permutantes nimium dispendium patiantur.

Et quidem in Gallia nulla alia de causa admitti solet pensio etiam per Pontificem imposita; uti testatur Rebuffus *in tractatu de Pacificis Possess. num.* 126. dicitque »fuisse probatum arrestum anno 1535. mense Junio, quòd pensio non »imponatur, nec imposita in regno admittatur extra tres ca»sus, qui sunt jam enumerati.« Idipsum tradunt unanimi consensu omnes Galliæ Pragmatici.

II. Hinc ulteriùs cum auctore Analysis in Regulam Cancellariæ *de Præbendis Resignat. num.* 113. notant, quòd »pensio non possit constitui etiam per Papam, & consensu »Prælati, ad commodum ejus, qui *nullum* habet, nec præ»tendit, *jus in Beneficio*; nec in hoc regno toleratur, sed »appellaretur tanquam *ab abusu*, & abusivum declararetur non »obstante quacunque possessione.«

Post hæc infert: „Debet ergò constitui vel causâ *concordiæ* »cum causæ cognitione per Ordinarium, ut in *Cap.* NISI »ESSENT, ✠ *de Præb.* vel per Papam ad commodum vel vi»tam, verum vel probabile jus, & titulum resignantis tantùm.«

Refert quoque Joannes D' Olives *lib.* 1. *quæst.* 29. anno 1637. per arrestum Parlamenti Tholosani declaratum fuisse abusivam pensionem, quia non alia de causa imposita erat, nisi ut Pensionarius commodiùs vivere posset.

III. Cur autem ad hos tres casus restringatur pensionis impositio, non obscurum est, & ex relatis verbis auctoris Analysis sufficienter elici potest.

Cùm enim multis Regis Edictis cautum esset, & Parlamentorum arrestis probatum, nullos non regnicolas posse Beneficia habere in Regno Galliæ, cœptum fuit Beneficia in favorem extraneorum pensionibus passim gravari, atque ita indirectà Beneficia quoad temporalia à non Regnicolis possideri, & Regnum temporalibus exhauriri. Hoc ut præcaveretur, cautum fuit, ne pensio Beneficio imponi posset, nisi in commodum illius, qui habuit, vel prætendit jus in Beneficio: quod dum competere non potest nisi Regnicolæ, jam una via pensionis extraneis occlusa est.

IV. Neque à praxi Gallicana in hoc puncto dissonat praxis Belgica, (r) quæ alias pensiones vix novit: nec facilè pensiones etiam à Papa impositas ad commodum alicujus, qui nec habuit, nec habere prætendit jus in Beneficio, admitteret.

V. Porrò illud hîc omninò observandum, quòd tametsi in Gallia, & etiam in Belgio admittantur pensiones ex tribus illis causis (servatis quibusdam tamen moderationibus, de quibus in progressu hujus Materiæ) nullatenus hinc consequens esse, pensiones undequaque licitas fore, & tuta conscientia accipi posse à Pensionariis, modò vel una ex prædictis causis fulciantur. Multa enim pro temporum conditione, & abusu jam inolito tolerantur, quæ tamen non omnino probantur; quemadmodum de consuetudine Ecclesiæ Gallicanæ, quæ unum ad plura recipiebat Beneficia contra sanctorum Canonum instituta, ad Genuensem Archiepiscopum scribit Alexander III. in *Capit.* 15. ✠ *de Præbendis.* Quæ (ait) *non approbatur à nobis, licèt non possit præ multitudine delinquentium emendari.*

Scribit quoque Innocentius III. Philippo Dunelmensi Episcopo *lib.* 1. *Epist.* 460. editionis Baluzianæ, quòd »Romani »Pontifices, ut negligentiam quorundam ad solicitudinem ex»citarent, & obviarent fortius cupiditati multorum, qui va»cantes Ecclesias suis usibus applicabant, tam antiquis tempo»ribus, quàm modernis, *certum* tempus Canonicis & Capitu»lis præfixerint, ultra quod nec Ecclesiæ debeant, nec Eccle»siastica beneficia, seu Præbendæ vacare: Non approbantes »(ait) quòd tandiu vacent, sed præcaventes, ne diutis Eccle»sia quælibet solito Ministrorum obsequio defraudetur.«

Quidni ergo pariter dicatur, quòd Gallicani Proceres, qui tantopere abolitionem totalem pensionum in Synodo Tridentina urserunt, dum pensionum usum penitus abolere non potuerunt, eum saltem restringere voluerint: nec tamen usum earum omnino approbantes, sed præcaventes, ne abusus ulterius serpat.

IV. Et sanè si sigillatim prædictæ tres causæ examinentur, apparebit, nulla veri specie illas pro causis sufficientibus recipiendæ, vel exigendæ pensionis haberi posse; id est, nec solam cessionem juris litigiosi, nec Beneficiorum permutationem, vel resignationem esse causam sufficientem, ut cedens, permutans, aut resignans pensionem annuam sibi tuta conscientia reservari petat.

* Et sanè anno 1485. inter querelas Procuratoris Regii super provisionibus Beneficialibus Curiæ Romanæ, hæc erat, quòd Beneficia *pensionibus gravarentur sine consensu Beneficiatorum.* Ut vel inde appareat, similes pensiones etiam eo tempore in Belgio fuisse improbatas: latius continentur in Edicto ejusdem anni de 22. Septembris, quod extat parte prima Edictorum Flandriæ *lib.* 1. *Rubrica* 8. *cap.* 1.

VII. Aliquando quæsitum fuerat ab Alexandro III. utrum »de Ecclesiastico Beneficio *in litigium* deducto possit fieri tran»sactio.« Respondit Alexander: »quòd transigi super re *sa»cra, & litigiosa* non potest. Etenim res sacræ, ut possideantur aliquo dato vel retento, seu promisso, speciem credi»mus habere simoniæ« *Cap.* 7. ✠ *de Transact.*

Si

(r) *Nec etiam Hispanæ, uti videre est in leg.* 14. 18. 25. & 34. *tit.* 2. *lib.* 1. *Recop.*

Si ergo speciem habeat simoniæ, transigere super re sacra & litigiosa aliquo dato, vel retento; quomodo speciem simoniæ evitabit, qui juri prætenso renuntiare non vult, nisi retenta *pensione annua* aliquot centenorum florenorum? Nonne hic manifestè transigit super re sacra, & litigiosa *aliquo retento*? Nisi forsan quis sibi imaginetur, nihil retineri, dum summa annua, quæ retinetur, *pensionis* nomine velatur. At verendum est, velum illud posse quidem hominum quorundam oculos forsan obscurare; sed cùm apparuerit, ille de quo dicit Apostolus: *Omnia autem nuda & aperta sunt oculis ejus, ad quem nobis sermo*, ad Hebræos 4. *v.* 13. tunc & velum illud tolletur, & apparebunt omnia nuda & manifesta.

Quid enim interest, num quis simpliciter cum collitigante transigat data aut promissa certa pecuniæ summa, an verò transigat promissa annua pensione, eidem summæ æquivalente?

VIII. Scio quidem multis esse persuasum, hanc pensionis speciem jam probatam esse ab Innocentio III. *Cap.* NISI ESSENT, ✠ *de Præbendis*: atque ex hac Decretali has Pensiones suum sumpsisse principium; sed & illud scio, hanc Decretalem nec in speciem favere hodiernis pensionibus, quæ prætextu *pacis*, & *sedandæ litis* exiguuntur.

IX. Casus istius Decretalis erat. Vacante quodam Prioratu, duo fuerant electi, nec sciebatur cujus electio deberet prævalere. Causa duobus Judicibus delegata fuit; in quos & ipsi electi, ut causa faciliùs terminaretur, compromiserunt. Hi arbitri retenta sibi jurisdictione delegata, causa diu discussa, tandem pro bono *pacis*, & *concordiæ* ordinaverunt, quòd unus electus Prioratum haberet, alter verò 20. libras perciperet annuatim de redditibus Capituli, & 40. libras de proventibus Prioratûs: & hæc ordinatio ab omnibus probata, tandem pro confirmatione missa fuit ad Pontificem. Quid ergo de hac ordinatione dicat Pontifex videamus.

X. Imprimis scribit Pontifex: » Nisi essent viri providi & » honesti, tam qui ordinationem fecerunt, quàm illi, circa quos » facta est ordinatio, illam valde suspectam propter exempli per» niciem haberemus. «

Quæ hic timenda fuisset *exempli pernicies*; aut ita urgenda virorum providentia & honestas, si pensiones ob solum juris litigiosi cessionem licitas esse credidisset Pontifex? Nonne hic super Prioratu *vera lis* erat? Nonne unus Prioratui cedebat? Quidni ergo alteri pensio assignari poterat, si hodiernæ pensiones hujusmodi titulo innixæ licitæ sint?

XI. Adhæc scribit Pontifex, Judices delegatos, qui simul erant arbitri ex partium compromisso, fateri *se pro bono pacis, & utilitatis hoc ordinasse*, idque *post concertationem diutinam*, Considerata ergo virorum, qui hanc ordinationem fecerant, honestate & providentia; quoque faterentur, se post *concertationem diutinam*, *pro bono pacis*, & *utilitatis* hoc ordinasse; & quia hæc ordinatio *ab omnibus esset recepta*, respondit ulterius Pontifex: » quòd licitè Prior & Capitulum de proventibus suis » propter causas prædictas, non quidem ex pactione partium, » sed ex jussione judicum provisionem hujusmodi exhibeant. «

XII. Notandum imprimis, tantum dicere Pontificem, quòd Prior & Capitulum provisionem illam à Judicibus ipsis impositam exhibere queant; sed non dicit, eam à Pensionario *licitè* & tuta conscientia accipi, aut exigi posse.

Quin enim nonnunquam ex parte imponentis, & solventis pensio possit esse justa & licita; quæ tamen ex parte exigentis sit injusta, & illicita, nequaquam dubitari potest; & capite sequenti ostendetur.

XIII. Ulteriùs notandum, hanc provisionem *non ex pactione partium*, sed *ex jussione judicum* exhiberi, ut expressè scribit Pontifex.

Ad quæ verba reflectens Glossographus, ait: » *Ex pactio*» *ne partium* non liceret, nec eam tolerasset Papa, sed quia » *judicis auctoritate* factum fuit, & ad tempus sustinetur. «

XIV. Glossographi reflexionem alii passim Canonistæ amplexi sunt; eamque novissimè amplexus Prosper Fagnanus in *Commentario ad hanc Decretalem*, *num.* 5. ait: „Oportet, ut » hujusmodi compositiones (qualis occurrit in hac Decretali) » super Beneficiis, ad hoc ut valeant, & excusentur à simonia, » capiant principium ab *auctoritate* Superioris, & non à *pac*» *tione* partium, ut probat, inquit, hæc littera ibi, *non qui*» *dem ex pactione partium, sed ex jussione judicum.* Quamob» rem, pergit Fagnanus, qui prius faciunt inter se compositio» nem, & posteà adeunt judices, ut interponant auctoritatem, » non excusantur secundum bonam conscientiam, quominùs in» cidant in vitium simoniæ, ut advertunt Butrius, Imola, Ab» bas, & Decius. « Hæc Fagnanus.

Nihil ergo commune habet provisio, de qua in dicta Decretali cum modernis pensionibus. Hæ enim ex *conventione & pactione partium initium sumunt*, illa autem provisio facta erat ex *mero officio* judicum delegatorum in qualitate arbitratorum, qui bonum pacis, & utilitatis præ oculis habentes ita statuendum credebant.

XV. Adhæc, licet ordinatio illa à judicibus illis providis & honestis, pro bono pacis, & utilitatis facta, nihil mali in se habere videretur, eam tamen Pontifex approbare noluit; sed *adhibito hoc moderamine*, inquit, TOLERAMUS.

Quis verò nescit, multa pro temporum, ac rerum circumstantiis à Pontifice, aliisque Ecclesiæ Prælatis tolerari & dissimulari, quæ tamen non probantur. Unde etsi hîc pensionis aliquod vestigium esset, nihil tamen pensionarii in suam defensionem habere possent.

XVI. Verùm enim verò, tametsi Pontifex hoc suum responsum ita temperaverit, tantaque circumspectione loçutus fuerit, tamen ex *occasione hujusmodi provisionis*, ait Glosa, *assumunt quandoque aliqui causam malefaciendi.* Quinimò ut rectè nonnulli observarunt, ex hac Decretali originem sumpsêre pensiones, illæ, quæ hodie *pacis causa* colorantur; ut vel inde pateat, quam difficiles se exhibere teneantur Ecclesiæ Prælati, ut permittant, aut etiam tolerent ea, quæ de facili in exemplum, cum ingenti malorum sequela, trahi queunt.

XVII. Quamvis igitur Prælati Ecclesiæ juxta ante dicta, interdum ob bonum Ecclesiæ annuere possint pensionem alicui non merenti, ob exempli tamen perniciem rarissimè id faciendum erit; imò interdum expediret extrema quæque tentare, quàm pensionem permittere seu indulgere; præsertim eo loco, ubi pensiones, tot malorum scaturigines, nondum invaluerunt, aut non tales quales petuntur.

XVIII. Si titulum resignationis, vel permutationis attenderimus, eum non minus, quam titulum *pacis* sive *concordiæ*, insufficientem pro justificanda retentione pensionis inveniemus.

Imprimis nemo non fatetur, resignationem, vel permutationem esse titulum omninò insufficientem petendæ pensionis, si non intuitu necessitatis, aut utilitatis Ecclesiæ, prout Canones requirunt, fiat; sed intuitu alicujus lucri alteriusve commodi temporalis permutatio ineatur, vel resignatio.

Quis enim sat impudens est, ut ausit dicere, quòd resignatio, vel permutatio, quam non utilitas, aut necessitas Ecclesiæ, sed proprium interesse, vel humanus aliquis, & carnalis affectus extorquet, sit justa causa, ut contra SS. Canones, per quandam dispensationem portio proventuum à Beneficio in favorem hujusmodi resignantis, & permutantis abstrahatur? Nonne potiùs similis resignans, vel permutans eo titulo indignus redditur, ut ab Ecclesia juvetur, qui contra ipsa Ecclesiæ sæpius iterata Decreta, Ecclesiam, quam sibi in sponsam semel desponsaverat, lucri, vel propriæ commoditatis intuitu repudiare non veretur?

Si vel obiter quis reflectat, quo fine & animo hodie resignationes, & permutationes fieri soleant, non difficulter intelliget, resignantes, vel permutantes pensione & adjutorio Ecclesiæ eo titulo reddi indignos.

XIX. Qui enim sunt qui hodie in resignatione, vel permutatione *pensionem* exigere consueverunt; nisi qui vel spe lucri, aut proprii commodi, aut etiam officii Ecclesiastici persolvendi obligatione se eximendi, cupiditate impulsi, ex uno in aliud Beneficium se protrudunt? Qui enim de Ecclesia, cui semel divinâ ordinatione, & electione adscripti sunt, non nisi utilitate, aut necessitate Ecclesiæ suadente, & trahente, ad aliam transeunt, seu potiùs jussu Superiorum transferuntur, sciunt quòd Ecclesia, seu sponsa, quam necessitate cogente deserunt, non ideo gravanda sit, qui eam deserunt; & licet laudabiliter pro debito eidem deserviverint, servitium non temporali mercede seu pensione in hoc mundo, sed æterna à Domino remunerandum sperant.

XX. Præterea proventus Beneficiorum, tum ex mente Ecclesiæ, tum voluntate Fundatorum, iis annexi, integri cedunt ad usum & dispensationem Titularis, & possessoris. Cum ergo ipse resignans, aut permutans per resignationem exuat se titulo, & possessione Beneficii, nullum sanè jus ad proventus illius Beneficii ulterius prætendere potest: quandoquidem & certum sit, jus percipiendi proventus, unà cum titulo ex intentione Ecclesiæ, & Fundatorum transire ad Titularem, non secus ac *officium* ipsi Beneficio annexum, propter quod Beneficium, seu jus percipiendi fructus, datur.

XXI. Hinc jam pridem à Synodo œcumenica Calchedonensi *Can. X.* statutum legitur: » Si quis translatus est ex alia in » aliam Ecclesiam, prioris Ecclesiæ, vel Martyriorum quæ » sub ea sunt, aut Ptochodociorum, aut Xenodochiorum rebus » *in nullo* communicent. «

Qui è Beneficio permutato, aut resignato annuam pensionem aliquot centenorum florenorum recipiunt, dicentne, quòd *Ecclesiæ*, à qua translati sunt, *rebus in nullo* communicent? credat is hoc qui verbis, non rebus Canones conditos esse existimat.

Unde Christianus Lupus in hunc Canonem, asserere haud dubitavit: » Hæc nostri Canonis verba: *si quis translatus*, &c. » ostendunt, prioris relicti, aut resignati Beneficii *pensiones* tunc » necdum fuisse. "

XXII. Canoni Calchedonensi insistens anno 1222. Synodorum Oxoniensis *Can. XI.* æquæ pensionis, quàm nomine *vicariæ* expressit, quàm alterius rei reservationem reprobavit. » Ne

» le-

» lepra Giezitica, quod absit, per avaritiæ cultum latenter ir-» rumpens, Ministros Ecclesiæ collocet extra castra regni æterni; » districtiùs inhibemus, ne quis Ecclesiæ renuntians, *recipiat ab* » *eo qui sibi substituitur, vicariam.*"

XXIII. Urbanus III. in *Cap.* 5. ℵ *de Rerum permut.* scripsit, quòd » sint quidam, qui Præbendæ suæ cedunt, & juri re-» nuntiant, ut majorem Præbendam obtineant, vel ex hoc cer-» tam summam pecuniæ consequantur: quod quidem (ait) ho-» nestati est contrarium, & *simoniacam* procul dubio continet » pravitatem."

An hodierni resignantes & permutantes cum retentione pensionis non similiter cedunt Præbendæ, ut hoc summam pecuniæ consequantur, scilicet summam annuam aliquot centenorum; vel unam aliquot millium florenorum, honesto, ut vulgò creditur, pensionis currentis vel redemptæ vocabulo contextam?

XXIV. Sed dicet quis, saltem licitum est, aliquam exigere pensionem in permutatione Beneficiorum inæqualium in proventibus annuis, ut ad æqualitatem reducantur; & ne unus permutantium ex sua permutatione *nimium dispendium patiatur.* Hæc quidem ratiocinatio valere, & admitti posset, si de duorum fundorum, aut equorum permutatione tractaretur; ubi valor unius pretio suppleri potest: At illud permutationi Beneficiorum applicare, quid aliud est, quàm apertam & pudendam mercimoniam Beneficiorum inducere, eamque inani *Pensionis* vocabulo velle palliare?

Qui enim pensionem exigit, ut ea mediante inæqualitas fructuum Beneficii suppleatur, nonne pecuniam sive annuè, sive semel præstandam exigit, ut excessus proventuum Beneficii resignati compensetur? Et tamen » certum est excessum, sive » inequalitatem in re spirituali non posse suppleri, vel compen-» sari pecunia, aut aliquo dono temporali; cujus in promptu » ratio est, quia spirituale venderetur pro temporali, quæ res » ponit veram materiam simoniæ: nihil hîc faciente Prælati auc-» toritate, quæ vitium tollere nequit."

Ita Zoesius noster ad titulum Decretalium *de Rerum permutat.* quamvis in hoc Commentario secutus recentiores nonnullos Scholasticos, & Casuistas, ad eorum etiam laxiorem Canonum expositionem, & doctrinam, magis declinet.

XXV. Quid plura? Tam evidens est permutationem, & resignationem non esse sufficientes titulos petendæ pensionis, ut vel indulgentiores Theologi id agnoverint; atque contrariam praxim communem tanquam merum abusum reprobaverint.

Et quidem Theophilus Raynaudus è Societate Jesu Theologus in tractatu suo *de bonis Ecclesiæ, lib.* 1. *sect.* 2. *cap.* 1. ait: » Nullo modo justum est, ut quis idcirco tantùm deposcat » sibi pensionem, quia resignat Beneficium in favorem tertii, » *tametsi hæc est praxis, vel potius* ABUSIO QUOTIDIANA. Re-» prehendunt eam Corduba, Valerius, & Molanus. Ratio cur » non possit eo tantùm titulo imponi pensio, inde ducenda, » *quod desit titulus accipiendæ ex ea causa pensionis*..... Igitur » titulus, ob quem pensio imponitur, est Beneficii renuntiatio; » quæ si sola sit, non est causa idonea pensionis imponendæ: » quia Beneficiarius post renuntiationem, nihil juris habet ad » minimam partem fructuum Beneficii, quod dimittit: per ipsam » verò renuntiationem, nullum jus ad fructus acquirit. Tenetur » enim vel ritè ministrare, ut fructibus potiatur; vel si cedere » Beneficio vult, tenetur *gratis* cedere, nisi aliquem titulum al-» leget, quo possit portionem fructuum retinere. Quod si omit-» tat, & tamen fructuum *partem sibi securam velit, vel pro* » *pretio Beneficii id deposcit*, EST SIMONIACUS, vel de ea ne-» quitia est suspectus; etiamsi *Pontificiam* concessionem obrep-» titiè extortam ostendat; ut Corduba admonuit, adductis Pa-» normitano, Anania, Felino, Archidiacono, Imola, & Fre-» derico."

XXVI. Pluribus insufficientiam harum causarum probat Perardus Gastellus Advocatus in Parlamento Parisiensi, in sua collectione plurium quæstionum in materia Beneficiali, *Dissertatione de Pensionibus, ad calcem tomi* 2. *adjecta*, ubi unà examinat pensiones, quæ in Gallia subinde reservantur auctoritate Regia super Beneficiis ad collationem Regis spectantibus; idque prætextu *meritorum* personæ, in cujus favorem pensio reservatur; ostenditque & hanc causam non minùs quam præcedentes solere esse insufficientem, ut ipsam pensionem licitam reddat ex parte hujus Pensionarii.

Quin tamen pensiones ad sopiendas lites, aut promovendam resignationem, aut permutationem possint esse licitæ ex parte Superiorum imponentium; & bonum Ecclesiarum posse subinde postulare hujusmodi pensionum impositionem, tametsi ex parte exigentium, & percipientium sint illicitæ, & injustæ, dubitari nequit; & capite sequenti demonstrabitur: ac per consequens, & hoc titulo meritò tolerantur, & admittuntur.

CAPUT IV.

Quæ ex parte Pensionariorum sint attendenda, ut securi sint in accipiendis pensionibus.

1 *Ab exigente pensionem plura expendenda.*
2 *Imprimis quæ sit natura proventum Ecclesiasticorum.*
3 *Secundò, quod non possit de proventibus Beneficii participare tanquam illius possessor.*
4 *Tertiò, an quæ in pauperum alimoniam sunt impendenda, sibi possint applicari.*
5 *Quàm injustum sit dari Clericis divitibus, quæ pauperum usibus sunt destinata.*
6 *Pensiones dare non indigentibus magnus abusus.*
7 *Pensio, uti hodie imponitur, est species servitutis imposita Beneficio.*
8 *Per pensionem subtrahitur portio proventuum à Beneficio contra Ecclesiæ & Fundatorum ordinationem.*
9 *Unde Pensio non nisi* dispensativè *imponi potest.*
10 *Pensionarius securitatem desiderans, attendere debet, num justa causa dispensationis subsit; tametsi à Papa pensio imponatur.*
11 *Non minùs hic requiritur justa causa, quàm in dispensatione super pluralitate Beneficiorum.*
22 *Ex sententia Cardinalis Toleti dispensatio Papæ non reddit Pensionarios securos, si desit justa causa.*
13 *Consentiunt Toleto & alii Doctores.*
14 *Debent ipsi pensionarii attendere, num sit justa causa.*
15 *Potest pensio justè annui à Superiore, licèt injustè exigatur à Pensionario.*
16 *Penes Pontificem & Episcopos est auctoritas dispensandi bona Ecclesiæ in utilitatem Ecclesiarum.*
17 *Subinde utilitas Ecclesiæ requirit, ut pensio etiam non merenti concedatur.*
18 *Exemplum pensionis ad redimendam vexam justè addictæ, licèt non justè perceptæ.*
19 *Pensionum hujusmodi justitia probatur.*
20 *Pensiones similes subinde licitè solvuntur, licèt illicitè petantur.*

I. SI quis pensionem aliquam super Beneficio retinere intendit, atque in hac retentione, & perceptione, non tantùm coram hominibus, sed & coram Deo tutus, & ab omni injustitiæ & Simoniæ labe omninò exemptus haberi desiderat; plura seriò examinare, & attentè expendere debet.

II. Imprimis certum atque apud omnes indubitatum est, proventuum Ecclesiasticorum conditionem & naturam ex mente Ecclesiæ, & Fidelium offerentium esse, ut Ministri Ecclesiæ ex iis suam accipiant sustentationem; templa sarta & tecta conserventur, sacra suppellex, aliaque ad divinum cultum necessaria desumantur, & quod superest in pauperum alimoniam cedat; quemadmodum paucis verbis expresserunt Patres Concilii Aquisgranensis an. 816. *Can.* 116. „ Fideles namque fidei „ ardore & Christi amore succensi ob animarum suarum remedium, & cœlestis Patriæ desiderium, suis propriis facultatibus sanctam locupletem fecerunt Ecclesiam, ut his, & „ *milites Christi alerentur, & Ecclesiæ exornarentur, pauperes* „ *recrearentur, & captivi pro temporum opportunitate redimerentur.*"

Hæc natura proventuum Ecclesiasticorum adeò indubitata fuit jam pridem Patribus, ut dicere non veruerit anno 844. Synodus Vernensis *Can. XII.* „ Certè, quod nullus quanquam » *impudentissimus*, negare audebit, possessio Ecclesiæ votum » est fidelium, patrimonium pauperum, redemptio animarum. « Quod & latiùs probabitur, & exponetur infrà *tit.* 32.

III. Hîc expendat pensionarius vel pensionem desiderans, quo titulo de proventibus Ecclesiæ per resignationem sui Beneficii participare possit. Non titulo Ministri sive servitii, quandoquidem Beneficium dimittendo, etiam Ecclesiæ illius Minister esse desinat.

IV. Cùm proventus, si qui sustentationi Ministrorum supersunt, vel in templorum, vel supellectilis Ecclesiæ usum, aut in alimoniam pauperum sint impendendi, consequens est, ut expendat, num ea sit sua conditio, ut *patrimonium pauperum*, sive quod pauperum alimoniis ex mente Ecclesiæ, & Fidelium Offerentium destinatum est, suis usibus applicare queat?

V. Sanè si de Clericis etiam actualiter Ecclesiæ inservientibus dictum sit, quòd » nec illi, qui sua possidentes dari si-» bi aliquid volunt, sine *grandi peccato suo*, unde *pauper* vi-» turus erat accipiebat: « facilè intelligi potest, quid dici posset de iis, qui servitium Ecclesiis, quam deserunt, impendere ulterius non intendentes, ea quæ pauperibus debentur, accipiunt, si ipsi *sua possideant*, id est, aliunde vel ex patrimonio, vel ex proventibus alterius Beneficii habeant, unde honestè attentâ Clericali modestiâ, vivere queant?

At-

VI. Attendant, quàm injustum, ne dicam sacrilegum sit, patrimonium pauperum sive proventus, pauperum usibus applicandos, augendis divitum patrimoniis applicari? Et quàm merito Concilium Illud Delectorum Prælatorum, cujus suprà *cap.* 1. meminimus, dixerit: » Pensiones dare Clericis *divitibus*, qui » commodè, & honestè vivere queunt ex redditibus, quos ha» bent, *magnus certè abusus.*«

VII. Adhæc attendere debent pensionarii, quòd pensiones hodiernæ non sint nudæ & simplices eleemosynæ, quales vulgaribus pauperibus dari solent; sed ampliùs quid præseferant. Pensio quippe ex moderno stylo, est species cujusdam servitutis Beneficio vel Ecclesiæ imposita, persolvendi annuam pecuniæ quantitatem ex proventibus Beneficii Clerico actualiter Beneficio non servienti, nec illud possidenti.

VIII. Hinc per pensionem in effectu subtrahitur notabilis proventuum portio à Beneficio, cui ex Ecclesiæ ordinatione & Fundationis lege, in sustentationem Beneficiati, aliosque pios usus est annexa, & alteri quasi in modum Beneficii assignatur.

IX. Quapropter ex omnium Doctorum sententia, quam & moderna Ecclesiæ praxis confirmat, nulla pensio sine interveniente legitima superioris dispensatione Beneficio imponi potest; de qua dispensatione agetur capite sequenti.

X. Qui igitur pensione securè uti desiderat, discutere debet, num justa sit causa eam servitutem Beneficio seu Ecclesiæ imponendi, sufficiensque ut *dispensativè* certa portio à Beneficio subtrahatur, & suis usibus applicetur.

Porrò dispensationem, quantumvis etiam auctoritate Apostolicâ suffultam, neminem reddere securum in conscientia, nisi justa, & sufficiens causa dispensandi adsit, satis ostensum est suprà *tit.* 10. *cap.* 5. ubi de dispensatione super pluralitate Beneficiorum actum est.

XI. Rationes autem, quæ evincunt, dispensationem etiam Pontificiam super pluralitate Beneficiorum, non reddere quemquam in conscientia securum, si destituatur justa causa; etiam evincunt, dispensationem super impositione pensionis sine justa causa esse insufficientem.

Quamvis enim teste Doctore Angelico 2. 2. *q.* 100. *art.* 1. *ad* 7. res Ecclesiæ sint ejus (Papæ) ut principalis dispensatoris; » non tamen sunt ejus ut domini & possessoris.« Unde si eas contra mentem Ecclesiæ & fundatorum malè dispensaret, nullatenus ex hac dispensatione tutus redderetur dispensatus.

XII. Quapropter Cardinalis Toletus *lib.* 5. *de Instruct. Sacerdotum*, *cap.* 83. dicere non veretur: » Sine justa causa, in» quit, non habet in foro interiori & coram Deo locum dis» pensatio, sed tantùm in foro exteriori. Unde qui pensiones » retinent etiam cum dispensatione, si non adest causa legiti» ma, *securi* non sunt, nec excusantur quia Papa dedit, & » *ipsorum est considerare quomodo dederit.* Hoc inquam non ex» cusat. Si enim quis accipiat pecunias ab œconomo, quem » scit malè dispensare res domini, & contra justitiam, non » potest eas in conscientia tum retinere. Papa autem non est do» minus bonorum & redituum Ecclesiæ, sed tantùm universa» lis dispensator. Undè sicut cùm dispensat hominem in voto, » non facit hominem securum in conscientia, nisi causa ad» sit; ita in pensionum & Beneficiorum distributione. Causa au» tem hæc debet esse in utilitatem Ecclesiæ, cujus sunt bona. » Si enim nulla via vel pactio in Ecclesiæ hujus, vel univer» salis utilitatem tendat, non est causa legitima.«

XIII. Toleto consentit Gambarus de Auctoritate Legum *lib.* 10. *num.* 136. docens, » quòd in foro conscientiæ, pen» sio sine causa constituta pro aliquo, quia substrahitur ali» monia pauperum & Ministrorum, non prosit obtinenti, ma» ximè quia istæ indiscretæ pensiones sunt causa mille malorum.«

Et ante hos celeberrimus Jurisconsultus Guillelmus Benedicti ad *Cap.* RAYNUNTIUS, *de Testamentis*, *de fideicom. substit. part.* 2. *num.* 36. & 54. » Causa imponendi pensionem semper » injusta censetur, si non pertineat ad utilitatem Ecclesiæ, cui » pensio imponitur.... sine ergo causa legitima utilitatem Ec» clesiæ pensionariæ concernente, non valet etiam à Papa im» posita pensio.«

XIV. Quàm verò sibi ipsis imponant, & blandiantur, qui de justitia causæ parum soliciti, hac una ratiuncula omnem suis conscientiis securitatem conciliant, *Papa dispensavit*, sive Papa dispensationem annuit, *ipsi viderint*, suprà *tit.* 20. *cap.* 5. sufficienter ostensum est.

XV. Denique ne pensionarii ex facto Superiorum nimiam securitatem sibi ipsis assumant, advertant, posse nonnunquam pensiones ex parte Superiorum justè, & in utilitatem Ecclesiarum annui; &, à Beneficiatis persolvi: tametsi injustè fuerint exactæ, & injustè recipiantur.

XVI. Pontificem & Episcopos mansisse bonorum Ecclesiasticorum superintendentes, seu dispensatores in utilitatem Ecclesiæ etiam post rerum divisionem & Beneficiorum erectionem, nemini dubium est. *Ut Episcopi potestatem habeant*, (inquiebat tribus circiter à facta rerum Ecclesiæ divisione seculis Synodus Moguntina) *res Ecclesiasticas providere*, *regere*, *gubernare*, *atque dispensare secundum Canonum auctoritatem.*

XVII. Cùm igitur nonnunquam ipsa necessitas, aut utilitas Ecclesiæ (cui rerum Ecclesiæ dispensatio subservire debet) exigat, aut postulet, ut etiam Clerico diviti, nec de Ecclesia merenti pensio assignetur, indubiè Pontifex, aut Episcopus, qui unicè utilitatem & necessitatem præ oculis habere tenentur, eam justè, ad *redimendam vexam*, seu majus Ecclesiæ malum avertendum, nonnunquam concedent, licèt ipse injustè extorqueat ac recipiat.

Quid enim, si indignum quempiam Sacerdotem à sacro ministerio, ex. gr. Beneficio Curato amoveri & alium idoneum in locum illius substitui oportere; & tamen ille sine pensione Beneficium abdicare nollet? tunc indubiè salus animarum, & utilitas Ecclesiæ permittit, imò exigit, ut velut ad redimendam vexam potiùs ei pensio assignetur, quàm ut cum tanto animarum detrimento in cura permaneat: si nimirum de suo gradu aliter exturbari, aut saltem non sine majori incommodo, & molestia posset.

XVIII. Non absimile pensionum exemplum occurrit in *cap.* 31. ✠ *de Rescript.* nimirùm quas nonnullæ Ecclesiæ pendere solebant, ut se à vexationibus eorum, qui mandatis à Sede Apostolica pro impetratione Præbendæ primò vacaturæ, & sæpiùs sub-vel-obreptitiè obtentis vexabant, redimerent. » Solebant enim (ait Janus à Costa celebris Canonista) manda» tarii isti plerumque esse contenti certâ præstatione annuâ si» ve pensione, cujus constitutione, Ecclesiæ, contra quas im» petraverant litteras, redimebant se à *vexationibus* impetran» tium. Nam quamvis omnis constitutio pensionis hoc jure val» dè suspecta sit, pergit à Costa, videntur tamen hoc casu » Pontifices conniventibus occulis hoc permisisse Ecclesiis, quas » contra veterum Canonum statuta mandatis istis onerabant.«

XIX. Et certè quis hujusmodi pensiones ex parte constituentium non probaret. Si enim nemo infidelitatis, aut injustitiæ accuset tutorem, qui ex rebus pupilli aliquid concedat alicui, nihil juris ad illud habenti, ut pupillum adversus injustum vitæ, aut rerum suarum invasorem defendat, eumque à summo illo discrimine liberet; quis Prælatos illos accusare audeat injustitiæ, aut infidæ administrationis, si partem aliquam rerum Eclesiæ non merentibus tribuant, ut ab Ecclesiis arceant lupos, qui non vitæ corporali, sed spirituali insidiantur?

XX. Adhæc quis non videat, quòd eadem ratione, quâ, propter utilitatem Ecclesiæ, Prælati similes pensiones permittere coguntur, Clerici ad Beneficia illa vocati easdem persolvere possint? E contra eos, qui suis injustis vexationibus Prælatos ad pensionem constituendam cogunt, non justiùs eam recipere, quàm is, qui à tutore pupilli in casu proposito ad redimendum pupillum ab iniqua sua vexatione, pecuniam recipit.

Nullatenus proindè sequitur: Pontifex aut Episcopus pensionem justè permittit, & Beneficiatus justè persolvit, ergo Pensionarius eam justè recipit.

CAPUT V.

Cujus auctoritate hodie imponatur pensio; et quæ differentia inter pensionem impositam a Papa, et creatam ab Episcopo.

1 *Olim pensionis assignatio sine dispensatione fieri poterat.*
2 *Quæ ratio illius disciplinæ.*
3 *Quando dispensatio requiri cœperit.*
4 *Canones sectionem Beneficiorum vetuerunt.*
5 *His contrariari pensiones creditum est.*
6 *Qua de causa Canones sectionem Beneficiorum vetantes pensionibus applicati.*
7 *Hinc ulterius creditum, pensiones sine dispensatione Canonum imponi non posse.*
8 *Imò visum fuit requiri Pontificiam dispensationem.*
9 *In Gallia Episcopi pensiones imponere non possunt.*
10 *Quâ ratione Synodi Simoniacas reputent pensiones sine auctoritate Pontificis impositas.*
* *Utrum rarius & difficilius Romano Pontifici, quàm Ordinariis in annuenda pensione subripi natum sit.*
11 *Synodi declarant de simonia* suspectas *pensiones sine auctoritate Papæ impositas.*
12 *Non omnes pensiones sunt simoniacæ, quæ sine auctoritate Pontificis imponuntur.*
13 *De Jure communi etiam auctoritate Episcopi reservari possunt pensiones; & hoc praxi Belgicæ est conforme.*
14 *Ex interpretum opinione pensio à Pontifice creata est realis; imposita ab Episcopo tantùm* personalis.
15 *Fundamentum hujus distinctionis.*
16 *Licèt dubitari possit de soliditate fundamenti, opinio hæc nihilominus in praxi recepta est.*
17 *Pensio ab Episcopo creata non obligat successorem; secùs à Papa imposita.*

18 *Capitulum percipiens fructus tenetur ad pensionem à Papa impositam, & Pensionarius potest agere actione reali* hypothecariâ.

19 *An ad pensionem teneatur, cui ob incapacitatem Beneficiati fuit Beneficium collatum.*

20 *Pensio non creditur realis, saltem in Gallia, imposita Beneficiis* Curatis.

21 *Qua ratione fit* merè realis *respectu successoris.*

* *Hodie pensiones videntur reputari tanquam servitutes.*

I. JAM pridem Episcopis & Clericis pensiones alimentarias ex proventibus Ecclesiarum, & Beneficiorum assignatas fuisse vidimus capite primo.

Imò hæc pensionum assignatio primitùs videtur etiam sine ulla Canonum relaxatione, sive dispensatione fieri potuisse: neque in ullis pristinis illis pensionum exemplis, ulla dispensationis, seu relaxationis Canonum auctoritate Superioris faciendæ mentio habetur.

II. Cùm enim necdum invaluisset Beneficiorum erectio, id est, proventuum Ecclesiasticorum singulis titulis annexio; ut nimirùm singuli tituli suos particulares haberent proventus annexos, etiam nondum receptum erat, neque Canonibus decretum, Beneficiorum divisionem fieri, dum proventus alicujus Ecclesiæ Clericis extraneis verè indigentibus assignabantur; sed sola auctoritas spiritualis, & Sacerdotalis cuique titulo particulari annexa dividi vetabatur; qua indivulsa manente, nulla credebatur fieri Beneficiorum divisio: uti non obscurè indicavit S. Gregorius verbis ex *Epist.* 43. *lib.* 2. *cap.* 1. relatis, quibus monet Episcopus per Illirycum constitutos, ut Coëpiscopos, quos à propriis locis furor hostilis expulerat, reciperent: »Non quidem (ait) ut per communionem Episcopalis »Throni *dignitas dividatur*, sed ut ab Ecclesia juxta possibi»litatem sufficientiæ debeant alimenta percipere.«

III. At postquam singulis titulis sui particulares proventus annexi fuêre, ipsumque jus percipiendi hos proventus partem quodammodo ipsius Beneficii constituere creditum fuit, una quoque reputatum fuit, divisionem & sectionem Beneficii fieri, dum hoc jus percipiendi fructus Beneficio annexum, vel potius ipsum Beneficium constituens, inter plures dividebatur.

Cùm igitur divissio Beneficiorum esset Canonibus contraria, visum fuit auctoritate Superioris opus esse in pensionis assignatione; utpote qua jus percipiendi proventus Ecclesiasticos; seu potius Beneficium, inter *duos* quasi *dividitur*.

IV. Sectionem Episcopatum & Dignitatum jam pridem Canones vetaverant, quos refert Gratianus *Can.* 6. 12. 39. & 41. *caus.* 7. *quæst.* 1. at cum de Præbendis expressè non loquerentur, nonnulli harum sectionem haud vetitam credebant quemadmodum testatur Concilium Turonense sub Alexandro III. in *cap.* 8. ✠ *de Præbendis*, harum quoque divisionem interdicens. »Majoribus Ecclesiæ beneficiis in sua integritate manen»tibus indecorum nimis videtur, ut *minorum* Clericorum Præ»bendæ patiantur sectionem. Idcircò ut sicut in magnis, ita »in minimis membris suis firmatam Ecclesia habeat unitatem, »divisionem Præbendarum aut Dignitatum permutationem fie»ri prohibemus.«

Ad hoc Concilii Turonensis statutum reflectens Innocentius III. interroganti Episcopo, cùm sæpè contingat quòd ad unam Præbendam duo Clerici propter importunitatem petentium eligantur, quid sibi agendum esset, respondit: »Nos »attendentes quòd si duo unam Præbendam tenerent, illud »esset contra Concilium Turonense, quod Præbendarum pro»hibet sectionem, & si unus illorum ipsam obtineret Præben»dam, sub spectatione alius contra Lateranensis Concilii sta»tuta remaneret. Inquisitioni tuæ taliter respondemus, quòd »talis electio de rigore juris penitùs est cassanda. *Cap.* 20. ✠ *de Præbendis.*

Simile responsum ejusdem Pontificis occurrit in *cap.* 25. ✠ *eod.* datum Episcopo Trecensi. Cùm Archiepiscopus Remensis Legatus Sedis Apostolicæ duos in *eadem* Præbenda instituisset, & ambobus Capitulum Trecense stallum in choro, & locum in Capitulo, & eidem Archiepiscopus supradictæ Præbendæ fructus dividendos communiter assignâssent, donec alter integrum Præbendale stipendium (vel ut alia lectio habet, *Beneficium*) esset assecutus.

Deindè in eadem Decretali dicitur, »quòd licèt in Eccle»sia, in qua non est determinatus numerus Præbendarum, nul»la etiam vacante, in Canonicum quis possit assumi, cùm in»telligatur ad quoddam jus eligi, quod ex Electorum assensu »de novo creatur, & cum electo in Canonicum nascitur, & »desinit cum defuncto: in Ecclesia tamen, quæ determina»tum habet numerum Præbendarum, uno *individuo* jure va»cante, duo simul eligi non possunt ad illud, eò quòd hujus»odi *spirituale* jus dividi, seu communicari, nequeat in»ter eos.«

V. Hæc responsa si cum textu Concilii Turonensis conferantur, admodum verisimile est, sensum Decreti hujus Concilii esse, ne ipsum jus *spirituale* Præbendarum divideretur, id est, ne unâ Præbenda duntaxat vacante, duo in Canonicos eligantur, eisque jus Canonicale, quod *individuum* est, pro dividuo assignetur: adeoque nec Decretum propriè ad pensiones pertinere; quia per harum assignationem jus illud *spirituale* propriè non dividitur; nec duo ad unum Canonicatum assumuntur, aut Canonicatus inter ipsos dividitur: uti notavit Ludovicus Thomassinus *de Discipl. Eccles. parte* 4. *lib.* 4. *cap.* 37. *num.* 3.

VI. Quidquid sit, certum est, tandem hoc Decretum Concilii Turonensis & Canonistis passim ad pensiones extensum, tanquam si per eas divisio Beneficiorum contra Concilium Turonense contingeret.

Quin & Decretum Concilii Lateranensis sub eodem Alexandro III. in *cap.* 7. ✠ *de Censibus*, prohibens, »ne ab Abba»tibus, Episcopis, aliisque Prælatis novi census imponantur »Ecclesiis, nec veteres augeantur, nec partem redditum »suis usibus appropriare præsumant, pensionibus applicatum »fuit, quasi per has *novi census* Ecclesiis imponerentur. Cui »applicationi non parùm juvit rubrica tituli 12. lib. 3. Decre»talium: *Ut Beneficia Ecclesiastica sine diminutione confe»rantur*: in cujus nigro mentio quoque fit citati Decreti Con»cilii Lateranensis.«

Dum enim Beneficia Ecclesiastica cum onere pensionis annuæ conferuntur, censentur conferri *cum diminutione*: & cùm juxta modernam disciplinam, resignantes, & permutantes habeant præcipuas partes in collatione hujusmodi Beneficiorum (ut titulo præcedenti ostensum est) etiam quodammodo Collatores partem fructuum sibi reservant, dum hi pensionem sibi reservari petunt: ideoque nec sine fundamento Decretum Concilii Lateranensis ad ipsos extensum est.

VII. Hac itaque tum Concilii Turonensis, tum Lateranensis interpretatione receptâ, creditum quoque fuit pensiones, quæ in Beneficiorum resignatione ad usum resignantium reservantur, esse juri communi contrarias: ideoque reservari, aut imponi non posse, nisi auctoritate eorum, qui super jure dispensare possunt.

VIII. Et quidem cùm ageretur de Canonibus duorum Conciliorum Generalium, visum fuit, solâ auctoritate Romani Pontificis dispensationem hanc posse concedi, ejusque solius auctoritate Beneficiorum sectionem fieri, vel Beneficia cum diminutione conferri.

Hinc ulteriùs non paucis persuasum fuit pensiones solâ Romani Pontificis auctoritate Beneficiis imponi posse.

IX. Testatur Rebuffus in Praxi *parte* 1. *tit. de Reservation. tam generalibus, quàm particularibus, num.* 29. Episcopos non constituere pensiones; licèt id non ex auctoritate juris, sed ex non usu profluxisse credat; ait enim: »Imò ex non »usu amissa in hoc eorum potestas, quod non fuisset, si igna»ri illius non fuissent, & ea usi.«

Refert quoque Choppinus, *de Sacra Polit. lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 17. jam pridem Senatum Regium decrevisse: »nullam »beneficiariæ pensionis rationem haberi, nec pactitiæ constitu»tionis ejusdem, nisi *Romanus Antistes* consignatis ipsam ta»bulis sanxisset, ac stabiliisset.«

De eadem Regni Gallicani praxi testis est Broudæus in notis ad Louetium *litt. C. num.* 40. & novissimè Joannes Cabassutius in *Juris Canonici theoria, & praxi, lib.* 2. *cap.* 16. asserit, quòd »Curiæ Regiæ nullam admittant Beneficiariam »pensionem nisi ex Summi Pontificis auctoritate dimanârit: eas»que omnes obliterent, & pro simoniacis habeant, quas loco»rum Ordinarii constituunt, solis exceptis, quas Episcopi »Vicariis à se constitutis assignant, ut vicibus fungantur Præ»bendatorum, aut Curatorum, qui sive ob delictum, sive »ob imperitiam, sive ob ingruentem morbum, vel ob irre»gularitatem, vel dementiam suspensi sunt ab exercitio Ec»clesiastico.«

X. Huic Gallicanæ disciplinæ inhærens Synodus Remensis ann. 1583. *tit.* 23. declarat, »omnes pensiones, & pactiones »super Beneficiis, in quibus non intervenit Sedis Apostolicæ »approbatio, (s) illicitas, & simoniacas.«

Ad hoc, aliaque similia Synodorum Decreta reflectens Ludovicus Thomassinus *de Discipl. Eccles.*, *part.* 4. *lib.* 4. *cap.* 27. *num.* 12. rectè monet, quod nequaquam propriè dici queat, quòd Papa hic purget simoniam, efficiatque pensiones non esse simoniacas. »Possunt enim (ait) esse simoniacæ, licèt »eas Papa concedat, si ipsi subreptum fuerit: possuntque es»se exemptæ à simonia, si juri, & Decretalibus sint conformes;

num. 35. *ait*: »Se harán presentes estas asignaciones de los »Bibliotecarios para tenerlas en consideracion al tiempo que se »carguen las PENSIONES de las Mitras.«

(s) *Huic doctrinæ conforme est quod traditur in Act. acordat.* 18. *tit.* 6. *lib.* 1. *& Remiss.* 12. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recop. & novissimè in Regia Schedula de* 17. *Februarii ann.* 1771. *in qua*

» mes; tametsi etiam tunc, qui eas sine auctoritate Papæ ob» tinent, sint suspecti de simoniâ: eò quòd jus novum velit, eas » à Papa examinari, & probari. Ratio est, quia licet fre» quenter Papæ subripiatur contra Regulas, id tamen rarius » est, quàm si omnes Episcopi adhuc essent in possessione, & » jure creandi omnis generis pensiones. «

* Quòd ex Thomassino significari videtur pensiones *rarius esse subreptitias*, dum eas imponendi, & reservandi auctoritas esse penès *solum* Pontificem, quàm si hæc potestas libera mansisset singulis Episcopis, an verum sit, meritò ambigitur.

Imprimis enim Beneficiorum, & Beneficiatorum in Gallia, aliisque ditionibus extra Italiam sitorum, & commorantium, qualitates, & conditiones non æquè ipsi Romano Pontifici, ac Episcopis innotescere posse expeditum est: ac consequenter circa has faciliùs, ac frequentius Pontifici obrepi posse: cùm tamen hæ qualitates, & conditiones in reservatione pensionum sint attendendæ; utpotè quæ conditioni Beneficiorum, & Beneficiatorum respondere debent, ut justæ sint.

Prætereà, si potestas reservandi pensiones, & Beneficiis imponendi integra esset penès Episcopos; indubitatum est, quòd hæc auctoritas certis limitibus, & Regulis auctoritate Synodorum, aliave legitima potestate circumscribi ita posset, ut excessus, aliique abusus hodie in earum reservatione committi soliti, vitarentur: quos limites, aut Regulas Pontificis auctoritati nullâ humanâ potestate præfigi posse prætendit Curia Romana.

XI. Nunc verò ut Thomassius fusiùs probet, eos esse simoniæ suspectos, qui Beneficiarias pensiones consequuntur absque Sedis Romanæ auctoritate, laudat Decretum Concil. Toletani anni 1566. *cap.* 31. tanquam exactiùs loquens: declarat enim: » Si quis post resignationem Beneficii cujuslibet partem » aliquam ex ejusdem Beneficii fructibus quoquo modo accepe» rit absque sanctæ Sedis Apostolicæ permissione, etiam ab » sponte dantibus, eo ipso tam ipse, quàm is, qui Benefi» cium post renuntiationem consecutus fuerit, *suspecti* de si» moniaca pactione tacita, vel expressa censeantur. «

XII. Et reverà constat non omnes pensiones etiam in resignatione Beneficiorum appositas simoniacas judicasse Ecclesiam, tametsi auctoritas Sedis Apostolicæ non intervenerit; neque hanc auctoritatem necessariam esse, ut à simonia purgentur, evincit non tantùm multorum seculorum praxis, quæ passim pensiones auctoritate Episcopali constitutas admisit, sed & moderna multorum Regnorum, & Ecclesiarum disciplina, pensiones ab Episcopis probatas admittens, atque in hoc à praxi Ecclesiæ Gallicanæ dissentiens.

XIII. Imò de jure eam adhuc Episcopis integram plures non infimæ notæ Canonistæ cum Nicolao Garcia, *de Beneficiis, part.* 1. *cap.* 5. §. 2. vindicant, atque in Belgio eâ auctoritate palàm utuntur.

XIV. Notant nihilominùs plures Canonistæ, atque inter eos Garcias *loco citato*, *num.* 334. quem sequitur Andræas Vallensis in Tractatu *de Beneficiis*, *lib.* 4. *tit.* 2. magnam esse differentiam inter pensionem, quæ à Summo Pontifice, & eam, quæ ab Episcopo creatur. Illam imponi ipsi beneficio, seu proventibus Beneficii, tanquam onus *reale*; adeoque quandam sectionem Beneficii, quoad proventus inducere; hanc verò non ipsi Beneficio, sed tantùm *Beneficiato*, seu *personæ* resignantis imponi, ideoque non esse onus reale, sed *personale* duntaxat.

XV. Crediderunt hi Canonistæ, per pensionem Beneficio impositam sectionem quandam Beneficiorum à Jure communi vetitam induci, quemadmodum suprà notatum est; non autem per pensionem soli Beneficiato impositam: ideoque priorem per solum Pontificem imponi posse, non autem per Ordinarium, *qui jus commune relaxare non potest*, ait Andræas Vallensis *num.* 8.

XVI. Quamvis ex suprà dictis pateat, meritò dubitari posse, num hæc Canonistarum sententia per omnia consona sit Decretis Conciliorum sectionem Beneficiorum vetantibus, nihilominùs ubique penè, ubi auctoritas creandi pensiones Episcopis hactenùs conservata est, etiam hæc distinctio inter pensionem à Pontifice, & pensionem ab Episcopo probatam invaluit; quod & Zypæus notavit. Tit. *Ut Ecclesiastica Beneficia sine diminutione conferantur*, *Controversia* 3. dicens: » Probabilior, & » magis usitata in hisce partibus opinio est, Episcopo non super » Beneficiis, sed *Beneficiatis* tantùm pensionis impositio» nem concedi. «

XVII. Atque inde ulterius concludunt, pensionem per Episcopum creatam extingui morte Beneficiati cui imposita est, neque transire ad successorem in Beneficium. Secus verò quoad pensionem impositam à Pontifice. Hanc etiam tanquam quandam servitutem *realem* Beneficio, sive proventibus Beneficii inhærentem, transire ad quemcunque Beneficii, seu proventuum possessorem; tametsi in litteris pensionis mentio successoris facta non esset, notant Gigas, *de Pensionibus*, *quæst.* 44. & Fagnanus ad *cap.* NISI ESSENT, *de Præbendis*, *num.* 28.

XVIII. Eodem fundamento Barbosa in *Praxi exigendi pensiones*, *quæst.* 15. docet, Capitulum, dum tempore vacationis percipit fructus Beneficii pensione gravati, teneri pro rata temporis ad pensionem, tanquam fructibus inhærentem. Vide & Pyrrhum Corradum in Praxi Beneficiorum, *lib.* 7. *c.* 7. *num.* 1.

Quin hinc statuit Gigas *quæst.* 51. posse Pensionarium agere actione reali hypothecaria adversus quemcunque, etiam singularem possessorem fructuum ipsius Beneficii pensione onerati.

XIX. Refert quoque Broudæus in notis ad Louetium *litt. P. num.* 30. judicatum, quòd is, cui Beneficium pensione gravatum erat collatum ob incapacitatem resignatarii, teneatur continuare solutionem pensionis; ita tamen, ut Provisus tantùm teneatur solvere canones lapsos tempore, quo ipse Beneficium possedit. (u)

XX. Prætereà monet Broudæus, decisionem illam tantùm procedere in Beneficiis Simplicibus, non autem in Beneficiis Curatis; respectu quorum pensiones sunt magis odiosæ, potiusque *tolerantur*, quàm probantur: testaturque sæpè judicatum, successorem *per obitum* in Beneficium Curatum non teneri ad solutionem pensionis, etsi legitimè imposita fuerit, si ipse Provisus nullum huic impositioni consensum præstiterit. Quod & judicatum fuit quoad Beneficia Curata Provinciæ Normanniæ, licèt allegaretur usus contrarius hujus Provinciæ, reputatusque hic usus pro abusu. Plura vide apud Tornetium in Collectione Arrestorum *litt. P. num.* 75. & 76.

XXI. Hoc quoque rectè notat Broudæus post Gigantem, aliosque Canonistas, pensionem ita esse onus merè reale respectu successoris in Beneficium, præsertim *per obitum*, quique jus nullatenus à resignatario, qui pensioni consensit, sed à solo Collatore accipit, ut respectu ipsius nihil personalitatis habeat, sed *merè* reale sit; ideoque non teneatur, nisi præcisè quatenus ipsos proventus, quibus pensio imposita est, percipit, non autem vi alicujus consensûs personalis: unde & faciliùs, vel annullationem, vel reductionem pensionis postulare potest, quàm iis, qui consentiendo pensionem probavit; quod infrà latiùs ostendetur.

* Quæ hodie invaluerunt circa realitatem, vel personalitatem pensionis, evincunt, tandem pensiones consideratas, ut onera merè temporalia, & ad normam servitutum esse redactas; atque iisdem penè regulis tandem regi cœpisse.

Non mirum proindè, nihil de hac personalitate, & realitate reperiri, vigente puriori, & meliori Ecclesiæ disciplinâ.

Postquam verò ea de Pensionibus Ecclesiasticis, etiam apud Ecclesiasticos haberi cœpit idea, atque de his, quasi de rebus merè temporalibus judicari; mirum non est, si & cœperint Regia Tribunalia de hisce Pensionibus quasi de rebus profanis judicare, & statuere, & plurima pro earum moderatione, & legitimo usu per Principes, ac notanter in Belgio, & Gallia esse constituta, quæ sparsim sub hoc titulo annotantur.

CAPUT VI.

QUÆ BENEFICIA PENSIONE GRAVARI QUEANT; ET QUALITER.

1 *Nulla antiquitùs distinctio quoad hunc punctum inter Beneficia facta legitur.*
2 *Cur posterioribus seculis facta.*
3 *Aliquando in Gallia cautum fuit, Beneficia Curata pensionibus non gravanda; & quomodo sensim recessum.*
4 *De moderatione pensionum super Beneficiis Curatis facta à Synodo Tridentina.*
5 *Clausula impositioni pensionis super Ecclesiis Parochialibus occasione Decreti Tridentini inseri solita ex stylo Curiæ Romanæ.*
6 *Decretum Synodi Tridentinæ, uti & dicta clausula, intelliguntur de* ducatis usualibus.
7 *Ut satisfiat dictæ clausulæ, debent manere centum* ducati *ex proventibus* certis.
8 *Neque comprehenditur domus Pastoralis.*
9 *Synodus Tridentina intendit per suum Decretum conservare Rectoribus Ecclesiarum Parochialium congruam portionem.*
10 *Hoc sensu Decretum in Gallia quoque receptum.*
11 *Ut hoc servetur, non potest imponi pensio, nisi remaneant Rectori* 300. *libræ Gallicæ solutâ pensione.*
12 *Pluribus Parlamentorum Arrestis id declaratum.*
13 *Edictum Regium conforme.*
14 *Quæ ad restringendas pensiones Beneficiis Parochialibus impositas decreta sunt, meritò & in Belgio servarentur.*
15 *Litteræ Gubernatricis Belgii vetantes dari Placetum super pensione imposita Ecclesiis Parochialibus, uno casu excepto.*

Prædebetur habitâ ratione temporis, quo Beneficium possessum est.

(u) *Per* canones lapsos, *intelligitur ea Pensionis portio quæ* Van Espen *Jur. Eccles. Pars II. Tom. II.*

16 *Præbendæ Theologales, & Præceptoriales in Gallia pensione non gravantur ; & quare.*
17 *Idipsum in Hispania servatur.*
18 *Ex stylo Curiæ non solet annui pensio super Canonicatu non excedente valorem annuum* 100. *ducatorum.*
19 *Quid circa hoc judicatum in Gallia.*
20 *Privilegia indulta Ecclesiis, quod pensione gravari nequeant, sunt favorabilia.*
21 *Beneficia collationis Regiæ sine consensu Regis pensione gravari non possunt.*
22 *Beneficiis Juris Patronatus* laici, *pensio sine consensu Patronorum imponi nequit.*
23 *Idem dicendum, si sint Juris Patronatûs* mixti.
24 *Quid, si præsentatio spectet alternativè ad Laicum, & Ecclesiasticum.*
25 *Beneficium Juris Patronatûs* Ecclesiastici *potest sine consensu Patroni pensione gravari.*

I. NEque in pristinis Canonibus, neque in Decretalibus, aliisve Juris Canonici libris legitur determinatum, quæ Beneficia pensionibus onerari possint, aut non possint. Hoc enim duntaxat reperitur quod subindè Episcopis, aut Pastoribus, aliisque Clericis, sive hostium furore à sedibus suis expulsis, aut alia justa de causa Beneficiis suis servire non valentibus, vel urgenti alia de causa pensio aliqua alimentaria ex proventibus alicujus Ecclesiæ, vel Beneficii assignaretur, id tamen solicitè cavebatur, ne ea pensionis assignatione adeò ipsius Ecclesiæ, aut Beneficii proventus exhaurirentur, ut proventus sufficientes alendis necessariis ministris non superessent.

II. At cùm labentibus seculis mirum in modum pensionum impositio crevisset, atque indifferenter omnia passim Beneficia iis gravarentur, in tantum, ut in plerisque vix quidquam ipsis possessoribus Beneficiorum superesset, indeque contigeret, ut idonei vix invenirentur, qui Beneficiis deservire vellent, novis hisce malis, & abusibus, nova remedia adinvenire, & adhibere cœptum est.

III. Imprimis solicitè cautum fuit, ne Beneficia Curata pensionibus ita gravarentur, ut Possessoribus sufficiens sustentatio vix superesset ; atque hinc contingeret curam animarum negligi. Imprimis referunt Pragmatici Galli antiquis Parlamentorum Arrestis judicatum aliquando fuisse, Beneficia Curata pensionibus gravari non posse, successu tamen temporis eas saltem inter resignantem, & resignatarium toleratas fuisse : ne alias ipse resignatarius, qui pensioni consensit, & mediante promissione pensionis Beneficium accepit, perfidiæ arguatur, quod contra datam fidem vellet Beneficio, & integris fructibus gaudere. Unde pensionem promissam solvere, vel Beneficio cedere tenetur; uti non semel judicatum fuisse testatur Tornetius in collectione Arrestorum *litt. P. num.* 56. & Loüetius *litt. P. num.* 30. quamvis pensionem Beneficio Curato, tametsi auctoritate Pontificis impositam continuare non teneatur successor in Beneficio, si ipse à resignatario titulum non habeat ; uti capite præcedenti dictum est.

IV. Synodus Tridentina volens occurrere incommodis, quæ sequi contingit, dum Beneficia Curata pensionibus exhauriuntur, ut Beneficiato congrua portio non supersit, statuit *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reformat.* ut » in posterum omnes hæ Cathedrales » Ecclesiæ, quarum redditus summam ducatorum mille, & Pa» rochiales, quæ summam ducatorum centum, secundum ve» rum annuum valorem, non excedunt, nullis pensionibus, aut » reservationibus fructuum graventur. «

V. Post hoc Decretum inolevit stylus Curiæ Romanæ, ut in Signatura pensionis super Beneficiis Parochialibus apponatur clausula : *Dummodo ex fructibus dictæ Ecclesiæ centum ducati liberi pro illius Rectore pro tempore existente annuatim remaneant.*

Hanc clausulam provisionem facere conditionatam, in tantum ut ipse pensionarius, sive resignans debeat probare, quòd deductâ pensione maneant centum ducati pro Rectore, sæpiùs in Rota resolutum fuisse, testatur Pyrrhus Corradus in *Praxi Beneficiaria, lib.* 5. *cap.* 1. *num.* 30. illudque procedere, etiamsi agatur contra illum, qui consensit reservationi ; quia ejus consensus censetur cum eadem conditione præstitus. Vide quoque Chokier ad Regulam Cancellariæ *de Consensu in Resignat. & Pension. præstando, num.* 51.

(x) Die 24. Julii ann. 1669. in Consilio Privato Regis Galliarum Arrestum datum est, quo decernitur his verbis : *Sa Majestè à declarè nulle & de nul effet toutes le Pensions crèées sur les Cures & Præbendes du bas Chœur des Chapitre Cathedral & Collegial du Diocèse d' Aleth, si ceux en faveur desquels elles ont ète creès par le passè, ou le pourront ètre a l' avenir, n' ont servi lesdites Cures l' espace de vingt annèes, & si elles excèdent le tiers du revenu d' icelles, memes s' il ne reste, ledit tiers otè, aux titulaires de quoi vivre selon leur condition, & ce, suivant l' estima-*

VI. Prædicti autem *ducati* intelligendi sunt juxta consuetudinem cujusque Regionis ; sive semper clausula illa intelligitur de centum ducatis *usualibus*, & monetæ ac valoris Regionis, seu Provinciæ, in qua est assignata pensio ; sive in qua est situm Beneficium Parochiale pensione gravatum, uti non semel declaratum esse à S. Congregatione refert Pyrrhus Corradus loco citato *num.* 34. & *seq.*

VII. Dicitur in clausula, *dummodò centum ducati* LIBERI *remaneant* : quo significatur, quòd debeant esse ex fructibus *certis*, non autem *incertis*, uti notat Corradus *ibid. num.* 35. Centum ducati enim qui Rectori reservari debent, sapiunt naturam alimentorum, quæ non patiuntur dilationem, cùm nemo vivat ex vento, ait Corradus *ibidem*, qui dein subjungit: » Et sic incerta non computantur in congruam portionem, quòd » venter non debet pendere ab incerto. Nam ista *congrua* de» betur Parochis, ne aliàs intenti ad quærendum sibi victum, » deserant curam animarum ; vel aliàs ipsi ob nimiam egestatem » in illa exercenda committant, quæ non deberent comittere; » sive etiam ne ob prædictam egestatem sint ludibrio ipsis Pa» rochianis, quos debent coercere, & à quibus revereri.“ Hæc ille : at de imputatione in portionem congruam infrà latiùs.

VIII. Notat quoque ibidem *num.* 38. aliquando decissum fuisse, quòd ubi adest hæc clausula *dummodò* &c. ad augendos fructus Parochialis Ecclesiæ, non esse habendam rationem *domus* Ecclesiæ Parochialis pro Parocho, in qua ipse residet: prout in simili fuit in eadem decisione comprobatum, quòd » pro » congrua Episcopi, cui in hoc æquiparatur Rector, tam S. » Congregatio, quàm Rota censuit assignare (Concilium Tri» dentinum) mille absque computatione *Palatii* Residentiæ. «

IX. Ex dictis sat manifestum est, hanc Concilii Tridentini ordinationem de non gravandis Ecclesiis Parochialibus onere pensionis, quæ summam *ducatorum centum*, secundum verum annuum valorem non excedunt, præcipuè eo fine editam esse, ut Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, detractâ pensione, semper superesset congrua portio, sive competentia Pastoralis; quod & juri communi consonum est. Nam & jure communi inspecto, oportet, ut detractâ pensione supersint redditus sufficientes ad sustentationem Rectoris, uti post Abbatem notat Fagnanus ad *cap.* NISI ESSENT, ✠ *de Præb. num.* 26.

X. Licèt ergò teste Tornetio in sua Collectione Arrestorum *litt. P. num.* 87. hæc clausula litteris pensionis apponi solita, *Dummodò centum ducati liberi maneant*, non sit recepta in Gallia, nihilominùs solicitè ibidem cautum est, ut pensiones ita sint moderatæ, ut iis solutis, congrua portio Rectoribus supersit.

XI. Cùm autem in Gallia soleat portio congrua, sive competentia Parochorum, & Vicariorum Parochialium Ecclesiarum taxari ad *trecentas libras Gallicas*, quæ conficiunt centum patacones in Belgio ; idque detractis omnibus accidentibus (quæ sub vocabulo *casuel*, id est, *casuali* comprehendunt) & domo Pastorali ; ideò & ipsas pensiones Beneficiis Parochialibus non aliter imponi sinunt, nisi ipsi Rectori dictæ trecentæ libræ ultra *casuale* remaneant liberæ.

XII. Anno 1664. die 16. Junii judicatum in Parlamento Parisiensi, Canonicos non posse resignare Beneficia Curata retentâ pensione, nisi priùs decem annis deservierint illis Beneficiis ; quo casu nec pensio tertiam partem fructuum excedere poterit ; additâ dein & hac clausulâ : *Et même qu' elle no pourra monter jusques au tiers : a moins qu' il ne reste au Titulaire trois cens livres outre le casuel.* Id est : Quin & pensio adæquari non poterit tertiæ parti fructuum, nisi Titulari superessent trecentæ libræ ultra casualia.

Rursus anno 1666. die 23. Julii judicatum fuit in Concilio Statûs, non aliter admittendas esse pensiones super Beneficiis Curatis DiœcesisAlectensis, nisi ea conditione : *Pourvu toute fois qu' il reste aux Titulaires la somme de trois cens livres franche, & quitte de toutes charges.* Id est : Si modò Titularibus restet summa trecentarum librarum, libera & omni onere exempta. (x)

XIII. Hæc, & plura hisce conformia Parlamentorum Arresta referuntur in Actis Cleri Gallicani *tom.* 2. *part.* 2. *n.* 13. ubi & *art.* 16. refertur Edictum Ludovici XIV. Regis Galliæ, ubi generaliter declaratur, pensiones super Beneficiis Curatis non esse admittendas, nisi cum hac conditione: » *Le tout sans* » *diminution ny retranchement de la somme de trois cent livres,* » *qui tion qui en sera faite par ledit sieur Evèque ou ses successeurs dans leurs visites ou autrement ; non obstans tous traitès pour cause de procès, rèsignations, permutations, demandes & regrès faits ou à fairè.* Paucis deindè interjectis additur : *Sa Majestè a dèclarè les dites pensions nulles, au cas que ceux en faveur desquels elles auront ètè creès, è se trouvent dans le meme tems ou après pourvus de Bènèfices, ou s' ils ont pension sur iceux, de quelque qualitè qu' ils soient, qui les puissent nourrir & entretenir.*

» *qui demeurera aux Titulaires pour leur subsistance par cha-*
» *cun an, franche & quitte de toutes charges sans compren-*
» *dre le casuel, & le creux de l' Eglise, qui appartiendra aux*
» *Curez, comme les distributions manueles aux Chanoines.* « Id est: Idque sine imminutione, aut restrictione summæ trecentarum librarum, quæ annuatim Titularium sustentationi libera, & ab omni onere immunis deputabitur, non comprehensis casualibus, & adventitiis Ecclesiæ oblationibus, quæ Parochis cedent, perinde ac manuales distributiones Canonicis.

XIV. Alia plura ad restringendas pensiones super Beneficiis Curatis, tum per Parlamentorum Arresta, tum Regia Edicta in Gallia decreta sunt, uti in sequentibus videbitur: quæ licèt in Belgio vim juris non habeant, neque hactenùs cum illo rigore serventur, nihilominùs non minus in Belgio, quàm in Gallia hoc solicitè providendum, ut quantum fieri potest, proventus Rectoribus Ecclesiarum Parochialium integri serventur; nec facilè transferri permittantur, ad illos, qui nullum Parochiis officium impendunt: aut ut minùs portio congrua Titularibus relinquatur, ne alias defectu congruæ portionis cura animarum negligatur, aliaque incommoda, quæ ex defectu congruæ portionis sequi consueverunt, oriantur.

XV. Quàm odiosæ jam pridem in Belgio reputatæ fuerint pensiones Beneficiis Curatis impositæ, probant litteræ Margaritæ Parmensis Belgii Gubernatricis de 27. Augusti 1563. & 24. Septembris ejusdem anni, publicatæ in Consilio Brabantiæ, quibus » vetuit dare Placetum pro pensionibus reservatis super Be» neficiis Curatis, excepto casu, quo ob morbum, aut senium » possessoris ea reservantur: tametsi ante in Consilio Braban» tiæ 17. Junii 1545. resolutum fuisset dandum esse Placetum » super tali pensione, dum non excederet fructuum medieta» tem. « Ita Zypæus in Jure novo, tit. *Ut Beneficia sine diminutione conferantur*, *numer.* 4.

XVI. Obtinentes in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis Præbendas, vulgò *Theologales*, tenentur, præsertim in Gallia, non tantùm instructioni Canonicorum, & Clericorum, sed & prædicationi Verbi Dei vacare, uti suprà *part.* 1. *tit.* 11. *cap.* 6. ostensum fuit; ideoque & super his ægrè pensio imponi permittitur: quin & penè in omnibus Edictis Regiis super hac materia Pensionum editis, Præbendæ Theologales cum Beneficiis Curatis junguntur; quemadmodum videri potest in Actis Cleri Gallicani loco citato; & apud Broudæum in notis ad Louetium *litt. P. num.* 46. ubi notat, non semel judicatum fuisse, non permitti hujusmodi Præbendas pensionibus gravari.

Idipsum obtinere quoad Præbendas præceptoriales monet ibidem; quia & hæ juxta Regia Edicta requirunt pariter servitium *personale* instruendi pueros. Vide etiam Tornetium *litt. P. num.* 73.

XVII. Nec tantùm in Gallia hujusmodi Beneficia à pensionibus exempta conservantur; sed & in Hispania jam pridem usitatum esse testatur Didacus Covarrubias *Practicar. Quæstion. cap.* 36. *num.* 10. ibidem observans: » illud esse satis ex» peditum, quòd nulla pensionis constitutio apud Hispanos ad» mittatur in Canonicatibus, qui conferri debent ex veteri ins» tituto Magistris, & Doctoribus. Nec vidi (ait) unquam à » Summo Pontifice pensionem ex his Beneficiis constitui, ni» si causa litis dirimendæ, quæ absque ulla fraude inter elec» tos, aut institutos tractabatur. «

XVIII. Ex eadem ratione, quâ Synodus Tridentina voluit, ut Ecclesiæ Parochiales, quæ summam ducatorum centum, secundum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus, aut reservationibus fructuum graventur, jam pridem invaluit, » ut si resignetur Canonicatus, aut similis Dignitas, non » concedatur pensio, nisi redditus sint ultra centum ducato» rum, & pro quantitate, qua excedit dictam summam. « Ita Flaminius Parisius *de Resignat. Benefic. lib.* 6. *quæst.* 2. *num.* 28. addens: » Et ita mihi retulit Illustrissimus Cardi» nalis Consentinus, Prodatarius, sibi ordinatum fuisse à Sanc» tissimo Domino nostro Sixto V. «

XIX. Similiter Arresto Consilio Statûs pronuntiato per formam regulamenti 23. Septembr. 1667. declaratæ fuerunt pensiones *nullæ*, quæ impositæ erant Præbendis Diœcesis Rivensis, *qui ne vaudroient pas au moins deux cent livres de revenu pareillement quitte, suivant l' estimation du revenu desdits Benefices, qui aura estè faite par l' Evêque dans ses visites, ou sur son certificat.* Id est: Quæ non penderent ducentas libras annuè, deductis pariter oneribus juxta dictorum Beneficiorum æstimationem, quæ vel ab Episcopo in Visitatione facta fuerit, aut ejus testimonio confirmata. In Actis Cleri Gallicani loco allegato *art.* 11.

XX. Dicuntur nonnullæ Ecclesiæ eo jure, vel privilegio gaudere, quòd earum Beneficia nullis pensionibus gravari queant; atque inter cætera notatur apud Renatum Choppinum *lib.* 3. *de Sacr. Politia*, *tit.* 2. *num.* 16. in margine: » *On tien q' il ya privilege Apostolique particulier, que les* » *Benefices des Eglises d' Auxerre, Tonnerre, Tournay, &* » *de Joinville, ne sont sujetes à constitution de pension beneficiale,* » *& ne peuvent en etre chargez.* «

Cùm hæc privilegia tendant ad conservationem juris communis dictantis, ut *Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur*, ipsaque pensionum impositio, vel eo titulo odiosa sit, quòd proventus annexi titulis Beneficialibus, ut cedant Titularibus, qui ipsis Beneficiis deserviunt, abstrahantur, & cedant nullum officium, quod Beneficium exigit, præstantibus, meritò hujusmodi privilegia tanquam favorabilia reputanda, & conservanda sunt.

XXI. » Exteris porrò nostros Reges minimè cedere in sa» cra Republica tuenda, vel illud argumento est (ait Chop» pinus loco citato *num.* 15.) quòd electivis Sacerdotiis impo» ni nequeat annuæ pensitationis onus aliquod jure nostro Fran» cico, nisi Rege Patrono adstipulante. «

De eodem usu Regni Galliæ testatur Rebuffus tract. *de Pacif. Poss. num.* 137. id quoque asserunt alii Pragmatici Galli. Nec in Gallia tantùm, sed & in Hispania idem observatur. Observandum enim monet Covarruvias *Pract. Quæst. cap.* 36. » non admitti apud Hispanos constitutionem pensionis in his » Beneficiis, & Dignitatibus, quæ pertinent ad Jus Patrona» tus Regium; nisi ipsiusmet Regis consensus accesserit Sum» mi Pontificis concessioni, & pensionis constitutioni. «

XXII. Ulteriùs, sicuti nulla resignatio *in favorem*, vel permutatio Beneficii admittitur sine consensu Patroni Laici; ita nec pensionem sine ejus consensu ex causa resignationis, aut permutationis constitui posse, observat Covarrubias ibidem, & de usu Regni Galliæ testis est Tournetius in sua collectione Arrestorum *litt. P. num.* 79. & 80 ibidem quoque indicans, quibus modis Patronus laicus consensum suum dare queat. De hoc jure Regni Galliæ passim testantur omnes Pragmatici; estque notoriæ Belgii praxi conforme, in nullo permittenti juri Patronatûs laicorum derogari, aut Beneficia juri illi subjecta diminui, aut gravari sine eorum consensu.

XXIII. Et sicuti observavimus suprà *tit.* 25. *cap.* 2. Jus Patronatus *mixtum*, quoad non derogationem censeri laicum, ita quoque eodem jure circa impositionem pensionis gaudere dicendum est: ut scilicèt Beneficia Juris Patronatûs *mixti* æquè ab impositione pensionis circa consensum Patronorum sint exempta, quàm Beneficia Juris Patronatûs laici.

XXIV. Quin & judicatum esse refertur, quòd, si Beneficium spectet *alternativè* ad Patronum Ecclesiasticum, & laicum, si vacans in turno Ecclesiastici fuerit gravatum pensione, pensio illa extinguatur morte resignatarii, si vacet in turno laici: eò quòd sine ejus consensu Beneficium ad suam præsentationem spectans gravari non potuerit. Tom. 2. Journal des Audiences, *lib.* 1. *cap.* 42.

XXV. Beneficia verò Juris Patronatus Ecclesiastici, sicuti possunt etiam nonnunquam sine consensu Patroni resignari, & permutari; ita & pensione gravari; quemadmodum jam pridem judicatum esse, testis est Tournetius *loco citato*, *num.* 81. etiamsi Jus Patronatus suâ origine laicale fuisse, & à laicis in Ecclesiam translatum esse, ostenderetur.

CAPUT VII.

Quæ portio proventuum in pensionem assignari possit, et quæ in hanc portionem imputentur.

1 *Pensionum quantitas olim limitata non erat; secùs hodie; & quare.*
2 Ad tertiam *partem proventuum restricta; quæ ratio restrictionis.*
3 *Id olim in omnibus Beneficiis obtinebat.*
* *Reservatio omnium fructuum titulo pensionis non admittenda.*
4 *Hodie ex stylo Curiæ Romanæ admittitur usque ad* medietatem *in Beneficiis Simplicibus.*
5 *In Gallia pensio ultra* tertiam *partem vix admittitur.*
6 *Edictum Regium super hac restrictione.*
7 *Pensio tertiam partem excedens non est in totum nulla, sed reducitur.*
8 *Successor per* obitum *reductionem petere potest.*
9 *Resignatario, qui pensioni consensit, reductio aliquando in Gallia negata fuit; & quare.*
10 *Quomodo hodie, etiam ipso resignatario superstite, auctoritate publica reducatur.*
11 *In Belgio etiam reducitur pensio excessiva.*
12 *Pensio hodie non in portione fructuum; sed in quantitate constituitur; & quæ hujus ratio.*
13 *In tertiam partem Beneficii pensioni obnoxiam non computantur distributiones* quotidianæ.
14 *Non solet pensio super* distributionibus *constitui.*
15 *Interdum ex gratia datur in Curia Romana; sed ægrè in Gallia admittitur.*
16 *Edicto Regio pensio super* distributionibus *vetita videtur.*
17 *Pensio nequidem ad tertiam partem admittitur; si congrua portio Titulari non remaneat.*

Ex

18 *Ex stylo Curiæ pensio simpliciter imposita non comprehendit distributiones.*

19 *Neque oblationes, & incerta accidentia.*

20 *Super obventionibus, quæ requirunt certum servitium, pensio non constituitur.*

21 *Pensio etiam pro tertia tantùm parte imposita non semper est licita.*

I. EX pristinis illis pensionum exemplis, quorum *capite* 1. meminimus, illud duntaxat eruimus, pensiones limitatas fuisse ad sustentationem, seu alimentationem Pensionarii, sive id unum factum fuisse, ut subindè Episcopis, vel Pastoribus, aliisque Clericis indigentibus ex bonis Ecclesiæ, cui actualiter non deserviebant, nec adscripti erant, *miserationis* intuitu alimenta darentur; eâ tamen moderatione, ut ipsis Ecclesiæ ministris necessaria non deesent.

Verùm cùm labentibus seculis, prætextu illo alimentationis, Prælati Ecclesiæ, ut vel sibi, vel suis consanguineis, aut familiaribus faverent, excessivis pensionibus ita Beneficia, etiam Curata, gravarent, ut vix congrua fructuum portio ipsi Titulari relinqueretur; tandem visum fuit, certos figere limites, intra quos ipsa quantitas pensionis restringeretur.

II. Cùm verò æquum justumque videretur, ut primò ipsi Titulari onera Beneficii ferenti provideretur, antequam alteri de proventibus ipsius Beneficii provideretur; quin & justum esset, ut amplior portio daretur Titulari, qui etiam onera Beneficio incumbentia ferre tenetur, tandem ipsa pensionis quantitas ad *tertiam* partem proventuum annuorum ipsius Beneficii restringi cœpit: ut ita duæ partes liberæ maneant Titulari, & non nisi tertia pensionis nomine alteri assignari posset.

Unde Caccialupus, & ex ipso Hieronymus Gigas *de Pensionibus*, *quæst.* 9. postquàm notavit, quòd ad hoc ut pensio sit *tolerabilis*, & *honesta*, tantum debeat remanere Ecclesiæ, unde Prælatus, seu Rector illius commodè valeat sustentari, subjungit: »quòd hinc putet inolevisse practicam, quòd ut »plurimum statuitur pensio usque ad *tertiam* partem reddituum. Et hinc est (ait) quòd regulariter Legatis Apostolicis datur facultas reservandi pensiones super fructibus Beneficiorum »ex causa resignationis, usque ad *tertiam* partem fructuum.«

III. Et notat Flaminius Parisius *lib.* 6. *de Resignation. Benefic. quæst.* 2. *num.* 24. quòd antiquo tempore imponebatur pensio usque ad *tertiam* partem reddituum in *omnibus* Beneficiis, & apponebatur clausula: *Dummodo* TERTIAM *partem non excedat.*

* Quantumvis auctoritas imponendi pensiones ad certam proventuum annuorum quotam, notanter circa Beneficia non Curata, nominatim non reperiatur restricta, tamen in Regno Galliæ Pontificem non posse resignanti reservare *omnes fructus*, latè probat Loüetius ac Molinæum *de publicandis Resignationibus*, *num.* 292. testaturque frequenter judicatum, quòd si resignanti reservati fuerint omnes fructus, moriente resignante, Beneficium censeatur vacare *per mortem*; quia in effectu ipse resignans mortuus censeretur in possessione ipsius Beneficii: »nam, ut rectè notat Louetius, hujusmodi reser»vatio eludit in effectu titulum resignatarii, separando fruc»tus à titulo.«

Post hæc ostendit, hanc omnium fructuum reservationem publicæ utilitati, necnon Beneficiorum conditioni omninò contrariari, & propterea nec per Pontificem justificari posse.

»Magna quidem (pergit Louetius) in Beneficiis Summo»rum Pontificum potestas, sed cùm quid contra publicam Ec»clesiæ utilitatem, contra Hierarchiam Ecclesiæ, contra Or»dinis totius honorem, & generalia Concilia statuit, in iis po»testatem cessare, magni nominis Ecclesiastici dixêre.

»Quid turpius (pergit Auctor) pensionarium, nec laboran»tem, nec seminantem manducare? Beneficiarium egenum, nu»dum, & pauperem mendicare? Titulum à fructibus divino »muneri dicatis separare? Quod deterius in Beneficiis Sacra»mentorum administrationem habentibus? cùm ad turpia sæ»pissimè cogat egestas, paupertas prudentiores ridiculos red»dat. Si Ecclesiæ utilitate suadente, reservationes omnium Be»neficiorum sint vetitæ, & damnatæ, etiam in Regno Fran»ciæ summorum Pontificum potestatem, & dispensationes su»perent? Quid aliud sapit hæc *omnium fructuum* retentio, »quàm vera *reservatio*, ut unus titulum habeat, alius omnes »fructus percipiat contra decretum Apostoli, *qui Altari de»serviunt*, *de Altaris fructibus vivant.*« (y)

IV. Certum tamen est, passim Canonistas admittere, Papam posse Beneficio imponere pensionem, cujus annua atributio excedat tertiam partem reddituum ejusdem Beneficii; monet enim Flaminius *lib.* 6. *de Resignat. Beneficior. quæstio* 2. *num* 26. hodie in Beneficiis *simplicibus* de stylo dari regulariter pensionem usque ad *medietatem*: id est, ut medietas fructuum, sive potiùs quantitas pecuniæ, quæ medietatem proventuum conficit, in pensionem assignetur.

Similiter Rebuffus in Praxi Benefic. tit. *de Reservationibus*, *num.* 15. testatur, quòd *interdum reservatur* MEDIA *pars fructuum loco pensionis*: quodque (ait *num.* 16.) *& in patria juris scripti servatur.*

V. Deindè *num.* 17. subdens: »Sed in patria consuetudi»naria reformari solet, præcipuè si pensionarius non posset vi»vere, & usque ad *tertiam* partem reformari solet, quam ob»tinebit pensionarius tantùm; Beneficiarius autem alias duas.«

De hoc usu patriæ consuetudinariæ, sive Regni Galliæ, clarioribus terminis post Rebuffum testatur Auctor Analysis ad Regulam Cancellariæ *de publicandis Resignationibus*, *num.* 212. »Non toleratur hoc in Regno (Galliæ) fructus omnes, sed *nec* »*dimidiam*, vel auctore Papa reservari; sed *tertiam* duntaxat, »ut Regiis Constitutionibus, & summorum tribunalium Arres»tis cautum est, etiamsi permutationis causâ ad tenuitatem com»permutantis supplendam id fiat.«

VI. Id omninò conforme est recentioribus tum Parlamentorum Arrestis, tum Regiis Edictis, ac signanter Edicto Regio de anno 1671. quo expresse cavetur, quòd pensiones super Beneficiis Curatis, vel Præbendis per resignantes reservatæ excedere nequeant *tertiam* partem fructuum. Hoc edictum rursus renovatum fuit anno 1674. declaratumque, mentem Regis esse, ut id obtineat in omnibus Beneficiis Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum, quæ *residentiam* requirunt, quocunque nomine appellentur. (z)

VII. Verum si pensio dictam tertiam partem excedat, »non tamen ob id rescinditur permutatio, vel resignatio (ait »Auctor Analysis loco citato) sed immoderata pensio ad con»gruum modum *trientis* ad minus, vel etiam ad minorem, si »qualitas Beneficii exigat, etiam per potestatem secularem re»ducitur.« Testaturque Broudæus in notis ad Louetium *litt. P. num.* 30. esse Regulam, & principium certum, quòd *pensio, quæ legitimum modum excedat, nulla non est, sed reducibilis.*

VIII. Illud expeditum est, successorem in Beneficium posse petere reductionem pensionis, etiam à Papa impositæ ad vitam ipsius Resignantis, si modo successerit in Beneficium vacans *per obitum* resignatarii: qui consequenter nihil promisit Resignanti, nec jus habet à defuncto, sed à Collatore, uti loquuntur Pragmatici Galli, Tournetius in sua Collectione Arrestorum *litt. P. num.* 69. & Broudæus *loco citato.*

IX. At verò Resignatario, qui pensioni consenserat, atque mediante promissione, hujusmodi pensionis Beneficium obtinuit, reductionem pensionis tametsi excedentis *tertiam* partem haud annuendam judicabant; hunc que fuisse Curiarum Regiarum usum testantur, *propter fidem datam*, & ne ex proprio dolo, vel perfidia Resignatarius lucrum consequeretur. Receptumque erat hujusmodi Resignatarium de pensionis excessu conquerentem condemnare ad hanc alternativam: *solvat*, vel *cedat.* Vide latiùs Tournetium, & Broudæum *locis suprà indicatis*; ubi una inquirunt, quid sentiendum de Resignatario Resignatarii, an ille à reductione pensionis, in quam hic consentit, submoveri debeat.

X. Et hæc quidem videtur communis fuisse praxis Galliæ usque ad Edictum Regium anni 1571. quod jubet ob publicum Ecclesiæ bonum, ut cunctæ etiam quæ præcesserunt de pensionibus Beneficiariis conventiones ad tertiam fructuum portionem reducantur. Verba Edicti sunt: »*Et quant aux pen»sions qui se trouveront avoir ète ci devant creés sur les Cures,* »*& sur les Chanoinies & Prebendes des Eglises Cathedrales* »*ou Collegiales, en faveur des resignations, nous voulons &* »*ordonnons qu' elles soient reduites au tiers, sans diminution* »*des dites trois cens livres, ainsi qu' il est exprimè cy desus,* »*non obstant tout Traitez & Concordats pour cause de proces,* »*resignations, permutations, demandes en regrez, faute de* »*payement des dites Pensions & tous cautionnemens, des quel»les nous avons dechargé & dechargons les obligez.*« Id est: Et quoad pensiones, quibus gravati fuerint Pastoratus, Canonicatus, Ecclesiarum Cathedralium, aut Collegiatarum Præbendæ in favorem resignationum, volumus, & statuimus, ut redigantur ad tertiam partem absque immutatione dictarum trecentarum librarum, prout superiùs est expressum: non obstan-

(y) *Hic textus desumptus ex Epist.* 1. *ad Cor. cap.* 9. *v.* 13. *ita legitur*: Qui altari deserviunt, cum altari participant.

(z) Omitti non debet Magni Consilii Arrestum die 6. Februarii 1670. datum, cujus hic est tenor: *Ayant egard*, dit le Roi, *aux conclusions de notre Procureur General, notre Grand Conseil a ordonné, & ordonne qu' a l' avenir les Titulaires & Pourvus de Cures, ne pourront, en resignant les dites Cures reserver des pensions sur icelles, a moins qu' ils n' ayent desservi les dites Cures l' space de* 20. *années, ou que depuis qu' ils en auront eté pourvus, ils ne soient tombès en infirmitè notable; auquel cas ne pourront lesdites pensions exceder les tiers des revenus desdites Cures, à & condition qu' il restera toujours au Titulaire la somme de trois cens livres au moins.*

tantibus quibuscunque pactis, aut conventionibus ad pacificandas lites resignationibus, permutationibus, petitionibus ad regressum, solutarum pensionum defectibus, omnibusque cautionibus, à quibus exoneravimus, & exoneramus obstrictos.

Ad hanc declarationem reflectens Cabassutius *lib. 2. cap. 16. num. 2.* rationem ejus assignat: » Ut scilicet prævaleat sacra, » & communis disciplina oppositis privatorum, noxiisque pac» tionibus: nisi quis insistat id officium à Legislatore injungi *so» lis judicibus* & *publicis* Requisitoribus, seu non Resignatariis, » illo adhuc superstite, cui obstricta *est fides.* «

XI. Sanè judices Regii, quibus litteras, sive Bullas provisionum à Curia Romana emanantes *placetandi* auctoritas est, solent ad instantiam Procuratoris Regii, sive Fiscalis ipsas pensiones excessivas ad tolerandam quantitatem reducere: quod & in Belgio nonnunquam practicatur.

Unde quidam cum resignasset Præbendam Insulensem sub pensione 957. florenorum *placetum* renuit Consilium Privatum, eò quòd pensio, habito respectu ad proventus dictæ Præbendæ, quæ tantùm communiter ascendunt ad duo millia florenorum, esset excessiva: qua propter reduci voluit pensionem ad 700. florenos, quâ reductione mediante annuit Placetum 16. Septembris anno 1641.

Hinc quoque colligitur, in Belgio ægrè admitti pensionem tertiam partem fructuum excedentem.

XII. Circa hanc portionem in pensionem assignandam, notandum, hodie hanc reservari in quantitate pecuniæ, non in quota fructuum parte: uti notat Garcias *de Beneficiis parte 1. cap. 5. num. 362.* sed ratio hujus praxeos, quam post alios Canonistas allegat Garcias, scilicet, quòd alias Beneficium scinderetur, ut frivola meritò ab Auctore Analysis ad Regulam *de public. Resign. num. 214.* rejicitur: » quia non minùs secan» tur, vel minuuntur Beneficia per quantitatem, quam quo» tam, & lex esset imposita verbis, & fraus, imo contor» tio manifesta Canonum. «

Cæterùm convenientius est, ut in certa quantitate pecuniæ, quàm quota fructuum constituatur, ut tollatur occasio discordiarum, quæ ex communione fructuum inter Rectorem, & Pensionarium oriri possent, uti notat Emmanuel Gonzalez in Commentario ad *cap. 21. de Præbendis, num. 7.*

XIII. Adhæc observandum, in hanc tertiam partem fructuum non computari *distributiones quotidianas*, uti jam pridem notavit Auctor dictæ Analysis; & latiùs Broudæus ad Louetium *litt. P. num. 46.* monetque, quòd dum successor *per obitum*, petit reductionem ad *tertiam*, tunc non habeatur ratio distributionum manualium; quæ in æstimatione valoris fructuum Præbendæ non computantur, quia non sunt de Corpore Beneficii, sed percipiuntur ratione servitii *personalis*, quemadmodum communiter tradunt Canonistæ: quod qualiter sit intelligendum, dicetur in titulo *de Peculio Clericorum.*

XIV. Notat quoque Flaminius Parisius *de Resignat. Benefic. lib. 6. quæst. 2. num. 29.* quòd » regulariter pensio su» per distributionibus quotidianis non constituatur. « Rationem addit: » Quia distributiones quotidianæ non sunt fructus. «

XV. Interdum tamen ex gratia etiam super distributionibus pensio conceditur; sed tum additur hæc clausula: *distributionibus quotidianis, & non nisi præsentibus, & divinis Officiis interessentibus dari, & per eos lucrari solitis, & consuetis.*

Interim si Beneficium habeat grosses fructus, & distributiones quotidianas, has non computandas in taxatione tertiæ partis judicatum fuisse ann. 1614. ibi refert Broudæus; tametsi creatio pensionis contineret clausulam ordinariam: *super fructibus Præbendæ & Canonicatus proventibus, juribus*, &c. licèt ex consuetudine Ecclesiæ super cujus Præbendæ pensio erat creata, distributiones non datur ad manum, neque *quotidie*, sed singulis mensibus tantùm, & earum loco darentur singulis Canonicis 30. libræ.

XVI. Id conforme est Edicto Regio anni 1671. quo expressè cavetur, quòd pensiones *tertiam* partem excedere nequeant. Ait enim: *Sans diminution ni retranchement de la somme de trois cens livres, qui demeurera aux Titulaires desdites Cures & Præbendes pour leur subsistance par chacun an, franche & quitte de toutes charges, sans comprendre en ladite somme le Casuel & le Creux de l' Eglise, qui appartiendra pareillement aux Cures; ensemble les* DISTRIBUTIONS *manuelles qui apartiendront aux Chanoines.* Id est: Ferme de verbo ad verbum convenit cum Arresto, quod *cap. 6. num. 13.* superius laudatum est.

XVII. Ex hoc Edicto illud quoque manifestum est, pensionem neque ad *tertiam* partem proventuum admitti, nisi detractâ pensione maneat *congrua* portio pro Titulari.

XVIII. Pensione simpliciter fructibus Beneficii impositâ distributiones non debere computari, neque iis pensionem censeri impositam, etiam Doctores Ultramontani agnoscunt, & stylus Curiæ observat: Unde ex eodem stylo dum pensionem impositam volunt distributionibus, tunc imponitur adjectâ clausulâ, de qua suprà num. 15. *Etiamsi in solis distributionibus & non nisi præsentibus*, &c.

XIX. Quod de distributionibus dicitur, idem dicendum de oblationibus, sive *incertis* accidentibus, uti monet Broudæus ad Louetium *litt. P. num. 46.* sub finem. Quod & sæpè citato Edicto Regio conforme est; dum non vult computari *casuale*, sub quo hujusmodi oblationes, tanquam incertæ, & casuales, comprehenduntur, nec magis nomine *fructuum* ob suam incertitudinem veniunt, quam distributiones quotidianæ. Accedit, quòd cùm pensiones sint multis titulis odiosæ, ut suprà ostensum est, meritò veniant restringendæ, & per consequens nomen *fructuum* strictè interpretandum; ut ita pensionis quantitas minuatur, & proventus Beneficiis apud Titularem remaneant.

XX. Refert quoque Flaminius Parisius *de Resign. Benefic. lib. 6. quæst. 2. num. 32.* ex Gambaro, decisum fuisse per Rotam, » quòd ubicunque requiritur *certum* servitium ad con» sequendum fructus, super illis non possit constitui pensio. « Monet insuper notandum esse, quòd neque possit imponi pensio super redditibus communibus, qui dividuntur inter eos, qui intersunt *certis* temporibus, licèt de stylo interdum *communibus* de gratia.

XXI. Notandum, quòd licèt usus pensionum ex his appareat multum restrictus, nequaquam tamen hinc concludi possit, pensiones cum hac restrictione concessas esse omninò licitas, & undequaque probatas, quamvis tolerentur; atque de his dicendum, quod suprà *cap. 2.* dictum fuit.

CAPUT VIII.

De Clausulis in litteris pensionis apponi solitis.

1 *Quare conveniat has clausulas noscere.*
2 *Clausula exprimens causam assignatæ pensionis.*
* *Clausula reservationi pensionis inseri solita, probat eam non nisi indigentibus annui debere.*
3 *Clausula pensiones priùs impositas habens pro expressis.*
4 *Stylus Curiæ habet, quod de pensione antè imposita sit facienda mentio sub pœna nullitatis.*
5 *Nullitas præcavetur per dictam clausulam.*
6 *An hæc clausula semper hîc admittatur.*
7 *Pensio solvi debet libera ab omni onere, juxta clausulam apponi solitam.*
8 *Quomodò hic subindè aliqua moderatio adhibenda sit.*
9 *Clausula exprimens terminos solutionis.*
10 *Termini aliquando ad postulationem Supplicantium mutantur.*
11 *Clausula continens censuras in non solventes.*
12 *Censuræ hæ non incurruntur, nisi urgente Pensionario.*
13 *In Gallia, & Belgio hæc clausula non habet suum effectum.*
14 *Clausula reservans regressum ob non solutam pensionem.*
15 *Ut huic clausulæ locus sit, requiritur sententia.*
16 *In Gallia non admittitur hæc clausula.*
17 *Quomodo succurratur Resignanti, si contra fidem datam pensio non solvatur.*
18 *Quid in Belgio servetur.*
19 *Clausula de non annuenda, aut reducenda pensione.*
20 *Non obstante hac clausula, interdum reductio pensionis admittitur.*
21 *Clausula requirens consensum Pensionarii juxta Regulam Cancellariæ.*
22 *Huic Regulæ subindè derogatur.*
23 *Hæc derogatio in Gallia non admittitur.*
24 *Clausula reservans pensionem, licèt nullum jus cedenti competat.*
25 *An hujus clausulæ hodie aliquis usus.*
26 *Clausula exprimens tempus possessionis.*
27 *Rationes hujus clausulæ.*
28 *Stylus Curiæ Romanæ habet, ut Providendus de Beneficio juret, quod illi intendat deservire.*
29 *Simile observatur in Academia Lovaniensi.*
30 *In Gallia vix admittitur pensio causâ resignationis, nisi Resignans possederit 15. annis Beneficium.*
31 *Optandum, ut id ubique observaretur.*
32 *Qui plura habet Beneficia incompatibilia, non potest in dimissione unius pensionem reservare.*

I. CUm pleræque pensionum impositiones hodie expediri soleant in Curia Romana ex causa resignationis, vel permutationis, utile erit, præcipuas clausulas, tum in formula supplicationis, tum litteris provisionis de stylo Curiæ Romanæ adjici solitas, examinare, atque unà annotare, quem usum & vim in Belgio, aliisque vicinis Provinciis habeant.

II. Prima, eaque notabilis est clausula exprimens causam reservationis pensionis: *Ne ex tua resignatione nimium dispendium patiatur, de alicujus subventionis auxilio provideri*, &c.

Hac

Hac clausulâ sufficienter indicatur, causam finalem pensionis esse *alimentationem* Pensionarii, & consequenter, nec mentem Pontificis esse, eam assignare his qui *alimentis* non indigent, sed ea aliunde sufficienter habent, ut post Lotterium, aliosque notat Barbosa in procœmio ad Praxim exigendi pensiones, *num.* 47. Verba ejus sunt: » Finalis causa est alimento» rum suppeditatio: quocunque enim Jure Papa providet ali» cui sub reservatione pensionis, sive ex causa simplicis resig» nationis, sive ex causa cessionis jurium, aut simpliciter pen» sionem reservet, tam in supplicatione, quam in procœmio » litterarum inserit clausulam expressivam causæ hujus alimen» torum; nam in causa cessionis etiam ex concordia conci» pitur per hæc verba: *Ne ex cessione tua hujusmodi nimium* » *dispendium patiaris*; & cùm ex natura subjectæ materiæ id » referatur ad pensionem Clerici dimittentis Beneficium, vel » jus in eo, præ se fert intentionem Papæ eam reservandi in » causam alimentorum, ut benè advertit Hieron. Gabr. *con*» *sil.* 187. *num.* 11. *lib.* 2. quem refert Lotter. *dict. lib.* 1. » *quæst.* 35. *num.* 47. Finis ergo est providendi egenis de ali» mentis, & ita supponendi necessariò sunt termini habiles, vi» delicet superfluentia reddituum in Titulari, eo modo, quòd » eis simul possit de congrua sustentatione provideri. «

* Quandoquidem, non obstante clausulâ, litteris pensionum inseri solitâ, qua significatur Pontificem non intendere pensionem annuere, nisi in causam *alimentorum*, id est, ne necessariis alimentis, is, cui pensio annuitur, aliàs destitueretur, videmus passim, Clericis sua Beneficia dimittentibus, ex causa resignationis vel permutationis, vel etiam juri prætenso super Beneficio cedentibus, pensiones reservari, quantumvis de proventibus temporalibus aliunde sit ipsis provisum; neque exigi solet à resiguantibus sua Beneficia sub pensione, vel ullum indigentiæ, sive paupertatis testimonium, vel ulla probatio.

Quidquid sit, hæc nihilominus clausula litteris pensionis, ex stylo Curiæ Romanæ inseri solita, probat causam finalem imponendæ, & reservandæ pensionis, semperque arguet Pensionarios, qui nullatenus indigentes proventus Beneficii, cui non deserviunt, sibi sub titulo pensionis arrogant; necnon ipsos similes pensiones passim etiam non indigentibus annuentes, & reservantes.

III. Post clausulam exprimentem quantitatem fructuum, seu proventuum Beneficii pensione gravandi, de qua capite præcedenti, sequi solet: *Etiamsi super illis* (fructibus) *aliæ pensiones, quas, illarumque summas, habere placeat pro expressis; & quæ exprimi possint in litteris, aliis forsan assignatæ existant.*

Hæc clausula ideò adjicitur, ne si forsan aliqua pensio eidem Beneficio jam esset imposita, hæc posterior esset nulla.

IV. Inolevit jam pridem stylus Curiæ, quòd debeat fieri mentio de prima pensione, & de alio onere in reservatione secundæ pensionis, etiam ex causa resignationis: quodque pensio secundo loco reservata, sit nulla, si non fiat mentio de prima validè reservata: uti post alios citatos tradit Flaminius Parisius *de Resignat. Benefic. lib.* 6. *quæst.* 2. *num.* 41. Ratio est, quia Papa non intendit, nec velle præsumitur Ecclesiam duplici onere gravare, & quia pensiones cum magno moderamine Beneficiis imponi debent. Unde & hic stylus Curiæ tanquam æquitati conformis ubique meritò observandus. Quare & Joannes Tournetius in Collectione Arrestorum *litt. P. num.* 88. asserit pensionem impositam Beneficio, *etiam motu proprio*, non valere, si in signatura non sit facta mentio primæ pensionis impositæ.

V. Porrò ex stylo Curiæ invaluit, hanc nullitatem precaveri per hanc similemve clausulam generalem, tametsi *in specie* prima, & antiqua pensio Beneficio imposita non exprimatur; quemadmodum tradit Flaminius loco citato, & ita decisum fuisse in Rota.

VI. Verùm si hæc pensio unâ cum antiqua, *tertiam* partem fructuum excederet, haud facilè etiam cum hac clausula in Belgio, aut in Gallia admitteretur; eò quòd reverà hoc casu pensio plus quàm tertiam partem proventuum absumat: quod haud facilè in Belgio admittitur.

VII. Vulgaris etiam clausula est, ut pensio *sit libera ab omni decima, quarta, media, & quavis alia fructuum parte, nec non subsidio, etiam charitativo, & quovis alio ordinario, & extraordinario onere quomodolibet nuncupato, etiam pro fabrica Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, Cruciata sancta, & expeditione contra Turcas, ac infideles, & hæreticos, ac quoscunque Fidei Catholicæ hostes, ac pro Seminario puerorum Ecclesiastico, & quavis alia, etiam urgenti, urgentissima, & necessariò exprimenda causa, etiam ad supplicationem Imperatorum, Regum, Reginarum, Ducum, & aliorum Principum instantiam, canonicè, vel de facto, nunc, & pro tempore impositis, & quomodolibet imponendis; etiamsi in impositionibus hujusmodi caveatur expressè, quòd pensionarii quicunque pro rata pensionum suarum quantumvis exemptarum, præmissis contribuere tenentur.*

Vigore hujus clausulæ Pensionarios eximi ab oneribus ipsi Beneficio, aut ejus proventibus quacunque ex causa, & quavis auctoritate imponendis, haud obscurum est.

VIII. Si tamen tanta esset onerum impositio, ut si hæc à solo Titulari ferri deberent, proventus Beneficii nimium diminuerentur, indubiè, non obstante hâc clausulâ, pensionarius ad partem onerum ferendam meritò vocaretur; vel saltem ob hæc onera, diminutio, sive moderatio aliqua pensionis, ut minus durantibus his oneribus, peti posset: præsertim si pensio sit *realis* solvenda ab eo, qui pensioni non consensit; neque Beneficium sub conditione solvendæ pensionis accepit; ipsaque onera sint extraordinaria: uti judicatum refert Tournetius *loco citato*, *num.* 86.

IX. Deinde in litteris pensionis additur, ut solvatur mediatim in Nativitate Jesu Christi, & Nativitate Joannis Baptistæ, secundum notorium, & vulgarem stylum Curiæ, uti notat Gigas *de Pensionibus*, *quæst.* 93.

X. Sed » quia hæc decisio terminorum fit causâ commodio» ris solutionis, non prohibentur resignans, & resignatarius » plures terminos, etiam ultra duos constituere ad eorum li» bitum; prout indies practicari videmus, « ait Pyrrhus Corradus *in Praxi Benef. lib.* 5. *cap.* 7. *num.* 18. notatque prædictam clausulam in litteris solere apponi, quando termini solutionis in supplicatione non fuerunt expressi.

XI. Utque promptior, & securior sit pensionis impositæ, termino constituto, solutio, additur ex stylo Curiæ hæc clausula: *Ac volentes, & eadem auctoritate statuentes, quod ille N. vel quicunque alius successor, qui in dictis festivitatibus, vel saltem intra* 30. *dies illarum singulas immediatè sequentes pensionem prædictam per eum tunc debitam non persolverit, cùm effectu lapsis diebus eisdem sententiam excommunicationis incurrat, à qua donec tibi, vel eidem procuratori de pensione hujusmodi tunc debita integrè satisfactum, aut aliàs tecum, vel cum dicto procuratore super hoc amicabiliter concordatum fuerit, præterquam in mortis articulo constitutus, absolutionis beneficium nequeat obtinere.*

XII. Notat autem post alios citatos Garcias *de Beneficiis*, *part.* 1. *cap.* 5. *num* 581. pœnam excommunicationis non incurri, nisi Pensionario volente & declarante: » Nam ut illis » censuris locus sit, requiritur voluntas, & factum ipsius Pen» sionarii, in cujus favorem latæ sunt. Quinimò (pergit Gar» cias) ex stylo, & benigna interpretatione non incurritur ex» communicatio, donec declaratoria sit data per judicem, & » pensionarius ea utatur intimando illam adversario seu Parocho, » aut ponendo cedulones, ut etiam servatur in aliis declarato» riis, tam auditoriis Cameræ, quàm aliorum judicum. «

XIII. In Gallia hæc clausula, quoad pœnam *excommunicationis* ob non solutam suo tempore pensionem, habetur pro clausula *meri* styli; quin teste Fevretio *de Abusu*, *lib.* 2. *cap.* 5. *num.* 29. judicatur *abusiva*: ostenditque Broudæus in notis ad Louetium *litt. C. num.* 31. aliquando quidem consuetum fuisse, ut Ecclesiastici per *censuras* ad solutionem debiti etiam *civilis* urgerentur; sed eam consuetudinem jam pridem esse abrogatam. Quod & praxi Belgicæ consonum est, uti ostendetur infrà *part.* 3. *tit. de Censuris.*

XIV. Post clausulam continentem pœnam excommunicationis sequitur: » *Si verò per sex menses dictos triginta dies imme*» *diatè sequentes sententiam ipsam animo* (*quod absit*) *sustinue*» *rit indurato, ex tunc effluxis mensibus eisdem dicto Beneficio* » *perpetuò privatus existat, illudque vacare censeatur eo ipso,* » *tibique liceat ad idem Beneficium liberum habere regressum,* » *& liceat tibi etiam vigore tui prioris tituli possessionem propria* » *auctoritate apprehendere, ac si illud minimè resignasses.* «

XV. De hac clausula continente *regressum* ad Beneficium resignatum ob defectum solutionis pensionis plura habet Flaminius Parisius *de Resignat. Benef. lib.* 6. *quæst.* 3. ubi *num.* 12. advertendum dicit: quia non sufficit lapsum esse tempus, sed requiritur sententia declaratoria, quæ id declaret; asseritque hinc aliàs resolutum in Rota, » quòd clausula irritans in regres» su ob non solutionem, non inficit possessionem, nisi post » sententiam. «

XVI. Observat etiam *num.* 17. in Francia non admitti regressum ob non solutam pensionem, notatque Auctor Analysis in Regulam Cancell. *de public. resign. num.* 212. » quòd clau» sulæ illæ de resolvenda resignatione, & revertendo ad Bene» ficium resignatum ob non solutionem pensionis, *nullæ* sunt & » *abusivæ*, quia sunt species reservationis, sive recursus, per » Decreta Conciliaria generaliter, & indistinctè damnati. «

Idipsum post alios Pragmaticos Gallos asserit Fevretius *loco citato*, *num.* 28. unà monens, quòd ad executionem dictarum clausularum daretur appellatio *tanquam ab abusu.*

XVII. Ne tamen detur locus perfidiæ, si Resignatarius non solvat, condemnabitur ad solvendam promissam pensionem; vel in casum non resolutionis adjudicabitur Resignanti regressus ad Beneficium; sive condemnabitur resignatarius ad *solvendum*, vel *cedendum*: judicatumque dicit Broudæus in no-

notis ad Louetium *litt. P. num.* 30. quòd resignans possit regredi ad Beneficium etiam post 20. annos à facta resignatione; tametsi nec hæc clausula regressûs fuisset in litteris apposita: idque ob datam fidem à Resignatario de solvenda pensione, factâ Beneficii acceptatione sub ea conditione. Vide quoque Tournetium *in collectione Arrestorum*, *litt. P. num.* 88.

XVIII. Neque Belgica praxis pateretur, quemquam ob retardatam solutionem pensionis ad Beneficium resignatum *propria* auctoritate regredi, aut aliquem *ipso jure* Beneficio privari; sed coram legitimo judice ad solutionem pensionis agendum esset, qui posset Pensionarium ad promissam pensionem, vel ad cedendum Beneficio condemnare.

XIX. Solet quoque apponi clausula, quòd pensio *annullari, reduci, aut minui non possit*; quæ clausula (ait Flaminius *citatâ quæst. 2. num.* 142.) multum prodest: nam, eâ non obtenta, decrescentibus fructibus, seu redditibus, & in aliis quibusdam proventibus pensio invalida rederetur, vel saltem ad minorem nummum reduceretur.

XX. Si tamen adeò sint diminuti proventus, ut Titulari non sufficiant ad victum, solutâ pensione, reductionem peti posse, non obstante indulto, *quod reduci non possit*, sentit Rebuffus *de Pacific. Possess. num.* 141. quod indubiè faciliùs obtinebit in eo, qui constitutioni pensionis non consentit. Unde & Garcias *part. 1. de Benef. cap. 5. num.* 402. dicit, quòd, appositâ prædictâ clausulâ, reductio quidem fieri nequeat sine *speciali* commissione Papæ, sed addit: *Quæ tamen solet dari præsertim* SUCCESSORI.

XXI. Juxta Regulam Cancellariæ *de Consensu in resignationibus, & pensionibus*, » nec litteræ assignationis etiam motu » proprio cujusvis pensionis annuæ super alicujus Beneficii fruc» tibus expediri possunt, nisi de *consensu* illius, qui dictam pen» sionem persolvere tunc debebit."

Hinc ex hodierno stylo apponitur clausula, pensionem solvendam *per N. cujus ad hoc accedit assensus, & succesores suos.*

Ubi notandum, quòd solus *assensus* requiratur resignatarii, uti sat constat ex ipsa Regula, quæ exigit consensum ejus, *qui pensionem persolvere* TUNC *debebit*, nimirum tempore impositionis. Clausula quoque idipsum manifestè insinuat, & praxis consonat, quæ successorum assensum non requirit.

XXII. Juxta modernum stylum Curiæ Romanæ solet huic Regulæ derogari quoties Beneficium confertur absenti cum reservatione pensionis, præsertim quando ipse resignans est *pacificus* Beneficii possessor; quo casu Signatura pensionis expeditur cum hac clausula: *Et cum derogatione Regulæ de præstando consensu in pensionibus, attento quòd resignatio sit in favorem, & orator, qui verè, realiter & pacificè possidet, aliter resignare non intendit.*

XXIII. Quin & Papam posse motu proprio sine consensu resignatarii alicui Beneficio imponere pensionem, communis est Canonistarum sententia, uti post Flaminium Parisium *de Resignatione Benef. lib. 6. quæst. 2. num.* 131. observat Chokier ad citatam Regulam Cancellariæ. In Gallia tamen, nec impositionem hujusmodi pensionis, nec derogationem admitti testatur Fevretius *de Abusu, lib. 2. cap. 5. num.* 8. citatque ibidem antiquum Commentatorem Capituli *Raynutius*, ✠ *de Testamentis*, Guillelmum Benedicti, qui ibidem *de Fideicommissariis substitutionibus, part. 1. num.* 36. ait: » Nullum onus imponi » potest etiam per Papam super Beneficiis, & Dignitatibus Reg» ni, quocunque titulo, vel nomine onus illud nuncupetur: vel » ex quacunque causa, vel colore, & ocasione directè, vel » indirectè: etiam prætextu cujusvis consuetudinis, privilegii, » vel statuti; & si contrà fiat, totum irritum erit." Plura ibidem, & antiqua Regum Edicta, & Parlamentorum Arresta his conformis citat.

XXIV. Notat Flaminius Parisius *de Resignat. Benef. lib. 6. quæst. 2. num.* 141. quòd subinde apponatur clausula, quòd *pensio debeatur, licèt nullum jus cedenti competat*; idque ad tollendas lites.

XXV. Hanc clausulam in Gallia non admitti monet Fevretius *de Abusu, lib. 2. cap. 5. n. 11.* atque ab ejus executione appellatur tanquam *ab abusu*. Ubi enim pensio constituitur causâ cessionis, si nullum jus competat cedenti, cessante causâ, pensio debet evanescere; uti ex Rebuffo refert Fevretius; qui & ibidem ex Auctore Analysis in Regulam Cancellariæ *de Publicandis Resignat. num.* 213. addit: » Pensio per Papam, » etiam de consensu partis, ad commodum ejus, qui nullum » habet, nec prætendit jus in Beneficio, constitui non potest.... » Nec in hoc Regno toleratur, sed appellaretur tanquam *ab* » *abusu*, & abusivum declararetur, non obstante quacunque » possessione, ut sæpè judicari vidi in hoc Senatu (Parisiensi) & » in Senatu Rothomagensi anno sesquimillessimo vigesimo primo.

XXVI. » Quamvis de jure in resignatione Beneficii, vel im» petratione pensionis, non requiratur expressio temporis, per » quod resignans possederit Beneficium, servat tamen quando» que Dataria Apostolica, ut quoties resignatur Beneficium, quod » personalem residentiam requirit, & super illius fructibus re» servatur aliqua pensio, non admittatur resignatio, nisi in sup» plicatione exprimatur, per quod tempus orator illud possi» deat, quod si breve est, rejicitur supplicatio, vel in calce ip» sius respondetur, *Resignet absque pensione*; sicut etiam vi» dimus idem practicari in permutationibus similium Beneficio» rum, cum aliis nullam residentiam requirentibus."

Hæc Pyrrhus Corradus *in Praxi Benef. lib. 5. cap. 1. num.* 12. testaturque ex moderno stylo requiri in resignatione, præsertim cum pensione Beneficii Parochialis, aut alterius residentiam requirentis, ad minus *trium* annorum possessionem; quamvis ante requirerentur septem, vel sex anni, uti notat Garcias *de Beneficiis part. 11. cap. 3. num* 48.

XXVII. Duplici ratione nititur hic stylus, uti advertit Pyrrhus *loco citato*, *num.* 19. » Quarum altera est, ad coercendas » frequentes hujusmodi Parochialium Ecclesiarum resignationes; » quandoquidem neminem latet, ex continua mutatione Recto» rum, præsertim Parochialium Ecclesiarum, Ecclesias non mo» dicum pati detrimentum."

Altera ratio est (ait *num.* 20.) ad reppellendas illicitas negotiationes, quæ possent committi à resignantibus: qui propterea tales Ecclesias quandoque assequuntur, ut postea aliis illas resignent.

XXVIII. Additque stylum Curiæ habere, ut in quocunque Beneficio, sive Curato, sive Simplici, cujus collatio spectat ad Papam, & orator sit præsens: si velit litteras expediri in forma *gratiosa*, & consequenter examinari ab examinatoribus Urbis, ab illis sive Notario recipiatur juramentum, quòd ipse orator tale Beneficium non assequitur animo illud resignandi.

XXIX. Simile quid observatur in Facultate Artium in hac Academia. Nominandi enim vigore privilegiorum jurant: » Quòd » infra annum unum ab obtenta pacifica possessione *personaliter* » in ea residebo, nec eam (curam Pastoralem) resignabo, ni» si *integro* anno in ea resederim, aut aliam curam Pastoralem » sine fraude, & dolo obtinuero."

Sanè quàm frequentes sint Beneficiorum, præsertim Canonicatuum impetrationes, maximè quæ fiunt à simplicibus Clericis, non alium in finem, quàm ut ex illorum resignatione pensio aliquot millium florenorum distilletur, nimis notorium est.

XXX. Ad præveniendas hasce fraudulentas, & sordidas Beneficiorum impetrationes & resignationes, Edicto Regio anno 1671. in Gallia cautum est, quod nullus resignare queat Beneficium Curatum, aut Præbendam in Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia, nisi 15. annis actualiter deservierit; nisi ex causa infirmitatis ab Ordinario cognita & probata, ob quam ulteriùs non possit Beneficio deservire. Verba Edicti sunt: *Voulons & Nous plait que cy apres les Titulaires dans les Eglises Cathedrales ou Collegiales, ne pourront les resigner avec rèserve de Pensions, qu' apres les avoir actuellement diservies pendant le tems & space de quince années entieres, si ce n' est pour cause de maladie, & d' infirmité connue, & approuvée de l' Ordinaire, qui les mette hors d' état le reste de leurs jours de pouvoir continuer de faire les fonctions, & de servir leurs Benefices.* Id est: Volumus, & sic Nobis placet: ut in posterum Titularibus in Ecclesiis Cathedralibus, aut Collegiatis resignare Beneficia non liceat, reservatâ sibi pensione, nisi actualiter quindecim annorum expleto tempore inservierint, nisi ratione morbi, aut infirmitatis notæ, & ut talis ab Ordinario agnitæ, quæ ad vitæ residuum inhabiles illos reddat, ut functiones suas continuent, aut Beneficia sua deserviant.

XXXI. Quamvis hæ ordinationes non ubique vim legis obtineant, nihilominus in quantum tendunt ad impediendas fraudulentas, & injustas resignationes, & pensionum impetrationes, meritò attenduntur ab iis, penes quos auctoritas admittendi pensiones, aut earum rescripta probandi, residet; ut quantum in ipsis est, similes fraudulentis pensionum distillationibus limites figant, & remedium adhibeant.

XXXII. Hodiè quoque admodùm frequens, ut quis plura Beneficia, etiam *incompatibilia* impetret; quæ dum simul retinere nequit quoad titulum, retinet quoad partem saltem proventuum, nimirùm retinendo unum, & resignando alterum sub pensione.

Cui abusui occurrit Parlamentum Parisiense per Arrestum 10. Februarii anno 1667. injungendo iis, qui possident plures Canonicatus, ut unum optent, nec alios possint pensione gravare. Cujus Arresti memini supra *tit. 20. cap. 4. num.* 16.

CAPUT IX.

De Extinctione, Translatione, et Redemptione Pensionis.

1 *Pensio extingitur morte Pensionarii.*
2 *Secundò, per matrimonium Pensionarii.*
3 *Tertio, per professionem Religiosam.*
4 *Modis prædictis non extinguitur, si data sit eum facultate transferendi; & quid sit translatio.*

5 *Hæ facultas tribus modis conceditur.*
6 *Pensionis translatio* odiosissima : *& quare.*
7 *Aliquando facilè dabatur facultas transferendi.*
8 *Hodiè clausula* cum facultate transferendi *denegatur in Italia, & difficulter conceditur extra Italiam.*
9 *Translationes ignotæ in Belgio, nec admittuntur in Gallia.*
10 *In Gallia non potest permutanti servari pensio super alio Beneficio, quàm permutato.*
11 *Secùs de stylo Curiæ Romanæ.*
12 *Quid pensio de* consensu.
13 *Hæc pensio in Belgio, & Gallia cognita.*
14 *Pensio extinguitur per liberam Pensionarii remissionem.*
15 *Potest fieri sine auctoritate Superioris.*
16 *Frequens hodie pensionis redemptio, & extinctio per* anticipatas *canonum solutiones.*
17 *Sæpè fit auctoritate Pontificis; & quæ sit supplicationis forma.*
18 *Numerus anticipatorum canonum non est determinatus.*
19 *Cavetur solicitè, ne* pretium *exprimatur, ad vitandam simoniam.*
20 *Anticipatæ hæ solutiones solent pretio pensionis annuæ adæquari.*
21 *Etiam hoc modo accipientes summam pecuniæ sæpè sunt simoniaci.*
22 *Ex profano modo conveniendi super his anticipatis solutionibus evincitur subesse simonia.*
23 *Conventio de redimenda Pensione est simoniaca.*
24 *Pro extinctione pensionis sola Signatura sufficit.*
25 *Quæ hujus styli Curiæ Romanæ ratio.*
26 *Redemptio pensionis magis de simonia suspecta, quàm pensio.*
27 *Nullum redemptionis apud Veteres vestigium.*

I. TAmetsi pensio non sit propriè Beneficium, tamen pensiones illas hodiernas, quæ ex causa permutationis, resignationis, vel cessionis reservari solent, esse loco Beneficii, & quasi in locum Beneficii resignati, sive cessi succedere, communiter notant Canonistæ.

Atque imprimis pensio id habet cum Beneficio commune, quòd non nisi *ad vitam Pensionarii*, adinstar Beneficii, dari soleat. Unde, & morte naturali eam extingui nemo dubitat.

II. Ulteriùs hujusmodi pensio juxta hodiernam stylum requirit in pensionario, non secùs atque in Beneficiato, Clericatum; nec pensio alteri quàm Clerico dari potest, ex Constitutione Sixti V. quæ incipit: *Cùm Sacrosanctam*, 92. *in Bull. Rom.* statuente, ut in futurum non nisi *actu Clericis* in habitu Clerici, & Tonsura incedentibus pensiones reserventur.

Hinc ulteriùs concludunt Canonistæ, praxi comprobante, pensionem extingui per contractum Matrimonii, quemadmodum amittitur Beneficium, idque ex usu Curiæ Romanæ servari tradit Gigas *de Pensionibus*, *quæstion.* 34.

III. Similiter sicuti Beneficia vacant per professionem in Religione, ita quoque pensio vice Beneficii resignati reservata extinguitur per professionem, ex recepta Doctorum sententia, & notoria praxi.

IV. Hæc autem procedunt, nisi pensio sit data, sive reservata cum potestate *transferendi.*

Translatio autem pensionis communiter definitur. Mutatio obligationis (passivè nimirum) pensionem solvendi de una persona ad aliam auctoritate Papæ facta. Ita Flaminius Parisius *de Resignat. Benefic. lib.* 6. *quæst.* 4. *num.* 4.

V. Translatio autem hæc, sive potiùs transferendi potestas dari solet tribus modis, ut monet Flaminius Parisius ibidem.

Primò, obtentâ clausulâ, transferendi in ipsa pensionis reservatione, cùm Pontifex pensionem reservat, & simul facultatem concedit, eam transferendi in aliam personam.

Secundò, quoties fuit imposita pensio absque illa clausula, sed ipsæ partes postea supplicant, ut pensio, quam Cajus Titio solvit, extinguatur, & Sejo reservetur.

Tertiò, in vim privilegiorum certis personis concessorum, quale privilegium nonnullis Ordinibus concessum fuisse dicit Flaminius ibidem.

VI. Hanc pensionis translationem esse *odiosissimam* fatentur omnes, teste Pyrrho Corrado *loco citato*, *num* 2. cùm nec sit jure, nec de ipsius pensionis natura, quinimò contra naturam; quandoquidem pensio reservetur ad tempus, & sic extinguitur morte Pensionarii. Translatio verò, cùm sit obligatio eamdem solvendi de una ad aliam personam, operatur *perpetuitatem* pensionis post mortem Pensionarii; atque ita servitutem Beneficiis impositam quodammodo perpetuam efficit: præsertim, quia qui habent potestatem transferendi, possunt eam transferre non modò in unam personam, sed etiam in plures.

VII. De hac translatione pensionis agens Hieronymus Gigas *quæst.* 12. postquam dixit, pensionem de una ad aliam personam transferri non posse, nisi Papa Pensionario jus transferendi illam concessisset, subjungit: » Nam solent Pontifices » sæpè numero concedere hujusmodi facultatem; quod passim » Leo X. piæ memoriæ faciebat, utens multùm Potificiâ auctoritate, & absoluta potestate in similibus. Clemnes autem VIII. » difficiliùs id concedebat, & erat benè factum propter oneris » continuationem, quæ est evitanda: ideò Sanctissimus D. N. » Paulus IV. (ut audio) admodum se difficilem reddi in con» cedendo talem facultatem, etiam cum consensu. «

VIII. Addit Flaminius Parisius *num.* 24. » Tempore feli» cis recordationis Gregorii XIII. & S. D. N. Sixti V. vidi » observari, ut nemini concedatur hujusmodi facultas transfe» rendi pensionem nisi Cardinalibus, aut aliis pensionis de Se» de Apostolica bene meritis; neque solet concedi, ut *totam* » possit transferre, sed tertiam, vel medietatem.«

Dein nonnullis interpositis, monet, quòd hodie summi Pontifices non concedant in Italia, & se reddant difficiles in concedenda pensione cum *facultate transferendi*, etiam extra Italiam; » & id solet peti (ait) ut possint remunerare familiares » in articulo mortis.«

IX. Translationes pensionis hîc in Belgio fieri non videmus, neque eas hîc usitatas credo: notandumque monet Rebuffus in Praxi *parte* 1. *titulo de Resignationibus*, *numer.* 20. » in hoc Regno Franciæ pensionem extingui per mortem Pen» sionarii, & de consuetudine non transfertur in aliam perso» nam, etiam à Papa, quamvis in patria obedientiæ à Papa » transferri possit sicut aliud Beneficium.«

De eadem consuetudine Regni Galliæ passim testantur Pragmatici, uti videre est apud Broudæum ad Louetium *litt. P. n.* 31.

X. Notat insuper Rebuffus *de Pacificis possess. num.* 127. » quòd non valeret reservatio pensionis, si quis permutaret Be» neficium mecum, & assignaret mihi pensionem super *alio* Be» neficio, quàm permutato; & hoc (ait) servatur in forensi » judicio in hoc Franciæ Regno, licèt de jure secùs. «

XI. Rectè monet Rebuffus, illud specialiter servari in Regno Galliæ (cui praxis Belgii conformis esse videtur) nam de stylo Curiæ Romanæ, si Beneficium, quod resignatur, incapax sit pensionis, vel non totam capiat, reservari non consuevit pensio ipsa, etiam super fructibus alterius Beneficii, quod obtinet Resignatarius; vel saltem una pars super Beneficio resignato, & altera super alio Beneficio; & aliquando super Beneficio tertii. Ita Pyrrhus Corradus *in praxi beneficiaria*, *lib.* 5. *cap.* 2. *num.* 14. ubi pluribus de hujusmodi pensionis reservatione, ejusque praxi agit.

XII. Tractat quoque ibidem *cap.* 3. de pensionis reservatione, quæ dicitur *de consensu*, seu ex causa *lucrativa*; quæ ita vocatur, dum pensio de consensu Titularis reservatur Apostolica auctoritate, consanguineo, affini, vel amico, &c. super fructibus Beneficii.

Formulam supplicationis pro reservatione hujusmodi, pensionis ibidem integram exhibet, ejusdem clausulas præcipuas exponens; dicitque *num.* 4. » Illud in hac praxi non osci» tanter advertendum, quòd hujusmodi pensionum reservatio» nes semper ferè in Dataria Apostolica fuerint habitæ pro *frau» dulentis*; unde non semel in ea vidimus (ait) supplicatio» nes ad id porrectas rejici, sive ad favorem consanguineo» rum Titularis, sive aliorum quorumcunque. « Rationes, ob quas meritò ut suspectæ habeantur hæ reservationes, ibidem subjungit.

XIII. Belgium hujusmodi reservationes pensionum non novit; nec eas in Gallia admitti ex hactenus dictis sat manifestum est, quandoquidem ibi pro regula, & quasi lege invaluerit, quòd pensio constitui non possit, etiam per Papam, & de consensu Titularis, ad commodum ejus, qui nullum habet, vel prætendi jus in Beneficio.

XIV. Quandoquidem pensio sit duntaxat onus aliquod, adinstar cujusdam servitutis Beneficio impositæ, ratione cujus ipse Titularis tenetur pensionem annuam Pensionario persolvere, ex omnium Canonistarum sententia, & notoria praxi extingitur pensio per liberam, & absolutam ipsius Pensionarii remissionem, sive renuntiationem.

XV. Potest hæc remissio fieri sine auctoritate Papæ, aut cujusvis alterius; tametsi pensio per Papam esset reservata; uti monet Pyrrhus Corradus *loco citato*, *cap.* 4. & latè Gigas *de Pensionibus*, *quæst.* 45. idque licèt expressè reservata esset pro alimentis ad commodiorem sustentationem; quemadmodum hodiernæ Pensiones de stylo Curiæ reservari solent, Garcias *de Beneficiis*, *part.* 1. *cap.* 5. *num.* 4.

XVI. Hodie frequentissima, & ordinaria pensionis redemptio est, quæ fit *anticipatis* aliquot annuis solutionibus ipsius pensionis, uti monet Joannes Tournetius *in collectione arrestorum*, *litt. P. num.* 93.

XVII. Et hæc pensionis extinctio, seu remissio fieri consuevit coram Pontifice, ejusque auctoritate, uti notat post Garciam Pyrrhus Corradus *in Praxi Benefic. lib.* 5. *cap.* 4. qui & ibidem exhibet formulam supplicationis, & Signaturæ super extinctione, sive cessatione pensionis.

In supplicatione primò exponit supplicans seu Orator, quòd si-

sibi certa pensio auctoritate Apostolicâ super fructibus Beneficii N. reservata fuerit, ac tum subjungit: »Ex certis causis »animum suum moventibus, cessationi, extinctioni, & an»nullationi dictæ pensionis annuæ, illiusque reservationi hujus»modi in S. V. manibus sponte, & liberè nonnullis tamen »anticipatis, seu anticipandis solutionibus, & non aliàs, nec »alio modo consentire proponat, & ex nunc etiam consentiat.« Supplicat igitur, &c.

XVII. Dicitur indeterminatè, *anticipatis, seu anticipandis nonnullorum dictæ pensionis terminorum solutionibus*: nam uti advertit Tournetius *in collectione arrestorum, num.* 93. hæc anticipatio diversimodè non determinatur: nam nunc quatuor, nunc quinque, vel sex, interdùm etiam septem terminorum anticipationes fiunt. In his enim certa regula non est. Verba Tournetii sunt: *Pour à laquelle extinction en rachat parvenir, on baille ordinairement par forme d' avance, ou anticipacion, quelques années de la pension diversement limitées, tantot* 4. 5. 6. *ou au plus* 7. *années. Mais en cela il n' y a regle certaine, ny assurée, comme dependant de l' âgè, qualité, disposition, & volonté, tant de celui qui recoit, que de l' autre payant de la pension.* Id est: Ad quam redemptionem extinguendam, ante tempus & admodum anticipationis solent persolvi aliquot anni pensionis diversimodè limitati, modò 4. 5. 6. aut ad ut summum 7. anni. Verùm in similibus nulla certa, aut fixa regula est, utpote pendens ab ætate, qualitate, dispositione & voluntate, tam ejus qui recipit, quàm qui persolvit pensionem.

XIX. Deinde adjungit: »*Toutefois dedans la Signature »qui s' en delivre, & procure expediée pour cet effet, il n' est »parlé de la convention de prix; car cela impliqueroit simo»nie.*« Id est: Tamen in chirographo, quod traditur, aut procuratione in eum finem constituta, nulla conventionis de pretio fit mentio; hoc enim simoniam involveret.

XX. Verùm anticipatæ solutiones Terminorum ita constitui solent, ut justum *pretium*, seu *capitale* annuæ pensionis solvatur, ad eum penè modum, quo similis quantitatis annui redditûs vitalitii redemptio fieret, ut notat Tournetius: atque hoc pacto fit, ut ipse Pensionarius, mediante hâc redemptione, æquè ex Beneficio resignato notabilem pecuniæ summam consequatur, quàm si de una summa determinata conventum fuisset.

XXI. Hinc qui, mediante hanc redemptione, pro resignato Beneficio aliquot centenos, aut etiam millia florenorum accipit, sæpè quidem in oculis hominum subtiliùs, & honestiùs mercari videtur, quàm qui cum Resignatario de una, & certa pecuniæ summa convenit: at verendum est, ne in oculis ejus, cui omnia nuda, & aperta sunt, non minus sæpè culpabilis, & simoniacus habeatur. Quin & vulgus, qui sepositâ hac inter determinatam summam pecuniæ, & anticipatas terminorum annuæ pensionis solutiones, distinctione, simplici, & vulgari modo de his judicat, solet hujusmodi Pensionarios, & Resignantes æquè pro Beneficiorum venditoribus habere, quàm si determinatam summam pecuniæ pro Beneficio accepissent.

XXII. Adhæc, si attendamus profanum modum, quo hæ *anticipatæ* terminorum solutiones determinantur, non secùs atque reddituum temporalium redemptiones, & quomodo sæpissimè, si non expressè, saltem *tacitè* super pensionis redemptione conveniatur; eumque in finem solicitè quærantur resignatarii, qui sciuntur sufficientes, ut pensionem multis anticipatis solutionibus redimant, fateri cogemur, rarò has pensionum redemptiones à simonia esse immunes; tametsi nullius determinati, & conventi *pretii* in Supplica, aut Signatura mentio fiat.

XXIII. Fateturque ipse Gigas *de Pensionibus, quæst.* 87. quòd »Renuntiantes Beneficia eâ intentione, ut sibi reserve»tur pensio demum extinguenda pro certis anticipatis solu»tionibus, & ita paciscentes proculdubio *simoniam* commit»tant, cùm dent temporale pro spirituali.«

XXIV. In Signatura super extinctione, aut cesatione pensionis apponi solet hæc clausula: *quòd sola præsentis supplicationis Signatura sufficiat, & ubique fidem faciat in judicio & extra, regula contrariâ non obstante.*

XXV. Ratio hujus styli communiter refunditur in favorem extinctionis pensionum. Indubiè favorabile est, Beneficia odiosis illis hodiernis pensionibus non gravari; sed eas extingui, seu redimi per similes *anticipatas* solutiones, quæ re ipsâ pretium quoddam Beneficii conficiunt, quod ipsa pensione odiosius est.

XXVI. Et si has pensionum redemptiones, quæ sub specioso titulo *anticipatarum* solutionum fieri consueverunt, sepositis præjudiciis, quæ ex communi praxi ingeruntur, expendamus, reperiemus eas vix, aut ne vix quidem à formali venditione & emptione Beneficiorum distingui, & consequenter auctoritate Superiorum à simonia difficulter purgandas.

Quid enim interest, uti suprà monuimus, num certa summa pecuniæ detur per modum *pretii*, an verò eadem detur sub nomine *anticipatarum* solutionum; nisi simoniam non in re, sed in verbis sitam esse dicamus.

Unde & has pensionis redemptiones magis odiosas, magisque de simonia suspectas esse, quàm ipsasmet pensiones, dubitari nequit.

Quòd enim alicui pauperi Parocho de Ecclesia benè merito, & ampliùs laborare non volenti aliqua pensio *alimentaria* assignetur, nullatenus sanè improbari potest, neque speciem mali ingerit; sed quòd resignanti Beneficium aliquot millium florenorum summa numeretur, indubiè venditionem, & emptionem Beneficii sapit; quocunque tandem prætextu coloretur.

XXVII. Quare etsi in Canonibus, & Patribus aliqua pensionum exempla reperiamus, nullum tamen hujusmodi redemptionis vestigium, ne quidem in libris nostri Juris Canonici occurrit; ita ut admodum verisimile sit, hanc redimendi praxim labentis disciplinæ fœtum esse, qui nonnisi ad palliandam venditionem, & emptionem Beneficiorum servire consuevit; idque non sine summo Fidelium scandalo, qui hujusmodi redemptiones, non nisi veras Beneficiorum nundinationes reputant.

TITULUS XXIX.

De Unionibus Beneficiorum.

CAPUT I.

De varia Specie Unionis, et quorum auctoritate facienda.

1 *Quid Unio Beneficiorum.*
2 *Variæ species unionum, & quare harum conveniens notitia.*
3 *Unio alia* perpetua, *alia* ad vitam, *& hujus descriptio.*
4 *Unio* ad vitam *non est propriè unio; sed pallium pluralitatis Beneficiorum.*
5 *Non admittitur in Gallia, aut Belgio.*
6 *Unio* perpetua *quæ.*
7 *Per hanc interdum duo Beneficia in unum conflantur.*
8 *In hac unione jura, & privilegia Ecclesiarum unitarum conservantur.*
9 *Unio per* suppressionem *potiùs est extinctio Beneficii, quàm unio: & qui hujus effectus.*
10 *Quomodo fiat* unio *accessoria.*
11 *In hac unione Beneficium unitum est minùs principale; nec in impetratione exprimi debet.*
12 *Unio quando fiat* æquè principaliter.
13 *Beneficia ita unita debent in impetratione exprimi, & in omnibus manent in suo statu.*
14 *Quomodo dignosci possit species unionis.*
15 *Clasula unionis præservans exolutionem onerum Beneficii uniti.*
16 *Onera censentur præservata, quatenus cum unione consistere possunt.*
17 *Unio Beneficiorum auctoritate Superioris facienda.*
18 *Unio Beneficiorum Consistorialium hodie Sedi Apostolicæ reservata.*
* *Quando & qua occasione unio Episcopatuum reservata fuerit Summo Pontifici.*
19 *De jure Episcopo competit unio Beneficiorum suæ Diœcesis.*
20 *Etiamsi essent ad Pontificem ob neglectam collationem devoluta.*
21 *An Episcopus Beneficia* suæ collationis *unire queat.*
22 *Beneficia* exempta *Episcopus unire non potest.*
23 *Poterit unire, tametsi collator sit exemptus; si Beneficia non sint exempta.*
24 *Sede vacante, auctoritas uniendi spectat ad Capitulum.*
25 *Metropolitanus se immiscere nequit, nisi in casu appellationis.*
26 *Inferioribus auctoritas uniendi ex privilegio, vel ex consuetudine competere potest.*
27 *Rex Galliæ unit Beneficia* pleno *jure ad suam collationem spectantia.*

I. BEneficiorum unio describitur à Rebuffo in Praxi *part.* 1. *tit. de Unionibus*, quem alii Canonistæ communiter sequuntur, Beneficiorum, seu Ecclesiarum

ab Episcopo, vel alio Superiore facta annexio.

II. Variæ unionis species à Canonistis notantur, quarum notitia quodammodò necessaria est pro intellectu Canonum de unione loquentium; eò quòd pro diversitate unionum, etiam diversi effectus unionis passim occurrant.

III. Imprimis unio alia est temporalis, & personalis, alia perpetua, & realis.

Illa dicitur, quæ ad aliquod duntaxat tempus, v. g. ad vitam alicujus fit; estque eo titulo *personalis*, quòd imprimis ad vitam certæ *personæ* restringatur, & quòd in commodum, & favorem *personæ* duntaxat facta censeatur, & sic fit, ait Rebuffus *num.* 9. contemplatione personæ, & per ejus mortem expirat.

IV. Hæ uniones temporales in favorem personæ, ante Synodum Tridentinam erant non parùm frequentes; atque earum pallio passim tegebatur Beneficiorum pluralitas, & uti rectè advertit Fagnanus ad *Cap.* EXPOSUISTI, *tit. de Præbendis*, *numer.* 7. *Unio ad vitam non est propriè unio*, *sed magis quædam* PALLIATA *dispensatio.*

Unde Synodus Tridentina pluralitatem Beneficiorum incompatibilium interdicens, *Sess.* 7. *cap.* 4. *de Reform.* etiam vetat, plura Beneficia similia per *viam unionis ad vitam* recipere, aut retinere; uti supra *tit.* 20. *cap.* 3. monui.

V. Scripsit quoque jam pridem Rebuffus secutus Glossam Pragmaticæ Sanctionis, has uniones non recipi in Francia, quia sapiunt reservationes; nam reservatur Beneficium illi, in favorem cujus fit unio ad vitam. Deinde infrà *num.* 46. dicit, quòd » si factæ sint, ab iis appellatur tanquam *ab abusu*, & » Senatus eas abusivas, & irritas pronuntiat. « De qua consuetudine passim testantur Pragmatici Galliæ. Neque hîc in Belgio ullus est harum unionum temporalium, & personalium usus.

VI. Unio perpetua, sive realis est, quando exprimitur, ut perpetuò duret, vel quando dicitur, *ad perpetuam rei memoriam*; vel si fiat contemplatione Ecclesiæ, quæ non moritur. Rebuffus *num.* 7 additque *num.* 10. » Et in dubio præ» sumitur facta contemplatione Ecclesiæ; quia Ecclesiæ magis » favendum est, quàm personæ. «

De hac sola unione, facta contemplatione Ecclesiæ, vel Beneficii hîc agetur; eaque propriè unionis nomine venit, dum de Beneficiorum unione tractatur.

VII. Hæc unio tribus potissimum modis fieri potest. Primò, ut ex duobus Beneficiis unum fiat: ut puta, si sint duæ Parochiales, » proximè vicinæ destructæ per bellum, uniri po» terunt, ut una fiat ex duabus.“ Ita Rebuffus, *num.* 11.

VIII. De hac specie unionis loquens Fagnanus ad *Cap.* NOVIT ℣ *Ne Sede vacante &c. num.* 3. ait: quòd dum hoc modo Ecclesiæ uniuntur, » consuetudines, & privilegia, quæ » meliora & humaniora sunt in altera eorum, debent uniri, & » retineri in unitate. Sive ut loquitur Rebuffus loco citato, pri» vilegia data uni competent & alteri, & quando sunt plura, » honestiora & favorabiliora servabuntur.“

IX. Interdum Beneficium aliquod ita unitur per omnimodam *suppressionem*, quæ non tàm unio, quàm extinctio, & suppressio Beneficii dicenda est. Ut puta, cùm Canonicatus supprimitur, & erigitur in Dignitatem. Quo casu ipse Canonicatus planè extinguitur, & nova Dignitas erigitur, cui proventus seu Præbenda Canonicatûs annectuntur, vel incorporantur. Hinc nullum jus Canonicale simili casu competit ipsi Dignitatis possessori; utpote titulo Canonicali per suppressionem penitùs extincto. Et ita in Belgio plures sunt Decanatus & Præposituræ, qui per extinctionem unius alteriusve Canonicatûs fuêre erecti; nullum tamen jus Canonicale habent, proventibus Canonicatûs exceptis.

X. Alio modo fit unio, ut dum Ecclesia una alteri subjicitur; eamque Doctores communiter appellant, *accessoriam*, seu *subjectivam*, per quam Beneficium annexum amitttit nomen Beneficii: quamvis Beneficium non omninò supprimatur, sed maneat in sua integritate, tam quoad onera, quàm jura & proventus.

XI. Hoc casu Ecclesia illa, cui fit unio, erit superior & principalis, unita verò erat inferior & accessoria; uti notat Rebuffus *num.* 12. qui addit: » Et postea si quis velit impetrare hæc » duo Beneficia, oportet, quòd exprimat principale, aliàs si ac» cessorium (exprimat tantum), non valeret impetratio; quia » illud non vacat, cùm sit alteri unitum. Nec in vim illius clau» sulæ, *quod major expressio fieri possit*, hoc corrigi poterit; » ideò nova impetratione opus erit. Sic vidi in praxi, & de » stylo Curiæ Romanæ, *num.* 13. «

Hæc Rebuffus, qui *num.* 14. tanquam consequens ulteriùs deducit, nec esse opus in impetratione principalis Ecclesiæ exprimere unitum *accessoriè*; secus si æque principaliter.

XII. Tunc autem *æquè principaliter* unitæ censentur Ecclesiæ, quando unio Ecclesiarum sic fit, ut utraque in suo statu integro maneat, prout erat ante unionem: nihilque nec quoad unam, nec quoad alteram immutatur: remanentque duo vera distincta Beneficia; ita tamen ut post unionem, unus idemque sit futurus utriusque Beneficii rector, sive Titularis.

XIII. Unde in impetratione opus erit utriusque expressione: omniaque jura & onera utriusque in Rectorem transeunt.

Hinc infert Fagnanus ad citatum cap. *Novit*, quòd si duo Episcopatus *æquè principaliter* uniti, ante unionem suberant duobus Metropolitanis, propter hanc unionem neuter Metropolitanus perdit jus suum.

XIV. Ut verò sciatur, quâ specie unionis Beneficia sint unita, convenit imprimis inspicere & examinare ipsas litteras unionis, quarum tenor potissimum attendendus est & sequendus; è quo similiter conditiones ipsius unionis petendæ sunt.

XV. Quocunque enim modo unio Ecclesiarum fiat, solent in ipso unionis instrumento exprimi nonnullæ conditiones, & onera ratione uniti Beneficii exsolvenda.

Hinc invaluit communis illa clausula in unione Ecclesiarum Parochialium Monasteriis & Capitulis, quæ olim frequentiùs facta fuit, hodie rariùs conceditur: » *Reservata tamen de fruc*» *tibus, redditibus, proventibus, juribus, obventionibus hujus*» *modi pro Vicario perpetuo in ea constituendo congruâ portio*» *ne, ex qua idem Vicarius commodè sustentari valeat, ju*» *ra Episcopalia solvere, & alia sibi incumbentia onera sup*» *portare.* «

Ita refert Rebuffus ad Regulam Cancellariæ *de Unionibus*, *num.* 17. Quæ clausula adjicitur, ut oneribus Beneficii Parochialis uniti satisfiat; de qua latius infrà titulo *de Portione congrua Vicariorum*, quæ ex hac clausula originem suam traxit.

XVI. Quin in omnia passim unione adjicitur clausula, de oneribus Beneficio unito incumbentibus *congruè* supportandis. Quæ ipsam *onerum* supportationem ita moderatur, ut cum ipsa unione consistere queant; videturque satisfieri istis oneribus, si supportentur, quatenus cum ipsa unione consistunt; quemadmodum ostendit Zypæus *Consult.* 3. *de Excessibus Prælatorum*, notatque verba hæc, *congruè supportentur*, prædictæ clausulæ de supportandis oneribus inserta, omnes controversias circa exsolutionem onerum ipsi Beneficio unito incumbentium ad arbitrium boni viri revocare, ut is expendat, num hæc onerum persolutio cum ipsa unione consistere queat; an non potius censeri debeat, per eam unionem exsolutioni quorundam onerum derogatum: quemadmodum illis juribus Episcopalibus per unionem derogatum credit Rebuffus, » quæ sal» va esse non possunt, validâ existente unione, quia illis cen» setur derogatum propter repugnantiam. « Ad Regulam Cancellariæ *de Unionibus*, *Gloss.* 11. *num.* 13.

XVII. Cùm autem per unionem semper fiat aliqua quasi ipsorum Beneficiorum alteratio, ideo eam sine Superioris auctoritate fieri non posse unanimi Canonistarum sententia receptum est.

XVIII. Imprimis verò unionem Beneficiorum fieri posse auctoritate Romani Pontificis, dubitat nemo. Imò sicuti hodierna disciplina majora quædam Beneficia, ac præsertim Episcopatus, & quæ *consistorialia* dicuntur, Sedis Apostolicæ provisioni reservavit; ita & auctoritas hujusmodi Beneficia uniendi ad Pontificem *privativè*, & cum exclusione inferiorum devoluta est. Notatque Fevretius *lib.* 2. *de Abusu*, *cap.* 4. *num* 5. quòd si Archiepiscopi, Episcopi aut alii Prælati processissent ad unionem similium Beneficiorum *potestate ordinaria*, totum declararetur *nulliter* & *abusivè* factum: quamvis & ipse Fevretius ibidem dicat, se nequaquam velle inficiari, qui secundum pristinam disciplinam, Primates & Metropolitani subinde auctoritate *propria* univerint hujusmodi majores Prælaturas. Constat enim (ait) S. Remigium erexisse Sedem Episcopalem Lugdunensem de Consilio suorum Episcoporum Suffraganeorum suæ Provinciæ, *uniendo* eidem partem suæ Diœcesis, nullâ alia interpositâ superiore auctoritate.

Interim disciplinam reservantem unionem Episcopatuum Romano Pontifici, stabilitam fuisse tempore Cœlestini III. probat ejus responsum relatum in *Cap.* SICUT UNIRE ℣ *de Excessibus Prælatorum*, ubi evidenter supponit, unire Episcopatus ad Sedem Apostolicam spectare: verba ejus sunt: » Sicut » unire Episcopatus, atque potestati subjicere alienæ, ad Sum» mum Pontificem pertinere dignoscitur: ita Episcopi est Ec» clesiarum suæ Diœcesis unio, & subjectio earum. «

* Quo verò tempore jus uniendi Episcopatus Summo Pontifici reservari cœperit incertum est. Hoc constat ex responso Cœlestini III. quòd eo tempore, id est, sub finem seculi XII. Romani Pontifices unionem hanc ad Romanum Pontificem spectare existimârint; atque conformiter ad hanc persuasionem responderint: quæ responsa in Decretales relata, & pro jure communi recepta tandem quoque hæc Pontificum opinio invaluit; creditumque est, unionem Episcopatuum Romano Pontifici esse reservatam.

Vix dubium, quin ad asserendam hanc unionem Romano Pontifici, conduxerit quod legebatur apud Gratianum, *Causa* 16. *quæst.* 1. *Can.* 48. & 49. scilicet, quòd Sanctus Gregorius plures Episcopatus sua auctoritate univerit, sed non advertebatur, Episcopatus, de quorum unione agebatur, constitisse intra *Regiones suburbicarias*; quodque Ecclesiæ intra li-

mi-

mites harum Regionum consistentes, ad Romanum Episcopum *speciale jure Metropolitico* spectaverint, & consequenter Gregorium has Episcopatuum uniones non fecisse jure sui *Primatus* ad omnes Ecclesias extensibilis, sed *jure Metropolitico* intra harum regionum limites concluso, uti & in decursu hujus operis non semel observatum est.

Idipsum notavit D. Fleury *in quarto suo discursu Historico*, *num.* 4. Ibidem monens, non reperiri, quòd Sanctus Gregorius, hoc aut alia similia jura exercuerit in Ecclesiis extra has regiones *suburbicarias* constitutis; quod & notavit in Historia sua, *lib.* 35. *num.* 19.

Hinc intelligitur, admodum necessarium esse, in Romano Pontifice destinguere qualitatem Episcopi Romani, Metropolitani, Patriarchæ, & Primatis, nec aliàs acta sub una qualitate credantur acta sub alia; atque ita quæ olim ei in quibusdam Ecclesiis sub qualitate proprii Episcopi, vel Metropolitani, aut Patriarchæ competiisse leguntur, ipsi credantur competere in omnibus Ecclesiis titulo sui *Primatûs*: quod & locis citatis monuit D. Fleury, credens reservationem hujus unionis ex non facta distinctione potissimum suam sumpsisse originem.

XIX. Sicut ex Decretali Cœlestini III. superiùs citata concluditur, jus uniendi Episcopatus spectare ad Romanum Pontificem; ita ex eadem concludunt uno consensu Canonistæ, ad Episcopum spectare jus uniendi Beneficia suæ Diœcesis: idque conformiter ad eam Regulam, quæ Episcopo totum regimen, omnemque circa Beneficia suæ Diœcesis ordinationem, & dispositionem defert, nisi ostendatur speciali titulo & jure ad alios esse devolutam.

XX. Unde post alios citatos statuit Barbosa *lib.* 3. *Juris universi*, *cap.* 16. *num.* 31. » Episcopum posse unire Beneficia suæ Diœcesis, quamvis eorum collatio ob Episcopi negligentiam esset devoluta ad Papam; quod alio jure devolvatur, alio uniatur. Devolutio enim concernit titulum, impeditque, ne Episcopus illud in titulum dare valeat: unio autem respicit proprietatem.« Hæc ille, quibus addi potest, quòd Episcopo sua maneat salva auctoritas, quousque probetur adempta. Ob negligentiam autem in conferendo probatur quidem Episcopum jure collationis excidere, sed non probatur, eum excidere jure uniendi; adeoque hoc salvum manet.

XXI. Dicitur à Congregatione Cardinalium aliquando declaratum, Episcopum non posse unire Seminariis Beneficia ad *suam* collationem spectantia; cujus declarationis meminit Zypæus *in Jure novo*, *tit. de Excess. Prælat. num* 2. dicitque ita resolutum fore, » quòd alioqui in hujusmodi alienatione » nullus superior alienantis intervenire videatur, sicut Episcopus intervenit in iis, quæ sunt alienæ collationis.« Contrarium tamen in praxi servari notat.

XXII. Quin unio Beneficiorum spectet ad ea, quæ jurisdictionis Episcopalis sunt, dubium non est.

Hinc statuunt Canonistæ, praxisque conformis est, quòd Episcopus Beneficia à sua jurisdictione exempta, auctoritate ordinariâ unire nequeat. Unde Rebuffus *de Unionibus*, *num.* 22. postquam dixit, ad Episcopum Beneficiorum unionem spectare, subjicit: » Dummodo Beneficia non sint *exempta*, quia » tunc ad Papam unio pertinet.«

XXIII. Notandum hîc, non sufficere, quòd Beneficia forsan spectent ad collationem, aut præsentationem Exemptorum, aut sint fundata in eorum Ecclesiis, aut illis annexa, ut Episcopi uniendi auctoritate priventur, sed requiritur, quòd ipsa Beneficia sint revera *exempta*. Posse autem nonnunquam Beneficia quædam esse, præsertim Curata, in Ecclesiis Exemptorum, quæ tamen ipsa non sint exempta, ostendetur infrà *part.* 3 *tit. de Exemptionibus*.

XXIV. Cùm unio Beneficiorum fiat auctoritate ordinaria; atque Capitulum Sede vacante succedat in ea, quæ sunt auctoritatis, & jurisdictionis, rectè inferunt Canonistæ, posse Capitulum, Sede vacante, auctoritatem unioni præstare; dummodò per eam juri Episcopali nihil detrahatur. Rebuffus *de Unionibus*, *num.* 36. & *Devolutionibus*, *num.* 100.

XXV. Refert Renatus Choppinus *in suo Monastico*, *lib.* 2. *tit.* 2. *num.* 26. abusivam declaratam unionem domus cujusdam Eremiticæ Diœcesis Sessionensis factam ab Archiepiscopo Remensi, Sede Suessionensi vacante, auctoritate Metropolitica. » Nec enim Archipræsuli jus esse contendunt, Sacerdotia Fanave sibi invicem copulare in alieno, Suffragantium etiam » illi Episcoporum, territorio. Vacuo item Episcopi Solio, jurisdictica ejus potestas defertur Episcopali Sodalitio, unionisque Templorum judicio statuendæ ex legitimis causis. Neque hoc cognitionum genus nominatim, vacante Cathedra inferioris Præsulis, devolvitur ad Archipræsulem superiorem.«

(a) *Utrum ad Metropolitanum appellari possit adversus decretum Unionibus ab Episcopo Diœcesano datum? Respondet Auctor novorum Collectaneorum Cleri Gallicani tom.* 10. *col.* 1852. *in Galliis hanc provocationem non fieri*; *permittit tamen ad supremum Senatum appellationem* ex abusu.

Si autem ipse Episcopus, aut Capitulum, Sede vacante, unionem petitam facere recusaret; posset ab hac recusatione, si injusta videatur ad Metropolitanum tanquam ad Superiorem appellari; & tunc ipse de unione statuere posset. (a)

XXVI. Inferiores verò Prælati, quantumvis exempti, & Beneficiorum collatores, uniendi auctoritate destituuntur, nisi eam auctoritatem præscripserint, uti notat Rebuffus *de Unionibus*, *num.* 32. subdens *num.* 33. » Jura enim Episcopalia inferiores præscribere non prohibentur, *Cap.* AUDITIS *de Rescript.* sed titulus requiritur, vel tempus immemoriale.«

Hoc titulo Rex Galliæ sua auctoritate procedit ad unionem Beneficiorum, quæ *pleno jure* ad ejus spectant collationem; uti ex Molinæo refert Fevretius *num.* 20. asseritque Henricum IV. attentis modicis proventibus Decanatûs S. Quintini, eidem sua auctoritate univisse duas Præbendas. (b)

CAPUT II.

De causis Unionis; et quæ Beneficia uniri possint.

1 *Unio Beneficiorum qua ratione* odiosa.
2 *Fieri nequit sine justa causa.*
3 *Decretum Synodi Tridentinæ contra uniones sine juxta causa factas.*
4 *Hoc Decretum evincit, uniones non faciendas, nisi ad utilitatem Ecclesiarum.*
5 *Ordinarii prævièdè causis unionis inquirere debent.*
6 *Unio facta ab Ordinariis, ut se à danda portione congrua liberent suspecta.*
7 *Unio Beneficii facta ab Episcopo* suæ mensæ, *irrita est.*
8 *Ordinarius prævièdè expendere debet conditionem Beneficiorum.*
9 *Beneficiis Simplicibus ut annecteretur Officium, vel ut unirentur in Synodo Tridentina propositum.*
10 *Unionem similium Beneficiorum probavit Synodus Tridentina.*
11 *Eadem Synodus ostendit, aliorum Beneficiorum unionem non facilè esse admittendam.*
12 *Specialiter vetuit Ecclesiarum Parochialium incorporationes.*
13 *Unio duarum Ecclesiarum Parochialium ob earum paupertatem admittitur in Gallia.*
14 *Decretum Synodi Mechliniensis in hac unione.*
15 *Hoc Decretum tantùm est* provisionale; *eoque subinde abutuntur Ordinarii.*
16 *Beneficiorum situs in unione attendendus*; *& eo facilius admitenda unio Ecclesiarum, quo sibi viciniores.*
17 *Facilior unio Beneficiorum ejusdem Ecclesiæ quàm diversarum.*
18 *Beneficia diversarum Diœcesium uniri vetat Synodus Tridentina.*
19 *Beneficia unius Regni non sunt unienda Beneficiis alterius Regni.*
20 *Beneficia* libera *non unienda Beneficiis Juris Patronatûs.*
21 *Nisi salus animarum aliud postulet.*
22 *Synodus Tridentina vult uniones factas ex* non legitimis *causis revocari.*
23 *Auctoritate Regia unio subinde declaratur* nulla *post lapsum seculi.*

I. UNionem Beneficiorum esse *odiosam*, unanimis est Canonistarum sententia, tum quòd per eam minuatur numerus Ministrorum; tum quia Beneficia instituta sunt, ut singula suum habeant ministrum. Quia & unionem esse quandam speciem alienationis, notant Canonistæ: eò quòd Beneficium unitum quodammodo per ipsam unionem supprimatur, aut ut minus ita alteretur, ut primævam suam naturam, & conditionem amittat.

II. Hinc ulteriùs, concludunt, quòd unio, quoniam odiosa est, & à communi Ecclesiarum utilitate aliena, nunquam nisi ex magna, & necessaria causa permitti debeat: ita Antonius Faber in Codice *lib.* 1. *tit.* 2. *Definit.* 48. Et Rebuffus *in Praxi part.* 1. *de Unionibus*, *num.* 38. asserere non dubitat, unionem *duabus* duntaxat ex causis fieri posse, videlicet, si evidens sit necessitas, vel utilitas; idque conformiter ad responsum Honorii III. *cap.* 33. *de Præbendis*, ubi respondit Episcopo Vesprimensi, quod Præbendis Ecclesiæ suæ Cathedralis unire possit Cappellas, *si evidens necessitas*, *vel utilitas exigat.*

III. Synodus Tridentina attendens, passim factas fuisse uniones Ecclesiarum, & Beneficiorum non tam ob utilitatem, aut necessitatem ipsarum Ecclesiarum, quam in personarum favorem, & commodum; atque ex indiscretis unionibus multas Ecclesias suis necessariis Ministris esse destitutas, statuit *Sess.* 7. *cap.*

(b) *Licèt in Hispania Catholicus Rex Præbendas, Beneficiaque sui Patronatûs per se non uniat, attamen absque ejus consensu & beneplacito à Diœcesanis id fieri nequit, ut constat ex Remis.* 20. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recop.*

cap. 6. *de Reformat.* » Uniones perpetuæ, à quadraginta annis citra factæ, examinari ab Ordinariis, tanquam à Sede Apostolica Delegatis, possint, & quæ per subreptionem, vel ob» reptionem obtentæ fuerint, irritæ declarentur. Illæ verò quæ » à dicto tempore citra concessæ nondum in toto, vel in par» te sortitæ sunt effectum, & quæ deinceps ad cujusvis instantiam » fient, nisi eas ex legitimis, aut alias rationabilibus causis, » coram loci Ordinario, vocatis quorum interest, verificandis » factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentæ præsuman» tur: ac propterea nisi aliter à Sede Apostolica declaratum » fuerit, viribus omninò careant.«

IV. Ex hoc Decreto habetur primò nullas uniones perpetuas esse admittendas, nisi ex *causis legitimis*, aut *aliàs rationabilibus*. Legitimè autem censentur, quæ à Canonibus probantur; quæ scilicet utilitatem, aut necessitatem Ecclesiarum, non autem favorem privatorum, aut proprium ipsorum Prælatorum commodum respiciunt.

V. Secundò, ex ipso Decreto patet, ipsos Ordinarios, priusquam ad unionem procedant, inquirere, & expendere debere, num legitimæ, aut aliàs rationabiles causæ unionis faciendæ subsint, adeoque ipsos quodammodo judices constitui, qui judicent de sufficientia causæ.

Hîc autem ita se gerere debet Ordinarius, nec appareat, ipsum *plus favisse personæ*, *quam Ecclesiæ*, uti in simili loquitur Pontifex in *cap.* 1. ℣ *de Sede vacante.*

VI. Hanc suspicionem facilè incurrunt Episcopi, aliique Prælati, qui facilè uniones Beneficiorum admittunt, ut à danda pensione seu congrua portione se eximant: non tam expendentes, quid Ecclesiarum utilitas, aut populi salus, & cultus Divinus exigant; quàm quid proprium interesse requirat. Monetque Rebuffus *Consilio* 193. quòd non » inveniatur à jure causa ea approbata, ut unio fieri possit ad exiguendam pensionem, vel lites sedendas: cùm enim sint frequentes contro» versiæ inter Episcopum, & Capitulum, frequenter Episcopi » unirent, ut se pensione, vel lite liberarent, quod esset in» juriosum & damnosum Ecclesiæ.

VII. Hinc & in *Clementina* 2. *de Rebus Ecclesiæ non alienandis*, declaratur: » quòd si Episcopus (sui etiam Capitu» li accedente consensu) mensæ suæ, vel ipsi Capitulo ali» quam duxerit Ecclesiam uniendam, hoc irritum esse decer» nimus, & inane, contraria quavis consuetudine non obstante.«

Id indubiè hac ratione decretum est, quòd hujusmodi unio potiùs ex proprio interesse, quàm Ecclessiæ utilitate fieri præsumatur.

VIII. Porrò, ut Ordinarius hîc rectè procedat, necesse est, ut Beneficiorum, de quorum unione, sive conjunctione agitur, conditionem & qualitatem expendat.

Nec enim dubitari potest, quin minor ratio sufficiat, uniendi Beneficia simplicia, quæ nullum speciale onus, nisi celebrationis Missarum annexum habent; & frequenter non nisi otiosis Sacerdotibus intertinendis serviunt, quàm uniendi Beneficia Curata, aliaque, quorum possessor ad obeunda Ecclesiæ munia specialiter adstringitur.

IX. Unde & legitur nomine Caroli IX. Regis Galliæ à Patribus Synodi Tridentinæ fuisse propositum, ut Beneficiis, quorum » Possessores nullo tenentur concionandi, Sacramenta ad» ministrandi, aut alio onere Ecclesiastico, Episcopus cum con» silio Capituli curam aliquam spiritualem imponat, aut si utilius » videatur, ea Beneficia vicinioribus Parochialibus Ecclesiis » uniat.« Habetur in libello, cui titulus *Memoires pour le Concile de Trente*, *pag.* 362.

X. Videmusque in Synodo Tridentina, cum de augendis proventibus Ecclesiarum Parochialium, aut etiam aliorum majorum Beneficiorum, aut etiam fundandis Seminariis ageretur, passim Beneficiorum Simplicium mentionem fieri, quorum unione Beneficiis hujusmodi tenuibus succurratur; uti videre est *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reformat.* item *cap.* 15. ejusdem sessionis, ubi agens de Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis insignibus, ubi frequentes, & adeo tenues sunt Præbendæ simul cum distributionibus quotidianis, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui pro loci & personarum qualitate non sufficiant, permittit Episcopis cum consensu Capituli aliquot *Simplicia* Beneficia unire.

Rursus *Sess.* 23. *cap.* 18. *de Reformat.* de erectione Seminariorum vult, ut pro congrua eorum dotatione, Episcopi Beneficia aliquot *Simplicia*, Seminario, seu Collegio applicent, & incorporent: de qua unione, seu incorporatione actum est, *tit.* 11. *cap.* 3.

XI. Hinc sat intelligitur, unionem hujusmodi Beneficiorum haud difficulter admisisse Synodum Tridentinam; quæ tamen aliorum Beneficiorum haud facilè admittendam sat insinuavit, signanter citato *cap.* 13. Cùm enim comperisset plerasque Ecclesias Cathedrales tam tenuis redditûs esse & angustas, ut Episcopali dignitati nullo modo respondeant, neque Ecclesiarum necessitati sufficiant, voluit per Concilium Provinciale diligenter expendi, quas propter angustias, tenuitatemque vicinis unire, vel novis proventibus augere expediat; confectaque de præmissis instrumenta ad Summum Pontificem mitti: quibus instructus Summus Pontifex, ex prudentia sua, prout expedire judicaverit, aut tenues invicem uniat, aut aliqua accessione ex fructibus augeat.

Post hæc subjungit, quid interim causa pendente faciendum, ut his tenuibus Ecclesiis Cathedralibus succurratur. » Interim » verò donec prædicta effectum sortiantur, hujusmodi Episco» pis, qui fructuum subventione pro diœcesis suæ tenuitate in» digent, poterit de Beneficiis aliquibus, dum tamen Curata non » sint, nec Dignitates, seu Canonicatus, & Præbendæ, nec » Monasteria, in quibus viget Regularis observantia, vel quæ » Capitulis generalibus & certis visitatoribus subduntur, à Sum» mo Romano Pontifice provideri.«

Hîc sufficienter ostendit Synodus, admodum difficulter, & non nisi gravi de causa, uniones hujusmodi Beneficiorum faciendas, ut tenuitati aliorum Beneficiorum succurratur; cùm nequidem velit per Romanum Pontificem, vel ad tempus duntaxat, aliquid ex fructibus illorum Beneficiorum detrahi, quo Episcopis *qui fructuum subventione pro Diœcesis suæ tenuitate indigent*, provideatur.

XII. Ulteriùs, quia præ cæteris convenit, ac singulis Parochialibus Ecclesiis suus verus, ac perpetuus Pastor, seu Parochus præsit, compertumque esset, per uniones & incorporationes Beneficiorum Parochialium Monasteriis, Capitulis, aliisque Corporibus, vel Beneficiis, evenisse, ut multæ Ecclesiæ Parochiales destituerentur suis propriis Pastoribus; idque cum notabili animarum detrimento; decrevit speciatim Synodus eodem *capit.* 13. ne posthac hujusmodi uniones fierent; & factæ ab Ordinariis revideantur, verba sunt: » In unionibus verò quibusli» bet, seu ex supradictis, seu aliis causis faciendis, Ecclesiæ » Parochiales Monasteriis quibuscunque, aut Abbatiis, seu Dig» nitatibus, sive Præbendis Ecclesiæ Cathedralis, vel Collegia» tæ, sive aliis Beneficiis Simplicibus; aut Hospitalibus, Mili» tiisve non uniantur; & quæ unitæ sunt, revideantur ab Ordi» nariis, juxta alias decretum in eadem Synodo sub fel. rec. » Paulo III. quod etiam in unitis ab eo tempore citra æquè ob» servetur: non obstantibus in iis quibuscunque verborum for» mis, quæ hîc pro sufficienter expressis habeantur.«

XIII. Hoc Decreto vetari Beneficii Parochialis unionem, rectè advertit Renatus Choppinus de *Sacra Polit. lib.* 2. *numer.* 14. » excepto tamen (ait) si Canonicatus hujusmodi ad» jungatur alteri Parochialis Ecclesiæ regimini, cujus Pastor » alioquin Rectorque Ecclesiæ suis redditibus commodè ali ne» quiret, *art.* 12. & 23. Edicti Blesensis anno 1579.«

XIV. Simile quid decernit Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 17. *cap.* 3. ubi postquam mandavit Episcopis, ut Rectoribus Ecclesiarum Parochialium provideatur de competentia, subjungit: » Ut verò hæc omnia perfici possent, licebit Episcopis » per unionem vicinarum, & minorum Ecclesiarum, aut Sim» plicium Beneficiorum, vel per concessionem Deserviturarum, » & aliàs propter idoneorum Sacerdotum raritatem per mo» dum provisionis providere.«

Hîc permitti unionem Beneficii Curati alteri Curato non dubium: idque interdum fieri posse ob earum paupertatem, sat innuit Synodus Tridentina *Sess.* 21. *cap.* 5 *de Reform.*

XV. Illud nihilominus notandum, eam unionem à Synodo Mechliniensi duntaxat per *modum provisionis* permitti: cùm scilicet alio modo Parochialibus Beneficiis provideri nequit. Quare multum à Synodorum mente recedunt Episcopi, dum ipsas Ecclesias Parochiales uniunt, aut uni plurium Deserviturum concedunt, non sine notabili Incolarum incommodo, ut sese à danda congrua portione eximant, suæque Mensæ majorem partem decimarum applicent.

XVI. Non tantùm Beneficiorum qualitas discutienda est, priusquam ad unionem procedatur, sed & situs.

Quin Ecclesiæ Parochiales eò faciliùs uniri queant ob earum paupertatem, quò sibi viciniores sunt, evidens est: eò quòd ob majorem inter se contiguitatem, unus Parochus queat utrique minore cum incommodo, & difficultate deservire.

XVII. Similiter unio Canonicatus cum Dignitate, aut Parochiali Beneficio in eadem Ecclesia ex eadem ratione faciliùs admitti potest, quàm hujusmodi Beneficiorum in diversis Ecclesiis existentium: & passim videmus Canonicatus in Cathedralibus, & Collegiatis Ecclesiis unitos Dignitatibus, & Beneficiis Parochialibus.

XVIII. Ulteriùs, ut Ecclesiasticus ordo non confundatur, aut una & eadem Ecclesia duarum quodammodo Diœcesium fiat, non sine gravi eorum incommodo, qui illi subditi fuerint, statuit Synodus Tridentina, » Beneficia unius Diœcesis etiam ra» tione augendi cultum Divinum, aut numerum Beneficiato» rum, aut alia quacunque de causa, alterius Diœcesis Benefi» cio, Monasterio, seu Collegio, vel loco etiam pio perpetuò » non uniantur *Sess.* 14. *cap.* 9.«

XIX. Et quia & non exigua essent timenda incommoda, si duobus supremis Principibus eadem Ecclesia esset subjecta, haud qua-

quaquam Beneficium unius Regni Beneficio alterius Regni uniendum est.

» Si Legatus vellet unire Beneficium in Regno situm Abba» tiæ, vel Episcopatui existenti in alio Regno, vel Principatu, » facere non posset sine Regis consensu, (c) ait Rebuffus, in » Praxi titulo *de Unionibus*, *num.* 28. " qui & addit : » Et vidi » appellari tanquam *ab abusu* in illis unionibus sic factis, etiam » post longissimum tempus centum annorum, à Procuratore » Regio, qui ista Regni commoda prosequitur : & quia hæ unio» nes semper, & quotidiè gravant, ideò semper appellatur."

Vide latiùs Fevretium *de Abusu*, *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 28. ubi ex Azevedo notat, quòd etiam in Hispania, *unio facta Ecclesiæ de Regno alteri Ecclesiæ extra Regnum, sit nulla.*

XX. Vetat quoque Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 9. *de Reform.* fieri accessiones per viam unionis de Beneficiis liberis ad Ecclesias juri Patronatûs, etiam laicorum, subjectas, ita ut prædicta Beneficia *libera* ejusdem naturæ cum iis, quibuscum uniuntur, efficiantur, atque sub Jure Patronatûs constituantur.

XXI. Circa hoc Decretum consuli potest Zypæus *Consult.* 5. *de Excessibus Prælatorum*, ubi inter alia notat, quòd » si de necessaria dotatione Ecclesiæ Parochialis agatur, neque » hæc haberi queat, nisi conjungendo Beneficium liberum cum » Beneficio Juri Patronatûs subjecto ; ponderandum sit, an li» bertas illa Beneficii, an Animarum cura, quæ sine congrua » dote sustineri, & illa aliunde haberi non potest, præcellere de» beat : Et sine dubio (ait) locus est legi, *salus populi supre*» *ma lex esto*, quod eò spectat, prævalet minoribus causis. Un» de multis in locis Pastoralibus Juris Patronatûs præsertim Ec» clesiastici, non competenter dotatis, Beneficia libera, cùm » alia non suppetunt, ad dotem congruam sunt unita."

XXII. Vult ulteriùs Synodus Tridentina *in citato Decreto*, *Sess.* 7. *cap.* 6. non tantùm, ut posthac nullæ admittantur uniones perpetuæ, nisi *ex legitimis*, *aut alias rationalibus causis*; sed insuper, ut » à 40. annis citra factæ examinari ab Ordina» riis tanquam à Sede Apostolica Delegatis possint ; & quæ » per subreptionem, vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ » declarentur."

XXIII. Quin & unionem sine legitima causa factam, etiam post integri seculi lapsum, aliquando auctoritate Regii Senatûs rescissam fuisse, monet Renatus Choppinus *de Sacra Polit. lib.* 6. *num.* 8. » Isthic enim (ait) minùs necessariæ rationes pri» mitùs impulerant Ecclesiasticos præfectos, ut sacra illa Bene» ficia simul colligarent. Ideoque in his, aliisve publicam Ec» clesiæ disciplinam spectantibus, non tollitur provocandi ex » abusu facultas *quanticunque* temporis silentio." Idipsum dicit Antonius Faber *in Codice lib.* 1. *tit.* 2. *Definit.* 49. addens rationem : *Quia unio semper, & perpetuò gravat.*

CAPUT III.

De solemnitatibus servandis in Unione.

1 *In unione vocandi omnes, quorum interest, juxta Regulam Cancellariæ.*
2 *Hæc Regula ubique recepta.*
3 *Interdum derogatur in Curia Romana huic Regulæ; sed derogatio hæc in Gallia non admittitur.*
4 *Decretum Synodi Tridentinæ in quantum huic derogationi favet, non est in Gallia receptum.*
5 *Praxis Belgii in hoc puncto consonat Praxi Gallicanæ.*
6 *Unio etiam auctoritate Pontificia hodie expedienda in forma* commissoria.
7 *Commissio facienda judicibus* in partibus.
8 *Audiendus Episcopus, & alii quoque Collatores.*
9 *Patroni laici non tantùm audiendi; sed & eorum consensus habendus.*
10 *Idipsum in Belgio specialiter à Parlamentis Regiis notatum.*
11 *Procurator Regius in unione Beneficiorum audiendus; & quare.*
12 *In Gallia Rex unionem non attendit, si non intervenerit Procurator Regius.*
* *An absolutè necessarius sit consensus Principis in unione, vel suppressione Beneficiorum.*
13 *An in Belgio semper audiendus Procurator Regius.*
14 *An Rector Ecclesiæ necessariò audiendus.*
* *Utrum unio fieri possit invito possessore Beneficii.*
15 *Utrum Parochiani sint audiendi.*
16 *Licèt hi audiendi essent, non tamen exigitur eorum consensus.*
17 *Regula Cancellariæ jubet exprimi in unionibus* verum valorem *Beneficiorum.*
18 *Regula quoad hoc recepta in Gallia, & Belgio.*
19 *Debet exprimi verus valor utriusque Beneficii ; nec derogatio Regulæ circa hoc punctum in Gallia recipitur.*
20 *Reservatio non impedit, quominùs Episcopus procedat ad unionem.*
21 *Unionis executio non impeditur per* resignationem.
22 *Neque provisio Pontificia cum suspensione unionis hîc facilè admitteretur.*
23 *Nisi provisio* vacantis *Beneficii unionem prævenerit.*
24 *Mandata* de providendo ; *vel* expectativæ *unionem non impediunt.*
* *Quomodo intelligendum, quod Concilium Tridentinum in Belgio sit receptum sine ulla limitatione, aut restrictione.*

I. NE ipsas uniones sine legitimis, aut aliàs rationabilibus causis fieri contingat, jam pridem cautum fuit per Regulam Cancellariæ *de Unionibus* : ut *semper in unionibus concessio fiat ad partes, vocatis quorum interest* : quod & voluit Synodus Tridentina *Sess.* 7. *cap.* 6. *de Reform.* ut ex verbis Decreti capite præcedenti relatis videri potest.

II. Hæc Regula velut aptissima ad detegendas fraudes, subreptiones & obreptiones, quæ in unionibus contingere possent, ubique recepta est ; adeo ut licèt ipsa Regula tantùm videatur loqui de unionibus, quæ fiunt ad petitionem partis, non autem quæ fiunt à Pontifice *motu proprio*, uti notat Rebuffus ad hanc Regulam *Glossa* 1. » in Francia tamen *quomodocumque* » fiant, requiruntur solemnia, quæ in Regula præscribuntur," ait idem Rebuffus.

III. Notat quoque ipse Rebuffus ibidem *Gloss.* 10. quòd si unio fiat per Papam in forma *gratiosa* non requiratur clausula, *vocatis vocandis* : sed derogatur huic Regulæ de unionibus committendis *ad partes*, & ipse Papa facit unionem : *Sed* (ait) *hoc non recipitur in Francia.* Et in Praxi Benef. titulo *de Unionibus*, *num* 47. ait : » Appellatur tanquam *ab abusu* in hoc » Regno ab unionibus factis sine causæ cognitione à quocunque » factæ fuerunt : & nullæ solent pronuntiari, & irritæ, per Cu» rias supremas : nec habetur ratio temporis, quia abusus non » potest præscribi ; & ita est praxis Regni. «

IV. Idipsum post Renatum Choppinum *de Sacra Polit. lib.* 2. *tit.* 6. testatur Petrus Pithæus in Commentario super *Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ*, *cap.* 49. ubi unà monet in Gallia receptum non esse Decretum Concilii Tridentini *Sess.* 7. *cap.* 6. *de Reformat.* in quantum videtur admittere uniones in *forma gratiosa*, si Pontifici visum fuerit, eas concedere : additur enim in Decreto hæc cautio : *Nisi aliter à Sede Apostolica declaratum fuerit.* (d)

V. Praxis Belgica in hoc puncto non dissonat à Praxi Gallicana. Nec enim uniones Beneficiorum in forma *gratiosa* sine causæ cognitione admittuntur, & taliter factæ non minùs hîc, quàm in Gallia rescinderentur.

VI. Itaque unio etiam auctoritate Pontificiâ hodie fieri debet in forma *commissoria* ; solentque Papa commitere *in partibus*, ut inquisitio fiat de causa, & de commodo, vel incommodo : & postea istæ inquisitiones ad eum mittuntur, ait Rebuffus *Gloss.* 2. *num.* 7.

VII. Cùm hæc commissio, sive delegatio involvat cognitionem causæ, quæ formam aliquam judicialem sapit, debet hæc dirigi ad eas personas Ecclesiasticas, quæ ut judices à Sede Apostolica *in partibus* delegari possunt ; uti post Renatum Choppinum monet Fevretius *de Abusu*, *lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 24.

VIII. Juxta formam commissionis debent audiri omnes *quorum interest.*

Itaque audiendus est Episcopus, quia sua interest : hac inter alias ratione, quòd collationem amitet ratione unionis, uti monet Rebuffus ad Regulam *de Unionibus*, *Gloss.* 11. quæ & in Collatoribus aliis militat.

IX. Patroni quoque audiendi : imò si Patroni *laici* fuerint, non solùm audiendi sunt, sed eorum consensus requiritur; quod & notat Antonius Faber *in Codice Lib.* 1. *tit.* 2. *Diffin.* 48. dicitque : » etsi Papa derogare etiam potest, cùm vult, » Juri Patronatûs laicorum pro ea vice ; fallit tamen hoc in » *unionibus*, quia perpetuò durant. «

X. Hîc in Belgio quoque requiri consensum Patronorum laicorum dubium non est : monueruntque expressè Concilia Belgica ad *Sess.* 21. *cap.* 5. Synodi Tridentinæ, ubi potestas fit Episcopis, ex justa causa uniones faciendi Ecclesiarum & Beneficiorum, *opus esse consensu Patronorum laicorum.* Apud Antonium Anselmo in *Triboniano Belgico*, *cap.* 33. §. 23.

XI. Unde Beneficia Patronatus Regii uniri non posse citra consensum Regium expeditum est ; quin & asserit Antonius Faber citata *Definitione* 48. » Procuratorem Principis generalem » vocette exception du Concile, on suppose toujours qu' on à surpris la Religion du Pape, quando on à obtenu la confirmation d' une union faite sans cause legitime, ou contra les Loix, & qu' il est contre sont sentiment qu' il ait lieu.

(c) *Repetè hîc quod in cap. anteced. in littera* b *dicta sunt.*
(d) Auctor novorum Collectaneorum Cleri Gallicani, *tom.* 10. *col.* 1861. de ea clausula suam, vel potiùs Ecclesiæ Gallicanæ mentem ita aperit : *On n' à pas egard en France à*

» vocari, & audiri necesse esse; non solùm si Jus Patronatûs » ad Principem pertineat.... sed *etiamsi ad alium*: Nempe ra- » tione publicæ utilitatis, & ad hoc ipsum despiciendum, an » publico utilis futura sit unio, an inutilis. Item pro tuenda » Principis auctoritate, ad quam sanè pertinet, ut Beneficio- » rum omnium, quæ in territorio sunt, protector & conserva- » tor existimetur. «

Ex quibus dein concludit: » Itaque si non vocato Procura- » tore generali, unio facta sit, potest, & solet ille ab ea tan- » quam ab abusu provocare, semperque ea provocatio admit- » titur, etiam post centum annos, quia unio semper, & per- » petuò gravat. «

XII. In Gallia Procuratorem Regium vocari, & audiri debere, dum agitur de unione Beneficiorum; ad quæ Regalia se extendit, notat Fevretius citato *cap.* 4. *num.* 26. aliàs apertâ Regaliâ, Rex conferet, quasi nulla unio intervenisset, & ita anno 1624. judicatum fuisse refertur in opere intitulato, *Journal des Audiences*, *tom.* 1. *lib.* 2. *cap.* 26.

* Si Beneficia spectent *pleno* jure ad collationem, seu provisionem Ordinariorum Collatorum, neque probetur speciale Regis interesse, non creditur, etiam in Gallia, omninò necessarius interventus Procuratoris Regii in unione similium Beneficiorum, uti notat D. Du-Casse in suo Tractatu de *Jurisdictione Ecclesiastica*, *tom.* 1. *cap.* 6. §. 6. refertque suppressionem Canonicatuum, & Præbendarum in Ecclesia Collegiata Montis Regalis factum auctoritate Episcopi Carcassonensis ob tenuitatem proventuum istius Ecclesiæ, declaratum fuisse *validam*, & effectum suum sortiri debere, licèt in hac suppresione Procurator Regius non intervenisset per Arrestum prolatum 29. Julii 1687.

Neque in Belgio in similium Beneficiorum ad plenam Episcopi provisionem spectantium unione, auctoritas Procuratoris Regii, seu Officii Fiscalis necessaria creditur: nisi aliquod Regis, aut Reipublicæ interesse, in ea Beneficiorum unione intervenire probetur.

Quia tamen facilè contingit, ut in unione, vel suppressione Beneficiorum, præsertim notabilium, quidquam contra fundationem, cujus Princeps prætenditur conservator; vel contra jus Principis dicatur intervenisse; atque ob id ipsa unio, vel suppressio de invaliditate argui posset ob defectum consensûs Principis, satius erit in hisce unionibus, & suppressionibus consensum Principis expetere, sive interventionem Oficii Fiscalis postulare.

XIII. In Belgio si agatur de unione facta auctoritate Apostolica, certum est, eam executioni mandari non posse, nisi priùs audiatur Procurator Regius: quandoquidem requiratur *Placetum Regium*; quod dari non consuevit, nisi prævie Regio Procuratore, seu Officio Fiscali audito, uti dictum est suprà *tit.* 24. *cap.* 6. Si autem auctoritate ordinaria unio fiat, & agatur de majoribus Beneficiis, hæc extra discrimen cassationis non erit, si ipse Procurator Regius interpellatus, & auditus non fuerit. Non tamen videtur necessarium ad validitatem unionis, ut fiscalis audiatur.

Ad Simplicium Beneficiorum uniones, præsertim pro dotatione tenuium Parochiarum, passim ab Episcopis, sive interventu Officii Fiscalis fieri, & tolerari solent.

XIV. Rectorem Beneficii uniendi non esse vocandum, innuit *Clementina* 2. *de Rebus Ecclesiæ non alienandis*, ubi dicitur, unionem Ecclesiæ factam ab Episcopo, consentiente Capitulo, impugnari non posse, *ex eo quod Rector ipse ad hoc vocatus non extitit*: idque notavit Rebuffus ad Regulam *de Unionibus*, *Gloss.* 11. *num.* 8. rationem addens: quia ei ad suam vitam non præjudicatur. Unio enim fieri solet *sine præjudicio Possessoris*. Nec consideratur (ait Rebuffus) » quòd Rec- » tor potuisset illud Beneficium resignare *in favorem* nepotis, » quia hoc non est considerabile; cùm Beneficia consanguineis » non deferantur consanguinitatis jure; & illa resignatio pendeat » à Superioris facultate, qui per unionem jam declaravit, nol- » le illum Rectorem resignare posse. «

Hæc Rebuffus secutus Joannem Galli, qui *quæst.* 267. asserit, Rectores Beneficiorum non esse audiendos. Verùm ex Molinæo in notis ad dictam quæstionem Joannis Galli refert Fevretius loco citato, *contrarium servari in Gallia, & benè, quia debent vocari Rectores maximè in uniendis Ecclesiis Parochialibus.*

Et sanè, licèt unio fiat sine præjudicio Rectoris, nihilominus, cùm ipse sit quasi tutor Ecclesiæ, quam possidet; ipsique soleat meliùs esse perspectus status, & conditio ipsius Ecclesiæ, meritò, cùm de causis unionis inquiritur, ipse audiendus erit; quod & hodie receptum esse, atque uniones Ecclesiarum rescissas fuisse, ob non auditum Rectorem testatur Fevretius.

* Quantumvis æquum sit in unione Beneficii, ac notanter Parochialis audire Rectorem, sive Possessorem Beneficii, atque ob eum neglectum aliquando judicatum sit invalidam esse unionem; nihilominus videtur, quòd unio Beneficii fieri queat, *non consentiente* Beneficiato, sive Rectore Beneficii, modò tamen, vitâ ejus durante, possessio Beneficii ipsi salva, & integra maneat.

Refert quidem Georgius Louetius in notis ad Molinæum *de publicandis resignationibus*, *num.* 173. quòd in hac ferrea nostrâ ætate, usus, seu potiùs abusus invaluerit, ut etiam pro *legitimo interesse* reputetur, posse Beneficii Possessorem, vitâ suâ durante, *Beneficium resignare in favorem sui nepotis, aut alterius, cui benefacere intendit*: atque propterea unionem, eo *invito*, sive non consentiente, fieri non posse, nisi salvâ manente Beneficiato liberâ resignandi facultate; atque ita ex receptis, licèt corruptis, moribus Regia Tribunalia judicare.

Postquam enim notavit, quòd melioribus seculis, cùm nondum essent toleratæ resignationes *in favorem*, similis resignandi facultas pro legitimo interesse non reputaretur, subjungit: » Sed in hac ferrea ætate, in qua quælibet sanguinis affec- » tio pro legitimo interesse metitur, aliud summa Tribunalia » statuerunt, nec permitterent Beneficii sic uniti resignandi po- » testate quem privari. «

Monet autem in nota marginali Antonius Vaillant: » Sem- » per debet vocari Beneficiatus: quia cùm agatur de alienatio- » ne, aut suppressione tituli, Beneficiatus, qui est verus & » legitimus Administrator, debet jura & interesse Ecclesiæ tue- » ri & defendere; sed revera potest unio fieri *invito* Beneficia- » to, modò ei reserventur fructus, durante vitâ, modò alius » de unio sit utilis Ecclesiæ, quæ debet semper prævalere utilita- » ti, & commodo particulari (e). «

Hæc nota marginalis æquitati, juri, & praxi sat consona videtur, uti & his, quæ de hac quæstione in textu dicta sunt.

XV. Fevretius *de abusu*, *lib.* 2. *cap.* 4. audiendos esse Parochianos, ubi agitur de unione eorum Parochiæ, asserit: monetque, adhærendum esse Parlamentorum Arrestis, quæ receperunt Parochianos appellantes *tanquam ab abusu* ab unionibus, in quibus ipsi auditi non fuerant; easque tanquam *abusivas* infirmârunt. Vide etiam *Journal des Audiences*, *tomo* 2. *lib.* 3. *cap.* 21. & aliquando decisum in Rota, Parochianos esse audiendos; quia ipsorum interest habere bonum Pastorem, uti testatur Garcias de Benef. *part.* 12. *cap.* 2. *numer.* 220.

XVI. Hoc tamen notandum, quòd tametsi Rector, & Parochiani, aliique sint audiendi, non propterea eorum consensus requiratur; uti etiam monet Zypæus in Jure novo *de Excessibus*, *Prælat. num.* 1.

XVII. Præter informationem super causis unionis faciendam *in partibus*, requirit insuper Regula Cancelariæ *de Unionibus*, » quòd petentes Beneficia Ecclesiastica aliis uniri, teneantur » exprimere *verum valorem* secundum *communem* æstimatio- » nem, tam Beneficii uniti, quàm illius, cui uniri petitur, alio- » quin unio non valeat. «

XVIII. Regula etiam quoad hanc partem ubique recepta est. Et quamvis consuetudinarius valor 24. ducatorum soleat exprimi in Francia in omnibus Beneficiis, tamen in unionibus *verus* valor est exprimendus, ut hîc ait Rebuffus *Glos.* 7. *in Regulam*, *de Unionibus*, quod & in Belgio servatur.

XIX. Debet autem exprimi verus valor, tam Beneficii uniendi, quàm ejus ad quod unio fieri debet: Quia ex hac expressione innotescere sæpiùs potest, num utilitas, aut necessitas eam unionem requirat; utpotè quæ ex Ecclesiarum majore, vel minore penuria non rarò metienda est.

Imò monet Rebuffus ibidem *Glossa* 8. quòd si in Signatura unionis fuerit conscripta clausula, quod *obstantiæ Oratoris habeantur pro expressis*, tunc quidem Bulla poterit expediri sine expressione fructuum; *sed in Francia* (ait) *vix reciperentur ratione consuetudinis contrariæ.*

XX. Si omnibus ritè examinatis, singulisque quorum interest auditis, unio Ecclesiarum utilis, aut necessaria appareat, poterit Episcopus ad eam procedere, etiamsi dictæ Ecclesiæ, vel Beneficia essent generaliter, vel specialiter reservata, aut qualitercunque affecta; uti loquitur Synodus Tridentina *Sess.* 21. *cap.* 5. *de Reformat.* & aliis verbis reperitur 23. *Sess. cap.* 18. & *Sess.* 24. *cap.* 5. *de Reformat.* Quare distinctio inter reservationem specialem, & generalem, quam facit Rebuffus de *Unionibus*, *num.* 31. hodie non obtinet, cùm expressè Synodus permittat unionem, non obstante reservatione *speciali*, uti monet Zypæus *Consult.* 6. *de Excessibus Prælat.*

De-

(e) *Cluniacenses Bullas obtinuerunt, quibus unio Beneficiorum, quæ ex eorum Ordine dependent, prohibetur fieri absque consensu Abbatis, & Capituli ejusdem Ordinis: hæ autem Bullæ litteris patentibus confirmatæ fuerunt, & in Magni Consilii commentarios relatæ.*

XXI. Denique pro majori unionum firmitate addit Synodus Tridentina: »Quæ uniones etiam non possint revocari »nec quoquo modo infringi vigore cujuscunque provisionis; »etiam ex causa *resignationis*, aut derogationis, aut sus»pensionis.«

XXII. Hîc & de resignatione facta coram Pontifice Synodum loqui, dubium non est: unde licèt Zypæus admittat, citatâ Consultatione *num.* 18. »si visum erit Sedis Apos»tolicæ, non obstante hujus modi unione, resignationem »*ex certa scientia* admittere, & alteri secundum plenitu»dinem potestatis providere, possit derogare Concilio,« mox tamen subjungit; »Quanquam aliàs difficulter provisio »subreptionis vitio carebit, & difficultate executio in Bel»gii Provinciis; ubi Regiâ auctoritate Concilium receptum, »& servari jussum est, constanter, & sine hujusmodi im»mutationibus.«

XXIII. Rectè tamen ibidem monet Zypæus »non ante im»pediri cursum provisionum Romanarum, quàm Episcopi ad »uniones, & suppressiones hujusmodi se accinxerint: ut si illæ »prævenerint omnium horum actionem, & jam alicui jus sit »quæsitum, collatione *vacantis* Beneficii, & expeditione Bul»larum factâ, auferri illud non possit.«

XXIV. Et hoc quidem si ipsa *collatio*, seu *provisio vacantis* Beneficii ipsam Ordinarii actionem prævenerit: Nam, ut eodem loco notat Zypæus, »mandatis de providendo, nomi»nationibus Universitatum, similibusque reservationibus, & »afectionibus omnibus satis dicendum est, derogatum esse, »dummodo etiam acceptatio, seu provisio post vacationem »factam similiter non prævenerit omnem Episcoporum ac»tionem.«

* Quod *num.* 22. ex Zypæo notatum est, Concilium Tridentinum hisce in locis Regiâ auctoritate receptum, & servari jussum *constanter & sine hujusmodi immutationibus*, nequaquam respicit limitationes, quæ in receptione Concilii Tridentini per Regios Magistratus appositæ fuerunt pro conservatione privilegiorum, & receptarum consuetudinum Provinciarum, & jurium Regiorum; sed immutationes, & derogationes Decretorum hujus Concilii, quas ex plenitudine potestatis subinde Pontifices facere prætendunt, vel interpretationes Congregationis Cardinalium super Decretis hujus Concilii, de qua specie immutationis loquitur Zypæus.

De his autem limitationibus in litteris Regiis pro executione Concilii Tridentini ad Episcopos, & Regios Magistratus expressis, sparsim in hoc Opere plura annotavimus; ac speciatim in Prolegomenis huic Operi præfixis, §. 6.

Conformiter ad has limitationes dixi hoc capite *num.* 4. nec in Belgio admitti unionem Pontificiam *in forma gratiosa*, non obstante Decreto Concilii Tridentini *Sess.* 7. *cap.* 6. *de Reformat.* quo similes uniones declarantur invalidæ & sine effectu, cum hac tamen clausula: *nisi aliter à Sede Apostolica declaratum fuerit.* Quâ clausulâ videtur insinuari, unionem factam *in forma gratiosa* esse validam, & suum debere effectum sortiri, si ita Sedes Apostolica declaraverit. Cùm autem unio Beneficiorum sine aliquali cognitione Judiciali fieri nequeat, si unio Beneficiorum Belgicorum per Pontificem posset fieri *in forma gratiosa*, aliqualis cognitio Judicialis Romæ institui deberet, quod directè contrariatur inveteratis moribus & Privilegiis harum Provinciarum, quæ nullatenus patiuntur Belgas in prima instantia extra suas Provincias evocari, aut cognitionem Judicialem super Beneficiis in hisce Provinciis sitis institui: ut proinde dubium non sit, sub prædictis restrictionibus & hanc clausulam contineri.

CAPUT IV.

De Dissolutione Unionis.

1 *Unio odiosa, & ejus dissolutio favorabilis judicatur.*
2 *Cessante causa unionis solet de facili concedi ejus dissolutio.*
3 *Videtur hodie causa unionis, & incorporationis multarum Ecclesiarum Parochialium cessare.*
4 *Nonnunquam revocatio unionis facienda, licèt causa unionis non omnino cesset.*
5 *Quis unionem dissolvere possit.*
6 *Si consensus Regius in unione intervenerit, etiam adhibendus in dissolutione.*
7 *Revocatio unionis exigit causæ cognationem.*
8 *Minùs exacta toleratur in dissolutione, quàm in unione.*
9 *Dissolutio ad* vitam *non admittitur.*
10 *Dissolutâ unione, Beneficium unitum pristino statui restituitur.*
11 *Dissolutio fit sine præjudicio possessoris.*
12 *Beneficium unitum non potest impetrari ante factam dissolutionem.*
13 *Nisi prætenderetur unio non rectè facta.*

I. UNionem Ecclesiarum, & Beneficiorum esse odiosam, nec sine legitimis, & rationabilibus causis necessitatem, aut utilitatem Ecclesiarum spectantibus, esse faciendam, variasque Beneficiorum uniones nominatim per Synodum Tridentinam vetitas esse, ex hactenus dictis satis constat. (f)

Hinc rectè concludunt Canonistæ, quòd resolutio, seu revocatio unionis sit favorabilis; utpote ipsa Beneficia ad primævam suam naturam reducens, eaque eximens à statu quodammodo violento, ad quem per unionem redacta fuerant.

II. Et si constet, qua præcisè de causa unio facta fuerit, ea cessante, facilè dissolutio unionis admittetur; uti cum Rebuffo rectè advertunt Canonistæ, qui ait: »Quando est facta ob cer»tam causam, belli fortè, destructionis, paupertatis, vel aliam »finalem, tunc cessante ista causâ, cessabit unio. Vel quando »fuit facta ob bellum, & deficiente populo, postea reverso »populo cessabit.« Ita Rebuffus in *Praxi, tit. de Unionis revocatione, num.* 1. & 2. & latè Zypæus *Consult.* 8. *de Excess. Prælat.* ubi latè probare conatur, Pontificia & Regia auctoritate rectè processum ad dissolutionem unionis Monasteriorum factæ quibusdam Episcopatibus Belgicis in eorum erectione; eò quòd ex proventibus Monasteriorum *sufficiens dos* Episcopis esset assignata: atque ita cessaret causa unionis, quæ fuerat necessitas donationis Episcopatuum.

III. Si ritè Ecclesiarum uniones ab ipsis Ordinariis revideréntur, præsertim Ecclesiarum Parochialium, quæ præ cæteris sunt odiosæ, & difficiliùs admittendæ & tolerandæ, non dubium, quin deprehenderetur, causas unionum in multis cessare, atque nullam unionis ulteriùs toleranda causam subesse.

IV. Ulteriùs tametsi non omninò ipsa unionis causa cesset, potest tamen nonnunquam ad revocationem unionis procedi; si alia causa supervenerit, quæ prævaleat causæ unionis, suadeatque revocationem unionis potiùs esse faciendam, quam unionem esse tolerandam. Nam sicuti unio ex causa utilitatis, aut necessitatis Ecclesiarum fieri potest, ita ex eadem revocari, uti monet Rebuffus *num.* 6. ibidem plures causas revocationis assignans, quæ tamen ad hanc reduci possunt.

V. Qui Ecclesias unire possunt, iidem & uniones dissolvere. Unde Episcopum uniones à se, quin & à suo Prædecessore factas dissolvere posse nemo negat. Imò non tantùm à se factam, sed etiam à Papa, vel Legato revocare, causa subsistente, cum Petro de Perusino tradit Rebuffus *num.* 16. Nam Papa uniendo noluit tollere potestatem Ordinariis.

VI. Si tamen unio facta est Regia auctoritate, ipsoque Rege approbante cum causæ cognitione, resolutio, vel revocatio hujusmodi unionis sine consensu Regis non facilè hic, aut in Gallia admitteretur; nec difficulter ab hujusmodi dissolutione appellatio tanquam *ab abusu* reciperetur.

XVII. Ulteriùs sicuti unio non tantum requirit causam aliquam justam, sed insuper causæ cognitionem vocatis, & auditis, quorum interest; ita & revocatio unionis; quia eadem solemnitas requiritur in destruendo, quæ in extruendo, ait Rebuffus *num.* 28. ideoque in Bulla revocationis unionis debet poni illa clausula: *vocatis his qui fuerant evocandi &c.* sicuti poni solet in Bulla unionis.

VIII. Quia tamen ipsa unionis dissolutio habetur ut favorabilis, tanquam Beneficia ad primævum, & naturalem statum reducens, etiam minùs exacta causæ cognitio facilius, quam in unione toleraretur, ut rectè monuit Fevretius *de Abusu, lib.* 2. *cap.* 4. *num.* 37.

IX. Adhæc quemadmodum *uniones ad vitam* hodie reprobatæ sunt, ita nec dissolutiones *ad vitam* reciperentur. Ut si v. g. Canonicus, cujus Præbendæ annexa est Ecclesia Parochialis, consentiret dissolutioni istius Ecclesiæ ad vitam Titii, ea conditione, ut Titio decedente rursus unio revivisceret, & Præbendæ censeretur unita. Rebuffus ibidem *num.* 35. & 36.

X. Revocatâ unione, restituitur Beneficium in pristino statu, redditque ad collationem, sive præsentationem illius, qui ante unionem fuerat Collator, aut Patronus. Nec enim consentiendo unioni censetur *absolutè* juri collationis, aut Patronatus renuntiasse; nisi id expressè actum sit. Rebuffus *num.* 39. & 40.

XI. Sicuti tamen unio fieri solet sine præjudicio possessoris, ita & dissolutio unionis, quin & gesta tempore *unionis* rata manent: ideoque si quæ alienatio contigerit, servatis debitis solemnitatibus durante unione, hæc nequaquam revocabitur; uti nec alii actus gesti à Prælato tempore unionis. Rebuffus *num.* 45.

XII. Ut Beneficium unitum, separitim ab alio Beneficio, cui fuit unitum, queat impetrari, non sufficit, causam unionis ces-

(f) *De unione Beneficiorum, & ejusdem unionis dissolutione juxta morem in Galliis observatum, consulatur tom.* 10. *nova Collectaneorum Cleri Gallicani à columna* 1813. *usque ad col.* 2056.

cessare, aut esse causam sufficientem dissolutionis; sed requiritur, ut auctoritate Superioris ipsa dissolutio, servatis servandis, facta sit.

XIII. At si prætendatur *invalidè* facta defectu observatæ solemnitatis, » tunc solemus in praxi impetrare Beneficium uni» tum (ait Rebuffus *num.* 30.) & postea agere super possesso» rio: & si opponatur esse unitum, replicatur, non valere unio» nem: & ab illa unione appellatur tanquam *ab abusu.*«

Cùm unio sit quædam alienationis species, ad intellectum eorum, quæ hoc titulo dicta sunt, etiam usui venire poterunt, quæ infrà titulo *de rebus Ecclesiæ non alienandis*, dicentur.

TITULUS XXX.
De Simonia circa Beneficia.

CAPUT I.

UNDE DESUMENDA ENORMITAS HUJUS VITII; ET QUARE OLIM MAGIS CONTRA SIMONIACAS *ORDINATIONES*, QUAM SIMILES BENEFICIORUM PROVISIONES ACTUM; HODIE VERO SECUS.

1 *Hoc vitium omnium criminum gravissimum à Patribus reputatum.*
2 *Ratio hujus ex inordinatione, quæ rebus spiritualibus infertur, petita.*
3 *Gravitas hujus criminis potissimùm ex effectibus desumenda.*
4 *Per illud* fures, & latrones *intrant in Ovile Christi.*
5 *Per illud contingit, ut de idoneitate cura negligatur, & inidoneis ad Beneficia porta pateat.*
6 *Fit, ut Promovendi ad Sacerdotia magis de habendis divitiis, quàm bonis moribus soliciti sint.*
7 *Pauperes, licèt magis idonei, excluduntur.*
8 *Non bona vita, sed munera quæruntur.*
9 *Eosdem malos effectus Simoniæ Synodi nostræ ætatis etiam expressêre.*
10 *Veteres magis egerunt contra simoniacas* Ordinationes; *Recentiores verò magis contra Simoniacas Beneficiorum provisiones: idem tamen horum, & illorum scopus.*
11 *Hic scopus ut obtineretur, primis seculis contra simoniacas Beneficiorum provisiones potissimùm agendum fuit.*
12 *Ratio hujus fuit diversitas disciplinæ circa dispensationem reddituum Ecclesiasticorum.*
13 *Simoniaci maximè attendunt temporalia, quæ posterioribus seculis magis per Beneficiorum provisionem, quàm per Ordinationem requiruntur.*
14 *Non minus olim, quam hodie Ecclesia execrata est simoniam in provisione Beneficiorum.*
15 *Similiter æquè hodie ac olim execratur simoniacas Ordinationes.*
16 *Quomodo postremis his seculis simonia in Ordinationes irrepserit.*
17 *Decretum Synodi Tridentinæ contra hunc abusum.*
18 *Etiam quæ* gratuitò *dicuntur offerri in Ordinatione respuenda.*
19 *Consuetudo* nihil dandi *etiam ipsis Notariis à Gallis laudata, & à Synodo comprobata.*
20 *Merito Episcopi suis Ministris congruum stipendium assignarent, ut à suspectis exactionibus cohiberentur.*
21 *Monitum S. Ambrosii expendendum à Prælatis, qui suos non cohibent Ministros.*

I. SImoniæ crimen esse unum è gravissimis criminibus unanimis fuit jam pridem Patrum sententia. Quin & sub nomine Paschalis Papæ refert Gratianus: *Omnia crimina ad Simoniacæ hæresis comparationem* QUASI PRO NIHILO *sunt reputanda.*

Et ad Adrianum I. scribit Tharasius Patriarcha Constantinopolitanus: *Tolerabilior est Macedonii, & eorum, qui circa ipsum sunt Spiritûs Sancti impugnatorum impia hæresis.* Apud Gratianum *Caus.* 1. *quæst.* 1. *Can.* 21.

III. Rationem subjicit Tharasius: » Nam cùm illi S. Spi» ritum Dei, & Patris creaturam, & servum nugentur, hi » suum ipsorum, quantùm putant, servum ipsum faciunt. » Omnis enim Dominus, quidquid habet, cùm libuerit, ven» dit, sive famulum, sive aliquid ex his, quæ possidet. Simi» liter & qui emit, volens emptæ rei Dominus fieri, argenti » pretio eam acquirit.«

Cùm enim in omni simonia interveniat quædam saltem implicita emptio & venditio rerum spiritualium cum temporalibus, tanquam pretio, verissimum est, ipsa spiritualia per simoniam ad rationem rerum temporalium deprimi, & iis quodammodo coæquari; atque per hoc ad quandam vilitatem redigi. *Quis enim non vile esse putat, quod venditur*, ait Hormisdas Papa? *Aut quis denuò veneretur, quod venditur, aut quis non vile putet. quod emitur*, scribit S. Gregorius *lib.* 7. *epist.* 114.

Hanc inordinationem notâsse videtur Apostolus Petrus, dum Simoniacorum Patri respondit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quoniam* DONUM DEI *existimâsti* PECUNIA POSSIDERI *Act. cap.* 8. *v.* 20.

III. Et si ex hac rerum spiritualium depressione, quæ per earum cum temporalibus commutationem contingit, hujus criminis enormitas aliquatenus desumi, & ponderari queat, magis tamen elucescit, ubi mala ex hoc vitio in Ecclesiam redundantia attenduntur, intelligiturque, nihil per exagerationem à Patribus fuisse dictum, dum hoc simoniæ crimen omnium criminum *gravissimum* dixerunt: nimirum penes suos effectus.

IV. Quid enim perniciosius, ac luctuosius esse Ecclesiæ potest, quàm si ad Ovile Christi non per Ostium, id est, Christum, sed aliunde, puta per munera, ascendatur? Qui enim aliunde ascendunt? nisi fures & latrones; qui non veniunt, *nisi ut furentur, & mactent, & perdant*, Joan. *cap.* 10. *v.* 10.

Quæ hinc animarum strages? Quæ sacrilegiorum in Pastoribus exundantia? Quæ criminum, & omnium abominationum in populo colluvies? Dum non Pastores, quos Oves sequuntur & audiunt, sed Mercenari, fures, & latrones, per aurum, & argentum intromittuntur.

V. Ad hæc, dum per munera ad Ecclesiastica Ministeria ascenditur, aut in promotione munera attenduntur, jam de vitæ sanctitate, doctrina, aliisque necessariis qualitatibus cura exigua aut nulla; atque hinc inidoneis porta aperitur, & maximè inidoneis occluditur; uti rectè advertit Sanctus Tharasius in citata epistola; hinc meritò etiam gravitatem hujus desumens. » Si venditur sacerdotii dignitas, supervacua & apud istos ven» ditores honestæ vitæ institutio, & puritatis virtutisque cul» tus: supervacuus apud ipsos & Paulus divinus Apostolus » docens, oportere Episcopum esse sine crimine, temperan» tem, modestum, aptum ad docendum, continentem, so» brium, insistentem fideli secundum doctrinam sermoni, ut » potens sit exhortari in doctrina sana, & contradicentes refel» lere. Pereunt igitur hæc omnia, ex eo quòd Sacerdotium » venditur & emitur.« 1. *ad Timot. cap.* 3. & *ad Tit. cap.* 1.

VI. S. Gregorius scribens Theodorico, & Theodeberto Francorum Regibus *Lib.* 7. *Epist.* 117. ait: » Fertur Simonia» cam hæresim, quæ prima contra Dei Ecclesiam diabolica sup» plantatione surrepsit, & in ipso ortu suo, telo Apostolicæ ul» tionis percussa, atque damnata est, in regni vestri finibus » dominari, cùm in Sacerdotibus fides sit eligenda cum vita. » Si enim vita deest, fides meritum non habet, Beato Jacobo » attestante, qui ait: *Fides sine operibus mortua est.* Quæ enim » opera esse valeant Sacerdotis, qui honorem tanti Sacramen» ti convincitur obtinere per præmium.«

Hinc tanquam consequens concludit: » Ex qua re agitur ut » ipsi quoque, qui sacros Ordines appetunt, non vitam corri» gere, non mores componere studeant sed divitias, quibus ho» nor sacer emitur, satagant congregare.«

VII. Pergit dein: » Hinc fit, ut insontes, & pauperes à » sacris Ordinibus prohibiti, despectique resiliant. Et dum in» nocentia pauperis displicet, dubium non est, quòd præmium » illic delicta commendet: quia ubi aurum placet, ibi & vi» tium..... Si enim is dignus Sacerdotio creditur, cui non ac» tionis merita, sed præmiorum copia suffragatur, restat ut » nihil sibi ad honores Ecclesiasticos gravitas, nil defendat in» dustria, sed totum auri prophanus amor obtineat.«

VIII. Imò ad Galliarum Episcopos super simoniaca hæresi scribens *lib.* 7. *Epist.* 3. ipsiusque vitii gravitatem exponens, inter alia dicit: » Quid per hoc aliud agitur, nisi ut nulla de ac» tu probatio, nulla solicitudo de moribus, nulla sit de vita » discussio; sed ille solummodo dignus, qui dare pretium suf» fecerit, æstimetur.« Ea rationem dat in *Epist.* 14. » Nam » ubi dona supernæ gratiæ venalia judicantur, ad Dei servitium » non vita quæritur, sed magis contra Deum pecuniæ ve» nerantur.«

IX. Nec tantùm Veterum, sed Recentiorum Synodorum, & Pontificum de his pestiferis simoniacæ pravitatis effectibus fuit querela; nec minus ab his, quàm ab illis abominabilis, & exitiosa Ecclesiæ lues judicata simonia.

Paucis, sed energicis, & claris id terminis seculo præterito expressere Patres Synodi Bituricensis: » Ubi hæresis Simo» nis

» nis in Ecclesia invaluit, probis, atque eruditis viris aditus » ad Beneficia præclusus est, indeque omnis propè Ecclesias- » tica disciplina collapsa est. « Anno 1584. « *tit.* 41. *cap.* 1.

X. Verùm quidem est, in pristinis Ecclesiæ Canonibus, & monumentis præcipuè redargui, & exagitari, reprobarique simoniam in Sacris Ordinationibus committi solitam: in recentioribus verò rarò hujus mentionem fieri, at plerumque omnia dirigi contra simoniam in collatione, & provisione Beneficiorum: sed hæc diversitas nullatenùs probat, aliam esse Ecclesiæ hodie de simonia ideam, quàm olim fuerit; aut olim habitum fuisse magis perniciosum vitium simoniæ, quàm hodie habeatur. Semper enim idem fuit & Veterum & Recentiorum scopus; & illorum in reprobandis simoniacis Ordinationibus, & horum in damnandis simoniacis Beneficiorum provisionibus: & quod hi magis contra has, illi verò contra illas invecti sint, non ex variato Ecclesiæ spiritu de hoc vitio simoniæ; at ex varietate disciplinæ profluxit.

XI. Semper enim Ecclesiæ scopus in condemnatione hujus criminis fuit, ut omnis in electione Ministrorum Ecclesiæ caveretur venalitas; nec in electione illorum munera, sed merita attenderentur. Quod ut obtineretur, prioribus Ecclesiæ seculis præcipuè invigilandum fuit, ut à sacris Ordinationibus omnis venalitas arceretur: posterioribus verò temporibus, non tam contra simoniacas Ordinationes, quàm Simoniacas Beneficiorum provisiones agendum fuit: utpotè quòd jam priores raræ, posteriores verò frequentiores, nec minùs perniciosæ evasissent ob mutatam lapsu temporis disciplinam.

XII. Pluribus enim seculis in more positum fuisse, quòd Clerici per ipsam sacram Ordinationem Ecclesiis tanquam earum ministri adscriberentur; eaque adscriptione jus ad proventus Ecclesiasticos acquirerent, non secus atque hodie per Beneficiorum institutionem, non semel notavimus. At posterioribus temporibus erigi cœperunt tituli Beneficiales, iisque jus percipiendi certos proventus annecti; qui non in ipsa Ordinatione, sed separatim ab ipsa conferri cœperunt.

Hinc ulteriùs factum, ut nec jus ad temporalia, neque Dignitates, aut honores per Ordinationem, uti antiquitùs; sed per collationem titulorum Beneficialium conferrentur.

XIII. Cùm verò Simoniaci non ipsa spiritualia propter spiritualia appetant; sed unicè desiderent temporalia lucra; aut seculi honores, & præeminentias ambiant, parum solliciti fuêre de Sacra Ordinatione, dum per eam nihil, aut parum de iis, quæ desiderant, consequi sperârunt; sed totum eorum studium fuit, & hodie est, quomodo opima Beneficia, & honorificas Dignitates consequantur.

Non mirum ergò, quòd pristini Canones præcipuè in Simoniacas Ordinationes insurgant; cum Simonia, tum præcipuè in Ordinationes grassaretur; ubi hodiè rariùs in Ordinationes, frequentissimè verò circa Beneficiorum collationem.

XIV. Idem igitur semper & invariatus mansit in condemnatione Simoniæ spiritus Ecclesiæ, Decreta sua pro varietate morborum diversificantis, & prout scopo suo aptiora credebat adaptantis. Unde nec primis seculis minus, quàm hodie Simoniam in Beneficiorum collatione execrata: tametsi de hac expressè tunc in suis Decretis non meminerit: eò quòd Beneficiorum collatio sub ipsa ordinatione quodammodo esset comprehensa.

XV. Similiter non minus hodie, quàm olim execratur Simoniacas Ordinationes; imo quidquid in sacra Ordinatione vel Simoniam sapit: tametsi non tamen frequentia sint contra has posteriorum temporum Decreta; eò quod Simoniacorum studium minus circa Ordinationes versetur.

XVI. Quantoperè etiamnum Ecclesia execretur omne quod vel speciem duntaxat præfert Simoniæ in sacra Ordinatione, evincit Decretum Synodi Tridentinæ *Sess.* 21. *cap.* 1. *de Reformat.*

Tametsi enim Simonia præcipuas suas partes ageret circa collationem Beneficiorum, utpotè ex qua temporalia in majore copia profluerent, ipsa tamen sacra Ordinatio non omninò fuit immunis.

Episcopi enim, notanter opulentiores, spreta ipsa Clericorum Ordinatione, à qua nullum temporale dependebat, retenta sibi Beneficiorum collatione, illam Episcopis titularibus committere cœperunt. Hi quia sibi frequenter sat tenuiter provisum erat, è functionibus Ecclesiasticis victum quærebant; iique vicissim, quos ad Ordines admittebant, his aliquid conferre cogebantur; primùm *eleemosynæ* nomine, sive *oblationis*, dein honoratiore titulo *donationis*; ac denique, ne cum debitum non esset, omitteretur, *mercedis* nomine imposito; non quæ Episcopo Ordinanti, sed famulis ejus, aut aliis inter ordinandum ministrantibus cederet: quemadmodum ex pluribus Synodorum decretis postremis seculis editis colligimus; atque inter alia est Decretum Synodi Toletanæ anno 1473. *Can.* 25. quo præcipitur Episcopis, » nec janitores, barbitonsores, & » alios Officiales, quidquam exigere, aut levare permittant, » etiam pro sigillo & cera, sed gratis & liberaliter impendant. «

XVII. Huic abusui, qui tempore Concilii Tridentini non parùm invaluerat, præsertim in Episcopatibus tenuioribus, ut efficaciter occurreret, statuit *citato Cap.* 1. » Quoniam ab Ec- » clesiastico ordine omnis avaritiæ suspicio abesse debet; nihil » pro collatione quorumcunque Ordinum, etiam Clericalis Ton- » suræ, nec pro litteris dimissoriis, aut testimonialibus, nec » pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam spontè obla- » tum Episcopi, & alii Ordinum collatores, aut eorum mi- » nistri quovis prætextu accipiant. Notarii verò in iis tantùm » locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil acci- » piendi pro singulis litteris dimissoriis, aut testimonialibus, » decimam tantùm unius aurei partem accipere possint; dum- » modò illis nullum salarium sit constitutum pro officio exer- » cendo: nec Episcopis ex Notarii commodis aliquod emo- » lumentum ex eisdem Ordinum collationibus directè vel indi- » rectè provenire possit. Tunc enim gratis operam suam eos » præstare omninò teneri decernit; contrarias taxas, ac statu- » ta, & consuetudines, etiam immemorabiles, quorumcumque » locorum, quæ potiùs abusus, & corruptelæ simoniacæ pravitati » faventes, nuncupari possunt, penitùs cassando, & interdicendo; » & qui secùs fecerint, tan dantes quàm accipientes, ultra divi- » nam ultionem, pœnas à jure inflictas ipso jure incurrant. «

Circa præsens Decretum duo observanda esse monet Cardinalis Pallavicinus in historia Concilii Trid. *Lib.* 17. *c.* 9. *n* 9.

XVIII. Primum, quòd in articulo Patribus proposito diceretur: » *Transgressores tanquam* SIMONIACOS *esse puniendos*; » sed hoc postea esse derasum, cùm Simonia non sit *oblati* ac » *gratuiti* doni acceptio. Quamobrem illius dicti loco positum » est, ne valeret in oppositum quæcunque consuetudo, seu ve- » riùs abusus, & corruptela, utpote simoniacæ pravitati favens. «

Si Prælati Ecclesiarum pro sui officii ratione diligenter exuterent, quæ sub pallio *oblati* ac *gratuiti doni* in Sacramentorum administratione, aliisque Ecclesiasticis functionibus, tum à Sacerdotibus, tum ab Episcoporum Ministris, & Officialibus accipiuntur, non dubium, quin plura reperirent, quæ si non ut simoniaca, saltem tanquam abusus, & corruptelæ simoniacæ privati faventes, essent reprobanda, non obstante consuetudine etiam *immemorabili*.

XIX. Secundò, notatu dignum dixit Pallavicinus, » eam » permissionem Scribis habitam, quæ in prioribus Decretis erat » universalis, fuisse coarctatam, Gallis petentibus, ad eas Dioe- » ceses, ubi laudabilis consuetudo non esset, ne quid etiam ac- » ciperent Scribæ; eam enim consuetudinem dixerunt in ipso- » rum regionibus vigere. «

XX. Optandum esset, ut omnes Episcopi, præsertim quibus de proventibus Ecclesiasticis abundè provisum, eam XVI. seculi à Gallis observatam consuetudinem in suas Dioeceses introducerent; congruumque suis ministris salarium darent, quo à suspectis hisce exactionibus cohiberentur.

XXI. Meritò Episcopi, aliique Prælati, qui non sat cohibent suos domesticos à recipiendis muneribus, aut donis, vel juribus quibusdam, uti vocare amant, expendent illud S. Ambrosii in *Cap.* 4. *Lucæ.* » Non tamen satis est, si lucrum ipse » non quæras: familiæ quoque tuæ cohibendæ sunt manus: nec » hoc solùm exposcimus, ut te solùm castum immaculatumque » custodias: Non enim dixit Apostolus, te solùm; sed *teipsum castum custodi.* « 1. *Tim. cap.* 5. *v.* 22.

CAPUT II.

De Triplici munere, a *Manu*, a *Lingua*, et ab *Obsequio*.

1 *Triplex munus jam pridem à Patribus notatum.*
2 *Singulorum interventu Simonia contrahitur.*
3 *Quid munus* à manu.
4 *Munus* à manu *etiam exiguum, potest causare simoniam.*
5 *Ut simonia committatur, non requiritur, ut munus* à manu *realiter tradatur.*
6 *Qua ratione Monasteria, & Capitula paciscendo de minore* competentia *cum Parochis, Simoniam committant per munus* à manu.
7 *Quid munus* à lingua.
8 *Quando hîc committatur simonia per hoc munus.*
9 *Si ad preces alterius conferatur Beneficium, ne ejus favor amittatur, potest esse simonia.*
10 *Licèt etiam preces fiant pro* digno.
11 *Quando sine simonia possit fieri provisio ad* preces *alicujus.*
12 *Potest quis sine simonia* preces *interponere pro obtinenda provisione in favorem amici.*
13 *Quandonam* preces *habeant rationem muneris* à lingua.
14 *Quid munus* ab obsequio.
15 *Quare obsequium habeat rationem muneris.*
16 *Quomodo exhibentes Patronis obsequia, simoniam incurrant.*
17 *Quid Episcopis agendum, ne hac simoniâ notentur.*
18 *Instructores puerorum nonnunquam huic vitio subjecti.*
19 *Obsequium spirituale etiam materiam simoniæ constituere potest.*

20 *Exigere obsequium etiam spirituale pro collatione Beneficiorum, potest esse simoniacum.*

21 *Unde dignosci possit simonia, quæ interventu horum munerum committitur.*

I. SAnct. Hieron. in Epist. *ad Titum*, *cap.* 1. ad ea verba: *Et constituas per civitates Presbyteros*, ait: » Nunc » cernimus plures hanc rem beneficium facere, ut non quærant » eos in Ecclesia erigere columnas, quos plus cognoscant Ec- » clesiæ prodesse: sed quos, vel ipsi amant, vel quorum sunt » *obsequiis* deliniti, vel pro quibus majorum quispiam *rogaverit*, » & (ut deteriora taceam) qui ut Clerici fierent *muneribus* im- » petrarunt. « Apud Gratianum *Caus.* 8. *quæst.* 1. *Can.* 6.

Hic non obscurè triplex illud famosum muneris genus; nimirùm *à manu*, *ab obsequio*, *& à lingua* notavit Hieronymus; & clarius post ipsum S. Gregorius *Homilia* 4. *in Lucam*, & extat apud Gratianum *caus.* 1. *quæst.* 1. *can.* 114. ubi reflecti jubet, quòd Propheta cùm virum justum adscribit, dixerit: *Qui excutit manus suas ab* OMNI *munere.* » Neque dicit enim » & (ait Gregorius) qui excutit manus suas à munere, sed ad- » junxit *ab omni*: quia aliud est munus *ab obsequio*, aliud mu- » nus *à manu*, aliud munus *à lingua.*

II. Post hos sanctos Ecclesiæ Doctores, nemo dubitavit, quin horum trium munerum interventu simonia in Ordinum, aut Beneficiorum collatione committeretur.

Unde seculo XI. apud Gratianum *caus.* 1. *quæstion.* 3. *Can.* 8. sine ulla dubitatione pronuntiat Urbanus II. » Qui res » Ecclesiasticas non ad hoc, ad quod institutæ sunt, sed ad » propria lucra, munere *linguæ*, vel *indebiti obsequii*, vel *pe-* » *cuniæ* largitur, vel adipiscitur, *simoniacus* est. «

Et B. Petrus Damiani *lib.* 2. *epist.* 1. hisce tribus muneribus enumeratis, subjungit: » Quisquis in dandis, accipiendis- » que Dignitatibus Ecclesiasticis, *una duntaxat earum*, quæ » prædictæ sunt, peste corrumpitur, simoniacæ hæreseos tene- » ri crimine judicatur. «

Itaque indubitatum est, atque unà cum S. Thoma tenent omnes Tgeologi, & Canonistæ, quod sicuti contrahitur Simonia accipiendo *pecuniam*, *vel quamlibet aliam rem exteriorem quod pertinet ad munus à* MANU; *ita etiam contrahitur per munus à* LINGUA, *vel ab* OBSEQUIO, uti loquitur S. Thomas 2. 2. *q.* 100. *art.* 5. *in Corp.*

III. Munus *à manu* teste S. Gregorio loco suprà citato, pecunia est.

Nomine *pecuniæ* hîc intelligit S. Thomas, non tantùm pecuniam strictè dictam; sed quamlibet aliam rem exteriorem, quam sub munere *à manu* comprehendi jam dixi.

Nam ut ex Augustino refertur apud Gratianum *caus.* 1. *quæst* 3. *Can.* 6. » Totum quidquid homines possident, om- » nia, quorum Domini sunt, *pecunia* vocatur... Ideò autem » *pecunia* vocata est, quia Antiqui totum, quod habebant, in » *pecoribus* habebant. «

IV. Hinc collige Simoniam comitti munere *à manu*, dum alicujus rei temporalis exterioris interventu Beneficium acquiritur, vel datur.

Et quidem Simoniacum pronuntiare non dubitavit Alexander III. in *cap.* 20. ✠ *de Simonia*, Clericum, qui *sex* duntaxat *solidos* Archidiacono solverat, quia ipsum ad Ordinem aliter præsentare noluisset: ut proinde etiam per munus *à manu*, licèt exiguum, Simonia subinde incurri queat: quod & notat hic Glossographus verbo *sex solidos*, additque rationem: » quia quantitas muneris diversitatem juris non inducit. «

V. Ut munus *à manu* intervenire dicatur, non requiritur, ut realiter de manu in manum externum illud temporale tradatur; sed sufficit, quòd in effectu detur, etiam fictione *brevis manus*, ut Jurisconsulti loquuntur.

Si quis enim impetret Beneficium tacitè, vel expressè remittendo debitum: vel Collator dare nolit, nisi addicta remissione debiti; indubiè uterque Simoniacus erit; diceturque reverâ interventu muneris *à manu* provisio Beneficii infecta: quia per remissionem illam debiti reipsi datum censetur illud, quod erat debitum.

VI. Hoc ex capite Patroni, ac signanter Ecclesiastici, Capitula, & Monasteria Simoniæ saltem suspicione vehementi asperguntur, dum ad Ecclesias Parochiales præsentant eâ lege tacitè, vel expressè, ut præsentatus minore competentia sit contentus, aut saltem augmentum illius non prætendat. Similiter Clerici, qui tacitè, vel expressè remissionem illam addicunt, aut augmento, quod forsitan jure prætendere possent, renuntiant, ut præsentationem obtineant, lepram Simoniæ non evadunt.

Quid enim evidentius, quàm quòd eò casu vel debiti certi, aut saltem probabilis fiat remissio, ut Beneficium conferatur, vel accipiatur.

Non absimiles sunt hi Sacerdotes Clericis illis, qui uti loquitur Alexander III. in *cap.* 6. ✠ *de Pactis*, » decedentibus » Ecclesiarum Personis, paciscebantur, ex ipsis *majores solitò* » solvere pensiones, ut faciliùs possint Ecclesias adipisci: « quorum factum ut detestabile vitium mandat extirpare, & Clericos illos *taliter adeptis Ecclesiis spoliari*; *aliàs pro tantæ præsumptionis excessu*, *severitate Ecclesiastica puniendos.*

Clerici enim, qui Capitulis, aut Monasteriis abdicunt se minore competentia fore contentos, reipsa promittunt, quòd Capitulis, aut Monasteriis major decimarum portio cedet, quam reverà cederet, si competentia, quam jure exigere possent, solvi deberet: & per consequens, mediante simile renuntiatione, Beneficium impetrantes, illud per munus à *manu* reverà impetrant.

VII. Munus *à lingua*, auctore Sancto Gregorio, est *favor* cujus interventu non secus, atque per munus *à manu* contrahi Simoniam docet S. Thomas citato articulo 5. rationem adjungens: » Quia quod aliquis satisfaciat precibus alicujus ad » *temporalem gratiam* quærendam, ordinatur ad aliquam *utili-* » *tatem*, quæ potest pecuniæ pretio æstimari. «

VIII. Toties igitur Simonia munere *à lingua* committitur, quoties Beneficium ad preces alterius confertur, ut hinc *gratia*, seu favor ad utilitatem propriam obtineatur. *Tales enim preces succedunt loco pretii*, uti rectè notavit Glossa.

IX. Similiter simoniâ per munus *à lingua* inficitur, qui Beneficium ad preces alterius conferendum duxit; ne recusans offensam postulantis incurrendo, *gratiam*, seu *favorem* ejus amitteret. Nec enim minùs prætio æstimabile censetur favorem alicujus obtentum non amittere, quàm non obtentum comparare.

X. Quinimò nec collatio Beneficii facta ad preces alicujus desinit esse Simoniaca, si per eam *favor humanus* quæratur tametsi preces pro *digno*, aut etiam *digniore* porrigantur. Quia cùm nihilominus Beneficium collatum sit, ut favor, qui ad utilitatem propriam spectat, habeatur, non potest collatio vitio simoniæ carere, non magis quàm collatio facta dignissimo pro præstatione pecuniæ.

Quod ipsum docet S. Thomas, adstruens esse simoniam saltem in intentione, conferre Beneficium ad preces alterius, licèt illæ fiant pro digno: *Si non attenditur*, inquit, *ad dignitatem personæ*, *sed ad* FAVOREM HUMANUM.

XI. Rectè hanc clausulam finalem addidit Doctor Angelicus. Nam si attendatur ad *dignitatem personæ & non ad favorem humanum*, dum preces porriguntur pro digno, collatio facta ad preces alterius ab omni simonia, omnique vitio exempta esse potest.

Si enim collator solùm attendat merita personæ per eum, qui preces pro collatione interponit, proposita; hujusmodi *preces* non loco pretii alicujus habendæ erunt; sed simplicis attestationis, vel expositionis meritorum; & collatio ad *preces* illius subsecuta, non tam in *gratiam* commendantis, vel ut sibi favorem postulantis in suam *propriam* utilitatem captaret; sed propter *merita* personæ per supplicantem, seu preces porrigentem proposita & patefacta, censebitur facta.

XII. Pariformiter si instans apud collatorem pro provisione Beneficii in favorem alicujus sui amici, non alio intuitu preces porrigant, quàm ut merita personæ Collatori, vel Patrono innotescant, atque per illam solùm, ad conferendum Beneficium Collatorem movere intendat, nulla quoque per species simoniæ ex parte supplicantis interveniet. (g)

Rectè proindè dixit Gratianus noster *Non quorumlibet* PRECIBUS *Ordinationes factæ falsæ adjudicantur*, *sed hæ demum quæ precibus ordinandi*, *vel ejus amici*, NON SPIRITUALI, *sed* CARNALI AFFECTU *porrectis fiunt*, *cum aliàs futuræ non essent*, QUAS NON CHARITAS INTERVENIENS, SED AMICITIA SUPPLICANS EXTORQUET *Caus.* 1. *quæst.* 1. post *Can.* 122.

XIII. Ut igitur verbo dicamus: rogans, aut porrigens *preces* pro alio erit simoniacus saltem in intentione, si preces ea intentione offerat, ut Collatorem non per *merita* personæ, sed per *gratiam*, aut *favorem* humanum, quem tacitè ipsi addicit, ad conferendum movere intendat. Similiter nec Collator à simonia erit immunis, si non ob merita personæ per supplicantem exposita, sed ob addictam sibi *gratiam*, aut *favorem* ad conferendum processerit juxta illud S. Thomæ: *Qui dat spirituale*, *si principaliter moveatur favore* PRECUM *vel* TIMORE *rogantis*, *quantum ad judicium Divinum Simoniam committit & rogatus & rogans*, *si hoc intendat.*

XIV. Munus *ab obsequio*, ait S. Gregorius, *est servitus indebitè impensa.* Hujus muneris interventione cur simonia committatur, dicit Sanctus Thomas: » Quia idem est, quod aliquis » det rem spiritualem pro aliquo *obsequio temporali* exhibito, vel » exhibendo, ac si daret pro pecunia data, vel promissa, quâ il- » lud obsequium æstimari posset. «

Eandem, quem altero Beneficio à me dependente donari expetii; quia ista pactio ad temporalem utilitatem promovendorum ex pacto pertinet; ideo simoniacis actibus annumeratur.

(g) *In crimen simoniæ per munus* à lingua *incidunt duo Collatores*, *aut Electores*, *qui ita paciscuntur inter se: tu elige Petrum: quem ad tale Beneficium assumi cupio*, *& ego eligam Pau-*

XV. Eandem rationem attigit B. Petrus Damiani perstringens Clericos aulicos, qui exhibendo *obsequia*, Beneficia venabantur, se tamen à simonia immunes gloriabantur, *quia nullam talenti summam pro suscipiendis honoribus se pepigere daturos.* » Sed dic mihi, ò Clerice, inquit Petrus Damiani, quis» quis es, si redempto quolibet aureo vase vel prædio, distractor » exigeret, ut retenti apud te *vice pretii* hujusmodi sibi *sedulitatis impendium* exhiberes, nunquid non postmodum constan» ter asseres, te, quod acceptum est, *justo pretio* comparasse? » Non videlicet, quia pecuniam persolvisti, sed quia *servitium* » præbuisti. Diceres enim, & fortâsse non impudenter astrue» res; cariùs emi, dum tanto me labore vexarem, dum toties » facultatum mearum sumptus expenderem, quàm si semel præ» fixæ quantitatis pecuniam numerarem. Nequaquam ergo sibi in» nocentiam præbeant, & à simoniacæ hæreseos maculis se » mundos esse confidant, qui licèt metalia vibrantia non ap» pendant, pretium tamen pro suscipiendis honoribus per sub» jectionis & obsequii, quædam *quasi talenta* persolvunt. « Hæc B. Petrus Damianus *lib.* 2. *epist.* 1.

XVI. Manifestam proindè incurrunt simoniam, qui obsequium, seu servitium Collatoribus, aut Patronis *gratis* exhibent, ea conditione tacita vel expressâ, quòd ipsis occasione occurrente de Beneficio providebunt. Similiter & ipsi Collatores eodem vitio irretiuntur, si ea spe alliciant Clericos, ut sibi obsequium, aut servitium *gratis* exhibeant.

XVII. Hoc simoniæ periculum metuens S. Carolus *Monuit, atque obtestatus est Episcopos, aliosque, quibus jus est conferendi Beneficia, ut familiaribus suis certam mercedem constituant, ne illi subsidio destituti, Beneficia Ecclesiastica, tanquam* SUÆ OPERÆ, *&* LABORIS PRETIUM *præcipue sibi proponant.* In Synod. Mediol.

XVIII. Eundem simoniæ reatum incurrunt, qui Principum, aut aliorum Magnatum liberos, vel Episcoporum Nepotes *nullo*, aut *exiguo* stipendio regendos, erudiendosve suscipiunt, eâ spe, ut Beneficia Ecclesiastica ab ipsis, vel eorum favore adipiscantur.

XIX. Neque labes simoniæ abstergetur, tametsi obsequium exhibitum, vel exhibendum spirituale foret: quia & spirituales operam exhibentes, tanquam operarii, digni sunt mercede sua; undè si hanc intuitu Beneficii accepti, aut accipiendi remitant, indubiè simoniaci sunt. Similiter, qui tale obsequium intuitu Beneficii dati, aut promissi sibi *gratis* exhiberi, tacitè vel expressè postulant, aut oblatam acceptant, simoniæ labe inficiuntur.

Hinc simoniaci sunt Canonici, aliique Sacerdotes assumentes Vicarios, qui exiguo sint contenti stipendio, spe consequendi Beneficium.

XX. Simoniacum quoque est, conferre alicui Beneficium eà lege, & conditione tacitâ, vel expressâ, ut ipse Beneficiatus teneatur Collatori, vel alteri aliqua obsequia etiam spiritualia, Beneficio non annexa, *gratis* præstare. Quis enim dubitat, quin obsequia illa licèt spiritualia *gratis* exhibita, ad utilitatem redundent Collatorum; nec enim obsequia illa tametsi spiritualia, sine constituta mercede ab aliis ipsis exhiberentur.

XXI. Non multum difficile erit dijudicare, quandonam aliquo munere, sive *à manu*, sive *à lingua*, sive *ab obsequio*, collatio, vel provisio Beneficii vitio simoniæ infecta sit, si sincere expendantur omnia, quæ gesta sunt, & conferantur cum sententia Chisti: *gratis accepistis, gratis date.* Math. cap. 10. v. 8.

CAPUT III.

QUAM COMMUNE ALIQUANDO HOC VITIUM FUERIT, ET QUOMODO TECHNIS OCCULTATUM; ET QUID AD TECHNAS DETEGENDAS ADHIBITUM.

1 *Quando hoc vitium invalescere cœperit.*
2 *Tempore S. Gregorii per Galliam, & Germaniam invaluerat.*
3 *Similiter in Oriente.*
4 *Vitium hoc eo tempore erat* vetustate *inolitum.*
5 *Quantopere seculo II. grassaretur; & acris Henrici Imp. super eo invectiva.*
6 *Etiam in Italia grassabatur; & Episcopi vitium agnoscebant, & veniam ab Imperatore postulârunt.*
7 *Edictum Imperatoris contra Simoniacos.*
8 *Simonia eo tempore non reputabatur pro peccato.*
9 *Credebatur consuetudine vitium hoc excusari.*
10 *Defendebatur consuetudine Ecclesiæ Romanæ.*
* *Quàm olim frequens simonia in Aula Romana.*
* *Quid Durandus de illius simonia notaverit.*
11 *Consuetudo est mera simoniæ larva.*
12 *Nullum vitium tot palliis, & technis tectum fuit, quàm hoc vitium simoniæ; & quare.*
13 *De Simoniacorum palliis testatur Synodus Constantinopolitana.*
14 *De eisdem testatur S. Gregorius.*
15 *His palliis detegendis aptissima est sententia Christi*, Gratis accepistis, gratis date.
16 *Eam adversus Symoniacorum fraudes adhibendam censuit citata Synodus Constantinopolitana.*
17 *Hac sententiâ & alii Patres usi; & ad evitandam simoniæ labem hodie meritò adhibenda.*

I. POstquam Ecclesia redditibus augeri cœpit, atque Ministeriis Ecclesiasticis proventus opimi, & honores seculi annexi fuêre; ambitiosi, & avari ea mirum in modum ambire, & quærere cœperunt; ipsique Prælati etiam ea penes proventus temporales, & honores seculi æstimantes, lucrum ex iis sectati sunt.

Hinc mirum, quantopere vitium simoniæ sensim ipsos Prælatos Ecclesiæ infecerit!

II. Et quidem scribit S. Gregorius Virgilio Arelatensi Episcopo *lib.* 4. *epist.* 50. » Quibusdam namque narrantibus agno» vi, quòd in Galliarum, vel Germaniæ partibus *nullus* ad » Sacrum Ordinem sine *commodi* ratione perveniat. «

III. Idipsum malum per Ecclesiam Orientalem propagatum fuisse testatur *lib.* 9. *epist.* 40. scribens Isicio Hierosolymorum Episcopo. » Quia verò pervenit ad nos, in Orien» tis Ecclesiis *nullum* ad sacrum Ordinem, nisi ex præmio» rum datione pervenire, si ita esse vestra fraternitas agnos» cit, hanc primam oblationem omnipotenti Deo oferat, ut » à subjectis sibi Ecclesiis errorem simoniace hæreseos com» pescat. «

IV. Denique eodem libro *epist.* 50. Simoniæ vitium vocat *malum vetustatis*; utpotè consuetudine *vetustâ* jam inveteratum; laudatque Episcopos, *malum* illud, ut decet, *libera voce damnantes.*

V. Labentibus seculis quantum hoc vitium cœperit incrementum, vix dici potest: narratque Glaber Rodulphus Monachus (qui scripsit historias sui temporis libris quinque satis accuratè, teste Bellarmino) *lib.* 5. *cap.* 5. quòd dignoscens Henricus Imperator *per universam Galliam, atque Germaniam simoniacæ philargyriæ grassari cupiditatem*, coadunari fecerit ex omni Imperio suo tam Archipræsules, quàm cæteros Pontifices, eisque exposuit, quòd Christus eos mittens dixerit: *gratis accepistis; gratis date.* Deindè illis de avaritia, & cupiditate acriter reprehensis, addebat: » Patet ergo manifestis» simè, quoniam propter hanc offensam venerunt super fi» lios hominum diversæ clades: Fames videlicet, atque mor» talitas, necnon & gladius. Omnes quippe gradus Ecclesias» tici à maximo Pontifice usque ad Ostiaratum opprimuntur » per suæ damnationis pretium, ac juxta vocem Dominicam » in cunctis grassatur spirituale latrocinium. «

VI. Post hæc subjungit Rodulphus: » His denique ab Impe» ratore acerrimè perlatis, stupefacti Pontifices, quid illi res» ponderent, non habebant. Pertimescebant enim ob hanc » culpam propriis Episcopatuum carere sedibus. Et quoniam » non solum in Gallicanis Episcopis hæc pessima pullulaverat » nequitia, verum etiam multò ampliùs *totam* occupaverat *Ita» liam* (omnia quippè ministeria Ecclesiastica in eo tempore » habebantur venalia, quasi *in foro* secularia mercimonia.) Cer» nentes quoque Episcopi gravi sese invectione irretitos, mise» ricordiæ operam implorabant. At ipse Princeps misericordiâ » motus, tale consolationis protulit verbum: Ite, inquiens, & » quod illicitè accepistis, bene disponere satagite, ac pro ani» ma patris mei, (h) qui hac noxa reus vobiscum tenetur, at» tentiùs intercedere mementote, quatenus ei indulgentiam hu» jus facinoris à Deo possitis acquirere. «

VII. Monet dein Rodulphus, quòd Imperator » propo» suit edictum omni imperio suo, ut nullus gradus Clerico» rum, vel ministerium Ecclesiasticum pretio aliquo conquire» retur. At si quis dare, aut accipere præsumeret, omni ho» nore destitutus, anathemate mulctaretur (i); spopondit in» super promissum hujusmodi, dicens: Sicut enim mihi Do» minus coronam Imperii solâ miseratione suâ *gratis* dedit; ita » & ego, quod ad religionem ipsius pertinet, *gratis* impendam. » Vo-

(h) *Id est, Conrado II. qui* Salicus *dictus est, & pater extitit Henrici III. Imperatoris, de quo loquitur Historicus Glaber.*

(i) *In Hispania Philippus III. anno* 1614. *sua Pragmatica Sanctione* (*quæ hodie est lex* 18. *tit.* 21. *lib.* 8. *Recop.*) *præcepit: Ut si quis administrationem justitiæ, aut Prælaturas, Dignitates aliàve Beneficia Ecclesiastica pretio sive dam, aut interposita persona acquisierit, ea retinere non posse... ratione inhabilitatis etiam in foro constientiæ, ad illa retinenda, pœnarumque amissionis promissi aut dati cum pœna dupli, & exilii horum Regnorum pro tempore X. annorum. De quo etiam loquitur Remiss.* 3. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recopil.*

» Volo, si placet, ut & vos similiter faciatis. «

VIII. Hæc seculo undecimo de vitio simoniæ scribebat Monachus ille, quando & B. Petrus Damiani in vita S. Romualdi scribere non est veritus *cap.* 35. quòd hic Sanctus invectus in Simoniacos etiam periculum mortis subierit à Clericis Simoniacis sibi imminentis, rationem addens: » Quoniam per *totam* » illam Monarchiam, usque ad Romualdi tempora vulgata con- » suetudine, vix quisquam noverat simoniacam hæresim esse » peccatum. «

Et sanè hoc habet consuetudo, ut vitia quantumvis gravia, cùm in consuetudinem venerint, *parva*, aut *nulla* credantur, teste S. Augustino.

IX. Quin & in hac ipsa materia simoniæ jam pridem deploravit Concilium Lateranense sub Alexandro III. in *cap.* 9. *de Simonia* » Putant autem plures (ait Concilium) ex hoc lice- » re, quia legem mortis de longa invaluisse *consuetudine* arbi- » trantur, non attendentes, quòd tantò graviora sunt crimina » quantò diutiùs infelicem animam tenuerunt alligatam. «

X. Conquerebatur circa idem tempus S. Ivo Carnotensis, quòd Decanus, & Cantor, aliique Ministri Ecclesiæ suæ Carnotensis aliquâ exigerent ab his, qui Canonici fierent, *me* (ait) *contradicente & persequente*. At quo se telo contra Episcopum suum defenderent, subjungit: » Romanæ Ecclesiæ consuetudi- » ne se defendunt, in qua dicunt Cubicularios, & Ministros » Sacri Palatii multa exigere à consecratis Episcopis, vel Abba- » tibus, quæ oblationis, vel benedictionis nomine palliantur, cùm » nec calamus, nec charta gratis ibi (ut ajunt) habeatur, & hoc » quasi lapide conterunt frontem meam, cùm non habeam quod » respondeam nisi Evangelicum illud: QUOD DICUNT, SERVATE, » ET FACITE; sed si id faciunt: SECUNDUM OPERA EORUM NOLITE » FACERE. « *Matth. cap.* 23. *v.* 3.

* Ex his notum est, quomodo hæc lepra, dum semel invaluit, latissimè serpat, & totum corpus corrumpat.

Et sanè quantoperè hæc lepra Curiam Romanam seculo XV. infecisset, & inde in reliquas Ecclesias sese diffudisset graphicè expressit Baulus Anglus Decretorum Doctor in Speculo aureo, quod per modum dialogi inter Petrum & Paulum evulgavit sub medium illius seculi, in quo *part.* 1. *cap.* 5. inducit Petrum asserentem in Curia Romana » tot fieri pactiones, tot » quotidie intervenire solutiones, quot sine omni timore, & » verecundia tractatores, seu meditatores simoniæ, quasi forum » constituentes publicum, jam pro signatura Papæ super tali » Beneficio, vel gratia debet tantum; jam pro dispensatione su- » per talibus incompatibilibus tantum, pro tali indulto tantum, » pro absolutione à tali excommunicatione, vel irregularitate » tantum pro talibus indulgentiis tantum, &c. publicè pacis- » cuntur & forisant: & ille plus diligitur, qui astutiori solici- » tudine & majori astutia plures simplices decepit, & plures » denarios scit venari. Tot, & tantæ fiunt etiam exhorbitantes » *gratiæ*; sed reverà multò verius dicerentur *mercantiæ*, quæ » nunc fiunt, & appellantur *de die obitus*; nunc *dies obitus* » *cum declaratione*; nunc *perpetuum silentium*; nunc cum clau- » sula *anteferri*, vel *antellationis*; nunc *de motu proprio Pa-* » *pæ*; nunc de clausula *cæterorum*, quæ tollit jus quæsitum; » nunc fiunt anticipationes datarum; nunc *datæ Cardinalium* » conceduntur; nunc *datæ Papæ*: jam renovantur, jam im- » mutantur; jam ad certum tempus duraturæ limitantur, jam » revocantur, jam Prælati de una Ecclesia ad aliam transferun- » tur, jam Beneficiis suis *propter pecuniam* spoliantur. « In omnibus his tota devotio consistit, ut denarius acquiratur.

Post hæc inducit Paulum ita Petro respondentem: » Res » multùm miranda, sed magis formidanda, quòd facta Roma- » næ Curiæ & hoc tam perniciosa exemplo deliria, ludo Scha- » chorum assimilantur. Quisnam tam simplex esse poterit, qui » non intelligat ex avaritiæ radice procedere?

» Quis tam justus, qui in bonum tam exorbitantia facta in- » terpretari valeat? Quis tam sanctus, ut non expavescat, vel » non scandalizetur? Imò toti clero ambitionis datur materia, » via gravibus, & pluribus litibus aperitur, quam omnia jura » fugere conabantur; & non dubium quin homicidia ex hoc » etiam consequantur. «

Tractatum nunc à se divulgari profitetur, ut zelum Cardinalium, Episcoporum, aliorumque Prelatorum excitet ad medendum abusibus, & malis, quibus Ecclesia quasi opprimebatur, deploratque, » quòd vile aurum in tantùm cali- » gâsset mentem Moysi, quod nedum placere non curat indig- » nantem animum, sed mala malis accumulans machinetur quo- » tidie ad deteriora provocare: mira supra omnem modum (ait) » res agitur, ut inde exemplar omnis mali progrediatur, un- » de processerat sanctitatis omnis norma, & unde tota Chris- » ti Ecclesia, Deo ædificante, constructa sumpsit exordium, » inde patitur jam ruinam, illic jugum suave Domini abjici- » tur, frangitur lex divina, juraque canonica pro salute hu- » mana per ora Sanctorum Spiritûs Sancti dictata respuuntur » penitùs, & quasi inania reputantur: sicque tota Romana Cu- » ria à planta pedis usque ad verticem capitis patenter excæ- » cata erroribus, ipsa errorum suorum veneno inebriavit omnes » ferè mundi partes, ac si immensam creatoris omnipotentiam Pa- » pa ad suum libitum posset limitare: omnes quidem intus » murmurant; nullus clamat, & quoniam in extremis jam ma- » lorum laborantes sumus positi, in quos cuncti errores hu- » jus seculi devenerunt.

» Quâ ergò ratione silere valeo, & non potiùs obmutescen- » tibus aliis tam Præsidibus, quàm Doctoribus fortiùs excla- » mare? Nam etiam Principes Catholici seculares, mutuis dis- » sensionibus occupati, tantam corruptionem Sanctæ Matris » Ecclesiæ non advertunt.

» Vos tamen (pergit) qui Pastores estis positi, & Officii » Apostolici succesores, cur tam longun, periculosumque ne- » gligentiæ somnum agitis, & non celeriùs concurritis, ob- » mutescitis, & non clamatis? Eja & eja, ò Patres & domi- » ni, nunquidne ob perditionis ignominiam Gens sancta, & » Regale sacerdotium voce estis propheticâ nuncupati? Saltem » jam ad hanc vocem meam pusillam jam desides confluite: » quoniam securis est jam posita ad radicem arboris, & exal- » tatis in altum vocibus clamate, quia nonnisi in multitudine » clamantium, fugam hostes receperunt, & ruina suo ponde- » re nocivior, nonnisi per multitudinem sublevatur. «

Integrum hunc tractatum exhibet Melchior Goldastus *tom.* 2. *Monarchiæ Sancti Romani Imperii*, *pag.* 1527.

* Instante Concilio Viennensi sub initium ejusdem seculi XIV. Guillelmus Durandus, Episcopus Mimatensis jussu Clementis V. composuit Tractatum de modo habendi Concilium generale, in quo tribus distinctis partibus exposuit abusus in proximo Concilio reformandos, atque *part.* 3. *rub.* 27. notans quæ in Ecclesia Romana omnium aliarum magistra, & à qua cæteræ Ecclesiæ normam vivendi accipere deberent, reformanda viderentur, inter alia monuit: » Quòd Ecclesia Rom. » non solùm verbo, verum etiam *facto* à seipsa repellere debe- » ret *omnem speciem simoniæ*, *& turpium lucrorum*, *& om-* » *nes exactiones*, *quæ ratione promotionum quarumcunque*, *&* » *Scripturarum*, *Legatorum*, *Cursorum*, *Nuntiorum*, *Ostia-* » *riorum fuerint ab ea communiter*, *vel divisim diversis colo-* » *ribus exquisitæ*. «

Quàm esset optandum, ut illa *taxarum Annatarum*, aliorumque similium jurium exactio omninò ab Ecclesia Romana aliarum Ecclesiarum prima exularet, atque ipsa verbo & exemplo doceret, quod sibi, & omnibus à Christo dictum est: *Gratis accepistis*, *gratis date*.

XI. Hactenùs dicta sufficienter evincunt, vitium simoniæ jam pridem altas subindè, & longè, lateque diffusas egisse radices, multosque communi illa praxi, & consuetudine vitium hoc tegere voluisse; at aliud fuisse Conciliorum, & Patrum judicium, existimantium consuetudinem esse meram larvam simoniæ, & excusationem in peccatis.

XII. Porrò quia hoc vitium à Principe Apostolorum in Simone Mago tam terribili voce damnatum fuit, & tot iteratis Ecclesiæ Decretis, sub gravissimis pœnis confixum, omnibus quidem, vel auditu horrendum visum fuit: sed cùm adeò hominum ambitioni, & avaritiæ faveret, observatum jam pridem fuit, nullum vitium tot palliis, ac technis contectum esse, quàm hoc simoniæ crimen; quemadmodum sapientissimè reflexerunt seculo præterito Patres Concilii Mexicani anno 1585. *lib.* 5. *tit.* 3. » Etsi ab ipso nascentis Ecclesiæ initio semper si- » moniæ vitium abominabile, & execrabile fuerit, ac sacris » Canonibus prohibitum, gravibusque pœnis punitum: tamen » ea fuit hominum malitia, ut diversis fraudibus, & fallaciis » sua simoniaca pacta *occultare*, *& palliare* procurent.

XIII. Seculo V. Synodus Constantinopolit. constans 73. Episcoporum sub S. Gennadio Patriarcha testatur, *multos* SOPHISTICA *calliditate Christi præceptum*, GRATIS ACCEPISTIS, GRATIS DATE, *illudere*.

XIV. De his quoque technis, & fraudibus scribit ad Galliæ Episcop. S. Gregor. *lib.* 9. *indict.* 2. *epist.* 160. monetque animarum adversarium his technis, ceu quibusdam retibus uti: » Nam nec venator (ait) feram, aut avem auceps deciperet, » vel piscem piscator caperet, si aut illi laqueum in aperto » proponerent, aut ille hamum esca absconditum non haberet. » Omninò ergò metuenda, & cavenda est hostis astutia; ne » quos aperta nequit tentatione subvertere, latente telo sæviùs » valeat trucidare. «

XV. His fraudibus, & muscipulis detegendis, nihil aptius credidere Patres, quàm hanc simplicem, & apertam Christi sententiam, sive præceptum datum Apostolis, & in ipsorum persona omnibus, quibus munia Ecclesiastica distribuenda committuntur: *Gratis accepistis*, *gratis date*.

XVI. Audiamus ipsos Patres citatæ Synodi Constantinopolitanæ sub S. Gennadio: » Qui inter alias deformitates cùm » nactus esset Ecclesiam illam simoniaca labe deturpatam, ad » eam penitùs evellendam, aliosque pravos mores Synodum » colligi festinavit, « ait Baronius ad annum 459. Hi ergò Patres in Epistola Synodali, & circulari ita scribunt: » Cùm Do- » mi-

» minus, & Deus Salvator noster J. C. suis discipulis Evan-» gelii prædicationem credidisset, eosque per universum ter-» rarum orbem inter homines ad docendum misisset, apertè » jussit, ut quod *gratis accepissent*, eis quoque *gratis darent*, » non aurum, vel argentum, aut alias omninò materiales, & » terrenas facultates pro eis acquirentes... Hoc autem præceptum » non solùm illis, sed etiam nobis per illos dedit, quos in illorum » gradum, & locum substituere dignatus est: & oportet, si-» cut illi tunc, nos quoque nunc accuratè, & diligenter ser-» vare, nec in iis, quæ *technas sophisticas non admittunt*, *uti* » *sophisticâ calliditate*, nec *aleam periculosam* jacere. GRATIS » inquit, ACCEPISTIS, GRATIS DATE: non possidentes æs, ne-» que aurum, neque argentum in zonis vestris. *Simplex est*, & » *aperta hujus mandati ratio*, *quæ nihil habet varium*, *nihil* » *quod non sit facilè*, *& explicatum*, *nihil quod sophisticâ ex-» positione egeat*. A me, inquit, accepistis Sacerdotii dignita-» tem. Si mihi pro ipso parvum quid, vel magnum solvistis, & » hoc à me venditum est, vos quoque ipsum aliis vendite: si » autem *gratis accepistis*, vos quoque *gratis date*. Quid hoc » est mandato apertius? «

Extat integra græcè, & latinè tomo 4. Conciliorum Gene-ral. *col.* 1025. eamque suis Annalibus Baronius inseruit; asserit-que, unum esse hujus Synodi fragmentum quod superest, *re-lictum tanquam fortem arietem ad demoliendas simoniacas mo-litiones*.

XVII. Si quis S. Gregorii Epistolas, aliorumque Patrum scripta revolvere voluerit, reperiet, hac ferè unicâ sententiâ Christi usos, ut universa Simoniacorum tegumenta, & peri-zomata depellerent.

Qui igitur sincerè desiderat laqueos adversarii evitare, & securam semitam tenere, hanc Christi clarissimam sententiam sincero corde expendat; quemadmodum anno 791. Patres Sy-nodi Forojuliensis ad extirpandam Simoniacam pravitatem ac-cincti monuerunt *Can. I.* ubi omnem *Canonicæ deditum ditio-ni*, his verbis alloquuntur: *Patenti semper cordis aure perti-mescens intellige clarissimam illam Domini vocem*, GRATIS ACCEPISTIS, GRATIS DATE.

CAPUT IV.

PALLIATUR SIMONIA SEPARANDO TEMPORALE A SPIRITUALI; VEL DANDO PER MODUM *Motivi*.

1 *Jam pridem ad palliandam simoniam fuit temporalium à spirituali in collatione Beneficiorum separatio; & quis hujus pallii color.*
2 *Acriter in hos pallii patronos invehitur Beatus Petrus Da-miani.*
3 *Urget Pontificem, ut eos prosternat.*
4 *Ratio hujus invectivæ à Petro Damiani adducta.*
5 *Ratio Damiani probata à Paschali Papa.*
6 *Eam concludentem esse probatur.*
7 *Propositio huic pallio favens ab Alexandro VII. damnata.*
8 *Fundamentum hujus propositionis plane frivolum.*
9 *Pallium hoc tanquam* impudentissimum *prætextum repro-bavit Synodus Remensis.*
10 *Sufficienter detegitur hoc pallium per Christi sententiam:* Gratis accepistis, gratis date.
11 *Innocentius III. hoc unum attendi voluit, an per tempora-lia perveniatur ad spiritualia.*
12 *Idem reprobavit pallium sub nomine* motivi *contectum.*
13 *Hoc pallio admisso, facilè omnis simonia excusabitur.*
14 *Episcopi Belgii hoc pallium reprobârunt.*
15 *Idipsum à Galliis Episcopis factum.*
16 *Horum latam ab eis, & illis censuram probavit Innocen-tius XI.*
17 *Non evitatur simonia, tametsi temporale detur, ut concilie-tur* amicitia *Patroni.*
18 *Idem est, si muneribus concilietur favor alicujus, quid apud Patronum intercedat.*
19 *Hæc munerum datio ultimatè fit ad obtinendum, eâ me-diante, beneficium; & per eam simoniæ semita sternitur.*
20 *Hoc pallium à Facultate Theologica Lovaniensi, & Epis-copo Gandensi reprobatum.*

I. USitatum, & antiquum Simoniacorum pallium fuit tem-poralium à spirituali in Beneficio distinctio sive sepa-ratio. Cùm enim duo sint in Beneficio Ecclesiastico, nimirum ministerium Ecclesiasticum, & jus percipiendi proventus tem-porales, creditum fuit, omnem simoniæ labem evitari, si hæc duo à se mutuò separentur; & priùs, scilicet spirituale *gratis* detur, alterum, quod temporale est, temporali quoque com-pensetur. » Quia cùm hoc sit, non distrahitur Ecclesia (in-» quiunt) *sed facultas*: nec emitur *Sacerdotium*, sed POSSESSIO » *prædiorum*. Sub hac enim præstatione pecuniæ *opes tantùm*, » non honoris, vel Ecclesiæ redimitur Sacramentum. Venalia » siquidem sunt, unde sint divites: gratis accipiunt, *unde fiant* » *Sacerdotes*. «

II. Ita quidem Cappellani Gothofredi Ducis apud B. Pe-trum Damiani *lib.* 1. *epist.* 13. & *lib.* 3. *epist.* 13. quos tanquam *Satanæ prædicatores*, *& Apostolos Anti Christi* exagitat; ex-clamatque: *ò novum schismaticorum genus*, *& os sacrilegum æterni silentii censura damnandum!*

III. Dein urget Alexandrum II. Pontificem, cui epistola inscribitur, » ut cœlestis eloquii gladio præcinctus occurrat; » & tanquam alter Josue, Amalecitas oppugnantes Israël eva-» ginato Canonici vigoris mucrone prosternat. «

IV. Censuræ, & doctrinæ suæ multas rationes adducit, atque hanc inter cæteras: » Cùm aliquid sub venalitate suscipi-» tur, & illud procul dubio comparatur, quod ex necessitate sub-» sequitur. Ad hoc enim Pastoralis Ecclesia cuique committi-» tur, ut ad ejus regimen obtinendum consecratione firmetur. » Et ad hoc sine dubio collatæ pecuniæ commercium spectat, ad » quod is, qui promovendum est, adspirat. «

V. Quæ ratio coincidit cum ea, quæ apud Gratianum sub nomine Paschalis Papæ exprimitur *Caus.* 1. *quæst.* 3. *Can.* 7. » Quisquis horum alterum vendit, sine quo nec alterum pro-» venit, neutrum invenditum derelinquit. «

VI. Rationem hanc esse concludentem intelliget, qui at-tenderit, jus percipiendi proventus temporales, esse *consequen-ter*, ut loquuntur, annexum officio, sive titulo Ecclesiastico: id est, jus hoc dari *propter officium*; adeò ut necessasariò, & ex justitia debeatur, & competat illi, qui titulum habet: ac proindè si titulus *gratis* in aliquem translatus supponatur, jam hoc ipso jus percipiendi proventus illi annexum translatum cen-seatur; ac per consequens, nihil pro hujus juris translatione exigi queat, cùm jus illud jam translatum sit, & acquisitum sit illi, cui titulus *gratis* datus supponitur.

VII. Unde meritò Alexander VII. hanc inter alias mo-ralis Christianæ relaxativas propositiones damnavit: » Non est » contra justitiam, Beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, » quia collator conferens illa Beneficia Ecclesiastica, pecunia » interveniente, non exigit illam pro collatione Beneficii, sed » veluti *pro emolumento temporali*, quod tibi conferre non te-» nebatur. «

VIII. Fundamentum damnatæ hujus propositionis, quod præfert his verbis, *quod tibi conferre non tenebatur*, planè fri-volum est. Nam etsi absolutè non tenebatur illi conferre Be-neficium, quia poterat non conferre, tamen si Beneficium con-ferat, non potest temporale ei annexum subtrahere.

IX. Rectè proindè dixerunt Patres Synodi Remensis an-no 1583. tit. *de Simoniacis*, *num.* 6. » Impudentissimum proin-» dè prætextum detestamur, qui de solo proventu, reque tem-» poraria Canonicatûs, se pacisci dicunt; cùm ea spirituali tam » arcto sit annexa vinculo, ut non magis ab ea divelli queat, » quàm in homine vivo manente corpus à sua anima «.

X. Sed quid multis opus est argumentis, sola expendatur Christi sententia, *Gratis accepistis*, *gratis date*; attendant-que hujusmodi Collatores, aut Patroni, num Canonicatum, vel Beneficium *gratis* dederint, dum hoc prætextu notabilem pe-cuniæ quantitatem, aliudve temporale pro collatione, aut præ-sentatione acceperunt; vel an ipsi, qui, mediante ea pecu-niæ, alteriusve muneris datione, impetrârunt, *gratis* Benefi-cium, conformiter ad dictam Christi sententiam, acceperint.

Quis enim dicet, *gratis* Beneficium esse collatum, ubi pro eo assequendo oportuit notabilem summam pecuniæ numerare? Nec sine hac datione ad Beneficium perveniretur.

XI. Quapropter jam pridem Innocentius III. in *cap.* 34. *de Simonia*, Simoniacum pronuntiare non dubitavit Clericum, qui quibusdam Canonicis donationem fecerat, ea intentione, ut per *temporalia*, *quæ offert*, *spiritualia valeat adipisci*; unà tan-quam Simoniacos condemnans Canonicos, *si non essent eum*, *nisi temporalia commoda perciperent*, *admissuri*.

Hoc unum hîc attendit Innocentius, nùm quovis modo per *temporalia* ad Canonicatum perveniatur; id solum sufficere judicans, ut *non gratis*, & per consequens simoniacè perve-nire censeatur.

XII. Eadem hac decisione in antecessum reprobavit præ-textum, quem ad excusandam simoniam, quorundam Casuis-tarum impia subtilitas his postremis temporibus publicare non erubuerat; nimirùm: » Dare temporale pro spirituali non est » simonia, quando temporale non datur tanquam *pretium*; sed » duntaxat tanquam *motivum* conferendi, vel efficiendi spi-» rituale. «

Quis, nisi tenebris densissimis habens cor obscuratum, non intelligat, eum per *temporalia* pervenire ad spiritualia, qui per dationem temporalium inducit, & *movet* Collatorem, ut sibi conferat spiritualia, & qui aliàs non esset collaturus, ni-si temporalia illa darentur, aut promitterentur?

XIII. Nonne hoc titulo omnes *gratis* dicendi erunt perve-nire ad Beneficia, qui quocunque *munere* ad illa perveniunt; modò eam in mente intentionem formare sciant, quod non

per

per *pretii*, sed per modum *motivi* munera offerant? Quidni & ipse Simoniacorum Antesignanus hoc titulo excusari potuisset? Quid enim offerendo pecuniam Apostolis, aliud intendebat, nisi ut per hanc oblationem tanquam medium, seu *motivum* Apostolos moveret, ut ipsi darent & hanc potestatem, ut cuicumque imposuisset manus, acciperet Spiritum Sanctum?

XIV. Quapropter anno 1655. postulante Gandensium Antiste Antonio Triest, Facultas Theologica Lovaniensis prædictum Casuistarum assertum, tanquam merum simoniacæ pravitatis palliamentum, & apertissimum Christi præceptum evertens, ac omnibus Simoniacis latissimam ad Sacerdotia, & Beneficia Ecclesiastica portam pandens, reprobavit.

Hujus judicium secutus Episcopus Namurcensis in Synodo sua anno 1659. inter opiniones, quarum praxim interdicit Confessariis suæ Diœcesis, donec à Sancta Sede aliter ordinatum fuerit, hoc quoque Casuistarum assertum reposuit *num.* 6.

XV. Episcopi quoque Gallicani perniciosissimum hoc simoniæ pallium detegere non prætermiserunt; atque præ cæteris Archiepiscopus Senonensis in Synodo sua Diœcesana, hâc acerrimâ quidem, sed nequaquam ultra meritum, censurâ assertum illud perstrinxit: »Hæc doctrina, quæ simoniæ contra »jus divinum crimine eos omnes liberat, qui pecuniam prop»ter Sacerdotia vel dederunt, vel acceperunt, modò pecunia »MOTIVI locum habeat, non PRETII; tota falsa, nefaria, im»pia est, hæresim simoniacam toties à Sanctis Conciliis, & »Pontificibus damnatam, subdolè renovans, & ad implendam »lupis Ecclesiam, & corrumpendam ejus in ipso fonte, hoc »est, Sacerdotum Ordine, sanctitatem inventa.“

XVI. Tandem anno 1679. Innocentius XI. omnium illarum censurarum justitiam probans, & roborans, inter alias 65. quas omnes, *& unamquamque ipsarum sicut jacent, ut minimum tanquam scandalosas, & in praxi perniciosas*, damnávit, & prohibuit, & hoc Casuistarum assertum retulit *num.* 45.

XVII. Alii nonnihil subtiliùs se ipsos fallentes, nolunt munera per modum *motivi* Patronis, aut Collatoribus dare, ut eos ad Beneficium conferendum immediatè moneant, vel inducant, sed muneribus sibi amicitiam, vel favorem Patronorum, aut Collatorum conciliant; ut ea mediante, faciliùs Beneficia obtinere queant: quasi non sat evidens esset, ea munera *ultimatè* dari, ut iis mediantibus ad Beneficia perveniatur: quodque ipsa Beneficiorum assecutio, quæ amicitiæ conciliandæ *finis* est, magis sit in intentione, quàm amicitiæ, & favoris conciliatio, quæ duntaxat *medium est.* An forsan finis *gratis* obtinetur, dum media pretio mercari oportet?

XVIII. Nonnulli omnia in securo posita autumant, si nihil Patronis, aut collatoribus dent; sed muneribus sibi conciliare non dubitant illos, quos sciunt auctoritate valere apud Patronos, & Collatores, quorum favore sibi ad Beneficia aditum pandant: non intelligentes, hanc munerum oblationem pro ultimo fine habere Beneficiorum impetrationem, nullatenusque dici posse, Beneficia hac viâ impetrata, esse *gratis* impetrata.

Quapropter legitur apud Gratianum *Caus.* 1. *quæst.* 5. *Can.* 3. responsum Urbani II. quo rescribit Episcopo Metensi, à Sacerdotio de rigore Canonum esse suspendendum, qui Sacerdotium obtinuerat *per pecuniam non* EPISCOPO, *sed cuidam principum ejus datam*; non quidem ab ipso Ordinato, at, ipso ignorante, à parentibus ejus.

XIX. Et sanè qui conciliando similium Proxenetarum favore munera impendunt, nihil aliud reipsa intendunt, quàm munerum interventu Beneficia impetrare. Quis insuper non videt, hinc semitam sterni, ut per munera passim indigni quique in Beneficia involent.

XX. Meritò proindè Facultas Theolog. Lovaniensis rogata ab antedicto Gandensium Antistite judicium suum dare super hac propositione: *Pro intercessione ad Beneficium obtinendum potest aliquid dari sine simoniæ suspicione*, illam hac censura perstrinxit: *Falsa est, perniciosa, hominibus ambitiosis, & indignis aditum aperiens ad Beneficia per pecuniam promiscuè procuranda.*

CAPUT V.

De Paliis sub specie *pietatis*; item *redemptionis vexæ, et gratuitæ remunerationis.*

1 *Pallium sub specie pietatis execratur S. Basilius.*
2 *Hanc larvam, tanquam diabolicam fraudem insigniter exagitat S. Gregorius.*
3 *Abominabile judicat exstruere Monasteria ex pecuniis simoniacè acceptis.*
4 *Mores hodiernos describit Gregorius.*
5 *Cavendum, ne sub obtentu eleemosynæ simonia committatur.*
6 *Pro obtinendo Beneficio nihil Ecclesiæ, aut pauperibus tribuendum.*
7 *Quomodo sub hoc pallio Monachi subinde simoniam committant.*
8 *Item & Ecclesiastici largas eleemosynas facientes.*
9 *Hoc Simoniacorum pallium satis detegitur per Christi sententiam*, gratis accepistis, gratis date.
10 *Larva simoniæ sub specie* redimendæ vexæ *jam pridem usitata.*
11 *Per redemptionem vexæ intenditur pacifica Beneficii possessio.*
12 *Super Beneficio, mediante temporali, transigi nequit.*
13 *Transigi sub obligatione refundendi expensas à Pontifice improbatum.*
14 *Sub redemptione vexæ sæpiùs latere simoniam probat Lucius III.*
15 *Quid observatum voluerit S. Carolus, ne sub prætextu redimendæ vexæ committeretur simonia.*
16 *Quo fundamento nitatur larva gratitudinis.*
17 *Si hæc larva admittatur, etiam Simon Magus, & Giezi essent à simonia excusandi.*
18 *Episcopi hanc larvam damnárunt, quorum judicium probavit Innocentius XI.*
19 *Ostenditur, dari tanquam pretium, quod dicitur dari per modum gratitudinis, aut remunerationis.*
20 *Unde colligi possit, data titulo remunerationis, reverà dari pro obtentione Beneficii, iisque Collatorem motum esse ad conferendum.*

I. SEculo quarto de hoc pietatis pallio scribit, illudque execratur S. Basilius in Epistola ad Episcopos sibi subjectos, quæ refertur inter Canones ejusdem Sancti, *Can.* 91. apud Balsamonem: »Ajunt quidam, inquit, nonnullos vestrûm acci»pere pecunias ab iis, qui ordinantur, *pietatis* verò nomine »id obumbrare, quod deterius est. Si quis enim faciat malum »boni prætextu, is est duplici pœnâ dignus; & eò quòd id »agit, quod non bonum est; & ad peragendum peccatum, »eo, quod bonum & honestum est, coadjutore, si dici pos»sit, utitur.“

II. Tempore S. Gregorii passim sub hoc pietatis pallio simoniam contegi consuevisse, testis est ipse Gregorius in pluribus epistolis; ac signanter *lib.* 7. *epist.* 9. in qua insigniter has diaboli technas detegit, & exagitat. »Plerumque (ait) adversa»rius animarum, dum non potest in his, quæ ad faciem sunt »prava surripere, callidè specie quasi pietatis injecta nititur »supplantare, suadetque forsitan debere ab habentibus accipi, »ut sit quod possit non habentibus erogari, dummodò vel sic »venena mortiferâ *eleemosynæ* celata obumbratione transfun»dat. Nam nec venator feram, aut avem auceps deciperet, »vel piscem placator caperet, si aut illi laqueum in aperto pro»poneret, aut ille hamum esca absconditum non haberet. Om»nino ergo metuenda, & cavenda est hostis astutia; ne ques »aperta nequit tentatione subvertere, latente telo sæviùs va»leat trucidare. Neque enim eleemosyna reputanda est, si pau»peribus dispensetur, quod ex illicitis rebus accipitur: quia »qui hac intentione malè accipit, ut quasi benè dispenset, gra»vatur potiùs, quàm juvatur.“

III. Ex quibus ulteriùs infert: »Unde etiam illud certum »est, quia etsi Monasteria, aut Xenodochia, vel quid aliud »de pecunia, quæ pro sacris Ordinibus datur, construantur, »mercedi non proficit: quoniam dum perversus emptor hono»ris in locum sanctum transmittitur, & alios ad suam similitu»dinem sub commodi datione constituit, plura malè ordinan»do destruit, quàm ille potest ædificare, qui ab eo pecuniam »ordinationis accepit.“

IV. Ad hæc verba Gregorii reflectens eruditus operum S. Gregorii Revisor Gussanvillæus, & notarum Auctor, ait: »Quam graphicè nostrorum hominum mores depingit, qui fur»ta, & latrocinia publica, piorum locorum ædificatione redi»mere se putant, hostiæ abominabiles, quæ offeruntur ex sce»lere; Proverb. *cap.* 21. *v.* 27.“

V. Post hæc concludit Gregorius: »Nimis ergo declinan»dum est, dilectissimi Fratres, sub obtentu *eleemosynæ*, pec»cata simoniacæ hæreseos perpetrare. Nam aliud est, propter »peccata eleemosynas facere, aliud propter eleemosynas pecca»ta committere.“ Apud Gratianum *Caus.* 1. *quæst.* 1. *Can.* 27.

VI. Eodem fundamento insistens Alexander II. apud Gratianum *Caus.* 1. *quæst.* 3. *Can.* 9. postquam prohibuit sub gravissimis pœnis alicujus muneris interventu Beneficia distribui, sub eisdem pœnis constituit, ut »nullus cujuscunque gradus »Clericus pro Ecclesiæ Beneficio aliquid audeat conferre, aut »*fabricæ Ecclesiarum*, vel *donariis Ecclesiarum*, seu etiam quod »pauperibus sit tribuendum.«

VII. Rectè proindè intulit Christianus Lupus *Dissert.* 2. *proœmiali ad tom.* 3. *Scholiorum*, *cap.* 2. »Quocirca Clerici, & »Monachi, quotquot hodie apud Laicos, aut Ecclesiasticos »Principes agunt *proxenetas* ac *intercessores*, impetrare conan»tes promotionem, aut nominationem Prælatorum, qui *ipso»rum pauperes Ecclesias, Collegia, Monasteria, aut Xenodochia »ditare, adjuvare, vel ornare obligentur*, committunt plenissi»mam simoniam, & suis personis ac rebus evocant divinam ma-

le-

ledictionem. Etiam Artifices, & quivis hisce intercessionibus promoti... Et hinc vides à Magnatibus quoque, pergit idem Lupus, dum quid à nominatis Episcopis, vel Abbatibus exigunt quasi ad publicas regni necessitates, omninò comitti simoniam.“

VIII. Similiter qui largas eleemosynas, aut donaria faciunt in extructionem Monasteriorum, aut sustentationem familiæ, sive Congregationis, aut Conventus, ut per eorum intercessionem sibi Patronorum aut Collatorum gratiam conciliare queant; & eâ mediante ad Beneficia sibi viam externere, nequaquam à simonia exempti sunt; utpote qui per temporalia ad Beneficia hoc modo perveniunt.

IX. Si Christi sententia, *Gratis accepistis, gratis date*, hic rursus expenderetur, haud difficulter diabolica hæc techna detegeretur. Nimis enim apertum est, quòd hîc nec *gratis* dentur, nec *gratis* accipiantur, dum tot donaria, aliave temporalia, quamvis *eleemosynæ*, aut *pietatis* pallio contecta, præstari oportuit.

X. Non minus subtilis est diaboli techna, qua nonnullos in simoniacam pravitatem inducit, nimirùm *redemptio vexæ*, quam sine ulla simoniacæ labis suspicione licitam esse persuadet; cùm tamen non rarò hîc non tantùm species, sed vera simonia lateat. (k)

Scribit S. Ivo Carnotensis *epist.* 60. » Multi electi, qui gratuitam, & Canonicam habent electionem, qui hujusmodi *dilationibus*, vel *fatigationibus* impediuntur; comparatis sibi pecunia mediatoribus, & prolocutoribus, *ne turpem patiantur repulsam, in simoniacam offendunt aliquando consecrationem.*“

XI. Rationem illius assignat B. Petrus Damiani *lib. 2. epist. 3.* Non Ecclesiæ consulere quærunt, *sed quiete possidendi sibi culminis aditum pandunt*; hoc est, ne per alium à Sacerdotio, sive Beneficio assequendo, aut retinendo impediatur, datis *muneribus* sub pallio *redemptionis vexæ* assequuntur.

Quidni mediante temporali *spirituale* assequi dicendus est, qui eo mediante jus, quod alter habet, aut habere prætendit, assequitur; aut ut ei in suum favorem renuntiet, obtinet.

XII. Consultus Alexander III. utrum de Ecclesiastico Beneficio in *litigium* deducto possit fieri transactio; respondit *quod transigi super re sacra, & litigiosa non potest.* Ratio subjungitur; » Etenim res sacræ ut possideantur aliquo dato, vel » retento, seu promisso speciem credimus habere simoniæ.“ *cap. 7. ✠ de Transact.*

Quibus verbis significat Pontifex, reverà res sacras aliquo dato, vel promisso possideri, dum temporale datur, ut collitigans à lite desistat; & collitigantem à *vexa* liberando, *pacifice* possidere sinat.

XIII. Idem Pontifex in *cap. 4. ✠ de Pactis*, non duxit admittendam pactionem inter quoddam Monasterium, & quemdam P. Clericum in causa, quæ super Ecclesia, & Capellas de L. vertebatur, qua convenerant, » quod eidem P. pro expensis » quas fecerat, tres marchæ argenti solverentur, idem P. liti ce» deret, & à Monachorum infestatione cessaret. «

Cur hanc pactionem probare recusaverit, adjungit: *Pro eo quod videtur pravam illicitæ pactionis speciem continere.*

XIV. Hæc sat ostendunt, sub *redemptione vexæ* non rarò posse latere simoniacam pravitatem, quòd appertiùs indicat resolutio Pontificis in *cap. 23. ✠ de Simonia.*

Secreta enim insinuatione monstraverat Matthæus Cardinalis Lucio III. quòd » cùm quidam ad Ecclesiæ regimen de vo» luntate majoris partis Fratrum fuisset electus, paucis contra» dicentibus: quidam amicus de ejus conscientia, & voluntate » turbata, ei, qui Magister discordiæ videbatur, certæ quan» titatis munus exsolvit, & sic contradictio cessavit. « Posteà dubitare incepit. Electus, num esset à labe simoniæ prorsus immunis? Cùm enim *major pars* Fratrum eum elegisset, *paucis* tantùm contradicentibus, non nisi mera *vexæ redemptio* fuisse videri poterat.

Consultus tamen Pontifex respondit: *Multum tibi Consulis, si administrationem celeriter ac sponte dimittas, illius verbi memor existens*: NIHIL PRODEST HOMINI, SI UNIVERSUM MUNDUM LUCRETUR, ANIMÆ VERO SUÆ DETRIMENTUM PATIATUR. Matth. cap. 16. v. 26.

Notat hîc Glossa, quòd quidem dicat Pontifex, *consulis*, » quia peccatum *occultum* erat; unde illum expressè prohi» bere non poterat nisi *consulendo*. Et licèt dicatur, *consulis*, ne» cessitatem tamen importat, si vult salvari: quia nisi renuntiet, » salvari non potest. «

XV. Prudentissimè proindè S. Carolus, ne, ut ipse loquitur, *redimendæ vexationis specie* in causis beneficialibus simoniacæ pactiones fiant, statuit in Concilio Mediolanensi I. titulo *de Constitut. contra Simoniacos, num.* 11. » Nemini licere » ad *redimendam vexationem*, ne in casibus quidem jure per» missis, pecuniam dare, quidquamve pacisci, aut transigere » nisi Episcopi consensus accesserit, cujus partes erunt, & pers» picere diligenter, an subsit aliqua fraus: ubi rem fraude ca» rere, & jure permissam cognoverit, non degenerare ei, » qui petierit, facultatem se à vexatione liberandi. Qui contra » quam decretum à nobis est, inquit, fecerit, Episcopi arbitrio » plectatur, & quod actum fuerit, irritum sit, & nullum. «

Quicunque igitur se à vexatione in causa Beneficiali redimere meditatur, conformiter ad hoc S. Caroli præceptum prævie Episcopo, aut certè aliis quibusdam Viris doctis, ac peritis totam rei seriem meritò exponet; ut ipsi dispiciunt, num sub *redimendæ vexationis* specie solitæ simoniacæ pactiones non lateant; vel an periculum non sit, quòd illicitis aliorum extorsionibus annuendo, ipse eorum injustitiæ complex fiat; aut saltem scandali causa sit. Quæ omnia indubiè securiùs aliis expendenda committuntur; quia aviditas, qua cupimus à vexis liberari, facilè excæcat, & proprium judicium corrumpit.

XVI. Nonnulli magis attendentes ad vulgatam simoniæ definitionem, *Studiosa voluntas emendi vel vendendi pretio temporali rem spiritualem, vel spirituali annexam*, quam ad Christi præceptum, *gratis accepistis, gratis date*, prædictamque definitionem juxta internum verborum corticem rigorosè interpretantes, à simonia vendicare præsumpserunt dantes, & accipientes temporale pro spirituali, *modo temporale sit solùm* GRATUITA COMPENSATIO *pro spirituali, aut è contra*, quasi hoc modo dare, vel accipere temporale pro spirituali, non esset vendere, vel emere spirituale pretio temporali. (l)

XVII. Sanè si hi, & similes prætextus *gratitudinis* sub vocabulo *gratuitæ compensationis* excusent, requiraturque verbis expressis inita emptio & venditio, jam simonia adeò exulabit à rebus humanis, ut ne ipse quidem Simoniacorum pater Simon (de quo *Actorum* 8.) Simoniacus fuisse dicendus sit: injusteque in eum Petrus duram illam sententiam pronuntiaverit: *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimâsti pecunia possideri.* Neque Giezi eorundem Simoniacorum atavus meruisse dicendus erit lepram, quâ divinitùs percussus fuit 4. *Regum, cap.* 5. Neuter enim pro dono spirituali pretium obtulit, aut exegit. Simonis verba sunt: *Date*, inquit, *& mihi hanc potestatem.* Dari sibi petit, non vendi. Pecunias offert, sed tanquam motivum; vel pro gratuita compensatione, ubi Apostoli dedissent, quod petebat. Giezi quoque absit, ut pactum inierit; sed cùm Naaman spontè ex benevolentia obtulisset munera, quam *Benedictionem* vocat, & Prophèta ea recusâsset; ipse cucurrit post Naaman, & oblatum acceptavit. *Da*, ait, *talentum argenti, & vestes mutatorias duplices.* Hodie id diceretur *Par chirotecharum.*

XVIII. Meritò proindè Facultas Theologica Lovaniensis, instante sæpè dicto Gandensium Antistite, censuravit hanc propositionem tanquam simoniacæ pravitati portam latissimè aperientem: » Dare temporale pro spirituali non est simonia, quan» do per temporale fit solùm *compensatio gratuita* pro spirituali, » aut è contra. «

Praxim ejusdem omnibus quoque interdixit in Synodo sua Diœcesana anno 1659. Episcopus Namurcensis.

Horum judicium tandem probavit Innocentius XI. anno 1679. eandem propositionem inter alias 65. laxioris moralis quadragessimam quintam condemnans.

XIX. Hujusmodi doctrinæ auctores non videntur attendisse, aut noluisse attendere, quòd tametsi ille mentis intuitus adhibeatur, ut temporale non consideretur tanquam *pretium*, interim *reipsa* tanquam pretium detur; uti evidenter patet ex eo, quòd exactè ratio valoris iniri soleat, & expendi, quantum illud spirituale, vel temporale ipsi annexum, utilitatis importet: v. g. quantum annui proventûs habeat Beneficium, ut sic res rei non secùs respondeat, quàm si vos, aut equus in foro pretio competenti veniret.

XX. Alexander III. in *cap.* 18. ✠ *de Simonia*, tria potissimum attendenda esse scribit, *dantis, & accipientis qualitas, quantitas muneris, & donationis tempus*, ut sciatur, an munerum oblatio animum Collatoris, aut Patroni ad conferendum Beneficium moverit, tacitaque saltem de dando temporali conventio intervenerit.

Hæc si expendantur in muneribus, quæ sub pallio *gratuitæ compensationis*, sive *remunerationis* in quibusdam partibus fieri consueverunt, ad oculum patebit, hæc *munera* reipsa tanquam *pretia* spiritualium, aut temporalium iis annexorum dari, nec spiritualia dari, aut accipi, nisi tacitâ saltem remunerationis istius promissione factâ; quemadmodum latiùs singulas circumstantias expendendo, ostendi in Tractatu de Simonia circa Beneficia *part. 1. cap. 2. §. 8.*

CA-

(k) *Simoniacus etiam est, qui Ecclesiæ suæ bona largitur cum pacto, ut in ipsa recipiatur in Canonicum, & illa tibi retineat pro Præbenda ita Innocent. III.* lib. 5. Decret. de Simonia tit. 3. » *Hujus oblatio, inquit, vel receptio* » *fieri non poterit sine vitio simoniæ.* «

(l) *D. Van Espen non videtur suo probare suffragio vulgatam simoniæ definitionem. Hujus tamen auctor est S. Thom 2. 2. quæst.* 100. *art.* 1.

CAPUT VI.

De pœna dispositionis Simoniacorum, et nullitatis provisionis Simoniacæ.

1 *Primis seculis pœnæ tantùm decretæ in Simoniacas Ordinationes ; & quare.*
2 *Synodus Calchedonensis simoniacè ordinatum de suo gradu dejicit.*
3 *Synodus VI. deponi mandat.*
4 *Simoniacè ordinantes, & Ordinatos à Sacerdotio cadere supposuit S. Tarasius.*
5 *Hæc depositio erat perpetua.*
6 *Probatur testimonio Leonis IV. simoniacè Ordinatum, nec post actam pœnitentiam Sacerdotio restitui.*
7 *Imò Ordinationes simoniacas quasi* substantialiter *irritas dixére Canones.*
8 *Saltem fuêre irritæ quoad executionem in* perpetuum.
9 *Hanc perpetuam depositionem multis ursit S. Tarasius.*
10 *Depositionis hujus justitia ostenditur.*
11 *Canones loquentes de simoniacis Ordinationibus, etiam complectuntur simoniacas Beneficiorum provisiones.*
12 *Probatur auctoritate Alexandri II.*
13 *Calixtus II. Ordinationem, & provisionem Beneficii simoniacam quoad pœnam depositionis conjunxit.*
14 *Recentiora Pontificum Synodorum Decreta simoniacas provisiones Beneficiorum irritas declarârunt.*
15 *Martinus V. in Concilio Constantiensi eas declaravit* nullas ipso jure.
16 *Idipsum declaravit Pius V.*
17 *Ad hanc nullitatem sufficit simonia conventionalis.*
18 *Qui hanc* nullitatem *restringunt ad simoniam* realem, *verba Canonum contra eorum naturalem sensum contorquent.*
19 *Restrictio hæc ab Urbano II. jam pridem rejecta.*
20 *Ostenditur, quàm futili fundamento hæc restrictio nitatur.*
21 *Qui præcipuus Ecclesiæ scopus in decernenda hac pœna nullitatis, & depositionis.*
22 *Qui per simoniam à Parentibus commissam ordinati sunt, etiam deponendi sunt.*
23 *Etiamsi ignorante Ordinato simonia sit commissa.*
24 *Hanc nullitatem clarissimis terminis exprimit Decretalis Cælestini III.*
25 *Nisi sit facta in fraudem provisi.*
26 *Provisus per simoniam, licèt ipso* ignorante *commissam, tenetur Beneficium dimittere.*
27 *Monuit B. Petrus Damiani Simoniacos, ut Ordines sponte desererent.*
28 *Multi etiam Episcopi convicti rationibus Damiani suas sedes dimittere promiserunt.*
29 *Sed promissis non steterunt ; & quàm difficulter Simoniaci convertantur.*
30 *Simonia etiam* occulta *reddit provisionem* nullam, *& obligat ad dimittendum.*
31 *Simoniacus tamen* occultus *deponi non potest ; sed potest induci purgatio Canonica, si* publicè *sit de simonia suspectus.*
22 *Cùm occultò facilius, quàm cum publico dispensari potest.*
33 *Ut Simoniacus ex suo Beneficio ejiciatur, debet prævie declarari simonia intrâsse.*
34 *Hæc declaratio contra Clericum facienda à Judice Ecclestastico.*
35 *Crimen hoc est Ecclesiasticum, in quantum contra Clericum agitur.*
36 *Aliquando* incidenter *Judex laicus cognoscit de hoc crimine contra Clericum.*
37 *Hoc casu judex laicus non pronuntiat super crimine simoniæ, sed super possessorio Beneficii.*
38 *In Regno Galliæ rarò recurritur pro obtinenda hac declaratione ad Judicem Ecclesiasticum ; & quare.*
39 *Quomodo Judex Laicus etiam cognoscat de simonia ; licèt super ea non pronuntiet.*
* *An coram judice laico admitti possit probatio simoniæ.*
* *Ubi admittitur, summa prudentia opus est.*
40 *Simoniacus etiam tenetur ad restitutionem fructuum perceptorum.*
41 *Etiamsi simonia sit* occulta.

I. QUia primis seculis, nondum erectis Beneficiis, simonia præcipuè circa ipsas Ordinationes versabatur, uti supra *cap.* 2. ostensum est, etiam pœnæ jam pridem in Simoniacos decretæ, ipsas simoniacas Ordinationes spectabant.

II. Synodus Calchedonensis *Can. II.* statuit : » Si quis Episcopus propter pecunias ordinationem fecerit, & sub pretio redegerit gratiam, quæ vendi non potest, ordinaveritque per pecuniam Episcopum, Chorepiscopum, Presbyterum, vel Diaconum, vel aliquem eorum, qui in Clero annumerantur, vel propter pecunias promoverit œconomum, vel defensorem, vel paramonarium, vel omninò aliquem ex Canone, turpis quæstûs gratiâ : qui hoc tentâsse convictus fuerit, de proprio gradu in periculum veniat : & qui est ordinatus, ex ordinatione, vel promotione, quæ instar mercatorum venundatur, nihil juvetur : sed sit à dignitate, vel curatione alienus, quam pecuniis adeptus est. «

Hunc Canonem innovans Synodus II. Aurelianensis *Can. IV.* ait : » Si quis Sacerdotium per pecuniæ nundinas execrabili ambitione quæsierit, abjiciatur ut reprobus. «

Idipsum declarant Synodus Aurelianensis V. Turonensis II. Cabillonensis, item Remensis II.

III. Et Synodus VI. vulgò *Trullana* Can. XXII. ait : Eos, » qui per pecunias ordinati, sive Episcopi, si quicunque Clerici, & non secundum probationem, & vitæ optionem, *deponi* præcipimus. «

IV. Et S. Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus in Epistola lecta, & probata in Synodo Nicæna II. intrepidè pronuntiat : » Omnis Episcopus, vel Presbyter, aut Diaconus convictus, quòd pro muneribus Ordinationem dederit, vel acceperit, *à Sacordotio cadit.* «

V. Hæc depositio juxta phrasim antiquorum Canonum absolutam & perpetuam, nulla pœnitentia delebilem iregularitatem significabat. *Depositio enim ex natura sua est perpetua, ac irreparabilis*, ait Lupus *in Dissertatione 3. proœmiali præfixa tom. 3. Scholiorum, pag.* 241.

VI. Unde interrogantibus Britonum Episcopis : Utrum simoniacè ordinati possint in Ordine *pœnitentiam* agere, aut tantummodo *extra* Ordinem & Sacerdotalem gradum fieri : Respondit Leo IV. » Convictis & iis, qui tam detestabile nefas (quòd jam multis damnatum est Conciliis) peregisse nos» cuntur, *nullâ pœnitentiâ* possumus subvenire, & tot spiri» tualibus Patribus obviare, sed in illorum Patrum sententiam » me convenire omnibus certum sit. « *Caus. 1. quæst. 7. Can. 5.*

VII. Hîc evidenter supponit Leo IV. Simoniacè ordinatos, nec *post actam pœnitentiam* ad exercitium Sacerdotalem restituendos ; quòd & Christianus Lupus *citata Dissertatione 2. proœmiali, cap.* 17. rectè notavit : » Hasce enim Ordinationes adeò detestata est, adeoque *nulla* unquam *pœnitentiâ* ad ministerii executionem admittere olim voluit Ecclesia, ut etiam irritas diceret, & haberet quasi substantialiter nullas. «

VIII. Et quamvis credat hic Auctor contra Morinum has Ordinationes non fuisse quoad *substantiam* irritas, tamen non dubitat, irritas saltem fuisse effectu quoad executionem, *atque indispensabili suspensione, ac irregularitate firmatas*, ut loquitur *pag.* 241.

IX. Hanc perpetuam irregularitatem nullâ pœnitentiâ delendam multis adstruxit, fortiterque ursit S. Tarasius Patriarcha Constantinopolitanus in Synodo VII. *Act. VIII.* & extat apud Gratianum *Caus. 1. quæst. 5. Can. 2.* sed nonnisi mendosè, uti rectè notant Correctores Romami, quorum notas consulere oportet.

X. Sanè quæ justior, aut convenientior pœna esse potest, quàm ut Sacerdotio perpetuò privetur, qui illud per simoniam turpissimè maculavit, & existimavit Sacerdotii gratiam *pecuniâ possideri.* Quid justius quàm ut ex ovili Christi ejiciatur, qui *non intravit per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde*, nimirum tanquam *fur, & latro* ? » Nullus verò in Ecclesia Prælatus, ait Gregorius VII. per ostium, » hoc est, per ipsum Dominum, ad pastoralem curam intravit, qui per avaritiam, id est, idolorum servitutem, ad » hoc officium pervenit. Non est ergo indignum hujusmodi » mercatorem, sive mercenarium sub nomine furis infamari, » cujus furtivam irreptionem non expavit imitari. « In Concil. R. I. *Can. X.*

XI. Quantumvis Canones citati nominatim agant de his, qui per simoniam ordinati sunt ; eò quòd juxta disciplinam illius temporis, per solam ordinationem ad Ecclesiasticos gradus ascenderetur, indubitatum tamen est, eos etiam comprehendisse, qui mutata Ecclesiæ disciplinâ ad sacra ministeria, & Dignitates Ecclesiasticas non quidem per ordinationem, sed per Beneficiorum institutionem simoniacè acceptam promoverentur.

XII. Unde Alexander II. qui sub medium seculi XI. sedit, non dubitavit citatum Canonem Calchedonensem applicare iis, qui Beneficium Ecclesiæ vendere, vel emere præsumpserint, in Epistola ad Clerum, & populum Lucensem, apud Gratianum *Caus. 1. quæst. 3. Can. 9.* » Si aliquis divinorum præceptorum, & animarum salutis immemor, inquit, » *Beneficium Ecclesiæ* iniqua cupiditate ductus, vendere, vel » emere temerario ausu præsumpserit *sicut in Calchedonen» si Concilio definitum est*, gradus sui periculo eum subjacere decernimus, nec ministrare possit Ecclesiæ, quam » pecunia venalem fieri concupivit « Si-

XIII. Similiter Calixtus II. qui sedit seculo XII. quando jam disciplina hæc collationem Beneficiorum ab Ordinatione separans, omninò invaluerat, utramque quoad hanc pœnam conjunxit, dicens: » Si quis in Ecclesia ordinationem, vel » *promotionem* per pecuniam acquisierit, acquisitâ prorsus careat » dignitate. «

XIV. Infinita propemodum sunt posteriorum Pontificum, & Synodorum decreta, quæ ipsas Beneficiorum collationes simoniacas, irritas, & omni planè effectu vacuas declarant; nullumque jus earum vigore provisis quæri asserunt, ac signanter in Extravagante Pauli II. quæ incipit: *Cùm detestabile*, referturque sub titulo *de Simonia*, inter Extravagantes Communes; ubi dicitur: » Per electiones verò, postulationes, con» firmationes, provisiones, seu quasvis alias dispositiones, quas » simoniaca contigerit labe fieri, & quæ viribus omninò careant » in Ecclesiis, Monasteriis, Dignitatibus, Personatibus, offi» ciis Ecclesiasticis, & quibusvis Beneficiis, aut aliquo eorum » cuiquam jus nullatenus acquiratur.«

Cùm dicatur per hujusmodi electiones, & provisiones *cuiquam jus nullatenus acquiri*, rectè concluditur, has provisiones esse *irritas*, & *nullas*; quod & in Rubrica ejusdem Extravagantis supponitur, cùm dicitur: *Et electiones, aut aliæ provisiones per simoniam factæ non valent.*

XV. Idipsum clarissimis terminis expressit Martinus V. Sess. 43. Concilii Constantiensis: » Electiones autem, postula» tiones, confirmationes, & quævis provisiones Simoniacæ Ec» clesiarum, Monasteriorum, Dignitatum, Personatuum, Offi» ciorum, & Beneficiorum Ecclesiasticorum quorumcunque » deinceps factæ, *nullæ* sint *ipso jure*, *nullumque* per illas *jus* » cuiquam acquiratur.«

XVI. Et Pius V. in Constitutione, quæ incipit: *Ut Simoniacæ*, quâ Constitutiones Antecessorum suorum contra Simoniacos editas, & præsertim Pauli II. quæ est dicta Extravagans, inviolabiliter observari mandat, inter alia declarans: » Qui Dig» nitates Ecclesiasticas simoniacè acquisierit, illis sit *ipso jure* » privatus, & in futurum inhabilis ad eas, & quascunque alias » obtinendas. Qui Beneficium, aut officium Ecclesiasticum si» moniacè adeptus fuerit, illis similiter *ipso jure* sit privatus.«

Ex his, aliisque tum Pontificum, tum Synodorum decretis evidens est, provisiones Beneficiorum simoniacè factas esse *ipso jure* irritas.

XVII. Illud quoque ex citatis textibus manifestum est, sufficere ad eam nullitatem, quòd provisiones sint simoniacæ, uti rectè notat Garcias de Beneficiis *part.* 8. *cap.* 1. ubi unà solidè refutat eos, qui hanc nullitatem duntaxat inductam volebant, quando intervenit simonia *realis*, sive quando *realiter* munera data fuerunt; non autem quando sola Simonia *conventionalis* intercessit, id est, quando quidem de muneribus dandis conventum est; sed nondum conventioni satisfactum fuit per *realem* munerum solutionem.

XVIII. Et sanè cùm ipsa *conventionalis* simonia sit æquè vera & formalis simonia, quàm *realis*; contra verba, & mentem Pontificum, & Synodorum torquent eorum Constitutiones, qui eas ad simoniam *realem* restringere audent.

Adhæc quid interest, si mediante parata pecunia, vel promissa, & addicta pecunia ascendat? Nonne utrobique mediante pecunia ad Beneficium aditum sibi pandit?

XIX. Unde jam pridem Urbanus II. apud Gratianum *Caus.* 1. *quæst.* 3. *Can.* 5. hac subtilitate nondum adinventâ, *datam & promissam* pecuniam confundit dicens: » Ea, quæ à SS. Pa» tribus de Simoniacis constituta sunt, nos quoque & judi» cio Sancti Spiritûs, & Apostolicâ auctoritate firmamus. Quid» quid ergo vel in sacris Ordinibus, vel in Ecclesiasticis re» bus, vel data, vel *promissa* pecunia acquisitum est, nos ir» ritum esse, & nullas unquam vires habere censemus. «

Hîc evidenter supponitur, solam *promissam* pecuniam adeoque *conventionem* de danda pecunia suficere, ut *irritum* sit, quidquid per hanc promissionem obtentum fuerit.

XX. Dicitur quidem in citata Extravaganti Pauli II. §. *Statuentes*: *Qui quomodolibet* DANDO *vel* RECIPIENDO *simoniam commiserint*: è quibus Navarrus, aliique nonnulli concluserunt, *dationem & receptionem* requiri, ut nullitas ipsius provisionis inducatur.

Verùm in hoc §. non de nullitate provisionis agitur; sed de excommunicatione Simoniacorum.

Deindè, uti benè reflectit Garcias loco citato *num.* 44. » illa verba referuntur solùm ad spirituale, nempè Ordines, vel » Beneficia, de quibus in præcedentibus actum erat: eorumque » planus sensus est, quòd qui in quolibet simoniam commise» rint dando, vel recipiendo Ordines, vel Beneficia, senten» tiam excommunicationis incurrant.«

Interim hîc videmus, quòd & in multis aliis materiis contigit, quàm levi, ne dicam futili fundamento, nonnulli recentiores Theologi in laxiora proni, & hos cæco impetu secuti nonnulli Canonistæ, à tenore Canonum recesserint, & rigorem Canonicæ disciplinæ, prætextu mansuetudinis inverterint.

XXI. Porrò præcipuus Ecclesiæ scopus in decernenda nullitate collationis, alteriusque provisionis Beneficii per simoniam obtentæ, est, ut omninò ab Ecclesiasticis ministeriis arcerentur, qui *non per ostium*, id est, Christum, in ovile ovium intrâsse, sed *aliundè* ascendisse sciuntur.

XXII. Cùm verò constet, nec illos per *ostium* intrare, qui parentum, aut amicorum muneribus intervenientibus ascendunt; nec *tanquam Aaron* à Christo vocentur, sed parentum cupiditate intrudantur, etiam tales *à sacris Ordinibus deponendos esse Sancti Canones testantur*; quemadmodum Metensi Episcopo scribit Urbanus II. apud Gratianum *Caus.* 1. *quæstio* 5. *Can.* 3.

XXIII. Unde cùm quidam Clementi III. insinuâsset, quòd pater ejus, *interveniente pecuniâ*, olim sibi Præbendæ Beneficium acquisivisset, ipse verò ad annos discretionis perveniens, accepisset Dominicæ Crucis signum, & dictam Præbendam in manu Præpositi, & Fratrum *liberè* resignâsset. Sed hi resignanti compatientes, de novo eum in suum Canonicum elegerunt, *ita videlicet, quòd per electionem istam* POSTREMUM *locum in choro, & in aliis obtineret.* Requisivit super his à Pontifice. » Utrum juxta priorem receptionem suum locum recuperare de» beat, vel valeat;« Respondit Pontifex: » Ut indulgentia, » quam Fratres tui tibi fecisse noscuntur, contentus existas, ra» tione *primæ* receptionis nihil audeas in ipsa Ecclesia vindica» re. *Cap.* 26. ✠ *de Simonia.*

Hîc à patre commissam fuisse simoniam filio *ignaro* notat Glossa, quia aliàs Capitulum, etiam consentiente Episcopo, ad eandem Ecclesiam reeligere non potuisset, ut hîc cum Glossa communiter monent Doctores.

Ulterius observat Glossa, quòd postquam cognovit simoniam fuisse commissam à patre, debuerit ipse dimittere, ideoque supponit evidenter ipsa Glossa, primam electionem, ratione simoniæ paternæ, fuisse *nullam*; quod & hîc notat Cardinalis Hostiensis, probatque hac pœnam nullitatis esse justam.

XXIV. Itaque electio, aliave provisio Beneficialis ipso jure nulla est, nullumque jus tribuit proviso, si quocunque modo simoniaca fuerit; tametsi etiam ipso proviso omninò *ignorante* intervenerit: quod clarioribus terminis exprimitur in *Cap.* 27. ✠ *de Simonia.*

Cùm enim à quodam Capitulo » quatuor essent constituti, qui debebant quemdam eligere in Plebanum: amici ejus, » de cujus electione spes habebatur, uni, vel omnibus eligen» tium promisserunt se pecuniam solvturos, *eo tamen ignoran» te*, qui, hujusmodi promissione interveniente, postmodum » est electus. «

Super hac electione consultus Cœlestinus III. respondit: » Nisi constaret, illos, qui promissum tale fecerunt, per frau» dem in dispendium illius, qui eligendus erat, id malitiosè » egisse: quamvis *ipse promissionis conscius non sit*, ejus ta» men electio tanquam simoniaca pravitate præsumpta, est pe» nitùs reprobanda. «

XXV. Ex hac Decretali uno consensu concludunt Canonistæ, quòd electio facta per simoniam penitùs sit nulla, etiamsi *ignorante* Electo intervenerit, nisi *malitiosè*, seu in *fraudem*, non ad promovendam electionem, sed potiùs ad eam corrumpendam, sive vitandam, quæ futura prævidebatur, commissa fuerit: eò quòd hoc casu ipsa simonia propriè ipsam electionem non infecerit: cùm supponatur, quod etiam ea non interveniente electio facta fuisset.

XXVI. Hîc quoque notant Canonistæ, quòd licèt simonia sit commissa *ignorante* proviso, nihilominus teneatur dimittere Beneficium, tanquam nulliter, & sine canonico titulo acquisitum: cui consonant quæ de Malguino Nivernensi Episcopo in actis diei tertiæ Concilii Remensis anno 1049. præsente Leone IX. leguntur, » Nivernensis Episcopus surrexit » (inquiunt acta) pro Episcopo plurimum pecuniæ confessus est » à parentibus datum fuisse, *se tamen ignorante*..... Ideo» que si Domino Papæ, & præsenti Conventui dignum vi» deretur, idem officium velle dimittere potiùs, quàm in » ejus retentione animam suam pessum dare. Quæ ubi dixit, » pastoralem pedum ante pedes ipsius Apostolici posuit. Ille » verò tanti viri flexus devotione, favente Synodo, eundem, » quòd *absque suo consensu* eadem pecunia data fuerit, Sacra» mento comprobare facit: sicque illi per *alium pedum* minis» terium Episcopale reddidit.«

XXVII. Narrat B. Petrus Damiani in vita S. Romualdi *cap.* 35. quomodo hîc vir sanctus » seculares Clericos, qui per » pecuniam ordinati fuerant, durissima servitute corriperet, & » eos, nisi ordinem *sponte* desererent, omninò damnabiles, & » hæreticos assereret.«

XXVIII. Deindè narrat, quomodo per sacros Canones multos de simonia convicerit: qui & crimen agnoscebant, & errata deplangebant. Post hæc subjungit: » Nonnulli quoque » Episcopi, qui per simoniacam hæresim sacras Sedes invase» rant, ad eum causa pœnitentiæ concurrebant. Qui etiam ve» nerabili viro se committentes, & Episcopatum termino sta-

» tuto *deserere*, & ad sanctæ conversionis se promittebant or- » dinem festinare."

XXIX. Hîc elucet, nullatenus dubitâsse S. Romualdum, quin juxta sacros Canones Simoniaci suas Sedes dimittere deberent; sed hoc meritò notandum quod adjicitur: » Ex qui- » bus (Episcopis) tamen vir sanctus quandiu vixit, nescio, si » vel unum convertere potuit. Est enim venenata illa hæresis, » præsertim in Episcopali ordine, tam dura, & ad convertен- » dum rigida, ut semper promittens, semper de die in diem » producens, atque in futurum procrastinans, faciliùs possit Ju- » dæus ad fidem converti, quàm hæreticus latro planè ad pœ- » nitentiam provocari."

Et sanè tot vinculis retinentur alligati, qui interveniente simonia ad Dignitates Ecclesiasticas sunt, promoti, ut miraculi instar meritò reputetur vinculorum illorum contractio. Qui enim ad Dignitates Ecclesiasticas simoniacè ascendunt, considerare solent mundanum splendorem, & divitias seculi eis annexas, quas cùm amant, difficulter illis renuntiant: nec enim sine difficultate dimittentur, quod cum amore possidetur.

XXX. Quoad hanc nullitatem, & necessitatem dimissionis, non est differentia inter *notoriam*, *& occultam* simoniam, sed utraque reddit provisionem nullam, & obligat Provisum ad dimittendum: uti monet Rebuffus in praxi titulo *de Simonia*, *in resignatione*, *num.* 12.

XXXI. Addit tamen *num.* 3. » Licèt fiat differentia quoad » depositionem ad officio, quia occultus non deponitur, sed » notorius sic." *Cap.* 13. ✠ *de Simonia.* Tametsi enim *occultus* Simoniacus careat reverà titulo Canonico ob nullitatem à jure inductam, non potest tamen per Superiorem *deponi*, quando simonia manet *occulta.* (m)

Sed si *publicâ* laboret infamiâ, poterit ipsi adhibitis Compurgatoribus, purgatio Canonica indicit; & si in hac deficiat, Beneficio privari poterit, quemadmodum in citato capitulo scribit Pontifex.

XXXII. Insuper inter occultum, & notorium Simoniacum ea est differentia, uti etiam notat Rebuffus ibidem, quod absolutio, & rehabilitatio facilior sit in *occulto* quam in *notorio*, uti capite sequenti ostendetur: ubi una notabitur, quòd dispensatio in simonia occulta pro solo foro conscientiæ detur, in Pœnitentiaria; in simonia notoria per Datariam.

XXXIII. Beneficia simoniacè obtenta cùm vacent *ipso jure*, possunt impetrari, etiam absque alia declaratione, quæ fieri poterit post impetrationem, per *cap. Cùm secundum, de Hæreticis, in VI.* ait Rebuffus *num.* 11.

Porrò hæc declaratio non requiritur, ut Simoniacus privetur Beneficio, sed ut declaretur *privatus*; quæ declaratio per judicem fieri debet, ut ipse Simoniacus à Beneficio, quod de *facto* possidet, realiter deponatur, sive expellatur, & alius in ejusdem possessionem inducatur.

XXXIV. Sed à quo judice hæc declaratio facienda? Indubiè à judice Ecclesiastico; præsertim, dum contra Clericum simili crimine infectum agitur. Hoc enim crimen eatenus Ecclesiasticum esse, nec ipsi Galli diffitentur.

XXXV. Edicto Blesensi *art.* 21. injungitur Archiepiscopis, & Episcopis, ut procedant solicitè, rigorosè, & sine dissimulatione, aut exceptione, contra personas Ecclesiasticas non crimine infectas. Verba Edicti sunt: *Lesdits Archevêques, & Evêques procederont soigneusement & severement, & sans dissimulation ni exception de personne, contre les personnes Ecclesiastiques, qui auront commis le crime de simonie, par les peines indictes & portees par les saints Decrets & Constitutions Canoniques.* Id est: Dicti Archiepiscopi, & Episcopi diligenter severè, absque dissimulatione, aut exceptione personarum, pœnis irrogatis & statutis per Decreta & Canonicas Constitutiones animadvertent in Ecclesiasticos, qui Simoniæ crimen commiserint.

In Concordato inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *tit.* 9. *art.* 8. habetur: » De crimine simoniæ cognoscet & » puniet uterque judex secundum qualitatem suæ jurisdictionis. «

XXXVI. Rursus cùm præterito seculo quidam articuli fuissent Romæ exhibiti, iique remissi essent, ad Francisc. I. Galliæ Regem; atque per hunc anno 1347. communicati Procuratori Generali, & Advocato Fiscali Parlamenti Parisiensis, ut ad singulos responderent: ad articulum 7. qui erat de crimine simoniæ, responsum fuit; nunquam visum fuisse, quòd judices laici in patria Regia de hoc crimine cognoverint; quia est crimen *merè Ecclesiasticum*: nihilominus quando proponitur per modum *exceptionis*, tunc hi cognoscant, non ut jus dicant *super crimine* simoniæ, sed ut judicent principale coram ipsis pendens, conformiter ad jus commune. Verba responsi sunt: *Quant au 7. qui parle de la connoisance du crime de simonie, l' ont n' a point vû que les Juges lais es pays du Roy en ayent connu, car c' est un crime pur Ecclesiastique: toutefois quand il est proposse par forme de exception, lesdits Juges en connoissent, non pour prononcer sur le crime de simonie, mais pour juger ce qui est principalement pendant par devers eux, conformement à droit commun.* Id est: Quoad septimum: ubi agitur de discussione criminis simoniæ, inusitatum est à Judice laico in ditionibus Regis causam illam discuti, cùm sit crimen merè Ecclesiasticum, nihilominus, cùm in forma exceptionis proponitur, desuper etiam dicti judices instruuntur, non ut sententiam de crimine simoniæ pronuntient; sed ut judicent id, quod principaliter coram ipsis controvertitur conformiter ad jus commune.

XXXVII. Carolus Fevretius *de Abusu, cap.* 8. *lib.* 2. *num.* 5. relato hoc responso, monet, judicia, quæ super hoc crimine proferuntur in tribunali Ecclesiastico, esse omnino disparata à judiciis, quæ super eodem crimine proferuntur incidenter in tribunali *laico.*

Judex enim Ecclesiasticus cognoscens de hoc crimine contra Ecclesiasticum accusatum, declarat, convictum Beneficiis suis privatum, atque directè contra ejus personam pronuntiat, *ut in proprium suæ jurisdictionis.* At Judex laicus, qui non cognoscit de simonia, nisi ratione possessorii, tantùm pronuntiat super possessorio, cujus ad ipsum cognitio & decisio pertinet, repellens à possessorio, qui de simonia convincitur; quin & injungendo Judici Ecclesiastico (si simonia fuerit notoria) ut procedat extraordinariè, seu ex officio contra Ecclesiasticum illo crimine infectum.

XXXVIII. Ex his haud difficulter intelligitur, quod Rebuffus verbis suprà citatis subjungit: » Sed in hoc Regno ra- » rò fit declaratio: nam his casibus, quibus est ipso jure pri- » vatio, post habitam collationem à Papa, seu Ordinario im- » petrantur litteræ saisinæ, & novitatis super posssessorio. «

Agit enim Rebuffus de *declaratione* faciendâ per Judicem Ecclesiasticum *directè* super crimine *simoniæ* pronuntiantem: quæ declaratio rarò contingit; quia ordinariè malunt Devolutarii agere in *possessorio* coram Judice Regio, coram quo una incidenter de simonia cognoscitur, & per indirectum, saltem quoad validitatem impetrationis Beneficii tanquam per simoniam vacantis, judicatur.

XXXIX. Unde legitur in Actis Cleri Gallicani *tom.* 2. *part.* 2. *tit.* 16. *art.* 15. quod Devolutarius obtentâ in Curia Romana provisione alicujus Prioratus ob *simoniam* per possessorem comissam, fuerit admissus ad probandum simoniam *per testes*, cùm primùm incœpisset per probationes *in scriptis*; idque instante Advocato generali, qui asseruit, Curiam ita semper judicâsse, etiam in simonia *confidentiali*, quæ regulariter non verificatur, nisi *per scripta.* Ita judicatum in Parlamento Parisiensi 19. Martii 1629. Ex quo evidens est, Judices Regios etiam cognoscere, & probationes recipere super crimine simoniæ, quemadmodum recipiunt super titulo Beneficii, ut de possessorio pronuntiare queant.

* Loüetius ad Molinæum *de publicandis resignationibus, num.* 31. observavit, dum agitur super possessorio coram judice Regio, admitti probationem *per testes*: » Sed in nota » marginali monet Antonius de Vaillant, quod hodie vix ad- » mittitur probatio simoniæ per testes, quando agitur de *pos-* » *sessorio* Beneficii, & est necesse (ait) quod procedat aliqua » probatio per *scripta*, alioqui propter testium facilitatem mul- » tæ provisiones hac viâ impugnarentur: & ita judicatum refert » in Senatu Parisiensi, & in magno Regis Consilio. «

Non dubium quin summâ prudentiâ, & moderatione opus sit in admittenda probatione simoniæ contra pacificum Beneficii possessorem, præsertim si hæc quæstio moveatur per eum, qui scitur Beneficium illud viâ devolutionis impetrâsse, & is, contra quem hæc quæstio movetur de hoc vitio minimè sit suspectus.

XL. Cùm simonia provisionem Beneficii simoniacè obtentam irritet, ipsumque titulum annullet, ita ut proviso nihil juris in illo acquiratur, sequitur, quod nec fructus Beneficii eò titulo acquirere, aut suos facere potuerit Simoniacus.

Unde Martinus V. in Concilio Constantiensi postquam dixit; quòd omnes Dignitatum, & Beneficiorum provisiones simoniacæ nullæ sint ipso jure, nullumque per illas jus cuiquam acquiratur, immediatè subjungit, » Nec promoti confirmati, aut provisi faciant fructus *suos*, sed ad illorum restitutionem, » tanquam iniquè ablata percipientes, teneantur."

Eadem expressit Paulus II. in *Extrav.* 2. *de Simonia*, inter Communes, declarans, quòd ad eam restitutionem *sub animæ suæ periculo sit astrictus.*

XLI. Et quidem quia hæc obligatio restitutionis profluit ex

(m) *Simonia mentalis, & conventionalis pœnis Canonicis, qualis est excommunicatio, non subjacet, sed sola simonia realis, cùm scilicet ita de pecunia, sive de re pretio æstimabili conventum est, vel expressè, vel tacitè, ut ex una saltem parte conditio impleta sit.* » Quoad Deum, *inquit S. Thom.* 2. » 2. quæst. 100. art. 6. ad 6. *sola voluntas facit simoniam, sed* » *quoad pœnam Ecclesiasticam exteriorem non punitur ut Simo-* » *niacus.*"

ex ipsa nullitate tituli, rectè concludunt Canonistæ nullam esse differentiam, saltem quoad forum conscientiæ, sive simonia sit occulta, sive notoria; sed æqualiter simoniacum teneri ad restitutionem. Quæ restitutionis obligatio facit hoc peccatum numerari inter peccata *caudata*; eoque titulo difficilioris remissionis. (n)

CAPUT VII.

De Dispensatione cum Simoniacis.

1 *Aliud est dispensari in Simonia, quam dispensari in pœnis simoniæ.*
2 *Quinam doceant, simoniam circa Beneficia à Pontifice purgari posse?*
3 *An simonia circa Beneficia sit juris humani?*
4 *Nonnulli asseruerunt, Pontificem sine simonia posse vendere Beneficia.*
5 *Quin & aliqui dixerunt in Curia Romana, præsente Pontifice, non committi simoniam.*
6 *Primum argumentum probans, venditionem Beneficiorum esse Simoniam jure* divino.
7 *Secundum argumentum ex Concilio Constantiensi.*
8 *Tertium desumptum ex Canonibus.*
9 *Quartum ex ipsis textibus Juris Canonici remissive.*
10 *Refellitur fundamentum eorum, qui volunt esse juris* humani.
11 *Venditionem Beneficiorum etiam simplicium esse juris divini, docent communiter Theologi.*
12 *Concluditur, Pontificem non posse propriè super simonia dispensare.*
13 *Potest dispensare in pœnis simoniæ.*
14 *Nescitur, an primis XI. seculis cum Simoniaco quoad pœnam dispensationis unquam dispensatum sit.*
15 *Nicolaus II. seculo XI. decrevit*, nullam *misericordiam Simoniacis exhibendam.*
16 *Intuitu necessitatis tolerat Ordinatos* NON Simoniacè *à Simoniacis.*
17 *Vult eam relaxationem, cessante necessitate, etiam cessare.*
18 *Reflexiones super hoc Decreto.*
19 *Urbanus II. sub finem seculi XI. Canones contra Simoniacos renovat.*
20 *Aliqua ab hoc Pontifice cum* simoniacè *ordinatis facta dispensatio.*
21 *Quàm moderata fuerit.*
22 *Declarat hanc relaxationem ex necessitate factam non esse trahendam in consequentiam.*
23 *Hæc moderata dispensatio relaxationi portam aperuit.*
24 *Abusus dispensationis cum Simoniacis tempore Concilii Tridentini erat excessivus.*
25 *Ostenditur non nisi ex gravi causa dispensandum cum Simoniaco, ut in Beneficio* simoniacè *obtento remaneat.*
26 *Qui eam dispensationem pro* se ipso *petit, vel hac petitione se indignum dispensatione ostendit.*
27 *Ab his dispensationibus esse abstinendum monuit Concilium Delectorum Prælatorum.*
28 *Ostenditur posse occurrere casum justæ dispensationis.*
29 *Hæc dispensatio in Curia Rom. interdum in Dataria, interdum in Pœnitentiaria expeditur.*
30 *Dum petitur in Dataria, debent exprimi fructus recepti; ut super iis cum Datario componatur.*
31 *Quo fundamento fructus malè percepti dicantur spectare ad Cameram Apostolicam.*
32 *Hæc compositio super fructibus malè perceptis non admittitur in Gallia.*
33 *In verificatione litterarum Legationis Apostolicæ clausula huic praxi Gallicanæ conformis apponitur.*
34 *Quid Pœnitentiaria circa restitutionem fructuum malè perceptorum ordinare soleat.*
35 *Dispensatio solet concedi in forma* commissoria.
36 *Debet simoniacè provisus ante dispensationem Beneficium dimittere, & quare.*
37 *Confessarius, cui dispensatio committitur, debet monere Provisum, ut complices inducat ad petendam dispensationem; & quæ origo hujus praxeos.*
38 *Pro causa dispensationis solet exprimi* scandalum *aliàs causandum.*
39 *Ostenditur hanc causam sæpè non subsistere.*
40 *Dispensationes cum Simoniacis in Curia Rom. non facilè concedi, testatur Pyrrhus Corradus.*

I. PRo intellectu eorum, quæ dispensationem super Simonia concernunt, notandum, aliud esse dispensare cum Simoniacis super ipso vitio simoniæ, ita ut per dispensationem vitium simoniæ aliàs incurrendum, vi ipsius dispensationis præcaveretur, aut saltem purgaretur, quo fieret, ut provisio Beneficii, quæ aliàs foret simoniaca, virtute dispensationis à simonia purgaretur, aut præservaretur: aliud verò esse, dispensare cum Simoniacis quoad *pœnas* duntaxat à jure decretas. Hac enim dispensatione non purgatur simonia, neque provisio simoniaca à vitio illo eximitur, vel quæ aliàs foret simoniaca, redditur Canonica; sed tantùm ex causa remittitur pœna per Canones inflicta.

II. Pontificem posse priore etiam modo in simonia circa Beneficia ex causa dispensare, sequitur ex sententia illorum, qui volunt vendere, aut emere Beneficia Ecclesiastica, tantùm esse simoniam *juris humani*; atque Pontificem ex causa Beneficia vendentem non committere simoniam. Si enim venditio hæc duntaxat sit *juris humani*; & Pontifex sine simonia vendere queat; quidni ex urgenti aliqua causa in jure illo humano dispensare, & alteri auctoritatem vendendi dare potest?

III. Christianus Lupus *in Dissertatione 2. proœmiali tit. 3. Scholiorum in Canones præfixa, cap. 4.* movens hanc quæstionem: » An Ecclesiasticorum Beneficiorum, ac præsertim simplicium officiorum nundinatio damnetur solo humano jure, » an etiam naturali, ac divino? « Respondet: » Doctores Scholastici passim Divini, ac humani juris simoniam distinguunt, » omniaque ista volunt damnari solo humano jure, ideoque » ex causis posse per Romanum Pontificem divendi. Criminis » istius suspicione graviter olim laboravit Bonifacius IX. ideoque Palatini Clerici ipsum purgaturi, apud Theodoricum » à Niem ex ista Theologia dixerunt, Pontificem hac in re non » posse esse Simoniacum, sed ipsi ex causis similia licere. «

* Distinctionem inter simoniam prohibitam jure Divino, & prohibitam jure duntaxat Ecclesiastico latissimè, ac solidissimè jam pridem impugnavit Paulus Anglus Decretorum Doctor in *suo speculo aureo*, quod evulgavit sub medium seculi XV. ac præsertim improbat eorum opinionem *venditionem Beneficiorum* duntaxat esse simoniam *juris humani*: quodque consequenter Papam sine simonia posset vendere Beneficia.

Ac postquam hujus quæstionis absurditatem solidissimè adstruxit, non veretur exclamare *parte 2. sui operis, cap. 1.* » O quantam animarum multitudinem catervatim transmisit, & » transmittit ad infernum hæc superstitialis, & damnanda distinctio! quæ multis est occasio, & viam aperit ad ruinam » damnationis æternæ: solus novit qui nihil ignorat. «

IV. Fuisse jam pridem Doctores, qui assererent, Pontificem sine simonia posse vendere Beneficia, testatur Concilium Delectorum Prælatorum sub Paulo III. cujus suprà *tit. 28. cap. 1.* mentio facta est.

Hi enim Prælati à Paulo III. delecti & moniti, ut sincerè exponerent *abusus* in futura Tridentina Synodo reformandos, imprimis exponunt Paulo III. quòd » nonnulli Pontifices ejus » prædecessores prurientes auribus, ut inquit Apostolus Paulus, coacervaverunt sibi magistros ad desideria sua, non ut » ab eis discerent, quod facere deberent, sed ut eorum studio, » & calliditate inveniretur ratio, quâ liceret id, quod liberet. «

Deindè subjungunt: » Inde effectum est (præterquam » quòd Principatum omnem sequitur adulatio, ut umbra corpus, difficillimusque semper fuit aditus veritatis ad aures » Principum) quòd confestim prodirent Doctores, qui docerent Pontificem esse Dominum Beneficiorum omnium: ac » ideò cùm Dominus jure vendat id, quod suum est, necessariò sequi, in Pontificem non posse cadere simoniam. «

V. Quin & nonnulli ulteriùs hinc concludere haud dubitârunt, simoniam in venditione Beneficiorum non committi, quando hæc fit in Curia, vidente, & probante Pontifice, uti testatur Fagnanus ad *Cap.* CUM PRIDEM ⁂ *de Pactis, num. 63.*

VI. Verùm, uti rectè reflectit Christianus Lupus, *loco citato*, » quisquis Beneficiorum nundinationem *solo positivo jure* » damnari credit, etiam asserere debet, ante Ecclesiæ Canones nullam istic fuisse simoniam: quod (ait) sanè horrendum » est, atque profanum. «

VII. Idem auctor postquam retulit, quòd nonnulli Clerici Palatini, ut Bonifacium IX. à Simoniæ suspicione liberarent, dixerint, Pontificem hac in re, non posse esse Simoniacum, immediatè subjicit: » Aliud sensit ejus (Bonifacii IX.) » Anti-Papa Clemens VIII. cujus ad urbem Legati Bonifacio » multa improperanti reposuerunt: *Saltem Dominus noster* » *non est Simoniacus.* Eamque veritatem secuta est Constantiensis Synodus, damnans, ac degradans Joannem XXIII. » *Quòd Ecclesias Cathedrales, Monasteria, Prioratusque Conventuales, & cætera Beneficia Ecclesiastica pretio appretiato notoriè distribuisset.* Etiam quòd Ecclesiæ vendidisset » officia, lucet ex variis articulis facti in ipsum processûs. Et » ad

(n) *Merbesius aliique Theologi non infimæ notæ monent Simoniacum teneri ad restituendos fructus non solum perceptos, sed etiam eos, qui percipi potuerunt à Possessore legitimo diligenti; quod tamen intelligendum est de fructibus, qui supersunt deductis impensis, quæ in utilitatem Beneficii factæ sunt.*

» ad novi Pontificis electionem processura laudata Synodus, » eligendum adstrinxit ad reformandam Ecclesiam in capite & » membris, ipsamque etiam Romanam Curiam in variis arti- » culis, quorum fuit quartus decimus: *de exstirpatione Simo-* » *niæ*. Et hæc Decreta respicit in opusculo *de Simonia* Joan- » nes Gerson: *Talis Simonia novissimè per sacrum Constan-* » *tiense Concilium judiciali severitate damnata est in capite*; » Utique Joanne XXIII. Eam damnari dicit à jure Divino, » ideoque nec in Domino Papa ex ulla causa posse purgari. » Jus percipiendi temporalia, licèt temporale videatur, esse » omninò spirituale causâ finis, ac radicis, ideoque Eccle- » siasticum Beneficium non magis posse vendi quàm officium, » cui intrinsecè adnexum est, atque ita ejusdem naturæ. Eam, » quæ aliam divini, aliam simoniam adstruit esse solius hu- » mani juris, doctrinam, affirmat esse commentum Juriscon- » sultorum, Dei legem ignorantium. «

VIII. Hæc ille, qui & ibidem benè notat, quòd Pontifices, & Synodi simoniacas Beneficiorum nundinationes simoniæ arguentes, solis verbis Scripturæ utantur; atque ex hoc Domini verbo: *Gratis accepistis, gratis date*, ipso divini juris fonte definiant, Beneficia vendi non posse. Et quod B. Petrus Damiani Godofredi Ducis Capellanos, non ut *humani* solummodo, sed & ut *Divini* juris eversores tractaverit.

IX. Eandem sententiam, nimirùm nundinationem Beneficiorum, etiam *Simplicium* esse juris *divini*, & *naturalis*, latè, & solidè astruit Fagnanus ad dictum *Cap.* CUM PRIDEM; ostenditque, textus Juris, qui venditionem Beneficiorum, tametsi *Simplicium*, reprobant ut simoniacam, non in jure humano, sed *divino* fundari.

Post hæc concludit, Pontificem quoque simoniam committere in venditione Beneficiorum, neque ipsum posse hanc simoniam purgare. Quin adductis rationibus, quibus nonnulli voluerunt, Pontificem ab hac simonia eximere, dicere non veretur *num.* 71. » Hæ sunt rationes, quæ potissimum affe- » runtur pro dicta opinione, *si tamen opinio, & non error* » *dicenda sit.* «

X. Has rationes, seu potiùs argutias ibidem refellit Fagnanus, ac nominatim eam, quæ unica penè est, cui jam pridem hæc Adulatorum opinio innixa fuit; quòd scilicet Papa vendendo Beneficia, non recipiat pecuniam pro Beneficiis, sed pro *fructibus*, cùm possit separare Præbendam à Canonia.

Respondit Fagnan. *num.* 90. cum Cardinal. de Turrecremata: » Si verum esset, Papam non conferre nisi fructus; tunc » nullus, cui Papa conferret Beneficium, haberet titulum Be- » neficii, nec dicendus esset talis Ecclesiæ Episcopus, Deca- » nus, aut Canonicus, nec deberet ea exercere, quæ sunt il- » lius officii. Prætereà litteræ Papales super talibus provisioni- » bus confectæ, patentissimè declarant contrarium, dum pro- » visos jubent institui. Instituere autem est jus Canonicum in » Ecclesia, seu Ecclesiæ Beneficio conferre, ut in *Cap.* EX » FREQUENTIBUS, *de Instit.* Cardinal. in Clem. 1. *in 6.* » *quæst. in solut. num.* 11. *de Supplen. neglig. Prælat.* Ergo » fateri oportet, non solùm vendi fructus Beneficiorum, qui » sunt accessorii ad titulum, sed etiam illud, quod est merè » spirituale, & principale, scilicet titulum, seu potestatem » exercendi hujusmodi ministerium, propter quod iidem fruc- » tus sunt deputati. «

XI. Tandem *num.* 114. rectè monet, concludendum esse: » venditionem Beneficiorum Ecclesiasticorum, sive habeant » annexam potestatem Clavium, & executionem Ordinis, sive » Officium Clericatus, esse prohibitam, *quia simoniaca*; non » autem Simoniacam, quia prohibita; & consequenter nec » Summo Pontifici licitam, cum emptionis materia sit res spi- » ritualis, quæ jure naturali, & divino venalitatem omninò » excludit. «

Eadem est sententia S. Thomæ 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 1. *ad* 7. quem communiter sequuntur Theologi, ut testatur Cajetanus *tractatu* 9. *de Simonia*, ubi & oppositam opinionem appellat, *errorem Canonistarum.*

XII. Hinc indubitata, & evidenti sequela conficitur, nulla dispensatione posse purgari à simonia Beneficiorum venalitatem seu nundinationem: neque per dispensationem etiam Pontificiam, ejusmodi vitium purgari posse. Sed nec in ullis Ecclesiasticis monumentis legitur, unquam de hujusmodi dispensatione actum fuisse.

XIII. Quoad dispensationem verò super pœnis à Canonibus inductis, non idem dici potest.

Quamvis nec in iis facilè à Canonum statutis, præsertim quoad depositionem Simoniacorum, sit recedendum. Nihilominus, quia pœnæ ille non à jure naturali, aut divino; sed jure duntaxat positivo determinatæ sunt, dubium non est, quin in aliquibus circumstantiis possit per quandam dispensationem moderatio, vel remissio aliqua earum pœnarum indulgeri.

XIV. An tamen primis undecim seculis, exemplum dispensationis reperiri possit, quo ostendatur, indultum fuisse, ut quis simoniacè Ecclesiam ingressus, permitteretur in ea ulteriùs ministrare; sive in suo ministerio, quod per simoniam obtinuit, perseverare, nescio.

XV. In Synodo Romana anno 1059. legitur editum Decretum contra Simoniacos, in quo hæc habentur: » Dominus » Papa Nicolaus Synodo in Basilica Constantiniana præsidens, » dixit: Erga Simoniacos *nullam* misericordiam in dignitate » *servanda* habendam esse decernimus, sed juxta Canonum » sanctiones, & decreta sanctorum Patrum, eos omninò dam- » namus, ac deponendos esse Apostolica auctoritate sancimus. «

XVI. Quin & eos, qui *non per pecuniam*, sed *gratis* à Simoniacis ordinati essent, Canonum rigore attento, deponendos dicit: » sed quia usque adeò hæc venenata pernicies hac- » tenus inolevit, ut vix quælibet Ecclesia valeat reperiri, quæ » hoc morbo non sit aliqua ex parte corrupta; eos, qui usque » modo *gratis* à simoniacis consecrati, non tam censura justitiæ » quàm intuitu misericordiæ, in acceptis Ordinibus manere » permittimus; nisi fortè alia culpa ex vita eorum contra Ca- » nones eis existat. Tanta quippe talium multitudo est, dum » rigorem Canonici vigoris super eos servare non possumus, » necesse sit ut dispensatoriè ad piæ condescensionis studium » animos nostros ad præsens inclinemus. «

XVII. Sed ne vel tantilla Canonum relaxatio pro lege assumeretur, hanc notandam subjungit cautelam: » Ita tamen » auctoritate Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli omnimodis » interdicimus, ne aliquando aliquis successorum nostrorum ex » hac nostra permissione *Regulam sibi, vel alicui assumat*, vel » præfigat: quia hoc non auctoritas antiquorum Patrum juben- » do aut concedendo promulgavit, sed *temporis nimia neces-* » *sitas* permittendum à nobis extorsit. «

XVIII. Hæc evincunt, avitam illam in relaxandis Canonibus, præsertim in Simoniacos, Patrum moderationem, seu potiùs justam morositatem.

Insuper satis ostendunt, nullam tunc adhuc dispensationem cum Simoniacis factam, ut in functionibus, ad quas simoniacè ascenderant, permanerent.

XIX. Sub finem tamen ejusdem seculi aliquod exemplum hujus dispensationis, seu relaxationis apparet in Synodo Romana anno 1099. sub Urbano II. contra Simoniacos convocata, in qua ante omnia præfatur: » In primis ea, quæ à Sanctis Pa- » tribus Simoniacis statuta sunt, nos quoque, *inquit*, Spiri- » tus Sancti judicio, & Apostolica auctoritate firmamus. «

Addit dein: » Quidquid igitur vel in sanctis Ordinibus, vel » in Ecclesiasticis rebus, vel datâ, vel promissâ pecuniâ ac- » quisitum est, nos irritum esse, & nullas unquam vires ob- » tinere censemus. «

XX. Post hæc factâ Dispensatione aliquâ cum ordinatis *non simoniacè* à Simoniacis, etiam aliquam moderationem cum iis, qui *simoniacè* ordinati erant, subjungit: » Quicunque sanè cu- » piditate parentum, cùm adhuc *essent parvuli*, Ecclesias, » vel Ecclesiarum Beneficia per pecunias adepti sunt: postquam » *omninò eas dimisserunt*, si canonicè in iis vivere voluerint, » *pro magna misericordia* ibidem eos esse concedimus.

» Illi verò, qui per se ipsos, cùm jam majoris essent ætatis, nefanda cupiditate ducti eas emerunt, si in *aliis* Eccle- » siis *canonicè* vivere voluerint, servatis propriis Ordinibus *pro* » *magna misericordia* ibi eos ministrare permittimus. Quòd si » aliàs fortasse transferri *non potuerint*, & in eisdem *canonicè* » vivere promiserint, *minoribus Ordinibus contenti* ad sacros » Ordines non accedant. «

XXI. Quanta cum moderatione hæc dispensatio facta sit, nemo non intelligit, qui eam attentiùs expenderit; ac unà notaverit, quòd *Canonicè* sive *Regulariter* vivere, secundum temporis illius disciplinam & praxim, idem esset, quod vivere *in communi* in Claustro: ita ut qui eâ dispensatione uti vellent, deberent vitam ducere *claustralem*; ita ut quodammodò causâ pœnitentiæ ad Monasteria retruderentur.

XXII. Verùm ne vel tantilla Canonum relaxatio, tot conditionibus moderata, quodammodò extorta, in legem assumeretur, subjungendum credidit Pontifex: » Quantumvis autem » *misericordiæ intuitu, magnaque necessitate cogente*, hanc » in sacris Ordinibus dispensationem constituerimus: *nullum ta-* » *men præjudicium sacris Canonibus fieri volumus*: sed obti- » neant proprium robur, & cessante necessitate, illud quo- » que cesset quod factum est pro necessitate. «

Denique concludit hâc à S. Augustino simili casu prolatâ sententiâ: » Ubi enim multorum strages jacet, subtrahendum » est aliquid severitati, ut addatur amplius charitati. «

XXIII. Cæterùm hæc est misera rerum humanarum conditio, & corruptæ naturæ miseria, ut facilè ubi semel vel rima relaxationi facta, sensim porta aperiatur; & quæ primùm multis restrictionibus, & conditionibus tolerata, vel pro temporum necessitate extorta fuit, tandem neglectis omnibus hisce restrictionibus, & conditionibus quasi pro lege invalescat.

Quod in hac specie relaxationis contigisse, nemo diffitebitur, si jam relatam dispensationem cum dispensationum usu, quem posteriora secula experta sunt, conferamus.

De

XXIV. De hoc usu, sive abusu testes sunt Delecti illi Prælati sub Paulo III. qui referentes abusus in Synodo Tridentina reformandos, de hoc usu ita loquuntur: „ Abusus alius in absolutione Simoniaci: pro dolor quantum in Ecclesia Dei regnat hoc pestilens vitium! adeò ut quidam non vereantur simoniam committere; deinde confestim petunt absolutionem „ à pœna, imò eam emunt, sicque retinent Beneficium, quod „ emerunt. Non dicimus Sanctitatem tuam non posse pœnam „ illam, quæ de jure positivo constituta est, eis condonare, „ sed quòd nullo pacto debeat, ut tanto sceleri resistatur, quo „ nullum perniciosius, nec magis scandalosum. "

XXV. Profecto, quàm gravis, urgensque ratio subesse debeat, ut quis Ecclesiam, seu Beneficium retineat, seu potiùs de novo obtineat, in quod per simoniam, præsertim ipso sciente vel cooperante commissam, intravit, non difficulter intelligit, qui novit, nullum ad Sacrum Ecclesiæ Ministerium, nisi à Deo vocatus sit, esse admittendum. Quis verò non videat, summa multaque vocationis indicia requiri in illo, qui jam Deo non vocante in Sacrum Ecclesiæ Ministerium se intrudere non erubuit; qui juxta Sacros Canones Spiritu Dei conditos, & totius Ecclesiæ reverentia roboratos à Sacris functionibus in perpetuum debet esse alienus? Quis, quæso, non manifesta & extraordinaria vocationis signa requirat, ut contra divinitùs statutas Regulas ad Christi Ministerium admittatur?

Adhæc, cùm nullus vel ambitiosus, vel avarus, imò de vitiis illis suspectus, Sacerdotio sit aptus; tantus indubiè prævie ad dispensationem meritorum fulgor, & odor bonæ vitæ exigendus, ut is omnem, quam ex simoniaco ad Beneficium introitu contraxit, ambitionis, aut avaritiæ notam abstergat.

XXVI. Ulteriùs attendendum, quod si iis, qui ipsemet per simoniam ad Beneficium sibi viam pandit, dispensationem suo proprio motu petat, vel hac sua postulatione se revera indignum, aut saltem de indignitate multum reddat suspectum.

Quis enim illum corde contrito, & humiliato de sua pravitate dolere, & pœnitere credat, qui audet Sacerdotium, quod per superbiam, vel avaritiam ambivit, & sacrilegè usurpavit, rursùm postulare. Certè non illud humilitatis, sed potiùs magnæ superbiæ, & præsumptionis frequenter signum esse potest.

XXVII. Meritò ergo prædicti Prælati dixêre, quòd licèt non negarent Pontificem posse pœnam illam, quæ de jure positivo constituta est, Simoniacis condonare, *tamen nullo pacto debeat, ut tanto sceleri resistatur, quo nullum perniciosius, nec magis scandalosum.*

XXVIII. Sed quid si ipse Provisus nullam simoniam commiserit; sed, ipso plane, ignorante, nulloque modo cooperante, à parentibus, vel amicis realis intervenerit simonia, & provisio in favorem Provissi simoniacè obtenta sit? Indubiè juxta rigorem Canonum talis provisio est *nulla*, ut ipse Provissus Beneficio obtento renuntiare debeat: attamen quin simili casu nonnunquam dispensationis ratio subesse queat, ambigi posse non videtur.

Quid enim si is recta intentione, etiam Superioribus, nullatenus de simonia parentum, aut amicorum consciis, instigantibus, & moventibus intrave.., & cum fructu, & ædificatione eidem Beneficio deserviat; ità ut vel ex ipso fructu non obscura appareant Divinæ vocationis indicia? Quidni cum hujusmodi dispensari poterit, ut in Beneficio remaneat? præsertim si prævideatur, quòd ipso Beneficium deserente alius inidoneus aut minùs idoneus intrabit; maximè si & ipsa simonia sit occulta, ut ex hoc capite scandalum non sit timendum; vel ea sint Provissi nota merita, ut omnem mali speciem sufficienter abstergant.

XXIX. Pro hodierna Praxi dispensationis notandum imprimis, quòd hæc dispensatio peti soleat vel in Dataria Romana, vel in Pœnitentiaria.

In Dataria petenda est, si simonia sit notoria aut saltem in foro externo posset probari; ipseque provisus non tantùm pro foro *interno*, sed etiam pro externo dispensationem suam valere desideret.

In Pœnitentiaria autem petitur, si sit omnino occulta tantumque pro foro conscientiæ dispensationem obtinere desideret.

XXX. Imprimis autem observat Pyrrhus Corradus in *Praxi dispensat. lib. 5. cap. 9. num. 14.* quòd quoties super simonia dispensatio petitur in Dataria, debent exprimi fructus percepti ex Beneficio simoniacè obtento; » cùm illi (ait) de» beantur Cameræ Apostolicæ: ac propterea consignari D. Da» tario, vel Datariæ Præfecto, licet hodie pro *dictis* fruc» tibus fiat *transactio*, & ex illis remittatur Oratori tertia, vel » major pars, prout ipsi D. Datario videbitur. «

Undè hæc materia est ex iis, quæ subjacent *Componendæ*; ideoque supplica transire debet per manus Oficialis, qui vocatur *Componendæ*, de quo actum supra *part. I. tit. 23. cap. 3. num. 18.*

XXXI. Dicit autem Perardus Castellus *in Praxi Curiæ Romanæ, pag. 28.* quia fructus *malè* percepti frequenter sunt *incertæ restitutionis*, aliis asserentibus eos spectare ad successores, aliis verò ad pauperes, tandem decisionem factam fuisse in favorem Cameræ Apostolicæ; quòd administratio generalis bonorum Ecclesiasticorum censeatur spectare ad Papam, dum non scitur alicui particulari competere.

XXXII. Monet autem ibidem in notis Guillelmus Noyer ex Petro Pithœo in Commentario ad libertates Ecclesiæ Gallicanæ *cap. 51.* quòd hujusmodi compositiones fructuum *malè perceptorum* non admittantur in Gallia. Verba Pithœi sunt: *Le Pape ne peut composer avec ceux qui auroint eté vrais intrus en benefices de ce Royaume, sur les frutes mal pris par eux, ni les leur remettre pour le tout ou en partie, au profit de sa chambre, ni au prejudice des Eglises ou personnes, au profit desquelles tels fruits doivent etre convertis.* Id est: Non est Pontificis, ut cum iis, qui verè in Beneficia hujus Regni instruxi sunt, negotium componat quoad fructus malè ab iis perceptos, nec ut in præjudicium Ecclesiarum, aut personarum, quarum emolumento fructus hoc modo acquisiti cedere debent, illos à restitutione totali aut partiali in utilitatem Cameræ suæ absolvat.

XXXIII. Unde & in verificatione Litterarum Legatorum Sedis Apostolicæ inseri solet clausula, quòd non componet super fructibus malè perceptis; neque in totum, vel pro parte remittet; uti videre est in probationibus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap. 23. num. 49. 51. & 52.* ubi hæc restrictio his verbis exprimitur: *Aussi nec pourra* (ledit Legat) *faire aucune composition avec ceux qui auriont eté vrais intrus ès Benefices, sur les fruits mal par eux pris & percus, ne leur remettre en tout ou partie, attendu qu' ils doivent être convertis en l' utilite des Eglises.* Id est: Deinde non erit (dicti Legati) ut cum iis, qui verè in Beneficia intrusi sunt, negotium quoquo modo componat, quoad fructus ab iis malè acquisitos & perceptos: nec ut eos à restitutione totali, aut partiali absolvat, quandoquidem in Ecclesiarum utilitatem conversos oporteat.

* Nemo autem non vidit, quàm malè sonet hæc super fructibus malè perceptis cum Camera Apostolica compositio ut ea mediante obtineatur dispensatio super commisso vitio simoniæ; quasi satis sit ad abluendum vitiosum ingressum in Beneficium, Cameram Apostolicam participem reddere fructuum male perceptorum.

Præterea nec hæc cum Camera Apostolica compositio, titulus sufficiens apparet, qui simoniacè intrusum à restitutione relinquorum malè perceptorum fructuum absolvere posset, eumque in illorum retentione securum reddere.

Quâ enim ratione bona Ecclesiæ ex fundatorum intentione, & Ecclesiæ mente, in Ministros Ecclesiæ, pauperum alimoniam, aliosque pios usus dispensanda, *malè* percepta credat quis posse retinere, eo titulo quod partem sic *malè* perceptorum cum *Camera Apostolica* componendo dividat?

XXXIV. In formula dispensationis super simonia omnino occulta pro solo foro conscientiæ per Pœnitentiariam quoad fructuum restitutionem injungitur, ut non antè cum Simoniaco dispenset, » nisi postquam fructus ex illo Beneficio indebitè per» ceptos in totum restituerit; vel si ob ejus paupertatem in » præsentiarum non potest, se restituturum promisserit, cum » primùm poterit, etiam cum aliquali sui incommodo, & in» digentia. " Ita Pyrrhus Corradus *in citata praxi, lib. 5. cap. 11.* ubi tamen una notat, aliquando Confessario dari facultatem, ut ob paupertatem Oratoris ipsi perceptos fructus, vel in totum, vel pro parte remittat, quod in formulis dispensationis exprimi solet.

XXXV. Illud commune est utrique dispensationi, sive pro solo foro conscientiæ, sive pro *utroque* foro, quod utraque detur in forma *commissoria*, id est, quòd nec ipse Papa, nec Pœnitentiarius Papæ dispenset; sed ipsa dispensandi auctoritas committatur vel Ordinario ejus Diœcesis, in qua Beneficium simoniacè obtentum est situm, vel pro solo *foro concientiæ* alicui Confessario, eo modo quo dispensatio matrimonialis, de qua *suprà tit. 14. cap. 2.*

XXXVI. Utraque autem dispensationis formula requirit, ut priusquam ad dispensationem procedatur, ipse Provisus priùs ipsum Beneficium *dimittere* teneatur; atque *novam* provisionem ab Ordinario pro utroque foro, vel à Confessario pro foro conscientiæ obtinere debeat; etiamsi simonia plane ignorante proviso intervenerit; idque ut ostendatur, quòd revera prima provisio ob commissam simoniam fuerit irrita, requiraturque nova provisio auctoritate Papæ facienda, ut provisus in Beneficio remanere queat.

XXXVII. In *Extravag. 2. de Simonia, inter Communes*, omnibus & singulis Ecclesiasticis, secularibusque personis cujuscunque dignitatis, status, gradus, Ordinis vel conditionis fuerint, in virtute sanctæ obedientiæ injungitur, ut eos omnes, quos simoniam hujusmodi commisisse, vel procurâsse, aut in ea mediatores esse sciverint, Pontifici prædicto, vel cui idem Pontifex duxerit committendum, vel per alios revelare quantociùs non omittant.

No-

Notat autem Marcus Paulus Leo *in Praxi Pœnitentiariæ Romanæ*, *part. 3. cap.* 30. hanc obligationem hodie non esse in usu; sed in locum illius revelationis successisse hodiernam clausulam litteris Pœnitentiariæ inseri solitam, quâ injungitur Confessario, quòd injunget Proviso, ut *alios, si qui sunt, in præmissis culpabiles, quantum potest moneat, & inducat ad impetrandam à Sede Apostolica absolutionem.*

XXXVIII. Ordinariè in supplica pro retentione Beneficii simoniacè obtenti pro causa dispensationis allegatur, quòd Beneficium *sine scandalo* dimitti nequeat. Rectè autem observat Pyrrhus Corradus *loco citato*, *numer.* 7. quòd scandalum non præstet justam causam dispensandi in omni casu prohibito.

XXXIX. Et revera in hac materia, ordinariè verum scandalum fidelium non tam ex dimissione Beneficii, quàm ejus retentione timendum est; præcipuè si nota sit simonia.

Imò si ipsum Beneficium reipsa dimittatur, sciaturque etiam ob simoniam forsan à parentibus commissam, Provisum Beneficio cedere debuisse, natum est contingere, ut vel hoc exemplo plures à simonia committenda retraherentur; multisque alia imprimeretur de simoniæ vitio idea, quàm hodie plerisque est impressa, qui ferè simoniam ut *scrupulum non intelligentium*, reputant: eò quòd videant, passim per temporalia in Beneficia intrari, & nullum tamen ut Simoniacum tractari, & à Beneficio removeri.

XL. Monet ibidem Pyrrhus Corradus: » Ut quoad fieri possit, quævis, quantumvis minima simoniæ labes extra Ecclesiam, à Romana Curia eliminetur, & arceatur, licèt adsint » urgentissimæ causæ non ita passim illæ admittuntur, neque in » hujusmodi dispensationibus pro utroque foro per Datariam » Summi Pontificis, neque per illius Pœnitentiariam; ubi à me, » tot annis illius Prætorio inserviente, satis id compertum est: » ibi enim nec favores prævalent, nec Oratorum continua » instantia prodest.“

TITULUS XXXI.

De Acceptione personarum vitanda in Beneficiorum provisione.

CAPUT I.

QUID ACCEPTIO PERSONARUM; ET QUANDO HÆC IN COLLATIONE BENEFICIORUM COMMITTATUR.

1 *Quid acceptio personarum.*
2 *In Justitia distributiva debet attendi proportio secundum merita personarum.*
3 *Quandonam in distributione munerum, aut officiorum committatur acceptio personarum.*
4 *In acceptione personarum attenduntur conditiones non facientes ad causam.*
5 *Quæ conditiones non faciant ad causam.*
6 *Eadem conditio potest facere vel non facere ad causam pro diversitate materiæ.*
7 *In provisione Beneficiorum committitur acceptio personarum, si attendatur conditio non spectans* ad causam.
8 *Causa distributionis Beneficiorum esse debet, de meliori ministro Ecclesiæ providere.*
9 *Hæc unicè in hac distributione attendi debet.*
10 *Conditio non spectans ad hanc causam, tametsi de se bona nequaquam attendenda.*
11 *An attendenda indigentia personæ.*
12 *Quid de mandatis in* forma pauperum *senserit Bartholomæus de Martyribus.*
13 *An attendenda paupertas parentum.*
14 *Quod aliquis sit consanguineus collatoris* ad causam *facere non solet.*
15 *Consanguineus non omninò excludendus; quin interdum extraneo præferendus.*
16 *Conferenda merita consanguinei cum meritis extranei.*
17 *In hac collatione alieno potius quàm proprio judicio fidere debent Collatores.*
18 *Consanguinitas attendenda cum respectu ad bonum Ecclesiæ.*
19 *In prælatione consanguineorum specialiter cavendum scandalum.*
20 *Ob scandalum subinde consanguineus* dignior *postponendus extraneo minùs digno.*
21 *Ob merita Providendi aliquando scandalum non curandum.*
22 *Ex persona collatoris potest fieri, ut scandalum sit acceptum, non datum.*
23 *Quare hodie specialiter cavenda consanguineorum promotio.*

I. PErsonarum acceptio solet definiri, Injustitia, quâ præfertur persona personæ propter causam indebitam. Hæc autem injustitia opponitur justitiæ, quæ à Theologis & Juris-Consultis vocatur justitia *distributiva*; secundum quam bona, aut res sunt distribuenda, servatâ proportione meritorum.

II. Unde S. Thomas 2. 2. *q.* 63. *art.* 1. *in Corp.* probans, quòd acceptio personarum opponatur justitiæ distributivæ, ait: » Consistit enim æqualitas distributivæ justitiæ in hoc, quòd diversis personis diversa tribuuntur secundum proportionem ad » dignitates personarum.“

III. Hinc ulteriùs infert: » Si ergo aliquis consideret illam » proprietatem personæ, propter quam id, quod ei confertur, est » ei debitum, non est acceptio personæ, sed causa.... puta si » aliquis promoveat aliquem ad Magistratum propter sufficientiam scientiæ; hîc attenditur causa debita, non persona. Si » autem aliquis consideret in eo, cui aliquid confert, non id, » propter quod, quod ei datur, esset ei proportionatum, vel » debitum; sed solùm hoc, quod est iste homo (puta Petrus » vel Martinus) hîc est acceptio personæ: quia non atribuitur » ei aliquid propter aliquam causam, quæ faciat eum dignum, » sed simpliciter attribuitur personæ.“

IV. Itaque dicendum: » In justitia distributiva (rursus » verbis S. Thomæ loquor) considerantur conditiones personarum, quæ faciunt ad dignitatis, vel debiti causam. Sed in » acceptione personarum considerantur conditiones, quæ non » faciunt ad causam.“

V. Quæ autem conditiones referantur *ad personam*, explicat ipse Doctor Angelicus, dicens: » Ad personam autem refertur quæcunque conditio non faciens *ad causam*, propter » quam sit dignus hoc dono. Puta si aliquis promoveat aliquem » ad Prælationem, vel Magisterium, quia est dives vel consanguineus suus; est acceptio personæ.“

VI. » Contingit tamen (pergit S. Thomas) aliquam conditionem personæ facere eam dignam respectu unius rei, & » non respectu alterius: sicut consanguinitas facit aliquem dignum ad hoc, quòd instituatur hæres patrimonii, non autem » ad hoc, quòd conferatur ei prælatio Ecclesiastica. Et ideò eadem conditio personæ, in uno negotio considerata facit acceptionem personæ, in alio autem non facit.“

VII. Ex his haud difficulter intelligi poterit, in provisione Beneficiorum toties fieri acceptionem personarum, & violari justitiam distributivam, quoties in hac provisione attenditur conditio non faciens *ad causam*, propter quam sit dignus hoc dono, sive hoc Beneficio.

Quare S. Thomas *art.* 2. quærens, utrum in dispensatione spiritualium locum habeat personarum acceptio, expressè monet in responsione *ad* 3. quòd si in electione ad dignitatem Ecclesiasticam, » non pertineat *ad negotium* id, quod consideratur ut causa, erit manifestè acceptio personæ.“

Itaque ut in provisione Beneficiorum servetur justitia *distributiva*, & evitetur vitium ei oppositum, personarum acceptio, eæ solæ conditiones sunt attendendæ, quæ faciunt *ad causam.*

VIII. Cùm igitur causa distributionis, sive provisionis Beneficiorum sit dare Ecclesiæ idoneos Ministros, qui conveniant officio, propter quod Beneficium datur, consequens est, quòd justitia distributiva requirat, ut servetur æqualitas proportionis ad qualitates personarum ad *hanc causam* pertinentes; atque ita in hac distributione solus respectus habeatur ad conditiones illas, quæ faciunt ut meliùs Ecclesiæ de ministro provideatur.

IX. Hinc collige primò, quòd in distributione Beneficiorum justitia distributiva exigat, ut bonum Ecclesiæ unicè præ oculis habeatur; id est, ut Beneficiorum dispensatores æqualitatem servent proportionis, habito respectu ad qualitates, quæ ad bonum Ecclesiæ faciunt.

X. Collige secundò, in Beneficiorum distributione non esse attendendam qualitatem personæ etiam bonam, si illa *ad causam*, id est, ut provideatur Ecclesiæ de meliori Ministro, non pertineat. Contingit enim *aliquam conditionem personæ facere eam dignam respectu unius rei*, inquit S. Thomas, *& non respectu alterius.*

XI. Hinc collige tertiò, quòd licèt justitia distributiva sæpè requirat, ut paupertas personæ in distributione communium eleëmosynarum attendatur; nullatenus tamen in Beneficiorum provisione præsertim cum cura animarum, in collatione attendenda veniat; quia priori casu qualitas paupertatis facit *ad causam*, non verò posteriori. Causa quippe distributionis

nis communium eleëmosynarum, est sucurrere indigentiæ personarum: econtra causa distributionis Beneficiorum non est succurrere paupertati, seu indigentiæ eorum, qui ad Beneficia promoventur, sed Ecclesiis digniores Ministros præficere; seu Ecclesiis, non personis providere; quare cùm paupertas non sit conditio ad hanc causam pertinens, si in distributione Beneficiorum illa attendatur, à injustitia distributiva receditur.

XII. Hæc opimè intelligens nominatissimus ille Bracarensium Archiepiscopus Bartholomæus de Martyribus non dubitavit coram Patribus Tridentinis acriter reprehendere *mandata providendi* in FORMA PAUPERUM, dicens: » In proventibus Ecclesiasticis distribuendis spectandam esse doctrinam, & virtutem, non *paupertatem*: cum oporteat consulere muneribus, non hominibus: egentibus subveniendum esse per *eleemosynas*, non per *Sacerdotia*.«

Hæc Pallavicinus *in historia Concilii Trident. lib. 23. cap. 7. num. 7.* & suprà *tit. 23. cap. 2. num. 3.* latius retulimus.

XIII. Itaque erroneam de Beneficiis Ecclesiasticis ideam habent, qui in horum distributione *ad causam* pertinere autumant, quòd quis pauperes habeat parentes, quibus posset ex proventibus Beneficii succurrere. Cùm enim, ut dictum est, Beneficia Ecclesiastica non sint ordinata ad succurrendum paupertati, & indigentiæ corporali, sed ut habeantur idonei Ministri Ecclesiæ; evidens est, parentum indigentiam ad *hanc causam* non spectare. Imò econtra ob parentum egestatem non rarò fit, ut ea de causa minus idoneus Beneficio Ecclesiastico, præsertim Curato, censeri debeat; notum quippe est, quàm frequentem parentum indigentia impedimento sit, ut non eâ, quâ oportet libertate, zelo, & vigore Ecclesiastici functiones suas obeant.

XIV. Ex dictis quoque non difficulter intelligi potest consanguinitatem in Beneficiorum provisione *per se* non esse conditionem, seu qualitatem, quæ attendi possit; utpote quæ *ad causam* spectare non solet. Nam ut monet S. Thomas, » consanguinitas facit aliquem dignum ad hoc, ut instituatur hæres patrimonii, non autem ad hoc, ut conferatur ei Prælatio Ecclesiastica. «

Unde ex sententia ejusdem Doctoris, si aliquis promoveat, aliquem ad Prælationem, quia *consangineus suus*; tunc fit acceptio personarum.

XV. Porrò licèt consanguinitas *per se*, non sit conditio pertinens *ad causam*, non tamen absolutè impedit, quò minus ipsi conferatur, modò non ipsius consanguinitatis, sed meritorum ratio habeatur. Imò si consanguinei Prælati Ecclesiastici sint *æquè digni ut alii*, licitè potest absque personarum acceptione consanguineos suos præferre, ait S. Thomas citata *quæst. 63. art. 2. ad 1.*

Rationem subjungit: » Quia saltem in hoc præeminent, quod » de ipsis *magis* confidere potest, ut unanimiter secum negotia Ecclesiæ tractent. «

XVI. Duo itaque exigit S. Doctor, ut Prælatus consanguineo suo Beneficium sine acceptione personarum conferre queat.

Primò, ut consanguinei sint *æquè digni ut alii*. Requiritur ergo, ut Prælatus, sive Collator Beneficii conditiones seu merita, & qualitates extraneorum conferat cum qualitatibus consanguinei sui: riteque expendat, num hujus qualitates ad officium obeundum, propter quod Beneficium datur eum *æquè dignum* reddant, quàm extraneum.

XVII. Hîc autem primùm attendendum Collatoribus, quod proprium judicium de meritis, ac qualitatibus consanguinei sui semper debeant habere suspectum. Cùm enim consistat æqualitas distributivæ justitiæ, ut ait S. Thomas, in hoc, quod diversis personis diversa tribuantur secundum proportionem ad dignitates personarum, necessarium est, Collatores conferre inter se qualitates consanguinei, & qualitates extranei, ut illis inter se collatis, juxta justitiam distributivam Beneficium conferant *secundum proportionem ad qualitates personarum*. Quis verò negare, aut ambigere ausit, quin natum sit contingere, ut affectu naturali erga sibi propinquos præventi, & nonnihil excæcati, abripiantur, ut suorum industriam, ac dotes magnificè, extraneorum verò tenuiter æstiment. Qua propter si, teste Doctore Mellifluo, *Plerisque imò cunctis penè contingere sapientibus soleat, in rebus videlicet dubiis plus alieno se, quàm proprio credere judicio*, indubiè sapientes, atque justi Beneficiorum Collatores, aut Patroni in dijudicandis meritis consanguinei, plus alieno, quàm proprio credent judicio; semper verentes, ne carnalis in carnem, & sanginem affectus proprium judicium pervertat.

Hinc quoque planum est, quòd si unquam ad exemplum Apostolorum, Patronis, aut Electoribus clamandum sit: *Tu Domine, qui corda nostri omnium, ostende, quem elegeris*; hoc casu clamandum sit, dum caro, & sanguis clamant, imò quodammodò cogunt, favendum esse consanguineis; ipsorumque causâ à tramite justitiæ distributivæ esse nonnihil deflectendum aut saltem non scrupulosè illam esse attendendam.

XVIII. Secundò, attendi vult S. Thomas in prælatione consanguinei, quòd ideò præferantur extraneis, quòd de ipsis *magis confidere* possit Prælatus, quòd unanimiter secum negotia Ecclesiæ tractabunt. Hoc autem ad bonum Ecclesiæ spectare potest: atque hinc patet, S. Thomam non velle considerari *consanguinitatem* in provisione Beneficii simpliciter secundum se, sed cum relatione ad bonum Ecclesiæ; & quatenus eo casu pertinet *ad causam*: dum consanguinitas facit, ut utilius Ecclesiæ servire queat.

XIX. Insuper in hac consanguineorum prælatione specialiter cavendum scandalum, quod & S. Thomas notavit, verbis jam relatis adjungens: » Esset tamen hoc *propter scandalum* dimittendum, si ex hoc aliqui exemplum sumerent, etiam præter » dignitatem, bona Ecclesiæ consanguineis dandi. «

Idipsum ante Doctorem Angelicum monet, & latiùs exposuit Piissimus Parisiensium Cantor in *Verbo Abbreviato, cap. 43.* Postquam enim ostendit, quòd ÆDIFICENT SION, *scilicet Ecclesiam*, IN SANGUINIBUS, *in peccatis*, qui Beneficia non pro meritis, sed ex affectu carnali conferunt, quærit idem: » Sed quid » si æquè honestus est, & dignus, ut extraneus? Sed & hoc » periculosum est, inquit, nisi probitas ejus extinguat, & excludat omnem infamiam, scandalum, & malum exemplum, *quod* » *de facili non fit*. « Rationem illius verissimam, & notandam allegat: » Non enim exemplum à benè gestis nostris sumitur, » sed à cortice, specie, & superficie illorum, non à veritate. Si enim dedi nepoti meo propter gratiam, alii meo utentur exemplo, ut dent suis propter naturam magis, quàm » propter gratiam dicentes: Nonne meis, sicut & ille suis, dabo? «

XX. Postponendus igitur quandoque erit extraneo consanguineus æquè dignus, imò nonnunquam dignior, propter *scandalum, & malum exemplum aliorum*: qui merita, atque qualitates ipsius pernoscentes, nec rei veritatem, sed corticem duntaxat videntes, facilè hoc exemplo permovebuntur, ut *carni & sanguini* dent, quòd illi *gratiæ* dederunt.

XXI. Non tamen semper ob periculum *scandali* præteundos esse consanguineos, sat insinuat Petrus Cantor, & ratio evincit. Dum enim hic periculosum asserit, consanguineum æquè dignum ad Beneficium promovere, subjungit hanc exceptionem: *Nisi probitas extinguat, & excludat omnem infamiam, scandalum, & malum exemplum.* Si quippe contingat, eam esse vitæ sanctitatem, eruditionem, aliasque Ministro Ecclesiastico necessarias qualitates, ut omnibus, vel parùm attendere volentibus, patere debeat eum Beneficio vacanti admodum convenire; quis ambigat, quin hujusmodi consanguineo provideri possit, non obstante scandalo non pusillorum, sed potiùs Pharisæorum: qui cupiditati suæ velamentum quærentes, ad rei veritatem nec aspicere quidem volunt; quare si hujusmodi scandalizari dicantur, responderi potest cum Christo: *Sinites illos; cæci sunt, & duces cæcorum.*

XXII. Potest quoque nonnunquam contingere ex persona promoventis consanguineum, ut scandalum, si quod sit timendum, non erit datum, sed acceptum ab illo, qui *noluit intelligere, ut benè ageret*; qui quærens cupiditatis, & malitiæ suæ aliquod operimentum, corticem actionis attendit, non rei veritatem, quam facilè videre posset, si vellet.

Quid enim, si ea sit personæ præsentantis in omnibus suis negotiis, & actionibus ab omni carnali affectu integritas, ut omnibus attendere volentibus planum sit, quòd non secundum carnem & sanguinem, sed secundum Deum in omnibus procedat? Certè tali casu non nisi malitiosè, ac Pharisaicè judicare, ac præsumere quis posset, personam illam in promotione sui consanguinei, præter morem suum agendi ordinarium, attendisse carnem, & sanguinem; nisi manifestè ex circumstantiis pateret, ipsum à via justitiæ hoc casu deflexisse; ac per consequens ob eminentem virtutem, & integritatem personæ promoventis fieri potest, ut scandalum, quod aliàs esset datum, futurum sit acceptum, & Pharisaicum.

XXIII. His, similibusve casibus sepositis, admodum à consanguineorum promotione cavendum; potiusque extraneus quàm consanguineus Beneficio præficiendus; tum ut hoc exemplo error ille sive abusus (qui hodie pro lege apud multos invaluit) in collatione Beneficiorum consanguineos extraneis, licèt dignioribus præferendi extirpetur; tum ne promovendo consanguineos, abusus ille magis foveatur, & stabiliatur.

CAPUT II.

BENEFICIA CONFERENDA SUNT *DIGNIORIBUS*.

1 *Justitia distributiva violatur in distributione Beneficiorum, quoties attenditur qualitas ad* causam *non spectans.*
2 *Hinc consequens*, digniori *providendum esse.*
3 *Id unanimi consensu docent Canonistæ.*
4 *Illud & in Patronis laicis procedit.*
5 *Similiter in Permutantibus, & Resignantibus* in favorem.
6 *Non excusantur resignantes in electione minùs digni ob consensum Superioris.*

7 *Interdum Superiores resignationem factam minùs digno impedire nequeunt.*
8 *Jura electionem minùs digni reputant validam, licèt peccetur contra justitiam distributivam.*
9 *Quare jura similem electionem habeant pro valida.*
10 *Electio minùs digni erit valida in foro* judiciali, *tametsi Electores jurent se electuros digniorem.*
11 *Præsentatio digni, omisso digniore, est valida: nec institutio negari eo titulo potest.*
12 *Quid si plures sint Patroni, & dignior, & minus dignus à diversis præsententur.*
13 *Instituens minùs dignum, omisso digniore, non semper peccat.*
14 *Quomodo Synodus Tridentina velit institui Præsentatum, modò sit idoneus.*
15 *Synodus nullatenus insinuat, Patronum non teneri præsentare digniorem.*

I. EX dictis capite præcedenti constat, toties justitiam distributivam in distributione Beneficiorum, violari, quoties in hac distributione una persona præfertur alteri ob conditionem, seu qualitatem, quæ *ad causam* non pertinet; sive quæ personam huic Beneficio magis dignam non facit.

II. Hinc evidenter consequitur, distributionem Beneficiorum fieri debere *magis digno*. Ut enim rectè advertit S. Thomas 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *ad* 3. »Si potest haberi aliquis »magis idoneus erga aliquam dignitatem, & alius præferatur, »oportet, quòd hoc sit propter aliquam causam: quæ quidem si pertineat *ad negotium*, quantum ad hoc erit ille, »qui eligitur magis idoneus: si verò non pertineat *ad negotium*, erit manifestè acceptio personæ.«

Unde tanquam indubitatum ibidem præmiserat: »Quantum ad conscientiam eligentis necesse est eligere meliorem, »vel simpliciter, vel in comparationem ad bonum commune.«

III. Observat Covarruvias in Relectione *Cap. Peccatum de* R. I. *in* VI. §. 7. *num.* 4. *Communi* OMNIUM *consensu* extat annotatum *in Cap.* CONSTITUTIS ✠ *de Appellat.* quòd Prælatus teneatur Sacerdotio, seu Beneficio præficere *digniorem*.

Similiter Prosper Fagnanus ad *Cap.* CUM DILECTUS ✠ *de Consuetud. num.* 19. asserit: »Omnia Jura clamant, ut »meliores, & sanctiores eligantur; & ideò (ait) peccant contra justitiam *distributivam*, qui *omisso digniore* eligunt dignum, ut notant OMNES in *Cap.* CONSTITUTIS ✠ *de Appellat.*«

IV. Cùm verò Patroni etiam laici vigore Juris Patronatûs præcipuas in provisione Beneficiorum ad ipsorum præsentationem spectantium, partes obtineant, indubiè & ipsi in hac distributione, seu præsentatione justitiæ distributivæ legibus obstringuntur: ac per consequens in sua ptæsentatione qualitates eas duntaxat spectare jubentur, quæ *ad negotium* spectant.

Hinc Covarruvias *loco citato*, *num.* 5. relata opinione Cæsaris Lambertini existimantis, Patronum non obligari, nec teneri ad præsentandum *digniorem*, sed satis esse, si præsentet dignum, sine ulla hæsitatione pronuntiat: *Etenim hæc opinio apud me falsa est.* »Nam licèt præsentatio Patroni, quoties »dignus ab eo nominatur, valeat, sitque ab Episcopo admittenda, non ex hoc sequitur, Patronum non præsentantem »digniorem, immunem esse à culpa peccati in animæ judicio contrahenda; siquidem tenetur Patronus, cui Pontificiæ »constitutiones jus hoc dedêre, inquirere diligenter, qui sint »ad sacerdotia *digniores*; & eos Episcopis exhibere, ut ipsis Beneficia juris Patronatûs conferantur.«

V. Quòd etiam & permutantes, & resignantes *in favorem*, ad Beneficiorum distributionem plurimum concurrant, præsertim secundum modernam praxim, notissimum est, & ex dictis titulo *de Resignatione Beneficiorum*, intelligi potest; ideoque & ipsi in hac distributione leges justitiæ distributivæ servate debent; easque solas qualitates attendere, quæ *ad negotium* spectant; id est, quæ personam Beneficio magis dignam faciunt.

Hinc Petrus Sotus *lib.* 3. *de Justitia*, *quæst.* 6. *art.* 2. dicere non dubitat, quòd resignans similiter digniorem, & utiliorem Ecclesiæ tenetur eligere, cui resignet Beneficium, aliàs similem committit injustitiam Prælatus, qui eligit indignum ad Beneficium.

VI. Sed dicent fortè permutantes, & resignantes: Superiorum est, permutationem, vel resignationem admittere, vel rejicere. Si ita. Sed quid, si Prælatus facilius forsan quàm oporteret, imò quodammodò indifferenter, ut hodie in aliquibus in more esse videtur, permutationes admittat, num propterea permutantes, & resignantes minùs dignis erunt extra noxam? Nonne ipsi sunt causa, quòd minùs digni Beneficium obtineant? Si enim in permutatione, & resignatione utilitatem Ecclesiæ duntaxat, sive eas Personarum conditiones, quæ faciunt *ad causam*, id est, ut melius Ecclesiæ provideatur, attendissent, indubiè dignior promotus fuisset; adeoque per resignationem minus digno fit, ut Beneficium non distribuatur secundum justitiam distributivam.

VII. Deinde hodiè in aliquibus Ecclesiis permutationum praxis ita invaluit, ut si Ordinarii Collatores permutationem non probent, detur recursus ad Superiorem, uti suprà *tit.* 27. *cap.* 2. *num.* 21. notavimus: ideoque sæpè non dependet ab Ordinariis rejicere permutationem, tametsi sciant eam cum digniore non esse factam: sicuti Ordinarius non potest semper recusare institutionem Præsentato à Patrono, tametsi sciat præsentationem non esse factam de *digniore* secundum leges justitiæ distributivæ.

VIII. Sed dicet quis, »sufficit secundum jura eligere dignum; non autem requiritur, quòd aliquis eligat meliorem.«

Hanc objectionem sibi format S. Thomas 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. in argumento; eique his verbis respondet: »Ad ter»tium dicendum, quòd quantum ad hoc, quòd electio impugnari non possit in foro judiciali, sufficit eligere bonum, »nec oportet eligere meliorem; quia sic omnis electio posset »habere calumniam. Sed quantum ad conscientiam eligentis, »necesse est eligere meliorem simpliciter, vel in comparatione ad bonum commune.«

IX. Hoc responsum communi sensu amplectuntur Theologi, & Canonistæ, uti videri potest apud Covarruviam *loco citato*, *num.* 3. ubi notat, quòd »jura humana majorem ad »tranquillitatem Reipublicæ, ne tot lites super his prælationibus tractarentur, statuerunt, electionem, collationem, & »institutionem Sacerdotiorum validas esse, nec debere in discrimen revocationis adduci ob eam causam, quòd dignior fuerit prætermissus electo digno. Etenim si locus esset contrariæ opinioni, & electiones istæ hac ratione possent revocari, »nulla in Ecclesiastica Republ. electio fiet, quæ litibus, & »controversiis maximè perniciosis non vexetur. Is verò, qui »dignum elegerit, sive Sacerdotium, aut munus publicum contulerit, prætermisso digniori, planè peccatum committit, & »perpensâ qualitate mortale quidem.«

X. Imò tametsi Electores præstent juramentum, eum eligere, quem credent Ecclesiæ utiliorem, nihilominùs electio digni, omisso digniore, erit valida in foro judiciali, uti ibidem notat Covarruvias post Glossam Sanctionis Pragmaticæ: »Hoc »etenim juramentum (ait) pertinet ad perjurii crimen, si Electores existimantes, quendam ex candidatis dignitatem postulantibus, aut qui ad eam elegi poterant, digniorem esse, eo »prætermisso, alterum etiam dignum elegerint: non tamen ob »id electio nulla est, nec debet revocari.«

XI. Sicuti electio digni, omisso digniore, ad evitandas lites, & infinitas discordias, in foro judiciali toleratur, & valida reputatur; ita pariter præsentatio Patroni de digno, omisso digniore, in foro externo irritari nequit: neque præsentato denegari potest *institutio* eo solo titulo, quòd *dignior* non sit, modò revera dignus sit.

XII. Si igitur à majore parte Patronum præsentatus sit unus, qui sit *dignus*; à minore verò parte, qui est *dignior*, instituendus erit ab Episcopo *dignus*; nec dignior institui potest: cùm hic revera præsentatus non sit, sed solus is, qui majorem Patronorum partem habuit, ut notant Canonistæ ad *Cap.* 3. ✠ *de Jure Patronatûs*; & Covarruvias *loco citato*, *num.* 2.

XIII. Neque Episcopo, aut Ordinario imputari potest electio minus digni omisso digniore; quia electio hîc non fit ab Episcopo, aut Ordinario, sed Patrono, qui elegit è multis Præsentatum. Quem sine respectu ad alios, licèt *per se* Ecclesiæ utiliores, instituere tenetur, modò revera *idoneus* sit. Reliqui enim licèt digniores, quia præsentati non sunt, etiam ab Ordinario institui nequeunt; utpote qui solos præsentatos instituere potest.

XIV. Hoc sensu accipiendum Decretum Synodi Tridentinæ *Sess.* 24. *cap.* 18. *de Reform.* quo decernitur. »Quòd si »Jus Patronatûs laicorum fuerit, debeat is, qui à Patrono »præsentatus erit, ab eisdem deputatis (Examinatoribus Synodalibus) examinari, & non, nisi *idoneus* repertus fuerit, admitti.«

XV. Nihil quippè hic aliud intendit Synodus, quàm præsentatum à Patrono instituendum esse, si modo prævio examine *idoneus* repertus sit: tametsi juxta leges justitiæ distributivæ Patrono incumbat *digniorem* præsentare: quemadmodum Episcopus ex iis, quorum *libera* electio sibi competit, tenetur eligere, & Ecclesiæ præficere, *quem cæteris magis idoneum* judicaverit, uti eodem Decreto non semel monet Synodus.

Ut proindè sufficienter indicet, non aliàs permitti Episcopo institutionem idonei, prætermisso *magis idoneo*, nisi quando *magis* idoneum eligere non potest; eò quòd per Jus Patronatûs & præsentationem in vim illius factam, juris manus habeat ligatas.

CAPUT III.

UNDE DESUMENDA MAJOR CAPACITAS, ET QUOMODO DE EA INQUIRENDUM.

1 *In determinanda idoneitate debet attendi bonum commune Ecclesiæ.*

Po-

2 *Potest minùs dignus* simpliciter *esse dignior attentâ utilitate communi.*
3 *In collatione Beneficiorum debet attendi, quis sit melior in ordine ad utilitatem Ecclesiæ.*
4 *Debet attendi qualitas Beneficii, ut de idoneitate statuatur.*
5 *Etiam locus, tempus, aliæque circumstantiæ expendendæ.*
6 *Subinde attendenda utilitas totius Diœcesis.*
7 *Potest eligens aliquando præterire dignissimum, ut è tribus minùs dignus excludatur.*
8 *Aliquando etiam irrito conatu eligendus dignissimus.*
9 *In provisione Beneficiorum non hominibus, sed Ecclesiis providendum.*
10 *Ante provisionem Beneficiorum inquirendum de qualitatibus eorum, qui præfici possent.*
11 *Non sufficit semper inter concurrentes eligere digniorem.*
12 *Solicitantes Beneficia de incapacitate suspecti.*
13 *Collatores & Patroni debent in provisione Beneficiorum seponere omnem humanum erga consanguineos affectum.*
14 *Debent se munire contra mundanorum hominum solicitationes, & colloquia.*
15 *Collatoribus Beneficiorum necessarius spiritus fortitudinis.*
16 *Expendendum quomodo ad electionem processerint Apostoli.*

I. CUm distributio Beneficiorum debeat fieri ad utilitatem, & bonum ipsius Ecclesiæ, etiam major vel minor idoneitas seu capacitas desumenda erit penes utilitatem, & bonum commune Ecclesiæ: ut nimirùm is dignior reputetur, qui plus ad bonum illius Ecclesiæ, cui per Beneficium præficitur, conferre poterit, si hoc Beneficium ei conferatur.

Quod notans S. Thomas 2. 2. *quæst.* 63. *art.* 2. *in Corp.* monet, » quòd dignitas alicujus personæ potest attendi dupli» citer. Uno modo simpliciter & secundum se; & sic majoris » dignitatis est ille, qui magis abundat in spiritualibus gratiæ » donis. Alio modo per comparationem ad bonum commune. » Contingit enim quandoque (pergit S. Thomas) quòd ille, » qui est minus sanctus, & minus sciens, potest magis confer» re ad bonum commune, propter potentiam vel industriam » secularem; vel aliquid hujusmodi. «

Ex his dein concludit: » Et quia dispensationes spirituа» lium principaliùs ordinantur ad *utilitatem communem* secun» dum illud 1. ad Corinth. 12. *Unicuique datur manifestatio* » *Spiritus ad utilitatem*: ideo quandoque absque acceptatione » personarum in dispensatione spiritualium, illi, qui sunt sim» pliciter minus boni, præferuntur melioribus. «

Et *Quod lib.* 6. *quæst.* 5. *art.* 3. eâdem reflexione facta infert: » Non ergo Episcopus tenetur semper *dare meliori sim» pliciter*, sed tenetur dare meliori *quoad hoc*: « id est, meliori quoad bonum commune, & utilitatem Ecclesiæ.

III. Igitur Episcopus, Patronus, Collator, & quivis alius, cui provisio Beneficii quovis modo competit, debet attendere, quis *dignior* sit, non quidem *secundum se*; sed respectu Beneficii conferendi; si quis officio, propter quod Beneficium datur, aptior sit; quique *utiliùs Ecclesiæ* servire poterit.

IV. Hinc ulterius concluditur, etiam attendendam esse qualitatem, & conditionem Beneficii; ut iis attentis, expendatur quis huic Beneficio utiliùs deserviturus speretur.

Quis enim ambigat, quin aliquis possit multò esse dignior, & melior altero, respectu unius Beneficii, qui tamen esset minùs dignus, si respectus habeatur ad Beneficium alterius conditionis & naturæ.

V. Nec tantùm ipsum Beneficium *secundum se* considerari debet, ut de idoneitate personæ statuatur; sed & locus, tempus, aliæque circumstantiæ expendendæ sunt.

Potest enim quandoque contingere, ut attentâ solâ Beneficii & officii conditione, simpliciter sit *dignior*, qui tamen loco, tempore, aliisque circumstantiis attentis, minùs utilis futurus prævidetur, quàm alius *secundum se* minùs capax, minusve dignus; & per consequens juxta regulam suprà positam, licèt is, attentâ solâ Beneficii qualitate, sit minùs dignus, erit tamen reputandus dignior, & alteri præferendus: quia, omnibus attentis, prævidetur plus Ecclesiæ profuturus.

VI. Ulteriùs, quia dispensatio, sive distributio Beneficiorum facienda est ad utilitatem Ecclesiæ, fieri potest, ut etiam, omnibus attentis, aliquis sit dignior, & utilius Beneficio vacanti deserviturus sit, & tamen Episcopus sine ulla personarum acceptione hunc digniorem postponeret alteri, qui revera, omnibus attentis, minùs dignus est, & minore cum fructu Beneficio deserviturus.

Cùm enim Episcopus non tantùm hujus Beneficii, aut Ecclesiæ, cui per Beneficium hic dignior esset præficiendus; sed totius suæ Diœcesis rationem, & curam habere, ejusque utilitatem attendere teneatur, fieri potest ut hic tanquam dignior esset quidem promovendus ad hoc Beneficium, inspectâ sola utilitate hujus Ecclesiæ *particularis*: nequaquam tamen attentâ utilitate, & bono communi *totius* Diœcesis: quod sæpè exigit, ut alteri officio præficiatur, aut reservetur, cui deservien-

do non tantùm uni particulari Ecclesiæ, sed toti Diœcesi plurimum prodesse poterit: neque alius tam idoneus huic officio, verb. grat. Archidiaconi, haberi queat.

VII. Ex eodem principio, nimirùm in provisione Beneficiorum attendendam esse utilitatem communem ipsius Ecclesiæ, consectarium est, quòd eligens non tantùm considerare debeat, quis inter eligibiles sit absolutè dignior; sed quis sit dignior ex iis, quos ipse per suum suffragium *cum effectu* Ecclesiæ præficere poterit.

Quid enim, sit tres sint eligibiles, at prævideatur, quòd *dignior* inter illos certò non sit eligendus pluralitate suffragiorum; imò prævideatur, si hunc eligam, pluralitate suffragiorum eligendus *minus* dignus inter omnes. E contra verò si eligam secundum multò quidem capaciorem tertio, sed inferiorem primo; quo suffragio certò excludetur tertius & secundus eligetur. Quis ambigat, quin simili casu, attentâ Ecclesiæ utilitate, & bono communi, non tantum possim, sed & debeam eligere secundum, præterito primo, licèt omnium *dignissimo*? Neque enim hoc casu dignior negligitur, sive postponitur *ob causam*, quæ ad negotium *non pertinet*, in quo consistit acceptio personarum; sed ob causam ad *negotium pertinentem*, nimirùm, ut minùs dignus excludatur, & *dignior*, qui haberi potest, Ecclesiæ præficiatur.

VIII. Unde si quis sua electione minùs dignum cum effectu excludere non posset, omnium dignissimum eligere deberet; etsi sciret hunc cum effectu non esse promovendum. Quin & priori casu, nonnunquam ad evitandum scandalum, palàm edicere tenetur, se primum omnium capacissimum, non nisi cogente necessitate, scilicet excludendi minùs dignum, præterire.

IX. Si ergò juxta certissimas justitiæ distributivæ leges Beneficia conferenda sunt dignioribus, *attenta* Ecclesiæ *utilitate & bono communi*, meritò Patroni, & Collatores Beneficiorum altissimè cordibus suis inculpent aureum illud Adriani VI. dictum: *Volo homines dare Beneficiis, & non Beneficia hominibus*: ut nimirùm semper per Beneficiorum dationem intendant Beneficiis sive Ecclesiis providere de dignioribus ministris, & non hominibus per Beneficia.

X. Insuper si Patroni, & Collatores Beneficiorum teneantur tanquam fideles dispensatores Beneficia ad majorem utilitatem Ecclesiæ distribuere, indubiè etiam inquirere debent, quinam inter Ecclesiasticos virtute, & scientiâ emineant, qui exemplo suo populum ædificent; quorum probitati, & capacitati fama publica testimonium perhibent: quod & Covarruvias *in relectione Capituli*, PECCATUM §. 7. *num.* 5. reflectit, ubi docet, tum demum Patronum satisfacere, eligendo dignum, cùm *dignior non reperitur* PRÆMISSA *mediocri aut diligenti* INQUISITIONE *nominandi*: nimirùm majore, vel minore inquisitione pro conditione Beneficii, de cujus provisione agitur. » Sicuti enim iis, qui ad id dignitatis (Episcopatus) electi ab » illis fuerint, non satis est defensionem hanc afferre: voluntа» rius ipse ad hujusmodi minus administrandum non accessi... » neque eos, qui elegerint sublevare quiddam poterit; si di» xerint, ignorasse se eum, quem elegêre. « Ita Chrysostomus *de Sacerdotio cap.* 2.

XI. Quare Patroni & Collatores, liberam habentes præsentationem vel Collationem, nullatenus satisfaciunt officio fidelis dispensationis, si eorum duntaxat rationem habere velint, qui apud ipsos pro obtinendo Beneficio instant, & rogant, aut ut hodierna phrasi loquamur, *sollicitant*; creduntque se satisfacere, si inter sollicitantes digniorem eligant: cùm facilè digniorem reperirent, si utilitatem Ecclesiæ, & bonum commune seriò intendentes, eam curam inquirendi adhiberent, quam etiam adhibitam vellent à suis œconomis, aut famulis, ut meliores, & peritiores operarii, pro aliquo notabili ædificio extruendo, aut alio negotio temporali tractando, haberentur. Indicium non obscurum, quòd hujusmodi Patronis & Collatoribus major sit cura de temporalibus, quàm de spiritualibus, à quibus tamen non rarò plurium animarum æterna salus dependet. *Optimi videlicet rerum æstimatores, qui magnam de* MINIMIS, *parvam aut nullam de* MAXIMIS *curam gerunt*: ut de similibus per ironiam olim dixit S. Bernardus *lib.* 4. *de Considerat. cap.* 6.

XII. Latiùs de his actum *in tractatu Simoniæ circa Beneficia, part.* 1. *cap.* 9. §. 5. ubi unà ostensum est, quòd hi, qui pro Beneficio, præsertim Curato, rogant, & solicitant, vel hoc titulo meritò à Patronis Collatoribus habeantur suspecti, tanquam Beneficio obeundo minùs idonei, juxta illud S. Bernardi *lib.* 4. *de Considerat. ad Eugenium, cap.* 4. *Pro quo rogaris, sit suspectus ipse; qui ipse rogat pro se, jam judicatus est. Nec interest per se, an per alium quis roget.* Et illud S. Thomæ 2. 2. *quæst.* 100. *art.* 5. *ad* 3. *Si aliquis pro se rogat, ut obtineat curam animarum, ex ipsa præsumptione redditur indignus.*

XIII. Hactenus dicta de obligatione eligendi digniorem, & attendenda sola utilitate Ecclesiæ, sufficienter quoque ostendunt, omninò necessarium esse, ut Patroni & Collatores om-

nem humanum erga consanguineos, & familiares affectum deponant, dum de Beneficiorum collatione deliberant. Si enim eo affectu ipsos laborare contingat, facilè fiet, ut hoc affectu præventi & excæcati, consanguineos licèt minùs dignos præferant dignioribus extraneis.

XIV. Imò necesse erit, ut Patroni & Collatores se contra hominum mundanorum (qui in Beneficiis & dignitatibus Ecclesiasticis non nisi lucra & honores seculi respiciunt) preces, solicitationes, humanasque eorum ratiocinationes, quin & terrores, specialiter muniant, ac præparent, ne aliàs hisce frangantur, & à tramite justitiæ cum summo suo discrimine avertantur.

XV. Verùm ad hæc omnia quis sat idoneus, nisi ei fuerit datum desuper? Quamobrem nihil magis necessarium his, quibus incumbit Ecclesiæ ministros constituere & eligere, quàm ad Patrem luminum, & Spiritum fortitudinis, instanter recurrere: ut ille & illuminando intellectum ostendat, quis utilior Ecclesiæ minister eligendus; & voluntati róbur tribuat, quo adversus humanas tentationes firma permaneat.

XVI. Legimus in Actibus Apostolorum *cap.* 1. quòd præsentatis duobus, *Joseph*, *qui vocabatur* Barsabas, *qui cognominatus est* Justus, & *Mathia*, ut unus eorum ad Apostolatum eligeretur, ad hanc electionem properare Apostoli non præsumpserint, sed ad Deum confugerint, ut ipse ostenderet, quem ex duobus ad hoc ministerium elegisset: & orantes dixerunt, ait S. Textus: *Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum*: » Si igitur Apostoli » ipsi (inquit magnus ille Archiepiscopus Bartholomæus de » Martyribus ad Patres Concilii Trident.) electioni illi faciendæ » sese impares judicaverint: & si Clerus universus pro more ve» teri cum populo congregatus, id demum se ritè peracturum » crediderit, si jejuniis, publicisque orationibus cœleste lu» men, opemque divinam sibi accersissent; non horrebunt Re» ges (idem dic de cæteris collatoribus) eum per seipsos delec» tum habere. (o)

CAPUT IV.

Quam grave delictum sit accipere personam in collatione Beneficiorum; et unde hæc gravitas desumenda.

1 *Acceptio personarum in spiritualibus juxta Augustinum non est leve peccatum.*
2 *In Beneficiis Curatis dicitur esse peccatum* mortale.
3 *Id ipsum à nonnullis asseritur in omnibus Beneficiis.*
4 *Determinatio, an sit peccatum mortale vel veniale, est difficilis & periculosa.*
5 *Gravitas hujus peccati ponderanda ex bonis, quæ impediuntur, & malis, quæ causantur.*
6 *Hinc elucet; quàm grave sit accipere personam in promotione ad Episcopatum.*
7 *Idem ostenditur in electione ad Beneficium Parochiale.*
8 *Eadem & in Beneficiis inferioribus ponderanda.*
9 *Qui rectè æstimat pretium animarum, non facilè in collatione Beneficii, præsertim Curati admittet acceptionem personarum.*
10 *Synodus Tridentina arguit peccati mortalis, qui minùs dignos ad Episcopatum promovent.*
11 *Promoventes minùs dignos quomodo Ecclesiæ teneantur ad restitutionem.*
12 *Jus Patronatûs pro onere reputandum.*
13 *Plures illud horruerunt, & respuerunt.*
14 *Nolluit S. Gregorius se electioni Episcoporum immiscere.*
15 *Hincmarus Remensis imputavit Presbyteris, quòd laici meliores non præsentarent.*
16 *Quomodo idem hodie multis Ecclesiasticis imputari possit.*
17 *Prælati Ecclesiarum, quomodo suo exemplo Patronos incitare ad præsentandum meliores debeant.*

I. Acceptionem personarum in distributione Beneficiorum, seu honorum Ecclesiasticorum non leve esse peccatum, jam pridem credidit S. Augustinus *Epist.* 172. *num.* 18. » Nec sanè, quantum arbitror (ait) putandum est, leve esse » peccatum in personarum acceptione habere fidem Domini nos» tri Jesu Christi, si illam distantiam sedendi, ac standi ad ho» nores Ecclesiasticos referamus. Quis enim ferat eligi divitem » ad sedem honoris Ecclesiæ, contempto paupere instructio» re atque sanctiore?«

II. Hîc Augustinum loqui de dignitatibus, & ministeriis Ecclesiasticis, atque acceptionem personarum in horum distributione non essè leve peccatum, post S. Thomam 2.2. *q.*63. *art.* 2. in argumento *Sed contra*, tradunt uno consensu Theologi; asseritque post Sotum Gabriel Vazquez tractatu *de Benefi. cap.* 2. §. 3. *dub.* 8. Quòd in Episcopatibus, & Beneficiis curam animarum habentibus annexam, semper sit eligendus dignior sub culpa *mortali*: additque: » In hoc *nullus dubitat*, quoniam » est injustia in re gravi; ideoque necessariò erit *mortale*.«

III. Quin & ipse Vazquez credit, quòd in *omnibus* Beneficiis sit *mortale peccatum digniorem* prætermittere; quia & hîc est *gravis* materia, » Omnia enim ista Beneficia (inquit) ut » bona communia distribuenda pro meritis sunt in Christiana » Republica, præcipuè præstimonia illa, quæ instituta sunt ad » alendos ministros Ecclesiæ, qui eligendi sunt, ac dignio» res esse, aut fore speratur Ecclesiæ utiles.«

Citat in eandem sententiam Covarruviam in *relectione Capituli* PECCATUM §. 7. *num.* 5. ubi docet, quòd » si Fundator » Beneficii ad Beneficium vocaverit ex certa familia, & plures » sint capaces ex illa familia, tunc Patronus sub *mortalis* cul» pæ reatu, inspectâ materiâ subjectâ, tenebitur digniorem » Episcopo exhibere.«

IV. Verùm quia, teste Augustino *lib.* 21. *de Civit. Dei cap.* 27. quæ sint peccata mortifera, quæ venialia, difficillimum est invenire, periculosissimum definire: &, ut ait in Echiridio, *cap.* 77. quæ sint mortifera, quæ venialia peccata, quæ levia, quæ gravia; non humano, sed divino sunt pensanda judicio, ideo nolo hîc determinare, quandonam præcisse in acceptione personarum sit peccatum *mortale*, quando *veniale*; id mihi sufficit, nunquam sine culpa, eaque *non levi*, in hac materia esse acceptionem personarum.

V. Porro gravitas acceptionis personarum sive violationis justitiæ distributivæ in hac materia ex duobus potissimum ponderanda videtur; nimirum ex multis gravibusque Ecclesiæ bonis, quæ per promotionem minus digni, contempto digniore, impediuntur; deindè ex malis, quæ per digniorem, non verò per minus dignum impediri possent.

Ad bona quod attinet, omnia illa censentur inpediri per acceptionem personarum, quæ in functione talis Ministerii Ecclesiastici dignior præ minus digno procurâsset.

Mala vero Ecclesiæ, quæ peccatum acceptionis personarum augent, sunt ea omnia, quæ dignior postpositus, præ minus digno impedire potuisset.

Hinc facile est intelligere, quàm enorme, ac perniciosum possit esse hoc acceptionis personarum crimen.

VI. Quid enim, si ad Episcopatum minus dignus præ digniore eligatur? Quam multa sæpè animarum lucra, quotque Diœcesis, imò interdum totius Ecclesiæ bona spiritualia impedientur, quæ dignior præ minus digno in sua Diœcesi procurâsset: imò in reliquas nonnunquam Diœceses; & Provincias diffudisset? Quàm multa rursus mala impedire, quot abusus extirpare doctrinâ, & pietate eminentior potuisset, quæ alius dotibus illis destitutus, impedire, aut extirpare, vel non potuit vel non voluit?

VII. Similiter quantùm ad reformationem Cleri, & populi, ad extirpationem vitiorum, & virtutum omnium augmentum, ipsarumque animarum salutem promovendam nonnumquam valeat Archipresbyter, Archidiaconus, Decanus, Plebanus, Pastor, aliusve animarum director eruditione morumque integritate excellens, præ alio, qui eruditione morumque integritate est inferior, nullus est qui non intelligat, & quotidianâ experientiâ est planissimum. Quis enim non quotidie experitur, quantum, vel unus interdum, in dignitate, aut notabili aliqua Ecclesiastica functione constitutus, per eminentem suam scientiam, fundatissimamque pietatem, fructum in messe Dominica faciat, præ multis aliis scientiâ, & eruditione inferioribus?

VIII. Quinimò non rarò fit, ut etiam inferiori Ministerio, aut functioni Ecclesiasticæ applicatus, in pietate, atque scientia exercitatior tum exemplo, tum oratione, tum etiam instructione plurima bona fideli populo, præ minùs exercitato sit procuraturus, aut mala impediturus: ut consequenter nec leve futurum sit peccatum in simili provisione accipere personam, id est, ex privato affectu minus dignum digniori præponere.

IX. Divinitùs dictum est olim a Sancto quodam Pontifice: *Æstimet quis pretium Dominici gregis, ut sciat, quod meritum constituendi deceat esse Pastoris.* Dico quoque, *æstimet quis pretium Dominici gregis*, id est, salutem animarum, ut sciat quàm grave sit peccatum accipere peronas in collatione Beneficiorum: ex quo contingit impediri quò minùs Dominico gregi ea omnia bona, quæ dignior impendere potuisset, frequenter non impendantur; aut mala per digniorem avertenda, sæpiùs non avertantur.

X. Ex quibus concluditur, admodum esse verendum, ne quod Synodus Tridentina de concurrentibus ad promotionem Episcoporum affirmat, id coram summo animarum Pastore gregis sui pretium in veritate æstimante, in collatoribus quorumcunque

(o) *S. Pius die* 18. *Martii ann.* 1567. *Bullam dedit, quâ decernitur* » *Quod si in Concursu plurium Clericorum ad unum* » *Beneficium, Episcopus minus habilem, postpositis magis ido*» *neis, eligat; possint ii, qui rejecti fuerint, à mala electio*» *ne hujusmodi ad Metropolitanum.... appellare.*«

que Beneficiorum, præsertim tamen Curatorum, locum habeat: nimirum, *eos alienis peccatis communicantes* MORTALITER *peccare, nisi quos digniores, & Ecclesiæ magis utiles ipsi judicaverint, non quidem precibus, vel humano affectu, aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis, præfici diligenter curaverint.*

XI. Facilè quoque ex hactenus dictis est intelligere, quòd promoventes minus dignum, neglecto digniore, non tantùm rei constituantur gravis delicti, sed etiam ipsi Ecclesiæ, cujus in distributione Beneficiorum constituti sunt ministri, ob infidelem dispensationem teneantur ad restitutionem bonorum præcipue spiritualium, quæ per promotionem dignissimi (quam Ecclesiæ ut fideles Ministri, debebant) procurata fuissent: adeoque Patronis, ac Collatoribus, qui hac in parte infideles fuerunt, incumbat, quantum in ipsis est, bona spiritualia illi Ecclesiæ, cui, minùs dignum Ministrum dando, illa quasi abstulerunt, omni meliori modo procurare, atque ita justitiæ violatæ satisfacere.

XII. Ex his facilè intelligent, qui oculos spirituales habent, ut videant jus Patronatûs, aut jus collationis, aut jus electionis ad Dignitates Ecclesiasticas, non tam esse reputandum tanquam aliquid multùm appetibile; sed potiùs ut onus humeris suis impositum.

XIII. Neque mirabitur, qui obligationem & pericula Patronorum, & Collatorum expenderit, si plures hoc onus exhorruerit, & à se abjicere studuerint.

Quomodo Valentinianus I. Imperator, item Ludovicus VI. & Ludovicus IX. Reges Gallicarum hanc Provinciam recusaverint, & horruerint ob pericula illi annexa, notavimus suprà *part.* 1. *tit.* 13. *cap.* 5.

Intelligebat indubiè hoc onus Catharina Regina Portugalliæ, de qua in vita Bartholomæi de Martyribus *lib.* 2. *cap.* 12. refertur dictum: » Quòd optaret, ut durante suo regimine, Præ» lati Portugalliæ essent immortales; quo fieret, ut nullum ad » Episcopatum promovere teneretur: dicens, sibi plus quam » satis esse, si pro se ipsa, & toto suo regno deberet respon» dere, licèt se responsalem non constitueret pro salute ani» marum. «

XIV. Sed quid mirum, si Reges aut Principes, aliive fideles laici onus illud reformidârint; cùm & ipse Gregorius M. Summus Pontifex, adeò lumine charitatis, & cœlestis sapientiæ illustratus, interrogatus à Clero Mediolanensi de persona in Episcopum eligenda, responderit, se quidem contra personam illam nihil reponendum habere: » verumtamen quia an» tiquæ meæ deliberationis intentio est, inquit, *ad suscipien» da Pastoralis curæ meæ onera, pro nullius unquam misce» ri persona, orationibus prosequor electionem vestram*, ut om» nipotens Deus, qui futurorum actuum nostrorum semper præs» cius, talem vobis Pastorem præbeat, in cujus lingua, & mo» ribus exhortationis divinæ pascua valeatis invenire: in cujus » mente & humilitas cum certitudine fulgeat, & severitas cum » pietate; qui vobis viam vitæ, non solùm legendo, vel lo» quendo, sed etiam vivendo possit ostendere; quatenus exem» plo illius discat vestra dilectio ad æternæ patriæ desiderium » suspirare. «

Utinam hanc Sanctissimi Pontificis humilem deliberationem ritè expenderent plures Ecclesiastici & laici, qui quantumvis longissimè à capacitate S. Gregorii in discernendis conditionibus personarum, quæ ad functiones Ecclesiasticas obeundas exiguntur, distent, avidè tamen promotioni personarum ad Ecclesiasticas dignitates se immiscent.

XV. Olim Presbyteris suis improbabat Hincmarus Archiepiscopus Remensis, quòd ipsi, solicitando Patronos, quin & xenia eis offerendo, in causa essent, quòd meliores & digniores Clerici non præsentarentur: » Quia quique Fideles (ait) » si vestra culpa non esset, plus quærerent bonos Clericos, » quàm vestros denarios: & hoc non suffertis: sed vos & ves» tros nutritos in maledictionem mittitis, cum, dato Patronis » præmio, vobis & illis peccatum emitis. « Habetur *tom.* 8. *Concil. General. col.* 591.

XVI. Si hodiernas Clericorum pro Beneficiis solicitationes & cursitationes attendamus, & quomodo etiam ipsi Ecclesiastici, non pro dignioribus, sed suis consanguineis & familiaribus apud Patronos instent, non sine fundamento judicare poterimus, quòd frequenter ipsis Ecclesiasticis sit imputandum, quòd Patroni digniores non præsentent; nec veras de Beneficiis Ecclesiasticis ideas concipiant; dum ea ipsis Ecclesiasticis ita ambiri vident.

XVII. Si ipsi quoque Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati in collatione Beneficiorum ostenderent suo exemplo, nihil carni, aut sanguini, vel favori, vel amicitiæ tribuendum, sed sola merita esse attendenda, indubiè multùm moverent Patronos, ut & ipsi in sua præsentatione attenderent sola merita, & digniores præsentarent: ubi è contrario dum vident Prælatos ipsos Beneficia pro affectu privato potiùs, quàm pro meritis distribuere, quid mirum, si ipsi eorum exempla imitentur, & de Beneficis non secundum merita, sed pro affectu disponant?

TITULUS XXXII.

De Peculio Clericorum.

CAPUT I.

QUID PECULIUM CLERICORUM; ET QUID NOMINE PECULII VENIAT; ET QUOD JUS CLERICIS COMPETAT.

1 *Sub titulo Decretalium De* Peculio Clericorum *nulla fit mentio* Peculii.
2 *Quandonam Proventibus Ecclesiasticis nomen* Peculii *inditum; & quare.*
3 *Peculium Clericorum admodum simile Peculio servorum, &* profectitio *filiorum-familias.*
4 *Clericus per Beneficium subjicitur, & adstringitur Ecclesiæ, exemplo servi ad Dominum; & filii ad patrem.*
5 *Qua de causa servo* Peculium *concessum; & in quo Peculium consistat.*
6 *Quid Peculium profectitium filii familias.*
7 *Peculium non est nisi* permissu *Domini, vel patris.*
8 *Peculium dicitur* patrimonium *servi; & quare.*
9 *Dominium* Peculii *semper manet apud Dominum; uti &* profectitii *apud patrem: & quidquid ex illo acquiritur, Domino vel patri acquiritur.*
10 *Hæc ostendunt titulum Decretalium non malè inscribi* de Peculio Clericorum.
11 *Refertur textus primæ Decretalis hujus tituli.*
12 *Unde desumpta.*
13 *Auctor hujus Decretalis reflexit ad Canonem* 49. *Conc. Carthag. III. cujus verba referuntur.*
14 *Ex eodem Canone desumpta apparet* 3. *Decretalis hujus tit.*
15 *Decretales volunt inquiri, num Clericus ante Ordinationem* nihil *habuerit; & quæ ratio inquisitionis.*
16 *Juxta Canones, quidquid acquiritur ex proventibus Ecclesiasticis, cedit Ecclesiæ.*
17 *Hinc Peculium Clericorum simile Peculio servi, & profectitio filii-familias.*
18 *Dominium Peculii Clericorum manet apud Ecclesiam, sicut Peculii servi apud Dominum.*
19 *Id supponunt Canones, qui dicunt, res comparatas ex proventibus Ecclesiasticis competere Ecclesiæ.*
20 *Clericos non esse dominos proventuum Ecclesiasticorum in Canonibus clarè expressum.*
21 *Rectè dicuntur esse* Peculium *Clericorum, licèt non habeant dominium.*
22 *Tempore Augustini, Episcopi credebantur* Domini *bonorum Ecclesiasticorum, quamvis tantùm essent administratores.*
23 *Qua ratione dici possint Clerici hodie esse* Domini *proventuum Ecclesiasticorum, & illos suos facere.*
24 *Ad Peculium Clericorum referendum quidquid contemplatione Ecclesiæ ipsis obvenit.*
25 *Non tantùm quæ ex fructibus Beneficiorum.*
26 *Etiam honoraria pro celebrandis Missis, habendis concionibus &c.*
27 *Ostenditur etiam hæc* intuitu *Ecclesiæ percipi.*
28 *Nequeunt hæc ab aliis Ecclesiasticis proventibus separari.*
29 *Quod Clericus* parciùs *vivendo sibi substraxit, eandem cum reliquis proventibus Ecclesiasticis naturam retinet.*
30 *Bona patrimonialia, & quasi patrimonialia ad Peculium propriè non spectant.*
31 *Qua ratione castrense, vel quasi castrense Peculium dici queant.*
32 *Bona patrimonialia Clerici, deficiente omni legitimo hærede deferuntur Ecclesiæ excluso Fisco; & quare.*
33 *Clerici in dispositione bonorum patrimonialium debent attendere quòd sint Clerici.*

I. TItulus 25. Libri 3. Decretalium inscribitur: *De Peculio Clericorum*, quamvis in Decretalibus sive Canonibus, qui sub illo titulo referuntur, nomen peculii non occurrat;

rat; sed id unum ferè caveatur, ut si quæ post ordinationem ex rebus Ecclesiæ, vel occasione Ecclesiæ Clericis obvenerunt, vel Clerici acquisiverunt, ad Ecclesiam, tanquam res ad Ecclesias pertinentes, revertantur.

II. Admodum verisimile est, rebus Ecclesiæ, quæ Clericis ad usum conceduntur, nomen *peculii* inditum fuisse, postquam factâ Beneficiorum erectione, ipsa bona Ecclesiæ quasi in quasdam portiones, singulis titulis annexas, dividi, & a communi massa bonorum Ecclesiæ separari cœperunt: atque tum demum hoc nomen iis inditum fuisse exemplo *peculii*, quo Romani significabant omne id, quod *servus Domini permissu separatum à rationibus dominicis habet. L. 5. ff. de Peculio.*

III. Si enim ea, quæ de peculio servorum, & filiorum-familias jam pridem edixerunt Romani, conferantur cum iis, quæ in Canonibus sub hoc titulo relatis dicuntur de rebus Clericorum ab Ecclesia profectis, apparebit, non immerito *peculii* nomen his inditum fuisse.

IV. Imprimis, quemadmodum jure Romanorum servus est in potestate Domini, & filius-familias in potestate Patris; ita Clericus Ecclesiæ adscriptus in potestatem, & servitutem quodammodò Ecclesiæ transit, eique ut Domino, & Patri servire & obedire speciali titulo, & vinculo adstringitur.

V. Ut verò servus Domino servire posset; imò ad serviendum alacriùs, & utiliùs incitaretur, ei nonnunquam Dominus pusillam pecuniam, qua liberè uteretur, concedebat: quod à pecunia *peculium* dicebatur. *Peculium dictum est, quasi pusilla pecunia, sive patrimonium pusillum*, ait Juris-Consultus *in L. 5. §. 3. ff. de Peculio.*

Addit autem ibidem ex Tuberone, *quod servus* DOMINI *permissu separatum à rationibus Dominicis habet.*

VI. Simile est peculium filii familias, nimirum pusillum patrimonium, quod filius famil. permissu patris separatum à rationibus (p) patrisfamilias habet: scilicet ex rebus ipsius patris: aut quod saltem patris contemplatione, & occasione obvenit, diciturque hodie peculium *profectitium*; & propriè peculii rationem habet.

VII. Dicitur Domini *permissu*: nam ut Pomponius ait in *L. 4. ff. de Peculio*: » Peculii est, non id, cujus servus seor» sum à Domino rationem habuerit, sed quod Dominus ipse » separavit, à summa servi rationem discernens: « vel ut alia & melior lectio habet: *Suum à servi ratione discernens.* Idem est de peculio profectitio filiifamilias.

VIII. Peculium autem frequenter in Legibus Romanorum vocatur pusillum *patrimonium* servi, non quod ejus verum dominium, aut proprietas esset penès servum, qui jure Romano dominii, & proprietatis erat incapax; sed quia peculii usus, & libera administratio, permissu Domini est apud servum, *L. 48. ff. eod.* atque ob hanc liberam peculii administrationem, & usum, dicitur peculium etiam *proprium patrimonium* servi, *L. 36. ff. eod.* imò quasi LIBERI *hominis patrimonium*, *L. 47. §. 6. ff. eod.*

IX. Nihilominus peculium servi ita manet apud Dominum, ut non tantùm pro voluntate Domini id servo adimi, & minui possit, *L. 4. ff. eod.* sed etiam quidquid ex peculio, aut re peculiari acquirit, id totum Domino cedat: ipsumque peculium, & quidquid in peculio reperitur, ad Dominum ipso jure, servo moriente, revertatur, seu potiùs Domini maneat. §. 3. *Instit. Per quas personas cuique acquiritur*; & ibi uno consensu notant Interpretes, observatque primitùs apud Romanos idem jus fuisse respectu filiifamilias; ut is omnia similiter patri, sicut servus Domino acquireret, nullâ factâ peculii distinctione. Et licèt postea variis Imperatorum sanctionibus filiisfamilias plenius jus quoad peculium castrense, quasi castrense, & adventitium concessum sit, nihil tamen quoad *profectitium* mutatum esse monent; sed illud dominio tenus apud patrem manere; & quidquid filius ex illo acquirit, patri cedere, & pleno jure ad patrem reverti, *L. 6. Cod. de Bonis, quæ liberis &c.*

X. Hæc si conferantur cum his, quæ de rebus Ecclesiæ Clericis in usum concessis dicuntur in Canonibus sub hoc titulo Decretalium relatis, apparebit, non immeritò titulum hunc inscribi *de Peculio Clericorum*: hocque peculium apprime convenire cum peculio servorum, & profectitio filiorum familias.

XI. In *Cap. 1. ✠ de Peculio Clericorum* legitur: » Investi» gandum est, si nihil patrimonii habens Presbyter, quando » promotus est ad Ecclesiasticum ordinem, postea (vel ut alia » lectio habet, Si *postea*) emerit prædia, cujus juris sint: quo» niam Ecclesiæ, ad quam nihil habens promotus est, esse de» bent juxta *Canonicam* auctoritatem. «

XII. Citatur hic Canon in Decretalibus Gregorii IX. ex Concilium Arelatensi. In prima verò Decretalium collectione apud Antonium Augustinum ex Concilio Lateranensi, Burchardus autem, & Ivo Carnotensis citant ex Concilio Remensi. In Romana editione Corporis Canonici adjicitur hæc notula Antonii Augustini: *In Conciliis editis nondum inveni.* Admodum verisimile est, desumptum esse ex Capitulis Hincmari Remensis, *de quibus, Magistri, vel Decani per singulas Ecclesias inquirere, Episcopo renuntiare debeant*, ubi *num.* 18. relata verba hujus Decretalis penè ad verbum expressa sunt. Habentur hæc Capitula Hincmari tomo 8. Concil. Generalium *col.* 573.

XIII. Quisquis hujus Decretalis auctor fuerit, non obscurum est, cum per finalem clausulam *juxta Canonicam auctoritatem* reflexisse ad Canonem XLIX. Concilii Carthaginensis III. apud Gratian. *Caus. 12. quæst. 3. Can. 1.* » Placuit, » ut Episcopi, Presbyteri, Diaconi, vel quicunque Clerici, » qui *nihil* habentes ordinantur, & tempore Episcopatûs, vel » Clericatûs sui agros, vel quæcunque prædia nomine suo com» parant; tanquam rerum Dominicarum invasionis crimine te» neantur, nisi admoniti Ecclesiæ eadem ipsa contulerint. «

XIV. Ex hoc eodem Canone videtur desumptum Capitulum tertium ejusdem tituli *de Peculio Clericorum*, uti indicat nota marginalis Antonii Augustini. In hoc Capitulo statuitur: » ut unusquisque Presbyter res, quas post dies consecrationis » acquisierit, propriæ Ecclesiæ relinquat.“

XV. Ut quid autem tam solicitè inquiri jubetur, an promotus ad Ordinem, ante suam promotionem nihil habuerit? Ratio indicatur in Rubrica primæ Decretalis: *Quæsitum à Rectore Ecclesiæ tempore promotionis nihil habente, præsumitur de bonis Ecclesiæ acquisitum.*

XVI. Si autem quæsitum sit ex bonis Ecclesiæ, juxta *Canonicam auctoritatem* debet cedere Ecclesiæ; quod frequenter in Canonibus renovatum fuit: quos Canones citat, & refert Emmanuel Gonzalez ad *Cap. 1. ✠ de Peculio Clericorum.*

XVII. Interim hinc duo sunt concludenda. Primum, quod peculium Clericorum in hoc sit simile peculio *servi*, & *profectitio* filiifamilias, quod sicuti acquisita ex peculio servi, & profectitio filiifamilias, cedunt Domino, aut patri, ita quoque acquisita ex peculio Clericorum cedant Ecclesiæ juxta *Canonicam auctoritatem*: quamvis exterior disciplina, postremis his seculis circa acquisita ex peculio Clericorum nonnihil sit immutata, uti infrà notabitur.

XVIII. Ex primo sequitur secundum, in quo peculium Clericorum simile apparet peculio servi, & profectitio filiifamilias; nimirum, quòd proprietas seu dominium peculii maneat apud Ecclesiam, quemadmodum proprietas peculii servi, aut filiifamilias penes Dominum, vel patrem. Nam si penes Clericum esset *dominium*, etiam res comparatæ ex peculio, sive proventibus Ecclesiasticis etiam deberent esse ipsius Clerici; utpote quæ essent acquisitæ, non ex rebus ad Ecclesiam, sed ad ipsum Clericum spectantibus.

XIX. Unde ad *Cap. 2. ✠ de Peculio Clericorum*, dicere non dubitavit Panormitanus *num. 4.* » Item nota, quòd Prælatus *non est Dominus* fructuum Beneficii: Nam si efficeretur » Dominus, posset sibi acquirere ex redditibus secundum libi» tum, cujus contrarium hîc deciditur, & in *Cap.* INQUIREN» DUM ✠ *eod.* « Hæc ille, qui ad Rubricam *num. 43.* monuerat, quòd Clericus non faciat fructus *suos*: ideoque peculium Clericorum posse appellare *profectitium*, & *judicari debere ut* PROFECTITIUM.

XX. Et reverà, Clericos non esse veros dominos sui peculii, sive proventuum Ecclesiasticorum, adeò evidenter in Sacris Canonibus est expressum, ut nullus antiquorum Canonistarum de hoc dubitâsse videatur; imò Archidiaconus famosus admodum Canonum interpres scribere non est veritus in *Cap.* STATUTUM §. ASSESSOREM, *de Rescriptis, in VI.* esse *hæresim* in Jure Canonico, asserere, Clericos Beneficia Ecclesiastica obtinentes, proventuum Ecclesiasticorum esse Dominos: quam sententiam post Martinum Navarrum multis asseruit Paulus Comitolus, qui ait: » Tantummodò à recentis memoriæ homini» bus addubitari cœptum, quòd ab antiquis magistris, & me» lioribus auctoribus superioris, atque adeò nostræ ætatis in » controversiam nunquam revocatum est: num ii, quibus Ec» clesiastica Sacerdotia, Beneficiave mandata sunt, sint bono» rum, fructuumque omnium, qui ex iis percipiuntur, veri » Domini.“ *Resp. moral. lib. 1. q. 70.*

XXI. Quamvis verò Clericus proventuum Ecclesiasticorum ad suum usum concessorum non sit verus Dominus, nihil tamen obstat quominùs redditus Ecclesiastici, præsertim postquam per erectionem Beneficiorum singulis titulis quædam portio bonorum annexa fuit, *peculium* Clericorum vocentur ad exemplum peculii servorum, & filiorum familias. Imò nec obstat quominùs illud ipsum peculium Clerici dicatur *proprium patrimonium* Clerici, atque Clericum facere *fructus suos*; tametsi reverà eorum *Dominus* non sit: eâdem ratione, qua peculium servi (qui certò illius Dominus non est) dicitur proprium *patrimonium* servi propter nimirùm *liberam* peculii illius administrationem, & *usum*, quam ex voluntate Domini servus habet.

Un-

(p) *Auctor noster nomine* patrisfamilias *forsan intellexit*

XXII. Unde jam pridem Augustinus fatebatur, quòd ipse, aliique Episcopi putarentur habere dominium rerum Ecclesiasticarum, tametsi non nisi *procurationem* earum se habere contestaretur. » Ego secundum multorum sensum (ait *Epistol.* 126.) comparantium semetipsos semetipsis, non divitias » dimisisse, sed ad divitias videor venisse. Vix enim vigesima » particula res mea paterna existimari potest, in comparatione » prædiorum Ecclesiæ, quæ nunc ut *Dominus* existimor possidere..... Nos rebus Ecclesiæ *dominari* existimamur, nos » opibus frui..... Deus testis est, istam omnem rerum Ecclesiasticarum *procurationem*, quarum credimur amare dominatum, » propter servitutem quam debeo charitati fratrum, & timori » Dei tolerare me, non amare! ita ut ea, si salvo officio possim, » carere desiderem."

XXIII. Cùm autem juxta hodiernam disciplinam, non minùs plenam administrationem, nec minùs liberum usum habeat quilibet Beneficiatus respectu portionis bonorum suo titulo annexæ, quàm olim habebant Episcopi circa prædia, & bona Ecclesiæ suæ, non mirum, si & Beneficiatus proventuum Ecclesiasticorum *Dominus* credatur, & vulgari modo loquendi habere *dominium*, vel fructus *suos* facere dicatur; tametsi procurationem duntaxat reverà obtineat: eò quòd tam liberam eorum dispensationem, etiam cum facultate *suis* usibus applicandi adipiscatur, ut soli Deo rationem dispensationis reddere obstrictus sit.

XXIV. Sicuti ad peculium *profectitium* filiifamilias non tantùm spectat, quod ex re, aut substantia patris, sed & omne quod patris contemplatione, & occasione filio obvenit, uti communiter docent Juris-Consulti ad §. 1. *Instit. Per quas personas cuique acquiritur*, & ibi novissimè Arnoldus Vinnius *num.* 3. ita quoque ad peculium Clericorum jam descriptum pertinere dicendum est, non tantùm quod ex rebus Ecclesiæ Beneficio annexis percipit; sed omne quod contemplatione Ecclesiæ, sive ex functione Ecclesiastica & Clericali obvenit: quod & Pontifex non obscurè expresit in *Cap.* 9. ✠ *de Testamentis*, ubi respondit, » quòd Clerici de his, quæ paternæ successio» nis, vel cognationis intuitu, aut de artificio sunt adepti, seu » dono consanguineorum, aut amicorum, non habito respec» tu ad Ecclesiam, pervenerunt ad ipsos, liberè disponere va» leant. De his tamen, quæ *consideratione* Ecclesiæ perceperunt, » nullum de jure possunt facere Testamentum."

Ut ergò inter bona Ecclesiastica, de quibus Clerici de jure testari nequeunt, aliquid referatur, juxta responsum Pontificis sufficit, si *consideratione Ecclesiæ* obvenerit.

XXV. Ad quæ verba reflectens Boëtius Epo, apud Duacenses olim Canonum Antecessor Primarius infert: » Ergo non » tantùm quæ per Ecclesiam (id est ex fructibus Beneficiorum » Ecclesiasticorum, sic enim locutio hæc *per Ecclesiam* à ple» risque sumitur) sed & quæcunque *Clericatûs occassione* Cle» ricus acquisivit, in ea causa sunt, ut de iis testari nequeat: ut » si quid tanquam Sacellanus alicujus Nobilis acquisiverit."

XXVI. Idem Auctor ante ostenderat *ad Cap.* 1. ✠ *de Testamentis*, *num.* 79. quàm ineptum sit quorundam recentiorum Canonistarum glossema prætendentium, nequaquam bonis *Ecclesiasticis*, sed *quasi patrimonialibus* annumeranda esse, quæ Clerici accipiunt pro statis officiis, quoties fiunt pro personali opera, absque ulla perpetua, vel annua dote, quæ detur in titulum Beneficii; sive, ut loquitur Andreas Vallensis *in Paratitlis ad Titulum de Peculio Clericorum*, *num.* 2. quæ » Clerici acquirunt ratione Clericalis Ordinis vel officii, sed » aliâ ratione quàm Beneficii, veluti celebrando, concionando, » canendo, confessiones audiendo, Vicariæ temporali deser» viendo, aut alias similes actiones spirituales exercendo.

XXVII. » Conantur, inquit Boëtius Epo *num.* 80. multi eam » sententiam defendere per hoc quòd *salaria* suprà vel extra » Beneficii titulum percepta, non intuitu Ecclesiæ, sed ex in» dustria personæ videantur percipi: quamobrem nihil esse cau» sæ, cur de talibus testari quis non possit. Quibus respondemus, omnia talia rectè dici acquisita *intuitu* Ecclesiæ, eò » quòd pro officiis, ac functionibus acquirantur Ecclesiasticis. » Nam intuitu Ecclesiæ acquiri dicitur, non solùm quod ex » Ecclesiæ bonis proficiscitur, verum etiam quidquid aliunde for» tassis etiam, sed tamen pro functione datur Ecclesiastica, » nimirùm ratione & intuitu Ordinis & officii Ecclesiastici. » Quamobrem quidquid pro Sacris faciendis lucratur apud No» bilem quempiam Sacellanus, quidquid lucratur in Ordinibus » conferendis Episcopus, quidquid item lucrantur officii sui ra» tione Cardinales quantumlibet extra Beneficiorum suorum » titulos, intuitu Ecclesiæ lucrari rectissimè, verissimèque » dicentur; ideoque nec testamenta de talibus facere pote» runt. (q)"

XXVIII. Si dicet, Missarum honoraria, aliaque jam enumerata *dantur Clericis in mercedem laboris, ac servitii & operæ personalis præstitæ*; uti loquitur Andreas Vallensis, hac ratione prætendens, hæc dici debere *quasi patrimonialia*. Sed nonne omnia, quæ Clericis, etiam titulo Beneficii obveniunt, dantur ipsis in mercedem laboris, ac servitii, & operæ personalis præsitæ? Neque alio titulo quàm *operarum*, sive ut *operariis* mercedem Clericis deberi, infra capite sequenti ostendemus; & suprà *tit.* 5. *cap.* 6. ostensum est, Missarum honoraria esse speciem voluntariæ oblationis, quam populus in sustentationem Sacerdotis, tanquam Ecclesiæ Ministri, facere consuevit.

XXIX. Ineptè quoque, & citra ullam juris auctoritatem, quidam Canonistarum contendunt à conditione, & natura bonorum Ecclesiasticorum separanda, quæ *Beneficiatus sibi substrahit ex debita sustentatione parciùs vivendo*; uti loquitur Andreas Vallensis; tanquam si de his non secus ac de *patrimonialibus* aut *quasi patrimonialibus* Clerici disponere possent.

Id juris rationibus haud consentaneum esse benè advertit citatus Boëtius Epo ad *Cap.* 12. ✠ *de Testamentis*, *num.* 46. » Hæc enim suadent, ut quæcunque supersunt Clerico, quan» tumlibet parcenti, nihilominùs penes Ecclesiam remanere de» beant: quia verum semper est, ea intuitu Ecclesiæ esse quæ» sita. Confirmatur hæc mea sententia (pergit Boëtius) perele» ganti J. C. nostrorum decisione in *L.* CONTINUUS, §. CUM ITA » STIPULATUS, *ff. de V. Obl.* de obligato solvere certo loco, ut » si quis Ephesi solvere promiserit: qualis quidem promissor » si maturiùs eo pervenerit, quàm quisquam ferè potuisset, usus » forsitan diplomate (r) vel felici navigatione, sicuti J. C. lo» quitur, confestim obligatus est; nec illi prodest, quòd plus » temporis impendere potuisset ad perveniendum illuc: quia in » eo, quod tempore atque facto finitum est, nullus est conjec» turæ locus. Pari prorsus modo, si beneficiarius parcè viven» do minus impendit, quam judicio bonorum virorum impen» dere potuisset, Ecclesiæ perinde superflua, seu reliqua debeantur, atque si plus consumpsisset: quia in eo, quod facto » finitum est, non est conjecturæ locus. Quæ sententia tutior » est procul dubio, & juris utriusque rationibus conformior."

Itaque quæcunque Clericis consideratione Ecclesiæ sive titulo officii, aut Ordinis Clericalis obveniunt, peculio Clericorum, quod habito respectu ad Ecclesiam *profectitium* vocari potest, attribuenda sunt.

XXX. Illa verò, quæ Clericis ex legitima parentum, vel consanguineorum, non secùs ac laicis obveniunt, vel ex donatione, labore, industria, vel alio modo, quo solent laici, lucrantur, indubiè *patrimonialia*, aut *quasi patrimonialia* rectè dicuntur: neque Clericorum conditio naturam horum bonorum immutat: aut Ecclesia circa hæc jus ullum unquam prætendit: sed ea liberæ Clericorum dispositioni permittit; atque post mortem Clericorum intestatorum ad consanguineos eorum devolvi, ut ex Canonibus Apostolorum & Antiochenis, quin & Decretalibus sub hoc titulo de Peculio Clericorum manifestum est.

XXXI. Quare & hæc bona *patrimonialia*, & *quasi patrimonialia* eatenus peculio *castrensi*, & *quasi castrensi* filiorumfamilias comparari possunt; quod sicuti filiifamilias *pleno* jure peculia hæc possident, atque de illis sine consensu patris liberè disponunt, tam inter vivos, quàm mortis causâ; ita Clerici hæc bona pariter *pleno* jure æquè ac laici possideant, & de illis liberè disponant.

XXXII. Dicitur quidem in *L.* 20. *Cod. de Episcopis*, & *Clericis*: » Si quis Presbyter aut Diaconus, Diaconissa seu » Subdiaconus, vel cujuslibet alterius loci Clericus, aut Mo» nachus, aut mulier, quæ solitariæ vitæ dedita est, nullo » condito testamento decesserit, nec ei parentes utriusque » sexus, vel liberi, vel qui agnationis, cognationisve jure jun» guntur, vel uxor extiterit, bona, quæ ad eum, vel ad eam » pertinuerunt, Sacrosanctæ Ecclesiæ, vel Monasterio, cui » forte fuerat destinatus, aut destinata omnifariam socientur:" Sed id Clericis, cum aliis pluribus Laicis commune est. Laicorum enim hæreditas, deficientibus legitimis hæredibus deferri solet Corporibus illis, quibus adscripti sunt, excluso Fisco (s); uti patet ex toto titulo Codicis Justinianæi de *hæreditatibus*

(q) *Ea disciplina seculo XIII. tempore Gregorii IX. observabatur*, *vide* lib. 3. Decret. tit. 26. cap. Quorundam. *Hodie Clericus de suis bonis absque ullo discrimine potest testamento disponere*: *id enim jurisprudentia exterior permittit. Et in Hispania ratione inveteratæ consuetudinis ita fit*, *ut constat ex Leg.* 13. *tit.* 8. *lib.* 5. *Recopilat.*

(r) *Diploma eo loco sumitur pro litteris*, *quæ à Principe impetratæ sunt*, *ut equis publicis dispositis uti liceat. Privatis enim hominibus absque Principis diplomate cursus publicus olim non permittebatur.* L. Nullis, C. de Curs. publ. *Cujus moris meminit Plinius lib.* 10. *Epist. ad Trojanum. Jurisconsultus*, *quem Epo laudatus à D. Van Espen*, *citat paulo post*, *est Venulejus* L. 137. §. 2. D. de verb. oblig. *Quippe verba Venuleii ab Epone sine ulla mutatione referuntur.*

(s) *Constat tamen* L. 10. Cod. de bonis vacantibus, & de incorporatione, *quòd si quis sine hæredibus moriatur*, *nec de suis*

tatibus Decurionum, Navicularioruṁ, Cohortalium, Militum & Fabricensium. Consule Perezium ad hunc titulum Codicis; & Gudelinum *de Jure Novissimo, lib. 2. cap. 16. n. 11. & 12.*

XXXIII. Verùm tametsi Clericus maneat absolutus Dominus bonorum patrimonialium, atque de illis possit liberè disponere; nihilominus ipsi specialiter attendendum est, ut & in hac bonorum dispositione, se Clericum & Magistrum laicorum ostendat; suoque exemplo demonstret, quomodo omnia, quæ à Deo accepimus, ad Dei honorem sint expendenda. Et meminerit, quòd si omnibus etiam laicis dixerit S. Augustinus in *Psalm.* 147. »Quære quantum tibi dederit Deus, & »ex eo tolle, quod sufficit: cætera, quæ superflua jacent, alio»rum sunt necessaria. Et superflua divitum, necessaria sunt pau»perum:« quanto magis id Clericis, qui specialiter Deum sibi in hæreditatem eligendum duxerunt, dictum censeatur?

CAPUT II.

Quo jure, et quo titulo Clericis alimenta et stipendia debeantur; et quo animo ea accipere debeant.

1 *Ministris Altaris alimenta deberi ratio naturalis etiam Gentilibus persuasit.*
2 *Legem naturalem expressit Lex Mosayca, & Evangelica.*
3 *Fusè id adstruxit Apostolus primò à ratione naturali.*
4 *Argumentum Apostoli ex Lege Mosayca.*
5 *Confirmat idipsum Apostolus ex Evangelio.*
6 *Quando & quomodo eam legem Christus dederit.*
7 *Ex contextu Apostolici patescit justa condemnatio asserti Joannis Wiclef.*
8 *Alimenta Clericis deberi ut* operariis *probat argumentum Apostoli à ratione naturali petitum.*
9 *Idipsum probat argumentum desumptum ex Lege Mosayca.*
10 *Nec aliud indicat totus Apostoli discursus.*
11 *Similiter & Lex Evangelica.*
12 *Concluditur, solis operantibus alimenta deberi, quod & Jus Canonicum expressit.*
13 *Invectiva S. Gregorii in Pastores non operantes, & de stipendiis Ecclesiæ viventes.*
14 *Nec Canonici, nec alii Beneficiati justè ab Ecclesia stipendia accipiunt, nisi sint operarii.*
15 *Confirmatur auctoritate S. Bernardi.*
16 *Id speciatim de Canonicis adstruxit Dyonisius Carthusianus.*
17 *Id consonat sanctioni Justiniani Imperatoris.*
18 *Regula Canonicorum monet, ne ullus otiosus vota Fidelium comedat.*
19 *Ineptum quorundam glossema circa interpretationem* Officii *rejicitur.*
20 *Quare hoc glossema licèt ineptissimum vulgò receptum videatur.*
21 *Quomodo Ministri sua alimenta accipere debeant; & an rectè dicantur merces operæ impensæ.*
22 *Ministri Ecclesiæ non possunt laborare, ut stipendia accipiant; sed accipere alimenta, ut laborare queant.*
23 *Id rectè expressit S. Augustinus.*
24 *Non datur sustentatio à populo ut* merces *laboris, nec finis laboris potest esse sustentatio.*
25 *Quare id, quod datur Clericis, rectiùs vocetur* stipendium, *quàm* merces.
26 *Primum indicium, quo insinuatur, Clericum Evangelizare,* ut manducet.
27 *Secundum indicium.*
28 *Tertium cum pluribus, remissivè.*

I. MInistris Ecclesiæ in Sacrario laborantibus, divinoque cultui specialiter in utilitatem populi destinatis, & intendentibus à populo corporalem sustentationem, seu alimenta necessaria deberi, etiam ipsius legis naturalis instinctus Gentilibus persuasit, ut non obscurè innuit Sacer Textus. Memorat enim, quòd & ipsis Sacerdotibus Idolorum terra à Rege (Pharaone) tradita fuerat: *quibus* (ait) *& statuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non sunt compulsi vendere possessiones suas. Gen. 47. v. 22.*

II. Legem hanc naturalem primùm Lex Mosayca, ac deiṁ Evangelica proposuit, & exposuit; atque tandem operosè adstruxit Apostolus 1. *ad Corinth.* 9. ostendens, & ex lege naturali, Mosayca, & Evangelica Ministris Ecclesiæ alimenta deberi.

III. Primum itaque argumentum sumit ab exemplis humanis, ipsa ratione naturali notis & probatis: scilicet militum, agricolarum, & pastorum pecorum.

Quis militat (ait) *suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & ex fructu ejus non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?*

Hæc ex Lege, & ratione naturali petita, ostendunt Evangelii Ministris, tanquam militantibus pro Christo, ejusque vineam plantantibus & excolentibus, & gregem ipsius pascentibus, alimenta & stipendia deberi.

IV. Progreditur Apostolus *Numquid secundum hominem hæc dico?* Hoc est, secundum humanam rationem: ut sensus sit: An solùm ex rebus humanis mihi suppetunt argumenta ad probandum quod dico, scilicet me & Barnabam habere potestatem ex Evangelio vivendi? *An & lex hæc non dicit: Scriptum est enim in Lege Moysi: non alligabis os bovi trituranti? Numquid de bobus cura est Deo? An propter nos utique hoc dicit? Nam propter nos scripta sunt, quoniam debet in spe, qui arat, arare, & qui triturat in spe fructus percipiendi. Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est si nos carnalia vestra metamus?..... Nescitis quoniam qui in sacrario operantur; quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altari deserviunt, cum altari participant?*

Hæc ex lege Mosayca desumpta probant, Ministros Altaris & Sacrificii potestatem habere ex Sacrario & altari vivendi.

V. Et ne forsan quis crederet, ea tanquam cæremonialia, vel judicialia per Christi legem cessare, subjungit Apostolus: *Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere*: quasi diceret: Sic etiam Christus Dominus in sua, id est, nova lege ordinavit, atque constituit, ut qui Evangelium annuntiant, ex Evangelio vivant.

VI. Hanc legem dedit Christus, quando mittens Apostolos suos ad prædicandum Evangelium, dixit eis: *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris*, subjuncta hac ratione: *Dignus enim est operarius cibo suo.*

Ac si diceret, nolite soliciti esse de temporalibus, neque eorum onere gravari; sed nudi & expediti ab his omnibus pergite, quia *cibus* à discipulis vestris vobis tanquam *operariis* debetur.

VII. Ex toto ergo hoc Apostoli discursu manifestum evadit, Ministris Evangelii *sustentationem*, seu *cibum* à populo deberi; ut proindè meritò damnatus sit à Concilio Constantiensi hic articulus 18. Joannis Wiclef. *Decimæ sunt puræ eleëmosynæ, & Parochiani possunt propter peccata suorum Prælatorum ad libitum suum eas auferre.*

VIII. Ulteriùs ex argumento Apostoli à ratione naturali sumpto, intelligitur, alimenta Ministris Ecclesiæ debere tanquam *militantibus, plantantibus*, & *pascentibus*: id est, titulo *laboris* & *operis* populo impensi.

IX. Idipsum probant argumenta ex Lege Mosayca deprompta; nimirum Ministris Evangelii tanquam bobus in area Ecclesiæ *triturantibus*, aut in campo *arantibus*, non esse os alligandum, sive cibum negandum. Quod & Lex Mosayca alibi clariùs expressit, postquam enim Deus instituisset Tabernaculi sui ministros & Sacerdotes Aaron, & filios ejus, adjunctis in ipsorum adjutorium Levitis, dixit universis, *Num, cap.* 18. *Excubate* in CUSTODIA *Sanctuarii, & in* MINISTERIO *Altaris, ne oriatur indignatio super filios Israël.... Omnia, quæ santificantur à filiis Israël, tradidi tibi* (Aaron) *& filiis tuis pro* OFFICIO *Sacerdotali legitima sempiterna.... Filiis autem Levi dedi omnes decimas in possessionem pro* MINISTERIO, *quo* SERVIUNT *mihi in tabernaculo fœderis.... Et comedetis eas in omnibus locis vestris, tam vos, quàm familiæ vestræ: quia pretium est pro* MINISTERIO, *quo* SERVITIS *in Tabernaculo testimonii.*

Quid evidentius, quàm temporalia à Deo assignata fuisse Aaron, & filiis ejus, & Levitis, pro custodia, & ministerio, sive servitio Sanctuarii & Tabernaculi?

Sed

suis bonis disposuerit, ejus bona fisco acquirantur. »Scire de»bet gravitas tua, inquit lex, *intestatorum res, qui sine le»gitimo hærede decesserint, fisci rationibus vindicandas, nec »civitates audiendas, quæ sibi earum vindicandarum jus ve»luti ex permissu vindicare nituntur: & deineeps quæcumque »intestatorum bona à civitatibus obtentu privilegiorum suorum »occupata esse compereris, ad officium nostrum, seu fiscum »eadem revocare non dubites.« Quapropter synopsis Basil. 56. tit. 13. breviter hæc habet. »Vacantia bona Fisco cedunt, non »civitatibus, etiamsi se hoc privilegio donatas contendant.«*

In Galliis, successiones eorum, qui sine ullo hærede mo-

riuntur, vel qui de suis bonis testamento non disposuerunt, Regi adquiruntur. Hoc jus vernaculo idiomate Gallico vocatur Droit de déhérénce; *quod quidem nonnullæ Consuetudines feruntur tribuere feudorum dominis. In Hispania etiamsi aliquis intestatus decesserit, & hæredes ascendentes, descendentes, aut collaterales, non habuerit, omnia bona sua Fisco cedunt, ut præcipitur in lege 12. tit. 8. lib. 5. Recopilat. Et cùm hæc bona sub nomine vernaculo* Mostrencos *cognita Coronæ incorporentur, de his tantùm cognoscere potest Judex laicus, ut novissimè declaratum est in Regia Schedula 9. Octobris an. 1766.*

V. Sed & totus Apostoli contextus quid aliud intendit nisi hoc unum, laborantibus & operantibus in Ecclesia pro populo alimenta deberi; iisque potestatem esse vivendi ex Evangelio?

XI. Sed & Christus alium nullum dixit *dignum cibo suo* nisi *operarium*. Non dixit dignus est *Clericus*, dignus est *Sacerdos*, dignus est *Pastor*, *Canonicus*, *Episcopus*, &c. sed dignus est *operarius* cibo suo; » ut intelligamus, eos esse indignos stipendiis Ecclesiasticis, qui non *operantur* pro fidelium » utilitate, « ait Jansenius Gandensis *in Concord. Evangel. cap.* 55. Et ad eadem Christi verba reflectens Theophylactus, ait: » Hoc est, à discipulis pascemini: debebunt enim hoc vobis, *ut operariis*. «

XII. Ut ergo justè, & licitè stipendiis Ecclesiæ sustentetur Clericus, oportet ut *operetur*; ità nimirum, ut dici queat *operarius dignus cibo suo*: quod & innuitur notissimo illo Juris Canonici principio: *officium* esse *propter quod datur Beneficium*, prout exprimitur à Pontifice in *Cap. fin. de Rescriptis*, *in* VI.

Neque enim hîc aliud indicatum voluit Pontifex, quàm Beneficium, sive jus percipiendi proventus Ecclesiasticos dari propter *officium*, quòd Ecclesiæ præstat Beneficiatus; & ratione cujus reverà dici queat *operarius dignus cibo suo*.

XIII. Unde S. Gregorius Homilia 17. ad hæc Lucæ verba: *Dignus est operarius mercede sua*, ait: » Sed quid nos (quod tamen sine dolore dicere non possum) quid nos, O Pastores, qui & mercedem consequimur, & tamen operarii nequaquam sumus? Fructus quippè sanctæ Ecclesiæ in stipendio » quotidiano percipimus, sed tamen pro æterna Ecclesia minimè in prædicatione laboramus. Pensemus cujus damnationis sit » sine labore hîc percipere mercedem laboris. Ecce ex oblatione fidelium vivimus, sed quid pro animabus fidelium laboramus? Illa in stipendium nostrum sumimus, quæ pro redimendis peccatis suis fideles obtulerunt, nec tamen contra peccata eadem vel orationis studio, vel prædicationis, ut dignum est insudamus. «

XIV. Ex his concludo, nec Canonicos, nec inferiores Beneficiatos dignos esse, qui de Altari vel Evangelio vivant, nisi reverà ità Altari & Evangelio serviant, & occupentur, ut saltem juxta vocationem, & talentum suum verè dici queant OPERARII *digni cibo suo*.

XV. Unde ad Clericum in generali loquitur S. Bernardus in declamationibus in Evangelium *Ecce nos reliquimus omnia*, §. 16. » Væ, væ tibi Clerice, mors in olla, mors in ollis carnium, mors in ejusmodi deliciis, non modò quia secus introitum delectationis posita esse cognoscitur, sed ob id maximè, quia constat populi esse peccata, quæ comedis: sumptus Ecclesiasticos *gratis* te habere reputas? Cantando, ut ajunt » bona tibi provenire videntur, sed bonum erat magis fodere, » aut etiam mendicare. «

XVI. Et speciatim ad Canonicos dicebat jam pridem Dionysius Carthusianus *de Vita Canonicorum*, *art.* 2. » Idcirco à » laicis & secularibus data sunt temporalia bona Ecclesiæ, ut » quia laicis ipsis non vacat jugiter orationibus atque divinis » obsequiis immorari, ac inhærere ministri Ecclesiæ, ac Clerici suppleant vices, & imperfectum laicorum statum orando, » ministrando, & satisfaciendo pro ipsis, quorum eleëmosynis » stipendiisque foventur. «

XVII. Hausisse id videtur Dionysius è Sanctione Justiniani Imp. in *L.* 42. §. 10. *Cod. de Episcopis & Clericis*, ubi vult ut Clerici compellantur suum implere officium, additâ hac ratione: » Nam qui constituerunt, vel fundarunt Sanctissimas Ecclesias pro sua salute & communis Reipublicæ, reliquerunt » illis substantias suas, ut per eas debeant Sacræ Liturgiæ fieri, & ut in illis à ministrantibus piis Clericis Deus colatur. «

XVIII. Qua de causa Canonici in sua regula per Synodum Aquisgranensem exaratâ *cap.* 31. admonebantur, » ut laudes Deo » in commune persolventes, pro suis populorumque, quorum » oblationibus vivunt, delictis Dominum exorent. « Et rursus *cap.* 145. » Singuli juxta capacitatem suam diversarum artium » eruditantur disciplinis, ut nullus in Colegio Canonico inutilis » appareat, nec *vota fidelium* OTIOSUS comedat. «

Plura de obligatione Canonicorum serviendi Ecclesiæ, etiam præterquam in persolvendo officio Canonico, sive Horario, dixi in Dissertatione Canonica, de *instituto*, *& Officiis Canonicorum*, *part.* 1. *cap.* 2. & suprà *titulo* 18. *cap.* 4. dictum est, nec Capellanias, quæ hodie antonomasticè dicuntur *Beneficia Simplicia*, debere esse *sine officio*.

XIX. Ex dictis patet, quam ineptum sit quorundam glossema, quo officium, propter quod datur Beneficium, interpretantur de Officio Orario: ac si sola officii Canonicalis recitatione, etiam privata, totum officium, propter quod Beneficium datur absolveretur? Quasi recitatione Horarum, quæ unius horæ spatio penè integra persolvitur; operarius dignus cibo suo haberi queat? An qui una alterave horâ Ecclesiæ legendo, aut canendo serviunt, & reliquo tempore vel otiantur, aut secularibus negotiis se implicant, *ministri* atque *operarii Ecclesiæ* vocabuntur, ac digni reputabantur, qui ut *operarii* cibum ab Ecclesia accipiant?

Hoc itaque glossema ineptissimum est, & ab Ecclesiæ mente quam maximè alienum, quæ per *officium* intelligit omnia ea, ad quæ singuli Beneficiati juxta institutionem Beneficii, & vocationem suam tenentur: ut ea persolutione verè dici queant *operarii digni cibo suo*, sive proventibus, qui propter Officium dantur.

XX. Interim quia hominum cupiditati admodum favet, mirum quanta aviditate receptum sit, adeò ut non tantùm Canonici & Capellani, sed & Pastores, quin & Episcopi se quodammodo officio suo defunctos credant, modò Horas Canonicas persolverint; tametsi in persolutione officii Pastoralis, & Episcopalis de cætero negligentissimi: neque de ulla fructuum restitutione vel cogitant, imò nec anguntur, si modo Horarum Canonicarum recitationem non omiserint: quasi præcipua Pastoralis, vel Episcopalis officii portio in hac vocali recitatione consisteret; cùm fortè vel minimam partem conficiant: quemadmodum ex iis quæ *parte* 1. *tit.* 3. & *tit.* 16. dicta sunt, intelligi poterit.

Debetur ergo Ministris Ecclesiæ sustentatio à populo, ipsisque jus est vivendi ex Evangelio, vel ex Altari, eò quòd *dignus* sit *operarius cibo suo*; vel ut expressit S. Lucas *cap.* 10. *v.* 7. *mercede sua*.

XXI. Nequaquam tamen cogitandum est, mercedem deberi, vel prætendi posse à ministris Ecclesiæ, quemadmodum opifices recipiunt suarum operarum, & laboris mercedem: quasi ipsa merces ministeriis, & officiis Ecclesiasticis respondeat, quemadmodum labori opificum, seu operariorum mercenariorum: aut ipsi Ministri Ecclesiæ intuitu hujusmodi mercedis operari possint; cum ipsis dictum sit: *Gratis accepistis*, *gratis date*: sed nomine *mercedis* hîc solùm intelliguntur *alimenta*, seu *cibus*, qui Ministris Ecclesiæ tanquam operariis debetur, non tanquam propriè dicta *merces* laboris, aut operarum, sed tanquam *alimenta* necessaria, ut operari queant.

XXII. Neque Ministri Ecclesiæ operantur UT *mercedem* temporalem, seu *cibum* accipiant; sed cibum accipiunt, ut operari queant.

Itaque considerandum est, ut monet S. Gregorius *citata Homil.* 17. » quòd uni nostro operi duæ mercedes debentur: » una in via, altera in patria: una quæ nos in labore sustentat, » alia quæ nos in resurrectione remunerat. Merces itaque quæ » in præsenti accipitur, hoc in nobis debet agere, ut ad sequentem mercedem robustius tendatur. Verus ergo quisque prædicator non ideò prædicare debet, ut in hoc tempore mercedem recipiat, sed ideò mercedem recipere, ut prædicare subsistat. Quisquis namque ideò prædicat, ut hic vel laudis vel » muneris mercedem recipiat, æternâ procul-dubio mercede se » privat. Quisquis verò vel ea quæ dicit, ideò placere hominibus appetit, ut dum placet quod dicitur, per eadem dicta » non ipse, sed Dominus ametur: vel idcircò terrena stipendia » in prædicatione consequitur, ne à prædicationis voce per indigentiam lassetur: huic procul dubio ad recipiendam mercedem nihil obstat in patria, quia sumptus sumpsit in via. «

XXIII. Similiter August. *L.* 2. *de Sermone Domini in monte*, *cap.* 16. monet, » neque ideò debemus evangelizare, ut » manducemus, sed ideo manducare ut evangelizemus: nam si » propterea evangelizemus ut manducemus, vilius habemus Evangelium, quam cibum. Et paulò inferiùs: Si coactus inopia earum rerum, quæ temporali vitæ sunt necessariæ, prædico » Evangelium; alii per me habebunt mercedem Evangelii, qui » Evangelium ipsum me prædicante diligunt; ego autem non habebo, quia non ipsum Evangelium diligo, sed ejus pretium » in illis temporalibus constitutum. «

XXIV. Concludendum ergò cùm eodem Augustino *libro de Pastoribus & ovibus*, *cap.* 2. » Non redditur sustentatio necessitatis à populo *quasi merces* illis, qui sibi in charitate serviunt, sed tanquam *stipendium*, *quo ut possint laborare*, *pascantur*. « Quare veri Christi ministri *non evangelizant*, *ut manducent*; & propterea secundum eundem Doctorem, » non in » victu constituunt finem evangelizandi, sed ipsius victus sui finem in Evangelio collocant. «

XXV. Notandum quòd Augustinus, id, quod operariis Evangelicis debetur, vocet *stipendium*, non mercedem; idque familiare esse Augustino observat Jansenius Gandensis in *Concord. Evangel. cap.* 55. creditque ab ipso Augustino ad posteros potissimum dimanâsse, metaphorâ desumptâ à *stipendio* militari; ad quod respexit Paulus, dum probat Evangelico operario debere alimoniam, dicens *I. ad Cor. cap.* 9. *v.* 7. *Quis militat suis stipendiis unquam?*

» Ratio autem quare *stipendium* propriè vocatur, quamvis » hodie passim milites stipendium suum recipiant tanquam *mercedem*, propter quam militant, est, (ait Jansenius) quia bonorum militum est non militare pro stipendio tanquam mercede, sed pro patriæ, & Reipublicæ aut Imperii bono & sa- » lu-

» lute : stipendium autem accipere, ut in militia illa possint per-» sistere. Sic enim antiquitùs militabant Romani : sic stipendia » eis assignabantur annua. Alioqui qui pro stipendio militant, » expectantes illud tanquam militiæ mercedem, magnam certè » rem vili vendunt, vitam suam venalem exponentes pro pecu-» cuniola exigua. Nomine ergo *stipendii* significatur, Ecclesias-» ticos operarios non debere operarii, & militare *pro victu & ves-titu*, sed ea, quæ ad alimoniam spectant, accipienda ab eis, ut » in sancto opere persistere queant. Hanc rationem sanè indicat Divus Augustinus libro secundo super sermonem Domini in mon-» te, sic scribens : *Sicut autem omnes militantes accipiunt an-» nonam, & stipendium, sic enim evangelizantes accipiunt vic-» tum & tegumentum. Sed non omnes propter salutem reipubli-» cæ militant, sed propter illa, quæ accipiunt : sic & non om-» nes propter salutem Ecclesiæ ministrant Deo, sed propter hæc » temporalia, quæ tanquam annonam & stipendia consequantur » aut propter hoc & propter illud.*"

XXVI. Sanè illi Ecclesiastici, quorum prima cura est dum de Beneficio, ratione cujus Ecclesiæ serviendum erit, de proventibus temporalibus, parum aut nihil soliciti quo fructu spiritualia obire, aut Ecclesiæ utiliter servire poterunt, gravi suspicione laborant, quòd non quærant alimenta ut evangelizent, sed evangelizare, vel Ecclesiæ per Beneficium adscribi velle, *ut manducent* : sive ut temporalia consequantur ; atque ita *perverso nimis Ordine cœlestibus terrena mercentur*, uti loquitur S. Bernardus.

XXVII. Prætereà qui Beneficia, seu Ecclesias, quibus adscripti, mox ubi pinguius Beneficium consequi possunt, deserunt, non obscurè indicant, se spiritualia non habere ut *finem* & temporalia ut *media* ; sed universo ordine, spiritualibus uti tanquam *medio* ad *temporalia*.

XXVIII. Similiter illi Clerici, qui magis anxiè invigilant, quibus temporalium curam committant, quàm spiritualium; multumque attenti sunt, ne illis aliquod detrimentum obtingat; parum attendentes, si quæ spiritualibus detrimenta obveniant. De quibus aliisque indiciis latius egi in Dissertatione *de Instituto Canonicorum*, *part.* 2. *cap.* 5. §. 4.

CAPUT III.

Bona Ecclesiæ dicta, *Vota Fidelium*, *Pretia Peccatorum*, *et Patrimonium Pauperum*, et quare.

1 *Nihil hac definitione in Canonibus & Patrum scriptis notius.*
2 *Eam allegavit seculo VI. Julianus Pomerius.*
3 *Ut nota & recepta occurrit in Capitularibus Regum Francorum.*
4 *Concilia bona Ecclesiastica ita definienda adstruunt juxta Antiquorum Patrum sententiam.*
5 *Ostenditur, quòd ex intentione populi offerentis rectè dicantur* vota fidelium.
6 *Qua ratione vocentur* pretia peccatorum.
7 *Rectissimè vocantur* patrimonium pauperum.
8 *Quare frequentiùs vocentur* patrimonium pauperum.
9 *Sanctus Gregorius patrimonium Ecclesiæ Romanæ vocavit* res pauperum.
10 *Generaliter res Ecclesiæ* patrimonium pauperum *dixit S. Bernardus.*
11 *Res Ecclesiæ dicuntur* patrimonium Christi, *&* pauperum.
12 *Seculo XIV. eadem definitio tradita.*
13 *Qui res Ecclesiæ defraudant*, necatores pauperum *vocantur.*
14 *Episcopus, qui res alterius Ecclesiæ usurpare præsumpserit, deponitur ut* necator pauperum.
15 *Judicantur* pauperum necatores, *qui res Ecclesiæ diripiunt, æquè ac res Xenodochiorum diriperent.*
16 *Episcopi passim diripientes, aut fraudantes bona Ecclesiæ, vocantur simpliciter* pauperum necatores.
17 *Plurimi hanc definitionem accipiunt, dum de bonis Ecclesiæ acquirendis, aut conservandis agitur, secus ubi de utendis.*
18 *Unanimis & Canonum, & Patrum sententia bona Ecclesiæ etiam ad pauperes spectare.*
19 *Fideles ea mente offerunt.*
20 *Ecclesia non alia intentione acceptat.*
* *Ecclesiæ Romanæ sicut aliarum Ecclesiarum bona* patrimonium Christi, *&* pauperum *dicenda sunt.*

I. NIhil vel in Canonibus, vel in scriptis Patrum usitatius, quàm res Ecclesiæ dici *vota fidelium*, *pretia peccatorum*, *& patrimonium pauperum.*

II. De hoc Patrum, & Ecclesiæ sensu testis est S. Prosper, seu ut alii volunt, S. Julianus Pomerius *lib.* 2. *de Vita Contemplativa*, *cap.* 39. ubi postquam narravit, quomodo S. Paulinus Episcopus Nolanus, & S. Hilarius Episcopus Arelatensis omnia sua contempsissent, & pauperibus erogassent, antequam ad Episcopatum venirent, infert : » Undè datur intelligi, quòd » tanti ac tales viri, qui volentes fieri Christi discipuli renun-» tiaverunt omnibus, quæ haberent, non ut possessores, sed ut » procuratores facultates Ecclesiæ possidebant. Et id circo scien-» tes nihil alliud esse res Ecclesiæ, *nisi vota fidelium*, *pre-» tia peccatorum*, *& patrimonia pauperum*, non eas vindica-» runt in usus suos, ut proprias, sed ut commendatas pau-» peribus diviserunt. «

III. Hæc definitio tanquam nota, & ex traditione Patrum recepta tempore Caroli M. ejusque Successorum supponebatur, uti ex eorum Capitularibus notatur ac signanter *lib.* 1. *cap.* 77. item *lib.* 6. *cap.* 108. & in additione 3. *cap.* 1. editionis Baluzianæ, ubi leguntur hæc verba relata à Gratiano *Caus.* 16. *quæst.* 1. *Can.* 59. » Quia juxta Sanctorum Patrum traditionem » novimus res Ecclesiæ *vota esse fidelium*, *pretia peccatorum* » & *patrimonia pauperum*, cuique non solum habita conser-» vate, verum etiam multa, Deo opitulante, conferre op-» tamus. «

IV. Circa idem tempus Concilium Turonense ann. 849. in Synodica ad Nomenoium Ducem Britonum eandem definitionem facultatum Ecclesiæ allegavit; uti & Valentinum ann. 855. Can. 21. *idque juxta antiquorum Patrum sententiam.*

Similia & in Synodis & auctoritatibus istius & sequentium seculorum plurima occurrunt.

V. Et sanè non immeritò res Ecclesiæ *vota* vocantur fidelium : quia primaria intentio fidelium bona offerentium est, illa *Christo* offerre, & quodammodò *Deo* consecrare, & *vovere*. Unde citatum Concilium Valentinum postquam dixit, quod juxta *antiquorum* Patrum sententiam, nihil sint aliud nisi *vota* fidelium, patrimonium pauperum, redemptio peccatorum, immediatè subjungit : » Si eas fideliter, & integrè Ecclesiasticis » usibus non defendimus, & in eos, qui obtulerunt, & *in Deum* » CUI OBLATÆ sunt, gravissimo nos reatu implicamus. «

Itaque in quantum *Deo offeruntur*, quæ Ecclesiæ dantur, rectè facultates Ecclesiæ ex oblatione fidelium provenientes *vota* fidelium dicuntur.

VI. Dicuntur insuper *pretia*, vel *redemptio peccatorum* quia fideles temporalia Deo offerunt, ut juxta divinum monitum, eleëmosynis *peccata sua redimant* ; , vel ut faciant sibi amicos de mammona iniquitatis, ut cùm defecerint, recipiant ipsos in æterna tabernacula : hæcque ratio ferè in omnibus piarum donationum antiquis instrumentis occurrit.

Hinc & jam pridem dictum, quòd Sacerdotes comedant *peccata* populi, eò quòd comedant ea, quæ populus in expiationem peccatorum offert.

VII. Verùm cum Deus usu rerum temporalium nostrorum non indigeat ; sed ea sibi impensa reputet Christus, si ea pauperibus, tanquam fratribus & membris suis impendantur, hinc non dubitabit Ecclesia, quin ex mente fidelium, qui ea Christo dedicant, pauperibus esse impendenda ; quin à fidelibus tanquam eleemosynas pauperibus, ut membris Christi esse oblata & donata, ut propterea rectè dicantur *patrimonium pauperum.*

VIII. Et quidem cùm hæc appareat primaria fidelium offerentium intentio, ut ipsi per sua bona Christum in suis membris pascant, & foveant, etiam frequentiùs & constantiùs facultates Ecclesiæ *patrimonium* pauperum, & res *pauperum* appellatæ fuere.

IX. Hinc sæpissimè facultates Ecclesiæ simpliciter dicuntur *res*, *& patrimonium pauperum.*

Sanctus Gregorius monet Protasium Aquensem Episcopum, ut Virgilio Episcopo Arelatensi dicat : » Ut pensiones, quas » prædecessor ejus per annos plurimos de patrimonio nostro » percepit, & apud se retinuit, ad nos, quia *pauperum res* » *sunt*, studeat destinare. " *Lib.* 5. *Epist.* 55. Non dubitavit ergo S. Gregorius, patrimonium Ecclesiæ Romanæ dicere *res pauperum.*

Et in *Epist.* 57. ad Arigium Galliæ Patricium scribit : „Præ-» terea filium nostrum Candidum Presbyterum, quem ad gu-» bernationem *patrimonialis* Ecclesiæ nostræ, quod illic est, » transmissimus, vobis per omnia commendamus, confidentes » à Deo nostro vos mercedis vicem recipere, si *rebus paupe-» rum* solatia sua gloria vestra devotâ mente præstiterit. «

Sive ergo res Ecclesiæ suæ repetat, sive tuitionem earum commendet Gregorius, eas non nisi *res pauperum* considerat.

X. Quin & seculo XII. exclamat S. Bernardus : *Res pauperum non pauperibus dare par sacrilegii crimen esse dignoscitur. Sanè* (ait) PATRIMONIA PAUPERUM *facultates Ecclesiarum.*

XI. Circa idem tempus ad Carnotensem Antistitem scribebat nominatissimus ille Bathoniensis in Anglia Archidiaconus Petrus Blesensis *Epist.* 15. „ Si te illius discipulum profiteris, „ qui venit ministrare, non ministrari, sic ministrabis paupe-„ ribus, ut non vituperetur ministerium tuum, ut *patrimo-„ nium Christi & pauperum* ejus, quod tibi commissum est, in „ egentium necessitates, non in usus extraordinarios ex-„ pendatur. "

Hic

Hîc nota, confundi patrimonium *Christi*, & *pauperum* tanquam unum sit patrimonium *Christi*, & patrimonium *pauperum*.

XII. Rursus seculo XIV. Concilium Ravennatense II. *Rubrica 3.* inducere volens Episcopos, Capitula Cathedralia, & Abbates, ut juxta possibilitatem suam generales eleemosynas exhiberent, pro motivo præmisserant: » Cùm juxta Prophetam, » Psalm. 40. *Beatus, qui intelligit super egenum & pauperum*; » & Dominus dicat in Evangelio, *Lucæ* 11. *v.* 41. *Date eleemo-* » *synam, & omnia munda erunt, & bona Ecclesiarum sint* » PAUPERUM. «

XIII. Et quid plura? nonne ab ipsismet Episcopis, & Conciliis tanquam *pauperum necatores* habentur, qui bona Ecclesiarum diripiunt, aut defraudant?

Synodus Matisconensis II. an. 582. *Can. IV.* „Ut qui oblaȷ tiones fidelium defunctorum, quæ Ecclesiæ conferuntur, re„ tinent, veluti retentatores Ecclesiæ aut *egentium necatores* „ ab Ecclesiæ liminibus arceantur.“

Et apud Nostrates celebratum anno 630. Concilium Remense *Can. XX.* ait: » Clerici etiam, vel seculares, qui obla» tiones, aut donatas, aut testamento relictas retinere præsump» serint, aut id, quod ipsi donaverint Ecclesiis, aut Monaste» riis crediderint auferendum, sicut ante Synodus Sancta cons» tituit, veluti *necatores pauperum*, quousque reddant, ab Ec» clesiis excludantur. «

Sive ergo oblationes *pauperum*, sive donata Ecclesiis, aut Monasteriis abstulerint, habentur à Concilio veluti *necatores pauperum*; quo apertè significat, se res Ecclesiæ donatas, ut *pauperum* alimoniæ deputatas considerasse.

XIV. Quin & idem Concilium *Can. XXI.* vult, » ut Epis» copus, qui quocunque ingenio, aut callida cupiditate, res, » quæ ab alia Ecclesia præsentialiter possidentur, pervaserit, aut » sine audientia (t) præsumpserit usurpare, ac suis, vel Eccle» siæ suæ ditionibus revocare, dum communione privari non » potest, ut *necator* PAUPERUM ab officio deponatur.

XV. Legitur quoque in Capitularibus Regum Francorum *lib. 6. cap.* 136. & *lib. 7. cap.* 491. » Ne cui liceat res, vel » facultates Ecclesiis, vel Monasteriis, vel Xenodochiis pro » quacunque eleemosyna cum justitia delegatas retentare, alie» nare, atque subtrahere. Quod si quis fecerit, tanquam *neca*» *tor pauperum*, antiquorum Canonum sententiis, constrictus » ab Ecclesiæ liminibus excludatur, quandiu ab ipso ea, quæ » sunt ablata & retenta, reddantur. «

Notandum, æquè pro *pauperum necatoribus* haberi, qui res Ecclesiis donatas diripiunt, quàm diripientes res Xenodochiis datas, quod supponit, eas omnes, ut *res pauperum* fuisse reputatas.

XVI. Plura in hac rem Synodorum testimonia colligit Joannes Lanonius Theologus Parisiensis in libro *de Cura Ecclesiæ pro miseris & pauperibus, cap.* 4. qui tandem exhibitis his testimoniis, observat, quòd Synodi » eos, qui Ecclesiastica bo» na rapiunt, & in suos, alienosve usus convertunt, *pauperes* » *necare* asserant, & *pauperum necatores* appellent, non ever» sores Basilicarum, non Episcoporum necatores. Et tamen lai» ci non sunt, qui sic loquuntur. Ipsi sunt Episcopi, quorum » intererat rebus suis consulere, qua meliori & certiori ratione » consuli poterat. « Non dubitabant sanè sanctissimi illorum Conventuum Patres, res Ecclesiæ esse *patrimonium pauperum*: ideoque & hoc nomine vindicandas, & tuendas.

XVII. Hodie quoque facilè bona Ecclesiæ habentur, & asseruntur à Clericis *res pauperum*; scilicet si vindicanda, & asserenda sint; sed si consumenda sint, non tunc pauperum, sed *Clericorum* esse clamatur; uti rectè reflectit ingeniosus Revisor operum S. Gregorii ad *Epistolam* 57. *lib. 6.* eandem notam renovans ad *Epist.* 28. *lib.* 8.

XVIII. Itaque meritò observatum à Christiano Lupo *tomo* 2. *Scholiorum in Canones, pag.* 1318. » Ecclesiastica bona » non solummodò ad Clericos, sed etiam ad captivos, pere» grinos, orphanos, viduas, quosvis pauperes stricto & æquo » proportionis jure pertinere, est lucidum dogma Apostolo» rum, omnium Sanctorum Patrum, cunctarum sub cœlo Ec» clesiarum. «

XIX. Nihil notius est, quàm fideles, qui vel inter vivos, vel mortis causâ bona sua rectâ intentione Ecclesiæ relinquunt, ea donare, & relinquere propter honorem Dei, & ad animarum suarum salutem.

Unde citatus Christianus Lupus *tom.* 5. *Schol. in Canon. pag.* 191. rationem allegans, cur Episcopi & laici seculo VIII. & IX. decimas potiùs Canonicis, quàm Presbyteris Pagensibus dare voluerint, ait: » Sanctissima erat istorum Clericorum » vita, ideoque per ipsos, quàm per Pagenses Presbyteros vi» sæ sunt decimæ fideliùs in *pauperes*, & Ecclesiæ fabricam » dispensandæ. Eorum sanctitati creditum fuit totum decima» rum onus: & honesta Presbyteri alimentatio, & Ecclesiasti» cæ fabricæ reparatio, & cura pauperum, & peregrinorum. «

Huic autem fini obesset potiùs quàm prodesset, voluntas relinquendi sua bona, Clericis, ut ipsi *abundarent*, & in *profanos* usus, neglectis pauperibus, insumerent; aut suos consanguineos ditarent; vel ipsi ex iis ultra moderatam, & Clerico convenientem sustentationem acciperent.

XX. Imò etiamsi laici, dum bona sua offerunt, ea de re non cogitarent; aut aliam forsan intentionem parùm Christianam haberent; Ecclesia tamen non aliter acceptaret, nisi ut bona illa, tanquam *patrimonium Christi*, & ut *res Dei*, cui offeruntur, non in usus superfluos, nec in divites; sed in necessitates Ministrorum Christi, & pauperum ejus membrorum, aliosve pios usus ad honorem Dei impendenda.

* Hanc doctrinam clarè exposuit & superiùs *num.* 9. tuitus est S. Gregorius Papa. Noverat profecto ex mente ac intentione offerentium bona Ecclesiæ Romanæ, non secus ac cæteris Ecclesiis data, & oblata, usibus Ecclesiasticis impendenda, & reliqua pauperibus impertienda.

Cùm autem eadem semper fuerit Principum, fideliumque offerentium intentio, dubium non apparet, quin & omne quod post ætatem Sancti Gregorii, Principum, & fidelium munificentiâ Ecclesiæ Romanæ accessit, *patrimonium pauperum*, *vota fidelium*, & *redemptio peccatorum* reputandum, & ut tale dispensandum sit, non secùs ac bona, & proventus cæterarum Ecclesiarum.

Quantumvis enim patrimonium, sive status Ecclesiasticus Ecclesiæ Romanæ plures complectatur Principatus, & Dynastias; nihilominus certum est, quòd Reges, ac Principes, qui ea Ecclesiæ Romanæ munificè contulerunt, non alio fine ea in Romanam Ecclesiam contulerint, quàm ut illa ipsius Episcopi Romani, aliorumque ejusdem Ecclesiæ Ministrorum moderatis usibus impenderentur; reliqua verò in pios usus, & pauperum eleemosynam converterentur; ut hac ratione Principes de suis facultatibus facerent sibi amicos de mammona iniquitatis, qui ipsos, cum deficerent, reciperent in æterna tabernacula.

Proinde non minus ad Romanos Pontifices, ac reliquos Episcopos spectat illud Synodi Tridentinæ monitum, & præceptum in dispensandis proventibus Ecclesiasticis, nimirùm, » ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos familiaresque suos » augere studeant, cùm & Apostolorum Canones prohibeant, » ne res Ecclesiasticas, quæ Dei sunt, consanguineis donent, » sed si pauperes, eis ut pauperibus distribuant, eas autem » non distrahant, nec dissipent eorum causa. « *Sess.* 15. *cap.* 1. *de Reform.*

De hac dispensandi proventus Romanæ Ecclesiæ necessitate convictus Clemens IV. ad Pontificatum assumptus ann. 1265. postquam Romana Ecclesia penè omnibus illis Principatibus, & Dynastiis, quæ hodiernum statum Ecclesiasticum constituunt, esset ditata, scribere non dubitavit ad Petrum Grossum sororis suæ maritum: » Multis de nostra promotione gau» dentibus, nos soli sumus, qui certiùs immensitatem oneris ex» perimur; & ideò quòd aliis gaudium, nobis metum subminis» trat & flectum.

» Sanè ut scias, qualiter his auditis debeas te habere, scire » te volumus, quòd humilior debeas esse: neque enim quod » nos vehementer humiliat, nostros debet extollere; maxime » cùm honor seculi momentaneus sicut ros transeat matutinus. » Nec ad nos te, vel fratrem tuum, vel de nostris aliquem ve» nire volumus sine speciali mandato; quia spe suâ frustratos, „ si secus præsumpserit, oporteret redire confusos. Sed nec in „ tuæ sororis nuptiis gradum quæras propter nos altiorem, quia „ nec nos haberes propitios nec in aliquo adjutores; si tamen » eam cum filio simplicis militis desponsaveris, *in trecentis tu*» *ronensibus auri tibi proponimus subvenire*; & si altiorem quæ» ras, nec à nobis denarium speres unum, & hoc ipsum secre» tissimum esse volumus, & tibi, & matri solummodo esse no» tum. Illud etiam scias, quod nullum nullamque de sanguine » nostro sub nostræ sublimitatis obtentu inflari volumus, sed » tam Mabiliam, quàm Ceciliam illos viros habere volumus, » quos haberent, si essemus in simplici Clericatu. Giliam visi» ta, & dic ei, ut locum non mutet, sed remaneat apud Su» sam, & omnem maturitatem, & habitûs honestatem obser» vet, & preces pro aliquo non præsumat assumere: nam & ei, » pro quo fierent, essent inutiles, & ipsis, qui rogaverint, „ damnosæ: & si per aliquos ex hac causa munera offerantur, „ ea respuat, si vult nostram gratiam obtinere. Datum Peru„ sii in die Perpetuæ & Felicitatis.“

Notandum hanc in rem, quod refertur in quodam libello, cui titulus: *Defensio Augustissimi Romanorum Imperatoris Josephi contra Curiæ Romanæ Bullas, pag.* 23. edit. Tubingen. ann. 1709.

Narrat Auctor, quòd Innoc. XI. „ paucis à sua ad Papatum „ assumptione mensibus quatuor Theologis in commissis dedit, » ut

(t) *Sine audientia*, id est, *sine jure, vel petito, vel obtento.*

„ ut juxta rigorem conscientiæ, & justitiæ examinarent, quod-
„ nam jus Pontifici competat circa bona Ecclesiæ, & quid ne-
„ potibus largiri possit? Qui egregio, & prolixo scripto res-
„ ponderunt: bona Ecclesiastica non pertinere ad Pontificem,
„ sed ad sustentationem Ecclesiæ ac pauperum; ac proinde
„ Pontificem pro se plus erogare non posse, nisi quod sufficiat
„ ad modicum victum assignato, ne quidem integro aureo His-
„ panico per diem; ad nepotes ne obolum pertinere."

Quin & sub finem libelli sui addit: „Scriptum hoc Romæ
„ anno 1676. non solum legimus, sed etiam descripsimus: si-
„ bi ipsis objiciunt isti Theologi: quid ergo dicendum de Pon-
„ tificibus, qui hactenus tantas summas auri cum maximo dis-
„ pendio Ecclesiæ in nepotes profudêre? Respondent, facta
„ iniquorum Antecessorum non excusare; legibus non exem-
„ plis esse vivendum. Quemlibet gesti muneris pro se reddere
„ rationem debere coram Tribunali Divino."

CAPUT IV.

Quæ moderatio in usu provetuum Ecclesiasticorum a Clericis tenenda.

1 *Ecclesiastici uti debent proventibus Ecclesiasticis, ut* rebus Dei.
2 *Vetant eo titulo Canones Apostolorum aliquid ex iis dari consanguineis, nisi ut* pauperibus.
3 *Tantùm permittunt Episcopo, ut sumat ad suas* necessitates.
4 *Soliciti fuerunt SS. Episcopi, ne ex bonis Ecclesiæ ultra necessaria acciperent; exemplum S. Chrysostomi.*
5 *Christus voluit operarium Evangelicum necessariis esse contentum.*
6 *Nec post bonorum Ecclesiæ divisionem aliter iis utendum.*
7 *Sententia S. Bernardi.*
8 *Removet vulgarem Ecclesiasticorum prætextum.*
9 *Invectiva Petri Blesensis in Prælatos, qui bona Ecclesiæ in superfluos usus impendunt.*
10 *Episcopus debet esse* Dispensator & promus (u) *pauperum.*
11 *Synodus Tridentina præcipit Episcopis, ut rebus Ecclesiæ frugaliter utantur.*
12 *Idipsum à Cardinalibus, & aliis Ecclesiasticis servari voluit.*
13 *Sanctus Carolus voluit Episcopi vestitum esse simplicem.*
14 *Similiter & supellectilem.*
15 *Parsimoniam desiderat in mensa Episcopali.*
16 *In Familiam nihil vult esse superflui, desideratque, ut Clerici potiùs, quàm laici sint.*
17 *Eadem omnia magis ab inferioribus Ecclesiæ ministris servari præcipit.*
18 *Hortatio S. Caroli ad Clericos de utendis proventibus Ecclesiasticis, tanquam* patrimonio pauperum.
19 *Decretum Synodi Toletanæ contra superfluas epulas in Episcoporum mensis.*
20 *Synodus Mechliniensis declarat in pauperes, & usus pios expendenda, quæ ex rebus Ecclesiasticis habentur ultra* honestam sustentationem.
21 *Deplorat S. Bernardus, hæc à Prælatis Ecclesiæ non attendi.*
22 *Quæ hujus ratio.*
23 *Putant plures Ecclesiastici sibi venerationem, & auctoritatem accersendam per superbam supellectilem, & familiæ magnificum apparatum.*
24 *Hunc prætextum vanum esse, jam pridem ostendit Synodus Carthaginensis; cujus Decretum probavit, & innovavit Synodus Tridentina.*
25 *Eundem prætextum aliæ Synodi removerunt.*
26 *Auctoritas Episcopi necessaria, ut Fideles ad mundi contemptum excitent.*
27 *Ut id efficatiùs præstent, monet Synodus Tridentina, ut mundi contemptum ipsi in omnibus ostendant.*
28 *Synodus Tridentina vult auctoritatem Episcopalem esse conservandam, sed morum gravitate.*
29 *Prælati Ecclesiæ attendentes, quid populo inculcare debeant, sat vident, hunc prætextum esse vanissimum.*
30 *Ideò vel maximè modestia, & frugalitas ab Episcopis adhibenda, ut Fidelibus præluceant.*
31 *Bartholomæus de Martyribus præcipuus suasor Decreti Synodi Tridentinæ contra luxum Prælatorum, hunc prætextum refutavit.*
32 *Hic tantam in omnibus simplicitatem servavit; ut multi inde caperent obloquendi occasionem.*
33 *Movebatur quoque contra ipsum Ludovicus Granatensis.*
34 *Discursus, quem ea occasione habuit Bartholomæus de Martyribus.*

(u) *Promus, id est, Thesaurarius.*

35 *Hæc moderatio à Prælatis Regularibus specialiter tenenda.*

I. REdditus Ecclesiæ esse res Deo consecratas; atque eo titulo, ex intentione offerentium, & ipsius Ecclesiæ ut *res Dei*, & patrimonium Crucifixi, imò quasi *patrimonium pauperum* esse habendas, & administrandas, superiori capite ostendimus.

Ex quo necessario consequitur, Episcopos & Clericos, quibus harum rerum dispensatio concredita est, iis uti debere tanquam *patrimonio pauperum, & rebus Dei.*

II. Unde *Can. XXXVII.* vulgò *Apostolorum* dicitur: „Om-
„nium rerum Ecclesiasticarum Episcopus curam gerat, & eas
„administret tanquam *Deo intuente*. Nec liceat autem ex iis ali-
„quid sibi vindicare, vel propriis cognatis, quæ *Dei* sunt, lar-
„giri. Si autem sunt *pauperes*, ut *pauperibus* suppeditet."

Quare Episcopus rerum Ecclesiasticarum curam gerens prohibetur ex iis aliquid propriis cognatis largiri, nisi *ut pauperibus*? Non alia de causa, quam quòd sint *res Dei*, quas ut res *pauperum* administrare, & dispensare oportet.

III. Hinc rursus Can. XLI. præcipitur, ut in potestate sua Episcopus Ecclesiæ res habeat, & in ejus sit potestate omnia administrare, & iis, qui *egent* per Presbyteros, & Diaconos subministrare cum Dei timore, & omni religione, & etiam si sit opus, in *necessarium* suum usum accipere, & fratrum, qui hospitio excipiuntur. Vel ut habet lectio Dionysii Exigui, qua usus est Gratianus *Caus. 12. quæst. 1. Can. 22.* „Ex his au-
„tem, quibus *indiget* Episcopus (si tamen indiget) ad suas *ne-*
„*cessitates*, & peregrinorum fratrum usum, & ipse percipiat."

Eadem Decreta sunt Canone XXV. additurque, quòd si his non sit contentus, & res, in proprios usus convertat, Synodo Provinciæ pœnas persolvet. Apud Gratianum loco citato *Can. 23.*

IV. Quam soliciti fuerint Sancti Episcopi, ut nihil præter *necessaria* ex rebus Ecclesiæ sumerent, acta ipsorum luculentissimè exprimunt; indignum reputantes, ut quæ *pauperibus* sunt destinata, in usus superfluos absumerentur.

Arguebatur S. Chrysostomus, quòd nec Episcopis, nec Nobilibus convivia extrueret: sed reputabat, *iniquum & indignum esse*, INFIRMORUM & PAUPERUM CIBOS, *eorum qui sani essent, libidini exponere*, ut Palladius in ejus vita, *cap. 13.*

Hinc & in *Homilia 22. in Epistolam 1. ad Corinth.* ait: „Apostoli erant, & milites, & Agricolæ, & Pastores. Non
„dixit Paulus: Quis militat, & non est dives? Sed quis mit-
„tat suis stipendiis unquam? Neque dixit: Quis plantat vi-
„neam, & vinum non colligit, aut fructum integrum non vin-
„demiat? Sed ex fructu ejus *non commedit*? Non ex agnis sed ex
„lacte. Oportet enim habere fortitudinem militis, & agricolæ
„diligentiam, & curam pastoris, & post hæc omnia *nihil* am-
„plius quærere quàm *necessaria*."

V. Et quid Christus de operariis Evangelicis? *Mat. cap. 10. v. 10. Dignus est* (ait) *operarius cibo suo.* „Quo significatur, præ-
„ter ea, quæ sunt *necessaria*, non esse Evangelico operario
„requirenda, nec studendum ei, ut ex Evangelio, ac spiri-
„tuali opera ditescat, secundum illud Pauli, 1. ad Tim. cap. 6.
„*Habentes victum & vestitum his contenti simus.*" Ita monet Jansenius Gandensis *in Concord. Evang. cap. 55.*

VI. Porrò sicuti infrà ostendetur, natura rerum Ecclesiæ per earum divisionem in quatuor portiones, aut per erectionem Beneficiorum immutata non fuit; ita & immutata mansit obligatio eas dispensandi, ut *patrimonium pauperum*: ita nec aliter quàm ut *patrimonio* pauperum, & *rebus Dei*, proventibus Ecclesiasticis utendum esse Patres & Canones edixêre.

VII. Sanctus Bernardus seculo XII. adeoque post stabilitam bonorum Ecclesiasticorum divisionem scribere non dubitavit ad Fulconem *Epist. 2.* „Dignum est ut qui altario deser-
„vit, de altario vivat. Conceditur ergo tibi ut si benè de-
„servis, de altario vivas: non autem ut de altario luxurieris,
„ut de altario superbias, ut inde compares tibi fræna aurea,
„sellas depictas, calcaria deargentata, varia griseaque pellicea à
„collo, & manibus ornatu purpureo diversificata. Denique quid-
„quid præter necessarium victum, ac simplicem vestitum de
„altario retines, tuum non est, rapina est, sacrilegium est."

VIII. Dein post pauca removet objectionem, quam sibi faciendam prævidebat, & quæ hodie à multis pro tegendo proventuum Ecclesiasticorum superfluo usu assumitur: „Sed hoc
„faciunt, inquis, cum quibus habito, si non facio quod cæ-
„teri, singularitate notabor. Propterea, inquam, exi de me-
„dio eorum, ne aut in urbe notabiliter vivas, aut exemplo
„pereas aliorum."

IX. Post divisionem factam vivebat Petrus Blesensis, dum dixit: „Bona Ecclesiarum in victum & vestitum concessa, bona,
„inquam, *pauperum*. Christi in superfluos usus consumimus.
„Qui sunt enim qui epulantur quotidie splendidè? Clerici. Qui
sunt

„ sunt qui exquisitis aere, & mari & terra vescuntur cibis? „ Clerici. Qui sunt qui omni tempore pacem, & securitatem habentes, in labore hominum non sunt, & cum hominibus non „ flagellantur? Clerici. Nos itaque falsi fratres Christi sumus. „ Patrimonium enim quasi de jure fraternitatis possidemus; sed „ quàm falsi simus, lippis & tonsoribus patet. Patrimonium „ enim, quod sibi tam gloriosè comparavit, nos gulosè consumimus... Timeo ne cùm redierit ille frater noster, qui quasi peregrè modò profectus est, rationem ponat nobiscum su„ per patrimonio nobis credito. Quid autem poterimus dicere? „ *Serm.* 12. *in Quadrag.*"

X. Nonne facta, & stabilita divisione deplorabat Prælatorum sumptus superfluos ex bonis Ecclesiasticis B. Petrus Damiani; indignumque reputabat, ut ex iis divites epularentur, & pauperes, quorum est substantia, excluderentur? „ Et cum „ Episcopus *dispensator* & *promus* esse debeat *pauperum*, ad eo„ rum mensam affluentibus deliciis, alieni ructant; cùm & il„ li, quorum est *tota substantia*, procul exclusi famis inopiâ „ contabescant." *Opusc.* 20. *cap.* 2.

XI. Quid plura? Ipsa Synodus Tridentina reputans bona Ecclesiastica esse *res Dei*, atque patrimonium pauperum, tanquam consequens infert, ut Patrimonio pauperum iis esse utendum; unde in Decreto *de Reformatione*, *Sess.* 25. *cap.* 1. præcipit Episcopis, ut „ ita mores suos componant, ut reliqui ab „ eis *frugalitatis*, modestiæ, continentiæ, ac quæ nos tanto„ pere commendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere pos„ sint. Quapropter exemplo Patrum nostrorum in Concilio Car„ taginensi, non solùm jubet, ut Episcopi modestâ suppellec„ tili, & mensâ ac frugali victu contenti sint; verùm etiam in „ reliquo vitæ genere, ac tota ejus domo caveant, ne quid ap„ pareat, quod à sancto hoc instituto sit alienum; quodque non „ simplicitatem, Dei zelum ac vanitatum contemptum præ se „ ferat."

XII. Post hæc in fine subjungit: „ Quæ verò de Episcopis „ dicta sunt, eadem non solùm in quibuscunque Beneficia Ec„ clesiastica, tam secularia quam regularia, obtinentibus, pro „ gradus sui conditione observari, sed & ad sanctæ Ecclesiæ Car„ dinales pertinere decernit; quorum consilio apud Sanctissimum „ Romanum Pontificem, cùm universalis Ecclesiæ administra„ tio nitatur, nefas videri potest, non iis etiam virtutum insig„ nibus, ac vivendi disciplinâ eos fulgere, quæ meritò omnium „ in se oculos convertant."

* Si hæc in Cardinalibus, Episcopis, & Pastoribus tantopere desideraverit Synodus Tridentina, quantò magis in Romano Pontifice, in quem tanquam in primum Christi Vicarium, non tantùm simplices fideles, sed & ipsi Episcopi & Pastores oculos conjiciunt, ut ab eo discant, quod imitentur: ut proinde mirum non sit, quod Guillelmus Durandus Episcopus Mimatensis, vulgo dictus *Speculator*, in suo Tractatu, cujus inscriptio est: *de Modo Generalis Concilii celebrandi, quem jussu Clementis V. Pontificis Maximi studiosissimè condidit*, *part.* 3. *Rub.* 27. dixerit: » Quòd Romana Ecclesia, quæ cæ» terarum magistra est, deberet se exhibere regulam, & scho» lam virtutum, ut benè vivendo, aliis normam benè vivendi » præberet, & rectè per semitas justitiæ seipsam duceret, nec » aliquem aborsum traheret, & sic correctione in se ipsa præ» habitâ, in Dei & proximi dilectione, verâ humilitate, vitæ » honestate, morum gravitate, Divini cultûs sedulitate, *victûs* » *& vestitûs pareitate fundata*, *ornamentorum*, *apparatuum*, » *& familiarium*, *& pomparum elativâ superfluitate restrictâ*, » scientiæ profunditate donatâ, trabeque de oculo suo ejectâ, » quod distortum est, parvumque reperiret in subjectis, & in» ferioribus corrigeret, & etiam reformaret Christi exemplo, » qui priùs cœpit facere, quàm docere."

XIII. Ut Concilii Tridentini Decreto, & sacris Canonibus se hac in parte conformarent Episcopi, in suo Concilio I. Provinciali decernit S. Carolus *Can. XVII.* » Episcopus non pro» fano ornatu, aut apparatu, sed fidei, & vitæ splendore sibi » auctoritatem quærere debet. Itaque in vestitu sericum non » adhibeat. Non pretiosis pellibus utatur. Unguenta ne sumat, » neve alias odorum suavitates consectetur. Sit annulo Episco» pali contentus. Ne mulæ, aut equo Episcopali stragulum, & » ornamentum ex villulo, aut serico, sed corio factum, aut » lanâ adhibebit, Ephippis, aut calcaribus, aut frænis inauratis » non utetur."

XIV. Deinde *Can. XVIII.* » In ejus supellectile nihil au» reum, & argenteum sit, præter levissima, ac tenuissima quæ» dam instrumenta ad cibum ori admovendum comparata." Deinde omnia, quæ fastum, aut pompam quocunque modo redoleant, a supellectile, & familia singulatim removeat: ac tandem concludit: » Caveat denique ne quid in ejus domo appa» reat, quod non simplex, aut purum sit, quod non Dei zelum, & omnium inanium rerum contemptionem testetur."

XV. Subjungit dein *Can. XIX.* parsimoniam, & frugalitatem, quæ in mensa Episcopali servari debent, describens: » In » ea (ait) præter primam escam, & unum jurulentum cibum, » alterum lacticinium, & duo fructuum genera, unum aut alte» rum, vel, ut aliquid consuetudini, & hospitum stomacho in» dulgeamus, tertium ad summum simplicis obsonii ferculum » tantùm ei apponi liceat; etiam quorumvis hospitum causa.

» Bellaria, placentæ, omniaque sacharo artificiosè condita, » cæteraque escarum lenocinia, exquisita etiam vinorum gene» ra prohibentur."

XVI. Denique *Can. XX.* familiam Episcopi describens, vult, » ut familiæ numerus is tantummodo sit, quo simul Ec» clesiæ utilitati, & Episcopi necessitati consulatur."

Hunc in finem vehementer hortatur, ut in familia, quamplurimos possit, habeat Clericos, qui non nisi Clericali vestitu utantur: ac deinde addit qualis esse debeat famulorum domesticorum vestitus: » Sericum, aurum, & argentum, colorum» que varietatem omninò excludentes, nigrum tantummodò, » vel fuscum colorem in vestibus adhibeant. Quibus scissis, aut » prætextis ad elegantiam non utantur. Calcei inaniter non in» cidantur. Non sint turgidæ caligæ, non virgatæ, non sectæ, » aut acupictæ; sed simplices unius coloris ac generis. Denique » talis sit domesticorum omnium vestitus, ut ex eo etiam ap» pareat, illos esse ministros ministrorum Dei."

XVII. Et ne hæc ad solos Episcopos spectare crederentur, exemplo Patrum Tridentinorum subjicit *cap.* 23. » Quæcunque » autem de Episcoporum mensa, ejusque benedictione, & ci» bis, lectione, & gratiarum actione, supellectile, auro, ar» gento, & serico, cubiculorum apparatu, ædificiorum magni» ficentia, supervacaneis sumptibus, privatâ moderatione tem» plorum cultu, & ornamento, familiæ cura & institutione, » ejusque vestibus, eorumve modo, colore, & ornamentis, » equorum numero, & si quæ alia decreta sunt, quæ non sint » Episcoporum tantùm propria, eadem à *Clericis quibuscumque* » cujusvis conditionis, ordinis, & dignitatis sint, accuratè ser» vari jubemus: etiamsi in alienis ædibus, aut cum propinquis » habitent.

» Meminerint autem in quibusdam, quæ Episcopis permis» sa, ipsis communia esse possunt; eò majorem sibi moderatio» nem adhibendam esse, quò dignitatis gradu Episcopis sunt » inferiores."

XVIII. Rursus in Concilio IV. Mediolanensi *parte* 3. *capit.* 7. inter alia monita, hoc dat iis, qui uberiores redditus Ecclesiasticos habent: » Christi visceribus substantiam Ecclesiasti» cam erogate, pauperibus scilicet, peregrinis, viduis, pupillis, » ægrotis, in vincula conjectis, captivis: quibus egentibus & » esurientibus cùm subvenire possitis, si alimenta necessaria » denegatis, violatæ charitatis rei estis in conspectu Domini.

» Memores estote ejus, quod à Santissimo Patre Ambrosio » scriptum est, sua Fideles eo animo obtulisse Ecclesiæ minis» tris, ut per eorum manus, quorum fidei, atque integritati » summa omnia tribuebant, ad pauperes pervenirent.

» Vos item alii, quicunque estis, quorum fidei Christi pa» trimonium propriè ad divini cultûs, pauperumque usum com» missum est, cavete ne ambitione, aut cupiditate prolapsi in » alium, quàm cui addictum est, convertatis; idque propterea » sacrilegii rei, damnationem æternam subeatis."

XIX. Descriptam Episcoporum moderationem, & frugalitatem in suppellectile, mensa, & familia sub idem ferè tempus expresserat Concilium Toletanum ann. 1554. *Act.* 2. *Cap. III.* hortaturque: » Sciant memores Episcopi Divinam Majestatem » non leviter offendi, dum non paucis pauperibus, qui ob eges» tatem & famem vitæ periculum experiuntur & expectant, ex » his subveniri posset; quæ mensis Episcoporum contra indic» tam à Canonibus frugalitatem maxima cum ignominia veri » splendoris apponuntur.

XX. » Ut altari servientes de altari vivere debent; ita quo» que omnibus & singulis Beneficia Ecclesiastica tam secularia, » quàm regularia obtinentibus sæpè recogitandum est (ait Syno» dus D. Mechliniensis *tit.* 17. *cap.* 11.) quòd quæcunque ultra » *honestam* sustentationem ipsis supersunt, non ad ditandos ami» cos, vel alios profanos usus, expendi possint; sed *pauperibus* » distribui, aut in alias pias causas erogari debeant."

XXI. Infinitæ propemodum sunt Patrum, & Synodorum exhortationes, & innumera præcepta, quibus hæc Episcopis, & omnibus generatim Ecclesiasticis bona Ecclesiastica possidentibus inculcantur, & præcipiuntur. Sed cum Bernardo contra luxum Prælatorum declamante *Serm.* 77. *in Cant.* dicere forsan possem: » Sine causa, vel his, vel illis immoramur, quia » non audiunt nos. Sed & si litteris forsan mandentur ista quæ » dicimus, dedignabuntur legere: aut si fortè legerint, mihi „ indignabuntur, quamvis rectiùs sibi hoc fecerint."

XXII. Et quare inter Ecclesiæ Prælatos, qui & Ecclesiæ sponsi sunt, pauci hæc audire, & pauciores facere volunt? Audi Bernardum: „ Pauci admodum sunt, qui non quæ sua sunt „ quærunt, ex omnibus caris ejus." Adde quòd pauci sint, qui attendunt & ruminant, suisque cordibus insculptum habent, se non ad propria commoda, non ad divitias, aut luxum, sed ad labores, & solicitudines pro Dei gloria vocatos esse; quemad-

mo-

modùm loquitur Synodus Tridentina in principio citati Decreti; optatque, „ ut ii, qui Episcopale ministerium suscipiunt „ quæ suæ sint partes agnoscant.“

XXIII. Sed videor audire Prælatos, aliosve optima Beneficia possidentes: si in familia nostra, supellectile, mensâ, ac totius vitæ exteriori apparatu, omnia simplicitatem, ac mundi ac pomparum ejus contemptum præferant, ipsa Prælatorum dignitas, & auctoritas in vilipendium adducetur; nullusque apud populum, præsertim divites & nobiles, erit illorum respectus, nulla veneratio.

XXIV. Hunc Prælatorum prætextum, quo plerique luxum, & superfluitatem justificatam putant, jam præscidit Concilium Carthaginense IV. *Can. XVI.* quem expressè renovat Synodus Tridentina in allegato Decreto. Verba Canonis sunt: „ Episco„ pus *vilem* supellectilem, & mensam, ac victum *pauperem* ha„ beat, & dignitatis suæ *auctoritatem fide, & vitæ meritis* quæ„ rat.“ Apud Gratianum *Dist.* 41. *Can.* 7.

Non ergo luxu, & mundi pompis, & vanitatibus, auctoritatem Episcopalem quærendam judicant patres Carthaginenses, sed *fide, & vitæ meritis.* Similiter & Synodus Tridentina hunc Canonem innovans.

XXV. Synodus quoque Toletana suprà citata, postquam præscripsit frugalitatem in mensa Episcopali esse servandam, removet hunc vulgarem prætextum, dicens: „ Episcoporum „ siquidem auctoritas non his deliciis, vanisque splendoribus, „ sed fide, ac vitæ meritis quærenda est.“

Similiter S. Carolus quasi in ipso limine suprà citatorum Decretorum, hunc prætextum prævertens, ait: „ Episcopus non „ profano ornatu, aut apparatu, sed fidei, & vitæ splendore „ sibi auctoritatem quærere debet.“

XXVI. Et sanè quò præcipuè auctoritas Episcoporum, & Pastorum, & omnium Ministrorum Ecclesiæ tendere debet; nisi ut populus ad mundi contemptum, & Christi pauperis amorem excitari, & adduci queat? Dubitandum autem non est, uti monet Synodus Tridentina in eodem Decreto, „ & fideles „reliquos ad religionem innocentiamque faciliùs inflamandos, si „ Præpositos suos viderint non ea quæ mundi sunt, sed anima„ rum salutem, ac cœlestem patriam cogitantes.“

XXVII. Post hæc admonet Episcopos omnes, „ ut secum „ ea sæpe meditantes, factis etiam ipsis, ac vitæ actionibus, „ quod est veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, se „ muneri suo conformes ostendant.“ His immediate subjicit quæ suprà ex ipso Decreto de modestia, & frugalitate servanda retulimus.

Nequaquam igitur credidêre Patres Tridentini Episcopos vanitates, & pompas, aut fastum mundi sectando, auctoritatem suam conciliare; aut exemplum populo dare debere; sed e contra horum omnium contemptu, se munere conformes ostendere.

XXVIII. Hæc ipsa Synodus Tridentina, quæ tamen eodem tempore, & eadem Sessione *cap.* 17. quibus hoc Decretum publicavit, unà declaravit, „ se non posse non graviter dolere, „ audiens Episcopos aliquos, sui status oblitos, Pontificiam dig„ nitatem non leviter dehonestare, qui cum Regum ministris, „ Regulis, & Baronibus, in Ecclesia, & extra, indecenti qua„ dam dimissione se gerunt, & veluti inferiores ministri altaris, „ nimis indignè non solùm loco cedunt, sed etiam personaliter „ illis inserviunt. Quare, hæc & similia detestans sancta Syno„ dus, sacros Canones omnes, Conciliaque generalia, atque „ alias Apostolicas sanctiones ad dignitatis Episcopalis decorem „ & gravitatem pertinentes renovando, præcipit, ut ab hujus„ modi in posterum Episcopi se abstineant; mandans eisdem, „ ut tam in Ecclesia quàm foris suum gradum, & Ordinem præ „ oculis habentes, ubique se Patres, & Pastores esse memine„ rint; reliquis vero tam Principibus, quàm cæteris omnibus, „ ut eos paterno honore, ac debita reverentia prosequantur.“

Conservandam ergo in omnibus dignitatem Episcopalem agnovit Synodus, at non mundi fastu, & seculi vanitate; sed horum contemptu, & vitæ meritis. Unde non male expressum est Rubrum (x) citati *cap.* 17. his verbis: *Episcopi dignitatem suam* MORUM GRAVITATE *commendent.*

XXIX. Profectò si Episcoporum, & Prælatorum esset, mundum, & ea, quæ in mundo sunt, verbo & exemplo prædicare, & fidelibus persuadere, tunc auctoritatem, & dignitatem suam, etiam quæ mundi sunt sectando, meritò commendarent, & in toto vitæ suæ genere mundum ostentarent: At cum Episcoporum, Pastorum, omniumque Ecclesiasticorum sit, mundum, & ea, quæ in mundo sunt, verbis & factis debellare; atque horum vanitatem & contemptum fidelibus efficaciter persuadere; necesse est, ut hoc, quod verba prædicant, facta & exempla persuadeant: videantque Fideles elucere in Episcopis & Pastoribus, quod imitentur. Verissimum enim est, quod dixit Synodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 1. *de Reform.* „ Nihil est quod alios magis ad pietatem, & Dei „ cultum assiduè instruat, quam eorum vita, & exemplum, „ qui se divino ministerio dedicârunt. Cùm enim à rebus seculi „ in altiorem sublati locum conspiciantur; in eos tanquam in „ speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex iisque sumunt quod „ imitentur.“

XXX. Unde Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 16. *cap.* 1. præcipiens Episcopis conformiter ad Decretum Synodi Tridentini, ut eam moderationem, & humilitatem in omnibus servent, ut nihil in eorum supellectile, mensa, victu ac reliquo vitæ genere appareat, quod non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat; rationem præmissit: „ Quantò sublimior est Episcopalis dignitas, tantò etiam pu„ rior, ac sanctior debet esse ipsorum vita.“

XXXI. Hæc, aliaque, quibus hic vanus Ecclesiasticorum prætextus insumendi proventus Ecclesiæ, sive patrimonium pauperum in vanitates, & luxum detegitur, latiùs deduxit, ac prætextus hujus absurditatem solidissimè refutavit nominatissimus ille Bracarensium Archi-præsul Bartholomæus de Martyribus, qui tanta cum gloria, & omnium admiratione Synodo Tridentinæ astitit, & hujus Decreti præcipuus auctor & suasor fuisse scribitur in ejus vita nuper Gallicè edita *lib.* 2. *cap.* 13. ubi & refertur ejusdem discursus, quo Patres Tridentinos ad publicationem Decreti movit.

XXXII. Hic mox, ut ad Archiepiscopatum Bracarensem fuit promotus, cœpit omnia, quæ aliquem fastum mundi præferebant, è sua familia, & supellectile ablegare; omniaque ad summam simplicitatem redigere, uti latiùs exponitur *lib.* 1. *cap.* 11. quæ simplicitas tanta erat, ut à nonnullis præsertim Nobilibus & Aulicis, carperetur, atque ipsum Archiepiscopum propterea in odium populi malitiosè adducerent.

XXXIII. Hæc advertens Ludovicus Granatensis Ordinis Prædicatorum tunc Provincialis, Vir pietate, & doctrina notissimus, & cujus consilio, & opera Bartholomæus potissimùm ad Archiepiscopatum nominatus fuerat, unà cum alio ex eodem Ordine Episcopo, Bartholomæo persuadere voluit, ut aliquid de externa illa in supellectile, mensa, & familia simplicitate dimitteret; atque ad Archiepiscopum conversus Granatensis dixit se optare, ut paulisper consideraret, „ se esse „ Archiepiscopum, & quidem Bracarensem; ideoque ser„ vanda ei esset aliqua honestas ad sustentandam dignitatem Ar„ chiepiscopalem. Esset quidem alienus, ut ipsum ad luxum „ incitaret. Quod unà cum ipso condemnaret Prælatos illos, „ qui apparent potius Provinciarum Gubernatores, quàm Apos„ tolorum Successores; & qui per superbum illum apparatum, „ quo cinguntur, videntur fastum, & pompam mundi velle „ introducere usque ad ipsum altare. Sed sibi esse attenden„ dum, nequaquam nos ampliùs esse temporibus illorum Sanc„ torum, quorum paupertas miraculis fulciebatur. Fideles ho„ die factos infirmiores. Hos posse indigere aliquibus, qui sen„ sus externos perstringant, ut Episcopis omnem debitam ve„ nerationem exhibeant.“

XXXIV. Postquam has rationes Granatensis summâ attentione audivisset Archiepiscopus; mox utrumque cum modestia junctâ gravitate respiciens, respondit: „ Pro vestro in me af„ fectu me vobis devinctissimum agnosco: ipseque Deus no„ vit, me hunc in me vestrum affectum præcipuis gratiis à Deo „ mihi præstitis annumerare. At mihi indulgeri peto, si vobis „ ingenuè dicam, me paulisper hærere attonitum, videre il„ los, per quos sperabam intelligere vocem Dei, mihi tam hu„ mano modo loquentes: & qui me ad majorem in functionibus „ ministerii mei exactitudinem incitare deberent, me ad remis„ sionem, & relaxationem excitent. Quæ à vobis dicta sunt, in „ Aula Regia dici haud miror. At id duntaxat admiror, Auli„ cos Religiosos & Episcopos hîc in eandem sententiam con„ venire; virosque tam sanctos & venerandos se hujusmodi cau„ sæ statuere defensores. Mundus quæritur, ædes meas ac fa„ miliam magnificas non esse; meque Archiepiscopi Bracaren„ sis splendorem non exhibere. Hæc dictio digna est prolato„ ribus suis. Sed num ideò Dei minister dignitatem suam eo„ rum pervicaciæ debet subjicere, & regulas suas, ut se eo„ rum opinioni conformet, derelinquere? An illi Sancti, de „ quibus tanquam capitibus, & principibus gloriatur Ecclesia, „ S. Nicolaus, S. Basilius, S. Chrysostomus, ac nominatim „ Magnus S. Martinus, cujus paupertas, & liberalitas veræ „ Apostolicæ fuerunt, ignorabantne, mundum quidquid est „ splendoris revereri; & humanam existimationem magnificen„ tiâ humanâ, sibi se posse comparare? Hoc proculdubio scie„ bant, sed adjebant sicut S. Paulus *ad Gal. cap.* 1. v. 10. *An „ quæro hominibus placere? Si hominibus placerem, Christi „ servus non essem.* Arbitrabantur se melius, non posse fungi „ munere evangelizandi humilitatem, & paupertatem Christi, „ quàm se pauperes faciendo ad prædicandum Deum pauperem. „ Quid ex eo tempore factum, quod eorum agendi rationem „ suspectam, aut contemptibilem efficere potuit; & quis eos „ imitari nobis inhibet? An hodiernæ hominum irrisiones? Eos „ etiam

(x) *Rubrum, id est, titulus hujus capitis.*

„etiam irriserunt. Sicuti igitur ipsi mundi irrisionem contemp-
„serunt, ita & nostrum est contemnere. Non existimo vos
„contendere, illam agendi rationem, tanquam in ipsis extra-
„ordinariam habendam esse, adeoque parum imitandam, quan-
„doquidem noveritis, quid Ecclesia nobis præscripserit hoc
„expresso Decreto quarti Concilii Carthaginensis: *Episcopus*
„*vilem supellectilem, & mensam, ac victum pauperem habeat,*
„*& dignitatis suæ auctoritatem fide & vitæ meritis quærat.* En
„Spiritum Sanctum ore universæ Ecclesiæ Africanæ nobis lo-
„quentem. Nunc ergo judices, & consiliarios meos vos assu-
„mo. S. Spiritus mihi, quatenus Episcopo decernit habere *su-*
„*pellectilem, & mensam pauperem*; mundus è contra, pau-
„pertatem fugere me adhortatur, & in his omnibus splendorem
„quærere: utri deferre suadetis mihi? Mundus contendit justi-
„ficare, imò & sanctificare istam, quam nobis inspirat opinio-
„nem, dicendo, magnificentiam ad fulciendam dignitatem Episco-
„palem esse necessariam, è contrario Spiritus Sanctus nos docet,
„Episcopum per illam *paupertatem* Apostolicam se magis *com-*
„*mendabilem* redditurum: non enim exterior ille fastus, *sed*
„*vitæ sanctitas* hominum cordibus honorem, & veneratio-
„nem ipsi debitam imprimere debet. Ecce regula nostra. Si
„quatenus Religiosus statuta Ordinis nostri servare conatus sim;
„modò ut Episcopus, regulam ab Ecclesia Episcopis præscrip-
„tam servare debeo. Ideoque, quæso, vobis persuasum sit, me
„omnis istius exterioris fastûs hostem esse, non tantùm quia re-
„ligiosus sum. Fui in religione *pauper*, qualis fuit S. Joannes
„omnium religiosorum exemplar; jam verò in Episcopatu *pau-*
„*per* esse debeo, veluti Jesus Christus Evangelium annuntians,
„veluti Apostoli, & magni Episcopi successores eorum, & ve-
„luti Prælatis omnibus mandat Ecclesia. Unde etiamsi Deus
„ex Clero, non autem ex religioso Ordine me elegisset ad
„eam dignitatem, ad quam ipsi placuit me assumere, non
„eandem vestem religiosam tulissem, sed credidissem, ean-
„dem circa familiam instituendam, & proventus dispensan-
„dos esse tenendam regulam; & similiter quidquid mundus
„obloqui potuisset, dispexissem. Quis enim in Ecclesia, si
„non Episcopi, in servandis inviolatè ejus decretis constans erit?
„Anxii ergo ne sitis, inveniendi medium aliquod, quo ho-
„minibus satisfaciatis. Mundus, & Deus consociari non pos-
„sunt. Deus namque nobis prohibet, quidquid mundus jubet.
„Si explendori domûs meæ prospicere velim, necessariò de
„*alimentis* pauperum aliquid resecandum est. Nunquid adeò
„immisericors esse potero, ut panem ex ore fame confecto-
„rum adimam, quo mensa mea ferculis benè sit instructa? Nun-
„quid tam duro corde ero, ut membra Christi in maximo fri-
„gore denudem, quo vestiam, & ornem muros inanimes?
„Siccine prudentem & indulgentem oportet me esse? Deus
„à me tam cæcam prudentiam, & tam credulam indulgentiam
„avertat. Facultates meæ, *Pauperum* sunt, & non meæ, eos
„tanquam filios meos diligere teneor, eosque venerari tanquam
„qui semel futuri sint mei judices. Illos contristari plus ve-
„reor, quam divitibus comprobari. Deus avertat, ne rem tam
„vilem, qualis est vana hominum opinio, pretio lacrhymarum
„& sanguinis pauperum emam. Si post hæc nostram agendi
„rationem despiciat mundus, ipsius despectus nostrum gaudium,
„& gloria nostra esse debet, ac dicere nos oportet cum S. Pau-
„lino *Epist.* 29. *O Beata injuria, displicere cum Christo! ma-*
„*gis timendus est amor talium, quibus sine Christo placetur.*“

Hic Archiepiscopi discursus plenus vigore, & unctione Spi-
tûs Sancti, ita penetravit corda audientium, ut ipsa veritate
vecti, non quid replicarent, sed quomodo suum nimis huma-
num loquendi, & agendi modum excusarent, essent anxii; pa-
lam fatentes, se in Bartholomæo & sanctitatem, & constan-
tiam mirari; dicebatque Granatensis, se jam ampliùs & certiùs
intelligere quàm merito ipse ad Archiepiscopatum promotus fue-
rit. Utinam omnes Prælati, qui hunc discusum sunt lecturi,
habeant similes aures ad audiendum, & corda ad intelligendum.

Hic totus Archiepiscopi discursus, aliaque ea occassione dic-
ta referuntur in ejus vita gallicè scripta *lib.* 2. *cap.* 20.

XXXV. Si Episcopi, Prælati, ac reliqui Beneficiatj è Cle-
ro seculari eam moderationem, & frugalitatem in omnibus ser-
vare debeant; quantò magis Regulares, qui speciali professio-
ne ad paupertatem servandam adstringuntur; & quorum pro-
fessio specialem mundi, ejusque pomparum contemptum exigit
ut *part.* 1. *tit.* 29. *cap.* 8. & *tit.* 31. *cap.* 5. dictum est; his ad-
di potest epistola 102. Petri Blesensis, in qua narrat, quid
Sanctus quidam Abbas de excessu in mensis Abbatum dixerit;
& postquam sumptus illos graphicè descripsit, tandem conclu-
dit: „Hæc omnia judicabit, cujus judicia occulta sunt, & ideo
„magis timenda. Sumptus tam detestabiles & enormes, non
„labore, aut patrimonio nostro fiunt, sed de eleemosynis fide-
„lium, de oblationibus atque decimis, de tributis egentium
„animarum, de exactionibus & oppresionibus pauperum, de ob-
„ventionibus etiam placitorum. Qui in sudore vultûs pane nostro
„vesci debuimus, labores miserorum nobis usurpamus ad delicias,
„atque in crapula, & ebrietate sudorem bibimus alienum.“

Epistolæ hujus magnam partem exscripsit Christianus Lupus *tom.* 5. *Schol. in Canones pag.* 193. addens: „Episcopis, Ab-
„batibus, Canonicis aliisque decimas possidentibus, legenda est
„tota Epistola.“

CAPUT V.

An Clerici divites Patrimonio, possint, reservatis proventibus Patrimonii, ex bonis Ecclesiæ vivere.

1 *Certum quòd dives patrimonio, possit habere Beneficium, & proventus Beneficio annexos recipere.*
2 *Potest etiam proventus Beneficio annexos tanquam debitos exigere.*
3 *Indubitatum est, quòd Ministri non possint suum ministerium impendere*, ut sustentationem accipiant.
4 *Non dubium, quin dives patrimonio possit Beneficium retinere.*
5 *Proponitur status quæstionis.*
6 *Omnes Beneficiati debent Officium* gratis *impendere ad sensum hujus sententiæ* Gratis accepistis, gratis date.
7 *Quomodo hoc præstent, qui necessaria à populo accipiunt.*
8 *Non videtur ita* gratis *præstare, qui dives Patrimonio, ex proventibus Ecclesiasticis sua* necessaria *prætendit.*
9 *Viduæ, quæ divites propinquos habebant, ex sententia Apostoli ab Ecclesia sustentandæ non erant; ne gravaretur Ecclesia.*
10 *Hinc concluditur, nec Clericum* divitem *illicitè sua necessaria ab Ecclesia accipere.*
11 *Clericus dives necessaria ex bonis Ecclesiasticis accipiens* pauperes *defraudare censetur.*
12 *Censet Augustinus bona Ecclesiastica esse* pauperum, *quando Ministri aliunde sufficienter habent.*
13 *Quod de Episcopis dixit Augustinus, de omnibus Beneficiatis dixit Dionysius Carthusianus.*
14 *Beneficiatus Dives patrimonio, debet redditus Ecclesiasticos administrare, ut pauperum procurator.*
15 *Canones non permittunt Episcopis necessaria ex proventibus Ecclesiasticis nisi sub conditione*, si indigeant.
16 *Id magis militat in aliis Ecclesiæ Ministris.*
17 *Conditio* si indiget *non respicit Episcopum, qui ultra necessaria accipit ex proventibus Ecclesiasticis.*
18 *Canones hæc statuunt juxta naturam bonorum Ecclesiasticorum.*
19 *Post divisionem bonorum Ecclesiæ eadem Canonum sententia perseveravit.*
20 *Gratianus ex Canonum sententia ita conclusit.*
21 *Videntur primùm Scholastici contrariam sententiam docere cœpisse.*
22 *Probatur ex Dionysio Carthusiano.*
23 *Securiùs statur dictis SS. Patrum, quàm Scholasticorum.*
24 *Scholastici nimis carnaliter, & litteraliter videntur intellexisse verba Apostoli* : Quis militat suis stipendiis unquam? &c.
25 *Unicè ferè pro suâ sententiâ proferunt hunc textum Apostoli.*
26 *Apostolus non vult Clericis dari stipendium ut mercedem* operis.
27 *Totus Apostoli discursus tantùm vult*, alimenta *Christi ministris deberi.*
28 *Responsum Adriani VI. ad textum Apostoli.*
29 *Christus dixit Apostolis deberi* cibum, *quando eos misit destitutos mediis temporalibus.*
30 *Qua ratione ex sententia Cardinalis Bellarmini utraque opinio conciliari possit.*
31 *Conciliandi ratio non displicet.*

I. PRo clariore hujus quæstionis resolutione, & intelectu prænotandum imprimis; hîc quæstionem non esse, num possidens sufficiens patrimonium possit habere Beneficium Ecclesiasticum, & jus colligendi, & exigendi fructus, vel proventus Beneficio, sive titulo Ecclesiastico annexos. Nemo quippe dubitat, aut fundatè dubitare potest, quin Ecclesia admittere velit habentes patrimonium ad munia Ecclesiastica, quibus obeundis nonnunquam magis conveniunt, quàm pauperes; aut jus percipiendi proventus certis titulis ex Ecclesiæ, aut Fundatorum ordinatione annexum à titulis separare, eo solo titulo, quòd titulis illis præficiantur divites patrimonio: præsertim cùm Ecclesiæ sæpè sit ignotum, qui patrimonio sint sufficientes, & in singulorum facultates inquirere, & familiarum singularum statutum, & rationes discutere à se alienum credit.

Cùm enim juxta disciplinam ab octo circiter seculis exortam, & sensim stabilitam, ac receptam singulis titulis certi proventus sint annexi, illos Ecclesia singulorum titulorum possessoribus relinquit, ipsorum fidei, & conscientiæ permittens, ut

eos

eos dispensent, & administrent; iisque etiam utantur juxta naturam, & conditionem illorum proventuum, & dispensationis & usûs rationem reddere queant ei, cui primariò *res* Ecclesiæ oblatæ sunt; & unde *res Dei* vocantur, uti latiùs expossui in Dissertatione Canonica *de Instituto Canonicorum, part. 2. cap. 5. §. 10.*

II. Similiter nemo dubitat, Ministros Ecclesiæ habere potestatem de altari vivendi; dignumque esse *operarium mercede sua, vel cibo suo*; eique temporalem sustentationem à populo deberi, neque jura Beneficio annexa negari posse, hoc solo titulo, quòd Beneficiatus dives sit ex patrimonio. Hoc ipso enim, quo Beneficium possidet, etiam jus recipiendi annexos proventus adipiscitur; nec illud ei Ecclesia ob possessas aliunde divitas, adimit; sed duntaxat præscribit, ut ea juxta offerentium intentionem, & regulas Ecclesiasticas tanquam res Deo oblatas dispenset, iisque ut *patrimonio pauperum* utatur.

III. Illud quoque indubitatum est, quòd licèt Operarius, sive Minister Ecclesiæ jus habeat ad sustentationem accipiendam à populo, nequaquam tamen Evangelizare, sive Ecclesiæ ministrare possit, *ut manducet*, vel ut sustentationem accipiat; sed manducare, & sustentationem accipere, ut Evangelizare, & Ecclesiæ servire valeat: ita ut absolutè intendat *gratis* Evangelizare, & servire Ecclesiæ: & non nisi ut id facere possit, sustentationem, vel cibum accipere velit, uti latiùs suprà *cap. 2.* exposui.

IV. Nec illud in quæstionem trahendum, num quis patrimonium unà cum Beneficio retinere queat; liciteque proventus annuos utriusque recipere, & ex omnibus honestam sustentationem sumere, & superfluum in pauperes, aut pios usus impendere.

V. Illud unum quæritur, num dives patrimonio possit ex proventibus Ecclesiæ sua necessaria accipere, parcendo proventibus patrimonii, eosque augendo, parentibus & consanguineis, non pauperibus relinquendo, aut in alios profanos usus impendendo.

VI. Imprimis certum est, quòd omnes Beneficiati tanquam Ecclesiæ ministri, teneantur ministerium hoc spirituale populo, & Ecclesiæ exhibere *gratis*, ad sensum illius præcepti: *Gratis accepistis, gratis date.*

VII. Huic præcepto non contraveniunt Ministri, & Operarii Ecclesiæ, qui unde vivant non habentes, ex proventibus Ecclesiasticis accipiunt, unde vivant, & ita *gratis* Ecclesiæ servire queant; & consequenter quos ad accipiendum cogit *vivendi necessitas, non habendi cupiditas*, uti post S. Julianum Pomerium loquitur Synod. Aquisgranensis anno 816. *Can. CVII.* hi enim *gratis* serviunt, & accipiunt sustentationem »*necessitatis* à populo, non quasi *mercedem operis*, quod populo *ex* »*charitate* impendunt, sed tanquam stipendium, quo ut possint laborare, pascantur,« ait S. Augustinus.

VIII. Porrò qui patrimonio dives est, nequaquam potest dici sustentationem *necessitatis* accipere à populo; aut tanquam stipendium, quo, ut possit laborare, pascatur; neque hunc ad accipiendum cogit *vivendi necessitas*; quandoquidem ex patrimonio ei aliunde provisum sit; *sed potiùs habendi cupiditas.* Neque talis videtur accipere, ut *gratis* Evangelizare queat, sed potiùs *ne censum patrimonialem expensis quotidianis minuat*; uti eodem loco monet Synodus Aquisgranensis.

IX. Apostolus monet, 1. ad Timoth. 5. v. 16. *Si quis fidelis habeat viduas, subministret illis*, scilicet, necessaria ad vivendum. Rationem subjicit: *Ut non gravetur Ecclesia* scilicet, earum alimoniis: *Ut iis, quæ verè viduæ sunt, sufficiat*, nimirum, Ecclesia: *Sufficiat*, inquam, providere illis, quæ *verè viduæ sunt*, id est, quæ desolatæ, & destitutæ sunt humanis subsidiis, quemadmodum eodem loco exposuit Apostolus. Tales autem non sunt ad mentem Apostoli, quandiu propinquos, aut amicos habent, à quibus sustententur.

X. Ita Estius hîc, qui & subdit: »Locus hic notari potest »adversus eos, qui cum de *suo satis* habeant, unde vivant, »Ecclesiasticis Beneficiis impinguantur; aut qui uno Beneficio, »quod ad honestam sustentationem valeat, non contenti, plura accumulant. Nam si fidelis habens viduas, subministrare »illis jubetur, ut iis, quæ verè viduæ sunt, alendis Ecclesia »sufficiat: quantò magis, qui vel *patrimonium*, vel unum habent Ecclesiasticum Beneficium, ex quo sufficienter ali possint, abstinere debent à gravanda Ecclesia, quo plures ministros alere queat, per quos divina celebrentur officia, & »Christiani populi salus procuretur.«

XI. Unde & Synodus Aquisgranensis citato *Can. CVII.* ait: »Nec illi, qui sua possidentes, dari sibi aliquid volunt, »sine grandi peccato suo, unde *pauper* victurus erat, accipiunt. »De Clericis quidem Spiritus Sanctus dicit, Osee cap. 4. v. 8. »*Peccata populi mei comedunt.* Sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed *alimenta*, quibus indigere videntur, accipiunt: ita possessores non alimenta, quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt,« Plura eam in rem habet citatus Canon, quibus verificetur Rubrica (y) ejusdem Canonis: »cum quo damno animæ suæ ab Ecclesia, quæ pauperes pascit, accipiunt illi, qui sibi de *suo* sufficiunt.«

XII. Quid aliud voluit S. Augustinus, ubi respondens Donatistis calumniantibus Episcopos Catholicos, quasi persecutionem in ipsos moverent, ut bona Ecclesiarum soli haberent, hæc scribit: »Quæ tamen (Bona Ecclesiarum) si pauperum compauperes sumus, & nostra sunt, & illorum: si autem *privatim*, quæ nobis *sufficiunt*, possidemus, non sunt illa nostra, sed *pauperum*, quorum procurationem quodammodo gerimus, *non proprietatem* nobis usurpatione damnabili vindicamus.« *Epist.* 185. ad Bonifacium ultimæ edit. & apud Gratianum *Caus. 23. quæst. 7. Can. 3.*

Credidit ergo Augustinus, bona Ecclesiarum esse pauperum, & etiam Episcoporum, si & ipsi *compauperes* sint: Sin autem pauperes non sint, sed *privatim*, quæ sufficiant, possident, esse non Episcoporum, sed *pauperum*, quorum procurationem quodammodo gerunt.

XIII. Quod de Episcopis sui temporis dixit Augustinus, id de omnibus Beneficiatis postmodum pronuntiavit Dionysius Carthusianus in tractatu contra pluralitatem Beneficiorum, *artic.* 14. »Bona Ecclesiæ, inquit, sunt stipendia ministrorum ejus »indigentium hujusmodi bonis, quod si eis non egeant, non »sunt capaces talium bonorum *ad proprium usum. Veruntamen* »*serviendo Ecclesiæ faciunt hujusmodi bona esse sua, ut ea* »*indigentibus piè dispensent, non ut sibi thesaurizent, possi*»*deant, & immoderatè, seu absque necessitate, & indigentia* »*assumant.*«

XIV. Et Adrianus VI. probans sententiam Alexandri de Hales, quòd Clericus habens *sufficiens* stipendium, vel redditum unde possit aliter, quàm decimis sustentari sufficienter, & secundum statum personæ, non possit eas in usus proprios convertere, addit: »Quòd habenti sufficiens patrimonium, si fructus, vel proventus patrimonii servat *pio operi*, licet de bonis »Ecclesiæ vivere, aliâs non: sed quidquid proventuum Ecclesiæ suscipitur, tenetur quasi *pauperum*, *& Ecclesiæ procu*»*rator* in eorum utilitatem convertere, aut servare.«

XV. His congruit, quod legitur in *Canone XLI.* vulgò Apostolorum: »Præcipimus, ut in potestate sua Episcopus Ecclesiæ res habeat. Si enim animæ hominum pretiosæ illi sunt »creditæ, multò magis oportet eum curam pecuniarum gerere, »ita ut potestate ejus *indigentibus* omnia dispensetur per Presbyteros, & Diaconos, & cum timore, omnique solicitudine »ministrentur. (z)

Ecce Episcopus bonorum Ecclesiæ moderator constituitur; sed ut per Presbyteros, & Diaconos, ea omnia auctoritate ejus *indigentibus* (vel ut alia lectio habet, iis, *qui egent*) ministrentur. An ergò ipsi Episcopi nihil in suos usus tanquam Ecclesiæ operarii sumere possunt? Imò verò, si scilicet ipsi *pauperum compauperes sint.* Addit enim Canon: „Ex iis autem, „quibus *indiget*, *si tamen indiget*, ad suas *necessitates*, & „peregrinorum fratrum usus ipse percipiat.“ Sive ut vertit ex Græco Gentianus Hernestus: „Et etiam *si sit opus*, *in neces*„*sarium* suum usum accipere, & fratrum, qui hospitio ex„cipiuntur.“

Eadem leguntur in Canone XXV. Antiocheno: referunturque dicti Canones apud Gratianum *Caus. 12. quæst. 1. Can. 22. 23. & 24.*

XVI. Si Episcopi primarii Ecclesiæ ministri, & vineæ Dominicæ excultores, debeant bona Ecclesiæ, ut pauperum procuratores *indigentibus* dispensare, neque de iis participare, etiam ad *suas necessitates*, sive *necessarium usum*, nisi reverà ipsi *indigeant*, quo titulo inferiores ministri, sibi majus jus in bona Ecclesiæ attribuent?

XVII. Ex verbis quoque Canonis manifestum est, hanc conditionem, *si tamen indigent*, non adjici propter Episcopos, qui fortè ultra *indigentiam* ex bonis Ecclesiæ sumerent, quandoquidem expressè dicat, quòd tum demum in suas necessitates, sive necessarium suum usum capere possit Episcopus, *si indigeat*: ergò *si non indiget*, nequidem in suas necessitates, seu necessarium suum usum capere permittitur.

XVIII. Non obscurum quoque est, id quod circa dispensationem, & usum bonorum Ecclesiæ in favorem pauperum hisce Canonibus dicitur, ex bonorum Ecclesiasticorum natura, seu conditione desumi; utpotè quæ ut bona pauperum administrare oporteat.

XIX. Non mirum proindè, si & post factam bonorum Ecclesiæ

(y) Rubrica, *id est*, *titulus hujus Canonis. Lex quandoque olim vocabatur Rubrica*; *eò quòd initium legis, vel canonis rubro colore notaretur.*

(z) *Cautum fuit in Concilio Gangrensi* cap. 28. *ut Presbyteri, & Diaconi quoque notitiam rerum Ecclesiasticarum haberent, ut si contingat Episcopum à vita migrare, curam habeant eorum, quæ ad Ecclesiam pertinent.*

clesiasticorum aliqualem in quatuor portiones divisionem, quin & post erectionem Beneficiorum manserit dispensandi obligatio: quia ut Capite sequenti ostendemus, divisio bonorum Ecclesiæ non ipsam bonorum conditionem, aut naturam, sed exteriorem duntaxat dispensationis normam aliquatenùs immutavit.

XX. Quapropter Gratianus noster, qui Decretum suum compilavit post factam, & stabilitam bonorum Ecclesiæ divisionem, relatis dictis SS. Patrum, qui dicunt, quòd qui sumptibus propriis sustentari potest, ab Ecclesia stipendia accipere nequeat, subjungit: » Verùm his auctoritatibus, inquit, pro» hibentur ab Ecclesia suscipi, non illi, qui quondam fuerunt » divites, posteà verò omnia reliquerunt, ut Petrus, & Mat» thæus, & Paulus, aut pauperibus distribuerunt, ut Zachæus, » aut Ecclesiæ rebus adjunxerunt, sicut illi, qui prædia sua ven» dentes ponebant pretia ante pedes Apostolorum, ut essent om» nia communia: *sed illi, qui in domibus parentum residentes,* » *vel sua relinquere nolentes, Ecclesiasticis facultatibus pasci* » *desiderant.*«

Sine ulla hæsitatione igitur seculo XII. credidit Gratianus, auctoritate Canonum, & SS. Patrum inhibitum esse, ut illi, qui *sua* nolebant dimittere, de facultatibus Ecclesiasticis pascerentur.

XXI. Et reverà tanta apparet in Canonibus, & dictis SS. Patrum pro hac sententia evidentia, ut credibile non sit contrariam sententiam ab aliquo assertam fuisse, nisi postquam seculo XII. intrârunt Doctores Scholastici, quorum plures magis proprio judicio, & rationi naturali, quàm Canonum, & Patrum auctoritati innitentes, eam opinionem sustinere cœperunt.

XXII. Hoc non obscurè tradit Dionysius Carthusianus in tractatu *de Vita Clericorum*, *art.* 24.

Hic postposita quæstione: » An Canonici, & ministri Ec» clesiæ, qui de suo *Patrimonio* possunt se sustentare, licitè » convertant in usus suos bona Ecclesiæ: « priusquam ad resolutionem quæstionis descendat, præmittit: » Securiùs, ac » salubriùs creditur, ac paretur dictis Sanctorum, per quos lo» cutus est Spiritus Dei, quàm *Scholasticorum* quorundam, qui » suo magis, quàm expedit, credunt, & nituntur ingenio, auc» toritatem Sanctorum ad suam retorquentes opinionem.

XXIII. » Quantumvis ergò, (concludit post hæc) de pro» posita quæstione quidam dicant *Scholastici*, posse id licitè » fieri, consultius tamen credendum, & standum est verbis » Hieronymi, & Bernardi, imò & Summi Pontificis, Beati» que Prosperi. Ait enim Damasus Papa: *Qui bonis parentum* » *sustentari possunt, si accipiant quod pauperum est, sacri*» *legium incurrunt.*«

Huic Damasi dicto, SS. Hieronymi, Prosperi, & Bernardi sententias subjunctis, concludit: *Horum itaque Patrum sententiis statur securiùs, quam aliorum aliter opinantium.*

XXIV. Hi Doctores Scholastici nimis carnaliter, & mercenariè considerâsse videntur hæc Apostoli verba: *Quis militat suis stipendiis unquam? Quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit, &c.* Quasi his indicatum voluisset Apostolus, non secus deberi Clericis stipendium, aut mercedem, quam militibus militiæ secularis, aut excultoribus vineæ, aliisque operariis suarum operarum mercedem; non propter eorum *indigentiam*, sed propter operas, & labores præstitos.

XXV. Unde unicum penè hoc argumentum in hujus opinionis assertionem adferri videmus.

Et quidem Prosper Fagnanus, novissimè hanc sententiam amplexus, ad *Cap.* SI QUIS SANE, ✠ *de Peculio Clericorum*, relatis nonnullis recentiorum Canonistarum pro hac sententia auctoritatibus, subdit *num.* 7. Idem ratio suadet divinis oraculis innixa; decet enim, ut qui altari servit, de altari vivat, cum *nemo militet stipendiis suis*, 1. ad Corinth. 9. & *dignus est operarius mercede sua*, Lucæ cap. 10. ℣. 7. nec denario fraudari debent in vinea operantes; additis aliis textibus, qui probant, Clericis laborantibus stipendia, & mercedem deberi.

XXVI. Verùm uti rectè advertit doctissimus Pauli Interpres Guillelmus Estius, 1. *ad Timoth.* 5. *v.* 18. » neque sig» nificat Apostolus hac parte, subsidium temporale habere ra» tionem *mercedis*, quam Prædicator Evangelicus pro labore, » & opere suo recipiat; id enim esset vendere Evangelium, » quod *gratis* debet annuntiari: sed sensus Apostoli est, sicut » operarius dignus est mercede, unde vivat; ita & Evangelii » ministrum dignum esse honorario subsidio, unde sustentetur. » Tantùm enim in hac comparatione spectatur sustentatio ope» ranti debita. Unde & Christus, *Matth.* 10. eandem senten» tiam adferens, pro *mercede*, *cibum* nominavit: *Dignus est,* » inquit, *operarius cibo suo.*«

XXVII. Totus ergò discursus Apostoli hoc unum evincit, operariis Evangelicis alimenta deberi, non tanquam *mercedem* operis, sed tanquam media *necessaria*, ut evangelizare possint. » Secularis quippè militia, quia cœlestia non habet, » terrena strenuè militantibus præstat; qui autem Ecclesiæ ser» viunt, & *labori* suo velut *debita* reddi oportere credentes, » ea, quibus opus non habent, aut accipiunt libenter, aut » exigunt, nimis *carnaliter* sapiunt, si putant, quòd Ecclesiæ » serviunt, stipendia terrena, ac non potius præmia æterna » percipiunt. « Ita citata Synodus Aquisgranensis *Can. CVII.*

XXVIII. Deinde, uti benè respondet Adrianus VI. loco citato, » non militat suis stipendiis, qui concessa tempo» ralia divinæ militiæ impendit; cùm omnia temporalia bona » *divina* sint *stipendia*, in stipem, & sustentationem vitæ ho» minibus concessa, ut ei magno fervore, & absque solicitu» dine distrahente servitia grata dependant. «

Addit Adrianus: » Secundò, ad mentem Apostoli, quod » nemo tenetur regulariter stipendiis, quæ sua sunt comparatio» ne ad homines, quæ scilicet ab iis non capit, hominibus certis » militare. Nihilominus quia stipendia Ecclesiastica solùm sunt » ad necessitatem ministrorum, & non quasi merces laborum » instituta, ideò non possunt hujusmodi pro se suscipere, nisi » quantum egent sub modificatione priùs expressa. «

XXIX. Observandum insuper, quod Christus sententiam illam, *dignus enim est Operarius cibo suo*, protulerit, postquam Apostolis dixisset: *Gratis accepistis, gratis date: nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam*: quibus omnibus voluit, ut quasi omnibus temporalibus destituti, nudi ad prædicandum Evangelium pergerent. Sed ne hisce nimium turbarentur, cogitarentque sibi necessaria alimenta defutura, præcepti sui apparentem severitatem temperavit, » ostendens (ait Jansenius Gandensis ci» tato *cap.* 55.) quare nudos illos mittat, nimirum quòd quæ » ad victum, & vestitum ipsis essent necessaria, eis deberen» tur à discipulis eorum, ut sine omni rubore, & verecun» dia ab eis illa possent accipere, nec necesse esset harum re» rum onere, & solicitudine sese gravare. «

Ex quibus non obscurè intelligitur, sententiam Christi, ad quam & totus Apostoli contextus refertur, non spectare nisi *alimenta*, seu *cibum* operariorum Evangelicorum, quos ad *ea accipienda cogit vivendi necessitas*, *non habendi cupiditas.*

XXX. Cardinalis Belarminus *lib.* 1. *de Clericis*, *cap.* 27. quærens, an qui bona Patrimonialia habet, possit simul bona Ecclesiastica habere, & pro utraque sententia allatis nonnullis auctoritatibus, credit, auctores utriusque sententiæ posse forsitan conciliari, ut dicamus, S. Prosperum (quem citat pro negativa) » loqui de illis, qui planè sufficientem habent sustenta» tionem ex patrimonio, aut Beneficio. Tunc enim alterum est » superfluum, & proindè pauperibus debitum. Alios verò auc» tores loqui de illis, qui neque ex patrimonio, neque ex Be» neficio sufficientem omninò sustentationem habent. Hi enim » utrumque retinere possunt, modò ex utroque nihil accipiant » ultra sustentationem decentem, juxta conditionem proprii sta» tûs. Quod enim verè superfluum est, dandum esse pauperibus, » Theologi communiter docent.«

XXXI. Si cui hæc reconciliandi ratio placet, me dissentientem non reperiet. Si quis enim proventus Beneficii, & patrimonii confundat, atque ex iis *honestam*, *ac moderatam* sustentationem accipiat, & superfluum in pauperes, aliumve pium usum expendat; nullatenùs vivendo ex bonis Ecclesiæ censum suum patrimonialem auget, nec pauperes plus gravat, quàm is, qui totam sustentationem acciperet ex bonis Ecclesiæ & patrimonium pauperibus erogaret.

CAPUT VI.

De divisione bonorum ecclesiæ; et an per eam natura illorum mutata.

1 *Ecclesia, etiam Christo vivente, suas habuit facultates; sed in communi.*
2 *Christus oblationes Fidelium uni in suos & discipulorum ac pauperum sumptus distribuendas commisit.*
3 *Christus formam dispensandæ pecuniæ Ecclesiasticæ dedit; & furem passus est, ut & Ecclesia fures pateretur.*
4 *Juxta normam à Christo institutam, omnia oblata erant communia, & uni concredita.*
5 *Eandem normam Apostoli, & eorum successores aliquot seculis retinuerunt.*
6 *Decretum Concilii Romani sub S. Silvestro de divisione rerum Ecclesiæ in 4. portiones.*
7 *Hoc Decretum meritò ut suppositium rejicitur.*
8 *Divisionis illius in 4. portiones ut jam stabilitæ meminit Gelasius I.*
9 *Sanctus Gregorius respondet juxta illam divisionem bona Ecclesiastica dispensanda.*
10 *Quatuor illæ portiones non arithmeticè distribuebantur.*
11 *Probatur de portione Clericorum.*
12 *Distributio fiebat auctoritate, & judicio Episcopi.*
13 *Quomodo portio pauperum distribueretur.*
14 *Scopus hujus divisionis quadripartitæ fuit, ut bona Ecclesiastica juxta suam conditionem ritè dispensarentur.*

15 *Hæc divisionis norma reipsa ab omnibus Ecclesiis probata fuit.*
16 *Natura bonorum Ecclesiæ per hanc divisionem non mutata.*
17 *Post eam divisionem monuerunt Concilia, bona dispensanda juxta normam Apostolorum.*
18 *Alia bonorum Ecclesiæ divisio per erectionem Beneficiorum.*
19 *Tertia per divisionem inter Episcopum & Capitulum, item inter ipsos Canonicos.*
20 *Hæc divisio, dissimulante potiùs quàm probante Ecclesia, facta est.*
21 *Per hanc divisionem non fuit mutata conditio bonorum Ecclesiæ.*
22 *Idem modus loquendi habetur in Canonibus post divisionem, qui erat ante illam.*
23 *Per divisionem factam inter Canonicos, portio pauperum & fabricæ periclitari cœpit.*
24 *Canonicis* singulariter *viventibus una portio vix sufficere potuit.*
25 *Ecclesia vitam singularem Canonicorum permittens, etiam permittit, ut singuli ex bonis Ecclesiasticis* necessaria *accipiant.*
26 *Ex bonis Ecclesiæ primùm providendum necessitatibus Ministrorum.*
27 *Non eadem est ratio bonorum, quæ nominatim in usus* pauperum, *aut* fabricæ *relinquantur.*
27 *Tenentur Clerici de bonis Ecclesiæ moderatè vivere, & superfluum pauperibus distribuere.*
29 *Quomodo semper idem fuerit Ecclesiæ sensus quoad usum bonorum Ecclesiasticorum.*

I. Ecclesia ferè antequam nata, id est, ante adventum Spiritus Sancti, imò ipso adhuc Christo Domino conversante in terris, cœpit bona quædam habere; quæ tunc in solis Fidelium voluntariis oblationibus consistebant. Una autem erat earum omnium communis massa, seu commune ærarium.

II. Dispensatio autem ærarii illius uni erat commissa, ut vel in Christi & Discipulorum ejus in Evangelii prædicatione operantium necessitates, vel in egenorum sumptus distribueretur; quemadmodum Evangelista Joannes scriptum reliquit.

Dicit enim cap. 12. sui Evangelii: *Unus ex discipulis ejus Judas Iscariotes, qui eum erat traditurus, dixit: Quare hoc unguentum non venit trecentis denariis, & datum est egenis? Dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad illum, sed quia fur erat, & loculos habens, & ea, quæ mittebantur, portabat.*

Et rursum cap. 13. *Hoc autem nemo sciebat discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Judas, quia dicit ei Jesus: eme ea, quæ opus sunt nobis ad diem festum, aut egenis ut aliquid daret.*

III. »Habebat ergò Dominus *loculos*, & à fidelibus oblata, »conservans, & *suorum necessitatibus*, & aliis *indigentibus* tribue»bat,« ait Augustinus *Tract. 62. in Joann. num. 5.* additque: *Tunc primùm Ecclesiasticæ pecuniæ forma est instituta.* Apud Gratianum *Caus. 12. quæst. 1. Can. 17.* Et *tractatu 50. num. 11.* »Exemplum Domini accipite conversantis in terra. Quare ha»buit loculos, cui Angeli ministraverunt, nisi quia Ecclesia ipsius loculos suos habitura erat? Quare furem admisit, »nisi ut ejus Ecclesia fures patienter toleraret?« Apud Gratianum *Caus. 12. quæst. 1. Can. 12.*

IV. Porrò ex forma dispensationis oblationum à Christo conversante in terris servata, habetur, quòd omnia à fidelibus oblata in unam *bursam*, sive eosdem loculos conjicerentur; ejusque cura uni scilicet Judæ Iscariotes concredita fuerit.

Secundò, quòd ea in necessitates Christi & Discipulorum, necnon egenorum sumptus ex Christi præscripto esset expendenda.

V. Hæc forma à Christo præsignata, ab Apostolis eorumque successoribus servata est quatuor, ut minùs seculis; eatenus saltem, ut alia non esset nota rerum Ecclesiasticarum divisio, quàm ipsarumet Ecclesiarum.

Sicuti enim universalis Ecclesia Christi in plures particulares Ecclesias, seu Diœceses divisa fuit; atque unicuique suus præfixus Episcopus, & Clerus; ita quoque unicuique Ecclesiæ erant suæ facultates, è quibus & ministrorum, & pauperum necessitatibus provideretur: at earum nulla erat inter Episcopum, Clerum, templorum fabricam, aut pauperes rerum illarum nota partitio; sed omnium in comuni dispensatio Episcopo erat concredita, qui eas pro singulorum necessitate & exigentia distribueret, & etiam sibi, si indigeret, applicaret, quemadmodum, tum ex Canonibus 40. & 41. vulgo Apostolorum, tum Canonibus 24. & 25. Concilii Antiochen. celebrati seculo IV. videre licet; & referuntur à Gratiano *Caus. 12. quæst. 1. Can. 22. 23. & 24.*

VI. Crediderunt nonnulli aliquam proventuum Ecclesiasticorum divisionem factam fuisse sub initio seculi IV. sedente Silvestro Papa. Isidorus enim suæ Canonum Collectioni inseruit XX. Canones cujusdam Concilii Romani habiti anno 324. præsidente S. Silvestro; in quorum quarto dicitur: »Commoneo »autem vobis omnibus mihi consortibus monimentum hoc, ut »de redditibus Ecclesiæ quatuor patres fiant, quarum una ce»dat Pontifici ad sui sustentationem; altera Presbyteris & Dia»conis, & omni Clero; & tertia templorum, & Ecclesiarum »reparationi; quarta pauperibus, & infirmis, & peregrinis.«

VII. Apposita autem est ibidem hæc nota marginalis: »Sup»posititia, & spuria videntur Hincmaro, at plerisque viris eru»ditis 20. ista capita (sive Canones) quæ Isidorus suæ col»lectioni intexuit.«

Et sanè tam multa, vel in ipsis hisce Canonibus occurrunt, quæ à temporis illius disciplina, & statu Ecclesiæ, qui tunc erat, discrepant, quæque à multis jam detecta sunt, ut nemo non videat, hæc Decreta ad Isidorianas merces meritò cum pseudo-primorum Pontificum Decretalibus epistolis esse ableganda.

VIII. Recentiùs, ac certiùs divisionis illius testimonium occurrit in epist. 9. Gelasii I. cap. 29. relata per Gratianum *Caus. 12. quæst. 2. Can. 27.* ubi scribit: »Quatuor autem tam »de redditu, quàm de oblatione fidelium, prout cujuslibet Ec»clesiæ facultas admittit (sic dudum est rationabiliter decretum) »convenit fieri portiones: quarum sit una Pontificis, altera »Clericorum, tertia pauperum, quarta fabricis applicanda.«

Hîc notandum Gelasium de hac divisione loqui tanquam dudum decreta: *sicut* DUDUM *rationabiliter est decretum.*

IX. Interrogaverat Augustinus Anglorum Apostolus Sanctum Gregorium: »De his, quæ fidelium oblationibus acce»dunt ad altaria, & quantæ debeant fieri portiones, & quali»ter Episcopus agere in Ecclesia debeat?« Respondit Gregorius: »Mos Apostolicæ Sedis est ordinatis Episcopis præ»ceptum tradere, ut de omni stipendio, quod accedit, qua»tuor fieri debeant portiones, una videlicet Episcopo, & fa»miliæ ejus propter hospitalitatem, & susceptionem, alia Cle»ro, tertia pauperibus, quarta Ecclesiis reparandis.« Refertur apud Gratianum *Caus. 12. quæst. 2. Can. 30.*

Et scribens idem Sanctissimus Pontifex Maximiano Episcopo Syracusano *lib. 3. epist. 11.* mandat, »ut sive de præteritis red»ditibus, sive de iis, qui jam obvenerunt, & obvenerint, *quar»tæ* secundum distributionem *canonicam* dispensentur.« *Causa 12. quæst. 2. Can. 29.*

IX. Porrò circa hanc rerum Ecclesiasticarum divisionem notandum imprimis, eam non arithmetica, sive æquali planè proportione institutam, aut factam fuisse; sed variam fuisse secundum consuetudinem locorum, & circumstantias, quæ nunc majorem portionem in pauperes, nunc majorem in Clericos pro horum, illorumque indigentia & numero impendendam suadebant.

XI. Querebatur apud S. Gregorium Clerus Catanensis, quòd portio reddituum Ecclesiasticorum, quæ Clero cedere debebat, non rectè distribueretur: inquirendi curam Gregorius dedit Cypriano Diacono suo: hic, factâ inquisitione, *de quarta portione Cleri* hoc tenendum statuit, ut unam portionem hi, qui in sacro loco sunt positi, & reliquas duas Clerus accipiat. At Presbyteri, & Diaconi (qui hîc dicuntur in *sacro loco, & sacrato ordine* constituti) »conquesti sunt, hoc contra *antiquam »consuetudinem* in suo gravamine præjudicialiter statutum, quip»pè quia de eadem *quarta* semper se *duas* partes, & *tertiam* »Clerum perhibent consecutum; & petiverunt, ne hæc defi»nitio suo in præjudicio permaneat.«

Ut huic difficultati, & querelæ satisfaciat Episcopus, vult S. Gregorius, ut *quartam* hanc inter Clericos, & Ministros Ecclesiæ pro singulorum meritis distribuat. »Volumus ergò (ait) »ut quidquid Ecclesiæ tuæ ex tradditu, vel quolibet alio ti»tulo fortassis accesserit, quartam exinde portionem sine dimi»nutione aliqua debeas segregare, atque eam secundum Dei ti»morem Presbyteris, Diaconis ac Clero, ut tibi visum fue»rit, discretè videre: ita sanè ut unicuique sicut meritum »laboris exegerit, libera tibi sit juxta quod provideris, lar»giendi licentia: quatenùs & hi, qui merentur, etiam tempo»rali se sentiant hoc commodo consolari, & alii, adjuvante »Domino, eorum ad melius contendant imitatione proficere.« *Lib. 7. epist. 8.*

XII. Nequaquam igitur *quarta* portio totius patrimonii Ecclesiæ assignabatur Clericis, ut ipsi *æqualibus* portionibus eam inter se dividerent; sed integra adhuc rerum Ecclesiasticarum administratio erat penes Episcopum, qui monebatur, ut *quartam* eorum portionem in Clerum, pro singulorum meritis, prout sibi videretur, dispensaret.

XIII. Similiter portionem pauperum dispensationi Episcopi mansisse subjectam, eamque pauperibus pro majore, vel minore indigentia, & meritis eorum attentis debuisse dispensari, manifestum est ex ejusdem Pontificis *epist. 29. lib. 9.* in qua monet Episcopum Neapolitanum, ut portionem Cleri, & pauperum, quam ejus prædecessor dare neglexerat, ulteriùs dispensare non differat; præscripta norma distributionis, in qua inter alia præscribit: ut »dentur hominibus *honestis*, & *egenis*, quos *publicè* petere *non permittit verecundia*, solidi »con-

» centum quinquaginta ; ita ut quidam eorum ad singulos tre-
» misses , quidam ad binos , quidam ad singulos solidos , vel si
» visum fuerit ampliùs dimittantur. Reliquis verò pauperibus,
» qui eleemosynam publicè petere consueverunt, solidos tri-
» ginta sex.“

Hîc per occasionem notare lubet , S. Gregorium pauperibus honestis , & verecundis ampliores , quàm publicè mendicantibus partes distribui velle , nempè quadruplo majores. Quod pauci satis attendunt.

XIV. Ex hactenus dictis sat manifestum est , quòd unicus Canonum , & Decretorum hanc quadripartitam divisionem statuentium scopus , & genuinus intellectus fuerit , ut ex proventibus Ecclesiasticis , merces , sive sustentatio Clericorum bonâ fide ministrantium decerperetur , pauperum alimoniæ subveniretur , ædium sacrarum sarta tecta procurarentur , non arithmetica quidem , sed rationabili distributione.

XV. Quapropter, licet non videatur in multis , extra Italiam , recepta & stabilita verbis expressis , hæc quadrimembris divisio: nihilominum omnium Ecclesiarum communis consensus fuit , proventus Ecclesiasticos in illos usus esse impendendos ; id est , ex iis Episcopos , & alios inferiores ministros sustentandos, pauperes alendos , & fabricam intertinendam.

Ut igitur concedamus erudito operum Sancti Gregorii Revisori in notis ad epistolam 31. lib. 12. *aut nullis , aut paucis in locis Galliarum hanc quartarum distributionem viguisse* ; negari tamen nequit , Canones Gallicanos voluisse , proventus Ecclesiasticos in Clericos , pauperes , & fabricam esse impendendos (a) : ut ex Concilio Aurelianensi I. celebrato anno 511. *Can. V.* aliisque plurimis Canonibus manifestum est.

XVI. Nihil proindè per ea Decreta , quæ quadrimembrem divisionem urserunt , circa naturam bonorum Ecclesiasticorum immutatum fuit ; imò nec vera eorum divisio facta fuit , sed monebantur Episcopi , ut fideliter proventus Ecclesiasticos juxta eorum naturam , & conditionem administrarent ; uti rectè notat Thomassinus de Disciplina Ecclesiæ *part.* 4. *lib.* 4. *capit.* 32. *num.* 9.

XVII. Idcircò monet etiam seculo IX. Concilium Parisiense VI. *lib.* 1. *Can. XV.* non aliter ab Episcopis esse res Ecclesiasticas dispensandas , quàm Apostolorum temporibus. Verba Canonis sunt : » Et licèt crescente fidelium devotione
» copiosissimis , ac munificentissimis eorum liberalitatibus sanc-
» ta donata sit Ecclesia , *eundem* tamen usum Apostolorum suc-
» cessores in tractandis , & dispensandis Ecclesiasticis rebus se
» servare debere meminerint.“

XVIII. Alia bonorum Ecclesiasticorum divisio facta fuit; tum per erectionem Beneficiorum , quando certi , ac determinati redditus , præsertim decimæ , & oblationes, singulis titulis annecti cœperunt ; de quorum origine & incremento actum est suprà *tit.* 18. *cap.* 1.

XIX. Altera quoque divisio , sed quæ priore posterior , & recentior est , facta fuit , dum Episcopi , & Capitula bona dividere cœperunt. Huic postmodum successit bonorum Capitularium inter ipsos divisio , quâ singulis Canonicis sua præbenda assignata fuit ; quæ divisio invaluit , dum Canonici deserta vita communi ad vitam singularem transierunt : de quo transitu actum est suprà *part.* 1. *tit.* 7. *cap.* 2.

XX. Hoc meritò notandum , quòd sicuti ipse transitus ad vitam singularem sensim contigit , dissimulante potiùs , quàm probante Ecclesia ; ita & hanc divisionem mensæ capitularis inter Canonicos, non aliquo positivo Ecclesiæ præcepto inductam, aut probatam fuisse ; sed duntaxat dissimulatione Ecclesiæ sensim invaluisse , & stabilitam esse.

XXI. Interim quæcunque facta sit , sive per Beneficiorum erectionem, sive per partitionem inter Episcopum & Capitulum , vel inter ipsos Canonicos , hoc unum contigit , ut dispensatio bonorum, quæ vel integra erat penès Episcopum, vel communis inter Canonicos in communi viventes , tandem ad ipsos particulares Beneficiatos , vel Canonicos transierit ; manente ipsâ bonorum Ecclesiasticorum natura , aut conditione invariatâ, dispensationis normâ nonnihil duntaxat immutatâ.

XXII. Hinc videmus in Pontificum rescriptis Episcoporum Decretis , Conciliorum Canonibus , etiam post eam bonorum divisionem , bona Ecclesiæ dici *Patrimonium pauperum*, *patrimonium Christi* , *res Dei* , non secus atque ante eam divisionem: uti ex Canonibus , aliisque , quæ in præcedentibus capitibus relata sunt , facilè observari poterit.

XXIII. Interim id negari nequit , quin per eam inter Canonicos Præbendarum divisionem , periclitari vel maximè cœperint illæ duæ quartæ , pauperum , & fabricæ , uti monet Boetius Epo ad *cap.* 1. *de Testamentis* , *num.* 52.

XXIV. Et revera , uti ibidem *num.* 54. notat idem Auctor : » Vix fieri potuit , ut unica quarta bonorum Ecclesiastico-
» rum pars, quæ ex illa quadripartita eorum divisione cessit re-
» liquis Clericis , omnino sufficeret ad eos extra communionem
» præsertim alendos , eò quòd sumptuosum sit alere eorum fa-
» miliam , & singulos : necessariò videtur in consequentiam ve-
» nisse , ut illa partitio quadrimembris non ampliùs observaretur,
» sed omnes omnium bonorum Ecclesiæ communium proventus
» inter solos Episcopum , & Ecclesiam reliquam dividerentur.
» Quæ quidem res & pauperibus , & fabricis , & hospitalitatis
» exercitiis, quæ non ab Episcopo solo, sed à communis vitæ so-
» ciis proculdubio frequenter fiebant , incommodiùs accidit.“

XXV. Interim dum Ecclesiæ hanc Præbendarum divisionem tolerat , patiturque Canonicos *privatim* extra vitam socialem sive communem , familiam instituere , censetur quoque permittere , ut è rebus Ecclesiasticis sibi moderatam , & honestam sustentationem accipiant, superfluis in pauperes , & alios pios usus distributis. Nam , ut post Gratianum rectè monet Boetius Epo loco citato *num.* 16. » Licèt res Ecclesiæ omnibus debeant esse
» communes , primùm tamen sibi Episcopus , & suæ Ecclesiæ
» deservientibus necessaria subministret , & reliqua , quæ super-
» sunt , fidelium usibus ministraturus.“

Hæc Gratianus post *Canonem* 27. *caus.* 12. *quæst.* 1. qui & dein infert : » Ita & Præbendæ Ecclesiarum , eadem charitate
» manente , piè & religiose possunt distribui , nec tunc rebus
» Ecclesiæ , ut propriis , sed ut communibus utilitatibus deser-
» vituris ; ut ex his , quæ sibi assignata sunt primùm sibi neces-
» saria percipiat ; si quæ verò suis necessitatibus supersunt , in
» communes usus Ecclesiæ expendat.“

XXVI. Dum ergò voluit Ecclesia , ut bona Ecclesiæ in pauperes , & fabricam distribuerentur , hoc ita perpetuò intellexit , ut primùm necessitatibus Ministrorum suorum provideretur , quibus Christus à populo alimenta , seu cibum subministrari voluit ; & cui præcepto per horum bonorum oblationem populus indubiè satisfacere voluit.

XXVII. Hinc & indubitatum est , non eodem jure bona Ecclesiæ esse res pauperum , sicuti si quid nominatim pauperibus per homines pios relinqueretur : id enim nullo jure sibi vindicare , vel inter se partiri possent Clerici ; quemadmodum benè reflectit Epo *num.* 57.

XXVIII. » Sed neque quisquam rectè negaverit (ait idem
» *num.* 58.) quin ità moderatè deceat vivere Clericos etiam de
» portionibus pro stipendio sibi destinatis, ut pauperibus , &
» egenis magnum sit ab ipsis auxilium , de quo Fundatores op-
» timè speraverunt quoad id , quod superfuerit.“

XXIX. Itaque quæcunque circa bonorum Ecclesiæ distributionem varia dispensandi norma pro temporum , & locorum conditione fuerit , aut alia Clericorum vivendi exterior disciplina intervenerit ; is perpetuus fuit Ecclesiæ circa sua bona sensus , ut ex iis suorum Ministrorum necessitatibus provideretur, & quod reliquum esset , in pauperum alimoniam , aliosve pios usus impenderetur, illaque bona semper ut *res Dei & patrimonium Christi* considerarentur , & ut talia sanctè , & fideliter dispensarentur.

CAPUT VII.

De Testamentis Clericorum.

1 *Quare vetitum Clericis jam pridem fuerit de bonis Ecclesiæ testari.*
2 *Canon vulgò* Apostolorum *idipsum vetans.*
3 *Idem probat Canon Carthaginensis.*
4 *Occasio hujus Canonis.*
5 *Monitum ad Clericos disponentes de patrimonialibus.*
6 *Justinianus inhibuit Episcopis testari de bonis post ordinationem acquisitis.*
7 *Conformiter ad Justiniani Sanctionem respondit Sanctus Gregorius.*
8 *Idem volunt plures Decretales.*
9 *Pluribus seculis duravit hæc disciplina ; & à Concilio Lateranensi sub Alexandro III. renovata.*
10 *Decretum hujus Concilii etiam de mobilibus intelligendum.*
11 *Generaliter de omnibus intuitu Ecclesiæ acquisitis.*
22 *Nec in pias causas per testamentum de his disponere* de jure *poterant ; consuetudini tamen aliquid concedi incipiebat.*
13 *Consuetudo relinquendi aliqua pauperibus à Pontifice dicitur* non improbanda.
14 *Per Rescriptum Pontificis relatum in Decretales hæc consuetudo habita ut à jure probata.*
15 *Hinc invaluit , Clericos* de jure *posse facere* rationabile *testamentum.*
16 *Seculo XIV. Synodus Coloniensis non permisit Clericis condere testamentum , nisi juxta consuetudinem jure probatam.*
17 *Quomodo hæc consuetudo sensim extensa sit , & facta Clericis libera testandi auctoritas.*
18 *Huic extensioni occasionem dedit facilitas dispensandi.*

Item

(a) *Ita in Hispania consignatos esse ait l.* 2. *tit.* 5. *lib.* 1. *Recop.*

19 *Item difficultas discernendi, quæ bona ab Ecclesia, & quæ aliunde sint profecta.*
20 *Consuetudo testandi de bonis Ecclesiasticis non ubique eodem tempore invaluit.*
21 *In Hispania recepta consuetudo permittens Clericis liberè testari.*
22 *Idem in Gallia receptum.*
23 *In Belgio nonnulli Episcopi prætendunt, Clericis ad testandum necessariam esse eorum licentiam; pro qua & certa jura prætendunt.*
24 *Academia Lovaniensis quid circa hoc observet.*
25 *Facilius Clericis, quàm Episcopis testandi licentia indulta; consuetudo tamen eam ipsis indulget.*
26 *Non eadem est Episcopis libertas in Italia.*
27 *An Regulares possint ex indulto Pontificis condere testamentum.*
28 *Quid de Rugularibus assumptis ad Episcopatum.*
29 *Consuetudo, aut licentia testandi non permittit Clericis disponere in usus profanos.*
30 *Consuetudo hæc non immutat naturam proventuum Ecclesiasticorum.*
31 *Id ipsum probat Synodus Tridentina.*
32 *Quomodo testamenta Clericorum de proventibus Ecclesiasticis in usus profanos vi consuetudinis sustineantur.*
33 *Attendendum à Clericis hac in parte Decretum Synodi Osnaburgensis.*
34 *Item Decretum Synodi Antuerpiensis.*

I. NOtavimus suprà *cap.* 4. Episcopos, aliosque Beneficiatos semper reputatos fuisse tanquam simplices rerum Ecclesiasticarum dispensatores, ut ex iis sumant quæ ad necessitates proprias sufficiant, reliqua verò in pauperes aliosve pios usus, juxta regulas Ecclesiasticas, & offerentium voluntatem impendant.

Cùm verò dispensator de rebus dispensationi suæ creditis testari nequeat, etiam Episcopis, cæterisque Clericis jam pridem vetitum de rebus intuitu Ecclesiæ acquisitis testamentum facere.

II. In Canone XL. vulgò Apostolorum, dicitur: » Sint » manifestæ res propriæ Episcopi, (si tamen habet proprias) » & manifestæ Dominicæ: ut potestatem habeat de propriis mo» riens Episcopus, sicut voluerit, & quibus voluerit, derelin» quere: nec sub occasione Ecclesiasticarum rerum ea, quæ » Episcopi esse probantur, intercidant. Fortassis enim aut uxo» rem habet, aut filios, aut propinquos aut servos. Et justum » est hoc apud Deum, & homines, ut nec Ecclesia detrimen» tum patiatur ignoratione rerum Pontificis, nec Episcopus, vel » ejus propinqui sub obtentu Ecclesiæ proscribantur, & in cau» sas incidant, qui ad eum pertinent, morsque ejus injuriis ma» læ famæ subjiciatur."

Idipsum statuitur *Can. XXIV.* Concilii Antiocheni.

Ex his manifestum est, jus quidem Episcopis fuisse, bona *propria*, id est, non intuitu Ecclesiæ acquisita, relinquere quibus velint; at de rebus Ecclesiæ non potuisse disponere.

III. Non absimile est quod *Can. XLIX.* Concilii Carthaginensis III. apud Gratianum *Caus.* 12. *q.* 3. *Can.* 1. decernitur, ut nimirùm Episcopi, & quicunque Clerici, qui nihil habentes ordinantur, debeant omnia, quæ post ordinationem comparârunt, Ecclesiæ conferre. » Si autem ipsis propriè aliquid » liberalitate alicujus, vel successione cognationis obvenerit, fa» ciant inde, quod eorum proposito congruit."

IV. Hunc Canonem referens Cardinalis Baronius ad anno. 397. scribit: » Occasio sanciendi hujus Canonis ista fuit. Cùm » reddita pace, Ecclesa ubique bonis afflueret, cùm plures ex » iis, qui eidem ministrabant, pietatem in quæstum convertentes, studio sanctitatis, & cura pauperum adjectis, divitias » colligendi ardore duntaxat flagrabant, de quibus hæc Hie» ronymus Epist. 2. ad Nepotianum: *Nonnulli sunt ditiores » monachi, quàm fuerant seculares, & Clerici, qui possident » opes sub Christo paupere, quas sub locuplete & fallace dia» bolo non habuerunt, ut suspiceret eos Ecclesia divites, quos » mundus habuit anteà mendicos.* Et paulò post: *Negotiatorem Clericum, & ex inope divitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge.* Cùm itaque hæc, ut ait Hieronymus, *Ecclesia ingemisceret*, optimè à Sanctis Patribus hujus Canonis sanctione statutum est, ut Ecclesia ipsa sibi vendicet, quæ Clericis ex rebus Ecclesiæ bona quæsivit."

V. Notat quoque apposite Ludovicus Thomassinus de Disciplina Ecclesiæ *part.* 1. *lib.* 4. *cap.* 19. *num.* 7. hæc finalia Canonis verba: *Faciant inde quod ipsorum proposito convenit*, continere salutare monitum, quo monentur Episcopi, & Clerici de proprio patrimonio disponere eum in modum, qui conveniat sanctitati professionis Clericalis.

VI. Justinianus Imperator in *L.* 42. §. 2. *Cod. de Episcopis, & Clericis*, sancivit de Episcopis: » Nullo modo habe» re eos facultatem *testandi*, vel donandi, vel per aliam quam» cunque excogitationem alienandi quid de rebus suis, quas, » postquam facti fuerint Episcopi, possederint, & acquisierint, » vel ex testamentis, vel donationibus, vel ex alia quacunque » causa: exceptis duntaxat his, quas ante Episcopatum habue» runt ex quacunque causa, vel quæ post Episcopatum à pa» rentibus, & theiis, hoc est, patruis, vel avunculis, & à fra» tribus ad ipsos pervenerunt, perventuræque sunt: quæcun» que enim post ordinationem ex quacunque causa extra præ» fatas personas ad ipsos pervenerunt, ea jubemus ad sanctis» simam, Ecclesiam, cujus Episcopatum tenuerint, pertinere, » & ab ea vindicari & evinci: nulla alia persona potestatem ha» bente, ex eo proprium quid auferre lucrum."

VII. Conformiter ad hanc Justiniani Sanctionem scribit Mariniano Episcopo Ravennæ S. Gregorius *lib.* 5. *epistol.* 1. ut inquirat in testamentum sui prædecessoris, de quo Clerus Ravennæ conquestus erat: » Ut ea, quæ de Ecclesia sua, vel de » acquisitis in Episcopatu rebus contra legum fieri statuta dis» posuit, fraternitas vestra nec auctoritatem præbeat, nec ali» qua in his ratione consentiat. Si quid autem de *propris rebus*, » quas *ante* Episcopatum habuit, quod quidem prius Ecclesiæ » suæ non contulit, fieri voluit, vel decrevit, firmum per om» nia robur obtinere necesse est."

Scribit quoque Anthemio Campaniæ Subdiacono *lib.* 7. *indict.* 2. *epist.* 53. se intellexisse, „ quòd Attelbanæ civitatis „ Episcopus, dum de hac luce migraret, *condito testamento* „ in octo unciis totius substantiæ suæ *rurum* suam hæredem ins„ tituerit, Ecclesiam suam in residuis quatuor."

Cùm verò hæc testamentaria dispositio videretur bona acquisita intuitu Ecclesiæ confundere cum bonis patrimonialibus, subjicit: „ Hortamur ergo experientiam tuam, ut solicita in„ quisitione discutias, & quidquid Ecclesiæ ipsius esse potue„ rit, à qualibet persona detineri nullatenus patiaris, nisi hoc „ solùm quod eum *ante* Episcopatus ordinem *proprium* ha„ buisse constiterit. Quidquid verò ante Ecclesiæ ipsius esse „ cognoveris, vel in Episcopatus ordine prædictum Episco„ pum acquisivisse, in ejusdem Ecclesiæ conservetur dominio; „ ne quisquam exindè aliquid usurpare qualibet occasione „ præsumat."

Refertur hoc Gregorii responsum in *Cap.* 1. ✠ *de Testamentis*, quamvis per errorem ibidem tribuatur Gregorio IX.

VIII. Eodem tendunt decreta, quæ inquiri jubent, an Presbyteri, aliique Clerici bona aliqua habuerint tempore Ordinationis, de quibus suprà *cap.* 1. ibique notatum, hanc inquisitionem unicè factam, ut sciretur, quæ bona censeri deberent provenisse ab Ecclesia; & consequenter ut talia ad Ecclesiam pertinere.

Hinc manifestum est, antiquis Canonibus vetitum fuisse, non tantùm Episcopis, sed & inferioribus Clericis quacunque ratione de rebus intuitu Ecclesiæ acquisitis per testamentum disponere.

IX. Disciplina hæc pluribus seculis perseveravit; eamque retinendam, etiam seculo XII. sancivit Concilium Lateranense sub Alexandro III. in *Cap.* 7. ✠ *de Testamentis*. Conqueritur enim Concilium, „ quòd quidam Clerici, cùm ab Ecclesiis „ suis multa Beneficia perceperint, bona per eos acquisita, in „ alios transferre præsumant. Hoc igitur (ait Concilium) quia „ *antiquis Canonibus* constat inhibitum, nos indemnitati Ec„ clesiarum providere volentes, sive intestati decesserint, si„ ve aliis conferre voluerint, penes Ecclesias eadem bona præ„ cipimus permanere."

X. Hoc decretum non solummodò de *immobilibus*, sed & de *mobilibus* intelligendum esse, declarat idem Pontifex, adversus pravos illius Decreti interpretes, in litteris ad Electum, & Capitulum Cassanense, in *Cap.* 12. ✠ *de Testamentis*, respondetque, quòd „ *generaliter* bona *quælibet* per Ec„ clesiam acquisita, *eis* (vel ut verior lectio habet, *ei*) debent „ juxta Lateranense Concilium remanere."

XI. Et ad Episcopum Vigiliensem in *Cap.* 9. ✠ *eodem* scribit, quòd Clerici „ de his, quæ *consideratione* Ecclesiæ per„ ceperunt, nullum de *jure* possunt facere testamentum: licèt de „ his, quæ paternæ successionis, vel cognationis intuitu, aut „ artificio sunt adepti, seu dono consaguineorum, aut ami„ corum *non habito respectu* ad Ecclesiam, pervenerunt ad „ ipsos, liberè disponere valeant."

XII. Hæc generalia Alexandri verba satis indicant, quòd de *jure*, sive juxta *antiquos Canones*, ne quidem ad *pias* causas de Ecclesiastica substantia Episcopis, aut Clericis licitum fuerit testari: quasi nefas esset, de rebus eorum administrationi duntaxat concessis, disponere in tempore *finitæ* administrationis.

Illud quoque luculenter indicat idem Pontifex *citato cap.* 12. dicens: „ Licèt *mobilia* per Ecclesiam acquisita de *jure* in alios „ pro morientis arbitrio transferri non possint; consuetudinis ta„ men non est improbandæ, ut de his pauperibus, & religiosis „ locis, & aliis, qui viventi servierant, sive sint consanguinei, „ sive alii, aliqua juxta servitii meritum conferantur." Ne-

XIII. Nequidem ergo de *mobilibus* per Ecclesiam acquisitis licebat Clericis *de jure* per testamentum, etiam *pauperibus*, & *religiosis* locis aliqua conferre; sed si quid hîc licere dicitur, id *consuetudini* adscribitur, quam non *improbandam* vocat Pontifex.

XIV. Consuetudo, quæ hîc *non improbanda* dicitur, & per relationem Rescripti Pontificis in Decretales Gregorii XI. quasi *jure* probata, & firmata fuit; tandem etiam *pro jure* invaluit. Unde & in Synodis post hanc Gregorianam compilationem Decretalium passim permittitur Clericis de *movilibus*, sub moderationibus in citato rescripto Alexandri III. appositis, testari.

Anno 1284. Synodus Nemausensis, titulo de *Testamentis*, ipsa verba Decreti Alexandri excribit; ipsamque consuetudinem cum suis modificationibus similiter *non improbandam* appellat: unà declarans, qualiter ipsa bona Clericorum, maximè quæ ab Ecclesia provenerunt, distribui debeant, si nullum testamentum fecerint, addito hoc notando monito: „ Adhæc, „ *quidquid* habent Clerici de bonis Ecclesiasticis, deductis ex„ pensis honestis, & necessariis, *pauperum* debet esse. «

XV. Rursus anno 1300. celebrata Synodus Bajocensis, *Cap.* 58. » Præcipit Sacerdotibus, ut *immobilia* de bonis Eccle„ siæ acquisita, tantummodò *suis* legent Ecclesiis: *de Jure*, „ enim aliud facere non possunt. De *mobilibus* autem Sacerdotes „ *rationabile* facere testamentum. «

Testamentum *rationabile* indubiè hîc aliud non est, quàm testamentum factum secundùm *jura*, sive legitimum; uti etiam notat Ludovicus Thomassinus *de Disciplina Eccles. part.* 4. *lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 10.

Hîc reflecti potest, facultatem de *mobilibus* testandi, non ampliùs *consuetudini* adscribi, sed *juri*; eò quòd *consuetudo* à jure esset probata.

XVI. Ex Synodis nostratibus eodem anno 1300. Colonien-sis *cap.* 5. præcipit: » Clerici bona, maximè immobilia, & quæ „ per Ecclesiam sunt adepti, sive per modum *testamenti*, sive „ alias non transferant ad consanguineos; sed relinquant ea Ec„ clesiæ, à qua sunt profecta. Sed intuitu *eleemosynæ*, pauperi„ bus, & religiosis, & piis locis, & illis, qui ipsis servierunt, „ sive consanguinei sint, sive alii, *aliqua* juxta servitii merita „ de *mobilibus* dare possunt. «

XVII. Verùm licèt hæc consuetudo testandi ita modificata, ut in Decretalibus Pontificum, & Synodis proponitur, esset *non improbanda*; illud nihilominus fatendum, & quotidiana experientia compertum est, quod ubi semel Canonum rigor laxatur, tametsi multis modificationibus relaxatio restrigatur, sensim modificationes illæ negligantur, relaxatio sine illis retineatur: quin & paulatim extendatur, & omnis tandem Canonum rigor enervetur, prout hîc contigisse notat Boetius Epo in Commentario ad *Cap.* 12. ✠ *de Testament. num.* 54. ubi ad verbum *aliqua* monet: » Vides ex hoc loco *paulatim* con„ suetudinem disponendi per testamenta de bonis per Ecclesiam „ quæsitis irrepsisse. Primò *parum* quid relinquendo (prout hîc „ fit) posteà *largiore* manu, donec tandem *plena* potestas om„ nium quibuslibet, etiam non pauperibus relinquendorum fuit „ arrepta, quemadmodum nunc plurimis fit in locis: minimè „ rectè sed periculosissimè, sive spectemus eos qui dant, sive „ qui ab iisdem dantibus accipiunt. «

XVIII. Huic consuetudini forsan non parùm contulit, quod lapsu temporis, Pontifices, & Episcopi faciliùs testandi licentiam, etiam liberam, Clericis indulgerent; uti notat Zypæus in Jure Novo, titulo de Testamentis, *num.* 4. ubi una scribit: „ Livinus Torrentius Episcopus Antuerpiensis facultatem „ testandi in Diœcesi Antuerpiensi omnibus fecit, salvo tamen, „ & ei reservato mobilium nummo sexagessimo redditione com„ putuum, &c. postquam scilicet animadvertisset, nemini pe„ tenti eam facultatem consuevisse negari, adeoque sine exa„ mine concedi. Itaque is publici juris fecit, ne formula peten„ dæ licentiæ, captatoria hæreditatis esse videretur."

Idipsum notavit Theodorus Tuldenus ad Codicem, titulo de *Epscopis & Clericis*, *num.* 6. ubi loquens de consuetudine, quæ abrogâsse videtur antiquos Canones vetantes Clericis de bonis Ecclesiasticis testari, ait: » Et cùm olim singuli sæpè „ testamenti factionem à Pontifice obtinerent, quidni potuerint „ eam deindè ad omnes extendere, *usum* hunc tolerando, & „ tacitè probando? «

XIX. Insuper non parùm ad firmandam hanc consuetudinem valere potuit difficultas discernendi ea, quæ ex patrimonio, aut industria, vel aliunde quàm consideratione Ecclesiæ Clericis obvenerunt, ab iis, quæ ab Ecclesia provenerunt: in tantùm ut singula penè Clericorum testamenta ob hanc bonorum confusionem, & incertitudinem litibus essent obnoxia. Itaque satiùs visum fuit, testamenta illa tolerare, & Clericorum conscientiæ relinquere, quomodo de acquisitis ab Ecclesia disponant, quam litibus omnia involvere: præsertim cùm frequenter non constet, num consanguinei, sive hæredes, quibus bona per testamentum deferuntur, reverà sint divites, an *pauperes*; quibus tanquam *pauperibus*, superflua ex proventibus Ecclesiasticis communicari possent.

XX. Quidquid sit, hoc expeditum, circa seculum XV. libertatem testandi de proventibus Ecclesiasticis, vel acquisitis intuitu Ecclesiæ invaluisse; alibi tamen tardius, alibi citius.

Legitur in Probationibus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 22. *num.* 9. ordinatio Caroli VI. Regis Galliæ, edita anno 1406. ubi inter alia dicit, » quòd bona (Ecclesiarum) per » Prælatos post eorum obitum dimissa futuris debent succesori» bus reservari in Ecclesiæ utilitatem convertenda; nisi fortè (ait) » in illis locis Regni, ubi de usu, & *consuetudine* notoriè ob» servatis, licitum sit, Prælatis ipsis, & aliis viris Ecclesiasticis » secularibus de iisdem bonis *facere testamentum*, quibus etiam » ab intestato, in dictis bonis secundum consuetudinem, & ob» servantiam supradictas sui succedunt hæredes. «

Hæc ostendunt, quòd eo tempore, hæc libertas testandi duntaxat in quibusdam locis Regni Galliæ invaluisset. Secundò quòd hæc libertas unicè inniteretur *usui & consuetudini*. Tertiò quod hoc jus consuetudinarium nondum firmiter esset stabilitum, quin de eo cum aliqua dubitatione adhuc dicitur, *nisi* FORTE *in illis locis*, &c.

XXI. De consuetudine permittente *Clericis* testandi libertatem in quosvis usus de proventibus Ecclesiasticis testatur Covarrubias de Testamentis *cap.* 7. *num.* 23. dicitque » moribus re» ceptum esse, ut Clerici *citra omnem licentiam* liberè testen» tur, & in ultima voluntate distribuant bona, quæ ex red» ditibus Ecclesiarum adepti sunt. « Additque *num.* 24. » Ca» rolus Hispaniarum Rex anno 1523. Comitiis totius Regni » Pinciæ habitis jussit, hanc consuetudinem, (b) ut legitimè „ inductam servari."

XXII. Eam quoque generaliter in Regno Galliæ receptam esse testantur passim Pragmatici ac signanter Guillelmus Benedicti, qui jam à ducentis & ampliùs annis de hac consuetudine ita scripsit ad *Cap.* RAYNUTIUS, ✠ *de Testament.* verbo. *Et uxorem*, *num.* 264. „ Pari modo fuit in eorum Regno (Gal„ liæ) consuetum, & publicè ac notoriè observatum, & per „ Ecclesiam toleratum, Episcopos, ac cæteros Beneficiatos pos„ se de fructibus suarum Dignitatum, & Beneficiorum, ac de „ bonis per eos nomine proprio, vel nomine Ecclesiæ acquisitos „ etiam de pretio ex fructibus Beneficiorum redacto *testari*, „ & aliàs inter vivos, vel causa mortis, sicut laici de suis bo„ nis liberè disponere, prout dietim faciunt."

XXIII. In Belgio nonnulli Episcopi prætendunt, Pastores, aliosque Beneficiatos sibi subditos testari non posse, etiam ad pias causas, nisi præhabita ipsorum licentia: notatque Joannes Molanus in tractatu *de Piis Testamentis*, *cap.* 40. quòd eam licentiam rigidè exigant statuta Diœcesis Leodiensis. Quæ eadem statuta dicunt: „ Pro licentiis testandi Pastoribus, & Beneficia„ tis auctoritate nostra ordinaria concedi solitis, solvetur flo„ renus Brabantiæ ad ratam cujuslibet modii: Presbyteris au„ tem nulla Beneficia obtinentibus duplex scutum Bullonicum."

Per *florenum* Brabantiæ intelliguntur duo solidi, & per *scutum Bullonicum* duodecim solidi. Non absimilis est Diœcesis Namurcensis, & forsan quorundam vicinorum locorum consuetudo, quæ ante novorum Episcopatuum in Belgio erectionem erant Diœcesis Leodiensis; cujus passim consuetudinem & privilegiorum reliquias nonnullas retinuerunt.

XXIV. Sed cùm hujusmodi licentia testandi nemini eam postulanti negetur; & videatur hæc consuetudo potius, sapere proprium interesse, quam conservationem disciplinæ, meritò Academiam hanc Lovaniensem laudat Joannes Molanus citato loco *cap.* 40. quòd licèt olim fuerit Diœcesis Leodiensis, „ omnibus suis suppositis, & professoribus, studiosis, & fami„ liaribus tanta liberalitate eam (licentiam) annuit, ut non sit „ necesse petere, quod omnibus ultrò, & gratis offert."

Hoc tamen injungunt Statuta Academica, titulo *de Piis, Legatis*: „ Executores ultimarum voluntatum suppositorum de„ cedentium, statim post mortem defuncti suppositi, cujuscun„ que etiam conditionis fuerit testamenta hujusmodi Domino » Rectori præsente Notario Universitatis, exhibeant, quam ex» hibitionem Rector & Notarius gratis admittant."

XXV. Excipit tamen ibidem Covarrubias *Episcopos*, quibus *solis* testandi licentiam necessariam asserit. Fateturque Guillelmus Benedicti loco citato, *num.* 265. „ quòd de Episco„ pis major erat dubitandi ratio, propter majorem quam ha„ bent communionem, & conjunctionem cum suis Ecclesiis, „ quàm cæteri Beneficiati ob causam matrimonii spiritualis in„ ter eos existentis."

Addit tamen Benedicti: „ Et quasi omnes Episcopi habe„ re consueverunt à Papa dispensationem testandi, & nedum „ testari potuerunt de bonis ex consuetudine, sed etiam de fruc„ tibus Beneficiorum, necnon de spoliis."

Hic nota, hunc auctorem non obscurè innuere, consuetudi-

(b) *De hac consuetudine (in Hispania antiquata) agit lex* 13. *tit.* 8. *lib.* 5. *Recop.*

dinem testandi libertatem Episcopis annuentem, ex consueta dispensatione profluxisse, uti suprà notavimus.

Mores Belgii Episcopis eandem libertatem indulgent: adeò ut licet Paulus III. Prælatos adeò fecerit inhabiles ad testandum, ut ne locis quidem piis ultra decimam partem relinqui quocunque titulo velit, omnesque contrarias testandi concessiones eò reducat in Constitutione, quam refert P. Matthæi in septimo Decretalium *lib.* 2. *tit.* 13. tamen nullius Episcopi testamentum eo nomine, quòd non habuerit facultatem testandi à Summo Pontifice in Belgio irritatum se scire dicit Zypæus in Jure novo *de Testamentis*, *num.* 7.

XXVI. Non eandem fuisse libertatem testandi in Italia satis colligitur ex specialibus privilegiis, seu indultis testandi à variis Pontificibus concessis. Et quidem refert Fagnanus ad *cap.* SI QUIS ✠ *de Peculio Clericorum*, Paulum V. anno 1606. indulsisse omnimodam facultatem incolis, & civibus Urbis, qui in ea, vel ejus districtu infra decem milliaria, non tamen extra debitam residentiam, decesserint, liberè disponendi de omnibus suis bonis etiam provenientibus ex quibuscunque fructibus, redditibus, proventibus, juribus, obvenientibus, & emolumentis Ecclesiasticis, & Beneficiorum quomodolibet qualificatorum, tam inter vivos, quam in *ultima voluntate.*

Hæc specialia indulta sat ostendunt, non fuisse in Italia consuetudine inductam eam generalem libertatem testandi de proventibus Ecclesiasticis; quod & ipse Fagnanus satis innuit, unà dicens, ambigendum non esse, quin Pontifex impertiri possit Episcopis, aliisque Clericis facultatem disponendi in vita, & in morte de fructibus Beneficiorum. (c)

XXVII. Additque ex communi Canonistarum opinione Papam etiam *Regularibus* posse dare licentiam testandi: quod tamen in Gallia non admitti passim notant Illius Regni Pragmatici; uti videri potest apud Julianum Broudæum in notis ad Louetium *Litt. C. num.* 8. & Carolum Fevretium De Abusu, *lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 10. Et in verificatione Facultatum Legatorum Sedis Apostolicæ solet inseri hæc clausula: » *Testandi* contra Pro» vinciarum consuetudines, jura Regni, ac Constitutiones in » Curia promulgatas, ullis Sacerdotia in Regno tenentibus, aut » in Cœnobiis Monasticam professis gratiam non faciat. « Vide suprà *part.* 1. *titul.* 21. *cap.* 3. *num.* 11.

XXVIII. Regulares tamen assumpti ad Episcopatum, quasi à Regula monastica soluti, non secus ac Episcopi è Clero seculari assumpti, de proventibus Ecclesiasticis tam inter vivos, quàm per ultimam voluntatem disponunt; imò si intestati decedant, ipsos proximos consanguineos habent hæredes, ex generali consuetudine illius Regni; de qua latiùs capite sequenti.

XXIX. Verùm uti rectè ibidem monet Fagnanus, neque consuetudo, neque dispensatio Papæ potestatem dare possunt Clericis, ut fructibus Beneficiorum abutantur; sive in profanos usus expendant, vel dispensent.

Similiter Martinus Navarrus in sua Apologia pro suo de Redditibus Ecclesiasticis libro, agnoscit, » esse in Hispania » consuetudinem testandi de proventibus Ecclesiasticis, cre» ditque eam validam etiam *in foro conscientiæ* quoad testandum » intuitu pietatis, paupertatis, remunerationis, & debiti so» lutionis; & nullam esse consuetudinem præscriptam & vali» dam testandi pro libito in *profana* sine aliquo prædictorum in» tuitu: quamvis in multis Regnis, & Provinciis extra Ita» liam, & in aliqua ejus parte justè in foro exteriori toleretur » consuetudo, ne testamenta Clericorum ob hoc in judicium de» ducantur, & servari jubeantur ad obviandum frequentissimis » litibus, quæ aliàs orirentur. «

Additque Navarrus, quòd de hac opinione admonitus Pius V. antequam licentia imprimendi fieret, responderit esse *justam*, *& sanctam opinionem.*

Videri potest Joannes Molanus *citato cap.* 40. ubi latè ostendit; licentiam testandi etiam à Pontifice obtentam, non dare facultatem disponendi in usus profanos.

XXX. Neque enim consuetudo, aut dispensatio testandi mutat vel alterat naturam, & conditionem proventuum Ecclesiasticorum, manetque onus dandorum superfluorum pauperibus annexum proventibus Ecclesiasticis; unde, nec ullâ consuetudine quantumvis *inveterata* poterit induci, ut profanos in usus Ecclesiasticis de proventibus vel testari liceat, vel ab intestato successores habere non indigentes, uti loquitur citatus Boetius Epo in Commentario ad *cap* 1. ✠ *de Testamentis*, *num.* 84.

XXXI. Quapropter Patres Tridentini, licèt haud ignorarent, in multis regnis testamenta Clericorum de proventibus Ecclesiasticis, etiam in favorem parentum non egentium tolerari, & valida reputari, nihilominus Episcopis, aliisque quibuscunque Beneficia Ecclesiastica obtinentibus » omnino inter» dicit, ne ex redditibus Ecclesiæ consanguineos, familiaresve » suos augere studeant; sed si pauperes sint, iis ut pauperibus » distribuant. «

XXXII. Sicuti ergo electio ad Beneficium Ecclesiasticum minùs digni, omisso digniore, non reprobatur quantum ad forum contentiosum, quamvis eligens in foro conscientiæ incurrat peccatum acceptionis personarum, & violationis justitiæ distributivæ sit reus (quemadmodum titulo præcedenti dictum est) ita testamenta Clericorum de proventibus Ecclesiasticis in usus profanos, aut favorem consanguineorum non indigentium, non reprobantur, sive non declarantur invalida in foro contentioso propter *odia litium*; sed non eximunt ipsos disponentes ab injustitia, dum proventus Ecclesiasticos simili modo dispensant contra intentionem offerentium, & naturam ipsorum bonorum.

Igitur Canones, in quantum vetant de proventibus Ecclesiasticis non disponi in usus profanos, nec ad ditandos parentes insumi, *absit*, ut *etiamnum non obligent*, ait Christianus Lupus tomo 1. Schol. in Canones *pag.* 484. additque *Nemo se seducat. Deus non irridetur.*

XXXIII. Meritò atendant Clerici de proventibus Ecclesiasticis disponere proponentes, hoc saluberrimum monitum Synodi Osnaburgensis anno 1628. *part.* 2. *titulo.* 11. §. 1. » Cum » in officiis charitatis, ac piæ remunerationis, primo loco illis » teneamur obnoxii, à quibus beneficium nos cognoscimus re» cepisse, facilè intelligunt omnes Ecclesiarum nostrarum Cle» rici, & Beneficiati, qui de Ecclesiæ stipendiis, ac redditibus » vivunt, ut de iis, quæ ex justa suarum rerum dispensatione » supersunt, in supremæ voluntatis declaratione, non ex car„ nali affectione, sed pro Ecclesiæ Dei utilitate disponant. Li„ cèt enim refrigescente charitate, & cupiditate, aut cura car„ nis succrescente, paulatim irrepsisse videatur, ut Clerici „ etiam de acquisitis per Ecclesiam testentur, attamen magno „ salutis periculo conjunctum est, ut mox ad Tribunal Christi „ rapiendi, deque omnibus usque ad extremum quadrantem „ rationem reddituri, carnem, & sanguinem Christo, & ejus „ Ecclesiæ, ac pauperibus præponant, magis verò securium „ voluntati, & gloriæ divinæ, rationi, & animarum saluti „ consentaneum, ut quæ ipsis ex patrimonio Christi, & bo„ nis Ecclesiasticis (quorum Procuratores, Administratores, ac „ Dispensatores dicuntur, & sunt) post honestam ipsorum „ sustentationem supersunt, ea in pios usus convertant, ac in „ cœlum præmittant in thesauris cœlestibus invenienda, & præ„ sertim Ecclesiarum (quibus adscripti sunt) pauperum, alia„ rumque piarum causarum rationem habeant, ne dum fortè „ consanguineos suos ex bonis Ecclesiasticis temporaliter locu„ pletare contendunt, rectum charitatis, & obligationis or„ dinem invertant, & sibi, aliisque damnationem acquirant.“

XXXIV. Simile motivum legitur in statutis Synodalibus editis in Synodo Diœcesana Antuerpiensi sub Francisco Sonnio anno 1576. titulo de Testamentis *cap.* 3. „ Item monemus om„ nes Clericos, ne in testamentis suis faciendis nimium tribuant „ carni, & sanguini; sed meminerint ea, quæ necessitatibus „ suis supersunt ex fructibus suorum Beneficiorum, esse verè „ pauperum, & Ecclesiæ, ac de jure ex omnibus Beneficiis „ eos tantùm posse capere stipendia vitæ suæ, cùm non habean„ tur ut proprietarii, sed tantùm ut usurarii: neque intuitu „ personæ cujusque sunt in fundationibus relicta bona Beneficio„ rum, sed intuitu Ecclesiæ, cujus servitio sunt deputati; ita „ ut ab Ecclesia honestæ vitæ stipendia tantùm promereantur, & „ capere possint. “

CAPUT VIII.

AD QUOS BONA CLERICORUM *INTESTATORUM* DEFERANTUR.

1 *Canones volunt bona Ecclesiastica post mortem Clericorum defferri Ecclesiæ.*

2 *Ante rerum Ecclesiasticorum divisionem satis constabat, quid nomine* Ecclesiæ *hîc significaretur.*

(c) *In Germania Episcopi, aliique Prælati adhuc subsunt, hodie rigori antiqui juris; nec liberam testamenti conficiendi potestatem acquirunt, nisi per indultum Summi Pontificis,* Dauth, de Testament. num. 187. *Anno* 1691. *Episcopus Hildesiensis cùm vellet testamentum peragere, dedit ei hanc licentiam Alexander VIII. Papa, cum ea extensione, ut » in » fratrum, nepotum, & aliorum consanguineorum, affinium, » & quarumcunque aliarum utriusque sexus personarum, etiam „ extraneorum (non tamen illegitimorum) aut aliàs incapa„ cium, necnon quorumcumque piorum locorum favorem, ac „ quosvis alios pios, & non pios usus, etiam nullis exigentibus Fac„ meritis, servitiis, vel causis, ac aliàs pro ipsius arbitrio, „ & voluntate liberis, & absolutis, ac toties quoties ipsi vide„ bitur, & placuerit, testari possit.“ Necessaria videtur amplissimis verbis concepta licentia, ut occurreretur omnibus dubiis, quæ ab interpretibus moveri solent. Id notat Bohemeus* Tom. 3. de Jure Eccles. lib. 3. tit. 25. num. 14. pag. 963. *In Hipania verò virtute Constitutionis Benedicti XIV. datæ anno* 1753. *non solùm non possunt Episcopi de bonis Ecclesiæ intuitu acquisitis disponere, sed neque à Sede Apostolica licentiam ad hunc effectum impetrare, l.* 11. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recopil.*

3 *Facta divisione dubitari cœpit.*
4 *Dubium decidit Alexander III.*
5 *Bona Clerici defuncti devolvuntur vel ad Congregationem, vel ad successorem in Beneficium.*
6 *Fundamentum hujus distinctionis.*
7 *Bona Episcopi, Archidiaconi, vel alterius in Dignitate constituti, ad quem devolvantur.*
8 *Devolvuntur bona Clericorum ad Capitulum, non jure hæreditario, sed jure* peculii.
9 *Consuetudo subinde bona Clericorum decedentium sine testamento defert ad Episcopum.*
10 *Decretalis Bonifacii VIII. probata à Concilio Constantiensi hanc consuetudinem supponit.*
11 *Solet hæc consuetudo restringi ad* mobilia; *& quare.*
12 *Quæ sit hac in parte consuetudo Diœcesis Leodiensis.*
13 *Consuetudo deferens mobilia Clerici defuncti Episcopo probata in Synodis Tornacensibus.*
14 *Hodie Capitula Canonicis tantùm in* mobilia *succedunt.*
15 *Privilegium datum Episcopis succedendi* Clericis *comprehendit etiam* Canonicos.
16 *Qui dispositionem rerum suarum in voluntatem alterius contulit non censetur decedere* intestatus.
17 *Quando constat sufficienter de dispositione Clerici, non censetur decedere intestatus.*
18 *Episcopi Aurelianenses olim Clericis in* mobilia *succedebant; sed id hodie abolitum asserit Choppinus.*
19 *Id conforme consuetudini Regni Galliæ deferenti bona Clericorum intestatorum indistinctè proximioribus hæredibus.*
20 *Idque etiam quoad bona Episcoporum, qui vitam monasticam professi fuerunt.*
21 *Etiam in Belgio idem obtinet.*
22 *Consuetudo non concernit bona nomine Ecclesiæ comparata.*
23 *Neque procedit, cùm ex conjecturis sat constat, defunctum voluisse Ecclesiæ relinquere.*
24 *Quomodo fructus nondum percepti dividendi inter hæredem defuncti, & successorem in Beneficium.*
25 *In aliquibus Ecclesiis computatur annus à die S. Joannis, aut alterius Sancti.*
26 *Quid circa hoc habeant Synodi Belgicæ.*
27 *In aliquibus Ecclesiis fructus non percepti cedunt Episcopo, vel Archidiacono.*
28 *Hi, quibus cedunt, tenentur curare, ut oneribus Beneficii satisfiat.*
29 *Canonicis solet dari* annus gratiæ.
30 *Cuykius Episcopus Ruremundensis eum improbat.*
31 *Nulla legitima auctoritate, & ex causa parum honesta introductus apparet.*
32 *Laudantur Canonici Lovanienses, quia annum gratiæ abolerunt.*
33 *Quo fundamento nitatur consuetudo deferens bona Clericorum ad proximos hæredes.*
34 *Hæc consuetudo non immutat naturam bonorum Ecclesiasticorum.*
35 *Hæredes ea ut bona Ecclesiastica dispensare debent.*
36 *Similiter & Episcopi in bona illa ex consuetudine succedentes.*
37 *An Canonici bona mobilia defuncti* inter se *dividere possint.*
* *Jus spoli, quod sibi vindicant summi Pontifices in bona Clericorum intestatorum.*

I. MAnifestum est ex Canonibus hactenùs hoc titulo sparsim relatis, proventus Ecclesiasticos, uti & bona ex proventibus illis acquisita, quæ post mortem Beneficiatorum supervenerant, multis seculis mansisse penes Ecclesiam, utpote ad quam & proventus illi spectare credebantur; & ipsis Beneficiatis, non nisi tanquam *usuariis* concessa, ut vita sua durante ex illis *necessaria* accipere possent: aut etiam in pauperes, & pios usus dispensarent; post mortem verò, quidquid superesset, apud Ecclesiam, tanquam proprietariam remaneret.

II. Quandiu substitit integra bonorum Ecclesiæ communio, & plena eorum dispensatio penes Episcopos mansit, nequaquam ambiguum erat quid *Ecclesiæ* nomine intelligeretur: neque per quem decedentium Clericorum proventus Ecclesiastici essent dispensandi.

III. At factâ bonorum Ecclesiæ partitione, præsertim illâ, quâ cœpit ipsorum Capitulorum mensa à mensa Episcopali dividi; & singulis titulis sui particulares proventus annecti, dispensandi, non per Episcopum, sed ipsos *singulares* Titulares, dubitatum fuit, quid nomine *Ecclesiæ*, cui proventus morientium Beneficiatorum cederent, significaretur.

IV. Hoc dubium dirimere volens Alexander III. in *cap.* 12. * *de Testamentis* declarat, quòd »nomine *Ecclesiæ*, non »Episcopus, vel Successor Clerici morientis, ubi est Colle»gium Clericorum, sed communis Congregatio intelligatur, »quæ rerum illarum debet Canonicam distributionem, & cu»ram habere. Ubi autem in loco defuncti tantùm est unus or»dinandus, is ea bona sicut & alia ipsius Ecclesiæ in Dei timo»re dispenset.«

V. Ex hac Decretali, quæ in Decretales Gregorii IX. relata, jus commune facit, res à Clericis relicta non ad Episcopum, sed vel ad Collegium Clericorum, vel ad Successorem devolvitur: quod & divisioni rerum Ecclesiæ tempore hujus Decretalis stabilitæ, conforme esse rectè advertit Boetius Epo ad hanc Decretalem.

Æquum enim est, quòd cùm illi, qui sunt de communi Clericorum Collegio, vel Congregatione, de communi massa bonorum totius Collegii, seu Congregationis separata à massa Episcopi, suas accipiant præbendas, seu portiones, etiam ad eandem massam, quidquid singulis decedentibus fortè superfuerit, redeat.

Eadem ratione æquum est, ut quidquid superest Clerico decedenti, qui vixit de proventibus, eosque & dispensavit, qui titulo Ecclesiastico sunt annexi, & huic, aut illi officio singulariter & seorsim destinati, maneat in hac singulari massa cum reliquis bonis titulo annexis; ipsique Titulari dispensatio relinquatur.

VI. »Totius igitur distinctionis hîc traditæ fundamentum »consistit in ipsorum bonorum Ecclesiasticorum, unde defunc»tus Clericus portionem suam accepit, conditione. Nam sem»per ea, quæ defuncto supersunt, ad propriam conditionem »redunt. Quare si percepta fuerint ex aliqua massa communi, »ad eandem communionem redeunt; sin autem aliundè per»cepta fuerint, eodem redire debent.« Ita Boetius Epo loco citato *num.* 14.

VII. Hinc & ibidem resolvit cum Glosographo, quòd quatenus Episcopi, Archidiaconi, aliique in dignitate constituti, »habent bona sua prorsus aliena, & separata à bonis Capitu»lo communibus (quod Episcopo ferè perpetuum est) non Ca»pitulum, sed eorum successores in officium, vel dignitatem, »præferentur: quatenus verò Præbendas habent ex communi »bonorum Capitularium corpore, seu massa, instar cætero»rum Canonicorum, Capitulum præferetur.«

VIII. Rectè autem notat Zypæus in Jure Novo *tit. de Testamentis*, *num.* 2. quòd bona Clerici defuncti »ad Capitulum, »vel Congregationem revertantur, non tam jure hæreditatis, »quàm peculii.«

IX. Hæc quidem inspecta hac Decretali, & jure communi, at speciali consuetudine, aliove titulo jam pridem, etiam post hanc editam Decretalem, Episcopi nonnulli res Clericorum, seu Beneficiatorum decedentium sibi attribuerunt, uti evidenter supponit Synodus Pictaviensis anno 1280. *Can.* 8. monens omnes, qui, Sede vacante, aliquid ex bonis Clericorum *intestatorum* acceperint, *Episcopo* restituant. Verba Canonis sunt: »Monemus omnes illos, qui de bonis Sacerdotum, vel »Clericorum Beneficiatorum *intestatorum* aliquid habuerint, Se»de vacante, *novis* vel mandato nostro restituant infra mensem.«

X. Eandem consuetudinem supponit, & non obscurè probat Bonifacius VIII. in *cap.* 9. *de Offic. Ordin. in* 6. Prohibet enim ne Episcopi, aut Abbates, seu quivis alii Regulares, vel Seculares Prælati, vacantibus Dignitatibus, Personatibus, Prioratibus, vel Ecclesiis quibuscunque sibi subjectis, eorundem bona (morientibus eorum Rectoribus, vel Ministris) *in ipsis inventa*, occupare, aut in usus suos convertere quoquo modo præsumant: »Nisi (ait) & speciali *privilegio*, aut *consue»tudine* jam præscripta legitimè, seu aliâ causâ rationabili hoc »iisdem competere dignoscatur.«

Concilium Constantiense *Sess.* 39. *tit. de Spoliis*, vetat per Episcopos, & inferiores Prælatos bona decedentium Clericorum occupari præter & contra juris communis formam, »Cons»titutione (ait) felicis Bonifacii VIII. quæ incipit, *præsenti*, super hoc edita specialiter in suo robore duratura.«

Juxta hanc ergo declarationem Bonifacii VIII. toleratur consuetudo, quæ etiam in Belgio viget multis in locis, ut Episcopi Clericis intestatis, qui non sunt de certo Capitulo, aut Congregatione, succedant saltem in mobilia: quia major præsumptio est, quòd mobilia ex proventibus Ecclesiasticis fuerint ad usus quotidianos, & necessarios comparata, quam immobilia, quæ potiùs à parentibus, tanquam patrimonialia ad Clericos devoluta supponuntur.

Magis enim indecorum, minusque conveniens statui Clericali, & conditioni proventuum Ecclesiasticorum consonum est, bona immobilia, quæ non ad necessitatem, & usum quotidianum comparari solent, ex bonis Ecclesiasticis parare, quàm *mobilia* (d), quæ necessitatibus, & usibus quotidianis deservi-

(d) *In Hispania bona mobilia, quæ in Domibus Episcopalibus, vel Archiepiscopalibus tempore mortis Præsulis deinceps invenientur, reservantur successori, ut præscriptum est in cap.* 23. 24. 25. *&* 26. *Regiæ Schedulæ die* 17. *Februarii ann.* 1771. *editæ.*

vire debent, & quodammodo necessaria sunt.

XII. In Diœcesi Leodiensi, si Pastores, Beneficiati, aut alii Presbyteri sine licentia condendi Testamentum ab Episcopo obtenta moriantur (sive condiderint testamenta, sive non) eorum mobilia pertinent ad Reverendissimum Episcopum, quo cùm Parentes, aut hæredes defuncti ordinariè conveniunt, ut mediante aliquali recognitione in jus ejusdem Episcopi surrogentur. Hanc esse modernam Ecclesiæ illius consuetudinem, mihi de ea requirenti rescriptum est. Eandem nonnullæ Ecclesiæ Belgicæ, quæ olim Diœcesis Leodiensis fuerunt, prætendunt.

XIII. Synodus Tornacensis anno 148. *cap.* 7. præcipit Decanis mobilia Presbyterorum » statim post eorum obitum sub » securo, & stricto arresto inventariari, ac inventariata tenere, quoad usque ei constiterit, an Presbyteri defuncti testamentum condiderint, vel non; si autem intestati decesserint, bona prædicta per Dominos Decanos ad majorem utilitatem vendantur, & aliter super hoc Decani disponant, quòd ipsi indigentibus, & officiariis nostris computum, & rationem loco, & tempore debitis reddere possint; si verò testati fuerint testamento approbato, bona executoribus tradi imperat. «

Hæc ad verbum renovata fuêre in Synodis anno 1509. & 1520. & in altera anno 1568. *cap.* 7. *art. ultimo*, dicitur: » Sacerdotum intestatorum mobilia secundum antiquam nostræ » Diœcesis consuetudinem nobis competere declaramus. « Hoc ipsum & posteriores Synodi confirmant.

XIV. Sicuti autem Episcopi in *mobilia* duntaxat succedere prætendunt, ita & Capitula passim, etiam in Belgio, Canonicis intestatis succedunt tantùm in bona *mobilia*; tametsi de jure communi succedere deberent in omnia bona, tam immobilia, quàm mobilia ab Ecclesia profecta, sive ex proventibus Ecclesiasticis comparata: uti notat Zypæus loco citato, *num.* 1.

XV. Scribit Innocentius III. Episcopo Altissiodorensi: „Cùm » tibi de benignitate Sedis Apostolicæ sit indultum, quòd ordinatio rerum Clericorum ab intestato decedentium liberè in tua » potestate, ac dispensatione permaneat, volens omnem materiam scandali removeri, quod aliquando inter te, & tuos » est subortum, super duobus nos consulere voluisti. Primò, an » appellatio vocabilis Clericorum, tam ad Canonicos, quàm » ad non Canonicos extendatur. Secundò, an illi, qui in voluntate, & dispensatione alterius suam committunt ultimam » voluntatem, nihil per se penitùs ordinantes, vel determinantes quid, cui loco vel personæ conferri debeat, dicantur decedere intestati. Primæ igitur consultationi tuæ duximus res„ pondendum, quòd appellatio *Clericorum* non solùm alios, sed „ & Canonicos comprehendat. In secunda verò dicimus, quod „ qui extremam voluntatem in alterius dispositione committit, „ non videtur decedere intestatus.“

Refertur hoc Innocentii Rescriptum partim in *cap.* 13. ✠ *de Testamentis*, & partim in *cap.* 28. ✠ *de Verb. S.*

Duo verò ex integro rescripto habentur. Primum, quòd vi indulti, seu privilegii Sedis Apostolicæ interdum Episcopo competat ordinatio, & dispositio rerum Clericorum ab intestato decedentium. Hoc jure usus etiam est Thomas Archiepiscopus Eboracensis ex privilegio Alexandri III. teste Matthæo Parisiensi, qui ad annum 1181. scribit: „ Eodem anno Rogerus Eboracen„ sis Archiepiscopus diem clausit supremum 12. Kalendis De„ cembris, qui adhuc vivens a Papa Alexandro privilegium im» petraverat, ut si Clericus suæ Jurisdictioni suppositus, agens » in extremis testamentum non conficeret, & propriis ma» nibus bona sua moriens non distribueret, Archiepiscopus „ haberet facultatem injiciendi manus in bona defuncti. «

Nomine *Clericorum*, & Canonicos comprehendi, ostendit ipsum Innocentii responsum, adeoque quòd excluso Capitulo, Episcopo vi privilegii competat ordinatio, & dispositio bonorum, quæ à Canonicis *intestatis* relinquuntur.

XVI. Alterum ex hoc Innocentii responso habetur, quòd si quis in dispositione, & voluntate alterius dispositionem rerum suarum contulit, non censeatur decedere *intestatus*; nimirum ad hunc effectum, ut vi privilegii Episcopo competat ordinatio rerum defuncti, tanquam is *intestatus* decesisset; uti rectè advertit Andræas Fachinæus *lib.* 5. *Controvers. cap.* 57. notans, quòd ex integro responso, seu Decretali Innocentii verus hîc intellectus *cap.* 13. ✠ *de Testamentis*, sumi debeat.

XVII. Hinc communiter statunt Canonistæ, quod si sufficienter, & legitimè quocunque modo constet de voluntate defuncti, sufficiat ad excludendum Episcopum, vel Capitulum à rebus Clerici defuncti, tametsi solemne testamentum non sit.

Unde & inter statuta Capituli secundæ fundationis erecti per Eugenium IV. in Ecclesia S. Petri Lovanii reperitur hic articulus: » Item statuimus, ac ordinamus, quòd ille non censea» tur ab *intestato* defunctus, neque poterit Decanus vel Capi» tulum de bonis ejus quomodocunque disponere, de cujus voluntate *quomodolibet* apparet per scripturam publicam, aut „ etiam *quantuncumque privatam*, seu simplicem, sive non so„ lemnem manu decedentis scriptam, aut saltem subsignatam, aut „ de ejus scientia, aut scitu sigillatam.“

XVIII. Ex Joanne Fabro refert Choppinus *Lib.* 1. *de Jurisdict. Andegavensium, cap.* 41. *num.* 1. *in nota marginali*, Aurelianenses Episcopos, & Capitula vindicare sibi bona Clericorum *intestatorum* veteri ac receptâ consuetudine: addit autem Choppinus: *Sed omnia ista progressu temporis exoleverunt.*

XIX. Verisimile est, Choppinum reflexisse ad generalem Galliæ consuetudinem, quâ receptum est, quòd exclusis Episcopo, & Ecclesiâ, vel Capitulo, bona Clericorum *intestatorum* (e) indistinctè sive mobilia, sive immobilia, undecunque provenientia, etiam ex proventibus Ecclesiasticis, devolvantur ad proximiores consanguineos, non secus ac bona laicorum; quemadmodum uno consensu tradunt Pragmatici Galliæ, uti videri potest apud Broudæum in notis ad Louetium *Lit. E. num.* 4. idque & quoad fructus Beneficii tam perceptos, quàm percipiendos: citatque plurimas particulares Provinciarum, & locorum consuetudines huic generali Gallicano conformes: monetque ex Molinæo, non tantùm Decretales, & Canones huic consuetudini generali contrarias non esse in usu, sed & Capitulorum ac Ecclesiarum particularia Statuta ei contraria, judicari nulla & abusiva.

XX. Idque etiam quoad Episcopos, qui ante Episcopatum vitam regularem, vel Monasticam erant professi: his enim *intestatis* morientibus ex generali Galliæ consuetudine in universa bona succedunt proximi de sanguine; ut passim testantur Pragmatici, & non semel judicatum fuisse refert Mornacius ad *L.* 33. *ff. de Peculio.*

XXI. Refert Wamesius *Consilio Can.* 371. arbitrariâ sententiâ per amplissimos Dominos Consiliarios Consilii Arthesiensis, hæredibus Reverendissimi Domini Richardoti Episcopi Atrebatensis, ejusdem Episcopatus perceptos, & ante illius mortem collectos, & inhorreatos fructus fuisse adjudicatos, non successori in Episcopatum.

Richardotum autem ex Ordine Eremitarum S. Augustini ad Episcopatum Atrebatensem assumptum fuisse constat.

XXII. Hæc tamen generalis consuetudo restringitur ad bona, quæ Episcopus, Prælatus, aliusve Clericus acquirit suo nomine pro se, & hæredibus suis. Si enim ea nomine Ecclesiæ comparâsset, non essent hæreditaria, ut idem Auctor ex Molinæo refert judicatum.

XXIII. Similiter si appareat de destinatione, & voluntate Clerici fundata super conjectura, & præsumptione vehementi, quòd bona exempta in usum Ecclesiæ cedere voluerit; quemadmodum in casu occurrente ibidem judicatum testatur Broudæus.

XXIV. Cùm non tantùm fructus percepti, sed & percipiendi ad hæredes pertineant, quæritur à Canonistis, quomodo fructus illius anni, quo Beneficiatus obiit, dividendi sint inter hæredes defuncti, & successorem in Beneficium: communiùs receptum est, dividendos esse pro (f) rata temporis, quo onera Beneficii tulit; eodem modo quo fructus dotis, soluto matrimonio, dividuntur inter viduam, & viri hæredes; (g) uti multis citatis Auctoribus & Parlamentorum Arrestis notat Broudæus ad Louetium *Litt. F. num.* 12.

XXV. » Et hanc computandi rationem politia tum Civilis, » tum Ecclesiastica passim recepit, « ait Zypæus *Consult.* 4. *de Succes. ab intestato*, additque: » Nisi quòd in pluribus Ec„ clesiis annum computari consuetum sit à festo S. Joannis, seu „ alterius Sancti pro cujusque Ecclesiæ observantia; eò quòd „ ad eum diem præcisè Beneficiarii residentiam inchoare pos„ sint, & debeant; & revoluto anno ad eundem diem finiant: „ unde eundem computum fructuum ratio sequitur. Atque ejus „ quidem rationis semper ea causa manet, ut ad ratam præs„ titi eo anno servitii debeatur rata fructuum, respondeatque „ ratum operæ pretium, quatenus operarius dignus est mercede suâ. “

XXVI. Huic consonat quod in Synodo Antuerpiensi sub Miræo *tit.* 8. *cap.* 22. decernitur: „ Fructus Pastoratus, aut „ Beneficii vacantis per decessum, vel cessum debentur domui „ mortuariæ pro rata temporis, quo possessor resedit post fes„ tum S. Joannis Baptistæ. “

Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 17. *cap.* 5. desiderat, ut Ecclesiis Parochialibus vacantibus, quam fieri potest citissimè provideatur de idoneis Pastoribus; „ Illique (ait) mox instituan„ tur, & sic à capta possessione, & inchoatâ residentiâ pro „ rata temporis fructibus gaudeant. “

XXVII. In aliquibus Ecclesiis fructus Beneficii solent ipsi domui mortuariæ, aut etiam Episcopo, vel Archidiacono usque ad festum S. Joannis, vel aliud festum pro varia Ecclesiarum consuetudine cedere.

XXVIII. Porrò ad quoscunque Beneficii fructus pertineant, one-

(e) *In Hispania tam testamento, quàm ab intestato succeditur in bona Clericorum. l.* 13. *tit.* 8. *lib.* 5. *Recop.*

(f) *Id est, parte, seu portione temporis.*

(g) *Vide leg.* 1. 2. 3. & 4. *tit.* 9. *lib.* 5. *Recopilat.*

oneribus Beneficii quoque satisfacere debent ; res enim transit cum suo onere : neque ferendus esset , volens lucrum amplecti , onera autem ferre recusaret ; quemadmodum in re non absimili deciditur in *Cap.* PRÆSENTI , *de Officio Ordinarii, in* VI. ubi declaratur , „ quòd si ex privilegio , aut consuetudine alicui cedant bona Beneficiati defuncti , hoc de illis bonis debeat intelligi , quæ , *solutis debitis* , si qua sint , & iis , quæ fuerint *necessaria* pro servitoribus , & ministris , ac incumbentibus oneribus , usque ad novos redditus supportandis , congruè reservatis , ex ipsis reperta fuerint superesse. “

Hinc in citata Synodo Antuerpiensi post allegata verba subjungitur : „ Ulteriores (fructus vacantis Beneficii) verò administrabit Sigillifer , & debitis *oneribus* curabit satis fieri.“

Et ita quoque videmus usu observari , in Collectoribus Episcoporum , qui vacantium , litigiosorumque Beneficiorum fructus occupant , ait Wamesius *Consilior. Can.* 372. quòd nimirum oneribus Beneficiorum satisfaciant pro rata temporis , quo fructus accipiunt. Videri possunt quæ *de portione congrua danda Vicario* , seu *Deservitori vacantibus Ecclesiis Parochialibus*, dicta sunt *tit.* 22. *cap.* 5.

XXIX. In pluribus Canonicorum Collegiis consuetudo habet , ut fructus unius , aut subindè plurium annorum cedant integri ipsi domui mortuariæ ; vocarique solet *annus gratiæ* (h); de quo *anno gratiæ* latè egit Henricus Cuykius Episcopus Ruremondensis in epistola parænetica ad universum suæ Diœcesis Clerum de moderatione Cleri , testamentariis tabulis Eclesiasticorum , & *anno gratiæ* abolendo.

XXX. Hic multis hunc *annum gratiæ* improbat ; notatque, quòd ferè non alii quàm Canonici hunc *annum gratiæ* habeant; „ qui non solùm viventes de proventu Ecclesiæ sustentari volunt ; sed *annum* quoque *gratiæ* sibi ipsis indulgent ; ut qui „ in manes etiam suos benefici esse volunt. “

XXXI. „ Quæro igitur (ait Cuykius) quo jure hic annus „ invaluit ? Quo percipientium merito? Quibus auctoribus ? Et „ quis probaverit ? An Apostolica Sedes ? An Ordinariorum „ auctoritas? Neutrum horum dici potest. Sibi ipsis ergo hanc „ faciunt gratiam , qui ab Ordinariorum sese eximunt auctoritate , nec dirigi , nisi à se ipsis volunt. Quid mirum si impingant ? Non igitur Pastores , non Episcopi , non Beneficiati „ alii , sed *Canonici soli* , consensu mutuo hunc, quem dixi, *annum gratiæ* adinvenerunt. Quo verò consilio ? Aut quâ necessitate ? Nempe quòd usu veniret interdum , ut rerum suarum decoctores , quales sunt *intemperati* , *ebriosi* , *veneri*, *ac ventri dediti* , *aleatores* , *ignavi* , *ac torpidi Canonici*, „ cum multo ære alieno ex hac vita discederent , nec superesset, „ unde conflata debita possent dissolvi. Inde cœpit ille annus „ gratiæ ; ut è proventu Præbendæ ejus , qui mortuus esset, „ æs alienum dissolveretur. Irritamentum hoc fuit multis ad „ contrahendum debita plura , & graviora : & quidem tanta „ interdum , ut extinguendis illis nec annus gratiæ quidem possit sufficere. Quis non reputet injustum , ut qui ad Canonicatus accedunt , & chori , ac templi onera subeunt , propter „ ejusmodi decoctores , debito frustrentur proventu ? Et qui „ mortem obierunt , pro eo tempore , quo nullum Ecclesiæ „ præstant obsequium , fructu illius fruantur ? “

XXXII. Deindè ostensâ hujus *anni gratiæ* injustitiâ , laudat Canonicos Ecclesiæ S. Petri Lovanii , quòd hunc annum gratiæ aboleverint , optatque ut eorum exemplum alii sequantur. „ Quamobrem laudandi Lovaniensis D. Petri Canonici , qui „ ante sex , septemve annos , etsi primi anni sui fructu propter „ annum gratiæ, qui antecessoribus cesserat , spoliati omnes fuissent ; his persuasi rationibus , & propter Pontificiam prohibitionem illam , quæ annum gratiæ ubique abolere voluit , liberâ voluntate , & prorsus heroicâ virtute , toto suffragante Capitulo , annum gratiæ ita penitùs abrogaverunt , ut nulla „ jam apud illos ejus extet memoria. Imitati etiam sunt nostri „ Rurimundenses Canonici ; & re penitùs introspectâ , hunc non „ gratiæ , sed meræ injustitiæ annum , pro se , suisque posteris „ contemnendum quoque putaverunt. Optandum sanè ut cæteri omnes aliarum quarumlibet Ecclesiarum Canonici , ad „ eandem justitiæ normam redigantur ; nec mortuos in posterum sinant in labores viventium introire , nec rationem ullam „ habendam putent decoctorum illorum , qui suam profundunt „ substantiam , nullum finem facturi conflandi debita , nisi ex „ auctoritate ad disciplinam , & parsimoniam revocentur , nisi „ tutoribus subjiciantur , nisi subdantur correctioni : quæ una „ & sola ratio est , qua illi , qui Christi decoquunt patrimonium , in ordinem redigantur.“

XXXIII. Consuetudo transmittens proventus Ecclesiasticos , aliaque ex redditibus Ecclesiasticis , aut ab Ecclesia profecta ad proximos de sanguine ipsius Beneficiati , videtur eodem fundamento niti , & eodem titulo tolerari , quo nititur , & toleratur consuetudo testandi *validè* de eisdem proventibus , & bonis , etiam in favorem consanguineorum divitum : nimirum propter *odia litium* ; sive ne lites nimium multiplicarentur, dum bona patrimonialia , aut aliundè quàm ab Ecclesia profecta , à bonis Ecclesiasticis essent secernenda.

XXXIV. Unde sicuti consuetudo sustinens validitatem testamenti quoad dispositionem bonorum Ecclesiasticorum , horum naturam , seu conditionem non immutat : ita nec hæc , quæ Clericorum intestatorum bona undecunque obvenientia defert ad proximos de sanguine.

XXXV. Itaque bona Ecclesiastica ad hæredes sive ex testamento , sive ab *intestato* devolvuntur sub eadem conditione & onere , quibus fuerunt apud defunctum : neque per hanc translationem quidquam de natura horum bonorum immutatur; sed ipsi hæredes ea , ut bona Ecclesiastica dispensare debent; & credere , quòd sicut defuncto Clerico non licuit de iis luxuriari , & in profanos usus expendere ; sic nec ipsis liceat; utpote qui bona illa cum eodem onere ex persona defuncti acceperunt.

XXXVI. Scribit Thomas Cantipratanus *lib.* 2. *cap.* 55. relatum de Venerabili Guillelmo Episcopo Parisiensi , quòd cùm nuntiaretur ei „ quendam Canonicum Ecclesiæ Parisien„ sis intestatum decessisse , & ipse de jure Canonico in tribus „ millibus marcharum succedere debere , eidem , complosis ma„ nibus , respondit : Absit hoc à me ; sed heu misero pecunia „ sua secum sit in perditionem : & hæc dicens , præcepit pecu„ niam in usus pauperum erogari.“ Addit dein Cantipratanus: *Benè & dignè dixit* , *& fecit.*

Neque alia fuit mens Patrum Concilii Toletani anno 1566. qui *Act.* 2. *cap.* 18. decreverunt : „ Bona quæcunque eorum „ Clericorum , qui *intestati* moriuntur , ad Episcopum vel „ consuetudine , vel alio quocunque jure pertinentia , ac de„ voluta , per eundem Episcopum in *pios* tantùm usus ejus ar„ bitrio expendantur.“

Synodus Coloniensis anno 1536. *parte* 13. *cap.* 11. ait: „ Ubi Sacerdos nostræ Diœcesis Coloniensis mortuus est *intes„ tatus* , bona ipsius præter patrimonialia , quæ hæredibus ce„ dunt , deducto ære alieno , & funerabilibus , in *piam* causam „ pro defuncti animæ salute convertantur.“

XXXVII. Joannes Molanus in suo tractatu *de Piis Testamentis* , *cap.* 41. notans quòd Alexander III. in citato *cap.* 12. ✠ *de Testamentis* , velit , ut dum Clerici intestati decedunt, communis Congregatio rerum ab ipsis relictarum debeat *Canonicam distributionem* , *& curam* habere ; vel successor ea bona *in Dei timore dispensare* , concludit , quod „ à decentibus „ absque testamento , Ecclesiæ suo jure accedit , hoc non vi„ deri à Canonicis *in privatum* singulorum usum dividi posse; „ sed in *Dei timore* dispensandum esse , ut & animæ defuncti „ prosit , & in *communem* totius Ecclesiæ utilitatem redundet.“

Itaque (ait Molanus) si qui Canonici sordida quærant compendia , discant , quid sit *Canonica distributio*, ubi Alexander scribit , „ communem Congregrationem rerum illarum debe„ re *Canonicam distributionem* , & *curam* habere. Si enim in„ telligant distributionem in capita Canonicorum , vehemen„ ter falluntur ; si autem intelligant distributionem secundum „ Canones , rectè intelligunt.“

Unde laudandum jam nominatum Capitulum Canonicorum secundæ fundationis , quòd nihil in utilitatem Canonicorum vult applicari , sed juxta verisimilem mentem defuncti omnia dispensari. „ Item statuimus , & ordinamus , quòd si contingat „ quem ex nostris Canonicis decedere intestatum , de cujus „ voluntate non appareat per quamcunque scripturam , etiam „ minùs solemnem , quod in illum eventum Capitulum dabit „ duos executores , qui de ejus bonis derelictis pro funeralibus, „ ac debitis legitimis , pro hæredibus , ac aliàs ad *pios* usus ap„ plicandis habebunt legaliter dispensare secundum *verisimilem* „ mentem , ac voluntatem taliter decedentis.“

* Statuto Alexandri III. de successione Clericorum , Innocentius IV. derogavit statuto , quod evulgandum censuit, & per Angliam publicari fecit , ut *si Clericus ex tunc decederet intestatus , ejusdem bona in usus Domini Papæ converterentur*; uti refert Matthæus Parisiensis ad annum 1246. *pag.* 706. qui statutum hoc tanquam *novum* , *& inauditum* , & notam cupiditatis manifestæ præferens reprobat.

„ Refert & ibidem, quòd Papa negotium hoc Fratribus Præ„ dicatoribus , & Minoribus præceperit diligenter exequendum. “

At verò statutum hoc *novum*, *& inauditum* mirum in modum turbâsse Angliam , nec plenam suam habuisse executionem , sat cons-

(h) *Annus gratiæ à Germanis dicebatur annus ab obitu alicujus Canonici , cujus fructus vel ab aliis Canonicis retinebantur , vel ad utilitatem Ecclesiæ impendebantur in damnum successoris. Hunc annum prohibuit Concil. Trevirense an.* 1310. *his verbis* : „ *Statuimus..... ut nulli Canonico talem annum, „ talisque anni redditus liceat retinere..... Sed ad instituen„ dos successores Canonicos transeant pleno jure.* “ Vide Marten. tom. 4. Anecdoctorum col. 247. *In Hispania circa hoc variæ sunt consuetudines , & Indulta Apostolica , quæ ita ut sunt, observari debent.*

constat, ex his, quæ ibidem occasione hujus statuti scribit citatus Historicus.

Scribit enim, quòd „cùm audisset Dominus Rex, detestans „ Romanæ Curiæ augmentosam, ac multiplicem, & multifor„ mem avaritiam, hoc fieri prohibuit, comperiens illud in dam„ num Regni, & suum redundare præjudicium."

Et quidem tantum scandalum per universam Angliam hoc statutum causabat, & Curiæ Romanæ avaritiam tantoperè prodebat, ut, referente eodem Historico, per idem tempus (anno 1247.) propter scandalum indecenter per diversa climata ventilatum, cogentibus Cardinalibus, revocatum sit, quod paulò ante à Domino Papa, instigante manifestâ avaritiâ, fuerat constitutum; & ad quod fratres Minores in damnum, & scandalum eorum, & sui Ordinis læsionem, exequendum procuratores constituerat, ut videlicet bona decedentium intestatorum in usus proprios Dominus Papa sivi vindicaret.

Similiter & in Regno Galliæ Pontifices Romanos hoc jure usos fuisse, notanter seculo XIV. & XV. constat ex Historicis illius temporis, necnon querelis Episcoporum, Prælatorum, & Capitulorum, quin & Universitatis Parisiensis, atque Edictis & Ordinationibus Regiis, notanter Caroli VI. ad prædictas querelas ob varias Curiæ Romanæ exactiones, relatis inter probationes libertatum Ecclesiæ Gallicanæ, *cap.* 22. ubi *num.* 8. referuntur Litteræ Regiæ contra exactiones Curiæ Romanæ; atque inter cætera narratur per Procuratorem Regium expositum: » Cùm Episcopum in Regno nostro ab hac » luce migrare contingit, Collectores, & Subcollectores Sum» mi Pontificis in Provinciis quibus subsunt hujusmodi Episco» pi, ipsius Summi Pontificis auctoritate, bona mobilia & im» mobilia, ex decessu talium Episcoporum relicta, etiam illa, » quæ per suam industriam quæsierunt, quæ ampliùs ipsorum » Episcoporum non sunt, neque censentur; sed ad suos hæ» redes, aut eorum executores spectant, capiunt, & nihil de » his in reparatione, aut refectione ædificiorum, & aliorum » hereditariorum dictorum locorum Episcopalium, eo casu con» vertentes, nullâ etiam solutione, aut satisfactione dictorum » Episcoporum creditoribus factâ, per Collectores, aut Sub» collectores prædicta bona hæredibus Episcoporum sic dece» dentium (qui ditiores inde nobis honestiùs in guerris nostris, » & alibi juxta statutus eorum servire possent, & deberent) » totaliter amovendo, ac ipsos contra jus, & consuetudinem » exhæredando in juris nostri Regaliæque post obitum dicto» rum Episcoporum nobis in iisdem Ecclesiis competentis, ac » totius Reipublicæ præjudicium non modicum & gravamen. «

In litteris quoque Caroli VI. Regis Galliæ de anno 1406. relatis ibidem *num.* 9. rursus legitur querela procuratoris Regii super variis exactionibus Curiæ Romanæ, quibus Ecclesia, & Clerus Regni Galliæ mirum in modum deprimebantur, & exhauriebantur; atque inter alia, quòd » aliqui Collectores, & » alii Officiarii Romanorum Pontificum præsertim Papæ mo» derni, ab aliquibus annis citra Ecclesiam, & viros Eccle» siasticos præfatorum Regni & Delphinatus nostrorum, con» tra prædicta, plurimis, jugibusque, & insoportabilibus ser» vitutibus oppresserunt, & afflixerunt, potissimè *bona Præla» torum, & virorum Ecclesiasticorum decedentium, tam Re» gularium, quàm secularium*, quæ *spolia defunctorum* inter„ dum nuncupantur, reservando, & usurpando, &c."

Ex iisdem ibidem relatis habetur, variis Regum Ordinationibus & Edictis, similes Curiæ Romanæ exactiones vetitas fuisse: unde nec hodie in Regno Galliæ, nec hîc in Belgio Pontifices Romani hoc jure utuntur, aut quidquam *jure spolii* è Clericorum defunctorum relictis mobilibus, aut immobilibus Camera Apostolica sibi attribuit.

Nec in Gallia, nec in Belgio recepta est Constitutio Pauli III. aut subsequentium Pontificum, quibus hoc jus spolii Cameræ Apostolicæ vindicant, & quas Petrus Mathæi inseruit septimo Decretalium lib. 3. sub titulo, *de Spoliis Clericorum.*

TITULUS XXXIII.

De Decimis, & Oblationibus.

CAPUT I.

DE ORIGINE DECIMARUM, ET QUO JURE DEBEANTUR.

1 *Præceptum veteris legis de solvendis* decimis *per Christum renovatum non est.*
2 *Præceptum hoc ab Ecclesia, etiam in quantum judiciale, renovari potuit; & quæ ratio renovandi.*
3 *In veteri lege hoc præceptum etiam erat partim* morale.
4 *Hodie partim ex jure naturali, partim ex jure humano decimæ debentur.*
5 *Incertum, quando præceptum de solvendis decimis populo Christiano datum fuerit: tribus primis seculis datum non est.*
6 *Cessante persecutione Imperatorum Ethnicorum fidelis populus de decimis solvendis moneri cœpit.*
7 *Adhortatio S. Hieronymi ad solutionem decimarum.*
8 *Sanctus Chrysostomus earum solutionem multùm ursit.*
9 *Eas commendavit S. Augustinus.*
10 *His Patrum exhortationibus multi ad decimas solvendas adducebantur.*
11 *Nullum tamen adhuc erat præceptum de decimis.*
12 *Sermo de* decimis solvendis *falsò S. Augustino adscriptus.*
13 *Consuetudo decimas solvendi sensim invaluit; & unde.*
14 *Seculo VI. Episcopos coegisse laicos ad solvendas decimas constat ex Constitutione Justiniani Imperatori.*
15 *Occasione hujus legis invaluit consuetudo apud Græcos non solvendi decimas.*
16 *Alia apud Græcos tributa in subsidium Sacerdotum sunt.*
17 *Obligatio decimas solvendi in aliquibus Ecclesiis Latinis seculo V. videtur fuisse.*
18 *Seculo VI. præceptum de solvendis decimis expressit Synodus Matisconensis.*
19 *Nullum antiquius de decimis solvendis præceptum creditur.*
20 *Capitularia Regum Francorum eam obligationem apertè edicunt.*
21 *Principes ad earum solutionem populum constringebant seculo VIII.*
22 *Quàm solicitè decimarum solutionem urserint Principes, patet ex lege Longobardorum.*
23 *Noluerunt tamen constringi populum mediante* juramento.
24 *Non facilè permittenda in solutione vectigalium exactio juramenti.*
25 *Non ubique solutio decimarum æqualiter recepta, & stabilita.*
26 *Decreta de solvendis decimis generaliter concipiebantur seculo X.*
27 *Pontifices aliquando generaliter Responsa exprimebant, attenta loci consuetudine.*
* *Unde invaluit opinio decimarum institutionem ut divinam, & quæstiones in hac materia exorientes, ad forum Ecclesiasticum spectare.*
28 *Omissa mentione consuetudinis eorum fragmenta in Decretales Gregorii IX. relata.*
29 *Responsum Alexandri III. de decimis etiam* apum *solvendis, mutilatè in Decretales relatum.*
30 *Ad responsa Pontificum ut in Decretales relata, respexerunt posteriores Synodi auctores.*
31 *Cœlestinus III. voluit etiam de* militia *decimas solvendas esse.*
32 *Indicat earum solutionem ex traditione Sanctorum Patrum descendere.*
33 *Allusit ad sermonem falsò tributum S. Augustino.*
34 *Ex hoc responso Cœlestini receptum est, decimas etiam personales de jure debitas esse.*
35 *An antiquiùs de his solvendis extet præceptum.*
36 *Aliæ decimarum species qua occasione invaluerint.*

I. IN lege Mosayca, decimas ex fructibus, & frugibus terræ debitas fuisse Levitis, & Sacerdotibus Veteris Legis dubium non est: ac præceptum illud tanquam judiciale, & merè positivum, Lege Mosayca per mortem Christi quoad judicialia & cæremonialia mortua, etiam cessâsse: neque per Christum, aut Apostolos Christianis datum præceptum esse, ut *decimam* partem fructuum Clero, seu Sacerdotibus Novæ Legis solvere teneantur, hodiè à Canonistis, & Theologis sat communi consensu recipitur.

II. Hanc sententiam probat S. Thomas 2. 2. *quæst.* 87. *art.* 1. *in Corp.* ubi unà imprimis monet, præceptum de solvendis decimis datum in Veteri Lege fuisse unum ex præceptis *judicialibus*; quæ quidem per Christum cessârunt; sed renovari potuerunt auctoritate, eorum, quorum est condere Legem.

Secundò docet, » quòd determinatio decimæ partis solven» dæ, sit auctoritate Ecclesiæ, tempore Novæ Legis instituta, » secundum quandam humanitatem: ut scilicet non minùs po» pulus Novæ Legis ministris Novi Testamenti exhiberet, quàm „ po-

„ populus Veteris Legis ministris Veteris Testamenti exhibebat.“

III. Tertiò monet ibidem, præceptum de solvendis decimis etiam tempore Veteris Legis partim fuisse » *morale* inditum naturali ratione. Quòd enim eis, qui divino cultui ministrabant » ad salutem populi totius, populus necessaria victus ministraret, ratio naturalis dictat.“

IV. Ex his concludit: „ Sic ergo patet, quòd ad solutionem decimarum homines tenentur, partim quidem ex jure naturali, partim etiam ex institutione Ecclesiæ. Quæ tamen, „ pensatis opportunitatibus temporum & personarum, posset „ aliam partem determinare solvendam.“

Hæc Doctoris Angelici conclusio unanimi Theologorum, & recentiorum Canonistarum calculo probatur, & ubique gentium usu recepta est, explosâ quorumdam antiquorum Canonistarum opinione, qui volebant, populum Christianum ad specificam, ac determinatam decimarum solutionem, non minùs quàm populum Judaicum, præcepto *divino*, nulla consuetudine abolendo, obligari.

V. Ad illud non æquè compertum, quandonam præceptum de solvendis decimis populo Christiano impositum sit.

Id sat expeditum videtur, tribus primis Ecclesiæ seculis, adhuc serviente Imperatorum Ethnicorum persecutione in Christianos, decimas nondum solvi solitas; nec inter Ecclesiasticos proventus numeratas fuisse.

Sanctus Cyprianus libro *de Unitate Ecclesiæ*, ait: *At nunc de patrimonio* nec DECIMAS *damus*. Et Epistola 66. ad Clerum, & populum Furnitanorum, ostendere volens, Sacerdotes per secularia negotia ab Officio Altaris non esse abstrahendos; atque propterea in Veteri lege assignatas fuisse decimas de fructibus terrarum, quæ aliis Tribus erant assignatæ, subjungit: „ Quæ „ nunc ratio, & forma in Clero tenetur, ut qui in Ecclesia „ Domini ordinatione Clerica promoventur, in nullo ab ad„ ministratione divina avocentur, nec molestiis, & negotiis se„ cularibus alligentur, sed in honore *sportulantium* fratrum, „ tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari & sa„ crificiis non recedant, sed die, ac nocte cœlestibus rebus, „ & spiritu aliis serviant.“ Hæc palam supponunt, tempore Cypriani *sportulas* vicem decimarum subisse. Unde & ad illa verba Cypriani reflectens vir eruditus Nicolaus Rigaltius hanc statuit conclusionem: „ Itaque ab Apostolis ad usque Cypria„ ni tempora nulla fuit, inter Christiana subsidia, mentio de» cimarum. Usitatæ aliquandiù sportulæ. «

VI. Cessante persecutione, id est, seculo IV. & sequenti, plura de solvendis decimis, ad exemplum populi Judaici, passim in concionibus, & exhortationibus Patrum ad populum occurrunt; atque ex illis evidens est, Patres eo tempore crebris exhortationibus populum Christianum ad decimarum solutionem excitâsse.

VII. Audiamus S. Hieronymum: » Quod de *decimis*, pri» mitiisque diximus, quæ olim dabantur à populo Sacerdo» tibus, ac Levitis, in Ecclesiæ quoque populis intelligite, » quibus præceptum est, non solùm decimas dare, & primi» tias, sed & vendere omnia, quæ habent & dare paupe» ribus, & sequi Dominum Salvatorem. Quod si facere no» lumus, saltem Judæorum imitemur exordia, ut pauperibus » partem demus ex toto, & Sacerdotibus, ac Levitis hono» rem debitum deferamus.“ *In cap. 3. Malach.*

VIII. Decimas quoque laudabat, & ad eas offerendas excitabat populum suum S. Joannes Chrysostomus *Hom.* 5. in Epistolam ad Ephesios, asseverans, Christianos longè arctiùs quàm Judæos ad eleëmosynas obligari, adjungens: „ Nam » quid Judæi non faciebant? *Decimas* & rursum decimas præ» bebant orphanis, viduis, proselytis. Sed mihi quidam de » altero dicebat: Hic, aut ille dat decimas. Quanto est hoc » plenum probo & dedecore. Si quod apud Judæos non habe» batur in admiratione, hoc apud Christianos factum est ad» mirabile? Si tunc erat periculum decimas non relinquere, co» gita quantum nunc sit. « (i)

IX. Et sub ibidem tempus S. Augustinus idem urget in Enarratione in *Psalmum* 146. dicens: » Decimas vis? de» cimas exime, quanquam parum sit. Dictum est enim, quia » Pharisæi decimas dabant: jejuno vis in sabbatho, decimas » do omnium, quæ possideo. Et quid ait Dominus? *Nisi* abun» daverit justitia vestra plus quàm Scribarum, & Pharisæo» rum non intrabitis in regnum cœlorum. «

X. Quin his justis & fortissimis Patrum exhortationibus plures moverentur ad fructuum suorum decimas Ecclesiæ offerendas, ambigi nequit: atque unus illorum indubiè rusticus ille, qui apud Cassianum *Collatione* 14. ad Abbatem Joannem dixisse fertur, *se nunquam de fructibus suis aliquid usurpâsse, nisi prius Deo primitias eorum, ac* DECIMAS *obtulisset*.

XI. Illud tamen ex ipso modo exhortandi sat constat, Patres quidem exhortari voluisse fideles, ut ad exemplum Pharisæi, & populi Judaici de omnibus bonis sibi à Domino concessis, *decimas* Deo offerrent; sed meras fuisse exhortationes, nullum Ecclesiasticum præceptum supponentes; ipsamque solutionem decimarum eo tempore *voluntariam* fuisse, ut aliarum eleëmosynarum oblationem, non obscurum est.

Unde Christianus Lupus tom. 4. Scholiorum in Canones *pag.* 195. relatis suprà citatis verbis S. Chrysostomi, ait: » Ex » quo vides decimas tunc fuisse duntaxat *voluntarias*. Eas quip» pe non unusquisque, sed hic duntaxat, aut ille dabat, erat» que opus admiratione dignum. «

XII. Extat quidem sermo S. Augustini *de reddendis Decimis*, qui non tantùm exhortationem ad offerendas decimas continet, sed & rigidum præceptum non obscure supponis *num.* 3. » Decimæ enim ex *debito* requiruntur; & qui eas dat » re noluerit, res *alienas* invasit. Et quanti pauperes in locis, » ubi ipse habitat, illo decimas non dante fame mortui fue» rint, tantorum homicidiorum reus ante tribunal æterni judi» cis apparebit: quia rem à Domino pauperibus delegatam sui » usibus reservavit. «

Verùm hunc sermonem tanquam Augustino suppositum in appendicem rejecerunt eruditi Parisienses operum Augustini Revisores, eique hanc notam præposuerunt: » In appen» dice nunc primum collocatur: Lovanienses *dubium* reliquerant: » rejecit post Verlinum Vindingus ob id maximè, quòd de» cimas, de quibus reddendis hîc agitur, intelligere liceat ex Sermone 3. in Psalm. 103. *num.* 9. & ex enarratione Psalm. 146. » *num.* 16. & 17. nondum fuisse Augustini ætate Clericis, & » Sacerdotibus datas, aut assignatas. «

XIII. Fatendum nihilominus est, crebris hisce Patrum, & Pastorum suorum exhortationibus, Fideles ad *decimarum* oblationem multum permotos fuisse, atque in pluribus locis sensim populum decimarum oblationi, & solutioni se voluntariò submisisse: quo factum, ut tandem consuetudine invalescente, quæ voluntariæ prius fuerant, tandem in necessarias transiverint; ipsique Episcopi refractarios ad solutionem adigere cœperint.

XIV. Et quidem seculo VI. in Ecclesia Orientali Episcopos coegisse laicos ad decimarum solutionem etiam sub pœna excommunicationis clarum est ex *L.* 39. §. 1. *Cod. de Episcopis & Clericis*; ubi dicitur: » Non oportet, Episcopos aut » Clericos cogere quosdam ad *fructus* offerendos, aut angarias » dandas, aut alio modo vexare, aut excommunicare, aut » anathematizare, aut denegare communionem, aut idcircò non » baptizare: quamvis usus ita obtinuerit. «

XV. Quamvis non constet, hac lege vetitam fuisse decimarum petitionem, nihilominus hoc scitur, à multis seculis, forsan occasione hujus legis, decimarum pensationem apud Orientales esse ignotam; nec obscurum est, ad eum Orientalium morem respicere Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. in *cap.* 32. ✠ *de Decimis*; & rectè notavit Emmanuel Gonzalez in Commentario ad hanc Decretalem: ejusque moris meminit Decretalis Honorii III. cujus fragmentum extat in *cap.* 11. ✠ *de Transact.* in qua dicitur: *Licèt Episcopi Græcorum nec percipere* DECIMAS *consueverint*.

XVI. Verùm illud notandum apud Græcos certa fuisse constituta tributa pro Sacerdotum alimentis, ut constat ex Novella 3. & 43. Justiniani Imp. taxaturque hujus tributi summa in Bulla aurea Isaaci Commeni, è qua taxatione apparet, hoc tributum vices decimarum facilè supplere posse.

XVII. In quibusdam Ecclesiis Latinis decimarum solutionem tanquam necessariam, & præceptam fuisse propositam etiam seculo V. vel citatus sermo sub nomine Augustini evincit. Nam eruditi, qui eum Augustino abjudicant, Cæsareo Arelatensi, qui sub finem seculi VI. floruit, tribuendum putant.

XVIII. Hanc obligationem clariùs & certiùs seculo VI. expressit Synodus Matisconensis II. *Can.* 5. supponitque, jam multo tempore populum decimas obtulisse: » Nunc autem (ait) » paulatim prævaricatores legum penè Christiani omnes os» tenduntur, dum ea, quæ divinitùs sancita sunt, adimplere » negligunt.“

Deindè subjicit: » Unde statuimus, ac decernimus, ut mos » antiquus à fidelibus reparetur; & decimas Ecclesiasticis fa» mulantibus cæremoniis populus omnes inferat; quas Sacer» dotes in usum pauperum, aut in captivorum redemptionem » erogantes, suis orationibus pacem populo, ac salutem im» petrent. Si quis autem contumax nostris statutis saluberri» mus fuerit, à membris Ecclesiæ omni tempore separetur. «

In-

(i) *In Hispani Reges D. Ildephonsus Era* 393. *D. Joannes Era* 410. *D. Ferdinandus & Elisabeth annis* 1480. & 1501. *& Imperator & D. Joanna annis* 1534. & 1537. *ut dicitur in* leg. 2. tit. 5. lib. 1. Recop. *declarârunt omnes Deo suæque Ecclesiæ Decimas integrè debere persolvere, ac etiam ipsos Reges.*

Quod etiam declaratum & definitum est, quoad Dominia Indica in leg. 16. tit. 16. lib. 1. Recop. Indiar. *Adeò ut nemini liceat habitus Exteros recipere, ut à solutione decimarum liberetur.* Remiss. 1. tit. 5. lib. 1. Recop.

Intelligitur quoque, Patres hujus Concilii reputâsse Sacerdotes (id est Episcopos juxta phrasim illius ætatis) ut Dispensatores, non ut dominos, aut proprietarios decimarum, ut eas in usum pauperum, redemptionem captivorum, non autem divitum, aut in prophanos usus erogarent.

* Ex Canone Concilii Matisconensis saltem concluditur VI. seculo, in quibusdam partibus, fideles ad decimarum solutionem cœpisse constringi: sed quia hoc Concilium ex solis Metropolitanis, & Episcopis sub Regno Regis Guntramni constitutis, constitit, nequaquam ex hoc Canone concludi potest, generale eo tempore fuisse præceptum de solvendis decimis.

Interim in hoc Canone veram rationem impositi præcepti de solvendis decimis his verbis expressêre Patres; » Quas *Sacerdotes* in usum pauperum, aut captivorum redemptionem » erogantes suis orationibus pacem populo, ac salutem impetrent. «

XIX. Hinc evidens est præceptum de decimis solvendis; creduntque non pauci, legem Ecclesiasticam positivam, quæ de solvendis Decimis extat, esse antiquissimam, atque ante hoc Decretum solutionem decimarum vel voluntariam fuisse, vel solâ consuetudine, vel fidelium usu stabilitam.

XX. Non sine fundamento creditur ante tempora Caroli Magni quoddam de solvendis decimis præceptum extitisse. In Capitulari, quod imperante Carolo datum est anno 801. *cap.* 6. decernitur: » Ut unusquisque Sacerdos cunctos sibi pertinentes erudiat, ut sciant, qualiter decimas totius Facultatis Ecclesiis divinis debitè offerant. « Baluz. *tom.* 1. *Capit. pag.* 359.

Admodum notandum est quod *cap.* 7. ibidem adjungitur: » Ut & ipsi Sacerdotes populi suscipiant decimas, & nomina » eorum, quicunque dederint scripta habeant, & secundum » auctoritatem Canonicam coram testibus dividant & ad or» namentum (k) Ecclesiæ primam eligant partem, secundam » autem ad usum pauperum, vel peregrinorum, per eorum ma» nus misericorditer cum omni humilitate dispensent; tertiam » verò sibimet partem ipsis soli Sacerdotes reservent. «

Huic non absimile est, quod anno 813. decretum est in Concilio Turonensi *Can. XVI.* » Ut decimæ, quæ singulis da» buntur Ecclesiis, per consulta Episcoporum à Presbyteris » ad usum Ecclesiæ, & pauperum summâ diligentiâ dispen» sentur. «

XXI. Imò quod ampliùs est, ab eo tempore non tantùm Episcopi, sed & Imperatores, & Principes populum ad solvendas decimas constrinxerunt. Libro 2. Capitularium Regum » Francorum *cap.* 39. editionis Baluzianæ, legitur: Qui de» cimas post creberrimas admonitiones, & prædicationes Sacer» dotum solvere neglexerint, excommunicentur. Juramento » verò eos constringi nolumus propter perjurii periculum. « Idem reperitur in Concilio Cabilonensis II. *Can. XIX.*

Sed & per auctoritatem Regiam refractarios cogi volebant. » De Decimis, quas populus dare non vult, nisi quolibet mo» do ab eo redimantur, ab Episcopis prohibendum est ne » fiat. Et si quis contemptor inventus fuerit, & nec Episco» pum, nec Comitem audire voluerit, si noster homo fuerit, » ad præsentiam nostram venire compellatur. Cæteri verò dis„ tringantur, ut inviti Ecclesiæ restituant quod voluntariè da„ re neglexerunt."

XXII. Ita ann. 829. Ludovicus Pius in Capitulari Wormatiensi *tit.* 1. *cap.* 6. & repetitur *lib.* 5. *Capitularium Regum Francorum*, *cap.* 101: & illius fragmentum retulit Gratianus *Caus.* 16. *quæst.* 7. *Can.* 7. ac integrum insertum est legibus Longobardorum *lib.* 3. *tit.* 3. *cap.* 8. ubi *cap.* 6. refertur hæc notabilis lex Imperatoris Lotharii, è qua patebit, quàm solicitè, & seriò voluerint à subditis decimas exsolvi: „ De decimis „ ut dentur, & dare nolentibus, secundum quod anno præ„ terito denuntiatum est, à ministris Reipublicæ exigantur; & „ eligantur quatuor vel octo homines optimi, prout, si opus „ fuerit, de singulis plebibus, juxta qualitatem uniuscujusque „ plebis, ut ipsi inter Sacerdotes, & plebem testes existant; „ ubi datæ vel non datæ fuerint. Hoc autem ideò tantos testes „ esse diximus, ne ibi juramentum aliquod faciendum neces„ sitas contingat. Non tamen omninò tantos testes mittendos „ esse dicimus, ut ipsos semper omnes in dandis decimis præ„ sentes esse pariter necesse sit; sed dum pluribus committi„ tur, minus graventur: duos autem testes, si adfuerint, suffi„ cere credimus, negligentes autem à Presbyteris Ecclesiarum „ admoneantur, usque ad tertiam vicem, ut ipsi decimam dent. „ Quod si contempserint, ab introitu Ecclesiæ prohibeantur; & „ si hoc minimè emendaverunt, à ministris Reipublicæ distric„ ti, singuli per caput sex solidis Ecclesiæ componant, & in„ super dare decimam cogantur. Nam si iterum contemptores „ existant, & per publicam auctoritatem domus vel casæ eo„ rum giffentur (l), quousque pro ipsa decima, sicut suprà „ dictum est, satisfaciant. Quia si denuò rebelles, vel con„ tradictores esse voluerint, & super ipsam guiffam, suâ auc„ toritate præsumpserint introire; tunc à ministris Regis in „ custodiam mittantur usque ad judicium, dum postmodum „ perducantur, & ibi secundum legem ad Comitem, vel ad „ partem publicam componant. Reliqua verò decima, ut suprà „ dictum est, & sex solidis ad Ecclesiam satisfaciant."

XXIII. Hîc meritò notatur, quòd & Carolus M. in citato Capitulari, & ipse Lotharius tam solicitè caverint, ne ad solutionem decimarum populus juramento constringeretur; idque, ut expressit Carolus, *propter periculum perjurii*; quæ reverà cautio notanda à Principibus, & Magistratibus, ne facilè subditos suos juramentis involvant, ob evidens periculum in perjurii crimina prolabendi.

XXIV. Hoc fundamento dum nuper Theologis & Jurisperitis Lovaniensibus propositus esset hic casus: Ad plenius colligendum tributum, seu gabellam farinæ impositam in quadam regione, imponitur incolis, ut nisi conveniant cum collectoribus dicti tributi, *jurare* debeant, quantum consumant farinæ in sua familia pro mense, vel anno &c. & non plus; quæsitumque esset: An tale *juramentum* rectè incolis imponatur salvâ conscientiâ, & bono publico? Responsum est ab octo Doctoribus Theologis, & quatuor Doctoribus Juris, hoc juramentum non esse incolis imponendum, ob periculum perjurii; adducto etiam loco S. Basilii ex *Epist.* 305. ubi ipse similis juramenti exactionem multis improbat.

XXV. Interim ex ipsis Conciliorum Canonibus, necnon Principum Sanctionibus, quæ circa idem tempus editæ leguntur, haud obscurum est, non ubique populum se huic decimarum debito subjecisse; neque ubique æqualier jus hoc receptum, & stabilitum fuisse. Unde in Capitulari Ludovici Pii sub idem tempus legitur: » De nutrimine pro decima, sicut » hactenus *consuetudo* (m) fuit, ab omnibus observetur. « *Lib.* 2. *Capitular. cap.* 21.

XXVI. Decreta nihilominus Conciliorum, & Episcoporum passim generaliter exprimebantur, atque de omnibus solvendas esse decimas urgebant; idque etiam comminatis in refractarios censuris Ecclesiasticis; uti & Pontifices in suis Decretalibus, præsertim Alexander III. ejusque successores.

XXVII. Et quidem cùm significatum esset Alexandro III. quòd cùm in Provincia Cantuariensi Parochiani decimas bonorum suorum consuevissent Ecclesiis, quibus debentur, cum integritate solvere, nunc tam laudabili *consuetudine* prætermissâ, quidam ex iis de *lana*, & de *fœno*, & proventibus *molendinorum*, & *piscariarum* ipsis Ecclesiis subtrahere non verentur: Respondet: » Quoniam igitur institutioni divininæ ma» nifestiùs obviant, qui decimas ipsas Eccclesiis non persolvunt, » Fraternitati vestræ per Apostolica scripta mandamus, quate» nus parœcianos vestros monere curetis, & si opus fuerit, sub » excommunicationis districtione compellere, ut de proventi» bus *molendinorum*, *piscariarum*, *fœno* & *lana*, decimas » Ecclesiis, quibus debentur, cum integritate persolvant. «

Integra Decretalis refertur in prima Collectione Decretalium apud Antonium Augustinum titulo *de Dicimis*, *cap.* 2. & in appendice ad Concilium Lateranense sub eodem Alexandro III. *part.* 4. *cap.* 2. ex qua integra Decretali intelligitur, quòd Pontifex in suo responso multùm attenderit *consuetudinem*, quæ ibidem circa decimarum solutionem inoleverat, & quam nonnulli invertere volebant.

* Quidquod ex epistola Decretali Alexandri III. intelligimus, quòd Romani Pontifices eâ ætate obligationem solvendi decimas, in Jure Divino fundatam, & fidelibus impositam reputarent.

Ex quo ulteriùs factum ut plerique antiquiores Canonistæ, Decretalibus Pontificum scrupulosiùs inhærentes, solutionem decimarum ex Jure DIVINO fidelibus esse impositam crediderint: atque eam opinionem secuta videtur Synodus Eboracensis anno 1195. celebrata, *Can.* 8. in verbis: *Cùm decimæ tributa sint egentium animarum, & ex* PRÆCEPTO DOMINI *debeantur.*

Ulteriùs ex hac Decretali ejusdem Pontificis ad Wintoniensem Episcopum, cujus fragmentum extat in *cap.* 6. *de Decimis*, habetur, quòd ætate hujus Pontificis cœpissent quæstiones, & difficultates in materia decimarum exurgentes, undique, ac notanter ex Anglia, deferri ad Romanos Pontifices; quodque Pontifices suâ auctoritate similes quæstiones decideren; & quid circa earum solutionem observari deberet, item ex quibus decimæ solvendæ essent, decernerent.

Por-

(k) *Leg.* 2. & 3. *tit.* 5. *lib.* 1. *Recop. Castellæ*, & *L.* 31. *tit.* 5. *lib.* 6. *Recop. Ind.*

(l) *Id est, signo quodam sequestri apprehendantur à Curia, vel Fisco.*

(m) *Consuetudinem locorum deberi servari in Hispania in Decimarum solutione infertur ex* leg. 6. tit. 5. lib. 1. Recop. & *quoad Dominia Indica ex* leg. 13. tit. 16. lib. 1. Recop. Ind.

Porrò hæc Romanorum Pontificum Responsa, & Decreta postmodum in Decretales Gregorii IX. relata, pro juri communi in hac materia recipi, & admitti cœperunt.

Inde ulteriùs creditum fuit, & à Canonistis communiter receptum, quæstiones super solutione decimarum exorientes auctoritate Ecclesiastica, ac præsertim Romani Pontificis esse decidendas; ipsasque decimarum causas ad forum Ecclesiasticum spectare: atque juxta hanc opinionem indubiè resolvit S. Thomas seculo XIII. determinationem decimarum esse *ex Ecclesiæ institutione*, uti patet ex ejus verbis num. 2. superiùs relatis.

Nec duntaxat ex his Decretalibus Romanorum Pontificum conclusêre Canonistæ, decimarum materiam esse juris Ecclesiastici, & jurisdictioni Ecclesiasticæ subjectam, sed insuper eandem decimarum materiam in foro Ecclesiastico regulandam, & quæstiones circa eam incidentes decidendas, conformiter ad Responsa & Decreta in Decretalibus Gregorii IX. contenta.

XXVIII. Huic opinioni maximam auctoritatem contulit Raymundus Decretalium Gregorii IX. Compilator: hic sola fragmenta, quæ mandata Pontificis continebant, nullâ consuetudinis factâ mentione, retulit in *Cap.* 5. ✠ *de Decimis*. Canonistæ verò, qui integras Decretales non consulebant, sed tantùm fragmenta à Raymundo relata, non dubitârunt concludere, decimas de *omnibus* ibidem expressis esse de jure communi *ubique* solvendas.

XXIX. In eadem Appendice *cap.* 3. refertur ejusdem Pontificis rescriptum Wintoniensi Episcopo, in quo inter alia scribit: » Præterea Parochianos vestros de fœno equitio, pomis, » & pyrris, & apibus, & omni fructo solvere Ecclesiastica dis» trictione, appellatione. « (Addendum ex veteri Antonii Augustini Decretalium collectione, *cessante*, compellas.

Hoc Rescriptum relatum est in *cap.* 6. ✠ *de Decimis*; sed mutilatè, ut ex ejus lectione apparebit.

XXX. Interim ex his intelligimus, Pontifices tunc temporis respondisse, generaliter decimas solvendas esse, multumque verisimile est, ad responsum Alexandri reflexisse Patres Synodi Londoniensis anno 1175. *Can. XIII.* » Omnes decimæ ter» ræ, sive de frugibus, sive de fructibus, Domini sunt, & il» li sanctificantur. Sed quia multi modò inveniuntur decimas » dare nolentes, statuimus, ut juxta Domini Papæ præcepta » admoneantur semel, secundò, & tertiò, & de grano & de » vino, de fructibus arborum, de fœtibus animalium, de lana, » de agnis, de butyro, de casseo, de lino, & cannabe, & » de reliquis, quæ annuatim renovantur, decima integrè per» solvant: quod si commoniti non emendaverint, anathemati » se noverint subjacere. «

XXXI. Quin & sub finem ejusdem seculi Cælestinus III. dixit, non tantùm de fructibus, & frugibus, & quæ annuè renascantur, » sed de negotiatione ipsa, etiam militia, (n) de » venatione, & de omnibus bonis decimas Ministris Ecclesiæ es» se tribuendas; ita ut qui de his ea solvere neglexerint, Ec» clesiastica districtione debeant percelli. «

XXXII. Quin & innuit Pontifex hæc ex traditione SS. Patrum debita esse. Nam pro fundamento sui dicti præmittit hæc verba: *Reverà sicut Sancti Patres in suis tradiderunt Scripturis.*

XXXIII. Ex integra Decretali, quæ extat in secunda Decretalium Collectione apud Antonium Augustinum, non obscurum est, Pontificem reflexisse ad Sermonem *de reddendis Decimis*, quem sub nomine S. Augustini citavit Gratianus, uti suprà monuimus: eumque reverà esse Augustini credidisse.

XXXIV. Quidquid sit, postquam hoc responsum in Decretales Gregorii IX. in *cap.* 22. ✠ *de Decimis*, relatum est, & partem Juris Communis constituit, unanimi Canonistarum consensu conclusum est, de omnibus etiam *personalibus* lucris decimas esse solvendas: atque ita decimas personales jure communi deberi receptum fuit.

XXXV. An huic Decretali prima decimarum *personalium* origo debeatur, eatenus saltem, ut nullum antiquius de iis solvendis extet præceptum, nescio. Reperi equidem sub finem seculi VIII. S. Theodulphum Episcopum Aurelianensem in suo Capitulari *cap.* 35. admonuisse *Mercatores*, *ut non plùs terrena lucra quàm vitam cupiant sempiternam*; ac dein subjungit: » Sicut enim ab his, qui labori agrorum, & cæteris » laboribus, victum, atque vestitum, & necessaria usibus hu» manis acquirere hiantes stant, *decimæ*, & eleëmosynæ dan» dæ sunt: ita his quoque, qui pro necessitatibus suis negotiis » insistunt, faciendum est. Unicuique enim homini Deus de» dit *artem*, quâ pascatur, & unusquisque de *arte* sua, de » qua corporis necessaria *subsidia* habet, animæ quoque, quod » magis necessarium est, subsidium administrare debet. «

Habetur tomo 7. Concil. General. col. 1145. Sed hîc potiùs quædam exhortatio, quàm præceptum apparet. Verissimile tamen est, ex his, & similibus exhortationibus, consuetudinem solvendi decimas etiam *personales* fuisse introductam, & pro lege invaluisse; quâ introductâ, Pontifices super solutione decimarum interrogati, etiam conformiter responderunt; quæ responsa in Decretales relata, tandem pro jure communi recepta fuerunt.

XXXVI. Stabilito autem jure decimarum, cùm varia super earum exemptione privilegia essent concessa; necnon diversis titulis decimæ ad alios quàm Parochos essent translatæ, plures quæstiones super his oriri cœperunt, quæ occasionem dederunt, decimas *novales & minutas*, item *infeudatas* ab aliis ordinariis & antiquis decimis distinguendi, ut infrà, ubi de his decimis agetur, ostendemus (o).

CAPUT II.

De quibus Decimæ hodie sint solvendæ.

1 *Responsa Alexandri III. de solvendis Decimis etiam ex proventibus Molendinorum; item lana, & apibus.*
2 *Quin & de negotiatione, & militia.*
3 *De jure communi, etiam de omni honesto lucro Decimæ solvendæ.*
4 *Quin Decimæ prædiales.*
5 *Quæ sunt prædia* rustica, *& quæ* urbana.
6 *Quæ Decimæ ex consuetudine hodierna dicantur prædiales.*
7 *Decimæ personales quæ dicantur.*
8 *Decimæ ex venatione, aut aucupio, vel piscatione interdum possunt esse prædiales.*
9 *Quæ sint Decimæ mixtæ.*
10 *Sanctus Thomas docet, in hac materia consuetudinem attendendam.*
11 *Idipsum responderunt Pontifices.*
12 *Juxta Canonistas præcipuè consuetudo attendenda.*
13 *Non sine magnis incommodis à consuetudine in hac materia receditur.*
14 *Voluerunt Principes consuetudinem servari: Ordinatio Philippi Regis Galliæ de non exigendis Decimis insolitis.*
15 *Similis Ordinatio Caroli V. Imperatoris pro Regnis Hispaniæ.*
16 *Idem ordinatum ab eodem pro Ditionibus Belgicis.*
17 *In præfatione sui Edicti asserit, Clerum sufficienter dotatum.*
18 *Conqueritur, quòd plures exigant Decimas insolitas.*
19 *Enumerat species illas* insolitas.
20 *Non conqueritur de exactione decimarum personalium, quia hæ exoleverant.*
21 *Decimas prædiales, & mixtas vetat exigi ex iis rebus, è quibus à 40. retro annis exactæ non fuerunt.*
22 *Quæ sint species, quæ passim & ubique sunt Decimis subjectæ.*
23 *Variæ difficultates occasione hujus Edicti exortæ; ad quas sopiendas plura Edicta posteriora emanârunt.*
24 *Primum Edictum interpretativum.*
25 *In hoc edicto declaratur, Decimas ex terris de novo ad culturam redactis esse solvendas, modò fructus soliti fuerint decimati.*
26 *Decimæ mixtæ solitæ solvi debentur ex domibus noviter ædificatis.*
27 *Non tamen de iis speciebus, è quibus ante 40. annos solitum non fuit Decimas solvi.*
28 *Utrum Decimæ sint insolitæ, vel solitæ, non fundi, sed fructus inspiciendi.*
29 *Mens Principis fuit, ut Decimæ solverentur juxta jus commune, ubi contraria consuetudo non est.*
30 *Primò attendenda consuetudo Parochiæ, in qua Decima prætenditur.*
31 *Si in Parochia de hac consuetudine nihil haberi queat, recurrendum ad loca vicina.*
32 *Quæstio recenter occasione hujus articuli; & an ligna novarum silvarum sint species distincta à lignis antiquarum silvarum.*
33 *Verius videtur esse aliam speciem.*
34 *Si circa speciem frugum noviter seminatarum nulla sit consuetudo, servandum jus commune.*
35 *De omnibus frugibus solvendæ decimæ, nisi probetur consuetudo contraria.*

Conclesia contra Ecclesiam hanc præscriptionem objicere valeat. III. An laicus contra laicum. IV. An jus decimas percipiendi præscriptione amittatur. Has difficultates inferiùs solvit noster Auctor, aut quædam statuit principia, è quibus earum solutio facilè eruitur, pro diversis locorum consuetudinibus.

(n) *De militia, id est, de feudo seu terra quæ militem debet in expeditione.*

(o) *Ex iis quæstionibus aliæ circa decimarum præscriptionem natæ sunt, in quibus infiniti prope scopuli occurrunt: I. An laici decimas contra Ecclesiam possint præscribere. II. An Ec-*

36 *Consuetudo hæc probanda à prætendente exemptionem à Decimis*

37 *Quandiù consuetudo contraria non plenè probatur, Decimæ solvendæ.*

38 *Requiritur consuetudo* positiva.

39 *Quid requiratur, ut per consuetudinem censeatur aliqua species facta non decimabilis.*

I. SCribit Alexander III. in *cap.* 5. ✠ *de Decimis* Archi-Episcopo Cantuariensi : » Mandamus quatenus Paro-» chianos vestros monere curetis, & si opus ferit, sub excom-» municationis districtione compellere, ut de proventibus mo-» lendinorum, piscariarum, fœno, & lanâ, decimas Ecclesiis » quibus debentur, cum integritate persolvant.“

Et rursus Vintoniensi Episcopo : » Mandamus quatenus Pa-» rochianos tuos de *apibus*, & de *omni* fructu decimas persol-» vere Ecclesiasticâ districtione compellas.“ *Cap.* 6. ✠ *eod.*

II. Et in *cap.* 22. *eod. tit.* dicit Pontifex : » Reverà sicut » sancti Patres in suis tradiderunt Scripturis, de vino, grano, » fructibus arborum, pecoribus, hortis, negotiatione, de ipsa » etiam militia, de venatione, (p) de omnibus bonis decimæ » sunt ministris Ecclesiæ tribuendæ, ita ut, qui de his eas sol-» vere neglexerint, Ecclesiasticâ districtione debeant percelli.“

III. Ex his manifestum est, & unanimi consensu tradunt Canonistæ, de jure communi non tantùm de fructibus terræ, sed & de pecoribus, quin & de negotiatione, & militia, omnique honesto lucro decimas, attento jure Decretalium, solvendas esse.

Hinc ulteriùs invaluit distinctio decimarum in prædiales, personales, & mixtas.

IV. Prædiales dicuntur ratione prædiorum : quia ex fructibus & proventibus prædiorum solvuntur ; idque indifferenter, sive prædia sint *rustica*, sive *urbana*, ut loquuntur Jurisconsulti.

V. Prædia *urbana* vocant ædificia habitandi causa facta, sive in urbe, sive extra urbem, *L.* 198. *ff. de V. S.* è quorum mercede locationis decimæ de jure præstantur, *cap. penult.* ✠ *de Pactis*, quemadmodum & ex molendinorum proventibus, *Cap.* 23. ✠ *de Decimis.*

Prædia *rustica* sunt ædificia habitandi causa non præparata, sed in alium usum ; uti sunt stabula, ovilia, & similia. *L.* 4. §. 1. *In quibus causis pignus, &c.*

VI. Item rusticorum prædiorum nomine veniunt & agri, vineæ, silvæ, & similia. Et quidem attento hodierno harum, aliarumque multarum Provinciarum usu, hæc ferè in materia decimarum pro *prædiis*, ex quibus decimæ solvuntur, & à quibus decimæ *prædiales* dicuntur, nomine *prædiorum* veniunt : eò quòd passim consuetudine, & usu invaluerit, ut ex solis fructibus è terra nascentibus, sive naturalibus, non autem de fructibus civilibus, uti est merces elocationis, aut alia annua pensitatio, decimæ solvantur.

VII. Decimæ personales à Canonistis dicuntur, quæ ex rebus, quas quisque sibi industria, ac opera sua acquirit, persolvuntur ; veluti ex lucro honestæ cujuscunque negotiationis, ex stipendio militiæ, ex venatione, piscatione, aliâve professione, vel opificio.

VIII. Ubi tamen fructus prædii ex venatione, piscatione, aut aucupio constarent, juxta *L.* 8. §. AUCUPIUM *ff. de Usufructu*, & *L.* 26. §. *de Usuris*, tunc ex illis perceptæ decimæ magis *prædiales*, quàm *personales* dicendæ essent : utpote ex fructibus terræ tum provenientes, uti passim notant Canonistæ.

IX. Decimæ mixtæ dicuntur, quæ partim personales, partim prædiales sunt : quales sunt, quæ ex fructibus pecorum, ex fœtu, lanâ, lacte, ovis, aliisque similibus solvuntur.

In quantum enim animalia in prædiis nascuntur, & aluntur, eatenus ex iis provenientia, etiam ex ipsis *prædiis* quodammodo provenire intelliguntur, atque eatenus de decimis prædialibus aliquid communicant. Sed quia animalia illa non proferunt fructus sine cura, ac industria hominum ; propterea etiam de decimis personalibus aliquid participant, ideoque *mixtæ* dicuntur.

Hanc tripartitam decimarum divisionem anno 1404. expressit Synodus Lingoniensis apud Bouchellum in Decretis Ecclesiæ Gallicanæ : supponitque omnes illas decimas jure deberi.

X. Sanctus Thomas 2. 2. *q.* 87. *art.* 2. quærens, utrum de *omnibus* teneantur homines decimas dare, resolvit juxta jus commune tum receptum, de *omnibus* possessis decimas esse solvendas. Et licèt in vetere lege non solverentur decimæ *personales*, in nova tamen legè rectè populum cogi ad solvendas decimas personales asserit, *secundùm* (ait) CONSUETUDINEM *patriæ, & indigentiam ministrorum.* Et in Responso *ad* 3. ait, de rebus minutis decimas non deberi, *nisi forte propter consuetudinem Patriæ.*

Hæc, aliaque, quæ ibidem habet idem Doctor, clarè supponunt, ipsum existimâsse, etiam ex consuetudine judicandum esse, quæ decimæ, & è quibus rebus solvi debeant.

XI. Et reverà in hac decimarum materia varias locorum consuetudines esse servandas sæpiùs responderunt Pontifices, quorum Responsa in Decretales Gregorii IX. relata partem juris communis constituunt ; ac signanter Lucius III. in *cap.* 20. ✠ *de Decimis* scribit Strigoniensi Archiepiscopo : » Quoniam » à *diversis diversa consuetudo* tenetur, tu eligas in hoc casu, » quod *per consuetudinem* diu obtentam ibidem noveris ob-» servatum.“

Et Concilium Lateranense sub Innocentio III. *cap.* 32. ✠ *eod.* ait : » Illæ decimæ necessariò solvendæ sunt, quæ deben-» tur ex lege divina, vel *loci consuetudine* approbata. «

XII. Ex his concludunt Canonistæ, consuetudinem in solutione decimarum esse præcipuè attendendam ; (q) & nonnisi hac deficiente ad jus commune esse recurrendum ; sive de quota, sive de qualitate decimarum, aut modo solutionis agatur.

XIII. Hoc si accuratè servetur, plures difficultates evitabuntur, & minus odiosa reddetur decimarum exactio ; dum facilè, quod solitum est, à populo obtinetur : ad insolita verò ægrè sæpè, & non nisi contentionibus magnis, & nocivis inducì se patitur.

Refert Helmoldus Presbyter in Chronico Sclavorum *lib.* 1. *cap.* 31. quòd Geroldo Lubecensi Episcopo, decimas tanquam à Deo & Apostolis donatas exigenti in terra Wagirensi, responderunt Holsati ; » Nunquam se daturos decimas, quas Pa-» tres sui non dedissent ; malle se potiùs succensis ædibus pro-» priis egredi terram, quàm tantæ servitutis jugum subire.“

XIV. Ut igitur in exactione decimarum, omnia pacificè agerentur, voluerunt & ipsi Principes, ut & populus integrè, & sine fraude decimas solitas solveret ; & ipse Clerus ab insolitis abstineret.

Famosa est hanc in rem ordinatio Philippi IV. Regis Galliæ edita anno 1303. vocaturque vulgò *Philippina*, quæ dicit: » Senescallus defendat singulos à *nova* exactione decimarum, & » primitiarum, & præsentationis ; sed prout de jure fuerit, & » hactenus est *consuetum* fieri.“

XV. Non absimilis est ordinatio Caroli V. Imperatoris & Regis Hispaniarum, ac Belgarum Principis ; quia vetuit decimas à laicis exigi, quæ per consuetudinem contrariam non consueverunt solvi, uti refert Covarruvias *Lib.* 1. *Variar. resolut. cap.* 17. *num.* 8. dicitque ita ab eodem Cæsare cautum esse Toleti anno 1525. Rursus anno 1528. Madriti ; ac dein Segoviæ anno 1532.

XVI. Idipsum jam ante pro Belgicis Provinciis ipse Carolus sanxerat, evulgato Edicto primùm Mechliniæ prima Octobris 1520. quod idiomate Gallico extat parte I. Edictorum Flandriæ *Rubrica* 12. *cap.* 1. ac dein idem Edictum probatum, & publicatum fuit in Brabantia 6. Novembris ejusdem anni ; extatque idiom te Flandrico parte 1. Edictorum Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 5. *cap.* 2. atque hodie in Belgico pro lege fundamentali in materia decimarum passim assumitur.

XVII. Primùm in hoc Edicto præfatur Princeps, ab antiquo hîc semper observatum, ut decimæ exigerentur, & solverentur juxta locorum & regionum conditionem, seu *consuetudinem*; ac præterea Clerum a suis Prædecessoribus ita abundè fuisse dotatum, ut meritò ab imponendis, & exigendis *novis* talliis, & exactionibus cum ipsius Principis, ejusque subditorum præjudicio, (r) abstinere debeat.

XVIII. Dein asserit, quòd his non obstantibus, Capitula, Curati, aliæque Ecclesiasticæ personæ non contentæ *solitis* decimis, & bonis in fundatione donatis, aliisque, quæ eorum Prædecessores accipere, & exigere *consueverunt*, incipiant, & quotidie progrediantur, petere & exigere varias *novas* decimas multiformis generis fructuum.

XIX. Post hæc enumerat decimarum species, quas novitatis insimulare videtur, scilicet, lignorum, fœni herbarum, pascuorum, pinguium cornutarum bestiarum, ovium, agnorum, lanæ, porcorum, vitulorum, anserum & similium : Adhæc, raparum, raphanorum, acetariorum, ceparum, pomorum, pyrorum, nucum, & similium frugum.

Addit, nonnullos Ecclesiasticos prætendere, sibi competere jus decimarum super omnibus rebus, & fructibus, crecentibus & provenientibus ex terra.

* Vix dubium, quin hi Ecclesiastici in hujus prætensionis fundamentum assumpserint Decretales Romanorum Pontificum, quibus Episcopis mandatur, ipsos Laicos, etiam per *Censuram* cogendos ad solvendas decimas ex *omnibus frugibus terræ, & animalium fœtibus.*

Cùm enim hæ Decretales passim in scholis publicè prælege-

(p) *De venatione, & piscatione in Dominiis Indicis non solvuntur Decimæ, ut dicitur in leg.* 18. *tit.* 16. *lib.* 1. *Recop. Indiar.*

(q) *Dicta lex* 6. *tit.* 5. *lib.* 1. *Recop. suprà citatâ sub lit.* (l)

(r) *Nova tallia & exactiones absque Principis consensu imponi non possunt, ut inter alias, ait* L. 4. c. 20. tit. 14. lib. 3. Recop. Castellæ.

gerentur, & pro jure communi in hac materia decimarum à Doctoribus juventuti proponerentur; non mirum si Ecclesiasticis facilè persuasum fuerit, Laicos ad solutionem *omnium* illarum decimarum esse constringendos; contrariamque consuetudinem abusivam reputarent; præsertim quia Pontifices in hisce Decretalibus non obscurè innuebant, obligationem solvendi decimas ex omnibus fructibus, & animalium fœtibus jure *Divino*, & ex Traditione Apostolica inductam esse, uti superiùs dictum est.

Nec dubium, quin plura contra receptos mores, cum notabili subinde Reipublicæ, seu Politicæ, seu Ecclesiasticæ perturbatione quæstiones, & difficultates excitentur, & oriantur: eò quòd passim in scholis, Doctores juventuti Decretales ad litteram exponentes, opiniones Auditoribus imprimant, moribus patriæ planè difformes, ac cum patriis legibus incompatibiles.

XX. Nulla de decimis personalibus (s) mentio, aut querela in prædicto Caroli V. Edicto occurrit. Indicium quod nec tunc in usu fuerint, nec Ecclesiastici jus suum ad illas extendere prætenderint: quas & hodie in Belgio, Gallia aliisque pluribus in locis omnino incognitas esse, ex praxi notorium est, & passim auctores testantur; notumque est supra *tit.* 1. *cap.* 3. *num.* 9. sat verisimile esse, jura funeralia, aliaque similia in locum decimarum personalium, aliquibus saltem in locis, successisse.

XXI. Circa decimas prædiales, & mixtas, vetat Edictum, à subditis exigi decimas eorum fructuum, de quibus 40. retro annis nullæ decimæ exactæ, aut solutæ essent.

XXII. Sunt quædam species frugum, & quibus passim ubique decimæ solvuntur, ut sunt frumentum, siligo, hordeum, & avena; & quæ his proximè accedunt; eò quod in cibum, potumque cerevisiarum necessariæ sint, uti notat Zypæus *Consult.* 3. *de Decimis*, *num.* 7. ex iis autem speciebus, quas Edictum exprimit, non ita communiter decimæ solvuntur, sed varia est circa has locorum consuetudo; cujus limites transgredi, cum laicorum præjudicio, vetat Edictum.

XXIII. Variæ dein quæstiones, & contentiones laicos inter & Ecclesiasticos, occasione hujus novi Edicti oriri, & moveri cœperunt; quibus sopiendis plura Edicta interpretativa prioris Edicti secuta sunt, quæ non minùs quàm ipsum primum Edictum, hodie in decisione quæstionum in hac materia occurrentium pro lege habentur.

XXIV. Prima eaque præcipua Edicti interpretatio data fuit 10. Januarii 1528. ad supplicationem Cleri Diœcesis Leodiensis sub Ducatu Brabantiæ, & Comitatu Namurcensis; & inserta parti primæ Edictorum Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 5. *cap.* 4. ac rursum renovata fuit 15. Septembris 1530. ad supplicationem Cleri Comitatus Flandriæ; referturque part. 1. Edictorum Flandriæ *lib.* 2. *Rubrica* 12.

XXV. Primò, hoc Edicto interpretativo, sive declaratorio dictum fuit » per primum Edictum non esse prohibitum sol» vi, colligi, & levari jura decimarum de grano, fœno, fruc» tibus excretis, & defructuatis in terris, pratis, aut hære» ditatibus *noviter* ad *culturam* redactis; unde in Parochiis, ubi » sunt excreti, collecti, defructuati, consuetum fuit 40. an» nis antea solvi, colligi, & levari jura decimarum de talibus, & » similibus granis, fœnis, fructibus. «

XXVI. Ulteriùs declarat, quòd non intenderit, » prohi» bitum fuisse, nec prohibere solvi jura decimarum ex agnellis, » lanâ, pullis, volatilibus, & aliis bestiis nutritis, & educatis » in domibus & hæreditatibus, quæ noviter fuissent reædificatæ, » & positæ in usum habitationis, & receptionis. Quinimò quòd » inde fiat solutio decimæ, proviso quòd de similibus specie» bus ab antea 40. annis solvi soleret decima in Parocihiis, in » quibus dictæ domus, & ædificia ac hæreditates essent situa» tæ & jacentes. «

XXVII. Ne autem Clerus prætextu hujus interpretationis insolitas decimas exigeret, addit: » Sed non intendimus quòd » possint exigi, capi, aut levari jura decimarum de grano, lig» no, fructibus, pullis, agnellis, lanâ, bestiis, & aliis rebus, » de quibus non fuisset à tempore dictorum 40. annorum con» suetum solvi aliqua jura decimarum in Parochiis, aut locis, » in quibus excrevissent, aut nutritæ fuissent, non habito res» pectu à quo tempore citra dictæ domus fuissent ædificatæ, » inhabitatæ, aut dictæ hæreditates ad culturam redactæ. «

XXVIII. Post & generaliter declarat, » quòd in solutio» ne dictarum decimarum non habebitur respectus, in quibus » terris dicta grana, fœnum, fructus, & nemora colligantur, » aut crescant, nec in quibus ædificiis, aut pascuis dictæ bes» tiæ essent natæ & enutritæ, & dicti pulli, educati & alita » volatilia; sed solummodo si in dicta Parochia, aut loco, ubi » consuetum fuit levari, & exigi jura decimæ dictarum spe» cierum. «

(s) *In Hispania decimas Personales non solvi, certis Oppidis, Senatui Ordinum subjectis, exceptis, ait Solorzanus* lib. 2. cap. 23. num. 28. suæ Politicæ: *quoad Dominia Indica est* L. 20. tit. 16. lib. 1. Recop. Ind.

Ex his manifestum est, quòd conformiter ad jus commune, non fundi, aut terræ inspici debeant, dum quæritur, an decimæ sint *insolitæ*; sed ipsa fructuum species, quæ in fundo excrevit; utrum nimirum hæc decimam solvere solita sit.

XXIX. Non obscurum quoque est, Principem primo suo Edicto hoc unum cavere voluisse, ut decimæ juxta jus commune solverentur, an quantum consuetudo locorum non contrariatur: sed ubi consuetudo loci aliter obtinet, nihil *novi* prætextu juris communis induceretur.

Huic consonat, quod declarat in eodem Edicto interpretativo: » Quòd si in aliquo villagio dictorum Ducatûs, & Co» mitatûs sub Diœcesi Leodiensi pro futuro tempore esset » seminata, plantata, collecta, aut enutrita aliqua nova spe» cies, quæ in dicto villagio nunquam fuisset seminata, plan» tata, collecta, educata, aut enutrita, quòd eo casu, quan» tum ad solutionem decimæ hujusmodi novæ speciei, obser» vabitur prout in aliis villagiis dictorum Ducatûs, & Comi» tatûs, ubi fuissent seminatæ, plantatæ, aut nutritæ similes » species. «

XXX. Itaque ad judicandum de frugibus, num solitæ sint decimas solvere, primo loco attendi debet consuetudo villagii, seu Parochiæ, intra cujus limites hæ fruges seminantur: utrum scilicet consuetum sit eo loco ex hujusmodi frugibus, vel fructibus decimas solvi.

XXXI. Cùm verò de consuetudine hac nihil statui queat, si similis frugum species antehac ibidem seminata non sit, vult eo casu Princeps recurri ad loca vicina, ut si iis in locis hæc frugum species solita sit seminari, quoad decimarum solutionem consuetudo illorum locorum servetur in illo villagio, in quo jam primùm seminari cœpit.

XXXII. Nuper incidit quæstio, cujus decisio ex intellectu hujus articuli dependebat

In quodam pago vicino Lovanio, quidam terram aliquam arabilem, & è qua dudum fructus decimabiles percepti fuerant, redegerat in silvam. Prætendebat Parochus Decimas ligni excrescentis in hac noviter plantata silva; eò quòd in locis vicinis ex novis silvis decimæ solverentur.

E contrario negabat Dominus silvæ, decimas deberi: quia licèt essent in eodem villagio multæ silvæ, nullæ tamen lignorum decimæ unquam essent solutæ; adeoque prætendebat non esse recurrendum ad consuetudinem *vicinorum* locorom, sed servandam consuetudinem *hujus* loci.

Replicabat Parochus, esse quidem multas silvas in suo villagio, seu tantùm *antiquas* vulgò *Audt stock bosschen*, nullam verò esse, aut ab hominum memoria fuisse *novam* silvam; ideoque recurrendum ad consuetudinem vicinorum locorum, in quibus similes silvæ reperiuntur.

Reponebat Dominus silvæ, sive sint antiquæ, sive novæ silvæ, fructus earum, scilicet *ligna* censeri eandem speciem fructuum; atque ita satis esse, quod in ipso villagio excrescerent ligna silvarum, atque ex illis decimæ nunquam fuissent solutæ.

XXXIII. Cùm super hac quæstione judicium meum postularetur, judicavi, verisimilius esse jus Parochi; atque ligna novarum silvarum esse speciem diversam, quoad præsentem materiam, & mentem Edicti, à lignis antiquarum silvarum.

Certum enim est, multis in locis Belgii solvi decimas ligni excreti in novis silvis; nullibi verò, aut paucissimis saltem in locis, eas solvi ex silvis antiquis. Judicium haud obscurum, in hac materia decimarum, eas lignorum, & silvarum species omninò distingui: uti & distinguuntur quoad onera Regia, quibus novæ, non autem antiquæ silvæ solent esse subjectæ.

Unde & plures periti, & famosi advocati in proposita quæstione, sine ulla hæsitatione & ambiguitate responderunt, ligna novarum silvarum habenda pro specie distincta à lignis veterum silvarum: & proinde in petitione decimarum in casu proposito Parochum fuisse fundatum.

XXXIV. Pergit ulterius in sua declaratione Princeps: » Et » si aliqua nova species anteà non visa, nec consueta semina» ri, aut nutriri in aliquo villagio, aut quarterio dictorum Du» catûs, & Comitatûs, sub Diœcesi prætacta, esset ibidem » seminata, plantata, aut nutrita, observabitur quantum ad » solutionem decimarum dictæ novæ speciei jus scriptum, & » illius dispositio. «

XXXV. Hinc rursum perquam manifestum est, Principem non intendisse juri communi, circa solutionem decimarum derogare, nisi in quantum consuetudo locorum derogavit, quam observatam voluit.

Igitur cùm omnium frugum decima *jure* debeatur, etiam de blado, & universo legumine, *cap* 3. ℣ *de Decimis*; consequens est, ex mente Principis, de omnibus frugibus solvendas esse decimas, nisi contraria consuetudine, ut minus 40. annorum

norum, inductum esse probetur, ex similibus frugibus decimas non solvi. (t)

XXXVI. Hinc concludendum est, Parochum aliumve Decimatorem fundatum esse in petendis decimis quarumcunque frugum, quousque probetur consuetudo 40. annorum quoad hanc frugum speciem juri communi derogâsse; quam probationem facere tenetur, qui vi hujusmodi consuetudinis decimas negat; uti rectè reflectit Zypæus *Consult.* 4. *de Decimis*, ubi unà latè deducit, quæ ad probationem hujus consuetudinis requirantur; & qua formâ hæc probatio sit facienda.

XXXVII. Concluditur præterea, quòd juri communi standum sit, quandiù plenè contraria consuetudo probata non est. Unde si casus occurrat, ut juxta Edictum deberet recurri ad consuetudinem *vicinorum* locorum, inveniaturque iis in locis consuetudo non uniformis, sed dubia, & varia, tunc juxta ante dicta, standum erit juri communi; sive præferenda consuetudo solvendi decimas, tanquam juri magis consona, quem admodum notat Zypæus *Consult.* 3. *de Decimis*, *num.* 1. & 2.

XXXVIII. Hoc Edictum interpretativum sufficienter declarat, nullatenus sufficere merè negativam non solutionem decimarum ex certis frugibus, tametsi etiam 40. annorum spatio & ampliùs continuatam, qualis non solutio esse potest in loco, ubi nullæ unquam hujusmodi fruges seminatæ fuerunt; sed requiri consuetudinem positivam non solvendi decimas ex frugibus ibidem seminatis, eamque stabilitam actibus positivis, quales sunt evectiones, & collectiones publicæ hujusmodi frugum nullis unquam solutis, aut juridicè prætensis decimis; è quibus publicis actibus præsumitur tacitus consensus Parochianorum, & Clericorum, quòd ex hujusmodi frugibus decimæ nec solvi debeant nec prætendi possint.

XXXIX. Hinc ulteriùs statuendum, quòd si quidem certa species frugum in aliquo loco seminata fuerit, sed in tam exigua quantitate, aut in eum usum consumenda, ut operæ pretium non videretur ex iis decimas prætendere; quin & decimarum exactio notam aliquam avaritiæ, & inhumanitatis præferret; eo casu non solutio decimarum ex similibus frugibus, nequaquam consuetudinem, de qua in Edicto, inducere posset. Licèt enim fruges illæ in eo loco seminatæ fuerint, tamen seminatæ non sunt eo modo, quo seminantur fructus aliàs decimabiles. Quapropter sic successu temporis fruges illæ in magna quantitate, & ad eum usum, in quem passim fruges decimabiles insumuntur, incipiant seminari, prætendi nequaquam poterit, obstare consuetudinem 40. annorum non solvendi decimas ex hujusmodi frugibus; sed de illis judicandum erit, quasi nunquam fruges illæ in loco seminatæ fuissent, quia seminatæ non fuerunt in ea quantitate, ut honestè decimari possent: ideoque recurrendum erit, vel ad consuetudinem vicinorum locorum, vel ad jus commune, juxta regulas per Edictum præscriptas, uti latè ostendit Zypæus citata *Consult.* 4. *de Decimis*, adducto exemplo de *panico*.

CAPUT III.

De Jure Parochorum ad decimas, et cui Parochiæ debeantur.

1 *Ad decimas ut quasdam oblationes Sacerdotibus offerendas primitùs populus excitatus.*
2 *Ex intentione populi decimæ Parochis cedunt.*
3 *Pristini Canones jus illud Parochis vindicantes.*
4 *Illustre eam in rem testimonium Amulonis Archiepiscopi Lugdunensis.*
5 *Etiam Episcopi, & Abbates cogebantur decimas suarum terrarum dare Ecclesiis Parochialibus.*
6 *Vetitum Senioribus Parochiæ aliquid de decimis accipere.*
7 *Decimas de jure ad Parochos spectare supposuerunt Pontifices.*
8 *Responsa Innocentii III. in Decretales relata hoc jus Parochorum exprimentia.*
9 *Uniformis Canonistarum sententia, decimas* de jure *ad Parochum spectare.*
10 *Hodie etiam excluso Episcopo.*
11 *Dubitatum, an in Parochia, ubi recipit Sacramenta, an in Parochia, ubi terræ sunt sint, decimæ solvendæ.*
12 *Ex sententia Glossæ personales solvendæ, ubi Sacramenta recipiuntur; prædiales, ubi prædia sita sunt.*
13 *Hæc distinctio communiter recepta.*
14 *Cui Parochiæ debeantur decimæ mixtæ ex Decreto Synodi Wigorniensis.*
15 *Decimæ animalium debentur Parochiæ, in qua pascuntur; & quare.*
16 *Si pascantur in duabus Parochis, cui debeantur.*
17 *Multùm in hoc consuetudini tribuitur.*
18 *Decimæ adjudicandæ Parocho, quandiu non probantur ad alium spectare.*
19 *Spoliati jure decimarum per Parochum non sunt restituendi, nisi probent ad se jus illud spectare.*
20 *Quomodo hæc juris decisio hodie recepta.*
21 *Decimæ Parochis oblatæ pro administratione Sacramentorum.*
22 *Quæ hodie in administratione Sacramentorum, & sepulturis dantur, demum invaluerunt post devolutionem Decimarum ad Capitula, & Monasteria.*
23 *Quid requiratur, ut quis decimas contra Parochum præscribat.*
24 *Privilegia decimas recipiendi in præjudicium Parochi sunt odiosa.*
* *Jus Rectori Ecclesiæ Parochialis ad temporalia superest post incorporationem ejusdem Ecclesiæ.*

I. Decimas tanquam oblationes, & eleemosynas à Patribus jam pridem populo fuisse commendatas, supra notavimus: idque exemplo populi Judaici, qui ex præcepto legis, decimas Sacerdotibus & Levitis, ut ministris Altaris, persolvebat; ut hoc pacto se non minùs religiosos ostenderent erga ministros novi Testamenti, quàm populus ille erat erga ministros veteris Testamenti, implerentque per hanc decimarum oblationem præceptum Christi, quo vult, operarios & ministros Evangelii à populo esse alendos, & pauperibus succurrendum.

II. Cùm ergo seculo VII. & VIII. quando præcipuè decimarum solutio invalescere cœpit, singulæ Ecclesiæ per suos particulares Presbyteros (quos hodie *Parochos* dicimus) regerentur, hique populo spiritualia administrarent, atque totius Parochiæ curam agerent, etiam hisce decimas tanquam quasdam oblationes cedere populus voluit. (u)

III. In vita S. Joannis Papæ VIII. legitur: » Idem inter cætera de decimis Sacerdotibus dandis ita præcipit. Quas scilicet decimas unumquemque Fidelem illi Sacerdoti dare censuimus, in cujus Parochia eum proculdubio constat sub Episcopi proprii ditione, quia ad hoc recipiendum ab Episcopo suo est constitutus, manere."

Plura ejusdem ætatis Decreta, quæ Parochialibus Ecclesiis *decimas* vindicant, refert Gratianus *Caus.* 16. *quæst.* 1. *Canon.* 42. & sequentibus.

IV. His jungi potest illustre testimonium Amulonis Archiepiscopi Lugdunensis, qui sub idem tempus consultus à Theodboldo Lingonensi Episcopo super incertis Sanctorum Reliquiis, superque prodigiis, quæ illarum occasione dicebantur evenire, gravem ad ipsum Epistolam scripsit adversus temeritatem quorundam Monachorum Reliquias illas venditantium, & populum ad Oratoria, in quibus hujusmodi Reliquiæ quiescebant, allicientium, » annuntiando omnibus fideliter, atque obtestando, ut intermisso hujusmodi vano, & pernitioso concursu, unde nulla animæ salus, nulla corporis incolumitas, nulla vitæ utilitas provenire cognoscitur, unaquæque plebs in Parochiis, & Ecclesiis, quibus attributa est, quieta consistat, ubi sacrum baptisma accipit, ubi corpus & sanguinem Domini percipit, ubi Missarum solemnia audire consuevit, ubi à Sacerdote suo pœnitentiam de reatu, visitationem in infirmitate, sepulturam in morte consequitur, ubi etiam *decimas*, & primitias suas offerre *præcipitur*, ubi filios suos baptismatis gratia initiati gratulatur, ubi verbum Dei assiduè audit, & agenda ac non agenda cognoscit."

V. Imò quod amplus est, cùm anno 813. ad Synodum Cabilonensem III. delatæ essent querelæ, quod quidam Episcopi, & Abbates *decimas* non sinerent dari Ecclesiis, ubi illorum Coloni Missas audiunt, decrevit Sacer Conventus *Can. XIX.* » Ut Episcopi, & Abbates de agris, & vineis, quæ ad suum & fratrum stipendium habent, *decimas* ad Ecclesias deferri faciant: familiæ verò ibi dent *decimas*, ubi infantes eorum *baptizantur*, & ubi per *totum* anni circulum Missas audiunt." Et

(t) *Ex locorum consuetudine determinatur quænam in Gallis fructuum species sint juri decimarum obnoxia. Quapropter fœnum, agni, lignum, fructusque naturales non debent decimas in iis locis, ubi usus illarum decimarum solvendarum non invaluit: ita Ordinat. Philippi IV. Francorum Regis ann.* 1303. *cui Edictum Blesense art.* 50. *his suffragatur verbis*: Declarons que lesdites dixmes se leveront selon les contumes des lieux, & la cotte accoutumée en iceux.

(u) *Observare tamen non erit inutile, quòd iis seculis administratio decimarum totius Diœceseos penes Episcopum fuerit, sed ea lege, ut Ecclesias Parochiales sartas tectas tueretur, ornamenta, & quæ ad cultum divinum necessaria erant, conferret, Ministris altarium largiretur res, quas eorum victus, ac vestitus exigerent, ac tandem eleemosynas à Canonibus præscriptas pauperibus erogaret. Id constat* Can. 16. *Concilii Turonensis, quod ann.* 813. *celebratum est*: & Can. 36. *Concilii Wormatiensis ann.* 868. *statuitur*: ut decimæ in potestate Episcopi fiat, qualiter à Presbyteris dispensentur, &c.

VI. Et in Concilio Metensi anno 888. *Can. II.* statutum est, » ut deinceps nemo *Seniorum* de Ecclesia sua accipiat de » decimis aliquam portionem, sed solummodò Sacerdos, qui » eo loco servit, ubi antiquitùs decimæ fuerant consecratæ, ip- » se eas cum integritate accipiat in sui sustentationem, & ad lu- » minaria concinnanda, & Basilicæ ædificia, vestimenta quo- » que Sacerdotalia, & cætera utensilia suo ministerio congrua » obtinenda."

VII. Similia sunt recentiorum Canonum plurima Decreta, quæ evincunt, decimas adinstar quarundam oblationum Parochis & Ecclesiis Parochialibus primitùs fuisse oblatas; quod, & Pontificum Decretales, quæ hodiernum jus Canonicum, & Ecclesiasticum constituunt, supponunt; ubi indubitatum, & receptum asserunt, unquam decimas *de jure* ad Parochiales Ecclesias spectare.

VIII. Consultus enim Innocentius III. si in aliqua Parochia decimarum perceptio ad personas aliquas Ecclesiasticas ab antiquo pertineat, utrum novalia etiam ad easdem personas pertinere incipiant, respondit negativè: *Quia*, ait, *cùm perceptio Decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi pertineat, Decimæ novalium, quæ fiunt in Parochiis earundem, ad ipsas procul dubio pertinere noscuntur.* Cap. 29. ✠ de Decimis.

Rursus proposito dubio, utrum minutæ quædam Decimæ Monasteriis, & Ecclesiis Conventualibus deberentur, respondit idem Innocentius: quòd si hi fructus proveniant ex iis fundis, è quibus Monasteria, & Ecclesiæ Conventuales ab antiquo Decimas Majores percipiebant, etiam horum fructuum Decimas iisdem deberi, cùm ipsis terra illa ab antiquo fuerit Decimalis, & non debeat una, eademque Ecclesia diverso jure censeri: *Alioquin*, inquit, *Parochialibus Ecclesiis exsolvantur, ad quas de jure communi spectat perceptio Decimarum*, Cap. 30. ✠ de Decimis.

IX. Ex his, aliisque juris appertissimis decissionibus, uno calculo hanc conclusionem probant Canonistæ: » Ecclesia Pa- » rochialis de jure communi fundat intentionem in perceptione » Decimarum prædialium ex fructibus; qui colliguntur intra li- » mites Parochiæ suæ." Ita post alios Canonistas Fagnanus ad *cap.* 29. ✠ *de Decimis*, *num.* 21. additque: eamque passim servat Rota, ut in pluribus decissionibus relatis à Cardinali Seraphico *deciss.* 802. *num.* 1. in quibus Rota firmavit Parochialem Ecclesiam fundare intentionem super Decimis, etiam contra Episcopum: quod & tradit Rebuffus tractatu *de Decimis*, *quæst.* 7. *num.* 5. nimirùm quod Curati fundati sint in Decimis prædialibus provenientibus intra limites suarum Parochiarum contra Episcopum.

X. Antiquitus quidem, uti observat Claudius le Prestre *in suis quæstionibus*, *Cent.* 3. *cap.* 24. priusquam Ecclesia pluribus terris, & possessionibus ditata esset, *quarta* omnium proventuum Ecclesiasticorum ad Episcopum, in sua respectivè Diœcesi, spectabant: at hodie in decimis Parochialium Ecclesiarum non debet Episcopus, nec de jure communi, nec de consuetudine habere aliquam portionem; nisi forsan ex particulari conventione, vel titulo portio aliqua ipsi esset reservata; de quo casu accipiendum est *cap.* 13. ✠ *de Decimis*, ubi alicujus portionis Episcopo competentis mentio occurrit, uti notat Glossa ad dictum Capitulum.

XI. Proposuit olim Episcopus Massiliensis Alexandro III. quòd essent homines in Parochia unius Ecclesiæ, qui terras in alia Parochia excolunt; consuluitque Alexandrum, » cui Ec- » clesiæ de terris illis decimas solvere debeant, an ei, in cujus » Parochia sunt constituti; (fortè legendum *constitutæ*) an illi, » in qua divina audiunt, & Ecclesiastica alia percipiunt Sacra- » menta? Respondet Pontifex: Sanè cum hujusmodi quæstio » temporibus prædecessorum nostrorum sæpiùs mota fuerit, nec » ab aliquo terminata, aliis intuitu territorii, aliis personarum » obtentu asserentibus debere persolvi, non est omnibus facilè » certum super hoc dare responsum, cùm auctoritates Sancto- » rum Patrum etiam sint diversæ; & ideò, in hujusmodi dubi- » tatione ad consuetudinem duximus recurrendum, & atten- » dendum, etiamsi illæ Ecclesiæ in uno sint, vel in diversis » Episcopatibus constitutæ. Quia difficile nimis videtur, ut una » Ecclesia in Episcopatu alterius recipiat decimas, cùm ex hoc » Episcopatuum fines confundi non immeritò viderentur."

Refertur casus, & resolutio in *cap.* 18. ✠ *de Decimis*; sed fusiùs in *cap.* 4. *de Decimis*, in secunda Decretalium collectione apud Antonium Augustinum, è qua textum descripsi.

XII. Ad hanc dubiam, & suspensivam resolutionem reflectens Glossographus in citato *cap.* 18. verbo *diversæ*, ait: » Fa- » cilè est solvere hanc diversitatem. Ibi debent dari personales » decimæ, ubi quis recipit Ecclesiastica Sacramenta: & si ha- » bet prædia in alia Parochia, ibi debet dare decimas illorum » prædiorum."

XIII. Hæc distinctio Glossæ communiter recepta est, & jure ac consuetudine probata, præsertim quoad decimas *prædiales*; ut hæ debeantur Parocho, sive Ecclesiæ Parochiali intra cujus limites prædia sita sunt, uti apertè declaravit Bonifacius VIII. *in cap.* 2. *de Restitut. Spoliat. in VI.*

XIV. Legitur in Synodo Wigorniensi anno 1240. *Canon. XLIV.* » Cùm decimarum confusio provenientium de la- » na, agnis, & caseis, Ecclesiarum rectoribus amodo contentio- » nis occasionem generet: statuimus quòd in quacunque Paro- » chia per totum annum fuerit ovile ovium, licèt oves Paro- » chiæ vicinæ limites transeant ad pascua quærenda, illi Eccle- » siæ in cujus Parochia cabaverint, Decimæ tribuantur. Quòd si » continuè cubant in una Parochia, & continuè pascant in alia, » inter Ecclesias decima dividatur. Idem, & quod de vaccis » duximus esse statuendum."

XV. Hæc Synodalis determinatio quoad decimas animalium, & juri, & consuetudini sat conformis est. Et licèt decimæ agnorum, & similes dicantur mixtæ; tamen prædialibus magis, quàm personalibus accedunt, uti notat Glossa ad *cap.* 20. ✠ *de Decimis*, verbo *Personales*; ex quo ibidem infert: » Ubi er- » go pascuntur continuò, ibi decimæ solvi debent."

XVI. Deinde quærit: Sed quid, si per medietatem anni in territorio unius Ecclesiæ, & per aliam medietatem in territorio alterius Ecclesiæ pascantur? Æquum est (ait) ut dividantur.

Testatur quoque Germanus Forget in suo tractatu *de Decimis*, *cap.* 4. *num.* 6. quòd si animalia diversis in Parochiis pascantur, communiter observari in Gallia, decimas esse dividendas inter Parochos, servatâ proportione temporis, quo animalia in Parochia manserint, & pabula acceperint.

Similiter refert Michael de Perray in suo tractatu *de Congrua portione*, *tom.* 2. *cap.* 30. *num.* 46. judicatum 20. Decembris 1685. quòd quando grex pertinet ad villicum, qui habet duas villas in duabus Parochiis, decimam dividendam esse in Parochos utriusque villæ.

XVII. Idipsum quoad divisionem decimæ animalium inter Parochos tradit Rebuffus *de Decimis*, *quæst.* 6. ubi unà notans *num.* 27. consuetudinem, in his nonnunquam aliam esse: asseritque valere consuetudinem, ut Ecclesia Parochialis, ubi *frequentiùs* pascantur, accipiat decimam; & *communiùs* (ait) *observatur*.

XVIII. Itaque hoc apud omnes compertum est, decimas *de jure* spectare ad Parochos: ideoque juxta receptissima & notissima Juris principia, Parocho competunt decimæ infra limites suæ Parochiæ excrescentes, quandiù non ostenditur aliquo speciali, & legitimo titulo ad alium spectare; idque plenè & ad sufficientiam juris probatum fuerit. Si enim vel circa probationem, vel titulum maneat aliquod dubium, Parocho, cui jus commune favet, adjudicandæ erunt decimæ, sive potiùs non auferendæ; uti aliquando in casu admodum dubio judicatum esse testatur Ludovicus Charondas *lib.* 1. *Resp.* 29.

XIX. Hoc fundamento declaravit Bonifacius VIII. in *Cap.* 2. ✠ *de Restit. spoliat.* » Ad decimas, quas Canonici » S. Nicolai se asserunt intra Parochiam Ecclesiæ B. Cleri pos- » sedisse *aliquandiù*, & eis per eundem Clericum *spoliatos* fuis- » se, nequaquam restitui deberi, nisi *evidenter* docuerint, » quòd earum possessionem legitimè assecuti fuissent."

XX. Quamvis hæc Pontificis decisio, quoad Parochum spoliantem Canonicos jure decimandi hodie non admitteretur; neque Parocho fas sit, quemquam viâ facti in possessione quantumvis exigui temporis turbare, uti notat Grimaudet *de Decimis*, *lib.* 3. *cap.* 8. nihilominus ex hac Pontificia decissione, nec non fundamento decisionis patescit, Pontificem non dubitâsse, decimas pleno, & indubitato jure spectare ad Parochum; easque Parochum sibi vindicare posse, quandiù non ostenditur speciali titulo eas ad alium spectare.

XXI. Et sanè inspectâ primigeniâ decimarum origine, atque ipsa Fidelium Offerentium primâ intentione, videntur decimæ non minore jure ad Parochum spectare, quàm oblationes, quæ hodie in Sacramentorum administratione, & mortuorum sepulturis dari solent. Nam decimas à populo primitùs oblatas esse Parochis ad eum modum, quo hodie jura funeralia, aliave in Sacramentorum administratione offeruntur, & solvuntur; & hæc à populo demum offerri, & quodammodo exigi cœpisse, postquam variis modis decimæ à Parochis ablatæ, & ad Monasteria, & Capitula devolutæ fuêre, à pluribus observatum est.

XXII. Observatque Christianus Lupus *Dissertatione 2. proœmiali ad tomum 3. Scholiorum in Canones*, *cap.* 7. quòd cùm seculo XI. & XII. Decreta plura edita essent adversus exactiones in Sacramentorum administratione, nihil tamen *perfectum* fuisset, quia Episcopi Decreta recipere noluerunt: nimirum illi, » qui vel ipsi, vel ipsorum Cathedralia, aut Col- » legiata Capitula possidebant Parochialium Ecclesiarum de- » cimas: ideoque volebant de ipsis splendidè vivere, & mi- » seros Parochos esurire; atque ita cogi ad victitandum de so- » lis oblationibus, aut exactionibus Sacramentorum." Hæc ille, qui dein adjungit: » Episcopi, & alii jam dictas decimas pos- » sidentes Prælati, eorumque Capitula ac Monasteria, *rigi-* » *dum*

» *dum* coram Deo onus portant dandæ Parochis sustentatio-» nis integræ , & *miseras* plebes liberandi ab exactionibus » variis , *suspectis offensivis* ad quas isti à paupertate co-» guntur. «

Verùm de hoc latiùs titulo sequenti ; ubi unà ostendetur, hâc eâdem ratione onus dandi portionem congruam , seu competentiam Pastoralem esse annexam juri decimandi.

XXIII. Cùm Ecclesia Parochialis jure communi sit fundata in perceptione decimarum infra limites Parochiæ excrescentium, perspicuum est , jus decimandi intra eosdem limites præscribi non posse contra Ecclesiam Parochialem , nisi cum possessione 40. annorum concurrat titulus , vel defectum tituli suppleat possessio immemorialis ; sive tanti temporis , cujus contrarii memoria non existit , juxta Decretalem Bonifacii VIII. in *cap.* 1. *de Præscriptionibus* , *in* VI. ubi » declarat , Episcopum , qui » Ecclesias & decimas , quas ab eo repetis , proponit (licet in » tua sint constitutæ Diœcesi) se legitimè præscripsisse , allega-» re oportere (cùm jus commune contra ipsum faciat) hujusmo-» di præscriptionis *titulum* , & probare. Nam licèt ei , qui rem » præscribit Ecclesiasticam , si sibi non est contrarium jus com-» mune , vel contra eum præsumptio non habeatur , sufficiat » bona fides ; ubi tamen est ei jus commune contrarium , vel » habetur præsumptio contra ipsum , bona fides non sufficit; » sed est necessarius titulus , qui possessori causam tribuat præs-» cribendi. Nisi tanti temporis allegetur præscriptio , cujus con-» trarii memoria non existat. «

XXIV. Eadem ratione privilegia concessa Capitulis , Monasteriis , vel singularibus quibusvis personis percipiendi decimas intra limites Parochiæ ad exclusionem Ecclesiæ Parochialis , sunt strictissimè interpretanda , & intra verborum rigorem concludenda : quod infrà latiùs probabitur , ubi *de Decimis novalibus* , & *minutis* agemus.

* Ex his , quæ passim in hoc capite dicta sunt , facilè concluditur , quòd decimæ pertineant ad Ecclesias Parochiales, non autem simpliciter ad Parochum.

Hic enim nullum jus habet ad decimas infra districtum Parochiæ excrescentes , nisi in quantum ipse Ecclesiam Parochialem *in titulum* possidet ; & ita vi sui tituli jus habet ad omnia, quæ Ecclesiæ Parochiali sunt annexa , quemadmodum quilibet Beneficiatus juxta modernam disciplinam jus habet ad proventus titulo sui Beneficii annexos.

Quando verò Ecclesia Parochialis est incorporata , & appropiata Capitulo , aut Monasterio , tunc vi istius incorporationis , seu appropiationis , unà Capitulo , & Monasterio censentur incorporata , quæ spectant de jure ad Ecclesiam Parochialem.

Prætereà Ecclesia Parochialis quoad ipsum *titulum* censetur quodammodo extincta , vigore similis incorporationis : unde Presbyter , sive Vicarius curam spiritualem hujus Ecclesiæ incorporatæ sustinens , non censetur hanc Ecclesiam propriè possidere in *titulum* , & consequenter nec prætendere potest vi tituli , sive Ecclesiæ Parochialis jus ad omnes decimas intra fines Parochiæ excrescentes ; ut pote quod jus , unà cum *titulo* , vigore incorporationis ad Monasteria , aut Capitula censetur translatum , solo jure competentiæ , sive congruæ portionis Presbytero curam animarum sustinenti salvo ; uti latiùs probatum est in dissertatione *de pristinis Ecclesiarum Parochialium incorporationibus*.

Et licèt per erectionem Vicariæ *perpetuæ* Vicarius Vicariam illam assecutus , reipsa verum Beneficium Parochiale etiam in *titulum* censeatur assecutus (uti titulo 21. annotatum fuit) nihilominus propter incorporationem Ecclesiæ illius quoad *temporalia* , non assequitur vigore hujus Vicariæ perpetuæ , sive novi erecti tituli , jus ad proventus temporales Ecclesiæ Parochialis incorporatæ , qui ante incorporationem ad ipsam Ecclesiam Parochialem spectabant , & per incorporationem sunt ad Capitulum vel Monasterium translati ; sed duntaxat jus perpetuum ad congruam portionem , seu competentiam in ipsa incorporatione Ecclesiæ Vicario servatam , uti ostendi in citata dissertatione *de pristinis Ecclesiarum Parochialium incorporationibus* , in qua id tantùm exponere animus fuit , quid juris Parochis competat ad decimas , aliosque proventus temporales , factis & admissis , atque hactenus toleratis hisce incorporationibus ; non autem animus fuit inquirere , vel determinare, num has omnes incorporationes facere & admittere oportuisset.

CAPUT IV.

De Decimis Laicalibus , sive infeudatis.

1 *Census debitus ab Emphyteutis dictus* Decima , *à* decimis *Ecclesiasticis diversa.*
2 *Pretextu similis censûs multæ terræ exemptæ à decimis.*
3 *Decimarum Ecclesiasticarum laicos esse incapaces , Canones declarant.*
4 *Decretum Concilii Romani sub Gregorio VII.*
5 *Laicos decimas nulla posse ratione præscribere , scribit Alexander III.*
6 *Idem Pontifex deplorat , Sacerdotes occasionem dare laicis decimas occupandi.*
7 *Dicit eas esse* Sacerdotum ; *& ideò à laicis teneri non posse.*
8 *Decimæ principaliter institutæ in usum Sacerdotum.*
9 *Hac consideratione jus decimandi est* spirituale.
10 *Eatenus laici illius incapaces.*
11 *Decimæ per se non sunt spirituales ; nec earum laici incapaces.*
12 *Privilegium Regum Hispaniæ accipiendi* tertias *decimarum.*
13 *Privilegium hoc fuit personale usque ad Alexandrum VI. qui illud fecit perpetuum.*
14 *Comiti Flandriæ jam pridem decimæ datæ in feudum.*
15 *Laicis decimas in feudum* perpetuum *concessas seculo XII. fatetur Fridericus Imperator.*
16 *Episcopi , & Prælati nimia facilitate decimas laicis concedebant.*
17 *Canones multi editi contra laicos decimarum detentores.*
18 *Violenter resistebant Laici , & Monachi Episcopis decimas vindicantibus.*
19 *Episcopi nonnihil de rigore contra laicos decimas possidentes remittunt.*
20 *Decretum Concilii Bituricensis seculo XI.*
21 *Synodus Tolosana tantùm præcipit* tertiam *partem decimarum à laicis possessarum dari Ecclesiis.*
22 *Gregorius VII. monet suum Legatum , ut mitiùs cum militibus decimas possidentibus agat.*
23 *Indicatur , vitia Sacerdotum occasionem dedisse laicis decimas sibi appropiandi.*
24 *Quærela de Episcopis dantibus decimas militibus , & consanguineis.*
25 *Constat seculo XI. decimas* in feudum *datas.*
26 *Laici in possessione decimarum* infeudatarum *incipiebant tolerari.*
27 *Permittebatur eis in quemcunque Clericum decimas post mortem transmittere.*
28 *Concilium Lateranense sub Alexandro III. vetat eas in* alios laicos *transferre , & de novo accipere.*
29 *Communis opinio hoc Decreto permissum fuisse laicis hactenus possessas decimas retinendi.*
30 *Meritò dubitatur , an hæc opinio sit fundata.*
31 *Hæc interpretatio Concilii quoad decimas infeudatas videtur probata Innocentio III.*
32 *Ratio , ob quam decimæ infeudatæ laicis facilius permitterentur.*
33 *Concilium Lateranense sub Innocentio III. videtur tacitè decimas infeudatas permisisse.*
34 *Judicat Innocentius III. laicos super decimis infeudatis non inquietandos , modò eas non extendant.*
35 *Alexander IV. distinxit decimas possessas* ante , *&* post *Concilium Lateranense.*
36 *Canonistæ supposuerunt Alexandrum loqui de Concilio Lateranensi sub Alexandro III. quæ opinio hodie recepta est.*
37 *Laicus hodie prætendens decimas , debet probare eas infeudatas ante dictum Concilium : & quomodo hoc probetur.*
38 *Decimæ infeudatæ à laicis hodie possidentur ut cætera bona feudalia , & patrimonialia.*
39 *Possunt quovis titulo etiam in alios laicos transferri.*
40 *De his tàm in* petitorio , *quàm* possessorio *cognoscit judex laicus.*
41 *Decimæ hæ retinent equidem aliquid de primigenia sua conditione.*
42 *Reversæ ad Ecclesiam resumunt primigeniam naturam.*
43 *Decima sic reversa eximitur à jurisdictione laicali.*
44 *In acquisitione harum decimarum Ecclesia non indiget amortizatione.*
45 *Nec venditæ subjacent retractui Gentilitio.*
46 *Hæc locum habent , quando decimæ infeudatæ liberè & simpliciter redeunt ad Ecclesiam.*
47 *Quid si decimæ revertantur accessoriè cum castro.*
48 *Novas decimas vetantur laici accipere.*

I. Decimæ , prout accipiuntur , & dum eas à laicis possideri non posse Canones dicunt , multùm differunt à decimis *dominicis* , aut *indominicatis* , quæ passim occurrunt in Ecclesiæ Gallicanæ Conciliis ; uti monet Franciscus de Roye Antecessor Andegavensis *Institutionum Juris Canonici, lib.* 2. *cap.* 12. » Hæ siquidem (ait) profanæ sunt , & agro-» rum census , aut tributa ; veluti compartium , agrarium , co-» tagium , & alia id genus. «

Solebant enim frequenter ipsi Principes , aut Nobiles terras suas dare in emphyteusim eâ conditione , ut certa pars fructuum

tuum Emphyteutis solveretur dominis directis; quæ pars fructuum subinde *decima* vocata fuit. (x)

II. Quin & notat Zypæus in *Notitia Juris Belgici titulo Episcopis, & Clericis*, §. *de Decimis*, *num.* 9. quòd quamvis similia jura non sint *decimæ*; tamen hoc prætextu multæ terræ à decimarum solutione exemptæ remaneant; quasi revera decimas exsolverent ipsis Dominis. » Cùm enim (ait) terræ inculæ spectent per mores ad Principem, seu Vasallos, qui territoria ab eis possident, & in emphyteusim sæpè datæ sunt, atque in dies dentur eâ lege, ut *decima* fructuum ad Dominos spectet, eaque decimi manipuli vernaculè vocari apud nos soleant, fit, ut sæpiùs exinde hæc confusa sint, & in abusum decimarum trahantur. «

III. De his itaque decimis, sive juribus planè profanis, & laicalibus hîc non agitur: sed de veris decimis origine sua Ecclesiasticis; quæque à populo in usum Ecclesiæ primitùs oblatæ fuerunt.

Harum decimarum laicos esse omninò incapaces; neque eas ullâ præscriptione, aut longi temporis possessione sibi vindicare posse, uno quasi consensu tradunt Canonistæ; idque multorum textuum Juris Canonici auctoritate.

IV. Apud Gratianum *Caus.* 16. *quæst.* 7. *Can.* 1. ex Concilio Lateranensi sub Gregorio VII. refertur: » Decimæ, quas in usum pietatis concessas esse Canonica auctoritas demonstrat, à laicis possideri Apostolicâ auctoritate prohibemus. Sive enim ab Episcopis, vel Regibus, vel quibuslibet personis eas acceperint, nisi Ecclesiæ rediderint, (y) sciant se sacrilegii crimen committere, & æternæ damnationis periculum incurrere. «

V. Et Alexander III. causam vertentem inter Archidiaconum, & nobilem virum super *decimis*, committit Parmensi Episcopo, ut eam auditis utrimque patribus debito fine decidat, » non obstante præscriptione temporis, vel concessione Ecclesiasticæ, secularisve personæ, si idem eam opponere voluerit: *Quia* (ait) *cùm laici decimas detinere non possint, eas* NULLA *valeant præscribere ratione.* « Refertur hæc Decretalis in *cap.* 7. ✠ *de Præscriptionibus*; & latiùs in *cap.* 10. *eod. tit.* in prima Collectione apud Antonium Augustinum.

VI. Deplorat idem Pontifex in *cap.* 17. ✠ *de Decimis*, quòd laici in asserendis sibi decimis, » fomitem sui erroris dicantur in ipso Clero aliquoties invenire, dum quidam Prælatorum Ecclesiæ decimas, & Ecclesias eis disponere indulgent, & eos in devia mortis impellunt, qui prædicatione eorum ad viam vitæ fuerant revocandi. Statuimus, ut si quis alicui laico in seculo remanenti Ecclesiam, decimam, oblationemque concesserit, à statu suo, sicut arbor, quæ inutiliter terram occupat, succidatur; & donec emendet, dolore suæ jaceat ruinæ postratus. «

VII. Ratio, ob quam laicis nefas sit, decimas possidere, Prælatique adeo arguendi sint, qui eas laicis concedunt, initialibus verbis ipsius Decretalis indicatur: » Quamvis (ait) sit grave nimis, & divini dignum animadversione judicii habeatur, quòd laici quidam, quod *Sacerdotum* est, in Ecclesiasticis rebus usurpent. «

His itaque verbis indicatur, ideò nefas esse, decimas à laicis usurpari, aut laicis concedi, quia decimæ sunt Sacerdotum; nefas autem, à laicis usurpari aut detineri, *quod Sacerdotum* (z) *est.*

VIII. Si decimas consideremus juxta primariam earum institutionem, & originem, certum est, eas Sacerdotibus tanquam Ecclesiæ Ministris, sive ut operariis, & spiritualia populo ministrantibus fuisse assignatas: Nam, ut rectè notat S. Thomas 2. 2. quæst. 86. art. 2. in Corp. *Radix solutionis decimarum est debitum, quo seminantibus spiritualia, debentur temporalia.*

IX. Hinc idem Doctor *art.* 3. *in Corp.* docet jus accipiendi decimas eatenus spirituale esse, » in quantum consequitur illud debitum, quo Ministris Altaris debentur sumptus de ministerio, & quo seminantibus spiritualia debentur temporalia: quod ad solos Clericos pertinet habentes curam animarum; & ideò eis competit hoc jus habere. « Sive ut dicit Joannes Gersonius in tractatu *de Vita spirituali animæ*, decimæ sunt quid spirituale *per deputationem.*

X. In quantum ergo jus decimarum fundatur in ministerio Clericali, vel Pastorali, eatenus laici, etiam Religiosi juris decimandi incapaces sunt; eoque titulo jus decimandi rectè dicitur spirituale, & solis Clericis competere posse.

XI. Verùm, uti ibidem subjungit Doctor Angelicus, » res, quæ nomine decimarum dantur, corporales sunt. Unde possunt in usum quorumlibet cedere; & sic possunt ad laicos pervenire. «

Hinc ulteriùs in responso ad tertium argumentum statuit S. Thomas, quòd possit Ecclesia alicui laico concedere, ut dandas decimas ipse accipiat; » sive pro necessitate Ecclesiæ (sicut quibusdam militibus decimæ debentur, in feudum per Ecclesiam concessæ) sive etiam ad subventionem pauperum (a); sicut quibusdam Religiosis *laicis*, vel non habentibus curam animarum aliquæ decimæ sunt concessæ per modum eleemosynæ. «

* Quandoquidem negari nequeat, quin decimæ in se consideratæ sint res *temporales*, quin nec naturam rerum temporalium amittant, licèt ad usum pium, aut etiam Ecclesiasticum, ex voluntate offerentium destinentur; non sine fundamento crediderunt Principes, decimas tanquam res temporales suæ jurisdictioni esse subjectas: neque solâ illa destinatione in usum Ecclesiasticum à sua jurisdictione planè eximi, ideoque nec dubitârunt, sibi integrum esse, earum exactionem, & solutionem suis legibus circumscribere, quemadmodum hîc & alibi, etiam pristinis seculis à Catholicis Principibus factum legitur.

Imò cùm de rebus temporalibus agatur, Edicta Principum in hac decimarum materia ante omnia servanda esse, prout & hic in Belgio, aliisque plerisque provinciis servari videmus; atque conformiter ad illa quæstiones in hac materia decidi, neglectis Decretalibus, cæterisque Ecclesiasticis Constitutionibus, quæ Principum Edictis possent esse contrariæ.

XII. Pontifices nonnunquam Regibus decimas nonnullas concessisse certum est.

Refert Emmanuel Gonzalez *in Commentario Capituli* 19. ✠ *de Decimis*, quòd Romani Pontifices concesserint *tertias* decimarum Regibus Catholicis, qui proprio sanguine, & maximis sumptibus Ecclesias à Sarracenis occupatas recuperarunt; asseritque Regem Catholicum in Hispania ex acervo decimarum in novem partes diviso duas partes percipere.

XIII. Circa tempus verò hujus concessionis (ait) non satis constat; illud tamen certum est, usque ad tempora Alexandri VI. hæc privilegia Regibus nostris concessa non fuisse perpetua, sed temporalia in subsidium belli cum Sarracenis initi. Alexander autem in sua Bulla, quæ incipit, *Dum indefensa*, anni 1494. die 16. Februarii concessit Regibus Catholicis Ferdinando, & Elisabethæ, ut in perpetuum tertias decimarum Regni Castellæ, Legionis, & Granatæ licitè perciperent: & quoad tertias Regni Granatensis aliud privilegium concessis Innocentius VIII.

Deinde citat Auctores qui referunt privilegia Romanorum Pontificum percipiendi partem decimarum concessa tam Regibus Castellæ, quàm Aragoniæ. (b)

XIV. In charta donationis Ecclesiæ S. Donatiani Brugis, quæ nunc Cathedralis est, legitur apud Miræum in Codice *piarum donationum*, *cap.* 34. quòd Arnulphus Magnus Flandriæ Comes donet dictæ Ecclesiæ, de Episcoporum Tornacensis, & Morinensis ordinatione, ac Consilio quasdam decimas; „ de iis, inquit, quas mihi, & prædecessoribus meis, in Comitatu, seu Marchionatu Flandriæ, de terris cultis, & incultis Sanctissimi Patres Papæ Romani pro adjutorio expensarum nostrarum, & nostrorum militum pro expugnatione, ac resistentia contra Wandalos, qui Flandriam, & alias terras vicinas cum Ecclesiis in ipsis constructis crudeliter, & damnabiliter devastabant, & incendio tradebant in feudum perpetuum concesserunt. «

XV. Hoc titulo decimas ad Principes pervenisse jam pridem in publica oratione habita in Consilio Principum dixit Fridericus I. Imp. uti scribit Arnoldus Lubecensis *lib.* 2. *cap.* 18. » Scimus autem (ait) *decimas*, & oblationes à Deo Sacerdotibus, & Levitis primitùs deputatas; sed cum tempore Chris-
» tia-

(x) *Hæ decimæ in Germania dicuntur illi proventus, quos Principes, vel Imperatores ex metallis, aut altis bonis* dominicis, *ut olim vocatæ sunt* decimæ profanæ, *percipiunt. Huc pertinent* decimæ *Goslariæ, quas Fridericus II. Imperator Ottoni Duci Luneburgensi in feudum dedit. Litteras feudales adfert Meibomius* tom. 3. rerum Germanicar. pag. 207. *ubi sequens formula occurrit.* Eum solemniter juxta consuetudinem investivimus per vexilla de affluentiore gratia concedentes eidem decimas Goslariæ imperio pertinentes. *Noviter in Hispania in novis Poblationibus, vulgò* de Sierra Morena, *hoc accidit, ut constat ex Regia Schedula de* 5. *Julii anno* 1767.

(y) *In quibusdam Codicibus, loco* reddirent *legitur* tradiderint.

(z) *Vide leg.* 1. *tit.* 5. *lib.* 1. *Recop.*

(a) *Leg.* 2. *tit.* 5. *lib.* 1. *Recopilat.*

(b) *Adde leg.* 1. *in fine dict. tit.* 5. *lib.* 1. *Recop. ex qua colligitur talis concessio, & quod virtute ejus tales decimæ, & tertiæ Coronæ incorporatæ sunt, ut constat ex leg.* 1. *in fine tit.* 21. *lib.* 1. *Recop. Quoad Dominia verò Indica omnes Decimæ Regi Catholico concessæ sunt Bulla Alexandri VI. anno* 1501. *& traditur etiam in Acto Acordat.* 21. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recop. Castellæ. Et post erectionem Ecclesiarum, vulgò* los dos novenos *dictarum Decimarum Catholicus Rex sibi reservavit, ut constat ex leg.* 1. 23. *&* 24. *tit.* 16. *lib.* 1. *Recopil. Ind.*

» tianitatis ab adversariis infestarentur Ecclesiæ, easdem decimas » Præpotentes, & Nobiles viri ab Ecclesiis in Beneficio stabili » acceperunt, ut ipsi defensores Ecclesiarum fierent, quæ per » se obtinere non valerent. «

Hîc notandum, seculo XII. decimas à laicis in *feudum perpetuum*, sive Beneficium stabile fuisse possessas.

XVI. Scitur quoque nonnullos Episcopos, & Prælatos sine necessitate, ac justâ causâ, sub idem tempus, id est, seculo XI. & XII. decimas concessisse; quin & laicos decimas, præsertim Ecclesiarum Parochialium propriâ auctoritate, aut Parochorum convenientia usurpâsse, & sibi asseruisse.

XVII. Scitur quoque circa idem tempus, multa Concilia, & Prælatorum conventus habitos fuisse; multaque Decreta edita contra laicos decimarum detentores.

XVIII. Narrat Aymoinus in vita Abbonis Floriacensis Abbatis *cap* 9. quod anno 997. in Monasterio S. Dionysii haud procul à Parisiis Concilium aggregatum quamplurimum Episcoporum fuerit. Cumque de *Decimis*, quæ à laicis ut plurimùm occupabantur, & Monachis passim detrahebantur, ad Parochianos reducendis, quæstio in medium fuisset propossita, resistente eis dicto Abbone Abbate, tanta seditio exorta fuit ut omnes Episcopi è Conventu fugere fuerint coacti; atque inter fugiendum Seguinus Archiepiscopus Senonensis, canitie venerabundus, fugiens inter scapulas securi ictus à populo cæno & luto oblitus, penè mortuus relictus; nec eum dignitas Sacerdotalis protexit, aut canities, quin penè occideretur. Tota historia extat tom. 9. Concil. General. *col.* 770. & seq.

XIX. Ex hac laicorum, & Monachorum violenta resistentia, satis intelligebant Episcopi, in hac materia, amore, pacis & tranquilitatis potiùs aliquid dissimulandum esse, quam cum omni rigore procedendum.

XX. Concilium Bituricense ann. 1031. *Can.* 21. & 22. hoc unum vetuit, ne laici tenentes Ecclesias Parochiales, seu earum proventus in *feudum*, dominatum in Presbyteros exercerent, neque suo arbitrio instituerent, aut eos destituerent, verba sunt: » Ut seculares Ecclesiastica Beneficia, quo *fevos* » Presbyterales vocant, non habeant super Presbyteros. Ut » nullus laicus Presbyteros in suis Ecclesiis mittat, nisi in ma» nu Episcopi: quia Episcopus curam animarum debet uni» cuique Presbyterorum commendare de Parochiis Ecclesiarum » singularum. «

XXI. Synodus Tolosana ann. 1056. *Can.* 11. monet: » de » Ecclesiis in alodiis *laicorum* constitutis, ut tertia pars deci» marum cum primitiis, & Presbyterio & cæteris in potesta» te Presbyteri ad servitium ipsius Ecclesiæ, sub Episcopis, » vel Clericorum ditione permaneant. «

XXII. Sub idem tempus Gregorius VII. cum intellexisset Hugonem Episcopum Diensem suum in Anglia Legatum aliquos milites excommunicâsse, propterea quod decimas dimittere noluissent, scribit eidem *lib.* 9. *Epist.* 5. » Super his igitur » consulimus, atque hortamur, ut nunc pro tempore Canoni» cum rigorem vestra sapientia temperet, atque hac turbatio» nis tempestate, quædam parcendo, nonnulla dissimulando, » ita studeat moderari, ut non ex severitate justitiæ deterioran» di occassionem sumant, sed suspenso nunc judicio, spatium » recognoscendi æquitatem habentes, postmodum faciliùs ac» quiescant. «

XXIII. Notandum autem id, quod præmiserat Pontifex, nimirum, milites illos priùs ad Presbyteros fornicarios, & simoniacos coercendos favorem, & auxilium ipsi Legato impendisse. Verisimile est, vitia hæc, quæ eo tempore plurimùm invaluerant, occasionem & prætextum dedisse laicis Ecclesias Parochiales, sive earum decimas, & proventus, quas & simoniacè accipiebant, & pessimè impendebant Presbyteri, occupandi.

XXIV. Apud Gratianum *Caus.* 16. *q.* 7. *Can.* 3. legitur Decretum sub nomine ejusdem Pontificis continens querelam Pontificis, contra quosdam Episcopos, qui » decimas atque » Christianorum oblationes non Sacerdotibus *propriæ* Diœcesis, » sed potiùs *laicalibus* personis, *militum* videlicet, sive *servito» rum* vel quod gravius est, etiam *consanguineis* conferebant. «

Decretum hoc apud Gregorium non reperitur, quamvis quid simile reprehendat idem Pontifex in Gerimanno (c) Episcopo Metensi *lib.* 6. *Epist.* 5. uti notant Correctores Romani ad *Can.* 13. *caus.* 1. *q.* 3. ubi idem Decretum rursus refertur.

XXV. Quidquid sit de veritate hujus Decreti, illud sat constat, circa rempora hujus Pontificis datas esse laicis decimas in *feudum*; uti testatur P. Damiani *lib.* 1. *Epist.* 10. his verbis: » Inter omnia porrò hæc mala illud excedit, & diabolicam pro» pemodum videtur æquare nequitiam, quia prædiis in militiam » profligatis, omnique possessione terrarum, insuper & *deci» mæ*, ac plebes adduntur in *beneficium* secularibus. «

XXVI. Insuper illud non obscurum, quòd licèt hujusmodi decimarum *infeudationes*, quæ frequenter sine necessitate, aut magna Ecclesiæ utilitate secularibus annuebantur, ab Ecclesia non probarentur, nihilominus aliquatenus tolerari inciperent: præsertim cùm jam laici in hac decimarum possessione aliquandiù fuissent.

XXVII. In Concilio Abricensi, cui duo Legati Sedis Apostolicæ præsidebant, an. 1172. promulgatum fuit hoc Decretum *Can. IX.* » Item his, qui decimas *hæreditario* jure tenent, licentia sit, cui voluerint, idoneo *Clerico* dare, eo quidem » tenore, ut postea ad Ecclesiam, cui de jure competunt, re» vertantur. «

XXVIII. Tandem Concilium Lateranensis III. sub Alexandro III. anno 1179. *Can. XIV.* edidit hoc decretum: „Pro» hibemus, ne laici decimam cum animarum periculo detinen» tes in *alios laicos* possint aliquo modo transferre: Si quis ve» rò receperit, & non reddiderit, Christianâ sepultura prive» tur. « *Can.* 19. ✠ *de Decimis.*

XXIX. Quia Concilium expressè non injungit restitutionem decimarum, quas hactenus laici possidebant, sed tantùm vetat eas in *alios laicos* transferri, additâ prohibitione novas recipiendi, vulgò creditum est, Concilium permisisse laicis retinere eas decimas, in quarum possessione ante hoc Decretum fuerant.

XXX. Verùm cum Concilium expressè dicat, laicos cum *periculo animarum decimas detinere*; nec verbo indicet, eas *licitè* ab eis retineri: meritò nonnulli dubitant, num rectè huic Decreto adscribatur licita decimarum infeudatarum possessio: quemadmodum latiùs deducit Ludovicus Thomassinus *de Disciplina Ecclesiæ, part.* 4. *lib.* 3. *cap.* 3. *num.* 7.

Unde in Constitutionibus Synodalibus Odonis Episcopi Parisiensis, 20. circiter annis post dictum Concilium legitur: „Fre» quenter moneantur laici, ut non detineant decimas, quas in » periculum animarum suarum detinent. «

XXXI. Equidem hæc opinio, & Decreti interpretatio videtur sensim invaluisse; præsertim quoad decimas *infeudatas*, atque eodem penè seculo probatam fuisse Innocentio III. Cùm enim Capitulum Suessionense postulâsset ab Innocentio III. licentiam redimendi decimas, quæ infrà metas Parochiarum ipsius Capituli *in feudum* à laicis detinebantur, eam facultatem annuit hac additâ clausulâ: » Proviso nihilominùs ut consueta ser» vitia, ad quæ laici pro decimis illis Ecclesiis tenebantur, etiam » post contractum talis venditionis impendant, cùm ad eos pre» tium perveniant earundem. Nisi fortè tam modico pretio ve» lint esse contenti, quod ob hoc Ecclesiæ ab exactione servitio» rum illorum, tanquam pro redemptione majoris incommodi » commodè valeant abstinere. « *Lib.* 4. *Epist.* 9.

Hîc notandum imprimis Pontificem non dicere, laicos has decimas *infeudatas* retinere non posse, aut earum *pretium* injustè recipere, prout antea dici solebat.

XXXII. Secundò, significat Pontifex, laicos ratione harum decimarum *infeudatarum* obligari ad aliqua servitia Præstanda Ecclesiis, quarum decimas in feudum detinebant: atque ita Ecclesia videbatur probare ipsorum jus, & possessionem, recipiendo servitia illa in compensationem decimarum.

Tertiò, habetur ex hac Innocentii Epistola, quòd laici illi post redemptionem decimarum tenerentur continuare solita *servitia*, si pretium aliquod notabile decimarum accepissent; indicium non obscurum, *servitia* illa aliquatenus pretio decimarum correspondisse.

Hoc igitur fundamento, decimas *infeudatas* tolerasse, nec earum possessores inquietandos judicâsse videtur Innocentius: motus forsan prædictâ Concilii Lateranensis sub Alexandro III. interpretatione.

XXXIII. Quidquid sit, licèt in Concilio Lateranensi sub hoc Innocentio plura contra usurpationes decimarum Decreta edita sint, nullum tamen occurrit, quod vel in speciem urgeat restitutionem decimarum, quas laici in feudum jam obtinebant.

XXXIV. Imò idem Pontifex scribit Vercellensi Episcopo in *cap.* 25. ✠ *de Decimis*: » Nec occasione decimationis » antiquæ (licèt *in feudum* decimæ sint concessæ) sunt decimæ » novalium usurpandæ; cùm in talibus non sit extendenda licen» tia, sed potiùs restringenda. «

Hîc sat patenter videtur innuere, super decimis antiquis præsertim *in feudum* concessis, laicos non inquietandos; modò eam licentiam non extendant.

XXXV. Hæc interpretatio Concilii Lateranensis super retinendis decimis ante Concilium à laicis possessis, magis continuò invaluisse videtur. Sub medium enim seculi XIII. Alexander IV. postquam dixit, Religiosos posse de consensu Episcoporum decimas à laicis detentas accipere, subjungit: » Illas au» tem decimas inteligimus posse taliter à Religiosis de manibus » laicorum recipi, vel acquiri, quæ ante Lateranense Concilium » ipsis laicis *in feudum perpetuò* fuêre concessæ. « *Cap.* 2. §. *Sanè de Decimis, in VI.*

XXXVI. Quamvis Alexander non expresserit, quod Con-ci-

(c) *In plurimis Codicibus solet legi* Herimano, *id est*, Hermanno.

cilium Lateranense intelligat; communi tamen Canonistarum opinione receptum fuit, hîc intelligi Concilium Lateranense sub Alexandro III. Unde in Corpore Canonico ad verbum *Concilium*, apponitur hæc nota marginalis: *Hoc est Concilium Lateranense sub Alexandro III. cap.* 9.

Canonistarum hæc Glosa ubique recepta fuit; & secundum illam hodie invaluit, laicos non esse turbandos super decimis, quas ante Concilium illud Lateranense possederunt: ejusque distinctionis in ipsis quoque Principum nostrorum, uti & Regum Galliæ edictis frequens mentio occurrit.

Hinc pro communi, & vulgari regula hodie receptum est, decimas *infeudatas* à laicis licitè retineri posse, modo eas possederint ante Concilium Lateranense sub Alexandro III.

XXXVII. Inde ulterius statuunt, quòd laicus hodie prætendens decimas in aliqua Parochia tanquam *infeudatas*, debeat ostendere, titulum infeudationis suæ præcessisse dictum Concilium Lateranense; aut saltem probare possessionem *immemorialem*, quodque ab antiquo semper collegerit decimas, *nec vi*, *nec clam*, *nec precario*, nullo contradicente; nec de contrario extet memoria. Hæc quippe possessio vicem tituli supplet, aut saltem præsumptionem facit, eum legitimè, & cum titulo possidere; uti post Panormitanum ad *Cap.* 7. ✠ *De his, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli*, notant communiter Doctores; & ita sæpiùs judicatum refert Claudius le Prestre *Cent.* 1. *cap.* 13. & latiùs Carolus Fevretius, *de Abusu, lib.* 6. *cap.*2. Monet nihilominus Broudæus ad Louetium *Litter. D. num.* 9. possessionem illam esse sufficientem, si modò nitatur antiquis aliquibus investituris, licèt prima, imò nec illæ, quæ præcesserunt Concilium Lateranense, ostendantur: aliàs simplex possessio non sufficeret.

XXXVIII. Illud quoque jam pridem hîc, & in Gallia, aliisque partibus invaluit, quòd decimæ *infeudatæ* à laicis possideantur ut alia bona patrimonialia; quodque illas liberè vendere, ac alienare queant etiam aliis laicis; & ad suos hæredes sive testamentarios, non secus ac alia bona patrimonia & allodiana transmittantur.

XXXIX. Idque contra suprà citatum textum Concilii Lateranensis, & Decretum Gregorii IX. *cap.fin.* ✠ *de Decimis*; uti jam pridem observavit Guillielmus Benedicti ad *Cap.* RAYNUTIUS ✠ *de Testamentis*; & post ipsum omnes passim Pragmatici; & de Belgio testatur Zypæus *Resp.* 2. *de Decimis*, *num.* 5. & notoria praxis ubique confirmat.

XL. Quare & de hujusmodi decimis tanquam bonis laicalibus, & feudalibus, tam in Belgio, quàm Gallia non tantùm in possessorio, sed & petitorio cognoscit judex laicus: quod & in Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem expressum est.

XLI. Interim decimæ ex sua primigenia institutione, & natura sunt Ecclesiasticæ; & tanquam *feudales* cum certo quodam adhuc respectu ad Ecclesiam, à qua ad laicos devenisse præsumuntur.

XLII. Hinc jampridem declarâsse S. Ludovicum Regem Galliæ, refert Molinæus ad Consuetudines Parisienses, §. 68. *num.* 21. *edit.* 1612. » quòd decimæ ad Ecclesiam reversæ ex » tunc, & deinceps semper censerentur, & reputarentur res » merè *Ecclesiasticæ*, tanquam ad originem, & primitivum » statutum reversæ; etiamsi constare, quod priùs spectabant » laicis jure infeudationis ante Concilium Lateranense. «

XLIII. Additque Molinæus, quòd decima sit simpliciter, & purè à laicis reversa ad Ecclesiam, » per privilegia Ecclesiæ data, sit deinceps exempta à jurisdictione seculari, (d) nec » possit à potestate seculari deprehendi. Et hoc procedit, si- » ve hujusmodi decima detur, vel remittatur ipsi Ecclesiæ » Parochiali, ad quam de jure communi spectat, sive alii Ec- » clesiæ, vel Collegio Ecclesiastico, dummodò sine onere, » & qualitate feudi. «

XLIV. Insuper ex hac primigenia conditione decimarum, quam etiam existentes in manibus laicorum retinere aliquatenus videntur, permisit idem Sanctus Rex omnibus, qui in suis terris possident *decimas*, aut alibi à se tanquam *reelevantes* jure feudi, eas Ecclesiæ restituere in *perpetuum* sine ulla alia Regis licentia: neque debere solvi ulla jura amortizationis, notat Louetius *litt. D. num.* 60. (e)

XLV. Eodem ex capite, decimas infeudatas, si Ecclesiæ venditæ sint, retractui *gentilitio* non subjici, non semel judicatum esse refert Renatus Choppinus, *lib* 3. *de dominio Gallico*, *tit.* 23. *num.* 8. » Decimarum enim sacrum jus (ait) quæ redie- » rint ad Ecclesiam postliminio, pristinam recipit sacræ rei con- » ditionem. «

XLVI. Hæc quidem, si decimæ laicales, & infeudatæ simpliciter, & purè Ecclesiæ restituantur; secus si quis laicus decimam suam infeudare Ecclesiæ, vel ei concedat in feudum, & ad onera feudalia erga se: quia tunc semper remanet feudalis, & res profana, ait Molinæus loco citato *num.* 13.

XLVII. » Item secus si feudum decimale transiret, vel re- » verteretur ad Ecclesiam non per se, sed cum universitate cas- » tri, vel alterius rei temporalis, cui annexum est, & à quo de- » pendet, quia semper retinet naturam feudi, & rei profa- » næ, sicut & ipsum principale cui accedit, *cap. Accessorium*, » *de Regul. Jur. in VI. cap. Dilectus* 3. *de Præbend.* hoc enim » casu Ecclesia, sive Prælatus non fruitur hac decima tanquam » Ecclesia, vel tanquam Prælatus Ecclesiasticus simpliciter, sed » tanquam domina, vel dominus loci temporalis, à quo feu- » dum decimale dependet. Et prædicta procedunt quantum- » cunque feudum decimale, tanquam feudum Ecclesiæ datum, » vel ad eam cum universitate alterius rei translatum amortize- » tur, sive per se, sive cum universitate rei, quia amortizatio. » non immutat qualitatem rei, nec eximit à jurisdictione seculari. «

Idipsum citato Molinæo notat Zypæus in Jure Novo, *tit. de Reparandis Ecclesiis*, *num.* 13. » Quia (ait) per talem sta- » tum impediuntur ad Ecclesiam reversæ naturam recuperare » primigeniam, quod alioquin fieret, *cap.* 34. ✠ *de Præbend.* » ubi donatarius Ecclesiasticus juris conferendi non gaudet ju- » re Regis donantis, sed quale ordinarium Ecclesiæ recepit; » quia id jus ad Ecclesiam reversum erat. Unde idem censen- » dum foret de decimis, quæ cum onere fidelitatis, aut clien- » telæ, alteriusve servitii remanent, etsi in manu Ecclesiastica » sint. Sed his secus processum in edicto, magis ex æquitate, » quàm ex mero jure. «

XLVIII. Quoad prohibitionem acquirendi de novo decimas suprà citatum Decretum Concilii Lateranensis receptum appparet; neque alienatio, vel infeudatio decimarum in favorem laicorum licita, etiam auctoritate Episcopi; imò licentia Pontificis de bonis Ecclesiæ alienandis se ad alienationem decimarum non extendit; ut infrà titulo de rebus Ecclesiæ alienandis, vel non alienandis notabitur. Videri potest Zypæus *Resp.* 2. *de Decimis*.

CAPUT V.

De Decimis ad Monasteria, et Capitula devolutis.

1 *Epistola sub nomine S. Hieronymi à Gratiano relata de decimis à Monachis possessis.*
2 *Hæc Epistola tanquam supposititia rejicitur.*
3 *Apparet seculo XI. aut. XII. conficta.*
4 *Hæc fictitia Epistola non parum contulit, ut Monasteria decimas sibi asserere possent.*
5 *Seculis IX. & sequentibus decimæ Monachis communicari cœperunt.*
6 *Qua ratione juxta S. Thomam iis communicari possint.*
7 *Nonnumquam Episcopi decimas Monasteriis dederunt*
8 *Frequenter etiam auctoritate Pontificum datæ sunt.*
9 *Præcipuè tamen à laicis in Monasteria & Capitula devolutæ sunt.*
10 *Tempore Caroli Martelli decimæ passim per Galliam à laicis occupatæ.*
11 *Idipsum per mortem Martelli non cessavit.*
12 *Parochialium Ecclesiarum decimæ seculo XI. ad laicos transierunt.*

Ad

(d) *Ecclesiis Indicis Catholicus Rex decimas, sibi tantùm* los dos novenos *reservatis, concessit; nil innovando super earum cognitione, quam semper habuit, ut constat ex Regia Schedula* 4. *Decembris ann.* 1766.

(e) *Alia Jurisprudentia à Gallis observari debet. Siquidem Rex Ludovicus XV. in Edicto, quod Versaliis mense Augusto ann.* 1749. *datum est, hæc decrevit art.* 14. Faisons defenses à tous les Gens de main-morte d' acquerir, recevoir, ni posseder a l' avenir aucuns fonds de terre, maisons, droits reels, rentes foncieres ou non rachetables, meme des rentes constituées sur des particuliers, si ce n' est après avoir obtenu nos Lettres patentes pour parvenir à la dite acquisition & pour l' amortissement desdits biens, & après que lesdites Lettres, s' il nous plait de les accorder, auront eté enregistrées en nosdites Cours de Parlement ou Conseils superieurs, &c.

XV. La disposition de l' article precedent sera observée, meme à l' egard des fonds, maisons, droits reels, & rentes qui seroient reputes meubles, suivant les coutumes, statuts & usages des lieux.

Quamvis in gemino articulo, quem laudavimus, nulla fiat mentio de decimis infeudatis, *sufficit quòd Rex sapientissimus prohibeat Manumortuis, ne sine litteris Regiis jura quælibet realia*, aucuns droits reels, *acquirant. Porrò constat decimas infeudatas inter jura realia collocari, ac primas partes obtinere; unde sequitur* decimas infeudatas *ad Clerum transferri non posse sine Regiis litteris, quæ in supremarum Curiarum commentarios referri debent, & sine jure Amortizationis soluto, quamvis sine gleba, seu fundo decimæ infeudatæ ad Clerum transferantur.*

13 *Ad earum restitutionem Episcopi laicos monebant, & urgebant.*
14 *Plures laici hisce exhortationibus ad restitutionem movebantur.*
15 *Seculo IX. passim Monasteriis, & Canonicorum Collegiis laici decimas dabant.*
16 *Idipsum rursus contigit seculis XI. & XII.*
17 *Plures rationes, quibus alliciebantur laici ad dandas decimas Monasteriis.*
18 *Hæc restitutio non omnibus probabatur; quia non fiebat iis, quibus decimæ* jure *debebantur.*
19 *Seculo XI. ordinatum fuit, ne Monachi, aut Canonici sine* consensu Episcopi *decimas à laicis acciperent.*
20 *Idipsum Concilio Lateranensi renovatum.*
21 *His Decretis volebant Episcopi reducere decimas ad Ecclesias Parochiales.*
22 *Decreta hæc optatum non habuere effectum.*
23 *Sub prætextu* Redemptionis Ecclesiarum *Episcopi lucrum ex consensu captabant; & ideo faciliùs consentiebant.*
24 *Hanc redemptionem Urbanus II. Simoniacam definivit.*
25 *Quomodo huic definitioni fraus fieret.*
26 *Si Episcopi non consentirent, dabatur licentia recurrendi ad R. Pontificem ad supplendum consensum.*
27 *Hinc multa à Pontificibus obtenta privilegia de accipiendis decimis.*
28 *Hæ decimarum impetrationes, & receptiones non omnibus Monachis placebant; & quare.*
29 *Querela S. Bernardi de Monachis decimas sibi contra Clericos vindicantibus.*
30 *Ordo Cisterciensis in suis exordiis decimas abjecit.*
31 *Nonnulli volebant sua Monasteria propter decimarum possessionem deserere; suos reprehendit Ivo Carnotensis.*
32 *Monachis decimas* ut pauperibus *posse communicari asserit Ivo.*
33 *Idipsum probavit S. Bernardus.*
34 *Quid decimarum receptione per Abbates observari voluit Ivo.*
35 *Monasteria decimas possidentia tenentur Ecclesiis Parochialibus providere.*
36 *Tenentur decimas ut eleemosynas considerare.*
37 *Pauperibus ex iis subvenire.*
38 *Præcipuè in illis Parochiis, è quibus decimas accipiunt.*

I. APud Gratianum *Caus.* 16. *quæst.* 1. *Can.* 68. sub nomine S. Hieronymi ad Damasum Papam legitur: » Maximè curandum est illis, ut de Decimis, & Oblationibus, » Cœnobiis, & Xenodochiis, qualem voluerint, & potuerint » sustentationem impendant. Liberunt est enim Monachis, & » spiritualibus viris Deum timentibus, & colentibus, decimas, & » oblationes, cunctaque remedia concedere, & de jure suo in » dominium illorum, & usum transferre, nec tam in pauperi- » bus paupertatem, quàm religionem attendere. (f) Quòd autem » beatitudo tua quæsivit, utrum usus *decimarum*, & oblatio- » num *secularibus* provenire possit, novit vestra sanctitas om- » ninò non licere, protestantibus hoc divinis auctoritatibus pa- » ternorum Canonum. Quamobrem, si aliquando fuerint ab his » malè detenta, quæ divini juris esse noscuntur, & in usum » transierint *Monachorum*, & servorum Dei, *Episcopo* tamen » loci illius præbente *consensum*, constabunt eis omnia perpe- » tua firmitate, & stabilitate subnixa.«

Si sincera esset hæc Hieronymi ad Damasum Epistola, dubitari vix posset, seculo IV. id est, tempore S. Hieronymi, Monachis decimas competisse; atque liberum fuisse laicis de consensu Episcopi in Monachos decimas transferre.

II. Verùm cùm tempore S. Hieronymi decimæ nondum fuerint stabilitæ, ut suprà *cap.* 1. notavimus; neque sciatur, eo tempore laicos decimas prætendisse, multò minùs occupâsse: nullatenùs, quæ hîc dicuntur, cum disciplina, & moribus ætatis S. Hieronymi convenire plures Eruditi adverterunt; ideoque hanc tanquam suppositiam rejiciunt; ipseque Christianus Lupus *tom.* 5. *Schol. in Canones*, *pagin.* 188. de hac Epistola ait: » *Pessimè* à Gratiano adscribitur S. Hieronymo. Omninò » enim scripta est *longè* posterius in gratiam Monachorum.«

III. Admodum verisimile est, circa seculum XI. aut XII. confictam fuisse, quando decimas à laicis de consensu Episcopi in Monasteria transferri passim invaluit; uti infrà patebit.

IV. Eam sub nomine S. Hieronymi citârunt coram Innocentio III. quidam Monachi, ejusque auctoritate se adversus quosdam Canonicos in possessione decimarum, quas à laicis de consensu Episcopi acceperant, muniebant; uti refert ipse Innocentius in litteris ad Archipresbyterum, & Scholasticum Bituricensem; & refertur in *cap.* 7. ℣ *de his, quæ fiunt à Prælato, &c.* ubi & non obscurè auctoritas istius Epistolæ admittitur, ut dubium non sit, quin hæc Epistola à Gratiano sub nomine S. Hieronymi relata, Monasteria in asserendis, & retinendis decimis multùm stabilierit.

V. Porrò decimis ubique per Galliam, aliasque partes stabilitis, Monasteriis, & Capitulis circa secula IX. & sequentia communicatas fuisse; imò magna ex parte sensim transiisse scitur: idque variis titulis.

VI. Decimas per se non esse spirituales, ideoque & laicis, & Monachis curam animarum non habentibus communicari posse docet S. Thomas 2. 2. *quæst.* 87. *art.* 3. unde in responso ad 3. concludit, quòd sicut alias res temporales ad Ecclesiam spectantes potest Ecclesia in laicos transferre; ita & decimas concedere queat; » sive pro necessitate Ecclesiæ (ait) sicut » quibusdam militibus decimæ debentur *in feudum* per Ecclesiam » *concessæ*; sive etiam ad subventionem pauperum, sicut qui- » busdam *Religiosis laicis*, vel non habentibus curam anima- » rum aliquæ decimæ sunt concessæ, per modum eleemosynæ. » Quibusdam tamen Religiosis competit accipere decimas ex eo, » quod habent curam animarum.«

VII. Per Episcopos nonnunquam decimas Monasteriis, & Capitulis concessas fuisse dubitari nequit; ipsaque fundationum, & dotationum diplomata passim fidem faciunt; pluraque referuntur in Bibliotheca Cluniacensi *pag.* 1285. & 1387. ac sequentibus.

VIII. Similiter auctoritate Romanorum Pontificum plurimarum Ecclesiarum decimas, quin & Ecclesias ipsas Monasteriis, & Capitulis incorporatas esse, præsertim seculo XII. & sequentibus, notius est, quàm ut probari debeat.

IX. Nihilominùs illud constat, decimas pro majore parte ad Monasteria, & Capitula per laicos devolutas esse, idque seculo IX. X. & XI.

X. Constat enim circa seculum VIII. & sequentia decimas variis prætextibus, vel titulis, necessitate subindè id pro tempore exigente, vel à laicis fuisse occupatas, vel concessas.

Et quidem, cùm tempore Caroli Martelli, Gallia undique potentissimis hostibus, & exercitibus, præcipuè Paganorum, & infidelium impugnaretur; ad quos repellendos, cùm Nobiles, & Principes suas opes exhausissent, solatii & mercedis colore eis data fuêre Ecclesiarum etiam Parochialium redditus, & bona, uti ex Synodis, & historiis illorum temporum constat.

Et quidem de Carolo Martello vetus fragmentum de majoribus Domus Regiæ à Petro Pithæo editum, hoc prodit: » Carolus major Domus, & Austrasiorum Princeps, res Eccle- » siarum, propter assiduitatem bellorum, *Laicis* tradit.«

Ex quodam veteri Chronico idem de Carolo Martello refert vir eruditus Joannes Filesacus in suo de Sacrilegio Laico commentario, sive veteris Ecclesiæ Gallicanæ querela: » Carolus, ait Chronicon, propter assiduitatem bellorum deci- » mas, & quasdam alias res Ecclesiasticas *laicis concessit.*

XI. Morbus hic nec mortuo Carolo Martello cessavit, sed sub pluribus Regibus perduravit, uti doctè ostendit Joannes Filasecus in dicto tractatu; notatque sub Carolo Laicos virtute quidem militari, & bellica fortitudine illustres, ob fidelem Regi in bello navatam operam beneficii loco prædia, & villas Ecclesiæ dono accepisse. Et hæc Regiæ Munificentiæ simbola, ait Filasecus, *beneficia* nominantur apud Scriptores nostros. Et de his beneficiis intelligi oportet, quod legitur *lib.* 1. *Capitular. cap.* 157. » Ut qui Ecclesiarum *Beneficia* habent, nonam, & » decimam ex iis Ecclesiæ, cujus res sunt, donent, & qui » tale Beneficium habent, quod ad medietatem laborent, & » de earum portione proprio Presbytero, id est, Parocho, de- » cimas donent.«

XII. Ex dictis quoque capite præcedenti, & relatis ibidem Canonibus, facilè est intelligere, seculo X. & XI. Decimas Ecclesiarum Parochialium à laicis passim vel occupatas, vel jure quodam infeudationis acceptas.

XIII. Cùm verò decimæ principaliter, ac primariò Sacerdotibus spiritualia ministrantibus ex intentione Fidelium eas offerentium, & Ecclesiæ eas exigentis sint ordinatæ atque ipsis quodammodò violentè ablatæ censerentur, Episcopi, tum adhortationibus, tum editis Decretis laicos ad earum restitutionem, ac dimissionem urgere haud destiterunt.

XIV. His exhortationibus, & Decretis, quæ nonnunquam & censuras minabantur in refractarios, plures Principes laici commoti, ab iis se liberare, & locis, aut operaribus piis impendere voluerunt.

XV. Et quidem de restitutione *decimarum*, quæ facta fuit à successoribus Caroli Martelli, id est, Ludovico Pio, & filiis ejus, loquens Christianus Lupus, *tomo* 5. *Schol. in Canones*, *pag.* 186. ait: » Et Monachorum, & Regularium in Cathedrali, aut Collegiato Claustro Clericorum disciplina tunc » florentissimè vigebat. Hinc plures laici, dùm seculares, seu » singulares Clericos aversantur, detentas Altarium Decimas » illis donârunt, ex ipsis fundârunt nova Monasteria, ac Re- » gu-

(f) *In Hispania Indultis Apostolicis Regi concessum est, fructus Archiepiscopatum Episcopatumque vacantes, Monasteriis, Communitatibus, piisque locis conferre, seu adjudicare, ut constat ex Act. Acordat.* 22. *num.* 4. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recop.*

» gularia Collegia, atque ita utramque istam professionem opu-
» lentissimè ditârunt.“

XVI. » Post extinctam Caroli Magni sobolem (pergit Lu-
» pus) & patrata in Formosum Pontificem scandala malum adeò
» resurrexit, ut laici in ipsis etiam Romanis Basilicis devotas ad-
» ventantium fidelium oblationes invaderent, & ipsos adven-
» tantes in via prædarentur. Medicinam adhibere iterùm cœpit
» Gregorius VI. Victor. II. ac præsertim sanctus Leo IX. lauda-
» tus ab Hermano Contracto. Et tunc iterum varia, in quibus
» vigebat Regularis Ordo, Monasteria non parum profece-
» runt. Plurima tunc fuisse de novo fundata scribit Glaber
» Rodulphus. «

XVII. Accedebat summa tum temporis in laicis fundandi, ac dotandi Monasteria, & Canonicorum Collegia aviditas; ut vel sic eorum nomen, & posteritas Fundatorum, aut Benefactorum Catalogo inserta, quodammodò post vitam superessent, & nomen æternum hæreditarent.

Accedebant Monachorum frequentes, instantes, & importunæ preces & solicitationes; qui & hoc fundationis, donationisque opus in cœlum usque attollere, atque ad demerendum Deum, peccatorumque remissionem impetrandam plurimum valere, persuadere omni modo studebant.

Quin & suffragia suarum Congregationum, Fundatorum, atque Benefactorum animabus è pœnis Purgatorii liberandis, mirum in modum efficacia esse astruebant, & persuadebant.

Hæc omnia, mirum! quantum stimulârint pios laicos, ut Decimas, aliaque bona in Monasteriorum fundationes, & dotationes, præcipuè per testamenta, cùm iis ampliùs ipsi uti non possent, conferrent; adeò ut vix ullum reperias Monasterium, quod non aliqua, ut minùs, ex parte per hujusmodi Laicorum largitionem fundatum, atque dotatum sit.

XVIII. Verùm, licèt hac ratione decimæ è manibus laicorum extrahi viderentur, tamen non iis, quibus jure debitæ erant, scilicet Ecclesiis Parochialibus, & Sacerdotibus spiritualia ministrantibus restituebantur; unde nec hujusmodi decimarum translationes Episcopi probabant.

Hinc ad Urbanum II. scribit S. Ivo Carnotensis, *epist.* 12. » Multa inordinata fieri video in domo Dei, quæ me torqueant,
» *maximè* quòd apud nos, qui Altari non serviunt, de Alta-
» ri vivant. «

XIX. Ut hanc devolutionem Episcopi impedirent, easque ad naturales earum possessores, id est, Parochos, & Sacerdotes spiritualia populo seminantes reducerent, pluribus in Synodis decreverunt, Monasteria sine *consensu* Episcopi decimas accipere non posse.

» Ut nullus Abbas, nullus Ecclesiarum Præpositus, quæ
» juris sunt Ecclesiastici accipere sine Episcopi concessione præ-
» sumat: « ait Synodus Melfitana ann. 1078. *Can. II.*

Et in Concilio Romano sub idem tempus eundem in finem decretum fuit: » ut nullus Abbas decimas, & primitias, & re-
» liqua, quæ secundum statuta Canonum ad Episcopos per-
» tinent, sine auctoritate Romani Pontificis, seu Episcopi, in
» cujus Diœcesi habitat, detineat, auctoritate Apostolicâ
» sancimus. «

Et Joannes Cardin. de Crema, Honorii II. in Anglia Legatus, in sua Londin. Synodo ann. 1125. *Can. IV.* » Nullus
» Abbas, nullus Prior, nullus omninò Monachus, vel Cleri-
» cus Ecclesiam, sive decimam, seu quælibet Beneficia Eccle-
» siastica de dono Laici sine proprii Episcopi auctoritate, &
» assensu suscipiat: quod si præsumptum fuerit, irrita erit do-
» natio hujusmodi; & ipse Canonicæ ultioni subjacebat. «

XX. Et rursus in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. conquesti Episcopi de Templariorum, aliorumque Religiosorum excessu in recipiendis Decimis è manibus Laicorum, eorum querelam probans Synodus, ait: » Ecclesias, & deci-
» mas de manu Laicorum sine consensu Episcoporum, tam il-
» los (Templarios) quàm alios Religiosos, recipere prohibe-
» mus, dimissis, quascunque contra tenorem istum aliquo
» tempore receperunt. « *Cap.* 3. ℟ *de Privilegiis.*

Hoc Decretum anno 1200. rursus iisdem verbis renovavit Synodus Londinensis; & anno 1215. magnum illud Concilium Lateranense sub Innocentio III. *Canone LXI.*

XXI. Has omnes Conciliorum ordinationes in id collimare, ut decimæ ad Ecclesias Parochiales, quibus *de jure* debentur, reducantur, sat manifestum est.

Hinc ad litteras Innocentii III. quibus Capitulo Suessionensi impertiit licentiam decimas à laicis redimendi, sub ea expressa conditione, si ad Ecclesias Parochiales reduci non possent (verba capite præcedenti relata sunt) reflectens Christianus Lupus *tom.* 5. *Schol. in Canones*, *pag.* 199 ait: » Ita possessio-
» nes suas, decimas præsertim, ac primitias, de laicorum
» manibus efestucare variis modis conata semper fuit Ecclesia;
» eâ tamen lege, ut ad propriæ Parochiæ redirent opus. « Quod ubi non potuit, permissæ sunt transire ad aliquod Monasterium, seu Capitulum.

His consonat illud Innocentii III. *cap.* 7. ℟ *de His, quæ fiunt à Prælatis sine consensu Capituli.* » Laicus, qui deci-
» mam detinet, monendus est, ut eam restituat Ecclesiæ, ad
» quam spectat; qui si forte induci nequiverit, & eam cum
» Diœcesani consensu alteri Ecclesiæ assignaverit, præsertim
» Religioso Conventui, constabit ipsa donatio perpetuâ firmi-
» tate subnixa. «

XXII. Verùm licèt Conciliorum mens fuerit per sua Decreta devolutionem decimarum ad Monasteria, & Collegia Canonicorum aliquousque restringere, exiguum tamen effectum habuêre.

XXIII. Imprimis enim Episcopi se haud difficiles in præstando consensu præbebant; quia pro præstando consensu certam summam pecuniæ accipiebant; idque, in redemptionem juris, quod ad decimas habebant, vocabantque redemptionem Ecclesiarum, sive altarium.

XXIV. Refert Goffridus Abbas Vindocinensis *lib.* 3. *Epist.* 12. Urbanum II. in Arvernensi Concilio hanc Altarium redemptionem judicâsse, & declarâsse Simoniacam: » Re-
» demptionem Ecclesiarum, quæ vulgari hoc vocabulo Altaria
» nuncupantur, beatus Vir (Urbanus II.) Simoniacam pravi-
» tatem vocavit, & Apostolicâ auctoritate damnavit.

XXV. » Displicuerat hoc vitium Gregorio VII. qui Dien-
» si Episcopo Legato suo interdicendum præceperat *illud com-*
» *mune malum penè totius terræ, videlicet quod altaria vendun-*
» *tur*, lib. 4. epist. 7. Sed definitioni Concilii fraus deinde fac-
» ta est ab Episcopis, qui annuo censu, licèt levi, Ecclesias
» onerabant. Sicque eveniebat, ut per singulos annos particula-
» ri solutione exigerent quod per intervalla ex Vicariorum, seu
» personarum substitutione percipiebant. «

Vehementer hanc fraudem exagitat citatus Goffridus in laudata Epistola, cujus verba refert Petrus de Marca Archiepiscopus Parisiensis in notis ad Canonem VII. Concilii Claromontani sub Urbano II. ubi latè de hac Ecclesiarum, & altarium redemptione agit; refertque quodam rescriptum Paschalis II. Papæ, „ ubi & mentio fit alterius fraudis ab Episcopis excogi-
„ tatæ, qui mutato nomine, non pro *Altarium*, sed pro per-
„ sonarum redemptione â se pecuniam exigi dicebant, id est,
„ non ratione Altarium *per Vicarios*, sed *pro Vicariis*.“ Habentur hæ notæ tom. 10. Concil. General. *col.* 578.

Interim quia Episcopis ex consensu illo præstito lucrum aliquod cedebat, mirum quanta decimarum copia ad Monasteria, & Canonicorum Collegia, etiam Episcopis consentientibus, transiverit; præsertim quia sæpiùs Laici induci non poterant, ut eas Ecclesiis Parochialibus restituerent.

XXVI. Accedebat, quòd quidem laicis vetitum esset, decimas sine consensu Episcopi Monasteriis dare; addita tamen erat hæc clausula, „ Qui (Episcopus) si forsan improbitatis,
„ aut avaritiæ causâ consentire noluerit, Romano Pontifici nun-
„ tietur, & cum ejus licentia, quod offerendum est, offera-
„ tur. “ Ita Concilium Melfitanum sub Urbano II. *Can. V.*

XXVII. Itaque ubi Episcopus consensum negabat, recursus ad Pontificem patebat; à quo opportune importune consensum solicitabant, & non rarò extorquebant; & privilegia recipiendi decimas, renuente etiam Episcopo, obtinebant; cujus generis privilegiorum plurima extant rescripta in tabulariis Ecclesiasticis, ait De Marca loco citato.

* Ex his intelligitur, quòd exeunte III. seculo Romani Pontifices cœpissent, non tantùm sibi attribuere auctoritatem dispensandi proventus particularis Ecclesiæ Romanæ; sed eam quoque dispensandi auctoritatem ad proventus cæterarum Ecclesiarum extendere; quæ tamen primis, ut minùs, novem seculis, penes Episcopos singularum respectivè Ecclesiarum ex Canonum præscripto, integra in solidum permanserat.

XXVIII. Porrò hæ & similes decimarum ad Monasteria devolutiones non omnibus, etiam Monachis placebant: eo quod per illas qui altari serviebant, proventibus altaris defraudarentur; & qui altari non serviebant, de altari viverent; & quod erat seminantium spiritualia, à non seminantibus possideretur.

XXIX. Graphicè id describitur in Epistola, quæ sub nomine Hugonis Abbatis Cluniacensis, & S. Bernardi Abbatis Clarævallensis habetur ad calcem Epistolarum Ivonis Carnotensis ad Monachos Majoris Monasterii, qui super decimis alicujus Parochiæ cum aliquibus Canonicis disceptabant; in qua præter alia dicitur: » Quid quod de altari contenditur, & hoc ad-
» versus filios Levi, id est, adversus Clericos? Clericorum est
» altari deservire, & de altario vivere. Nobis nostra professio,
» & antiquorum Monachorum exempla victum ex propriis præs-
» cribunt laboribus, & non ex sanctuario Dei. Huc accedit,
» quòd eidem Ecclesiæ, de qua præsens disceptatio est, Cle-
» rici soli deserviunt, vosque cum illis partimini Beneficium,
» cum quibus non exhibetis obsequium. Paulus I. Corinth. ca-
» pite 9. clamat pro Clericis, imò ante ipsum Moyses, Deuter.
» cap. 25. *Non alligabis os bovi trituranti.* Item: *Quis plan-*
» *tat vineam, & de fructu ejus non edit? aut quis pascit gre-*
» *gem, & de lacte gregis non manducat?* Vos autem per con-
» trarium convenimus. Quâ audaciâ, ò Monachi, præsumitis

» seu

» seu vinum de vinea, quam non plantâstis, seu lac de grege » quem non pascitis? Quo pacto ibi exigitis ubi nihil exhibe- » tis? Certè si ita vultis, baptizate nascentes, sepelite morien- » tes, visitate jacentes, copulate nubentes, instruite rudes, cor- » ripite delinquentes, excommunicate contemnentes, absolvi- » te resipiscentes, reconciliate pœnitentes: & in medio de- » nique Ecclesiæ aperiat os suum Monachus, cujus officium » est sedere, & tacere. Sic fortasse dignum se probabit merce- » narius mercede suâ. Alioquin invidiosum admodum est, velle » metere ubi non seminaveris. Sed & colligere quod alius spar- » serit, etiam injuriosum. «

XXX. Scimus Monachos illos, quibus Ordo Cisterciensis sua primordia debet, decimarum possessionem non probâsse, imò earum possessionem dedisse occasionem è Monasterio se subtrahendi; & ad Cistercii eremum confugiendi. Rem ipsam, atque eorum sensum exponit Sigebertus Gemblacensis ad *annum* 1107. » Abbas Cistercii & fratres ejus, non immemores » pensionis suæ, Regulam beati Benedicti in loco illo ordina- » tam unanimiter statuerunt tenere, rejicientes à se quidquid » Regulæ refragabatur. Exuti veterem hominem, novum se » induisse gaudebant. Et quia nec in Regula, nec in vita Sanc- » ti Benedicti legebant eundem Doctorem possedisse Ecclesias, » vel Altaria, vel decimas aliorum hominum; ideò hæc om- » nia abdicaverunt. Decimas ajebant à Sanctis Patribus, qui or- » gana erat Spiritus Sancti, quorumque Statuta transgredi est » sacrilegium committi, in quatuor portiones distributas, unam » scilicet Episcopo, alteram presbytero, tertiam hospitibus ad » illam Ecclesiam venientibus, seu viduis, & orphanis sive » pauperibus aliunde victum non habentibus, quartam restau- » rationi Ecclesiæ. Et quia in hoc computu personam Monachi, » qui terras suas possidet, unde & per se, & per pecora sua » laborando vivat, non reperiebant; idcircò hæc veluti alio- » rum jus injustè sibi usurpare detrectabant. «

XXXI. Cùm verò hæc decimarum occupatio Abbatibus, & Monasteriorum œconomis præcipuè imputaretur, nonnulli monachorum & Regularium eò deveniebant, ut crederent, Abbates decimas sibi afferentes, & possidentes esse in statu damnationis; atque propterea probos Monachos se ab iis separare debere, & Monasteria deserere; uti colligitur ex Epistola 192. Ivonis Carnotensis, ubi Sancti Augustini varia, quæ bonis à malorum intra Ecclesiam communione nullum esse contagium timendum docent, testimonia adducit; dein pergit: » Hæc, & » his similia Præcones hujusmodi (non intelligentes, aut non » legentes) suadent Monachis, ut Monasteria sua deserant » proper Abbates suos & Procuratores Monasteriorum suorum, » qui aliquas *decimas*, quæ jure pertinent ad dispensationem » Episcoporum, Monasteriis suis adquisierunt. Dicant mihi tàm » subtiles divinorum judiciorum scrutatores, quid salubrius sit » Monachis, utrum permanere cœnobitas sub Præpositorum » suorum obedientia, quæ melior est quàm victimæ, & ibi vi- » vere de decimis, & fidelium oblationibus, quas Ecclesia le- » ge charitatis communicare potest, non tantùm Monasteriis, » sed etiam Xenodochiis, infirmis & peregrinis: an fieri Sara- » baitas, ut in privatis locis proprio jure vivant, & victum si- » bi de substantia pauperum per manum raptorum, & de fœ- » nore negotiatorum accipiant? «

XXXII. Post hæc ait: » Licèt enim decimæ, & oblatio- » nes principaliter Clericali debeantur militiæ, potest tamen Ec- » clesia omne, quod habet, cum omnibus pauperibus habere » commune. Quanto magis cum his pauperibus, qui, relictis » facultatibus propriis, non in angaria bajulantes Christi cru- » cem, sequuntur pauperem Christum. «

XXXIII. Agnovit ergo Ivo, decimas principaliter Militiæ *Clericali* deberi: Monachis autem ut pauperibus posse communicari. Eandem mentem Concilii Trecensis, & S. Bernardi fuisse (qui huic Concilio interfuit, & cujus operâ potissimùm exarata est in eo Concilio regula Templariorum) patet ex *cap.* 66. » ejusdem Regulæ. » Credimus namque relictis affuentibus di- » vitiis spontaneæ paupertati esse subjectos; unde *decimas* vo- » bis in communi viventibus justè habere hoc modo demonstra- » bimus. Si Episcopus Ecclesiæ, cui decima justè debetur, vobis » charitativè eam dare voluerit: assensu communis Capituli de » illis decimis, quas tunc Ecclesia possidere videtur, vobis attri- » buere debet. Si autem Laicus quilibet adhuc illam vel ex » patrimonio suo damnabiliter amplectitur, & seipsum in » hoc valde redarguens, vobis eandem reliquerit: ad nutum » ejus, qui præest tantum, sine consensu Capituli id agere » potest. «

Hîc notandum ita distingui inter decimas ab Ecclesiis possessas, & decimas à Laicis hactenus detentas; ut priores, tanquam jam realiter spectantes ad Ecclesiam per Episcopum sine consensu Capituli Militibus Templi dari nequeant; posteriores verò de *solo* consensu Episcopi concedi queant juxta Canones suprà relatos: quæ distinctio probatur quoque ab Innocentio III. in *Cap.* 7. ✠ *De his, quæ fiunt à Prælato*, &c. » Cùm aliud sit alienare quod ab Ecclesia possidetur: & aliud » quod detinetur à Laico ad usum Ecclesiasticum revocare: « ait Innocentius.

Addit & ibidem Innocentius: » Monendus est Laicus, qui » decimam detinet, ut eam restituat Ecclesiæ, ad quam spec- » tat; qui si fortè induci nequiverit, & eam Diœcesani consen- » su alteri Ecclesiæ assignaverit, præsertim Religioso Conven- » tui, constabit ipsa donatio perpetuâ firmitate subnixa. «

XXXIV. Ivo Carnotensis verbis suprâ relatis, quibus ostendit Monasteriis decimas communicari posse, adjungit, quæ circa decimarum receptionem in Abbatibus reprehendenda videantur: » Est tamen in quo Abbatibus, & Præpositis Mo- » nasteriorum parcendum esse non æstimo, si ab illis, ad quos » non pertinent, id est, à laicis decimas, & oblationes ac- „ cipiant, si inordinatè eas à quibuscunque personis adqui- „ rant, si terminos transgrediantur antiquos, id est, si stipen- „ dia Presbyterorum antiquitùs instituta minorent, ac sibi „ usurpent. "

XXXV. Itaque hoc imprimis attendere opportet Abbates, aliosque Monasteriorum, & Collegiorum Præpositos decimas possidentium, ut *stipendia* Presbyterorum antiquitùs constituta non minorent, ac sibi usurpent, id est, non ita decimas sibi approprient, ut Parochi, aliique Presbyteri curam animarum habentes, quibus decimæ principaliter, & de jure debentur, egeant, aut honesta sustentatione destituantur, sed de hoc latiùs titulo sequenti.

XXXVI. Præterea attendant Prælati, aliique curam animarum non habentes, & decimas possidentes, eas tanquam *pauperibus* ex sententia SS. Bernardi, & Ivonis, sibi esse communicatas; uti & S. Thomas loco citato asserit, dicens: „ Quibusdam Religiosis Laicis, vel non habentibus curam anima- „ rum aliquæ decimæ sunt concessæ per modum *eleemosynæ*. "

Huic facilè est concludere, speciali titulo magnâ moderatione, & frugalitate decimis à Religiosis utendum esse; cavendumque, ne eas in luxum, aut usus profanos impendant.

XXXVII. Beatus Petrus Damiani *lib.* 2. *Epist.* 14. laudans nonnulla sui temporis Monasteria à largis eleemosynis, quas in pauperes effundebant, inter cætera dicit: „ Enim verò, ut „ copiosiora in pauperes alimenta proficiant, dantur in Mo- „ nasteriis, & Eremis decimæ quoruncunque proventuum, & „ non modo pecorum, sed etiam cornicum pariter & ovorum. "

Horum verborum sensum nonnihil dubium esse notat Christianus Lupus *tom.* 5. *Schol. in Canones*, *pag.* 190. „ Affirma- „ re videntur, quòd ideò invasas olim à laicis Decimas trans- „ ferri in Monasteria, atque Eremos jam permittat Ecclesia, „ ut Abbates, & Præpositi, tanquam fideles dispensatores, „ ipsas dividant in pauperes. Ex hocce omninò fine laici ipsas „ in varia hinc inde Monasteria transtulerunt. De Monachorum » enim potiùs, quàm de Clericorum futura in pauperes pieta- „ te confidebant. Alii à Petro Damiani laudari existimant quæ- „ dam Monasteria, quòd omnium suorum proventuum decimas „ darent pauperibus. Quidquid sit, *certum* & *clarum* est, quòd „ decimas possidentia Monasteria, ac etiam Clericorum Col- „ legia seu Capitula ad *largas* eleemosynas, non tantùm ex „ charitate, sed omninò ex rigida justitia obligentur. "

Deindè paucis interpositis addit: » Et Monachorum fidem, » à piis olim laicis fuisse electam ad hoc opus, jam dixi, & » rursum dico. Quod ab ejusmodi Monasteriis est perpetuâ » memoria retinendum. Electa sunt ad ipsas dispensandas po- » tiùs, quàm possidendas. «

De hac Monasteriorum ad eleemosynas in pauperes, & hospites elargiendas obligatione, & quanta liberalitate Monasteria, & Canonicorum collegia jam pridem opera misericordiæ exercuerint; ut propterea & *Hospitalia*, & *Domus Dei* vocari meruerint, ostendetur infrà titul. *de Hospitalibus*, & *piis locis*.

XXXVIII. Cùm verò de jure, & ex intentione offerentium decimæ principaliter debeantur Parocho, intra cujus limites excrescunt, ut ex iis & sua necesaria habeat, & reliqua in pauperes suæ Parochiæ, & alios pios usus dispenset; non dubium est, quin pauperibus Parochiæ ex decimis intra limites illius collectis, speciali titulo succurri conveniat; eorumque specialem rationem à Decimatoribus haberi.

Synodus Londiensis anno 1342. invehitur in Religiosos obtinentes incorporatas sibi Ecclesias, & decimas, & indigentibus Parochianis non succurentes: statuitque *Can. IV.* » Quòd » Religiosi prædicti Beneficia appropriata obtinentes Ecclesiasti- » ca, secundum Beneficiorum hujusmodi facultates, annis sin- » gulis, pauperibus *Parochianis* circa eleemosynæ quantitatem » ipsorum locorum Ordinariorum moderandam arbitrio, per » Episcopos ipsos distribuere compellantur, sub pœna seques- » trationis, & substractionis fructuum, proventuum Beneficio- » rum hujusmodi, donec in præmissis paruerint competen- » ter. « Vide Boniface *tom.* 3. *lib.* 5. *tit.* 14. *cap.* 1. & 4.

CA-

CAPUT VI.

De Decimis novalibus, et minutis.

1 *Quid novale de jure Civili.*
2 *Innocentius III. definit* Novale.
3 *Strictius accipit* Novale, *quàm jure Civili accipitur.*
4 *Hæc definitio præcipuè concernit* indulgentiam à novalibus.
5 *Hæc indulgentia tanquam contraria Juri communi strictè interpretanda.*
6 *Indulgentia hæc non procedit, si multum præjudicet Ecclesiæ Parochiali.*
7 *Non sequitur ex responso Innocentii, novale semper tam strictè summi debere.*
8 *Licèt ager non esset* novalis *in casu istius indulgentiæ, posset tamen esse* novalis *in favorem Parochi.*
9 *Consuetudo habet pro novali agrum, qui protulit fructus non decimabiles.*
10 *Ex scopo Innocentii III. videtur hic ager posse dici novalis.*
11 *Innocentius respexisse videtur ad emolumentum ex agro Ecclesiæ Parochiali proveniens.*
12 *Idipsum notavit Glossographus.*
13 *Canonistæ videntur eam rationem attendisse.*
14 *In judicando quid sint* novalia, *attendenda consuetudo, & in dubio pro Parocho judicandum.*
15 *Speciali titulo Novalia Parocho competunt.*
16 *Synodus Burdigalensis monet restitui Parochis novalia.*
17 *Innocentius III. declarat, decimas novales non comprehendi sub jure percipiendi decimas.*
18 *Idipsum declarat Alexander IV.*
19 *Nisi speciali titulo novalia ad alium quàm Parochum spectare ostendantur, adjudicanda sunt Parocho.*
20 *Juri communi consonat praxis.*
21 *Etiam Vicario perpetuo competunt novalia.*
22 *Etiamsi Vicario tantùm competat exigua portio decimarum veterum, etiam minutarum.*
23 *Quid si nullæ decimæ, sed tantùm portio congrua in pecunia?*
24 *Quomodo intelligendum privilegium datum Monasteriis percipiendi novalia.*
25 *Olim Principes Belgii prætenderunt novalia; sed iis postmodum renuntiárunt.*
26 *Quid decimæ* minutæ.
27 *Competunt & hæ speciali titulo Parocho.*
28 *Decimæ uno tempore & loco* minutæ, *alio sunt* majores.

I. DEcimas *novales* dictas esse ab agro *novali* nemo dubitat. Ut ergo sciamus, quid sint decimæ *novales*, inquirendum, quid sit ager *novalis*.

In *Lege* 30. *ff. De V. S.* dicitur, *Novalis est terra præcisa, quæ anno cessavit.* Et in *L.* 3. §. 2. *de Termino moto*: » Hi quo» que, qui finalium quæstionum obscurandarum causâ faciem » locorum convertunt, ut ex arbore arbustum, aut ex sylva *no*» *vale*, aut aliquid hujusmodi faciunt, pœnâ plectendi sunt pro » persona, & conditione, & factorum violentia."

Ex his Jurisconsulti statuerunt, terram præcissam, quæ anno cessavit; vel sylvam, quæ arboribus extirpatis, ad culturam redacta est, terram *novalem* esse.

II. Utriusque hujus interpretationis, sive definitionis ex Jure Civili desumptæ meminit Innocentius III. in *cap.* 21. ✠ *de Verbor. signific.*

Interrogatus enim ab Episcopo Cæsaraugustano, quid per *novale* intelligatur, ubi à Pontifice concessum fuit Privilegium de non solvendis decimis ex agris *novalibus*, respondit Innocentius: » Licèt autem quidam dixerint, quòd *novale* sit terra præ» cissa, quæ anno cessat, aliis adserentibus, quòd ex sylva, quæ » arboribus extirpatis ad cultum redigitur, fieri novale dica» tur; quarum utraque interpretatio ex *civilibus* legibus colli» gitur. Nos igitur inquisit. t. r. quòd eam credimus prædeces» sorum nostrorum intentionem fuisse, cum piis locis indulgen» tiam de novalibus concesserunt, ut novale intellexerint agrum » de novo ad cultum redactum, de quo non extat memoria, » quod aliquando cultus fuisset."

III. Pontificem in strictiore significatione accipere *novale*, quàm in Jure Civili videbatur accipi, sat manifestum est; concluduntque hinc Canonistæ, in hac materia decimarum, agrum *novalem* non dici terram præcissam, quæ *anno* cessavit; sed illam, de qua non extat memoria, quòd aliquando culta fuerit.

IV. Insuper ex verbis Pontificis satis intelligitur, ipsum duntaxat voluisse docere, quid per *novale* intelligeretur ex mente Pontificum, dum quibusdam piis locis *indulgentiam de Novalibus* concesserunt; hoc est, exemptionem solvendi decimas ex agris *novalibus*.

V. Hanc autem *Indulgentiam* esse contrariam Juri communi, quod vult ex omnibus agris, & ab omnibus indifferenter decimas solvi, expeditum est; & per consequens, privilegia hæc, sive indulgentias, tanquam odiosa strictissimè esse interpretanda, & accipienda; ut quantum fieri potest, à jure communi non recedatur, & decimæ integrè solvantur Ecclesiæ Parochiali.

VI. Hinc eodem loco addit Pontifex: » Sed nec de quoli» bet *tali novali* credidimus ei indulgentiam fore concessam, ni» si de illo duntaxat, cujus decimam Religiosus potest Conven» tus absque *gravi* detrimento Parochialis Ecclesiæ detinere: » cùm talis sit sæpè locus incultus, de quo Parochialis Ecclesia » magnos percipit decimarum ratione proventus."

Non ergò mirum si in strictiore significatione vocem *Novale* esse accipiendam responderit Pontifex: eò quòd ageretur de interpretatione privilegii contra jus commune.

VII. Licèt ergò Pontifex in hoc casu per *novale* dixerit, ex verisimili mente Pontificum intelligi, agrum *de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuisset*, non sequitur, quòd tam strictè intelligi debeat, ubi non de privilegio juri communi contrario agitur; sed de casu, quo per latiorem interpretationem ad jus commune propriùs accederetur.

VIII. Ut igitur supponeretur in casu hujus Decretalis agrum non habendum pro *novali*, qui quidem cultus fuisset, sed hactenùs nunquam fructus decimales protulisset; uti in multis partibus sunt *prata*, quæ quidem fœnum proferunt, sed *non decimabile* ex speciali locorum consuetudine; nullatenùs inde consequens esset, hujusmodi agrum non esse *novalem*, dum agitur de vindicandis, aut conservandis decimis novalibus ipsi Parocho, contra alium decimatorem.

Hoc quippè casu, quo latior fit interpretatio agri *novalis*, eò magis ad jus commune, quod omnes decimas Parocho assignat, acceditur: atque ita hîc locum habet regula, *favorabilia sunt amplianda.*

IX. Illa interpretatio multis in locis etiam consuetudini consonat; quæ passim pro agro novali in favorem Parochi habet, prata, item silvas, de quibus non extat memoria, quod aliquando ad culturam ita fuerint redacta, ut fructum decimabilem protulissent; sed nunc primùm ad culturam talem redacta sunt, ut fructum decimabilem proferant.

X. Quin si scopus factæ interpretationis ab Innocentio III. in citato *cap.* 21. attendatur, & non solus exterior verborum cortex, apparebit, interpretationem *novalis*, quam consuetudo multis in locis probavit, à mente Pontificis non esse diffor mem, ipsumque potiùs attendisse, num ager nunquam fructus decimabiles protulerit, quàm an nunquam absolutè, & simpliciter ad culturam redactus fuerit.

XI. Voluisse enim videtur Innocentius declarare mentem suorum Prædecessorum haud fuisse, per suas *indulgentias de novalibus* piis locis concessas præjudicare Ecclesiis Parochialibus in jure jam quæsito, sive in decimis, in quarum possessione jam essent, aut fuissent: quod non fieri credidit, si per *novale* intelligeretur ager ille, de quo non extat memoria, quod aliquando cultus fuerit. Cùm enim ex tali agro Ecclesia nunquam decimas perceperit, etiam non ita propriè videtur lædi in jure jam quæsito; sive potiùs decimas ei non auferri, in quarum possessione aliquando eam fuisse constaret.

Verbo, id unum attendisse videtur Pontifex, num ex agro, de quo agitur, aliquando emolumentum aliquod habuerit Ecclesia Parochialis, quo per similem indulgentiam privaretur; atque eo casu ex mente concedentium *indulgentiam de novalibus*, agrum illum non videri *novalem* in ordine, ut sub illa indulgentia comprehenderetur; secùs si non extet memoria, quòd aliquando emolumentum aliquod Ecclesia Parochialis ex illo perceperit.

XII. Id jam pridem notâsse videtur Glossa ad *cap.* 4. ✠ *de Decimis*, verbo *Pascuis*, ubi observat, *Novalia* dici *in cap.* 21. ✠ *de Verb. signif.* » unde Ecclesia Parochialis *nihil ante* per» cipiebat, vel ita modicum, quòd sine læsione poterat illud » amittere." Ex quo ulteriùs concludit: » Et ita ista pascua (de quibus dicto *cap.* 4.) *non erant priùs inutilia*, vel area, sive » domus; unde non deberent dici *Novalia* per *cap.* 21. ✠ *de* » *Verbor. signif.*"

Planum ergo est, Glossographum credidisse, hoc unum attendendum esse, ut de agro aliquo statuatur, Novalis sit, vel non, an aliquando aliquod emolumentum ex illo habuerit Ecclesia Parochialis.

XIII. Sed & ipsi Canonistæ eam interpretationem *Novalium* non obscurè insinuant, dum communiter pro ratione, ob quam sub præscriptione juris decimandi non comprehendantur *novalia*, allegant: *Quia non plus præscriptum, quàm possessum*: id est, cùm in agro novali nunquam decimæ excreverint, non potest quoque præscribens fuisse in quasi possessione percipiendi decimas ex hoc agro. Quæ ratio æquè militat in agro, qui quidem aliquando cultus fuisset, sed de quo non extat memoria, quòd aliquando fructus decimabiles protulerit, quàm de agro, qui absolutè, & simpliciter nunquam cultus fuit, ut sunt myricæ.

XIV. Interim hoc indubitatum est, hoc in articulo, uti

in hac tota Decimarum materia multum consuetudini esse tribuendum ; & si consuetudo dubia sit, eam in favorem Parochi esse interpretandam, utpotè cui decimæ intra limites Parochiæ excrescentes de jure competunt.

XV. Illud ulteriùs certum est decimas *novales* speciali titulo & jure Parocho competere.

In Concilio Burdigalensi anno 1255. *Can.* 31. dicitur: » Licèt per Canonica statuta decimæ ad Parochiales Ecclesias » pertinere noscantur ; quædam tamen Ecclesiæ ex præscriptio» ne, aliæ ex consuetudine veteres decimas possideant in *alie*» *nis* Parochiis : nonnulli Ecclesiastici nullo jure suffulti, sed » avaritiâ, & pertinaciâ solâ ducti, decimas in animarum pe» riculo detinere præsumunt. « Ac dein subjungitur : » Sed his » tam Clerici, quàm Laici non contenti, ad *novalia*, quæ spe» cialiter Parochialibus Ecclesiis jura reservant, extendunt illi» citè manus suas, & eædem Ecclesiæ omninò jure suo, quoad » novalium decimas, defraudantur. Volentes igitur præsump» tioni Clericorum, & Laicorum, prout possumus, obviare, » & Ecclesiarum indemnitatibus providere, omnibus omninò » prohibemus, ne quisquam de cætero, Clericus, aut Laicus, » occassione veteris decimæ novalia recipiat ; sed ea Parochia» libus Ecclesiis, in quibus novalia excreverunt, liberè possi» denda permittat, usibus ministrorum Ecclesiæ profutura. Si » verò quisquam temerarius, hujus nostræ constitutionis con» temptor, novalia de cætero receperit in Parochiarum præ» judicium, & gravamen, ipsum excommunicationis vinculo » innodamus. «

XVI. Post hæc *Can.* 22. » Monemus etiam omnes illos » qui à triginta annis vel citra, hujus novalia cœperunt, ut » infra duos menses sine difficultate restituant Ecclesiis, ad quas » pertinere dignoscuntur, de cætero libere possidenda. Ne ve» rò quisquam per negligentiam ab his sententiis se valeat ex» cusare, præcipimus hanc constitutionem per Præsbyteros » frequenter in suis Ecclesiis prædicari. «

XVII. Speciali igitur titulo decimas Parochialibus Ecclesiis deberi supposuit Concilium, conformiter ad responsum Innocentii III. in *cap.* 29. ✠ *de Decimis.*

Propositum fuerat Innocentio : » Cùm in quibusdam Paro» chiis ad quasdam Ecclesias, vel personas Ecclesiasticas *ab* » *antiquo* pertineat perceptio decimarum, & de novo fiant *no*» *valia* in eisdem, ad quam hujusmodi *novalium* decima in» cipiat pertinere. « Respondet Innocentius : » Cùm percep» tio decimarum ad Parochiales Ecclesias de jure communi » pertineat, decimæ *novalium*, quæ fiunt in Parochiis earun» dem, ad ipsas proculdubio pertinere noscuntur, nisi ab his, » qui alias percipiunt decimas rationabilis causa ostendatur, per » quam appareat novalium ad eos decimas pertinere. «

XVIII. Idipsum non minùs clarè expressit Alexander IV. in *cap.* 2. §. *fin. de Decimis, in VI.* » Nec pro eo quòd for» tè in aliquibus Parochiis omnes majores Decimas, seu par» tem illarum acquirunt de manibus Laicorum, possunt pro » eadem, vel simili portione (si de novo postmodum fiant » novalia) in isdem petere, vel percipere novalium decimas eo» rundem, nisi alia rationabilis, per quam hoc facere valeant, » causa subsit. «

XIX. Ex his, aliisque Juris textibus unanimi consensu concludunt Canonistæ, quòd licèt perceptio decimarum in aliqua Parochia *ab antiquo* pertineat ad Capitulum, vel Monasterium, nullum tamen jus competat ad *Novalia*, sed illa de jure maneant, sive pertineant ad Ecclesiam Parochialem, nisi ostendatur causa rationabilis ; puta, privilegium, aliusve specialis, & Canonicus ac rationabilis titulus, quo nominatim, perceptio *novalium* Capitulo aut Monasterio sit indulta.

* Verbi gratia, si probetur jus decimandi competere Monasterio, aut Capitulo titulo incorporationis, sive appropriationis ipsius Ecclesiæ Parochialis, ostendi in dissertatione *de pristinis Ecclesiarum Parochialium incorporationibus.*

Eandem distinctionem inter Decimatores habentes jus ad decimas, ex speciali titulo, puta, privilegi vel præscriptionis, & Decimatores eas habentes jure incorporationis, sive appropriationis Ecclesiæ Parochialis, *qui Pastores primitivi* vocari solent, observat, & probat post Cocquil in Commentario ad *Consuetudines Nivernenses*, Dionysius Simon in suo compendioso Tractatu Gallico de *Decimis*, Parisiis impresso anno 1705. ad calcem Tractatus *de Juribus Honorificis* advocati Marechal, unà observans *pag.* 400. quòd Pastores primitivi eò ipso quo probaverint Ecclesiam Parochialem sibi esse appropriatam, & incorporatam pleno jure quoad *temporalia*, in consequentiam habeant jus percipiendi *novales*, tanquam ad Ecclesiam Parochialem spectantes ; atque idcircò alium titulum probare non teneantur : reliqui verò decimarum Possessores, qui duntaxat jus illud habent ex speciali privilegio, aut præscriptione, nullum jus habeant ad decimas novales ; sed jus illud maneat penes Ecclesiam Parochialem, nisi probaverint *speciali* titulo illud sibi fuisse indultum ; quo casu *Novales* percipere poterunt juxta moderationem Capituli *Statuto, de Decimis, in* VI.

XX. Juri communi consonat praxis, quæ Parochis adjudicat decimas *Novales*, exclusis Capitulis, & Monasteriis, aliisque *Grossis*, ut vocant, Decimatoribus ; idque indubitatum esse per supremorum Tribunalium Arresta notat Joannes Tournetius in sua Collectione Arrestorum *litt. D. num.* 97. referens ibidem plura Arresta, quibus decimæ novales adjudicatæ fuerunt Parocho. Item *num.* 68.

XXI. Cùm autem hodie inter Vicarium perpetuum, & Curatum, sive Parochum, quoad exercitium curæ animarum, & jurisdictionem spiritualem nulla sit distinctio, sed ferè penè solum nomen, aut subindè penes aliqua jura honorifica distinguantur ; receptum quoque est, novalia non minùs ad Vicarium *perpetuum*, quàm ad Curatum pertinere ; atque id in Curiis, sive Parlamentis teneri notatur ad *Cent.* 1. *cap.* 15. Claudii Le Prestre. Verba sunt : *La difficultè est de scavoir, si celui qui n' est que Vicaire perpetuel, est aussi fondè en la perception des Novales, au préjudice du Curè primitif, auquel apartient les grosses dixmes. Et semble que non, par ce que il n'a q' une portion congrue, laquelle il peut demander être acruë par le Curè Primitif, au cas q' elle ne soit suffisante. Toutefois on tient au Palais, que le Vicaire perpetuel est fondè au droit des Novales, quia sunt jurisdictionis* : Id est, » Nodus » ille difficultatis est, ut sciatur, an ei, qui solummodò Vi» carius perpetuus est, in præjudicium Pastoris primitivi jus » competat percipiendi Novalia, cùm ad primitivum spectent » magnæ decimæ. Et videtur non competere, cùm non habeat » nisi congruam portionem, cujus augmentum à primitivo Pas» tore exigere potest, si non fuerit sufficiens. Nihilominùs in » Curia Palatii asseritur, Vicario perpetuo competere jus no» valium, quia sunt jurisdictionis. «

XXII. Plura Parlamentorum Arresta recitat Julianus Broudæus ad Louetium *litt. D. num.* 52. judicatumque, omnia *novalia* pertinere ad Vicarium perpetuum, quæ à 40. retro annis de novo ad culturam redacta fuerunt.

Idque obtinere ait, tametsi ipse Pastor primitivus, aut alius reciperet omnes decimas *majores*, sive *grossas*, & insuper majorem partem *minutarum.*

Unde & Wamesius noster *Consilio Can.* 446. resolvit, Pastorem esse fundatum in asserendis sibi decimis *novalibus*, si vel aliquas etiam *minutas* decimas in Parochia percipiat ; posseque prætendere per totum Parochiæ suæ districtum *Novalia*, tametsi ipse tantùm esset in possessione percipiendi veteres decimas in certo districtu Parochiæ. (g)

XXIII. Imò si Carolo Fevretio in tractatu *de Abusu, lib.* 6. *cap.* 1. *num.* 10. credimus, plura sunt Arresta Parlamentorum, quæ Vicario perpetuo adjudicârunt *novalia*, tametsi Vicario assignata esset certa portio congrua *in pecunia*, in Pastorem primitivum translato omni jure, & censu Pastorali.

Verùm si integra Vicarii competentia, sive portio congrua consistat in pecunia, ipseque Vicarius per consequens omni jure decimandi videatur renuntiâse ; sive potiùs mediante certa pecuniæ, aut granorum quantitate annuè solvenda, in Pastorem primitivum transtulerit : non apparet, quòd eo casu *Novales* decimas prætendere queat, cùm omne planè jus decimandi Pastori primitivo, mediante hac annua pensione, ceserit.

Unde referente, & probante Wamesio *Consilio Can.* 446. *num.* 5. inter causas rationabiles, ob quas præscribenti decimas in aliqua Parochia etiam competere queant *Novales*, Doctores referunt hanc, » si omnia prædia in una, eademque Parochia » sint uni soli ex privilegio, vel præscriptione decimabilia ; nec » Rector Ecclesiæ sub Parochia ullas possideat decimas majores, » aut minores ; quia propter jus *universi* privilegiario seu præs» cribenti acquisitum, faciliùs competunt tali casu omnia, quæ » de novo creantur, ratione juris comprehensi sub illo universo. «

XXIV. Nonnullis indulta fuisse jam pridem privilegia etiam decimas novales percipiendi (h) certum est ; atque nonnullos an-

(g) *Ea est Parlamenti Tolosani jurisprudentia, ut Parochis, aut Vicariis perpetuis Novalium ususfructus assignetur per quinque, vel septem, vel etiam decem annos, qui computentur ab anno, quo terra novalis cœpit coli. Id observat D. Catelan in lib.* 1. *suorum Collectaneorum, cap.* 71. *Hujus jurisprudentiæ ea affertur ratio* : Après un certain nombre d' annèes de culture ces terres ne son plus regardees comme novales, ou ne doivent plus d' étre.

(h) *Catholico Regi Ferdinando VI. Novales, sive Decimas novorum fructuum concessit Benedictus XIV. sua Bulla de* 30. *Julii ann.* 1749. *& ad ejus perfectam intelligentiam, & executionem, à Rege nostro Carolo III. declaratum est, in Regia Schedula* 21. *Junii ann.* 1765. *prædictam concessionem ad Montes, Terrasque incultas, quæ virtute industriæ, & culturæ novos fructus producerent, tantùm extendi debere : Quâ igitur ratione fructus ex novis Poblationibus, vulgò de* Sierra Morena, *privativè suæ Majestati pertinent.*

annotavit Renatus Choppinus *de Sacr. P. lib. 3. tit.* 4. eaque supponit Alexander IV. in *cap.* 2. *de Decimis in* VI. quod totum penè est ad interpretationem, & explanationem illorum privilegiorum.

Ac imprimis declaratur, quòd si indultum sit illud Apostolicum, ut novalium decimas pro ea portione percipere valeant, qua veteres percipiebant, id non intelligatur imprimis de novalibus, quas tempore indulti privilegii alii possidebant: nec extendantur ad alias, nisi in his tantùm locis, ubi veteres tunc, quando dictum indultum impetratum fuit, ipsi impetratores habebant; & pro ea solummodò portione, qua ipsi tempore impetrationis hujusmodi percipiebant antiquas.

Secundò declaratur, indultum de recipiendis decimis novalibus obtentum ab iis, qui tempore impetrationis *totaliter* veteres percipiebant Decimas, ultra medietatem Decimarum novalium non extendi: quia, ait Pontifex in *cap.* 2. §. 1. *de Decimis in* VI. » Non est verisimile, si tunc de plena, & integra perceptione veterum fuisset expressum, quod Apostolica Sedes pariter, & similiter novalium decimas in tam grave Parochialium Ecclesiarum dispendium indulsisset, quòd ratione talis indulti, sive impetrati jam, sive impetrandi deinceps non possit in novalibus (quæ amodò fient) vindicari, & acquiri, vel percipi, plus quam medietas decimarum ipsorum novalium; etiamsi amplius in veteribus habebatur: cùm non sit dicendum asperum, sed pium potiùs, ac benignum, si super decimis futurorum novalium contra Parochialium Ecclesiarum gravamen (quod ex distinctione indulti hujusmodi posset accedere) taliter obviatur. Religiosos tamen Cisterciensis, & Carthusiensis Ordinum statuta declaratione hujusmodi (quantum ad hos duos articulos) videlicet de medietate decimarum novalium, comprehendi nolumus, vel constringi. «

Ex his perquàm manifestum est, solicitè cavisse Pontifices, ne per privilegia, sive indulta de percipiendis decimis nimiùm gravarentur Ecclesiæ Parochiales; quibus *de jure*, & ex prima institutione decimæ debentur, sed ipsis ante omnia sufficienter esset provisum, uti amplius patebit ex dicendis titulo sequenti.

XXV. Monet Zypæus in Notitia juris Belgici *lib.* 1. *tit.* 3. §. *de Decimis*, *num.* 6. quòd duces Brabantiæ quidam sui juris facere voluerint decimas *novales*. Extat Testamentum Henrici III. Ducis Brabantiæ factum Lovanii in Februario, in quo inter cætera ordinat: » Item per totam terram Brabantiæ generaliter decimas *novalium* restituimus Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis, ad quas pertinent pleno jure. « Integrum Testamentum insertum est parte 1. Edictorum Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 5. *cap.* 1.

XXVI. Quantum ad jus Parochialis Ecclesiæ, non multùm absimiles novalibus sunt decimæ *minutæ*, earumque in Decretalibus etiam non semel mentio occurrit, ac signanter in *cap.* 30. ✠ *de Decimis*, ubi dicitur, quòd quædam Monasteria in multis Parochis *majores* decimas percipiant, & *minutas*.

Glossographus ad hoc Capitulum, verbo *Minutas*, ait: » minutæ decimæ appellantur partus animalium, & de pullis, » ovis, & hortis. «

Germanus Forget in suo tractatu de Rebus Decimalibus, *cap.* 4. tractans de Decimis *majoribus*, seu *grossis*, & *minutis*, ait *num.* 2. Nos vocamus *decimas*, sive *majores*, decimas frumenti, hordei, avenæ, & his similes.

Minutas autem decimas esse dicit, decimas pisorum, fabarum, & omnis generis leguminum.

Decimæ quoque animalium, aut vitulorum, vel etiam lanæ ex ovibus, pullorum, & similes sub *minutis* decimis comprehendi solent. Unde Franciscus De Roye Antecessor Andegavensis *lib.* 2. *Instit. Juris Can. cap.* 12.: Aliæ sunt decimæ *minutæ*, » puta ex fructibus hortorum, ex leguminibus, & ex » nutrimine animalium. « Observatque ibidem: » *minutas* de» cimas etiam hodie dici *virides*, gallice *vertes*, quòd ut plu» rimum sunt ex iis, quæ virides habent frondes. Nam apud » sequioris ævi Scriptores illud *viride* dicitur, quod ex iis nas» citur, quæ habent *viridia* folia, ut notat Glossarium ad » Matth. Paris.

XXVII. Decimas *minutas* non secus ac decimas novales speciali titulo deberi Parocho, neque sub generali titulo percipiendi decimas comprehendi, certum est, tam de jure, quàm consuetudine. Quare pro regula practica in materia ponit decimarum Michael du Perray Advocatus Parlamenti Parisiensis in suo tractatu de Portione congrua *part.* 2. *cap.* 30. *num.* 47. decimas *minutas* adjudicari Parocho, exclusis decimatoribus *majoribus*. Et ita judicatum fuisse 3. Martii 1648. perorante celebri Advocato Bignonio. Et rursus 24. Aprilis 1663. contra Priorem generalem Ordinis militaris de Malta, non obstantibus ejusdem Ordinis privilegiis. Refertur Arrestum tomo 2. *Journal des Audiences*, *lib.* 5. *cap.* 20.

Tertium denique prolutum fuit 25. Februarii 1671. teste Du Perray loco citato.

Testatur quoque Germanus Forget, loco suprà indicato, *num.* 3. certam herbam, ex qua oleum confici solet, quod ipse gallicè vocat *Rabette*, declaratum fuisse decimam *minutam*; atque hoc titulo per tria diversa Arresta adjudicatam esse Parocho privativè ad *majores* sive *grossos* Decimatores.

XXVIII. Id tamen non procedere monet Forgetius, si præcipuus proventus, sive fructus Parochiæ consistat in illa specie frugis. Tunc enim non pro decima *minuta*, sed *grossa* sive *majore* reputaretur; nec ad Parochum, sed majores Decimatores spectaret.

Probat quoque Franciscus de Roye loco citato sententiam Cardinalis Hostiensis dicentis: » Decimas *minutas* definiri juxta varias locorum consuetudines, prout in iis copia, vel » penuria sit earum rerum. «

CAPUT VII.

Qui decimas solvere teneantur; et qui ab iis exempti.

1 *Jure communi omnes ad decimas tenentur.*
2 *Præcipuè tamen laici.*
3 *Laicus solo titulo præscriptionis à decimarum solutione se eximere nequit.*
4 *Possessio immemorialis interdum facit præsumptionem infeudationis; sed sola non sufficit ad exemptionem à decimis.*
5 *Toparchæ Parochiarum tenentur ad decimas è suis terris solvendas.*
6 *Terræ etiam* censibus *subjectæ decimas solvere debent.*
7 *Jure communi Principes è suis terris decimas debent; Fiscales Brabantiæ contrarium sustinent.*
8 *Ad tempus potest Parochus decimas remittere; & hodie frequentes sunt cum laicis super decimis conventiones.*
9 *Monachi antiquitùs decimas solvebant.*
10 *Etiam Jure Decretalium ad eas tenentur.*
11 *Jampridem Monachis privilegia non solvendi decimas concessa.*
12 *Privilegium Paschalis II. de non solvendis decimis de laboribus, & nutrimentis propriis.*
13 *Simile datum Leprosis* in commune *viventibus.*
14 *Illud privilegium restrictum ad* novalia *respectu Religiosorum, exceptis Cisterciensibus, Templariis, & Hospitalariis.*
15 *Cistercienses specialiter privilegiati ab Innocentio II. & quare.*
16 *Occasione hujus privilegii multæ querelæ, & dissidia exorta.*
17 *Nimia possessionum acquisitio præcipua offensionum origo.*
18 *Conqueritur Archiepiscopus Cantuariensis, quod decimæ* aliis debitæ *per hoc privilegium auferantur.*
19 *Dicit privilegium datum, quando Ordo* paupertate *gaudebat.*
20 *Scribit, illud privilegium hodie Ordini non convenire.*
21 *Cisterciensibus indultum fuisse privilegium, quando* raræ *erant Abbatiæ, dicit Alexander III.*
22 *Volebant privilegium extendere ad terras, quas aliis excolendas dabant.*
23 *Id esse contra tenorem privilegii declarat Alexander III.*
24 *Privilegium non extenditur ad terras, quas Cistercienses ab aliis conducunt.*
25 *Novæ continuò querelæ contra Cistercienses fiunt.*
26 *Cistercienses resolvunt his querelis obviare excitati litteris Innocentii III.*
27 *Referuntur litteræ Innocentii III.*
28 *Statutum in Capitulo Cisterciensium conditum, & à Concilio Lateranensi sub Innocentio III. probatum.*
29 *Addit Concilium ulteriorem restrictionem privilegii.*
30 *Quæ à Concilio probata, & statuta sunt, ad omnes alios Regulares privilegiis Cisterciensium gaudentes extenduntur.*
31 *Quæ communiter exemptio Regularibus à decimis competat vigore privilegiorum, quæ corpori juri sunt inclusa.*
32 *Præ reliquis privilegiati Cistercienses.*
33 *Cistercienses resolverunt non uti immunitate quoad terras de novo acquisitas.*
34 *Ex ordinatione Concilii Lateranensis Cistercienses non gaudent immunitate quoad terras post Concilium acquisitas; etiamsi propriis manibus excolant.*
35 *Ampliora privilegia per Pontifices indulta.*
36 *Non constat, hæc privilegia ubique esse recepta.*
37 *Expendendum, quid habeat possessio.*
38 *In dubio pro solutione decimarum judicandum; præsertim in favorem Parochi.*
39 *Non adjudicanda immunitas quoad terras aliis elocatas: & ita jam pridem in Gallia judicatum.*
40 *Quid hac in parte declaratum in favorem Cisterciensium, & aliorum Ordinum à Ludovico XIII. Galliarum Rege.*
41 *Usus in his privilegiis attendendus; cavendumque, ne Ecclesiasticis*

clesiis præcipuè Parochialibus nimiùm præjudicetur.

42 *Privilegia hæc personalia sunt; & ad alios extendi nequeunt.*

43 *Non extenduntur ad decimas, quæ cum speciali* onere *alicui sunt indultæ.*

I. JUre communi ab omnibus Christianis *decimas* deberi, neminemque quacunque etiam dignitate præeminentem ab iis exemptum esse, nisi speciali se privilegio, titulove exemptum probet, unanimis est Canonistarum sententia in *cap.* 3. 4. & 5. ✠ *de Decimis.*

II. Porrò hæc obligatio solvendi decimas præcipuè tangit laicos, quia à Parochis, & Clericis spiritualia recipere debent; eòque titulo quasi jure quodam naturali decimas pro Sacerdotum sustentatione dare tenentur.

III. Unde laicus difficulter admodum se à decimarum solutione eximere potest; refertque Broudæus ad Louetium *Litt. D. num.* 9. non semel judicatum, laicos obligari ad solvendas decimas è suis terris, tametsi à tempore *immemoriali* non solvissent, si non ostendant decimas istius terræ titulo infeudationis sibi competere. Aitque aliàs possessionem immemorialem, etiam centum, aut ducentorum annorum non solvendi decimas non esse sufficientem ad acquirendam exemptionem, aut immunitatem: nullaque persona laica (ait) potest acquirere immunitatem, libertatem, aut exemptionem à decimis *lapsu* temporis; neque eam præscribere ob negligentiam, aut collusionem Parochi, aut alterius personæ Ecclesiasticæ jus decimandi alienare non valentis.

IV. Verbo, possessio immemorialis (inquit) præsumi facit infeudationem, quando antiqui tituli, & investitiones proferuntur; non autem sufficit, ut faciat locum præscriptioni, seu exemptioni à decimis, quas Parochus solo titulo suæ Ecclesiæ, sive Beneficii Parochialis petere potest in futurum, licèt non quoad præteritas, quas non petivit.

V. Refert dein judicatum fuisse anno 1633. contra cujusdam loci *Toparcham*, ipsum obligari ad solutionem decimarum ex quibusdam fundis; tametsi probata esset possessio immemorialis exemptionis, sive non solutionis decimarum, per elocationes continuè factas à centum & quinquaginta annis, alisque acta in lite exhibita.

Quinimò Toparchiæ prætendentes titulo suæ Toparchiæ exemptionem à decimis solvendis è suis fundis dominicalibus, non semel repulsi sunt, non obstante possessione non solvendi; judicatumque eos non eximi, nisi speciali Privilegio suam exemptionem probaverint. Carolus Fevretius de *Abusu*, *lib.* 6. *cap.* 2. *num.* 2. *&c.* & Journal des Audiences *part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 2.

VI. Refert quoque Michael Du Perray judicatum per arrestum 11. Februarii 1641. quòd possidentes terras oneratas censibus duntaxat, solvere teneantur *decimas*, tametsi plusquam à 80. annis decimas non solvissent. Insertum parti primæ *Journal des Aud.! lib.* 3. *cap.* 3.

VII. Imò jure communi attento, etiam Principes, & Reges è suis terris *decimas* (i) debere unanimi consensu tradunt Canonistæ, pluresque citat Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *cap.* 1. §. 5. addens, tamen: » Sed Fiscales Brabantiæ id non admittunt, sed allegant immemorialem præscriptionem, & Dominia Ducis semper fuisse libera, & immunia à Decimarum solutione, & in tali qualitate semper » fuisse elocata, & etiamnum elocari. «

VIII. Monet loco citato Broudæus ad Louetium, quòd si exemptio à decimis concessa esset alicui laico per Parochum ad aliquot annos, puta decem, mediante aliqua compensatione, & indemnitate facta Ecclesiæ, conventio hujusmodi esset valida; quia tantùm tangit fructus annuos, non autem jus decimandi in se. Ita videmus Capitula, & Monasteria passim remittere decimas aliquot annorum; aut certè in multo minore quantitate earum solutionem admittere, ut facilitent laicos, ad terras inundatas, aut steriles, & infructuosas reducendum ad culturam, & terras arabiles.

IX. Non tantùm laicos, sed & Religiosos, sive Monachos ad decimas de terris suis solvendas de jure teneri indubitatum est.

Dixit jam pridem S. Hieronymus *Epist.* 1. apud Gratianum *Caus.* 16. *quæst.* 1. *Can.* 6. » Alia causa est Monachorum, » alia Clericorum. Clerici pascunt oves, ego pascor: illi de » altario vivunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad radicem, si *munus* ad altare non defero. «

Clarum est ex illo contextu, tempore Hieronymi, Monachos non secus ac alios laicos munera sua, id est, oblationes ad Altare detulisse.

X. Et in *cap.* 4. ✠ *de Decimis*, scribit Pontifex: monendos, & urgendos Monachos, ut » decimas de terris cultis, in » quibus olim domus constructæ fuerant, Ecclesiæ cum ea, » integritate persolvant, quà priusquam in eadem Parochia morarentur, solebant persolvi. «

Hinc concluditur, terras à Monachis possessas nullatenus à decimis eximi, nisi speciale exemptionis privilegium ostendant; notatque expressè Glossa ad *cap.* 10. ✠ *de Decimis*, verbo *laborum suorum*; » quòd Monachi in primitiva Ecclesia » dabant *decimas* de prædiis, & laboribus suis *sicut laici.* «

XI. Sicuti autem jam pridem Monachis ad eorum paupertatem sublevandam *decimæ* datæ fuêre; ita quoque privilegia exemptionis à decimis ipsis data fuisse legitur.

XII. Sub nomine Paschalis II. refert Gratianus *Caus.* 16. *quæst.* 1. *Can.* 47. » Decimas à populo Sacerdotibus, ac Levitis esse reddendas, divinæ legis sanxit auctoritas. Cæterum » à Monachis, sive Clericis communiter viventibus nulla ratio » sinit, ut milites, aut Episcopi, aut personæ quælibet decimas de laboribus; seu nutrimentis suis propriis extorquere » debeant. «

XIII. Huic congruit, quod de leprosis in *communi* viventibus ex Concilio Lateranensi dicitur in *Cap.* 2. ✠ *de Ecclesiis ædificandis*: » Statuimus etiam, ut de hortis, & nutrimentis animalium suorum decimas tribuere non cogantur. «

XIV. Testatur Alexander III. in *cap.* 10. ✠ *de Decimis*, quòd prædecessores sui fere omnibus Religiosis decimas laborum suorum concesserant. » Sed (ait) Prædecessor noster Hadrianus (nimirùm IV.) solis Fratribus Cisterciensis Ordinis, » & Templariis, & Hospitalariis decimas laborum suorum, quos » *propriis manibus*, vel *sumptibus colunt*, indulsit: Cæteris » verò, ut de novalibus suis, quæ propriis manibus, vel » sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, » & de hortis suis decimas non persolvant; quem sumus super his imitati. Quare ii, quibus hoc indultum est, hac occasione decimas de aliis rebus Ecclesiæ suæ non possunt subtrahere, vel sibi aliquid ulteriùs vindicare. «

XV. Cistercienses specialiter in his à Pontificibus privilegiatos fuisse, etiam sub initiis penè sui instituti, ipsoque S. Bernardo præcipuo Ordinis istius propagatore vivente, constat.

Vir eruditus Joannes Mabillonius in præfatione, quam recentiori operum S. Bernardi editioni præmisit, §. 4. agens de Schismate inter Innocentium II. & Anacletum; postquam ostendit multos labores sanctum Bernardum pro extinctione istius schismatis, & in favorem Innocentii subiisse; ac tandem feliciter ejus operâ, schisma fuisse extinctum, subjungit *n.* 48. » Tanti beneficii, maximè per Bernardum accepti, memor Innocentius, Cisterciensibus decimas ex omnibus, quas habebant, possessionibus propriâ auctoritate relaxavit, inconsultis iis, ad quos ejusmodi decimæ pertinebant. «

XVI. Quantæ hinc querelæ, & inter Ordinem Cisterciensem, & Episcopos, atque alios Ordines exorta sint dissidia, notavit idem Mabillonius in notis ad Epistolas 228. & 282. sancti Bernardi.

XVII. Hoc autem vel præcipuè torquebat Episcopos, & alios Religiosos, quòd passim sibi Cistercienses atraherent possessiones & prædia, è quibus *jam antea* vel Clericis, vel aliis Religiosis *decimæ* solvebantur: è quibus dum Cistercienses decimas solvere renuebant, reipsâ decimas aliis subtrahebant.

XVIII. Id patet ex Epistola 82. quam sub finem seculi XII. nomine Richardi Archiepiscopi Cantuariensis scripsit nominatissimus ille Archidiaconus Batoniensis Petrus Blesensis *Abbati & Conventui Cisterciensi.* In hac Epistola, præmissis Cisterciensium laudibus, subddit, in uno eorum famam decolorari, quod » Clericis, & Monachis decimas auferrent. Et quæ est, » ait, injuriosa immunitas, ut exempti sitis â decimarum solutione, quibus *obnoxiæ* terræ *erant antequam* vestræ essent; & » quæ solutæ sunt hactenus, non personarum obtentu, sed territorii ratione? Si in vestram possessionem terræ devolutæ » sunt, quare in hoc periclitatur *alienum* jus? Nam ad vos terræ juxta communem æquitatem, cum *suo onere* transierunt. «

XIX. Et objecto sibi Papæ privilegio, ait: » Non ponimus in cœlum os nostrum, nec de facto summi Pontificis disputamus; sed si Dominus Papa indulgentia speciali quandoque privilegiaverit vos, dum Ordo vester *paupertate* gaudebat, dum in usus egentium suæ tenuitatis viscera liberaliter effundebat, potuit tolerari ad tempus, licèt in communem redundaret injuriam, quòd causâ necessitatis fuerat introductum: nunc autem quando vestræ possessiones multiplicatæ sunt, etiam in immensum, privilegia hæc potius ambitionis, quam religionis instrumenta censentur. «

XX. Deinde addit: » Quidquid indulgeant privilegia Ecclesiæ Romanæ, vobis expedire non credo, contra conscientiam vestram, quod alienum est, usurpare. Quid si à Sede illa publicum emanâsset edictum, quod ubicunque inveneritis Clericos, aut alterius habitus Monachos equitantes, vobis licere eos de suis evectionibus dejicere, & equos, » in

(i) *In Hispania Decimæ solvuntur etiam ex terris ad Regem pertinentibus, ut constat leg.* 2. *tit.* 5. *lib.* 1. *Recopil. Castellæ; & quoad Dominia Indica ex leg.* 16. *tit.* 16. *lib.* 1. *Recopil. Indiar.*

» in usus proprios detinere? Quid interest equos rapiatis an » decimas? Nisi quia decima res spiritualis est, & ideo enor- » mius sacrilegium in decimis committitur, quam in equis. «

XXI. Et sanè Ordini Cisterciensi privilegia illa data fuisse, quando ex illorum concessione nulli scandalum ob oriri posset, fatetur Alexander III. in *Cap.* 9. ✠ *de Decimis*, suadens quibusdam Monachis Ordinis Cisterciensis, ut cum prætendentibus ab ipsis decimas componant: » Nam quando (ait) » Romana Ecclesia Ordini vestro privilegia de decimis dede- » rat, ita erant *raræ* Abbatiæ vestri Ordinis, quod exindè » nulli poterat de jure scandalum suboriri: sed nunc in tan- » tum *augmentatæ* sunt, ac possesionibus *ditatæ*, quod mul- » ti viri Ecclesiastici de vobis apud nos querelam sæpè pro- » ponunt. «

XXII. Volebant quoque Cistercienses privilegium illud etiam ad possessiones, quas *aliis excolendas* tradebant, extendere; uti intelligitur ex litteris Alexandri III. quæ integrè referuntur in *Cap.* 11. *de Decimis*, in prima Collectione Decretalium apud Antoninum Augustinum; & in Appendice ad Concilium Lateranense sub Alexandro III. *part.* 13. *cap.* 6. fragmentum autem extat in *cap.* 11. ✠ *de Decimis.*

XXIII. In his ergo scribit Alexander III. » Licèt de Be- » nignitate Sedis Apostolicæ sit vobis indultum, ut de labori- » bus vestris, quos propriis manibus, vel sumptibus colitis, » nemini decimas solvere teneamini; propter hoc tamen non » est licitum vobis decimas de terris vestris subtrahere, quas » aliis traditis excolendas. «

Post hæc dicit: » Relatum est siquidem auribus nostris, » quòd cum terras quasdam, quas in decimatione dilecti fi- » lii nostri Thesaurarii Senonens. habetis, rusticis vestris *ex- » colendas* exindè decimas, sicut debetis, non solvitis, nec » facitis à rusticis ipsis exsolvi. Quoniam igitur quantò arc- » tiùs vos, & Ordinem vestrum diligimus, tantùm minùs vos, » & Ordinem vestrum volumus efficere, quæ sunt honestati » contraria, vel obvia rationi, aut ex quibus privilegiorum » nostrorum tenorem transgredi videamini, cum privilegium » videatur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate, fra- » ternitati vestræ mandamus, quatenus de terris illis, quas » in decimatione prædicti Thesaurarii propriis manibus non ex- » colitis, sed rusticis traditis excolendas decimas vobis usur- » pare nullatenus præsumatis, sed eas in propriis eidem The- » saurario faciatis cum omni integritate persolvi. «

XXIV. Rursus apud Alexandrum III. Abbas & fratres sanctæ Crucis, qui erant Canonici Regulares, conquesti fuêre de Monachis de *Neubothel* Ordinis Cisterciensis in Scotia, quòd decimas solvere renuerent ex prædiis, quæ ipsi Cistercienses à rusticis Parochiæ, in qua illi Canonici Sacramenta administrabant, & eo titulo decimas accipiebant, conduxerant, vel *ad firmam* acceperant: quo fiebat ut illi Canonici penè omnibus suis decimis defraudarentur. Unde scribit ad illos Monachos Cistercienses Alexander: „ Nec fuit intentionis nostræ „ aut antecessorum nostrorum, ut de possessionibus, quas con- „ ducitis, decimas non debeatis persolvere: Universitati vestræ „ m. præ. (id est, *mandato præcipimus*) ut eis de fructibus „ de prædiis quæ conduxistis in Parochiis suis, de quibus con- „ sueverunt decimas percipere, plenariè persolvatis, vel cum „ ipsis tam pacificè, & amicabiliter conveniatis, quod nul- „ la inter vos debeat scandali malitia suscitari, & vos videa- „ mini ultra quàm vobis indultum est manus extendere. «

Ita legitur *in cap.* 6. *de Decimis* in prima Collectione Decretalium: & eadem penè leguntur in *cap.* 8. ✠ *eod.*

XXV. His interpretationibus, sive privilegii extensionibus, necnon novis possessionum accessionibus privilegium hoc in magnum Ecclesiarum Parochialium, & aliorum, quibus decimæ competebant, gravamen redundabat: multasque contentiones, & rixas excitabat.

XXVI. Itaque Abbates Ordinis Cisterciensis in Capitulo Generali congregati anno 1213. resolverunt, hisce querelis, & contemptionibus occurrere, præsertim excitati litteris Innocentii III. in scriptis sub idem tempus Monachis Cisterciensis Ordinis, & Hospitalariis Diœcesis Quinque-Ecclesiensis: estque 85. *lib.* 16. in editione Epistolarum Innocentii per Bosquetum.

XXVII. In hac itaque Epistola primò scribit Innocentius: » Venerabilis Pater noster Quinque-Ecclesiensis Episcopus nobis intimare curavit, quod vos extendentes ad lucra » turpia manus vestras multitudinem emitis vinearum, de qui- » bus sibi, vel Ecclesiis suæ Diœcesis decimæ solvi solent: » quarum vinum licèt nequaquam in usus proprios expenda- » tis, sed vendendum ad alias faciatis Provincias deportari; » decimas tamen sibi, vel ipsis Ecclesiis subtrahitis ex eisdem. «

Post hæc subjungit: » Cùm igitur ex hoc Ordini vestro » plurimùm detrahatur, Universitati vestræ per Apost. scrip. » mand. quatenus ab iis de cætero taliter desistatis, ut mate- » ria scandali auferatur, & super hoc de vobis clamor ad nos » ulteriùs non ascendat. Scientes nobis esse meritò formidan- » dum, ne propter clamores hujusmodi sacrum Concilium, auc- » tore Domino in proximo celebrandum, privilegia vestra co- » arctanda provideat, vel etiam revocanda; cùm privilegium » mereatur amittere, qui concessa sibi abutitur libertate. «

XXVIII. Litteris hisce in Capitulo generali lectis statutum ediderunt, quo querens Episcoporum, aliorumque decimas possidentium, satisfieri, salvâ privilegii sui integritate posse credebant.

Hoc statutum in Concilio generali Lateranensi, cui Innocentius III. præsidebat, lectum, & probatum fuit; referturque Decretum Concilii in *cap.* 34. ✠ *de Decimis.* » Nuper » Abbates Cisterciensis Ordinis in Generali Concilio (vel po- » tiùs *Capitulo*, ut in prima Decretalium collectione) congrega- » ti ad commonitionem nostram (Innocentii III.) provide sta- » tuerunt, ne de cætero fratres ipsius Ordinis emant possessio- » nes, de quibus decimæ debeantur Ecclesiis, nisi fortè pro » Monasteriis noviter fundandis. Et si tales possessiones eis fue- » rint piâ fidelium devotione colatæ, aut emptæ pro Monaste- » riis de novo fundandis, committantur aliis excolendæ, à qui- » bus Ecclesiæ decimæ persolvantur. «

XXIX. Hactenus Ordinis ipsius statutum, cui deindè addit Concilium Lateranense: » Ne occasione privilegiorum suo- „ rum Ecclesiæ alterius Ordinis prægraventur, decernimus, ut „ de alienis terris, & amodo acquirendis, etiamsi eas propriis „ manibus aut sumptibus excolunt, decimas persolvant Ec- „ clesiis, quibus ratione prædictorum antea solvebantur, ni- „ si cum ipsis Ecclesiis aliter duxerint componendum. «

XXX. Denique hæc omnia Concilium suâ auctoritate extendit ad omnes Regulares iisdem privilegiis cum Cisterciensibus gaudentes: „ Et hoc ipsum (ait) ad alios Regulares, qui „ gaudent similibus privilegiis, extendi volumus; & mandamus; „ ut Ecclesiarum Prælati promptiores, & efficaciores existant „ ad exibendum eis de suis malefactoribus justitiæ complemen- „ tum, eorumque privilegia diligentiùs & perfectiùs studeant „ observare. «

XXXI. Si itaque attendamus privilegia immunitatis à decimis Regularibus indulta prout illa Corpori Juris inserta sunt, sequitur imprimis nullos Regulares, exceptis Cisterciensibus, Templariis, & Hospitalariis, habere immunitatem à decimis, nisi de *novalibus suis, quæ propriis manibus, vel sumptibus excolunt, & de nutrimentis animalium suorum, & hortis suis*; uti statuit Adrianus IV. & probavit Alexander III. in *cap.* 10. ✠ *de Decimis.*

XXXII. Secundò, Cisterciensibus, Templariis, & Hospitalariis indultam esse immunitatem à decimis de omnibus suis terris, quas propriis manibus excolunt, uti in citato *cap.* 10. declaratur.

XXXIII. Tertiò habetur, quòd Cistercienses vi statuti sui Ordinis à Concilio Lateranensi probati, non possint de novo possessiones, de quibus anteà decimæ solvebantur, acquirere nisi pro fundandis noviter Monasteriis; & si etiam in hanc causam dentur, eas aliis excolendas tradent, ut ex iis decimæ solvantur.

XXXIV. Quartò, quòd si quas possessiones post Concilium Lateran. celebratum sub Innocentio III. anno 1215. quocunque modo acquisierint, easque etiam *propriis manibus* excolant, decimas solvere teneantur Cistercienses, & omnes similia privilegia habentes; uti constat ex ordinatione ipsius Concilii Lateranensis.

XXXV. Verùm Cisterci enses, aliique Regulares plurima proferunt posteriorum Pontificum privilegia, quibus amplior ipsis indulgetur à decimis exemptio, seu immunitas, quàm in privilegiis Corpori Juris insertis est expressa: quæ privilegia passim apud Auctores de hac immunitate scribentes referuntur; ac signanter apud Wamesium *Consil. Can.* 445. & Zypæum *Consult.* 8. *de Decimis.*

XXXVI. Porrò Zypæus, relato privilegio Martini V. quo larga satis à Decimis immunitas, etiam de terris post Concilium Lateranense acquirendis indulgetur Cisterciensibus, ait: „ Sed vereor in viridi non esse passim observantia, quatenus „ excedit privilegia Corpori juris inserta (quamvis Wamesius „ *de Decimis*, *Cons.* 445. illa ex facto propugnet) præsertim „ quando erunt *noviter* emptæ possessiones, ex quibus *aliis* „ decimæ *solvebantur*, aut non ipsis propriis manibus, aut sump- „ tibus colant, aut saltem partiarios fortè habuerint colonos, „ qui de portione sua decimas solvant, portione Religiosorum „ immuni relicta. «

XXXVII. Hæc Zypæus, qui rectè ibidem monet *num.* 7. „ In privilegiis diversimodè restrictis non facilè est hodiè inver- „ tenda possessio, sive Religiosi sint in possessione immunita- „ tis; sive alii in possessione decimas percipiendi. Ea enim pos- „ sessio argumento est, casum, seu feudum, de quo agitur, sub- „ jectum esse privilegio, vel non esse, vel privilegium re- „ ceptum esse ibi, vel non esse. «

XXXVIII. Quin in dubio pro solutione decimarum judicandum sit, dubitari nequit; cùm certum sit jure communi, om-

omnes etiam Religiosos saltem Curam animarum non habentes in Parochia, decimas solvere debere: quod & multò magis obtinere debet, si prætendatur exemptio à decimis ultra privilegia Corpori Juris inserta, & contra Ecclesiam Parochialem, cui de Jure decimæ debentur.

XXXIX. Cùm autem adeò clarè in jure sit expressum; imò & ipsum Cisterciensium Statutum exprimat, & supponat immunitatem à decimis se non extendere ad terras, sive possessiones, quas *aliis excolendas* tradunt, non facilè privilegium posterius ad earum immunitatem admittendum.

Unde refert Claudius le Prestre *in sua Arrestorum Colectione*, *Cent.* 3. *cap.* 26. plura esse arresta, quibus judicatum fuit, privilegium Cisterciensium de non solvendis decimis è terris, quas *propriis manibus colunt*, non extendi ad terras, quas aliis excolendas tradunt. Hæc arresta notantur apud Broudæum ad Louëtium *Litt. D. n.* 57.

XL. Monet nihilominus ibidem Broudæus, post tempora horum arrestorum, Cistercienses, aliosque nonnullos Ordines obtinuisse Litteras patentes Ludovici XIII. Regis Galliarum anno 1620. confirmativas Bullarum Eugenii III. aliorumque Pontificum, quibus annuitur immunitas a Decimis è possessionibus, quæ sunt de fundatione, dotatione, & dominio Abbatiarum dictorum Ordinum, tam pro illis, quas colunt propriis manibus, quàm illis, quas suis colonis excolendas tradunt. Quæ litteræ eodem anno in Parlamento simpliciter admissæ, & probatæ fuerunt. Testaturque Broudæus conformiter ad has litteras judicatum fuisse, præmisso exacto causæ examine, & discussione, in favorem Abbatis, & Conventus Clarevallensis Ordinis Cisterciensis, de non solvendis decimis è suis terris, quandiù eas vel propriis manibus colerent, vel aliis excolendas elocarent, elocatione non excedente terminum novem annorum.

XLI. Itaque in his privilegiis, uti in tota materia decimarum, multùm attendenda possessio, & usus, præcipuè antiquus; multumque insuper attendendum privilegiatis, ut ita suis privilegiis utantur, ne Ecclesiæ præsertim Parochiales, quibus de jure decimæ debentur, nimiùm graventur. Quare rectè monet Zypæus *loco citato*, *num.* 12. » Quòd si præter commune » dubium accedat specialis tenuitas Parochi, eò magis res ad » compositionem urgenda est; quia nimis eo loci incipit privi» legium esse nocivum: & sic arbitrio boni viri restringendum, » & quidem sic, ut congrua portio Parocho maneat, & con» grua liberaliter."

XLII. Qualiscunque immunitas Cisterciensibus, aliisve Religiosis vi privilegiorum competat, hoc satis constat, eam duntaxat *personalem* esse: neque possessionibus, aut rebus inhærere. Quapropter si partiarios colonos habeant, pro portione colonorum decimæ essent solvendæ, tametsi immunitas Cisterciensium ad eum casum se extenderet: quia non nisi portionem Cisterciensibus competentem eximere posset.

His conforme est privilegium Alexandri IV. quod extare inter munimenta Monasterii S. Bernardi ad Scaldium testatur Zypæus *loco citato*, *num.* 6. quo privilegio concessum est: » Ut » si animalia dederint in *societatem*; de fœtibus decimas non » solvant, quoad *eam partem*, quæ eos contigit."

Hoc fundamentum anno 1602. adjudicatæ fuerunt decimæ Parocho è terris, quas quidam laicus emerat à quodam Monasterio Ordinis Cisterciensis: tametsi ex terris, quandiù pertinuerant ad Monasterium, nunquam decimæ solutæ essent: imò & cum Parocho concordatum initum esset, quòd pro omni decima, quæ prætendi possunt ex terris illis, defungeretur Monasterium solutione 30. stuferorum. (k) Dictum enim fuit, privilegia, uti & transactionem occasione illorum initam esse intelligenda pro tempore, quo Monasterium terras illas haberet, & ut propriis uteretur: ac per consequens privilegium immunitatis Ordini concessum eas à decimis eximere poterat. Vide Choppinum De *Sacr. P. lib.* 3. *tit.* 2. *num.* 8.

XLIII. Flavius Cherubinus in Compendio Bullarii in Gregorio XIII. *cap.* 51. agens de Bulla (l) hujus Pontificis, quâ privilegium immunitatis à decimis concessum Societati Jesu renovat, & ampliat cum derogatione Decreti Concilii Lateranensis, de quo in *Cap.* 34. ✠ *de Decimis*, quærit ibidem *Scholio* 3. » De quibus decimis Societatis exemptiones intelligantur? » Dein respondet: De illis, quæ Parochis, vel aliis personis, » aut Collegiis, ex juris communis dispositione debentur, & » non de his, quæ jure speciali ex aliqua particulari concessione, » & privilegio debentur, (m) maximè si ex causa onerosa, & » ex quasi contractu Principis." Additque ita anno 1598. censuisse Rotam Romanam. Idipsum indicat Covarruvias *lib.* 1. *variar. resol. cap.* 17. *num.* 14. rationem addens: » Ex eo, » quòd hujus quasi possessionis Summus Pontifex ignarus est, nec » ejus mentionem in privilegio fecerit, & ideò eam tollere non » voluerit."

Refertur quoque in registro M. S. Archiepiscopatûs Mechliniensis, pronuntiatum fuisse unanimi suffragio in Parlamento Mechliniensi anno 1633. pro Capellanis Capellæ Regiæ, privilegium Cisterciensium de non solvendis decimis non comprehendere decimas alicui competentes ex *speciali* fundatione.

(k) Stuferus, *id est*, *solidus*, *Belgis* Stuyver C' est, *dit Monsieur Savay*, le sol commun de Hollande & du Brabant. On l' appelle le sol de gros; sa valeur est variabile, & suit toujours celle de la valeur de la livre de gros. *Dictionnairie du Commerce*, *tomo* 2. *pag.* 1565.

(l) *Ea Bulla in Galliis derogare non potest juri communi; quo quilibet fundus granis consitus decimas solvere tenetur; huic juri non derogatur nisi per titulum antiqua consuetudine & Regia auctoritate munitum. Cùm verò utraque hæc prærogativa desit Bullæ, quam Patribus Jesuitis concessit Gregorius XIII. nullum jus in Galliis, aut nullum privilegium huic tribui potest.*

(m) *Ita declaratum est in Hispania in Regia Schedula 4. Decembris ann.* 1767. *at post hujus Religionis à Regno Hispaniæ, ejusque Indiarum expulsionem, omnia & quæcunque bona integrè decimas ex bonis ejus persolvere debent, ut constat ex Regia Schedula* 19. *Julii anno* 1769.

CAPUT VIII.

Quomodo Decimæ solvendæ.

1 *Decimæ sua origine sunt species oblationis.*
2 *Admonendus populus, ut liberali, ac grato animo decimas persolvat.*
3 *Hic meritò applicatur, quod de oblationibus dicitur.*
4 *Solutio decimarum debitè facta, ut sacrificium Deo gratum habetur.*
5 *Ægrè populus hodiè ad decimarum solutionem adducitur.*
6 *Ratio illius videtur iniqua decimarum dispensatio.*
7 *Attento hodierno decimarum usu, non mirum, si populus decimarum solutioni ægrè acquiescat.*
8 *Ob iniquam & injustam decimarum dispensationem populus decimas negare non potest.*
9 *De Jure communi decima pars fructuum solvenda.*
10 *Consuetudine introduci potest, ut minor quota, quàm decima solvatur.*
11 *Quare hæc minor nihilominùs* decima *vocetur.*
12 *Solutione quotæ etiam minoris per consuetudinem introductæ, satisfit integræ decimarum solutioni.*
13 *Decimæ solvendæ sine deductione expensarum in colligendis fructibus.*
14 *Id procedit in decimis prædialibus, non autem personalibus.*
15 *Non deducuntur etiam expensæ factæ in conservationem, aut meliorationem fundatorum factæ.*
16 *Interdum conventione Decimatores aliquid pro expensis contribuere solent.*
17 *Imò & auctoritate publica subindè adjungitur.*
18 *Volunt Principes nostri, ut solitæ decimæ exactè solvantur: nec dicantur esse arbitrariæ.*
19 *Fructus decimales è fundis avehi non possunt, priùsquam in manipulos, & acervos collecti sunt.*
20 *Debent quoque prævièmoneri Decimatores, ut determinato tempore adsint decimationi.*
21 *Eadem & in Gallia ordinata sunt.*
22 *In Gallia frequenter judicatum, decimas* in specie *solvendas esse, non obstante contraria consuetudine, aut conventione.*
23 *Idipsum ibidem reputatur pro firmo principio in materia decimarum.*
24 *Non ubique, nec etiam in Belgio, id tam rigorosè observari videtur.*
25 *Quomodo & quando solvendæ decimæ fœtuum animalium.*

I. Decimas in sua origine, & primigenia institutione esse quandam speciem oblationis, quâ populus partem bonorum suorum temporalium Deo offerebat, in Ministrorum ejus, ac pauperum usus impendendam, ex dictis *cap.* 1. compertum est.

II. Et quamvis hodie decimæ non sint ampliùs eo sensu *voluntariæ*, ut dependeat ab arbitrio populi eas offerre, vel non offerre; semper tamen monendus, & instruendus populus, ut liberali, ac benevolo in Deum affectu eas offerat: earunque oblatione Deum in sua substantia honorare, & quasi sacrificium voluntarium offerre satagat, juxta illud Ecclesiastici cap. 35. v. 11. 12. & 13. *In omni dato hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas. Da Altissimo secundum datum ejus, & in bono oculo adinventionem facito manuum tuarum: quoniam Dominus retribuens est, & species tantum reddet tibi. Noli offerre munera prava, non enim suscipiet illa.*

III. Hîc meritò applicatur, quod de oblationibus monuit S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV. *parte* 2. *cap.* 15. » Quo gratius autem Deo sit, quod offerunt, ad præstandum » accedant Fideles intima animi pietate, speciali hilaritate, sanc» ta charitate, omnique Christianæ devotionis testificatione."

IV. Hoc pacto fiet, ut offerentibus, & dantibus decimas suas dici poterit, quod iis jam pridem dixisse fertur S. Joannes Monachus apud Cassianum *Collat.* 21. *cap.* 2. » Devotionem » hujus oblationis..... Gratanter amplector, quia fideliter primi- » tias vestras, ac decimas indigentium usibus profuturas velut » *Sacrificium Domino bonæ suavitatis offertis.*

V. Verùm quàm ægrè, ac involuntariè & coactè decimæ à laicis frequenter solvantur, imo ab invitis, & reluctantibus extorqueri debeant; quantaque laicorum murmura hîc audiantur, notius est, quàm probari debeat.

VI. Porrò occasio horum murmurum nec obscura, nec abstrusa apparet: eamque rectè notavit Christianus Lupus *tomo* 4. *Schol. in Canones, pagina* 197. Postquam enim ostendit, plures populos se primitùs decimarum impositioni opposuisse; & » quod interim ipsum (onus decimarum) omnis ferè » sub cœlo Ecclesia post magnas luctas admiserit, ait: Ita ta- » men, ut infidam administrationem nunquam ferè cessaverit » culpare populus, & adversus illam murmurare & recalcitrare.«

Ut enim in litteris ad Alexandrum II. deplorat B. Petrus Damiani *lib.* 1. *Epist.* 10. » Quotidie Regales epulæ, quotidie » apparatus, quotidie nuptiale convivium; & unde refrigera- » re debuerant indigentes, rubentium tabulorum recreant ges- » tatores. Et cùm Episcopus dispensator, & promus debeat » esse pauperum, ad eorum mensam affluentibus deliciis alie- » ni ructant; cùm & illi, quorum est tota substantia, pro- » cul exclusi, famis inopiâ contabescant.«

VII. Et sanè quis miretur, populum ægrè ad solutionem decimarum adduci; imò omni quâ possit arte, & modo ab earum solutione se subducere, dum videt eas non laborantibus in Vinea Domini, nec seminantibus sibi spiritualia impendi; nec pauperibus communicari, sed pro majore parte in luxum otiosorum, & suaviter viventium Clericorum absumi: imò ex iis & illos, qui paupertatem, & omnem in rebus terrenis singularem moderationem profitentur, passim ut opulentiores hujus seculi Principes apparatum ducere, & splendidè vitam in omnibus agere?

Non dubium, quin populus facilè induceretur, ut hilari, ac pio cordis affectu decimas suas offerret, si modò non verbis, sed reipsa ostenderetur, decimas Deo offerri in usum non otiosorum Sacerdotum, sed *operariorum*, & *laborantium*, nec ut Sacerdotes, aliique Decimatores inde superbiant, lauteque & delitiosè vivant, sed Operarii Evangelici *cibum* suum acciperent, & reliqua in pauperes, & pios usus distribuerentur.

VIII. Superiorum est prospicere, quâ ratione tam iniqua decimarum dispensatio corrigatur, earumque rectus ac legitimus usus reducatur. At subditorum & privatorum est, legibus & ordinationibus solutionem decimarum indicentibus se humiliter subjicere, & omni exactitudine satisfacere; permittendo Decimatorum conscientiis de illis prout oportet disponere.

Neque enim subditorum, aut privatorum est onera auctoritate publicâ imposita recusare, eo pretextu, quod aliqui iis abutantur.

Unde meritò damnata est à Concilio Constantiensi hæc assertio: » Decimæ sunt puræ eleëmosynæ, & Parochiani possunt » propter *peccata* suorum Prælatorum ad libitum suum au- » ferre eas.«

Edicto Blesensi *art.* 49. expressè auctoritate Regis Galliæ declaratum fuit, proprietarios & possessores terrarum decimabilium non posse allegare in judicio jus decimarum tantùm esse ad *beneplacitum.*

IX. Cùm verò ad exemplum decimæ Mosaycæ, sive Legis Veteris hodierna decima primitùs introducta sit, etiam decima pars fructuum solvi debet, *cap.* 1. ℟ *de Decimis.* Unde omnium Canonistarum consensu receptum est, quotam decimarum esse *decimam* partem fructuum; nisi ostendatur, quòd consuetudo eam ad minorem partem reduxerit, quemadmodum notat Zypæus *Consult.* 1. *de Decimis*; ubi una inquirit, quid ad introducendam talem consuetudinem requiratur. Adde Anton. Fab. in Codice *lib.* 1. *tit.* 2. *definit.* 68.

X. Interim indubitatum est, consuetudine introduci posse, ut minor quota fructuum debeatur; vigetque hodie plerisque in locis, ut undecimus duntaxat granorum manipulus solvatur: imo & aliquibus locis duodecimus, imò vel minor, quæ consuetudo legitimè introducta, & stabilita, indubiè servanda est.

XI. Et quamvis juxta has locorum consuetudines minor quota, quàm *decima* solvatur, semper tamen *decima* dicitur, ait Franciscus de Roye *lib.* 2. *Instit. Juris Canonici, cap.* 12. » Vel quòd illæ partes in locum decimæ successerint, vel quòd » ad eam primo taxatum sit sacrum illud tributum, eaque fre- » quentiùs observetur.«

XII. Qui quotam consuetudine præscriptam solvi, licèt decimâ parte minorem, ad sensum Canonum, & Concilii Tridentini *Sess.* 25. *cap.* 12. *de Reform.* decimas *integrè* persolvit; quia Decreta illa intelligenda sunt, de solutione facienda juxta stabilitam loci consuetudinem, quæ vim legis habet.

XIII. Illud ad integritatem decimarum requiritur, ut nihil de quota decimarum detrahatur prætextu expensarum, aut onerum, quæ à proprietariis, aut colonis solvi & subiri debent; idque conformiter ad jus commune in *cap.* 22. 26. & 28. ℟ *de Decimis*, ubi id clarissimis terminis deciditur. Respondetque in citato *cap.* 28. Innocentius III. » Quòd licèt circa res acquisitas, » vel factas de pecunia decimata, cùm ipsæ venduntur, creda- » mus deducendas expensas, & de residuo, quasi de lucro de- » cimas persolvendas, ut si vendatur domus, ager, vinea, cli- » banus, molendinum, grex, aut quælibet merces. Expensas » tamen, quæ fiunt pro fructibus percipiendis, ex illis, de qui- » bus fructus proveniunt, non credimus deducendas, etiamsi » fuerint decimatæ; quoniam, salvâ decimâ, fructus efficiun- » tur eorum, qui faciunt ipsas expensas.« (n)

XIV. Hîc sat apertè Pontifex distinguit inter lucrum & fructus *civiles*, è quibus decimæ personales de jure debentur, & fructus *naturales*, è quibus decimæ prædiales solvuntur: ut illi non nisi deductis expensis debeantur; hi non deductis. Ratio distinctionis est, quòd lucrum non intelligatur nisi quod superest deductis expensis, uti nec fructus, si *civiliter* considerentur; at fructus terræ non *civiliter*, sed *naturaliter* prout è terra nascuntur, considerari debeant, ut observat Barbosa *de Offic. Parochi, cap.* 28. *num.* 34.

XV. Addit Pontifex *in citato cap.* 28. » Nec pro restauran- » do detrimento quarumlibet rerum, ex quibus decimæ persol- » vuntur, credimus deducendas expensas de proventibus deci- » mandis: quia penès dominum res permanent restauratæ; ut » si pars aliqua moriatur armenti, deterioretur vinea, portio » mercis depereat, vel totus clibanus destruatur.«

XVI. Quamvis hæc ita de jure obtineant, neque consuetudo, aut lex aliqua specialis Decimatores ad contributionem expensarum in fundos decimabiles obligare videatur, neque Carolus V. decimarum meminerint in Edicto 23. Maii 1631. ubi regulas præscribit, qui quantumve ad aggerum reparationem teneantur Vicarii, uti observat Zypæus *Consult.* 1. » Nihilo- » minùs (ait Zypæus) ex æquo, & bono ad animandos agricolas » ad steriles myricas aratro subjiciendas, glebas à vepribus & » sentibus occupatas purgandas, silvas inutiles excindendas, al- » veum & arenam à mari occupatum aggeribus circumductis con- » tinenti annectendam, aut insulam ripis litoribusque obsiden- » dam, & culturæ manicipandam, solent, quibus jus est deci- » marum, cultoribus ad annos aliquot immunitatem decima- » rum, ex toto vel in partem tribuere, pro gravitate sump- » tuum.«

XVII. Quinimò si publicè expediat terras aliquas aggeribus cingi. Idque sine magnis & notabilibus expensis fieri nequeat; interdum æquitas exigere potest, ut etiam auctoritate publicâ decimatores pro portione decimarum in aliquam partem expensarum vocentur, uti loco citato monet Zypæus.

XVIII. Sicuti autem Principes nostri solicitè caverunt, ut Ecclesiastici solitis decimis essent contenti; ita sub gravibus quoque pœnis sanxerunt, ut decimis illis pacificè & sine ulla turbatione uti & frui sinerentur; notanter Edicto Caroli V. de 7. Junii 1554. quod refertur parte 1. Edictorum Flandriæ *lib.* 2. *Rubrica* 12. & Philippi II. 6. Junii 1564. quod extat parte 1. Edict. Barb. *lib.* 1. *tit.* 5. *cap.* 5. vetatque expressè Carolus in hoc suo Edicto, ne quis dicat, decimas esse *meras* eleëmosynas ad arbitrium & beneplacitum populi solvendas.

XIX. Ut autem omnis fraus in decimarum solutione evitetur, atque ipsæ decimæ cum omni sinceritate, & integritate solvantur, in iisdem Edictis cavetur, ne fructus decimabiles, nec ante, nec post solis occasum furtim avehentur, neque priusquam in manipulos & acervos, juxta locorum consuetudinem, collecti sint.

XX. Ulteriùs, ut non auferantur, aut avehantur, priusquam idoneè denuntiatum sit Decimatoribus, eorumve commissariis in loco existentibus, fructus esse avectioni paratos, ipsisque tempus & locum designaverint, quibus compareant, ut videant manipulos & acervos numerari; qui si statuto tempore non adsint, permittitur colonis, seu villicis fructus suos è fundo avehere, relicto ibidem manipulo vel acervo pro decimis debito. (o)

XXI. Eadem in Gallia pluribus & iteratis Regiis Edictis cauta esse, referunt passim Pragmatici, notanturque in Actis Cleri Gallicani *tom.* 3. *part.* 3. *tit.* 1. (p)

XXII. Referuntur & ibidem plura Parlamentorum arresta,

(n) *Id ante Innocentium III. statuerat Alexander III. cap.* Cum homines, extra de Decimis, primit. & oblat. *Porrò istæ summorum Pontificum dispositiones conformes sunt articulis consuetudinum quæ hac de re in Galiis vigent.*

(o) *Pro Regnis Hispaniæ ita mandatum est in L.* 2. *tit.* 5. *lib.* 1. *Recop. Castellæ, & 2. tit.* 21. *lib.* 9. *ejusdem.*

(p) *In primis consulatur Edictum Melodunense ann.* 1579. *art.* 29.

ta, quibus judicatum fuit, decimas esse solvendas *in specie*; ac signanter anno 1612. condemnati coloni solvere decimas in *specie*, non obstante possessione *immemoriali* solvendi vice decimarum certam quantitatem granorum. Idipsum in contradictorio judicio conformiter ad conclusiones Advocati Regii judicatum 23. Aprilis 1641. non obstante consuetudine *immemoriali* solvendi pro decimis certam quantitatem pecuniæ. Et 9. Julii 1642. condemnati quidam solvere suo Parocho decimam vini in specie. Rursus 31. Martii 1664. condemnati quidam incolæ solvere decimam vini in specie, non obstante possessione plusquam centenaria, & immemoriali solvendi duntaxat quatuor asses in singula jugera vineæ. Imò anno 1665. judicatum, etiam decimas agnorum, lanæ, aliasque minutas esse solvendas in specie, non obstante quacumque conventione, aut possessione contraria.

XXIII. Hæc omnia conformia Parlamentorum Arresta, dubitare non sinunt, quin usus Regni Galliæ habeat, decimas esse *in specie* solvendas. Unde Michael Du Perray in tractatu de portione congrua *parte* 2. *cap.* 30. inter principia in materia decimarum juxta consuetudinem Galliæ recepta, ponit hoc *num.* 41. Decima solvenda est *in specie*, non obstantibus quibuscunque conventionibus & transactionibus inter Incolas Parochiæ, & prædecessores ipsius Curati. (q)

XXIV. Ex Panormitano ad *cap.* 32. ℵ *de Decimis*, refert Choppinus de S. P. *lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 4. » Quòd à Germanis pensitari assolent quotannis certi ac definiti frugum acervi, quos nec augere fertilitas anni, nec minuere sterilitas possit. Addit præterea Choppinus: Slavorum item in regione, Aldenburgensi Præsuli designatum est decimæ vice annum vectigal ex omnibus Wagirorum, seu Obotritorum latifundiis: nempè quolibet ex aratro grani mensura, & lini resticuli quadrageni, cum duodecim nummis argenteis; unus præterea nummus, pretii summam colligentis."

Similiter in Belgio in aliquibus locis usus obtinet, ut vel ex longæva consuetudine, vel conventione solvatur vice decimarum præsertim *minutarum* aliqua determinata quantitas: quæ solutio nonnunquam præferenda solutioni hujusmodi decimarum *in specie*; eò quòd hæc ob ejus incertitudinem & exilitatem sæpe quæstiones & difficultates parere soleat. Neque credo, usum solutionis decimarum *in specie* ita receptum, ut consuetudo immemorialis, aut conventio legitimè facta ei contraria, in judiciis invalidaretur; & coloni, aut proprietarii ad solutionem decimarum *in specie*, non obstante consuetudine, aut conventione, urgerentur. Et quidem expressè ait post Rebuffum Franciscus Tondutus *lib.* 1. *Quæstionum*, *& resolut. cap.* 67. *n.* 6. » Valida videtur consuetudo, quòd loco animalium solvatur » certa pecuniarum summa nomine decimæ."

XXV. Notat quoque ibidem Tondutus quoad decimas animalium, si consuetudo habeat, ut decimus vel vigesimus fœtus solvatur, fideliter solvendum esse quidquid venerit decimum vel vigesimum, aut aliàs secundum consuetum numerum. Notatque, quòd quamvis per longum tempus rustici animalia minutiora & deteriora Parocho pro decima per dolum & astutiam præstiterint, talis consuetudo non sit legitima, nec recipienda.

Quod si decerni nequeat, quod sit decimum animal, vel secundum datam consuetudinem vigesimum, tunc nec de melioribus, nec de pejoribus solvenda erit decima, sed de mediocribus arbitrio boni viri; uti post Oldradum *consil.* 236. observat ibidem Tondutus.

Adhæc, ut rectè post alios monet Tondutus *num.* 6. non debetur hæc decima statim ubi nata sunt animalia, sed ubi non ampliùs indigent lactè materno; alioquin inutilia apud Ecclesiam remanerent, & morerentur.

Quanto autem tempore proprietarius fœtum decimabilem servare & nutrire debeat, pro regionum & locorum conditione determinandum esse, veriùs credit Germanus Forgetius in tractatu de *rebus decimabilibus*, *cap.* 3. *num.* 5. monetque quoad *agnos* intervenisse arrestum Parlamenti Parisiensis per modum Regulamenti 27. Maii 1559. quo cautum, fuit, quòd Decimatores teneantur hebdomadæ ante Pascha ipsos agnos signare; iique signati, sint eorum periculo, & oneri. Verba Regulamenti, prout ea refert Forgetius, sunt: *Que les dimeurs sont tenus compter, marquer & lever le jeudy, ou autre jour de la Semaine Sainte, par chacun an, la dime d' iceux agneaux; & le dit temps passé, le proprietaire ou ses fermiers & commis pourront compter, nombrer, & marquer, pour en cas de mort, sans fraude, en representer, & rendre les peaux à la dite marque, dont le proprietaire, & les commis qui auront marqué, seront crus par leur serment. Que si la dime des agneaux etoit leveé après ladite Semaine Sainte, seront les dimeurs tenus payer le salaire raisonnable, pour raison de la garde d' iceux agneaux.* Id est. Decimatores teneri, ut numerent, signent, colligant feriâ quintâ aut aliâ die majoris hebdomadæ annuatim decimas agnorum; quo tempore elapso, liberum erit proprietario, aut ejus villico, aut ei, quem commiserit, numerare, & signare; ut si perire eos contingat, sine fraude vellera signata exhibeat, & reddat: stabiturque juramento proprietarii, & eorum, quos commisserit, qui signaverint vellera. Si verò agnorum decimæ colligentur post dictam majorem hebdomadam, tenebuntur decimatores stipendium, prout ratio exiget, persolvere ratione custodiæ dictorum agnorum."

CAPUT IX.

Quomodo, et coram quo Decimæ exigendæ.

1 *Decimæ accipiendæ animi gratitudine, ut spirituales Deo oblatæ hostiæ.*
2 *Cavendum, ne cum nimio rigore, & specie avaritiæ exigantur.*
3 *Nonnulli hîc abutuntur suo juramento de conservandis bonis Ecclesiæ.*
4 *Qui Decimatores cum majore moderatione decimas exigere debeant.*
5 *Refractarii decimarum debitores ad solutionem juridicè urgeri possunt.*
6 *De Jure communi etiam per Censuras.*
7 *Idipsum declarat Synodus Tridentina.*
8 *Mores Belgii vix admittunt quempiam per censuras ad decimarum solutionem urgeri.*
9 *Idipsum prævièad publicationem Synodi Tridentinæ monuerunt Consilia Regia.*
10 *Jure Communi causa decimarum coram Judice Ecclesiastico tractanda.*
11 *Quæstiones in hac materia hîc solent coram Tribunalibus Regiis agitari.*
12 *Coram quo actio super decimis contra laicum institui debeat juxta Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem.*
13 *Quid circa petitorium, & possessorium eadem Concordata statuant.*
14 *Hodie & in Belgio, & Gallia possessorium agitatur coram Consiliis Regiis.*
15 *Quæstio super decimis* insolitis *agitanda coram Consilio Regio ex Edicto Caroli V.*
16 *Idem & in Hispania, & Gallia obtinet.*
17 *Cur hodie rarò admodum materia decimarum agitetur coram Judice Ecclesiastico.*
18 *Quomodo Judex secularis procedere debeat, dum possessio est dubia.*
19 *Decimæ sunt onera fructuum, & iis non excrescentibus, onera decimæ non debentur.*
20 *Potest proprietarius fundum suum* incultum *relinquere.*
21 *Potest in fundo suo seminare fructus non decimabiles; licèt soliti fuissent seminari decimabiles.*
22 *Decimator simili casu nullas decimas prætendere potest.*
23 *Nonnunquam ex æquitate hæc libertas restringi potest Officio judicis.*
24 *Onus decimarum non solutarum non sequitur novum fundi possessorem.*
25 *Decimæ uno anno non petitæ, altero anno peti non possunt.*

I. SI populus inducendus sit, ut decimas liberali ac grato animo sincera in Deum pietate offerat, uti capite præcedenti notavimus, indubiè & ipsi Ecclesiastici suo exigendi mo-

(q) *Docet tamen eruditus D. de Hericourt, has transactiones executioni esse mandandas, modò formalitatibus, quæ pro alienandis Ecclesiæ bonis præscribuntur, vestitæ sint. Ecce verba eruditi Canonistæ*: Pour mettre les Paroissiens en droit de dire, q' ils ont eté abonnés, il faut qu' ils ayent un titre en bonne forme de l' abonnement, ut du moins d' anciennes preuves par ecrit, jointes à la possession immemoriale, qui fasse presumer qu' ils ont un titre legitime: en suivant cette regle, il est facile de concilier les Arrets qui paroissent d' abord opposes aut sujet des abonnemens. *Loix Eccles. part.* 2. *pag.* 186. & 187. *num.* 13.

Quod in Germania observari solet, accipe. Debentur decimæ ex ipsis fructibus, nec eorum loco offerri potest æstimatio, nisi per conventionem aliud placuerit. Inde duplex nascitur decimarum species; una quæ in natura *præstatur ex fructibus; altera cujus loco quotannis certa æstimatio solvitur.* » Quamvis, *inquit Bohemerus* l. 3. tit. 30. pag. 150. tom. 4. *per diuturnum tempus hæc fuerit soluta; attamen prior species, quæ* » regularis, & ordinaria est, *nunquam amittitur: reverà conventio conductionem continet, qua possessoribus agrorum locantur decimæ pro certa pensione annua; sed istud negotium* » *præscriptionem non admittit, nec impedit quominus fieri possit* » *antiquatio locationis factæ.*" *Ita quoque censet. Mevius*, pagin. 8. decis. 66.

modo ostendere debent, quòd non avaritiæ, aut cupiditatis spiritu, sed tanquam spirituales Deo oblatas hostias, cum quadam animi gratitudine decimas recipiant.

II. Imprimis itaque in hac decimarum exactione observandum à Decimatoribus, præsertim Ecclesiasticis, ne cum fidelium scandalo, nimio rigore decimas à populo, interdum sat inope & gravato, exigant. Temporalia etiam potiùs perdenda sunt, quàm nomen Dei propter nostras exactiones blasphemetur, & proximi scandalizentur, inquiebat Joannes Molanus Canonicus ad suos Canonicos in *Oratione de Defendendis Decimis*, *cap.* 12. additque: » Fœda nimirum est macula avaritiæ » in hominibus Ecclesiasticis, maximeque eos liberales esse de» cet. Unde Paulus Apostolus non poterat tuta conscientia ne» cessaria vitæ à Corinthis exigere, non quòd ea contra justitiam, » sed contra charitatis debitum exegisset."

III. Notat quoque ibidem Molanus, » quòd Canonici qui» dam nimio rigore urgeant semper, se *jurâsse* defensionem ju» rium Ecclesiæ suæ; ac proinde nihil unquam de jure deci» marum ex quacunque causa remittere volunt. Quibus à docto» ribus & prudentioribus confratribus dicendum est, eos ex » vi juramenti non obligari, ut extremo jure in decimis defen» dendis utantur, eò quòd juramentum non sit vinculum ini» quitatis; sed obligatio ejus intelligi debeat salvis honore Dei, » & ædificatione proximorum. «

IV. Omnibus quidem Ecclesiasticis convenit, ut cum summa moderatione & charitate in decimarum, aliorumque temporalium jurium postulatione & exactione se gerant, nullamque dent populis justam offensionis, aut scandali occasionem. Speciali tamen ratione ad eam moderationem adstringuntur illi Decimatores, qui populo spiritualia non seminantes, temporalia eorum metunt; & quibus decimæ per modum quodammodo *eleemosynæ* communicatæ sunt; vel quorum fides specialiter electa est, ut eas in pauperes distribuerent; quemadmodum suprà *cap.* 5. annotatum fuit.

Quis enim non à ratione & justitia alienum arbitrabitur, quod hi, quibus decimæ eo potissimùm fine datæ sunt, ut iis tanquam *pauperes* utantur, & reliquum, ut fideles earum dispensatores in pauperes erogent, cum summo rigore eas à pauperibus exigant, & quodammodo extorqueant?

V. Cæterùm cùm decimæ hodiæ non ut merè voluntariæ oblationes & eleemosynæ solvantur, sed ad illas solvendas populus ex *justitia* teneatur, non dubium, quin malevoli refractarii ad solutionem earum cogi possint; ipsique decimatores tam Ecclesiastici, quàm laici decimarum solutionem juridicè urgere queant, & subinde teneantur.

VI. Imò refractarios ad earum solutionem & per censuras Ecclesiasticas constringi posse in jure cautum est.

Legitur *lib.* 2. *Capitular. Regum Francorum*, *cap.* 38. » Qui decimas pro crebris admonitionibus, & precationibus Sa» cerdotum dare neglexerint, *excomunicentur*. « Et in *cap.* 5. ✠ *de Decimis*, mandat Cantuariensi Archiepiscopo Alexander III. ut Parochianos, si opus fuerit, sub *excomunicationis* districtione compellat, ut de proventibus molendinorum, piscariarum, fœno, lana, decimas Ecclesiis, quibus debentur, cum integritate persolvant. Idipsum mandatur in *cap.* 15. & 21. ✠ *eod.* aliisque Juris textibus.

VII. His insistens Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 12. *de Reformat.* » præcipit omnibus cujuscunque gradus, & condi» tionis sint, ad quos decimarum solutio spectat, ut eas, ad » quas de jure tenentur, in posterum Cathedrali, aut quibus» cunque aliis Ecclesiis, vel personis, quibus legitimè deben» tur, integrè persolvant. Qui verò eas aut subtrahunt, aut im» pediunt, *excomunicentur*; nec ab hoc crimine, nisi plena » restitutione secuta, absolvantur. «

VIII. Verùm cùm Synodus Tridentina eadem Sessione *cap.* 3. satis insinuet, in causis præsertim civilibus, ad excommunicationis, censurarumque inflictionem non esse procedendum, quando executio realis, vel personalis aliter haberi potest; mores Belgii vix admittunt, ut laici decimas solvere renuentes per censuras Ecclesiasticas compellantur, (r) aut ob earum non solutionem excommunicari possint; eò quòd alia passim media sint, quibus ad solutionem cogantur.

IX. Refert Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *cap.* 32. §. 54. quòd cùm hîc ageretur de publicatione Synodi Tridentinæ, eumque in finem Decreta reformationis ad Consilia Regia per Belgii Gubernatricem nomine Regis Philippi II. revidenda fuissent missa; quod ad citatum *Caput* 12. quo præcipitur, ut unusquisque decimas, quas debet, integrè persolvat, & qui eas subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur notârint Brabanti, » tractus complures in hac regione à de» cimarum præstatione esse exemptos privilegio, aut præscrip» tione, & nominatim Regiam Majestatem ab hoc onere im» munem agere. Deinde non esse hîc usitatum, censuris, vel » excommunicationibus cogere reluctantes ad decimarum præs» tationem, quæ nec per Canones, nisi pro rebus graviori» bus irrogari possunt. Solere hîc jure agi contra frustratores » decimarum in Conciliis Provincialibus. «

Similiter ad *Sess.* 22. *cap.* 11. quo coërcentur *anathemate* laici usurpatores, detentores, violatores rerum, & jurium Ecclesiasticorum, vel piorum locorum, aut fundationum, & Patroni jure Patronatûs insuper privantur, » animadverterunt » Consilia, laicos hisce in rebus conveniri solitos apud judices » seculares, & Concilia Provincialia, ibique pro modo cul» pæ coërcendos." Anselmo *ibidem* §. 31.

X. De jure communi causa decimarum tanquam Ecclesiastica tractanda videtur coram judice Ecclesiastico; ipsumque judicem Ecclesiasticum esse etiam laicorum judicem competentem in hac materia decimarum communiter tradunt Canonistæ, & latè probat Covar. *Pract. qq. cap.* 35.

XI. Verùm in his, aliisque pluribus Provinciis, & Regnis solent passim quæstiones super decimis coram Regiis Tribunalibus agitari; & laici ad Consilia Regia super solutione decimarum evocari. (s)

XII. In Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *titulo* 3. §. 10. imprimis statuitur: » Si laicus actione » personali, ex contractu per Ecclesiasticam personam con» veniatur, ratione bonorum merè Ecclesiasticorum, ut puta » decimarum, vel oblationum, vel ratione bonorum (ut præ» dicitur) amortizatorum, poterit laicus in jus trahi coram » Officiali vel judice seculari. Ita quod talis quæstio erit mix» ti fori. Si verò eadem personali actione laicus per Clericum » conveniatur ex contractu, ratione aliorum bonorum ad Ec» clesiam spectantium, non amortizatorum, ut suprà, actor » sequetur forum rei, nec de talibus causis se poterunt Ec» clesiastici judices intromittere. Si autem laicus, invitis Domi» nis, videatur defructuâsse bona merè Ecclesiastica, vel amor» tizata, ut suprà sine aliquo contractu præambulo, poterit » coram judice Ecclesiastico, vel seculari conveniri. «

XIII. Deindè §. 13. decernitur, quòd in causis merè Ecclesiasticis, ut puta *decimarum*: judex Ecclesiasticus, etiam contra *Laicos* poterit cognoscere in *petitorio*.

Quoad possessorium statuitur in dictis Concordatis *titulo* 4. quòd per modum possessionis » possessorium recuperandæ, & » retinendæ quæstio & cognitio spectabit ad judices secula» res privativè, sive agatur de possessorio Beneficiorum, de» cimarum, juris Patronatus, vel aliorum jurium, & quæs» tio in possessorio suspendet petitorium, nisi quæstio petito» ria esset contestata coram judice spirituali contra intentan» tem possessorium. «

Subditur autem §. 2. » Interdictum verò adipiscendæ pos» sessionis judici Ecclesiastico relinquitur. «

XIV. Hodie in Belgio, in Gallia, Hispania, aliisque multis Provinciis possessorium decimarum tractari apud judices Regios notissimum est, & quotidiana praxis probat; notantque

(r) *Licèt in Hispania fiat mentio in leg.* 2. *tit.* 5. *lib.* 1. *Recop. impositionis Censurarum pro integra Decimarum solutione; attamen in Concordato inter Papam Benedictum XIV. Regemque nostrum Philippum V. ann.* 1737. *cautum fuit, ut Episcopi, non nisi executione reali, vel personali defficiente, uti dictis Censuris possint.*

(s) *Cùm decimæ rerum temporalium naturam non amittant, licèt ad usum pium & Ecclesiasticum destinentur, meritò crediderunt Principes, decimas suæ jurisdictioni esse subjectas, neque ea destinatione in usum Ecclesiasticum è sua jurisdictione planè eximi. Quapropter non dubitârunt, sibi integrum esse earum exactionem, & solutionem suis legibus circumscribere quemadmodum à Catholicis Principibus in Gallia, in Belgio, plurimisque aliis Provinciis factum fuisse legitur. Eorum enim Edicta à pristinis seculis in hac decimarum materia servata fuerunt, neglectis Decretalibus Epistolis ubi Principum Edictis erant contrariæ.*

In Hispania decimæ, quæ vulgò TERCIAS *vocantur, ut*

Regiæ Coronæ incorporatæ l. 1. *tit.* 21. *lib.* 9. *Recop. earum cognitio ad Regium Senatum, vulgò de* Hacienda *pertinet, l.* 2. *num.* 4. *& num.* 25. *tit.* 2. *lib.* 9. *ejusdem: quod idem dicendum est de* NOVALIBUS *ut Regiæ Personæ concessis, ut ait Regia Schedula* 21 *Junnii ann.* 1766. *Domus, vulgò* del ESCUSADO *à decimis reservata, quæ à S. Pio V. Pontifice primò* 21. *Maii ann.* 1571. *& à Benedicto XIV.* 8. *Martii, anno* 1756. *ad quinque tantùm annos, & postea ab ipso* 6. *Septembris ann.* 1757. *in perpetuum Regi nostro concessa, & prorrogata est, ejus cognitio ad personas Ecclesiasticas ad id deputatas pertinet, ut manifestè declarant verba Regii decreti* 30. *Decembris ann.* 1760. §. 2.

» Que la jurisdiccion del Escusado es toda Eclesiástica, y » deben exercerla Persona, ó Personas Eclesiásticas, que ten» ga á bien (S. M.) elegir para su execucion, los quales de» ben conocer de todos los particulares que se exciten, y con» troviertan por las partes conforme á derecho. «

que passim Pragmatici, quos citat Covarrubias *Practicarum Quæst. cap.* 35. Vide etiam Carolum Fevretium de Abusu, *lib.* 6. *cap.* 1. & Broudæum ad Louetium *litt. B. num.* 11. & *litt. D. num.* 29.

XV. Edictum Caroli V. anni 1520. quo vetat *insolitas* decimas exigi, (de quo actum suprà *cap.* 2.) cognitionem novarum decimarum, puta, an sit nova species, an solvi solita, quæ exigitur, attribuit Consiliis Provincialibus Regiis, inhibendo omnibus judicibus Ecclesiasticis, cujuscunque auctoritatis sint, eam ob causam quemcunque laicum citandi, aliumque actum juridicum exercendi, prout latiùs in citato Edicto videri potest. Notatque Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *cap.* 1. §. 11. » hic agi *de facto*, non de jure » an scilicet sint novæ species, an ab annis 40. retro sint so» lutæ; an denique Ecclesia sit, fueritque in possessione eas » recipiendi & colligendi. « Deinde monet, » quòd jurisdic» tio hæc, & cognitio quoad novas decimarum species per » Concordata Brabantiæ sit confirmata, *tit. de Jurisdict.* 3. » §. *in causis* 13. verb. *Ordinatione tamen Principis super mo» do decimarum solvendarum edita, in suo robore durante.* «

Inita sunt hæc Concordata anno 1541. adeoque viginti & uno annis post editum præcitatum Edictum de non exigendis *insolitis* decimis.

XVI. Observat Covarrubias loco suprà citato *num.* 2. vers. *Quantò erit*, causam decimarum quandoque in his » Regnis » (Hispaniarum) tractari apud Regios Auditores: nempè cùm » Laici contendunt, decimas ab eis exigi, quæ legitima tem» poris præscriptione minimè debentur, & sunt remissæ; de» nique conqueruntur contra morem, & consuetudinem de» cimas ab eis exigi: nam etsi condemnentur à judice Ec» clesiastico, nihilominùs ex querela causa retinetur apud Re» gia prætoria. Siquidem & Litteræ Regiæ passim dantur à » supremo Senatu ad id, ut Laici non cogantur decimas il» las solvere, quæ solvi legitima temporis præscriptione non » consueverunt. «

Idem in Gallia servari, & pridem à Philippo IV. decretum fuisse testantur Pragmatici.

XVII. Cùm autem hodie rarissimè de ipso jure decimarum quoad petitorium quæstio incidat; sed penè semper de possessione & consuetudine solvendi, vel exigendi quæstio sit; soleantque Laici recusantes decimarum solutionem, non *jus* ipsum decimandi negare, sed tantùm possessionem vel consuetudinem eas ex tali specie, aut in tali quota & modo solvendi; etiam vix quæstio super earum solutione coram Judice Ecclesiastico agitatur; solentque Laici non coram Judice Ecclesiastico, sed Regio evocari, & ad earum solutionem compelli.

XVIII. Cæterum, dum Judex Laicus de solo possessorio decimarum cognoscit; & quæstio de *quota* decimarum incidat, dicit Antonius Faber in Codice *lib.* 1. *tit.* 2. *definit.* 63. » Quòd judex sicuti de sola possessione potest cognoscere, ita » quotam illam demùm præscribere potest, quàm præstari so» litam videt ex concludentibus & indubitatis probationibus. » Sin minùs ei liqueat de quota certa, nihil aliud superest quod » facere possit, nisi & formam juris sequatur. «

Deindè addit: „ Nec movere illum debet, quòd perpe„ ram judicaturus videatur, si Parochum tueatur in quasi pos„ sessione decimæ exigendæ, qui nunquam in ea possessione „ fuerit, quique longè minorem, licèt difformem quotam à Pa» rochianis accipere solitus probetur. Nam quod pertinet ad jus „ exigendarum decimarum ad formam juris semper Ecclesia „ possidet, quandiù contraria possessio nulla est, cujus ra„ tio defectu probationum in judicando haberi possit. Ita trac„ tatum est in causa R. Antonii de la Rouaire Parochi & Paro„ chianorum de Greisy 13. Kal. Januarii 1593.“

Quod in quæstione circa determinationem *quotæ* resolvit hic Antonius Faber, idipsum & in aliis quæstionibus, ubi de excludendo Decimatore jure communi fundato agitur, observandum esse, non difficile est intelligere.

XIX. In exactione, & petitione decimarum illud quoque observandum, eas non posse peti, nisi de fructibus excretis; sive jus decimarum non esse onus fundorum, sed fructuum. Hinc nullis fructibus excrescentibus, etiam decimæ prætendi nequeunt, tametsi etiam per negligentiam proprietariorum, aut colonorum factum esset, quod fructus nulli, aut minùs valentes excreti, & collecti essent.

XX. Imò ipse proprietarius fundum suum *incultum* relinquere potest, neque à Parocho, aliove Decimatore ad excolendum, aut seminandum adigi potest; uti rectè monet Grimaudet *de Decimis*, *lib.* 3. *cap.* 3.

XXI. Additque Grimaudetius: Curatus enim non est dominus, nec jus habet in fundos, ratione cujus possit impedire possessorem, ne re sua pro libitu utatur, mutetque fundum suum solitum seminari granis decimalibus, in aliam speciem culturæ, è qua decima non solet solvi, puta in pratum, sylvam, aut stagnum.

XXII. Hoc enim casu decimator nihil prætendere potest, nihilque juris habet. Jus enim ad decimas tantùm prætendere potest, quando fructus decimabiles excreverunt: quia decimæ ex fructibus, non autem ex fundis debentur: satisfacitque fundi proprietarius, si ex fructibus *decimabilibus* decimas sine fraude exsolvat.

XXIII. Idipsum notavit quoque Zypæus in Jure novo, titulo *de Decimis*, *num.* 5. unà tamen addens: » Sed quid, » si in toto pago terræ arabiles vertantur in boum pascua, ut » quadantenus ibi annihilentur decimæ, & Cleri alimenta? » Desiderabit æquitas, ut intra modum judicis officio coarc» tetur hæc libertas, ad exemplum privilegii nimiùm præju» dicantis. « Aut saltem eo casu declarari posset, in tali Parochiâ decimas ex similibus terris, aut fructibus deberi ob eorum frequentiam; licèt hactenus ex similibus solitum non fuisset decimas exigere, quamdiu in exigua quantitate seminari solebant.

XXIV. Ulteriùs, quia decimæ sunt onus fructuum, non fundi, rectè docent Canonistæ, decimas exigi non posse à novo fundi possessore, si forsan à prædecessore, qui fructus percepit, non fuerint solutæ.

XXV. Imò cùm decimæ quotannis ex fructibus singulis annis excrescentibus debeantur, si uno anno petitæ non fuerunt, sequenti anno duplices peti nequeunt: imò pro anno illo, quo petitæ non fuerunt, remissæ habentur.

» Decimæ quamvis in annos singulos debeantur; etiam ci» tra interpellationem (ait Antonius Faber loco citato *definit.* 63.) » si tamen suo tempore petitæ non fuerint, posteà pro annis » præteritis peti non possunt, quasi citato judicio remissæ. « Et ita à Senatu Sabaudiæ judicatum dicit anno 1593.

Unde inter regulas in hac decimarum materia in Gallia receptas, & hanc Michael Du Perray in suo tractatu de Portione congrua, *part.* 2. *cap.* 30. *num.* 38. ponit, quòd decimæ præteritorum annorum non petantur. Verba ejus sunt: *C' est aussi une maxime tres constante que les Dimes ne tombent pas en arreerages, & l' on n' en peut point demander plusieurs années: les Dimes se payent sur le champ, etant destinées à la nourriture des Ministres du Signeur qui servent à l' Autel; ils sont presumés de les avoir prises. Jugé par Arrest du* 13. *Decembre* 1672. Id est: » Axioma certissimum est, » decimas non obstringi æris alieni reliquiis, nec plurium an» norum decimas exigi fas esse. In ipso temporis articulo sol» vuntur decimæ, cùm alimentationi servorum Dei, qui alta» ri ministrant, deputentur, quibus ipsos gavisos esse præsu» mitur. Ita judicatum Senatus consulto die 13. Decemb. 1672.“

CAPUT X.

De Oblationibus.

1 *Quid* oblatio *generaliter sumpta.*
2 *Quid apud Canonistas nomine* oblationis *veniat.*
3 *In quo præcipuè oblationes à decimis distinguantur.*
4 *Vulgus tantùm pro oblationibus habet inter Missarum solemnia offerri solita.*
5 *Hæc acceptio vulgaris nimis constricta.*
6 *Oblationes debent esse voluntariæ.*
7 *Omnes proventus Ecclesiæ juri communi cedunt Ecclesiæ Parochiali.*
8 *Ecclesiæ Parochiali de jure communi competunt oblationes.*
9 *Etiam factæ ad imaginem extra templum Parochiale.*
10 *Item quæ fiunt Sacerdoti celebranti in Sacello intra limites Parochiæ.*
11 *Similiter quæ fiunt tempore Jubilæi, vel anno sancto, &c. in Ecclesia Cathedrali spectat ad Archipresbyterum, non autem ad Episcopum.*
12 *Competunt Vicario perpetuo, excluso Pastore primitivo.*
13 *Hactenus dicta procedunt jure communi.*
14 *Ex consuetudine, & voluntate offerentium possunt oblationes aliis competere.*
15 *Si constet de voluntate offerentium, cessat jus commune.*
16 *Oblationes collectæ per Magistros fabricæ, mensæ S. Spiritûs, aliosve similes non solent cedere Parocho.*
17 *Sicuti nec quæ offeruntur in truncis expositis ad recipiendas Oblationes in certum usum.*
18 *Oblationes, quæ fiunt ad imagines, & reliquias alicujus Sancti solent cedere Sacello, in quo imago, vel reliquiæ requiescunt.*
19 *Si Sacellum habeat speciales mamburnos, oblationes solent cedere sacello.*
20 *Hodie solent oblationes, quæ fiunt extra altare, aliis quàm Parocho cedere.*
21 *In quibus oblationibus hodie jus commune obtineat.*
22 *Prædicta conformia sunt Synodo Namurcensi.*
23 *Si nullæ circumstantiæ determinent usum Oblationum, salvum manet jus Parochi.*

Obla-

24 *Olationum administratio manet penes Parochum, licèt in alterius usum sint impendendæ.*
25 *Etiamsi administratio sit penes laicos.*
26 *Non est inconveniens oblationum administrationem esse penes laicos.*
27 *Neque per hoc impingitur in Canones vetantes oblationes cedere laicis.*
28 *Quo titulo laicis possit competere administratio oblationum.*

I. OBlatio generaliter sumpta, idem sonat, quod alicujus rei non petitæ spontanea largitio. Quæ si homini fiat, *donatio* dicitur: si Deo, magis propriè *Oblatio*, quia cum Deo, utpotè omnium Domino, nihil dari queat, maluerunt Canones eam largitionem *Oblationem* vocare.

Oblatio ita generaliter sumpta comprehendit & oblationes strictè dictas, & decimas, primitias, & quidquid à fidelibus in usum Ministrorum Ecclesiæ Deo consecratur.

II. Verùm, modo loquendi Canonistis usitato, oblationes à Decimis distinguuntur; vocanturque *oblationes*, quæ à fidelibus vel ad Altare, vel etiam extra Altare *ultrò*, & *voluntariè* citra ullam in quantitate, aut specie determinationem, Deo, vel Ecclesiæ dantur.

III. Itaque in hoc præcipuè Decimæ ab oblationibus discernuntur, quòd decimæ partim ex jure, partim ex consuetudine soleant esse determinatæ ad certam quotam, & speciem; nec earum determinatio, & solutio Fidelium laicorum voluntati & libertati sit relicta: è contra verò, *oblationum* tam quoad quotam, quàm quoad speciem determinatio à nutu & beneplacito offerentium dependere consueverit.

IV. Vulgari hodierno loquendi usu, oblationum nomine ferè duntaxat veniunt illa, quæ ad manum Sacerdotis inter Missarum solemnia offerri consueverunt, de quarum usu, & origine actum est suprà *tit.* 5. *cap.* 4.

V. Equidem dubitari nequit, quin plura alia, quæ hodie à populo offeruntur, sint reverà *oblationes*, & nomine *oblationum* veniant, prout etiam à decimis & primitiis distinguuntur; ut puta, quæ post administrata Sacramenta, aut in purificatione mulierum; similibusque functionibus Pastoralibus populus offerre solet; & quæ etiam in truncis ad colligendas eleemosynas populi expositis ponuntur; aut Matricularii, sive Magistris Fabricæ, vel mensæ S. Spiritus juxta morem in plerisque Belgicis Ecclesiis receptum, circumeuntibus per Ecclesiam, dantur; vel etiam alio modo in usum Ecclesiæ, aut pauperum, v. gr. in Ecclesiis Ruralibus, in carnis, ovorum, butyri, aut alterius edulii specie ipsis exhibentur: item illa, quæ à visitantibus certa Oratoria, vel Sacella, in quibus Imagines, vulgò *Miraculosæ*, vel *Sanctorum Reliquiæ* quiescunt, ibidem vel in, vel extra Altare offeruntur; quæ omnia nomine *oblationum*, ex modo loquendi SS. Canonum & Canonistarum veniunt.

VI. Oblationes, præsertim in administratione Sacramentorum, aliave functione Pastorali dari consuetas, planè voluntarias & liberas esse debere, ostensum est suprà *tit.* 1. *cap.* 3. ibique probatum, omninò vetitum esse, quidquam directè, vel indirectè pro hujusmodi functionibus stipulari; sed duntaxat permitti, ut accipiantur, quæ *ultrò*, & *liberaliter* à Fidelibus offeruntur; ac insuper quàm solicitè omnis species simoniæ, & turpis quæstus in receptione harum oblationum caveri debeat.

VII. Proventus singularum Parochiarum cedere Ecclesiæ Parochiali, ejusque ministriis uno consensu concludunt Canonistæ *cap.* 9. & *de His, quæ fiunt à Prælato sine consensu Capituli*: In quo dicitur: » Cùm auctoritate Dionysii fuerunt » Parochiæ limitatæ, quatenus singularum Parœciarum proven» tus in usus Ecclesiæ decederent necessarios, & ministrorum. «

VIII. Inter proventus verò Parœciarum numerandas esse oblationes, quæ in districtu Parochiæ offeruntur, nemo negat.

Hinc ulteriùs pari consensu conficiunt Canonistæ, Parochum tanquam primarium Ecclesiæ Parochialis Ministrum *de jure communi* fundare suam intentionem in perceptione omnium oblationum, quæ obveniunt infra limites suæ Parochiæ: easque ei deberi, ni ostendatur vel ex voluntate offerentium, vel immemoriali consuetudine, aliove legitimo titulo ad alium spectare.

IX. Quamobrem oblationes, quæ fiunt S. Imagini intra limites Parochiæ, non ad dominum parietis, cui imago adhæret, nec ad Episcopum spectare, sed ad Parochialem Ecclesiam, seu illius Rectorem, post alios Canonistas tradit Fagnanus ad citatum Capitulum 9. hancque esse communem Doctorum conclusionem asserit ex Socino: » Quam, ait, etiam sæpiùs secuti sunt » Domini de Rota; ubi hæc sententia, licèt fuerit olim con» troversa, tamen hodie dicitur esse receptissima. «

Procedit quoque hæc conclusio in oblationibus factis Imagini existenti in aliqua Capella seu Oratorio intra limites Parochiæ, ut scilicet oblationes illæ non cedant Capellæ, sed Ecclesiæ Parochiali, quemadmodum post Abbatem, aliosque veteres Canonum Interpretes docet Fagnanus loco citato *num.* 24. & Barbosa de *Officio Parochi*, *cap.* 24. *num.* 22. qui & addunt, id etiam procedere, licèt oblationes essent factæ in Capellis, ubi essent erecta distincta Beneficia: » Quia nihilominùs » Parochiali Ecclesiæ, & Parocho, non Capellis, aut earum » Capellanis oblationes cedunt. «

X. Quinimò licèt oblationes offerantur celebranti Capellano, aut alteri Sacerdoti in Sacello intra, vel extra Ecclesiam Parochialem, sed tamen intra limites Parochiæ, nihilominùs cedunt Parocho, non Presbytero celebranti: » Nam oblationes » faciunt Parochiani, ait Fagnanus, propter administrationem » Sacramentorum. «

XI. Eodem fundamento: » Oblationes, quæ fiunt tempore » Jubilæi, vel anno Sancto in Ecclesia Cathedrali (ait Barbosa » loco cit. *num.* 27.) spectant ad Archipresbyterum ejusdem » Ecclesiæ, non autem ad Episcopum; nam cùm Archipres» byter habeat curam animarum, & Sacramentorum adminis» trationem, habet per consequens de jure communi fundatam » intentionem ad omnes oblationes, idque privativè ad Episco» pum. « Hæc Barbosa post plures ibidem allegatos Doctores.

XII. Cùm ergo oblationes, uti & decimæ, principaliter dari præsumantur in usum, & sustentationem Sacerdotum curam spiritualem populi offerentis sustinentium, consequens est oblationes de jure communi potiùs Vicario *perpetuo*, quàm Pastori *primitivo* adjudicandas esse. Cura enim spiritualis populi integra & solida est penes Vicarium perpetuum; adeo ut quoad eam curam Vicarius perpetuus, nomine, non re à vero Parocho distinguatur. Penes verò Pastorem *primitivum* nihil de cura animarum est, sed solo penè nomine *Pastor* dicitur, uti latiùs ostendetur titulo sequenti.

Refert quidem Renatus Choppinus *lib.* 2. *de Sacra Polit. tit.* 7. *num.* 25. Parlamentum Parisiense censuisse in receptione oblationum, Pastorem primitivum Vicario ejusdem Ecclesiæ esse præferendum; sed monet Franciscus Pinsonius tract. *de Beneficiis*, *part.* 3. §. 2. » Illud decretum Curiæ non defini» tiva sanctione pronuntiatum, sed interim & pendente decisio» ne appellationis tanquam ab abusu, ab ipso Vicario interpo» sitæ à sententia Officialis Parisiensis, qua primariis Pastoribus » oblationes addixerat: adeò ut inde pateat, Senatum ex tempo» rali judicio, non perpetuò jus dicere voluisse. « Hæc Pinso» nius; qui *num.* 18. addit: » Nam & aliàs, ut observavit Lau» rentius Bouchellus in Bibliotheca Juris Gallici in verbo *obla» tiones*, Senatus oblationes in Ecclesia S. Salvatoris exhibitas, » ejusdem Rectori, seu Vicario perpetuo deberi pronuntiavit, » exclusis Regularibus S. Martini Campestris, licèt primariis » Rectoribus ejusdem Ecclesiæ; quod & hodie observatur, & » æquius est. «

Vide etiam Le Maistre *Plaidoyè* 9. ubi latè ostendit oblationes Vicario *perpetuo*, excluso Pastore *primitivo*, competere; & ita judicatum pro Vicario contra Capitulum Cathedrale anno 1633. fuisse, ibidem asseritur.

XIII. Hæc omnia, quæ hactenus de jure Parochi, & Vicarii ad oblationes dicta sunt, procedunt *in dubio* & de *jure communi*, id est, ubi non constat de contraria consuetudine, vel de alia ipsorum offerentium voluntate: quæ in oblationibus, utpotè ordinariè & plerumque merè voluntariis, præcipuè attendi debet; & ratione cujus frequenter oblationes ad alia loca, vel personas, quàm ad Ecclesiam Parochialem, aut Parochum pertinent.

XIV. Sicuti enim communi consensu Canonistarum receptum est oblationes, attento jure Communi, ad Parochum spectare, ita quoque receptum est, oblationes vi consuetudinis, privilegii, alteriusve tituli, & præcipuè ex voluntate offerentium posse ad alios, quàm Parochum pertinere.

XV. Hinc infert Cardinalis De Luca *Disc.* 19. *de Decimis*: » Ubi expressè vel etiam adminiculariter, & conjecturaliter » constat de voluntate facientium oblationes, & eleemosynas, ut » ipsi Ecclesiæ, seu certis usibus applicari debeant; non autem » ut ipse Rector impinguaretur, atque in privatos usus, pri» vatamque utilitatem convertat, tunc absque dubio illa volun» tas servari debet; eaque cuicunque juris dispositioni prævalet. «

XVI. Ex hac verisimili offerentium voluntate, oblationes, quæ colliguntur, etiam in ipsis Ecclesiis Parochialibus per Magistros Fabricæ, sive Ædituos, vel Magistros mensæ S. Spiritus, aliosve Magistros, seu Intendentes alicujus domus pauperum, aut Orphanotrophii, vel Sacelli, aut Altaris, non cedunt Parocho, sed Fabricæ, pauperibus, Sacello, aut Altari, in quorum respectivè usum sciuntur à Magistris illis, aut intendentibus peti, & colligi.

XVII. Similiter, quæ offeruntur in mensis, aut truncis ad recipiendas oblationes in certum usum expositis, indubiè in eum usum cedunt. Cùm enim populus sciat, eum in finem mensas, aut truncos esse expositos, oblationes suas in mensas illas, aut truncos conjiciendo, aut reponendo, sat significat, eas velle usui designato applicari.

XVIII. Eodem ex capite, usu ubique penè receptum, ut oblationes notabiles & frequentes, quæ fiunt ad imagines, vel reliquias alicujus Sancti, ob miracula vera, vel putativa, cedant

dant Sacello sive Oratorio, in quo imago vel reliquiæ resquiescunt: » Omninò enim probabile est (inquit Cardinalis de Luca loco citato *num.* 11.) quòd populus pro gratiis acceptis, » vel speratis, ad illam imaginem recurrendo cum eleemosynis, » & oblationibus, id agat animo donandi ipsi imagini, & frequentiùs ut sumptuosa Ecclesia construatur, ac dotetur, & » exornetur; non autem ad donandum Parocho, vel Episcopo, seu alteri Prælato ad privatam utilitatem. «

XIX. Si oblationes fiant in Sacello, quod habet speciales Mamburnos, seu Magistros, qui curam Fabricæ, & ornamentorum habeant: itemque curam ut Divina ibidem Officia agantur, oblationes illæ de consuetudine non Parocho, aut Ecclesiæ Parochiali, sed ipsi Sacello, ex conjecturali offerentium voluntate, cedere solent; præsertim quæ extra Altare offeruntur.

Cùm enim noverit Populus, Magistros sive Mamburnos, aut intendentes istorum Sacellorum colligere eleemosynas, sive oblationes in usum Sacellorum, populus offerendo, præsumitur offerre ad intentionem colligentium.

XX. Quin & consuetudo ferè universalis habet, ut oblationes, quæ vel colliguntur extra Altare, vel fiunt in truncis per Ecclesiam, vel Sacella, vel ad certum Altare, aut imaginem dispositis, cedant vel fabricæ, vel ad ornatum Altaris, aut imaginis, aliumve usum, in quem ex conditione colligentium, vel inscriptione trunco imposita, vel ejus locali dispositione sciuntur colligi, & peti.

XXI. Ideoque penè de solis oblationibus, quæ fiunt in Altari, & in administratione Sacramentorum, aut exequiis, vel anniversariis, sive inhumationibus defunctorum, jus aliquod Parocho competit, præsertim extra Ecclesiam suam Parochialem.

Quin & quoad has consuetudines, aliove titulo legitimo nonnunquam obtinuit, ut oblationes etiam, quæ fiunt ad Altare, aut in exequiis vel anniversariis defunctorum, in Sacellis, aut Ecclesiis succursalibus cedant non ipsi Parocho, sed vel celebranti, vel Presbyteris, & Ministris Sacellorum, aut Ecclesiarum, vel etiam Fabricæ, aut alteri pio usui.

Imò & non rarò, etiam ex oblationibus, quæ in Ecclesia Parochiali fiunt, ad Altare vel extra Altare pars aliqua cedit Fabricæ, aut interdum Canonicis, aut aliis, qui Pastores primitivos se vocant.

XXII. Hæc omnia conformia sunt iis, quæ de oblationibus leguntur in Synodo Namurcensi sub Engelberto Desbois anno 1639. *tit.* 17. » Oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis Parochialibus, & Capellis in iisdem constructis, ad eos pertineant, » qui hactenus illas ex antiqua consuetudine perceperunt. Et » ubi consuetudine nihil introductum est, Pastor solus habeat » oblationes quæ fiunt ad majus Altare, & ad Altaria dictarum » Capellarum non habentium Mamburnum particularem. Si quæ » verò dictarum Capellarum Mamburnum habent, oblationes soli » Capellæ cedant, quemadmodum etiam Confraternitatibus Confraternitatum oblationes, illis exceptis, quæ offeruntur in Altari » ad manus celebrantis tempore Missarum, quæ erunt Pastoris. «

XXIII. Itaque quæ de jure Parochorum ad oblationes hactenus dicta sunt, obtinent duntaxat, quando non constat, quem in usum offerentes velint suas oblationes impendi, aut saltem non constat, eos velle illas impendi in alium usum, quàm Parochi, aut Ecclesiæ Parochialis.

Si verò nec circumstantiæ determinent usum, cui verisimiliter offerentes suas oblationes velint applicari; sed simpliciter ad honorem Dei, idque ex quadam recepta offerendi consuetudine offerant, uti plerumque contingit in oblationibus, quæ fiunt in officiis defunctorum; item in oblationibus, quæ fieri solent ad manum celebrantis in festis solemnioribus: his & similibus casibus, Parochus de jure communi habet fundatam intentionem ad oblationes, & nisi ostendatur consuetudo, aut privilegium, aliusve legitimus titulus contrarius, oblationes integræ Parocho competunt.

XXIV. Tametsi oblationes ex voluntate verisimili Offerentium frequenter in alium, quàm Parochi usum impendendæ sint, nihilominùs tamen & eo casu, de jure communi ipse Parochus, tanquam primarius Ecclesiæ Parochialis Minister, & totius Parochiæ curam gerens, eatenus fundatam habet ad oblationes intentionem, ut earum administratio eidem competat, tametsi in alios quàm ejus privatos usus impendendæ sint.

XXV. Quinimò, etiamsi alii sint in possessione dispensationis, vel administrationis eleemosynarum, nisi eodem titulo Parochus sit exclusus, unà cum aliis dispensationi & administrationi superintendendi jus habet; ut scilicet, quantum fieri potest, juri communi, quod Parocho oblationum dispensationem concedit, propriùs inhæreatur.

Undè in præcitata Synodo Namurcensi dicitur: » Reddatur computus omnium Collectarum, etiam Confraternitatum, » & quocunque alio titulo, vel nomine fiunt, per Mamburnos in Ecclesia, præsente *Parocho*, & Magistratu loci. «

XXVI. Oblationum enim dispensationem, etiam ad Laicos spectare posse, dubitari nequit.

Neque inconveniens est, ut harum administratio sit penes Laicos; quoniam ista, uti notat de Luca loco citato » non dicitur administratio istius juris spiritualis, cujus laici sunt incapaces, & de qua administratione loquuntur S. Canones, » dum illa consistit in ipso formali regimine, vel rectoria Ecclesiæ, vel Capellæ, cum administratione divinorum, illorumque actuum spiritualium explicatione, qui nonnisi Ecclesiasticis personis conceduntur, Laicis autem interdicuntur; » sed agitur de administratione temporali, prout *facti* est, qualis est custodia tam supellectilis, quàm bonorum temporalium; eorumque cura est, & œconomica administratio, ne » dissipentur, seu in alios usus convertantur. «

XXVII. Hactenus de Luca, qui ibidem variis exemplis ostendit, ubique usu esse receptum, ut etiam custodia Sacrarum Reliquiarum, aliarumque imaginum, & oblationum, quæ ad eas conferri consueverunt, Laicis in quibusdam Capellis, aut Confraternitatibus committatur: quia hîc agitur solummodò de administratione œconomica, & merè temporali, quæ versatur v. g. circa vestimenta & vasa sacra, ut benè custodiantur, oblationes, & proventus in usus Capellæ Altaris, aut alium, in quem ex voluntate offerentium destinatæ sunt, fideliter impendantur; nequaquam verò ut in usum laicorum cedant, quod Sacris Canonibus vetatur, eosque oblationum eatenus percipiendarum incapaces declarant.

XXVIII. Unde Joannes Tournetius in suis Arrestis *Litt. O. cap.* 4. monet, pro certo & indubitato esse tenendum Laicos nihil posse prætendere ad oblationes, quæ fiunt in Ecclesiis vel Capellis, nisi sint Matricularii, Magistri fabricæ, aut Intendentes; eò quòd hæc eorum qualitas sufficienter tunc ostendat, eos non recipere oblationes in usus proprios, sed in usum Ecclesiarum fabricæ, confraternitatum, &c. quarum procurationem agunt.

TITULUS XXXIV.

De Portione congrua Parochorum.

CAPUT I.

DE ORIGINE PASTORUM PRIMITIVORUM, VICARIORUM PERPETUORUM, ET PORTIONIS CONGRUÆ.

1 *Olim laici non tantùm res temporales Ecclesia, sed & ipsas Ecclesias sibi vindicárunt.*
2 *Distinguebant inter Ecclesiam, & Altare.*
3 *Hanc distinctionem deplorat, & improbat S. Abbo Abbas Floriacensis.*
4 *Ecclesiis, per laicos ad Monasteria, & Capitula devolutis cœperunt & ipsa hac distinctione uti.*
5 *Ut possent sibi temporalia retinere, & aliis curam spiritualem demandare, Episcoporum consensum adhibebant, mediante aliquo censu.*
6 *Census hic vocatus* redemptio Altarium *ab usu feudorum deducta.*
7 *Decretum Synodi Claromontanæ contra hanc* Altarium redemptionem.
8 *Decretum hoc permittit Monasteriis Ecclesias Parochiales retinere, quas* longo *tempore possederunt.*
9 *Eodem Decreto quasi proprietas Ecclesiarum Parochialium Monachis, & Canonicis addicta.*
10 *Presbyteri per Monachos, aut Canonicos Ecclesiis Parochialibus præfici sine consensu Episcoporum non poterant; & de cura animarum ipsis rationem reddere debebant.*
11 *Monachis, & Canonicis dabatur præsentatio; Episcopis institutio.*
12 *Synodus Claromontana non definit, an Presbyter præficiendus debeat esse perpetuus, an temporalis Vicarius.*
13 *Monachi, & Canonici malebant Vicarios temporales, & amovibiles.*
14 *Episcopi, ob plurima incommoda ex hac amovibilitate provenientia, voluerunt Vicarios perpetuos.*
15 *Decretum Synodi Germanicæ contra Vicarios amovibiles.*
16 *Synodus Biterrensis vult ab omnibus Religiosis, & Canonicis præfici Vicarios perpetuos.*

Vult,

17 *Vult, ut omnibus Ecclesiis Parochialibus præficiatur* prius, & perpetuus *Presbyter.*
18 *Idipsum voluit Concilium generale Lateranense.*
19 *Abusus præficiendi Vicarios amovibiles, tempore Concilii Tridentini adhuc vigebat.*
20 *Decretum Synodi Tridentinæ de præficiendis Vicariis perpetuis.*
21 *Synodus Tridentina vult præfici Vicarios perpetuos, nisi pro bono Ecclesiarum aliud Ordinariis videatur.*
22 *Etiamsi Ecclesiæ sint unitæ quoad spiritualia & temporalia: & licèt esset contraria consuetudo immemorialis.*
23 *Edictum Regis Galliæ de Vicariis perpetuis.*
24 *Qui ab hoc Edicto excepti.*
25 *Vicarii perpetui non possunt amoveri, licèt etiam moriatur principalis.*
26 *Vicarii perpetui non sunt à principalibus in suis titulis dependentes.*
27 *Vicaria perpetua est verum Beneficium Parochiale.*
28 *In Vicarium perpetuum transit integra cura animarum; & non nisi nomine tenus est Vicarius.*
29 *Abbates, Canonici, aliique possidentes Ecclesias unitas, & datas Vicariis perpetuis, tantùm sunt nomine tenus Pastores.*
30 *Cur dicantur Pastores* primitivi.
31 *Jus primitivorum Pastorum non attingit curam animarum.*
32 *Tantùm concernit temporalia, aut jura honorifica.*
33 *Aliqua jura honorifica, quæ ipsis competere possunt.*
34 *In Belgio similia jura quibusdam Ecclesiis competunt.*
35 *Jus nominandi Vicepastorem, Custodem, Concionatorem, &c. interdum iisdem competit.*
36 *In his turbandi non sunt, dum sine præjudicio Curæ animarum Vicario incumbentis iis utuntur.*
37 *Canones volentes Ecclesiis provideri de Vicariis perpetuis, statuerunt eis dandam sustentationem ex bonis Ecclesiæ.*
38 *Hinc origo portionis congruæ.*

I. TItulo præcedenti *cap.* 3. ostendimus, quòd seculo VIII. & sequentibus decimæ passim à laicis fuerint occupatæ, vel etiam *in feudum* concessæ; quin & illud constat, quòd non tantùm decimas, aliasque res temporales sibi attribuerent, sed etiam ipsas Ecclesias, & *Altaria* sibi vindicarent, eaque & jure hæreditario ad hæredes transmitterent, ipsique hæredes Altaria, sive Ecclesias in tot partes dividerent, quot erant hæredes; ita ut pro numero hæredum, etiam plures Presbyteri, qui Ecclesiis deservirent, instituerentur. Imò non secùs ac res temporales venum exponerentur.

Hinc illud S. Agobardi Archiepiscopi Lugdunensis, libro *de Dispensatione rerum Eccles. cap.* 5. » Nunc non solùm possessiones Ecclesiasticæ, sed ipsæ etiam Ecclesiæ cum possessionibus venumdantur. « Plura de hoc abusu legi possunt apud Franciscum Florentem in Commentario ad *cap.* 1. & 2. ✠ *de Jure Patronatûs*, ostenditque ex antiqua Collectione Decretalium, decisionem horum Capitulorum ad hunc abusum spectare.

II. Ne autem Sacramentorum administratio, aliarumque functionum Sacerdotalium persolutio à laicis ipsarum Ecclesiarum possessoribus pendere videretur, inducta est quædam nova distinctio inter *Ecclesiam*, & *Altare*: ut nimirùm Ecclesia comprehenderet omnia temporalia, hæcque penes Laicos remaneret: Altare verò Sacramentorum administrationem, cæterarumque functionum Sacerdotalium persolutionem, hancque Presbyteris aliquibus committebant.

III. De hac distinctione seculi XI. ad Reges Galliæ Hugonem, & Robertum scripsit S. Abbo Floriacensis Abbas, eamque distinctionem ut gravissimum errorem arguit: » Certè chaarissimi Principes (ait) nec catholicè vivimus, nec catholicè loquimur, quando illam Ecclesiam dico esse meam, ille alteram dicit esse suam. Ac veluti quædam jumenta comparati jumentis insipientibus, utrasque aliquando venales proponimus, propositas ab aliis emere non formidamus. Est etiam alius error gravissimus, quo fertur *Altare* esse Episcopi, & *Ecclesiam* alterius cujuslibet domini; cùm ex domo consecrata, & altari uno quoddam fiat, quod dicitur Ecclesia, sicut unus homo constat ex corpore, & anima Videte æquissimi Principes, quo nos ducit cupiditas, dum refrigescit charitas. «

IV. Dum autem successu temporis è laicorum manibus Ecclesiæ ad Monasteria, & Canonicorum Collegia pervenerunt atque illis tam quoad temporalia, & spiritualia incorporatæ; cœperunt quoque nonnulla Monasteria, & Canonicorum Collegia, exemplo laicorum, à quibus eas acceperant, *Ecclesiam* ab *Altari* dividere; & Ecclesiam, seu decimas, aliaque jura temporalia sibi reservantes, *Altare*, sive spiritualium curam Presbyteris quibusdam demandare.

V. Ut autem hac auctoritate liberiùs ac securiùs uterentur, licentiam committendi curam spiritualem alicui Presbytero, retentis sibi temporalibus, ab Episcopis impetrabant, mediante aliquo censu pecuniario Episcopis præstando, in *Vicariorum* mutatione, seu in mutatione Presbyterorum illi curæ præficiendorum, in signum nimirum recognitionis, quòd *Altaria* illa de consensu & liberalitate Episcoporum tenerent.

VI. Censum illorum pensitatio dicebatur *redemptio Altarium* (uti titulo præcedenti *cap.* 4. notatum est) idque, ut apparet, ex usu feudorum, qui habet, ut Domino directo certa pecunia, sive jus *relivii* solvatur, quoties novus vasallus investitur.

VII. De hac Altarium redemptione extat sub nomine Urbani II. Decretum apud Gratianum *Caus.* 1. *quæst.* 3. *Can.* 4. » Quæsitum est de Episcopis, qui Altaria Monasteriis data frequenter redimi compellebant pecuniâ: quia quidam simoniacæ pravitatis usus in Galliarum partibus jam diutiùs inolevit, ut Ecclesiæ, vel decimæ (quæ vulgari vocabulo apud eos *Altaria* nuncupantur) Monasteriis datæ, sæpiùs ab Episcopis sub palliata avaritia vendantur; mortuis nimirum, seu mutatis Clericis, quos personas vocant. Nos auctore Deo venalitatem omnem tam ex rebus, quàm ex Ministris Ecclesiasticis propellentes, hoc ulteriùs fieri auctoritate Apostolicâ prohibemus, sicut etiam Præbendas omnes venumdandas interdicimus. Porrò quæcunque Altaria, vel decimas ab annis triginta & supra sub hujusmodi redemptione possedisse Monasteria noscuntur, quietè deinceps & sine molestia qualibet eis possidenda firmamus. Salvo utique Episcoporum censu annuo, quem ex iisdem Altaribus habere soliti sunt. «

Ad hunc Canonem notant Correctores Romani: » In summis Capitulorum Concilii Claromontani habiti Alverniæ *cap.* 6. hæc leguntur, quæ ad caput hoc spectare videntur: Ut Altaria Congregationibus Canonicorum, vel Monachorum per personas data, mortuis personis, libera redeant in manus Episcoporum, nisi fuerint illis per eorum scripta, vel privilegia confirmata. «

VIII. Ex his Decretis patet quidem, redemptiones illas Altarium parum placuisse Synodis illis; nihilominùs permisisse, ut Altaria, quæ Monasteria longo tempore sub hujusmodi redemptione possedisse noscuntur, aut per Episcoporum scripta & privilegia illis confirmata fuisse, pacificè, & quietè retinere sinantur: *Salvo utique Episcoporum censu annuo, quem ex iisdem Altaribus habere soliti sunt.*

IX. Itaque rectè advertit Petrus de Marca in notis ad Canonem VII. Concilii Claromontani, quod ex hoc Decreto jam relato, „ illud consecuti sint Canonici, & Monachi, ut *Altarium*, sive Ecclesiarum quasi proprietas, ademptâ personarum substitutione, illis addicta sit absque ullius pensationis onere. «

Hinc videmus, quòd seculo XII. & sequentibus passim liberum fuerit Monasteriis & Capitulis, nominare, seu præsentare Presbyteros, qui curam animarum sustinerent in Ecclesiis Parochialibus, quæ Capitulis & Monasteriis erant incorporatæ: quodque Canonici, & Monachi fundum redditiuum, qui Parochis destinati erant, vindicarent.

* Ob hanc Presbyterorum præsentationem, quam tandem per Ecclesiarum, & Altarium donationes, Canonicorum Collegia, & Monachorum Monasteria sunt assecuta, etiam Canonici, & Monachi earum Ecclesiarum *Patroni* vocari cœperunt; eò quòd posterioribus seculis, jus præsentandi Clericos ad vacantes Ecclesias, vel Beneficia, ut præcipuum intra jura Patronorum reputari cœperit.

Nihilominùs certum est, ob hanc præsentationem, seu nominationem, Capitula, aut Monasteria *verum* jus Patronatûs, quale Fundatoribus & Benefactoribus Ecclesiarum competere solet, non consequi; neque dici posse *veros* Patronos, quemadmodum suprà *parte* 2. in notis ad *tit.* 25. *cap.* 7. *num.* 30. & 33. exposuimus, ibidemque observatum est, Jura Honorifica, quæ Ecclesia Fundatoribus defert, non posse Capitula, aut Monasteria, eorumve Abbates hoc solo titulo sibi asserere.

Neque enim hæc Presbyterorum presentatio Capitulis, vel Monasteriis (quæ primitivos Pastores vocant) primitùs fuit delata per modum remunerationis, ob munificentiam ab ipsis in Ecclesias Parochiales factam quemadmodum Benefactoribus; sed per modum oneris ipsis injunctum fuit, ut curarent, quatenus per Presbyteros cura animarum ritè exerceretur, & de temporalibus sufficienter ipsis providerent, ex proventibus per incorporationem ad ipsos devolutis.

X. Hæc tamen privilegia ita concedebantur, ut hos Presbyteros sine Episcoporum consensu instituere non possent: illique Presbyteri de cura animarum Episcopis, de temporalibus autem ipsis Abbatibus rationem exhiberent: quemadmodum apud Gratianum *Caus.* 16. *q.* 2. *Can.* 6. declarat dicta Synodus Claromontana: » Sanè quia Monachorum quidam Episcopis jus suum auferre contendunt, statuimus, ne in Parochialibus Ecclesiis, quas tenent, absque Episcoporum Consilio Presbyteros collocent, sed Episcopi Parochiæ curam cum Abbatum consensu Sacerdoti committant: ut ejusmodi Sacerdotes

» de

» de populi quidem cura Episcopis rationem reddant : Abbati » verò pro rebus temporalibus ad Monasterium pertinentibus » debitam subjectionem exhibeant : & sic sua cuique jura » serventur."

Apud Gratianum dein additur ex eadem Synodo : » In Pa- » rochialibus Ecclesiis Presbyteri per Episcopos instituantur, » qui eis respondeant de animarum cura, & his, quæ ad Epis- » copum pertinent."

XI. Sensum hujus Decreti esse, quòd Monasteria, & Capitula haberent præsentationem Presbyterorum qui Ecclesias Parochiales in spiritualibus regerent : Episcopis autem competeret eorundem Presbyterorum approbatio & institutio, ex ipso Decreto haud obscurum est : ipseque Urbanus II. qui huic Synodo præfuit, clariùs expressit in epistola ad Hugonem Abbatem Cluniacensem, edita in Bibliotheca Cluniacensi *pagin.* 520. in qua inter cætera hæc leguntur : » Liceat quoque » vobis, seu fratribus in Ecclesiis vestris Presbyteros eligere' » ita tamen ut ab Episcopis, vel ab Episcoporum Vicariis ani- » marum curam absque venalitate suscipiant."

XII. Hic Canon non determinabat, num Presbyteri ad curam spiritualem destinandi, deberent esse *perpetui* ; an sufficeret Presbyterum aliquem conductitium, & ad *nutum amovibilem* præficere.

XIII. Et quidem cùm Presbyteri illi conductitii, & ad nutum amovibiles, magis à Monasteriis & Capitulis dependerent, atque propterea iis magis complacere studerent, & pauciori- bus subsidiis temporalibus essent contenti ; maluerunt Monasteria, & Capitula hujusmodi conductitiis, & ad nutum amovibilibus Presbyteris curam animarum demandare.

XIV. Verùm Episcopi considerabant, quòd hi conductitii Presbyteri magis studerent, ut illis, à quibus dependebant, complacerent, quàm ut Parochiam in spiritualibus debitè regerent ; ac insuper plurima alia incommoda ex amovibilitate & mutatione Presbyterorum in Regimine Ecclesiarum profluerent; quin & hinc contingeret, quòd passim Ecclesiæ proprio & vero Pastore & Parocho destituerentur.

Quapropter decreverunt, ut juxta veterem disciplinam, uni- cuique Ecclesiæ Parochiali suus proprius & perpetuus Presby- ter præficeretur ; ut quæ talem Monachi, ac Canonici Eccle- siis Parochialibus sibi incorporatis præficiendum præsentarent, Synodalibus Decretis edixerunt.

XV. Synodus Germanica anno 1225. celebrata Moguntiæ, uti notat Labbeus, sub præsidio Conradi Episcopi Cardinalis Portuensis, & sanctæ Rufinæ, Sedisque Apostolicæ Legati, de- plorat, *Can.* 12. quòd » enormis quædam consuetudo in qui- » busdam Alemaniæ partibus contra Canonicas Sanctiones in- » valuit, ut ponantur in Ecclesiis *conductitii* Sacerdotes *Vicarii* » *temporales*. Ne id fiat de cætero (ait) Legatus auctoritate Le- » gationis, quâ fungimur, omnibus modis inhibemus. Sed cum » Vicarius poni debet, & potest, *perpetuo* instituatur, idque » assensu & auctoritate Diœcesani & Archidiaconi loci illius."

XVI. Concilium Bitetrense anno 1233. *Can. XI.* » Omni- » bus Religiosis, Capitulis, & aliis Personis, qui tenent Eccle- » sias Parochiales, ad eorum donationes spectantes districtè præ- » cipit, quatenus usque ad festum omnium Sanctorum proxi- » mè venturum, suis Diœcesanis Episcopis Rectores, seu *per-* » *petuos* vicarios, & idoneos vitâ & scientiâ, ad easdem Eccle- » sias repræsentent, ut ab eis curam recipiant animarum."

XVII. Et *Can. XII.* generaliter statuit, ut in omnibus Ec- clesiis sit unus *perpetuus* Sacerdos : „ Volumus igitur, & dis- „ trictè præcipimus, ut quælibet Parochialis Ecclesia proprium „ habeat & *perpetuum* Sacerdotem, qui personaliter deserviat „ in eadem."

XVIII. Infiniti sunt Conciliorum Canones, qui id ipsum decreverunt, conformiter ad Concilium Lateranense sub Inno- centio III. quod voluit, ut si Ecclesia Parochialis aliqua anne- xa sit majori Dignitati, ut qui eam obtinet, nequeat Parochiali Ecclesiæ *personaliter* deservire „ in ipsa Ecclesia Parochiali ido- „ neum, & *perpetuum* habeat Vicarium Canonicè institutum." *Cap.* 30. ✠ *de Præbendis.*

XIX. His omnibus Decretis nequaquam abusus ille extir- pari valuit ; adeò ut de *conductitiis* hisce Sacerdotibus, qui Ec- clesiis incorporatis Monasteriis & Capitulis præficiebantur, sum- moperè conquesti sint Principes Germaniæ sub initium elapsi seculi ; uti patet ex *articulo* 86. inter gravamina eorum nomine Adriano VI. exhibita. (t)

XX. Unde Synodus Trid. huic tandem abusui efficaciter occurrere volens, statuit *Sess. 7. cap. 7. de Reformat.* » Bene- „ ficia Ecclesiastica Curata, quæ Cathedralibus, Collegiatis, „ seu aliis Ecclesiis, vel Monasteriis, Beneficiis, seu Collegiis, „ aut piis locis quibuscunque perpetuò unita & annexa repe- „ riuntur, ab Ordinariis locorum annis singulis visitentur, qui „ solicitè providere procurent, ut per idoneos Vicarios, etiam „ *perpetuos*, nisi ipsis Ordinariis pro bono Ecclesiarum regimi- „ ne aliter expedire videbitur, animarum cura laudabiliter „ exerceatur."

XXI. Evidens est ex verbis Decreti, votum & mentem Concilii fuisse, ut Ecclesiis Parochialibus unitis Monasteriis, vel Capitulis præficeretur Vicarius *perpetuus* ; necnon ut Epis- copi solicitè providere procurent, ut per Vicarios *perpetuos* cura animarum exerceatur ; nequaquam verò per Vicarios *amo- vibiles* ; nisi in particulari casu ipsis Ordinariis pro bono Eccle- siarum ita expedire videbitur.

XXII. Decretum hoc habere locum in Beneficiis unitis men- sæ quod spiritualia & temporalia, ex mente & verbis Concilii, quod generaliter loquitur, rectè notavit Garcias *de Beneficiis*, *part. 11. cap. 2. num. 6.* asseritque ita S. Congregationem de- clarâsse.

Similiter derogâsse Concilium consuetudini immemoriali de- serviendi per Vicarios *amovibiles*, notat ibidem *num.* 7. testa- turque id à S. Congregatione declaratum.

XXIII. Ut Decretum Synodi Tridentinæ plenum sortire- tur effectum, anno 1686. Regio Edicto in Gallia cautum fuit, ut omnibus Ecclesiis Parochialibus præficeretur Vicarius *perpe- tuus*. Verba Edicti sunt : *Que les Cures qui sont unies à des Chapitres ou autres Communautes Ecclesiastiques, & celles où il y a des Cures primitifs, soient desservies par des Curez ou des Vicaires perpetuels qui seront pourvûs en Titre, sans que l' on y puisse mettre à l' advenir des Prestres amovibles sous quelque pretexte que ce puisse etre.* Id est. » Ut Pastoratus uni- » ti Capitulis, aliisve Collegiis Ecclesiasticis, iisque ubi sunt » Pastores primitivi, administrentur per Curiales, aut Vicarios » perpetuos in titulum provisos, nec constituendos in posterum » Sacerdotes, qui amoveri possint, quocunque facto causa » obtendatur."

XXIV. Verùm, postmodum ad suplicationem Canonico- rum Regularium declaratum fuit, illo Edicto non comprehen- di Ecclesias Parochiales incorporatas Monasteriis, & Commu- nitatibus, quibus ipsæ Communitates per suos Presbyteros de- serviunt : uti refert Michael Du Perray in tractatu *Du Portio- ne congrua, part. 2. cap. 25.* additque : *Ces Communautes sont les Chanoines Reguliers de l' Ordre de saint Augustin, les Premonstrés, les Prêtres de l' Oratoire, & les Prêtres Mis- sionaires. Ils ont obtenu Des Arrest du Conseil, par lesquels ils sont conserves dans leur ancien droit de commetre aux Cu- res fondées dans les Eglises des Abbayes de leur Congregation ou Communauté, quant elles sont unies à la Mense Capitulaire, & dont l' union a été confirmée par Lettres Patentes.*

Ils sont aussi conservés dans la possession en la quelle ils sont de faire desservir les Cures par des Prêtres AMOVIBLES, *approuvés par des Evêques & Archevêques, si les Cures sont possedées de cette maniere de tems immemorial, auxquelles les Abbes & Chapitres presentent ou conferent selon qu' ils auront le droit de le faire.* Id est. » Hæ Communitates sunt Canonici » Regulares S. Augustini, Præmonstratenses, Presbyteri Orato- » rii, & Missionum. Senatus Decreta obtinuerunt, quibus jus » suum prisci usus asseritur, committendi ad Pastoratus funda- » tos in Ecclesiis Abbatialibus Communitatis, aut Congrega- » tionis suæ, modò uniti sint mensæ Capitulari, unioque fue- » rit confirmata per litteras patentes.

» Servatum est insuper jus possessionis ipsorum, quâ Pas- » toratus curant administrari per Sacerdotes, quos amovere pos- » sint, ab Episcopis & Archiepiscopis approbatos, si talis Pas- » toratuum possessio fuerit omni memoria antiquior, ad quos » Abbates, aut Capitula præsentant, aut conferunt, prout » faciendi jus ipsis erit.

XXV. Hi Vicarii perpetui ab Episcopo instituti, non se- cus atque alii Parochi, & Beneficiati eatenus sunt *perpetui*, ut non possint, nisi Canonicè & servato juris ordine amoveri. Et uti rectè monet Rebuffus *in Praxi Beneficiorum, titulo de Vi- cariis perpetuis, num.* 15. Vicarius perpetuus removeri non potest, etiamsi Rector principalis moriatur.

XXVI. Licèt enim hujusmodi Presbyterii Parochiis præ- fecti dicantur *Vicarii*, nullatenus tamen dependent à suis Prin- cipalibus, quemadmodum mandatarii à mandantibus, aut dele- gati à delegantibus ; sed titulum habent per se subsistentem; imò, uti suprà *tit. 18. cap. 1. num. 25.* dictum est, non po- test institui Vicarius perpetuus, nisi priùs per Episcopum erec- ta Vicaria *perpetua*.

XXVII. Vicaria autem perpetua est verum Beneficium æquè ac verus Pastoratus, daturque Vicario in *titulum*, uti post Rebuffum communi consensu tradunt Canonistæ : „ & jura lo- „ quentia in Beneficis habent locum in Vicariis perpetuis; etiam » illa, quæ loquuntur in Parochialibus, habent etiam locum in » his Vicariis," ait Rebuffus *num.* 14. & sat apertè decisum est in *Clementina unica de Officio Vicarii.* Adde Concilium To-

(t) *Hæc gravamina, quæ centum numerabantur, proposi- ta sunt Francisco Cheregato summi Pontificis Legato ad Comi- tia Imperii Norimbergæ ann.* 1522. *habita. Vide Sleidanum* lib. 4. & *Struvium* periodo 10. sect. 4. num. 21.

letanum anni 1565. *actione* 2. *Decreto.* 24.

XXVIII. Itaque in Vicarios perpetuos transfertur omnis planè cura animarum ; eamque æquè ac alii Parochi tenent, & exercent jure sui *tituli*, nec jure delegato, sed jure ordinario. Itaque non nisi nomine tenus appellantur Vicarii : quod nomen eis adhæsit ex hoc, quòd Ecclesiæ etiam quoad spiritualia unitæ fuerint Monasteriis, Capitulis, aliisve, quæ spiritualium illorum curam Presbyteris, qui ipsorum nomine eam exercerent, demandârunt.

XXIX. Sicuti autem ipsi Vicarii perpetui tantùm nomine tenus sunt *Vicarii*, eò quòd revera jure proprio curam animarum exerceant, ita & Abbates, Canonici, aliique, qui Ecclesias sic unitas possident, *Pastores* non re, sed nomine sunt ; eò quòd omnis functio Pastoralis sive cura animarum ab ipsis ablata sit, & in Vicarios perpetuos translata.

XXX. Unde tandem cœperunt dici *Pastores* noc simpliciter, sed cum addito, *primitivi* ; quo significatur, eos *primitùs* possedisse Ecclesias illas tanquam Monasteriis, Capitulis, aut Dignitatibus suis unitas; atque tandem quoad *spiritualia* Vicariis *perpetuis* esse datas, ipsa tamen Ecclesia Parochiali quoad temporalia penès ipsos remanente.

XXXI. Jus igitur *primitivorum* Pastorum nequaquam spectat curam animarum : imò nequidem eo titulo administrationi Sacramentorum, aut alteri functioni Pastorali se immiscere possunt: neque ab hac functione Pastores *Primitivi* dicuntur. Quod vel inde manifestum est, quòd jus illud Primitivi Pastoris etiam Communitatibus mulierum, & virorum laicorum competat, uti benè annotat Le Maistre *Playdoyé.* 9.

XXXII. Temporalium autem, quæ penès primitivos Pastores remanere solent, præcipuè solet esse decimarum perceptio; ac interdum jura aliqua honorifica, quæ tamen ipsam curam animarum nullatenus attingunt.

Unde Ludovicus XIII. in sua Ordinatione an. 1629. art. 12. declaravit, quòd posthac Monasteria, Capitula, seu Cathedralia, seu Collegiata, quibus Ecclesiæ Parochiales fuerunt unitæ, non possint prætendere ulla jura in supradictis Ecclesiis, nisi *honoraria*. Habetur vol. 2. Actorum Cleri Gallicani.

XXXIII. Conformiter ad hanc Ordinationem anno 1630. judicatum fuit, quòd Prior cujusdam Monasterii Ordinis S. Benedicti, in qualitate Pastoris *Primitivi* posset in Ecclesia Parochiali, cui Presbyter Secularis in qualitate *Vicarii perpetui* deserviebat, quatuor anni solemnioribus Festis Divinum Officium facere, & cum Stola incedere, omnesque oblationes, quæ diebus illis fierent, recipere; ac deindè totius anni decursu obtinere primum locum in Choro, & supplicationibus, & inhumationibus mortuorum, quibus quandocunque vellet assistere, posset; atque tunc gaudere distributionibus, quemadmodum reliqui ejusdem Ecclesiæ Presbyteri: hac tamen cautione, quòd nec in dictis solemnitatibus, nec alio quoquam tempore functionibus ullis Pastoralibus se immiscere posset. Refertur in libro, cui titulus *Conferences des Ordonnances*, *tom.* 1. *lib.* 1.

Similiter anno 1654. per sententiam Senatus Parisiensis, Pastori Primitivo adjudicata fuit Facultas cantandi in Ecclesia Parochiali integrum Officium Divinum : unaque percipiendi integras oblationes in festo Assumptionis, & Purificationis B. Mariæ, & quatuor aliis præcipuis anni solemnitatibus. (u)

XXXIV. Usu quoque passim in Belgio obtinuit, ut Capitula Canonicorum, quædam hujusmodi jura honorifica, quæ Curam animarum non attingunt, in Ecclesiis Parochialibus, præsertim quæ in ipsa civitate sunt, reservaverint. Ut exempli gratia, quòd certis diebus Vicarii perpetui earum Ecclesiarum debeant accedere ad Ecclesiam Canonicorum, Officio Divino, aut supplicationi unà cum suo Clero & Cruce assistere : quibusdam diebus ad Capitulum accedere, ut monitiones Decani, qui & ipsorum Pastor solet esse, excipiant.

XXXV. Nonnulliis quoque Capitulis titulo *primitivi* Pastoris remansit jus nominandi Vice Pastorem, Custodem, vel Matricularium : item subindè jus nominandi Concionatorem pro Adventu, & Quadragesima, aliaque similia jura: in quorum possessione facilè turbandi non sunt, præsertim si à tempore *immemoriali* in pacifica possessione fuerint.

XXXVI. Ita tamen Capitula hisce juribus uti debent, ut integram Parochiæ curam, & regimen animarum Vicario *perpetuo* permittant, nequè illum in functionibus suis Pastoralibus turbent.

Unde si Vicarios *per se* in Adventu, vel Quadragesima concionari velit, eatenus cessabit jus primitivi Pastoris nominandi concionatorem ; quemadmodum anno 1544. pro Plebano Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochialis S. Petri Lovanii, contra quosdam ejusdem Ecclesiæ Canonicos Pastores primitivos judicavit Synodus Brabantiæ. Ut *Parte* 1. *tit.* 3. *cap.* 8. notatum est.

XXXVII. Non tantùm soliciti fuêre Episcopi, & Synodi, ut Ecclesiis Parochialibus, quæ Monasteriis, & Capitulis erant incorporatæ, Vicarii *perpetui* præficerentur : sed vel præcipuè curabant, ut ex temporalibus proventibus illarum Ecclesiarum tantum relinqueretur, unde Vicarius honestam sustentationem habere, & alia onera sustinere posset.

Nonnulli enim habentes Ecclesias Parochiales sui Monasteriis, Capitulis, aut Dignitatibus unitas, Presbyteris earum servitiis deputatis relinquebant adeo exiguam portionem, ut ea non possent congruè sustentari: unde fiebat, ut in illis regionibus penè nullus inveniretur Sacerdos Parochialis, qui ullam vel modicam haberet peritiam litterarum: quemadmodum deplorat Concilium Lateranense sub Innocentio III. unà statuens, » ut (consuetudine qualibet Episcopi vel Patroni, seu cujuslibet alterius » non obstante) portio Presbyteris ipsis sufficiens assignetur. « *Cap.* 30. ✠ *de Præbendis.*

Quin & in omnibus Decretis tum Synodorum, tum Episcoporum, quibus urgetur deputatio Presbyterorum, qui Curam animarum in Parochiis unitis subeant, etiam præcipitur, ut ex temporalibus Ecclesiarum snfficiens portio Presbyteris assignetur. Quin & Alexander III. scribens Episcopo Wigoriensi, eidem mandat, ut » ad præsentationem Monachorum nullum re» cipiat, nisi (ait) tantùm ei de proventibus Ecclesiæ coram te » fuerit assignatum, unde jura Episcopalia possit persolvere, & » congruam sustentationem habere. « *Cap.* 12. ✠ *de Præbendis.* (x) Canones & Decreta hanc portionis assignationem urgentia in decursu hujus tituli plura exhibenda erunt.

XXXVIII. Sicuti ergo ex incorporatione Ecclesiarum quoad *spiritualia* originem habent Vicarii *perpetui*, & Pastores *primitivi* ; ita ex incorporatione Ecclesiarum quoad *temporalia*, ac præsertim quoad *decimas*, originem habuit portio *congrua*, quomodo eam vocat Pontifex in *cap.* 4. *de Regularibus*, *in VI.* quasi *congruens* illi, cui assignatur, id est, proportionata ejus necessitatibus. Quare & subinde *sufficiens* dicitur ; & in *cap.* 2. *de Decimis*, *in VI.* vocatur *portio* COMPETENS ; atque hinc forsan fluxit ejus nomenclatura apud Belgas notissima, scilicet, *Competentia Pastoralis*, quæ omnia diversa nomina idem significat, nimirum portionem debere esse *sufficientem*, ut cura animarum sustineatur ; uti in sequentibus dicetur. (y)

CAPUT II.

Quæ in taxatione Portionis congruæ attendenda.

1 *Portio congrua debet esse sufficiens sustentationi Vicarii, & sustinendis oneribus Parochiæ.*
2 *Hæc sufficientia multùm dependet ab arbitrio judicis.*
3 *Synodus Trid. taxationem committit judicio Ordinarii.*
4 *Nonnunquam determinata fuit hæc portio ; sed non fuit stabilis.*
5 *Synodi Belgicæ mutationem illius indicant.*
6 *In Gallia frequenter circa hanc taxationem variatum.*
7 *Tempus & locus in hac taxatione attendi debent.*
8 *Pauperum numerus attendendus.*
9 *Item multitudo Parochianorum.*
10 *Copia decimarum, quæ in Parochia colliguntur, attendenda.*
11 *Non tantùm Parochi, sed Parochiæ ratio habenda.*
12 *Si Parochia in cura animarum requirat plures Sacerdotes, eorum ratio habenda.*
13 *Id requirit Synodus Tridentina.*
14 *Ex mente Synodi Trid. non erit congrua, si illis Sacerdotibus, non sufficiat.*
15 *Id conforme Canonibus exigentibus portione* congruam.
16 *In taxatione portionis congruæ Sacerdotum necessariorum rationem habendam docent Canonistæ.*
17 *Potest Vicarius occasione horum Sacerdotum petere augmentum portionis.*
18 *An ipsi Sacerdotes possint eam* per se *petere.*
19 *Quid Parochus in hac petitione augmenti probare debeat.*
20 *Non judicandum ex consuetudine, nec aliquorum praxi, quot Sacerdotes requirantur.*
21 *Neque ex facto Prædecessorum Parochi augmentum petentis.*
22 *Sedulò inquirendo frequenter reperiretur in Parochiis defectus Sacerdotum.*

At-

(u) *Ut clarè & certò innotescant origo & jura, quæ hodie primitivis Pastoribus in Galliis competunt, legenda sunt nova Collectanea titulorum, &c. Cleri Gallicani*, tom. 3. à col. 639. usque ad col. 790. *Si tamen quis velit eorum duntaxat compendium legere, consulat notas, quæ in eodem volumine leguntur*, à col. 774. usque ad col. 790. *iis addat postissimum Declarationes Regias, quarum una* 5. *Octob.* 1726. *altera* 15. *Januarii* 1731. *extat consignata.*

(x) *Istud Decretum videtur deductum ex* cap. 1. part. 39. *appendicis Concilii Lateranensis III.* De Vicariis Monachorum, & aliorum.

(y) *Qui plura voluerit, legat Dissertationem Canonicam, quam D. Van Espen adornavit de pristinis Altarium incorporationibus*, cap. 3. & 4.

23 *Attendere debent Decimatores, ne sanguis animarum ab ipsis requiratur.*

I. QUantumvis Canones de hac congrua portione loquentes, non eisdem verbis eam exprimant, in hoc tamen omnes conveniunt, quòd tanta esse debeat, » ut » sufficere queat, ut exinde Vicarii, sive Rectores Ecclesiarum » Parochialium competentem sustentationem habere, & Epis- » copalia jura solvere valeant, aliaque debita onera supporta- » re, « uti loquitur Alexander IV. *in cap.* 2. §. 1. *de Decimis, in VI.* vel ut Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reformat.* exprimit, » tantum redigatur, quod Rectoris, ac Paro- » chiæ necessitati decenter sufficiat. «

II. Porrò cùm hæc sufficientia à temporum, personarum, & locorum diversitate plurimum dependeat; neque generaliter, quid sufficiat, decerni queat, sed ex plurimis factis frequenti mutationi obnoxiis judicandum sit, necesse est, ut determinatio portionis congruæ, sive competentiæ Pastoralis, arbitrio judicis fiat: qui, omnibus ritè expensis, statuat quid hîc & nunc sustentationi Presbyterorum, & Parochiæ necessitati succurrendæ decenter sufficiat.

III. Unde Synodus Tridentina noluit determinare portionem Vicariorum etiam perpetuorum, sed » cum tertiæ partis fruc- » tuum, aut *majori*, vel *minori*, *arbitrio* ipsorum Ordinario- » rum portione, etiam super re certa assignanda, ibidem de- » putandos voluit, quo animarum cura laudabiliter exerceantur. *Sess.* 7. *cap.* 7. *de Reform.* «

IV. Verum quidem est, per Synodos, Pontifices, atque etiam auctoritate Regia, subindè determinatum fuisse, quantum Vicariis Ecclesiarum Parochialium in congruam portionem assignari oporteret; nequaquam tamen hæc determinatio ita generalis & *stabilis* fuit, quin ob certas temporum, locorum, aut personarum circumstantias judici fas fuerit, interdum ab ea aliquantulum recedere; si viderit per determinatam portionem Parochi, & Parochiæ necessitate decenter non satisfieri, nec sufficienter provideri, ut cura animarum laudabiliter exerceatur.

V. Hinc Synodus Mechliniensis anno 1570. taxatâ portione congruâ, seu canonicâ, addit, *moderatione tamen Episcopi semper salva.* Et altera Synodus sub Hovio, determinata portione congruâ ad 50. libras grossorum Flandriæ, addit: *Nisi Episcoporum judicio Parochiæ amplitudo aliquid amplius ultra* 50. *libras requireret.*

VI. Observat quoque Franciscus Pinsonius post Broudæum ad Louetium *Litt. D. num.* 8. & 60. quòd » hæc portio, ju- » re gallico, diversam habuit taxationem. Primùm enim (ait) » Constitutione Caroli IX. Regis Galliæ ad 120. libras omni » onere liberas reduceretur, inde variis Curiæ placitis primùm » ad 150. producta, deindè ad 200. & tandem mercium pretiis » excrescentibus, substractis ubique vitæ subsidiis, ad 300. por- » tionis congruæ assignatio excrevit. « Adde Edictum anno 1686. (z)

VII. Cùm itaque portionis congruæ determinatio à judicis arbitrio plurimum dependeat; primò attendere debet judex tempus, & locum.

Nec enim ambigi potest, quin portio uno tempore, & loco sustentationi Parochi, & Ecclesiæ necessitati sufficiens esse queat, quæ alio tempore & loco ob raritatem & charitatem annonæ minimè sufficeret.

» Unde in Regionibus, in quibus est frumenti & vini ca- » ritas, & portio congrua in pecunia assignatur, (inquit Re- » buffus) magis augeri debet portio, quam in locis, ubi adest » frumenti & vini abundantia. « *De Portione congr.*

VIII. Prætereà attendenda est Parochiæ amplitudo, necnon & Parochianorum multitudo; inter quos frequenter nec copia pauperum deest, quorum indubiè & rationem habendam esse communiter docent Canonistæ ad *cap.* 12. ✠ *de Præbendis*, ubi Alexander III. conqueritur de Monachis, qui Vicarios Parochialium Ecclesiarum in tantùm gravant, ut *hospitalitatem* tenere non possint, nimirum respectu pauperum, uti ad citatum Capitulum advertit Glossographus dicens ad eam teneri Clericos, *quia quidquid habent Clerici, pauperum est.*

Unde Rebuffus in citato contractu quærens, quæ in constituenda portione congrua considerari debeant, ait *num.* 71. Sextò præcipuè ratio *hospitalitatis* haberi debet: & Beneficii locus considerari, an sit frequens *pauperum* accessus.

IX. Legitur quòd in causa *competentiæ* Pastoralis inter Rectorem Ecclesiæ Parochialis de Reves, & Abbatissam d' Annyvers Senatus Brabantiæ per sententiam interlocutoriam 16. Januar. 1676. injunxit Pastori, ut exhiberet numerum familiarum, & Communicantium suæ Parochiæ, priusquam super portione congrua pronuntiaretur.

X. In portionis hujus taxatione meritò quoque attenduntur proventus ipsius Ecclesiæ Parochialis, quemadmodum rectè notat Rebuffus *num.* 69. Si enim Parochiani magnam *decimarum* copiam pendant, idque primariò ut succurratur eis, qui curam ipsorum in spiritualibus agunt, æquum planè est, ut hi etiam liberalius de illis participent, maximè cum decimæ, quarum hæc portio pars quædam est, jure communi ad Parochos pertineant: adeoque per liberaliorem portionis assignationem, ipsæ decimæ nonnisi pro majori aliqua parte ad naturales suos Dominos quodammodo reducantur.

XI. Non tantum ipsius Vicarii perpetui ratio habenda, sed etiam ipsius Parochiæ, id est, ut portio congrua tanta sit, ut non tantùm ipsius Vicarii necessitatibus, sed & *Parochiæ necessitati* sufficiat, uti loquitur Synodus Tridentina; vel ut dicit eadem Synodus: *Cura animarum laudabiliter exerceatur.*

XII. Si ergo latitudo Parochiæ aut Parochianorum numerus exigat plures Sacerdotes, ut *cura animarum laudabiliter* exerceatur, portio congrua non tantùm congruere debet necessitatibus, & sustentationi ipsius Vicarii perpetui; sed & horum Presbyterorum, qui requiruntur, ut Cura animarum *laudabiliter* exerceatur.

XIII. Vult Synodus Tridentina *Sess.* 11. *cap.* 2. *de Reformat.* » ut Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicæ dele- » gati in omnibus Ecclesiis Parochialibus, & Baptismalibus, in » quibus populus ita numerosus sit, ut unus Rector non possit suf- » ficere Ecclesiasticis Sacramentis administrandis, & cultui di- » vino peragendo, cogant Rectores, vel alios ad quos per- » tinet, sibi tot Sacerdotes ad hoc munus adjungere, quot » sufficiant ad Sacramenta exhibenda, & cultum divinum ce- » lebrandum. «

Si Rectori, seu Parocho incumbat, sibi tot Sacerdotes adjungere, quot sufficiant ad Sacramenta exibenda, & cultum divinum celebrandum, ea debet esse congrua portio, sive competentia, quæ oneri illi sustinendo sufficiat, id est, sufficiat tot Sacerdotibus intertinendis.

XIV. Et quomodo ex mente Synodi Tridentinæ erit congrua sive sufficiens, ut cura animarum *laudabiliter* exerceatur, si non sufficiat tot Sacerdotibus sustentandis, quot requiruntur ad Sacramenta exibenda, aut cultum Divinum celebrandum? Cum cura animarum præcipuè consistat in convenienti & debita administratione Sacramentorum, & ut ad ea suscipienda populus convenienter instruatur, & disponatur; quod sine pluribus Sacerdotibus frequenter in una Parochia fieri nequit.

Adhæc dum Ecclesia adeò solicitè inculcat, ut ex decimis, proventibusque Parochialium Ecclesiarum incorporatarum ante omnia detur congrua portio Vicariis, qui curam earum Ecclesiarum sustinent; quid quæso, aliud intendit, quàm providere, ne per Ecclesiarum Parochialium incorporationem, defectu temporalium, animarum cura negligatur, desintque Presbyteri, qui Parochianis spiritualia ministrare sufficiant? Igitur ex mente Ecclesiæ incorporantis Ecclesiarum Parochialium proventus est, ut ex illis portio assignetur quæ non tantùm uni Parocho, aut Vicario sit sufficiens, sed tot Presbyteris sufficiat, quot ad animarum curam laudabiliter exercendam, & Parochianis spiritualia administranda sunt necessarii.

XV. Itaque in taxatione congruæ portionis indubiè attendi debet, num ipse Vicarius *perpetuus*, sive Parochus indigeat uno, aut pluribus Sacerdotibus, qui secum laborent, ut *Cura animarum* in illa Parochia laudabiliter exerceri queat.

XVI. Unde Rebuffus inquirens, quæ in hac taxatione attendi debeant, ait *num.* 61. » Si Vicarius uno indigeret Sacer- » dote vel pluribus propter Ecclesias accessorias, quas *suc-* » *cursus* vocant, tunc rationem illorum judex habere debet; » & omninò numerus personarum necessariarum considerari in » portione congrua solet. « Et supra citatum Edictum Regium » de anno 1686. expressè vult haberi rationem in constituen- » da portione congrua, Vice-Pastoris, aut Vice-Pastorum, qui Vicario *perpetuo* judicabuntur necessarii, ut cura animarum *laudabiliter* exerceatur.

XVII. Potest ergo Parochus, sive Vicarius perpetuus petere augmentum portionis congruæ, tametsi hæc, quam habet, sibi quidem sufficiat, sed nequaquam sufficiens sit Presbyteris, quos sibi in administrandis Sacramentis, & cultu divino celebrando, ob multitudinem Parochianorum, aut latitudinem Parochiæ adjungere debet.

Cùm enim ipsi principaliter & immediatè cura animarum totius Parochiæ incumbat, ac propterea ipsius sit, Presbyteros sibi adjungere, qui ad curam animarum debitè, & laudabiliter exercendam requiruntur; etiam ad ipsum præcipuè spectat portionem congruam petere, quâ Parochiæ necessitati satisfieri queat.

XVIII. Hinc judicatum refert Joannes Tournet *litt. P. cap.* 119. Parochum teneri Ecclesiæ succursali assignare Presbyterum, qui illi deserviat; sed Decimatores illi Presbytero nequaquam ad portionem congruam teneri, neque Presbytero jus esse eam petendi, at eam soli Vicario perpetuo, sive Pa-

(z) *Ea declaratio confirmata est altera declaratione, quam Rex Ludovicus XIV. dedit* 30. *Junii anno* 1690.

Parocho assignandam, qui eam Presbytero, seu Capellano communicet, sive distribuat. Si tamen ipse Vicarius, vel in adjungendis Presbyteris, vel in assignanda, aut petenda ipsis congrua portione esset negligens, possent Episcopi, vel Parochiani, aut etiam Presbyteri, eo casu ejus negligentiam supplere, uti infra latiùs exponetur. (a)

XIX. Parochus postulans portionis congruæ augmentum, ut plures sibi Presbyteros adjungere queat, hoc unum ostendere debet, quòd in Ecclesia sibi concredita populus ita numerosus sit, ut nec ipse, nec hi, qui modò ipsi adjuncti sunt, sufficere possint Ecclesiasticis Sacramentis ministrandis, & cultui Divino peragendo; tametsi forsan ejus prædecessores, vel soli, vel cum uno alterove adjuncto Presbytero curam animarum sustinuerint.

* Quin & potest contingere, ut populus quidem non sit adeò numerosus, sed tamen tantoperè sit dispersus, ut solus Parochus iis ritè instruendis, & Sacramentis administrandis esset insufficiens; quo casu non dubium, quin debeat sibi alios Presbyteros adjungere: imò & cogi queat ex Decreto Concilii Tridentini, & consequenter augmentum portionis congruæ eorum sustentationi conveniens postulare poterit.

Imò quacunque occasione contingat, ut solus Parochus non sufficiat ad Sacramenta administranda, & cultum Divinum ritè exhibendum, hoc congruæ portionis augmentum petere potest.

Quod autem credatur in casu tam numerosi aut dissiti populi, sufficere, ut diebus Festis & Dominicis adsiscatur Presbyter ex proximiori civitate, vel loco, qui ibidem Missam matutinalem pro populi comoditate celebret, error est, & notabilis abusus, frequentiùs ex avaritia, aut nimia decimatorum tenacitate procedens.

Imprimis enim similis Presbyter Parocho assistere nequit in administrandis Sacramentis, visitandis ægris, & parochianis ad Sacramenta ritè suscipienda disponendis, quæ tamen vel præcipuè ad salutem, & spiritualem populi curam pertinere manifestum est.

Prætereà frequenter contigit, ut similes Presbyteri simpliciter Missam privatam sine ulla auditorum instructione absolvant; atque hinc ulteriùs contingit, ut notabilis parochianorum numerus hâc privâta Missâ contentus, à Missa parochiali, sub qua parochus concionem habere consuevit, abstrahatur, & ita in articulis fidei, & Religionis Christianæ fundamentis ignarus permaneat; quæ incommoda facilè evitarentur, si decimæ, aliique proventus Ecclesiastici impenderentur in legitimos suos usus, ac signanter in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, qui ad curam animarum laudabiliter exercendam requiruntur; idque conformiter ad Synodum Tridentinam, quæ *Sess. 24. cap. 13. de Reformat.* vult, ut ea sit portionis congruæ quantitas, ut necessitati spirituali Parochiæ decenter sufficiat.

XX. Certum quippè est, nec à lapsu temporis, nec horum, illorumve praxi dependere, neque ex hac judicandum, quot Presbyteri ad debita Sacramenta Ecclesiastica administranda, & cultum Divinum peragendum requirantur: sed id judicandum esse juxta Regulas Evangelicas, & Ecclesiasticas, quæ non ad hominum praxim, quæ in cura animarum frequenter, leviter, & perfunctoriè nimis procedit, sed ad normam veritatis de labore & difficultate in debitè administrandis Sacramentis, & Fidelibus ad ea ritè suscipienda disponendis judicant, & procedi volunt.

XXI. Parum quoque refert, num forsan prædecessores nomen boni Pastoris in vulgo habuerint. Scitur enim, quàm vulgi judicium in dijudicando, num quis bonus sit Pastor, vel malus, cæcum sit; quamque multis dici posset, quod Angelo Ecclesiæ Sardis dicit Spiritus S. in libro Apoc. *cap. 3. Quia nomen habes, quod vivas, & mortuus es.*

XXII. Quin & si sedulò inquireretur in Parochiis illis numerosis, quarum solus Pastor, vel cum uno, alterove Presbytero curam sustinuit, non rarò summus deffectus instructionis in populo, & in suscipiendis Sacramentis exigua dispositione deprehenderetur; adeò ut ad oculum pateret, quàm leve & parùm fundatum sit argumentum, à praxi Pastorum, quos vulgus etiam pro bonis habuit, petitum.

XXIII. Optandum sanè ut Abbates, Canonici, aliique similes Decimatores sæpiùs secum attentè ruminarent, quàm multa requirantur, ut rudis populus ritè circa mysteria Religionis, & vitam verè Christianam instruatur, & ad Sacramenta ritè suscipienda rectè disponatur; atque à vitiis retrahi, & in virtutum exercitiis confirmari valeat; indubiè facilè agnoscerent, quàm frequenter in Parochiis sit operariorum deffectus, neque per unum, alterumve Sacerdotem in numerosis Parochiis Cura animarum *laudabiliter* exerceri queat: meritoque timerent, ne sanguis animarum ab iis sit requirendus, si defectu portionis *congruæ*, copia Sacerdotum animabus illis regendis necesariorum defuerit.

(a) *Quis in Galliis teneatur providere victui & cultui Vicariorum, qui ad nutum amoveri possunt, an decimator, an Parochus, an Fabrica, an Parochiani? adhuc sub Judice lis est. Id unum an.* 1686. *decrevit Rex*: Qu' il soit payé la somme de cens cinquante livres pour chacun desdits Vicaires. *Declaration du 29. Janvier* 1686. *At Rex in suo Edicto determinásse non videtur, cuinam onus solvendi* 150. *lib. incumberet. Anno* 1692. *die* 26. *Augusti supremus Parisiorum Senatus R. P. Jesuitis Remensibus suo Arresto irrogavit, ut quo-*

CAPUT III.

Unde Portio Congrua desumenda.

1 *Ex proventibus Ecclesiarum Parochialium eam Canones sumi volunt.*
2 *Probat id clausula unionibus adjici solita.*
3 *Unde eam sumi voluerit Synodus Tridentina.*
4 *Primo loco vult Ecclesiis Parochialibus provideri per Beneficiorum unionem.*
5 *Synodus Mechliniensis, etiam per unionem Parochialium, & concessionem Deserviturarum.*
6 *Id tantùm* per provisionem *permisit.*
7 *Non sunt uniendæ passim Ecclesiæ Parochiales, ut decimatores à danda portione congrua absolvantur.*
8 *Quid in unione Beneficiorum cavendum.*
9 *Post Beneficiorum unionem recurrendum ad* primitias; *& quare priùs ad has, quàm ad Decimas.*
10 *Oblationes potiùs quàm Decimæ in portionem congruam cedere debent.*
11 *Primitiis, & oblationibus deficientibus ad decimas recurrendum.*
12 *Non omnes decimæ eodem Ordine huic oneri subjectæ.*
13 *Decimis deficientibus ad Parochianorum collectas recurri vult Synodus Trid.*
14 *Non nisi iis deficientibus ad eas recurri vult Edictum ad Synodum Cameracensem directum.*
15 *Idem declarat Edictum ad Synodum Mechliniensem missum.*
16 *Ostenditur justitia istius Ordinis.*
17 *Injustum est portionem congruam desumi ex proventibus fabricæ, aut pauperum, decimis sufficientibus.*
18 *Neque hanc injustitiam lapsu temporis purgare potest.*
19 *Collectæ populo hîc in Belgio sine auctoritate Regia imponi non possunt.*

I. CAnones de portione congrua loquentes, eam ex proventibus Ecclesiarum Parochialium desumi præcipiunt; sive volunt, ut tantùm de his proventibus relinquatur Vicario, unde ipse commodè sustentari, & debita onera possit supportare.

II. Quare & in unionibus, sive incorporationibus Ecclesiarum Parochialium solet adjici hæc clausula: »Reservata tamen de fructibus, redditibus, & proventibus, juribus, obventionibus pro Vicario perpetuo in iis instituendo congruâ portione, ex qua idem Vicarius commodè sustentari valeat, jura Episcopalia solvere, & alia sibi incumbentia onera supportare.« Rebuffus, in praxi Benef. ad Regulam Cancell. *de Unionibus, gloss. 22. num. 16.*

III. Synodus Tridentina videns plerasque Ecclesias Parochiales necesariis Ministris destitutas defectu mediorum temporalium, quæ per incorporationem passim ad Monasteria, & Capitula transiverant, volens, ut omni meliori modo sine mora Ecclesiis illis Parochialibus provideretur, voluit: »In parochialibus Ecclesiis, quarum fructus adeò exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit Episcopus si per Beneficiorum unionem, non tamen Regularium, id fieri non possit, ut primitiarum, vel decimarum assignatione, aut per parochianorum symbola, ac collectas, aut quâ commodiori ei videbitur ratione tantum redigatur, quod pro Rectoris, ac Parochiæ neccessitate decenter sufficiat.«

IV. Juxta tenorem hujus Decreti apparet, Ecclesiis parochialibus tenuibus & non sufficientibus, ut oneribus debitis satisfiat, primo loco providendum esse per unionem Beneficiorum; & non nisi in defectum horum recurrendum esse ad alia media in decreto expressa.

Idipsum & Zypæus notavit *Consult. 4. de Parochiis*; dicitque: »Primus modus Rectoribus Parochiarum providendi

» di est, per Beneficiorum unionem; cui si locus non sit, succedunt alii à Concilio relati: aut quæ commodior ratio Ordinario videtur. Non autem aliis locus est, quàm si per Beneficiorum unionem id fieri non possit, etiam in alia Ecclesia fundatorum; ut satis textus insinuat, præsertim excipiendo Curata, & Regularia. «

V. Synodus II. P. Mechliniensis *tit.* 17. *cap.* 3. permittit Episcopis Ecclesiis parochialibus de portione congrua providere, non tantùm per unionem Beneficiorum *Simplicium*, sed etiam per unionem vicinarum, & minorum Ecclesiarum, vel per concessionem Deserviturarum.

VI. Verùm sat insinuat Synodus duntaxat eam Ecclesiarum vicinarum, & minorum Ecclesiarum unionem, nec non concessionem Deserviturarum admitti ob temporum illorum duritiem; & quousque commodior ratio providendi haberi nequit.

Postquam enim eam providendi rationem proposuit, immediatè adjungit: » Et aliàs propter idoneorum Sacerdotum ra» ritatem *per modum provisionis* providere. «

VII. Unde nullatenus ex mente Synodi videtur, ut Episcopi per similes uniones, & concessiones Ecclesiarum, & Deserviturarum Ecclesiis Parochialibus provideant, ut se vel alios Decimarum possessores à danda competentia eximant; & interim Parochos ita per unitas Ecclesias, vel concessas Deservituras gravent, ut curam Parochiæ negligere debeant; aut saltem functionibus Pastoralibus plenè satisfacere, & sedulo incumbere in sua Parochia nequeant.

VIII. Imò in quorumcunque Beneficiorum unione cavendum est, ne tot, taliaque Beneficia in competentiam Parochorum uniantur, ut parochus illorum oneribus satisfacere nequeat, saltem sine notabili in cura suæ Parochiæ, & functionibus Pastoralibus impedimento: quod faciliùs contingit, si extra Ecclesiam parochialem Beneficia fundata sint; & in locis à Parochiali Ecclesia remotis onera Beneficiis illis annexa exsolvere debeat.

IX. Si per Beneficiorum unionem sufficienter, & commodè Ecclesiis Parochialibus provideri nequeat, vult tum Synodus, ut primitiarum, aut decimarum assignatione provideatur.

Primitias ante decimas excutiendas esse videtur ordo verborum insinuare; qui in eo fundatur, ait Zypæus *citatâ Consultatione*, *num.* 4. » quòd primitiæ utpote *oblationes* arbitrio » Fidelium relictæ, *magis propria* sint Parochorum jura; & » ad *solum* pastorem pertineant de jure: adeò quidem ut et» si decimas laici ante Concilium Lateranense possessas reti» nere permittantur, non tamen oblationes. Unde etsi ubique » decimas, nullibi tamen oblationes penes laicos videmus. «

X. Itaque si oblationes alteri quàm Parocho competant, priùs ratione harum oblationum ad congruam portionem is tenetur, quàm decimarum possessor, ac priùs oblationes parocho vindicandæ; quæ si non sufficiant, tum demum ad Decimas recurrendum. Hoc verò intelligendum de oblationibus, quæ ex solo privilegio, aut præscriptione ad pastores v. gr. Primitivos transierunt; & quæ secluso privilegio, aut præscriptione ex voluntatate offerentium, & jure communi ad parochum spectarent; qualia esse solent ea, quæ in Defunctorum inhumationibus offerri, sive donari solent: secùs verò de oblationibus, quæ ex voluntate offerentium in alium pium usum offeruntur. Hæ enim nullatenus in parochorum competentiam convertendæ sunt.

XI. Primitiis, vel etiam oblationibus excussis, ad decimas recurendum esse, textus Synodi Tridentinæ indicat.

Speciem decimarum hîc non expressit Synodus, sed in definitè decimarum mentionem tantùm fecit. Et sanè cùm decimæ principaliter, & primitùs sint institutæ in sustentationem Sacerdotum, qui populo spiritualia seminant; ideoque *de jure* ad parochos pertineant (uti sæpiùs titulo præcedenti notatum est) nihil justius quàm ex illis saltem *congruam* portionem Parochorum desumi; sive eatenus saltem parochis reservari, ut ex iis habeant competentem, & congruam portionem, quò suis necessitatibus providere; & debita onera supportare queant. (b)

XII. Licèt omnes decimæ intra limites Parochiæ excrescentes huic portioni congruæ meritò subjiciantur, tamen quia inter decimas aliæ præ aliis specialiori titulo Parochis competunt, seu portiùs reservatæ sunt, (uti titulo præcedenti ostensum est) & aliæ cum speciali onere assignandæ portionis congruæ donatæ, aut concesse fuerunt, ideò etiam aliæ præ aliis huic oneri sunt subjectæ, & earum possessores ante alios ad hanc congruam portionem solvendam tenentur, uti latiùs dicetur capite sequenti.

XIII. Decimis infra fines Parochiæ haud sufficientibus, ad Parochianorum symbola ac collectas recurri posse, indicat Synodus Tridentina.

His locum non esse, nisi primitiis & decimis deficientibus evincit ipse verborum contextus & ordo.

XIV. Hunc ordinem significant quoque Principum Edicta, tum ad Synodum Cameracensem, tum ad Synodum Mechliniensem directa Philippus II. in Edicto ad Cameracensem Synodum misso *art.* 11. vult, ut excussis duobus prioribus mediis conficiendi congruam portionem à Synodo suggestis, Magistratus assistant Episcopis ut reperiatur quod portioni congruæ deesse apparebit. Verba Edicti sunt: *Et pour ce qu' en plusieurs lieux les Curés sont petitement pourvus, & n' est possible, signamment ès villes, les pourvoir de portion canonique par assignation des dimes, ou union des simples Benefices, ainsi est necessaire venir à la troisieme voie ordonnée par le saint Concil de Trente; sçavoir des collectes sur les Parochiens, laquelle collecte ne se pouvant practiquer sant nôtre authorité, & consentement: Ordonnons à tous Magistrats, & gens de loy, qu' ils ayent à assister les Evêques à trouver ce que defaudra pour l' entretenement desdits Pasteurs, là ou ne leur pourra être suffisamment pourvu par les deux premieres voyes ordonnées par le dit Concil de Trente, jusques aux summes advisées par ceste Synode Metropolitaine, lesquels Magistrats feront l' assiette de ce qu' iceux Evêques auront declarè defaillir, aux deux premieres voies, pour trouver la sustentation desdits Curés.* Id est: » Et quia pluribus locis Parochis » parcè provisum est, ne fieri potest ut de portione Canoni» ca assignando decimas, aut uniendo Beneficia Simplicia, ip» sis præsertim commorantibus in Oppidis, prospiciatur; ve» rùm necesse est iniri viam tertiam statutam per Concilium » Tridentinum, videlicet ut per Parochias collectæ instituan» tur, quæ cum sine auctoritate nostra, & assensu corroga» ri non possint, Magistratibus singulis, iisque qui præsunt, in» jungimus, ut Episcoporum sint adjutores, in finem, ut sup» pleatur, quod deerit sustentationi dictorum Pastorum, qui» bus sufficienter provideri non poterit altero ex prioribus mo» dis per Concilium Tridentinum assignatis, idque usque ad » acquisitionem summæ, per hanc Synodum Metropolitanam » constitutæ; qui Magistratus descriptionem facient eorum, quæ » duobus prioribus modis deesse Episcopi judicaverint, ut dic» torum Parochorum sustentationi provideatur.

XV. In Edicto ad Synodum Mechliniensem misso *art.* 16. dicunt Principes: » Ut si per media à Concilio Tridentino sug» gesta Parochialibus Ecclesiis sufficienter provideri nequeat, » Consilia Regia, & Magistratus conabuntur per impositiones, » collectas, aut alias invenire, quæ Episcopi judicabunt deesse » ad congruam Parochorum sustentationem."

XVI. Nihil evidentius, quàm Principes, ad collectas, & impositionem Parochianorum, tum demum concedere recursum, quando *primitiis & decimis* excussis, portio congrua haberi nequit; idque reverâ justissimâ ratione.

Cùm enim primitiæ, sive oblationes, & decimæ à populo solvantur, ut ministri Altaris sustineantur, atque laborantibus in Vinea Domini, & sibi spiritualia seminantibus, temporalia subministrentur, quid æquius, & justius, ut illæ priùs impendantur in sustentationem Ministrorum, priusquam rursus nova onera populo imponantur?

XVII. Si justum non sit, ut ad portionem congruam urgeantur per novam onerum impositionem Parochiani, quandiu decimæ sufficiant, intelligi potest, quanta sit injustitia, quòd in nonnullis Parochiis portio congrua, vel Pastorum, vel Vice-Pastorum desumatur ex proventibus specialiter in usum fabricæ, aut pauperum destinatis & debitis. Quasi fabricæ & pauperibus sui proventus subtrahi possint, & debeant, ut major copia decimarum, quæ in Pastorum sustentationem dantur, ad Monasteria, & Capitula devolvantur, & ex iis Monachi, & Canonici commodiùs vivere valeant.

XVIII. Imò tam manifestè apparet hujusmodi applicatio proventuum fabricæ vel pauperum injusta & infidelis, ut nec lapsu temporis, quantumvis immemorialis, justificari posse videatur; ideoque si probetur reverà proventus illos esse relictos in usum fabricæ, aut pauperum, meritò ad suos legitimos usus reducentur; & Decimatores ad portionem congruam convenientem condemnabuntur.

XIX. Denique citata Principum Edicta ostendunt, fas non esse in Belgio Episcopis, suâ auctoritate populum compellere ad danda temporalia per modum collectarum, sed Regiâ auctoritate, & consensu opus esse; quod, & in receptione Concilii Tridenti monuere Consilii Regia.

(b) *Hac ratione quoad Hispaniam Innocentius XII. determinavit, nullam in Beneficiis Curatis imponi pensionem posse; quod constat ex Act. Acordat. 3. tit 3. lib. 1. Recopil. quod & novissimè renovavit Clemens XII. in Concordato cum Rege Catholico innito anno* 1737. *his verbis*: En atencion á que regularmente no son pingues las Parroquias de España vendrá su Santidad en no imponer PENSIONES sobre ellas: á reserva de las que se hubieren de cargar á favor de los que las resignan en caso de que con testimoniales del Obispo se juzgue conveniente y útil la renuncia. *Et etiam post anno* 1740. *Benedictus XIV. suis litteris novissimè confirmavit.*

Cùm

Cùm enim Margarita Parmensis Belgii Gubernatrix Decreta Concilii Tridentini de reformatione nomine Philippi II. misisset ad Senatus Regios, ad *cap.* 4. *Sess.* 21. *de Reform.* quâ datur Episcopis facultas novas Parochias erigendi; & si necesse fuerit, *compellendi* populum ea subministrare, quæ sufficiunt ad vitam Sacerdotum sustinendam: »Communis omnium Senatum nota fuit compulsionem illam populi, & exactionem »illam fieri non posse sine auctoritate Regia (c) neque hanc »jurisdictionem Ecclesiasticis Judicibus unquam competisse.« Anselmo in Triboniano Belgico *cap.* 33. §. 22.

CAPUT IV.

Quo ordine Decimatores sint portioni congruæ subjecti; et quousque.

1 *Decimæ speciali titulo ad Parochos spectantes præ reliquis oneri portionis congruæ subjectæ.*
2 *Hoc ex capite decimæ* Novales, *&* minutæ *ante alias excutiendæ.*
3 *Decimæ nominatim huic portioni subjectæ ante alias excutiendæ.*
4 *Olim passim tertia pars pro Parochorum sustentatione à Decimatoribus relinquebatur.*
5 *Hæc tertia pars postmodum ad Capitula, & Monasteria transivit.*
6 *Qui hanc tertiam possident ante alios Decimatores ad portionem congruam tenentur.*
7 *Hæc tertia pars uniri non solet nisi cum onere congruæ portionis.*
8 *An decimæ ultimò incorporatæ ante alias teneantur.*
9 *Primitivi Pastores præ reliquis Decimatoribus videntur obligari.*
10 *Patroni Ecclesiastici solent esse Pastores primitivi, & eatenus ad portionem congruam obligari possunt.*
11 *Non semper sunt Pastores primitivi.*
12 *Pastor primitivus quomodo à Vicario pro consequenda portione congrua conveniri possit.*
13 *Quando Decimatores teneantur pro decimarum portione, quam possident, contribuere.*
14 *Ratio, quæ videtur ab hoc onere eximere decimas infeudatas.*
15 *Possessas ante Concilium Lateranense eximere videtur Edictum Philippi II.*
16 *Ob onera decimis infeudatis inhærentia ratione* feudi, *videntur ab hoc onere eximendæ.*
17 *Ratio suadens eas ad portionem congruam debere concurrere.*
18 *Decimæ hæ tanquam partim laicales, partim Ecclesiasticæ* subsidiariè *in defectum aliarum decimarum contribuunt.*
19 *Decimæ infeudatæ ad Ecclesiam reversæ, huic oneri subjectæ tanquam Ecclesiasticæ.*
20 *Etiam si titulo* oneroso *sint acquisitæ.*
21 *Secus videtur dicendum, si cum onere feudali sint reversæ.*
22 *Edictum Philippi II. indistinctè eas obligare videtur.*
23 *Decimæ ex sua institutione sunt ordinatæ ad sustentationem Parochorum.*
24 *Non sunt ad alios translatæ nisi deducta portione congrua.*
25 *Onus dandi hanc portionem est* reale *perpetuò decimis inhærens.*
26 *Non absolvuntur ab hoc onere, licèt semel portio congrua fuerit assignata.*
27 *Nihil cedit Decimatoribus, nisi quod superabundat detractâ portione congruâ.*
28 *Idipsum declaravit Synodus Juliobonensis.*
29 *Decimatores tandiu manent huic oneri subjecti, quandiu decimas retinent.*
30 *Portio Parocho debetur, licèt nihil Decimatoribus superesset.*

I. DEcimas aliquas magis propriè, & specialiori titulo præ aliis Parocho competere, titulo præcedenti notatum est. Cùm ergo hæ decimæ *specialiter* Parocho competant, & cum majori quasi violentia ipsi adimantur, æquum quoque apparet, ut si Parocho è decimis portio congrua assignari debeat, potiùs è decimis *specialiter* Parocho competentibus, quàm ex aliis decimis desumatur. Hæ enim Decimæ præ aliis oneri portionis congruæ subjectæ sunt, sicuti primitias & oblationes ante decimas pro conficienda portione congrua excutiendas esse capite præcedenti notatum fuit; idque eâ ratione, quòd specialiori titulo debeantur Parocho, quàm decimæ.

II. Hoc ex capite, decimæ *novales* ante decimas veteres pro conficienda hac portione excutiendæ sunt; quia propriè Parochorum sunt, (d) quod & Zypæus notavit *Cons.* 4. *de Parochiis, num.* 5.

Pari ratione decimæ *minutæ*, utpote non secus ac novales ad Parochum speciali titulo spectantes (ut titulo præcedenti *cap.* 6. dictum est) huic oneri ante decimas majores, seu *grossas* subjectæ sunt: solentque hæc Vicariis perpetuis, exclusis Decimatoribus majoribus, adjudicari.

III. Si inter decimas majores reperiantur quædam nominatim, aut specialiter in competentiam, sive portionem congruam assignatæ & addictæ, hæ etiam ante reliquas in hanc portionem congruam imputandæ sunt.

IV. Olim usitatum erat, ut laici, aliique decimas possidentes, tertiam earum partem relinquerent in sustentationem Parochorum, & Ministrorum Ecclesiarum Parochialium; atque per hanc tertiæ partis assignationem obligationi sustentandi Parochum satisfacere volebant; uti post alios citatos auctores notat Zypæus *Consult.* 4.

V. Successu verò temporis, cùm nonnunquam decimæ adeò excrescerent, ut vel tertia pars decimarum notabilem annuatim summam conficeret; videreturque, quod detractâ portione congruâ Parochorum, adhuc multum superesse posset, cœperunt nonnulla Capitula, aut Monasteria impetrare Ecclesiarum Parochialium incorporationem una cùm hac dote, scilicet tertia parte decimarum: aut si Ecclesiæ aliis essent jam unitæ, tertiam hanc partem decimarum, quæ primitùs in sustentationem, sive portionem congruam Parochorum erat relicta, sibi incorporare cœperunt.

VI. Cùm ergo hæc pars decimarum specialiter ab ipsis Decimatoribus primitùs in portionem *congruam* data sit, etiam speciali ratione huic oneri subjecta manet, ad quemcunque possessorem transiverit.

Neque Decimatores, qui alias duas partes decimarum possident, ad portionem congruam tenentur, quandiu tertia hæc pars decimarum exhausta non est; quandoquidem ipsi hanc tertiam partem in Parochorum sustentationem dederint, atque per eam assignationem eatenus saltem satisfecerint obligationi dandi congruam portionem, ut eam dare ulterius non debeant, quandiu hæc tertia, ab ipsis in congruam portionem assignata, sufficit.

VII. Accedit, quòd in unione, seu incorporatione istius tertiæ partis inseratur solita clausula reservans super hac parte decimarum, quæ incorporatur, portionem congruam ipsius Vicarii.

VIII. Quando igitur decimæ aliquæ in sustentationem Parochorum, seu Vicariorum remanserunt, & hæ postmodum alicui Capitulo, aut Monasterio fuerunt assignatæ; indubiè tunc verum erit, quod dicit Zypæus *citata Consult.* 4. nimirum ante alias decimas ad portionem congruam teneri illas decimas, quæ *ultimo* ab Ecclesia Parochiali sunt decisæ, ad eam rationem, quæ in donationibus inofficiosis est; ut si à quopiam factæ sint diverso tempore, & per eas legitima liberorum læsa, ultima tantùm donatio eatenus rescindatur, quia ea sola inofficiosa, *leg.* 7. *Cod. de Inoff. Donat.*

IX. Adhæc inter decimarum possessores ante reliquos ad congruam portionem ordinariè tenentur hi, qui dicuntur *primitivi* Pastores, qui solent possidere ipsas Ecclesias Parochiales incorporatas cum decimis & proventibus sub expressa conditione assignandi Vicario congruam portionem, si ipsi per se curam earum Ecclesiarum non habeant.

Præterea de jure communi *in Clem.* 1. *de Jure Patronatûs*; »Diœcesanis sub obtestatione Divini judicii districtè inhibetur, »ne præsentatum aliquem per quamcunque personam Ecclesiasticam jus præsentandi ad Ecclesiam aliquam habentem admittat, nisi intra certum terminum competentem per Diœcesanos ipsos præsentantibus præfigendum, ipsi præsentato fuerit coram eis congrua de proventibus Ecclesiæ portio assignata. Quam si forsan iidem præsentantes intra terminum ipsum »assignare neglexerint, ne factum eorum noceat præsentato, »statuitur, ut ex tunc Diœcesani debeant præsentatum (nisi »aliud Canonicum (e) obstet) admittere, & in pœnam præsentantium, ad Diœcesanos ipsos potestas assignationis hujusmodi devolvatur.«

X. Porrò Patroni Ecclesiastici ad portionem congruam suis præsentatis assignandam ideò specialiter adstringuntur, quia uti rectè notat Zypæus *citata Consult.* 3. raro accidit in Ecclesiasticis, ut ipsi Parochiales Ecclesias extruxerint, vel dotaverint; cùm res Ecclesiæ suæ alienare nequeant; & si de suo dederint Patroni *laici* nomen habeant. Quare qui hodie dicuntur Patroni Ecclesiastici, & unà Ecclesiarum Parochialium, quarum sunt Patroni, decimas percipiunt, non solent esse veri Patroni, sed *primitivi* Pastores titulo unionis dictarum Ecclesiarum, atque in ea qualitate præsentare Vicarium, cui congruam

(c) *Vide quæ in cap.* 1. *tit.* 25. *num.* 27. *sub littera* n, *annotata sunt.*

(d) *Repete hîc quod in cap. VI. tituli præcedentis in notata sub litt.* g, *notatum est.*

(e) *In quibusdam Codicibus additur*, sive impedimentum.

gruam portionem eo titulo assignare tenentur.

Nec mirùm, nullam in dicta Clementina, nec in Jure Canonico fieri mentionem *Pastoris primitivi*; quia nomen illud primitivi Pastoris recentius est Collectione Corporis Canonici, quo hodie utimur; sed quos nunc Pastores primitivos dicimus, tunc plerumque Patroni Ecclesiastici nuncupabantur.

XI. Dubitandum tamen non est, quin interdum jus præsentandi à jure primitivi Pastoris, qui vi unionis, & incorporationis ad congruam portionem speciatim obligatur, sit sejunctum; quo casu si dubitetur, num quis sit primitivus Pastor, nec de unionis & incorporationis forma & conditionibus sat constet, ad alia indicia, & argumenta, quæ Pastoris primitivi jus innuant, recurrendum erit; v. g. Si Canonici, vel Religiosi, eorumve Prælati jus habeant functiones aliquas Ecclesiasticas certis diebus in Ecclesia Parochiali obeundi, Parochus ipsos ut Superiores suos in aliquibus agnoscere teneatur: si decimas minutiores, aut novales, quæ Parochis præ aliis decimis speciali titulo reservari solent, percipiant, aliave jura exerceant, quæ primitivis Pastoribus reservari solent.

XII. Dum igitur ex his, aliisve argumentis constat, quis sit Ecclesiæ Parochialis Pastor primitivus inter decimarum possessores, poterit Vicarius, sive Parochus contra illum directè agere ad congruam portionem, eamque integram relictis aliis decimatoribus, salvo regressu Pastori primitivo adversus alios decimarum possessores: & ita 17. Martii 1634. in Parlamento Divionensi judicatum testatur Carolus Fevret. *lib.* 6. *tract. de Abusu*, *cap.* 1. §. 10. Et tanquam indubitatum tradit Grimaudet *lib.* 2. *de Decimis*, *cap.* 8. *num.* 7. additque. » Quòd si » congrua portio fuisset assignata, sed sufficiens non esse de» prehenderetur, Vicarii contra Pastores primitivos agere de» berent coram Episcopo, ad hoc ut condemnentur, & co» gantur supplere, exemplo filii, cui pater reliquit portionem » suorum bonorum pro legitima, quæ si sit insufficiens, po» test filius agere ad supplementum: eò quòd pater nequeat fi» lio relinquere minorem portionem quàm legitimam. Insuper » causa Parochorum est favorabilior, quia omnes redditus Ec» clesiæ Parochialis non dantur nisi ob curam animarum, quam » ipsi Vicarii, seu Parochi sustinent: & valdè scandalosum » est in Ecclesia (in qua omnia juxta meliorem disciplinam de» berent esse ordinata) quòd uni laborent, & alii otiosi man» ducent eorum salaria & substantiam. «

XIII. Si non constet, quis inter plures decimatores speciali titulo ad portionem congruam sit obstrictus, neque ullus ipsorum sciatur ullas decimas, speciali titulo huic oneri obnoxias possidere, tenebuntur omnes pro quota decimarum, quam quisque possidet, ad portionem congruam concurrere.

XIV. Bona laicorum per Collectas sive impositiones non gravanda, nisi in defectum primitiarum, & decimarum, capite præcedenti dictum est.

Cùm verò decimæ *infeudatæ* hodie quasi bona patrimonialia possideantur, atque de illis, non secùs ac de patrimonialibus disponant, uti titulo præcedenti *cap.* 4. probatum, dubitari posset, num similes decimæ aliter quam reliqua bona laicorum huic oneri sint subjecta.

XV. Edictum Philippi II. Regis Catholici ad Synodum Cameracensem in contributionem portionis congruæ vocat decimas existentes in manibus laicorum, si modò probari queat, eas ab Ecclesiasticis ad laicos pervenisse post Concilium Lateran. sub Alexandro III. Verba Edicti sunt, *Ensemble celles que l' on pourra verifier avoir été achetées, ou autrement acquises par gens layz des Ecclesiastiques depuis le premier Concile de Latran, qui fut l' an mil cent septante neuf sous Alexandre troisieme.* Id est. » Deinde illas, quas probari poterit ab » Ecclesiasticis Laicos emisse, aut acquisivisse à celebrato pri» mo Lateranensi Concilio sub annum 1179. sedente Alexan» dro III. « Videtur ergo Edictum ab hoc onere exemisse decimas *infeudatas*, quæ non probantur *post dictum Concilium* laicis fuisse acquisitas.

XVI. Accedit, quòd cùm hæ decimæ cum onere *feudi* transierint ad laicos; atque laici ratione illarum ad certa servitia, sive onera obstringantur Ecclesiis, à quibus decimas infeudatas tenent; æquum quoque videtur, ut ab oneribus eximantur, quæ alias decimas inhærent.

XVII. Verùm cùm decimæ illæ institutæ sint, & à populo dentur, ut Parochis, & ministris de sustentatione provideatur, atque eatenus quasi violente ab Ecclesiis Parochialibus fuerint abstractæ; apparet, aliam non fuisse Pontificum, aut Episcoporum intentionem, quàm ut Laici eas decimas retinerent, quandiu ipsis Parochis aliundè esset provisum; neque populus, qui illas decimas in Parochorum sustentationem offert, rursus esset novo onere gravandus.

XVIII. Itaque quia decimæ *infeudatæ* partim sunt bona laicalia, & quasi patrimonialia, partim Ecclesiastica, & ab Ecclesia profecta, passim receptum est, decimas has non quidem omninò ab hoc onere esse exemptas, sed in defectum decimarum ab Ecclesiasticis possessarum & naturam proventuum Ecclesiasticorum magis retinentium, huic oneri tantùm *subsidiariè* subjici; idque æquum esse notavit Renatus Choppinus *de S. P. lib.* 3. *tit.* 4. *num.* 20. & 21. & ita judicatum refert Ludovicus Charondas *lib.* 1. *Resp.* 34. item Claudius Henrys in sua Collectione Arrestorum *tom.* 1. *lib.* 1. *quæst.* 27. atque novissimè anno 1662. solemni arresto decisum fuit, decimas infeudatas *subsidiariè* ad portionem congruam obligari. Habetur arrestum hoc integrum *tom.* 2. *Journal des Audiences*, *lib.* 4. *cap.* 52. unà cum discursu super origine decimarum *infeudatarum*; ostenditurque, decimas, quæ passim seculo XI. & XII. ad Laicos devolutæ fuerunt, revera pertinuisse ad Ecclesias Parochiales, & consequenter origine sua esse revera decimas Ecclesiasticas: quo casu eas portioni congruæ, saltem *subsidiariè* subjectas fatetur Zypæus titulo *de Feudis*, *num.* 2. *in Jure Novo*, & ita à Senatu Brabantiæ judicatum testatur (f).

XIX. Notatum fuit titulo præcedenti *cap.* 4. decimas *infeudatas*, si ad Ecclesiam, vel corpus aliquod Ecclesiasticum revertantur, recipere primigeniam suam naturam, habendasque rursus esse, ut decimas Ecclesiasticas.

Hinc ulteriùs deducitur, eas & quoad portionem congruam, non ut *infeudatas*, & *laicales*, sed ut Ecclesiasticas esse reputandas: & ita sæpiùs judicatum fuisse refert Broudæus ad Louetium *litt. P. num* 60. item Claudius Henrys loco citato *quæst.* 7. notatque ibidem, » reversionem decimarum ad Ec» clesiam esse favorabilem; quia reducit ad primævam earum » naturam, & Ecclesiastici potiùs sua propria recuperant, quàm » de novo acquirunt.... Itaque hodie indubitatum est, De» cimas infeudatas reversas ad Ecclesiam fieri Ecclesiasticas, & » sequi communes regulas aliarum Decimarum. «

XX. Quin, & portioni congruæ obnoxias esse, tametsi titulo oneroso ad Ecclesiam reversæ sint, asserit Wamesius *cons.* 452. *num.* 7. & conforme esse sententiæ Senatus Parisiensis prolatæ 16. *Febr.* 1628. ex iis, quæ recitat Claudius Henrys loco citato, non obscurè colligitur.

XXI. Hanc decimarum infeudatarum ad pristinam naturam reductionem operatur ipsa decimarum ad Ecclesiam reversio, si simpliciter & purè restituantur; secùs verò si cùm onere, seu nexu feudali, quo erant apud laicos, Ecclesiæ restituantur, quo casu semper manent *feudales*, uti citato *cap.* 4. annotavimus.

Inde consequenter statuendum videtur de his decimis cum eo nexu ad Ecclesiam reversis, quod de decimis infeudatis in manibus laicorum existentibus, ut nimirùm ad hanc portionem non nisi *subsidiariè* deficientibus aliis decimis Ecclesiasticis, concurrere debeant; quod & verisimilius credit Zypæus *Resp.* 2. *de Parochiis*, *num.* 6.

XXII. Sed an hanc distintionem patiatur citatum Edictum Philippi II. ad Synodum Cameracensem dubitat Zypæus ibidem: eò quòd Edictum decimas *feudales* quocunque modo ad Ecclesiam reversas ad portionem congruam vocet tanquam ad suam primam naturam reversas. Verba Edicti sunt: *Nous declarons notre intention être que la portion Canonique, & reparation desditis Eglises, debveront contribuer les dimes ayant autrefois été laicales, lesquelles presentement seroient retournées ès mains des gens d' Eglises, de quelle nature qu' elles soient, fiesz ou autres, pour être retournées à leur primitive nature.* Id est. » Hanc nostram mentem esse declaramus, ut ad » Canonicam portionem, & Ecclesiarum reparationem suppe» ditent decimæ, quondam Laicales, quæ ad Ecclesiasticorum » denuò manus devenerunt, cujuscunque naturæ fuerint, sive » feudales, sive alia; quia ad pristinam conditionem redierunt. «

XXIII. Porrò cùm decimæ quasi ex suâ natura, & primævâ institutione sint ad hoc ordinatæ, ut Parochis ex illis sustentatio, aliaque necessaria subministrentur; sub hoc onere congruæ portionis ad Capitula, Monasteria, aliave Corpora, aut personas transiverunt; cui oneri perpetuò manent subjectæ, semperque earum possessores abligantur Parochis de portione congrua providere.

XXIV. Imò nec decimæ Capitulis, Monasteriis, aliisque concessæ sunt, nisi priùs deductâ *portione congruâ*; adeò ut tantùm censeatur concessum, quod ultra Parochi sustentationem superesse potest.

* Decimæ, similesque proventus in Parochorum sustentationem præcipuè & primariò ex intentione offerentium cedere debent; atque hoc sensu sæpiùs diximus, decimas principaliter ad Parochos pertinere.

(f) *Arrestum, quod modò citatum est, datum fuit à Senatu Parisiensi* 4. *Aprilis* 1662. *reperitur quoque in novis Collectaneis titulorum &c. Cleri Gallicani*, tom. 3. col. 59. &c. *Huic arresto, quod eruditione plenum est, subjunxit Cleri Gallicani Collectaneorum editor quasdam observationes, quibus Parlamenti Tolosani jurisprudentiam circa decimas infeudatas exponit.* Col. 116. &c.

Huic fundamento innitur assertum Canonistarum, portionem congruam ex decimis, Parochis, aliisque curam animarum sustinentibus à Decimatoribus esse integrè persolvendam, licèt eâ persolutâ, nihil ex decimis Decimatoribus superesset: eò quòd ex his proventibus nihil sit impendendum in usus, præsertim pauperum Ecclesiæ non ministrantium, priusquam Ministris Ecclesiæ, notanter Parochis, aliisque curam animarum sustinentibus, & actualiter per se exercentibus, sufficienter sit provisum.

Idipsum non obscurè indicavit S. Thomas, dum dixit, decimas, aliasque res Ecclesiæ deberi his, qui curam animarum sustinent; communicari verò posse Laicis, Religiosis, sive Monachis, aliisque curam animarum non habentibus per *modum eleemosynæ*. Verba S. Thomæ relata sunt hac *part.* 2. *tit.* 32. *cap.* 5. *num.* 6.

Verùm nonne satius fuisset, ut dispensatio decimarum, uti aliorum Ecclesiasticorum proventuum integra mansisset penes Prælatos, & Pastores, ut per hos, si quid ex illis sustentationi Ministrorum Ecclesiæ, & in vinea Domini laborantium necessitatibus superesset, in Religiosos, aliosque curam animarum non habentes per modum eleemosynæ erogaretur; quàm quòd ipsi, quibus principaliter decimæ, & proventus Ecclesiastici debentur, cogantur sua necessaria, sive competentiam petere, & quasi emendicare ab iis, quibus decimæ, & similes Ecclesiastici proventus, nonnisi per modum *eleemosynæ* ex doctrina S. Thomæ communicati fuerunt?

XXV. Rectè post Rebuffum, aliosque notavit Zypæus *Consultatione* 4. *de Parochiis*, *num.* 8. onus hoc dandæ portionis congruæ esse onus *reale*, & permanens; ita ut ratione illius possessores decimarum semper maneant ad hanc portionem subministrandam obligati, quemadmodum fundis sitis ad viam, flumen, & mare, incumbit onus reficiendi aggeres, toties quoties aggeres reficiendi sunt; quo simili utitur ibidem Zypæus.

XXVI. Hinc ulteriùs concluditur, quòd si jam pridem assignata portio congrua perierit, vastata sit, aut mutatis temporum locorumque circumstantiis incompetens, sive insufficiens inveniatur, ut Parochi aut Parochiæ necessitatibus per eam sit provisum, vi dictæ clausulæ expressæ, vel subintellectæ, de novo competentiam, aut augmentum ex Decimis seu proventibus Ecclesiæ incorporatæ dare tenebuntur, quandoquidem proventus dictarum Ecclesiarum sub eo onere sint ipsis incorporati, ut primò Vicariis de congrua portione sit provisum.

XXVII. Ulteriùs ex eodem principio deducitur, quòd Capitula, Monasteria, aliive, quibus decimæ sunt concessæ, nihil ex illis prætendere queant, nisi quod ipsi congruæ Parochorum portioni superest. Nam ut rectè notavit Rebuffus *de Portione congrua*, *num.* 103. » Priùs Papa vult reservari congruam » portionem, postea reliquos fructus donat, & unit; ob id præ» ferri debet prima Ecclesia Vicarii, ut Panormitanus in *Cap.* » *de Monachis* ✠ *de Præbend.* probat, dicens: habentes Ec» clesiam quoad temporalia non posse omnes redditus Ecclesiæ » consumere, & sibi usurpare, sed redditus tantùm superfluos » detractâ priùs congruâ portione Vicario, seu Rectori insti» tuendo, & pro juribus Episcopalibus. «

XXVIII. Idipsum jam pridem expressit Concilium Juliobonense à Wilhelmo Rege Anglorum cum Episcopis, & Proceribus Normanniæ celebratum anno 1080. *Can. XII.* ubi postquam ordinâsset, quomodo Monasterium decimas possidens deberet Presbytero Ecclesiæ deservienti ex decimis providere, tandem in fine concludit: » Quæ verò *superabundant*, in usus » Monasterii Abbas habeat. Hoc idem (ait) in Ecclesiis Cano» nicorum observetur. «

XXIX. Similiter hinc statuendum, quòd decimarum possessores oneri maneant subjecti, quandiu decimis, proventibusque Ecclesiarum Parochialium unitarum incumbunt; nec nisi ultroneâ abdicatione omnium proventuum ab eo eximuntur, exemplo possessoris fundi hypothecati pro certo redditu, qui demum liberatur, cùm hypothecato fundo se exuit; quod vulgò Galli vocant *deguerpir*.

XXX. Rectè quoque eodem ex principio concludit Rebuffus loco citato *num.* 101. » Et si temporalia, vel alii red» ditus Beneficii non sufficerent nisi Vicario, tunc præferetur » Vicarius, tum quòd illud temporale priùs erat patrimonium » suæ Ecclesiæ, & postea fuit Religiosis datum, vel ab ipsis » occupatum, & sic agit de damno vitando, & Monasterium » de lucro captando; ideò præfertur Vicarii Ecclesia Monas» terio: tum etiam, quòd hoc sit favorabilius, videlicet alere » plebem cibis spiritualibus, ut Vicarius facit, & quòd bona » facilè revertantur ad suam naturam. « Hæc Rebuffus, qui & *num.* 103. probat dictum Henrici Bohicq. » Tolerabilius esse, » quòd Canonicus, vel Prior egeat, qui habet annexam curam, » quàm Vicarius, qui illam exercet. «

Quibus consonat Antonius Faber in *lib.* 1. *tit.* 2. *Definit.* 52. asserens, » certum esse, Parocho, aut eis, qui Parochi vices » gerunt, magis favendum esse, quàm possessori Decimarum, » quisquis ille sit; cùm Parochus, ejusve Vicarius Altari, & » Parochianis deserviat. Nec ad rem pertinebit, quòd si deci» marum possessori quantulacunque portio detrahatur, futurum » sit, ut non habeat ille, quo se alat. Etsi enim dici solet, non » essse discooperiendum unum Altare, ut alterum cooperiatur, » priùs tamen Parocho subveniendum est adversus decimarum » possessorem, quàm possessori ab ipso Ordinario, cujus offi» cium est providere, ne alimentorum penuria cogantur ii, qui » Altari serviunt, Religionis cultum deserere. « Hæc ille, quem sequitur Zypæus *tit. de Parochiis*, *num.* 11. (g)

CAPUT V.

Portio congrua tanquam causa alimentorum judicanda, et assignanda.

1 *Causa portionis congruæ est causa alimentorum.*
2 *Hinc in ea* summariè *procedendum.*
3 *Portio debet* provisionaliter *adjudicari, si causam moram trahat.*
4 *Ita vult Synodus Mechliniensis.*
5 *Hæc adjudicatio provisionalis fieri potest in omni parte litis.*
6 *Solutio congruæ portionis non patitur moram.*
7 *Conforme Edictum Principum nostrorum.*
8 *Quæstio inter Decimatores super solutione portionis congruæ ejus assignationem retardare non debet.*
9 *Exemplo alimentorum portio congrua transactione tolli nequit.*
10 *Non facilè transactioni per transigentem contraveniendum.*
11 *Mutatis circumstantiis interdum potest.*
12 *Transactio sine auctoritate Superioris inita non obligat successores.*
13 *Initâ cum consensu, & approbatione Episcopi obligat successores.*
14 *Poterit nihilominùs successu temporis augmentum portionis peti.*
15 *Nullâ transactione, aut lapsu temporis, vel lege positivâ portio congrua tolli potest.*
16 *Portionis congruæ compensatio admtti non solet.*
17 *Congrua portio in* re certa *assignanda.*
18 *Synodi passim rem certam designant.*
19 *Non dicitur Parochus habere portionem congruam, nisi habeat in re certa.*
20 *Potest Vicarius abdicare proventus Ecclesiasticos, & petere portionem congruam.*
21 *Expedit Parochis habere portionem in re certa.*
22 *Id ostenditur exemplo SS. Patrum.*
23 *Portio assignata in re certa ob sterilitatem, aut devastationem fructuum non minuenda.*
24 *Fructuum mentio non taxationis, sed demonstrationis causa censetur facta.*
25 *Quod solvitur in redemptionem decimarum, debetur nullis fructibus crescentibus.*
26 *Decimatores sterilitatis commodo gaudentes, debent & fertilitatis onera ferre.*
27 *Non est æquum, ut in casu sterilitatis Vicarii semper cum summo rigore exigant integram portionem à Decimatoribus.*

I. CAusam portionis congruæ esse causam *alimentorum*, negari nequit: quandoquidem certum sit, portionem congruam primariò, & directè assignari in sustentationem, & alimentationem Presbyterorum curam animarum sustinentium; unde & hanc causam portionis tractandam tanquam causam alimentorum omnes agnoscunt.

II. Hinc imprimis infertur, quòd sicuti in causa alimentorum *summariè* procedi, & *provisionalis* adjudicatio fieri solet, ita & in hac causa procedi debeat: præsertim cum hîc non tantùm periculum sit, ne defectu alimentationis Parochus vitæ necessariis destituatur, si assignatio portionis differatur, quousque causa plenariè sit instructa; sed & periculum est, ne populus interea necessariis ministris destituatur.

Quaminis portionem congruam, quia in eadem Parœcia nullas possidebat decimas. Hæc ratio insufficiens visa est Senatui Parisiensi. Hic enim declaravit 29. Januarii 1688. Capitulum S. Petri nihilominus teneri ad solvendam suo Vicario portionem congruam 300. libr. Hac obligatio fundata videtur titulo primitivi astoris.

(g) *Ex his, quæ in hoc capite, & superiùs dicta sunt, quis concludere posset, primitivos Pastores non teneri ad portionem congruam solvendam, nisi cùm sunt decimatores. Refertur tamen in* 5. *vol. Diarii Audientiarum*, l. 4. C. 13. pag. 188. Edit. 1707. *Arrestum supremi Parisiorum Senatus contrarium decernentis. En casus: Capitulum S. Petri Puellarum Bituricis constitutum negabat Vicario perpetuo Ecclesiæ ejusdem no-*

III. Quare tanquam indubitatum tradit Rebuffus, » quòd » si Parochus, aut Vicarius congruam portionem petat, & pro» cessus tractum & dilationem recipiat, debeat ei per modum » *provisionis* adjudicari provisio congruæ portionis, donec vi» deantur jura utriusque, & alias sententia proferatur, ut inte» rim Deo servire possit, & Sacramenta Parochianis administra» re. « *In tract. de congrua portione, num.* 54. Et *in tract. de Sententia provisionali, in præfatione, num.* 30. asserit, Curato petenti integras Decimas adjudicatum fuisse à Senatu quartam partem Decimarum per modum provisionis, ut interim vivere possit.

IV. His conforme est Decretum Synodi P. II. Mechliniensis *tit.* 17. *cap.* 4. » Si contingat oriri aliquam difficultatem » Pastoribus in assignanda judicio Episcopi Canonica portione, » iidem Episcopi, seu eorundem Vicarii, aut Officiales, *sum» mariè, & de plano*, sine strepitu, & figura judicii, audita » nuda petitione Parochorum, & eorum quorum interest res» ponsione, & facta desuper summaria informatione, quod ip» sis Parochis deesse compererint, ad summam superius taxa» tam per modum *provisionis* adjudicabunt; & appellatio exe» cutionem non suspendat. « Adde Syn. P. II. Camer. *tit.* 14. *cap.* 7.

V. Potest autem hæc provisionalis adjudicatio peti in qualibet parte litis, etiam post litem contestatam, imò etiam post sententiam, quæ transivit in rem judicatam, quando executio sententiæ posset habere dilationem; uti tradit Rebuffus in tractatu *de Sentent. provis. art.* 1. *glos.* 2. eò quòd nunquam non inhumanum sit, vel ad modicum tempus os bovi trituranti occludere.

VI. Notabile occurrit arrestum apud Tournetium in sua Collectione arrestorum *Litt. P. num.* 126. quo conductor decimarum condemnatus fuit ad solvendam portionem congruam 360. librarum, salvo recursu ipsius conductoris adversus principalem Decimatorem; idque hac sola ratione, quia principalis Decimator erat extra Provinciam, & propter bellum non patebat facilis accessus ad Decimatorem; atque ita notabilis mora intercedere forsan debuisset priusquam Parochus congruam suam portionem consequi potuisset; uti ibidem narrat Tournetius.

Ut vel hinc pateat, Senatum judicâsse, haud æquum esse, ut ad aliquod notabile tempus Parocho suo portio congrua deesset, præsertim ubi constat decimas esse sufficientes.

VII. Eundem in finem Principes nostri Albertus & Isabella in Edicto ad Synodum Mechlin. *art.* 16. declarârunt, suam esse mentem, ut si Ordinarii essent defectuosi in assignanda congrua portione Pastoribus, eo casu Pastores possint recurrere ad Consilium Regium suæ respectivè Diœcesis, ut super eorum querelis provideretur; præsertim per interventionem officii Fiscalis si necesse sit. Et quidem ob hanc *provisionalem* adjudicationem, quæ à Regio Senatu in hac materia solet annui, causa congruæ portionis, seu competentiæ hodie coram Regio Tribunali passim ventilatur; uti infrà latiùs dicetur.

VIII. Eadem ratione si inter ipsos Decimatores non conveniat, quis sit Pastor primitivus aut quis ante alios ad portionem congruam teneatur, omnes ad portionem congruam dandam interpellari poterunt; omnesque per provisionem respectivè pro ea parte, qua decimis gaudent, ad congruam portionem condemnari; salva ipsis ulteriori inquisitione, quis eorum assignationi congruæ portionis specialiori titulo sit obstrictus: ne aliàs ob diuturniorem illam Decimatorum inter se disceptationem, Parocho sua interim desit sustentatio, atque ejus defectu cura animarum minùs laudabiliter exerceatur. Ita judicatum refert Charondas *L.* 1. *Resp. cap.* 50. & novissimè in Senatu Brabantiæ pro incolis Parochiæ Gelensis contra Episcopum Antuerpiensem, Abbatissam & Conventum de Roosendael, Capitulum S. Dimphæ in dicta Parochia Gelensi, & Pastorem Gelensem Decimatores.

Cùm enim inter hos haud conveniret, quis ad congruam portionem dandam Presbyteris ad curam animarum in dicta Parochia necessariis teneretur, concluserunt dicti incolæ, ut hac controversia & disquisitione ipsis decimatoribus salvâ, saltem per provisionem ad congruam portionem condemnarentur; quam conclusionem probans Senatus Brabantiæ, declaravit, ad minus duos Presbyteros esse Parocho adjungendos, qui cum ipso functionibus Pastoralibus intenderent; quorum uni Parochus ipse ex suis Pastoralibus congruam sustentationem dare teneretur, alteri verò congrua portio centum pataconum (h) annuè daretur à tribus aliis decimatoribus; salvâ ipsis inter se disquisitione vel conventione, quo ordine, aut pro qua parte ipsi ad hanc portionem concurrere debeant.

Idipsum asseritur in citato Edicto Regio ann. 1686.

IX. Exemplo quoque alimentorum in annos singulos testamento relictorum dicitur, super portione congrua transigi non posse; sive eam per transactionem tolli non posse; uti post alios notat Rebuffus *de portione congrua, num.* 91. dicens: » Etiam per transactionem hæc congrua non tolletur portio, » quæ cum sit alimentorum loco, & modico contentus Vi» carius transigere posset, ideò non tollitur per transactionem; » sicut nec alimenta *L. cum hi, ff. de transaction.* «

X. Verùm si transactio bona fide, sine dolo, aut fraude inita sit, haud facilè sanè, à simili transactione, prætextu non sufficientis alimentationis, ipse Vicarius, qui ipse transegit, recedere potest; neque facilè petens augmentum portionis recipiendus esset.

XI. Si tamen mutatis circumstantiis, portio congrua, pro qua conventum erat, facta esset planè insufficiens, vel etiam notoriè appareret, illum Vicarium nunc ex illa vivere non posse, non obstante illa transactione, portio *congrua*, sive sufficiens danda esset, uti monet Rebuffus *num.* 93.

XII. Si transactio inita sit inter Decimatores & Vicarium sine auctoritate Superiorum, hæc cùm nullatenus ad ipsos successores Vicarii transeat, quos ipse Vicarius privata sua auctoritate obligare non potuit, etiam non impediet, quominùs hi augmentum portionis petere queant.

XIII. Transactio autem inita & confirmata auctoritate & consensu Superioris, puta Episcopi, firmior est, & non tantùm hunc præsentem Vicarium transigentem, sed & successores ipsius obligare solet. Unde & hi transactioni stare debent; & uti transactio super futuris alimentis valet auctore Prætore *L.* 8. *C. de Transact.* ita & hæc tenebit, tametsi super *alimentis* inita censeatur.

XIV. Si tamen portio *congrua* per transactionem constituta successu temporis fiat insufficiens, indubiè non obstante hac transactione, augeri poterit, & debebit.

XV. Nulla quippe transactione, aut conventione, vel positiva ordinatione, vel etiam longissimi corporis lapsu induci potest, ut negetur portio *congrua*, seu sufficiens Parocho, ut cura animarum *laudabiliter* exerceatur; cùm non humana, sed divina, & naturali lege sancitum sit, ut os bovi trituranti non alligetur. *Deut. cap.* 25. 1. *ad Cor. cap.* 9.

Quare Rebuffus loco citato *num.* 90. querens, » an portio congrua tolli queat? Respondet: Non: quia non debet ligari os » bovis triturantis; & qui spiritualia seminant, dignum est, ut » metant temporalia. «

XVI. Sicuti per transactionem tolli nequit portio *congrua*, eò quòd cedat in locum alimentationis necessariæ; ita quoque nec compensatione retardari potest, uti notat Rebuffus *ibidem, num.* 94. additque: » ideò non fuêre auditi Decanus & Cano» nici S. Marcelli volentes compensare expensas in Parlamento » factas in congrua portione, nec potuerunt uti aliqua reten» tione pro illis contra Vicarium de Genevillers: & ita pronun» tiavit Senatus anno 1524. die 27. Februarii. «

XVII. Ad exemplum insuper alimentorum, & ut Parocho & ministris Altaris certiùs, & securiùs de honesta sustentatione provideretur, visum fuit, ut si fieri posset, in *re certa* portio congruâ assignaretur; quemadmodum significat Synodus Tridentina *Sess.* 7. *cap.* 7. *de Reformat.* in verbis: *Portione etiam in* RE CERTA *assignanda.*

XVIII. Hinc videmus, quòd Synodi, aut etiam Principum Edicta, cùm de portione congrua Parochorum, aut Vicariorum assignanda vel determinanda agunt, nullibi aliquam decimarum partem assignent, sed certam & determinatam pecuniæ summam annuè pendendam.

XIX. Neque Parochi, aut Vicarii aliquam Decimarum partem possidentes, dicuntur habere portionem congruam. Ut vel hinc appareat, portionem congruam propriè consistere in *re certa*: atque eum, qui obligatur ad dandam portionem congruam, eam debere in *re certa* assignare, si Vicarius, aut Parochus congruam portionem petat.

XX. Quare Vicarius, seu Parochus possidens aliquam decimarum partem, adeò ut etiam ex illa possessione præsumatur aliqua decimarum partio antiquitus fuisse facta inter Vicarium & Pastorem primitivum, tamen Decimas Pastori primitivo integras remittens, ad petendam congruam portionem admittitur, inquit Carolus Fevret. *lib.* 6. *de Abusu, cap.* 1. §. 12.

Similiter ultimum Edictum Regis Galliæ de anno 1686. quo per totum Regnum portio congrua taxata est ad 300. libras Gallicas ultra casuale, & decimas novales, dat optionem Vicariis perpetuis, renuntiandi decimis, aliisque proventibus Ecclesiasticis, & acceptandi hanc portionem congruam.

XXI. Neque dubium apparet, quin Parochis ordinariè magis expediat portionem *congruam in re certa*, puta, certa quantitate granorum, aut certa pecuniæ summa annuè solvenda, habere, quàm aliquam portionem decimarum.

Quis enim nescit, quas curas secum trahat decimarum collectio, si eas Parochus, seu Vicarius per se sive familiam suam faciat? Quæ sanè non modicum in functionibus Pastoralibus impedimentum generant.

Si-

(h) *Moneta Flandrensis quæ tribus libris Franciscis æquivalere potest.*

Si verò eas aliis elocet, quantæ ex ea elocatione natæ non sunt oriri difficultates, & nonnunquam contentiones cum subditis, dum ab his solutio exigenda est? Quæ murmurationes, & obloquia adversus Parochum hinc nascitura timentur? Dum facilè sibi persuadent, in earum elocatione nimium à Parocho exigi, aut unum alteri ex quadam humana consideratione præferri; atque hinc affectus erga Parochum diminuitur, & charitas frigescit.

XXII. Cùm ergo tantopere olim Sancti Patres desideraverint, ut Episcopi, & Ministri Ecclesiæ ab omni rerum temporalium cura possent esse liberi, ut liberius ministerio verbi, & orationi instare possent, quemadmodum videre est apud Chrysostomum *homilia* 37. *in Matthæum*, quidnî merito Parochi, cæterique curam animarum gerentes, à decimarum cura & solicitudine liberari eligent, certa eis portione annua in sustentationem assignatâ, quo liberiùs, & sine rerum corporalium curis & distractionibus toti possint Ministerio verbi & orationi adinstar Apostolorum instantes esse.

XXIII. Et quidem portio congrua in re certa assignata adeo firma & stabilis censetur, nec ob sterilitatem fructuum decimabilium, aut devastationem, aliamve tempestatem minuenda veniat; uti tanquam indubitatum tradit Tournetius in sua Collectione Arrestorum *Litt. P. num.* 116. Insuper addens, quòd nec audiendus sit conductor decimarum, qui sub onere solvendi portionem congruam conduxerit, si solutionem prætextu sterilitatis, aut devastationis fructuum negare velit. Verba ejus sunt: *Puis qu' en France comme plusieurs autres Royaumes, & Seigneuries on a permis & accordé qu' autres que des Cures s' attribuent les dixmes des Parroisses en leur baillant quelque portion d' icelles pour leur nourriture, & entretenement, il est raisonnable que la dite portion leur soit payeé sans aucune diminution, ny moderation pour quelque calamitè de troubles, ni d' autres desastres, & adversites que doivent porter eux qui jouissent des dixmes. Et ne sera reçu le fermier ayant pris les dixmes à ferme, à la charge de payer certaine quantite de grains au Curé pour son gros, de lui en faire diminution pour telles occasions: ains se doit pourvoir à l' encontre de ceux, les quels s' attribuans le droit des dixmes, luy en ont fait bail. Car la portion du Curé est comme une debte à lui duë, ou dot estimée pour la charge qu il aide l' Eglise, & service qu' il fait à l' Autel. Ainsi a été jugé par Arret de la Cour pour un Cure, contre le fermier des dixmes, auquel son recours a été reservé contre les Religieux Gros dixmeurs, du* 15. *Decembre* 1570. Id est. » Quandoquidem » in Gallia prout & pluribus aliis Regnis & ditionibus permittatur » & annuatur ut alii præter Parochos decimas Parochorum possideant, aliquam earum partem deputando alimentationi & sustentationi Pastorum, æquum est, ut dicta portio ipsis persolvantur absque ulla imminutione aut moderatione ratione calamitatum, turbationum, aliorumque infortuniorum, & adversitatum, quas iis qui decimis gaudent, damno esse oportet. » Nec admittendum, ut conductor, qui decimas redemit sub » onere persolvendi Parocho quantitatem pro portione constitutam, occasione talium fortuitorum aliquid ipsi detrahat: » verùm sibi caveat periculo eorum, qui sibi jus decimarum attribuentes illas elocârunt. Portio enim Parochi non secus quàm » debitum ipsi competit, aut dos supputata pro munere, quòd » Ecclesiæ prosit, & ministerio, quod præstat Altari. Ita judicatum ex Senatusconsulto in favorem Parochi adversus decimarum conductorem, cui jus prosequendæ petitionis reservatum est contra Regulares decimarum possessores 15. Decembr. 1570. «

Et sanè hæc portio in certa granorum, aut pecunia quantitate assignata non solvitur cum respectu fructuum hoc illove anno emergentium; sed datur in exsolutionem oneris impositi Capitulis aut Monasteriis in ipsa unione, vel incorporatione, aut translatione Decimarum: adeò ut onus dandi congruam portionem, in cujus redemptionem hæc granorum, aut pecuniæ quantitas annuatim solvenda promittitur, non ipsis decimis, quæ *annuatim* realiter percipiuntur, sed juri decimandi, quod in Monasterium, aut Capitulum translatum est, perpetuò inhæreat.

XXIV. Et si subinde fructuum mentio fiat, è quibus designata granorum quantitas sit solvenda, illa non taxationis, sed demonstrationis causâ facta censetur, ut notat Joannes Tournet. *Litt. P. cap.* 121. ut consequenter illis fructibus non natis, ex aliis eadem granorum quantitas exsolvenda sit, & supplenda; quemadmodum in casu non absimili cibariorum & vestiariorum legatorum respondit Scævola in *L.* 12. *ff. de Alimentis legatis*: nimirum cibaria integra ab hæredibus solvenda esse, tametsi ex fundis, quos Testator fideicommisi jure obligaverat, *ut ex redditu eorum suprà scripta perciperent*, minores redditus provenerint, quàm est quantitas cibariorum & vestiariorum.

XXV. Simili ratione si quis mediante transactione jus solvendi Decimas certâ quantitate pecuniæ annuè solvenda redemerit, hæc transactio, uti rectè notat Grimaudet *lib. 3. de Decimis, cap. 3. num.* 10. est in utilitatem vel damnum possessoris fundi, eamque solvere tenetur, sive agrum suum colat, sive non; nec potest possessor fundi se à solutione eximere hac vulgari ratione, quòd cessante causa Decimarum non teneatur solvere id, quod decimarum promissum est; quia mediante tali transactione, casus fortuitus & casus evictionis ejus periculo sunt, ni fundus chasmate (i) aliove casu esset absorptus, & planè periisset.

Refert quoque Renatus Choppinus ex Panormitano, Teutonicos, sive Germanos pro decimis solvere annuatim certas mensuras granorum, quæ nec minuuntur, nec augentur ob quamcunque fertilitatem, aut sterilitatem supervenientem, *lib. 3. de Pol. Eccles. tit.* 4. §. 4.

XXVI. Quidni igitur Monasteria, & Capitula, aliique Decimarum Possessores, quæ mediante certâ granorum, vel pecuniæ quantitate jus decimandi quodammodò sibi reservant, & quasi redimunt, casum fortuitum sustineant? Præsertim cùm & commodum fertilitatis accipiant, nihilque ob eam Parocho accedat.

XXVII. Quamvis portio congrua consistens in certa granorum, aut pecuniæ quantitate annuè solvendâ, non debeat in rigore juris ob sterilitatem, aut devastationem decimarum diminui, aut remitti; tamen nonnunquam æquitas exigit, ut Parochus hîc aliquam remissionem faciat; præsertim si ei commodè & honeste sit de congrua portione provisum; nec ipsæ decimæ notabilem summam ultra portionem congruam soleant Decimatoribus pendere, ipsique honestam sustentationem Parocho pro temporum miseria offerant.

CAPUT VI.

Quæ in portionem congruam imputanda.

1 *Quandonam aliqua dicantur imputari in portionem congruam.*
2 *Quando Decimator imputare aliqua possit.*
3 *De imputatione in portionem congruam loquuntur Synodi Belgicæ.*
4 *Parochus petens portionem congruam debet exhibere declarationem omnium bonorum & proventuum, quæ ratione suæ Ecclesiæ habet.*
5 *Certa emolumenta ratione Beneficii Parocho competentia, in portionem congruam imputanda.*
6 *Decimæ etiam novales & minutæ imputandæ.*
7 *An hæ juxta Edictum Regis Galliæ in portionem congruam imputentur.*
8 *Proventus Beneficii Ecclesiæ Parochiali uniti imputandi.*
9 *Onera illius Beneficii à Parocho ferenda; unde, & moderatè unienda sunt Beneficia.*
10 *Proventus Parocho competentes alio titulo quàm Beneficii Curati, non sunt imputandi.*
11 *Aliquando proventus Beneficii non uniti sunt imputandi.*
12 *Ex Decretis Synodorum etiam* accidentia *in portionem congruam imputanda.*
13 *Synodi loquuntur de accidentibus, quæ ad aliquam* certam *summam annuam reduci possunt.*
14 *Quæ ad eam certitudinem redigi nequeunt, imputanda non sunt.*
15 *Hujus generis sunt oblationes, quæ à mera liberalitate populi dependent.*
* *Exponuntur Edicta Principum Belgii circa illas oblationes.*
16 *Has ob suam incertitudinem non imputari tradunt Canonistæ.*
17 *Speciali titulo inconveniens est, ut oblationes in Sacramentorum administratione fieri solitæ, imputentur.*
18 *Ex hac imputatione sequeretur sordida illarum oblationum exactio.*
19 *Quin & suspectæ conventiones.*
20 *Diminueretur populi erga sacras functiones reverentia.*
21 *Sacerdotes facilè notam avaritiæ, & turpis quæstus incurrerent.*
22 *Nascerentur pauperum murmura contra Sacerdotes.*
23 *Injustum est hisce oblationibus populum gravari.*
24 *Portio congrua ita taxanda, ut Sacerdotes* gratis, *& liberali animo Sacramenta administrare queant.*
25 *Decretum de hac re Synodi Coloniensis anno* 1536.
26 *Idem insinuat Synodus Coloniensis anni* 1549.
27 *Idipsum postulatum ex parte Regis Galliæ in Concilio Tridentino.*
28 *Separandum non est, Sacramenta gratis, ut oportet, administranda, ubi oblationes imputantur.*
29 *Perniciosum est, honoraria Missarum in portionem congruam imputari.*

(i) *Chasma (inquit Seneca 6. natur. quæst.) significat vastum hiatum, qui terra dehiscente contingit.*

30 *Curandum, ut sine respectu ad has oblationes, & honoraria portio congrua assignetur.*
31 *Decimis sufficientibus de his portio congrua desumenda.*
32 *Decimis non sufficientibus per Beneficiorum unionem potiùs quàm per has oblatienes providendum.*
33 *Accidentia non omninò incerta, quæ sint.*
34 *Hæc accidentia ad certam summam redigi possunt.*
35 *De his loquuntur Synodi, dum accidentia in portione computari volunt.*
36 *Major ratio, ut in civitatibus, quàm pagis hæc in portionem computentur.*
37 *Videtur duntaxat à Synodis ob temporum duritiem horum accidentium imputatio tolerari.*
38 *Non debent cum nimio rigore hæc accidentia in portionem congruam imputari.*

I. ILla imputari dicuntur in portionem congruam, quorum in taxatione portionis congruæ ita ratio habetur, ut eorum intuitu portio congrua ad ratam illorum diminuatur, puta, ut portio congrua esset sufficiens, requirerentur annuè octingenti floreni, sed quia Vicarius, seu Parochus habet suo Beneficio Parochiali, seu Vicaria annexos proventus pendentes annuè 400. florenos, portio congrua taxabitur ultra hos proventus ad 400. florenos solvendos ab iis, qui oneri solvendæ portionis congruæ sunt subjecti; quæ summa unà cum valore annuo illorum proventuum simul conficiunt integram portionem congruam, sive competentiam 800. florenorum, quæ judicatur sufficiens Rectoris, & Parochiæ necessitati.

II. Si contingat ab Episcopo taxari portionem congruam abstractim ab omni eo, quod ipse Vicarius habet in annuis proventibus, qui in portionem congruam ex juris vel consuetudinis dispositione imputari consueverunt; tunc ipse Decimator, ad cujus onus spectat solutio portionis congruæ, de taxata portione tantum diminuet, quantum annuè valere æstimantur proventus Pastorales, quos Vicarius retinet; & quod his computatis, sive imputatis portioni taxatæ deerit, supplere debebit.

III. De hac computatione, seu imputatione loquitur Synodus Mechliniensis titulo *de Decanis & Pastoribus*, ubi mandat, ab Episcopis assignari portionem congruam computatis certis fructibus, & emolumentis. De eadem imputatione simili modo loquitur Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 14. *cap.* 9.

IV. Ut autem hæc computatio sive imputatio justè fiat, atque omnium, quæ imputanda sunt, æqua ratio haberi queat, & juxta portionis taxatio fieri, mandat Synodus D. Mechliniensis *tit.* 16. *cap.* 4. »Ut Pastor quilibet de Canonica portione »summariè & de plano sibi provideri desiderans, ante omnia »exhibeat nobis, Vicario, aut Officiali nostro, libellum sup»plicem, in quo contineatur, cuive annexa sit plena eaque »particularis, & proprio juramento firmata declaratio bono»rum, quæ ratione Ecclesiæ suæ Parochialis ipsi competunt. »Neque certi tantùm fructus, & emolumenta exprimantur, »sed incerta quoque, & accidentalia trium, aut quatuor com»munium annorum ultimò præteritorum.«

Idipsum injungit Synodus Camerac. P. II. *tit.* 14. *cap.* 7. addens, & *onerum annexorum, quæ deduci debebunt*, declarationem adjungendam.

Duo sunt, quorum rationem in taxanda portione habendam indicant hæc Synodi.

V. Primò, omnium *certorum* fructuum, & emolumentorum, quæ *ratione Ecclesiæ suæ Parochialis ipsi* (Pastori) *competunt.*

Hæc imputanda esse nemo dubitat. Cùm enim portio congrua detur, ut Pastori & Parochiæ necessitati sit provisum, consequens est, quòd si *certa* emolumenta, quæ ratione Ecclesiæ Parochialis percepit, pro parte congruæ sustentationi Vicarii satisfaciant, tantùm suppleatur id, quod ad integram sustentationem Parochi & Parochiæ necessitatem deesse deprehenditur.

Unde Rebuffus in suo tractatu *de portione congrua, num.* 85. quærens, quæ debeant Vicario computari in congrua portione, respondet: »*Omnia certa*, quæ habet ratione sui Beneficii, »seu Vicariæ: & sic omnia, quæ jure suo habet Ecclesia, ei »computantnr pro portione congrua.«

VI. Itaque si Vicario competant aliquæ decimæ, etiam novales, vel minutæ, hæ indubiè in portionem congruam imputandæ sunt: hoc est, earum ratio haberi debebit, ut attento annuo valore illarum decimarum portio hæc major, aut minor debeatur: sive plus minusve supplendum sit ab iis, quibus onus portionis congruæ incumbit.

VII. In Edicto Regis Galliæ de anno 1686. quo portio congrua Vicariorum & Pastorum taxatur ad 300. libras Gallicas conficientes centum patacones monetæ Brabanticæ, excipiuntur decimæ novales ex terris, quæ post acceptatam à Vicariis, & Pastoribus hanc portionem, ad culturam redigentur; quas ultra portionem Vicarii, & Pastores recipere poterunt.

Verum licèt ob has decimas *novales* taxata hæc portio diminui nequeat, sed integra à Decimatoribus majoribus seu *grossis*, ut vocant, solvi debeat; nihilominùs admodum verisimile est, in determinanda hac portione habitam fuisse rationem decimarum *novalium*, quæ verisimiliter in Parochis futuræ creduntur; atque ita reipsa in congruam portionem esse imputatas.

VIII. Similiter si Beneficium Simplex, aut aliqua fundatio auctoritate Episcopi unita, sive incorporata sit Beneficio Curato, indubiè proventus illius sunt computandi in portionem congruam; quandoquidem per unionem, sive incorporationem proventus hujus uniti Beneficii vel fundationis sint facti proventus Beneficii Curati; atque eo maximè intuitu, ut per illius proventus Parocho de congrua portione esset provisum.

IX. Cumque per similem incorporationem Beneficium incorporatum quodammodo supprimatur, & in Beneficium Curatum, cui incorporatum est, quasi transfundatur, hinc est, quòd onera Beneficii Simplicis, etiam in Beneficium Curatum transeant, & onera Beneficii Curati post incorporationem reputentur; ac propterea Curatus ea onera tanquam sua propria subire teneatur.

Quare, ut superiùs monui, in unione, sive incorporatione Beneficiorum, aut fundationum attendendum, ne occasione hujusmodi incorporationum, tot onera Parocho imponantur, ut necessariis suis functionibus Pastoralibus ritè fungendis minimè sufficiat. Ipse quoque judex in determinanda portione, dum rationem proventum Beneficiorum unitorum sive incorporatorum habet, indubiè, & onerum, ratione illorum Beneficiorum unitorum Parocho incumbentium, habeat necesse est.

X. Supra citata Synodus Mechliniensis, volens libello supplici in materia portionis congruæ annecti declarationem omnium bonorum expressè addit: *quæ ratione Ecclesiæ suæ Parochialis ipsi competunt*, innuens, quod ea, quæ aliundè habet, non sint imputanda; quod & Rebuffus loco citato notavit.

Exemplum assignat ibidem Rebuffus *num.* 88. »Si nobilis »ob sacellum vel ædiculam in Ecclesia constructam dat pen»sionem Vicario, non debet computari in congrua portione, »quia hoc non habet ratione sui Beneficii, sed Capellæ funda»tæ ibi.« Addi & hoc posset, quòd intentio hujus nobilis non sit, eam pensionem induci in competentiam Parochi aut Vicarii, sed eam ipsi tanquam sibi *specialiter* servienti dare sine respectu ad portionem congruam, quam ab aliis accipere debet.

XI. Si enim aliquod Beneficium citra unionem, aut incorporationem Vicario conferatur ab Episcopo, ut proventus illius ipsi portionem congruam serviant; idque auctoritate clausulæ in Concilio Tridentino adjectæ: *aut quâ commodiori ei videbitur ratione*, indubiè hi proventus computandi erunt; quia quamvis non competant Vicario propriè *ratione Ecclesiæ suæ Parochialis*, sed alterius Beneficii, tamen quia ab Episcopo Beneficium collatum fuit, ut per proventus illius Vicario esset *sufficienter* provisum, videtur consequenter Beneficium ipsi competere tanquam Vicario, & ratione Vicariæ, ob cujus insufficientiam Beneficium cum proventibus ipsi datum est.

XII. Præter certos fructus, & certa emolumenta, vult insuper citata Synodus Mechliniensis exhiberi cum libello supplice, quo petitur summariè portio canonica assignari, *incerta quoque accidentia trium, aut quatuor communium annorum ultimo præteritorum*: idque conformiter ad Synodos Provinciales Mechl. quæ volunt, portionem congruam confici, computatis non tantùm *certis* fructibus & emolumentis, sed etiam, »*in*»*certis*, seu *accidentalibus*, quæ ad certam summam commu»nibus tribus, aut quatuor annis ultimò præteritis redigi »possunt.«

XIII. Supponit ergo Synodus, *accidentia* in portionem congruam imputanda, esse talia, ut ad *certam* summam, inspectis communibus tribus, aut quatuor annis ultimò præteritis, redigi possint; ut hac reductione factâ, non *incerta*, sed quodammodo *certa* emolumenta dici possint, & portio congrua super iis assignata censeri aliquo modo queat constituta in re *certa*.

XIV. Hinc facilè est concludere, nullatenus ex mente harum Synodorum imputandas oblationes sive accidentia illa, quæ omninò sunt incerta, nec facilè ad aliquam certitudinem redigi possunt.

XV. Hujus generis sunt oblationes ex mera plebis liberalitate pendulæ ac profluæ, quæ nec exigi possunt; sed ob ancipitem populi favorem, ministrorum gratiositati, temporumque ac mercaturæ prosperitati se attemperantem, aliasve circumstantias, semper sunt admodum incertæ, neque à Parochis annotari solent, sed gratiosè, prout offeruntur, accipi; ideoque nec facilè ad certam summam, computatis retrò aliquot annis, reduci possunt: cujus generis sunt, quæ passim in administratione Baptismi, Viatici, Extremæ Unctionis, atque mulierum purificatione dari consueverunt; quæ nullo modo in competentiam imputari possunt.

* Edicta Principum Belgii ad Synodos Cameracensem, & Mechliniensem directa, respectivè volunt, ut deficientibus decimis, & Simplicibus Beneficiis, quorum unione Pastoribus provideri posset, recurrendum sit ad collectas Parochianorum: argu-

gumentum non obscurum, Principes, noluisse, ut competentia conflaretur ex prædictis oblationibus, quæ sunt accidentales, quæ & ipsam competentiam reddunt admodum incertam, & insuper multis incommodis obnoxiam; ut propterea meritò, quantum fieri potest, competentia pastoralis sine respectu ad similia accidentia, ex certis proventibus sit assignanda; signanter, ut nulla habeatur ratio eorum accidentium, quæ ex cujusque particularis voluntaria oblatione sunt pendula, puta oblationes, quæ in administratione Viatici, & Extremæ Unctionis, Baptismi, aut purificatione mulierum post partum, aliisque similibus fieri solet.

Imò magis conveniret, ut auctoritate Superiorum vetaretur, ne ullæ fierent, aut reciperentur in his sacris functionibus oblationes, ut omnis turpis quæstus, vel simoniæ species evitaretur.

Mirum profectò & summoperè dolendum, quòd in tanta decimarum, aliorumque proventuum Ecclesiasticorum copia, debeat ad media illa, ac præsertim scabiosa illa accidentia recurri, ut Parochis, aliisque Ecclesiæ Ministris laborantibus (qui juxta Apostolum duplici honore digni sunt) honestâ & necessariâ sustentatione, sive congruâ competentiâ provideatur.

XVI. Oblationes, quæ *num.* 15. computatæ sunt, tanquam incertas & accidentales habent Canonistæ, neque esse imputandas in portionem congruam communiter tradunt.

Quapropter Grimaudetius in tractatu *de Decimis*, *lib.* 2. *cap.* 8. postquam *num.* 29. dixit, portionem congruam Vicario assignandam ex rebus *certis*, tanquam consequens subjungit *num.* 30. oblationes *incertas*, quæ ad certitudinem redigi nequeunt, imputandas non esse.

XVII. Præter incertitudinem, quæ in oblationibus in administratione Sacramentorum, præsertim Baptismi, Eucharistiæ vel Viatici, aut Extremæ Unctionis fieri solitis, occurrit, & eas in competentiam imputari vetat; plura prætereà sunt, quæ persuadent, hasce in hanc portionem non imputandas, neque earum in determinatione & taxatione portionis, eam rationem habendam, ut Vicarius, seu Pastor, aliive Sacerdotes curam animarum sustinentes, ex illis oblationibus sustentationem necessariam accipere cogantur: sive ut portio ipsa congrua harum oblationum intuitu ad tam modicam quantitatem taxetur, ut deficientibus hisce oblationibus, etiam honesta sustentatio Presbyteris illis sit defutura.

XVIII. Dum enim Sacerdotes ex oblationibus occasione Sacramentorum administrationis fieri solitis, honestam sustentationem habere coguntur, etiam quadam necessitate adiguntur, ut hasce oblationes, si non directè & explicitè, saltem indirectè & implicitè exigant.

XIX. Eadem necessitate comparandi necessaria vitæ subsidia continget, ut ad sordidas, & de simonia, aut saltem turpi quæstu & avaritia multùm suspectas conventiones & pactiones delabentur.

Quantopere autem omnes omninò pactiones, & exactiones in administratione Sacramentorum Canones exhorreant, & uno consensu Synodi nostræ Belgicæ vetuerint, suprà *titulo* 1. *cap.* 3. annotavimus: ut vel ex illis Decretis appareat, à mente Synodorum planè alienum esse, ut similes oblationes in congruam portionem Pastorum imputarentur.

XX. Adhæc quis non videt, quantopere erga sacra functiones & Sacramenta diminuatur populi reverentia, & de eorum dignitate idea, dum videt, quòd illa Sacerdotum victui subservire debeant, videnturque ea respectu Sacerdotum esse adinstar artis de pane lucrando?

XXI. Prætereà dum Sacerdotes ex illis victitare debent, idque populus non ignorat, persuasum facilè populo est, quòd in administratione Sacramentorum, aliisve sacris functionibus semper aliquid offerre debeat; & quidem pro ea conditione, qua vulgo quisque reputatur, & ni offerat, avaritiæ, aut etiam injustitiæ quandam notam se incursurum; quasi subtrahantur ea, e quibus Sacerdotes vivere debent.

XXII. Quis verò sat eloquatur, quæ inde pauperum, præsertim quorum paupertas publicè nota non est, murmura, atque obloquia, quòd nihil in Ecclesia *gratis* dari videatur, omniaque ad Sacerdotum quæstum, ac pauperum oppresionem in Ecclesia appareant inventa?

XXIII. Denique justum non est, plebi populoque gravamina indies excrescentia continuò, & sine intermissione per Ecclesiasticos injici: quod contigit, dum Monasteria, & Capitula Decimas à plebe ac populo recipiunt; nec sufficientem ex illis Parochis, cæterisque curam animarum sustinentibus portionem assignant; sed eos cogunt, ut emendicatis, & quasi extortis plebis oblationibus sustentationem quærant; atque ita ultra Decimas Parochorum sustentationi sufficientes, misera plebs ad similes oblationes sensim cogitur, cùm tamen Decimis sufficientibus ab omni ulteriori contributione pro Parochi alimentatione plebs absolvi deberet.

XXIV. Ut itaque hæc, aliaque incommoda præveniantur, congrua portio ita determinanda & taxanda, ut Sacerdotes liberali animo, & ab omni spe temporalis retributionis libero possint Sacramenta populo administrare, quemadmodum seculo præterito desiderabant, & monebant Patres Concilii Coloniensis anno 1536.

XXV. Hi quidem volentes de victu Parochorum dispicere, præmittendum duxerunt, quod Christus docuit, & sacri Canones maximè seritò præcipiunt, nempè ut Sacramenta Ecclesiastica *gratis* ministrentur.

Sed quia prævidebant id haud facilè obtinendum, nisi portio congrua Parochis detur, quæ eos ad quærenda vitæ subsidia ex administratione Sacramentorum non cogat, immediatè subjungunt: » At cùm lex divina præcipiat, non alligandum os » bovi trituranti..... dispiciendum est, ut Parochis Evangelii » prædicatoribus *certa*, ac *competens* subministratio victûs & » vestitûs fiat, *idque ad eum modum*, *ne in administrandis* » *Sacramentis quidpiam exigendo*, *oneri sint Parochianis.*« *Parte* 8. *cap.* 2.

XXVI. Et alterum Coloniense Concilium anno 1549. *Medio III. cap.* 10. » Si portio Vicariorum sit accisa, nec suffeciat » ut honestè ac decenter ex ea vivatur, ne ea causa sit, cur animæ negligantur, aut deseratur officium, vel ad *curas sordidas* » Pastor ille pro victu comparando adigatur, mandat & decernit, ut juxta portio secundum reformationem ei de *Decimis* » Collegii, vel Monasterii *bonis* assignetur, sive per Episcopum loci, sive per ejus Visitatores.«

XXVII. Inter articulos, qui nomine Caroli IX. ad reformationem Ecclesiæ oblati fuêre Patribus Concilii Tridentini erat hic 16. » Ut à Sacerdotali ordine sordes omnes, & omnis avaritiæ labes procul expellantur, nec ullo prætextu pro rebus » Divinis quidquam exigatur, curet Episcopus, aut per unionem Beneficiorum, aut decimarum assignationem, & si id fieri non poterit commodè, Principes provideant, ut per Parochianorum symbola, & Colletas, Plebanus, & cum eo duo, » aut plures Clerici habeant, unde vitam congruè traducant, & » hospitalitatem præbeant.«

XXVIII. Hæc sat evincunt, creditum fuisse, nequaquam sperandum esse, ut Sacramenta omninò *gratis* administrentur, nec *pro rebus divinis quidquam exigatur*, vel à Sacerdotali Ordine *sordes omnes*, & omnis *avaritiæ labes procul expellantur*, nisi Sacerdotibus portio talis assignetur, quæ independenter ab oblationibus in Sacramentorum administratione recipiendis, sit verè *congrua* & *competens*. Quare in nullis Synodis legitur, portionem congruam ex similibus oblationibus conflandam.

XXIX. Quàm indignum, quamque perniciosum sit, Sacerdotes debere ex quotidianis Missarum stipendiis victitare, latè ostendimus suprà *tit.* 5. *cap.* 6. Ex quo facilè intelligi poterit, non minùs, imò magis indignum esse, & perniciosum hæc honoraria Missarum imputari in portionem congruam, quàm oblationes in administratione Sacramentorum dari consuetas.

XXX. Meritò ergo soliciti sunt Episcopi, aliqui etiam Civiles Magistratus, quibus assignatio portionis congruæ incumbit, ut de illa sacerdotibus curam animarum sustinentibus eo modo provideatur, ut omnes illæ scabiosæ, & sordidæ exactiones à Sacerdotali Ordine procul repellantur, neque Sacerdotibus necessitas quodammodo injiciatur, ob defectum subsidiorum temporalium ad illas deflectendi.

XXXI. Sanè si decimæ sint sufficientes ad portionem congruam, nequaquam æquum est, ut decimatores curam animarum non sustinentes decimas percipiant, & Sacerdotes in cura animarum laborantes ad has scabiosas exactiones in necessitate cogantur, ipsaque plebs ad eas dandas quodammodò cogatur.

Undè de his suspectis exactionibus in administratione Sacramentorum loquens Christianus Lupus Dissertatione 2. prooemiali ad tomum 3. Schol. in Canones *cap.* 7. ait: » Episcopi & » alii jam dictas decimas possidentes Prælati, eorumque Capitula, & Monasteria, RIGIDUM coram Deo onus portant dandæ Parochi sustentationis integræ, & MISERAS plebes liberandi ab exactionibus variis SUSPECTIS & OFFENSIVIS, ad quas » isti à paupertate coguntur.«

XXXII. Si verò decimæ non sint, ut in civitatibus nonnunquam contingit, poterit Parochis, aliisque Sacerdotibus de portione congrua provideri per Beneficiorum potius unionem, vel suppressionem; quæ in civitatibus solent esse frequentiora.

Et sanè dolendum, quòd videamus plurimos passim in civitatibus, seu Capellanos, seu Canonicos otiosam planè, qui non raro scandalosam & mollem vitam ducentes ex proventibus Ecclesiasticis, & Parochis ac Sacerdotibus curam animarum sustinentibus, & strenuè laborantibus vix vitæ necessaria subministrari; & quasi mendicos ferè ex oblationibus illis, & honorariis victitare debere. Qualis abusus! Meritò omni modo Superiorum auctoritate extirpandus!

XXXIII. Præter has incertas planè, & ab arbitrio, ac plena populi liberalitate pendentes oblationes, seu accidentia, sunt alia quædam accidentia, quæ licèt in sua origine veram oblationum naturam habuerint, paulatim tamen in taxata jura, ad quæ etiam populus juridicè cogi subindè potest, transiverunt; qualia sunt jura *funeralia*, quæ plerisque in locis auctoritate

Ecclesiastica & Civili constituta, ac taxata sunt; quemadmodum infrà titulo *de Sepulturis* ostendetur.

XXXIV. Hæc itaque accidentia, quia non omninò à voluntate & arbitrio populi dependent, & tanquam taxata jura Pastoralia annotari solent, non ita incerta sunt; nec tot mutationibus obnoxia, quemadmodum oblationes illæ minutiores à mera liberalitate populi pendulæ; possuntque faciliùs computatis tribus, aut quatuor retro annis ad certam summam redigi.

XXXV. De his *accidentibus* intelligendæ sunt Synodi, dum in taxanda portione congrua rationem habere volunt accidentium, quæ *ad certam summam communibus tribus, vel quatuor annis ultimò præteritis redigi possunt.*

XXXVI. Synodus P. II. Cameracensis, tit. *de Decimis cap.* 9. vult, »ut Ordinarius habeat rationem in æstimatione »(portionis) valoris bonorum cujusve Parochiæ, quoad *urbes* »*tantùm*, eorum accidentium, quæ tribus, aut quatuor annis »simul computatis *aliqualiter* ad suum valorem in singulos an»nos reduci possunt.«

Non sat liquet, num tò *tantùm* referatur ad vocem *accidentium*, an verò ad vocem *urbes*: ut sensus esset, *tantùm* quoad urbes rationem accidentium illorum habendam esse.

Et reverà non obscura ratio est, cur potiùs horum accidentium haberetur ratio in portione Parochorum in urbibus, quàm in pagis. Cùm enim hæc accidentia, sive jura funeralia auctoritate Superiorum taxata, & populo imposita habeant speciem quandam collectarum, æquum non apparet, ut hæc populo imponantur, ubi decimæ sunt sufficientes, ut in pagis esse solent; secùs in civitatibus, ob abolitas jam pridem decimas personales.

XXXVII. Addit eadem Synodus *cap.* 10. »Si tamen in »aliquibus locis, accidentia in æstimationem non venire jam »usu receptum fuerit, declarat sacra Synodus, suæ intentio»nis non esse, ut ab illo usu in præjudicium Pastorum re»cedatur.«

Hîc non obscurè insinuat Synodus, non esse omninò ex voto, quòd hæc accidentia in competentiam Pastorum imputentur, sed id potiùs ex necessitate tolerari, & admitti; cùm scilicet aliter Parochorum & Parochiæ necessitatibus succurri nequit.

Nec mirum: cùm nemo nesciat, quàm malè sæpè apud populum hæc jurium sive accidentium exactio oleat, & populum offendat; quamque sacri Canones exhorreant, quòd Sacerdotibus ex mortuorum cadaveribus sua compendia quærere videantur; uti latiùs infrà tit. *de Sepulturis* ostendetur.

XXXVIII. Rebuffus in Tractatu *de Portione congrua, numer.* 87. fatetur, incerta posse in portionem computari, si possint ad certam summam reduci; addit tamen: *Sed non ita exactè computabuntur sicut certa.*

Neque reverà cum ea exactitudine hæc accidentia ob eorum incertitudinem computari possunt, sicut *certi* proventus: neque etiam convenit, ut cum omni rigore eorum valor imputetur; ne aliàs Parochus à necessitate quodammodò coactus, jubeatur illa etiam cum nimio rigore à suis Parochianis non sine offensione & nota avaritiæ, exigere.

CAPUT VII.

Per quos, et coram quibus Portio congrua petenda.

1 *Vicarius perpetuus habet jus petendi portionem congruam.*
2 *Parocho negligente, quando Episcopus assignationem portionis urgere queat.*
3 *Episcopi sui officii allaborare debent, ut Ecclesiis Parochialibus de portione congrua sit provisum.*
4 *Id indicant Decretales, & Synodus Tridentina.*
5 *Parochiani portionem congruam pro Presbyteris sibi necessariis petere possunt.*
6 *Synodus Antuerpiensis vult, ut Communitas agat ad portionem congruam.*
7 *Etiam pro Presbyteris Parocho in adjutorium adjungendis.*
8 *Portio congrua subindè assignata pro pluribus Presbyteris, non habito judicio Ordinarii.*
9 *De Jure cognitio de portione congrua spectat ad Ordinarium.*
10 *Quæstio de portione congrua in possessorio hodie agitur coram Judice regio.*
11 *Judex laicus* provisionaliter *pronuntiat super portione congrua.*
12 *Edictum Regis Galliæ reservat cognitionem Judicibus regiis.*
13 *Edictum Principum nostrorum vult per Regios Magistratûs executioni mandari, quod per Ordinarios fuerit determinatum.*
14 *Eodem Edicto mandatur Magistratibus Regiis, ut Ordinariis defectuosis in assignanda portione, ipsi provideant.*
15 *Quomodo conformiter ad hoc Edictum soleat portio congrua peti.*
16 *Sententia* provisionalis *Senatus Regii qualem effectum habeat.*
17 *Petitorium super portione congrua hodie institui non solet.*
18 *Dum portio congrua petitur super decimis* infeudatis, *etiam petitorium spectat hodie ad Judices Regios.*

I. POrtionem congruam peti posse per Vicarium perpetuum in cujus sustentationem principaliter cedit, dubium non est. Imò non tantùm suis propriis necessitatibus, sed & Presbyterorum, qui ad curam animarum laudabiliter exercendam necessarii sunt, sufficientem petere posse, suprà *cap.* 2. notavimus.

II. Si Parochus, seu Vicarius perpetuus esset negligens in adjungendis sibi Presbyteris necessariis ad curam animarum laudabiliter exercendam; & Episcopus judicaverit propter amplitudinem & extensionem Parochiæ plures Presbyteros necessarios, aut in Ecclesia aliqua succursali requiri Presbyterum, qui ibidem resideat, & populi circa illam Ecclesiam commorantis curam habeat, ob distantiam ab Ecclesia Parochiali, poterit Episcopus, Parocho negligente, ad portionem congruam cogere ipsos Decimatores, aliosve, ad quos ejus solutio spectat. Quin & Vicarium hujusmodi Ecclesiæ succursali auctoritate Episcopi præpositum, ad portionem congruam, Parocho negligente, agere posse, judicatum refert Joannes Tournetius *litt. P. num.* 10.

III. Et sanè, cùm intersit Episcopi, ut ipsis Ecclesiis Parochialibus sit benè provisum de idoneis Ministris, & his nihil desit, quominus cura animarum per ipsos laudabiliter exerceatur; dubitari nequit, quin Episcopus meritò omni modò allaboret, & agat, ut portio congrua Vicario perpetuo, aliisque Presbyteris ad curam animarum sustinendam requisitis, assignetur.

IV. Id non obscurè innuit *cap.* 1. *de Præbendis, in VI.* dicens per Sedem Apostolicam olim constitutum, ut Diœcesani nullum ad præsentationem Religiosorum ad aliquam Ecclesiam recipiant, nisi tantùm ei de proventibus ipsius Ecclesiæ coram eis fuerit assignatum, unde jura Episcopalia possit solvere, & congruam sustentationem habere. Ipsa quoque Synodus Tridentina *Sess.* 7. *cap.* 7. item *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Ref.* curam procurandi congruam portionem Episcopis committit.

V. Ad portionem congruam etiam agere possunt Parochiani, sive Incolæ Ecclesiæ Parochialis, eò quòd uti rectè advertit Zypæus *consult.* 6. *num.* 1. *de Parochiis*, »sua interest bo»num habere Parochum, eumque commodiùs sint semper in»venturi, si dos detur liberalis. Qua ex consideratione, tamet»si laicus per Canones non possit accusare Clericum; tamen »licet laico Parochiano suum Prælatum denuntiare. Plurimum »enim interest laicorum habere bonos Prælatos.« Ita Zypæus »ex Julio Claro, aliisque ibi citatis.«

VI. Et Synodus Antuerpiensis sub Miræo *tit.* 16. *cap.* 13. vult, quòd si per Patronos Ecclesiis Parochialibus de portione congrua non fuerit provisum, tunc Ecclesia Parochiali vacante, *Communitas ipsa*, curante seu monente Decano Christianitatis, Episcopo, aut Officiali ipsius offerat libellum.

VII. Si Synodus velit per ipsam communitatem offerri libellum pro habenda portione congrua, ubi Ecclesiæ provisum non est de Pastore; quidnî eadem ratione Communitas ipsa libellum offerre poterit pro portione congrua Presbyterorum, qui ultra ipsum Parochum pro sustinenda cura animarum sunt necessarii, si ipse Parochus, ob aliquod forsan proprium interesse hanc portionem petere, & Presbyteros assumere negligat? Atque ita ad petendam congruam portionem pro Presbyteris illis subsidiariis admisit Senatus Brabantiæ Incolas Gelenses in Diœcesi Buscoducensi, condemnavitque Decimatores, inter quos erat ipse Parochus, ad intertinendos duos Presbyteros, quorum unus esset ad onus solius Parochi, alter verò ad onus aliorum Decimatorum, assignatâ singulis portione congruâ centum patacorum ultra accidentia. Ita judicatum 14. Martii 1684.

VIII. In hac causa & illud notandum occurrit: Licèt Decimatores opponerent, propriè ad Vicarium Apostolicum Buscoducensem spectare Presbyteros sive Vicarios ad curam Parochiæ necessarios designare, ipsum verò hactenus non judicasse, eos esse necessarios, nihilominûs Senatus considerans Parochiæ illius amplitudinem, atque extensionem, necnon populum adeo esse numerosum, ut evidens esset unum Rectorem non posse sufficere Ecclesiasticis Sacramentis ritè administrandis, cæterisque functionibus Pastoralibus obeundis, judicavit Parocho alios duos Presbyteros adjungendos.

IX. Sive jus commune, sive Concilium Tridentinum, atque Synodos Belgicas spectemus, cognitio & determinatio portionis ad Ordinarium loci spectat; idque etiam contra exemptos *cap.* 1. *de Præbend. in VI. Clement. unica, de Jure Patronatus, Concil. Trident. Sess.* 7. *cap.* 7. & *Sess.* 24. *cap.* 13. *de Reformat.* Ideoque etiam à Senatu Regio litigantes super hac materia ad Episcopum remissi fuêre; ut videre est apud Broudeau

deau in notis ad Louetium, *litt. C. num.* 48. & Choppin. *lib.* 3. *de Sacr. Pol. tit.* 4. §. 8.

X. Verùm cùm moribus Belgii, & vicinarum Provinciarum obtineat, quòd Episcopi de possessorio rerum etiam spiritualium, ac singulariter de possessorio Decimarum non cognoscant: ideoque nec per provisionem possessionem adjudicare queant; hinc fit ut quæstio super congrua portione, seu competentia hodie passim ad Judices Regios devolvatur, ut hi saltem per *provisionem* congruam portionem assignent.

XI. Unde Antonius Faber in Codice *tit. de Jurisdict. omnium judicum*, *definit.* 18. postquam dixit de congruæ portionis debito cognoscere judicem laicum non posse, quoniam ea res ad Ordinarii cognitionem pertinet, subjungit: » Obtinuit tamen præsertim apud Gallos, & apud nos, ut de eo Judex laicus incidenter saltem, & *provisionaliter* pronuntiet. Neque id per usurpationem duntaxat, & sine ratione, ut quidam calumniantur, sed vel ob id maximè, quòd cum lis super petitorio coram Judice Ecclesiastico magnas plerumque moras secum trahat, permittendum non est, Curionem & Parochum laborare interim inopiâ, & alimentis destitutum necesariis animarum sibi commissarum curam, salutemque deserere. Interest namque Principis, & Reipublicæ provideri, ne quid tale accidat. Ideoque & ad Principem, Principisque Magistratus ea cura pertinet, non solùm si Parochus probet se esse in quasi possessione percipiendæ congruæ portionis (qui casus nullam haberet dubitationem, cùm etiam in Beneficialibus possessorii cognitio ad Judicem laicum spectet, ut sæpiùs diximus) sed etiamsi nulla possessionis ejusmodi probatio adferatur. «

XII. Et in Edicto Regis Galliæ de anno 1686. super portione congrua, executio ejusdem, nec non determinatio, seu decisio difficultarum, quæ moveri possent super ejusdem intellectu, defertur in prima instantia Ballivis, & Senechallis Regiis, & in casum appellationis Curiis Regiis.

XIII. Edictum Principum Belgii directum ad Synodum Mechliniens. *art.* 15. injungit Judicibus Regiis, ut promptè, & indilatè exequi mandent per suos apparitores, quidquid in hac materia congruæ portionis, sive competentiæ Pastoralis fuerit, vel provisionaliter, vel definitivè per Episcopos ordinatum.

XIV. Ulteriùs eodem Edicto *art.* 16. declarant Principes, esse suam mentem, ut si contingat ipsos Ordinarios fore defectuosos in asignanda hac portione, sive competentia ipsis Parochis, tunc licebit Pastoribus recurrere ad Consilia Regia suarum respectivè Diœcesium, ut ad ipsorum querelas hac in parte provideatur, præsertim intervenientibus, si opus sit, Fiscalibus Regiis.

XV. Conformiter ad hoc Edictum, solent Parochi pro taxatione portionis congruæ offerre libellum supplicem Ordinario; quâ taxâta, si Decimatores eam dare recussent, pro executione ejus, quòd Ordinarius decrevit, ad Senatum Regium recursum habent: quem similiter instituunt, si ipse Ordinarius recusset, vel sit in mora providendi de portione congrua, seu competentia, vel nullam assignando, vel assignando talem, quæ omnibus attentis *congrua*, seu *competens* non creditur; quo casu petitur, ut saltem per provisionem portio congrua per Judices Regios assignetur & adjudicetur.

XVI. Et quidem hæc sententia *provisionalis* (ait Broudeau loco citato) manet, & executioni mandatur, donec per tres sententias conformes coram Judice Ecclesiastico petitorium plenè fuerit evacuatum; & hæc est, ait, praxis Curiæ, pluribus arrestis confirmata: notatque, Officiali Curiæ Ecclesiasticæ fas non esse, pendente petitorio, Vicario minorem portionem assignare per provisionem, quam Judex Regius assignaverat; & ita judicatum 12. Februarii 1637.

XVII. Non solet hodie super portione congrua coram Judice Ecclesiastico petitorium institui; sed re in possessorio decisâ, consuevit plenum effectum sortiri: tum quod causa in petitorio ob varias appellationes, & tricas in annos plurimos protrahi posset; tum quod in ipso *possessorio* omnia merita causæ ita soleant discuti, & examinari, ut vix aliquid supersit in petitorio producendum, vel allegandum, quod non fuerit in *possessorio* productum, & allegatum, tam circa ea, quæ *juris* sunt, quàm *facti*.

XVIII. Cùm cognitio de decimis *infeudatis* hodie privativè etiam quoad *petitorium* spectet ad Tribunalia Regia, ut suprà *cap.* 5. notatum est, & portio congrua ex decimis infeudatis desumenda, sit quasi pars illarum Decimarum; consequenter & cognitio de portione congrua, quæ prætenditur ex decimis infeudatis, omnimodè devoluta est moribus nostris ad Tribunal Regium: nec potest Judex Ecclesiasticus ullatenus cognoscere de congrua portione, si Decimæ, è quibus portio petitur, à laicis possideantur, & *infeudatæ* esse prætendantur. Vide latè Broudeau ad Louetium loco citato, & Rebuffum tract. *de Portione congrua*, *quæst.* 7. ubi asserit, quòd anno 1557. » remissa fuit causa ad Judicem Regium cujusdam Curati, qui petebat Decimas coram Judice Ecclesiastico, & portionem congruam, à quo fuerat appellatum tanquam *ab abusu*, dicens Decimas esse *infeudatas*, & abusivè judicatum decrevit. Curia. « Plura arresta similia notat Tournet. *lit. P. cap.* 108.

CAPUT VIII.

De Domo Pastorali, an sub Portione congrua comprehendatur; et cui onus eam extruendi, et reparandi incumbat.

1 *Habitatio venit nomine alimentorum.*
2 *Parocho de convenienti habitatione providendum.*
3 *Ratio, quæ suadere videtur eam sub portione congrua comprehendi.*
4 *Spectata natura portionis congruæ meritò dubitatur, an domus Pastoralis comprehendatur.*
5 *Ratio dubitandi.*
6 *In taxatione congruæ portionis non solet comprehendi domus Pastoralis; neque obligatio illam solvendi, infert obligationem solvendi hanc.*
7 *Consuetudo locorum varia est quoad personas huic oneri subjectas.*
8 *In locis olim Episcopo Leodiensi subjectis onus extruendi domum Pastoralem incumbit incolis.*
9 *Decretum Archidiaconatus Hasbaniæ de hoc onere.*
10 *In Gallia sæpiùs judicatum ad Parochianos spectare primam domus Pastoralis extructionem.*
11 *Hodie in Gallia videtur onus illud portionis partim Parochianis, partim Decimatoribus incumbere.*
12 *Domus Pastoralis consideratur ut appendix Ecclesiæ Parochialis.*
13 *Hinc condemnatus ad reparandam Ecclesiam prætenditur condemnatus ad reparandam domum.*
14 *Consequenter reparatio domus iisdem Legibus regitur, quibus reparatio Ecclesiæ.*
15 *Edictum Regium de onere extruendi, & reparandi domum Pastoralem in Flandria.*
16 *In Edicto videntur ab hoc onere eximi Incolæ.*
17 *Reparatio domus, & reparatio Eclesiæ conjunguntur.*
18 *Edictum supponit utramque reparationem iisdem legibus regi.*
19 *Si Edicta super reparatione Ecclesiarum servari debeant in reparatione domus, rectè dicitur onus hujus reparationis ad Decimatores pertinere.*
20 *Circa onus hoc quid attendendum.*
21 *Quid in exstructione domûs circa formam considerandum.*
22 *In hac materia summariè, & per provisionem procedendum.*
23 *Idipsum recenter in Gallia declaratum.*
24 *Pastores ad reparationes suæ domûs quomodo teneantur.*
25 *Decani Rurales Domus Pastorales visitare, & Parochos ad reparationes necessarias cogere debent.*
26 *Parochiani etiam domum visitare possunt, si eis onus reparandi incumbat.*
27 *Si Parochus reparationes neglexerit, hæredes ad eas tenentur.*
28 *Parochi in domo, ejusque supellectile moderationem Clericalem servare debent.*

I. DE domo Pastorali in jure nihil speciale cautum reperio; hoc scitur, habitationem inter vitæ corporalis necessaria computari; unde & jam pridem à Jurisconsulto Javoleno in *L. 6. ff. de Alimentis legatis*, dictum est: legatis *alimentis* non tantum cibaria, & vestitum, sed & *habitationem* deberi. Rationem addit: *Quia sine his ali corpus non potest.*

II. Hinc consequens est, quòd ubi præcipitur Parocho de alimentis, aliisque ad sustentationem corporalem necessariis esse providendum, etiam unà præcipiatur, provideri debere de convenienti habitatione, sive domicilio.

III. Unde & videri posset, habitationem, seu domicilium partem esse portionis congruæ, sive sub portione congrua esse comprehendendam.

Cùm enim portio congrua debeat esse sufficiens ad honestam sustentationem Parochi, sive Vicarii; non apparet, quòd futura sit congrua, seu competens, & sufficiens, nisi & ipsam habitationem Parocho adeò necessariam complectatur.

Hinc & ulterius concludendum apparet, quòd hi, quibus onus solvendi portionem congruam incumbit, etiam teneantur Parocho, seu Vicario congruam, & competentem habitationem procurare.

IV. Verum si propius naturam portionis congruæ attendamus, prout hæc tum in Canonibus, & Synodis, & etiam Regiis Edictis, tum in ipsis unionum, vel incorporationum formulis exprimi, & reservari consuevit, non sine fundamento dubitari poterit, num sub portione congrua extructio domus Pastoralis, vel assignatio habitatationis comprehendatur; eatenus nimirum ut hi, quibus solutio portionis congruæ injungitur, una teneantur ad extructionem illius domus.

V. Sive enim Canones & Synodorum Decreta, Regiaque Edicta, sive formulam reservationis portionis congruæ inspiciamus, patebit, portionem congruam ita reservari, ut è proventibus Ecclesiasticis solvatur Parocho *annuè* tantum, quod Rectoris, ac Parochiæ necessitati *decenter* sufficiat. Unde & plerumque videmus in Synodis, & Edictis Regiis, certam summam *annuè* persolvendam pro competentia Pastorali, sive portione congrua assignatam.

Porrò hæc summa, sive portio *annuè* pendenda commensurari solet necessitatibus quotidianis ipsius Rectoris, & Parochiæ; ut nimirùm ex illa habeat honestam sustentationem, & oneribus sibi incumbentibus satisfacere queat.

Inter has autem *quotidianas* necessitates, aut onera Parocho incumbentia numerari nequit exstructio domus Pastoralis: quia hæc non quotannis recurrit, neque aliquâ summâ annuè persolvenda facienda est; sed una constructione oneri illi in multos annos satisfieri solet, idque nonnunquam tam notabilibus impensis, ut plurium annorum proventus decimarum integri vix sufficerent: quo contingeret, ut Capitula, & Monasteria, aliaque corpora Ecclesiastica decimas possidentia, subitò quasi opprimerentur, aut certè ære alieno se nimium gravare deberent.

VI. Hinc indubiè contingit, quòd portio congrua ita determinari soleat, ut sub ea domus Pastoralis non comprehendatur. Unde ex obligatione solvendi portionem congruam concludi non posse videtur obligatio exstruendi domum Pastoralem: sicuti neque ex eadem obligatione concluditur obligatio reparandi Ecclesiam, tametsi portio congrua debeat esse talis, ut Rectoris ac *Parochiæ* necessitati decenter sufficiat, ut loquitur Synodus Trident. *Sess. 24. cap. 13. de Reformat.*

VII. Sicuti ergo reparatio Ecclesiarum pro varia locorum consuetudine, nunc ad Parochianos, nunc ad Decimatores, & frequenter ad utrosque, quadam proportione servatâ, translata est, uti suprà *tit. 16. cap. 5.* notavimus; ita & onus extruendi domum Pastoralem pro varia locorum consuetudine alibi Parochianis, alibi Decimatoribus, alibi utrisque incumbit (k).

VIII. Et quidem in locis, quæ ante erectionem novorum in Belgio Episcopatuum fuerunt sub Diœcesi Leodiensi, onus hoc incumbere solet incolis, sive Communitati: eò quòd consuetudo istius Diœcesis onus illud in Communitatem rejecerit; atque propterea etiam postquam ab ea Diœcesi separata fuêre, manserunt huic oneri subjecta.

IX. De hoc enim onere inter Statuta Archidiaconatûs Hasbaniæ, qui ad has partes præcipuè extendebatur, legitur: » Tenetur etiam Communitas suo Pastori ad procurationem, & » assignationem fundi, seu hæreditatis dotalis juxta Ecclesiam » Parochialem, aut saltem intra villam, eamque liberam, ac » in eadem exstruere domum honestam, & commodam, cum » coquina, cubiculis saltem duobus, granario, penuario, cæ» terisque hac in parte pro qualitate Pastoratûs, & proventuum » ejusdem arbitrio nostro necessariis. «

X. Refert quoque Choppinus in suo Monastico *lib. 1. tit. 3. num. 24.* » Parochorum partes esse, Curioni domum, quam » incolat, suppeditare, familiari utensilium instrumento mu» nitam. Additque: Atque ita de Sacerdotalium ædium struc» tura pronuntiârunt Conscripti Curiæ pro Claudio Versoris » Lungiumeli Vici-Curione, adversus Ædituos Decreto pri» die Kalendas Quintiles anni 1567. « Simile Decretum, sive Arrestum pro Curione contra Paroechos refert *lib. 3. de Sacra Polit. tit. 3. num. 15.*

XI. Hyacinthus Boniface in sua Collectione Arrestorum *tom. 3. lib. 5. tit. 14. cap. 7.* primùm citatis variis arrestis, & auctoribus, quibus suaderi videtur, onus exstruendi domum Pastoralem Incolis, sive Communitati incumbere; dein profert varia Arresta, quibus declaratum fuit, decimatores teneri contribuere unam *tertiam*, Incolas verò *duas tertias* pro constructione domûs Pastoralis; ac signanter ita judicatum an. 1672. contra Capitulum Cathedrale Aquense, condemnato Capitulo ad contribuendam *tertiam* partem pro constructione domûs Pastoralis.

Arrestum integrum extat apud citatum Auctorem: additque, hoc arrestum ostendere, quantum ad hanc contributionem, non esse ampliùs faciendam distinctionem inter *primam* exstructionem domûs Pastoralis, & dirutæ reædificationem, licèt olim aliqua fuisset. Verba Auctoris sunt: *Cela montre que quand la Jurisprudence ancienne auroit varié en la contribution pour la construction du premier logement du Curé, la Jurisprudence nouvelle auroit fixé cette contribution pour la construction premiere, egalement avec les reédifications, & reparations, comme y ayant même raison en l' un & en l' autre.* Id est. » Hoc » probat, licèt antiquum jus, quoad contributionem in Pasto» ralem ædium exstructionem faciendam variè decrevisset, jus » novum contributionem hanc fixisse stabiliter pro prima ex» structione, æqualiter cum reædificationibus, & reparationi» bus, utpotè cum par utriusque sit causa. «

(k) *Vide Remiss. 2. tit. 5. lib. 1. Recop.*

XII. Fundamentum hujus Jurisprudentiæ, & arrestorum videtur esse, quòd domus Pastoralis sit quædam appendix Ecclesiarum; utpotè quæ contigua Ecclesiæ esse conveniat. Ut proindè sicuti ex notoria Jurisprudentia Regni Galliæ, Decimatores tenentur *tertiam* partem contribuere pro reparatione Ecclesiarum; ita & eam contribuere jubeantur pro constructione domûs Pastoralis, tanquam illius appendicis.

XIII. Unde citatus Hyacinthus Boniface loco citato allegans fundamenta ex parte Communitatis contra Capitulum in causa per allegatum arrestum decissâ reproducta, asserit inter alia, dictum fuisse, quòd cum œconomus Capituli jam tum condemnatus fuisset ad contribuendam *tertiam* partem pro reparatione Ecclesiæ, etiam unà condemnatus esset ad eandem contributionem pro exstructione domus Pastoralis tanquam appendicis ipsius Ecclesiæ. Verba sunt: *A tout évenement, suivant le même arret, l' œconome ayant été condamné à contribuer pour* UN TIERS *à la fabrique de l' Eglise, il l' a été* CONSEQUEMENT *au* LOGEMENT *du Curé, qui est la* DEPENDANCE *de la fabrique de l' Eglise.* Id est. » In omnem casum, juxta idem » Arrestum, Œconomo jusso contribuere tertiam partem im» pensarum fabricæ Ecclesiæ, consequenter jussus est pro Pa» rochi domo præstare, quæ Fabricæ Ecclesiæ annexa est, & » ab ea dependet.

XIV. Hoc posito principio, quòd domus Pastoralis sit quædam appendix ipsius Ecclesiæ; ac propterea, cessante speciali locorum consuetudine, aut concordato, vel lege, debeat iis legibus regi hæc constructio, vel potiùs restauratio domûs Pastoralis, quibus ipsa Ecclesiarum reparatio; facilè intelligi poterit ex iis, quæ *tit. 16. cap. 5.* dicta sunt, quomodo in Belgio, præveniendo speciales locorum consuetudines, & concordata, aut conventiones, Decimatores ad restaurationem domûs Pastoralis concurrere debeant.

XV. Per Regulamentum Regium probatum in Concilio privato Bruxellis, pro omnibus civitatibus non muratis, & Parochiis ruralibus totius Provinciæ Flandriæ, emissum 30. Julii 1672. *art. 48.* » Vetitum est dare ad onus Parochiæ, seu » Communitatis ullam mercedem conductionis, aut domicilium » Pastori, aut facere ullam reparationem circa domum Pasto» ralem, aut Ecclesiarum, utpotè spectantia ad onus Decima» torum, aut Pastorum, juxta modificationem (ait) factam per » nostra Edicta. «

XVI. Itaque juxta hoc Edictum Parochiani, seu Communitates eximi videntur ab onere exstruendi, & reparandi domum Pastoralem.

XVII. Notari meretur, reparationem domus Pastoralis, & reparationem Ecclesiæ in hoc articulo conjugi; imò sub uno verborum contextu ipsam Communitatem ab utriusque onere exemptam declarari.

XVIII. Hinc non obscure colligitur, Regios Ministros hujus Edicti auctores, reparationem domus censuisse iisdem legibus regendam, quibus reparatio Ecclesiæ. Quod & inde colligitur, quòd remittat ad modificationem expressam in *anterioribus* Edictis; quæ alia esse non videntur, quàm illa, quæ determinant, quomodo decimæ in Ecclesiarum reparationem impendendæ sint: nam specialia Edicta moderationem aliquam continentia, quâ decimæ in reparationem aut ædificationem domûs Pastoralis veniant impendendæ, hactenus edita nesciuntur.

XIX. Et sanè, cum juxta Edicta nostratia, de quibus *tit. 16. cap. 5.* in reparationem Ecclesiarum venire debeat per sex annos *triens* decimarum, sive spatio sex annorum integræ decimæ duorum annorum; non dubium, quin si eo modo ad reparationem, & exstructionem domûs Pastoralis concurrere debeant, meritò dictum sit in præfato articulo, onus reparandi & exstruendi domum Pastoralem ad Decimatores spectare: quia non facilè expensæ reparationis, aut etiam constructionis excederent valorem *integrarum decimarum duorum annorum.*

XX. Quidquid sit, illud imprimis indubitatum est, in hac materia esse servandam consuetudinem singulorum locorum, item concordata; & post hæc generales leges Provinciæ. His autem defficientibus, sat æquum apparet, ut ea ratio servetur circa reparationem domûs, quæ præscribitur circa reparationem Ecclesiæ, cujus ipsa domus Pastoralis quædam appendix videtur.

XXI. Præterea & illud expeditum est, ad quemcunque onus restaurandi aut exstruendi domum pertineat, hujusmodi domum esse exstruendam, quæ ipsi Parocho, & Presbyteris ad curam animarum necessariis honestè & decenter sufficiat; quæ sufficientia, & decentia ex variis locorum, temporum, Pastoratuum, aliisque circumstantiis arbitrio judicis determinanda est, quemadmodum de ipsa congrua portione suprà *capit. 2.* dictum est, citatumque Statutum Archidiaconatus Hasbaniæ nominatim expressit.

XXII. Similiter & hoc indubitatum, quòd licèt exstructio do-

domûs Pastoralis non soleat sub taxata portione congrua contineri, nihilominùs, eam eatenùs partem portionis congruæ dici debere, quatenus non minùs, quàm alimenta, aliave corporis subsidia, est necessaria ad Parochi sustentationem : quin & sub alimentis necessariis comprehenditur, ut suprà dictum est.

Hinc in hac causa exstructionis domus Pastoralis, non secùs ac in causa portionis congruæ & alimentorum, *summariè* per *provisionem* est procedendum, ne aliàs ob longiores litium & disceptationum moras Parochus necessaria habitatione careat.

Unde in allegato Statuto Archidiaconatus Hasbaniæ decernitur : » Quoties nulla Pastoris culpa, casuve fortuito, aut militari, hostilive insolentiâ domum sic destrui, aut labefactari contigerit, declaramus, Parochianos ad reparationem, saltem *provisionaliter*, teneri, salvo sibi semper contra noxios, & eos, qui damno causam dederint, regressu."

XXIII. In Declaratione quoque Regis Galliæ de anno 1661. hic modus procedendi summariè & *provisionaliter* decernitur, & latiùs exprimitur in arresto interpretativo, sive declaratorio istius declarationis.

Hoc Arresto imprimis decernitur, ut juxta *articulum* 52. Edicti Blesensis, & *art.* 2. Edicti Melunensis, & declarationem de anno 1661. Archiepiscopi & Episcopi visitantes suas Diœceses curent, num Parochis commodè de habitatione sit provisum ; injunctumque est Officialibus, ut exequi faciant quod hunc in finem per Archiepiscopos, aut Episcopos ordinatum fuerit; idque per arrestationem ad hunc effectum. Et in casum contestationis, quantum ad domicilium Parochi, injungit Officialibus locorum, ut *sine mora* convocent incolas loci, ad concludendum, & determinandum, quam partem singuli contribuere tenebuntur. Et quousque domus fuerit exstructa, levare poterunt pro rata, quàm singuli solent contribuere in oneribus publicis, seu *talliis*, summam 40. librarum Gallicarum, si opus sit, *annuè*, pro conductione domus, in qua interim ipse Parochus habitare possit. Verba Arresti de 14. Martii 1673. sunt: *Et à l'égard de celles concernant les logemens des Curés, enjoint aux Officiers des lieux de faire assembler incessamment les Habitans pour y pourvoir, & régler quelle part chacun d'eux sera tenu d'y contribuer. Et en attendant que lesdits logemens soient en état d'etre habités, faire lever sans frais sur toute la Communauté, & à proportion de ce que chaque habitant paye de taille, jusque à la somme de quarante livres, si besoint est, par an, pour le louage, d'une maison ou le Curé puisse demeurer.* Id est : » Quoad ea, quæ Parochorum domos concernunt, Officialibus locorum injungitur, ut indilatè » incolas convocent, quo rei huic provideatur, & determine» tur, quota pars à singulis eorum sit contribuenda. Interim » donec dispositæ erunt prædictæ ædes, ut incolantur, per to» tam Communitatem sine sumptu collecta fiat, servatâ portio» ne illius quod quilibet incola pro vectigalibus pendit, usque » ad summum 40. librarum annuè, si opus est in conductionem » domus, in qua Parochus habitet, donec & usque prædictæ » ædes poterunt inhabitari." Integrum arrestum pronuntiatum 14. Martii 1673. habetur apud Michaelem Du Perray in suo tractatu *de Portione congrua*, ad *calcem cap.* 28. (l)

XXIV. Domo pastorali exstructa in usum Parochi, cùm Parochus eam inhabitet, eaque quasi usufructuarius utatur ad suam commoditatem ; etiam ipsam domum sartam & tectam conservare, & reparationis necessarias facere tenetur ad instar usufructuarii.

De hac reparatione ita loquitur Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 19. *cap.* 4. » In omnibus locis ubi domus Parochiales » non sunt, vel temporum injuria collapsæ sunt, provideat Pas» tor cum suis Parochianis, quanto citius fieri poterit, aliqua » domus, ipsique Ecclesiæ propinqua, & in fundo Pastoratûs, » si quis sit, ædificetur ; quam, ubi edificata erit, ipse Pastor » juxta suum juramentum *sartam tectam* conservare debeat."

Hic per transennam notandum, quòd & Synodus indicare videtur, unus ædificandi, aut restaurandi domum ad Parochianos spectare.

De reparatione domum Pastoralium à Parochis facienda hæc habet Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 22. *cap.* 7. » Pastores, » & quicunque alii Beneficiati, domos Beneficiorum suorum *in» tegras* conservent, ac *debitè reparent*, nisi reparationes ea» rundem ab aliis fieri debere certò constet."

Reparationes, quæ Parochis penè ubique incumbunt, intelliguntur de reparationibus minoribus ; quæque circa domos etiam sat firmas quotidie faciendæ occurrunt, ut sartæ tectæ conservari queant, non autem de majoribus, & extraordinariis reparationibus ; ut puta restauratione tecti, quod vetustate, aut tempestate corruit, vel incendio consumptum est ; quemadmodum usufructuarius, *si quæ vetustate corruerunt, reficere non cogitur*, uti scribit Ulpianus in *leg.* 7. §. 2. *ff. de Usufr.* Et hæc est communis praxis Belgii, ut Pastores ad minores, & ordinarias reparationes, Decimatores, vel Parochiani ad majores & extraordinarias teneantur.

XXV. Ut autem reparatio suo tempore, & tempestivè fiat, & ne defectu factæ reparationis paulatim domus totaliter corruat, decernit Synodus Mechliniensis loco citato : » Archipres» byteri, ubi ipsis id juris ex consuetudine competit, illas (do» mos Pastorum, & Beneficiatorum) singulis annis seriò visitent; » & quando eas reparatione indigere advertent, eam mox fieri » mandent ; & non obedientes denuntientur Episcopo, vel » ejus Vicario generali, ut ad debitas reparationes faciendas, » prout juris & rationis fuerit, compellantur, & pro preterita » negligentia etiam puniantur." *Tit.* 22. *cap.* 7.

XXVI. Quia Incolæ, sive Parochiani multis in locis, ac nominatim in Diœcesi Leodiensi ad ædificandam, & restaurandam domum Pastoralem, obligantur, etiam & ipsi meritò soliciti sunt, ut reparationes necessariæ tempestivè & suo tempore fiant.

Hinc Statutum Archidiaconatûs Hasbaniæ, postquam declaravit Parochianos ad procurandam domum Pastoralem teneri, tanquam consequens subjicit : » Qui quidem Parochiani pote» runt toties quoties ex evidenti aliqua justa causa necessarium » erit, domum Pastoralem (suis tamen impensis) visitare, pro» curareve, ut domus per Justitiarios, adhibitis etiam exper» tis, visitetur, ut exindè comperti defectus auctoritate nostra » reparentur."

Quod hîc Parochianis permittitur, id eodem fundamento permittendum Decimatoribus, ubi onus procurandi domum Pastoralem ipsis incumbit.

XXVII. Addit prætereà hoc statutum Archidiaconale: » Sta» tuimus autem, & ordinamus, quòd si ædes hujusmodi Pasto» rales defuncti Pastoris negligentia destructæ, seu labefactatæ » comperiantur, hoc totum expensis hæredum, & hæreditatis » restitui debere : Ita tamen, ut infra annum ab obitu Pasto» ris per Justitiarios loci (quos ad hoc tenore præsentium de» putamus) fiat domûs visitatio, quando videlicet prævia Re» verendissimi Episcopi licentiâ Pastor fuerit testatus. Quod si » intestatus decesserit, fiet visitatio mox à sepultura defuncti » vel saltem antequam ipsius bona per Officiatos ejusdem Reve» rendissimi prehendantur, alioquin Parochiani in querela non » audiantur."

Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 20. *cap.* 7. ait, » Si verò » ad hujusmodi reparationes obligatos, iis necdum perfectis, » ex hac vita migrare, vel Beneficia sua resignare contigerit; » bona domorum mortuariarum, eorumque, qui Beneficia sua » dimiserunt, arrestentur, & arrestata maneant, donec eæ » perfectæ fuerint."

XXVIII. Decet quidem domum Pastoralem honestæ & decenti habitationi Pastoris esse convenientem ; at id summopere cavendum Pastoribus, ne in suarum domorum extructione, aut ornatu, vel supellectile ipsam pompam fastumque seculi quærant, populoque vel hinc non exemplo seculi pompas, & fastum sectandum doceant : persuadeantque populo, quòd in militia Christi plus quærant lucra & gloriam seculi, quàm paupertatem Christi ; præsertim si populo innotescat, quòd hæc non è patrimonio, sed solis proventibus Ecclesiasticis habeantur : quodque parentes humili domo, & tenui supellectile tanquam homines tenuis, aut mediocris conditionis, contenti fuerint. Videri possunt, quæ suprà *tit.* 32. *cap.* 4. dicta fuerunt. (m)

(l) *Habetur quoque illud Arrestum cum plurimis aliis, quæ ædes Curiales spectant, in Collectione, quam adornavit Dominus Chenu.*

(m) Chenu *in sua Collectione* prima parte tit. 1. *refert, incolas olim fuisse damnatos ad domum Pastoralem supellectile instruendam, verùm ea jurisprudentia antiquata est, nec ullum ejus hodie superest vel minimum vestigium.*

TITULUS XXXV.

De Immunitate Bonorum Ecclesiasticorum.

CAPUT I.

QUAM IMMUNITATEM JAM PRIDEM DEDERINT IMPERATORES.

1 *Immunitas à tributis data Ecclesiis à Constantino.*
2 *Immunitas à muneribus publicis indulta à Constantino.*
3 *Hæc immunitas rursus ab eodem Imperatore renovata.*
4 *Enixum studium Constantini, ut hanc immunitatem Clericis asserat; & quæ ejus ratio.*
5 *Ratio indultæ immunitatis meritò à Clericis notatur.*
6 *Ex ratione evincitur, eam esse immunitatem personalem.*
7 *Hæc prima Clericis indulta immunitas, & magis conveniens.*
8 *Immunitas à susceptione militum, & à vectigalibus pensitandis ratione negotiationis: & quæ hujus ratio.*
9 *Quare aliquando Clericis indultum negotiari: & postea vetitum.*
10 *Immunitas à* sordidis *muneribus, & Parangariis.*
11 *Quid sit Parangariæ.*
12 *Quid intelligatur per* sordida munera.
13 *Privata Clericorum Patrimonia ordinariis tributis erant obnoxia.*
14 *Hanc limitationem probârunt Episcopi.*
15 *Terras Clericorum tributis fuisse obnoxias fatetur S. Ambrosius.*
16 *Soli Clerici nullum possidentes patrimonium erant immunes.*
17 *Omnes Ecclesiæ, exceptis quatuor majoribus, erant tributis obnoxiæ, regnante Theodosio juniore.*
18 *Neque sub Justiniano Imp. erant ab his immunes.*
19 *Officinas Clericorum à tributis non exemit.*
20 *Clodovæus Rex Galliæ agris Ecclesiæ immunitatem indulsit.*
21 *Ludovicus Pius immunitate donavit* Mansum *Ecclesiæ.*
22 *Mansus Ecclesiæ dicebatur ipsa dos Ecclesiæ.*
23 *Continebat ordinariè* 12. Bunnaria *terræ arabilis.*
24 *Capitulare Caroli Calvi de immunitate hujus* Mansi.
25 *Non tantùm Ecclesiis Parochialibus, sed & Monasteriis & Ecclesiis Cathedralibus hæc immunitas competebat.*
25 *Aliqui eam immunitatem contra mentem Imperatorum nimis restringebant.*
27 *Eorum restrictio rejicitur.*
28 *Immunitas ad omnes fundos Ecclesiæ extenditur.*
29 *Cur exciperetur constructio viarum, & pontium.*
30 *Terræ de novo ab Ecclesia acquisitæ non gaudebant immunitate, si antè fuissent obnoxiæ.*
31 *Gaudebant, si antea fuissent liberæ.*

I. SUb nomine Constantini Magni, qui primus inter Imperatores publicè Christianam Religionem professus est, extat de immunitate Ecclesiarum egregia lex in Codice Theodosiano *lib.* 11. *titul.* 1. *leg.* 1. » Præter privatas res nostras, » & Ecclesias Catholicas nemo ex nostra jusione præcipuis emo» lumentis familiaris jubetur substantiæ, &c. omnes pensitare de» bebunt. «

Hic Ecclesias Catholicas generaliter à rei tributariæ contributione eximi, sat clarum (n); fateturque ipse Jacobus Gothofredus, quamvis credat eam postmodum per sequentes Imperatores revocatam, aut saltem temperatam esse; de quo infrà.

II. Extat apud Eusebium *lib.* 10. *Hist. c.* 7. ejusdem Constantini Epistola ad Anulinum Africæ Præfectum, quâ Clericos immunes à publicis functionibus esse mandat: » Eos homines » (ait) qui intra Provinciam tibi creditam in Ecclesia Catholica, » cui Cæcilianus præest, huic sanctissimæ religioni ministrant, » quos Clericos vocare consueverunt, ab omnibus omninò pu» blicis functionibus immunes volumus conservari; ne errore » aliquo, aut casu sacrilego à cultu summæ Divinati debito abs» trahantur; sed ut potiùs absque ulla inquietudine propriæ le» gi deserviant. Quippe his summam veneratione divino Numi» ni exhibentibus, maximum inde emolumentum Reipublicæ vi» detur accedere. «

Refert S. Augustin. *Epist.* 86. *ult. edit.* responsum Anulini ad Imperatorem Constantinum, in quo hoc privilegium immunitatis expressum est his verbis: » Cùm ab omni omninò munere » indulgentia Majestatis vestræ liberati videantur esse Catholici, » custoditâ sanctitate legis, debitâ reverentiâ divini legi inser» viant. «

III. Verùm hæc immunitas, quæ hîc à Constantino indulta asseritur, est immunitas merè *personalis*, sive à muneribus, & functionibus personalibus; de qua extat & alia ejusdem Imperatoris sanctio in *L.* 2. *Cod. Theod. de Episc. & Clericis*; » Qui » divino cultui ministeria religionis impendunt (id est, hi qui » *Clerici* appellantur) ab omnibus omninò muneribus excusen» tur; ne sacrilego livore quorumdam à *divinis obsequiis avo» centur.* «

Notat Jacobus Gothofredus, hanc legem esse omninò diversam ab ea, de qua ipse Constantinus in citata Epistola ad Anulinum; uti & ab ea, quæ refertur in *L.* 1. & 7. *eod. tit.* in Codice Theodosiano.

IV. Ex his autem toties iteratis legibus liquet, quàm enixo Constantini studio opus fuerit, (ait Gothofredus) ad firmandam semel hanc Clericorum Catholicæ Ecclesiæ immunitatem à muneribus civilibus; quæ tamen hæc æquissimâ ratione, quæ hîc expressè redditur, nixa erat: *Ne*, scilicet, *Clerici à divinis obsequiis avocentur.* Quæ eadem ratio à Justiniano in *L.* 51. *Cod. de Episc. & Clericis*, ubi immunitatem à tutelis Clericis indulget, uti notavimus *part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 6. *n.* 5.

V. Hîc notent Clerici, non alia de causa à muneribus publicis sibi immunitatem concessam nisi Divinis Officiis sine impedimento vacare queant; quo monentur, juxta vocationem suam sedulò iis incumbere.

VI. Interim ex allegata ratione hujus immunitatis rectè colligit citatus Gothofredus, immunitatem *munerum personalium* (o) hîc intelligi, non verò immunitatem *patrimonalium.*

VII. Hæc quidem immunitas *personalis*, tanquam ipsis Clericis magis conveniens & necessaria, ne à suis officiis avocarentur, prima est, quæ Clericis tributa fuit; uti ad *L.* 8. *Cod. Teod. de Episc. & Clericis*, notavit Gothofredus: cui postmodum aliæ successerunt, quæ in legibus subsequentium Imperatorum continentur; & magis onera realia, quàm personalia concernunt; ideoque immunitates non tam personales, quàm *reales* sunt: atque de his hoc titulo potissimùm agitur.

VIII. Et quidem sub nomine Constantii Constantini Filii extat Constitutio in citata lege 8. qua Clericis concedit immunitatem à militum transeuntium hospitio (p); item à vectigalibus pendendis ratione tenuis mercaturæ (q). Verba legis sunt: » Pre» tereà neque *hospites* suscipient. Et si qui de vobis *alimoniæ* cau» sâ negotiationem exercere volunt, immunitate potientur. «

IX. Non mirum hîc Clericis negotiationem exercentibus immunitatem indultam. Cùm enim in ipsis Ecclesiæ exordiis nondum eæ essent Ecclesiæ divitiæ, ut omnibus Clericis ad Divinum cultum necessariis sufficerent, oportuit quosdam Clericos *alimoniæ* causâ negotiationem aliquam modestam exercere, ne cuiquam graves essent: sicuti & quosdam honestu aliquo opificio vitum sibi comparare, etiam sacris Canonibus probantibus compertum est. Sed cum avaritia multorum hac facultate negotiandi abuteretur, meritò Clericis postmodum interdicta fuit, & Clerici Negotiatores à Patribus severè reprehensi, ut infrà videbitur.

X. Extat Constitutio sub nomine Constantii, & Constantis filiorum Constantini Magni in *L.* 10. *Cod. Teod. de Episcopis & Clericis*, quâ omnibus Clericis conceditur immunitas à *sordidis muneribus* Verba sunt: *Repellaturque ab his* (Clericis) *exactio munerum sordidorum.* Quæ sint hæc sordida munera, mox dicetur.

Insuper concedit Clericis immunitatem generalem de qualibet negotiatione, notandâ ratione adjuncta, verba sunt: *Negotiatorum dispendiis minimè obligentur, cum certum sit, quæstus quos ex tabernaculi* (forsan legendum *tabernulis*) *atque ergestariis* (id est, locis mercimoniis deputatis) *colligunt, pauperibus profuturos.*

In-

(n) *Pro Regnis Hispaniæ extat l.* 3. *tit.* 3. *lib.* 1. & *Remissio* 1. *tit.* 14. *lib.* 6. *Recopil.*

(o) *In Hispania Clericis non solùm concessum, sed etiam expressè prohibitum est, munera publica exercere, per l.* 73. *tit.* 5. *lib.* 2. *Recopil. & Remission.* 12. *tit.* 3. *lib.* 1. *per leg.* 8. & 10. *tit.* 3. & *l.* 3. *tit.* 4. *lib.* 1. & *l.* 20. & 21. *tit.* 25. *lib.* 4. *Recopil. & Remiss.* 2. *tit.* 25. *lib.* 4. & *Remiss.* 1. *tit.* 3. *lib.* 9. *Recop.*

(p) *Domus Clericorum in Hispania in hospitio dari non debent, ex L.* 7. *tit.* 3. *lib.* 1. & *Remiss.* 3. *tit.* 15. *lib.* 3. *Recop. casu tamen excepto, quod Rex, Regina, Princeps, aut aliquis Infans per illum locum transierit.*

(q) *Bona, quæ Clerici Hispani ratione negotiationis acquisierint, immunitate non gaudent: Remiss.* 20. *tit.* 3. *lib.* 1. *L.* 7. *tit.* 18. *lib.* 9. *Act. Acordat.* 7. *cap.* 4. *tit.* 8. *lib.* 9. *Acta Acordat* 3. & 4. *tit.* 18. *lib.* 9. *Recopl.*

Tertia immunitas conceditur à *Parangariis* his verbis expressa; *Parangariarum quoque parili modo cesset exactio.* De Parangariis extat titulus in Codice Theodosiano libro 8. *De Cursu publico, angariis, & parangariis*, in Cod. Just. *lib.* 22. *tit.* 51.

XI. Angariæ, & Parangariæ erant jumentorum, & plaustrorum præstationes ad transvectionem annonæ militaris, aliarumque specierum Fiscalium. Dicebantur autem *Angariæ*, si per viam rectam, ordinariam, & Regiam faciendæ erant transvectiones. Parangariæ autem, quando viâ transversâ extra viam Regiam, ubi cursus publicus dispositus non erat. Vide notas Jacobi Gothofredi ad *L.* 4. *&* 15. *Cod. Teod. de Cursu publico.*

XII. Sordida munera, de quibus in citata lege: etiam vocabantur munera *extraordinaria*; unde est titulus in Codice Theodosiano, *de Extraordinariis, & sordidis muneribus.*

Inter hæc sordida, & extraordinaria munera erant etiam refectio viarum, instauratio pontium, & subjectio annonæ militaris (r); quemadmodum videre est in *L.* 40. *Cod. Theod. de Episcopis & Clericis*; quæ est Honorii Imp. ubi species nonnullæ munerum sordidorum exprimuntur, à quibus Clericos immunes declarat, addita hac generali clausula: » Nihil præter » Canonicam inclinationem, quod adventitiæ necessitatis sar» cina repentina depoposcerit ejus functionibus adscribatur.« Refertur hæc eadem constitutio, licèt nonnihil mutilata in *Lege* 5. *Codice Justin. de SS. Ecclesiis.*

XIII. Hæc quidem quoad immunitatem à sordidis, & extraordinariis muneribus sive impositionibus, at ab ordinariis tributis patrimonia Clericorum exempta fuisse non constat; imo iisdem subjecta non obscurè declaravit Constantinus Imperator in *Leg.* 15. *Cod. Thod. de Episcop. & Clericis.* Verba legis sunt: » De his sanè Clericis, qui prædia possident, sublimis auc» toritas tua, non solùm eos aliena juga nequaquam statuet ex» cusare, sed etiam his (in Codice Jurtinianæo legitur *pro his*) » quæ ipsi possident, eosdem ad pensitanda fiscalia perurgeri. (s) » Extant hæc verba in *leg.* 3. *Cod. Justin. de Episcop. &* » *Clericis.*«

XIV. Notatu dignum est, quòd in ipsa Constitutione, prout extat in Codice Theodosiano, dicatur, æquum visum fuisse Episcopis hoc Imperatoris decretum. » Maximè (ait) cum in Co» mitatu Tranquilitatis nostræ alii Episcopi, qui ex Italiæ par» tibus venerunt, & alii quoque qui ex Hispania, atque Afri» ca convenerunt, probaverunt, id maximè justè (sive po» tiùs *justitiæ*) convenire, ut præterea (legendum *præter ea*) » juga, & professionem (id est, *rem professam apud censum*) » quæ ad Ecclesiam pertinet, ad universa munia sustinenda, » translationesque faciendas omnes Clerici debeant attineri.«

XV. Et reverà prædia Clericorum tributis, & vectigalibus fuisse subjecta tempore etiam S. Ambrosii, ipse variis locis fatetur: » Si tributum petit (Imperator) non negamus. » Agri Ecclesiæ solvunt tributum. Si agros desiderat Imperator, » potestatem habet vindicatorum; nemo nostrorum intervenit. » Potest pauperibus collatio populi redundare. Non faciant de » agris; invidiam tollant eos, si libitum est. Imperatori non dono » sed non nego.... Solvimus quæ sunt Cæsaris Cæsari, & quæ » sunt Dei Deo. Tributum Cæsaris est, non negatur. Ecclesia » Dei est, Cæsari utique non debet addici.«

Ex variis locis S. Ambrosii conflatus est Canon 21. *caus.* 23. *quæst.* 8. in quo inter alia dicitur: *Tributum Cæsaris est, non negatur, Ecclesia Dei est.* Et in Canone sequenti sub nomine Urbani Papæ scribitur: » Tributum in ore piscis, piscan» te Petro, inventum est: quia de *exterioribus* suis, quæ palam » cunctis apparent, Ecclesia *tributum* reddit.«

XVI. Et in Evang. Lucæ scribens Ambrosius ait: » Et si » tu vis non esse obnoxius Cæsari, noli habere quæ mundi sunt. » Sed si habes divitias, obnoxius es Cæsari. Si vis Regi nihil debere terreno, relinque omnia, & sequere Christum.«

XVII. Extat Constitutio Theodosii Junioris de ann. 424. in *L.* 33. *Cod. Theod. de Annonis & tributis*; & extat, licet nonnihil mutilata in *L.* 12. *Cod. Justin. eod. tit.*

In hac lege Theodosius omnes Ecclesias tributis subjectas dicit, exceptâ Ecclesia Thessalonicensi, addita insuper cautione, ne per fraudem sub obtentu hujus Ecclesiæ alii hac immunitate gaudeant. Verba, prout referuntur in Codice Theodosiano sunt: » Sacrosancta Thessalonicensis Ecclesia civita» tis exceptâ: ita tamen, ut apertè sciat, propriæ tantum» modò capitationis modum beneficio mei numinis sublevandum; » nec externorum gravamine tributorum Rempublicam Eccle» siastici nominis abusione lædendam.«

Capitatio, cujus hîc mentio fit, non est ea, quæ hominibus imponitur, sed tributum possessionis, sive agrorum; uti notavit Gothofredus in notis ad hanc *legem* 33. & etiam monet Antonius Perezius ad titulum Codicis *de Annonis & tributis*, *num.* 35. qui & unà observat, Ecclesias prædia possidentes à tributis non excusari, quibus ipsa prædia jam pridem fuerant subjecta: » Sola (ait) excipitur Ecclesia Thessa» lonicensis; & ideò quod huic datur, ut immunis sit à capi» tatione, & *tributo suarum possessionum*, non est porrigen» dum ad alias Ecclesias; non enim licet abuti nomine Eccle» siæ evitandorum Canonum causâ, ut inde Respublica lædatur.«

Eundem hujus legis sensum latiùs adstruit, & probat Jacobus Gothofredus in notis ad eandem legem.

XVIII. Justinianus Imperator in *Novella* 37. volens Africanis Ecclesiis restitui bona ab Arianis ablata, addit hanc clausulam: *Ut tamen publicas pro iis pensiones conferant.* Per *pensiones* hîc intelligi *tributa* Principi solvenda, dubium non apparet; & notat Cujacius in notis ad hanc Novellam dicens: » Eodem quo superior tempore hæc etiam edita fuit Constitu» tio, ut Ecclesiæ Africæ bona sua à Vandalis, seu Arianis oc» cupata recipiant, sub onere *tributorum* publicorum.«

Addit deindè: » Ecclesias non fuisse olim immunes à *pu*» *blicis* collationibus, certissimum est.«

XIX. Idem Justinianus *Novella* 43. confirmat, & renovat immunitatem jam pridem indultam mille, & centum Officinis Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ut ex earum proventibus *funerum* sumptus ferre posset. Verba ejus sunt: » Hæ igitur, ut » immunes, & ab omni vectigali maneant exemptæ sancimus: Ne» que his ipsis Officinis, neque vectigalia impetrantibus Colle» giis, quæ istas præbent, quidquam damni sustinentibus, aut » ullos titulos agnoscentibus.«

Post hæc subjicit: » Cæteræ verò omnes hujus almæ urbis » quatuordecim regionum Officinæ, sive sacrosanctæ alicujus sint » Ecclesiæ, sive Hospitalium, sive Monasteriorum, sive Orpha» notrophiorum, sive Ptochiorum, sive alterius cujuscunque » dominii, sive regiarum domuum, sive aliquorum magistratuum, » ampla, media, minutave officia administrantium, sive glorios» simorum Senatorum, sive magnificentissimorum illustrium, » sive spectabilium Cubiculariorum, sive aliquorum militiis ads» criptorum: hæ, inquam, omnes publica ipsis imposita præstent » vectigalia, & omnia alia tum faciant, tum impleant, quem» admodum quemque in suo Collegio facere æquum est, *sem*» *perque per Collegii Præfectos in publicum persolvant*; nemi» ne queunte ea de causa inniti privilegiis, aut ejusmodi aliâ » uti excusatione.«

Notandam hujus negatæ immunitatis addit rationem. » Ne» que enim sustinemns aliorum onus ad alios deferri, aut tam » immitem proponere formulam, ut quotidie vectigalia augean» tur, & (quemadmodum edocti sumus) quadruplo, aut quin» tuplo adeoque etiam decuplo majora irrogentur, cùm nihil » tam magno studio, tamque serio affectemus, quam ne novo » quisquam vectigali oneretur.«

XX. Sub idem penè tempus, quo hæc à Justiniano decreta fuêre, de Clodovæo Galliarum Rege testatur Synodus Aurelianensis I. *Can. V.* etiam agris, quos ipse Ecclesiis dederat immunitatem concessisse. » De Oblationibus, vel agris (ait) quos » Dominus noster Rex Ecclesiis suo munere conferre dignatus » est, vel adhuc non habentibus, Deo inspirante, contule» rit, ipsorum *agrorum* vel Clericorum *immunitate* concessâ, » id esse justissimum definimus,« &c. Tom. 5. Concil. Generalium editionis Labeanæ *col.* 827. refertur Constitutio sub nomine Clotarii Regis Galliarum, quâ immunitatem sat amplam Ecclesiis tribuit, sive confirmat his verbis: » Agraria, » pascuaria, vel decimas porcorum, Ecclesiæ pro fidei nos» træ devotione concedimus. Ita ut actor, aut decimator in » *rebus* Ecclesiæ nullus accedat Ecclesiæ, vel Clericis nullam » requirant agentes publici functionem, qui avi, aut genitoris, » aut germani nostri *immunitatem* meruerunt.«

Credit Ludovicus Thomassinus *de Disciplina Ecclesiæ*, *part.* 2. *lib.* 3. *cap.* 5. ad hanc potissimum Clotarii Constitutionem reflexisse S. Gregorium, ubi Theodorico, & Theoberto Regibus Francorum scribit *lib.* 7. *Epist.* 115. » Audivimus au» tem quia Ecclesiarum prædia *tributa* nunc præbeant, & mag» na super hoc admiratione suspendimur, ab eis illicita quæ» rantur accipi, quibus etiam licita relaxantur.« Quasi S. Gregorius miraretur, immunitatem a Regibus Galliæ Ecclesiis indultam adeo in Regno illo conculcari.

Si hæc sit reverà Constitutio Clotarii I. meritò observat Thomassinus, eam sub finem vitæ ab eo editam esse. Sub initium enim Regni eum voluisse Ecclesiis immunitatem adimere, constat

(r) *Servitia Panis, Vini &c. non tenentur Clerici in Hispania præstare, L.* 11. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop. prope finem: attamen immunes non sunt à reparatione viarum, pontium, aliarumque rerum, quæ sub nomine vernaculo* Pro comunal *comprehenduntur, & nominantur in dicta Leg.* 11. *in principio, &* 12. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopil.*

(s) *Clerici in minoribus Ordinibus constituti, sicut non sunt ipsi exempti in Civilibus, nec eorum bona, L.* 2. *tit.* 4. *lib.* 1. *Recopilat. quod etiam militat quoad bona in Clericis Majorum Ordinum. L.* 12. *tit* 7. *lib.* 1. *Recopilat. verb.* Otrosi de heredad, *adeò ut tantùm bona fundationis Capellaniæ, Beneficii, &c. sint exempta; L.* 9. *tit.* 18. *lib.* 9. *Recop.*

tat ex Gregorio Turoneo *lib.* 4. *Hist. Francorum*, *cap.* 2. atque Episcopos Regi consensisse excepto Episcopo Turonensi *Injurioso*. Verba Gregorii sunt: » Denique Clotarius Rex in» dixerat, *ut omnes Ecclesiæ Regni sui tertiam partem fructuum* » *fisco dissolverent*. Quod licèt inviti, cùm omnes Episcopi con» sensissent, atque subscripsissent, viriliter hoc beatus Injuriosus » respuens, subscribere dedignatus est dicens: *Si volueris res Dei* » *tollere, Dominus Regnum tuum velociter auferet, quia iniquum est, ut pauperes, quos tuo debes alere horreo, ab eorum stipe* » *tua horrea repleantur*. Et iratus contra Regem, nec *vale* di» cens accessit. Tunc commotus Rex, timens etiam virtutem » beati Martini, misit post eum muneribus veniam precans; & » hoc quod fecerat damnans, simulque Rogans, ut pro se vir» tutem beati Martini Antistitis exoraret «

At de Theoberto narrat idem Historicus *lib.* 3. *cap.* 25. „Om» ne tributum, quod in Fisco suo ab Ecclesiis in Averno sitis » reddebatur, clementer indulsit. «

XXI. Subsequentes Galliarum Reges Ecclesiarum immunitatem non tantùm probârunt, sed & ampliârunt; uti ex eorum Capitularibus haud obscurum est.

In Capitulari Ludovici Pii anni 816. *cap.* 10. legitur: » San» citum est, ut unicuique Ecclesiæ unus mansus integer absque » alio servitio adtribuatur. Et Presbyteri in eis constituti non de » decimis, neque oblationibus fidelium, non de domibus, ne» que de atriis, vel ortis juxta Ecclesiam positis, neque de præs» cripto *manso* aliquod servitium præter Ecclesiasticum faciant. » Et si quid amplius habuerint, inde Senioribus debitum servi» tium impendant. «

Refertur quoque *lib.* 1. *Capitular. Cap.* 85. extatque apud Gratianum *Caus.* 23. *quæst.* 8. *Can.* 24. sed mutilatum.

XXII. » Ecclesiæ cujusque *mansus* dicebatur fundus, hoc » est, certus modus cum structura plerumque ad mansionem, » ait Jacobus Sirmondus in notis ad Capitularia Caroli Calvi. » Vel ut notat Du Cange in suo Glossario, verbo *Mansus Ec*» *clesiasticus*, (t) dicitur ea agri portio, quæ ipsi Ecclesiæ in do» tem assignari solebat, vel Præsbytero Ecclesiam deservienti » cum aliquot mancipiis. «

Quidquid sit, hoc constat, *Mansum* Ecclesiæ Regum Edictis immunitate donatum fuisse; sive sancitum fuisse, unicuique Ecclesiæ unum *mansum integrum* absque ullo servitio atribui, uti loquitur Sirmondus; qui & addit: » Quare de hoc manso cen» sum, aut aliud quodvis servitium exigi nefas fuit. Ea *immuni*» *tas mansi* dicebatur, ut titulo 40. cap. 9. *Seniores immuni*» *tatem de manso ad Ecclesiam dato conservent*. «

XXIII. Mansus hic ordinariè constabat 12. *bunnariis* terræ arabilis cum aliquot mancipiis. Unde in legibus Longobardorum *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 46. legitur: » Quòd si fortè in aliquo lo» co Ecclesia sit constructa, quæ tamen necessaria sit, & nihil » dotis habuerit, volumus, ut secundum jussionem Domini, ac » Genitoris nostri unus mansus cum XII. *bunnariis* de terra ara» bili ibi detur, & mancipia duo à liberis hominibus, qui in ea» dem Ecclesia officium audire debent, ut Sacerdotes ibi pos» sint esse, & divinus cultus fieri: quod si hoc populus noluerit, » destruatur. «

Et inter ea, super quibus à Decanis per singulas Parochias inquiri jubebat Hincmarus Remensis, erat hic articulus: » Si ha» beat mansum habentem *bunnaria duodecim*, præter cœmite» rium, & cortem, ubi Ecclesia, & domus ipsius continetur » aut si habeat mancipia quatuor. « Habetur tomo 8. Concil. Gener. *col.* 573.

Idipsum habetur in formula inquisitionis faciendæ ab Episcopo visitante Parochias, relatâ à Regione *lib.* 1. *art.* 13.

XXIV. Immunitas hujus *mansi* occurrit quoque in Capitulari Caroli Calvi de anno 865. *tit.* 37. *cap.* 11. » Ut de uno man» so ad Ecclesiam dato nullus census, nec caballi pastus à *se*» *nioribus* requiratur, sicut in præfato Capitulari continetur. » Sed neque de terrulis, ac vineolis pro loco sepulturæ ad eas» dem Ecclesias datis, neque de decimis, sicut in Canonibus, » & in præfatis Capitularibus continetur. «

XXV. Hæc Capitularia unicè videntur concernere Ecclesias Parochiales & Rurales, earumque Presbyteros, & terras; quandoquidem non loquantur nisi de servitio *Senioribus*, hoc est, Toparchis, & Dominis Pagorum exhibendo; uti rectè notavit, & ostendit Ludovicus Thomasinus *de Disciplina Ecclesiæ*, *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 5. » Hi enim *Senioris*, sive Toparchæ pas» sim ex omnibus terris & familiis servitutem aliquam præ» tendebant. «

(t) *Mansus Ecclesiasticus in Hispania intelligi debet quidquid Ecclesiæ, vel Clericis in fundatione adjudicatum est: & hoc immunitate gaudere constat ex LL. anteà citatis; attamen bona posteà ab Ecclesiis, Monasteriis, Clericis adquisita sive emptione aut legatione, contributioni Regiæ sunt obnoxia, præcipuè ab anno* 1737. *virtute Concordati inter Romanam Sedem, Regemque nostrum Catholicum eodem anno conclusi; quod publicatum fuit* 12. *Martii ann.* 1741. *Verba Decreti sunt.* Se hac condescendió por su Santidad, que todos aquellos bienes, que por qualquièr título adquirieren qualquiera Iglesia, Lugar Pio, ó Comunidad Ecclesiástica, y por esto cayeren en manos muertas, queden perpetuamente sujetos desde el dia que se firmare la presente Concordia, á todos los Impuestos, y Tributos Regios, que los legos *pagan*, A EXCEPCION DE LOS DE PRIMERA FUNDACION.

Verùm licèt in citatis Capitularibus de Monasteriis, & Ecclesiis in civitatibus positis, mentio non fiat; eò quòd hæc non ita essent Toparcharum illorum servitutibus & vexationibus exposita, certum nihilominus est, non minore immunitate fuisse donata.

Jura illa, seu servitia, quæ Domini à Presbyteris requirebant, exprimuntur in Concilio Trosleano *cap.* 6. Conqueritur enim quòd » aliqui, exactiones censûs ab ipsis Sacerdotibus ex» quirant, & xeniis, ac pastis, vel paraverendis, seu caballo» rum saginationibus Presbyteros affligant. «

XXVI. Et quidem cùm aliqui prætenderent: » Non plus » immunitatis (Monasteriis concessæ) nomine complecti quàm » claustra Monasterii, cætera quamvis ad easdem Ecclesias, vel » Monasteria pertineant, extra immunitatem esse; « declarârunt Imperatores, quòd omnes terræ ad Monasteria pertinentes eadem immunitate gauderent. » Volumus, atque decernimus, » ut omnes intelligant non solùm claustra Monasterii, vel Ec» clesiæ, atque castitia Ecclesiarum sub immunitatis defensio» ne consistere, verùm etiam domus, & villas, & septa vil» larum, & piscatoria manu facta, & quidquid fossis, aut se» pibus, vel etiam alio clausularum genere præcingitur, eo» dem immunitatis nomine contineri. « Ita legitur *Lib.* 5. *Capitular. cap.* 279.

XXVII. Hæc generalis immunitas luculenter rursus exprimitur *lib.* 6 *Capitular. cap.* 109. » Possessiones ad Religiosa lo» ca pertinentes nullam descriptionem agnoscant, nisi ad cons» titutionem viarum, vel pontium; si tamen intra eadem loca » habuerint possessiones. In aliis verò omnibus habeant integram » immunitatem. «

XXVIII. Quòd hîc adjicitur de constitutione viarum, & pontium, idipsum jam pridem edixerat Justinianus Imperator *Novella* 131. *cap.* 5. ubi Ecclesiarum prædia, & latifundia à sordidis functionibus, & extraordinariis oneribus immunia fecit, exceptis *publicarum viarum*, *pontium*, aliorumque publicorum operum restaurationibus, & ædificationibus; idque adinstar aliorum possessorum. Ante Justinianum Valentinianus III. in *Novella* 21. inter Theodosianas ab his Clericos immunes non esse decrevit; neque *sordidis* muneribus annumeranda. Vide Zypæum *Consult.* 1. *de Immunit. Eccles. num.* 3. ubi latè ostendit, Ecclesiasticos teneri ad reparationes *viarum*, quæ fundis Ecclesiæ adjacent, hæc esse onera innata rebus, atque intrinseca; quamquam executricem Magistratûs manum requirant.

Idem Valentinianus vetuit Clericos *negotiari*; atque ita respectu ipsorum omnem immunitatem à tributis â mercatoribus pendendis cessare.

Nec immeritò, scitur enim quàm difficulter in mercatura modus teneatur; quàm avaritia, lucri ardor, aliaque vitia hîc se immisceant.

Et quidem de Clericis istius temporis scribit Sulpitius Severus *lib.* 2. *Hist.* » Tanta hoc tempore animos eorum haben» di cupido veluti tabes incessit: inhiant possessionibus, præ» dia excolunt, auro incubant, *emunt*, *venduntque*, quæstui » per omnia student. Scitur S. Hieronymum monuisse Nepo» tianum: *Negociatorem* Clericum, & ex inope divitem, ex » ignobili gloriosum, quasi quandam *pestem* fuge. «

XXIX. Licèt terris Ecclesiæ immunitas esset, tamen si novæ terræ ad Ecclesiam pervenirent, censui subjectæ, hæ immunitate non gaudebant; uti sat clarè expressum est *lib.* 3. *Capitular. cap.* 86. » Ut de rebus unde *census* ad partem Regis » exire solebat, si ad aliquam Ecclesiam traditæ sunt, aut red» dantur propriis hæredibus, aut qui eas retinuerit, illum cen» sum persolvat. «

Rursus *lib.* 4. *cap.* 37. » Quicunque terram tributariam, » unde *tributum* ad partem nostram exire solebat, vel ad Ec» clesiam, vel cuilibet alteri tradiderit, is qui eam susceperit, » tributum, quod inde solvebatur, omni modo ad partem nos» tram persolvat; nisi fortè talem firmitatem de parte Domi» nica habeat, per quam ipsum tributum sibi perdonatum pos» sit ostendere. «

Finalis clausula ostendit, opus fuisse speciali privilegio, seu indulto, quo terræ tributariæ ad Ecclesiam devolutæ, à tributo, cui antea erant subjectæ, eximerentur.

XXX. Ostendunt tamen citati textus, nonnullas fuisse terras, tributo vel censui non subiectas, hasque, si ad Ecclesias pervenissent, immunes etiam mansisse; ac potuisse Ecclesiam eas liberè acquirere & retinere; uti benè advertit Thomassinus citato *cap.* 5. *num.* 7.

XXXI. Hæc sunt, quæ diversis temporibus de immunitate bonorum Ecclesiæ jam pridem Principes decrevêre: Quibus addi potest recentior Fred. II. Imp. Constitutio relata in Authentica, ITEM NULLA *Cod. de Episcopis & Clericis.* » Item » nulla Communitas, vel persona publica, vel privata collec- » tas, vel exactiones, angarias vel perangarias, Ecclesiis vel » aliis piis locis, vel Ecclesiasticis personis imponere, aut inva- » dere Ecclesiastica bona præsumant. « His Imperatoriis Ordinationibus nonnulla, quæ in Principum nostrorum Edictis, quibus nunc utimur, consona esse & ex his originem suam sumpsisse, capite sequenti annotabimus.

CAPUT II.

QUID DECRETALES, ET HODIERNA BELGII CONSUETUDO CIRCA HANC IMMUNITATEM STATUANT.

1 *Immunitas* Mansi *ipsius Ecclesiæ asserta* in Cap. 1. *de* Censibus.
2 *Quis auctor hujus Capituli.*
3 *Quomodo hîc asseratur immunitas* Dotis *ipsius Ecclesiæ.*
4 *Secundum aliquos vi hujus Decretalis sola dos Ecclesiæ immunitate gaudet.*
5 *Hæc opinio consona videtur Synodo Valentinæ.*
6 *Alii credunt, vi hujus Decretalis omnia bona Ecclesiæ fuisse immunia, & sola patrimonialia excepta.*
7 *Immunitas Ecclesiastica seculo IX. & X. ultra terminos hujus Decretalis extensa non fuit.*
8 *Seculo XI. ad bona etiam* patrimonalia *Clericorum extendi cœpit.*
9 *Decreta Conciliorum Lateranensium loquuntur generaliter de bonis Clericorum.*
10 *Synodi habitæ seculo XIII. evincunt immunitatem etiam bonis patrimonialibus Clericorum competiisse.*
11 *Id & seculo XIV. obtinuit.*
12 *Condemnantur Clericorum fraudes bona laicalia fictè sibi asserentium.*
13 *Hodie in Belgio bona patrimonialia Clericorum non sunt immunia.*
14 *Edicto Principum nostrorum specialiter eximuntur bona Ecclesiarum primæ fundationis, & amortizata; vel aliquo tempore ut talia possessa.*
15 *Princeps specialiter eximendo bona* primæ fundationis, *respexisse videtur ad* Cap. 1. ⁂ de Censib.
16 *Quare bona Ecclesiæ non amortizata non gaudeant immunitate.*
17 *An coloni bonorum Ecclesiasticorum gaudeant immunitate.*
18 *Præter immunitatem ab oneribus, quæ rebus imponuntur, est & alia eximens ob oneribus personis impositis.*
19 *Quæ sint onera realia in hac materia.*
20 *Tripliciter imponuntur onera realia.*
21 *Quæ sint onera personalia.*
22 *Quæ dicantur mixta.*
23 *Quare in Belgio nequeat in specie dici, quæ sint onera realia, quæ personalia.*
24 *Clerici ab oneribus personalibus jure Decretalium sunt immunes.*
25 *Hanc immunitatem asserit Concilium Lateranense.*
26 *Immunitatem hanc Bonifacius VIII. adscribere videtur juri divino.*
27 *Synodus Trid. eam divinâ ordinatione constitutam asserit.*
28 *Immunitas hæc non potest dici instituta jure divino.*
29 *Ostenditur, quod dici queat consona iis, quæ in Scriptura Sacra dicuntur.*
30 *Hæc immunitas potest dici divina ordinatione introducta sicuti decimarum solutio.*
31 *Varia est locorum, & temporum circa immunitatem disciplina.*
32 *Hanc varietatem supposuerunt in Belgio Consilia Regia in receptione Concilii Tridentini.*
33 *Clerici immunes sunt ab oneribus mixtis.*
34 *A militum hospitio immunes Clerici jure Decretalium.*
35 *In Gallia quoque & Belgio competit: & quæ hujus immunitatis ratio.*
36 *Immunitas hæc non domibus, sed Clericis domos inhabitantibus competit.*
37 *An domus oneri recipiendi aliquando obnoxiæ sint immunes, dum Clerici eas incolunt.*
38 *Tempore obsidionis, aut magnæ necessitatis hæc immunitas cessat.*
39 *Solicitè cavendum, ne prætextu necessitatis immunitas Ecclesiastica violentur.*
40 *Vetantur ab Ecclesiis exigi* Fodrum, Albergariæ, & Regium.
41 *Quid* Fodrum, & Albergariæ.
42 *Per* REGIUM *quidam intelligunt expensas militares.*
43 *Ab expensis militaribus Clericos eximit jus commune, cui consonant Edicta Regia in Gallia.*
44 *Eadem immunitas competit Clericis in Belgio.*
45 *An Clerici jure communi sint immunes à vigiliis, & custodia murorum.*
46 *An teneantur contribuere pro reparatione murorum, aut mœnium civitatis.*
47 *De consuetudine Regni Galliæ tenentur contribuere duobus concurrentibus.*
48 *In hac materia immunitatis usus etiam est attendendus.*
49 *De onere* capitationis: *& quomodò ab eo Clerici sint immunes.*
50 *Assignatur vera ratio indultæ immunitatis bonorum Ecclesiasticorum ex Concilio Lateranensi.*
51 *Eandem indicat S. Agobardus.*
52 *Rectus usus bonorum Ecclesiasticorum medium est efficacissimum conservandi immunitatem Ecclesiasticam.*

I. IN *cap.* 1. ⁂ *de Censibus* legitur: » Scitum est, ut uni- » cuique Ecclesiæ unus *Mansus* integer absque ullo ser- » vitio tribuatur. Et Presbyteri in eis constituti, non de de- » cimis, neque de oblationibus fidelium, non de domibus, ne- » que de areis, vel hortis juxta Ecclesiam positis, neque de » prædicto Manso aliquod servitium faciant præter Ecclesiasti- » cum. Et si quid ampliùs habuerint, inde senioribus debitum » servitium impendant. «

II. Hic textus refertur in hac Decretalium Collectione sub nomine Concilii apud *Guarmatiam*, uti & in prima Decretalium Collectione Antonii Augustini. Apud Gratianum *causa* 23. *q.* 8. *Can.* 25. refertur ex Concilio Wormatiensi; uti & apud Burchardum, & Ivonem: quæ licèt sint diversa, non tamen sunt contraria, inquit Emmanuel Gonzalez in Commentario ad citatum *cap.* 1. cùm plerumque Concilia *Wormatiensia* dicantur *Guarmatiensia*, à civitate *Wormatia* seu *Guarmatia*. Notatque Stephanus Baluzius ad citatum Canonem Gratiani, in antiquis editionibus Decreti Gratiani eum referri ex Concilio *Guarmatiensi*, cùm hodie legatur, *Wormatiensi*. Observat quoque ibidem Baluzius, primum ejus auctorem esse Carolum Magnum. Ex cujus Capitularibus citatur à Reginone *lib.* 1. *cap.* 24. & è Capitularibus eum capite præcedenti retulimus.

III. Per *mansum* hîc intelligi *dotem Ecclesiæ*, capite præcedenti notavimus: & ita communiter intelligi à Canonistis monet Panormitanus in expositione hujus textûs.

Ex quo ulteriùs concluditur, inspecto jure Decretalium, agros & possessiones, quæ revera ad Ecclesiam pertinent, tanquam *dos* ipsius Ecclesiæ immunes esse ab omni servitio temporali, & consequenter ab omni pensitatione tributorum, & vectigalium.

IV. Si verò ultra *mansum*, aliaque ibidem expressa, quid » ampliùs habuerint, inde Senioribus suis debitum servitium im- » pendant, « ait textus.

Verus sensus horum verborum nonnullis videtur esse, quòd » si ipsæ Ecclesiæ alia prædia habeant, ultra prædictum *man-* » *sum*, ex his tributum, quod pendere solebant Senioribus, » id est, Judicibus, aut Magistratibus seu Dominis illius præ- » dii, debitum impendant; quia tunc prædia illa transeunt » cum onere, nec similia prædia habent privilegium *dotis* Ec- » clesiæ. PP. enim & Imperator privilegium hoc exemptionis » concesserunt *manso* Ecclesiæ, qui *necessarius* est ad alimo- » niam Rectoris & aliorum ministrorum Ecclesiæ, necnon ejus » luminaria, & similia; non autem aliis prediis, quæ pro do- » te Ecclesiæ assignata non erant, in quibus æqualis ratio fa- » voris, & necessitatis non vigebat. «

V. Hactenus Gonzalez, cujus interpretatio etiam confirmari videtur ex *Canone IX.* Concilii Valentini III. celebrati anno 855. quo nominatim cavetur, ne de *dotibus* Ecclesiarum ullus census à Secularibus exigatur. Verba Canonis sunt: » *Do-* » *tes* verò à Fidelibus designatæ Basilicis ad hoc, quod statu- » tum ab eis (Presbyteris Parochialibus) vindicentur, nulla- » que redhibitio *census* inde à quolibet seculari exigatur. «

Hinc non obscurum est, ipsius *dotis* specialem rationem habitam fuisse; atque singulariter fuisse provissum, ne per censuum, aut tributorum exactiones minueretur.

VI. Nonnulli tamem credunt, finalia citatæ Decretalis sive Canonis verba: *Et si quid amplius* &c. non esse referenda ad Ecclesias, sed ad Presbyteros; ut sensus sit: Si Presbyteri quid *amplius* habuerint, puta, aliquos *proprios* agros, aut *patrimonialia* prædia, hæc esse servitiis, & oneribus obnoxia; quo sensu omnia bona Ecclesiæ essent immunia: quæ autem Presbyteri *amplius* sive præter illa haberent *propria*, tributa vel servitia Dominis sive Senioribus deberent.

VII. Quidquid sit, hoc sat constat, hunc Canonem seculis IX. & X. passim in Synodis, & Epjscoporum Decretis fuisse renovatum; neque immunitatem hanc vix ultra terminos hujus Decretalis, seu Canonis illis seculis fuisse extensam; atque id solicitè curâsse Episcopos, ut unicuique Ecclesiæ *mansus*

sus integer, & ab omni servitio liber assignaretur, & conservaretur. At seculo XI. & sequentibus non tantum ad omnia bona Ecclesiæ, sed etiam ad *patrimonialia* & privata Clericorum bona hæc immunitas extendi cœpit.

VIII. Et quidem seculo XI. celebratum Concilium Melphitanum sub Urbano II. *Can. XI.* decernit: » Ne gravamen aliquod sancta patiatur Ecclesia, nullum jus laicis in Clericos esse » volumus.....Neque liceat laicis exactionem aliquam pro Ecclesiæ Beneficiis, aut *paternis*, *maternisve* facultatibus quærere. «

Hinc non obscurè significatur, laicis fas non fuisse, etiam in bonis *paternis*, seu *maternis* Clericorum aliquam exactionem quærere.

IX. Concilia Lateranensia sub Alexandro III. & Innoc. III. quorum Decreta referuntur in *Cap.* 4. & 7. ✠ *de Immun. Eccles.* licèt non loquantur nominatim de bonis *propriis*, & *privatis* Clericorum; tamen quia loquuntur indefinitè *de bonis Ecclesiarum*, & CLERICORUM & *pauperum usibus deputatis*, ita accepta fuisse videntur, quasi sub hac immunitate bona *patrimonialia* essent comprehensa, ut ex Synodis sub idem penè tempus habitis non obscurum est.

X. Et quidem hoc sensu immunitatem accepisse apparet Patres Concilii Narbonensis an. 1227. (id est 12. circiter annis post Concilium Lateranense sub Innocentio III.) *Can. XII.* » Item statuimus, ut Clerici occassione *patrimonii* sui, vel per» sonæ, *nullatenus tallientur*, & tam Consules, quàm alii Lai» ci ab his talliis & exactionibus per censuram Ecclesiasticam, » si necesse fuerit, compellantur. «

Rursus in Concilio Tolosano anno 1229. *Can. XXII.* » Cle» rici quoque non talliabuntur occassione etiam *hæreditatis*, » etiamsi per *successionem* eis obvenerit, nisi sint mercato» res vel uxorati.

Concilium Coloniense anno 1266. *Can. VIII.* statuit, ut non tantùm » bona Ecclesiarum, sed etiam *Ecclesiasticarum* » *personarum* civitatis, & Diœcesis Coloniensis sint, & maneant » in omni loco, tam in civitate quàm extra, & transeant tam » in terris, quàm in aquis, absque telonio, & qualibet exactio» ne, & sine omni impedimento libera, & penitùs absoluta."

XI. Hæc, aliaque illo seculo habita Concilia sat significant, immunitatem etiam ad bona *patrimonialia* Clericorum fuisse extensam. Imò & seculo XIV. idem jus perseverasse plura Conciliorum Decreta probant; ac signanter Concilii Avenionensis anno 1326. *Can. XXXII.* » Item quod Clerici, & hospitalia, » & Ecclesiæ à taliis & exactionibus, quas Domini temporales » faciunt, etiam ratione possessionum temporalium, necnon in » *patrimonialibus*, secundum leges & Canones defendantur per » Ordinarios, nimis hactenus super hoc negligentes: ne pau» latim usurpent temporales Domini, in præjudicium, & ener» vationem Ecclesiasticæ libertatis."

XII. Imò & sub finem ejusdem seculi, testimonium perseverantis illius disciplinæ sat luculentum suppeditat Concilium Narbonense anno 1374. *Can. XXV.* condemnans Clericorum, & Religiosorum aliquorum fraudes, qui sub fictis bonorum in se translationibus etiam bona Laicorum sub immunitate conservabant; » Ad nostrum (ait) pervenit auditum, quòd nonnul» li Clerici soluti, & tam minoribus, quàm in Sacris Ordinibus » constituti, & etiam Religiosi aliqui sibi procurant donationes » rerum immobilium fieri in *fraudem*, ut bona sic eis donata » ad contributionem talliarum Laicorum pro rata non teneantur. (u) Nos igitur talibus fraudibus obviare volentes, hoc sa» cro approbante Concilio prohibemus, ne hujusmodi donatio» nes in *fraudem*, ut præmittitur, recipiant."

XIII. Verùm cùm Clerici hæc bona possideant, non ut Clerici, aut tanquam ministri Ecclesiæ, neque ullatenus ad Ecclesiam pertineant, aut legibus Ecclesiæ subjaceant; jam pridem hisce in partibus omnis immunitas quoad bona *patrimonialia* Clericorum desiit; sed per omnia conditionem bonorum laicalium quoad onera rebus imposita sequuntur; ac notanter declaratum est in Edicto Philippi Boni Ducis Brabantiæ 20. Septembris anno 1451. *art.* 7. quod in onere reali, quod vulgò idiomate Brabantino dicitur *Beden*, contribuere, & solvere teneantur Ecclesiasticæ personæ, & Beguinæ in Brabantia de suo *patrimonio*, & bonis in suos *privatos* & *proprios* usus acquisitis, sicuti alii incolæ.

XIV. Quin & *art.* 8. in eandem contributionem etiam vocantur omnia bona in Brabantia sita, quæ Ecclesiasticæ personæ ad *usum Ecclesiasticum*, sive in Monasteriis, aut alibi in vel extra Brabantiam commorantes emerunt, & acquisierunt; exceptis iis bonis, quæ ad *primam fundationem* data fuêre, & ad eum finem à Principe *amortizatis*; item iis exceptis, quæ ab Ecclesiasticis plusquam à 70. annis acquisita erant, & ab onere illo semper manserant exempta. Idipsum exprimitur in Edicto de anno 1487. *art.* 11. ibi tamen *art.* 12. excipiuntur bona ad usum Ecclesiasticum acquisita ante annum 1481. & ab eo tempore exempta manserunt, hoc est, *sex annis* ante hoc Edictum.

XV. Princeps hic eximendo specialiter bona *primæ fundationis*, sive *dotationis*, videtur respexisse ad Decretalem seu Canonem supra relatum, eximentem *Mansum*, seu *dotem* Ecclesiæ: eumque juxta primum sensum ibidem assignatum intellexisse videtur.

XVI. Vult insuper Princeps ea sola bona Ecclesiæ immunitate ab isto onere gaudere: quia cùm jam pridem receptum esset, ut sine speciali facultate Principis, quæ *amortizatio* dicitur, bona immobilia in Ecclesiam tanquam *manum mortuam* transferri non possent, (uti *part.* 1. *tit.* 29. *cap.* 3. dictum est) hac acquirendi facultate non factâ à Principibus, æstimârunt Nobiles, & alii laici, cogi posse Ecclesiam, ut bona è manu mittat, vel si benignius agatur, ut *realia onera*, non secus ac seculares ferat; ideoque secundum leges civiles ad indicta communiter rebus onera, etiam Ecclesiarum possessiones obligari; uti loquitur Zypæus *Consult.* 1. *num.* 10. *de Immunit. Eccles.*

Imò ne nimium gravarentur laici per immunitatem bonorum Ecclesiæ ab oneribus publicis, ipsis quoque litteris amortizationis inseritur clausula, quòd bona amortizata remanebunt *taxabilia*, qualiter anteà fuerunt: quales litteras veteres se aliquando vidisse asserit Zypæus loco citato; & supra citato *capit.* 3. ex Antonio Anselmo notavi, quòd Supplicantes pro amortizatione, ut eam faciliùs impetrent, soleant bona amortizanda subjicere, & obnoxia reddere impositionibus, & talliis.

XVII. Refert Zypæus in Jure Novo *tit. de Immunitate Ecclesiarum*, *num.* 22. Consilium Brabantiæ 22. Augusti anno 1598. declarâsse in causa Monasterii S. Bernardi ad Scaldim contra Pagos de Wesmal & Soersele, » à precariis, similibus» que oneribus, non decimas tantùm, sed & decimarum con» ductores immunes esse, ne scilicet per eorum latus Clerici » tranfigerentur."

Deindè subjungit Zypæus: » An idem sit censendum de » conductoribus aliorum bonorum amortizatorum, ut nec ipsi » contribuant, sicut nec locatores? Pro affirmativâ facit simi» litudinis ratio, & *art.* 14. *de Instruct.* ubi precariarum onus » dirigitur in colonum, & nihilominùs amortizatis bonis datur su» pradicta immunitas. Et ita aliquibus locis usus habet, pluribus » secùs: sed error sæpè irrepit ideò, quòd non inquiratur, an » antiquitùs amortizata, an recentiùs acquisita bona sint."

Hæc ille; qui & *Consult.* 1. *de Immunitate Eccles. num.* 14. asserit, judicatum fuisse 9. Junii 1636. pro Abbate Averbodiensi, & Postulanensi contra municipium de-Balem, ab oneribus realibus excepta esse non tantùm bona amortizata, sed & ipsos colonos talium bonorum.

XVIII. Et hæc quidem quoad immunitatem, quæ ex natura, & conditione ipsorum bonorum petitur sine consideratione personæ possidentis, præter quam est & immunitas personis Clericorum competens, ipsasque personas ab oneribus laicalibus eximens, pro qua immunitate dignoscenda, necessariò onerum realium, personarum, & mixtorum distinctio observanda est.

XIX. Onera realia sunt, quæ imponuntur ipsis rebus, nulla prorsus habitâ personæ possidentis contemplatione: uti jam pridem notavit Boetius Epo ad *cap.* 4. ✠ *de Immunitate Eccles. num.* 57.

XX. Hoc autem genus onerum merè realium in alia tria subdividitur genera (ait dictus auctor) » quandoquidem nunc » res ipsa per sese præstat ministerium, sicut equus, mulus, » plaustrum, navis, res alia quælibet: nunc aliquid ex ipsa re » proveniens exigitur, ut certa portio fructuum: nunc denique » neque res ipsa servit, neque ex rei proventu quidquam deli» batur, sed pecuniaria fit contributio pro re certa, seu res» pectu solius rei certæ citra ullam personæ considerationem, » sicuti fit in omnibus illis tributis, ac vectigalibus pecuniariis, » quæ rebus ipsis incumbunt."

XXI. Onera personalia sunt, quæ *personis* imponuntur, ita nimirum, ut personis singulis aliqua pecuniaria, aliave contributio imponatur: quæ cùm sumptus requirat, & hoc ex capite patrimonii diminutionem inducat, etiam onus *patrimoniale* rectè appellatur; quantumlibet ipsis *personis*, vel *capitibus* imponatur, & non rebus: quale onus est, quod hodie vulgò *capitatio* dicitur, de quo infrà.

XXII. Denique onera aliqua dicuntur *mixta*, id est, partim realia, partim personalia; quæ nimirùm personis quidem incumbunt, sed habita rerum possessarum contemplatione. Exemplum hujus generis occurrit in imperatis per Principem (sed pecuniariter exigendis, & solvendis) centesimis, vel quinquagesimis, vel vigesimis, vel decimis omnium cujuslibet sibi subditi facultatum: tale namque munus vel onus patrimoniale singulis incumbit, contemplatione tamen totius patrimonii, proque rata patrimonii: uti notat Boetius Epo loco suprà citato.

XXIII. Notandum in Belgio non posse in specie definiri, quæ onera sint *realia*, vel *personalia*; eò quòd id ferè dependeat

(u) *Ut fraudibus, quæ in hoc §. XII. continentur, remedium efferreretur, variæ leges editæ sunt, scilicet L. 35. tit. 3. L. 1. L. 11. tit. 10. lib. 5. & L. 6. tit. 33. lib. 9. Recopil. & etiam Actum Acord. 4. c. 21. & 29. tit. 1. lib. 4. Rec.*

deat à voluntate & consensu Ordinum, sive Statum, qui dum in onera illa consentiunt, unà declarârant, quo *pede*, ut ajunt, velint illa exigi; an pede *reali*, vel *personali*, vel *mixto*; uti capite sequenti latiùs dicetur.

XXIV. Si Decretales attendamus, evidens est, Clericis, sive personis Ecclesiasticis immunitatem ab exactionibus, ac talliis, & oneribus patrimonialibus, quæ *personalia* dicuntur, competere. » Clericos constat à personalibus oneribus liberos esse, » quamvis non à patrimonialibus illis, quæ rebus insunt, aut » imposita *perpetuò* fuerunt, antequam in Ecclesiam transirent, « ait Cypæus *cons.* 1. *num.* 5.

XXV. Et quidem Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *cap.* 7. ✠ *de Immunit. Eccles.* renovans, & amplians Decretum Concilii Lateranensis sub Alexandro III. de quo in *cap.* 4. ✠ *eod.* ait: » Adversus Consules, & Rectores civita- » tum, vel qui Ecclesias, & Ecclesiasticos viros talliis, seu » collectis, & exactionibus aliis adgravare nituntur, volens im- » munitati Ecclesiasticæ Lateran. Concilium providere, præ- » sumptionem hujusmodi sub anathematis districtione prohibuit; » transgressores, & fautores eorum excommunicationi subjace- » re præcepit, donec satisfactionem impenderint competentem.«

XXVI. Et Bonifacius VIII. in *cap.* 4. *de Immunit. Eccles. in* 6. dicere non dubitat, quòd » Ecclesiæ, Ecclesiasticæque » personæ, ac res ipsarum, non solùm jure humano, quin imò, » & *Divino*, à secularium personarum exactionibus sint im- » munes.«

XXVII. Similiter & Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 20. *de Reformat.* immunitatem Ecclesiarum, & Ecclesiasticarum personarum juri divino referendam indicat, dum dicit; se con- » fidere, Principes seculares: » non permissuros, ut Officiales, » aut inferiores Magistratus Ecclesiæ, & personarum Eccle- » siasticarum immunitatem, *Dei ordinatione*, & Canonicis sanc- » tionibus constitutam, aliquo cupiditatis studio, seu inconsi- » deratione aliqua violent.«

XXVIII. Verùm hæc, tum Pontificis, tum Synodi Tridentinæ dicta non ita accipienda sunt, quasi ipsa Ecclesiarum, & Clericorum immunitas, præsertim ab oneribus temporalibus, esset jure divino præcepta, & stabilita; sed quòd sit consona iis, quæ in sacra Scriptura, & verbo Dei consignata sunt.

XXIX. Legitur enim *Genesis cap.* 47. quod suggerente Patriarcha Joseph sub Pharaone Rege Ægypti, omnis terra Ægyptiorum Pharaoni subjecta fuerit, *præter terram Sacerdotum, quæ à Rege tradita fuerat eis*; additque Sacer textus: *Ex eo tempore usque in præsentem diem, in universa terra Ægypti, Regibus quinta pars solvitur, & factum est quasi in legem, absque terra Sacerdotali, quæ libera ad hac conditione fuit.*

Licèt ex hoc facto Josephi nullum possit elici præceptum Divinum, tamen elicitur argumentum, quo ostendatur, meritò à Principibus Christianis dari Sacerdotibus Novæ Legis, quod sub Imperatore Ethnico indultum fuit Sacerdotibus Idolorum.

Ad idem conducit exemplum Regis Artaxerxis de quo 1. *Æsdræ*, *cap.* 7. legitur scripsisse ipsum ad Custodes Arcæ publicæ in hæc verba: *Vobis quoque notum facimus de universis Sacerdotibus, & Levitis, & Cantoribus, & Janitoribus, Nathinæis, & Ministris domus Dei hujus, ut* VECTIGAL, *&* TRIBUTUM, *& annonas, non habeatis potestatem imponendi super eos.*

XXX. Itaque rectè dicitur hæc immunitas *Dei ordinatione* constituta, in quantum ad exemplum eorum, quæ Scriptura Sacra proponit, inducta est: quemadmodum in simili suprà *tit.* 33. de decimarum origine notavimus.

XXXI. Et sicuti circa decimarum solutionem varia est locorum varietas, non obstante quòd ea, quæ in Scriptura occurrunt, decimis introducendis occasionem dederint; ita & circa hanc immunitatem pro temporum, & locorum diversitate variam fuisse, & adhuc esse disciplinam, notorium est: quod & manifestum est argumentum, eam non juri Divino, nisi impropriè, adscribi posse.

XXXII. Antonius Anselmo Jurisconsultus Antuerpiensis in suo Triboniano Belgico *cap.* 33. referens annotationes factas ad Decreta Concilii Tridentini per Consilia Regia in Belgio prævià ad ejusdem Concilii publicationem, loquens §§. 55. & 56. de citato *cap.* 20. *Sess.* 25. ait: » Eadem sessione (25.) cap. 20. » monentur omnes Principes Christiani libertatem, immunita- » tem, & Jurisdictionem Ecclesiasticam protegere, & conser- » vare. Hic rursum Brabanti auctoritatem, & privilegia Re- » giæ Majestatis, & Provinciarum ingeminant. Alii id intelli- » gere se ajunt, exceptis necessitatibus, aliisque casibus jure » expressis, proque Provinciarum inculpato more, ac usu le- » gitimè præscripto, sive privilegio confirmato. «

XXXIII. Ab oneribus personalibus, quæ à laicis imponuntur personis, habitâ tamen consideratione possessionum, quæ *mixta* dici possunt, Clericos immunes esse, sive jus Civile, sive Canonicum attendamus, indubitatum est (x), uti etiam notat Zypæus *Consult.* 1. *de Immunit. Eccles. num.* 2. & 3. & evidenter exprimitur in *cap.* 7. ✠ *de Immunit. Eccles.* necnon *cap.* 1. *eod. in* VI.

XXXIV. Hinc imprimis deducitur, Clericos ab hospitio militum esse immunes; quod & jam pridem à Constantino Magno in *L.* 1. *Cod. de Episcopis & Clericis* cautum reperitur; & ex *cap.* 1. ✠ *de Immunit. Eccles.* communiter deducunt Canonistæ; quamvis ibidem non de militibus hospitio recipiendis, sed de Placitis, sive Judiciis in Ecclesiis, vel domibus Ecclesiarum exercendis, & ipsis Judicibus hospitio recipiendis agi videatur; & textus ipse sat innuit. Interim hîc unanimi consensu tradunt Canonistæ, Clericos à recipiendis militibus esse immunes (y).

XXXV. Eam in Senatu Sabaudiæ Clericis assertam refert Antonius Faber in Codice *lib.* 9. *tit.* 30. *definit.* 26. creditque » fortasse hoc privilegium Clericis datum, quòd onus hoc per- » sonalem quoque inferat vexationem, quæ recipientis vere- » cundiam ipsam pulsare ac lædere videatur. « Et in Gallia servari tradit Choppinus *lib.* 3. *de S. Pol. tit.* 2. *num.* 3. atque sæpiùs nominatim Edictis Regiis vetitum fuisse, Ecclesiasticorum domos militum hospitio gravare, refertur in Actis Cleri Gallicani *tom.* 3. *part.* 4. *cap.* 7. Et in Declaratione Maximiliani, & Mariæ Ducum Brabantiæ de 13. Junii 1479. Clerus Brabantiæ, qui tum temporis suberat Episcopis Leodiensi, & Cameracensi, declaratur exemptus ab hospitio militum.

XXXVI. Cùm autem hoc privilegium personale, sive personis Clericorum potius, quàm eorum domibus concessum sit, rectè notat Boetius Epo ad *cap.* 1. ✠ *de Immunit. Eccles.* » do- » mos Ecclesiarum hîc intelligi, quas ipsimet inhabitant Eccle- » siastici, non quas laicis inhabitandas concesserint; quemad- » modum (ait) vice versâ, laicorum domus, quas occupant » & inhabitant Clerici, pro domibus Ecclesiarum hac in re vi- » dentur habendæ. «

XXXVII. Dicunt quidem communiter Canonistæ, cessare hanc immunitatem, si domus Ecclesiasticorum singulari quodam jure fuerint illi oneri subjectæ, sed uti ibidem rectè reflectit Boetius Epo, id intelligi debet de *singulari*, & *speciali* jure; non autem de generali, quo laicorum domus à laicis inhabitatæ passim huic oneri subjacent.

XXXVIII. Ulteriùs Choppinus loco citato, postquam dixit domos Clericorum à militum hospitio esse immunes, addit hanc limitationem: » Dempto eo casu, si obsidione » cincta mœnia proponentur, vel summum aliud periculum im- » penderit. «

Similiter Antonius Faber *allegatâ definit.* 26. notat, Ecclesiasticos in recipiendis militibus meritò laicis subsidio esse, ubi laici recipiendorum militum oneri sunt impares.

XXXIX. Ne tamen hoc prætextu necessitatis, aut impotentiæ violaretur Ecclesiastica immunitas, dicit in casu occurrente, à Senatu Sabaudiæ per sententiam interlocutoriam ordinatum fuisse, ut antequam ad recipiendos milites adigerentur Ecclesiastici, ante omnia per unum è » Senatoribus inspice- » rentur, & describerentur omnes totius civitatis ædes, quæ » ad subeundum hospitis recipiendi munus essent idoneæ, ut » ex ea inspectione, ac descriptione constare posset, quibus » finibus circumscribendi, & definiendi essent casus illi neces- » sitatis, quorum haberi rationem oporteret, ad obligandos » Clericos, ut laicis subsidium ferrent; ne aut in Clericorum, » aut in laicorum arbitrio relictum id videretur. «

Rationem hujus inspectionis subjungit, » Nam nisi maxima, » omninoque præcisa urgeret necessitas, quæ nec nobilioribus, » nec aliis ullis præcipua immunitate gaudentibus parceret, nihil » contra Ecclesiasticam immunitatem statuendum esse constabat, » sive de stationario milite, sive de eo, qui ex causa aliqua » improvisa supervenerit, recipiendo ageretur: quomodo sæ- » piùs à Senatu nostro pronuntiatum antehac fuit pridem pro » Canonicis civitatis Aquensis, nuper autem pro R. D. Cano- » nicis Ecclesiæ Cathedralis Gebennensis, confirmatâ Concilii » Gebennensis sententiâ, me Præside, pro ipsis latâ. «

XL. In *cap.* 23. ✠ *de Jure Patronatus* inhibetur Patronis, Advocatis, & Vicedominis exigere ab Ecclesiis Patronatis *fodrum*, *albergarias*, & *regium*.

XLI. Fodrum interpretatur Boetius Epo *de Regalia num.* 24. jumentorum *pabula*, à voce germanica *fœder.* Per *albergarias* autem significari credit, hospitiorum præbendorum onus, corruptâ scilicet per imperitos voce germanicâ seu *herberghe*, quod est hospitium, seu *herberghen*, quod est hospitio excipere, seu *herbergiers*, qui sunt hospites, vel potiùs

(x) *Adde legem* 4. *tit.* 2. *lib.* 1. *& leges* 1. 2. 3. 4. 5. 6. & 12. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopil.*

(y) *Antea dictis in cap.* 1. *hujus tituli, & notatis sub re-*

miss. litt. (o) *addi possunt Act. Acordat.* 8. *tit.* 4. *in fine tit.* 14. *lib.* 6. *Recopil.*

tiùs Pandochæi seu caupones, in *albergarias*.

XLII. *Regium* autem interpretatur Glossa ad citatum Capitulum, *tributum* Regi pendendum. Credit tamen Zypæus citatâ *Consultat.* 1. *num.* 20. »fortè propitiùs de aliis militaribus expensis, v. gr. angariis, & perangariis, quasi *regio* jure, aut more exactis rectè hîc intelligi, ob duo militaria vocabula, quibus conjungitur.«

XLIII. Quidquid sit, hoc sat certum, jure communi inspecto, Ecclesiasticos non tantùm à militum hospitio, sed & militaribus expensis esse immunes; ipsaque Regia Edicta in Gallia non semel eam immunitatem Ecclesiasticis asseruerunt: ac signanter Henricus III. Edicto Blesensi ann. 1579. Ecclesiasticos exemptos declaravit ab omnibus bellicis contributionibus, & militum hospitiis: & Ludovicus XIII. anno 1619. edixit, Clericos eximi ab annonæ militaris contributione, à Gubernatorum, & militum impensis: uti latiùs hæc referuntur in Act. Cleri Gall. loco supra citato.

XLIV. Declaratio Maximiliani, & Mariæ Ducum Brabantiæ suprà allegata, exemptum declarans Clerum Brabantiæ ab omni onere, & impositione, à quibus secundum jus scriptum, *geschreven Rechten*, Clerus est exemptus, sat patenter hanc immunitatem circa impensas militares tuetur, & asserit: quemadmodum omnia illa Principum Edicta, quibus promittunt tueri, & conservare Ecclesiasticos suarum ditionum in suis juribus, & immunitatibus.

XLV. Ad Episcopum Terracinensem scribit S. Gregorius *lib.* 7. *indict.* 1. *Epist.* 20. »Quia verò comperimus multos se »à *murorum vigiliis* excusare, sit Fraternitas vestra solicita, ut »nullum neque per nostrum vel *Ecclesiæ* nomen, aut quolibet »alio modo defendi à *vigiliis* patiatur; sed omnes generaliter »compellantur, quatenus cunctis vigilantibus, melius, auxiliante Domino, civitatis valeat custodia procurari.

Fragmentum hoc Epistolæ extat in *Cap.* 2. ✠ *de Immunit. Eccles.* ubi notant communiter Interpretes, hæc intelligi debere de casu magnæ necessitatis, juxta ejusdem Capituli rubricam his verbis expressam: *Tempore magnæ necessitatis, non debet aliquis excusare à murorum, seu civitatis custodia.* Extra casum autem necessitatis, Ecclesiasticos ab honere *vigiliarum*, sive per se, sive per alium suis impensis subeundo esse immunes, nemo interpretum dubitat; uti videre esse apud Boëtium Eponem in Commentario ad hoc Capitulum 2.

XLVI. Idem auctor latè in utramque partem disquirit, an Ecclesiastici teneantur contribuere in reparationem murorum, & mœnium civitatis; asseritque eam quæstionem inter utriusque Juris interpretes multum controverti, & allatis utriusque sententiæ fundamentis, tandem dicit *num.* 42. »Propter tantam »quæstionis ambiguitatem, quoties hac de re controversia fuit, »plerumque negotium transactione fuit sopitum, neque sen»tentia contra Clerum ulla reperitur hactenus in hujus quæs»tionis genere lata.«

XLVII. Rebuffus in suo tractatu *de Sententiis provisionalibus*, *art.* 3. *Gloss.* 6. sat innuit, Clerum *de jure* non teneri contribuere pro reparatione murorum, & fortificatione civitatis; tametsi asserere non dubitat, contrariam opinionem de facto servari in Francia.

Post hæc statuit hanc conclusionem: »De consuetudine »itaque cogitur Ecclesia, & Clerici duobus intervenientibus »ad pontium, itinerumque refectiones, & murorum: primò, »si refectio fiat propter necessitatem, & non ad decus urbium »solùm: quia necessitas legem non habet, *L. unica, ff. de offi»cio Cons.* & omnia tempore necessitatis communicanda sunt, »*L.* 2. §. *in eadem ff. ad legem Rhod. de jactu.* Ratio est, quia »Clerici juvabuntur pontibus, & illis muris, & itineribus, si»cut laici: ideò secundum naturam est eum pati incommoda, »quem sequuntur commoda, *L. Secundum, ff. de Reg. Jur.*

»Secundum, quod Ecclesia res ibi possideat temporales; »unde Chordigeri, vel alii Clerici, qui nullum temporale pos»sident, non tenentur: ut asserit Guiliel. Benedic. in *rep.* »*cap. Raynutius*, *in* verbo *Et uxorem*, *num.* 1030. *de Tes»tam.* quia temporalia tunc capiuntur pro executione, quæ non »possunt capi, quando illæ Ecclesiæ non habent, nec solent »condemnari eo casu Clerici, vel Ecclesiæ.«

Subjicit dein plura Parlamentorum arresta, quibus Ecclesiastici ad hanc contributionem condemnati fuerunt, »per quæ »patet (inquit) hodie non esse dubium in hoc Regno Fran»ciæ.« (z)

XLVIII. Certum est, quod in hac materia, etiam consuetudo & receptus usus non parùm sint attendenda, nec facilè Ecclesiastici contra receptum usum privilegia urgere debeant, præsertim inferiores, inconsultis suis Superioribus.

XLIX. Inter onera merè personalia, sed tamen patrimonialia, est illud, quod *capitatio* dicit consuevit; estque vectigal sive tributum, quòd *pro capite* solvitur: puta, quod Patresfamiliarum pro singulis capitibus ærario publico dependere coguntur.

Ab hoc tributo sive onere Clericos esse immunes ex Jure scripto (a) evidens est; cùm nimis evidens sit hujusmodi oneris impositione Ecclesiasticas personas à laicis gravari contra *cap.* 7. ✠ *de Immunit. Eccles.* & *cap.* 1. *de Censibus*, *in VI.* notatque Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *cap.* 14. addens §. 4. »Causâ urgente Sacerdotes hoc tributum persolvunt, »impositio tamen non fit nisi de *eorum consensu*:« uti factum in Edicto de 5. Martii 1631. quod habetur parte 2. Edictorum Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 21. ubi exprimitur singulatim, quid singuli *capitatim* contribuere debebant.

L. Ratio indultæ hujus immunitatis realis, sive patrimonialis non obscurè indicatur à Concilio Lateranensi in *cap.* 4. ✠ *de Immunit. Eccles.* ubi deplorat, quòd laici sive fossata, sive expeditiones, seu alia quælibet sibi arbitrentur agenda, de bonis Ecclesiarum, & Clericorum & pauperum *usibus* deputatis velint ferè cuncta compleri.

Quid his aliud indicatum voluit Concilium, nisi indignum esse bona Clericorum, & pauperum *usibus* deputata (qualia sunt bona Ecclesiarum) in profanos, & seculares usus converti? Ut proindè causa hujus immunitatis esse videatur, quòd bona in hos usus à populo, & Principibus oblata, & destinata non debeant rursus in alios usus sine gravissima causa converti.

LI. Eandem rationem videtur jam pridem attigisse S. Agobardus Archiepiscopus Lugdunensis libro *de Dispensat. Eccles. cap.* 19. »Quæsitum est etiam, vel quæri potuit, cur Do»minus exactoribus publicis, qui dixerunt Petro, *Magister* »*vester non solvit didragma de loculis*, non dedit stateram, sed »Petrum ad mare direxit, ut de ore piscis toleret? Respon»sumque est à Doctoribus Ecclesiæ, quia dominici loculi in »*pauperes*, & in dies festos expendebantur, & cum exegisset »necessitas in alimenta discipulorum Domini (sicut scriptum est »*Discipuli autem abierunt in Civitatem*, *ut cibos emerent.*) no»luisse Dominum, rem pauperum in publicam exactionem mit»tere, sed omnipotenti virtute, quod utique pauperum non »erat de mari tollere, & fisco reddere voluisse, ut formam »daret Discipulis, quam Ecclesiæ commendarent.«

Quasi diceret, Christum noluisse ex denariis discipulorum & pauperum *usibus* deputatis vectigal petitum solvere, ut suo facto ostenderet, bona illa non esse impendenda in vectigalia, & tributa, aliasque publicas exactiones, sed Clericorum, & pauperum usibus servanda esse.

Et uti rectè advertit Vir eruditus Claudius Fleuri in suis *Instit. Can. lib.* 1. *cap.* 29. loquens de hac Clericorum immunitate, »cùm Respublica Ecclesiasticos intertineat, & earum labores »compenset, æquum est, ut saltem bona ipsis conservet, ne alias, quod dat unâ manu, retrahat altera. (b)

LII. Optimum itaque & efficacissimum medium conservandæ immunitatis bonorum Ecclesiasticorum erit, si bona Ecclesiastica in usus Ecclesiasticorum operantium in vinea Domini, & ex iis moderatè viventium, & alimenta pauperum, aliosve pios usus impenderentur. Si enim hunc in usum bona Ecclesiæ impendi viderent Principes, haud dubiè non secus ac Majores ipsorum ad bona illa Ecclesiis integra servanda incitarentur: ubi è contra, dum ea in usus profanos contra Fundatorum & Offerentium intentionem insumi conspiciunt, parum existimant piaculi, dum ea in Reipublicæ commoda convertunt: tuncque sæpè locum habet illum vulgatum: *Quod non capit Christus, rapit Fiscus.*

CAPUT III.

De Subsidiis voluntariis a Clero Principi solvendis.

1 *Olim moris fuit, ut etiam Ecclesiastici aliqua* dona *Principi offerent; videturque primitùs fuisse* voluntaria.
2 *Notitia Monasteriorum, quæ* dona *Principi debebant.*
3 Dona *hæc in necessitatem transiisse videntur seculo IX. & per ea Monasteria quædam ad egestatem redacta.*
4 *Quis finis Ecclesiæ in dandis his donis.*

In

(z) *Hoc ita in Hispania cautum est leg.* 11. & 12. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop.* & *in ultima additur, quod etiam pignora pro debito assumantur: en verba*: y mandamos, que las prendas se cobren así de los unos, como de los otros.

(a) *Vide legem* 1. *tit.* 33. *lib.* 9. *Recop.*

(b) *Qui varias immunitates, quibus in Gallis gaudent Clerici, scire voluerit, consulat peritissimum virum de Hericourt in opere Gallico, quod de Legib. Ecclesiast. conscripsit* 3. part. pag. 307. 308. &c. *edit.* 1743. *Laudat in primis Edicta Regum Franciæ, Caroli IX. Enrici III. ac contractus, quos eorum successores cum Clero Gallicano inierunt. Isti contractus leguntur passim tom.* 9. *novorum Collectaneorum Cleri Gallicani.*

Suis quoque in Germanico Imperio immunitatibus fruuntur Clerici. Legatur sanctio Pragmatica, quam Leopoldus Imperator dedit die 27. *Novembr.* 1679. *Integram retulit Bohemerus* lib. 3. tit. 49. num. 49.

5 *Monentur Principes ut Ecclesiæ bona tueantur, & una Ecclesiastici, ut Principibus etiam in temporalibus subsidio sint.*
6 *In necessitate Principi ex redditibus Ecclesiæ subsidium ferre, probavit Concilium Lateranense.*
7 *Ut Collecta à Clericis conferatur, requiritur de jure communi consensus Episcopi, & Cleri.*
8 *Requiritur notabilis necessitas, eaque arbitrio Episcopi cum Clero.*
9 *Necesitas, vel utilitas debet esse communis laicorum, & Clericorum; & cui nec facultates laicorum sufficiant.*
10 *Debet dari libere, sine coactione.*
11 *Seculo XII. cœptum est peti à Clero* Subsidium *pro expeditione Hierosolymitana.*
12 *Eo seculo Concilium Parisiense eum in finem adixit decimam bonorum Ecclesiasticorum.*
13 *Hæc prima fuit hujus generis decima, dicta* decima Saladini.
14 *Data pro uno anno tantum, idque ob instantem necessitatem de consensu populi & Cleri.*
15 *De omnibus bonis etiam mobilibus, & ab omnibus, paucis exceptis.*
16 *Pontifices erant soliciti, ut Clerici ad contribuendum* inviti *non cogerentur.*
17 *Ne ad preces Principum nimis facilè Prælati consentirent, Concilium Lateranense IV. requirit, præviè consuli Rom. Pontificum.*
18 *Concilium Lateranense Clericis* vigessimam, *& Cardinalibus* decimam *imposuit in subsidium Cruce signatorum.*
19 *Honorius III. ad succurrendum Imperio Constantinopolitano* medietatem *proventuum Ecclesiasticorum unius anni attribuit.*
20 *Pontifices non semper requirebant consensum Cleri.*
21 *Pro bello contra Hæreticos Clerus Gallicanus decimam annuit; sub conditione ut Rex* personaliter *laboret.*
22 *Clerus impositioni decimæ subindè restitit, ne quod gratuitò datur, in necessitatem verteretur.*
23 *Pontifices interdum Clericos reluctantes ad solutionem adigebant.*
24 *Hæc decimarum impositio penè in contributionem ordinariam & perpetuam transibat; ipsaque expeditio Hierosolymitana sæpè tantum erat falsus prætextus.*
25 *Reges monebantur ad restituendam decimam, omissa expeditione; sed frustra.*
26 *Rex Angliæ à Pontifice petit decimas omnium Regnorum, quorum Principes* personaliter *expeditionem in* Terram Sanctam *non susceperant.*
27 *Respondet Pontifex annui postulatis non posse: responsum indicat, Bellum* sacrum *fuisse tantum prætextum exigendi* decimam.
28 *Clerus maluit decimam in defensionem proprii Regni Principibus addicere.*
29 *Clerus Gallicanus suo Regi tantam decimam sponte, addicit, quantam Pontifices dare solebant.*
30 *Idque in tuitionem sui Regni.*
31 *Circa hoc tempus Clerum à laicis multum gravari conqueritur Bonifacius VIII.*
32 *Constitutio Bonifacii VIII. quæ sub excommunicatione vetat etiam sponte aliquid à Clericis contribui sine licentia Sedis Apostolicæ.*
33 *Cum derogatione omnium privilegiorum etiam Regibus indultorum.*
34 *Multum contra hanc Constitutionem exulceratus fuit animus Philippi Pulchri Regis Galliæ.*
35 *Bonifacius mentem suam exposuit, atque à nonnullis suam Decretalem maligne interpretatam asserit.*
36 *Declarat suam Decretalem ad casum necessitatis, quæ Regis conscientiæ committitur, non extendi.*
37 *Huic declarationi inniti dicitur privilegium Regis Galliæ recipiendi* subsidium *à Clero sine licentia Pontificis.*
38 *Benedictus XI. mitigavit Decretalem Bonifacii VIII.*
39 *Clemens V. eam revocavit, & irritam declaravit; & quare.*
40 *Decimæ impositio tempore schismatis Avenionensis admodum frequens fuit.*
41 *Decretum Concilii Constantiensis super hac impositione.*
42 *Neque post hoc Decretum cessavit, semper tamen solvebatur tanquam subsidium* extraordinarium & gratuitum.
43 *In Gallia præcedenti seculo cœpit solvi ut subsidium* ordinarium.
44 *Cœpit præter decimam solvi aliud subsidium nomine* doni gratuiti, *& quomodo illud imponatur.*
45 *Precaria, vulgò* Bede, *in Belgio solvi solita primitùs fuit gratuita, & extraordinaria.*
46 *Hodie est* ordinaria *contributio.*
47 *Hæc contributio non gravat bona Ecclesiastica.*
48 *Abbates conficientes primum membrum Statuum Brabantiæ solvunt suam specialem quotam in hac contributione.*
49 *Clerus Secularis non contribuit; quia in eam non consensit.*
50 *Clerus Secularis Brabantiæ tanquam Corpus distinctum conferebat Principi subsidium.*
51 *Non comprehenditur sub consensu Ordinum Brabantiæ.*
52 *Qui constituunt primum Membrum Ordinum Brabantiæ, non contribuunt cum Clero.*
53 *Quæstio aliquando fuit, qui cum Clero, & qui cum Statibus contribuere deberent.*
54 *Post erectionem in Belgio Episcopatuum, Clerus mansit separatus à primo Membro Statuum Brabantiæ.*
55 *Clerus, urgentibus laicis, aliquando in subsidium ex consensu Statuum concesum* sine consequentia *concurrit.*
56 *Principes Belgii etiam hoc seculo habuerunt Clerum Brabantiæ ut Corpus à Statibus Brabantiæ distinctum.*
57 *Clerus etiamnum hodie contenti se non comprehendi.*
58 *Clerus nunquam per ordines Brabantiæ* nominatim *taxatur, nec certa* quota *ei imponitur.*
59 *Non convenit, ut Clerus in subsidiis taxetur à laicis.*
60 *Clerus Brabantiæ in annuendis subsidiis adhibuit consensum Episcoporum.*
61 *Non solet consuli Romanus Pontifex.*
62 *Convenit, ut à subsidiis exempta sit* competentia *Pastoralis.*
63 *Subsidia diversimodè colliguntur.*
64 *Quæ inter modos colligendi differentia.*

I. CErtum est, quòd jam pridem in more fuerit, ut non tantùm Seculares, sed & Ecclesiastici Proceres annua dona, sive munera Principi offerrent.

In Concilio Vernensi anno 755. *Can. VI.* Rex Pipinus mandat Abbatissis, & Monialibus è suis non egredi Monasteriis sub prætextu deferendi sua munera ad Principem; permittens ea per suos Deputatos deferri: *Et qualia* MUNERA *ad* PALATIUM *dare voluerint, per Missos suos ea dirigant.*

Termini illi, *qualia munera dare voluerint*, insinuare videntur, tunc temporis munera illa fuisse voluntaria, & arbitraria, saltem quoad quantitatem.

II. Ann. 817. „Ludovicus Pius Conventum facit apud Aquis» granum Sedem Regiam, Episcoporum, Abbatum seu totius Se» natûs Francorum; ubi inter cæteras dispositiones Imperii sta» tuit, atque constitutum scribere fecit, quæ Monasteria in Reg» no vel Imperio suo *dona & militiam* facere possunt, quæ *sola* » *dona* sine militia, quæ verò nec dona, nec militiam, sed so» las orationes pro salute Imperatoris vel filiorum ejus, & sta» bilitate Imperii.“ Dein notantur nominatim Monasteria, quæ *militiam, & dona*, item quæ *sola dona*, & tunc quæ *solas orationes* debent; atque postremorum numerus priora excedit: videturque respectus ad paupertatem vel opulentiam Monasteriorum habitus fuisse cùm dicatur, *quæ Monasteria militiam & dona facere* POSSUNT.

III. Ex his equidem non obscurum apparet *dona* hæc in quandam necessitatem transiisse. Et quidem onere illo nonnulla Monasteria fuisse ad paupertatem redacta indicat Arno Monachus in vita S. Benedicti Ananiensis, narrans, quòd hic Benedictus à Ludovico Pio obtinuerit aliquod sublevamen pro Monasteriis, quæ per *militiam & dona* ad summam egestatem redacta fuerant. » Erant (ait) quædam ex iis *munera militiamque* » exercentia; quapropter ad tantam devenerant paupertatem, » ut alimenta, vestimentaque deessent Monachis.“

IV. Scribit Hincmarus Remensis in opusculo *de Ordine Palatii*, quòd per hæc dona Ecclesia satisfacere intendat debito suo erga Principes per Apostolum denuntiatio » Causâ suæ » defensionis Regi ac Reipublicæ vectigalia, quæ nobiscum *an» nua dona* vocantur, præstat Ecclesia, servans, quod ju» bet Apostolus: *Cui honorem, honorem; cui vectigal, vectigal* » præstate Regi ac Defensoribus vestris.“

V. Circa annum 844. in Synodo secus Theudonis Villam habita, cui interfuerunt tres fratres gloriosi Principes, Lotarius videlicet, Ludovicus, & Carolus, Patres ipsos Principes fortiter monuerunt, ne res Ecclesiasticas invadi, & absumi sinerent, sed eas integras, ac illibatas conservarent exemplo prædecessorum; unà tamen volentes, ut omnes Ecclesiastici, quantum possent, non tantùm spirituali, sed & temporali subsidio Regi auxilio essent. Verba Synodi *Can. IV.* sunt: » Quod ut » commodiùs valeatis implere, unusquisque Vir Ecclesiasticus, » & intercessionis adjutorium, & solatii quo Respublica indi» get subsidium, juxta quantitatem rerum Ecclesiæ sibi com» missæ, salvo jure quod exinde divinis dispensationibus debet » impendi, promptè, & ex animo parare, & impigrè, sicut » tempore antecessorum vestrorum consueverat, studebit of» ferre.“

VI. Et sanè nunquam Ecclesia non probavit ut etiam ex Ecclesiæ facultatibus Reipublicæ, & Principibus ad defensionem Regni, aliasque necessitates liberali, & grato animo subsidium feratur.

Quapropter Concilium Lateranense sub Alexandro III. in *Cap.*

Cap. 4. ✠ *de Immunit. Eccles.* postquam sub anathemate prohibuit talliis & exactionibus res, aut personas Ecclesiasticas gravari, subjungit hanc clausulam: » Nisi Episcopus & Cle» rus tantam necessitatem, vel utilitatem aspexerint, ut absque » ulla exactione (vel ut legitur *cap.* 29. Concilii, *coactione*) ad » relevandas communes utilitates, vel necessitates, ubi laico» rum non suppetunt facultates, subsidia per Ecclesias exis» timent conferenda (c). «

VII. Juxta litteram hujus Decretalis, ut subsidium temporale, sive collecta Clero imponatur, requiritur primò non tantùm consensus Episcopi, aut Cleri, ut post alios Canonistas notat Prosper Fagnanus ad hoc Capitulum *num.* 23. » cum » copula & in textu posita requirat concursum utriusque co» pulati: & probatur apertiùs in *cap.* 7. ✠ *eod.* ubi refertur » dispositio hujus Canonis, & textus dicit: *Episcopus* SIMUL » *cum Clericis*. Quo fit, ut nec cum Capitulo Episcopus id » possit; quia in tangentibus totum Clerum non sufficit, Epis» copum habere consensum sui Capituli, sed oportet, ut con» veniat consensus Cleri. « Hæc ille.

VIII. Secundò, requiritur necessitas, vel utilitas, imò » cum textus dicat non *tantùm*, non sufficit quælibet, sed re» quiritur *maxima*; & pendet ex arbitrio Episcopi cum Cleri» cis hoc judicare: cum textus dicat *aspexerint*. « Ita post Panormitanum & alios citatos Fagnanus *num.* 25.

IX. Tertiò, requiri ut hujusmodi necessitas, vel utilitas sit *communis*, videlicet tam laicorum, quàm Clericorum, post Panormitanum multis contendit Fagnanus *num.* 26. Notatque dein requiri, facultates laicorum relevandis necessitatibus non sufficere; ita ut Clerici non concurrant, nisi in *subsidium* (d).

X. Denique requiritur, ut contributio fiat ab Ecclesiasticis sine *coactione*, vel compulsione; ac propterea in *Cap.* 7. ✠ *de Immunit. Eccles.* expressè cautum est, ut laici *humiliter*, & *cum gratiarum actione* recipiant subsidia, quæ Clerici duxerint conferenda.

XI. Cùm circa hæc tempora Principes animentur ad suscipiendam expeditionem Hierosolymitanam pro recuperatione Terræ Sanctæ, cœpta fuit à Clero postulari contributio pro expensis illius expeditionis sustinendis.

XII. Refert Rigordus in vita Philippi Augusti Regis Francorum, quòd » anno 1188. mense Martio, mediâ Quadrage» simâ, Parisiis celebratum est generale Concilium à Philippo » Rege, convocatis omnibus Archiepiscopis, Episcopis, Ab» batibus, & totius Regni Baronibus; in quo innumerabilis » militum multitudo seu peditum sacratissima cruce insigniti » sunt. Et propter hanc instantem necessitatem (oppidò enim » iter Hierosolymitanum Rex affectabat) cum assensu Cleri, & » populi, quasdam *decimas* ab omnibus esse accipiendas eò tan» tùm anno decrevit, quæ dictæ sanctæ *decimæ Saladini*. «

XIII. Hîc notandum, antiquiorem non reperiri *decimæ* hujus generis, id est, quæ à Clero Regi solvitur, & Gallico idiomate vocatur *Decimes*, institutionem. Unde & hanc esse primam decimam Clero impositam, quæ vocatur, *decima Saladini*, communiter notant Auctores de hac specie decimæ tractantes.

XIV. Illud observatu dignum, hanc pro *eo tantùm anno* fuisse institutam. Item quòd exigeretur *ab omnibus*, tàm laicis quàm Clericis: idque cum *consensu Cleri*, *& populi*; etiam ob *instantem necessitatem*.

XV. Addit etiam Rigordus, » constitutum esse de *decimis*, » quòd omnes illi, qui *crucem* non habentes, quicunque sint, » decimam ad minus dabunt hoc anno de omnibus *mobilibus* » suis, & de omnibus redditibus, exceptis illis, qui sunt Cis» terciensis Ordinis, & Ordinis Carthusiensis, & Ordinis Fon» tis Ebrardi, & exceptis leprosis, quantum ad suum per» tinet proprium. «

Quas mutationes sensim acceperit hujus *decimæ* impositio, & solutio in sequentibus videbitur.

XVI. Interim soliciti erant Pontifices, ut non nisi de *consensu Cleri* onus aliquod imponeretur. Unde cùm anno 1203. Mediolanenses cogerent Ecclesiasticos ad contribuendum, Innocentius III. acriter ipsos reprehendit, permittens ut » reci» piant humiliter cum gratiarum actionibus, si quis forsan Epis» copus, & Clerus simul tantam necessitatem, vel utilitatem » inspexerint, ut absque *ulla coactione*, ubi laicorum non sup» petunt facultates, subsidia per Ecclesiasticos duxerint confe» renda. « Apud Odoricum Raynaldum ad hunc annum *n.* 85.

Hæc consona sunt Decreto Concilii Lateranensis sub Alexandro III. uti suprà notavimus.

XVII. Verùm attendens hîc Pontifex Innocentius III. quòd Episcopi & Clerici faciliùs forsan quam oporteret, necessitatem aut utilitatem subesse judicarent; præsertim Regibus, aut Principibus contributionem, sive subsidium à Clero pendendum urgentibus, anno 1215. in Concilio Lateranensi IV. renovans Decretum præcedentis Concilii Lateranensis, addidit hanc clausulam: *Propter imprudentiam tamen quorundam Romanus Pontifex priùs consulatur: cujus interest communibus utilitatibus providere.* Refertur in *cap.* 7. ✠ *de Immunit. Eccl.*

XVIII. Illud ipsum Concilium suâ auctoritate, Clericis omnibus *vigesimam*, Dominis Cardinalibus *decimam* pro expeditione sacra indixit; uti refert citatus Raynaldus, *num.* 14.

XIX. Honorius III. immediatus Innocentii successor Guillielmo Marchioni Montisferrati ad succurrendum Imperio Constantinopolitano, mediam partem reddituum Ecclesiasticorum, & omnium mobilium, exceptis Ecclesiarum thesauris, anno 1224. attribuit. Notanda sunt verba Epistolæ, quam ad Clerum Imperii Constantinopolitani super hac impositione scribit apud Raynaldum *num.* 25. » Attendentes satius esse, ut » bona vestra, & Ecclesiarum vestrarum pro manutenendo » Imperii statu communicetis ad tempus, quàm ea omnia per» petuò amittatis, de fratrum nostrorum Consilio propter ur» gentem necessitatem duximus statuendum, ut omnium ves» trorum proventuum hujus anni, omniumque aliorum mobi» lium, quæ nunc habetis in ipso Imperio, exceptis duntaxat » Ecclesiarum thesauris, vestibus, & equis, & utensilibus, in » quibus non est aurum, vel argentum, aut lapides pretiosi, » medietatem integrè conferatis. «

XX. Evidens est, Pontificem Clero hanc contributionem sine prævio ipsius Cleri consensu, tanquam primarium rerum Ecclesiasticarum Dispensatorem, imposuisse; uti & sequentes Pontifices sæpiùs decimam, aliamve partem proventuum Ecclesiasticorum Regibus, & Principibus, inconsulto Clero attribuerunt.

XXI. Et quidem cùm decima hæc primùm in subsidium expeditionis in *terram sanctam* data esset, dein etiam in subsidium belli contra alios hæreticos concedi cœpit.

Ad bellum contra hæreticos Albigenses conficiendum Legatus Apostolicus *decimam* in Concilio Bituricensi decrevit. » Cle» rus cum animi gaudio, de *pura liberalitate*, ne tanto nego» tio deessse videretur, dimidiam partem decimæ, non quidem » nomine decimæ, sed obtentu subsidii persolverunt, aliam » partem, & etiam majorem, si expediret, si Deus eundem » Regem reservâsset incolumem, & in eodem negotio persis» tentem, libenter, & liberaliter soluturi. «

Eâ tamen conditione hanc contributionem seu subsidium promiserat Clerus, si Rex Ludovicus VIII. negotium, sive bellum contra Albigenses assumeret, & *personaliter* laboraret.

XXII. Cùm igitur Ludovico VIII. defuncto ipse Legatus Apostolicus Clerum ad solutionem *decimæ* in favorem Blanchæ Reginæ matris Ludovici IX. Regis adhuc pueri compellere conatus est, restiterunt complures; » considerantes quòd non » erat, in cujus manu negotium posset proficere, sicut priùs » (vivente Ludovico VIII.) nullam visum est eis subesse cau» sam, quare quinque annorum *decima* solveretur: maximè » cùm jam Legatus vellet eos, sicut dicebatur, ad solutionem » ut Reginæ promisserat, compellere, eo dicente, quòd etiam » cappas nostras daret ei: nec Regina se vellet ad certum tem» pus, vel certum numerum militum aliquatenus obligare; at» tendentes, quod hoc ipsum, quod de liberalitate proces» serat, convertebatur in obligationem & servitutem, sibi ti» mentes in posterum. Quatuor Provinciarum insignia Capitula, » Remense, Senonense, Turonense, & Rothomagense, ha» bitâ deliberatione & tractatu pro libertate sua potiùs quàm » pro subventione vitanda, ne ad onus ejusmodi compelleren» tur, ad Sedem Apostolicam appellârunt. «

Hæc ex Epistola Capituli Parisiensis ad Gregorium IX. quæ extat apud Odoricum Raynaldum ad annum 1227. *num.* 57. qui ibidem *num.* 58. refert litteras Gregorii ad Capitula, quibus Legatum suum acrioribus verbis perstringit, jubetque ut ordinationem, & malè tentata in Clerum revocet.

Ex his quidem apparet, Capitula timuisse, ne illa, quæ primitùs ut dona *gratuita* ex mera liberalitate erant oblata, tandem in jura & servitutes converterentur; quod in similibus nimis frequenter eveniri experientiâ plùs quàm notorium est.

XXIII. Verùm postmodum idem Gregorius attentâ auctoritate qua ipsius Legatus fuerat instructus, decimam impositam solvendam declaravit, litteris ea de re datis ad S. Ludovicum adhuc puerum; apud Odoricum Raynaldum *num.* 61.

Apparet quoque ex his, Pontifices, eorumque Legatos secundum datam sibi à Sede Apostolica auctoritatem Clerum ad decimam, aliasve hujusmodi subventiones cœpisse compellere, etiam invitum, & reluctantem.

Auctoritatem hanc luculentiùs adstruxit Clemens IV. Cùm enim anno 1267. S. Ludovico in subventionem belli sacri decimam trium annorum omnium reddituum, & proventuum Ecclesiarum

(c) *Gravamina, aut subsidia in Hispania Clericis imponuntur à Sancta Sede, & ita constat imposita in L.* 5. 8. 10. *num.* 28. & 29. *tit.* 10. *lib.* 1. *Recop.*

(d) *Vid. leg.* 11. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopil. ibi.* A fallescimiento de propios del Concejo.

clesiasticorum in toto Regno Franciæ jussisset exhiberi, ea res ingrata accidit Clero Gallicano; utque se ab hoc onere liberaret, Oratores suos ad Pontificem misit; qui eorum dicta rejecit, & refutavit litteris suis ad Decanos, & Capitula datis, in quibus inter cætera dicit: » Nec appellari debuit sub nominis » abusione tributum, quod de bonis Ecclesiasticis in illius pe» culiare negotium, qui suo sanguine fundavit Ecclesiam (Hie» rosolymitanam) seu aliàs interdum exigente necessitate, vel » suadente utilitate, deliberatione, *provida potestatis Apostoli*» *cæ plenitudo* dispensat.« Extant hæ litteræ apud Odoricum Raynaldum ad annum 1267. *num.* 58. additque, quòd si contemptis censuris, refractarii & rebelles persistant, non sit abbreviata » manus Vicarii Christi, ut & contemptores hujusmodi » privare possit Beneficiis, & inhabiles reddere ad habenda, » deponere, degradare, & exequi quod statuit, invocato brachio » seculari: *ut si esset subsidiorum devotio, non dormittet coer*» *citio contemptorum.*«

XXIV. Adeò frequentes fuêre hæ *decimarum* impositiones, ut ferè annuæ, & ordinariæ fierent: & quantumvis pleræque concederentur in subsidium expeditionis in Terram Sanctam, vel belli contra hæreticos, nihilominus Reges eas in suum ærarium referre non dubitabant, tametsi nulla similis expeditio sequeretur.

XXV. Unde anno 1291. »Philippum Pulchrum Regem »Galliæ Nicolaus IV. exhortatus est litteris ad eum datis, ut »vel *crucem* pro re Syriaca recuperanda indueret, vel *deci*»*mam* parenti cruce signato concessam restitueret.« Qua de re etiam scripsit ad Parisiensem Episcopum, »ut si Gallorum »Rex crucis signa in Saracenos attollere respueret, collectas »è *decimis* pecunias à patre acceptas restitueret.« Hæc Odoricus Raynaldus ad annum 1291. *num.* 22. qui & *num.* 56. notat, quòd eodem anno ipse Philippus missis ad Nicolaum Papam Oratoribus petierit rursus *decimas sexcennales* in sumptus sacri belli; ut vel inde appareat, quàm parum dispositus esset Philippus ad reddendas *decimas* à patre suo perceptas.

XXVI. Refert idem Annalista ad annum 1292. *num.* 7. & 8. litteras Nicolai IV. Papæ ad Eduardum Regem Angliæ, è quibus discimus, Regem illum per suos Oratores exposuisse se firmiter statuisse suscipere *personaliter* expeditionem in Syriam, eumque in finem postulâsse à Papa, »ut de decimis & obven»tionibus regnorum & terrarum, quorum quarumque Reges »vel Domini *personaliter* in Terræ Sanctæ subsidium non tran»sibunt, sibi provideret Ecclesia.«

XXVII. Postulatis Regis se satisfacere per omnia non posse respondit Pontifex, rationem addens: »Quòd de decima »Regni Franciæ ad manus Ecclesiæ nihil pervenit. De terris »verò Regi Castellæ subjectis, nihil unquam percepit Ecclesia, »cùm felicis recordationis Gregorius Papa Prædecessor noster »claræ memoriæ Alfonso Regi Castellæ ipsam decimam ex cer»tis causis duxerit concedendam. De decima verò partium Ale»manniæ, & terrarum, quas continet regio Aquilonis, sicut »ipsius Aquilonaris gentis non ignota conditio potest omnibus »verisimiliter indicare, ac nobis hoc realiter patefecit, modi»cum respectivè ad ipsam Ecclesiam noscitur pervenisse.«

Ex his, aliisque, quæ historiæ illorum temporum referunt, haud obscurum, expeditionem in Terram Sanctam, aut bellum contra hæreticos occasionem quidem dedisse exigendi, & indicendi has *decimas* super bonis Ecclesiasticis; sed frequenter fuisse fucatum, aut fictitium titulum, & prætextum derivandi proventus Ecclesiasticos in ærarium Principum.

XXVIII. Interim Clerus jam quodammodò assuetus huic decimarum pensitationi in sumptus prætensæ expeditionis, vel contra Saracenos, aut hæreticos, vel etiam alios extraneos Principes, quæ frequenter, vel fictitia, vel sine fructu, & successu deprehendebatur, maluit eam pensitationem in defensionem & conservationem proprii Regni, & Ecclesiæ in casu necessitatis annuere.

XXIX. Tomo 10. Specilegii Dacheriani *pag.* 323. extant litteræ Concilii Salmuriensis, è quibus intelligimus, Clerum Provinciæ Turonensis concessisse Philippo Pulchro Regiæ Galliæ, »*decimam* de omnibus mobilibus suis, & personarum Eccle»siasticarum suarum Diœcesium non exemptarum, usque ad »biennium duntaxat; tantam pecuniæ summam, quantam à no»bis (ajunt) & aliis personis Ecclesiasticis prædictis, nomine »decimæ pro tempore, quo decimam habeat ex concessione »Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, deductis sumptibus, percipere »consuevit: ita tamen quòd per istam concessionem nullum »præjudicium Ecclesiis, nobis, & aliis personis Ecclesiasticis »generetur, nec aliqua servitus Domino Regi in prædictis Ec»clesiis acquiratur.«

XXX. Dicunt autem, quòd concedant hanc decimam »Do»mino Regi hac vice communi consensu Cleri ob necessitatem »dicti Regni (Franciæ) & propter defensionem, & tuitionem »Regni, Ecclesiarum, & personarum Ecclesiasticarum, & bo»norum earundem.«

XXXI. Verùm hac contributione titulo defensionis, vel tuitionis semel introductâ, cœperunt passim Principes illum prætextu necessitatis à Prælatis, & Clero petere; & Prælati, & Clerus precibus Principum resistere metuentes, aut etiam ipsis nimium adulantes, ut sibi eos propitios haberent, facilè annuere: & ita mirum in modum ipsos Ecclesiasticos proventus gravabant, & quasi servituti subjiciebant; uti suâ Constitutione, quæ refertur in *cap. 3. de Immunit. Eccles.* altè conqueritur Bonifacius VIII.

XXXII. His nimiis exactionibus, ut idem Pontifex obviaret, non solùm renovavit Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. quo vetatur Episcopis etiam de consensu Cleri sui consentire in aliquam contributionem ob communes necessitates, & utilitates, nisi priùs consulatur Romanus Pontifex; sed insuper addit: »Prælatis, & personis Ecclesiasticis in vir»tute obedientiæ, & sub depositionis pœna districtè mandan»tes, ut talibus absque expressa licentia dictæ Sedis nullatenus »acquiescant: quodque prætextu cujuscunque obligationis, pro»missionis, & confessionis factarum hactenus, vel faciendarum »in antea, priusquam hujusmodi constitutio, prohibitio, seu »præceptum ad notitiam ipsorum pervenerit, nihil solvant, nec »supradicti seculares quoquomodo recipiant. Et si solverint, »vel prædicti receperint, in excommunicationis sententiam in»cidant ipso facto. A supradictis autem excommunicationum, »& interdicti sententiis nullus absolvi valeat (præterquam in »mortis articulo) absque Sedis Apostolicæ auctoritate, & li»centia speciali. Cùm nostræ intentionis existat, tam horren»dum secularium potestatum abusum nullatenus sub dissimu»latione transire.«

XXXIII. Subjungit dein derogationem omnium privilegiorum, etiam ipsis Regibus concessorum, Verba Decretalia sunt: »Non obstantibus quibuscunque privilegiis sub quibus»cunque tenoribus, formis, seu modis, aut Verborum con»ceptione concessis Imperatoribus, Regibus, & aliis supradic»tis, quæ contra præmissa in nullo volumus alicui, vel aliqui»bus suffragari.«

* Constitutionem Bonifacii VIII. occasionem dedisse funesto isti dissidio Bonifacium inter & Philippum Pulchrum notat Natalis Alexander *in dissertatione* 9. ad seculum XIII. & XIV. notatque, in eo fuisse lapidem offensionis, quòd Pontifex sibi arrogâsset auctoritatem in temporalia.

XXXIV. Porrò intellexit Bonifacius Papa ob editam hanc Constitutionem vehementer exulceratum animum Philippi Pulchri Galliarum Regis, quasi hac constitutione vetitum esset sub anathemate Clericis succurrere Regi, quando necessitas tuendi regnum suum contra hostes externos deposcit, ut ex responsis nomine ipsius Regis contra Bullam ipsius Bonifacii datis patescit. »Quis sapiens & intelligens hæc, non incidit in ve»hementem stuporem, audiens Vicarium Jesu Christi prohi»bentem tributum dari Cæsari, & sub anathemate fulminan»tem, ne Clerici, contra iniquæ, & injustæ persecutionis in»cursus, Domino Regi, & Regno, imò sibimetipsis pro rata »sua, manum porrigant adjutricem? Dare verò histrionibus, & »amicis carnalibus, & neglectis pauperibus, expensas facere »superfluas in robis, equitativis, comitativis, comessationibus, »& aliis pompis secularibus, permittitur eisdem, imò conceditur, »ad perniciosæ imitationis exemplum. Hoc enim natura, & ra»tio, jus divinum, & humanum, pariter detestantur, ad illi»cita fræna laxare, & licita, imò necessaria, cohibere. Quis »enim sanæ mentis judicaret licitum, & honestum, sub ana»themate cohibere, ne Clerici, ex devotione Principum inera»sati, impinguati, & dilatati, pro modulo suo eisdem Princi»pibus assistant, contra ingruentes injustarum persecutionum »adversitates, quocunque colore excogitato, doni, vel mu»tui, vel subventionis, pro seipsis, pro Rege, & Regno pug»nantibus, & resistentibus inimicis vi armorum, alimenta præ»bendo, vel stipendia persolvendo (e).«

XXXV. Verùm hanc suæ Constitutiones impetrationem esse à sua mente omninò alienam, ostenderat ipse Pontifex jam tum in hac Bulla, cui reponebantur hæ responsiones nomine Regis: »Non enim (ait) præcissè statuimus pro defensione, »vel necessitatibus tuis, vel Regni tui ab eisdem Prælatis, Ec»lesiasticisque personis pecuniarum subsidium non præstari; sed »adjecimus id non fieri absque nostra licentia speciali, adduc»tis in considerationem nostram exactionibus intolerabilibus, »Ecclesiis, & personis Ecclesiasticis, Religiosis, & secularibus dicti regni ab Officialibus tuis auctoritate tua impositis at»que

(e) *Eruditus Van Espen in suo tractatu*, de Promulgatione legum, *observat occasione Bullæ Bonifacii non sine fundamento Principes vetuisse*, ne Constitutiones, Decreta, aut Rescripta Curiæ Romanæ in suis editionibus publicari, aut exe-

cutioni mandari possent, priusquam in eorum supremis Auditoriis visæ, & probatæ essent. *Hæc in tractatu citato fusè & doctè exponuntur.*

» que factis, de futuris potiùs verisimiliter formidantes, cùm ex » præteritis certitudo præsumi valeat de futuris."

Latiùs verò mentem suam aperuit Bonifacius in alia Bulla de 31. Julii 1297. in qua imprimis declarat, » quòd Constitutio » ipsa, vel ejus prohibitio ad donaria, vel mutua, seu quævis » alia voluntaria Prælatorum, & personarum Ecclesiasticarum » ejusdem regni, cujuscunque status, ordinis, vel conditionis » existant, omni prorsus tractione, aut exactione cessante, se » aliquatenus non extendat, licèt ad id forsitan charissimi in » Christo filii nostri Philippi Francorum Regis illustris, vel suc- » cessorum suorum, qui pro tempore fuerint, aut Officialium » eorundem, seu Ducum, Baronum, nobilium, vel aliorum » dominorum temporalium de regno prædicto, requisitio curia- » lis, & amica præcedat."

XXXVI. Ulteriùs subjungit: » Adjicimus insuper hujusmo- » di declarationi nostræ, quòd si præfatis Regi & successoribus » suis pro universali vel particulari ejusdem regni defensione » periculosa necessitas immineret, ad hujusmodi necessitatis ca- » sum se nequaquam extendat constitutio memorata; quin po- » tiùs idem Rex, ac successores ipsius possint à Prælatis, & » personis Ecclesiasticis dicti Regni petere, ac recipere pro » hujusmodi defensione subsidium, vel contributionem, illud- » que ad illam Prælati, & personæ prædicti, præfato Regi, » suisque successoribus, inconsulto etiam Romano Pontifice, » teneantur, & valeant, sub quotæ nomine, aut aliàs etiam » imperari, non obstantibus constitutione prædicta, seu quovis » exemptionis, vel alio quolibet privilegio, sub quacunque ver- » borum forma confecto, à Sede Apostolica impetrato."

Tertiò significat: » Quòd *necessitatis* declaratio supradictæ » ipsius Regis & successorum suorum conscientiis, dummodo » successores ipsi vicesimum ætatis annum exegerint, relinqua- » tur; super quo dictorum Regis, & successorum conscientias » onerari, eisque innotescere volumus, quòd quidquid recipi ul- » trà ipsius defensionis casum contigit, in suarum recipient pe- » riculum animarum, sub quo nisi salubriter providere, aut » attendere potuerunt, in quo periculo remanerent."

Hæc omnia latiùs referuntur in historia dissidii inter Bonifacium VIII. & Philippum Pulchrum *pag.* 18. 22. 39. & 40.

XXXVII. Huic Bullæ Bonifacianæ instruxit Joannes Ferrautius in suo tractatu *de Juribus*, *& Privilegiis Regni Franciæ*, privilegium Regum Galliæ levandi super Clero summam pecuniæ sub nomine *doni gratuiti* in defensionem Regni sine *specialis* Sedis Apostolicæ licentia. Quidquid sit de hoc fundamento, id constat, non tantùm in Regno Galliæ, sed & hîc in Belgio, collectas seu precaria à Rege, & Principe super Clero colligi nomine *doni*, aut *subsidii gratuiti*, sine speciali licentia Pontificis; cui forsan usui hæc Bulla, aliæque sequentium Pontificum Bullæ Constitutionis Bonifacianæ declaratoriæ, & etiam revocatoriæ occasione dedisse potuerunt.

XXXVIII. Benedictus XI. immediatus Bonifacii successor, constitutionem Bonifacii mitigavit, revocando pœnas ipsis Clericis *dantibus* inflictas; admonens unà Ecclesiasticos, » attentè » caveant, ne Conciliorum Lateranensium transgressores exis- » tant, aliquid in casu necessitatis, vel utilitatis communis, quo- » quo modo, vel titulo *inconsulto Romano Pontifice* occasione » subventionum dictarum concedendo laicis, vel etiam promit- » tendo." Extat hæc constitutio in *Extravag. unica, de Immunit. Eccles. inter Communes.*

XXXIX. Postmodum Clemens V. Benedicti successor, qui primùm Avenione in Galliam Sedem Apostolicam collocavit; & favore Philippi Pulchri ad Pontificatum fuerat promotus, inter alias Constitutiones Bonifacii, quas petente Philippo Rege revocavit, & hanc penitùs revocavit, & haberi voluit pro infecta; omniaque ad terminos Decretorum Conciliorum Lateranensium reduxit. » Quoniam (ait) ex Constitutione Bonifacii Pa- » pæ VIII. Prædecessoris nostri, quæ incipit, *Clericis Laicos*, » & ex declaratione, seu declarationibus ex illa postmodum » subsecutis, nonnulla scandala, magna pericula, & incom- » moda gravia sunt secuta, & ampliora sequi (nisi cleri reme- » dio succurratur) præsumitur verisimiliter in futurum." Extat hæc Constitutio in *Clement. unica, de Immunit. Eccles.*

* Cùm Bulla Bonifacii, quæ incipit, *Clericis laicos*, à quibusdam successoribus hujus Pontificis revocata fuerit, inde factum est, ut Canonistæ suis notis, & interpretationibus eam non elucidaverint; quod observavit Glossographus ad hanc Bonifacii Constitutionem relatam in *cap. Clericis laicos, de Immun. Eccles. in VI.*

XL. Exitus litigii, quod Bulla Bonifacii excitaverat, hic fuit, scilicet decimarum impositio non tantùm continuata, sed & magis continuò frequentata fuit; maximè autem exorto eodem seculo famoso illo ac diuturno schismate; quando Pontifices, ut ad suam obedientiam Principes allicerent, sibique favorabiles, & propitios redderent, facilè quidquid peterent, annuebant, præsertim cùm & ipsis annuentibus Principibus, & ipsi Pontifices in suum commodum interdum *decimam* levarent.

XLI. Eas passim ipsi Pontifices inconsulto Clero imponebant. Qua de re querelis delatis ad Concilium Constantiense, tandem Martinus V. sacro approbante Concilio *Sess.* 43. præcepit. » Jura, quæ prohibent inferioribus à Papa Decimas, & » alia onera Ecclesiis, & Ecclesiasticis personis imponi, distric- » tiùs observari. Per summos autem Pontifices nullatenus impo- » ni generaliter super totum Clerum, nisi ex magna, & ardua » causa, & utilitate universalem Ecclesiam concernente, & de » Consilio, & consensu, & subscriptione S. R. E. Cardina- » lium, & Prælatorum, quorum Consilium commodè haberi » poterit. Nec specialiter in aliquo Regno, vel Provincia, in- » consultis Prælatis ipsius regni, vel provinciæ, & ipsis non con- » sentientibus, vel eorum majori parte, & eo casu per personas » Ecclesiasticas, & Auctoritate Apostolica duntaxat levari."

XLII. Neque tamen post hoc Concilium *decimarum* impositio cessavit; interdum impetrata licentia Pontificum, interdum ipso Clero in subsidium ad postulationem Regum consentiente; quemadmodum ordine temporis servato multis ostendit Ludovicus Thomassinus *de Discipl. Ecclesiast. part. 4. lib. 3. cap.* 24. at hactenus decima nulla ab Ecclesiasticis ut tributum sive debitum *ordinarium* prætendebatur, vel solvebatur.

XLIII. Verùm circa medium seculi XVI. induci cœpit *decima ordinaria* in Regno Galliæ. Regnante enim Carolo IX. anno 1561. Clerus Gallicanus Possiaci congregatus pepigit de summa sexdecies centenorum millium librarum ex Sacerdotiis colligendâ annuè, spatio sex annorum, incipiendo à 1. Januarii 1561. & finiendo ultima Decembris 1567. quibus Regia Domania Civitati Parisiensi, ob levatas pecunias in bellum contra Calvinistas, oppignorata redimerentur, censusque super iis constituti solverentur. (f) Idem Clerus anno 1567. in Comitiis generalibus per Deputatos congregatus, novum cum Præfecto, & Ædilibus contractum iniit, quo se obstrinxit ad solvendum Urbi *quotannis* summam sexties centum & trigesies mille librarum, ad Domanium Regis, pari censu gravatum, redimendum. Contractum hunc, aliosque cum dicto Præfecto & Ædilibus initos improbavit Cœtus generalis Cleri Gallicani Moduluni anno 1579. & 1580. tanquam factos sine legitimo dicti Cleri consensu. Regi tamen concessit summam tredecies centum mille librarum annuæ contributionis ad *sexennium.*

Sexennio evoluto, Clerus eandem contributionem continuavit ad *decennium.* Hoc decennio evoluto rursus facta est continuatio ad aliud *decennium*; & hucusque continuatur de decennio in decennium: quæ tandem longa continuatio effecit, ut contributio, quæ in sua origine erat donum *gratuitum*, & subsidium extraordinarium, facta sit contributio *ordinaria*, atque hodie ut talis reputetur; diciturque *decima Cleri*, sive gallicè, *les decimes du Clergé*; solviturque annuè per omnes Beneficiatos juxta quotam à Clero determinatam. Notatque Renatus Choppinus *lib.* 3. de Domanio Gallico *tit.* 23. *num.* 8. quòd *decimæ*, quæ olim dabantur in expeditionem contra Saracenos, nunc in *annuas Fisci rationes*, *Patrimonii instar*, *referantur.*

XLIV. Præter hanc decimam in origine sua *gratuitam*, & *extraordinariam*, at nunc *ordinariam*, cœpit Clerus Regi conferre alias subventiones, quæ ad distinctionem hujus *decimæ* vocantur *dona gratuita*, gallicè, *dons gratuits*, aut etiam *decimes extraordinaires.*

Prima gratuita contributio, sive *donum gratuitum* ultra *decimam ordinariam* Regi oblatum fuit anno 1585. pro expensis in bellum contra Calvinistas, ac dein sæpiùs, continuatum, uti latiùs refertur in Actis Cleri Gallicani *tom.* 4. *tit.* 4. *ubi art.* 21. notatur quòd anno 1670. hoc *donum gratuitum* fuerit duorum millionum bis centum millium librarum, *art.* 22. quòd anno 1675. ascenderit ad quatuor milliones & quinquies centum millia librarum.

Quomodo, & quibus conditionibus hæc *dona gratuita* per Clerum offerantur, aliaque ad hanc materiam pertinentia latè referuntur in citatis Actis Cleri Gallicani. (g)

XLV. In Belgio solvitur annuatim Principi quædam precaria sub nomine vulgari *Bede*; quo vocabulo sufficienter exprimitur, esse revera contributionem precariam, & ad *preces* concessa; & revera hanc contributionem primitùs fuisse omninò *precariam & gratuitam* dubitari nequit.

Dicit enim expressè Maximilianus Dux Brabantiæ in acta instructionis super solutione hujus *Precariæ* die 20. Septembris 1451. quòd tres Ordines Brabantiæ ob multiplices expensas, quas pro conservatione Patriæ, ac signanter Ducatus Brabantiæ subire debuit, ac suas speciales supplicationes, nunc voluntariè, & liberaliter consenserint in unam precariam. Verba Flandricæ expressa sunt: *Nuter teyt willighlycken ende li-* *be-*

(f) *Anno* 1557. *solutio decimarum jam erat annua, & ordinaria: quidem eodem anno Henricus II. in singulis Diœcesibus decimarum Quæstores creaverat.*

(g) *Vide quoque nova Collectanea Cleri Gallicani edita* 1721. tit. 9. part. 2. pag. 526. &c.

heraelyck geconsenteerht hebben eene bede.

Eamdem conditionem hujus precariæ vulgò *Bede* agnovit Philippus Dux Brabantiæ in instructione super modo solutionis, & collectionis ejusdem de anno 1497. extatque part. 2. Edict. Brabantiæ, *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 4.

XLVI. Verùm sicuti circa *decimam Cleri* contigit in Gallia, ut nimirùm de contributione extraordinaria transiverit sensim in *ordinariam*; ita & in Belgio circa hanc precariam contigit, ut nimirum de extraordinaria transierit in *ordinariam*; & ut talis hodie solvi consuevit, sub vocabulo *Ordinarisse Bede.*

XLVII. Verùm notandum quòd hæc precaria non afficiat, nec comprehendat bona Ecclesiæ *amortizata*, vel ab Ecclesia uti talia tempore in dicta Instructione determinato, possessa, quemadmodum capite præcedenti *num.* 14. observatum fuit, sed bona laicalia, sive pro laicalibus reputata, sive à laicis, sive Ecclesiasticis possessa.

XLVIII. Ulteriùs observandum, quòd Prælati, sive Abbates Brabantiæ constituentes primùm *membrum Statuum Brabantiæ* in hac precaria suam *specialem quotam* solvant.

XLIX. Tertiò notandum, quod Clerus secularis in hac *precaria* non fuerit comprehensus. Ratio hujus haud obscura est.

Cùm enim Status, sive Ordines Brabantiæ, de quorum consensu hæc *precaria* fuit concessa, constet ex tribus *membris*, quorum primum conflatur ex solis Prælatis, sive Abbatibus, secundum ex solis nobilibus, & tertium ex Civitatibus, seu earum Deputatis; Clerus secularis Brabantiæ, qui tunc totaliter suberat respectivè Episcopis Leodiensi, & Cameracensi, sub nullo trium membrorum comprehendebatur; nec ulli de Clero Statibus, seu Ordinibus Brabantiæ intererant, qui nomine Cleri in *precariam* illam dici posset consensisse. Abbates enim Monasteriorum suorum, & ab ipsis dependentium consensum supplere poterant; sed nequaquam ipsius Cleri secularis: nullatenus ab ipsis dependentis, aut ipsis subjecti.

L. Hinc & videmus, quòd sub tempus inductæ hujus precariæ Clerus Brabantiæ tanquam corpus separatum fuerit reputatus; & specialia suo nomine subsidia Principi pependerit.

Extant parte 2. Edict. Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 3. litteræ Maximiliani, & Mariæ Ducum Brabantiæ de 13. Junii anni 1479. in quibus nomine ipsorum Ducum asseritur, quòd hi de medio & communi Clero terrarum Brabantiæ: *vande middele, ende gemeyne Clergien van onse lande van Brabant*, in Diœcesibus Leodiensi, & Cameracensi existentes ad sublevandas præsentes necessitates, ex mera liberalitate, & charitate, *lyberalyk van gereghte liefde ende ghunste*, pro suis bonis Ecclesiasticis in Brabantia, vel alibi promiserint summam quatuor millium florenorum semel.

LI. In eisdem litteris asseritur, quòd hoc subsidium non det, aut promittat Clerus sub forma contributionis alicujus precariæ, vulgò *Bede*, subventionis, aut impositionis, in quas laici, aut etiam tres Ordines Brabantiæ consenserunt, aut posthac consentient, ad quas ipse Clerus secundum Ecclesiastica, & Cæsarea Jura non tenetur. Verba Edicti sunt: *ende niet van reghts wegen, noch in maniere oft forme van contributie, van eenige beden, subventie oft setringen, die de leecken, oft oock de* DRY ESTATEN *ons vooerschreven landts van Brabant ons oft tot desenwercke geconsenteert, innesetten, oft naermaels over den ghenen die van ons gewoonelyk zyn met hun te contribueren, consenteren, innesetten oft willecoren moeghten, dar inne de voorschrevè Clergie naer uytwysens de geesteleyche ende Keyserlyke reghten ende vryheden niet geheuden en is.* Id est. » Non via » juris, nec per modum contributionis, aut precarii subventio» nis, aut impositionis, quæ laici, vel ipsi tres Status dicti nos» tri Brabantiæ Ducatus nobis in eum finem annuerunt vel per» solvunt, aut ratione illius, quod ii, qui cum ipsis contri» buere solent, imposterum quandoque possent annuere, per» solvere, aut contribuere, quibus præfatus Clerus juxta Eccle» siastica, & Cæsarea jura, & libertates obnoxius non est. «

Hæc evidenter probant, Clerum secularem nequaquam comprehensum fuisse eo tempore sub consensu, sive Precariâ ex consensu trium Ordinum Brabantiæ indulta.

LII. Ulteriùs probant hæ litteræ, sive Edictum Principis, Clerum Secularem Brabantiæ habitum fuisse ut Corpus omninò distinctum à primo membro Statuum Brabantiæ. Unde in eodem Edicto dicitur, quòd in subsidio per Clerum addicto contribuere debeant omnia Ecclesiastica bona, exceptis Prælatis Brabantiæ & aliis Ecclesiasticis locis, sive hospitalibus, quæ cum eisdem Prælatis, *primum membrum* trium Statuum Brabantiæ repræsentantibus, antehac, & in futurum consueverunt communes subventiones precarias, & impositiones solvere. Quomodo clariùs distinctio Cleri à primo membro, quoad hanc materiam exprimi potuisset? Verba Edicti sunt: *Dat alle geestelycke oft Kerckelicke Goedem in Brabant liggende, inder selver somme contribueren ende mede ghelden sullen uytghenomen die* PRELATEN VAN BRABANT *ende andere geestelycke plaesent oft Goidts huysen die metten selven Prelaten den eersten Staet vande dry Staten van Brabant voorgenomde, representer ende va anderen Tyde, ende hercommen ghewoonelyck zyn ghemeyn Subventien, beden ende Settingen te betaelen.* Id est. » Ecclesiastica omnia bona in Brabantia sita in eandem summam » contribuent & conferent, exceptis PRÆLATIS BRABANTIÆ; » aliisque tum Ecclesiarum, tum piarum fundationum locis, » quæ cum iisdem Prælatis primum Ordinum trium Statuum » Brabantiæ repræsentantibus sive olim, sive in posterum con» sueverunt communes subventiones, precaria, & impositiones, » persolvere. «

LIII. Eadem Cleri à Statibus Brabantiæ separatio in facienda contributione subsidii pro necessitate Patriæ claris terminis exprimitur in Acta Mariæ Ducissæ Austriæ Gubernatricis Belgii de 4. Septemb. 1523. quæ extat parte 3. Edict. Brabantiæ *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 28. in qua ad supplicationem trium Ordinum Brabantiæ declaratur, quod Xenodochia, hospitalia, domus pauperum, Confraternitates, aliique, qui per subsidium ab Ordinibus Brabantiæ promissum gravantur, & ab illud contribuere debent, sicuti in similibus subsidiis hactenus contribuere consueverunt, immunes & liberi manebunt à taxis, & impositionibus, quas *Clerus* Brabantiæ iis imponere meditatur: ita tamen, ut si reperiatur, prædicta Corpora habere aliqua bona *amortizata*, quòd hæc cum Clero contribuere tenebuntur, inspecto horum bonorum valore.

Idipsum rursus per aliam Actam de 25. Martii 1528. declaratum est; & quidem uti in eadem dicitur, de prævio advisamento Consilii Brabantiæ, & Consilii Privati; extatque hæc Acta parte 3. Edicti Brabantiæ *lib.* 3. *tit.* 1. *cap.* 29.

Hæc omnia evidenter supponunt, & evincunt, Clerum Brabantiæ eo tempore non fuisse comprehensum sub primo membro Ordinum Brabantiæ; neque in subsidiis per Ordines Brabantiæ concessis contribuisse; sed separatum subsidium subindè Principi dedisse, & separatam pro eo contributionem instituisse.

LIV. Nec tantùm ante novorum in Belgio Episcopatuum erectionem Clerus à primo membro separatus fuit; sed & post eorum erectionem remansit sejunctus: eò quòd nullus in primo isto Membro esset, qui Clerum repræsentaret.

Admissi quidem fuêre ad Ordines Brabantiæ Archiepiscopus Mechliniensis, & Episcopus Antuerpiensis; at neuter eorum in qualitate Episcopi; sed ille tanquam Abbas Affligemiensis; hic verò ut Abbas S. Bernardi ad Schaldim; qua qualitate etiamnum manent.

Porrò in hac qualitate ipsos haud posse repræsentare Clerum secularem, neque Clerum ipsis in ea qualitate subjici notorium est.

Unde post erectos in Belgio Episcopatus, & admisionem Archiepiscopi Mechliniensis, & Episcopi Antuerpiensis ad Ordines Brabantiæ scriptæ sunt Litteræ ad Archiepiscopum Mechliniensem signatæ per Ducissam Isabellam 26. Julii 1629. quibus Archiepiscopus rogatur, ut sine mora convocet universum suum Clerum, comprehensis etiam Monasteriis, tam virorum, quàm mulierum, exceptis Abbatiis Ordinis Præmonstratensis, & aliis, quæ ex antiquo more vocantur ad *Ordines Brabantiæ*, ad deliberandum super voluntaria contributione occasione obsidionis Sylvæducensis. Verba Litterarum sunt: *Partant avons trouvè necessaire, de vous requerir au nom de Sa Majesté, comme faisons tres instamment par cette, de vouloir sans aucune remise convoquer le Clergé de votre Diocese, y comprendant meme les Monasteres, soit d' hommes ou femmes & autres maisons de Dieu* HORMIS LES ABBAYES DE L' ORDRE DU PREMONSTRE, ET AUTRES, QUI D' ANCIENNE COUTUME SONT APPELLEZ AUX ETATS DE BRABANT, *au regard desquelles avons aussi donné l' ordre convenable à les requerir.* Id est. » Quocirca necessarium duximus, ut Suæ Majestatis nomine à » vobis requireremus, prout hisce facimus instantissimè, ut sine ul» la dilatione Diœcesis vestræ Clerum convocetis, comprehensis » etiam Monasteriis hujus & alterius sexus, aliisque piarum fun» dationum Domibus, EXCEPTIS ORDINIS PRÆMONSTRATEN» SIS ABBATIIS, ALIISQUE EX ANTIQUA CONSUETUDINE AD » ORDINES BRABANTIÆ CONVOCATIS, quos ad eundem finem » convenienter requiri curabimus. «

Addunt hanc finalem clausulam: *Les assurant que cette quotation se fera sans prejudice du Privilege d' exemption, & autres qu' ils peuvent avoir, & aussi que ce qu' ils contribueront à cet effet ne sera tirè en aucune consequence, perjudice, ou lesion des immunites & franchises dont ils pourroient jouir.* Id est. » Spondentes hanc tributi descriptionem fore sine præjudi» cio Privilegii, exemptionis, aliorumque ipsis fortè conces» sorum, sic ut nec ab eò quod contribuerant, exemplum ullo » modo ducatur in detrimentum, aut læsionem immunitatum, » aut libertatum, quibus eos gaudere forsan contingit.

Similem actam dedit eadem sua Celsitudo Isabella 23. Octob. 1630. Similiter & Archidux Leopoldus anno 1651. Litteris particularibus consensum Cleri ad contributionem gratuitam expostulans.

Omnia hæc rursus evincunt, Clerum Brabantiæ in materia contributionis, sive subsidii gratuiti remansisse à Statibus Bra-

bantiæ sejunctum, atque suum consensum separatim præstitisse: & à Ducibus Brabantiæ, ut Corpus Ecclesiasticum separatum à primo membro Ordinum fuisse reputatum, etiam postquam Archiepiscopus Mechliniensis, & Episcopus Antuerpiensis tanquam Abbates ad primum membrum Statuum Brabantiæ admissi fuerunt.

LV. Legitur quidem aliquando nonnullos prætendisse Clerum subjicere contributioni in *subsidium* per Status Brabantiæ concessum; at Clerum expostulâsse, id repugnare suæ immunitati, & usui hactenus observato; declaratumque fuisse per Principem, hanc contributionem non posse trahi in consequentiam, constat ex Supplica ejusdem Cleri exhibita Carolo V. ejusque apostilla ad hanc supplicam; quæ extant in Acta nomine ejusdem Caroli expedita 21. Julii 1541. Verba ipsius Actæ sunt: *Charles par la divine Clemence Empereur des Romains toujours Auguste, Roy, &c. A tous ceux qui cettes presentes verront, salut.* Id est. » Carolus Divina favente Cle» mentia Romanorum Imperator semper Augustus, Rex &c. » omnibus has visuris salutem. «

Comme les tres RR. Patres en Dieu nos tres chers & aimés Cousins, les Eveques de Liege & de Cambray, ensemble les gens de Clerge desdits Evechés residant & ayant leur biens en notre Pays & Duche de Brabant, nous ayent fait remontrer. Id est. » Cùm Reverendi admodum in Christo PP. & dilecti » nostri cognati Episcopi Leodiensis, & Cameracensis, adjunc» tis simul dictorum Episcopatuum Clericis commorantibus, & » bona sua possidentibus, in ditione nostra & Ducatu Braban» tiæ, exponi nobis curaverint.

Que combien DE DROIT TANT DIVIN QUE HUMAIN *ceux de l' Etat Ecclesiastique, tant leurs personnes, que biens ayent de toute ancienneté été, & sont & doivent demeurer quites, francs & exemps de tous tailles, contributions, & impôst*, SANS ONC. QUES AVOIR ETE COMPRINS, NY CONTRIBUE' ES CHARGES, CONSENTEMENS, ET ACCORDS FAITS PARS LES ETATS DE BRABANT. Id est. » Quod licèt TAM DIVINO QUAM HUMANO » JURE Ecclesiasticus ordo, tum quoad personas, tum posses» siones, ab omni retrò tempore fuerit, sit & debeat esse exemp» tus omnibus vectigalibus, contributionibus, & impositionibus, » NEC UNQUAM COMPREHENSUS FUERIT, NEC CONTRIBUERIT » IN ONERA CONSENSUS, PACTA PER ORDINES BRABANTIÆ » INITA."

Mais quand le cas s' est offert, qu' il à été requis d' avoir quelque aide, assistance ou subside d' eux, l' on s' est addressé aux Evéques de Liege, & de Cambray, & à chacun dans son Diocése, pour par leur moyen & auctorité FAIRE CONVOQUER CEUX DU CLERGIE, *aux quels l' on à accoutumé proposer & demander tel don gratuit ou subside, qu' il convenoit pour subvenir à nos affaires, en quoy ils ne sont jamais rendus difficils, ains y ont voluntairement consenti, comme encore ils seront prets quand la necessité la requirera.* Id est. „ Verùm „ cùm se obtulit occasio, ut ab iis precarium aliquod, aut „ subsidium posceretur, adiri solitos Episcopos Leodiensem, „ & Cameracensem, & quemlibet in sua Diœcesi, ut me„ diante eorum auctoritate, ii, QUI DE CLERO SUNT, CON„ VOCARENTUR, quibus proponi, & à quibus peti moris fuit, „ donum gratuitum, aut subsidium, quale conveniebat, ut „ negotiis nostris succurreretur: qua in re difficiles se nunquam „ præbuere, quin ultrò assenserunt, prout & modò parati sunt, „ cum necessitas postulabit."

Ce non obstant sous ombre de dixiémes deniers n' a gueres deux fois accordés par les Etats de Brabant de tous biens & muebles & autres revenus, l' on s' est avancé contraindre par execution reelle ceux du dit Clerge & Etat Ecclesiastique, SANS LES AVOIR FAIT ASSEMBLER ET DEMANDER LEUR CONSENTEMENT, COMME L' ON A ACCOUTUME A FAIRE DU' PASSE, *le tout contre & au perjudice de leurs dites libertes, franchises & exemptions, nous supplicants qu' a la conservation d' icelles il nous plaise sur ce faire declaration, afin que telle nouvelleté ne soit tiré en consequence.* Id est. „ Quibus non „ obstantibus prætextu nummi decimi non ita pridem his con„ cessi per Ordines Brabantiæ, in omnia bona, & mobilia, „ aliosque redditus, progressum est ad coactionem reali exe„ cutione dicti Cleri, & status Ecclesiastici TAMETSI CONVO„ CATI NON FUERINT, NEC ROGATI ASSENSUM, PROUT OLIM „ OBTINUIT CONSUETUDO, idque contra, & in detrimentum „ libertatum dictarum, & exemptionum ipsorum, Nobis sup„ plicantes, ut pro conservatione illarum placeat Nobis de„ clarationem facere, ne talis novitas ducatur in exemplum."

Scavoir faisons, que tous les choses susdites considerées, inclinant favorablement à la Supplication & Requete desdits Remontrants, avons declarè & declarons par ces presentes; que ce qu' ils ont payé & contribué es dixiemes dessus mentionnés, vu qu' ils ont été accordés par le extreme & necessaire defense du Pays, ou touts exempts & non exempts, Privilegiés & non Privilegiés, & tous autres nuls exceptes ont contribué, ne sera ci apres tiré en consequence, & ne tournera au preju-dice des droits, libertes & exemptions des Remontrants. Id est. „ Quibus omnibus attentis notum facimus, propensi favorabi„ liter supplicationi dictorum exponentium, declaravimus, & „ declaramus per hasce, quòd id quod persolverunt, & con„ tribuerunt in exactionibus dictis nummi decimi, quandoqui„ dem pro extrema, & necessaria patriæ defensione fuerint „ permissæ, & ad quas omnes tàm exempti, privilegio præ„ diti, & non præditi, cæterique omnes, nemine excepto, „ contribuerunt; nullum invehet detrimentum jurium, liberta„ tum, & exemptionum exponentium."

Ex hac supplica intelligimus, Clerum Brabantiæ prætendisse se non posse comprehendi sub consensu Statuum Brabantiæ eo quod sub nullo membro contineretur.

Secundò ex apostilla data ad hanc supplicam patet, consensum Ordinum occasione cujus prætendebatur, quòd Clerus contribuere deberet, datum fuisse cum clausula, quod etiam *exempti* in contributionem venire deberent; id est, cum clausula hodie usitata, *niemant vrye.*

Tertiò probat hæc supplica, quòd tunc nonnulli prætenderint sub consensu Ordinum Brabantiæ comprehendi ipsum Clerum, præsertim quando is datus est cum prædicta clausula, *niemant vrye.*

Quartò habemus ex ipsa Principis apostilla, à Clèro tunc aliquam contributionem fuisse solutam; ipsumque Principem judicâsse ob præsentem necessitatem, hanc contributionem à Clero esse dissimulandam, sive jam factam non esse revocandam.

Quintò ex eadem apostilla habetur, Principem judicâsse, & declarâsse hanc contributionem esse quidem à Clero dissimulandam; nequaquam tamen declarâsse, Clerum sub consensu Ordinum, tametsi sub conditione *niemant vrye*, præstito comprehendi: imò potiùs contrarium indicâsse per clausulam apostillæ insertam.

LVI. Quandonam posthac Clerus in contributionem subsidii per Status Brabantiæ impositi, vocari cœperit, nescio. Interim non obscurum est, Principes Belgii etiam hoc seculo, Clerum Brabantiæ habuisse pro corpore omninò separato à tribus membris Ordinum, atque à Clero tanquam distincto Corpore *Subsidium voluntarium* petiisse: uti ex supra allegatis litteris patescit.

LVII. Ulteriùs hoc scio à paucis annis nonnullos è Clero Brabantiæ Pastores contendisse se non posse ex consensu Ordinum Brabantiæ gravari: variisque editis publicis Scriptis suam ab his subsidiis immunitatem propugnâsse: atque inter alia evulgatum fuit Scriptum, cui titulus *Brevis deductio juris pro immunitate Pastorum Brabantiæ à publicis ejusdem Provinciæ oneribus Supplicantium*: in quo scripto ostenditur, Clerum secularem esse Corpus distinctum à Statibus Brabantiæ, neque sub consensu Statuum comprehendi: idque iisdem penè argumentis, quæ hîc à me proposita sunt.

Pendet quoque iis coram Consilio Brabantiæ inter Capitulum SS. Michaëlis, & Gudulæ juncto Clero civitatis Bruxellensis, & ipsam Civitatem Bruxellensem, in qua Capitulum, & Clerus sustinent, se per Ordines Brabantiæ citra specialem suum consensum gravari non posse.

LVIII. Quidquid sit de hac controversia, illud constat, Clerum in consensu Ordinum Brabantiæ *nominatim* non exprimi: neque *specialem quotam* determinari, quam Clerus conferre debeat: quæ tamen quota determinata est pro Prælatis primum membrum Ordinum constituentibus.

Indicium sanè probabile, Clerum ex prima intentione Ordinum Brabantiæ non fuisse comprehensum, neque de Clero fuisse cogitatum; præsertim cùm reperiatur exactè determinatum quid in singulis subsidiis singulæ civitates, & pagi proportionatim conferre debeant: nihil autem determinatum unquam sit, quàm portionem Clerus ferre debeat.

LIX. Unde & contingit, ut Pastores, aliique de Clero taxentur, & tallientur ab ipsis Pagorum Magistratibus, & Prætoribus, idque sæpè cum notabili inæqualitate ad alios Incolas, & infractione immunitatis Ecclesiasticæ, aliisque summis incommodis.

Sanè frequens in his, & aliis Provincis jam pridem fuit Cleri voluntaria contributio: at illius contributionis distributio per ipsa membra, & supposita Cleri, non ipsis Pagorum Consulibus, vel Prætoribus, aliisque laicis; sed Deputatis, aut Capitibus Cleri concredita fuit: atque ab his Ecclesiastici singuli habita proportione proventuum taxati, & contribuere compulsi sunt.

Legitur in citata acta Maximiliani, & Mariæ Ducum Brabantiæ de 13. Junii 1479. quòd Clerus Brabantiæ consensisset in subsidium quoddam, sed imponendum, & colligendum per Deputatos Cleri, absque interventu laicorum. Verba sunt: *Om by de voorz Clergie oft by sekeren heuren ghedeputeerde, die de ordinaris oft conservateurs selver daer toè committerem ende stellen sullen sonder Toedoen, Middel ofs onderwinden van ons, noch eenighe Leekerhand, die voorz. Somme van vier duysent Rins-*

Rinsguldent diewerdee boven verkleert, te setten te innen ende te ontfangen soo dat behoort, ende t' onsen Beboeff te betaelen in termine voorschreven, by den selven heuren Ghecommitteerden, die voor de selve Clergie oft heuren Ghedeputerden ende nerghens anders Rekeninghe ende Bewiis daer af doen sullen, maer alsoo verre die voorz. Clergie oft heure Ghedeputeerde in ende tot Behulp der innighen van de Peninghen vorschreven, boven ende tot Behulp van de gheestlycke Censuren oft Bedwanghe onser weereltlycker handt, teghen de wederspanninghen oft rebelle Beoheffd, sullen wy oft onse Officieren daer op versocht hun daer inne bystant ende Behulp doen. Id est: » Ut per dictum Clerum, aut » ejus Deputatos, quos ad eum finem Ordinarii, aut ipsi conservatores statuent, & designabunt, nullatenus interveniente nostrâ operâ, auctoritate, aut instantia, vel alia laicali » potestate, prædicta quatuor millia florenorum summa, valoris ut suprà imponatur, colligatur, & recipiatur, prout opus » & ad usum nostrum persolvatur in dies præstitutos, ab eodem » Clero, aut iis, quibus negotium demandârint, qui coram eodem Clero, aut ejus deputatis, nec aliis omninò, ratione reddent, & conferent. Verùm si aut dictus Clerus, aut ejus Deputati ultra Ecclesiasticas censuras, vel ad earum robur in dictæ pecuniæ collectionem seculari nostra potestate ad compellendum rebelles & contumaces indigeant; Nos aut Ministri » nostri id rogati, opem & auxilium conferemus.«

In Gallia quoque *donum gratuitum*, in quod Clerus consentit, per Prælatos, non autem laicos distribui & colligi notum est.

Quomodocunque in contributionem, & subsidium Clerus vocetur, optandum sanè esset in hac occasione Clerus, ac notanter Pastores, laicis, & suis subditis non subderentur, neque multifariis eorum vexationibus exponerentur, quibus optimi, ac zelosissimi Pastores frequentiùs sunt expositi; utpotè qui ob annuntiatam veritatem, & zelum disciplinæ odio malevolorum hominum magis sunt obnoxii. Episcoporum, aliorumque Superiorum est prospicere, & allaborare quâ viâ remedium hisce adferri queat.

LX. Ex ipsa allegata acta Maximiliani & Mariæ Ducum Brabantiæ constat, subsidium voluntarium à Clero additum fuisse de consensu Episcoporum Leodiensis, & Cameracensis, quibus Clerus Brabantiæ tunc subeiat: *Met heuren vrye wille, by Oirlove ende consente van de Eerweerdighe Vaderen in Gode de Biscoppen van Luydick ende Cameryck heuren Ordinarisse.* Id est: „ Libera eorum voluntate annuentibus pariter, & per„ mittentibus ipsorum Ordinariis Reverendis in Christo Patri„ bus Episcopis Leodiensi, & Cameracensi.“ Idque conformiter ad Decretum Concilii Lateranensis in *cap.* 4. ℵ *de Immunit. Eccles.*

LXI. Sed cùm nulla fiat mentio Romani Pontificis admodum verisimile est, jam tum Decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. in *cap.* 7. ℵ *eod.* non fuisse in usu, in quantum vult, ut in hujusmodi subsidiis, aut contributionibus *consulatur Romanus Pontifex.* Facilè enim privilegium, quod vi declarationis Bonifacii VIII. prætendit Rex Galliæ, vicino Belgio communicari potuit. Quidquid sit, certum & notorium est, in hujusmodi subsidiis consentiendis hodie Romanum Pontificem consuli non consuevisse. Vide Zypæum *consult.* 1. *de Immunit. Eccles. num.* 1. ubi notat, eam ferè intra cæteras causam esse, cur *Bullam Cœnæ* non publicari, aut recipi tam multis locis videamus. (h)

LXII. Cæterum in annuendis subsidiis ea ratio tenenda, ut dum necessitatibus Patriæ succurri prætenditur, ipse Clerus, ac signanter Pastores, & animarum Directores suis necessariis non priventur; & dum in temporalibus Reipublicæ succurritur, in spiritualibus non noceatur; quod facilè continget, si Parochis sua necessaria desint.

Unde omninò justum est, dum subsidio, aut aliqua voluntaria contributione Clerus gravatur, ipsam tamen Pastoralem *competentiam* servari exemptam; quemadmodum jam pridem soliciti fuere Patres, ut *Mansus integer*, id est, ipsa *dos* Ecclesiæ unicuique servaretur à censu & servitio immunis: uti *cap.* 2. latiùs notatum fuit.

Adhæc nullatenus verisimile est, Principes desiderare, ut per subsidia competentia pastoralis minuatur, qui tantopere solicite fuerunt, ut sine mora Parochis de competentia provideretur; uti suprà *tit.* 34. *cap.* 5. videri potest. Quare non semel in Belgio declaratum fuit, competentiam pastoralem à contributione esse exemptam, ac signanter anno 1685. & 1687.

XLIII. Circa *subsidia*, quæ in Belgio Regi addicuntur, & illud observandum, alia ex consensu Statuum, sive Ordinum, vel Membrorum imponi, vel colligi tanquam *realia* sive uti loquuntur *pede reali*, *reele voet*: alia ut personalia, *personele voet* alia denique *pede*, ut ajunt partim reali, partim personali, prout Ordinibus, vel Statibus visum fuerit: vel si non exprimatur, tunc colligi solet eo pede, quo alias subsidium pro tali necessitate, aut talibus expensis solutum, colligi consuevit: soletque in Belgio & consuetudo operari, ut observat Zypæus *consul.* 1. *de Immunit. Eccles.*

LXIV. Quando ut realia, sive *pede reali* colliguntur, tunc fundis imponuntur, non habita personarum consideratione: ita ut exteri tallientur, sive in contributionem vocentur in locis, ubi fundi eorum siti sunt, pro ratione fundorum. (i) E contra ubi ut *personalia* colliguntur, non habetur ratio fundorum, sed personarum: & collectio, seu impositio fit personis habito respectu lucri, & proventuum suorum; tuncque soli incolæ gravantur in loco domicilii (k) Ex his facilè videre est quæ ratio ineatur, dum partim realia, partim personalia sunt.

TITULUS XXXVI.

De Administratione, & Alienatione Bonorum Ecclesiasticorum.

CAPUT I.

DE EPISCOPORUM IN DISPENSANDIS, ET ADMINISTRANDIS REBUS ECCLESIÆ AUCTORITATE.

1 *Plena dispensatio rerum Ecclesiæ olim fuit penès Episcopos.*
2 *Etiam post divisionem in 4. portiones mansit penès Episcopos dispensandi auctoritas.*
3 *Nonnulli Episcopi hac auctoritate abutebantur.*
4 *Voluerunt Synodi Ecclesiis Parochialibus provideri.*
5 *Seculo VI. cœperunt aliquæ obventiones Ecclesiis Parochialibus assignari.*
6 *Sensim singulis titulis particulares proventus fuêre annexi.*
7 *Libertate Episcoporum dispensandi res Ecclesiæ per erectionem Beneficiorum diminuta, manserunt supremi earum rerum superintendentes.*
8 *Primum hujus superintendentiæ argumentum, & vestigium.*
9 *Secundum illius argumentum.*
10 *Tertium argumentum.*
11 *Quartum illius argumentum.*
12 *Quintum argumentum.*
13 *Sextum argumentum.*
14 *Septimum argumentum.*
15 *Episcopi exemplo Apostolorum soliciti esse debent, ne per curam temporalem avocentur à ministerio spirituali.*
16 *Quales esse debeant dispensatores rerum Ecclesiæ.*
17 *Quàm solicitus fuerit Apostolus, ne suspicio infidæ dispensationis daretur.*
18 *Voluit jam pridem Ecclesia, ut Episcopi in dispensatione rerum Ecclesiæ adhiberent Clerum suæ Ecclesiæ.*
19 *Cura temporalium in multis Ecclesiis commissa fuit Diaconis; ac præcipuè Archidiaconis.*
20 *Ex hac Archidiaconorum auctoritate remansit hodiernum jus* deportus.
21 *In quibusdam Ecclesiis Episcopi habebant œconomum, cui cura temporalium incumbebat.*
22 *Idque etiam ante Concilium Calchedonense.*
23 *Canon Concilii Calchedonensis præcipiens in omnibus institui œconomum.*
24 *Œconomus non sumendus ex cognatis, aut domesticis Episcopi.*
25 *Constitutio Justiniani Imp. de œconomis.*
26 *Decretum Synodi VIII. de constituendis œconomis.*

Ca-

(h) *In Hispania Bulla Cœnæ non est in usu in ea, quæ Regaliæ præjudicialia esse possunt, ut constat ex leg.* 7. *num.* 3. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopil.*

(i) *Vide leg.* 4. *tit.* 14. *lib.* 6. *& leg.* 4. *& 5. tit.* 9. *lib.* 7. *Recop. quibus adde etiam Actum* 26. *num.* 2. *& 3. tit.* 9. *lib.* 3. *ejusdem.*

(k) *Solutio* de la Moneda forera, *quæ in Hispania Regi in recognitionem supremi Domini solvitur, censetur ut onus personale, & ideò ab ea immunes sunt Clerici per leg.* 1. *tit.* 33. *lib.* 9. *Recop. & horum Regnorum exteri, per leg.* 7. *ejusdem tit. & lib. & L.* 66. *num.* 5. *tit.* 4. *lib.* 2. *Recop.*

27 *Canon Concilii Hispalensis contra Episcopos sine œconomo res Ecclesiæ administrantes.*
28 *Concilium Toletanum IV. urget institutionem œconomi; & hic aliquando dictus* Vice-Dominus.
29 *Quando usus œconomorum desinere cœperit.*
30 *Sanctus Carolus magis attendens spiritum quàm litteram Canonum, œconomos ab Episcopis constitui voluit.*
31 *Id ab omnibus suæ Provinciæ Episcopis servari voluit, ut liberiùs functionibus spiritualibus incumbere possent.*
32 *Qualem œconomum desideret.*
33 *Synodus Calchedonensis vult etiam proventus Sede vacante per œconomum administrari.*
34 *Hoc Decretum renovatum per Synodum Tridentinam.*
35 *Electus à Capitulo sine justa causa deponi nequit.*

I. EPiscopos primitùs fuisse rerum Ecclesiasticarum primarios, ac præcipuos dispensatores omnium passim Canonum una est sententia.

Canon XLI. vulgò Apostolorum ait: » Jubemus Episco» pum rerum Ecclesiæ potestatem habere.« Rationem addit: » Si enim pretiosæ hominum animæ sunt ei credendæ, multò » magis sunt committendæ pecuniæ ut in ejus sit facultate omnia administrare.

Eadem repetit *Canon.* XXV. Concilii Antiocheni ann. 341. vulgò *in Encæniis*, dicens: » Episcopus habeat rerum Eccle» siæ potestatem, ut eas in omnes agentes dispenset, cum mul» ta cautione, & Dei timore.«

II. Et quamvis seculo IV. aut V. in aliquibus saltèm Ecclesiis vulgaris illa rerum Ecclesiasticarum in quatuor portiones divisio invaluerit, & Canonum auctoritate decreta sit, nihilominùs suprema dispensandi auctoritas remansit penes Episcopos, uti suprà *tit.* 23. *cap.* 6. monuimus: & multis Canonibus etiam seculo VI. & VII. claris terminis expressum est.

III. Hac auctoritate nonnulli Episcopi abutentes, facultates Ecclesiarum ita sibi vindicabant, ut parum, aut nihil ipsis clericis relinquerent, quemadmodum seculo VI. Episcopi Gallicani apud Carpentoractem congregati testantur, dicentes » Hu» jusmodi ad nos querela pervenit, quòd ea, quæ à quibuscun» que Fidelibus Parochiis conferuntur, ita ab aliquibus Episco» pis præsumantur, ut aut parum, aut propè nihil Ecclesiis, » quibus relicta fuerant, relinquatur.«

IV. Post hæc subjungunt: » Hoc nobis justum, & rationa» bile visum est, ut si Ecclesia civitatis ejus, cui Episcopus » præest, ita idonea, ut Christo propitio nihil indigeat; quid» quid Parochiis fuerit derelictum, Clericis, qui ipsis Parochiis » deserviunt, vel reparationibus Ecclesiarum rationabiliter dis» pensetur. Si verò Episcopum multas expensas, & minorem » substantiam habere constiterit, Parochiis, quibus largior fue» rit collata substantia, hoc tantùm quod Clericis, vel sartis » tectis rationabiliter sufficiat, reservetur: quod autem amplius » fuerit propter majores expensas, Episcopus ad se debeat » revocare.«

Hîc ergo apparet, eo adhuc tempore dispensationem facultatum Ecclesiasticarum fuisse penes Episcopos, atque potuisse etiam inferiorum Ecclesiarum Parochialium facultates ad se avocare; modò tamen ipsis Parochialibus esset sufficienter provisum.

V. Verùm quia in hac sufficientia assignanda, vel relinquenda Episcopi nonnulli essent æquo tardiores, aut tenatiores & minus liberales, cœperunt seculo VI. nonnulla bona, ipsis Ecclesiis Parochialibus, præsertim ruralibus, aut Presbyteriis illis deservientibus reservari, quorum proventus ipsis solis cederent. In Concilio Aurelianensi III. anno 538. decernitur *Can. V.* » Si » quæ oblationes, in quibuslibet rebus, atque corporibus col» latæ fuerint Basilicis in civitatibus constitutis, ad potestatem » Episcopi redigantur; & in ejus sit arbitrio, qui ad reparatio» nem Basilicæ, aut observatum ibi substantiam deputetur. De » Facultatibus verò Parochiarum, sive Basilicarum in pagis ci» vitatum constitutis singulorum locorum consuetudo servetur.«

VI. Hoc insuper scitur, sensim unicuique Ecclesiæ, quin & titulo suos particulares proventus circa IX. & X. seculum cœpisse annecti; ita ut qui Ecclesiæ, aut titulo esset præfectus, *jure suo* haberet *plenum* jus percipiendi, & dispensandi annuos proventus illi annexos; uti latè deduxi supra *tit.* 18. *cap.* 1. ubi de origine Beneficiorum actum est.

VII. Quamvis autem per Beneficiorum erectionem, nec non bonorum Ecclesiæ Cathedralis inter Episcopum, & Canonicos partitionem, libera alia Episcoporum dispensandi, & administrandi res Ecclesiasticas auctoritas non parum restricta fuerit; nihilominùs indubitatum est, Episcopos adhuc mansisse rerum Ecclesiasticarum superintendentes, & curatores quoad Ecclesias, & loca sibi subjecta, atque etiamnum hodie auctoritatis illius non paucas, nec exiguas superesse reliquias.

VIII. Indubiè hujus auctoritatis reliquiæ putandæ sunt, quod passim in Synodis Belgicis injungitur, ut adeptus Pastoratum, antequam cura animarum, vel possessio Pastoratûs ei detur, jurare, & promittere debeat: » Specificationem omnium » fructuum Pastoratûs mei, cum debita designatione hypothe» carum, limitum, & terminorum intra annum à festo nativi» tatis S. Joannis Baptistæ proximè venturo, Archipresbyte» ro tradam.«

Hæc ex Synodo P. II. Mechliniensi, uti latiùs retulimus suprà *titul.* 26. *cap.* 2. ubi unà notavimus, idem penè juramentum exigi à provisis de quocunque Simplici Beneficio.

Ut quid hæc bonorum specificatio Archipresbyteris, qui Episcoporum quasi Vicarii sunt, exhibenda? Nisi ut ipsi vice Episcoporum conservationi illorum bonorum intendant, invigilentque, ne quid per Beneficiatorum incuriam deperdatur.

IX. Jubent quoque Synodi, » pro conservatione bonorum » ad Ecclesias Parochiales, & Capellanias pertinentium, ut sin» guli Parochi, & Capellani inventarium bonorum eorumdem » faciant, (l) illudque subsignent, necnon a Majore, & Scabi» nis etiam suæ Parochiæ subsignari curent, & Ordinariis trans» mittant; qui Ordinarii registrum, in quo singula inventaria hu» jusmodi describantur, confici mandent, ipsa originalia, & » authentica in archivum aliquod reponant, & ad posteritatis » memoriam diligenter asservent.« Ita Synodus P. II. Camera-censis *tit.* 15. *cap.* 7.

X. Et Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 22. *cap.* 3. vult ut » Possessorem quorumcunque Beneficiorum, litteras fundatio» num eorumdem, & omnium bonorum ad Beneficia spectan» tium, Decanis Capitulorum, vel Archipresbyteris, quorum » visitationi ipsa Beneficia subsunt, intra trimestre post publica» tionem præsentis Synodi exhibeant, in archivis Episcoporum, » vel Capitulorum asservandas.«

Similia in omnibus passim Synodis Belgicis leguntur, quæ Episcopalem in bona Ecclesiarum, & Beneficiorum Episcopis subjectorum superintendentiam evincunt.

XI. Illa quoque tum Synodorum Decreta, tum Principum Edicta, quæ volunt computibus bonorum spectantium ad Ecclesiarum fabricas, & Mensas pauperum, Episcopum, ejusve Deputatum interesse (de quibus *part.* 1. *tit.* 5. *cap.* 4.) rursus ostendunt, Episcopo horum etiam bonorum curam incumbere.

XII. Synodus Trident. *Sess.* 22. *cap.* 8. & 9. *de Reform.* Episcopis attribuens amplam potestatem visitandi Hospitalia, aliaque pia loca, ipsosque hospitalium, & similium administratores urgens ad reddendam singulis annis rationem administrationis Ordinario, non obscurè ipsam Episcoporum auctoritatem in bona illorum locorum insinuat: (m) sed de hac auctoritate Episcoporum latiùs agetur infrà titulo sequenti.

XIII. Consensus Episcopi in alienatione bonorum Ecclesiarum necessarius (de quo infrà) sat manifestè evincit, eminentem aliquam & primariam auctoritatem in administrandis inferiorum Ecclesiarum, & Beneficiorum bonis penes Episcopos remanere.

XIV. Quòd Parochi, aliique plures Beneficiati testari nequeant sine licentia Episcopi: item quòd ad Episcopum mobilia Clericorum intestatorum in quibusdam locis devolvantur, ut ea ipse in canonicos usus dispenset, (n) manifesta sunt hujus Episcopalis auctoritatis indicia, & relicta vestigia.

Quòd in nonnullis locis Episcopi ad se trahant proventus Beneficiorum vacantium, aut litigiosorum, vel quibus ipsi Beneficiati personaliter non deserviunt, hujus auctoritatis est vestigium; uti expressè docet Synodus Silvæducensis sub Masio *tit.* 20. *cap.* 9. dicens: » Cùm Ordinarius in sua diœcesi om» nium Beneficiorum, bonorumque Ecclesiasticorum sit *Cura» tor, & Rector supremus*: ordinamus, quòd tempore vaca» tionis litispendentiæ deservituræ Ecclesiarum, ac Capellania» rum, Beneficiorum, officiorumque Ecclesiasticorum, ac etiam » ob temerariam Rectorum absentiam, ab iisdem, videlicet » quando illi nobis litteras privilegii & dispensationis, quibus » à residentia excusari volunt, tempestivè ante festum S. Egy» dii non exhibent, nec juxta ordinationem Concilii Provincia» lis Mechliniensis primi, docent, quòd extra locum residen» tiæ clericaliter & convenienter ordini suo incedant, & vivant, » tunc dispositio servitii, seu deservituræ, ac omnium fructuum » ejusmodi Ecclesiarum, & Beneficiorum ad nos, juxta anti» quam

(l) *Adde leg.* 6. *tit.* 2. *lib.* 1. *Recop.*

(m) *In Hospitaliis, quæ sunt juris Patronatus Regii, nulla apud Diœcesanum in Hispania est auctoritas. L.* 4. *tit.* 6. *lib.* 1. *& Actum Acordat.* 7. *ejusd. tit. & lib. Recop. Castellæ, L.* 44. *tit.* 6. *lib.* 1. *& L.* 22. *tit.* 2. *lib.* 6. *Recop. Indian. adeò taliter ut etiam si aliquod Hospitale sine auctoritate Episcopi non erigatur cum Altari, & turri cum campanis, in Do» miniis Indicis pertinet privativè ad Regem, ut probat L.* 3. *tit.* 4. *lib.* 1. *Recopil.*

(n) *Praxis contraria in Hispania servatur; utpotè quia cùm ex antiquata consuetudine, quæ posteà in legem transiit, Clericis testamenti factio sit. L.* 13. *tit.* 8. *lib.* 5. *& Remiss.* 14. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop.*

» quam & laudabilem consuetudinem habentem in Jure Cano-
» nico fundamentum, spectet, & pertineat."

XV. Verùm dum Ecclesia curam & dispensationem temporalium Episcopis commisit, noluit eos his ita occupari, ut horum cura, aut dispensatio ipsos in cura spirituali longè maxima impediret; sed voluit, ut imitarentur Apostolos, quorum sunt successores, qui dixerunt ad multitudinem discipulorum. *Non est æquum nos derelinquere Verbum Dei, & ministrare mensis. Considerate ergo, Fratres, viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto, & sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos verò orationi, & ministerio Verbi instantes erimus.* Additque sacer textus: *Et placuit sermo coram omni multitudine.* Act. 6.

XVI. Exigunt Apostoli, ut eligantur ad hoc opus mensarum, sive dispensationem temporalium *viri boni testimonii*, hoc est, integræ, & inculpatæ famæ: nec non *pleni Spiritu Sancto & sapientia*: quia, nisi quis plenus sit *Spiritu Sancto*, sive charitate Dei, & proximi, & *sapientia*, hoc est, christiana prudentia in rebus agendis, in rerum temporalium dispensatione facilè peccatur; vel nisi sit *boni testimonii*, peccare existimabitur.

XVII. Quapropter & Apostolus collectæ perficiendæ apud Corinthios, non tantùm Titum, *quem in multis sæpè solicitum esse* probaverat, sed misit *etiam cum illo Fratrem, cujus laus est in Evangelio per omnes Ecclesias; ne quis* (ait) *non vituperet in hac plenitudine, quæ ministratur à nobis.* 2. Cor. cap. 8. Sensus est, ait Estius: »Ideò misimus viros tam in-
»tegros, & extra omnem suspicionem positos, Titum, & al-
»terum fratrem, cujus laus in Evangelio; ne quis malè de no-
»bis loquatur, aut suspicetur, quasi non satis fideliter, &
»castè pecunia tam larga, nostro ministerio collecta, à nobis
»tractetur. Nam ut pecuniæ cupido latissimè grassatur, ita
»ejusdem tractatio fidem exigit; ac perfacilè in eo genere vel
»peccatur, vel peccari existimatur."

XVIII. Exemplo itaque Apostolorum, jam pridem Ecclesia voluit, ut Episcopi in dispensatione & cura rerum temporalium adjutores & socios fideles haberent; ne ipsa temporalium cura in spirituali suo ministerio impedirentur, omnemque infidiæ administrationis suspicionem evitarent.

Imprimis cautum fuit, ut in hac dispensatione Presbyterorum & Diaconorum suorum (quos hodie representat Capitulum Cathedrale) operâ uterentur; adeò quidem ut in Concilio Antiocheno seculo IV. cautum fuerit: »Quod si (Episcopus)
»convertat res Ecclesiæ in suos usus, & Ecclesiæ redditus vel
»agrorum fructus, non ex *Presbyterorum*, vel *Diaconorum*
»sententia administret, sed domesticis suis, aut cognatis, vel
»fratribus, vel filiis, licentiam det, ut rationes Ecclesiæ per
»ipsos clam detrimentum capiant; is Synodo Provinciæ ad-
»ministrationis rationem reddat."

Hujus veteris disciplinæ etiamnum est vestigium, quòd »Episcopi res suæ Ecclesiæ, sive Episcopatus alienare, aut
»gravare sine consensu sui Capituli nequeant, uti infrà no-
»tabitur."

XIX. Ipsa quoque temporalium cura, & immediata dispensatio in multis Ecclesiis exemplo Apostolorum commissa fuit Diaconis; inter quos tamen prima cura sensim transiit ad Archidiaconos. Unde S. Isidorus describens officia Archidiaconi, ait: „Collectam pecuniam de communione ipse accipit,
»& Episcopo defert, Clericis partes proprias idem distribuit."

XX. Postquam singulis Ecclesiis sui proventus fuêre annexi, plena dispensatio ipsis Beneficiatis concredita fuit, minor quoque esse cœpit Archidiaconorum circa dispensationem rerum Ecclesiasticarum auctoritas. Ex pristina interim hac dispensandi auctoritate, & cura Ecclesiarum Parochialium Archidiaconis incumbente, remansit etiamnùm hodie apud quosdam Archidiaconos jus dispensandi proventus Ecclesiarum Parochialium durante earum vacatione, quod vocari solet *jus deportus*. Sed cùm pristina disciplina non nisi dispensationem rerum Ecclesiæ Archidiaconis annueret, non apparet, hoc *jus deportus* ipsis Archidiaconis fructus Ecclesiarum vacantium attribuere, ut illos in privatos suos usus convertant; sed eorum duntaxat fidelem, & providam dispensationem, sive curam, ut ita Archidiaconi tanquam oculi Episcoporum invigilent, ne Ecclesiæ vacantes, vel in temporalibus, vel spiritualibus aliquid detrimenti patiantur, ipsique proventus ritè dispensentur, & Ecclesiæ operariis ad mentem Canonum impendantur.

XXI. In nonnullis Ecclesiis, præsertim Orientalibus, moris fuit, ut Episcopus suum haberet œconomum, qui rerum temporalium curam & dispensationem haberet, ut hoc pacto Episcopus, ne rerum temporalium solicitudine nimium distraheretur, nec infidæ administrationis suspicione insimularetur,

XXII. Canone IX. Theophili Alexandrini decernitur: „Ut
»totius Sacerdotalis Ordinis sententiâ alius renuntietur œcono-
»mus, in quo Apollo quoque Episcopus consensit, ut bona
»Ecclesiæ in ea, quæ oportet, impendantur."

Hîc per transennam notandum, quòd œconomus constituatur, ut bona Ecclesiæ *in ea, quæ oportet, impendantur*, quod est impendere (ait Theodorus Balsamon) in viduas, hospites, & pauperes, uti docet sequens Canon, cujus hæc sunt verba: »Viduæ, & pauperes, & peregrinantes hospites omni quiete
»fruantur; & nemo, quæ sunt Ecclesiæ, ut sua usurpet."

XXIII. Scripti sunt hi Canones currente seculo IV. adeoque fuisse in aliquibus Ecclesiis œconomos institutos ante Concilium Calchedonense, nequaquam obscurum: probatque & ipse *Can. XXVI.* hujus Concilii, quo jubentur œconomi instituí. »Quoniam in nonnullis Ecclesiis, ut sæpè à nobis audi-
»tum est, Episcopi absque œconomis tractant res Ecclesiasti-
»cas, placuit omnem Ecclesiam Episcopum habentem, ex
»proprio Clero œconomum habere, qui ex Episcopi sui sen-
»tentia res Ecclesiasticas dispenset, ut nec sine testibus sit Ec-
»clesiæ ministratio, nec ideo res ejus dissipentur, & probrum
»ac dedecus Sacerdotio inuratur. Si autem hoc non fecerit,
»eum divinis etiam Canonibus subjici." *Dist.* 89. *Can.* 4.

XXIV. Primùm hîc advertendum monet Zonaras; „neque „ex domesticis ipsius Episcopi cuiquam, propinquo fortè, aut „uni è familia, sed homini ex Episcopatus Clero delecto, œco-„nomi munus à Concilio mandari placet."

Deindè subjungit Zonaras: „Quo quidem ex Episcopi ta-„men sententia, bona procurante, & quos in usus Ecclesias-„tici redditus insumantur, facilè apparebit, nec erit cur quis-„piam in Ecclesiæ patrimonio dissolutum Episcopum fuisse „suspicari queat (id enim dissipandi verbo ostenditur) eumque „quasi sacros proventus perditè, irreligiosèque effundentem, „convitiis, contumeliisque proscindat. Qua quidem ex re, „cùm Episcopi fides multitudini suspecta esse consuevit, tum „offensiones quoque populi, velut ex odio malè gestæ potes-„tatis, excitantur."

XXV. Œconomorum sæpiùs meminit Justinianus Imperator, ac signanter in *L.* 42. §. 5. *Cod. de Episcopis, & clericis*, ubi œconomos *cum judicio & diligenti discussione* creari præcipit, addens: „Scientibus ipsis quòd singulis annis rationem „referrent sanctissimo Episcopo suæ administrationis: & qua-„cunque in re videbuntur res Ecclesiasticas minuisse, vel læ-„sisse, vel proprium quæstum quæsisse, hoc Ecclesiasticis re-„bus restituent."

XXVI. Canonem Calchedonensem seculo VIII. renovavit Synodus Nicæna II. *Can. XI.* eum illæsum servandum esse declarat: „Et si quidem (ait) unusquisque Metropolitanus in „sua Ecclesia & œconomum constituit, benè habet. Sin mi-„nùs, Constantinopolitano Episcopo speciali auctoritate lice-„bit œconomum in ejus Ecclesia præficere. Similiter & Me-„tropolitanis, si qui eis subsunt Episcopi, nolint in Ecclesiis „œconomos constituere."

Hîc advertere licet, quàm solicita fuerit hæc œcumenica Synodus, ut Episcopi suos haberent œconomos.

XXVII. Seculo VII. celebrata Synodus Hispalensis II. *Canon IX.* mandat, „ut unusquisque nostrum (id est Episcopo-„rum) secundum Calchedonensium Patrum Decreta ex pro-„prio Clero œconomum sibi constituat.... Si quid autem Epis-„copus posthac Ecclesiasticam rem, aut laicalis procuratione „administrandam elegerit, aut *sine testimonio œconomi* guber-„nandam crediderit, verè ut contemptor Canonum & fraudator Ecclesiasticarum rerum, non solùm à Christo de rebus „pauperum judicabitur reus, sed etiam & Concilio manebit „obnoxius." Apud Gratian. *Caus.* 16. *quæst.* 7. *Can.* 22.

XXVIII. Circa idem tempus Concilium Toletanum IV. *Can. XLVIII.* ait: „Eos quos œconomos Græci appellant, „hoc est, qui vice Episcoporum res Ecclesiasticas tractant, si-„cut S. Synodus Calchedonensis instituit, omnes Episcopos de „proprio Clero ad regendas Ecclesias habere oportet: qui „autem deinceps contempserit, obnoxius ejusdem magni Con-„cilii erit."

Porrò sciendum apud Latinos frequenter hos œconomos fuisse vocatos *Vice-Dominos*, uti notat, multisque ostendit Du Cange in suo Glossario, verbo *Vice-Domini Ecclesiarum.*

XXIX. Quo tempore usus œconomorum desierit, incertum est: admodum verisimile est sensim desiisse, postquam administratio rerum Ecclesiasticarum ad singulos Beneficiatos devoluta est, manente sola administratione, & dispensatione *immediata* bonorum ipsius Episcopatus penes Episcopum.

XXX. Verùm quia semper cavendum est, ne Episcopi rerum temporalium cura & solicitudine in spirituali animarum cura & regimine impediantur, neque infidæ administrationis insimulentur, qui fuit institutionis œconomorum finis: hinc S. Carolus sacrorum Canonum zelosus instaurator, & spiritum magis, quàm litteram sacrorum Canonum considerans, ea, quæ Concilium Calchedonense, & Toletanum decreverunt circa œconomos totius substantiæ Ecclesiasticæ, quando omnium rerum Ecclesiasticarum *immediata* dispensatio erat penes Episcopos, applicuit œconomis, qui solas res Ecclesiæ Cathedralis, sive Episcopatûs administrent, in Concilio V. Mediolanensi *patr.* 3. *capite* 11. ubi ait: „Sacrosancti Concilii Calchedonensis Canon

ju-

„ jubet, ab Episcopo *œconomum* deligi, & constitui, qui Ecclesiæ Cathedralis prædia, bona, resque de illius sententia & arbitrio administret; ut non modò illa non dissipentur, sed testis sit rectæ administrationis, ac dispensationis. "

XXXI. Deindè adjungit: » Id ut à Provinciæ nostræ singulis Episcopis servetur, hoc Decreto statuimus; nec verò » solùm quo diligentiùs bonorum Ecclesiæ rectæ administratio» ni ad illius Concilii præscriptum consulatur; verumetiam quo » *studiosiùs* Episcopus, cùm census, supellectilis, bonorumque » eorum curatorem administratoremque habuerit, in *rerum spi*» *ritualium officiis*, quæ Episcopalis muneris propria sunt, ipse » omni cogitatione totoque animo incumbat. «

XXXII. Quis autem in œconomum eligi debeat, ex præscripto Canonum significat: » Eum verò *œconomum*, vel ut alio » Canone cavetur, *Vice-Dominum* constituat Episcopus, non » laicum, neque sibi cognatione, affinitateve, aut favore con» junctum, sed Ecclesiasticum hominem: qui & *de Clero suo*, » & vero si talem, qui idoneus sit, habere potest, Diacona» tu initiatus sit, quique in eo administrationis genere, & *rec*» *tè* & *peritè* versari possit. «

His sat ostendit sanctissimus Præsul, Episcopos rerum temporalium curam meritò exemplo Apostolorum aliis demandare, ut ipsi orationi, & ministerio liberiùs vacare queant; ita tamen, ut providos & fideles dispensatores, & œconomos deligendo, providus & fidelis bonorum Ecclesiæ dispensator habeatur.

XXXIII. Concilium Calchedonense non tantùm œconomos constitui voluit, qui viventibus Episcopis rerum administrationem susciperent, sed & *Canone XXV.* voluit, *Viduæ Ecclesiæ redditum apud Ecclesiæ œconomum salvum custodiri.*

XXXIV. Hoc Decretum renovans Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 16. *de Reform.* statuit, ut » Capitulum, Sede » vacante, ubi fructuum percipiendorum ei munus incumbit, » œconomum unum, vel plures fideles ac diligentes decernat, » qui rerum Ecclesiasticarum, & proventuum curam gerant, » quorum rationem ei, ad quem pertinebit, sint reddituri...(o) » Episcopus verò ad eandem Ecclesiam vacantem promotus ex » iis, quæ ad eum spectant, ab eisdem œconomo, Vicario, & » aliis quibuscunque officialibus, & administratoribus, qui, Se» de vacante, fuerunt à Capitulo, vel ab aliis in ejus locum » constituti, etiamsi fuerint ex eodem Capitulo, rationem exi» gat officiorum, jurisdictionis, administrationis, aut cujuscun» que eorum muneris, possitque eos punire, qui in eorum offi» cio, seu administratione delinquerint; etiamsi prædicti officia» les, redditis rationibus, à Capitulo vel à deputatis ab eodem, » absolutionem, aut liberationem obtinuerint. «

XXXV. Hoc Decretum in Synodis Belgicis passim observari nominatim præcipitur; additque Synodus D. Mechliniensis, » Iique (Œconomi) semel electi, à Capitulo non mutentur si» ne justa & rationabili causa. «

CAPUT II.

De Elocatione Bonorum Ecclesiasticorum.

1 *Nomine nudæ administrationis venit elocatio, modò fiat ad modicum tempus.*
2 *Ad longum tempus facta censetur species alienationis.*
3 *Tempus* novem *annorum de Jure Civili habetur modicum; de jure Canonico* trium *annorum.*
4 *Belgio pro parte à Jure Civili, & Canonico recessum est.*
5 *Varios terminos pro diversitate bonorum præscripsit Synodus Cameracensis, & Edictum Regum probavit.*
6 *Similes terminos expressit Synodus Mechliniensis, & Edictum Principum ad illam Synodum.*
7 *Plures elocationes simul factæ pro tempore legitimo sæpiùs repetito non valent.*
8 *Certum tempus determinatum, intra quod contractus locationis renovari possit.*
9 *Beneficiati tantùm pro tempore suæ deservituræ mercedem elocationis recipere possunt.*
10 *Decretum Concilii Tridentini contra elocationes* anticipatis *solutionibus.*
11 *Decreta Synodorum, & Edicta Principum Belgii contra similes fraudes.*
12 *An in elocatione liceat recipere* Bibalia.
13 *Elocationes debent fieri publicè præviis proclamationibus.*
14 *Aliquando ob fraudem Rusticorum iis omissis fieri possunt.*
15 *In Gallia nonnullis interdicta conductio bonorum Ecclesiasticorum.*
16 *In Gallia aliquando data fuit prærogativa Parochis in conductione decimarum; sed hodie cessat.*
17 *Non convenit Parochis conductio decimarum.*
18 *Inspecto Jure communi elocatio facta à Beneficiato non protenditur ultra ejus vitam.*
19 *Idipsum in Gallia ordinatum.*
20 *Quid Synodi Belgii circa hoc statuerunt.*
21 *Utrum Resignatarius stare debeat elocationi Resignantis.*
22 *Si Prælatus tanquam Administrator bonorum Ecclesiæ elocaverit, successor tenetur.*

I. ELocationem bonorum Ecclesiæ esse speciem administrationis, atque sub administratione comprehendi, modo intra terminos nudæ & simplicis elocationis concludatur, una est Canonistarum sententia; & apertè probatur in *Clementina* 1. *de Rebus Ecclesiæ non alienandis*; ipsaque notoria praxis consonat.

II. Ut autem intra terminos elocationis subsistat, requiritur, ut sit ad *modicum* tempus. Longioris enim temporis terminus efficeret, ut nomine quidem diceretur elocatio, sed reipsa species alienationis censeretur; quemadmodùm supra *tit.* 25. *cap.* 4. notavimus; atque eatenus non administrationis, sed alienationis species haberetur.

III. Hoc tempus *modicum* secundùm interpretes Juris Civilis secutos Glossam ad *Novellam* 120. *cap.* 3. ad novem annos, & *longum* ad decem producitur, sicut Principum Constitutiones *longum* tempus in præscriptione definiverunt. Vide Covarruviam *lib.* 2. *Var. resol. cap.* 16. & ibi citatos. At Paulus II. in *Extravag.* AMBITIOSÆ, *de rebus Ecclesiæ non alienandis*, videtur tempus *modicum* contraxisse ad *triennium*, inter species alienationis vetitas referens locationem, & conductionem *ultra triennium* (p).

IV. Verùm hanc Extravagantem multis in locis quoad hanc restrictionem ad *triennium* receptam non esse, passim testantur Pragmatici; ipsæque Synodi Belgicæ, & Principum Edicta contrarium usum manifestè ostendunt, quæ quasi mediam viam inter jus Civile, & Canonicum tenuerunt, nimirùm pro diversitate bonorum varios temporis terminos elocationis determinantia.

V. Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 15. *cap.* 6. ait: » Ter» minus ordinarius locationis domorum, & terrarum arabilium » sit *novem* annorum; pro pratis *sex*; pro decimis *trium*, si » tamen seorsim à terris arabilibus elocentur. «

Hunc terminum probavit quoque Philippus II. in Edicto ad hanc Synodum *art.* 24. vetans hunc terminum quovis modo excedi, nisi observatis solemnitatibus in alienatione rerum Ecclesiæ requisitis; idque sub pœna nullitatis contractuum.

VI. Similiter Edictum Principum ad Synodum P. II. Mecliniensem *num.* 20. asserit, Synodum præscripsisse certos terminos observandos in elocatione bonorum Ecclesiasticorum; præcipitque Edictum eos ab omnibus observari; interdicens ultra terminos præscriptos conducere ulla bona Ecclesiastica sub pœna nullitatis ipsius contractus. Verba Edicti sunt: *Ende alsoo het voors Synode hees ghestelt eenen zekeren termyn die men sal moeten onderhouden inde verpachtinge van de goederen van de Capitulen, Cloosteren oft andere Beneficien, met sekere distinctié aldaer gheroert, so bevelen wy alle onse ondersaten hun daer naer te vuegen, en met te pachten oft aerveerden alsulcke goederen de voorschreven Capitulen, Cloosteren oft andere gheestelyke Beneficien toebehoorende, vor anderen langeren termyn, op piene van nulliteyt van hunnen pacht.* Id est. „ Quan» doquidem dicta Synodus limitaverit tempus observandum in „ conductionibus bonorum, tum Monasteriorum, aliorumque „ Beneficiorum, mediante quadam distinctione ibidem expres„ sa, hinc mandamus quibuscunque subditis nostris, ut juxta » ea

(o) *Semper in Hispania ad Curam Regis pertinuit custodia bonorum Ecclesiæ, L.* 18. *tit.* 5. *Part.* 2. *ibi*: » Antigua » costumbre fue en España, y duró toda via, que quando una » el Obispo de algun lugar, se lo fácen saver el Dean, y los » Canonigos al Rey que le encomienden los bienes de la Igle» sia, « *cui addenda sunt Acta Acord.* 5. & 8. *tit.* 8. & *Remiss.* 31. & 32. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop. At hodie privativè ipso Regi competit nominatio Œconomorum, dummodo, ad hoc munus nominati sint Personæ Ecclesiasticæ L.* 11. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recopil.*

In Indiarum Regnis ab Officialibus Regiis administrantur spolia Episcoporum, sed priùs inventariantur à Prætoribus seu Gubernatoribus, penes quos etiam est facultas judicio perse-

quendi quæ dictis spoliis sunt propria: leg. 37. 38. 39. & 40. *tit.* 7. *lib.* 1. *Recopilat. Indiar. & Actum Acordat.* 22. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recopil. Castellæ.*

(p) *Id Jure bifariam usurpari solent* locationis & conductionis *verba, ac potissimum ubi agitur de rebus utendis. Inquilinus, qui domum utendam accepit* conductor *dicitur; dominus, qui dedit*, locator *nuncupari solet. Quòd si de opere faciendo agatur, communis utriusque hujus verbi, vis, & significatio eadem fere est: nam artifices, quatenus suam operam vendunt, locatores dicuntur; unde locare operas vulgo dicimus: quatenus opus faciendum suscipiunt, conductores habentur.*

„ ea se conforment ; nec talia, ad Capitula, Monasteria, alia„que Beneficia Ecclesiastica spectantia bona in longius tempus „ conducant, pœnâ irritæ conductionis constitutâ. «

Verùm in hodiernis Synodi hujus Provincialis exemplaribus non reperiuntur hi termini elocationis expressi ; sed tantùm dicitur simpliciter *tit.* 22. *cap.* 2. „ Bona Ecclesiæ locari non liceat „ ultra tempus à jure definitum. « Sed monet Zypæus in notitia Juris Belgici tit. de *Episcopis & Clericis* §. *de Rebus Ecclesiæ non alienandis*, quòd „ Synodus alios terminos pratis, alios de„ cimis, alios agris præscribat, pro natura regionis ; sed Romæ „ substitutum est tempus tantùm à jure præscriptum ; Edictum „ autem conceptum est antequam Synodus probata Româ re„ diret : termini autem ejusdem Synodi, quos Edictum probat „ regesti sunt in Synodum Antuerpiensem 1609. *tit.* 21. *c.* 26. « Hæc ille, qui & addere potuisset Synodum D. Mechliniensem anno 1609. quæ *tit.* 21. *cap.* 1. eosdem terminos expressit, quos Synodus Cameracensis expresserat, refertque se ad citatum articulum Edicti.

VII. Rectè post alios notat Covarruvias loco citato *num.* 4. quòd si fiant plures elocationes unius, ejusdemque rei in certum & legitimum tempus sæpiùs repetitum, puta in plura triennia, aut novennia, adjecta clausula, ut tot sint locationes quot *triennia*, aut *novennia*, & finito primo triennio aut novennio censeatur facta *nova* elocatio, sint nullæ saltem quoad excessum legitimi temporis, tanquam manifestè factæ in fraudem legis.

VIII. Ad occurrendum hujusmodi fraudibus Decretum est in Synodis nostris Belgicis, quòd „ nec renovari possit con» tractus locationis terrarum arabilium, nisi *finito sexennio* prio» ris contractûs, quoad prata verò *quadriennio*, & quoad de» cimas *biennio* ; alioquin contractus sint irriti, & qui eos face» rint Clerici per Episcopos puniantur. « Ita Synodus P. II. Cameracensis *cap.* 6. cui omnes passim aliæ Synodi consonant ; uti & Edictum Regium ad hanc Synodum Cameracensem *art.* 24.

IX. Cùm Beneficiati tantùm habeant usum bonorum suis titulis annexorum pro tempore, quo Beneficiis illis deserviunt ; neque ultra illud tempus proventus illorum percipere queant, consequens est, quòd nec jus ipsis sit mercedem conductionis, & elocationis ultrà tempus illud recipiendi ; sed proventus, ipsamque conductionis mercedem integram Successori relinquere teneantur ; ne alias ipsa Beneficia defectu proventuum Ministris destitui contingeret, dum unus suorum etiam Successorum annuos proventus præripuisset : quod jam pridem per elocationes *anticipatis* solutionibus frequenter fiebat, non sine notabili Ecclesiæ perniciè, uti deplorat Synodus Tridentina, similes elocationes damnans.

X. Verba Decreti *Sess.* 25. *cap.* 11. *de Reformat.* sunt: » Magnam Ecclesiis perniciem afferre solet, cùm earum bona, » repræsentatâ pecuniâ in successorum præjudicium aliis locan» tur : omnes igitur hæ locationes, si *anticipatis* solutionibus » fiant, nullatenus in præjudicium successorum validæ intelli» gantur, quocunque indulto, aut privilegio non obstante : nec » hujusmodi locationes in Romana Curia vel extra eam con» firmentur. «

XI. Hoc Decretum in pluribus Synodis Belgicis renovatum hodie ubique observetur, vetatque eas Synodus Antuerpiensis anno 1610. *tit.* 21. *cap.* 17. sub pœna *duplum* restituendi ejus quod acceptum erit.

Addit Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 15. *cap.* 5. » Ven» ditiones verò granorum, & aliarum rerum, quæ vilissimo pre» tio fiunt ob *anticipatas* solutiones, sive pro una tantum vi» ce, sive ad plures annos contractus ineatur, tanquam usu» ram sapientes planè interdicit, Clericisque vendentibus pœ» nam suspensionis imponit. Contra ementes autem, sive Cleri» ci sint, sive laici, tanquam contra usurarios procedatur. «

Easdem venditiones annullat, sive pro invalidis habet Edictum Philippi II. ad hanc Synodum *art.* 23.

Synodus Buscoducensis sub Masio *tit.* 20. *cap.* 11. reprobatis elocationibus, quæ fiunt *anticipatis* solutionibus » ulteriùs » statuit, nec Ecclesiarum Rectores, aut Beneficia Ecclesiastica » quomodolibet obtinentes, pendentes Beneficiorum fructus, aut » proventus currentes, quovis prætextu, vel causa vendant, aut » elocent, nisi dilatâ in id tempus pretii vel mercedis solutione, » quòd fructus erunt à solo separati, aut annus cessit ; ne illis ce» dentibus, aut decedentibus fraudatis successoribus, Ecclesia » debitis muneribus destituatur sub, pœna arbitrio nostro infli» genda. «

XII. Synodus P. I. Mechliniensis postquam titulo *de Elocatione bonorum Eccles. cap.* 1. renovavit Decretum Concilii Tridentini contra elocationes *anticipatis solutionibus* factas, deindè » *cap.* 3. decernit, » quòd pro renovatione arendæ (q) possessores Beneficiorum non recipiant arrhæ nomine, ultra sex flo» rennos : Collegia verò, & Monasteria nihil exigant suprà *con» suetas pitantias*, salvo in omnibus Episcopi moderamine. «

Quæ hîc *consuetæ pitantiæ* vocantur, hodie in multis locis dici solent *Bibalia* : (r) circa quæ meritò monet Synodus moderationem esse servandam ; ne aliàs exigendo, & recipiendo notabilia *Bibalia*, per ipsa merces elocationis semper minuatur, & fraus fiat Decreto vetanti elocationes *anticipatis* solutionibus. Unde & quædam Synodi nihil exigi volunt, ac signanter Synodus Audoramensis *tit.* 22. *cap.* 3. ait : „ Pro hujus„ modi autem arendæ renovatione, possessores Beneficiorum „ *nihil vini* nomine accipiant, quod in damnum possit venire „ successorum." Huic non difforme est Edictum Regium ad Synodum Cameracensem infrà citandum, vetans exigi *poculum vini* in diminutionem mercedis, nisi de consensu Superioris.

XIII. Ut verò bona Ecclesiarum sine fraude securiùs elocentur, volunt Synodi nostræ, ut non nisi publicè, & præviis proclamationibus elocentur.

Synodus P. II. Cameracensis *titulo* 15. *cap.* 8. ait : » Dicti » verò Parochi, & Capellani bona Beneficiorum suorum, non » nisi tribus proclamationibus factis, relicta cuilibet facultate » plus offerendi, elocare possint. «

Huic Decreto consonat Edictum Regium ad hanc Synodum *art.* 25. latiùs eandem formam elocationis exprimens. Verba Edicti sunt: *Au surplus declarons que les biens d' Eglises Parochiales, Chapelles, & des lieux pieux, ne se pourront bailler en ferme, ou louage, si ce n' est apres trois proclamations, ou attaches de billets faites ex lieux accoutumes, ou qu' ils soient loües aussi cherement, que se baillent en ferme les terres circonvoisines de semblable bonté ; le tout, sans prendre pot de vin à la diminution du randaige, ne soit du consentement du Superieur, à peine que tels contracts seront tenus & reputés pour nuls, & de nulle valeur.* Id est. » Insuper declaramus, Parochialium » Ecclesiarum, Capellarum, aliorumque locorum pietati dica» torum bona non elocanda, nisi tribus præviis denuntiatio„ nibus, aut tabellæ locis consuetis proscriptæ fuerint ; vel tan„ ti forent elocata, quanti ejusdem ubertatis circumvicini agri, „ idque sine bibalium, aut vini receptione in imminutionem „ pactæ mercedis, nisi Superiorum consensus accesserit ; hac „ alias indicta pœna, uti tales contractus nullus roboris & va„ loris habeatur."

XIV. Posteriores Synodi conformiter ad hoc Edictum idem statuerunt : addit tamen Synodus Gandensis renovata inter Decreta edita per Antonium Triest Episcopum Gandensem in Congregatione Vicariatus & Archipresbyterorum suæ Diœcesis anno 1650. *tit.* 20. *cap.* 14. „ Casu quo tamen publicam eloca„ tionem, propter collusionem incolarum loci, vel ob aliam cau„ sam rationabilem, Ecclesiis aut Beneficiis fore damno verosi„ militer appareat, omissis proclamationibus secreto vel è ma„ nu, ut vocant, præfata bona elocari poterunt ; non mino„ ris tamen, quam bona vicina ejusdem naturæ, & qualitatis „ elocantur, nec aliter quàm etiam accepta idonea cautione ac „ de licentia nostra, aut Vicariatus, vel saltem Decani loci."

XV. Ut bona Ecclesiastica meliùs conserventur, neque à laicis præsertim potentioribus sub prætextu elocationis, & conductionis subinde occupentur, aut saltem proventus illorum divertantur ; pluribus Regiis Edictis, & Parlamentorum Arrestis vetitum est in Gallia Notabilibus, & Magistratibus, & Officiariis Regiis, & Toparcharum Ministris, conducere sive per se, sive per interpositas personas bona Ecclesiastica ; vetitumque Ecclesiasticis bona Ecclesiarum iisdem elocare ; uti videri potest in Actis Clerici Gallicani *tom.* 3. *parte* 3. *titul.* 2. *capit.* 5.

XVI. Aliquando in Gallia data fuit prærogativa Parochis in conductione decimarum suæ Parochiæ ; sed posteriori Edicto Henrici IV. (s) de anno 1604, hæc prærogativa sublata est ; omnibus etiam laicis ad eam conductionem admissis, uti videre est in libro, cui titulus : *La Grande Conference des Ordonnances, lib.* 1. *tit.* 2. *parte* 2. §. 4.

Et ordonnos que lesdits Ecclesiastiques pourront bailler leur dixmes à ferme, à telle personne que bon leur semblera, sans que lesdits Curés y puissent pretendre aucune preference, non obstant toutes Ordonnances à ce contraires ; lesquelles, s' ils y en a, nous avons revoquées, & voulu & ordonné au lieu d' icelles, que l' Arret donnè en notre Cour de Parlement de Paris du 11. Fevrier. 1. 04. sur semblable differend, & pour empecher telle preference, soit inviolablement gardé... Donné au mois de Decembre 1606.

(q) *Pro renovatione* arendæ ; *id est*, pour le renouvellement du bail d' une metairie ou d' une ferme.

(r) *Bibalia*, pots de vin, *id est, donum quod conductor largitur locatori ; donum istud non comprehenditur in redditu annuali, qui in locationis contractu exprimitur.*

(s) *Dominus Van Espen confundit Edictum Henrici IV. cum Arresto supremi Parisiorum Senatus. Arrestum datum est* II. *Februarii* 1604. *At Edictum Regis confectum, ac promulgatum fuit mense Dec.* 1606. *Ut illud Lectori constet, subjicere liceat Edicti verba, art.* 24. Nous avons ordonné, &

XVII. Et meritò hæc prærogativa sublata est ; quia non convenit , ut Pastores sint decimarum ad Monasteria , & Capitula spectantium conductores, uti *parte* 1. *tit.* 2. *cap.* 6. notavimus. Neque dubitandum videtur , decimas ad Monasteria , & Capitula devolutas , etsi de Jure communi ad Parochum dicantur spectare , revera esse *alienas* respectu Parochorum ad mentem Synodorum decernentium , » Clerici Beneficiati , vel in Sacris constituti , decimas , census , prædia , aut terras *alienas* » non conducant , quæstus faciendi gratia. « (t) Ita Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 18. *cap.* 5.

XVIII. Cùm Beneficiatus tantùm habeat jus percipiendi proventus bonorum titulo suo annexorum durante tempore, quod Beneficium possidet , consequens est , quòd nec bona illa ultra illud tempus elocare queat ; adinstar usufructuarii, qui elocationem ultra tempus durantis usufructus extendere nequit, expiratque elocatio ipso expirante usufructu. *L.* 9. §. 1. *ff. Locati.*

Hinc communiter concludunt Canonistæ , si Beneficiatus ad certum tempus terras , aut domum , aliave bona sui Beneficii elocaverit , & intra tempus elocationis moriatur , ipsam elocationem expirare , neque successorem debere stare elocationi. Mortuo enim Rectore qui locavit , fructus , & redditus ad successorem pertinent; nec amplius ad defuncti jus attinent; & ideò locatio ejus morte extinguitur , ait post alios citatos Covarruvias *Lib.* 2. *Variar. Resolut. cap.* 15. *num.* 6. Vide etiam Wamesium *Cons. Can.* 324.

XIX. In Gallia Edicto Regio de 7. Septembr. 1568. declaratum fuit , elocationes expirare per mortem , dimissionem, aut resignationem Beneficiati, salvo regressu ipsi conductori contra resignantem , ejusve hæredem pro expensis , damnis , & interesse. Verba Edicta sunt : *Ordonnons que toutes fermes des Benefices expireront par la dimission , resignation , ou trépas du Beneficier, sauf le recours au fermier pour ses depens , dommages & interets contre le resignant ou heretier du defunt en cas d' advance , si ce n' est des terres de labour, dont les baux ne pourront exceder neuf années , & que les fermes soient duement faites au plus offerant & dernier encherisseur à esteint de chandelle , & avec les solemnités qui se gardent aux Baux de nostre Domaine.* Id est. » Statuimus ut Beneficiorum omnium » elocationes expirent , dimittente , aut resignante , aut mo» riente Beneficiato , salvo recursu conductoris, ratione impen» sarum damni , & incommodi adversus resignantem , aut hæ» redem defuncti in casu anticipationis ; exceptis conductioni» bus agrorum sementivorum , quorum conductiones novennii » tempus non excedent , posito elocationes debitè factas fuisse » plurimo & ultimo licenti ad extinctionem candelæ , aliisque » solemnibus formulis in Regiorum censuum nostrorum con» ductione observari consuetis. «

XX. Et hæc quidem de jure communi : nam ex quorumdam locorum consuetudine successor in Beneficio tenetur stare, saltem ad aliquod tempus locationi factæ per prædecessorem.

Synodus D. Mechliniensis *tit.* 21. *cap.* 3. » Elocationes bo» norum beneficialium à Beneficiatis initas non diutiùs durare de» clarat , quàm pro illo anno , in quo moritur , vel Beneficium » dimittit ipse Beneficiatus contrahens. « Deinde addit hanc clausulam » Nisi à nobis (Episcopo) vel Capitulo , sub cu» jus jurisdictione ipsa Beneficia existunt , confirmatæ fuerint. «

Eadem habet Synodus Namurcensis anni 1659. *tit.* 22. *cap.* 3. nisi quòd in clausula exceptiva exprimat etiam elocationes factas *auctione publica* ; quasi & has durare vellet ultra annum , quo Beneficiatus moritur , vel dimittit Beneficium.

XXI. Resignatarium tamen , qui ab ipso Beneficiato elocatore titulum quemadmodum accipit , teneri stare elocationi resignantis , probabiliùs existimat Renatus Choppinus *lib.* 3. *de S. Polit. tit.* 7. *num.* 6. » Imò indubitati juris esse , successorem » Resignatarium servare , & tueri oportere locationes factas à » resignante, si licitæ sint & sine fraude, maximè si conductor sit, » qui expensas quasdam in sarta tecta prorogaverit , « asserit Paponius *lib.* 1. *arrest. tit.* 13. in additionibus ad *art.* 5. (u)

XXII. Supradicta intelligunt communiter Canonistæ , quando ipse Beneficiatus suo proprio nomine , & in suum usum elocat bona sui Beneficii , quorum proventus ipsi tanquam Beneficiato competunt ; secus verò si bona elocaverit ad Ecclesiam, aut conventum spectantia , quæ non in ipsius particularis commodum, sed ipsius Ecclesiæ , aut Conventus elocantur.

Hoc enim casu , non ut particularis possessor Beneficii, & suo proprio nomine elocat , sed tanquam legitimus bonorum Ecclesiæ administrator ; quo casu Prælatus , qui ipsi in administratione Ecclesiæ succedit , eidem elocationi factæ stare tenetur ; sicut tutor , qui alteri tutori in administratione successit , ait Covarruvias *loco citato* : qui & tanquam consequens subjungit : » Sic sanè si Rector alicujus hospitalis ad annum tan» tùm electus ipsius res locaverit ad triennium , vel ad aliud » tempus jure permissum , tenebitur successor locationis factæ » nomine Xenodochii , & ad ejus usum , stare omninò ; alio» quin fallax esset hæc administrandi potestas. Idem dicas in » rectoribus civitatum , ubi ad eorum officium spectat res ci» vitatis locare : nam locatio ab eis nomine civitatis facta, etiam » ad successorem transibit , sicut & alii contractus. «

Deindè subjicit hanc generalem conclusionem , & regulam à Canonistis communiter probatam : » Igitur ubi locatio rerum Ec» clesiæ à Prælato fieri potest ad usum ipsius Ecclesiæ, & ea facta » fuerit nomine Ecclesiæ, ut & facta censebitur in rebus ad ipsam » Ecclesiam , non ad Prælatum pertinentibus , successor in dig» nitate licèt possit integram restitutionem petere ad læsionem » Ecclesiæ , non poterit Jure ordinario à locatione discedere. » Non idem erit si Prælatus Ecclesiæ locaverit rem , cujus red» ditus non ad Ecclesiam , sed ad ipsum Prælatum pertinent. » Nam licèt nomine Ecclesiæ locaverit, intelligitur ea locatio sub » ea conditione , si ipse Prælatus vixerit , & ut effectum habeat » dum ipse Prælatus jus habuerit percipiendi redditus illos ; hoc » etenim dictat materia subjecta. «

CAPUT III.

De vetita rerum Ecclesiæ alienatione; et quid nomine alienationis veniat ; et quæ res contineatur.

1 *Primis Ecclesiæ seculis non videtur Episcopis interdicta rerum Ecclesiæ alienatio.*
2 *Quare vetita postmodum earum alienatio.*
3 *Decretum Concilii Carthaginensis vetans hanc alienationem.*
4 *Decretum sub nomine Concilii apud Valentiam relatum in Decretalibus Gregorii IX.*
5 *In nullo Concilio Valentino reperitur.*
6 *Refert illud Gratianus nonnullis additis, quæ simul Conficiunt Decretum hodie Vulgatissimum ; cujus tenor exhibetur.*
7 *Refertur à Gratiano sub nomine* Leonis Papæ ; *qui communiter creditur Leo Magnus.*
8 *Epistolam Leonis M. quæ partem Decreti continet, primus evulgavit Gerardus Vossius.*
9 *Ex hac Epistola aliqua omisit, notanda tamen , & aliqua addidit Gratianus.*
10 *Epistolam hanc Leoni Magno adscribi non posse dicit Paschasius Quenellius.*
11 *Argumenta , quibus id probat Quenellius.*
12 *Qua ratione Leoni Magno hæc Epistola supposita videatur.*
13 *Hoc Decreto antiquiores usi non sunt ; sed posterioribus admodum fuit familiare non tantùm Doctoribus , sed & Pontificibus.*
14 *Plura tum à Pontificibus, tum à Synodis edita Decreta alienationem rerum Ecclesiæ vetantia.*
15 *Principes Seculares illa suis legibus fulcierunt.*
16 *Constitutio Leonis Imp. & ratio vetitæ alienationis.*
17 *Hæc constitutio per Anastasium extensa.*
18 *Justinianus , hac abrogata , extendit legem Leonis ad omnes Ecclesias.*
19 *Principes nostri etiam Decreta Canonum probârunt.*
20 *Episcopi & Pastores hodie jurant bona suarum Ecclesiarum , & Beneficiorum non alienare.*
21 *Nomine alienationis continetur omnis actus traslativus Domini.*
22 *Item per quem aliquo modo res Ecclesiæ adimitur.*
23 *Alienatio fit per infeudationem & dotationem in emphiteusim.*
24 *Item per concessionem usufructus.*
25 *Vetatur quoque res pignori dari ; & quare.*
26 *Ostenditur corruptus textus* Cap. 5. ✠ h. t. *dolendamque vocem* conditionem.
27 *Debet Beneficiatus res sui Beneficii* integras *servare.*
28 *Quæ res sub prohibita alienatione contineantur.*
29 *An arbores in fundo excrescentes contineantur.*
30 *Decretum Synodi Sylvæducensis de cedendis arboribus.*

I. PRimis Ecclesiæ seculis, præsertim quandiù Ecclesia præter Fidelium oblationes nulla bona habebat , non legitur , Episcopis interdictam fuisse rerum Ecclesiasticarum alienationem ; sed libera , & plena earum dispositio ipsis concredita videbatur. Absonum enim videbatur , iis non credi rerum tem-

(t) *Quia decimas , census , prædia , aut terras alienas conducere , quæstus faciendi causa , est negotiis secularibus se immisceri , hoc generaliter Clericis est prohibitum , & in Hispania Actis Acordat.* 1. & 2. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop. & Regiis Schedulis , una de* 23. *Novembr.* 1764. *& altera* 4. *Augusti an.* 1767.

(u) *Clerico , cujus in favorem Beneficii resignatio facta est, jungendus est alter , ille scilicet , qui cum altero suum permutat Beneficium : uterque enim tenetur stare elocationi, quam suus prædecessor confecit. Vide Broudæum in Louetium* litt. S. summario 2.

temporalium dispensationem, quibus pretiosæ hominum animæ sunt credendæ.

II. Verùm cùm Ecclesia, cessante Ethnicorum Imperatorum persecutione, cœpit etiam bona immobilia possidere, è quorum proventibus in perpetuum quodammodo Ministris Ecclesiæ, aliisque necessariis ad divinum cultum provideretur; atque experientia doceret, nonnullos Episcopos, non satis solicitos pro successoribus, bona illa in propriam utilitatem distraheret, cœpit ipsorum auctoritas in rerum illarum administratione limitari, & rerum Ecclesiasticarum alienatio inhibeti, aut saltem certis quibusdam terminis & legibus circumscribi.

III. Quando hæc alienationis inhibitio initium sumpserit incertum est. Hoc non obscurum est, seculo IV. in aliquibus saltem Ecclesiis Canones hæc de re editos fuisse. Legitur in Concilio Carthaginensi V. ann. 398. *Can. IV.* » Nullus res Eccle» siæ distrahat. Quod si redditus non habet, & aliqua nimia » necessitas cogit, hanc insinuandam esse Primati ipsius Pro» vinciæ censemus, ut cum statuto numero Episcoporum, » utrum faciendum sit, arbitretur. Quòd si tanta urget ne» cessitas Ecclesiæ, ut non possit antè Primatem consulere, » saltem vicinos testes convocet Episcopos, curans ad Conci» lium referre omnem Ecclesiæ necessitatem. Quod si non fe» cerit, reus Deo, & sancto Concilio venditor honore amisso te» neatur.“ Ita refert Gratianus *Caus.* 17. *q.* 4. *Can.* 39.

IV. Refertur quoque in Decretalibus Gregorii IX. in *Capit.* 1. *de his, quæ fiunt à Prælato &c.* sub nomine Concilii *apud Valentiam*: » Irrita erit Episcoporum donatio, vel ven» ditio, vel commutatio rei Ecclesiasticæ absque collaudatione, » & subscriptione Clericorum.“

V. Nonnulli credunt hoc Decretum editum in Concilio Valentino habito anno 374. at notavit jam pridem Antonius Augustinus, uti & Petrus Crabbus in notis ad hoc Concilium, Decretum hoc in nullo Valentino Concilio Galliæ, aut Hispaniæ reperiri.

VI. Extat idem Decretum apud Gratianum *Caus.* 12. *q.* 2. *Can.* 53. nonnullis tamen additis, quæ simul conficiunt Decretum in hac materia apud Canonistas famosissimum, & evulgatissimum; & quo penè solo hodierna disciplina de alienatione rerum Ecclesiæ continetur. Exprimitur autem his verbis: » Sine » exceptione decernimus, ne quis Episcopus de rebus Ecclesiæ » suæ quidquam donare, vel commutare, vel vendere audeat; » nisi fortè aliquid horum faciat, ut meliora prospiciat, & cum » totius Cleri tractatu, atque consensu id eligat, quod non sit » dubium profuturum Ecclesiæ. Episcopus rebus Ecclesiæ tan» quam commendatis, non tanquam propriis utatur. Irrita enim » Episcoporum venditio, & commutatio rei Ecclesiasticæ erit » absque conniventia & subscriptione Cericorum.“

VII. Refert autem illud Gratianus ex epistola Leonis Papæ *universis Episcopis per Siciliam constitutis*; creditur que passim à Canonistis, hîc designari Leonem Magnum.

VIII. Verùm nullam inter epistolas Leonis Magni extabat, quæ hoc Decretum contineret, antequam Gerardus Vossius epistolam hactenus ineditam, sub nomine Leonis Magni ad universos Episcopos per Siciliam constitutos evulgavit; quam ex antiquo Cardinalis Sirleti M. S. codice acceptam, ex consulari nota, & ipsius Leonis phrasi ac dictione, quam spirare ei visum est, Leonis Magni esse non suspicatur modò, sed planè & indubitanter asseverat.

IX. Si hoc Vossii judicium satis esset fundatum, non dubium, quin saltem pro prima parte, id est, à primis verbis, usque ad illa, *profuturum Ecclesiæ*, hoc Decretum Leoni Magno adscribendum esset: quia eatenus in hac Epistola continetur; reliqua à Gratiano addita sunt, uti & nonnulla omissa; quæ tamen meritò fuissent addita, utpotè rationem prohibitæ alienationis exprimentia. » Quia (ait) plenum justitiæ est, fratres cha» rissimi, ut non solùm Episcopi, sed etiam totius Cleri studio, » Ecclesiasticæ utilitatis incrementa serventur, & eorum mune» ra illibata permaneant, quæ pro animarum suarum salute, fi» deles de propria substantia Ecclesiis contulerunt.“

X. Verùm Vir summæ eruditionis Paschasius Quenellius in sua operarum Leonis revisione, relata opinione Vossii, dicere non dubitavit: » Mihi verò Leonis non esse, penè certum » est, vel unius styli inspectione, quem à Leonino abhorrere » quivis facilè deprehenderit.“

XI. Tum relatis nonnullis, quæ à stylo Leonis videntur planè aliena, plura alia argumenta adducit, quibus ostendat, epistolam hanc Leonni Magno adscribi non posse; atque inter alia advertit in eadem epistola mentionem fieri duplicis Decreti, quo à Leone *ordinatum erat quemadmodum utriusque Ecclesiæ utilitatibus consuleretur*, adversus frandulentos Ecclesiasticorum bonorum prædones: » Quæ Decreta (ait Quenellius) si » verè à Leone emissa essent, nunquam eorum memoria exci» disset. Etsi enim plurimæ Leonis, aliorumque Pontificum *fa» miliares* epistolæ, vel omninò perierint, vel ad tempus ab » hominum notitia subtractæ sint, vix tamen contingere id po» tuit circa Decretales, & Constituta, quæ plurium Ecclesia» rum negotia, & ordinationem attinent; & multò minus si ad » totius Provinciæ, amplissimæque Insulæ Episcopos, & Ec» clesiæ fuerint directæ; cujus generis esse debuerant tam hæc si » genuina esset, quàm illæ de quibus mentionem facit.“

Deinde advertit, nequaquam verisimile esse, » tempore » S. Leonis tantam fuisse Ecclesiasticæ disciplinæ perturbatio» nem, ut in Provincia Romanæ Sedi subjecta, in qua erant vi» gilantissimi Præsules, inter quos Paschasinus Lilybetanus, *om» nia alicujus Ecclesiæ prædia vendendo, domando, & diversis » modis alienando Episcopus dissiparet*; imò tanta corruptela, » ut plures, qui id agerent, invenirentur, quod epistola diser» tè asserit. Quamobrem ad posteriora secula remittendam esse » hujusmodi deprædationem existimo.“

XII. Ex his aliisque tandem concludit Eruditus autor: » His perpensis in hanc sententiam facilè adducor, ut vel hanc » Epistolam existimem suppositiitiam esse, eo scilicet consilio » confictam, ut alicui illarum Ecclesiarum prædia distracta de» nuò vindicarentur; quòd sæpè factum esse notum est, ut ger» manorum monumentorum loco fictitia substituerentur asse» rendis Ecclesiarum juribus, vel privilegiis quoquo modo ac» comodata; vel saltem credam alterius esse Leonis quàm nos» tri, secundi, puta, vel tertii, vel etiam posterioris.“

XIII. Quidquid sit de hac Epistolæ, aut hujus Decreti sinceritate; & an Leoni Magno, an alteri adscribendum, hoc constat, quòd licèt in antiquorum Pontificum, qui seculo V. & VI. aut etiam VII. Leoni successerunt, Decretis contra indebitam bonorum Ecclesiasticorum alienationem editis, nulla hujus Decreti mentio fiat, nihilominus posterioribus seculis, hoc Decretum in hac materia passim non tantùm à Doctoribus, sed & Pontificibus in suis responsis, & Decretalibus fuisse assumptum, tanquam præcipuum monumentum disciplinam alienationis bonorum Ecclesiasticorum formans.

Unde Rebuffus hanc alienationis materiam Auditoribus suis explanare volens, hoc Decretum tanquam *utilissimum, & frequentissimum* singillatim per singulas partes explicandum duxit, ut ipse asserit in suo *Compendio alienationis rerum Eccles. numer.* 43.

Similiter Innocentius III. in fundamentum suæ resolutionis non semel hoc Decreto, & quidem sub nomine *Leonis* Papæ usus est, ut videri potest in *cap.* 7. & 8. ✠ *de his, quæ fiunt à Prælato &c.*

XIV. Præter hoc Decretum extant plura, tum antiquiorum, tum recentiorum Pontificum, & Synodorum Decreta, alienationem hanc vetantia, aut saltem certis regulis, & terminis circumscribentia, quæ referuntur, vel apud Gratianum, vel in Decretalibus Gregorii IX. aliisque partibus Juris Canonici sub titulo *de Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non alienandis*; & quorum in progressu hujus tituli mentio facienda erit.

XV. Principes quoque conservationi rerum temporalium, quas ipsi vel eorum Majores, aut Vasalli & subditi Ecclesiis donârant, conservationi intendentes, Canones alienationem vetantes aut circumscribentes suis legibus fulcierunt. (x)

XVI. Primus Imperatorum, qui hac de re legem edidit, creditur Leo Imperator anno 470. cujus constitutio extat in *L.* 14. *Cod. de SS. Ecclesiis*, declarans, nulli Episcopo, aut œconomo esse alienandi facultatem; » nec si omnes cum reli» gioso Episcopo, & œconomo Clerici in earum possessionum » alienationem consentiant.“ Rationem suæ constitutionis notandam subjungit: » Ea enim, quæ ad beatissimæ Ecclesiæ jura » pertinent, vel posthac fortè pervenerint, tanquam ipsam sa» crosanctam, & religiosam Ecclesiam, intacta convenit vene» rabiliter custodiri; ut sicut ipsa religionis, & fidei mater per» petua est, ita ejus patrimonium jugiter servetur illæsum.“

XVII. Hæc Leonis constitutio solam Ecclesiam Constantinopolitanam spectans, ab Anastasio Imperatore in *L.* 17. *Cod. eod.* ad omnes Patriarchatus Constantinopolitani Ecclesias extensa est; vultque, ut quæ ab ipso decreta sunt, locum habeat, & in futuris Ecclesiasticis rebus, & in præteritis, aut præsentibus.

XVIII. Tandem Justinianus, abrogata lege Anastasiana, Leoninam ad omnes planè Ecclesias extendit; duasque amplas de hac alienationis prohibitione, ejusque regulis, & terminis edidit, relatis in *Novella* 7. & 120. atque per partes referuntur penè integrè in Authenticis subjectis citatæ *Legi* 14. & pro magna parte extant apud Gratianum *Caus.* 10. *q.* 2. *Can.* 2. post relatum fragmentum ex Constitutione Leonis.

XIX. Principes nostri alienationis bonorum Ecclesiasticorum sine forma Canonibus, & legibus præscripta factas pro nullis haberi volunt; edicitque Philippus II. in Edicto ad Synodum Cameracensem *art.* 22. quòd si contingat judices Regios interpellari ab Ecclesiasticis super rescissione, aut anullatione alienationis rerum Ecclesiasticarum, hi judices sequi debebunt Ca-

(x) *Vide leg.* 5. 6. 7. 9. 10. & 11. *tit.* 2. *lib.* 1. *Recopil.*

Canones, & leges Civiles his non contrarias, necnon Edicta, consuetudines, & morem observatum in majus Ecclesiarum bonum. Verba Edicti sunt: *D' avantage nous entendons que quand personnes Ecclesiastiques intenteront quelque action par devant nos Juges Provinciaux, ou autres seculiers pour la rescission, ou annullation de quelque alienation des biens d' Eglise, ou de quelque louage fait à longues années, ou autre contract dommageable à l' Eglise, nosdits Juges se regleront selon les Canons, & constitutions du Droit Civil non repugantes ausdits Canons, & selon les Placards, coutumes, ou usances observeès pour le plus grand bien des Eglises.* Id est. » Insuper » volumus, ut quandocunque Ecclesiastici coram Judicibus » nostris Provincialibus, aliisque Secularibus litem intentabunt » pro rescissione alienationis factæ de bonis Ecclesiæ, aut con» ductionis in longum tempus pactæ, aut alterius contractus » Ecclesiæ nocivi, Judices nostri Canonibus, & Juris Civilis » Constitutionibus, dictis Canonibus non adversantibus se con» forment, prout & juxta Edicta, mores, receptasque con» suetudines ad majus Ecclesiarum bonum.

XX. Episcopi hodie juxta formulam juramenti in Pontificali præscriptam, jurant ante suam ordinationem, non alienare bona mensæ suæ; de quo juramento actum est suprà, *part.* 1. *tit.* 15. *cap.* 2. Similiter & Parochi jurant, se non alienaturos bona sui Pastoratûs, de quo supra *tit.* 22. *cap.* 2.

XXI. Alienationis nomine imprimis venit actus omnis, quo rei alicujus dominium transfertur; idque sive is sit actus ultimæ voluntatis, sive inter vivos; uti speciatim declaratur in citata *L.* 14. *Cod. de SS. Eccles.* Specialiter autem vetatur in hac lege donatio *ad vicissitudinem beneficii collati, aut gratiæ referendæ*: quia color hic plerumque donationi quæritur, ut ait Justinianus in *Novella* 120. & notavit Cujacius ad *Novellam* 7.

XXII. Imò quia finis vetitæ alienationis est, ut res Ecclesiæ perpetuò integræ conserventur; ut ex earum proventibus Ministri vivere, aliaque ad cultum Divinum necessaria semper haberi queant; consequens est, alienationis nomine hîc comprehendi omnem illum actum, per quem res ipsa quocunque modo Ecclesiæ adimitur, aut impeditur quominus Ecclesia hac re ulteriùs plenè, & liberè uti, aut ejus emolumentum, aut proventum percipere queat.

XXIII. Unde non tantùm, res Ecclesiæ alienari dicitur, ad mentem Canonum, dum in alium transfertur quoad plenum & absolutum dominium, sed etiam per translationem domini utilis; uti fit per infeudationem, vel dationem in emphyteusim, & declaratur in *Novella* 7. Justiniani: quia licèt non adimatur rectum dominium ipsi Ecclesiæ, rei tamen emolumentum eripitur.

XXIV. Similiter quia per usumfructum rei, tota ipsius utilitas ad usumfructuarium devolvitur, & proprietario adimitur, vetita alienatione, etiam vetita habetur usufructus concessio.

XXV. Quin & prohibentur eadem ratione res Ecclesiæ pignori, sive hypothecæ dari (y) in citata Novella Justiniani; & in allegato *cap.* 5. expressè inter vetitas alienationis species ponitur *specialis hypothecæ obligatio*; prohibeturque creditoribus rem Ecclesiæ specialis hypothecæ titulo obligare: quia licèt per pignoris constitutionem non mutetur causa dominii, tamen *jus in re* tribuitur, vi cujus creditor ad ejus distractionem procedere aliquando possit: neque res ipsa pignori, aut hypothecæ supposita ampliùs libera manet penès Ecclesiam, sed ob *jus in re* in alium translatum, jam quodammodo aliena censetur: ideoque si testator alienationem prohibuerit, etiam pignoris datio prohibita censetur. *L. fin. Cod. de Rebus alienis non alienandis.*

XXVI. Dicitur in allegato *Capitulo* 5. Alienationis autem verbum continet *conditionem*; quæ verba à variis diversimodè sumuntur; aliis dicentibus, pro *conditionem*, legendum *conductionem*, nimirum ad longum tempus; aliis prætendentibus intelligi contractum *conditionalem*; aliis verò sumentibus vocem illam pro *pactione* super rebus Ecclesiæ. At omissis hisce incertis opinionibus super acceptione hujus vocis, verior apparet opinio Antonii Augustini, qui vocem illam rejiciendam credit, ut potè in autographis, & codicibus, unde hic textus primitùs desumptus est, non occurrens. Textum enim hunc primitùs desumptum ex *Novella* 7. Justiniani non obscurum est; & ex illa refertur apud Ivonem *part.* 4. *cap.* 185. ibi nulla mentio fit *conditionis.* Burchardus textum hunc retulit *lib.* 3. *cap.* 164. sub nomine Concilii apud Silvanecten sub Ludovico Rege *Can. V.* idque cum hac voce *conditionem*, sed omissa voce *venditionem*; putatque Antonius Augustinus, quod librarii Burchardi mendosè pro *venditionem* scripserint *conditionem*: quod mendum retinuit Bernardus Papiensis in prima Decretalium Collectione. Raymundus autem Decretalium Gregorii IX. compilator, retenta voce *conditionem*, addidit & vocem *venditionem*, *crucem*, ut ajunt, *interpretibus relinquens.* Hinc interim patet, quàm utile, imò & necessarium sit, nonnunquam ad ipsos primos Decretalium fontes habere recursum, uti monui, & pluribus ostendi in tractatu Historico Canonico in Canones *part.* 8. *cap.* 1. §. 6.

XXVII. Ut autem verbo absolvam, potest quidem Beneficiatus rebus sui Beneficii uti, atque ex proventibus vivere; sed res ipsas integras conservare debet, & ad successores transmittere, ut & ipsi earum proventus liberè & plenè percipere queant: ut sicut ipsa religio perpetua est, ita & ejus patrimonium jugiter servetur illæsum, uti loquitur Leo Imperator.

XXVIII. Ex hactenus dictis facilè intelligi potest, quæ res sub prohibita alienatione, ad mentem Canonum & Legum comprehendi debeant; nimirùm illæ, è quibus loca pia reguntur, atque illustrantur, & eorum Ministri alimoniam accipiunt, quemadmodum loquitur Pontifex in Extravagante, AMBITIOSÆ, *de Rebus Ecclesiæ non alienandis*: Id est, quæ ex natura sua, vel voluntate offerentium destinatæ sunt, ut usibus Ecclesiæ, vel Ministrorum alimoniæ in perpetuum subserviant; & quibus Beneficiati tanquam usufructuarii utantur, salva earum substantia.

XXIX. Quapropter si in fundo pertinente ad Ecclesiam, aut Beneficium, nascantur grandes arbores, quæ cædi non solent, non poterit eas Beneficiatus in suum proprium commodum, tanquam annuos proventus, cædere & convertere, quia ex natura sua videntur destinatæ, ut serventur ipsi Ecclesiæ, non autem adinstar annorum proventuum à Beneficiatis consumantur, uti in usufructuario respondit Jurisconsultus in *L.* 11. *ff. de Usufructu*, & judicatum refert Renatus Choppinus de *S. Pol. lib.* 3. *tit.* 8. *num.* 12.

Notat quoque Zypæus in *Jure novo*, *tit. de Rebus Ecclesiæ non alienandis*, *num.* 8. arbores grandes & cædi inassuetas rerum immobilium loco haberi, neque per Beneficiatum cædi posse, » nisi (ait) demortuæ sint; quando in earum locum » alias substituere usufructuarius, seu Beneficiarius tenetur. » *L.* 18. *ff. de Usufructu.*«

XXX. De Arboribus cædendis, atque in earum locum aliis plantandis, extat Decretum Synodi Sylvæducensis sub Massio *tit.* 20. *cap.* 13. quo ferè continetur quidquid circa hujusmodi arbores jure communi, & hodierno Belgico observari oportet: » Hoc etiam seriò mandamus universis Parochis, aliisque Bene» ficiorum, & officiorum Rectoribus, ut in locum arborum cæ» duarum, quæ vel vetustate, vel alio modo pereunt, vel cæ» duntur (quas tamen non nisi congruo & debito tempore pro » locorum consuetudine cædi volumus) alias plantent: quoad » arbores verò incæduas, illæ absque nostra speciali licentia non » cædantur, ac pretium indè proveniens ad augmentum, & uti» litatem Beneficiorum, aut reparationem ædificiorum eorun» dem applicetur, & nihilominus in locum earum aliæ substi» tuantur, sub pœnis arbitrio nostro imponendis. (z)«

CAPUT IV.

De Causa, et solemnitate in alienatione rerum Ecclesiæ requisitis

1 *Ex causa utilitatis, vel necessitatis res Ecclesiæ alienari possunt.*
2 *Redemptionem captivorum esse justam causam alienandi vasa Ecclesiæ, declaravit Justinianus Imp.*
3 *Idem sensit S. Gregorius.*
4 *Ad redimendos captivos, & alendos pauperes vasa Ecclesiæ posse distrahi docuit S. Ambrosius.*
5 *Melius esse aurum impendi alendis pauperibus, quàm ordinandis templis docuit S. Hieronymus.*
6 *Idipsum multis adstruxit S. Chrysostomus.*
7 *Redarguit Monachos S. Bernardus, qui neglectis pauperibus, templa sumptuosè ornabant.*
8 *Hic ornatus splendidus templorum non rarò provenit ex avaritia.*
9 *Quare homines soleant esse proniores ad ornanda templa, quàm alendos pauperes.*
10 *Laudatus Episcopus, qui pro alendis, & redimendis captivis vasa Ecclesiæ etiam initiata vendiderat.*
11 *Triplex causa alienandi probatur à Canonistis.*
12 *Hæc causa olim probari debebat in Concilio Episcoporum.*
13 *Hinc astruitur Decretum de non alienandis rebus Ecclesiæ à Gratiano relatum, non esse Leonis Magni.*

(y) *Dicta lex 7. tit. 2. lib. 1. Recopil. ibi*: ni de tomar à empeño, *& L. 10. ejusd. tit. & lib. ibi*: ni empeñar.

(z) *Quid in Gallis circa silvas cædendas observare debeant Beneficiorum possessores, Capitula, cæteræque Comunitates, quæ* Manus mortuæ *dicuntur, præscribit Decretum Ludovici Magni datum ann.* 1669. pag. 96. edit. 1770. *Quoad Regna Hispaniæ utile erit videre L. 7. 15. 16. 17. 19. 20. 26. 28. tit. 7. lib. 7. & Actus Acord. 1. 3. 4. 5. & 6. ejusd. tit. & libr. Recop. & ultimò Regiam Schedulam de 7. Dec. ann.* 1748. *Juxta*

14 *Juxta hoc Decretum, & modernam disciplinam huic conformem non debet causa discuti in Concilio Episcoporum.*
15 *Requiritur tamen tractatus prævius super causa alienandi.*
16 *Sufficit unicus, nisi plures requirat specialis constitutio, aut consuetudo.*
17 *Quomodo tractatus Cleri sive Capituli instituendus.*
18 *Debet discuti, an non possit alia via necessitati Ecclesiæ succurri.*
19 *Tractatus Cleri vel Capituli requiritur, quando ipsius consensus exigitur; & non aliter.*
20 *Quorum exigitur consensus, etiam tractatus necessarius est.*
21 *Exigitur consensus Capituli, dum agitur de bonis mensæ Capitularis.*
22 *An requiratur consensus totius Capituli.*
23 *Consensus Capituli requiritur quoad bona mensæ Episcopalis, licèt sit separata à mensa Capitulari.*
24 *Requiritur quoque consensus Episcopi.*
25 *Si Ecclesia non habeat Capitulum, aut Conventus, solus consensus Episcopi sufficit.*
26 *Quomodo Episcopi soleant instituere tractatum, sive examen super causa alienationis.*
27 *Quoad Ecclesias exemptas requiritur licentia Pontificis.*
28 *Imò attenta Constitutione Pauli II. exigitur illa in omni alienatione rerum Ecclesiæ: sed hîc non recepta.*
29 *Si Regulares exempti habeant Superiorem cum potestate quasi Episcopali, hujus auctoritas sufficit.*
30 *Quid de Monialibus Ordinum Mendicantium.*
31 *Episcopi hodie jurant non alienare possessiones suæ mensæ* inconsulto *Pontifice.*
32 *Pontifex solet dare licentiam in forma commissoria.*
33 *Judices Delegati diligenter inquirere debent de veritate contentorum in litteris Apostolicis.*
34 *An requiratur consensus Patroni.*
35 *Hodie in Gallia, & in Belgio solet requiri consensus Regius.*
36 *Quomodo ante consensum Regium fiat informatio super causa alienationis.*
37 *Tria potissimum in alienatione hodie requiruntur; ad quæ respexit Philippus II. in suo Edicto.*
38 *Consensus Capituli, aut Episcopi quomodo exprimendus.*
39 *Plures solemnitates requisitæ à Justiniano, sed hodie non sunt in usu.*
40 *Non semper ob defectum solemnitatis requisitæ invalidatur alienatio in Gallia.*
41 *Neque in Belgio.*
42 *Potissimum attenditur num justa fuerit causa alienandi.*
43 *Alienatio non semper rescinditur propter omissum consensum aliquorum de Conventu, vel Superioris.*
44 *Causa alienationis in instrumento exprimenda; præsumitur tamen, si legitima forma sit servata.*
45 *An præsumatur debita solemnitas intervenisse.*
46 *Post tempus notabile non facilè rescindenda alienatio, nisi fraus, aut dolus intervenisse probetur.*
47 *Alienatio in consanguineos Prælati habetur suspecta.*
48 *Ob læsionem notabilem restitui potest Ecclesia exemplo minoris.*

I. TAmetsi multis Canonibus, & Principum Legibus vetita jam pridem fuerit rerum Ecclesiasticorum alienatio; nequaquam tamen mens illorum fuit earum alienationem impedire, quando vel causa pietatis, aut Ecclesiæ necessitas, aut utilitas eam alienationem postularet.

Unde in famoso illo Decreto relato apud Gratianum sub nomine Leonis Papæ (cujus verba relata sunt capite præcedenti) post inhibitam alienationem additur clausula: *Nisi fortè aliquid horum faciat, ut* MELIORA *prospiciat.* Et in *Clementina I. de Rebus Ecclesiæ non alienandis*, post factam similiter prohibitionem alienationis subditur: *Nisi necessitas, aut utilitas Monasterii, Prioratus, Ecclesiæ, aut administrationis hujusmodi hoc exposcat.* E quibus uno consensu concludunt Doctores, res Ecclesiæ ex causa *necessitatis*, aut *utilitatis* alienari posse.

II. In Novella Justiniani 120. *cap.* 10. prohibentur vendi, aut pignori supponi vasa sacra Ecclesiarum, *nisi pro redemptione captivorum.*

Similiter idem Imperator in *L.* 21. *Cod. de SS. Ecclesiis*, prohibens sacrorum vasorum qualemcunque alienationem, aut oppignorationem, addit: » Excepta videlicet causa *captivitatis* in » locis his, in quibus hoc (quod abominamur) contigerit. « Rationem exceptionis notandam subjungit: » Nam si necessitas » fuerit in redemptione captivorum, tunc & venditionem præ» fatarum rerum divinarum, & hypothecam, & pignorationes » fieri concedimus, quoniam non absurdum est, animas ho» minum quibuscunque vasis, vel vestimentis præferri. «

III. Ad has Justiniani Constitutiones verisimiliter reflexit S. Gregorius, dum *lib.* 6. *Epist.* 35. scribit: » Et Sacrorum » Canonum & *Legalia* statuta permittunt ministeria Ecclesiæ » pro captivorum esse redemptione vendenda. « Et rursus *lib.* 7. *indict.* 2. *epist.* 14. » Sacrorum Canonum statuta, & *Lega*» *lis* permittit auctoritas, licitè res Ecclesiasticas in *redemptio*» *nem captivorum* impendi. «

IV. Extat apud Gratianum *Caus.* 12. *quæst.* 2. *Can.* 14. & 15. qui ibidem *Can.* 70. refert dictum S. Ambrosii ex *lib.* 2. *de Officiis*, *cap.* 28. *In his tribus generibus* (scilicet redemptione captivorum, alimonia pauperum, & sepultura Christianorum) *vasa Ecclesiæ etiam iniata confringere, & conflare, vendere licet.*

V. Et Canone sequenti refertur dictum S. Hieronymi in Epistola ad Nepotianum, quo vivis Christi templis, & membris providendum esse potiùs, quàm templis inanimatis astruit; prævenitque argumentum, quod a templo Salomonis pro splendido, & exorbitanti templorum ornatu desumitur. » Tunc hæc » probabantur à Domino, quando Sacerdotes Hostias immola» bant, & sanguis pecudum erat remissio peccatorum: quan» quam hæc omnia præcesserint in figura, scripta autem sunt » propter nos, in quos fines seculorum devenerunt. Nunc verò, » cùm paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicârit, por» temus crucem, & divitias lutum putabimus. «

VI. Eandem veritatem multis adstruit S. Chrysostomus *Homil.* 51. *in Matth.* non improbans quidem templorum ornatum, sed misericordiæ opera præferens. » Hæc dico, non quia veta» re velim talium vasorum oblationem, sed quia dignum pu» tem, ante omnia misericordiæ ac benignitati esse incumben» dum. Nam & vasa Deus suscipit, sed illa multò magis sibi » gratiosa sunt. Et vasa quidem danti solùm profuerint, benig» nitatis verò etiam accipienti. Et hîc quidem ostentatio non» nunquam potest accusari, ibi verò totum misericordi animo » attribuitur. «

Deinde nonnullis interpositis, ait: » Nec prohibeo magnifica » templa condere, sed hæc cum illis, imò verò hæc ante illa » facere moneo. Nemo enim, quia templa magnifica non con» diderit, unquam accusatus est; at verò gehennæ, ignis inex» tinguibilis, supplicia dœmonum imminent, nisi quis diligen» ter ista peragere velit. «

VII. Hæc latiùs retulit Vir eruditus & pius Joannes Merlo Horstius *in notis ad caput* 11. *Apologiæ S. Bernardi ad Guillelmum Abbatem*, ubi hic Sanctus inter alia exclamat: » O » vanitas vanitatum, sed non vanior quàm insanior! fulget Ec» clesia in parietibus, & in pauperibus eget. Suos lapides in» duit auro, & suos filios nudos deserit. De sumptibus egeno» rum servitur oculis divitum. Inveniunt curiosi, quo delecten» tur, & non inveniunt miseri, quo sustententur. «

VIII. Advertit ibidem S. Bernardus, hunc templorum vanum & superbum ornatum non rarò ex ipsa procedere avaritia. » Si quæris quomodo; miro, inquam, modo. Tali quadam arte » spargitur æs, ut multiplicetur. Expenditur, ut augeatur, & » effusio copiam parit. Ipso quippe visu sumptuosarum, sed mi» randarum vanitatum accenduntur homines magis ad offeren» dum quàm ad orandum. Sic opes opibus hauriuntur, sic pecu» nia pecuniam trahit, quia nescio, quo pacto, ubi amplius di» vitiarum cernitur, ibi offertur libentiùs. Auro tectis reliquiis » saginantur oculi, & loculi aperiuntur. Ostenditur pulcherrima » forma Sancti, vel Sanctæ alicujus, & eò creditur sanctior, quo » colloratior. Currunt homines ad osculandum, invitantur ad do» nandum, & magis mirantur pulchra, quàm venerantur sacra. » Ponuntur dehinc in Ecclesia gemmatæ non coronæ, sed rotæ, » circumspectæ lampadibus, sed non minùs fulgentes insertis la» pidibus. Cernimus & pro candelabris arbores quasdam erec» tas, multo æris pondere, miro artificis opere fabricatas, nec » magis coruscantes superpositis lucernis, quàm suis gemmis. » Quid, putas, in his omnibus quæritur? Pœnitentium com» punctio, an intuentium admiratio? « Utinam hæc tantum ætate Bernardi vera fuissent!

IX. Rectè quoque notat Horstius, cur multorum liberalitas proniùs in templorum donaria, quàm in egenorum subsidia feratur. » Nempe quod pauperibus impenditur, in vacuos, » & obscuros abit ventres: quod templis offertur, omnium ocu» lis conspicuum exponitur. «

X. Acacium Episcopum Amidæ summoperè laudatum fuisse, quod pro redimendis & alendis captivis vasa aurea & argentea Ecclesiæ vendiderit, refert Socrates *lib.* 7. *Hist. capit.* 21.

XI. Ex his itaque, aliisque concludunt Canonistæ, triplicem esse causam, nimirum necessitatis, utilitatis, & pietatis, ob quam res Ecclesiæ alienari possint.

XII. Verùm hæc necessitatis, utilitatis, aut pietatis causa, ut res Ecclesiæ præsertim immobiles, & notabilis pretii alienari queant, olim in Concilio Episcoporum discuti, & probari debebat, uti constat ex Canone Carthaginensi capite præcedenti relato; qui dicit » *necessitatem* insinuandam esse Pri» mati Provinciæ, ut cum statuto numero Episcoporum, utrum » faciendum sit, arbitretur. « Additque: » Quòd si tanta urget » necessitas, ut non possit ante consulere, saltem vicinos tes» tes

» tes convocet Episcopos, curans ad Concilium referre omnes » suæ Ecclesiæ necessitates. «

Et Hilarius Papa *epistola* 8. ad Episcopos diversarum Provinciarum Galliæ scribit seculo V. Prædia ad Ecclesiam pertinentia in alterum non transferantur, » nisi priùs apud Conci- » lium alienationis ipsius causa doceatur, ut quid fieri debeat, » *communi* omnium deliberatione tractetur. «

XIII. Quapropter non immeritò Paschasius Quenellius probans epistolam ad universos per Siciliam constitutos Episcopos, à Gerardo Vossio evulgatam, Leoni Magno adscribi non posse, notat, Decretum quod huic epistolæ inseritur permitens alienationem rerum Ecclesiæ *cum totius Cleri tractatu, atque consensu*, esse recentioris, & remissioris disciplinæ; cùm pristina trrctatum, atque consensum Concilii Episcoporum exigeret.

XIV. Interim illud certum est recentiorem, & remissiorem hac in re disciplinam, vetere antiquata, invaluisse; cui introducendæ occasionem dedisse rariorem Synodorum Episcopalium celebrationem vix dubitari potest; ipsumque tandem Decretum sub nomine Leonis Papæ à Gratiano relatum, eandem stabilisse admodum verisimile est.

XV. Quamquam juxta hanc recentiorem disciplinam non requiratur discussio causæ ipsius alienationis in Concilio Episcoporum, requiritur tamen tractatus, sive discussio, & examen causæ per illos facienda, qui alienationem probare debent; uti communi consensu docent Canonistæ, indicatque Decretum sub nomine Leonis Papæ relatum à Gratiano in verbis, *cum totius Cleri tractatu.*

XVI. Unum duntaxat tractatum requirit citatum Decretum; eumque sufficere monet Rebuffus *in Compendio alienat. rerum Eccles. num.* 81. *dum tamen sit solemnis, diligens*, nisi tamen specialis alicujus Ordinis constitutio (qualis est Benedictinorum juxta Rebuffum) vel Ecclesiæ consuetudo plures tractatus exigeret.

XVII. Post hæc subjungit ibidem Rebuffus *num.* 84. qualis hic debeat esse tractatus. „ Omnes Canonici, vel Monachi „ (ait) debent vocari expressè ad sonum campanæ, vel aliàs „ juxta morem ipsorum, ad tractandum, & deliberandum su- „ per venditione, vel locatione perpetua, seu alienatione. Qui- „ bus congregatis, Prælatus, Abbas, seu Prior proponet cau- „ sam, videlicet debitum urgere, vel aliam interesse neccessi- „ tatem, seu utilitatem: super qua licet Canonicis, seu Mona- „ chis sic congregatis, tractabitis, seu deliberabitis, an, & „ quid alienare expediat. Et quilibet dicet suum suffragium. Et „ postea, si convenerint in unam sententiam, fiet instrumen- „ tum hujus deliberationis, & tractatus, videlicet, quòd ta- „ les Canonici S. Petri Montispessul. post longum, & diligen- „ tem tractatum communi consensu confirmaverunt, quòd ta- „ lis possessio propter tale debitum vendatur, vel alienetur, & „ pecunia ad dictam causam convertatur, credentes hoc utilius » expedire Ecclesiæ.“

XVIII. Addit deinde: „ Etiam tractari debet, quâ viâ ex- „ tra alienationem provideri possit Ecclesiæ, an ex fructibus lo- „ cationum rerum Ecclesiæ habitis, & non de fructibus, an pos- „ sit provideri de rebus mobilibus; & si non de mobilibus, an „ magis de quibusdam rebus minùs fructuosis quàm aliis, ins- „ tar alienationis bonorum pupillorum.“

XIX. Quod dicitur hîc *de tractatu* Cleri, sive Capituli intelligitur de casu, quo in alienatione bonorum requiritur consensus Capituli. Qui enim alienationem suo assensu probare tenentur, præmittere quoque debent *tractatum* sive examen, an justa, & sufficiens sit causa hîc & nunc talia bona Ecclesiæ alienandi.

XX. Ut ergò sciatur, quorum *Tractatus*, sive *Examen* super causis alienationis præcedere debeat, prius examinandum, qui alienationi consensum præbere debeant.

XXI. Imprimis si agatur de bonis spectantibus ad aliquod Capitulum, aut Conventum, requiritur consensus illorum, qui Capitulum illud, aut Conventum repræsentant, vel constituunt; illudque insinuat Decretum apud Gratianum sub nomine *Leonis Papæ* in verbis: *Et cum totius Cleri tractatu, atque consensu.*

XXII. Hîc nomine *Cleri* intelligi Capitulum, post alios Canonistas notat Rebuffus *num.* 79. Notatque insuper *num.* 76. quòd licèt dicatur *totius*, sufficiat tamen consensus *majoris partis*; » sed hîc dicit *totius* (ait) quantum ad *tractatum*; sed re- » quiritur *major* pars quantum ad consensum: nisi minor pars » velit causam rationabilem in contrarium allegare, quia tunc » negotium differri debet.“

XXIII. Præterea requiritur consensus, & tractatus *Capituli*, si agatur de alienatione bonorum spectantium ad mensam Episcopi; etiamsi mensa Capituli, & mensa Episcopi sint separatæ.

XXIV. Præter consensum Capituli requiritur consensus Episcopi, sive agatur de Ecclesia Cathedrali, sive Collegiata etiam Regulari, non tamen exempta. *Cap.* 1. *de rebus Ecclesiæ non alienandis.*

XXV. Si agatur de bonis Ecclesiæ non habentis Capitulum, aut Conventum, puta, Parochialis, sufficit licentia, & consensus ipsius Episcopi, etiam sine consensu Capituli, uti notat Rebuffus *num.* 88. quod & praxi conforme est. Et consequenter etiam Episcopi duntaxat, & non Capituli *tractatus*, sive *examen* super causa alienationis præcedere debet.

XXVI. Non teneri Episcopum hunc tractatum, sive examen *juridicè* absolvere, notat Rebuffus *num.* 14. solentque hodie Episcopi libellos supplices, quibus petitur facultas alienandi bona Ecclesiarum Parochialium, aut per levationem pecuniæ ea gravandi, remittere ad Decanos Rurales, ut informatione captâ super causâ alienationis, aut levationis in libelis expressâ, judicium suum ad Episcopos rescribant, quo accepto Episcopi annuunt, vel renuunt, nisi ulterius examen judicent necessarium.

Qalis autem informatio fieri debeat, sat benè proponitur in *L.* 5. *ff. de Rebus eorum, qui sub tutela*; & latè deducit Zypæus *Consult.* 2. *de Rebus Ecclesiæ non alienandis.*

XXVII. Si Ecclesia sit exempta, atque Pontifici immediatè subjecta, requiritur consensus Pontificis; atque ille consensus debet esse specialis, & expressus; uti monet Rebuffus *n.* 86.

XXVIII. Quin attento rigore Clementinæ, AMBITIOSÆ, *de Rebus Ecclesiæ non alienandis*, nulla Ecclesiarum, aut Monasteriorum bona *inconsulto Pontifice* alienari possunt; sed notat Zypæus in *Jure novo, tit. de Rebus Ecclesiæ non alienandis, num.* 2. Extravagantem quoad hoc punctum non ubique receptam, » sed quòd, saltem in his Ditionibus, Episcopi » alienationem rerum ad Ecclesias sibi subjectas spectantium fa- » cultatem causâ cognitâ concedant. «

XXIX. Similiter testatur Rebuffus *num.* 86. quòd si Abbates exempti, vel alii Prælati haberent Ecclesias sibi *pleno* jure subjectas; tunc si Rector velit alienare, poterit cum consensu illius Abbatis habentis jurisdictionem quasi Episcopalem.

XXX. Deinde *num.* 87. tanquam consequens infert: » Ideò » infertur, quòd si Moniales subjectæ pleno jure Prædicatori- » bus, vel Minoribus, velint alienare, poterunt cum auctori- » tate Ministri Provincialis, vel Generalis, vel alterius haben- » tis jurisdictionem in eis quasi Episcopalem, cum tractatu, & » solemnitatibus hîc expressis. «

XXXI. Hodie juxta præscriptum Pontificalis Romani Episcopus consecrandus inter alia jurat: » Possessiones vero ad » mensam meam pertinentes non vendam, nec donabo, neque » impignorabo, nec de novo infeudabo, vel aliquo modo alie- » nabo, etiam cum consensu Capituli Ecclesiæ meæ, inconsulto » Romano Pontifice. Et si ad aliquam alienationem devenero, » pœnas in quadam super hoc edita constitutione contentas, eo » ipso incurrere volo. « De hac formula juramenti actum suprà *part.* 1. *tit.* 15. *cap.* 2.

XXXII. Interim quando ad Pontificem pro licentia alienationis recurritur, ipsiusque consensus petitur, tunc quoque consensum præstare non consuevit, nisi prævio *tractatu*, sive discussione causæ. » Solet enim (ait Rebuffus *num.* 15.) com- » mittere alicui existenti in partibus, ut videat, an expediat il- » lam rem alienari, & ad relationem illius auctoritatem inter- » ponere; aliàs etiam alienatio ex auctoritate Papæ irritaretur, » quia jure non facta. «

XXXIII. De hac Sedis Apostolicæ consuetudine loquens Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 15. *cap.* 1. monet judices, ut diligenter advertant, num omnia in litteris Apostolicis expressa veritate nitantur. Verba Decreti sunt: » Cùm alienationes » bonorum Ecclesiasticorum jure communi sint prohibitæ, con- » tingatque nihilominùs non rarò commissiones, seu delegatio- » nes à Sede Apostolica impetrari ad Decretum alienationi in- » terponendum, si in *evidentem* Ecclesiæ utilitatem cedere de- » prehendantur; animadvertant diligenter judices omnes, ut » Ecclesiarum, de quibus agitur, nudâ utilitate perspectâ, ma- » turè examinent, & investigent omnia, quæ litteris Apostolicis » præscribuntur, nullâ personarum, aut partium ratione habi- » tâ, quæ cùm in hujusmodi negotiis sint concordes, eò aten- » tiùs judici est invigilandum, ne Ecclesiæ bona non tam utiliter » vendita, quàm leviter delapidata esse aliquando inveniantur.“

Rescriptum super alienatione rei Ecclesticæ solet vocari Rescriptum, *Si in evidentem*: quia continet hanc clausulam: *Si per informationem, alienationem in* EVIDENTEM, *& urgentem necessitatem factam esse repereris.*

In Gallia non admitti licentiam alienandi Sedis Apostolicæ *motu proprio*, cùm clausula, *invitis Clericis*, tradunt Pragmatici, & videri potest Carolus Fevretius *de Abusu lib.* 3. *capit.* 1. *num.* 19.

XXXIV. Præpter consensum Superioris, etiam requiri consensum Patroni, communiter notant Canonistæ; quod tantùm intelligi vult Zypæus *loco citato, num.* 9. de iis bonis, quæ à Patrono profecta sunt.

XXXV. In Gallia in hac alienatione intervenire debere auctoritatem Regiam, post alios monet Claudius Fleury *in suis Institut. Juris Canonici, part.* 2. *cap.* 12. eò quòd Rex habeatur protector Ecclesiarum, & bonorum ad eas spectantium.

In Belgio quoque non facilè alienatio bonorum Ecclesiæ, præ-

præsertim si notabilia sunt, sine consensu Regis absolvenda est, cùm & Principes Belgii se protectores Ecclesiarum, & bonorum Ecclesiasticorum profiteantur. (a)

Etiam in commutationibus rerum Ecclesiasticarum auctoritatem Regiam olim intervenisse, probant Capitularia Regum Francorum, & ostendit Stephanus Baluzius in notis ad Capitularia, *pag.* 1205. verbo *ubicunque commutationes.*

XXXVI. Si ad Regem pro obtinenda licentia alienandi recursus habeatur, tunc *tractatus*, sive informatio per judices loci, aut alios à Regio Senatu Deputatos super utilitate, vel necessitate alienationis instituitur; qua facta, si necessitas, aut utilitas appareat, litteræ nomine Regis expediuntur, quibus licentia alienandi annuitur.

XXXVII. Tria proinde potissimùm hodie ad alienationem requiruntur, nimirum legitima causa alienandi, tractatus sive discussio causæ, & consensus superioris.

Unde Philippus II. in Edicto ad Synodum P. II. Cameracensem vult, ut à judicibus Regiis habeantur pro nullis alienationes omnes bonorum Ecclesiasticorum factæ sine consensu Superiorum, & causæ cognitione, non obstante quacunque consuetudine contraria. Verba Edicti sunt: *Comme aussi voulons, & entendons que par nos Juges Royaus, & toux autres, soient tenuês pour nulles les alienations, & loüages à longues annees des biens Ecclesiastiques faites sans le consentement des superieurs, & duë cognoissance de cause. Et ce non obstant toutes coutumes au contraire au regard des alienations, & loüages susdits qui se feront à l' avenir.* Id est. Prout volumus & decernimus, ut Regii nostri Judices, aliique omnes irritas habeant alienationes, & conductiones ad longum tempus bonorum Ecclesiasticorum, quæ sine Superiorum assensu, & debita causæ cognitione fuerint peractæ; idque non obstante quavis consuetudine contraria, respectu alienationum & conductionum in posterum faciendarum.

XXXVIII. Indubiè de consensu Superioris, uti & Capituli, vel Conventûs, ubi is requiritur, constare debet per publicum instrumentum; requiritque Decretum relatum à Gratiano sub nomine Leonis Papæ, omnium Clericorum *subscriptionem.* Unde communiter docent Canonistæ, in alienatione bonorum Ecclesiæ requiri *subscriptionem omnium Canonicorum*, aut Monachorum, vel Monialium Capitulum constituentium. Sed Rebuffus testatur *num.* 17. » quòd de consuetudine non subscribant Canonici vel Monachi, sed omnibus præsentibus scribat » Secretarius, vel Notarius in instrumentis alienationum. « Idem testatur Zypæus loco citato *num.* 5. monet tamem, id non ubique uniformiter observari: » Nam incautiùs factis, & delibe» ratis maturè alienationibus, etiam his temporibus secus obser» vatum videmus. «

XXXIX. Plures insuper præscriptæ sunt solemnitates à Justiniano Imperatore in *Novella* 7. & referuntur in *Authentica*, Hoc JUS PORRECTUM, *Cod. de SS. Ecclesiis*; & à Gratiano inserta *Can.* 2. *Caus.* 10. *quæst.* 2. Verùm uti monet Rebuffus *num.* 20. hæ solemnitates in alienatione rerum Ecclesiæ hodie non servantur. Et Zypæus in Notitia Juris Belgici titulo *De SS. Ecclesiis* §. *de Rebus Ecclesiæ non alienandis* testatur, neque nos servare hodie in alienatione Ecclesiastica solemnitates dictæ Authenticæ, sed præscripta tantùm Canonum. Vide quoque Tournetium in collectione Arrestorum *Litt. A. cap.* 34. ejusque Notatores.

XL. Quin nec hodiè ob prætermissam aliquam solemnitatem jure Canonico requisitam, alienatio rei Ecclesiasticæ semper rescinditur, aut invalida declaratur; notatque Rebuffus *num.* 103. Curiam Parlamenti Parisiensis non rescindere alienationes sine solemnitate, nisi læsio, & quidem notabilis intervenerit.

XLI. Scribit quoque Petrus Stokmanius quondam in Consilio Brabantiæ Consiliarius Regius, in suis ejusdem Curiæ decissionibus: » Quemadmodum in Gallia, ita & apud nos non » observantur adamussim omnia, quæ tàm scrupulosè constituta » sunt circa bonorum Ecclesiasticorum alienationes, nec omis» sio cujusvis solemnitatis locum facit rescissioni earundem; » maximè verò in his causis spectari solet, an læsio notabilis Ec» clesiæ intervenerit, an non; atque ubi hæc non ostenditur, » plerumque ratæ manent alienationes, licèt aliquid fortè in » ritu & solemnibus deficiat, atque adeò quamvis non inter» cesserit consensus eorum omnium, quos regulæ, & instituta » Religionum, & Decreta Pontificia intervenire volunt. «

XLII. Hæc ille *Decis.* 146. *num.* 1. & 2. additque *num.* 3. » Nos aliquoties ita censuimus, uti vide quoque tractatum in » Curia Tolosana apud Maynardum *lib.* 2. *Decisionum Tolo*» *sanorum*, *cap.* 7. attendi potissimum debere justam & ur» gentem causam alienationis, vel evidentem Ecclesiæ utilita» tem, rerum item, quæ alienatæ sunt, utilitatem aut pre» tium, adhæc bonam, aut malam fidem contrahentium; alias» que hoc genus circumstantias, quæ Religioni judicantium » magna parte relinquendæ sunt.

» Solemnitates autem, quia istarum rerum causâ institutæ » ac comparatæ sunt, inferioris gradûs & minoris momenti me» ritò hodie in foro, & judiciis nostris habentur.

XLIII. » Propterea cùm incidisset quæstio de rescindenda » alienatione fundi Ecclesiastici, ubi, & necessitas probata erat, » & bona fides emptorum, qui in alimoniam egentium Reli» giosarum nummos suos erogaverant, tum consensus atque ap» probatio Conventus seu Capituli, confirmata fuit alienatio, & » repulsæ Religiosæ, licèt ostenderetur quasdam ejusdem Mo» nasterii vestales non consensisse neque subscripsisse, quodque » Primas Ordinis, quem *Generalem* vocant, alienationem ra» tam esse non jussisset, id quod tamen decreta Ordinis, auc» toritate Pontificia confirmata, ita jubebant. «

XLIV. Primùm ergo in alienatione rei Ecclesiasticæ sedulò attendendum, ut causa alienationis seriò examinetur; eaque in instrumento specificè exprimatur iis circumstantiis vallata, ut facilè probari queat, aut saltem præsumi debeat. Unde rectè monet Rebuffus *num.* 9. quòd de causa constare debeat per publicum instrumentum.

Ubi tamen est forma servata, & Decretum Superioris interpositum, semper præsumitur factum pro utilitate Ecclesiæ, uti notatur ad Tournetium *loco citato*, *cap.* 36.

XLV. Solemnitas extrinseca, ut auctoritas tutorum in alienatione rei minoris, vel tractatus Capituli, & consensus solemnis, & aliæ solemnitates Ecclesiasticæ non præsumuntur, nisi probentur (b), ait Rebuffus *num.* 37.

» Fallit (ait idem) ex longinquitate temporis, quia tunc » omnia præsumuntur solemniter acta. Item, si in instrumento „ diceretur, solemnitatem servatam, is, qui dicit non ser„ vatam, vel causam non fuisse veram, probare debet. "

XLVI. Et reverà si notabile tempus à rerum alienatione facta effluxerit, non facilè prætextu omissæ solemnitatis, vel defectu justæ causæ alienationes rescindendæ, nisi dolus, vel collusio aliqua intervenisse appareat. Ne & hujusmodi alienationum rescissione familiæ turbentur, & nemo facilè inveniatur, qui cum Ecclesia, aut Corporibus Ecclesiasticis contrahere velit.

XLVII. Meritò suspecta habetur alienatio, & meritò etiam post lapsum notabilis temporis inquiritur, num in utilitatem Ecclesiæ facta sit, si in familiares, aut cognatos ipsius Prælati bona Ecclesiæ translata; vel cum illis contractus initus fuerit. Nam, uti rectè docet Alciatus *lib.* 1. *Præsumpt.* 29. alienatio facta per Prælatum in consanguineos, non præsumitur in Ecclesiæ, sed ipsorum consanguineorum utilitatem facta: prout & ipse Justinianus Imperator in *Novella* 120. unde desumpta est Authentica QUIBUSCUNQUE, *Cod. de SS. Ecclesiis*, insinuat, interdicens certis personis res Ecclesiæ accipere, „ ut œco» nomo, ejusque cognatis: alioquin bona eorum, & œcono» morum, & ordinatorum, quibus conjuncti sunt, post mor» tem eorum pervenient ad Ecclesiam, de qua rem acci» piunt (c). «

XLVIII. Tametsi alienatio omni cum solemnitate fuerit facta, si tamen postmodum appareat læsio notabilis ex parte ipsius Ecclesiæ, poterit petere restitutionem exemplo Minoris, cujus jure & privilegio utitur Ecclesia, uti communiter docent Canonistæ in *cap.* 1. ✠ *De in integrum restitutione* (d); ubi Pontifex rescribit, » quòd si Ecclesia læsa est, & manifestè » apparet detrimentum ipsius (cum Episcopo ejus conditionem » facere deteriorem, non liceat, & Ecclesia *jure minoris* uta„ tur) quæ in damnum ejus data (possessio) constiterit, ad „ ipsius convenit jus & proprietatem redire. "

Ne tamen alteri per hanc restitutionem nocumentum inferatur, addit Pontifex: » Providendum est tamen, ne si fortè » coloni possessiones illas expensis ac labore suo reddiderint » meliores, sumptibus, quos bona fide fecerunt, debeant » defraudari. «

Unde autem læsio desumi debeat, & quando hujusmodi læsio censeatur intervenisse, ut restitutio annui debeat, latè deducit Zypæus, *Consulta* 2. *de Rebus Ecclesiæ non alienand.s.* TI-

(a) *In Hispania Rex etiam est Protector Patronusque omnium Ecclesiarum suorum Regnorum, Act. Acordat.* 1. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recopil. ex eo, quòd à Deo Regibus commendata sit defensio Sanctæ Matris Ecclesiæ, L.* 1. *t.* 3. *lib.* 1. *Recop. attamen non se immiscet in alienatione bonorum Ecclesiarum, exceptis iis, quæ juris Patronatûs effectivi sunt.*

(b) *Vide leg.* 18. *tit.* 16. *Part.* 6. *& leg* 9. *tit.* 18. *Part.* 3. *ex quibus infertur, quod ad alienationem rerum minorum, præcipuè immovilium, non sufficit tutorum auctoritas, sed requiritur decretum Judicis, & quod justa causa interveniat, aliàs contractus factus ipso jure nullus erit.*

(c) *Ultimum, quod ad bonorum Ecclesiasticorum alienationem requiritur, collocant Germani in* subhastatione; *hæc enim regulariter necessaria est in alienationibus, quæ auctoritatem superioris & Decretum desiderant. Postius* de subhastat. resp. 14. n. 1. &c. *Philippi* de Subhastat. cap. 2. Sect. 3. &c.

(d) *Quibus adde leg.* 5. *&* 8. *tit. fin. Part.* 6.

TITULUS XXXVII.

De Hospitalibus, & aliis piis locis.

CAPUT I.

DE VARIO HOSPITALIUM GENERE.

1 *Nomine Hospitalis subinde venit omnis pius locus recipiendis pauperibus destinatus.*
2 *Quibus usibus specialiter destinentur* Xenodochia.
3 *Quid sint* Orphanatrophia.
4 *Ptocotrophia ; & Brephotrophia , cui usui serviant.*
5 *Nosocomia , Leprosariæ , & Gerontocomia describuntur.*
6 *Alia sunt privata , alia publica.*
7 *Illa merè laica , hæc verò religiosa loca reputantur.*
8 *Hospitale non est publicum, etsi Oratorium annexum habeat.*
9 *Indicium , quod Hospitale sit publicum , & religiosum.*
10 *Aliqua sunt Hospitalia in Beneficium Ecclesiasticum erecta.*
11 *Quid requiratur , ut Hospitale censeatur in Beneficium erectum.*
12 *Primæva natura Hospitalium est , ut sint* simplicis *administrationis.*
13 *Canonicorum Collegia ex præscripto Regulæ habebant singula suum Hospitale.*
14 *Huic Hospitali dabant* decimam *suorum proventuum.*
15 *Præficiebatur unus è Canonicis , qui curam pauperum haberet ; & qualis ad hoc eligendus.*
16 *Invigilare debebant Prælati ne bona pauperum usibus deputata , in alios usus diverterentur.*
17 *Incipiebant Hospitalia ut* beneficia *concedi , & ita proventus diverti.*
18 *Quàm graviter delinquat bona Hospitalis divertens.*
19 *Belgica Canonicorum Collegia habuerunt suum Hospitale; & adhuc supersunt vestigia.*
20 *Monasteria jam pridem pro Hospitalibus reputata.*
21 *Monasteria designárunt loca pauperibus , & Hospitibus recipiendis.*
22 *Nonnulla Hospitalia Monasteriis, & Capitulis unita per modum suppressionis.*
23 *Aliqua unita sine suppressione.*
24 *Debent onera fundationis explere.*
25 *Hospitalia commissa Religiosis sine incorporatione , aut unione.*
26 *Quare Hospitalium varietas nosci debeat.*

I. LOca recipiendis , & alendis pauperibus , aliisve miserabilibus personis destinata , subinde generali nomine *Hospitalia* dicuntur ; quemadmodum nomine hospitalitatis nonnunquam venit quodcunque charitatis opus proximo impensum.

Verùm tum pro diversitate regionum , tum ob diversam & multiplicem naturæ humanæ miseriam , cui in hujusmodi locis succurritur , varia quoque iis nomina indita sunt.

II. Quædam enim specialiter destinata sunt susceptioni peregrinorum ; dicunturque subinde *Xenodochia* , à græco verbo *xeno* quod latinè significat *hospitem recipere*. Interdum speciali nomine vocantur *Hospitia* peregrinis destinata.

III. Aliqua vocantur *Orphanotrophia* , ubi orphani , sive pueri parentibus orbati aluntur ; & qui horum curam agunt, *Orphanotrophos* vocat *L.* 32. *Cod. de Episcopis & Clericis* ; dicunturque , parentibus , atque substantiis destitutos minores sustentare , & educare veluti affectione paternâ : aut quasi tutores pupillorum , & curatores adolescentium.

IV. *Ptochotrophia* sunt loca , ubi recipiuntur pauperes debiles , qui labore proprio sibi necessaria ob corporis infirmitatem quærere nequeunt.

Nonnulla sunt loca , ubi infantes pauperes recenter nati, & expositi educantur , quæ vocantur *Brephotrophia*.

V. *Nosocomia* vocantur , ubi ægri, & infirmi curantur. His jungendæ *Leprosariæ* , in quibus specialiter , & separatim leprâ infecti curantur. Similiter *Gerontocomia* , ubi pauperes senes aluntur, meritò Nosocomis junguntur, cùm senectus ipsa sit morbus.

VI. Inter hæc loca pauperibus , & miseris hominibus alendis & curandis destinata , alia sunt , quæ nonnulli ex charitate , ac pietate in pauperes privatâ sua auctoritate extruxerunt & dotârunt, legesque præscripserunt , nulla Episcopi , aut alterius Prælati Ecclesiastici auctoritate interveniente.

Alia sunt Episcopi auctoritate erecta , & ad usum religiosum , publico , & Ecclesiastico ritu deputata : qualia plerumque sunt hodierna Nosocomia, & Leprosariæ , quibus mulieres religiosæ præfectæ sunt.

VII. Priora quidem dicuntur , & reputantur loca *pia* , at omninò *profana* , sive laica ; hæc verò habentur pro locis *Religiosis* : atque de his agi sub titulo Decretalium *de Domibus Religiosis* communiter notant Interpretes.

VIII. Ut autem Nosocomium , vel aliud quodvis hospitale habeatur pro loco , vel domo *Religiosa* , non sufficit , auctoritate Episcopi in ipso hospitali , aut propè , esse erectum Oratorium , aut Sacellum , in quo pro commoditate pauperum eò divertentium , Ecclesiastica peragantur Officia : quia cum ipsum hospitale ab ipso Oratorio , aut Sacello sit planè distinctum , non magis potest ab ipso suam mutuare religiositatem, quàm Castrum , aut palatium Principis à simili Sacello mutuarent.

IX. At cùm dubitatur , an hospitale sit publicum , aut privatum , cùm non appareat , an Episcopi auctoritate sit constitutum , inquirendum est , utrum publicè ibi campana pulsetur , & populus ad divina publicè admittatur : tunc enim verum est dicere , publicum esse , & Episcopi auctoritati , & jurisdictioni submissum , ut docet Panormitanus *ad caput* PATENTIBUS , *de Privileg. num.* 1.

X. Insuper sunt quædam hospitalia in titulum Ecclesiasticum erecta, quæ consequenter solis Clericis tanquam vera Beneficia Ecclesiastica conferuntur, sub obligatione impendendi proventus honestæ suæ sustentationi superfluos in usum pauperum aut miserabilium personarum , secundum leges fundationi hospitalis adscriptas : qualia nonnulla hospitalia esse supponit Clementina 2. *de Religiosis Domibus* , vetans , ut nullus ex locis » (piis) ipsis secularibus Clericis *in Beneficium* conferatur, etiam» si de consuetudine (quam reprobat penitùs) hoc fuerit ob» servatum : « *nisi in illorum fundatione secus constitutum fuerit , seu per electionem sit de Rectore locis hujusmodi providendum.* Idipsum supponit quoque Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 8. *de Reformat.* præcipiens omnibus , qui hujusmodi loca in *titulum* obtinent , ut impositum illis onus , officiumve administrent ; atque hospitalitatem , quam debent , ex fructibus ad id deputatis actu exerceant. De hac obligatione latiùs agetur infrà.

XI. Ut autem Hospitale in Beneficium censeatur erectum, & ut tale in titulum conferri , requiritur , ut ipsum Hospitale cum omni sua dote , sive proventibus Clerico in titulum Beneficii conferatur , cum onere hospitalitatem , vel alia pia opera sublevandis hominum miseriis & infirmitatibus, exercendi.

Si enim duntaxat Presbyter aliquis simpliciter institui soleat , etiam cum Canonica tituli collatione ab Episcopo ad præsentationem alicujus Patroni acceptâ , non censebitur tamen ipsum Hospitale datum in titulum , sed tantùm ipsum Oratorium , sive Sacellum Missæ sacrificio , aliisque Sacramentis pauperibus administrandis destinatum. Quin imò cum ipsorum hospitalium institutioni quodammodò repugnet , ut in titulum Beneficii concedantur , nisi evidenter probetur , judicandum in dubio , illa non esse erecta in titulum.

Secundum hanc distinctionem sæpiùs judicatum esse refert Joannes Tournetius in collectione Arrestorum *litt. H. cap.* 34.

XII. Eâdem hâc ratione , si quæ loca pia in titulum Beneficii fuerint concessa , facilè ad suam primævam naturam , id est , simplicis administrationis reducta censebuntur. Unde & judicatum testatur Tournetius loco allegato , quòd Hospitale dari solitum in titulum Beneficii , & postea translatum ad Griseas Sorores , per hanc translationem reversum sit ad primævam & naturalem naturam hospitalium , id est , simplicis administrationis.

XIII. Adhæc sunt quædam hospitalia spectantia ad Canonicorum Collegia , & quasi partem ipsorum Collegiorum constituentia.

Pro quo notandum , Canonicorum Collegia jam pridem singula suum habuisse *Hospitale* , quemadmodum indicat: ipsa Canonicorum Regula in Concilio Aquisgranensi ann. 816. exarata *cap.* 141.

» Evangelicis , atque Apostolicis instruimur documentis , in » colligendis hospitibus ante omnia operam dare debere, ut me» ritò de nobis dicatur à Domino, *Matt. c.* 35. *v.* 35. *Hospes » fuit , & collegistis me , &c.* Proinde oportet , ut Prælati Ec» clesiæ præcedentium Patrum exempla sectantes , aliquod præ» parent receptaculum , ubi pauperes colligantur , & de rebus » Ecclesiæ tantùm ibidem deputent , unde sumptus necessarios » juxta possibilitatem rerum habere valeant , exceptis decimis, » quæ de Ecclesiæ villis ibidem conferuntur. «

XIV. Ex hac regula patet, quòd præter prædictos proven-

tus specialiter usui Hospitalis deputatos, ipsi quoque Canonici monerentur, » ut tam de frugibus, quàm etiam de omnibus » eleëmosynarum oblationibus in usus pauperum *decimas liben-* » *tissimè* ad ipsum conferrent Hospitale. «

XV. Præcepit præterea, » ut boni testimonii de ipsa Con- » gregatione frater constituatur, qui hospites, & peregrinos ad- » ventantes, utpotè Christum in membris suis, suscipiat, eis- » que necessaria libenter pro viribus administret: qui etiam ea, » quæ in usus pauperum cedere debent, nequaquam in suos usus » reflectat, ne cum Juda loculos Domini furante, sententiam » damnationis excipiat. «

XVI. Utque fideliùs res hospitalis administrentur, addit regula: » Sed & Prælatorum debet vigilare industria, ne eum, cui » hospitale pauperum committitur, res pauperibus deputatas » in aliquo minuere, aut his quasi beneficiario munere conces- » sis sinant uti; quod à Prælatis quibusdam, curam pauperum » parvi pendentibus, fieri comperimus. «

XVII. Hîc per antecessum notare possumus, quòd nonnullis Hospitalia *Beneficiario jure* concederentur; atque hoc pacto proventus Hospitalium in usus Clericorum diverterentur; qui abusus paulatim magis excrevit, ut tandem necesse fuerit prohibere, ne Hospitalia in titulum Beneficii concederentur; imò eorum administratio potiùs laicis, quàm Clericis committeretur, uti infrà notabitur.

XVIII. Monet denique Regula: » Quòd si is, cui hospi- » tale commissum est, curam pauperum neglexerit, eorumque » res in suos usus retorserit, quamquam divinâ ultione dignus » sit, severiùs tamen quàm cæteri delinquentes à Præpositis ju- » dicandus, & à ministerio removendus est. «

Rationem hanc notandam subjungit: » Quippe qui, & pre- » tia peccatorum, & alimenta pauperum, & thesaurum cœlo » recondendum, suis (quod fas non fuit) aptavit usibus. «

XIX. Observat Aubertus Miræus in notis ad hanc, Canonicorum regulam: » Similes domus hospitalariæ ad usum pau- » perum exstructæ, hodieque multis in locis juxta Canonicorum » templa visuntur; ut ad S. Servatium in Urbe Trajectensi ad » Mosam, Tornaci, & alibi in Belgio. Sic, & Antuerpiæ olim » hospitalaria domus stetit juxta Basilicam Marianam, inde pos- » tea ad extimam urbis regionem translata. « Cui domui hodie quoque Canonici superintendunt; & per suos deputatos computibus intersunt.

XX. In Monasteriis hospitalitatem jam pridem viguisse, ipsosque Fundatores, & Benefactores bona sua Monasteriis obtulisse, ut & Monachi, & *pauperes* ex iis alerentur, notorium est, & sæpiùs in hoc opere ostendimus; notatque Christianus Lupus in Scholiis ad Canonem XI. Calchedonensem, in magno Belgii Chronico Monasterium *Stabulense* meritò sic vocari, utpotè quòd sit *stabulum omnium peregrinorum*. Additque Chronicon, eundem in finem Belgica Monasteria passim constructa in locis aviis, & periculosis. Quidni eadem ratione dicamus, etiamnum hodie in litteris Regiis Monasteria, & Abbatias vocari *Godishuysen*, quo vocabulo *domus pauperum* designari solent?

XXI. Ne verò per pauperum receptionem disciplina claustralis nimiùm perturbaretur, cœperunt Monasteria extra claustrum ad portas Monasterii, loca aliqua recipiendis pauperibus & peregrinis deputare, quæ *Hospitalia* dici poterant; & quorum apud pleraque Monasteria Benedictinorum, Cisterciensium, Præmonstratensium, & Canonicorum Regularium patentes reliquiæ etiam hodie supersunt; quæ Hospitalia, sive loca hospitibus, aut pauperibus recipiendis destinata, partem Monasterii constituunt, ideoque directioni, & administrationi Prælatorum & Religiosorum, quemadmodum reliqua pars Monasterii, subjiciuntur.

XXII. Similiter sunt quædam hospitalia Monasteriis, aut Capitulis incorporata per viam *suppressionis*: ita scilicet, ut ipsum hospitale unà cum dote, ac proventibus erectum sit in Monasterium, vel Capitulum; quo casu ipsa hospitalia sunt quodammodò extincta, & in Monasteria, aut Capitula commutata. Suppressio tamen, sive commutatio hæc sæpiùs fit cum onere speciali hospitalitatem in pauperes exercendi secundum primævam ipsorum hospitalium fundationem; prout ex litteris, & legibus ipsius suppressionis, sive incorporationis facilè constare poterit.

XXIII. Subinde autem uniuntur Monasteriis simplici unione absque tituli, sive hospitalis suppressione, sed ipsum hospitale salvum manet: cura tamen, & administratio integra est apud ipsum Monasterium, cum obligatione exercendi ipsam hospitalitatem, & proventus illi impendendi juxta leges ipsius fundationis.

XXIV. De his, & similibus loquitur Synodus Tridentina *Sess. 25. cap. 8. de Reformat.* ubi præcipit illis, qui *hospitalia* vulgò nuncupata, seu alia pia loca ad peregrinorum, infirmorum, senum, pauperumque usum præcipuè instituta, Ecclesiis suis *unita* obtinent, ut impositum illis onus, officiumque administrent, atque hospitalitatem, quam debent, ex fructibus ad id deputatis actu exerceant.

XXV. Frequenter ipsa Hospitalia, præsertim seculo XII. & sequentibus, credita fuêre viris, aut mulieribus religiosis in communi viventibus, ut ipsi infirmorum, & pauperum curam haberent; ita tamen, ut superintendentia, & quasi primaria administratio penès alios, sive Ecclesiasticos, sive laicos remaneret, uti inferiùs latiùs demonstrabitur.

XXVI. Hæc Hospitalium, & piorum locorum varia natura, & conditio meritò attendenda; ut & intelligatur, quibus eorum proventus præcipuè ex mente Fundatorum sint impendendi; tum ut sciatur, qui illorum sint superintendentes & qui administratores; qui varii sunt pro varia locorum conditione, uti ex infrà dicendis apparebit.

CAPUT II.

De Superintendentibus Hospitalium, et piorum Locorum.

1 *Apostolis primitùs cura pauperum, & dispensatio eleemosynarum concredita.*
2 *Episcopi Apostolis in hanc curam successerunt.*
3 *Concilium Chalcedonense auctoritatem in loca pia Episcopis asserit ex* Patrum traditione.
4 *Justinianus eam auctoritatem Episcopis vindicat.*
5 *Administratores piorum locorum vult eligi judicio Episcoporum.*
6 *Episcopi corrigere, imò, & deponere possunt piorum locorum administratores; etsi hi sint à Fundatoribus electi.*
7 *Quales eligi velit administratores.*
8 *Si testator non designaverit per quem Legatum* pium *sit distribuendum, executio committitur Episcopo.*
9 *Si incertum sit, cui Xenodochio impendi voluerit testator, Episcopi est dirimere.*
10 *Sed quid, si nullam in civitate sit Xenodochium?*
11 *In administratione hujusmodi piorum locorum non quærendum proprium lucrum.*
12 *Episcopi negligentiam circa executionem piorum legatorum supplet Archiepiscopus vel Primas.*
13 *Etiam quilibet de populo executionem* pii *legatii urgere potest.*
14 *Pœnæ in non solventes* pia *legata.*
15 *Ex lege Justiniani, Episcopi piorum locorum manent Superintendentes, etsi à Fundatore sint electi administratores.*
16 *Tempore S. Gregorii cura piorum locorum incumbebat Episcopis.*
17 *Auctoritas Episcoporum in* pia *loca seculo IX. vigebat.*
18 *Eadem expressa in Decretalibus Gregorii IX.*
19 *De Jure communi hospitalia Episcopis subjiciuntur.*
20 *Hospitalia cœperunt eximi à jurisdictione Episcoporum; atque hinc multorum ruina.*
21 *Auctoritatem Episcoporum in* pia *loca quomodo restituerit Concilium Viennense.*
22 *Constitutionem Concilii Viennensis renovans Synodus Tridentina, & Episcopis curam hospitalium imponit.*
23 *Synodus Tridentina dat Episcopis jus visitandi hospitalia etiam* exempta.
24 *Licèt etiam laici sint administratores.*
25 *Ex Decreto ejusdem Synodi administratores tenentur reddere rationem Ordinariis.*
26 *Licet ex fundatione etiam aliis redenda sit.*
27 *Synodus Trid. ipsos administratores hospitalium subjicit Ordinariis.*
28 *Eadem Synodus voluit restauratam Episcoporum auctoritatem circa administrationem piorum locorum.*
29 *Hæc auctoritas non excludit curam, & protectionem Principum.*
30 *Jam pridem Xenodochia sub protectione Principum posita; & quare.*
31 *Synodus Tridentina meminit hospitalium existentium sub immediata Regum protectione; nec sine licentia Regis visitari vult.*
32 Immediata *protectio, quæ hîc intelligatur.*
33 *Si quæstio incidat, an hospitale sit sub hac immediata protectione, quis erit judex.*
34 *Episcopis hujusmodi hospitalia visitantibus subinde adjunctus Consiliarius Regius.*
35 *Episcopus auctoritatem in hospitalia retinebat, si per hæredes fundatoris regerentur.*
36 *Synodus Trid. supponit per legem fundationis Episcopum ab audiendis rationibus posse excludi.*
37 *Multò magis à jure visitandi.*
38 *Loca pia non religiosa quoad jus visitandi Episcopo non sunt subjecta.*
39 *An subjecta sint quoad redditionem rationum.*
40 *In publicatione Concilii Tridentini apposita nota ad Decretum, quo cura hospitalium committitur Ordinariis.*

Item

41 *Item ad Decretum, quo statuuntur Episcopi executores piarum dispositionum.*
42 *Ad has notas refertur clausula apposita in litteris Regiis, quibus publicatio Concilii Tridentini mandatur.*
43 *Ex Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem, aliquando Episcopus computui non intervenit.*
44 *Destitutio, & institutio administratorum aliquando ad solos laicos pertinet.*
45 *Aliquando ad ipsum Episcopum.*
46 *Qualiter ante Synodum Tridentinam aliqua hospitalia ad curam laicorum pertinuerint.*
47 *Hæc laicorum jura salva esse possunt, licèt auctoritas Episcoporum concurrat.*
48 *Philippus II. Episcopum ejusve deputatum computui interesse voluit.*
49 *Edictum ad Synodum Mechlinensem diem computui reddendo de Episcopi consensu statui vult.*
50 *Vult præterea deputatum Episcopi computibus interesse, atque per ipsum cum aliis interesse solitis quæstiones sopiri.*
51 *Episcopis, eorumve Vicariis visitantibus exhibendi computus.*
52 *Auctoritas Episcoporum quoad hospitalia, & pia loca per hoc Edictum stabilita.*
53 *Edictum non extendendum ad casum, quo contrarium in fundatione expressè est cautum.*
54 *Neque ad loca pia non religiosa.*
55 *Principum auctoritate semper salva.*
56 *Quæ Regulæ in hac materia sint servandæ.*

I. APostolos curam pauperum egisse, atque primos Christianos bona sua in alimoniam pauperum distribuenda ad pedes Apostolorum, ut per ipsos in pauperes dispensarentur, possuisse, testatur S. Textus. Actor. cap. 4. v. 3. *Quotquot enim possessores agrorum, aut domorum erant, vendentes afferebant pretia eorum, quæ vendebant, & ponebant ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique opus erat*, nimirum auctoritate Apostolorum.

II. Episcopi tanquam Apostolorum successores, etiam in curam & solicitudinem pauperum successerunt; atque eo titulo specialiter Patres pauperum dicti fuere. Imò Synodus Tridentina *Sess. 23. cap. 1. de Reformat.* sat clarè significat, Episcopis jure *divino* mandatum esse, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere.

Itaque eleemosynæ in pauperum alimoniam erogandæ, nec non loca pauperibus recipiendis, ac curandis destinata, Episcopis tanquam spiritualibus pauperum Patribus concredita, eorumque curæ, & regimini præcipuè commissa fuêre.

III. Concilium Chalcedonense *Can. VIII.* » Clerici in *Ptochiis* constituti, sub potestate sint ejus, qui in ea est civitate Episcopus, secundum traditionem sanctorum Patrum; nec » per præsumptionem recedant â suo Episcopo.“ Apud Gratianum *Caus.* 18. *q.* 2. *Can.* 10.

» Sunt verò (ait Zonaras) Ptocheia domus, quæ pauperibus » sustentandis, curandisve (e) destinatæ sunt, quales eæ videli» cet, in quas, aut pupilli, aut alii ætate, variisque morborum » generibus confecti homines recipi, & ali solent.“

Itaque vult Canon, Clericos hujusmodi domibus, sive hospitalibus præfectos sub potestate esse Episcopi; ut nimirum regiminis, ac curæ rationem Episcopo exhibeant: & si defectuosi inveniantur, ab ipso corrigantur.

Notandum autem, quòd dicat Canon Clericos hos ita Episcopo debere subjici *secundum Patrum traditionem*: quo indicatur, hanc Episcoporum in similia loca solicitudinem, & superioritatem ex Patrum traditione descendere.

IV. Conformiter ad hunc Canonem, & Patrum traditionem, Justinianus hospitalium, & piorum locorum curam, & tuitionem variis editis Constitutionibus detulit Episcopis. (f)

V. Imprimis in *lib.* 42. §. 9. *Cod. de Episcopis & Cleric.* decrevit, ut » nec Xenodochus, nec Nosocomus, nec Pto» chotrophus, nec Orphanotrophus, nec Brephotrophus, nec » quisquis ptochio præficiendus est, per talem fiat largitionem; » sed per judicium, & probationem eorum, qui in illis locis sunt, Deo amantissimorum Episcoporum.“

VI. Ulteriùs in *Leg.* 46. §. 3. *Cod. eod.* vult, ut ipsi quidem Episcopi *per se* hujusmodi locorum curam non agant, se ea per præfectos, puta Xenodochos, Ptochotrophos, & similes administrentur; at illorum administrationem inspiciant, & non rectè administrantes corrigant, imò & si mereantur, expellant; idque etiamsi hujusmodi Præfecti ab ipsis Fundatoribus fuerint designati. Verba legis sunt: » Deo amabiles Episcopi, si quidem » aliquos disertè hi, qui defecerunt, præposuerint rebus, (ve» luti Xenodochos, Ptochotrophos, aut Nosocomos, aut Bre» photrophos, aut Orphanotrophos, aut Gerontocomos, aut Pa» ramonarios, aut Œconomos, aut simpliciter dicendo, pia» rum actionum administratores) illos quidem permittant ha» bere administrationem; ipsi verò non administrent quidem, » sed administrationem illorum inspiciant, aut observent; & » rectè quidem habentem laudent; in quibusdam autem aliquid » prætergredientem corrigant; pessimâ autem administratione » factâ etiam eos expellant, & alios instituant.“

VII. Quales autem instituendi sunt, adjungit: » Qui cogi» tent, & animo concipiant magni Dei timorem, & terribi» lem magni & nunquam finiendi judicii diem, ad quam illos » respicientes, convenit omnia facere cum ad Deum coordinata » mente.“

VIII. Rursus in *L.* 28. *Cod. eod.* decernit, uti si testator aliquid in redemptionem captivorum reliquerit, & testator nullum specialiter designaverit, per quem desiderat redemptionem fieri captivorum, » sed si testator absolutè tantummodo » summam legati, vel fideicommissi taxaverit, quæ debeat me» moratæ causæ proficere, Vir Reverendissimus Episcopus il» lius civitatis, ex qua testator oritur, habeat facultatem exi» gendi quod hujus rei gratia fuerit derelictum, pium defunc» ti propositum sine ulla cunctatione, ut convenit, imple» turus.“ (g)

Hinc concludunt Jurisconsulti, executorem legitimum testamenti ad *pias* causas esse Episcopum. Vide *notam* 22. ad hanc legem in editione Corporis Civilis operâ & studio Simonis van Leeuvve 1663.

IX. Eadem cura ex Constitutione Justiniani in *Lege* 46. *Cod. eod.* Episcopo incumbit, si quis solos captivos instituerit hæredes: qui similiter, pauperibus institutis, erogavit bona in eos, quos testator designaverit; vel nullis ab eo designatis, Xenodochio civitatis; quòd si plura sint, pauperiori: „ Hoc videlicet » discutiendo à viro reverendissimo locorum Antistite, & sub » eo constitutis Clericis.“

Hîc per transennam nota, in administratione, & erogatione piorum locorum Episcopum tractare debere cum suis Clericis.

X. Pergit deinde Justinianus: » Sin autem nullus Xenon » in civitate inveniatur: tunc, secundum de captivis sanctionem » pro tempore Œconomus sacrosanctæ Ecclesiæ, vel Episco» pus hæreditatem accipiat: & sine Falcidiæ (h) ratione pau» peribus, qui in civitate sunt, vel penitùs mendicantibus, vel » alia sustentatione egentibus, eædem pecuniæ distribuantur.“

XI. Ut autem hæ charitatis & pietatis oblata etiam gratis ex charitate sine spe temporalis lucri erogentur, solicitè inculcat

(e) *Vide leg.* 26. *num.* 3. 9. *tit.* 12. *lib.* 1. *& leg.* 1. *capit.* 10. *tit.* 6. *lib.* 3. *Recopil.*

(f) *Ab ea doctissimi Van Espen sententia discedit eruditus vir De Hericourt; siquidem* 3. part. de Leg. Eccl. pag. 230. col. 2. Edit. 1743. *hæc habet*: A l' egard des biens des Hospitaux.... les Eveques n' en ont point toujours eu l' administration; mais Justinien fit une loi expresse pour ordonner, que les Administrateurs de ces lieux de pieté rendroient compte à l' Eveque des revenus, & de l' usage qu' ils en avoient fat. *Lector utriusque rationes ponderet antequam suum de gemina opinione judicium ferat.*

(g) *Non semper ac aliquid ad pias causas pias reliquitur, Episcopus implere facere debet, nam impletio legatorum testatoris, si hæres laicus sit, ad Magistratum Civilem pertinet, uti colligitur ex leg.* 2. *tit.* 8. *lib.* 1. *Recopil. & clarius in Regia Schedula* 3. *Martii* 1764. *ibi*: Del mismo modo se ha » reconocido el abuso de querer tomar conocimiento alguno » de dichos Visitadores y Vicarios contra los caudales de Pro» prios con otros motivos, como son de que satisfagan las Jus» ticias cantidades á que estos mismos Visitadores ó Jueces pre» tendem estar obligados los Proprios á favor de *Causas Pias*, » *Reparos de Ermitas, Asignaciones de Capellanías* y otros, no » obstante que no conste de las obligaciones; y que aunque cons» tase, como Autores deberían las Causas Pías interesadas, ó » sus Administradores para cobrar de los Proprios acudir á » la Justicia Ordinaria del Pueblo á solicitar y pedir el Pa» go.“ *Et etiam ex Regia Pragmática Sanctione* 13. *Septembris anno* 1769. *num.* 9. „ Que se actúe de lo que pasa en la „ Visita, á fin de que pueda reclamar qualquier desorden ó „ pedir noticia de los Patronatos Legos, para que su conoci„ miento se remita á las Justicias Reales, con obligacion de „ hacer cumplir las cargas, que suele ser el pretexto de la „ avocacion al dicho Juzgado de Visita, y cesará con el cum„ plimiento.“ *Ad ejus impletionem præcipitur in suprà citata Pragmática Sanctione, num.* 10. „ Que sobre esto introduzca los recursos de fuerzas, y demás instancias conve„ nientes á indemnizar la jurisdiccion Real, y facilitar el cum„ plimiento de las Fundaciones, ó Memorias, ó Patronatos.“

(h) *Lex qua statuebatur ut hæres non minùs, quàm quartam partem bonorum sibi relictorum, etiamsi plus æquo legatis oneraretur, acciperet, & cæteras partes legatariis relinqueret. Vide Digest.* lib. 35. tit. 2. ad legem Falcidiam. *Domat* Loix Civiles, *part.* 2. *lib.* 4. *titul.* 3.

cat, dicens : » In omnibus autem hujusmodi casibus cœlestes » iracundias sacrosanctarum rerum administratores expectent, » si qualecunque lucrum ex hujusmodi gubernationibus sibi- » met acquisierint, vel si hoc committi ab alio consenserint, » & non gravissimâ pœnâ, & interminatione, quod perperam » factum est, studeant corrigere. «

XII. Quòd si Episcopi negligentes fuerint in cogendis hæredibus ad solvenda pia legata, aut opus pium à testatore injunctum perficiendum, » licentia erit aut Metropolitano Pro- » vinciæ, aut Archiepiscopo Diœcesis, hæc cognoscenti, in- » quirere, & cogere, pium opus, aut liberalitatem omnimo- » dò impleri. «

XIII. Hæc Justinianus in *L.* 46. §. 6. *Cod. eod.* addens ; » Et » cuicunque civium idem etiam facere licentia erit: cùm sit enim » communis pietatis ratio, communes, & populares decet etiam » affectationes constitui harum rerum executionis; habituro uno- » quoque licentiam ex nostra hac lege movere (ex Lege *Condic-* » *titia*) & postulare relicta adimpleri. «

XIV. Ut efficaciùs hæredes, aliique opere pio à testatore gravati ad executionem urgeantur, & hoc sancivit §. 7. » Ut » si impediti à Deo amabilibus Episcopis, qui his rebus honora- » ti sunt, posteà cessaverint, seu distulerint, ita ut Præsidum » exactione opus fuerit, confestim non solùm ipsi simplum (quod » dicitur) exigantur, sed omninò duplum. «

XV. Hactenùs dicta manifestè significant, Episcopos piorum locorum, quin & omnium piorum legatorum esse saltem superintendentes; eorumque curam ipsis incumbere, tametsi laicos fundatores habeant ; imò licèt administratores, & executores à fundatoribus sint speciatim designati, tamen ipsi Episcopi semper maneant Superintendentes, qui curent, & invigilent, an omnia secundum testatorum, & fundatorum voluntatem, & mentem ritè adimpleatur; idque licèt etiam testator *in contrarium prohibuerit*, uti declarat Justinianus in citata *Lege* 46. in principio.

XVI. Tempore S. Gregori Xenodochia fuisse sub directione ac cura Episcoporum, è multis Gregorii Epistolis est manifestissimum, ac notanter *Epist.* 24. *lib.* 3. in qua monet Januarium Episcopum Caralitanum : » Ut tibi singulis quibusque » temporibus ratione suas Xenodochi, qui in eis sunt constitu- » ti vel fuerunt, subtiliter reddant.«

Hortatur insuper de rebus Xenodochiorum summam curam gerere : » Ut nulli (ait) sine tua licentia dentur notitiave, ne » usque ad directionem earum ex Fraternitatis tuæ perveniatur » incuria.«

XVII. Ad Ludovicum Regem in Attiniaco Palatio consistentem scribunt anno 858. Episcopi Provinciarum Remensis & Rothomagensis è Carisiaco Palatio, quo convenerant : » Sed » & Rectoribus Monasteriorum, & *Xenodochiorum*, id est, » *Hospitalium*, præcipuè, ut sicut Canonica docet auctoritas, » & Capitula ævi & patris vestri præcipiunt, Episcopis propriis » sint subjecti, & Monasteria, atque Hospitalia sibi commissa » ipsorum regant consilio: quoniam Episcopi paternam solici- » tudinem eis secundum ministerium illorum studebunt im- » pendere.«

Integra Epistola habetur tomo 2. Capitularium editionis Baluzianæ *col.* 102. & apud Labbæum *tomo* 8. *Concil. col.* 654. sub hoc titulo : *Epistola Episcoporum è Synodo apud Carisiacum missa ad Ludovicum Regem Germaniæ.*

XVIII. Hæc Episcoporum auctoritas in Decretalibus Gregorii IX quoque expressa habetur in *Cap.* 3. ⁂ *de Religiosis Domibus* : » De Xenodochiis, & aliis similibus locis per solici- » tudinem Episcoporum, in quorum Diœcesi existunt, ad eas- » dem utilitates constituta sunt, ordinentur.«

Refertur hæc Decretalis tanquam desumpta ex *Decretis Eugenii Papæ* ; Sed desumpta apparet ex Synodo Romana anni 826. sub Eugenio II. *Can.* 23. uti notat Antonius Augus- » tinus *lib.* 2. *Dialogorum de Emendatione Gratiani, Dialog.* 1.

XIX. Interim ex hac Decretali concludunt Canonistæ, Epis- » copum fundare intentionem de jure communi super subjectio- » ne, administratione, & ordinatione hospitalium, & omnium » piorum locorum suæ Diœcesis : « uti notat Fagnanus ad hanc Decretalem. *num.* 2.

XX. Porrò sicuti posterioribus seculis Monasteria se à jurisdictione Episcoporum sensim eximere, & subtrahere cœperunt ; ita quoque Fratres, & Sorores Hospitalibus præfecti, & Clerici, qui illa in titulum Beneficii possidebant, ut liberiùs de illorum proventibus disponere possent, exemptionis privilegia impetrare studuerunt ; atque hinc contingit, quòd seculo XIV. deploravit Concilium Viennense : » quod Xenodochiorum Le- » prosiarum, Eleëmosynarum, seu Hospitalium rectores, lo- » corum ipsorum curâ postpositâ, bona, res, & jura ipsorum » interdum ab occupatorum & usurpatorum manibus excutere » negligunt : quinimò ea collabi, & deperdi, domus, & ædi- » ficia ruinis deformari permittunt ; & non attento, quòd lo- » ca ipsa ad hoc fundata, & fidelium erogationibus dotata fue- » runt, ut pauperes, infectique lepra reciperentur inibi, & ex » proventibus sustentarentur illorum, id renuunt inhumaniter » facere, proventus eosdem in usus suos damnabiliter con- » vertentes.«

XXI. Huic ergo abusui occurrere volens Concilium, injungit locorum Ordinaris, ut si Rectores hujusmodi locorum, negligentes fuerint, aut leges fundationis non servaverint, » etiam- » si loca pia prædicta exemptionis privilegio monita consistant, » per seipsos, vel per alios implere omnia præmissa, & singula, » & Rectores eosque utique non exemptos propriâ, exemptos » verò & alios privilegiatos Apostolicâ ad id auctoritate compel- » lant.« Hactenus Concilium Viennense in *Clem.* 2. *de Religiosis domibus.*

XXII. Hanc Clementinam iteratò renovavit Synodus Tridentina ; ac imprimis *Sess.* 7. *cap.* 15. *de Reformat.* ait : » Cu- » rent Ordinarii, ut Hospitalia quæcunque à suis administrato- » ribus, quocunque illi nomine censeantur, etiam quomodoli- » bet *exemptis*, fideliter, & diligenter gubernentur, Constitu- » tionis Concilii Viennensis, quæ incipit, *Quia contingit*, for- » mâ servatâ, quam quidem constitutionem eadem Sancta Sy- » nodus innovandam duxit, & innovat, cum derogationibus in » ea contentis.«

XXIII. Post hæc Synodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 8. *de Reform.* dat Episcopis, etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, jus visitandi hujusmodi loca, tametsi *exemptionis privilegio sint munita.* Unde, & monet Fagnanus loco citato *num.* 4. hodie exemptionum privilegia hisce piis locis non suffragari ; utpotè sublata (ait) à Concilio Tridentino.

XXIV. Addit insuper Synodus Tridentina : » Episcopi ha- » beat jus visitandi hospitalia, aliaque loca, etiamsi prædicto- » rum locorum cura ad *laicos* pertineat ; ac omnia, quæ ad » Dei cultum, aut animarum salutem, seu pauperes susten- » tandos instituta sunt, ipsi ex officio suo juxta sacrorum Ca- » nonum statuta cognoscant, & exequantur : non obstantibus » quacunque consuetudine, etiam immemorabili, privilegio aut » statuto.«

XXV. » Præterea eadem Sessione *cap.* 9. decernitur, quòd » administratores tam Ecclesiastici, quàm laici hospitalis, & » quorumcunque piorum locorum, singulis annis teneantur red- » dere rationem administrationis Ordinario : consuetudinibus, » & privilegiis quibuscunque in contrarium sublatis.«

XXVI. Quin & addit : » Quòd si ex consuetudine, aut pri- » vilegio, aut ex constitutione aliqua loci, aliis ad id deputatis » ratio reddenda esset, tunc cum iis adhibeatur etiam Ordina- » rius : & aliter factæ liberationes dictis administratoribus mini- » mè suffragentur.«

Hinc concludit Fagnanus ad *cap.* 4. ⁂ *de Religiosis domibus*, *num.* 40. » Atque ita privilegium, consuetudo, aut cons- » titutio, quibus alteri quàm Episcopo reddenda est ratio, non » sunt quidem sublata à Concilio, sed modificata, ut locum ha- » beant non privativè ad Episcopum, sed cumulativè. Et ita (ait) » rescripsit S. Congregatio ad S. memoriæ Cardinalem Borro- » mæum sub die 7. Februarii 1575. «

XXVII. Denique Concilium Tridentinum *Sess.* 25. *cap.* 8. *de Reformat.* vult, » si hi, qui administrationem Hospitalis ha- » bent, etiamsi laici sint, ab Ordinario moniti hospitalitatis munus, » adhibitis omnibus, ad quæ tenentur, necessariis, reipsâ obi- » re cessaverint ; non solùm per Ecclesiasticas censuras, & alia » juris remedia ad id compelli possint, sed etiam hospitalis ipsius » administratione, curâve perpetuò privari possint.«

XXVIII. Ex his sat manifestum est, Synodum Tridentinam voluisse, saltem quantum temporum conditio, & jam recepta disciplina patiebantur auctoritatem Episcoporum circa hospitalia, aliaque pia loca restituere, atque ad primævum suum vigorem revocare.

XXIX. Verùm hæc Episcoporum auctoritas, sive cura, & vigilantia, nunquam exclusit Regum, & Principum in conservandis piis hisce fundationibus solicitudinem ; & patrocinium; quin & semper Ecclesia ipsos Principes tanquam speciales pauperum, & miserabilium patronos, & protectores suspexit.

XXX. Imò jam pridem Xenodochia, aliaque pia loca à Fundatoribus sub protectione Regia constituta fuisse testantur Patres Synodi Regiaticinæ anno 850. *Canon XVI.* unà rationem illius assignantes, & Principum obligationem : » Sugge- » rendum est (inquiunt) beatissimis Imperatoribus : quia hi, qui » Monasteria, & Xenodochia sub defensione sacri Palatii po- » suerunt, ideò fecisse probantur, quòd à nullo meliùs quam à » summis potestatibus, protegenda crediderint : & si ea con- » tra decreta Institutorum personis, quibus non licet, dederint, » ipsi impugnatores efficiuntur, qui propugnare debuerunt. Et » cavendum summopere Principibus, ut quia minimè nunc ju- » dicantur, ne in futuro judicio Omnipotenti Deo graviùs ju- » dicentur, secundum Apostolum *Hebr. cap.* 10. Etenim *hor-* » *rendum est, incidere in manus Dei viventis.* Nos verò qui de- » bitores sumus ut fideliter annuntiemus, idcircò humiliter sug- » gerimus, quod silere non audemus.«

XXXI. Similium hospitalium, & piorum locorum sub spe-

ciali & immediatâ protectione Regum & Principum constitutorum meminit quoque Synodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 8. *de Reform.* ubi declarans, quòd Episcopi habeant jus visitandi hospitalia, addit hanc limitationem: *Non tamen quæ sub Regum immediata protectione sunt, sine eorum licentia.*

XXXII. Dum hîc Synodus loquitur de *immediata* Regum protectione, intelligi vult non generalem illam protectionem & tutelam, quam Principes promittunt, & debent omnibus piis locis; sed de speciali, & expressa protectione, in quam quædam hospitalia, de singulari gratia Principis, & Fundatorum voluntate, recepta sunt.

Insuper intelligitur *immediata* protectio Regum, sive Principum supremorum *regalia* in suis ditionibus possidentium, non autem Vasallorum tametsi illustrium.

XXXIII. Si controversia incidat, an sub tali protectione hospitale existat, censuit Sacra Congregatio ejus rei cognitionem, & difinitionem, non ad secularem judicem, sed ad Episcopum pertinere. Ad hanc resolutionem reflectens Zypæus in *Jure novo*, *tit. de Religiosis domibus*, *num.* 8. ait: »Quod »credo verum, dum talis exceptio quasi incidenter Episcopo »ad visitationem talis hospitalis se accingenti, opponitur, alioquin ut plenis velis ea cognitio ad Ecclesiasticos judices devehatur, cùm de ipso Principum privilegio agatur, apud supremos Principes haud facilè obtinebitur.«

XXXIV. Dicitque insuper Zypæus ibidem *num.* 16. quòd Rege cavere volente, ne per visitationem Episcopalem aliquid præjudicii in suo jure pateretur, »in principio publicationis »Concilii Tridentini consuetum esset Episcopis regium assensum petentibus ad loca hujusmodi visitanda, adjungi Consiliarium quemdam Regium, qui animadverteret, ne quid ex »fundatione perverteretur.«

XXXV. Insuper ex *Canone XV.* citatæ Synodi Regiaticinæ patet, quòd Xenodochia, sive hospitalia quædam ex voluntate Fundatorum per hæredes regerentur; ita tamen ut Episcopus retineret superintendentiam, ut nihil ab ipsis negligentes punire posset.

Verba Synodi sunt: »Quæ autem sub defensione quidem »sunt Ecclesiæ, sed juxta Institutorum decreta per *hæredes*, »vel pertinentes, qui Religiosam vitam duxerint, regi debent, »procuret Episcopus, ut ab eis non negligantur: & si in aliquo malæ tractationis obnòxii reperiantur, Ecclesiasticæ sub»jaceant disciplinæ.«

Itaque jampridem persuasum fuit, jus laicorum administrandi, & gubernandi hospitalia non excludere auctoritatem Episcoporum iisdem locis superintendendi: quod & ipsa Trident. Synodus *Sess.* 22. *cap.* 8. *de Reformat.* etiam supposuit, declarans quòd Episcopi habeant jus visitandi hospitalia, etiamsi eorum cura *ad laicos* pertineat. Et *cap.* 9. vult, ut si ratio reddenda sit coram aliis ad id deputatis, tunc cum iis etiam adhibeatur Ordinarius.

XXXVI. Supponit nihilominus & ipsa Synodus Tridentina citato *cap.* 9. hospitale ita posse fundari, ut Episcopos à computu excludatur. Volens enim ut administratores rationem administrationis singulis annis teneantur reddere, adjungit hanc limitationem: »Nisi secus fortè institutione, & ordinatione talis Ecclesiæ seu fabricæ expressè cautum esset.«

XXXVII. Posse Episcopum excludi per legem fundationi appositam à jure visitandi; neque huic legi per Synodum Tridentinam esse derogatum, tanquam indubitatum tradit Fagnanus ad *cap.* [illegible] *de Domibus Religiosis*, *num.* 44. & ita quoque respondisse S. Congregationem testatur.

XXXVIII. Insuper hospitale privatâ laicorum auctoritate erectum, cùm non sit locus *religiosus*, sed merè *laicalis*, etiam ab auctoritate Episcopi, saltem quoad jus visitandi exemptum esse, notat Fagnanus *num.* 5. idque non tantùm jure communi, sed etiam Concilii Tridentini. Nam »etsi Concilium *Ses»sione* 22. *cap.* 8. *de Reformation.* statuat ut Episcopi habeant »jus visitandi omnia pia loca, etiamsi eorum cura ad laicos pertineat; tamen ibi adjiciuntur hæc verba, *in casibus à* JURE »*expressis*; nec non illa, *juxta sacrorum Canonum statuta*, »quæ restringunt dispositionem ad limites juris communis. Unde sicut loca pia non religiosa, seu non Ecclesiastica non sub»sunt Episcopo de jure communi, ita nec post Concilium Tri»dentinum.«

XXXIX. Si jus commune spectemus, etiam quoad rationes administrationis exigendas, Episcopi auctoritas circa hæc loca non religiosa, & merè laicalia exclusa est; uti ibidem *n.* 57. notat Fagnanus; sed ex Decreto Concilii Tridentini *Ses.* 22. *cap.* 9. *de Reformat.* auctoritatem Episcopi in exigendis rationibus administrationis ad hæc loca etiam extendi credit, »Nam »(ait) Decretum illud non restringitur ad casus in jure expressos, sicut restringitur *cap.* 8. immediatè præcedens quoad »*Jus visitandi*; sed loquitur generaliter, & indistinctè, & excipit »tantummodò casum, cùm in fundatione expressè cautum est, »ut Episcopus non possit exigere rationes administrationis.«

Hæc Fagnanus, qui conformiter sæpiùs à S. Congregatione, & notanter S. Carolo Borromæo responsum fuisse asserit.

XL. Dum hîc Concilium Tridentinum esset promulgandum, nonnulla circa ejus Decreta administrationem hospitalium, aliorumque piorum locorum concernentia à Regiis Magistratibus notata fuêre.

Et quidem ad *cap.* 15. *Sess.* 7. quo dicitur: Curent Ordinarii, ut hospitalia quæcunque à suis administratoribus quomodolibet exemptis fideliter, & diligenter gubernentur, »cuncti annotârunt, ab omni ævo administrationem hospitalium ad »curam Magistratuum pertinuisse; idque esse consentaneum »ipsis fundationibus: mutationem hanc fore populo turbando, »& avertendo ab augendis hujusmodi piis fundationibus.«

XLI. Ita refert Anselmo in suo *Triboniano Belgico cap.* 32. §. 15. qui rursus §. 29. dicit ad *c.* 8. *Sess.* 22. quo Episcopi constituuntur omnium piarum dispositionum, tam in ultima voluntate, quàm inter vivos, executores, & visitatores hospitalium, collegiorum quorumcunque etiam laicorum, nisi sint sub immediata Regum protectione, has notas esse appositas. »Pleri»que articulum à moribus nostris alienum esse, ac non reci»piendum monent: Brabanti hîc etiam Concordatis, quæ de »utraque re cum Episcopis pepigerunt, insistendum contendunt, in quibus neque Episcopi habentur pro executoribus »piarum dispositionum, & laici administratores hospitalium, aut »aliorum piorum locorum superioribus suis secularibus subjiciuntur, cum quodam tamen temperamento in casum negligentiæ.«

XLII. Nequaquam obscurum, uti etiam notat Anselmo, quòd ad has notas reflexerit Margareta Parmensis Regii tunc temporis Belgii Gubernatrix, per clausulam generalem in litteris ad Archiepiscopum Cameracensem insertam, qua asserit, publicationem Concilii Tridentina faciendam salvis juribus, & prærogativis suæ Majestatis, suorumque vasallorum: ac nominatim circa superintendentiam, & administrationem hospitalium, & aliorum piorum locorum. Non (ait) ad contraveniendum dicto Concilio, sed ut executio accommodetur naturæ cujusque Provinciæ. Zypæus in *Jure novo*, *tit. de Constitutione*, *num.* 6.

XLIII. In Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem (quorum meminêre Brabanti in allegata nota) *tit.* 3. §. 11. cautum fuit: »Si Rectores *hospitalium*, Xenodochiorum, aut aliorum piorum locorum administratores laici »fuerint, & à laicis instituti, rationes administrationum suarum reddere cogentur coram superioribus suis, vocato ad »hoc Curato, si resideat, & in absentia ejus Vice-Curato, »vel Vicario perpetuo residente, ut si voluerit, intersit, absque quòd Decanus foraneus, vel Christianitatis, aut alius »Commissarius per Episcopum deputandus, necessario voca»ri, aut interesse debeat.«

XLIV. Deinde §. 12. ulteriùs statuitur. »Institutio verò, »vel destitutio, vel correctio talium administratorum, ad eosdem superiores laicos pertinebit; qui si negligentes fuerint in »exactione rationum, aut correctione delinquentium post monitionem per Episcopum eis legitimè factam eorum negligentiam poterit Episcopus supplere, rationes, reliqua, & compotum administrationum exigendo, puniendo, vel destituendo delinquentes, pro illa vice. (i)«

XLV. Post hæc subjungit: »Si verò administratores præ»dicti omnes, vel pro eorum majori parte, Ecclesiastici fuerint, rationum exactio, institutio, vel destitutio Rectorum, »ad Episcopum spectabit.«

XLVI. Hæc ostendunt, jam pridem in Belgio fuisse hospitalia, aliaque pia loca, quorum administratio, & regimen essent penes laicos; quibus jus esset administratores instituendi, & destituendi; & rationis administrationis excipiendi; ita tamen ut Curatus loci ad audiendas rationes vocaretur, non autem Decanus ruralis, aliusve Episcopi Commissarius, salvâ duntaxat auctoritate Episcoporum in casum negligentiæ ipsorum laicorum.

XLVII. His laicorum prærogativis non præjudicare credidere Principes nostri, si & Episcopi curam, & superintendentiam quandam circa regimen, & administrationem haberent; atque unà cùm his laicis superintendentibus ad rectam hospitalium administrationem concurrerent; imò & hanc simultaneam vigilantiam posse contribuere ad ipsorum hospitalium conservationem judicârunt.

XLVIII. Hinc & Principes nostri etiam ad hospitalium curam unà cum laicis superintendentibus admitti voluere Episcopos,

(i) *Episcopus non potest supplere deffectum judicis secularis, sed solùm facere quod disponitur in leg.* 48. *tit.* 6. *Part.* 1. *prope finem*: Otrosi, quando el Juez seglar no quiere facer derecho à los que se querellan de algunos à quien él ha de po»der juzgar, estonce puede el Obispo amonestarle que lo faga, è si non lo quisiere facer, debelo embiar à decir al Rey »por desengañarlo del fecho de su tierra.«

pos; uti ex eorum Edictis editis post Concilii Tridentini publicationem in Belgio factam, constat.

Phlippus II. in Edicto ad Synodum Cameracensem *articul.* 13. & 14. voluit, ut in computu piorum locorum præsens sit, & vocetur Curatus loci, vel alius ab Episcopo, si ita ipsi visum fuerit, deputandus; sine tamen expensis istorum locorum, & sine præjudicio juris, & auctoritatis regiæ, & particularium Toparcharum. Idque, ut in proœmio significat, ut bona piorum locorum meliùs impendantur, & fundationes conserventur.

Verba utriusque articuli sunt: *Et à fin que les bienes des fabriques d' Eglises, & d' autres lieux pieux soient bien emplojés, & les fondations entretenues comme il appartient; Voulons que par tout à l' audition des comptes du bien desdit fabriques des Eglises soit present, & appellé le Curé du lieu, ou bien que l' Eveque y envoie quelque autre sien deputé; quand pour quelque cause il estimera cela expedient, moyennant que ce soit sans aucuns fraix de ladite fabrique, & sans prejudice de nos droits & auctorité, ou des Seigneurs particuliers des lieux.*

Comme aussy ledit Curé pourra de la part de l' Eveque être present à l' audition de comptes des hospitaux, Maladries, Maison d' Orphelins, Ecoles, & autres lieux pieux de Villages; pourvu que ce soit sans fraix & charge desdites maisons, & sans prejudice comme dessus. Id est. »Ut bona spectantia ad »Ecclesiarum Fabricam, aliaque piarum Fundationum loca »benè collocentur, Ipsæque Fundationes, prout oportet sartæ »tectæque serventur: Volumus, ut ubique Parochus loci ad »computus exhibitionem vocentur, eique intersit, aut ut ipse »Episcopus, si ob rationes id expedire judicaverit, alium »quemdam suum Deputatum eo destinet; sic tamen ut sine gra»vamine dictæ Fabricæ id fiat, & sine detrimento juris, & auc»toritatis nostræ aut particularis cujusvis loci Toparchæ.

»Prout & dictus Parochus nomine Episcopi interesse po»terit exhibitioni computuum Xenodochiorum, Nosocomio»rum, Orphanotrophiorum, Scolarum, aliarumque in Pagis »piarum Fundationum, modò dictæ Fundationes per hoc nul»lo sumptu graventur, & sine detrimento ut suprà.«

XLIX. Post hæc Principes nostri Albertus, & Isabella in Edicto anni 1608. ad Synodum Mechliniensem *art.* 23. agnoscunt ipsis Episcopis ex Sacrorum Canonum præscripto jus invigilandi piis fundationibus incumbere; dicuntque se confidere, quòd Episcopi ut obligationi huic satisfaciant, sedulò cum ipsis Principibus ad conservationem illarum fundationum concurrent.

Hinc statuunt imprimis, ut in omnibus civitatibus, & pagis, aliisque locis suarum respectivè Diœcesium Episcopi per se vel suos ad id Deputatos, cum interventione Patroni fundationis, si sit, vel aliorum qui intervenire hactenus consueverunt, vel aliàs primarii Officiarii loci, præfigant singulis annis certum diem, quo receptores piarum fundationum rationes reddant.

L. Deinde *art.* 24. declarant mentem suam esse, quòd in excipiendis hisce computibus, præter illos, qui hucusque soliti fuerunt interesse, sive nomine ipsorum Principum, sive Vasallorum, conformiter ad citatum Edictum Philippi II. ad Synodum Cameracensem, interveniant Episcopi, eorumve Commissarii, sine tamen onere ipsarum fundationum, idque pro meliori directione fundationum, & ut soborituræ difficultates sopiri possint de communi Consilio eorum, qui computibus interernnt.

LI. Denique *art.* 25. statuunt, quòd quotiescunque prædicta hospitalia, aut *Ecclesiastica* loca visitabuntur per ipsorum Vicarios, aut alios ad id deputatos; tunc & alii Superintendentes, sive provisores, & administratores ibidem se sistent, dummodò adventus ipsorum iis innotuerit, & tenebuntur ipsis Visitantibus computus ex nunc exhibitos, & conclusos, si ad hoc requirantur, præsentare.

Porrò quia his articulis continetur penè tota disciplina, quæ in Belgio circa hospitalia, aliaque pia, & religiosa loca servanda est, non inconveniens judicavi integros ipsos articulos inserere: quamvis summarium illorum supra, *part.* 1. *tit.* 5. *cap.* 4. relatum sit.

Articuli 23. verba sunt: *Also wy de conservatie van de vorseyde Kercken sonderlynghe voor gherecommandeert hebben, oock vande Gots huysen, Taefelen ende disscken vanden Heyligen Geest, ende alle andere deuchdelicke fondatien, ghelyck oock de goederen derselver, van welcke goederen een goede partye is ghekomen vande Princen onse voorsaten, oft van onse Vasallen ende zyn gheleghen in onse Landen en de Provincien onder onse Hoocheyt ende jurisdictie, ons betrowende ende versekerende vande goede affectie die de voors. Eerts-bisschopp ende Bisschoppen hebben om ons hierinne behulpig te zyn, in voldoeninge vant het devoir, d'welch door de Geestelycke rechten hunnen last ende digniteyt toestaet, hebben wy provisionelicken, ten opsiene als vooren, geordonneert, ende ordonneren, by desen in conformiteyt van t' gene dat wy al reede ghe-*

ordonneert hebben aende voors. Eerts-Bisschop by acte van Commissie vanden zeventhiensten dach van Mey, duysent seshondert-ende ses; dat in alle steden, dorpen ende plaetsen van hun Diocese respectivelick de voorseye Bisschoppen by hun ofte by de ghene die sy daertoe committeren sullen, met interventie van de Patroonen van de fondatien, indien daer eenige zyn, of suleke andere die daer van hier te vooren de sorge ghedragen hebben, oft anderssints van den principaelen Officier der plaetsen, instellen ende prefigeren eenen zekeren ordinarissen ende staenden dagh telchen jaere, om by de ontfangers ende andere handelynghe hebbende vande goederen; innecomen ende peninghen, de voors. Godtshuysen, Gasthuysen, Fabrycken vandt Kercken, Tafelen vanden Heiligen Geest oft van de gheymene armen, huysen vande arme kinderen, generaelick alle andere devote plaetsen tochehoorende, elcken Jaere rekeninge by gheschrifte te doen van hunnen onfanck ende bandelinghe, verkiesende ende besluytende onderelinghe den zelven dagh, den welcken si vercondighen sullen aen de ontfangers, om ten selven Daghe bereet te synt elcken Jaere, op alsulchen hoede van ghelde dier daer toe ghestelt sal worden, ten profyte vande selve fondatie der goederen daer van sy den ontfanck ende handelinghe syn hebbende. Id est. »Cùm nobis dictarum Ec»clesiarum conversatio peculiariter cordi sit, tum & domum »hospitalium, Mensarum, & Portionum S. Spiritûs, om»niumque aliarum piarum Fundationum, prout & bonorum »earundem sitorum in ditionibus, & Provinciis nostris sub »suprema nostra Jurisdictione, quorum bonam partem, aut »Principes Prædecessores nostri, aut subditi nostri contribue»runt confidentes, exploratumque habentes affectum, quem »prædicti Archiepiscopus, & Episcopus gerunt, ut ea in par»te sint nobis adjumento ad muneris sui executionem, quod »secundum Ecclesiastica Jura dignitati, & curæ eorum incum»bit, Nos pro statu, & conditione rei præsentis duntaxat, »mandavimus in finem ut suprà, prout & mandamus, con»formiter ad id, quod jam nunc injunximus dicto Archiepis»copo per litteras Commissionis datas 17. Maii 1606, ut in »omnibus Civitatibus, Pagis, & locis Diœcesium suarum res»pectivè, dicti Episcopi, aut per se, aut per eos, quibus »id demandabunt, intervenientibus Fundationum Patronis, si »qui sint, aut aliis, qui illarum antehac curam gesserunt, aut »aliàs præcipui locorum Præfecti, statuant, & designent cer»tum ordinarium, & stabilem quendam in singulos annos diem, »quo Receptores, aliique bonorum administratores, reddi»tuum nummorum, dictarum domuum, Hospitalium, Xe»nodochiorum, Fabricæ Templorum, Mensarum S. Spiritûs, »aut Pauperibus communium, Brephotrophiorum, & gene»raliter quorumcunque ad piarum Fundationum loca spectan»tium, annuatim scripto tradant computum recepturæ, & ad»ministrationis suæ, eligant, & præfigant eum diem, quem »Receptoribus designabunt, ut singulis annis eodem die parati »sint, indicta mulcta pecuniariâ, quæ ad eum finem consti»tueretur in emolumentum bonorum ipsius Fundationis, quo»rum Recepturam, & administrationem exequuntur.«

Tenor articuli 25. hic est: *Ten overbrengen en t' presenteren van de welcke rekeninghe, boven de ghene die tot noch toe daeer toe ghevaceert hebben, t' zy van onsen oft van onsen Vasallen t' weghen, too is ons intentie, ende ordonneren wy by desen, achter volghende t' ghene dat gedaen is gewest by wilen zyne voors. Majesteyt, by syne brieven van Placcaerte, in approbatie van het Synode van Camerick, vanden eersten Dagh van Junius, duysen vyfhondert zevenentachtentigh dat de voorseyde Bisschoppen oft hunne ghecommitterde daer sullen intervenieren, sonder eenigen cost oft last vande voors. Godsthuysen, tot betere directie vande saecken, ende ten ghenoeghe van een ygelicken, ende ten eynde dat de over-commende swaricheden besticht moghen wordem by ghemeynen advyse van de ghene die over de voors, rekeninge sullen staen.*

»Id est. Quâ in exhibitione, & præsentatione computus, »ultra eos, qui hactenus in rationibus illis accipiendis operam »posuerunt, seu nostro, seu subditorum nostrorum nomine, »hæc est nostra voluntas, & per hasce statuimus, conformiter »ad illud quod à prædicta sua quondam Majestate decretum est, »per sui diplomatis litteras in approbatione Synodi Cameracen»sis datas 1. Junii anni 1587. ut prædicti Episcopi, aut eorum »deputati interveniant sine ullo sumptu aut gravamine dicta»rum domuum Hospitalium, ad meliorem negotiorum admi»nistrationem, & uniuscujusque satisfactionem, & ut enascen»tes difficultates ex communi omnium consilio, qui excipiendo »computui præerunt, tollantur.«

Ende inghevalle dat door alsulcke decisie oft ordonnantie yemandt soude willen pretenderen beswaert te wesen, sal hem dies mogen beclaghen voor den veerlicken Oversten, Richter dier plaetsen vande fondatie, daer van d' administratie gheexerceert is, tot coste vande welcke fondatie sal alsdan ghesustineert vvorden t' ghene by de Auditeurs gheordonneert sal zyu ghevveest. Id est. »Si verò per talem decissionem, aut manda»tum

» tum se aliquis gravatum prætendat, liberum ipsi querelas suas » deponere coram seculari præfecto, Judice loci fundationis, cu- » jus administratio fuerit exercita, cujus fundationis periculo » sustinebitur id quod Auditores decreverint.

Denique articulus 27. sic habet. *Ende soo vvaneer de voors. Gods huysen oft Geestelycke plaetsen sullen ghevisiteert vvorde by hunne Vicarisen, oft andere daer van last hebbende, sullen alsdan hun oock daer laeten vinden de voors. Proviseurs oft administrateurs, als sy daer van de vvete sullen ghehadt hebben, doende hun communicatie vande rekeninghen alreede ghedaen ende ghesloten indien sy dies versocht vvorden.* Id est. » Et cum prædictæ domus Hospitales, aut Ecclesiastica loca » per Vicarios suos, aliosve, quibus id injunctum fuerit, vi- » sitabuntur, intererunt etiam prædicti Provisores, aut admi- » nistratores, ubi præmoniti fuerint, tradituri computus exhibitos „ conclusos, & admissos, si id rogentur. "

LII. Ad hos articulos Edicti reflectens Antonius Anselmo in suo Triboniano Belgico *cap.* 36. ait §. 1. A piis fundationibus Episcopos excludere est contra hoc Edictum. Deinde adjicit, id & esse contra Concordata Brabantiæ, (de quibus suprà) contra Concilium Tridentinum *Sess.* 22. *cap.* 8. & 9. *de Reformat.* & denique contra principia utriusque Juris.

Post hæc notat, quòd cùm Concilium Frisiæ difficultatem faceret in recipiendo, & admittendo dicto *cap.* 9. Concilii Tridentini, & Regi rescripsisset, Concilium non esse publicandum, nisi & omisso hoc cap. 9. voluit, & respondit Rex anno 1569. ut illud caput admitteretur. Idipsum testatur Zypæus *tit. de Religiosis domibus*, *num.* 2. addens Consilium Secretum rescripsisse, » etsi rationes, piorum locorum antea solùm con- » suevissent reddi coram Commissariis Concilii (Frisiæ), De- » cretum tamen Concilii (Tridentini) observaretur. "

LIII. Cùm ex dictis constet, Principes nostros integras, & illæsas voluisse servari piorum fundationes, etiam obscurum non est, quòd Episcoporum auctoritatem exigendi rationes, vel iis interveniendi, aut etiam visitandi noluerint extendere ad hospitalia, aliave pia loca, in quorum institutione, & ordinatione secus expressè cautum est: quandoquidem nec ad similia loca auctoritatem Episcoporum extendat Synodus Tridentina: uti suprà notatum est.

LIV. Adhæc quia nec Jure communi, neque ex Decreto Concilii Tridentini auctoritas Episcoporum, saltem quoad jus visitandi se extendit ad hospitalia, aliaque pia loca *non religiosa*, sed privata, & mere laicalia; verisimile, nec his Principum Edictis etiam similia loca ex mente Principum fuisse comprehensa; quod & ipso Edicto ad Synodum Mechliniensem insinuatur *art.* 27. ubi loca visitationi subjecta vocat *Ecclesiastica* loca *geestelicke plaetsen.*

Consonat his & consuetudo, quæ Orphanotrophia, aliaque similia loca privata, & laica passim directioni & administrationi laicorum vel Ecclesiasticorum juxta leges in fundatione præscriptas permittit, absque ullo interventu Episcoporum aut Archipresbyterorum aliorumque ab ipsis deputatorum.

LV. Insuper quantumvis Principes ad piorum locorum curam Episcopos, eorumque commissarios vocaverint, eosque etiam cum aliis laicis Superintendentibus computibus, & deliberationibus interesse voluerint, nihil tamen de auctoritate & protectione regia, (k) quam super hisce piis fundationibus habent, remissere.

Unde expressè in citato Edicto ad Synodum Mechliniensem *art.* 26. declarant Principes, quòd si per decisionem vel ordinationem factam de communi consensu Episcopi ejusve Deputati, & aliorum Superintendentium quisquam se gravatum prætendat, poterit querelas suas deponere apud superiores seculares, judices loci fundationis, de cujus administratione agitur: Verba articuli sunt: *ende inghevalle dat door alsulcke decisie oft ordonnantie yemandt soude willen pretenderen beswaert te wesen, sal hem des mogen beclaghen voor den werelicken Oversten, Rechter der plaetsen vande fondatie, daer van d' administratie gheexercert is tot coste vande welche fondatie sal alsdan ghesustineert worden t' egne by de auditeurs gheordonneert sal zyn gewest.* Id est (sunt eadem verba quæ pag. su- » periori.) *Si verò per talem decisionem aut mandatum, &c.* "

Quoad superintendentes hospitalium, & piorum locorum, per omnia ferè cum praxi Belgica consonat praxis Galliæ; uti videri potest in Actis Cleri Gallicani *tom. 3. part. 3. tit.* 4. item in libro, qui scribitur, *La grande Conference des Ordonnances*, *lib.* 1. *tit.* 2. *part.* 3. ubi plurima Regum Galliæ edicta, & Parlamentorum Arresta in hac materia recitantur, quorum aliqua, & in sequentibus notabimus.

LVI. Cæterum in hac materia hospitalium, & piorum locorum si quæstio incidat, qui rationibus audiendis intervenire vel administrationi intendere debeant, sequendæ erunt regulæ quæ suprà *part.* 1. *tit.* 5. *cap.* 6. assignatæ sunt pro decisione similium quæstionum circa administrationem, & superintendentiam Fabricæ Ecclesiarum, & Mensarum S. Spiritus, quæ in Principum Edictis penè semper cum hospitalibus, aliisque piis locis juguntur.

(k) *Vide Remiss.* 4. *tit.* 12. *lib.* 1. *& leg.* 62. *cap.* 2. *tit.* 4. *lib.* 2. *Recopil. verbo* Hospitales.

CAPUT III.

Qui sint præficiendi curandis infirmis, et pauperibus, sive corporaliter, sive spiritualiter.

1 *Exemplo Apostolorum Episcopi curam immediatam hospitalium demandârunt Diaconis.*
2 *Domus ille dictæ* Diaconiæ *propter Diaconos eis ministrantes.*
3 *Quid propriè essent* Diaconiæ.
4 *Diaconorum, qui hospitalibus erant præfecti, meminit S. Gregorius.*
5 *Interdum & alii quàm Diaconi præficiebantur.*
6 *Sanctus Gregorius Religiosos viros hospitalibus præfici desiderabat.*
7 *Subsequentibus seculis Episcopi soliciti fuere, ut hospitalia Religiosis committerentur; & quare.*
8 *Concilium Viennense meminit Hospitalium, quæ ad Ordines Religiosos spectabant.*
9 *Ordo S. Joannis Hierosolimytani primitùs fuit* hospitalaris, *cujus origo refertur.*
10 *Erat subjectus Ordinario.*
11 *Quàm piè Fratres Ordinis primitùs infirmis, & egenis inservirent.*
12 *Hic Ordo factus est totus* militaris.
13 *Ordo S. Antonii Viennensis specialiter procurandis infirmis institutus, ejusque origo.*
14 *Permittitur huic Ordini eleemosynas pro pauperibus quærere.*
15 *Modus in his colligendis servandus; & quæ specialiter cavenda.*
16 *Hospitalia hujus Ordinis etiam à Regio Magistratu leges accipiunt.*
17 *Famosum hospitalem Romæ erectum ab Innocentio III. datum Ordini S. Spiritus ad regenda hospitalia instituto.*
18 *Idem confirmans hospitale Cadomense, voluit Regulam S. Augustini in eo servari.*
19 *Ordo* Joannis de Deo *ad serviendum infirmis institutus.*
20 *Jam pridem fuere Sanctimoniales Hospitalibus præfectæ.*
21 *In Belgio Hospitalibus, & Leprosariis præfecti fuere primitùs Fratres, & Sorores.*
22 *Fratribus remotis remanserunt solæ Sorores.*
23 *Sorores hospitalariæ hodiernæ profiteri solent Regulam S. Augustini.*
24 *Cura infirmorum his Sanctimonialibus commissa cum directione œconomica hospitalium.*
25 *Temporalia ad Sanctimoniales non spectant.*
26 *Temporalium administratio Ecclesiasticis, aut Religiosis non competit, nisi illa in titulum habeant.*
27 *Quid potissimum in receptione hujusmodi Sanctimonialium attendendum.*
28 *Quales præfici hospitalibus velit Concilium Viennense.*
29 *Qui ex Edicto Regio in Gallia præficiendi.*
30 *Nec hoc Edictum, uti nec Decretum Concilii Viennensis extenditur ad hospitalia Ordinum Religiosorum.*
31 *Neque ad illa, quæ ex primæva fundatione unita sunt Monasterio, aut in titulum Beneficii erecta.*
32 *Secus de hospitalibus, quibus simpliciter est annexum Sacellum; vel quibus simpliciter Religiosi ministrant.*
33 *In quibus hospitalibus hodie soleant laici curam agere.*
34 *Qualis debeat esse Hospitalarius.*
35 *In hospitalibus non tantùm cura Corporalis, sed & spiritualis infirmorum habenda.*
36 *De Jure communi cura spiritualis hospitalium spectat ad Parochum.*
37 *Hospitalia sub cura laicorum existentia plerumque sunt sub directione Parochi.*
38 *Quæ sunt sub cura Monialium solent habere suos speciales Presbyteros.*
39 *Innocentius III. hospitali concessit particulares Presbyteros.*
40 *Consuetudinem hic spectandam esse declaravit Concilium Viennense.*
41 *Hospitale potest jus hoc præscribere.*
42 *Super his inita Concordata servanda sunt; & exemplum hujusmodi Concordati.*
43 *Convenit ut in majoribus hospitalibus sint speciales Sacerdotes, iique plures servata proportione infirmorum.*

I. SIcuti Apostoli curam Mensarum Diaconis commiserunt, ut ipsi orationi, & ministerio verbi intendere possent; ita horum exemplo Episcopi jam pridem curam pauperum &

& hospitalium Diaconis demandârunt, ipsosque domorum illarum Præfectos creârunt.

II. Et quidem è Diaconis curam domorum illarum gerentibus dictæ fuêre domus illæ *Diaconiæ*; quales in Urbe Romana à Pontificibus institutas jam olim fuisse narrat Anasthasius Bibliothecarius in eorum vitis: ac signanter de Adriano I. scribit: » Constituit Diaconias tres foras portam Beatorum Apos» tolorum Principis. « Et de Gregor. III. » Item *Diaconiam* SS. Sergii & Bacchi, & concedens omnia, quæ in usum Dia» coniæ existunt, statuit perpetuo tempore pro sustentatione » pauperum in *Diaconiæ* ministerio deservire.“

III. Itaque Diaconiæ erant loca, in quibus per Diaconos, pauperes, viduæ, pupilli, senes, aliæque miserabiles personæ alebantur, de quibus latiùs Du Cange in suo Glossario verbo, *Diaconia*; & supra *part.* 1. *tit.* 22. *cap.* 1. Diaconos hisce *Diaconiis* præfectos olim dictos fuisse Diaconos *Cardinales*, atque hinc & Oratoriis illarum domorum etiamnum adhærere titulum Cardinalium observatum est.

IV. De quodam Florentino *Diacono*, qui præesse dignoscitur Xenodochio Anichiorum, scribit S. Gregorius *lib.* 10. *Epist.* 43. & rursus lib. 11. Epist 14. scribens Venantio Patricio Panormitano, meminit cujusdam Crescentis *Diaconi*, qui Xenodochium gubernaverat.

V. Hæc sat ostendunt, Diaconis frequenter hospitalium, & similium locorum curam fuisse demandatam; non tamen illis solis, nec semper, nec ubique.

Et quidem apud ipsum S. Grægorium *lib.* 7. *indict.* 2. *Epistola* 27. ocurrit quidam Antonius Subdiaconus Xenodochii *Præpositus*. Similiter Xenones, (l) aliique piorum locorum administratores, & curatores, quorum apud Justinianum frequens mentio occurrit, Diaconos fuisse, non probatur.

Rursus S. Gregorius *lib.* 3. *Epist.* 24. describens quales Xenodochiis Præfectos desiderat, ait: » Tales in eis (Xenodochiis) » qui præsint ordinentur, qui vita, moribus, atque industria in» veniantur esse dignissimi: religiosi duntaxat, quos vexandi ju» dices non habent potestatem; ne si tales personæ fuerint, » quas in suum possint evocare Judicium, vastandarum rerum » debilium, quæ illis rejacent, præbeatur occasio.“

Hîc Gregorius non requirit *Diaconos*, sed tales, qui vita, moribus, atque industria inveniuntur dignissimi: quod in eligendis Xenodochiorum Præfectis attendi voluit Justinianus. Et revera parum interest, num Diaconus, vel religiosus fuerint, modò vita, & moribus, atque industria domibus suis fideliter, & christianè, administrandis, & curandis idonei fuerint.

VI. Nihilominus fatendum est, S. Gregorium desiderâsse, ut hospitalibus *Religiosi* potiùs, quàm seculares homines præficerentur; eò quod minus periculi dissipationis bonorum ab illis, quàm ab his timeretur, supponitque Synodus Regiaticina anno 850. celebrata *Can. XV.* quædam fuisse hospitalia, quæ juxta Institutorum decreta regi deberent per eos, qui *Religiosam* vitam duxerint. Textus Canonis capite præcedenti relatus est.

VII. Porrò sequentibus seculis exorescente continuò magis *hospitalium* numero, magna Episcoporum, & Fundatorum cura fuit, ut ipsa hospitalia viris Religiosis committerentur; qui & summa fidelitate bona pauperum usibus deputata conservarent & administrarent, atque ipsis pauperibus, ac infirmis eximia in proximum charitate, & mansuetudine inservirent, nec non vitam Religiosam in hospitalibus agentes, è quibus non tantùm corporale, sed & spirituale subsidium pauperes, & infirmi in hospitalibus viventes, aut ad ea divertentes acciperent: essentque ipsa hospitalia verè loca pia, & religiosa; in quibus scilicet pietatis in proximum, & religionis in Deum opera vigerent.

VIII. Meminit Clementina QUIA CONTINGIT, *de Religiosis domibus*, hospitalium Militarium Ordinum, & Religiosorum etiam aliorum, id est, hospitalium, quæ ad curam illorum Ordinum, vel Religiosorum pertinebant.

Glossographus in citata Clementina ad verbum *Militarium* ait: „ ut Sancti Joannis Hierosolymitani, Sanctæ Mariæ » Teutonicorum Calastrensium, & similium. «

IX. Constat Seculo XII. originem sumpsisse Ordinem Equestrem, seu Militarem, quorum Sodales vocati fuêre Hospitalarii S. Joannis Hierosolymitani; idque ab hospitali in honorem Sancti Joannis *Eleemosynarii* seculo XII. extructi.

Hierosolymâ enim adhuc sub Saracenorum captivitate detentâ, plurimi ex Occidente ad Terram Sanctam partim negotiationis, partim devotionis causâ confluebant. Hi itaque mediante certo tributo impetrârunt, ut in honorem Beatæ Mariæ propè Ecclesiam *Dominici Sepulchri* alteram construerent, divinis Officiis Latinorum ritu celebrandis consecrandam. Mox ut perfecta est, tradita fuit Abbati, & Monachis latinis, ipsique nomen *Sanctæ Mariæ* de LATINA est impositum. Postea peregrinis mulieribus excipiendis aliud Monasterium in honorem Beatæ Mariæ Magdalenæ conditum est, in quo Sanctimoniales *hospitalariæ* constitutæ. Demum peregrinorum ad loca Sancta confluentium crescente numero, Abbas & Monachi Sanctæ Mariæ *de Latina* infirmis, & egenis suscipiendis hospitale in honorem Sancti Joannis *eleemosynarii* condidêre.

Postquam autem Hierosolyma à Saracenorum Tyrannide liberata fuit, quidam Gerardus nobilitate, & vitæ sanctimoniâ insignis, qui in hospitali Joannis Eleemosynarii pauperibus, & infirmis sub Abbate *de Latina*, ministraverat, adjunctis sibi nonnullis honestis, religiosisque viris, habitum regularem suscepit, ac vestibus suis *alba cruce* exteriùs insignitis solemni professione se obstrinxit. Ipsum imitata est quædam nobilis, & religiosa matrona *Agnes*. Hi devotè Domino servientes, infirmis pauperibus de suis diligenter ministrabant, & initium Ordini S. Joannis Hierosolymitani dedere.

X. De his scribitur, quòd Abbati Sanctæ Mariæ *de Latina* parebant; ac multò magis Patriarchæ Hierosolymitano, » cui » de bonis suis decimas, secundum sacros Canones, & utriusque » Testamenti præcepta absque ullâ contradictione reddebant. «

XI. De his quoque narratur, quòd utinam omnium virorum, & mulierum Hospitalariorum animis esset insculptum! „ Ora„ tioni autem vacantes, vigiliis, & jejuniis seipsos affligentes, „ operibus misericordiæ affluentes, parci sibi & austeri; pau„ peribus autem & infirmis, quos *dominos suos* appellabant, „ largi, & misericordes existebant. Panes de pura similia largie„ bantur infirmis, residuum verò cum furfure ad usus proprios „ reservabant.“

XII. Porrò progressu temporis cum ministrantibus Hospitali admitti cœperunt & *milites*, ad Terræ Sanctæ defensionem contra Saracenos: quo factum est ut tandem Ordo *Hospitalis* totus in equestrem, & militarem mutatus sit; sicuti & aliis similibus Ordinibus accidit.

XIII. Nonnullæ quoque sunt Religiones infirmis, & pauperibus inserviendis specialiter institutæ; uti est Ordo S. Antonii Viennensis, cui circa seculum XII. initium dedit vir Nobilis è Provincia Viennensi *Gasto* nomine, qui à morbo gravissimo, S. Antonii ope liberatus, votum perpetuò serviendi S. Antonio unà cum filio suo nuncupavit; atque cum aliis nonnullis viris nobilibus, & piis *Antonianam* Congregationem instituit anno 1095. qui ægris sacro igne correptis, & mutilatis inservirent. Hæc pia Congregatio in Ordinem Religiosum demum evasit anno 1218. Quando Falco domûs eleemosynariæ S. Antonii Viennensis septimus præceptor ab Honorio III. obtinuit, trium votorum emittendorum pro se suisque facultatem. Extat in Bullario Romano Bulla Bonifacii VIII. quæ incipit: *In dispositione*, quâ domum S. Antonii Viennensis erexit in Abbatiam, atque „ ipsum hospitale cum omnibus membris suis in quibuscun„ que mundi partibus constitutis, eorumque pertinentiis, & „ juribus ipsi subjecit, & univit Abbatiæ. Quodque in eodem „ Monasterio S. Antonii, & Hospitali, ac membris eisdem, B. Au„ gustini Regula servaretur, & secundum eam dicti Abbas & „ Canonici seu Fratres vivere perpetuò tenerentur.“

XIV. Extat insuper Bulla Gregorii XIII. quæ incipit: *Rom. Pontificis*, 73. *in Bullar. Romano*, quâ permittitur eisdem Fratribus S. Antonii illorum locorum » in quibus hospitalitas *actu* » exercetur, ut petitâ, & obtentâ imprimis ab Ordinariis lo» corum annis singulis in scriptis licentiâ, quam ipsi Ordina» rii omninò gratis dare debeant, eleemosynas, & quæcunque » alia charitatis subsidia per personas honestæ vitæ ad id ab ip» so Abbate, seu aliis dictæ Religionis Superioribus pro tem» pore deputatas, pro usu ejus Hospitalis S. Antonii, in quo » hospitalitas actu exercetur, simulque existit intra fines illius civi» tatis vel Diœcesis, in qua eleemosynæ perquirantur, aut ejus» modi est, in quo curari soleant pauperes omnes, eo mor» bo laborantes, qui ex tota illa Diœcesi adducuntur, perqui» rere & colligere, illaque recipere, & levare liberè, & lici» tè valeant; dummodò hujusmodi eleemosynæ convertantur » duntaxat in usus pauperum infirmorum, & ministrorum de» servientium hospitalibus, quæ in illa Diœcesi sunt in quibus » curati solent pauperes illius Diœcesis, in qua eleemosynæ » colliguntur. «

XV. Post hæc modum colligendi eleemosynas præscribit; notatque à quibus harum eleemosynarum collectores cavere debeant: inter quæ nonnulla sunt, quæ hodierni eleemosynarum collectores meritò attendent. » Volumus quòd personæ, ut » præfertur, deputatæ Quæstorum nomen nullo modo sumant, » sed eleemosynarum Collectores nuncupentur, & propter hanc » operam eleemosynarum hujusmodi participes non sint, atque » hoc munere citra ullum dolum; & cum omni modestia fun» gantur; quodque ad stabula pro benedictionibus super ani» malia faciendis accedere, easque sigillare, & aliqua sigilla, » & præter præsentes, seu earum transumpta alia privile» gia, necnon instrumenta quædam quæstorum insignia, reli» quias, chartas, imagines, acus, & alia his similia ad excitan» das personas circumferre, indulgentiam publicare, aut per „ se

(l) *Xenones, id est, Xenodochio Præfectos, quos S. Gregorius* lib. 1. Epist. 9. *vocat Xenodochos.*

» se, vel alium prædicare, fideles ad eleemmosynas sibi ero-» gandas minis, aut imprecationibus inducere, aut tanquam debi-» tas, vel solitas, seu aliquâ arte etiam prætextu dicendi ora-» tionem S. Antonii extorquere, vel super locis ullam quovis » nomine conventionem etiam in utilitatem Monasterii, Præ-» ceptoriarum, Hospitalium, & domorum hujusmodi facere nul-» lo modo præsumant (m), sed simpliciter, piè, & modestè uni-» ca duntaxat campanella pulsata (cujus usus soli religioni præ-» dictæ à Sede Apostolica concessus fuisse perhibetur) eleemo-» synas pro subventione Hospitalium, & domorum hujusmo-» di petendo, accipiant tantùm quod sibi offeretur."

XVI. Hujus Antonianæ Congregationis meminit Renatus Choppinus *lib.* 3. *de S. Polit. tit.* 5. *num.* 9. aitque: » Anto-» niani Ordinis *valetudinaria*, in quibus sacro igne correpti stu-» diosè curabantur, subsunt quidem œconomicæ Cœnobitarum » potestati, non profanorum Urbis Decurionum: at familiari » huic præfecturæ leges dantur interim à Civili Magistratu, ad » publicum usum externæque decus politiæ conservandum."

Deinde dicit quòd Arresto Curiæ 7. Idus Septembris 1475. » talibus egenis ad Antonianas Præceptorias commeantibus dic-» tus est à Senatu alimentorum modus, ac medicaminum ea » conditione, ut morbo levati abscedere Hospitali domo tenean-» tur. Alii videlicet ut pristinum vivendi institutum repetant, » artificiumque, ex quo priùs sibi victum comparabant: alii, ut » novam artem, in vitæ subsidium addiscant, collatitio ære sump-» tibusque Antoniani Præceptoris."

XVII. In Bullario Romano extat Bulla Innocentii III. quæ incipit, *Inter opera pietatis*, quâ famosum illud *Hospitale* in Urbe Romana apud S. Mariam in Saxia erexit ad egenos infirmos recipiendos & curandos, » statuentes (ait) ut regularis Or-» do, qui secundum Deum & institutionem Fratrum *S. Spiri-» tus* in eodem loco (in mente Pessulano) per nos institutus esse » dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter ob-» servetur."

Extat & Bulla Xisti IV. quæ incipit, *Etsi Universis*, 12. in *Bullario Romano*, quâ declaratur, quòd omnes Magistri, vel Præceptores » quorumcunque locorum sub vocabulo *S. Spiri-» tus* sint totaliter subjecti magno Magistro, seu generali Præ-» ceptori Archiepiscopalis S. Spiritus in Saxia de urbe; & abs-» que ejus licentia eleemosynas quærere non possint, & ad ip-» sum solum spectet collatio Ordinis Sancti Spiritus."

XVIII. Idem Pontifex Innocentius III. anno 1209. in suam protectionem recipit hospitale S. Thomæ in civitate Cadomensi, in quo erat Conventus vitam religiosam eligentium, » statuens, » ut ordo Canonicus, qui secundum Deum, & B. Augustini Re-» gulam in eodem loco constitutus esse dignoscitur, perpetuis » ibidem temporibus observetur." *Epist.* 15. *regist.* 13.

XIX. Decimo sexto seculo initium habuit Ordo *Charitatis* à Joanne *de Deo* natione Lusitano ad officia charitatis erga pauperes, præsertim infirmos, institutus, & à Pio V. primùm confirmatus Constitutione, quæ incipit, *licèt ex debito* 143. *in Bull. Rom.* in qua permittitur Fratribus dicti Ordinis ferre specialem habitum, *dummodo sub Regula S. Augustini vivant.*

Permittit Pontifex, ut unum Sacerdotem habeant in singulis hospitalibus, qui & Fratribus, & infirmis Sacramenta administret: & tam ipsum Sacerdotem, quàm Majorem nuncupatum, & alios Confratres » sub loci Ordinarii jurisdictione, correc-» tione, visitatione, & obedientia, etiam perpetuò subjicit, & » supponit, ipsumque Majorem, & alios confratres de eleemo-» synarum hujusmodi administratione singulis annis, in tem-» pore eidem Ordinario benè viso, legalem computum eidem » Ordinario loci tantùm, & nulli alteri reddere debere."

XX. Scribit quoque Cardinalis Jacobus de Vitriaco in Historia Occidentis *cap.* 29. » Sunt insuper aliæ tam virorum, quàm » mulierum seculo renuntiantium, & regulariter in domibus le-» prosorum, vel hospitalibus pauperum viventium æstimatione » & numero certo in omnibus Occidentis Regionibus Congrega-» tiones, pauperibus & infirmis humiliter & devotè ministran-» tes. Vivunt autem secundum Sancti Augustini Regulam, abs-» que proprio, & in communi, sub unius Majoris obedientia, » & habitu regulari suscepto perpetuam Domino promittunt » continentiam. Horas Canonicas quantum hospitalitatis stu-» dium, & pauperum Christi ministerium permittunt, diebus, » & noctibus audire non omittunt."

XXI. Quod de partibus Occidentis generaliter asserit hic auctor, verissimum est de Belgio, aliisque vicinis Provinciis, in quibus seculo XII. & sequentibus seculis, plurimæ tum domus leprosariæ, tum hospitales, præsertim pro infirmis erectæ fuere; idque cum certo numero Fratrum, & Sororum, qui infirmis, & leprosis servirent, & ministrarent, & vitam communem, & religiosam agerent.

Seculo decimo sexto adhuc in Gallia fuisse Fratres, & Sorores, sed valdè corruptos, testatur Concil. Roth. *tit. de Episc. num.* 31.

XXII. Sed cùm experientia doceret, periculosum esse Fratrum, & Sororum sub eodem tecto contubernium, passim in omnibus domibus illis leprosariis, & hospitalibus retentæ fuere solæ Sorores; quæ præ fratribus ministrandis infirmis, & rei domesticæ agendæ convenientiores credebantur.

XXIII. Hæ verò Sorores hodie ubique penè sub trium votorum religionis professione secundum regulam Sancti Augustini vitam Religiosam agunt, cum speciali obligatione, imò in nonnullis cum speciali voto infirmis inserviendi; atque illæ, quæ in Nosocomiis inserviunt ægris, vocari solent *Sanctimoniales Hospitalariæ*: Quæ verò in Leprosariis, quia vix lepra infecti cò divertere hodie solent, vix ab aliis Sanctimonialibus distinguuntur; & domus illæ hodie in Belgio pro Monasteriis Monialium simpliciter reputantur.

XXIV. His itaque Sanctimonialibus in Nosocomiis, & Leprosariis cura infirmorum committitur, & hospitalium directio ipsis concreditur; cum tamen obligatione reddendi computum iis, qui vel secundum leges fundationis, aut secundum consuetudines locorum, vel jus commune, locis piis, & religiosis superintendunt.

XXV. Hæ enim Sorores duntaxat hospitalibus sunt deputatæ, ut curam habeant infirmorum, & tanquam ministræ in iis infirmis ministrent; ut ex earum fundationibus manifestum est.

Undè Concilium Arelatense anno 1260. *Can.* 13. videns, quòd tàm Clerici, quàm laici multiplici prece, & pretio, aliquando etiam per litteras Papales, & mandata Principum hospitalia consuevissent occupare; nec ibi pauperibus aliquid ministraretur, sed omnia bona, & eleemosynæ talium hospitalium per Rectores in usus proprios devorarentur, » ordinavit, » & statuit, ut in jure cavetur, ut de cætero per Prælatos lo-» corum, & alios, ad quos id pertinere noscitur, propriè, con-» gruè, & ad id competenter perquirantur, qui habitu, & sig-» no aliquo religionis assumpto, ibidem Domino famulantes, » vitam agant communem, & annis singulis, ipsis institutori-» bus suis, vel deputatis ab eis, rationem de omnibus reddant, » nihil sibi, aut suis, præter victum, & vestitum, de omnibus » eleemosynis hujusmodi hospitalium retinentes."

XXVI. Scribit Joannes Tournetius in sua Collectione Arrestorum *litt. H. cap.* 35. quòd licèt hospitalia ex primæva fundatione possessa non in *titulum*, sed sub forma simplicis administrationis, longo tempore Religiosi rexerint quoad temporalia, nihilominùs Curia ipsis ademerit regimen temporalium, duntaxat relictâ curâ spiritualium, & intendentiâ pauperum. Verba ejus sunt: *Les Hospitaux tenus de leur premiere fondation non en titre de Benefice, mais en forme de simple, & nue administration, sont d' une qualite toute diverse & differente. Car combien que par la succession & continuation de temps, les Religieux ayent des le commencement gouverné & administré le revenu temporel & annuel d' un Hospital, toutes fois la Cour de Parlament ôta ladite administration du temporel aux Prieur & Religieux, leur ayant seulement laissé la charge spirituelle, & l' intendance des pauvres.* Id est: » Domus Hospitales ex pri-» mæva Fundatione possessæ non in titulum Beneficii, sed sub » forma simplicis, & nudæ administrationis, alterius omninò & » diversæ sunt qualitatis, licèt enim successu temporis ab initio » Religiosi rexerint, & administrârint temporales annuosque » redditus domus cujusdam Hospitalis, nihilominus suprema » Curia dictam temporalium administrationem Priori, & Reli-» giosis ademit, sola illis relictâ spiritualium curâ Pauperum."

Rationem subjicit: *Car ce seroit une chose hors de raison de commettre l' administration, & gouvernement des biens prophanes, & le maniement des affaires seculiers à des Religieux, soit en public, soit en particulier.* Id est: » Foret enim à ra-» tione alienum, profanorum bonorum præfecturam, & admi-» nistrationem privatim, aut publicè Religiosis committere." Vide eundem *cap.* 34. ibi plura profert Arresta, quibus Ecclesiasticis administratio hospitalium quoad *temporalia* adempta fuit, & ad laicos translata (n).

XXVII. Cùm ergò præcipuum, & primarium harum Sanctimonialium institutum sit infirmis, & pauperibus inservire, satis intelligitur, in earum receptione, & hoc præ cæteris esse attendendum, an eas dotes tum naturales, tum supernaturales habeant, quæ huic servitio conveniunt: ut nimirum magnâ charitate, & pio affectu, ac diligentiâ, & zelo pauperibus infirmis tanquam Christi membris inserviant; omnesque molestias, & incommoda corporalia, quæ servitium illud sequi solent, libenti animo ferre possint; neque periculum sit, ne dum infirmos præsertim alterius sexus à sordibus, & vulneribus, aut infirmitatibus corporalibus purgare, & curare satagunt, ipsæ in anima sordescant, & vulnerentur.

Con-

(m) *Vide leg.* 4. *&* 6. *tit.* 9. *lib.* 1. *&* *leg.* 11. *cap.* 7. *&* *leg.* 12. *tit.* 10. *lib.* 1. *Recopilat. cui adde etiam Remiss.* 1. *tit.* 12. *lib.* 1. *&* *Remiss.* 10. *tit.* 14. *lib.* 4. *Recop.*

(n) *Quibus personis constare debeat exhedra directionis Hospitalium apud Gallos, determinat Edictum Ludovici XIV. datum* 12. *Decembris anni* 1698.

XXVIII. Concilium Viennense in *Clementina 2. de Religiosis domibus*, vetans imposterum hospitalia dari in Beneficium (uti capite primo dictum est) vult, ut „ eorum gubernatio „ viris providis, idoneis & boni testimonii committatur, qui sciant, „ velint, & valeant loca ipsa, bona eorum, ac jura utiliter re„ gere, & eorum proventus, & redditus in personarum usum „ miserabilium fideliter dispensare, & quos in usus alios bona „ prædicta convertere præsumptio verisimilis non existat: in qui„ bus sub obtestatione divini judicii illorum, ad quos dictorum „ locorum commissio pertinet, conscientias oneramus. "

XXIX. In Gallia cautum Edicto Blesensi *art.* 65. quòd leprosariis, & hospitalibus præfici nequeant Ecclesiastici, aut nobiles, sed tantùm communes cives. Verba edicti sunt: *Et ne pourront desormais être etablis Commissaires au regime & gouvernement des fruits & revenus desdites Maladeries & Hospitaux autres que simples burgeois, marchands, ou laboreurs, & non personnes Ecclesiastiques, Gentils hommes, Archers, Officiers publics, leurs serviteurs, ou personnes par eux interposées.* Id est: „ Nec deinceps ad curam & præfecturam fruc„ tuum, redditiuum dictorum Nosocomiorum, & Xenodo„ chiorum committi poterunt alii, quàm meri Cives, Merca„ tores, aut agricolæ, Ecclesiasticis, Nobilibus, Satellitibus, „ Reipublicæ Præfectis, servis eorum, aut personis per eos „ constitutis, exclusis. " (o)

XXX. Notatur autem in opere, quòd intitulatur: *La grande conference des Ordonnances, lib. 1. tit. 2. part. 3. §. 2. nota* 4. quod Edictum volens eligi *duos cives* pro administratione hospitalium, non comprehendat hospitalia Ordinum Religiosorum, puta SS. Trinitatis, Redemptionis captivorum, & Sancti Antonii; quæ obtinuerunt juridicam declarationem, quòd non per personas Laicas, sed religiosas regerentur juxta citatam Clementinam §. *Præmissa*, quâ expressè declarat Concilium Viennense, quod dispositionem suam, qua vult administrationem hospitalium committi *viris providis &c.* minimè velit extendi *ad hospitalia militarium Ordinum, aut Religiosorum aliorum.*

XXXI. Similiter refert judicatum esse 29. Julii 1570. neque sub hoc Edicto comprehendi hospitalia, quæ ex primæva sua fundatione unita sunt Monasterio, & domui Religiosæ. Uti nec illa, quæ vi fundationis conferri consueverunt in *titulum* Beneficii per Episcopum, tametsi etiam ad præsentationem Patroni *laici*; atque ita non semel judicatum esse notat. Vide latiùs eadem referentem Renatum Choppinum de *Sacra Polit. lib. 3. tit. 5. num. 5.*

XXXII. Observat ibidem Choppinus, quòd „ alia causa sit „ ejus Valetudinarii, cui sacellum aliquod, velut appendix, „ progressu temporis adstructum, additumque sit, puta ad „ Sacrum littatorium inopibus, ægris, hospitibus ministran„ dum. Nam hoc casu Politica civium manu tractantur utrius„ que patrimonii tum Valetudinarii, tum Sacelli. Ita me di„ cente, judicavit Senatus de Hospitali Leprosorum in Ædem „ Vindocinensi, cujus tamen sacra Cappella hucusque Episco„ pi beneficiaria extiterat: Arresto 13. Kalend. Febr. an„ no 1571. in promeridiana Curiæ sessione causarumque agita„ tione forensi. "

Sed si hospitale non sit erectum in titulum, neque Monasterio, aut Conventui Religiosorum incorporatum, sed tantummodo aliqui Religiosi ibidem sint ex voluntate Fundatorum assumpti, ut ægris vel leprosis, & pauperibus serviant, & œconomiæ præsint; hospitale ejusmodi quoad temporalium administrationem non esse penes Religiosos, nec de his intelligendam esse exceptionem, de qua in §. *præmissa* citatæ Clementinæ observat Choppin loco citato, *num.* 6. atque ita Arresto Parisiensi anno 1567. profanis œconomiis adjudicatam bonorum curationem Nosocomii Aubignei Biturigum oppiduli, tametsi huic nosocomii Arnulphus Bernilus loci indigena adjunxisset cum notabili multorum prædiorum dote novam Monastici Primatis, & Monachorum familiam; ut scilicet hæc procurandis Domûs Dei hospitibus egenisque assiduè incumberet.

Similiter adjudicata fuit integra administratio, & superintendentia hospitalis Capitulo Collegiatæ *S. Furchii* Perroni, etiam quoad institutionem, & destitutionem administratorum, tametsi ibidem essent *Sanctimoniales* in communi viventes, & rei domesticæ, & pauperum curam habentes. Apud Choppinum ibidem *num. 2. in notis.*

XXXIII. Plerisque Orphanatrophiis, in quibus pupilli parentibus orbati educantur; item Brephotrophiis, quæ recipiendis infantibus expositis destinata sunt; item Gerentocomiis, in quibus senes aluntur, & locis peregrinis, & transeuntibus hospitio recipiendis destinatis, & propriè vocantur *Hospitalia*; his, inquam, penè ubique laici administratores, & Rectores in Belgio præfecti sunt.

(o) *Hamburgi, & Hællæ in Saxonia superiori leges Hospitalium exigunt, ut œconomus sit sine liberis, quorum gratia quandoque rapiuntur bona, & pauperibus intercipiuntur. Hunc abusum ann.* 1311. *damnaverat Concilium Ravenn. II.* rub. 25. *Declaravit enim, viris uxoratis res Hospitalium non esse credendas.*

Parum refert, uti suprà monuimus, qualis sit, cui cura Hospitalis committatur, laicus, an Clericus; Religiosus, an secularis, modò dotes, & qualitates habeat rectè administrandi Hospitalis, & pauperibus providendi, iisque intendendi secundum leges fundationis.

XXXIV. De Hospitalario agens Sanctus Carolus in Concilio Mediolanensi V. *part. 3. tit. quæ ad loca pia pertinent*, ait: „ Primò Hospitalarius, sive, cui Hospitalium cura commit„ titur, vir sit, cujus fides, pietas, vitæ innocentia, sedu„ litas, charitas gravium virorum testimonio commendata sit. "

Quomodo verò Rectores, & Administratores Hospitalium, & piorum locorum erga ipsos pauperes se habere debeant; & quæ ab iis præcipuè observanda sint, cap. 4. latiùs exponetur.

XXXV. Porrò prospiciendum est, ut in istis domibus, quæ ad animarum salutem pertinent, minimè negligantur. Quantò enim animus pretiosior est corpore, tantò diligentior de illo cura habenda, ait Concilium Burdigalense anno 1585. *tit.* 28.

Igitur non tantùm præficiendi sunt hospitalibus, qui corporum necessitatibus, & miseriis curandis, & sublevandis inserviunt, sed & Sacerdotes, qui pauperibus, & infirmis spiritualia administrando eorum miserias, & vulnera spiritualia curent.

XXXVI. Et quidem si jus commune spectemus, pauperes hospitalium debent recipere Sacramenta à Rectore Ecclesiæ Parochialis, in cujus Parochia sunt sita hospitalia; uti communiter docent Canonistæ; ac jam pridem notârunt Petrus de Ubaldis in tractatu *de Canonica Episcoporum, & Parochorum portione*; item Lupus de Castelliona in *tractatu hospitalitatis, num.* 34. notatque, quòd „ fundet *Matrix* Ecclesia in„ tentionem suam in hospitalibus suis in sua parochia quoad præ„ dicta spiritualia. " Habentur dicti tractatus volumine 11. *Tractatûs Tractatuum.*

XXXVII. Etenim passim hospitalia sub regimine laicorum constituta manent sub spirituali cura Parochorum, & Ecclesiis Parochialibus subjecta; tametsi interdum etiam Oratoria, aut Sacella habeant annexa, in quibus pro commoditate pauperum ibidem degentium Missarum solemnia, aliaque pia exercitia habeantur.

XXXVIII. At hospitalia Ordinum Religiosorum, quin & Leprosariæ & Nosocomia, in quibus Sanctimoniales infirmis curandis vitam religiosam agunt, partim ex privilegio, partim ex concordatis, partim longâ consuetudine certos habent Presbyteros, qui sanctimonialibus, & infirmis Sacramenta administrent, aliaque munia Pastoralia exerceant.

XXXIX. Innocentius III. in Bulla, quâ erexit hospitale in Urbe B. Mariæ in Saxia, voluit, ut in eâdem Ecclesia quatuor semper ad minus sint Clerici Regulam ejusdem Hospitalis professi, qui omnia spiritualia libere administrarent. Dein §. 4. subjungit: „ Ipsi autem victu & vestitu contenti, „ quem eis secundum eandem Regulam præcipimus exhiberi, „ divinis vacent officiis, & intendant Ecclesiasticis Sacramen„ tis, ita quod de aliis Hospitalis negotiis præter concessionem „ Magistri, se nullatenus intromittant. "

Permittit quoque §. 13. ut pro suo, & pauperum ac infirmorum, usu habere eis liceat Oratorium, & Cœmeterium.

XL. Nonnulla Hospitalia habere speciales Presbyteros, à quibus Sacramenta infirmis ministrentur; alia verò Parochialibus Presbyteris subesse, asserit sæpiùs citata *Clementina* 2. vultque in hac diversitate servandam esse consuetudinem. Verba sunt. „ Cæterum nostræ intentionis existit, quòd si qua sint „ hospitalia altare, vel altaria, & cœmeterium ab antiquo ha„ bentia, & Presbyteros celebrantes, & Sacramenta Eccle„ siastica pauperibus ministrantes; seu si Parochiales rectores „ consueverint in illis exercere præmissa, *antiqua consuetudo* „ servetur, quoad exercenda, & ministranda spiritualia su„ pradicta. "

XLI. Hinc concludunt Canonistæ post Glossam verbo *Parochiales*: „ Licèt hospitale & ipsius familia, & pauperes ibi „ degentes sint de Parochia matricis Ecclesiæ, potuit tamen „ præscribere hospitale, quòd per proprium Sacerdotem illis „ spiritualia ministrentur. "

XLII. Concordata nonnunquam super his inter Ecclesias Parochiales, Hospitalia, sive Nosocomia, præsertim in quibus Sanctimoniales degunt, & ministrant, & ad formam Monasterii quasi redacta sunt, inita sunt; quibus standum erit.

Simile Concordatum initum fuit anno 1260. super jure sepulturæ inter Plebanum, Custodem, & Canonicos Ecclesiæ S. Petri in Lovanio, & Magistram, Fratres, & Sorores Hospitalis pauperum ibidem, „ quòd dictum Hospitale *cœmete„ rium* habebit, in quo Fratres, Sorores, infirmi ipsius hos„ pitalis, ac eorum familiares, qui se & sua ad dictum hospi„ tale transtulerint, sepeliri debebunt. Si verò aliquis alius „ ibidem sepulturam elegerit, qui fuerit de Parochia S. Petri, „ ille.

„ille non admittetur, nisi salvo jure Plebani, Custodis & „Ecclesiæ S. Petri prædictæ. Et pro hoc Magistra, Fratres, „& Sorores prædicti, Plebano prædicto in quatuor præcipuis „solemnitatibus viginti solidos, ita quòd in qualibet solemnitatum prædictarum quinque solidos, & dicto Custodi sex „solidos, ita quod in qualibet earundem solemnitatum decem „octo denarios Lovanienses solvere tenebuntur."

XLIII. Sanè in magnis Nosocomiis, in quibus frequens soles esse infirmorum numerus, convenit, ut speciales sint Presbyteri, qui infirmis assistant, eosque ritè instruant, & ad christianè moriendum, vel vivendum disponant.

Qui autem attenderit, quàm crassa sæpè ignorantia laborent, & quàm multis criminibus frequenter sint onusti, & implicati pauperes ad Nosocomia divertentes, facilè intelliget, quòd plures, quàm hodie consueverint, Sacerdotes Nosocomis pro cura spirituali infirmorum meritò præficerentur; nec alias appareat, reverà plus curari corporum, quam animarum curationem.

Stephanus Episcopus Noviomensis anno 1315. fundans hospitale, voluit in eo esse quinque Fratres laicos conversos, & 13. Sorores ad inserviendum infirmis, quinque autem Presbyteros, & duos Clericos Gerardus ejus successor auxit numerum Sororum ad viginti. Et hujus successor numerum Presbyterorum ad sex, ut ita numerus Presbyterorum servatâ proportione augeretur pro numero ministrantium corporaliter. Vide Ludovicum Thomassinum, de *Discipl. Ecclesiæ part.* 4. *lib.* 1. *cap.* 75. *num.* 3.

CAPUT IV.

Quæ in Administratione, et Dispensatione rerum Hospitalium observanda.

1 *Administratores Hospitalium meminisse debent, quod pauperibus impensum, aut substractum, Christo censeatur impensum aut substractum.*
2 *Eligendi Administratores, qui possint, & velint fideliter administrare.*
3 *De Jure tenentur Administratores præstare juramentum de fidelitate in administrando.*
4 *Idipsum in Belgio cautum.*
5 *De Jure tenentur singulis annis reddere rationes administrationis.*
6 *Similiter in Belgio, & Gallia.*
7 *An his legibus subjiciantur, qui hospitalia tenent in* titulum.
8 *Administratores debent bonorum ad Hospitalia spectantium* inventarium *conficere.*
9 *In alienatione, & elocatione servandæ solemnitates præscriptæ in alienatione & elocatione bonorum Ecclesiæ.*
10 *Bona piorum locorum impendi debent in usus à Fundatoribus præscriptos.*
11 *Relicta in usum infirmorum, an* sanis *impendi queant.*
12 *Abusivum declaratum, quod numerus sanorum in hospitalibus excedat numerum infirmorum.*
13 *Numerus Fratrum; & Sororum infirmis ministrantium plerumque à Fundatoribus præscriptus; & quare.*
14 *In unione Hospitalis Monasterio cautum, ne nimis multæ Moniales assumerentur in detrimentum pauperum.*
15 *Certa portio pro victu Administrantium Regiis Edictis in Gallia taxata.*
16 *Parlamentorum Arresta hisce conformia.*
17 *Licèt hæc in Belgio non sint decreta, tamen Administrantes ultra usus necessarios accipere nequeunt.*
18 *Relicta in usus pauperum, an ad Ecclesiæ restaurationem, vel ornatum impendi possint.*
19 *Si relicta in* certum *pium usum, in illum impendi nequeant,* proximiori *impendenda sunt.*
20 *Qualiter hîc accipiendus usus* proximior.
21 *Commutatio fundationum piarum qua auctoritate facienda.*
22 *De commutatione notabili facta per Decretum Regis Galliæ.*

I. Administratores, & Directores hospitalium, aliorumque piorum locorum illud imprimis sæpè meminisse debent, quemadmodum monet S. Carolus in suo Concilio Mediolanensi IV. *part.* 23. *tit. Quæ ad pia loca pertinent*, „se „pauperum, pupillorum, viduarum, senum egestate, aut ægri„tudine laborantium; peregrinorum, & aliorum id generis ho„minum, alia ope egentium, prout propria uniuscujusque loci „instituta ratio est, curam sustinere, & illam quidem tanti es„se, ut, cùm potissimum Episcopo, tanquam communi om„nium, & eorum præcipuè miserabilium hominum parenti, ea „Sacrosanctis Canonum legibus commissa sit; tum quidquid in „illos, vel misericordiæ, vel Beneficii, vel operæ, vel opis, „vel officii confertur; quidquidve rursus damni, detrimenti, „injuriæ infertur, id omne Christus Dominus sæpè in Evan„gelio demonstret, in se collatum, aut illatum esse; ac propterea se in die judicii, prout benè illis factum, aut neglectum, omissumve in eorum necessitatibus sublevandis, erit re„tributurum."

Hinc concludit: „Non suis, sed eorum, quorum curam „susceperunt, commodis, atque utilitatibus serviant."

II. Itaque omni exactitudine, & fidelitate bona ad loca pia spectantia, in utilitatem ipsorum locorum, & pauperum ibidem alendorum, & curandorum Rectores eorum administrare debent, *Clement.* 2. *de Religiosis domibus*, ubi jubentur constitui tales administratores, „qui sciant, velint, & valeant lo„ca ipsa, bona eorum, ac jura utiliter regere, & eorum pro„ventus, & redditus in personarum usum miserabilium fideliter „dispensare, & quos in usus alios bona prædicta convertere „præsumptio verisimlis non existat; in quibus sub obtestatione „divini judicii illorum, ad quos dictorum locorum commissio „pertinet, conscientias oneramus."

III. Ut autem in hac administratione majori fide versentur, præscribit Concilium Viennense in citata Clementina, quòd administratores piorum locorum præstare debeant *juramentum*, nimirùm de fideli administratione. Non exprimitur quidem formula juramenti; sed cùm dicatur, *ad instar tutorum, & curatorum*, facilè intelligitur, quòd saltem in substantia, horum administratorum juramentum coincidere debeat cum juramento à tutoribus, & curatoribus de jure præstando: nimirùm, *omnia se rectè, & cum utilitate pupilli agere, & neque prætermittere ea, quæ utilia pupillo esse putaverint, neque admittere quæ inutilia existimaverint.* Vide *leg.* 7. §. 5. *Cod. de Curatore furiosi*, cum Authentica eidem adjuncta. (p)

IV. Cum hac formula coincidit illa, quæ passim à Synodis nostris præscribitur, & hodie exigi solet, quòd scilicet bona pauperum conservabunt, & pro eorum necessitatibus fideliter dispensabunt: quodque pro bonorum hujusmodi conservatione, & fideli dispensatione, non minorem, sed (si fieri possit) majorem curam, & operam impendent, quàm pro rebus propriis. Repeti possunt, quæ de hoc juramento dicta sunt *part.* 1. *tit.* 5. *cap.* 1.

V. Injungit præterea Concilium Viennense, ut hi administratores, „Ordinariis, seu aliis quibus subsunt loca hujusmodi „vel deputandis ab eis, *annis singulis* de administratione sua „teneatur reddere rationem."

Idipsum jam pridem decretum erat à Justiniano in *Novella* 123. *cap.* 23. ubi hujusmodi locorum gubernatores jubentur pro creditis sibi gubernationibus apud proprium Episcopum, cui subjacent, conveniri, & rationem suæ gubernationis facere.

Hinc conficitur, quòd administratores hospitalium, & aliorum piorum locorum *de jure* cogi possint, ut singulis annis rationes suæ administrationis reddant.

VI. Similiter in Belgio per Decreta Synodalia, & Principum Edicta sæpiùs cautum fuit, ac recenter in Edicto de 30. Septemb. 1651. in Flandria declaratum fuit, quòd administratores bonorum pauperum debeant singulis annis rationem suæ administrationis reddere. Extat Edictum *part.* 3. *Edictorum Flandriæ*, *pag.* 32.

Idem in Gallia præcipiunt Edicta Regia, quæ referuntur in opere, cui titulus, *La grande conference des Ordonnances, lib.* 1. *tit.* 2. *part.* 3. §. 12. scilicet designati per personas Ecclesiasticas, & patronos laicos coram suis judicibus, vocatis ut minus quatuor à notabilioribus incolis loci, aut Parochiæ: qui autem administratores constituti fuerint per communitatem civitatis, aut pagi, coram judicibus Regiis in præsentia Episcopi, vel Archiepiscopi, aut ejus Vicarii, vocatis iis, qui tunc regimini civitatis, aut pagi præsunt. Tenor Edicti est: *Ordonnons que lesdits Administrateurs rendront compte d^t an en an, & à la fin de chacune année, à scavoir ceux qui ont ete commis par les gens d^t Eglise, & patrons lais, pardevant leurs Juges, appellez les plus apparens habitans du lieu ou Paroisse, jusqu' au nombre de quatre au moins: & les autres qui auront eté commis par les Communautes des villes & Bourgades, pardevant nos Juges, en la presence de l^t Evêque, ou Archevêque, ou son Viacaire, appelles les Eschevins, Conseillers, Capitouls, Consuls, ou autres, qui lors auront administration des villes ou Bourgades.* Id est: „Mandamus, ut dicti Ad„ministratores, annuatim, & in fine cujusque anni reddant ra„tionem, videlicet qui ab Ecclesiasticis, & Patronis laicis fue„rint constituti, coram Judicibus suis, convocatis primariis lo„ci, aut Parochiæ incolis, ut minùs quatuor: qui verò à Com„munitatibus civitatum, aut vicorum constituti fuerint, coram „Judicibus nostris, præsente Episcopo, Archiepiscopo, aut „Vicario, convocatis Scabinis, Consiliariis, Consulibus, aliis„ve

(p) *Jus Electorale Saxonicum ab Œconomis, seu hospitalium Quæstoribus exigit quoque cautionem idoneam. De ea vide Carpz*, lib. 1. Jurisprud. Consit. *def.* 92.

» ve præfecturam civitatum, aut vicorum tum temporis administrantibus (q). «

VII. Notat ibidem Nicolaus Frerot *nota* 17. quòd quæ tum hîc, tum de jure cauta sunt de *annua* redditione computus, spectent designatos *simplices* administratores laicos, non autem *Titulares*, sive qui titulo Beneficii habent administrationem; hosque duntaxat singulis trienniis rationem administrationis reddere debere, sæpiùs judicatum fuisse asserit. Vide etiam Joannem Tournetium in sua Collectione Arrestorum *litt. H. c.* 34.

VIII. Ut autem rationes exactiùs reddi possint, & à Superintendentibus intelligi queat, num administratio fuerit justa & fidelis, nihilque bonis hospitalis culpa, aut negligentia Administratorum deperditum sit, vult Concilium Viennense in citata *Clement.* 2. ut Administratores priusquam administrationi se immisceant, *de locorum ipsorum bonis inventaria conficiant*: quod & jam pridem constitutum erat à Justiniano *in leg.* 32. *Cod. de Episcopis, & Clericis*; item *Novella* 131. *cap.* 15. Quòd inventarium non tantùm mobilia, sed & omnia monumenta spectantia redditus, & bona piorum locorum continere debet, uti citata *nota* 17. monet Nicolaus Frerot.

IX. Ad hæc, ut securiùs bona hospitalium, & piorum locorum conserventur, volunt Canones, & Leges, quibus & Principum nostrorum Edicta consonant, ut non sine necessitate, aut utilitate servatis solemnitatibus in alienatione rerum Ecclesiæ requisitis, bona illa alienentur; ipsæque elocationes fiant ea forma qua elocationes rerum Ecclesiasticarum, de quibus titulo præcedenti actum est.

X. Ut fidelis sit proventuum locorum piorum dispensatio, non sufficit, quòd hi in quoscunque pios usus videantur impendi; sed impendendi sunt ad determinatum usum pium, ad quem ipse Fundator destinavit. Unde Concilium Viennense expressè declarat, *ea, quæ ad* CERTUM *usum largitione sunt destinata fidelium, ad* ILLUM *debent & non alium, converti*; idipsum vult Synodus Tridentina, *Sess.* 25. *cap.* 8. *de Reformat.* eandem constitutionem Concilii Viennensis innovans.

XI. Si itaque in usum pauperum infirmorum fundatum sit Nosocomium, in eum usum impendendi sunt proventus: contingitque eos infideliter impendi, si non pauperum infirmorum, sed sanorum usui impendantur; nisi in quantum ipsi sani in Nosocomio infirmis sunt necessarii.

Unde Synodus Arelatensis anno 1260. *Can. XIII.* deplorans, quòd bona hospitalium per Rectores eorum in proprios usus converterentur, ita ut nihil pauperibus ministraretur, voluit ut de cætero regimen committatur aliquibus ibidem Domino famulantibus, & vitam communem agentibus, nihil sibi, aut suis præter victum, & vestitum, de omnibus eleemosynis hujusmodi hospitalium retinentibus.

XII. Conqueritur insuper Synodus Parisiensis anno 1212. *part.* 4. *Can. IX.* quòd » cùm pauci sani possint multis infirmis competentiùs ministrare, illud indignum esse, ut numerus sanorum ibidem manentium excedat numerum infirmorum, aut peregrinorum. «

Rationem subjicit: » Bona etenim ibidem ex devotione Fidelium collata, non sunt sanorum usibus deputata, sed potiùs infirmorum. «

XIII. Huic abusi ut obviarent Fundatores, frequentiùs certum numerum Fratrum, & Sororum, quem infirmis, aut peregrinis inserviendis credebant sufficientem, præfixerunt.

Anno 1215. Stephanus Episcopus Novionensis fundans hospitale præfixit numerum quinque Fratrum conversorum Laicorum, & tredecim sororum, eumque nunquam excedi volens; uti habetur *tom.* 13. *Specilegii Dacheriani, pag.* 334. Meminit Renatus Choppinus *lib.* 3. *de Sac. Pol. tit.* 5. *num.* 6. cujusdam hospitalis anno 1419. fundati à quodam Berlino, ea conditione, ut ibidem unus Prior cum novem Religiosis, nimirum quatuor Cappellanis, & quinque Canonicis Regularibus Ordinis S. Augustini, ministrarent.

In Litteris Honorii III. quibus cura Leprosariæ ad muros urbis Lovaniensis, vulgò *Ter-Banck*, committitur directioni Abbatis Villariensis, expressè cavetur, quòd numerus Fratrum, & Sororum ibidem Leprosis ministrantium numerum novenarium excedere nequeat.

Plures indubiè hujusmodi præscripti limites reperientur, si litteræ fundationum excutiantur.

XIV. Episcopus Tornacensis anno 1233. uniens famosum hospitale in civitate Gandensi, vulgò *Byloca* dictum, Monasterio Monialium Ordinis Cisterciensis, expressè cavit, quòd quamvis proventibus abundaret, non reciperentur nisi paucæ Moniales; ita ut numerum non excedant viginti quinque, nisi ex evidentissima, & urgenti causa, & conversæ Sorores ibidem non recipiantur nisi paucæ, quæ sufficere possint ad ipsius hospitalis, ac Monasterii ministeria obeunda.

XV. Sed ne hi, qui, sive in spiritualibus, sive corporalibus inserviunt, liberaliùs quàm oportet, in suos usus convertant hospitalium proventus, certa quantitas proventuum nonnunquam pro victu, & vestitu, aliisque necesariis ipsis assignari, & taxari consuevit.

Et quidem in Gallia Edicto Regio de anno 1561. decretum fuit, ut per judices locorum taxaretur certa summa pro illo, qui hospitale, aut leprosariam possidet in titulum; quodque similiter taxaretur summa pro victu, & vestitu Religiosorum, qui in hospitalibus administrandum infirmis morantur, danda ipsis ab Administratoribus; Verba Edicti sunt: *Ordonnons & enjoignons aux Juges des lieux arbitrer & taxer dedans un mos pour tous delais, à tous ceux qui se pretendront Titulaires, de quelque qualitè qu' ils soient, & quelque provision qu' ils ayent obtenue, soit de nous, à la nomination de notre grand Aumonier ou autrement certaine somme pour leur vivre & vestaire seulement, eu egard au revenu de l' Hopital ou Maladerie, laquelle somme à quelque revenu que se puisse monter ledit Hopital Maladerie, n' excedera la somme de sept vintgs livres tournois par chacun an; à prende & recevoir par les mains des Administrateurs, la somme qui sera taxée, à la charge de faire le Service Divin, & administrer les Sacraments aux pauvres en personne, comme leur Office & devoir le requiert. Entendons toute fois qu' es liex ou il y a Religieux ou Religieuses, les fondations soient gardées & entretenues, & pour leur vivre & commun vestiaire seulement, somme certaine soit taxée; laquelle leur sera distribuée & payée par les mains des Administrateurs.* Id est. » Mandamus, & injungimus Judicibus lo» corum, ut intra mensem, nec diutiùs differant, omnibus, qui » se titulares asserent, cujuscunque qualitatis fuerint, & qua» lemcunque obtinuerint collationem sive à nobis per nomina» tionem supremi nostri Eleemosynarii, sive alio modo, de» cernant, & taxent certam summam pro victu, & vestitu » tantùm, habita ratione redditum domus hospitalis, aut Noso» comii, quæ summa, quanticunque sint redditus dictæ domus » hospitalis, aut Nosocomii, non excedet centum quadraginta li» bras *Turonenses* annuatim percipienda, recipiendaque per ma» nus Administratorum, prout taxata fuerit: sub onere persolven» di Officium divinum administrandique per se Sacramenta pau» peribus, ut munus ipsorum, & Officium requirit. Volumus ni» hilominùs, ut in locis, in quibus sunt Religiosi, aut Moniales, » Fundationes observentur, & conserventur, pro ipsorum victu, » & communi vestitu tantùm, determinataque summa taxetur, » quæ per Administratores ipsis distribuetur & persolvetur. «

Deinde *art.* 3. addit: *Le surplus du revenu desdits hospitaux, maladeries & autres lieux pitoyables, sera entierement employé à la nuriture & necessités desdits pauvres, reparations & entretenemens des batiments, edifices & autres choses necessaires.* Id est. » Quòd supererit ex redditibus dictarum » domum Hospitalium, aut Nosocomiorum, aliorumque locorum » piæ Fundationis, penitùs converteretur in alimentationem, & » necessitatem dictorum pauperum, reparationes, & ædificio» rum conservationem, ædificationes, aliaque necessaria. «

XVI. Conformiter ad hoc Edictum anno 1567. dictum fuit per arrestum Curiæ, quòd Priori hospitalis fundati ab Arnulpho Berlino daretur summa 140. librarum tanquam titulari, & cæteris Religiosis darentur necessaria ad victum in specie per Administratores.

Verba Arresti, prout refertur apud Choppinum de Sacra Polit. *lib.* 3. *tit.* 5. *num.* 6. *in notis*, sunt: *Et aura le dit Prieur* 140. *livres de taxe comme titulaire suivant l' edit des hôpitaux du Mois Avril* 1561. *Et que par la main desdits Gouverneurs, les autres Religieux & Religieuses seront administrés en espece de pitance, bleds, vins, & autres choses à eux necessaires.* Id est: » Habebitque dictus Prior 140. libras secun» dum taxam tanquam titularis, juxta Edictum concernens do» mus hospitales, datum mense Aprili 1561. & per supradictos » Præfectos cæteris Religiosis, & Monialibus dabitur in forma » obsonii, aut pitantiæ, frumentum, vinum, aliaque necessaria. «

Similia Arresta, quibus portio insumenda in victum, & vestitum Ministrorum taxata fuit, profert Joannes Tournetius in sua Collectione Arrestorum *litt. H. cap.* 34.

XVII. Meminit hujus gallicanæ disciplinæ Zypæus *consult.* 2. *num.* 1. *de Religiosis domibus*: additque: *Quod apud nos non obtinet, sed ubique fundationem termini attenduntur.*

Verùm licèt in Belgio non habeamus Edicta Regia quibus similis taxa præscribitur, nihilominùs illud observandum; ut justa fun-

(q) *Præter annuam rationum redditionem insuper Declaratio, quam Ludovicus XIV. dedit* 12. *Decembr.* 1698. *hæc habet*: Le Tresorier ou Receveur sera tenu de presenter au premier Bureau de la direction qui sera tenu en chacun mois, l' etat de sa recette & depense du mois precedent, qui sera arreté & signé par ceux qui y auront assisté. *Art.* 15.

fundationum terminos, proventus hospitalium impendantur in usus pauperum; neque ultra necessaria ministris impendantur.

XVIII. Hinc S. Carolus in Concilio Mediolanensi IV. *part.* 3. *tit. Quæ ad pia loca pertinent*, statuit: „ Quæ porrò » eleemosynæ pauperibus, aut singulis etiam sive hominibus, » sive familiis quavis ratione debentur, ne in alium cujusque rei » usum, ac ne in Ecclesiæ quidem instaurationem, ornatum- » ve eas erogari liceat, nisi & eorum, quorum interest con- » sensu, & Episcopi prætereà concessu, eoque litteris exarato."

XIX. Porrò contingere potest, ut loca quædam pro personis certo morbi genere infectis fundata sint, isque morbus certis temporibus cesset; ideoque non reperiantur quibus juxta litteram fundationis proventus locorum impendendi essent: quo casu ne pia fundatorum intentio suo frustretur effectu, voluit Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 8. *de Reform.* ut tunc arbitrio Episcopi cum duobus de Capitulo in usum, qui eorum institutioni proximus est, convertantur. Verba Decreti sunt: „Quòd » si hospitalia hæc ad certum peregrinorum, aut infirmorum, » aut aliarum personarum genus suscipiendum fuerint institu- » ta; nec in loco, ubi sunt dicta hospitalia, similes personæ, » aut perpaucæ reperiantur; mandat adhuc, ut fructus illo- » rum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior » sit, ac pro loco, & tempore utilior, convertantur, prout » Ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum usu peritiores » sint, per ipsum deligendis, magis expedire visum fuerit: » nisi aliter fortè, etiam in hunc eventum, in eorum fundatio- » ne, aut institutione fuerit expressum: quo casu, quod or- » dinatum fuit, observari curet Episcopus, aut si id non » possit, ipse prout suprà utiliter provideat."

XX. Quod hîc Concilium dicit de usu, qui in institutione hospitalium est *proximior*, non scrupulosè intelligendum esse, sat innui ipsum Concilium, dum addit, *pro loco*, & *tempore utilior*. Mens Concilii in formatione hujus Decreti unicè fuit prohibere, ne qui possident hospitalia, omnes fructus in usus proprios convertant, sub prætextu quod non inveniantur infirmi juxta institutionem hospitalis; uti declarâsse S. Congregationem refertur ad calcem *cap.* 8.

XXI. Sed quòd hæc Fundationum mutatio committatur arbitrio Episcopi cum duobus de Capitulo, dubito num in Belgio indistinctè admittatur; præsertim si de Laicalibus fundationibus agatur. Neque enim facilè permitterent Judices Regii, ut sine eorum interventu similes commutationes absolverentur. Unde prævie ad publicationem Concilii Tridentini ad *cap.* 6. *Sess.* 22. quo commutationes ultimarum voluntatum committuntur Episcopis locorum tanquam Sedis Apostolicæ Delegatis, hæc nota apposita fuit: „ Hanc auctoritatem ne- » gant Consilia, unquam in Belgio competiisse Judicibus Ec- » clesiasticis."

XXII. Quapropter si de commutatione alicujus fundationis, præsertim notabilis agatur, consultius est, ut consensui Episcopi accedat consensus Regius; atque utraque auctoritate commutatio firmetur.

In Gallia Edicto Regio anni 1672. Ordini Militari S. Lazari uniti sunt proventus, eorumque administratio perpetua omnium aliorum Ordinum Hospitalarium, qui aliquando in Regno Galliæ fuerunt, & de facto extincti sunt. Ulterius eidem Ordini data est administratio omnium Leprosariarum, & hospitalium, in quibus hospitalitas cessavit, sive illa in titulum, sive in administrationem possiderentur; idque sine obligatione reddendi computum de iisdem proventibus. Ex omnibus his proventibus Rex instituit plures Commendatarias, quas ipse Rex tanquam Caput Ordinis pleno jure confert Officiariis, & militibus huic Ordini adscriptis: easque etiam pensione aliqua in favorem aliorum Officiariorum gravare potest. Ordo ipse expensas suppeditare debet pro hospitalibus militaribus, & locorum limitaneorum; & in sustentationem leprosorum, si qui reperiantur. Ita refert Fleury *lib.* 2. *Institut. Juris Canonici*, *cap.* 30. (r)

CAPUT V.

Qui ad Hospitalia recipiendi; et quid circa Mendicos habeant Principum Edicta, et quomodo regenda.

1 *In receptione pauperum non sola egestas attendenda.*
2 *In hac receptione privatus affectus reponendus.*
3 *Nebulonibus, & histrionibus, & morbum simulantibus hospitalia patere non debent.*
4 *Validi Mendici ad hospitalia non recipiendi.*
5 *Etiam à communibus eleemosynis hujusmodi mendici excludendi.*
6 *Opificiis similes potiùs applicandi.*
7 *Hujusmodi mendici semper admodum odiosi fuêre.*
8 *Constitutio Imperatoris Valentiniani contra* validos *mendicantes*
9 *Novella Justiniani eosdem coercens.*
10 *Veteres Gallorum leges contra validos mendicantes.*
11 *Edicto Principum nostrorum validi & sufficientes, ut labore manuum victum acquirant, mendicare vetantur.*
12 *Officiarii locorum frequenter accedere debent ad loca, in quibus similes mendici convenire solent.*
13 *Officiarii mendicos, qui corporum infirmitatem præferunt, visitare possunt; & fingentes morbum puniendi.*
14 *Peregrini, qua cautione, & pro quo tempore ad Hospitalia recipiendi.*
15 *Quanta mala inferat inertia Magistratuum in exequendis his Principum Edictis.*
16 *Edicto Caroli V. omnibus generaliter vetitum fuit* mendicare.
17 *Vetitum parentibus permitterre proles mendicare, & singulis locis constituendi qui invigilent.*
18 *Optandum ut hujus Edicti haberi posset executio.*
19 *Quomodo Civitates se à validis mendicantibus liberare possent.*
20 *Ut pauperibus aliundè quàm per medicitatem provideretur desideravit Carolus V.*
21 *Ob difficultatem providendi pauperibus de necessariis subsidiis executionem non habuit Edictum.*
22 *In recentioribus Edictis mendicitas cum certis limitationibus tolerata.*
23 *Paupertas, & insufficientia ad lucrandum victum probari debent.*
24 *Edicta Principum nostrorum mendicare non permittunt extra locum originis, & habitationis.*
25 *Hæc conformia antiquis Canonibus, qui volunt ut unaquæque civitas suos pauperes alat.*
26 *Idipsum cautum in Capitularibus Regum Francorum.*
27 *Major cura, & præsertim in spiritualibus circa pauperes haberi posset, si vagari non permitterentur.*
28 *Quid Sanctus Carolus statuerit pro cura spirituali pauperum.*
29 *Ad dedicationes, convivia nuptialia, aliasque similes solemnitates mendici accedere vetantur.*
30 *Vetantur mendicare in Ecclesiis.*
31 *Tenentur se conformare statutis locorum, vetantibus mendicitatem, aut eam ad certum locum, aut tempus limitantibus.*
32 *Quorundam locorum statuta vagam, & ostiatim stipem emendicandi licentiam vetantia.*
33 *Horum statutorum æquitas vindicatur à Jurisconsulto Brugensi.*
34 *Ut honestas in hospitalibus servetur, personæ utriusque sexus separandæ.*
35 *Hæc separatio etiam servanda in locis piis ad educationem puerorum destinatis.*
36 *Quid de hac re senserint Gersonius, & Salesius.*
37 *Singulariter attendendum qui pueris præficiantur.*
38 *Pueri opificiis applicandi, ne mendicare cogantur.*
39 *Rectores hospitalium curare debent, ut & quoad corporalia, & spiritualia ipsis pauperibus benè sit.*

I. REctores, & administratores hospitalium imprimis attendere debent, se non esse dominos proventuum illorum locorum, sed nudos, & simplices dispensatores; neque proventus illos in ipsorum commodum, aut usum esse à Fundatoribus primariò destinatos, sed in pauperum sublevamen; eamque dispensationem esse faciendam juxtà leges justitiæ distributivæ in illud pauperum genus, in quo ipse Fundator proventus impensos voluit. » In hoc autem pauperum delec- » tu, non egestatis inopiæque solum, sed morum etiam, ac vi- » tæ, probitatis ratio habeatur," ait S. Carolus in Conc. Mediol. V. *part.* 3. *tit. Quæ ad pia loca pertinent.* Idipsum Synodi nostræ Belgicæ in dispensatione eleemosynarum Mensæ S. Spiritus observari volunt, uti suprà *part.* 1. *tit.* 5. *cap.* 3. ostensum est.

Si quas forsan speciales insuper qualitates, aut conditiones requisierit in admittendis ipse fundator, ad has ipsi Rectores & Administratores, tanquam fideles dispensatores, & executores attendere tenebuntur.

II. At infidelis est dispensatio, magnusque abusus, quem meritò damnat Synodus Coloniensis anno 1536. *part.* 11. *cap.* 6. » quo in quibusdam locis fit, ut neglectis miseris, ac inopibus » quibus hospitalia dedicata sunt, *ex privato affectu* Magistrorum » aut Magistratuum, qui hospitalibus hisce præsunt, non modo » validi, sed & quibus victus & vestitus suppetit, recipiantur, » tantùm quòd illic commodius, & in otio vivatur, qui certè » aliter censeri non possunt, quam pauperum deprædatores, rap-

(r) *Exeunte XVI. seculo S. Lazari Ordo amisit plurimos ejusmodi proventus, quibus Rex Lodovicus XIV. Nosocomia quædam restituit ac dotavit. Hæc autem bona ipsis confirmata sunt Declaratione, quam Rex* 12. *Decembr.* 1698. *dedit.*

» raptoresque, de alieno viventes, ac velut ex sanguine pauperum saginati. «

III. Adhæc attendendum est Rectoribus hospitalium, aliorumque piorum locorum, » ne ea loca quæ pauperum, & peregrinorum usbsidio sunt addicta, aleatoribus, histrionibus atque id genus nebulonibus pateant, « ait Syn. P. II. Camerac. *tit.* 15. *cap.* 14. Idipsum monuit S. Carolus in suo Concilio Mediol. I. *part.* 3. *tit. de piorum locorum administratione.*

Addit præterea S. Carolus, ne mendicis morbum simulantibus domorum hospitalium aditus pateat.

IV. Cùm enim hujusmodi loca eorumque bona aliendis pauperibus, & infirmis sint unicè destinata, meritò ab iis repelluntur » Mendici validi & robusti, qui manuum labore se ipsos » sustentare possunt, ne miserabilium personarum alimenta ab » ignavis, ac desidiosis impiè absumantur. « uti loquitur Concilium Bituricense anno 1584. *titulo* 43. *Can.* 4. volens, ut hospitalia his solis pateant, qui præ ægritudine, senio, aut corporis imbecillitate victum sibi parare non possunt.

V. Synodus Coloniensis anno 1536. *part.* 11. *cap.* 5. ait: » Sint autem Mendicantibus *validis* non solùm hospitalia clausa, sed & publicè ac ostiatim mendicare penitùs interdictum. » Et qui secus agere comperti fuerint, arceantur, ac Legalibus, » nostrisque constitutionibus comprehensis pœnis subdantur. Utilius enim esurienti panis tollitur, si de cibo securius justitiam negligat, quàm eidem frangitur, ut seductus injustitiæ acquiescat. «

VI. Idipsum & aliæ pasim Synodi inculcant; additque meritò Synodus Burdigalensis anno 1583. *tit.* 28. » compellanturque à Magistratibus se potiùs in aliqua arte exercere, vel » manuum labore honestum vitæ subsidium quærere, quàm immeritis eleemosynis ignaviam suam alere. «

Voluit similiter S. Carolus *loco citato*, ut hujusmodi mendici moneantur, » ut se in arte aliqua potiùs exercentes inde sibi honestum vitæ subsidium comparent, quàm ignaviæ, ac desidiæ dediti, ostiatim in triviis, & in templis misserrimè mendicent. Si id recusaverint, curent Episcopi, ut ejiciantur. «

VII. Hujusmodi validi Mendici admodum semper odiosi tanquam Reipublicæ perniciosi habiti fuere; eosque etiam ipsi Romani Imperatores, non tantùm eleemosynis indignos, sed etiam tanquam Reipublicæ pestes sunt execrati, & publicis legibus coercuerunt. (s)

VIII. Extat de his Constitutio Imperatoris Valentiniani Junioris de anno 381. in *L. unica*, *Cod. de Mendicantibus validis*, *lib.* 11. & in Codice Theodosiano *lib.* 14. *tit.* 18. ubi ostendit Jacobus Gothofredus, quod mens, seu sententia Valentiniani isthæc unica sit, » ut inertes hujusmodi & absque ulla debilitate miserarios Urbe Roma submoveat, vicosque publicos, » urbemque adeò hisce mendicabulis liberet, atque incondita turba, inutilique pondere terræ. «

Turbam magnam hujusmodi validorum mendicorum tunc temporis Romam affluxisse, & qua occasione id contingerit ibidem ostendit Gothofredus.

IX. Memoranda, & meritò notanda est de his Constitutio Justiniani Imper. in *Novella* 80. Cùm enim plurimi Constantinopolim confluxerint, Quæstorem instituit Justinianus, qui inquireret in peregrinos, & causas adventus eorum, si lites velociter eos, præsertim agricolas, eripi difficultatibus curaret, & contentionibus sopitis remitti in suas civitates, & Provincias. Illis porrò, qui negotium ibi non haberent, excedere compulsis. Mendicantes verò ait *cap.* 5. » Si hujus terræ (id est *indigenæ*) » fuerint, & corporibus quidem validis utantur, vitæ autem » eis decens non est occassio; hos non frustra esse *terræ onus* » permittere, sed tradere citiùs eos operum publicorum attinet artificibus ad ministerium, & præpositis pacificantium » stationum, & hortos operantibus, aliisque diversis artibus, » aut operibus; in quibus valent simul quidem laborare, simul » autem ali, & segnem ita ad meliorem mutare vitam.

» Si verò aliqui noluerint observire operibus, quibus traditi sunt, hos sectari (t) Regia hac civitate: parcentes enim » eis, hoc sancimus; ut non segnitie eos ad illicitos actus impelliente, leges eos abripiant ad pœnas, nostris tradentes judicibus. Læsos autem, aut læsas corpore, aut canitie graves, » hos sine molestia esse jubemus in hac nostra civitate, aut » piè agere volentibus adscribendos: & aliorum singulos interrogare qùa venerint gratiâ; & inquisitis, quæ digna sunt super » eis agere, ut non pigri hoc sedeant, sed competentia agentes, » ad proprias revertantur Provincias. «

X. Beatus Rehennanus *lib.* 2. *Rerum German. pag.* 95. inter alias leges Francorum hanc refert: » Mendici per Regiones » vagari non permittantur. Suos pauperes quæque civitas alito, » Illis, nisi manibus operentur, nullus quidquam dato. « Extat quoque similis lex *lib.* 1. *Capitularium Regum Francorum*, *pag.* 118.

XI. Principibus nostris non minus odiosum fuit hoc pernitiosum hominum genus, ut ex ipsis Edictis cognoscere possumus.

Imprimis Edicto de 8. Junii 1559. (extatque *parte* 2. *Edictorum Flandriæ*, *lib.* 1. *Rubrica* 3.) vetatur, ne ullus sivè incolæ, sive exteri validi corpore, & sufficientes ad laborem, ut victum sibi parare queant, sub quocunque prætextu possint discurrendo in pagis, vel civitatibus mendicare, aut apud seculares, aut Ecclesiasticos expensas facere, absque earum solutione sub pœna fustigationis, & stigmatis in dorso, aliâve arbitriâ.

Verba Edicti sunt: *Dat niemant wieby sy Inlantsche noch Uytlansche, hunne ghesonde leden hebbende, ende soo ghestelt zynde dat sy tot eenighen aerbeyt mogen bequaen zyn om den cost te vvinen, en zullen mogen Rabauts ghevvyse, oft onder t' Decxsele van vverch te zoecken oft andersins achter Lande gaen, in Steden oft in Dorpen, hiddende heur, lieder Broodt oft op de goede lieden, gheestelicke, oft Wierlicke, gaen teeren zoonder hunnen Cost te betaelen, op peine voor d' eerste reyse van ghegheesselt ende met een bermende Yser op hunnen Rugghe gheteeckent te zyne oft voor eenen tydt op de Galeyen ghesonden, oft in gheymene wercken ghestelt, oft anders arbitrairlicke ghestraft te worden. Ende indien sulcke Persoonen ten platten Lande bevonden worden met Waepenen oft gheyserde Stocken gaende, oft in sulcke ghesescap, oft maniere, dat sy de goede Lieden souffissante oorzaecke gheven, van hen bevreest te zyne oft eenigh ghewelt, overwillighe vvorden ende dreigementem te ghebruicken, oft hunne peerden oft Hoornebeesten steehden, oft vvech leyden, zunderlinghe vuyt de Weyde by nachte oft andersins in hunne beesten, Huysraet, ende ander Goed, Schaede oft onvville deden van alsdan aen hun Lyf, oock met de Galghe: Oft indien sy yemande dreechden te verbranden oft in openhaere vveghen verofden, met den Vietre ghepuniert, ende grestraft te vvorden.*

Id est: » Nemini quiscunque fuerit, sive incolæ, sive extraneo, & corpore valenti, atque ita disposito, ut labori sit » aptus quo cibum lucretur, licebit scurrili more, aut titulo » querendæ operæ, aut aliàs per agros discurrere, aut in Civi» tatibus, & Pagis mendicare, aut honestis hominibus, seu Ec» clesiasticis, seu Secularibus sumptus creare, nec persolvere. » Pro primo delicto flagellationis, & inurendi stigmatis, aut ad » triremes ad tempus, aut operas publica damnationis, aut alia » arbitraria pœna interdictum esto. Si autem tales in agris de» prehendantur armati, aut incedentes baculis ferro præfixis, aut » tali in consortio, & habitu, ut probis sufficientem timoris an» sam præbeant, seu vi quidquam moliantur, contumeliis pros» cindeant, minas intentent, equos, aut armenta furentur, & » abigant, præcipuè noctu ex pascuis, aut alio demum modo » pecoribus, supellectili, aliisque cujusquam bonis detrimentum, » aut incommodum inferant, tum pœna in corpore etiam la» queo plectentur: si autem & incendium minarentur, aut in » viis publicis grassarentur, ignis supplicio in eos animad» vertatur. «

Idipsum repetitur in Edicto Alberti, & Isabellæ de 24. Septembr. 1617. *art.* 1. extatque in eodem libro, & eadem Rubrica. His addi potest Ordinatio Philippi Boni de 19. Augusti 1459. *art.* 1. quæ habetur parte 4. Edict. Brabant. *lib.* 4. *tit.* 1. *cap.* 4.

XII. Utque Officiarii locorum faciliùs hujusmodi validos, & vagantes mendicos deprehendant, mandatur Officiariis, ut frequenter accedant ad annua, aut hebdomadalia fora, templa, hospitalia, dedicationes, & loca, in quibus hujusmodi hominum genus congregari solet.

Verba Edictorum de ann. 1559. & 1617. sunt: *Ende ten eynde dat de Schouteren, Bailliuwen ende andere Officieren vande Senden ende vanden platten Lande dies te beter gheinformeert ende gheadverteert moghen wesen, waer dat sulcke Landtloopers ende Quaetdoenderszyn. Wy ordonneren hun dat een yegheliek van hun in syn destrict. respectivelick hem dickmael viede op de vryre ende ordinarisse Merckten, in de Kerken, Gast-huysen ende Godis huysen, Bruyloften, Kermessen ende diergelicek vergaderinghen ende Feesten daer zulcke luidem ghevvoonlick verkeeren, ende daer sy hun zullen meynnen te vinden, om die te vanghen, ende teghen hun te procederen naer d' inhouden van dese ouse ordonnantie.* Id est: » Et ut Præ» tores, Præfecti, aliique Administri, tam Urbani, quàm Forenses exactiùs edoceantur, & moneantur, ubi vagi tales, & » facinorosi homines degant, Mandamus, ut quilibet ipsorum » in districtu suo respectivè, frequenter intersit Nundinis liberis, & consuetis, ad Templa, Xenodochia, domosque Hos» pi-

(s) *Validos mendicos in Hispania præceptum est in leg.* 1. & 2. 6. & 7. *tit.* 11. *lib.* 8. *Recop. laboribus, aut alicujus servitio destinari: è contra eos virgis cædi: in Actis verò Acordatis* 12. 13. & 18. *tit.* 11. *lib.* 8. *ejusdem Recopil. ut eos apprehendant, & ad armorum, sive Exercitus servitium destinentur*

Iis exceptis, qui voti causa peregrinaverint, l. 1. *tit.* 12. *lib.* 1. *Recopilat. licèt eleemosynam petierint, L.* 12. *ejusdem tit. & lib. dummodò non sit prætextus ad vagandum, non eo casu incident in pœnas contentas in leg.* 27. *ejusd. tit. & lib.*

(t) Hos sectari, *id est, pellere oportet ex hac regia civitate.*

» pitales, Nuptias, Dedicationes, similesque Festivos conven-» tus se conferat, ad quæ istiusmodi homines solent confluere, » ut eos comprehendat, & juxta hujus Edicti tenorem contra » eos procedat. «

XIII. Et quia similes vagabundi, & otiosi homines frequenter simulant morbos, aut fingunt vulnera, vult prædictum Edictum de anno 1617. *art.* 12. ut Officiarii adhibitis medicis, & chirurgis ipsos visitent; & si deprehendant fictionem, etiam criminaliter adversus ipsos procedant. Verba sunt: *Voorts om te voorsien teghens het betrog dat de bedelaers ende Bedelersen ghevvoonelyck sin voorts te stellen, hun ghelatende oft sy met eenighe sieckten gequelt vvaerens oft anderssints gheudebiliteet, hoe vvel dat zydt niet en syn, hebben vvy gheordonneert ende ghestatueert, Ordonneren ende statueren dat ten versoecke van de respective Officiers van de plaetsen de voors. Bedelaers ende Bedelerssen zullen ghevisiteert vorden door ghesvvorenen Medecyns ende Chirurgiens, ten eynde dat de ghene die bevonden zullen vvesen hun ghelaten te hebben sieck te syn van sulcke sieckte, creupelheydt oft andere Kranckheyt, rigoreuselick gheexamineert ende crimineliken gestraft vvorden naer de circonstantien ende gheleghenheyt vande zache.* Id est: » Cæ-» terum ad occurrendum fraudibus, quibus mendici, & men-» dicæ solent imponere, fingentes se morbis quibusdam vexa-» tos, aut alio modo debiles, quantumvis falsò: Mandavimus, » & decrevimus, mandamus, & decernimus, ut ad postula-» tionem Præfectorum locorum respectivè, dicti mendici, & » mendicæ per Medicos, & Chirurgos juratos examinentur, ad » eum finem, ut qui deprehensi fuerint morbum aliquem, clau-» dicationem, aut infirmitatem quampiam simulàsse, rigorosè » interrogentur, & attentis circumstantiis, & qualitatibus cau-» sæ, ut criminis rei puniantur (u).

XIV. Sub his Edictis nequaquam comprehenduntur honesti homines non soliti mendicare; sed peregrinationis, aut alia honesta causa de uno ad alium locum itinerantes; poteruntque hi in hospitalibus, & piis locis *una nocte* morari juxa Edictum Caroli V. de 7. Octobr. 1531. quod habetur parte 1. Edict. Flandriæ *lib.* 3. *Rubrica* 1. hâc tamen cautione, quod priusquam à Magistris hospitalium recipiantur, debeant accipere signum consuetum à deputato eleemosynario.

Verba Edicti sunt: *Item dat gheen vreemde oft uytlandige persoonem om aelmoessen en sullen moghen bidden, opt gelicke peine ende correctie. Behoudelick dat eerbaer lieden (niet ghevvoonlick te bidenne, passerende haeren vveegh in pelgrimage oft andere verdienstighe vvercken) sullen mogen logieren in Gast huysen ende Gods-Huysen eenen nacht alleenlick op de peyne als voren. Ende om by dem Meesters oft Meestressen van den voorseyden Gast-huysen ontfanghen te voordene, sullen gehouden vvesen te vercryghen ende heml, te presenteren lycteerken van den Officieren ofte gecommitteerde tot der charitate, van der plecken inden vvelcken zy sullen vvillen logieren.* Id est: » Item quòd nulli peregrino elemosy-» nas emendicare licitum erit; simili pœna, & correctione de-» creta; Salvo tamen ut personis honestis (nec mendicare con-» suetis per vias transeuntibus in peregrinationem, aut alia me-» ritoria opera obeuntibus) indulgeatur hospitium in Xenodo-» chiis, & domibus hospitalibus unâ duntaxat nocte (x), aliàs » eadem ut suprà pœnâ constituta. Ut verò à Magistro, seu » Magistra recipiantur, tenebuntur eis exhibere signum consue-» tum Præfecti, aut Deputati Eleemosynarii locorum, in qui-» bus hospitari decreverint. «

Idipsum habetur in Edicto ejusdem Caroli de 22. Decembr. 1515. & extat Parte 1. Edict. Flandriæ *lib.* 1. *Rubrica* 1. addita cautione, quòd singulis vicibus debebunt habere testimonium præcipui Officiarii loci, è quo exierunt peregrinationis causa, continens testimonium vitæ, & regiminis, & causam peregrinationis; neque aliquis ipsorum poterit recipi in aliquo publico diversorio (y). Verba Edicti sunt: *Et quant aux vrais Pelerins, passans en & par nosdits Pays, ils se pourront loger, & herberger es Hopitaux à ce ordonnés une nuit seulement: en ayant en chacune fois certification & enseignement de l' Officier du Lieu ou ils seront partis pour faire leurdit pelerinage; contenant temoignage de leur vie & regime, & la cause pourquoi ils font lesdits Pelerinages: & ne pourront nuls d' eux être logés en aucunes Hotelleries.* Id est: » Et quoad eos, qui verè peregrini sunt, iter per regio-» nes nostras facientes, una duntaxat nocte in domibus hospi-» talibus ad id constitutis commorari poterunt, modò habeant » in singulas vices testimonium, & indicium Profecti locorum » unde profecti sunt, ut peregrinationem susciperent, quo vitæ, » & morum testificationem, & causæ itineris suscepti exhibe-» bunt, nec poterit aliquis eorum in diversorio ullo, hospitio » excipi. «

Supracitata Ordinatio Philippi Boni *art.* 29. similibus personis itinerantibus, & peregrinis in pagis quidem non nisi una nocte, sed in civitatibus duabus noctibus, & una die morari permittit: hac tamen conditione, quòd semper recto itinere ad locum destinatum suæ peregrinationis procedant.

XV. Jodocus Damhouderus famosissimus Jurisconsultus in sua praxi criminali *cap.* 112. reflectens ad Principum nostrorum de coercendis validis Mendicantibus Edicta, deplorat » multorum Judicum inertiam, quæ quosvis, & ubilibet loco-» rum mendicare permittit, qui eleemosynis non egent, sed » otium duntaxat sectantur, & voluptates, & ubicunque pul-» chram interim occasionem nanciscuntur, ibi ne à maleficiis » quidem temperant, quorum maleficiorum causam præbent » Officiariorum supina inertia, & corripiendorum pauperum » pertinax tædium.

Dein subjicit: » Optarem hîc nostram Christianorum pieta-» tem æquiparari posse Turcis, & Ethnicis, apud quos nulli fas » est ita mendicare ostiatim, sed unaquæque civitas suos alit pau-» peres, & vere pauperes, otiosos autem cogunt ad labores (z). «

XVI. In præcitato Edicto de 7. Octob. 1531. *art.* 10. cautum fuit, ut nemo quomodocunque, sive publicè, sive occultè sub quocunque prætextu mendicet sub pœna jejunii in pane, & aqua, ac deindè correctionis arbitrariæ, exceptis Religiosis, Mendicantibus (a), & Leprosis: ita tamen ut signis suis consuetis discriminentur.

Verba Edicti sunt: *Da niemandt, het zy mans oft vroduen hemliedem en voorderen van nu voortean te bidden, oft aelmoessen te begheren, by daghe ofte by nachte, heymelick nochte openbaer, ob de streten, in de Kerken, nocht in oft voor die husen van den goeden lieden, in wat manieren dat het zy; op die peyne in dien jemand die contrarie dede voor deerste reyse ghevanghen te worden, ende gestelt tot water ende broodt tot discretie van onsen Officieren rechteren ende wethauders, oft andere persoonen die last hebben zullen van deser onser ordonnancie, in der plecken daer t' selve ghebueren zaude: voor de tweede reyse, van ghestraft ende gecorrigiert te worden ter discretie als vooren. Uytgenomen ende hier af ghereserveert de religieusen mendicanten, de ghevangenen ende lazarussen ende melaetschen, de welcke om aelmoessen zullen moghen bidden zo zy ghewoenlich zyn, hebbende de voorseyde lazarussen haerre hoen, handtschoenen, mantels, ende andere teeckenen zo dat behoort.*

Id est: » Ut nemo seu vir, seu fœmina mendicare audeat, » aut stipem corradere, diu aut noctu, clam aut palam, in pla-» teis, in domibus, aut præforibus honestorum hominum, aut » quocunque modo edicta primùm in delinquentes incarceratio-» nis pœna, & ut pane, & aqua macerentur ad arbitrium ad-» ministratorum Judicum, & Præfectorum nostrorum, aut alio-» rum, quibus incumbet cura Edicti hujus nostri observandi, » in locis ubi simile quid contigerit. Iteratum delictum ad ar-» bitrium ut suprà punietur, & corrigetur. Hinc tamen excep-» tis Religiosis mendicantibus, captivis, leprosis, & elephan-» tiacis (b), quibus licitum erit eleemosynam ut consueverunt » rogare, dictis leprosis pileo, manicis, pallio, aliisque notis, » ut oportet, discretis. «

XVII. Præcipitur quoque parentibus, ut pueros suos à mendicitate cohibeant, sub pœna quod virgis corrigentur, & arbitrio Magistratuum.

Dein ut in singulis locis, unus, pluresve à Magistratu satellites constituantur, qui transgressores apprehendant.

XVIII. Sanè attentis incommodis, quæ mendicitas tam ipsis mendicis, quàm Reipublicæ adferre solet, non dubium, quin operandum esset, ut hic articulus Edicti servaretur, laudatque non immeritò Zypæus in suo judicio *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 4. » Confœderatarum Provinciarum civitates, & præsertim Ams-» telodamensem, quæ non patiuntur aliquem publicè mendica-» re, sed debilibus, & infirmis necessarias eleemosynas procu-» rant, validos in loca publica cogunt, quorum præfecti singu-» lis pensa præscribunt pro artis suæ peritia; quam si nullam » nôrint, alia imperant, quæ nullo, vel levi artificio expediun-» tur, victum interim & amictum præbent, & si frugis bonæ » apparuerint, etiam lucellum. «

XIX. Subjungit dein Zypæus memorabile factum Alostensium, quod utinam plures civitates sæpiùs imitarentur; non dubium quin à se validos, & vagabundos mendicantes, non secus ac Alostenses penitus abigerent. » Nu-

(u) *Vide leg.* 10. 24. & 26. *num.* 1. & *tit.* 12. *lib.* 1. *Rec.*

(x) *Lex* 24. *tit.* 12. *lib.* 1. *Recop. ibi* Mas de un dia natural.

(y) *Huic doctrinæ seu praxi consonæ sunt leg.* 1. 12. & 26. *cap.* 8. *tit.* 12. *lib.* 1. *Recopil.*

(z) *Hoc præceptum est in leg.* 6. 7. 18. 19. & 26. *num.* 3. *tit.* 12. *lib.* 1. & *Acto Acordato* 8. *ejusd. tit.* & *lib. Recopil.*

(a) *Idem in Hispania servari debet ex leg.* 6. *tit.* 9. & *l.* 3. *tit.* 12. *lib.* 1. *Recop.* & *Act. Acord.* 1. *tit.* 5. & *Rem.* 1. *tit.* 12. *lib.* 1. *Recop.*

(b) Elephantiaci *dicuntur illi, qui ea laborant lepra, quæ cutem redit Elephantis corio similem.*

» Nuper (ait Zypæus) Alostenses omnes undique advenas » validos mendicantes fossis, quæ urbem cingunt, purgandis de- » voverunt, atque ita opus publicum minimo sumptu perfece- » runt, vitia otiosorum minuerunt, quin imò id obtinuerunt, ut » brevi eum locum mendicantes ut caribdim vitarent, & aliò de- » clinarent, ubi eos labor improbus non vexaret."

XX. Carolus V. ut Edictum suum executioni mandare posset, nec tamen veris pauperibus invalidis, & infirmis sua deessent necessaria, multa de procurandis pauperibus subsidiis eodem Edicto disposuit; atque inter alia, ut omnium eleemosynarum, mensarum S. Spiritus, & similium charitativarum largitionum esset communio, fieretque una bursa, & judicio Curatorum, & Præfectorum, eorum, qui à Magistratibus deputarentur, fieret distributio. Verba *articuli* 15. sunt: *Ende om te subvenieren den armen ziecken ende andere niet machtigh vvesende haer broodt te vvinnen, noch anders hebbende om op te levene die bevonden, sullen vvorden vvonende in elcke stadt ofte dorpt in onsen landen: ordineren vvy dat van alien charitaten, tafel van huysarmen, Gast-huyssen, Broderschappen ende andere hebbende obyten ende distributien van provenen ende aelmoessen, ghemaeckt zal vvorden een ghemeene borsse, um den armen daer af distributie te doene, by advys vanden Meesters ende Gouverneurs vanden voorscheven, tafelen vanden armen; vanden Gasthuysen ende Broederscappen, metsgaders vanden ghenen die de Officieren ende Wethauders in elcke stadt, parochie ofte dorp zullen vvillen deputeren ende committerem tot voorderinghe vander charitate, inder manieren hier na verclaert. Beaudeliken dat de aelmoessen ghefondeert voor Geestelicke persoonen, als Mendicantem ende anderen, ghedistribueert zullen vvorden, na die ordinantie vanden Fondateuren.* Id est: » Et ut succurratur inopibus ægrotis, nec » victum lucrari valentibus, nec aliundè mediis ad vitæ susten- » tationem provisis, quos vel civitatum, vel pagorum ditio- » num nostrarum incolas esse constabit: Mandamus, ut om- » nes eleemosynæ, Mensarum S. Spiritus, domorum, Hospita- » lium, Confraternitatum, aliarumque in die obitus anniver- » saria quapiam, distributiones, largitiones, & eleemosynæ in » commune conferantur, ut exindè pauperibus distribuantur » de Consilio Magistrorum, & Præfectorum dictarum Mensa- » rum S. Spiritus, domuum, Hospitalium, & Confraternitatum, » simulque eorum, quos Administris, & Magistratibus in sin- » gulis Civitatibus, Parochiis, aut Pagis deputare, & deman- » dare visum fuerit, in progressum eleemosynarum juxta modum » infrà expressum. Salvis tamen Eleemosynis, quæ fundatæ sunt » pro Ecclesiasticis, quales Mendicantes, aliique nôrunt distri- » butum iri secundum statutum Fundatorum."

XXI. Verùm cùm hæc omnium eleëmosynarum communio ad effectum deduci non posset, tum ob difficultates, quas ipsa communio in rebus humanis generare solet; tum ob contrariam Fundatorum voluntatem, qui particulares sibi in fundationibus suis fines præfixerant, & expresserant; etiam Edictum quoad hunc articulum omnimodam suam executionem non habuit; uti insinuat Zypæus in Notitia Juris Belgici tit. *de Episcopis & Clericis, num.* 23.

XXII. Videmus in recentioribus edictis tam ipsius Caroli, quàm Successorum principum aliquam fuisse factam moderationem quoad pauperes invalidos, & infirmos, relicta iis mendicandi licentia; his tamen conditionibus, ut iis observatis, quæ ex mendicitate sequuntur incommoda, evitarentur.

Imprimis itaque Edicto de 27. Nov. 1585. extante parte 2. Edict. Flandriæ *lib.* 1. *Rubrica* 4. permittitur veris pauperibus, qui labore manuum victum sibi, & familiæ suæ lucrari nequeunt; tametsi omni modo se impendant, eleemosynas mendicatò petere; quod idem in pluribus aliis Edictis exprimitur.

XXIII. Sed Edictum illud requirit, ut de hac paupertate, & impotentia sufficientem probationem fecerint, priusquam mendicare permittantur, quod ipsum requirit Edictum Alberti, & Isabellæ de 28. Sept. 1617. *art.* 4. Quin allegata Ordinatio Philippi Boni *art.* 26. vult, ut nullus, qui excesserit 12. annum, vel non excesserit 60. annum, mendicare possit absque signo appenso in collo, quod in loco ubi mendicare intendit, statutum fuerit; quodque à Magistris Mensæ S. Spiritus acceperint.

XXIV. Secundò hujusmodi pauperes mendicare nequeunt, nisi in locis originis, aut ubi ultimo suam habuerunt residentiam; ita ut extra illa loca, & loca vicina (ut quibus eleemosynæ erogari solent) mendicare nequeant: Verba sunt: *Zullen de almoessen mogen gaan bidden ter plaetse daer sy geboren syn, oft daer sy het t' laetste jaer te voeren heur lieder continuele residentie gehauden hebben zonder buyte de selve oft de plaetse daer ontrent (daermen gevvoonlick is aelmossen te halen) te mogen bedelen.* Id est: » Poterunt Eleemosynam cor- » rogare in loco suo natali, aut in quo anno proximè tùm elap- » so continuè fuerint commorati, ita ut extra illa aut vicina lo- » ca (in quibus Eleemosynæ erogari solent,) mendicare ipsis » non liceat." Ita Edictum de 15. Junii 1556. & penè iisdem verbis repetitur in Edictis de 8. Julii 1559. & 28. Sept. 1617.

XXV. Hic articulus consonat iis, quæ jam pridem Canonibus sanctissimè decreta leguntur: » Unaquæque civitas pau- » peres, & egenos incolas alimentis congruentibus pascat se- » cundum vires; & tam vicani Presbyteri, quàm cives unus- » quisque suum pauperem pascant: quo fiet, ut ipsi pauperes » per alias civitates non vagentur." Hæc Concilium Turonense II. anno 567. *Can. V.*

XXVI. Et lib. 1. Capitularium Regum Francorum. *cap.* 118. decernitur: » De Mendicis, qui per patrias discurrunt, volu- » mus ut unusquisque fidelium nostrorum suum pauperem de » beneficio, aut de propria familia nutriat, & non permittat » alicubi ire mendicando."

XXVII. Profectò si hæc Decreta observarentur, neque vagantes de uno in alium locum mendici admitterentur, sed omnes intra limites suarum respectivè Parochiarum terminos se continere juberentur: tunc illorum exactior haberetur notitia; possetque esse Parochorum major circa similes pauperes cura; qui hodiè passim Parochis planè ignoti, nullasque instructiones frequentantes, sed de uno ad alium locum vagantes, in Mysteriis Religionis manent omninò ignari; & hinc sine ullo penè Religionis sensu gentiliter in omni ferè vitiorum genere viventes.

XXVIII. Hîc meritò notandum quod decrevit S. Carolus in suo Concilio Mediol. IV. parte 3. tit. *Quæ ad pia loca pertinent*, ut ubi mendicorum curæ, & victui necessario ita consultum non est, ut certo quodam pio loco collecti, non mendicatim victum sibi quæritent, curent Episcopi, ut per Parochos illi, qui intra fines suarum Parochiarum sunt, in libro accuratè ordineque scribantur: atque hæc circa illos à Parochis observentur: » Quo, & unde illi migrent: Quod vitæ Chris- » tianæ institutum teneant: An fidei rudimenta norint: An die- » bus festis saltem Missæ sacrificio intersint: An sæpè confessi » crebrò etiam per annum, aut saltem constituto Paschæ tem- » pore sacram Eucharistiam sumant."

Denique addit: » Quos doctrinæ Christianæ rudes mendicos » vagantes viderint, festis diebus stata hora ad ejusdem doctri- » næ scholas convenire diligenter curent, eosdemque instruant." Adde quæ supra *part.* 1. *tit.* 3. *cap.* 4. *num.* 5. dicta sunt.

XXIX. Ut ad Edicta Principum nostrorum revertamur, præcipitur in Edicto die 15. Junii *art.* 11. ne pauperes ad dedicationes Ecclesiarum, nuptias, aliasque similes solemnitates, ut lautiùs tractentur, accedere audeant. *Oft henlieden in Bruylofften, Eerste Messen, Kermessen, Scutteryen oft andere Feesten te vinden; om ghedient te vvorden nae heuren appetyte, als sy tot noch toe vvel gedaen hebben.* Id est: » Ne vel ad » nuptias, Primitias, Encœnia, joculationes (c) aut alias so- » lemnitates conveniant; ut secundum gustus sui appetentiam » excipiantur, prout hucusque hactenus fecerunt." Item decernitur in Edictis de 8. Julii 1599. & de 28. Sept. 1617.

Eisdem illis Edictis cavetur, ut pauperes illi mendici erunt contenti eleemosynis, quæ ipsis voluntariè dabuntur absque murmuratione, aut asperitate sub correctione arbitraria. *Zullen oock in heuren plaetsen om aelmoessen biddende hemlieden laeten ghe noughen, met t' gheunt dat die goedelieden hemlieden geven zullen: sonder aie zelve, met woorden ofte met wercken eenighe spytigheyt, stuerigheyt oft verdriet aen te doene, op peyne van arbitrairlicken daer van gecorrigiert te woorden.* Id est: » Deinde in statione sua stipem mendicantes acquiescent, » iis contenti quæ ipsis boni homines erogabunt, sic ut nec ver- » bo, aut facto arrogantia, aut morositate iisdem incommodo » sint, arbitrariæ correctionis pœnâ constituta."

XXX. Scitur quantùm sæpe celebrationem divinorum Officiorum, quantunque Fidelium devotionem turbet mendicorum per templa discursus; ut meritò gravibus pœnis inhibeatur in allegata Ordinatione Philippi Boni *art.* 33. ne ullus in Ecclesiis mendicare audeat; quodque Ecclesiarum Æditui, aliive ad hoc Deputati, hujusmodi Mendicantes in Ecclesiis Magistratui denuntiare debent. (d)

XXXI. Deinde in præcitatis Edictis declaratur, quòd si in loco originis aut ultimæ residentiæ hujusmodi pauperum, esset aliquod particulare statutum, quo ipsis inhibitum esset mendicare, aut determinatus locus, vel determinatum tempus mendicitati præfixum, tenebuntur se huic omnimodò conformare. *Indien nochtans ter pletsen van heurlieder gheboorte ofte laetste residentie als voorem, enighe statuten ofte reghel ghesedt waere op t' bidden van den aelmoessen daer by hemlieden verbodem waere te bidden, ofte zeker plaetse ofte tydt daertoe ghestelt, waere, sullen ghehauden syn, hemlieden daer naer in alles te*

(c) *Jaculationes possunt intelligi de ludis, quos Galli vocant.* Arquebuses.

(d) *Idem expressis verbis præcipitur in leg.* 16. *tit.* 12. & *l.* 26. *cap.* 6. *ejusd. tit. lib.* 1. *Recopil. quibus adde leg.* 1. *tit.* 2. & *Actum Acordat.* 1. *tit.* 12. *lib.* 1. *ejusdem Recopil.*

te reguleren. Id est : » Si tamen in loco originis , aut ultimæ » commorationis ut suprà , statuta quædam , aut regula foret » præfixa circa eleemosynarum corrogationem , quibus ipsis in- » hiberetur mendicare , aut locus determinatus & tempus limi- » taretur , tenebuntur his omnibus sese conformare. «

XXXII. Refert Ægidius Wytsius Jurisconsultus Brugensis in suo Consilio *de Continendis , & alendis domi pauperibus , & in ordinem redigendis validis mendicantibus* in procœmio : » An- » te annos triginta (id est circa annum 1540.) (e) Vallisoleti » in Hispaniis , & in Flandria Hyptis , & haud ita pridem apud » nos (Brugensis) repertus est modus quidam , quo optimè vi- » detur consultum pauperibus. Cautum est , ut suos civitas „ pauperes alat ; utque per publicam curam , & idoneos dis- „ pensatores eis provideatur , prohibitâ vagâ , & promiscuâ il- „ la ostiatim stipem emendicandi licentiâ. «

XXXIII. Decreti hujus æquitatem , justitiam , & utilitatem multis ostendit hoc Consilium , atque à criminationibus, & objectionibus doctissimè vindicat. Dignum sanè opusculum, quod Magistratuum manibus teratur , quibus cura incumbit veris pauperibus providendi , & fictos , ac validos mendicantes coercendi , & in ordinem redigendi ; atque ex illo discerent optimum modum misertis , & infirmis pauperibus succurrendi, & Rempublicam à pernitioso , & otioso hominum genere expurgandi.

XXXIV. Non tantùm attendendum est Rectoribus hospitalium , qui ad illa recipiantur ; sed insuper ut omnia in illis honestè , & Christianè agantur.

Ut honestas in hospitalibus servetur , monent passim Synodi , ut » in hospitalibus , piisque diversoriis , ubi hospitalitas „ exercetur , mares cum fœminis , etiam prætextu Matrimo- „ monii versari ne permittantur. « Ita Synodus *P. II.* Cameracensis *tit.* 15. *cap.* 14. Idipsum cavit S. Carolus in suo Concilio Mediolanensi 1. tit. *de piorum locorum administratione.*

XXXV. Hæc personarum utriusque sexus separatio non tantùm in hospitalibus , & piis diversoriis , ad quæ grandiores, & ætate provectiores divertunt , observanda est , sed & in Orphanatrophiis , & Brephotrophiis , in quibus pueri orphani, & infantes expositi aluntur , & educantur. Nimis notum est, quàm periculosa sit etiam puerorum utriusque sexus familiaris inter se conversatio : ut proinde & hîc summa Magistrorum cura esse debeat , ne aliàs in ipsis locis piis , & ex fidelium pietate ad puerorum piam educationem institutis , ipsa juvenilis , & tenera ætas corrumpatur , & vitiorum semina eorum animis inserantur.

XXXVI. Etenim quàm periculosa res sit , etiam puerorum utriusque sexus , aut cum ancillis in eodem lecto dormitio , notum est ; & jam pridem monuit Joannes Gersonius Cancellarius Parisiensis vir pietate juxta ac solicito salutis proximi desiderio illustris , in tractatu *de arte sive scientia audiendi Confessiones*; in quo proponit per varias considerationes , quâ methodo Confessarius interrogare debeat pœnitentem super peccato carnis; & Consideratione 9. quomodo interrogandi pueri ; » & primò » quidem si unquam in ætate , quinque , sex , septem anno- „ rum vel eo circa jacuerint cum ancillis , sicut mos est puero- „ rum. *Et certe* (ait) *reperientur horrenda.* «

Similiter S. Franciscus Salesius *lib.* 1. *Epist.* 5. scribit: » In- » terea cave , non solùm illi , verùm & sororibus ejus , ne dor- » miant , *nisi soli* , aut cum illis , quibus possis tantùm meritò » confidere , quantum tibi ipsi. Incredibile est , quàm utile sit „ hoc consilium , experientia mihi commendandum in dies sin- » gulos reddit. «

XXXVII. Quapropter & illud solicitè providendum , ut his puerorum receptaculis præficiantur pii , & morigeri Rectores , & Rectrices ; quemadmodum suprà *tit.* 11. *cap.* 5. dictum est de Scholarum magistris : nimis enim notum est , quàm perniciosum sit , Magistros , aut Magistras corruptos , præsertim in materia carnis , pueris esse præfectos.

XXXVIII. Cùm circa educationem puerorum orphanorum , & expositorum ea cura habenda sit , ut exacta pueritia agere valeant vitam homine Christiano , & honesto cive dignam ; neque ad sordidam , & malorum multorum lernam mendicantem declinare cogantur , omninò soliciti esse debent hujusmodi locorum administratores , & rectores , ut » infantes, » ubi primùm per ætatem licuerit , locis iis , quibus commodè „ & per facultates fieri poterit , moribus optimis *artibusque* (f), » quæ sexum deceant , tam mares , quàm fœminæ instruantur, » donec eis Deo dante provisum fuerit « uti loquitur Concilium Tholosanum anno 1590. *part.* 3. *cap.* 6. *num.* 15.

XXXIX. Verbo , administratores & Rectores piorum locorum ita in ea administratione versari debent , ut ex œconomia , ac disciplina illorum patescat , se totos pauperibus , & quoad corporalia , & quoad spiritualia impendi.

CAPUT VI.

De Confraternitatibus.

1 *Confraternitates piis locis annumerandæ.*
2 *Etiam apud Gentiles notæ fuerunt.*
3 *In Ecclesia à multis seculis notissimæ fuerunt.*
4 *Geldoniæ sive* Guldæ *species Confraternitatum.*
5 *Confraternitates , quæ hodie* Guldæ *dicuntur , institutæ ad exercitium militare.*
6 *Adhuc hodie retinent exercitia , & signa militaria.*
7 *Multis gaudent privilegiis ; & quare.*
8 *De his Confraternitatibus loqui videtur S. Anselmus.*
9 *Similiter & Concilium apud Montem Pessulanum seculo XIII.*
10 *Similes Confraternitates sine auctoritate Regia hodie institui nequeunt.*
11 *Hæ confraternitates non veniunt nomine* piorum *locorum.*
12 *Confraternitates quædum sunt laicorum.*
13 *Nonnullæ in Ecclesiis Parochialibus , & Regularibus habent Altare , vel Sacellum ; aliæ habent Sacella separata.*
14 *Confraternitates merè Ecclesiasticæ.*
15 *Confraternitates institutæ ad exercitium operum pietatis.*
16 *Etiam ut mutuis precibus juventur Confratres.*
17 *Varia sunt opera pietatis pro varietate Confraternitatum.*
18 *Pro instructione puerorum Confraternitates institui voluit Pius V.*
19 *Eas in sua Provincia promovit S. Carolus.*
20 *Instituit & S. Carolus Confraternitatem ad* sedandas discordias.
21 *Plurimæ Confraternitates institutæ sub titulo Divæ Virginis alteriusvè è Divis.*
22 *Confraternitates erigi non possunt sine licentia Episcopi.*
23 *Clemens VIII. declaravit Confraternitatem erigi non posse prætextu cujuscunque privilegii sine licentia Episcopi.*
24 *Confraternitatum statuta approbationi & correctioni Ordinariorum subjecta.*
25 *Episcopus quæ in admissione , & approbatione Confraternitatis attendere debeat.*
26 *Non convenit ut observatio Regularum juretur.*
27 *Exercitia Confraternitatum ita disponi debent , ut publicis Ecclesiarum Parochialium officiis non obsint.*
28 *Vult S. Carolus ut Divina officia Confraternitatum fiant ante vel post officia Ecclesiarum Parochialium.*
29 *Referuntur plurium Conciliorum Decreta conformia.*
30 *Episcopi Confraternitatibus invigilare debent.*
31 *Jus eas visitandi Episcopis attribuit Synodus Tridentina, etiamsi sint* laicorum.
32 *Etiam dum sunt in Ecclesiis Regularium ex Declaratione Cardinalium.*
33 *Idipsum supponit S. Carolus.*
34 *Attendere debent Episcopi visitando abusum commessationum , qui in Confraternitates jam pridem irrepsit.*
35 *Merito designatur aliquis , qui Confraternitatibus invigilet.*
36 *Jam pridem irrepserunt sub specie pietatis quæstus illiciti, & audacia peccandi.*
37 *Etiam hodie Confraternitates hisce subjectæ sunt.*
38 *In quibusdam libellis Confraternitatum ocurrentia inducere nata sunt in abominandam superstitionem , de qua Synodus Cameracensis.*
39 *Synodum respexisse ad vanam , ac superstitiosam vulgi fiduciam in cultu S. Barbaræ , ostenditur ex illis , quæ de hac Sancta referuntur.*
40 *Quæ in libellis Confraternitatum de hac Sancta dicuntur, nata sunt inducere in hanc superstitionem.*
41 *In aliarum Confraternitatum libellis occurrunt , & plurima quæ huic superstitioni occasionem dare possunt.*
42 *Certo numero Missarum , vel precum certam è Purgatorio liberationem promittere , vana est superstitio.*
43 *Plures sunt Confraternitatum libelli , qui exorbitantes continent indulgentias , quibus fidem non esse adhibendam populus moneri debet.*
54 *In quibusdam libellis promittitur absolutio* generalis ; *cujus formula proponitur.*
45 *Hæc nata est populo ingerere præsumptuosam fiduciam. Apsubveniretur, quod conforme est doctrinæ in Paragrapho XXXII. à D. Van Espen suprà appositæ.*

(e) *Non anno* 1540. *ut ait D. Van Espen , sed* 1523. *ut infertur ex legibus* 6. & 18. *tit.* 12. *lib.* 1. *Recop. in illo anno latis : nam in prima præcipitur , ut Mendici tantùm in loco, sive Provincia sui ortus eleemosynam petant , & in altera , ut dicta Eleemosyna à bonis Viris corrogaretur , & pauperibus eâ*

(f) *Huic doctrinæ sunt conformes in Hispania leg.* 34. *prope finem tit.* 7. *leg.* 11. & 24. *tit.* 12. *lib.* 1. *Recop. & Act. Acord.* 5. & 6. *ejusd. tit. & lib.*

46 *Apparet hæc formula ab aliquo privata auctoritate confecta; & qua occasione.*

I. LOcis piis annumerari solent Confraternitates, quæ dicuntur sodalitia quædam hominum religionis causa in unam Societatem, sive quandam Fraternitatem coeuntium, & quodam spirituali confraternitatis fœdere colligatorum.

II. Horum sodalitiorum etiam apud Gentiles usum fuisse, non obscurè innuit Jurisconsultus in *L.* 1. *ff. de Collegiis illicitis*, ubi scribit: » Sed *Religionis* causa *coire* non prohibentur, » dum tamen per hoc non fiat contra Senatusconsultum. «

Religionis enim causa coire, illud non est, nisi *religionis* causa *collegium* habere, ut notat Dionysius Gothofredus ad hanc legem *nota* 8. monetque hujusmodi Collegia fuisse Gentilium, & exterorum.

III. Sed quidquid sit de hujusmodi sodalitiis, aut collegiis Gentilium, certum est, à multis seculis in Ecclesia Catholica similia sodalitia fuisse notissima.

Et quidem seculo IX. de his sodalitiis tanquam notissimis, imò jampridem nonnullis abusibus conspurcatis, loquitur Concilium Nannatense *Can. XV.* Et sub idem tempus Hincmarus Remensis in Capitulis suis ad Presbyteros *cap.* 16. agit *de collectis, quas* (ait) *Geldonias, vel confratrias vulgò vocant.*

IV. Geldonias, quæ & *Galdæ vel Guldæ* dictæ fuerunt, significare *Fraternitates*, vel sodalitia, observavit Du Cange in suo Glossario, verbo *Gilda*; creditque quod *Gulda* à verbo theutonico *Gulde*, idem sonet quod *Gilda.*

V. Hoc notorium est, *Guldas*, quæ in Belgio in omnibus penè civitatibus, & pagis ab antiquo institutæ fuerunt, & usque in hodiernum diem supersunt, esse quædam sodalitia sive Fraternitates hominum laicorum in unum quasi collegium coeuntium, ut se in arte militari exerceant; & quasi collegium militare ad defensionem patriæ, aut civitatis, vel pagi semper paratum constituant.

VI. Unde etiamnùm hodie horum collegiorum, vel sodalitiorum primarium exercitium est, occupari circa illa, quæ olim militibus ad defensionem patriæ propria erant.

Habent & propterea suos Capitaneos, aliosque Officiales, quos cohortes militares habere consueverunt. Similiter & tympana, vexilla, aliaque similia militaria insignia, & instrumenta retinent.

VII. Et quia in defensionem, & custodiam, ac præsertim ad cohibendos populares tumultus, institutæ sunt, etiam pluribus specialibus privilegiis hujusmodi *Guldarum* sodales ex Principum, vel etiam ipsarum Civitatum munificentia gaudere consueverunt.

VIII. De his Confratriis verisimiliter loquitur Sanctus Anselmus *lib.* 2. *Epist.* 7. » De Domino Henrico, qui Camera» rius fuit, audio quia in multis inordinatè se agit, & maximè » in bibendo; ita ut in Gildis cum ebriosis bibat, & cum eis » inebrietur... Ex Dei, & Sanctorum ejus, & nostra auctorita» te prohibeo, ne postquam hanc nostram prohibitionem cog» noverit, ampliùs in Gilda, aut in conventu eorum, qui ad » inebriandum solùm conveniunt, bibere audeat. «

Quod hîc insinuat S. Anselmus in *Gildis*, sive *Guldis* potationes frequentari, & ad bibendum conveniri, utinam cum ætate Sancti Anselmi transiiset, neque ad nostra tempora descendisset abusus!

IX. De his quoque Confratriis loqui videtur Synodus apud Montempessulanum, cui una cum Petro Beneventano Legato Apostolico interfuerunt quinque Archiepiscopi; decerniturque *Can. XLV.* » Quia propter conjurationes, & conspirationes, » quæ *confratriæ* vocantur in civitatibus, villis, & castris, » quandoque multa discordiæ materia suscitatur: præsens Sy» nodus sub anathematis interminatione constituit, ut in civita» tibus, villis, & castris, non fiant de cætero confratriæ, ni» si de voluntate dominorum locorum ipsorum, & Diœcesani » Episcopi, propter urgentem necessitatem, & evidentem » utilitatem id fiat. «

X. Quod hîc decernitur, ne hujusmodi Confratriæ fiant *nisi de voluntate Dominorum locorum*; hîc & in Gallia eatenus obtinet, quòd Confratriæ præsertim hæ, utpotè omninò laicales, quas *Guldas* vocamus, erigi nequeant sine consensu Magistratus Regii; uti passim tradunt Pragmatici; ac notanter Automnus ad *L.* 15. *Cod. de Episcopis & Clericis*, & Renatus Choppinus *lib.* 3. *de Domanio Gallico*, *lib.* 3. *cap.* 27. *num.* 24. aitque, quòd » licèt forsan in exteris Provinciis liceat Collegiis » statuta sibi condere, in Gallia tamen singula hæc Principis » unius auspiciis decernuntur, & conceduntur, alioquin irrita, » illegitima, rescindenda. « Pluribus hæc Regia auctoritas circa institutionem Confraternitatum astruitur in probationibus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 27.

XI. Cùm hæ *confratriæ*, quæ *Gildoniæ* seu *Gildæ* olim dictæ, & hodie *Guldæ* vocantur, sint omninò laicales, & profanæ, sive personas eas constituentes, & administrantes, sive finem institutionis spectemus, etiam proprie piis, aut religiosis locis annumerari nequeunt: unde nec de his agere propositum est, sed duntaxat de Confraternitatibus pietatis, & religionis causa institutis, quæque & communiter Confraternitates dici consueverunt.

XII. Hæ Confraternitates quædam sunt *laicorum*, id est, quæ laicorum directioni subsunt, & quibus laici præsunt; atque per laicos collectæ fiunt; & bona ad eas spectantia à laicis administrantur.

Similes Confraternitates interdum habent specialia Sacella, in quibus Divina officia Confraternitatum peraguntur per Presbyteros à Magistris Confraternitatum designandos.

XIII. Plures etiam sunt in Ecclesiis Parochialibus, in quibus subinde particulare Sacellum, aut altare officiis divinis Confraternitatum, peragendis destinatum habent; quod & sumptibus Confraternitatum exornatur, & intertinetur.

Quin & in Ecclesiis Regularium, etiam Ordinum Mendicantium hujusmodi laicorum Confraternitates cum certo Sacello, aut altari occurrunt, quarum totalis quoque directio, & administratio residet penes laicos.

XIV. Sunt & Confraternitates, ad quas quidem laici tanquam Sodales admittuntur, & adscribuntur; sed tamen omnimoda directio est penes Ecclesiasticos, sive Seculares, sive Regulares: quales hodie frequentissimæ sunt in Ecclesiis Regularium præsertim Ordinum Mendicantium.

XV. Verus scopus harum Confraternitatum est, ut plures in unum confœderati, & arctiori vinculo colligati, mutuo exemplo ad pietatis opera excitentur, & mutuis precibus & bonis operibus juventur.

» Confraternitates, & Societates, in quibus per particula» res quasdam actiones, aliaque exercitia spiritualia faciliorem » sibi salutis viam parare conantur Fideles " inquit Concilium Narbonense *anno* 1609. *cap.* 34.

XVI. Ægidius Carlerius Decanus Cameracensis coram Patribus Concilii Basiliensis refutans errores Bohemorum, qui iprum Confraternitatum institutum reprobant, rectum finem easum his verbis exposuit: » Non sunt de se illicitæ Confraterni» tates ipsæ, imo honestatis titulum habent, & parere possunt » fructum. *Nam frater, qui juvatur à fratre, est quasi civitas* » *firma.* Proverbiorum 18. Licèt enim suffragia Ecclesiæ pro» sint omnibus in unitate ejus existentibus ex parte charitatis, » quæ non quærit quæ sua sunt, sed omnia communia, ut di» cit Apostolus 1. *Cor. cap.* 13. *v.* 5. tamen ex parte intentionis, » his, quibus applicantur, prosunt magis quàm aliis. Et per hoc » institutæ, concessæ, vel permissæ sunt fraternitates ipsæ."

XVII. Opera pietatis, ad quæ ipsæ Confraternitates instituuntur, varia sunt, juxta præscriptum singularum Confraternitatum. Suprà *tit.* 4. *cap.* 4. diximus, quomodo in multis locis institutæ sint Confraternitates Venerabilis Sacramenti, quarum Sodales specialiter intendere debent cultui, & honori hujus Sacramenti, ac singnanter & illud ad infirmos deferendum, *per se, vel per alium*, legitimo impedimento non occurrente, devotè comitari.

XVIII. Pius V. considerans, quòd puerorum Christiana instructio, & pia educatio plurimum valeat, ut postmodum » vitam pudicam, honestam, & exemplarem, ac aliquando » sanctam agant: è converso autem parentum carentia, seu pau» pertate, aut incuria, vel ignavia non sic educati, persæpè » ducantur in exitium, & quod pejus est, secum ducant plures » in interitum, " exhortatur omnes Ordinarios, ut in suis respectivè Diœcesibus, » tot Societates seu Confraternitates, quot » ad hoc tam sanctissimum opus exercendum opportunæ vide» buntur, auctoritate Apostolica erigant, & instituant." In Constitutione, quæ incipit, *Ex debito* 137. *in Bull. Rom.*

Ut autem hoc opus magis promoveret, omnibus & » singulis utriusque sexus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & con» fessis, seu statutis à jure temporibus firmum confitendi pro» positum habentibus, qui in aliqua dictarum Societatum, seu » Confraternitatum ubilibet constitutarum intraverint, & ads» cripti fuerint, illis videlicet, tam qui alios docuerint, quàm » qui ab aliis in articulis fidei, & præceptis Ecclesiæ hujusmo» di instructi fuerint, quotiescunque in præfato sanctissimo exer» citio se occupaverint, quadraginta dies de injunctis eis pœni» tentiis auctoritate Apostolica tenore præsentium misericordi» ter in Domino relaxat, Præsentibus perpetuis futuris tempori» bus valituris.

XIX. Harum institutum summopere laudavit Sanctus Carolus, ut ex ejus Conciliis, & Actis Ecclesiæ Mediolanensis constat; ac notanter Concilio II. Mediolanensi *tit.* 1. *Decreto* 2. decernitur: Quo studiosius Parochus fidei initiis tradendis incumbat. » Id etiam curet Episcopus, ut in singulis suæ Diœ» cesis oppidis, & vicis doctrinæ Christianæ Sodalitas instituatur, » quæ in eo munere ipsos Parochus adjuvet."

Utque ostenderet, quàm hæc Sodalitatum institutio sibi cordi esset, rursus Concilio III. Mediolanensi decrevit: » Qui» bus in oppidis, vicis, ac locis, quæ ad suam diœcesim per» tinent, Episcopus has necessariæ doctrinæ Christianæ scholas

» &

» & sodalitates, ut altera provinciali Synodo jussum est, non » adhuc instituit, illas quàm primum, & quam diligentissimè » institui curet."

XX. Plures alias Confraternitates ad diversa pietatis opera instituit idem Sanctissimus Præsul; atque signanter unam instituti desideravit, quæ odiis, & dissidiis componendis invigilaret; de qua in suo Concilio IV. Mediolan. *part.* 4. *tit.* 12. *Quæ ad pia loca pertinent*, hæc habet: » Ut odiis, dissidiis, atque inimicitiis occurratur, rursusque paci, cujus fideles in primis » amantissimi esse debent, tot sanctissimis vinculis inter se junc» ti, consulatur; id præter cætera Episcopi paterna solicitudi» ne curent in sua quique urbe, ac diœcesi aliquam hominum, » qui morum gravitate, spectata integritate, & auctoritate præs» tantiores sint, Confratriam, ut in hujus provinciæ nonnullis » urbibus instituta jam est, instituere; cujus officium sit, dis» cordiæ flamma restringere, dissidia amovere, concordiam ini» re, pacemque inter omnes reconciliare; aut hoc ipsum com» ponendæ inter dissidentes pacis officium alteri confratriæ ad» jungant, quæ rectè apteque idipsum præstare queat."

XXI. Plurimæ Confraternitates erectæ sunt sub titulo alicujus Sancti vel Sanctæ, ac signanter Divini Virginis; eò quòd specialiter hujus, illiusve virtutes, & exempla imitari instituant, aut singulari cultu, & devotione colere, & piis exercitiis ejus patronicium implorare velint. Et ut etiam exterius ostendant se Confraternitatis Sodales, habitum aut signum aliquod ipsi Confraternitati proprium assumunt, & gestant.

XXII. Ut autem hæc Sodalia piè instruantur, nihilque solidæ pietati, aut Christianæ Religioni contrarium, sub prætextu devotionis irrepat, jam pridem cautum fuit, ne sine Episcopi licentia hujusmodi Confraternitates instituantur.

Concilium apud Campinacum celebratum anno 1238. *Canon. XXXI.* statuit, » quòd nulla fiat Confraternitas laicorum » sine auctoritate, & consensu Diœcesani Episcopi." Idipsum anno 1234. decreverat Concilium Arelatense *Can.* 9.

XXIII. Recentiora Concilia omnia hanc auctoritatem Episcopis vindicant, ac novissimè Clemens VIII. in Constitutione, quæ incipit: *Quicunque* 115. *in Bull. R.* ibidem exhibita sub hoc titulo: *Præscriptio formæ, quâ Ordines Regulares, & Confraternitates Seculares de cætero uti debent in erigendis, & aggregandis Congregationibus & Confraternitatibus & communicatione suarum Indulgentiarum, & Indultorum, eleemosynarumque collectione & Confessorum electione.*

Imprimis declarat Pontifex, quòd Officiales Ordinum Regularium quoruncunque etiam Mendicantium, aut Confraternitatum jam erectarum, » quibus alias Confraternitates & con» gregationes instituendi, erigendi, ac sibi aggregandi illisque » privilegia, indulgentias, facultates, aliasque spirituales gratias » & indulta prædicta elargiendi potestas a Romanis Pontifici» bus & Sede Apostolica attributa fuit, unam tantùm Confra» ternitatem, & congregationem, de consensu tamen Ordina» rii loci, & cum litteris ejus testimonialibus, quibus Confra» ternitatis, & Congregationis erigendæ, & instituendæ pietas, » & Christianæ charitatis officia, quæ exercere cupit, apud eos „ commendentur, in eorum & quibuscunque aliis Ecclesiis & „ Collegiis eligere, & instituere."

XXIV. Dein declarat, quòd Statuta, aut Privilegia Confraternitatibus erigendis communicari nequeant, nisi „ ea priùs „ ab Episcopo Diœcesano examinata, & pro ratione loci im„ probata fuerint, quæ nihilominus ejusdem Episcopi Decre„ tis, ac moderationi, & correctioni, in omnibus semper sub„ jecta remaneant." (g)

XXV. Antequam autem Episcopus licentiam præstet, debet examinare, num ipsa Confraternitatis institututio tempori & loco conveniat: num opera veræ ac solidæ pietatis præscribantur; ipsæque regulæ ita sint conceptæ, ut nihil contineant, quod publicis & necessariis Religionis officiis officiat, vel ipsis forsan confratribus periculum peccati ingerere posset.

XXVI. Et quidem quia juramenta servandi Statuta, vel Regulas Confraternitatum nata sunt ipsos jurantes exponere periculo perjurii, minusque conveniens apparet, ad externa, & specialia illa pietatis opera hujusmodi vinculis juramentorum Fideles astringere, meritò Episcopus hujusmodi juramenta rejiciet, exemplo Concilii Sènonensis an. 1523. quod *Can.* 30. ait: » Juramenta, quæ solent præstari in ingressu, omninò re» probamus, & cassamus: prohibentes ne deinceps juramenta „ super observatione Statutorum prædictarum Confraternitatum „ aut præstentur, aut exigantur."

XXVII. Soliciti meritò quoque erunt Episcopi, ut si quæ in Regulis Confraternitatum præscribantur Officia Divina celebranda, statuatur iis celebrandis locus, & tempus, quibus ipsi Fideles à frequentatione Officii parochialis, ac notanter instructionis, non abstrahantur, aut impediantur; quod non rarò per cofraternitates contingere, non tantùm cum neglectu Ecclesiarum Parochialium, sed & summo defectu instructionis Fidelium, nimis notorium est.

XXVIII. Hinc Sanctus Carolus in citato *tit.* 18. statuit: » Quo tempore in Basilica Cathedrali, Ecclesiave parochia» li officium Vesperarum celebratur, tunc ne in ullius con» fratriæ, scholæve Oratoriis civitatis aut loci illius, ac eisdem » confratribus recitari liceat officia, sed vel ante vel post reci» tentur: ita tamen ut non solùm hujusmodi officiorum occa» sione non divertantur illi à divinis officiis publicis, sed nec » etiam à scholis doctrinæ Christianæ, in quibus ejusmodi con» fratres utiles adjutores & operarii esse solent."

XXIX. Et rursus Concilium Tolosanum anno 1590. *parte* 3. *cap.* 7. » Quo tempore Dominicis festivisque aliis diebus » divina officia recitantur, sacra Missarum solemnia cantu ce» lebrantur, concionesque, aut in Cathedrali, aut Parochia» li Ecclesia publicè habentur, eo tempore nullæ in confrater» nitatibus ceremoniæ, nulla sacra peragantur."

Similiter Patres Concilii Avenionensis anno 1594. *cap.* 52. volunt, ut » Missæ, cæteraque officia divina in confraternitati» bus celebrentur, ut Ecclesiarum sacrificia, preces honorariæ, » concionesque non impediantur."

Denique Concilium Narbonense anno 1609. *cap.* 34. ait: » In Capellis earum Confraternitatum, ubi aliquod recitatur of» ficium, illud fiat hora competenti: ita ut dum *Parochiale* re» citatur in illis omninò cessetur."

XXX. Verùm quantumvis confraternitates sanctissimè fuerint institutæ, optimisque legibus & regulis munitæ, nihilominus uti & sacratissima quæque instituta, abusibus obnoxiæ sunt, nisi Episcoporum, & Superiorum vigilantia, & cura continuo attendat.

XXXI. Ut ergò Episcopi confraternitatibus invigilare queant, declarat Synodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 8. *de Reform.* quod » Episcopi etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati habeant » jus visitandi *Confraternitates* laicorum, etiam quas Scholas, » sive quocunque alio nomine vocant: ac omnia, quæ ad Dei » cultum, aut animarum salutem, seu pauperes sustinendos ins» tituta sunt, ipsi ex officio suo juxta sacrorum Canonum sta» tuta cognoscant, & exequantur, non obstantibus, quacunque „ consuetudine, etiam immemorabili, privilegio, aut statuto."

XXXII. Juxta hoc Decretum, Episcopos posse visitare Confraternitates laicorum in Ecclesiis Regularium etiam *exemptorum*, refert post alios Barbosa in *Collectaneis ad citatum cap.* 8. *Concilii Tridentini* citatque *n.* 24. resolutionem Cardinalium qua declaratum asserit, nedum ipsas Confraternitates, sed etiam Capellas earum in Ecclesiis Regularium existentes Episcopum visitare posse; in his saltem, quæ Confraternitatum administrationem spectant.

XXXIII. Idipsum supposuit S. Carolus. Cum enim in Concilio V. Mediolanensi *part.* 3. *tit.* 18. plura circa confratrias observanda præscripsisset, tandem decernit, ut » quæcunque tum » in hoc, tum aliis superioribus Conciliis de Confratriis etiam » laicalibus constituta, aut præscripta sunt, ea Episcopus ab illis » inviolatè, integreque servari mandet, etiamsi in Ecclesiis Re» gularium illæ Scholæ, confraternitatesve erectæ sint, exerceantur ; ita ut, si quid contra ab eisdem unquam factum erit id » pro culpæ modo ab Episcopo graviter puniatur arbitratu suo."

XXXIV. Jam pridem nonnullas Confratrias laicorum subjectas comessationibus, & excessivis conviviis fuisse, manifestum est ex Canone XV. Concilii Nannetensis; nec non Capitulis Hincmari Remensis suprà citatis: qui abusus & hodie in laicorum Confraternitatibus non rarò occurrit; adeò ut in hoc unum institutæ videantur, ut semel vel etiam sæpiùs per annum ad aliquod solemne Sacrum, ac postmodum ad solemne convivium conveniant. Imò nonnunquam contingit, » ut abu» su intolerabili, quòd ex eleemosynis ad pios usus destinatis con» vivia, & commessationes instruantur;" uti loquitur Concilium Avenionense anno 1594. *cap.* 52. Episcoporum, & Magistratuum est, quibus Cura Confraternitatum incumbit, hisce abusibus occurere, & Confraternitates ad legitimum suum usum revocare.

XXXV. Notandum & meritò ab Episcopis æmulandum Decretum ejusdem Concilii præcedenti immediatè subjectum. » Præficiatur vir aliquis pietate, ac prudentia præditus, qui » Confraternitates invisat, ut si quid vitiosum in eis repullu» lare viderit, observet, omninoque tolli procuret."

XXXVI. Ægidius Carlerius Decanus Cameracensis in allegata Oratione, qua coram Patribus Concilii Basiliensis institutum Confraternitatum tuebatur, abusus, qui tum Confraternitates conspurcabant agnoscere, & à recto earum usu secernere non dubitavit » Et revera (ait) non dubium quin mul» ta mala sub hac specie pietatis parentur, puta quæstus illi» citi, deordinati favores audacia peccandi, & multa similia."

XXXVII. Si seriò astendatur, quæ in variis Confraterniti-

(g) *Consensum quoque Regis absolutum in Galilis requiri constat Edicto, quod mense Augusto* 1749. *datum est. Quod etiam in Hispania stabilivit Henricus IV. & posteà an.* 1552. *ampliavit Carolus V. Imperator, ut constat ex leg.* 3. *&* 4. *tit.* 14. *lib.* 8. *Rec.*

tibus agantur, & populo proponantur ac promittantur facilè apparebit, de Confraternitatibus hodie ea omnia, & forsan verius dici posse, quæ coram Concilio Basil. intrepidè tanquam indubitata dixit Carlerius.

Proponitur enim non rarò populo, tum in concionibus, tum in libellis Confraternitatum, quòd qui huic illive Confraternitati adscripti signum seu habitum Confraternitatis gestaverint ac levissima pietatis opera in honorem hujus, iliusve Sancti fecerint, certam sibi de salute æterna securitatem promittere possint, vel securi esse queant, quòd sine pœnitentiæ Sacramento, & vera conversione ex hac vita non eripientur.

XXXVIII. Similia ad commendationem Confraternitatum dicta, ut hoc pacto plures ad eas & consequenter ad suas Ecclesias cum oblationibus attrahant, quid aliud parere in populo possunt, quam *audaciam* peccandi, & occassionem incidendi in „abominandam vanitatem, ac superstitionem eorum, „qui certo pollicentur, non ex hac vita migraturos sine pœ„nitentia, & Sacramentis eos qui hunc vel illum ex Divis co„luerint: " quemadmodum loquitur Synodus P. I. Cameracensis *tit. de Sanctis, cap.* 6.

XXXIX. Synodum hîc respicere ad vânam, ac superstitiosam vulgi fiduciam in cultu Sanctæ Barbaræ admodum verisimile est; innuitque Molanus in historia SS. Imaginum *lib.* 3. *c.* 52.

De hac Sancta, jam pridem proditum fuit, uti testatur Georgius Colvenerius Doctor Theologus Duacensis in notis ad *lib.* 2. *Cantimpratani de Apibus*, *cap.* 29. *num.* 25. „Quod quicun„que eam coluerit Sacramentorum Confessionis & Eucharistiæ „particeps efficietur, antequam ex hac vita demigret...Hinc est „(ait Colvenerius) quòd in Francia & in locis adjacentibus „S. Barbaram *Matrem confessionis* appellent, adjiciantque lai„ci penè omnes in generali confessione, quæ præmittitur Sa„cramentali, hæc verba: *Et Dominæ S. Barbaræ matri con„fessionis.*"

Cùm ipsa Cameracensis Diœcesis adjaceat Regno Franciæ, verisimile est, & in hanc Diœcesim eam populi persuasionem fuisse inductam; ut propterea Synodus hæc meritò reprobaverit abominandam illam, & supersticiosam vanitatem, qua persuadebatur, *certò* quem non emigraturum ex hac vita, qui S. Barbaram, aliumve è Divis coluerit.

Quin & in hisce partibus hæc persuasio nota fuerit, vix dubitari sinit Synodus D. Mechliniensis *tit.* 14. *cap.* 1. iisdem penè verbis abominandam hanc vanitatem, & superstitionem reprobans.

XL. Huic abominandæ vanitati & superstitioni fomentum adhuc suppeditant aliqui libelli idiomate vulgari de Confraternitate, & vita hujus Sanctæ conscripti; qui & passim in manibus laicorum versantur, in quibus scribitur, cùm esset Martyrio proxima, ipsam postulâsse à Deo, ut existentibus *in exitu* vitæ sucurrere posset. Ad hunc autem postulationem recepisse hoc Divinum responsum; *Deum facturum quodcunque pro Cultoribus postulaverit.*

Post hæc duo subjunguntur, quæ specialiter Cultoribus suis sit impetratura. Primò, quòd eos liberabit à subitanea morte eis necessaria peccatorum contritione impetratâ. Secundò, quod suos cultores non sinet migrare ex hac vita sine Sacramento Pœnitentiæ, Eucharistiæ & extremæ Unctionis.

Hæc autem vulgaribus hominibus proposita, imprimere nata sunt abominandam illam vanitatem & superstitionem, qua certò sibi pollicentur se non emigraturos ex hac vita, si S. Barbaram coluerint, idque eo genere cultus, qui in hujusmodi libellis præscribi consuevit; puta jejunando in ejus profesto, audiendo Missam, quæ in ejus honorem celebrari solet; aut quotidie aliquas precatiunculas recitando.

XLI. Quod in his libellis de S. Barbara, ejusque Cultoribus dicitur, non minus perniciosse, nec minori cum populi scandalo in plurium aliarum Confraternitatum libelis proponitur, & asseritur, puta, quod qui huic, illive Confraternitati adscriptus fuerit, signumque seu habitum Confraternitatis portaverit, precesque in regulis præscriptas recitaverit, aliave quædam levia pietatis opera exercuerit, non morietur sine Sacramentis; nec antequam confessus fuerit, perdet loquelam, aut usum rationis; quod inscriptum & Sodalem esse Confraternitatis sit signum permagnum præordinationis, & prædestinationis ad gloriam, aliaque similia; quæ indubiè plurimos nata sunt inducere ad abominandam illam vanitatem & superstitionem, de qua supra.

Ex qua persuasione ulteriùs contingit, quòd per illa externa & sibi suisque cupiditatibus parùm adversa pietatis qualiacunque exercitia, credant sibi viam ad salutem esse apertam; nulla sit amplius de vitæ morumque emendatione, nulla de vera cordis conversione solicitudo, nullusque labor; imò omnis solida veraque tandem pietas quasi exulet; solaque umbra quædam pietatis superesse videatur.

XLII. Huic vanitati & superstitioni aliam addunt Synodi præcitatæ illorum, nimirum, „qui certo numero, & præscripta forma Missarum, vel præcùm affirmant certas designatas„que animas è Purgatorio semper liberari;" uti loquitur citata Synodus D. Mechliniensis. Quod & iisdem verbis expressit, & planè reprobandum declaravit citata Synodus Cameracensis.

XLIII. Adhæc, si Episcopi visitando Confraternitates unà examinarent Confraternitatum libellos, qui passim laicorum, & vulgarium manibus teruntur, invenirent quamplurimos, de quibus jam pridem citata Synodus Cameracensis locuta est in suo *de Indulgentiis* Decreto; præcipiens, ut Parochi populum suum „diligenter admoneant, ne circumforaneis quibusdam, „aut etiam impressis libellis temerè fidem adhibeant, qui ex „levibus, vanis, & superstitiosis causis exorbitantes indulgentias „pollicentur; cùm indulgentiæ non nisi ex piis, & rationabilibus „causis concedi debeant." (h)

Idipsum monet Synodus P. I Mechliniensis *tit. de Indulgentiis*, etiamsi hujusmodi libelli *etiam cum privilegio* impressi fuerint: additque; „Potissimum si promissiones contineant certo„rum effectuum, periculorum scilicet evitationem, à gladiis à „tormentis, ab aquis, à peste, aut liberationem certam à Pur„gatorio. Quemadmodum & Missis quibusdam, & precibus cer„to numero recitandis affixas, alicubi videre licet."

XLIV. Non tantùm ingens farrago indulgentiarum, etiam plenissimarum, idque frequenter cum liberatione animarum ex Purgatorio ex levissimis causis in dictis libellis reperitur; sed insuper in quibusdam occurrit quædam formula absolutionis, Sodalibus Confraternitatis in fine vitæ impendendæ, quâ & à reatu, omnibusque simul pœnis peccatorum absolvuntur; & ipsi innocentiæ Baptismali restituuntur sub hac verborum forma: „Remitto per plenariam Indulgentiam omnem pœnam in Pur„gatorio tibi debitam pro præmissis, & restituo te illi innoc„centiæ & puritati, quam in Baptismo accepisti, ita quòd de„cedenti tibi ab hoc seculo clausæ sint portæ pœnarum, & aper„tæ Januæ deliciarum Paradisi; & si hac vice non morieris, „salva sit tibi gratia, quando fueris in articulo mortis, in no„mine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen."

XLV. Per se satis patet, quàm proclive sit, ut hac absolutionis promissione populo facta, & in libellis Confraternitatum proposita, ipse etiam populus in quandam præsumptuosam securitatem de non sustinendis pœnis Purgatorii incidat, modo huic Confraternitati fuerit inscriptus, atque levissima pietatis opera in regulis expressa persolverit.

XLVI. Verisimile est hanc absolutionis formulam ab aliquo Confraternitatis Zelatore (ut plures ad Confraternitatem alliceret; quo motivo indubiè & aliæ exorbitantes gratiæ Confraternitatibus sensim assertæ sunt) fuisse propositam; ea forsan occasione, quod alicubi invenerit, vel audiverit, Confratribus concessam esse indulgentiam *plenariam* in articulo mortis; qualis penè in omnium Confraternitatum hodiernis libellis asseritur. Hujus igitur effectum & efficaciam ut fortiùs exprimeret, & explicaret, majoremque de hac gratia Confratribus indulta ideam imprimeret, ipsamque Confraternitatem hoc titulo ampliùs commendabilem redderet, ipsum plenissimum indulgentiæ plenariæ effectum hac formulâ exprimere voluit, atque ita eam indulgentiam communicare ac si revera moribundus plenissimam omnium pœnarum indulgentiam semper consequeretur.

Quidquid sit de origine hujus absolutionis, ejusve formulæ, sat notorium est, hanc formulam absolutionis sic expressam, aliam prorsus ideam vulgaribus imprimere, quàm solius indulgentiæ plenariæ in articulis mortis consequendæ pollicitatio.

Hæc aliaque in Confraternitatum libellis occurrentia, atque ad extollendam earum utilitatem & prærogativas, dum ad proprium quæstum à Præfectis & directoribus Confraternitatum multoties asseruntur, & populo inculcantur, faciunt, ut Confraternitates de se & ex suo instituto laudabiles, sæpiùs populo sint non tantùm inutiles, sed non rarò noxiæ: occasionemque præbeant hæreticis Ecclesiam calumniandi, quasi salutem populi, solidamque omnem pietatem in externis quibusdam signis, & pietatis levissimis exercitiis positam crederet.

Ut ergo, & populo adimatur occasio in perniciosam illam superstitionem & vanitatem incidendi, & hæreticis prætextus Ecclesiæ insultandi, quasi externis quibusdam Confraternitatum Symbolis, aut pietatis exercitiis certam salutem annexam aut promissam crederet, convenit, ut Episcopi sæpiùs Confraternitates visitando libellos earum solicitè examinarent, & quidquid hanc abominandam superstitionem fovere possit, tollerent: ipsisque fidelibus pias regulas præscriberent, ipsumque finem Confraternitatum exponerent; atque de hoc per Parochos pupulum sæpiùs moneri & instrui curarent. Quo pacto contingeret, ut & populus veram de Confraternitatibus ideam haberet, & hæreticis calumniandi Ecclesiam, & irridendi Confraternitates prætextus eriperetur.

TI-

(h) *Methodus publicandi indulgentias, aut Jubilæa prediandive in Hispania traditur in leg.* 12. *tit.* 19. *lib.* 1. *& leg.* 37. *tit.* 7. *lib.* 3. *Recop.*

TITULUS XXXVIII.

De Sepulturis.

CAPUT I.

DE RITIBUS SEPULTURÆ, ET EXEQUIIS.

1 *Apud primos Christianos in usu fuit honorifica mortuorum sepultura.*
2 *Non abjicienda esse Christianorum corpora docet S. August.*
3 *Laudata divino testimonio justorum sepultura.*
4 *Quare commendata justorum sepultura.*
5 *Romanis etiam Gentilibus de sepeliendis mortuis magna fuit cura.*
6 *Prodita actio Funeraria pro repetendis sumptibus sepulturæ.*
7 *Hi sumptus ante omne aliud æs alienum solvendi.*
8 *Creditores prætextu debiti sepulturam impedire non possunt, neque intra 9. dies à morte debitoris debitam exigere; & quare.*
9 *An Parochus cadaver, quod per limites Parochiæ vehitur, arrestare queat prætextu jurium sibi competentium.*
10 *Quæ in favorem sepulturæ sub Gentilitate decreta erant, confirmârunt Imperatores Christiani.*
11 *Plures ritus, quibus hodie utimur, olim Judæis, & Gentilibus fuêre communes.*
12 *A Christianis respuendi non sunt ritus, quia iis Gentiles ad superstitionem abutebantur.*
13 *Jam pridem ritus fuit Christianis usitatus* occludendi oculos *mortui.*
14 *Idque ut horror ex aspectu defuncti oriri solitus, diminueretur.*
15 *Defunctorum corpora olim publicè exponebantur, & efferebantur, quemadmodum in Religiosis hodie observatur.*
16 *Eadem ratione invaluit ritus* lavandi *corpora defunctorum.*
17 *Mortui vestibus induti exponi, & sepeliri solebant.*
18 *Hujus ritus reliquiæ sunt vestitio, & expositio Sacerdotum,*
19 *Quid de hoc ritu scribat Durandus.*
20 *Præscriptum Ritualis Romani.*
21 *Quomodo hoc præscriptum in Belgio sit in usu.*
22 *Ætate Durandi etiam circa vestitionem secularium laicorum aliquid superfuisse videtur.*
23 *Eo tempore videntur adhuc patenter exposita, & delata fuisse mortuorum cadavera.*
24 *Cadavera laicorum hodie involvunt* linteo; *quod & olim factum fuit.*
25 *Antiquitùs corpora defunctorum sub vesperam efferebantur.*
26 *Vespertina corporum elatio dedit originem adhibendi faces.*
27 *Gentilibus moris fuit, ut etiam ad mortuorum monumenta lucernas accenderent.*
28 *Etiam diurnis funeribus in signum lætitiæ adhibiti cerei à Gentilibus & Judæis.*
29 *Idipsum factum à Christianis.*
30 *Cerei & hymni adhibiti in funere Christianorum ob victoriam peracti agonis.*
31 *Immodica & superstitiosa luctus indicia à Gentilibus in funeribus adhibita.*
32 *Quare hos luctuosos ritus improbárunt Patres in funeribus Christianorum.*
33 *Ritus Gentilium convertunt Christiani in signa lætitiæ.*
34 *Clericis defunctos lugere induendo vestes lugubres vetuit Concilium Toletanum; & quare.*
35 *Non omnis in morte Christianorum luctus improbatus.*
36 *Corporibus ad Ecclesiam delatis etiam ibidem hymni & psalmi decantabantur.*
37 *Hinc & Vigiliæ defunctorum originem habent.*
38 *Inde ulteriùs Officium defunctorum constans primis Vesperis, & officio nocturno.*
39 *Quando Officium defunctorum sit compositum, incertum est.*
40 *Seculo XII. adhuc in Officio defunctorum canebatur* alleluia.
41 *Officium Defunctorum ex Sacramentario conscripto seculo X.*
42 *Celebrabatur Missa præsente Corpore, quod & antiqui ritus est.*
43 *Volunt Ritualia hodierna, ut Missa præsente corpore celebretur, quod olim observabatur quoad totum Officium, cujus ritus etiam superest vestigium.*
44 *Quid Missa in antiquo Sacramentario exhibita contineat diversum ab hodierna.*
45 *Preces, quæ in sepeliendo corpore hodie dicuntur, etiam seculo X. notæ.*
46 *Trina thurificatio, & trina aquæ lustralis aspersio, non occurrit in citato Sacramentario.*
57 *Rituum solet esse magna pro Ecclesiarum diversitate varietas.*
48 *Quid circa hos varios ritus observare debeant Parochi; & quid Episcopi.*
49 *Exequiæ ab hæredibus defuncto impendendæ, & ad eas constringendi hæredes.*
50 *Juxta Synodorum Decreta non differendæ ultra sex septimanas.*
51 *S. Carolus vult, ut hæredes constringantur dare luminaria.*
52 *Parochi in urgendis exequiis cavere debent notam avaritiæ.*
53 *Non probat Ecclesia immodicos exequiarum sumptus.*
54 *Quâ ratione ab imoderatis sumptibus laicos abstrahet Parochus.*
55 *Etiam Gentiles immoderatos funerum sumptus improbárunt; uti & Principes nostri.*
56 *Monita circa sumptus funerum populo utilia.*
57 *Item circa suffragia pro mortuis.*
58 *Ut populus ad exequias moderatas excitetur, procurandum, ut religiosa modestia, & reverentia celebrentur.*
59 *Magnus solet in his celebrandis esse pietatis defectus.*
60 *Clerici in frequentandis Defunctorum Officiis cavere debent mercenarium agendi modum.*
61 *In sepulturis meritò haberetur exhortatio ad populum de morte, & Novissimis.*
62 *Frequentes solebant esse Orationes funebres; & quid in his vitandum.*

I. AB ipso Ecclesiæ exordio majores nostri certis, & statis ritibus corpora Christianorum, ut animarum domicilia, & templa Spiritus Sancti sepeliri docuerunt; eorumque sepulturam congruis honoribus ornârunt.

Origenes *lib.* 8. *contra Celsum*, ait: » Rationabilem animam » honorare dicimus, & hujus organa sepulchro honorificè de» mandare.“

Et S. Hieronymus advertit non tantùm sub veteri, sed & sub novo Testamento honorem sepulturæ laudari. Scribens ad Paulam de obitu Blesillæ *lib.* 1. *Epist.* 25. ait: » De Moyse » verò, inquit, & Aaron, quòd eis ex veteri more sit planc» tus exhibitus, non mirandum est, cùm & in actis Apostolo» rum, jam Evangelio coruscante, Stephano fecerint Jeroso» lymæ fratres planctum magnum; & utique planctus magnus, » non in plangentium exanimatione, ut tu putas, sed in pom» pa funeris & exequiarum frequentia intelligendus sit.“

II. His consonat S. Augustinus *lib.* 1. *de Civitate Dei*, c. 13. scribens: » Non sunt condemnanda & abjicienda corpora de» functorum, maximeque Justorum, atque fidelium, quibus tan» quam organis, ac vasis ad omnia bona opera, sanctus usus » est Spiritus. Si enim paterna vestis, & annulus, ac si quid » ejusmodi, tantò charius est posteris, quantò erga parentes » major affectus; nullo modo ipsa spernenda sunt corpora, quæ » utique multò familiariùs atque conjunctiùs quàm quælibet in» dumenta gestamus.“

III. Deindè paulò post: » Unde & antiquorum justorum fu» nera officiosa pietate curata sunt, & exequiæ celebratæ, & » sepultura provisa, ipsique dum viverent de sepeliendis, vel » etiam transferendis suis corporibus, filiis mandaverunt; & » Tobias sepeliendo mortuos Deum promeruisse, teste Ange» lo, commendatur. Ipse quoque Dominus die tertio resurrec» turus, religiosæ mulieris bonum opus prædicat, prædican» dumque commendat, quod unguentum pretiosum super mem» bra ejus effuderit, atque hoc ad eum sepeliendum fecerit. Et » laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus ejus de » cruce acceptum diligenter atque honorificè regendum, sepe» liendumque curârunt.

IV. » Verùm (ut ibidem monet) istæ auctoritates non hoc » admonent, quòd insit ullus cadaveribus sensus; sed ad Dei » providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpo» ra quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem re» surrectionis adstruendam. Ubi & illud salubriter discitur, quan» ta possit esse remuneratio pro eleemosynis, quas viventibus, & » sentientibus exhibemus, si neque hoc apud Deum perit, quod » exanimis hominum membris officii, diligentiæque persolvitur.“

Plura de hoc pietatis officio mortuis impendendo habet idem S. Doctor libro *de Cura pro mortuis*; item sermone 32. de Verbis Apostoli, qui in novissima editione est 172.

V. Quantam & ipsi Romani adhuc sub ipsa gentilitate curam pro mortuis habuerint, evincunt, quæ sub titulis Digestorum *de Religiosis, & sumptibus funerum, & ut funus ducere* li-

liceat; item *de mortuo inferendo*, necnon *de sepulchro violato*, ex responsis Jurisconsultorum referuntur.

VI. Ex quibus imprimis habetur, apud Romanos proditam fuisse actionem, quæ *funeraria* dicitur; quâ is, qui in funus alicujus sumptus fecit, eos petere, & exigere potest ab eo, ad quem res illa pertinet, *L. 2. ff. de Religiosis & sumpt. funer.* puta, hæredem, patrem, in cujus potestate defunctus erat, dominum. L. 14. §. *fin. L. 21.* & *31. ff. eod.*

VII. Imò his sumptibus eam Romani prærogativam dedêre, ut qui hos fecerit, omnibus creditoribus præferatur; possitque illos tanquam æs alienum, non tantùm ante legata, sed etiam ante omne aliud creditum deducere, *L. penult. ff. eod.* (i)

VIII. Sepulturæ favor fecit, ut nec creditores ullo modo impedire, aut debitoris cadaver inquietare possent. *L. 3. §. 4. ff. de Sepulc. viol.*

IX. Hinc Peckius in tractatu suo *de Jure sistendo*, *cap. 5. num. 23.* graviter invehitur in Parochos, qui contra jus humanitatis detinent (k) cadavera, quæ per eorum Parochias transvehuntur, prætextu jurium, quæ sibi ratione istius transitus per limites Parochiæ competere prætendunt: cùm tamen jam pridem apud Romano decretum esset, ut funus ducere liceat per viam publicam, *L. 38. ff. de Relig. & sumpt. fun.* quia funeris faciendi aditus semper esse debeat. *L. 10. ff. eod.*

X. Hæc, aliaque quæ luculenter probant, Romanis funeris, & sepulturæ causam favorabilem, & piam fuisse, etiam ipsi Imperatores Christiani confirmarunt; uti ex relatione illorum in corpus Juris, necnon eorum subsequentibus legibus patescit.

XI. Quin & ritus plurimos, quibus hodie circa mortuos eorumque sepulturam utuntur, & jam pridem usi fuêre Christiani, non tantùm Judæis, sed & gentilibus communes fuisse; atque tam ab his, quàm illis primitùs ad Christianos pervenisse notavit Baronius, & in sequentibus notabitur.

XII. Neque enim ritus illos respuere debuêre Christiani, qui ad suam superstitionem, & gentilitatis errores eos adhibuerunt gentiles; modo sine superstitione ad religiosum cultum abhiberi queant, quemadmodum jam pridem monuit Sanctus Augustinus *lib. 3. de Doctrina Christiana*; atque signanter monet non ideò musicam esse repuendam, quia gentiles illa ad suam superstitionem abusi sunt: » Nos (ait) non propter su-» perstitionem profanorum debemus musicam fugere, si quid » inde utile ad intelligendas scripturas rapere potuerimus. «

XIII. Inter ritus mortuorum cadaveribus, tum à Gentilibus, tum à Christianis jam pridem exhibitos, fuit mox ipsis corporibus mortuis *oculos occludere*: cujus ritus meminit Dionysius Alexandrinus apud Eusebium *lib. 7. Hist. Eccles cap. 22.* è quo unà intelligitur, non tantùm oculos, sed & *ora* occlusa fuisse.

XIV. De hoc ritu latè agit eruditus auctor Romæ Subterraneæ *lib. 1. cap. 21.* qui & genuinam hujus ritus rationem ibidem *num. 13.* indicâsse videtur; nimirùm quòd quasi natura dictante hunc ritum adhibuerint, ad propulsandum horrorem illum, qui ex apertis, patentibusque mortuorum oculis, quibus omnis cum vita, ac lumine decor extinctus est, ex templo animis astantium refunditur.

XV. Indubitatum enim est, mortuorum corpora, non ut hodie loculis fuisse inclusa, sed patenter fuisse omnium oculis exposita, & ad sepulchra delata; quemadmodum & hodie Religiosorum cadavera feretro imposita, ad Ecclesiam deferuntur, & sepeliuntur: moremque illum hodiernum cadavera loculis includendi, & quasi oculis hominum substrahendi, recentiorem esse certum est.

XVI. Verisimile est, eodem more scilicet cadavera patenter exponendi, & deferendi invaluisse ritum apud Antiquos vulgatum, corpora defunctorum *lavandi*; uti non obscurè indicant ipsa acta Apostolorum *cap. 9.* ubi de Tabitha Joppensi mortua, & à S. Petro resuscitata dicitur: *Quam cum lavissent, posuerunt eam in cænaculo.* Meminit quoque ejusdem ritus Dionysius Alexandrinus apud Eusebium loco citato. Et apud Gregorium Turonensem de Vitis Patrum *cap. 3.* de S. Gallo Episcopo Arvernæ refertur: *Exinde* ABLUTUS *& vestitus in Ecclesiam defertur.* In Sacramentario S. Gregorii post preces, psalmosque, in cujusque obitu recitari solitos: subditur: *postea lavetur, & ponatur in feretrum.* Et in Sacramentario MS. Ratoldi Abbatis, de quo officium sepulturæ edidit Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium Gregorii *pag. 262.* legitur: *Oratio post* LAVATIONEM *corporis, antequam de domo* EFFERATUR.

XVII. Forsan eodem ex capite mos olim fuit corpus defunctis pretiosis vestibus induendi, idque pro qualitate, & conditione personarum; atque cum iisdem vestibus expositum postmodum sepeliendi. S. Hieronymus in fine vitæ S. Pauli scribit: *Cur & mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus? Cur ambitio inter luctus, lachrymasque non cessat? An cadavera divitum nisi in serico putrescere nesciunt?* Plura de hoc ritu testimonia recitat Hugo Menardus in notis ad Sacramentarium Sancti Gregorii *pag. 266.*

XVIII. Hinc indubiè mos inolevit, ut Episcopi, & Clerici vestibus Ordini congruentibus induerentur; & iis induti exponerentur, & sepelirentur. De S. Gebhardo Episcopo Constantiensi lib. 1. vitæ ipsius cap. 22. scribitur: *Cùm ergo lotus, &* SACERDOTALIBUS, *ut* MORIS *est, vestibus indutus, & feretro impositus ad Ecclesiam fuisset deportatus* Et S. Gregorius Turonensis in vitis Patrum *cap. 3.* de S. Gallo Episcopo Arvernæ scribit *ex inde ablutus, &* VESTITUS *in Ecclesiam defertur.* Plura habet de hac ceremonia Menardus loco citato pag. 267.

XIX. Guillelmus Durandus *in Rationali Divinorum Officiorum, lib. 7. cap. 159.* describens ritum sepeliendi suo tempore usitatum, ait: » Clerici si fuerint ordinati, illis indu-» mentis sepeliantur, quibus fuerant ordinati. Si non habent Or-» dines, more laicorum. «

XX. Rituale Romanum sub Paulo V. de hac ceremonia hæc habet: » Sacerdotes, aut cujusvis Ordinis Clericus defunctus » vestibus suis quotidianis communibus usque ad talarem vestem » inclusivè, tum desuper sacro vestitu Sacerdotali, vel Cleri-» cali, quem Ordinis sui ratio poscit, indui debet. Sacerdos » quidem super talarem vestem amictu, alba, cingulo, ma-» nipulo, stola, & casula, seu planeta violacea sit indutus.

» Diaconus verò induatur amictu, alba, cingulo, mani-» pulo, stola super humerum sinistrum, quæ sub auxilia dex-» tera annectatur, & dalmatica violacea.

» Subdiaconus autem amictu, alba, cingulo, manipulo, & » tunicella.

» Alibi præterea inferiorum Ordinum Clerici superpelliceo » supra vestem talarem ornari debent; singuli prædicti cum ton-» sura, ac birretis suis.«

XXI. Hoc Ritualis præscriptum quoad Episcopos, & Sacerdotes etiam in his partibus servatur; at quoad inferiores Clericos passim desit esse in usu; neque hi publicè, & patenter exponi solent, sed tantùm Episcopi, & Sacerdotes. Regulares tamen, tametsi etiam laici seu Conversi habitu suo regulari, stola tamen superposita, si Sacerdotes fuerint, induti, exponi, & sepeliri consueverunt: quæ sunt antiqui moris, olim *omnibus* Christianis communis, reliquiæ.

XXII. Olim moris fuisse, saltem in aliquibus Ecclesiis, tum Orientalibus, tum Latinis, ut Eucharistia, sive Corpus Domini imponeretur pectori ipsius defuncti, atque cum ipso sepeliretur, constat ex Amalario Fortunato *lib. 4. cap. 41.* ubi ex Beda referens ritum observatum in sepultura S. Cubberti, inter alia dicit: *oblata super pectus sanctum posita* fuisse. Et in vita S. Basilii scribit S. Amphilochius: Dividens panem in tres » portiones, unam quidem suscepit cum timore multo, aliam » verò servavit ad *consepeliendum sibi*, tertiam verò super co-» lumbam argenteam suspendit super altare.«

Ritum hanc etiam quodam miraculo probatum fuisse, apparet ex iis, quæ refert S. Gregorius *lib. 2. Dialog. cap. 24.* Refert enim de S. Benedicto, quod puerum monachum, qui sine petita ejus benedictione exierat, & repentina morte raptum, & quem sepultum terra bis evomuerat parentibus restituere volens, iis *Communionem Corporis Domini* dederit, dicens, ite, & hoc Dominicum corpus super *pectus* ejus cum magna reverentia *ponite*, & sic *sepulturæ* cum tradite; quod cùm factum esset, terra puerum non ampliùs evomit.

Ad hunc ritum relatis hisce SS. Basilii, & Benedicti auctoritatibus reflectens Cardinalis Bona *lib. 2. Rer. liturg. cap. 17.* §. 6. ait. » Sive id fecerint sancti Patres peculiari instinctu, ne » nunquam à Domino separarentur; sive ex consuetudine tunc præcepta, hæc tamen postea abrogata fuit.«

Quidni tamen dicamus, hujus antiqui ritus vestigium, seu reliquias esse, quòd hodie cadaveribus Sacerdotum apponatur calix cæreus cum hostia non consecrata, & consepeliatur?

XXIII. Seculares autem communes laici vestiri non solent neque publicè exponi. Aliquod nihilominus etiam circa laicos, ætate Durandi hujus vestitionis vestigium superfuisse insinuant, quæ loco citato de ritu communi sepeliendi refert: » Debent » (ait) mortui ad hunc modum sepeliri; sudariis videlicet in-» duti, & ut caligas circa tibias habeant, & soleas in pedibus; » quo significent, se ita paratos esse ad judicium.«

XXIV. Hodie cadavera laicorum non ampliùs patenter, sed loculis inclusa ad Ecclesiam deferuntur. Quo autem tempore ritus ille cadavera loculis includendi invaluerit, hactenùs non inveni. Admodum verisimile invaluisse, quando non ampliùs sub vesperam, sed pleno die corpora defunctorum ad templum portari cœperunt: ne scilicet per publicam, & conspicuam cadaverum frequentem delationem per eorum conspectum nimius

(i) *Quoad Regna Hispaniæ adde leg. 15. tit. 6. lib. 5. Recop. leg. 30. Tauri, leg. 12. tit. 13. Part. 1. & leg. 30. tit. 13. Part. 5.*

(k) *Nullo prætextu in Hispania corpora mortuorum detineri possunt, ut constat ex leg. 12. & 13. tit. 9. Part. 7. & leg. fin. tit. 13. Part. 1.*

mius terror hominibus incuteretur. Equidem apparet, tempore Guillelmi Durandi Episcopi Mimatensis, vulgò *Speculatoris*, id est, seculo XIV. nondum receptus, saltem generaliter, ritus cadavera occultandi. Ipse enim in *Rationali Divin. Offic. lib. 7. cap. 159.* referens ritum sepeliendi, non meminit hujus inclusionis faciendæ, nisi uno speciali casu, nimirum si quis moriatur in mari, & terra omninò non videatur, in qua sepeliri queat, *paretur* (ait) *ei domuncula quædam ex lignis, si possit haberi, & projiciatur in mare.*

Quidquid sit, non dubium, quin ritus portandi hodie ipsa Monachorum corpora *patenter* ad templum, & sepeliendi, remanserit ex antiquo ritu omnibus communi. Ulteriùs nec illud dubium apparet, quin consuetudo cooperiendi loculum velo nunc albo, nunc nigro, idque magis, vel minus pretioso pro defunctorum conditione, quin & imponendi insignia, profluxerit ex pristino more ipsum defunctum vestiendi.

XXV. Cadavera mortuorum apud Gentiles plerumque noctu elata fuisse notat Servius ad 11. *Æneydos*, scribens: *Per* NOCTEM *cadavera efferebantur cum faculis*; pluribusque ostendit Gothofredus ad *L. 5. Cod. Theod. de Sepulchris violatis.*

Quin Christiani durante Ethnicorum persecutione corpora noctu ad cryptas, & loca subterranea sepelienda detulerint, dubium non est; at pace reddita Ecclesiæ per Constantinum, claro die cœperunt corpora deferre, uti non obscurum est ex citata *lege* 5. quæ Julianum Apostatam quidem auctorem habet. In hac enim lege clarè supponitur, quòd consuetudo deferendi publicè, & per confertam populi frequentiam cadavera mortuorum invaluisset; quæ consuetudo hîc abrogatur, hac inter alias ratione, quòd *cùm defunctis nihil interest, utrum per noctes, an per dies offerantur, liberari convenit populi totius aspectus.*

Credit Gothofredus, hanc legem in odium Christianorum à Juliano Apostata editam fuisse. Quidquid sit, eam nihilominùs Theodosius Junior per relationem in suum Codicem probasse videtur; ac propterea mos noctu, sive vesperi corpora ad Ecclesiam deferendi rursus, etiam inter Christianos restitutus fuisse apparet; ejusque meminisse videtur S. Ambrosius *lib. de Viduis*: hodieque in Monasteriis passim servatur.

XXVI. Ab hac consuetudine *noctu* corpora efferendi, primitùs originem habuisse morem faces seu funalia incendendi, & corporibus mortuorum præferendi, notat auctor Romæ subterraneæ *lib. 1. cap. 17. num. 29.* & *cap. 18. num. 1.* indeque *funus* dictum à *funibus*, videlicet incensis feretro præferri consuetis, ex Grammaticis plerique autumant, ait idem Auctor *numer. 19.*

XXVII. Quin & Gentilibus moris fuisse, non tantùm faces in efferendis corporibus præferre; sed ad sepulchra mortuorum certis temporibus lucernas accendere, constat ex *L.* MÆVIA ℣ *De manumissis testam.* in qua refertur: quòd Mævia famulis suis libertatem testamento dederit cum hoc onere, *ut monumento alternis mensibus* LUCERNAM ACCENDANT, *& solemnia mortis peragant.* Ad hunc locum reflectens auctor Romæ subterraneæ *lib. 1. cap. 18. num. 2.* ait: » En luminaria accendendi mos, & mortuos hujusmodi ritus colendi ex ipsis supers» titionis gentilitiæ monumentis adnotatus.«

XXVIII. Quin & diurnis funeribus lumina adhibuisse Gentiles, monet citatus Auctor; atque lampadum, lucernarum, ac cereorum usum tam apud Gentiles, quàm Judæos, & etiam primos Christianos fuisse, non tantùm ad effugandas noctis tenebras, sed & ad lætitiam insinuandam, & pium religionis cultum amplificandum, probavit jam pridem S. Hieronymus adversus Vigilantium, & multis adstruit Baronius ad *annum* 58. » Cumque (ait Baronius) hæc ipsa æquè Judæi factita» rent, atque Gentiles; cur non potiùs à Judæis ea, sicut & » pleraque alia, quàm à gentilibus Ecclesiam esse mutuatam di» xerimus? Et si velimus accepta ab illis esse, quid absur» dum si eadem in veri Dei cultum conversa fuerint, ut alia » multa?«

XXIX. Usum cereorum in funeribus plurima antiqua monumenta evincunt. De funere Constantini scribit Eusebius *lib. 4. de vita Constantini, cap. 66.* » Posthæc milites sublatum è lec» to corpus in arca aurea deposuerunt, eamque purpurea obtec» tam veste Constantinopolim deportârunt, atque in præcipuo » Imperialis palatii cubiculo sublimen collocaverunt. Dehinc au» rea super candelabra *luminibus undique accensis*, admirabile » spectaculum intuentibus præbebatur.«

Et Hieronymus in Epitaphio Paulæ ait: *Sacerdotes lampades, cereosque prætulerunt funeri.*

Et de funere Constantii loquens S. Gregorius Nazianzenus dicit, eum elatum esse *luminibus accensis*: additque: *Quibus Christiani transitum honorare pium censemus.* Vide plura apud Onuphrium Panuinum *de Ritu sepeliendi mortuos, cap. 5.*

XXX. Cereos defunctis prælatos fuisse in signum triumphi ob peracti viriliter agonis cursum insinuat S. Chrysostomus homil. 4. in *Epist. ad Hæbræos*, scribens: » Dic mihi quid si» bi volunt istæ fulgentes lampades? An non defunctos tanquam » *athletas* deducimus?«

Eundem in finem decantatos hymnos fuisse in delatione funerum, subjungit Chrysostomus: » Quid etiam *hymni*? An non » Deum glorificamus, & gratias agimus, quòd eum qui ex» cessit, jam coronaverit? Quòd à laboribus liberaverit? Quòd » abjecto metu eum apud se habeat? Nonne ideò sunt *hymni*? » Nonne ideò *psalmodiæ*? Hæc omnia sunt *lætantium.*«

Latiùs de hoc ritu in gratiarum actionem adhibito in mortuorum delatione agit Dionysius Areopagita, seu auctor *de Hierarchia Ecclesiast. cap. 7.* & multis ex antiquitate adductis testimoniis adstruit Onuphrius *citato cap. 5.* & latiùs Auctor Romæ subterraneæ *lib. 5. cap. 19.*

XXXI. Cantum etiam à Gentilibus in funeribus adhibitum fuisse constat; sed lugubrem, quo suum de mortuis mœrorem, & luctum declararent: cui plurima insana, & phanatica externi luctus indicia addebant; in tantùm ut viros, mulieresque ad hoc conducerent, qui suo continuo ejulatu luctum testarentur: quin & ostentationis studio, interdum gladiis brachia impetebant, vulneribus cruentabant, genas vellebant, & capillos evellebant; uti restatur S. Chrysost. *Homil. 61. in cap. 11. S. Joannis.*

Quod autem fanaticus ille plangentium mos in usu olim apud Judæos esset, ex ipsomet Evangelico textu luce clariùs comprobatur. Nam cùm Christus Dominus, in cujusdam Principis Pharisæorum domum, cujus filia è vivis paulò ante abscesserat, eandem à mortuis excitaturus venisset, invenit ibi, (ut Evangelista ait) tibicines, & turbam flentem, atque ejulantem. *Marc. cap. 4. In more enim*, ut Ambrosius ait, *receptum erat, ut in omnis ductione funeris tibicines ad incendendos, excitandosque confluentium luctus adhiberentur, & præficæ*, hoc est, mulieres quæ mercede conducebantur ad deflendum, laudandumque defunctum.

XXXII. Hos immodicos luctus in Christianorum funeribus improbaverunt Patres, (1) ne aliàs Ethnicis occasio daretur religionem Christianam irridendi, quasi aliud factis, aliud verbis probarent Christiani: dum scilicet ritibus suis luctum ostenderent, & ubique verbis prædicarent, mortem à Christianis esse expetendam, esseque transitum è mortali ac misera vita ad æternam, & felicem, ac omnis miseriæ expertem; conformiter ad illud Apostoli: *Nolumus vos ignorare de dormientibus, ut non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent.* 1. Thess. cap. 4. v. 12.

XXXIII. Itaque Ecclesia immodicos, & fanaticos Gentilium, & Judæorum luctus, & lugendi modos rejiciens, & tamen nonnullos eorum retinens, in patentissima lætitiæ signa convertit; uti jam pridem notavit S. Cyprianus in tractatu *de Moralitate*, dicens sibi præceptum, publicè contextari: » Fratres nostros non esse lugendos assertione Dominica de se» culo liberatos, cùm sciamus non eos amitti, sed præmitti, » recedentes præcedere, ut proficiscentes, ut navigantes solent: » desiderari eos debere, non plangi; nec accipiendas hîc esse » atras vestes, quando ibi illi indumenta alba jam sumpserint: » occassionem dandam non esse gentilibus, ut nos meritò ac » jure reprehendant, quòd quos vivere apud Deum dicimus » extinctos, & perditos lugeamus, & fidem, quam sermone & » voce depromimus, cordis & pectoris testimonio non probe» mus.« Adde Conc. III. Tolet. *Can. XXII.* apud Gratianum *Caus. 13. quæst. 2. Can. 28.*

XXXIV. Utque Clerici suo exemplo ostenderent de morte propinquorum non esse dolendum more Gentilium, qui spem non habent, sed potiùs iis congratulandum de triumpho, vetitum fuit Clericis, ne in morte parentum vestes lugubres sumerent. Et quidem Concilium Toletanum *an. 1473. Can. VIII.* „vocat absurdum, & reprehensibilem quorundam „ abusum Clericorum, qui lugubres & luctuosas vestes induunt, „ & flebiliores, quàm suæ congruit honestati, ex eo se red„ dunt, quia parentes, consanguineique eorum, & amici cor„ ruptibilem carnis nostræ molem deponentes, ad æternam pa„ triam de præsentis exilii miseria convolârunt.« Hunc abusum penitùs abolitum vult; „ cùm & secundum sententiam ore „ benedicto prolatam, qui credit in Christum, etiam si mor„ tuus fuerit, vivet.« *Joan. cap. 11.*

Deindè decernit sub pœna suspensionis à perceptione fructuum suorum Beneficiorum per tres menses pro qualibet vice, „ ut ulteriùs *luctuosas* vestes inducere Clerici in sacris or„ dinibus constituti, vel Beneficiati nostræ Provinciæ non au„ deant.«

Hinc indubiè mos non lugendi propinquos mansit apud Regulares, qui nullum solent in vestibus luctus indicium assumere.

Ex

(1) *Idem cautum est in Hispania in L. 8. tit. 1. lib. 1. L. 2. cap. 11. tit. 5. lib. 1. & leg. 9. cap. 2. tit. 1. lib. 2. & Remiss. unica, tit. 5. lib. 5. Recop. quibus addendum est Actum Acordat. 4. cap. 21. tit. 12. lib. 7. ejusd. Recopil.*

XXXV. Ex his tamen nequaquam concludere licet, omnem in morte Christianorum luctum reprehendi, aut à Patribus vetitum fuisse: sed immodicum more Gentilium uti monet S. Augustinus *Serm.* 32. De Verbis Apostoli, sive 172. „Ideo „non admonuit Apostolus ut non contristemur; sed *non sicut „cæteri, qui spem non habent.* Contristamur ergo nos in nos„trorum mortibus necessitate amittendi, sed cum spe recipien„di: inde angimur, hinc consolamur: inde infirmitas afficit, „hinc fides reficit: inde dolet humana conditio, hinc sanat „divina promissio."

XXXVI. Quod suprà dictum de nocturna, vel vespertina cadaverum delatione ad Ecclesiam non ita intelligendum, quasi ipsa nocte, aut vespera sepelirentur; sed ibidem manebant tota nocte exposita, die sequenti sepelienda, imò & nonnunquam pluribus noctibus ibidem insepulta remanebant.

Eo autem tempore hymni & psalmi præsente corpore recitabantur, aut etiam canebantur. Testatur S. Gregorius Turonensis in vitis Patrum *cap.* 30. de S. Gallo, „Delatus in Ec„clesiam, donec Comprovinciales (Episcopi) ad eum sepelien„dum convenirent, jacuit ibi per *triduum*, assiduo instante „*psallentis* magna frequentia populi." Plura habet auctor Ro„mæ Subterraneæ *lib.* 1. *cap.* 20.

XXXVII. Hinc indubiè originem habent Vigiliæ defunctorum; dum enim apud defunctorum corpora in Ecclesiis exposita Fideles orando excubarent, qui aliud, quàm *vigilias* apud defunctos agebant?

In Martyrologio Romano ad diem 14. Februarii legitur: „Sanctorum Proculi, Ephebi, & Apollonii Martyrum, qui „cum *ad corpus* Sancti Valentini *vigilias* agerent, jussu Leonii „Consularis comprehensi, gladio cæsi sunt."

Et in obitu Macrinæ sororis suæ contigisse narrat S. Gregorius Nyssenus, antequam corpus ejus sepulchro inferretur, per totam noctem fuisse productam psalmodiam. „Factum est, (ait) „ut virginum cantu lamentationibus commixto resonaret locus. „Ac dein subdit, perfectam esse nocturnam *pervigilationem* ca„nendis psalmis, ut in Martyrum celebritate."

XXXVIII. His vigiliis hodiernum Officium defunctorum, quod & *vigiliarum* nomen retinuit, respondere, vix dubitari potest.

Constat hoc Officium primis Vesperis, & Officio nocturno; quod ipsum non obscurum indicium est, ex pristinis illis vigiliis descendere, seu potiùs illis successisse.

Cùm enim corpus sub vesperam ad Ecclesiam delatum tota ibidem nocte quiesceret, preces, & vigiliæ, quæ vesperi coram corpore agebantur, primis Vesperis (quæ juxta ritum Ecclesiasticum ad vesperam sequentis diei fieri debent) apprimè correspondent, reliqua verò, quæ de nocte agebatur Officio *nocturno.*

Olim quidem præsente corpore vigiliæ agebantur; quemadmodum & hodie apud Monachos fieri consuevit, idque ex antiquo ritu omnibus communi. At postquam corpora secularium ad Ecclesiam sub vesperam deferri, & nocte exponi desierunt, Officium defunctorum, sive vigiliæ in absentia corporis cantari cœpit: in signum tamen pristini ritûs feretrum vacuum corpus ipsum repræsentans poni solet.

XXXIX. Quandonam Officium defunctorum compositum fuerit, nescio. In Codice Sacramentarii S. Remigii Remensis, quod circa ann. 1000. scriptum credit Hugo Menardus, refertur *Officium pro defunctis*; illudque scripsit Menardus, in notis ad Sacramentarium S. Gregorii; sed ab hodierno Romano planè diversum, non nisi ferè aliquibus commendationibus animæ, & collectis constans.

XL. Hoc autem speciale observat in hoc Officio Menardus, quòd in principio Officii occurrit: *Imprimis cantatur Psalmus* IN EXITU ISRAEL *cum antiphona, vel* ALLELUJA: „ex qui„bus constat (ait Menardus) olim hanc lætitiæ vocem in defunc„torum officio non fuisse prætermissam ob lætitiam, quæ toti „Ecclesiæ ex morte justorum obvenit: ut videre est apud „S. Hieronymum in Epithaphio Fabiolæ, *& jam fama volans „tanti prænuntia luctus totius urbis populum ad exequias con„gregabat, sonabant Psalmi, & aurata tecta templorum in „sublime quatiebat* ALLELUJA; hæc lætitiæ vox à Græcis ca„nitur in Liturgia τῶν κοιμωμένων, id est, de his, qui dormie„runt finita Epistolæ lectione."

XLI. Post hæc *pag.* 262. exhibet Officium ex Codice MS. Rotoldi Abbatis, quem circa finem seculi X. exaratum esse credit. Hoc officium nec Vesperas, nec Officium nocturnum defunctorum continet, sed tantummodò preces & Psalmos recitandos coram ægro agonizante, & statim postquam spiravit.

XLII. Additur insuper oratio dicenda *post lavamen corporis, antequam de domo efferatur.* Tum sequuntur orationes recitandæ in declaratione corporis ad Ecclesiam. Post hæc subjungitur *in Ecclessia autem requiescet corpus defuncti, quousque pro ejus anima Missa canatur, & offeratur ab omnibus, quibus visum fuerit.*

Hîc morem celebrandi Missam pro defunctis, & quidem præsente corpore, nec non morem *offerendi* usitatum fuisse videmus, quem & primis seculis notatum fuisse ex multis testimoniis ostendit Onuphrius loco citato *cap.* 10. & *cap.* 9. etiam *eleemosynas* pro mortuis, condito, & curato funere, datas esse probat ex Origine, & Hieronymo.

XLIII. Ritum celebrandi Missam *præsente* corpore etiam & hodie observari desiderat Rituale Romanum, eumque antiquissimum esse asserit. „Quod antiquissimi est instituti, illud „quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa *præsente cor„pore defuncti*, pro eo celebretur, antequam sepulturæ tra„datur."

Vespertinæ ergò sepulturæ, quæ non rarò singularitatem. aliamve vanitatem sapiunt, non facilè admittendæ: neque eas extra casum necessitatis admittit Rituale nostrum Mechlinien-se, dicens: „Pro laudabili, & antiqua consuetudine Ecclesiæ, „corpus adulti defuncti ante meridiem cum Missa, orationi„busque, & ceremoniis debitis (casu necessitatis excepto) se„peliri convenit."

XIV. Notandum Missam pro Defunctis in citato Codice Ratoldi expressam in multis hodiernæ Romanæ consonare; exceptâ *præfatione*, quæ hîc specialis est; item oratione dicenda infra *Actionem*, in qua specialiùs exprimitur, oblationem hanc fieri pro hoc defuncto. Verba sunt: „Hanc igitur oblationem „quam tibi pro anima famuli tui offerimus, quam hodie carnali „corruptione liberasti, quæsumus, Domine, placatus accipias, „& quidquid humanæ conditionis obreptione contraxit, ex„pedias, ut tuis purificata remediis ad gaudium sempiternum „perveniat per Dominum nostrum Jesum Christum."

XLV. Finitâ Missâ notantur orationes, & responsoria dicenda ad corpus defuncti, antequam terræ mandetur. Hæc rursus multùm cum hodiernis conveniunt. Occurrit quoque hodiernus ritus post Collectam *ter* dicendi *Kyrie-eleyson*; idque tribus repetitis Collectis, prout hodie in Ritualibus præscribitur.

XLVI. Nulla fit mentio *trinæ* thurificationis, uti nec aspersionis aquæ lustralis super corpus defuncti, quæ in Belgio in usu est. Indicium, hos ritus esse recentioris instituti, aut saltem in Ecclesia, ad cujus usum hoc Sacramentarium erat scriptum, tunc nondum fuisse receptos. Rituale Romanum tantùm *unius* aspersionis, & thurificationis meminit.

XLVII. Scitur enim nihil adeò varium olim fuisse pro varietate Ecclesiarum, quàm rituum ac precum similium usum.

Guillielmus Durandus, qui vixit sub finem seculi XIII. describens Officium defunctorum sui temporis, testatur, quòd „in „quibusdam Ecclesiis legantur novem lectiones ex Job, in aliis „verò totidem, sed ex libro sapientiæ. Incipiunt autem hæ hoc „pacto: *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum „convivii.* Sunt rursum aliæ Ecclesiæ, in quibus itidem novem „recitant Lectiones, verùm ex sermone quodam B. Aug. quem „ille composuit de mortuis, & quem finivit in hunc modum. „*Beati mortui, qui in Domino moriuntur*, quod à quibusdam „dicitur sub finem Lectionum loco."

Hæc ille in Rationali Divini Officii *lib.* 7. *cap.* 161.

XLVIII. Porrò in hac rituum, & cæremoniarum varietate à Parochis, aliisque inferioribus tenendus est usus suarum Ecclesiarum præsertim in ipsis Ritualibus, seu Manualibus vel pastoralibus præscriptus. Episcopi verò est ea omnia prohibere, atque è medio tollere quæ vel avaritia, vel irreverentia, vel superstitio veræ pietatis falsa imitatrix, inducere potuisset; soliciteque attendere, ne quæ similia irrepant, puta, determinato numero Missarum, aut precum certam animarum è Purgatorio liberationem addicere; quam superstitionem Synodus demanâsse titulo præcedenti *cap.* 6. monui.

XLIX. Quæ hodie pro defunctis in die ipsius Sepulturæ aguntur, vocari solent *Exequiæ*; quas ab hæredibus (m) pro defuncto persolvendas esse volunt Synodi nostræ. Synodus Cameracensis anno 1567. sub hoc titulo: *Ut hæredes defunctis* JUSTA *rependant*, habet sequens Decretum: „Mandamus præ„terea Pastoribus, ut modestè moneant filios, hæredesque eo„rum, qui ex hoc seculo in Ecclesiæ communione migrârunt, „ut pietatem & gratitudinem erga mortuos conservent; utque „juxta hujus Diœcesis laudabilem consuetudinem, moremque „majorum, christianæ charitatis officia omnia rependant pro suo „quisque modulo ac facultate, ut pote preces, eleemosynas, „Ecclesiæ suffragia, ac Missæ sacrificium: sed in his gerant se „prudenter pastores, evitentque omninò sordidum quæstum, „& omnem avaritiæ labem. Hæredibus autem ipsis, in virtute „S. obedientiæ mandamus, ut parentum defunctorum exequias „non differant ultra sex hebdomadas à die obdormitionis nisi „justis causis per Nos, aut Pastores probandis." (n)

L. Et Pastorale Mechlinien. *tit. de Cura pro mortuis*, ait: „Nec

(m) *Idipsum præceptum est in leg.* 10. & 16. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopilat.*

(n) *Non ab Episcopo, sed à Judicibus secularibus, dict. leg.* 10. & 16. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recop.*

„ Nec celebratio exequiarum ultra sex septimanas à die obi-„ tus, nisi justis de causis per Ordinarium aut Decanum Ru-„ ralem approbandis, differri debet. Quod si dictis sex septimanis „ elapsis hæredes, aut consanguinei defuncti, etiam postquam „ ad hoc à Pastore prænoniti, & requisiti fuerint, illas celebra-„ ri non curent, Pastoris erit negligentiam hanc Domino Or-» dinario, ejusve Promotori denuntiare. «

LI. Similiter S. Carolus in suo I. Mediolan. Concilio *tit. de Funeribus & exequiis*, statuit: Si mortuorum hæredes ita se impiè gesserint, ut religiosum exequiarum institutum negligentes » cruci, Clericis, & funeri debita lumina adhiberi nolint, » ab Episcopo ea comparare cogantur, quæ necessaria vi-» debuntur.“

Meritò autem monet Parochos citata Synodus Cameracensis, ut „ In his gerant se prudenter, evitentque omninò sor-„ didum quæstum, & omnen avaritiæ labem.“

LII. Hanc turpis quæstus & avaritiæ notam difficulter evitabunt Parochi, si in juribus suis exigendis sint duri & difficiles; si pactiones, & conventiones super iis cum hæredibus ineant (de quibus latiùs infra); si suos Parochianos ad fastuosas, etiam non rarò cum summo filiorum aliorumque hæredum incommodo, exequias, aut aniversariorum fundationem, vel multorum sacrorum celebrationem adhortentur.

LIII. Licèt enim Ecclesia probet, imò præcipiat, corpora Defunctorum honorificè, & cultu religioso sepeliri, moderationem tamen in hoc requirit, ut scilicet, nec despecta sit, nec superba sepultura, uti rectè monuit Concil. Remense anno 1583. *tit. de Sepulturis*, *num.* 1. dicens: „ Quantum autem „ attinet ad Christianorum sepulturam, quam nec superbam, „ nec neglectam esse decet, aut despectam, Parochi in hanc „ officii sui partem diligenter incumbant, ut piorum funera „ Christianæ simplicitatis, ac molestiæ limites non excedant.“

LIV. Deinde *num.* 2. Medium, quo id impetretur, suggerit: „ Id autem fiet, si ipsi primum mercede consueta & ho-„ nesta contenti, dein superfluas impensas, quæ propter am-„ bitionem ac fastum fiunt, vel hæredibus relinqui, vel pau-„ peribus erogari suadeant.“

LV. Etiam ipsi Romani Gentiles moderationem sumptuum, & expensarum in defunctorum exequiis desiderârunt; iique arbitrio judicum determinandi erant, *L.* 1. 12. §. 5. & *L.* 14. §. 6. *ff. de Religiosis & sumptibus funerum*; additque posterior, nec testatoris voluntatem sequendam, *si res egrediatur* JUSTAM *sumptus rationem.* (o)

Hinc in Belgio tum Ecclesiasticorum, tum Civilium Magistratuum auctoritate sumptus, & fastum exequiarum non semel moderatos, & limitatos fuisse, juxta qualitatem personarum, scitur. Optandum, ut ubique in his justa, & Christiana moderatio servaretur!

LVI. Ubi deprehenditur populus ad hujusmodi nimias pomposas & superbas sepulturas inclinari, meritò ei dicetur, verbis Augustini *Sermone.* 32. de Verbis Apostoli (qui est hodie *Sermo* 172.) » Pompæ funeris, agmina exequiarum, sumptuo-» sa diligentia sepulturæ, monumentorum opulenta construc-» tio, vivorum sunt qualiacunque solatia, non adjutoria mor-» tuorum. « Idem habet *lib.* 1. *de Civit. Dei*, *cap.* 13.

LVII. Adhæc monendus nonnunquam, quod tametsi indubitatum sit, „ orationibus Sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salu-„ tari, ut eleemosynis, quæ pro eorum spiritibus erogantur, „ mortuos adjuvari; ut cum eis misericordius agatur à Domino, „ quàm meruerunt;“ uti loquitur Augustinus in citato Sermo-„ ne; tamen advertendum esse, quod adjicit idem Doctor: „ Prodesse illa Defunctis; sed talibus, qui ita vixerunt ante „ mortem, ut possint eis hæc utilia esse post mortem. “ Idipsum monet libro de *Cura pro mortuis*, *cap.* 18.

LVIII. Ut verò ad moderatas juxta laudabilem Ecclesiæ consuetudinem exequias defunctis persolvendas fidelis populus excitetur, validum, & securissimum medium est, „ ut in his „ præstandis, qua par est modestia ac devotione, ita se ha-„ beant Parochi, aliique Ministri, ut ad defunctorum salutem, „ simulque vivorum pietatem, quemadmodum verè sunt, non „ ad quæstum, ejusmodi ritus instituti esse videantur: “ ut loquitur Rituale Romanum, *tit. de Exequiis.*

LIX. Qui animadvertit ad modum, quo hæc defunctorum Officia in multis Ecclesiis persolvuntur, intelliget, quàm meritò monerentur Parochi, aliique, quibus cura Officiorum incumbit: ut sedulò advigilent, & strenuè adlaborent, ut vigiliæ, & exequiæ defunctorum Fidelium, solemniter, tractim, graviter & devotè decantentur; quemadmodum Pastoribus suis injunxit vigilantissimus Gandensium Antistes Antonius Triest in suis Decretis *tit.* 11. *cap.* 11.

LX. Monet Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 13. *cap.* 7. „ Quod Clero ob funus, aut exequias defunctorum datur, ne » durante ipso Officio, & spectante populo, sed eodem Offi-» cio finito, iis qui eidem ab initio usque ad finem adfuerint, » distribuatur. «

Hoc decretum utinam attenderent Canonici, & Capellani, qui mox absoluto offertorio, cum summo populli scandalo, & non obscuro indicio animi mercenarii, excurrunt, & medietate vix Officii persolutâ integras totius Officii distributiones accipere non formidant.

LXI. Vult Synodus Cameracensis anni 1604. *tit.* 13. *cap.* 2. ut » brevem semper habeant exhortationem Parochi in sepultu-» ra, & exequiis defunctorum, antequam populum à loco se-» pulturæ dimittant; in eaque ad orandum pro defunctis om-» nes hortentur. «

Non dubium, quin pia esset hæc praxis, & sæpè non inutilis, eò quòd ipsa recens defuncti memoria, & præsentia nata sit conciliare attentionem majorem & vivaciorem de morte, & judicio extremo, aliisque novissimis imprimere ideam. Unde Pastores meritò cogitare, consulere poterunt, quomodò hanc à Synodo propositam praxim ad usum deducere poterunt.

LXII. Olim frequenter esse solebant orationes funebres; hodie verò rariores sunt: atque de his monet hæc Synodus Cameracensis *cap.* 3. ut » in his orationibus ita disertè se gerant » Concionatores, ut assentationem omnem fugiant, & non nisi » ob veras, & compertas virtutes defunctos laudent. « Et Synodus Namurcensis ann. 1639. *tit.* 16. *cap.* 5. monuit: » eas so-» briè habeant Concionatores, potiùs auditores consideratione » mortis & judicii, ad peccatorum fugam excitando, quàm im-» modicè laudes defuncti propalando. (p) «

CAPUT II.

De loco Sepulturæ.

1 *Apud Romanos vetitum fuit intra* urbes *corpora inhumare.*
2 *Hanc legem renovavit Theodosius Junior.*
3 *Prima ratio hujus prohibitionis à Theodosio adducta.*
4 *Secunda ratio hujus prohibitionis; quæ & à Gentilibus probata, sed motivo ethnico.*
5 *Quo sensu eam probârint Christiani.*
6 *Altera pars legis Theodosianæ.*
7 *Quid Martyrum* sedes *in hac lege.*
8 *Cessante Gentilium persecutione Martyrum sepulchra in Urbe permissa fuere.*
9 *Verus sensus legis Theodosianæ.*
10 *Christiani multum desiderârunt sepeliri ad sepulchra Martyrum.*
11 *Sensim invaluit sepultura Urbana; quæ & Constitutione Leonis probata fuit.*
12 *Votum Christianorum fuit ad Ecclesias sepeliri tanquam ad Martyrum sepulchra.*
13 *Qua ratione Ecclesiæ dici possint Martyrum sepulchra.*
14 *Primitùs satis erat in vestibulis Martyrum sepeliri.*
15 *Hoc exemplo Christianis tantùm datum fuit sepeliri in locis* propè *Ecclesias.*
16 *Hæc loca cur dicta sint* Cœmeteria.
17 *Apud Romanos inhumatio corporis reddebat locum religiosum.*
18 *Ecclesia hodie requirit, ut locus sepulturæ sit prævià religiosus.*
19 *Cœmeteria hodie debent benedici.*
20 *Quando benedici cœperint.*
21 *Non apparet, quòd olim fuerint benedictio cœmeterii separata à benedictione Ecclesiæ.*
22 *Hodie cœmeterium per specialem ritum, & formulam benedictionis dedicatur.*
23 *Concilium Lugdunense à cœmeteriis abesse vult actiones profanas.*
24 *Quid pro reverentia cœmeteriorum statuerint Synodi Belgicæ.*
25 *Ostenditur ex hodierno ritu benedictionis, cœmeteria ad inhumationem corporum specialiter destinari.*
26 *Concilium Bracarense vetuit quemquam in Ecclesia sepeliri.*
27 *Idipsum vetat Concilium Nannetense seculo IX.*

(o) *Philippus II. Hispaniarum Rex die* 20. *Martii anno* 1565. *sua Pragmatica Sanctione* (*quæ hodie est L.* 10. *tit.* 5. *lib.* 5. *Recop.*) *cap.* 10. *idem stabilitum est, quod etiam posteà servari mandatum est in leg.* 16. *cap.* 6. *tit.* 26 *lib.* 8. *Recop. & ejus executio Tribunalibus Secularibus commissa est per leg.* 9. *cap.* 2. *tit.* 1. *lib.* 2. *& Actum Acordatum* 4. *cap.* 21. *tit.* 12. *lib.* 7. *Recopil.*

(p) *In Galliis oratio seu laudatio funebris fieri non potest sine prævio Episcopi consensu: ita decrevit Concilium Burdigalense an.* 1624. *celebratum, cap.* 20 de Sepulturis. „ *In fu-„ neribus, inquiunt Patres hujus Synodi funebres orationes „ haberi sine Episcopi licentia prohibemus. Quæ tamen si un-„ quam fieri concedantur, caveant Concionatores ne vana vanè „ commendare censeantur.*“ *Idem quoque antea decreverant Concilia, Aquense an.* 1583. *tit.* de funeribus, & exequiis; *Tolosanum ann.* 1590. *part.* 2. *cap.* 10. de cura pro mortuis, &c.

28 *In hoc Concilio occurrunt tria loca sepulturis designata ; & quid sit* atrium.
29 *Quid* porticus ; *& quid* exedra.
30 *Capitularia Regum Francorum prohibent sepeliri in Ecclesiis.*
31 *Circa idem tempus cœpit Sacerdotibus, & quibusdam laicis, ob vitæ meritum sepultura in Ecclesia concedi.*
32 *Exceptio hæc laicis occasionem ambiendi, & Sacerdotibus annuendi sepulturam in Ecclesia subministravit.*
33 *Ex sepulturis in Ecclesia Sacerdotes emolumentum capere cœperunt.*
34 *Ambitione, laicorum, & cupiditate Sacerdotum impelentibus pristina disciplina penè interiit.*
35 *Licèt Ecclesia de pristina disciplina multum remiserit, non tamen eam omninò dimissit.*
36 *Id ostendit hodierna cœmeterii specialis benedictio.*
37 *Idem evincunt recentiores Synodi ; & quid circa hoc punctum statuerit Synodus Rothomagensis.*
38 *Concilium Remense vetat concedi sepulturam in Ecclesia sine consensu Superiorum.*
39 *Synodus Burdigalensis inter* gravissimos *abusus circa sepulturam reponit morem sepeliendi promiscuè in Ecclesiis.*
40 *Pristinum morem sepeliendi in cœmeteriis conservari optat Rituale Romanum.*
41 *Præcipit, ut dum in Ecclesia locus datur, tantùm humi, & non propè altare detur.*
42 *Quæ à S. Carolo circa hoc punctum statuta sint.*
43 *Quid hîc ab Episcopis attendendum.*
44 *Quommodo Parochi se gerere debeant.*
45 *Decretum Episcopi de non danda sepultura in Ecclesia sine suo consensu, probatum à Parlamento Parisiensi.*
46 *Locum sepulturæ assignare quibus competat.*
47 *Non facilè excludendus Parochus.*
48 *Usus sepulchrorum familiarium, & hæreditariorum apud Romanos.*
49 *Jus sepulchri familiaris occasione juris Patronatus; & quandiu duret.*
50 *Quibus modis hodie plerumque hujusmodi sepulchra acquirantur.*
51 *Non probanda solicitudo de extructione sepulchrorum.*

I. APud Romanos jam pridem vetitum fuisse in civitatibus hominem sepeliri, notum est ex Lege 12. Tabularum, quæ dicebat : *hominem mortuum* IN URBE *ne sepelito, neve urito.* Et teste Ulpiano in *L.* 3 §. 5. *ff. de Sepulchro violato*, Adrianus Imperator, edicto pœnam 40. aureorum statuit, in eos, qui *in civitate sepeliunt.* Renovatum est rursus hoc jus per Constitutionem Diocletiani & Maximiani in *L.* 12. *Cod. de Religios. & sumpt. funer.*

II. Verùm cùm harum legum observatio sensim variis prætextibus exolesceret, secuta est ann. 381. Constitutio Teodosii Junioris, quæ refertur in *L.* 6. *Cod. Theod. de Sepulchro violato.*

Hic primò decernit Theodosius, » Omnia, quæ supra ter» ram urnis clausa, vel sarcofagis corpora detinentur *extra ur*» *bem* delata ponantur, ut & humanitatis instar exhibeant, & » relinquant incolarum domicilio sanctitatem. « Dein pœnam subjungit in legis prævaricatores.

III. Per hæc verba, *Ut & humanitatis instar exhibeant*, significare voluit Theodosius, ipsa mortuorum sepulchra ad vias publicas, & in agris meritò poni, ut exhibeant hominibus humanæ fragilitatis & mortalitatis exemplar, sive *speciem*, vel *effigiem* : quod voci *instar* juxta græcam interpretationem respondere notat Gothofredus ad hanc legem. Et hæc est prima ratio prohibitionis à Theodosio expressa.

Hanc ipsam rationem hujus prohibitionis assignat Varro *lib.* 5. *de Lingua Latina.* » Sepulchra (ait) ideo secundum *viam* » sunt, quo prætereuntes admoneant, & se fuisse, & illos es» se mortales. « Huc pertinent, & tituli sepulchrorum : *Siste, aspice, cave Viator.*

IV. Altera ratio exprimitur his verbis ; *Ut ita relinquatur Incolarum domicilio sanctitas.* Quæ ratio, sed sensu diverso à Gentilibus olim allegata fuisse videtur. In citata enim *Leg.* 12. Diocletianus, & Maximianus dicunt : *Ne tamen municipiorum jus polluatur.* Et Paulus Jurisconsultus *lib.* 1. *sent.* 21. ait : *Corpus in Civitatem inferri non licet, ne funestentur sacra civitatis,* Gentilibus enim persuasum erat, Diis superis sacrata solo aspectu, vel contactu rei funestæ contaminari ; & Sacerdotes si vel *funus* viderent, vel domum funeris ingrederentur ; uti notat Gothofredus ad *L.* 5. & 6. *Cod. Theod. de Sepulchro viol.*

V. Cæterùm Imperatores Christiani sanctitatem civitatum violari credebant per corpora mortuorum, quod nimio suo fœtore civitates inficerent. Unde & Isidorus *lib.* 14. *Orig. cap.* 12. vetitæ sepulturæ in civitate hanc rationem reddit, ne fœtore ipso corpora viventium contra inficerentur.

VI. Hæc quoad primam partem legis Theodosianæ. Secunda pars continetur finalibus his verbis : » Ac ne alicujus fallax, » & arguta solertia ab hujus se præcepti intentione subducat, » atque Apostolorum, vel Martyrum sedem humanis corpori» bus æstimet esset concessam, ab his quoque, ita ut à reliquo » civitatis, noverint se atque intelligant esse submotos. «

VII. Pro intellectu horum verborum notandum *per Apostolorum, & Martyrum sedem* intelligi sepulchrum seu conditorium, in quo reliquiæ, vel corpora Apostolorum, vel Martyrum condita erant.

VIII. Ulteriùs notandum, Christiana Religione jam invalescente, Sedes sive sepulchra Apostolorum, & Martyrum *intra urbes* permissa fuisse ; quantumvis privatorum sepulchra in urbe esse non possent : imò passim corpora Martyrum, licèt tempore persecutionis extra urbem sepulta, ad urbem translata atque honorificè condita fuisse. Ad has Sedes, sive sepulchra ædiculæ, imò & Ecclesiæ ædificabantur, quæ vulgò *Martyria* dicta fuerunt.

IX. Cùm Martyrum sepulchra in ipsis civitatibus permitterentur, nonnullorum *fallax, & arguta solertia*, contendebat, hæc sepulchra à lege generali, vetante loca civitatis sepulturæ deputari, esse excepta ; quasi in hisce saltem sepulchris Martyrum privatorum quorumcunque cadavera sepeliri liceret. Hanc igitur persuasionem hîc vocat Theodosius *fallacem, & argutam solertiam* ; & ut talem rejicit.

X. Interim privatos quosque admodum desiderâsse, apud Martyrum loca sepeliri, constat ex hac lege Theodosii, partim urbanæ sepulturæ præjudicio à Martyribus ipsis petito, partim pietatis motu desiderantes & corpora sua post mortem corporibus Martyrum sociari ; nonnunquam forsan, & ambitione. De hoc desiderio videri potest Augustinus de octo Dulcitii quæstionibus *quæst.* 2. Et ipsum Augustinum scripsisse librum *de cura pro Mortuis*, cùm interrogatus litteris fuisset, utrum prosit cuique post mortem, quòd corpus ejus apud Sancti alicujus memoriam sepeliatur, testatur ipsemet *lib.* 2. *Retract. cap.* 64. Quæ interrogatio sat ipsum populi desiderium rursus insinuat. Ostendit & eodem libro Augustinus, quid prodesse queat, corpora apud Sanctorum memoriam sepeliri, asseritque inter alia ; » Profectò etiam provisus sepeliendis corporibus » apud Memorias Sanctorum locus, bonæ affectionis humanæ » est erga funera suorum : quoniam si nonnulla religio est ut se» peliantur, non potest nulla esse, quando, ubi sepeliantur, at» tenditur.«

XI. Hoc itaque populi desiderio, partim pietate, partim æmulatione, & ambitione subnixo, sensim sepulchra urbana invaluerunt ; donec tandem Leonis Imperatoris Constitutione in *Novella* 53. data fuit plena libertas, vel intra, vel extra urbem sepulturam eligendi, abrogatâ contrariâ lege civili : » Ne igi» tur (ait) ullo modo inter *civiles* leges hæc lex censeatur, san» cimus : quin potiùs, ut *à consuetudine* rectè contemnitur, sic » etiam decreto nostro prorsus reprobatur.«

Hîc etiam indicatur, legem hanc de non sepeliendo in civitate, *consuetudine* fuisse contemptam ante hoc Leonis Decretum.

XII. Pôrrò cùm Christianis maximè in votis esset, apud Martyrum, sive Sanctorum Sedes, vel sepulchra inhumari, ut per conjunctionem cum Sanctis etiam corpora eorum quodammodò sanctificarentur, & eorum intercessione juvarentur : cœperunt eodem spiritu expetere, & desiderare apud ipsas Basilicas, sive Ecclesias sepeliri.

XIII. Sicuti enim primitùs ipsi Christiani loca suorum Ecclesiasticorum Conventuum habebant ad sepulchra Martyrum, ut propterea *Martyria* fuerint appellata ; ita postmodum cessante persecutione, religiosè servatum fuit, nullam consecrari Ecclesiam sine reliquiis Sanctorum ; ut hoc pacto, ipsæ Ecclesiæ ad sepulchra Martyrum quodammodò exstrui ritu veteri censerentur, seu potiùs Sedes & dormitoria Martyrum haberentur ; ut proinde ad Ecclesias sepeliri, esset sepeliri ad Memorias, sive sepulchra Martyrum.

XIV. Verùm primis Christianis satis erat, si ad limina Martyrum inhumarentur ; adeò ut vel ipsi Imperatores id sibi honori ducerent, uti testatur S. Chrysostomus *Homil.* 26. *in* 2. *ad Corinth.* scribens : » Imperatores pro magno habuere, si » juxta Apostolorum saltem vestibula corpora ipsorum sepeli» rentur, fierentque Reges Piscatorum janitores. «

XV. Hoc primorum Christianorum exemplo factum, ut Chistianorum sepulturis non ipsæ Ecclesiæ, sed loca prope ipsas Ecclesias designata, & concessa fuerint ; idque tam intra, quàm extra urbes, ubicunque Ecclesiæ Parochiales, sive publicæ essent extructæ.

XVI. Hæc loca humandis corporibus destinata, varia quidem olim nomina sortita sunt, quæ latè exponuntur ab Auctore Romanæ Subterraneæ ; qui & antiquorum sepulchrorum, & cryptarum arenariarum formas explicat, & exhibet.

Usitatiùs autem & olim & hodie dicuntur *cœmeteria* à græco verbo κοιμάω, quod *dormire* significat.

II-

Illa autem vox appositè data est loco, in quo humantur corpora *Christianorum*; utpotè qui ob spem gloriosæ resurrectionis non tam mortui jacere, quàm *dormire* dicuntur, *Joannes cap.* 11. ubi Christus Lazarum, qui erat mortuus, *dormire* dixit. Et Apostolus 2. Thessalonic. 4. *Nolo vos ignorare de* DORMIENTIBUS; ubi Hieronymus ait: *Eos* DORMIENTES *appellari, quia certum est, eos resurrecturos.* Eandem rationem urgent, & alii Patres, quos citat Joannes Durandus de Ritibus Ecclesiæ *lib.* 1. *cap.* 23.

XVII. Apud Romanos quilibet locum suum proprium reddebat *religiosum*, si in eum *mortuum* sepeliebat; aut saltem partem ejus principalem, puta caput, uti ait Jurisconsultus in *L.* 44. *ff. de Religiosis & sumpt. funerum*; qui dein addit: » Cùm autem impetratur, ut reliquiæ transferantur, desi» nit locus religiosus esse.“ Hinc manifestum, tota loci religiositatem ex ipsa corporis inhumatione desumi. Unde & in *L.* 2. *ff. eod.* Celsus ait: » Non totus, qui sepulturæ destinatus est, lo» cus religiosus fit, sed quatenus corpus humatum est.

XVIII. Hodie apud Catholicos locus non efficitur *religiosus* per ipsam corporis humani inhumationem; sed per preces, & benedictiones Sacerdotales priùs religiosus redditur, & benedicitur, ut in illum corpora Catholicorum inferantur; imò si quis locum non religiosum in sepulturam elegisset, hujusmodi electio spernenda esset; uti capite sequenti dicetur.

XIX. Unde ut cœmeterium corporibus Christianorum humandis deserviat, priùs in locum religiosum per Episcopum solemni ritu erigendum, & consecrandum est.

XX. Quandonam verò hic ritus consecrandi, seu benedicendi cœmeteria initium sumpserit, incertum est. Interim videtur S. Gregorius Turonensis de Gloria Confessorum *cap.* 106. benedictionis istius meminisse. Refert enim, quòd cùm ipse monuisset Abbatissam Monasterii Pictaviensis, ut corpus B. Radegundis Francorum Reginæ sepeliret; illa responderit: Et quid faciemus, si Episcopus Urbis non advenerit? Quia locus ille, in quo sepeliri debet, non est *Sacerdotali Benedictione* sacratus. Hoc sanè responsum non obscurè innuit, ibi etiam moris fuisse, ut locus sepulturæ prævie sacraretur; & quidem benedictione Sacerdotali, seu Episcopali.

XXI. Quidni dicamus, cœmeterii consecrationem cum ipsa quodammodò Ecclesiæ consecratione cœpisse; seu potiùs cœmeterium tanquam partem, & appendicem, aut veriùs aream, vel porticum ipsius, unà quasi consecratione cum ipsa Ecclesia consecratum fuisse? Quod innuere videtur Innocentius III. in *Cap.* 2. ✠ *de Consecrat. Ecclesiæ*, scribens: » Cœmeteria ve» rò, in quibus excommunicatorum corpora sepeliuntur per » suorum violentiam propinquorum, reconcilianda erunt asper» sione aquæ solemniter benedictæ, SICUT *in Ecclesiarum de*» *dicationibus* consuevit.“

XXII. Similiter declarat Bonifacius VIII. quòd pollutâ Ecclesiâ etiam pollutum censeatur cœmeterium contiguum; tanquàm nimirum Ecclesiæ *accessorium*, ut ibidem significat.

Extat quidem in hodierno Pontificali Romano specialis ritus, seu forma benedictionis cœmeterii per Episcopum faciendæ; sed quo tempore hæc formula præscripta sit, nescio. Hoc interim constat, cœmeterium per solemnem benedictionem è loco profano effici locum religiosum; imò tanquam Ecclesiæ appendici etiam de jure immunitatem localem esse indultam.

XXIII. Ecclesias, & cœmeteria tanquam loca religiosa junxit Concilium Lugdunense sub Gregorio X. decernens, ut » cessent in Ecclesiis, earumque cœmeteriis negotiationes, & » præcipuè nundinarum, ac fori cujuscunque tumultus, omnis » in eis secularium judiciorum strepitus conquiescat, nulla ini» bi causa per laicos criminalis agitetur, sint loca eadem à Lai» corum cognitionibus aliena. «

XXIV. Synodi nostræ Belgicæ specialem venerationem cœmeteriis, tanquam locis religiosis deberi, etiam significant plura, quæ ad decorem, & venerationem eorum conducunt, statuentes. Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 13. *cap.* 6. ait: » Cœ» meteria diligenter sepiantur, & claudantur, nec animalia in » eisdem ad pascendum admittantur, multò minùs in eis sordes » fiant, aut aliunde inferantur. Qui in istis culpabiles fuerint, » arbitrio Episcoporum puniantur. «

Synodus Mechliniensis *tit.* 11. *cap.* 16. ait: » Cœmeteria » muris, fossis, aut sepibus ita concludantur, ut equis, vaccis, » porcis, aliisque similibus animalibus nullus pateat accessus. «

Dein *cap.* 17. » Nec sine gravi injuria loci sacri tolerari » potest, ut in cœmeteriis tripudietur: ideoque id districtè pro» hibemus.“

Denique *cap.* 28. » Liba quoque, & placenta, & similia in » cœmeteriis non vendantur: neque strues lignorum in eis fiant, » lignave congerantur: & generaliter nihil in eis permittatur, » quod loci religioni ac sanctitati repugnet. «

Similia in aliis Synodis passim inculcantur, quæ quomodo cum hodierna cœmeteriorum promiscua profanatione consistant, Prælatorum, Parochorum, aliorumque, quibus hæc cura incumbit, est attendere, & remedium opportunum adhibere.

XXV. Interim ex ipsius cœmeterii benedictionis formula, quæ hodie in Pontificali extat, sat constat, cœmeterium unicè benedici ad inhumationem corporum humanorum, uti ex benedictionibus, & Collectis constat; quæ omnes ad corpora in illis humanda respiciunt.

Et quidem in ipso benedictionis initio precatur Pontifex benedicens: » ut purgetur, benedicatur, sanctificetur, & conse» cretur hoc cœmeterium, ut humana corpora hîc post vitæ » cursum quiescentia, in magno judicii die simul cum felicibus » animabus mereantur adipisci vitæ perennis gaudia. «

Et in alia oratione Deum supplicat: » famulorum, famula» rumque tuarum corporibus in hoc cœmeterium intrantibus » quietis sedem, & ab omni incursione malorum spirituum tu» telam benignus largitor tribuas.“ Et rursus in altera: » Hanc » terram quæsumus ad usum *sepulturæ* de benedictione tui se» pulti corporis consecrare digneris.“

Hæc & similia in ritu benedictionis cœmeterii occurrentia evincunt, cœmeteria propriè ad usum sepulturæ ex intentione Ecclesiæ destinari, & benedici; non ita verò ipsa templa, in quorum etiam consecratione corporum in eis sepeliendorum mentio non fit; nec orationes, aut benedictiones ad sepulturam corporum diriguntur.

XXVI. Et sanè sicuti antiquitus Christiani non in ipsis Martyrum sepulchris, sed ad limina sepulchrorum Martyrum sepeliebantur; imò ut ibidem sepeliri possent privilegii loco habebant, uti suprà dictum est, ita quoque non in Ecclesiis, in quibus Martyrum corpora requiescunt, sed in cœmeteriis sepeliri corpora mortuorum visum fuit.

Concilium Bracarense I. *Can. XVIII.* » Item placuit, ut » corpora defunctorum nullo modo intra Basilicam Sanctorum » sepeliantur: sed si necesse est, deforis circa murum Basi» licæ usque adeò non abhorret.

XXVII. Apud Gratianum *Caus.* 13. *q.* 2. *Can.* 15. „Pro» hibendum est etiam secundum Majorum instituta, ut in Ec» clesia nullatenus sepeliantur, sed in atrio, aut in porticu aut » in exedris Ecclesiæ. Intra Ecclesiam verò & prope altare, ubi » corpus & sanguis Domini conficitur, nullatenus sepeliantur.“

Refertur hoc Decretum à Gratiano sub nomine *Synodi Varensis*; sed uti monent Correctores Romani, non reperitur in hujusmodi Synodo, sed extat in Concilio Nannetensi anni 850. è quo etiam refert Regino *lib.* 1. *cap.* 125. & Burchardus *lib.* 3. *cap.* 159.

XXVIII. Interim ex hoc Canone colligimus, tria fuisse loca sepulturis destinata; sed tamen extra ipsam Ecclesiam, nimirum *atrium*, *porticum*, & *exedram.*

Atrium propriè quidem est spatium vacuum, quod remansit ex area, sive solo ubi ædificata est Ecclesia; atque ita atrium omnem circumdabit Ecclesiam: hîc tamen accipitur, pro ea parte, quæ proxima januis est, in qua vestibulum est: & ita apud Ecclesiasticos auctores passim summi, probat nonnullis adductis testimoniis Stephanus Baluzius in *notis ad Regionem, pagin.* 557.

XXIX. Porticus, ait ibidem Baluzius, est locus deambulationi aptus, ut sunt claustra Ecclesiarum, & Monasteriorum.

Exedræ significatio obscurior est. Verisimile apparet, exedras constituisse partem murorum Ecclesiæ; atque fuisse loca circa Ecclesiam constructa in muris Ecclesiarum, in quibus sedere liceret; uti etiamnum in aliquibus Ecclesiis videmus.

In muro ergo illo prominenti cum nonnulli dein sepeliri cœpissent, cameras quasdam, ac fornices constituebant in *exedra*, in quibus eorum corpora conderentur; testaturque Baluzius quòd istiusmodi cameræ plures etiamnum videantur in circuitu Ecclesiæ Tutelensis.

XXX. In his igitur tribus locis propè Ecclesiam, sed non intra Ecclesiam sepeliri mortuorum corpora permittit hæc Synodus seculo IX. quod & aliis pluribus Synodis sub idem tempus decretum fuit. In *lib.* 1. *Capitularium Regum Francorum, cap.* 158. legitur: » ut nullus deinceps in Ecclesia mortuum se» peliat. « *Et lib.* 2. *cap.* 48. » Ut de sepeliendis in Basilicis » mortuis constitutio illa servetur, quæ antiquis Patribus constituta est. Hæc eadem verba occurrunt in *Can. XXI.* Concilii Arelatensis VI. anno 813.

XXXI. Sed illud notandum, sub idem tempus cœpisse non tantùm Episcopis, & Presbyteris, sed & quibusdam laicis honoris causâ sepultura in ipsis Ecclesiis concedi.

Seculo VIII. S. Theodolphus Episcopus Aurelianensis in Epistola ad suos Presbyteros prohibens, ut nemo in Ecclesia sepeliatur, addit hanc clausulam: » Nisi fortè talis sit persona » Sacerdotis, aut cujuslibet justi hominis, quæ per vitæ me» ritum, talem, vivendo, suo corpori defuncto locum ac» quissivit.“

Non absimilis exceptio in pluribus ejusdem ætatis Decretis legitur.

XXXII. Cùm autem *vitæ merita*, ob quæ hæc prærogativa esset indulgenda, determinata non essent, hæc exceptio latum campum aperuit laicis sepulturam in Ecclesia ambiendi: &

& Sacerdotibus plenam eam annuendi libertatem.

XXXIII. Accedebat, quòd ex sepulturis intra Ecclesiam frequenter emolumentum notabile in Sacerdotes redundaret; dum vel laici, ut honoratiorem Sepulturæ locum acciperent, in faciendis oblationibus erant liberaliores; vel etiam ipsi Sacerdotes pro locis honorabilioribus pretium exigere non erubescerent; uti ex Decretis contra hanc Sacerdotum exactionem infra referendis abundè patescit.

XXXIV. Mirum! quanta velocitate, duobus hisce scilicet laicorum ambitione, & Clericorum cupiditate impellentibus, disciplina hæc antiquitùs religiosè observata de non sepeliendis mortuis in Ecclesiis, quasi ad interitum descenderit; ipsæque Ecclesiæ factæ sint divitum quorumcumque cœmeteria, in sepulturam pauperum duntaxat relictis cœmeteriis.

XXXV. Verùm Ecclesia eodem semper spiritu animata, licèt pro temporum & circumstantiarum conditione nonnunquam de externa disciplina aliquid remittat, prout indubiè in hoc puncto multum remisit; satis tamen ostendit, quòd in hoc articulo disciplinæ eodem spiritu agatur, neque à pristina disciplina recedat, nec de ea remittat, nisi necessitate & conditione temporis quodammodò cogente.

XXXVI. Ut quid enim etiamnùm hodie specialem illum ritum benedicendi cœmeteria retinet, nisi ut ostendat, locum proprium sepeliendis mortuorum corporibus esse cœmeterium?

XXXVII. Ipsa nostri penè temporis Concilia eundem Ecclesiæ spiritum exprimunt, dum promiscuam illam sepeliendi in Ecclesiis, modò pecunia sufficiens detur, consuetudinem improbant; & quantum temporis conditio ferebat, inhumationem corporum ad cœmeteria relegant.

Concilium Rothomagense anno 1581. tit. *de Curatorum officiis*, *num.* 31. ait: » Non adeò promiscuè (ut nunc fit) mortui sepeliantur in Ecclesiis, ac ne quidem ditiores, ne is honor detur pecuniis potiùs, quàm gratiis Spiritûs Sancti; sed hoc servetur Deo sacratis specialiter hominibus, eò quòd præ aliis eorum corpora templa sint Christi, & Spiritus Sancti, & aliis in sublimitate & dignitate tam Ecclesiastica quàm seculari constitutis, quandoquidem & isti Dei ministri sunt, atque organa Spiritus Sancti: aliis insuper qui nobilitate, vel virtutibus, vel meritis erga Deum, & Rempublicam fulgent. Cæteri piæ, & religiosè in cœmeteriis ad hoc dedicatis sepulturæ tradantur."

XXXVIII. Anno 1583. Concilium Remense, *tit. de Sepulturis*, voluit, ut » omnes Christiani, quibus Sepultura non est interdicta, in cœmeteriis, non autem in Ecclesiis sepeliantur, nisi (ait) fortè de consensu Superiorum. Superiores autem non passim omnibus id privilegii concedant, sed in ejusmodi concessionibus delectum habeant personarum."

XXXIX. Quin & eodem anno habitum Concilium Burdigalense *cap.* 30. inter gravissimos abusus circa sepulturas recensuit hanc promiscuam sepeliendi in Ecclesiis licentiam; statuitque „ ut in Ecclesiis deinceps nulli sepeliantur, nisi fueri Sacerdotes, prout jura præscribunt, vel sacris initiati, & religiosi, Ecclesiarumve Patroni. Alii autem, qui nobilitate, auctoritate, meritisque in Deum, & Religionem commendati fuerint, ad id cum licentia Episcopi admittantur. Cæteros verò in cœmeteriis, & polyandris, quæ olim etiam illustriores non aspernabantur, sepeliri mandamus."

Hîc obiter nota, quòd *jura*, quæ reclamat Concilium, esse *Canonem* 18. *Caus.* 13. *quæst.* 2. ubi ex Concilio Moguntino refertur: » Nullus mortuus in Ecclesia sepeliatur, nisi Episcopi, aut Abbates, aut digni Presbyteri, vel Fideles laici."

XL. Hæc sat clarè ostendunt, Ecclesiam non planè abjecisse pristinam Patrum disciplinam, sed è contra optare, ut & hodie servaretur. Quod ipsum Rituale Romanum sub Paulo V. expressit, dicens: » Ubi viget antiqua consuetudo sepeliendi mortuos in cœmeterio, retineatur, & ubi fieri potest, restituatur."

XLI. Addit idem Rituale: » At verò cui locus sepulturæ dabitur in Ecclesia, humi tantùm detur. Cadavera autem prope altaria non sepeliantur."

XLII. Consonant hisce, quæ S. Carolus habet in Concilio I. Mediolanensi *part.* 2. *cap.* 61. » ubi imprimis monet Episcopos, ut morem multis locis intermissum, mortuos in cœmeteriis sepeliendi, restituendum curent." Deinde addit: » Et si cui locus sepulturæ deinceps dabitur in Ecclesia, humi tantùm detur; & sepulchrum, in quo condetur, opere fornicatu cum reliquo Ecclesiæ pavimento æquatum sit."

Et in Concilio Mediolanensi IV. *part.* 1. *cap.* 13. statuit; » Ne sepulturæ locus quovis nomine cuiquam detur, ut sepulchra fiant, constituanturve in ulla quavis Ecclesia, sine Episcopi consensu *scriptis* exarato."

Post hæc addit: » In choro autem, vel capella majori nullo modo, nec verò in aliis Ecclesiæ locis prope altaria, nisi tam longè sepulchra distent, ut sepulchrale os schabello, seu brachio della altaris procul absit spatio saltem cubitorum trium, quæ autem propriùs extructa jam sunt, omninò amoveri, obstruique decernimus." (q)

XLIII. Episcoporum erit attendere, quousque conveniat conformiter ad tot Conciliorum Decreta, antiquam disciplinam & consuetudinem sepeliendi mortuorum cadavera in cœmeteriis restituere; & qua moderatione in Ecclesiis sepultura sit annuenda: ut si ab Ecclesia removeri nequeant, saltem ab altaribus removeantur, ne ipsa putrida cadavera, etiam nonnunquam ipsorum impiorum hominum, tanquam Sanctorum reliquiæ vel sub altaribus condi videantur.

XLIV. Parochi in his locis concedendis, vel negandis frequenter parum possunt, præsertim contra inveteratam consuetudinem; ipsique præcipuè attendere debent, ne turpis quæstûs gratiâ appetere videantur sumptuosas sepulturas vel exequias. Si quid verò pro decore Ecclesiarum, aut disciplinæ, contra inolitum morem statuendum aut faciendum credant, consultius erit id Episcopis, aliisve Superioribus indicare, & committere, ut ipsi auctoritate sua statuant, quod pro temporum & locorum conditione convenire judicaverint.

XLV. Refert Franciscus Pinsonius in tractatu *de Beneficiis*, ad verba *Cum suo reditu*, *cap.* 3. *p.* 1. §. 4. *num.* 6. Episcopum Silvanectensem Synodali Epistola, Compresbyteris suis mandâsse, ne intra Ecclesiarum septa sine suo jussu vel litteris commendatitiis defunctorum corpora inferrent: cumque ab hoc Decreto per appellationem tanquam *ab abusu* ad Senatum Regium esset causa devoluta, tandem perorante Advocato Regio die 8. Martii 1650. pro Episcopo esse pronuntiatum.

XLVI. Porrò inspectâ modernâ Ecclesiæ disciplinâ, locum sepulturæ eligere in Ecclesia ferè solis Patronis aut Fundatoribus competit; quibus etiam in choro locus dari consuevit; idque inter jura honorifica computari notavimus supra *tit.* 25. *cap.* 7 aliàs locum sepulturæ in Ecclesia nemo sibi propria auctoritate eligere potest; sed is designandus ab iis, qui Ecclesiis præsident, earumque curam habent. Et quidem quia Ædituis Ecclesiarum cura Fabricæ incumbit, etiam consuetudo in multis Ecclesiis jus designandi locum sepulturæ eisdem detulit; uti notat Carolus Fevretius de Abusu *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 31.

Ex Cujacio refert Mornatius ad *L.* 4. *ff. de Mortuo inferendo*, „ in antiquis inscriptionibus solere notari locum ponendarum statuarum, vel extruendi monumenti, datumque eum esse decreto Decurionum, ut intelligeretur statuas jure esse positas, vel extructum decreto Decurionum monumentum. Notabatur ejusmodi concessio his litteris sigulariis, L. D. D. D. I. I. *locus decreto Decurionum datus*: servantque hactenus hunc morem Ecclesiæ Parisienses. Nemini enim licet Epitaphios in eis titulos parietibus, columnisve præfigere, corporaque ulla condere, nisi concesserint æditui, seu matricularii, ut loquimur: & quamvis publica videatur vasta illa Innocentium Lutetianorum ossuaria, jus tamem ab S. Germani Antisiodorensis Ecclesia petendum est, soletque propterea in Epitaphiis ferè omnibus hoc subjici: *par la permission de Messieurs de S. Germain de l' Auxerrois.*" (r)

XLVII. Hæc Mornacius: circa quæ singularum Ecclesiarum consuetudo maximè attendenda. Non facilè tamen Parochus in hoc puncto negligendus, aut excludendus; cùm etiam ipsi Gentiles Romani, curam funeralium Pontificibus tanquam rerum sacrarum ministris detulerint: nam ut Cicero ait *Oratione de Arusp.* Numa II. *Pontificibus ipsis justorum funebrium curam demandavit*: & latiùs probat auctor Romæ Subterraneæ *lib.* 1. *cap.* 17. *numer.* 6. & 7.

XLVIII. Apud Romanos moris fuisse, ut quis non tantùm sibi, sed & familiaribus & hæredibus sepulchrum construere, indubitatum est; dicitque Jurisconsultus Cajus in *L.* 5. *de Religiosis & sumptibus funerum.*

Familiaria sepulchra dicuntur, quæ quis sibi, familiæque suæ constituit. Hæreditaria autem, quæ quis sibi, & hæredibus suis constituit.

XLIX. Hodie quoque frequentia sunt familiaria sepulchra; acquirunturque per hoc, quòd Ecclesias in suis fundis ædificent, Patronique ex eo effecti sint.

Hoc jus sepulchrale quia competit ratione juris Patronatûs, vendito fundo, cui inhæret Jus Patronatûs, etiam jus ipsum Sepulchri transit cum ipso Jure Patronatûs ad aliam familiam: nec *tutum Capitulum sit hodie unitum Capitulo Cathedrali B. Mariæ ejusdem urbis, & utrunque translatione juridica efficiat unum Capitulum, jus apponendi novum Epitaphium in SS. Innocentium cœmeterio petendum hodie est à Capitulo Ecclesiæ Cathedralis.*

(q) *Idem quoque in Galliis esse observandum plurima mandârunt Concilia, quæ in variis Regni Provinciis habita sunt. Horum decreta leguntur* Tom. 5. *novorum Collectaneorum Cleri Gallicani*, Tit. 5. part. 3. *versus finem.*

(r) *Cùm S. Germani Antisiodorensis Parisiis antea instiVan Espen Jur. Eccles. Pars II. Tom. II.*

nec familiaribus veteris Patroni jus sepulturæ ulteriùs competit; & ita judicatum refert Mornacius ad citatam *legem* 5.

L. Aliter sepulchra familiaria acquiruntur hodie ab Ædituis, aliisque, quibus loca sepulturæ designandi, & concedendi auctoritas competit; soletque pro oblatione majoris vel minoris summæ pecuniæ honoratior locus, ampliorisque monumenti extruendi licentia concedi: ita ut etiam specus imas, arcuato opere, ad condenda corpora, concamerent: solentque loca illa subterranea *caveæ* appellari. Frequentiùs autem parte Ecclesiæ sibi concessa, circa cellas subterraneas, tellure solidâ, in usum sepulchri familiaris utuntur, aperienda scilicet, atque effodienda quoties aliquis de familia est sepeliendus.

Hæreditariorum sepulchrorum meminit Hincmarus Remensis in suo tertio Capitulari *cap.* 2. dicens: » Et nemo Christia-» norum præsumat, quasi *hæreditario* jure de sepultura con-» tendere; sed in Sacerdotis providentia sit, ut Parochiani sui, » secundum Christianam devotionem, in locis, quibus viderit, » sepeliantur. Ipse tamen Sacerdos memor ordinis sui, provi-» deat, & congruam cuique sepulturam, & ne scandalum » quantùm vitari potest, fiat suis Parochianis. «

Meritò sanè monentur Fideles, ut licèt pia sit cura sepeliendi, & sepulchra constituendi; quia & hæc in Scripturis Sanctis inter bona opera deputata sunt; » verùm illa, quæ ad-» juvant spiritus defunctorum, oblationes, orationes, eroga-» tiones, multò pro eis observantiùs, instantiùs, abundantiùs » impendant qui suos carne, non spiritu mortuos, non solùm » carnaliter, sed etiam spiritualiter amant; « quemadmodum loquitur Augustinus Serm. 72.

CAPUT III.

De Sepultura Parochiali, Majorum, et electa, sive per electionem.

1 *Justum est, ut Parochus propriis Parochianis defunctis* justa *persolvat.*
2 *Ecclesia Parochialis, ejusve cœmeterium proprius Parochianorum locus sepulturæ.*
3 *Jus funerandi Parochialibus annumeratum.*
4 *Parochialis Ecclesia de jure fundata est super sepulturis Parochianorum.*
5 *Hinc ad solas penè Parochiales Ecclesias habentur cœmeteria.*
6 *Ritualia, & Synodi Parochos habent pro ordinariis ministris exequiarum, & sepulturarum.*
7 *Quis Parochianus in ordine ad sepulturam dicendus.*
8 *Scholares Academici in Parochia sepeliendi.*
9 *Etiam peregrini, & transeuntes.*
10 *Nisi tamen in Parochia domicilii commode sepeliri queant.*
11 *Religiosi à propriis Superioribus, & in Ecclesia, aut ambitu Monasterii sepeliendi.*
12 *Similiter, & eorum* oblati.
13 *Modò tamen sint* plenè *oblati; & qui tales dicendi*
14 *Plenè oblati signum aliquod distinctum accipiebant.*
15 *Multùm distant à pueris, aliisque in Monasteriis simpliciter habitantibus.*
16 *Hi Parochiæ manent subjecti.*
17 *Nisi consuetudo, aut concordata aliud habeant.*
18 *Beneficiati in Ecclesia Beneficiorum suorum sepeliendi.*
19 *De jure sepulchrum Majorum præfertur quoad sepulturam Ecclesiæ Parochiali.*
20 *De consuetudine videtur requiri electio sepulchri Majorum.*
21 *Facilitat tamen ad præsumendam electionem.*
22 *Per electionem sepulturæ excludi potest Ecclesia Parochialis, & sepulchrum Majorum.*
23 *Electio sepulturæ potest fieri in loco minùs religioso; sed non in loco profano.*
24 *Quid de hac re habeat Rituale Romanum.*
25 *Sepeliri in loco profano an noceat defuncto.*
26 *Unicuique libera est electio sepulturæ; etiam uxori sine consensu mariti.*
27 *Ubi sepelienda uxor non electa sepultura.*
28 *Filii-familias sine consensu parentum eligunt sepulturam, si sint majorennes.*
29 *Pater eligit pro filio minorenni, si consuetudo id habeat.*
30 *Electio non est propriè actus ultimæ voluntatis.*
31 *Videtur esse species mandati ad nutum revocabilis; quod etiam sine scriptura dari potest.*
32 *Per testes etiam singulares electio sepulturæ probari potest.*
33 *Quæ attendenda in depositione testium.*
34 *Ex facto ipsius defuncti subinde probatur electa sepultura.*
35 *Exactior probatio electionis requiritur ad excludendam Ecclesiam Parochialem, quàm aliam.*
36 *Introduci posset, ut electio fieret tantùm per scripturam.*
37 *Quo motivo jam pridem plures ad suas Ecclesias attrahere conati sint fidelium sepulturas.*
38 *Excessus Monachorum per Pontificem repressus.*
39 *Fratres Mendicantes sepulturas solicitare cœperunt.*
40 *Ex solicitatione hac dissidia, & scandala orta; quibus obviandis Constitutionem edidit Bonifacius VIII.*
41 *Electio sic facta est nulla; nec in electa sepultura sepeliendi.*
42 *Clerici, & Religiosi vigore similis electionis sepelientes tenentur ad omnium perceptorum restitutionem.*
43 *Pœna hujus Constitutionis* ipso facto *incurritur, & Papæ absolutio reservatur.*
44 *Hæc constitutio in Belgio renovata; & quantus ex ejus observantia sperandus fructus.*

I. QUia Parochus vitâ durante curam spiritualem suorum Parochianorum sustinet, ipsisque loco Patris est, æquum est, ut & defunctos non deserat; ipsisque etiam defunctis justa persolvat, & locum sepulturæ concedat. Et sicuti pro ipsis vivis orare, & sacrificium offerre debuit, ita convenit, ut pro defunctis preces, Missasque offerat.

II. Unde jam pridem tanquam indubitatum traditum fuit, Ecclesiam Parochialem, ejusque cœmeterium esse proprium locum sepulturæ Parochianorum; & Parochianos in Parochiali Ecclesia, ejusve cœmeterio esse sepeliendos, nisi ostendatur ex aliquo speciali titulo in alia Ecclesia esse sepeliendos; quod multis juris textibus expressum est; ac signanter in *cap.* 3. ✠ *de Sepulturis*, item *cap.* 2. *eod. tit. in VI.* & in *Clementina* 2. §. HUJUSMODI, *eod.* notantque omnes interpretes.

III. Insuper uno consensu hoc jus funerandi omnes interpretes juribus Parochialibus annumerant post Abbatem ad *capit.* 9. *de Sepult. num.* 8. ubi monet: » Primò scias, quòd de » jure communi solùm Ecclesiæ habentes populum habent jus » sepeliendi; jus enim funerandi est de jure Parochiali, quem-» admodum & Sacramentorum exhibitio.«

IV. Itaque Parochialis Ecclesia de jure communi fundata est quoad sepulturas omnium Parochianorum; & ipsi Parocho jus funerandi competit, quandiu contrarium non probatur; quemadmodum fundatus est in jure Sacramenta, aliave Pastoralia intra limites suæ Parochiæ suis Parochianis exhibendi.

V. Hinc passim videmus circa solas penè Ecclesias Parochiales cœmeteria (quæ sunt propriè loca sepulturis destinata) ædificata, & auctoritate Episcoporum dedicata.

VI. Similiter Ritualia, necnon Episcoporum Concilia, dum de sepulturis, ac funeralibus agunt, ferè ad solos Parochos, tanquam ordinarios Ministros, sua decreta dirigunt, eosque monent, & instruunt quid agere, & quid cavere in his debeant. Quæ non obscurè indicant, Episcopos reputare ipsos Parochos sepulturarum, ac funeralium suorum Parochianorum ordinarios Ministros.

VII. Parochiani autem quantum ad sepulturam, hi dicuntur, qui intra limites Parochiæ ita morantur, ut ipsa Sacramenta vivi in ipsa percipere, & Parochi ipsis administrare teneantur.

VIII. Unde Scholares in Academiis, licèt non habent animum figendi ibi fixum domicilium, sed tantùm pro tempore studiorum ibidem morandi, censentur tamen respectu sepulturæ, non secus atque respectu exhibitionis Sacramentorum, Parochiani istius Parochiæ, quam tempore studiorum incolunt; uti notat Abbas Panormitanus ad *cap.* 1. ✠ *de Sepulturis*, *num.* 4. & communis praxis consonat.

IX. Similiter rectè ibidem notat Panormitanus, quòd peregrini, & transeuntes debeant sepeliri in Parochia, in qua moriuntur, eò quòd Parochialis Ecclesia sit fundata in omnibus, quæ obveniunt in sua Parochia, quandiu ad alium spectare non probantur; quo ex capite etiam nullus præter Parochum potest his peregrinis intra limites suæ Parochiæ Sacramenta administrare.

X. Hoc tamen intelligendum, si modò apud suam *propriam* Parochiam Peregrinus ille sepeliri nequeat. Nam ut decidit in *cap.* 5. *de Sepulturis*, *in VI.* » Si quis habet domicilium in civi-» tate vel castro, quandoque ad villam ruralem se transfert re-» creationis causâ, vel ut ruralia exerceat in eadem, si ibidem » decedat, non in Ecclesia dictæ villæ, sed in sua Parochiali » debet sepeliri, *dummodo absque periculo ad ipsam valeat de-» portari* (s). «

XI. Porrò quia Religiosi suum Prælatum, Priorem, aliumve suum Superiorem pro Pastore, aut Parocho habent, ipsumque Monasterium quodammodò pro Parochia, etiam debent per ipsum Superiorem exequiæ pro ipsis celebrari, & in Monasterii ambitu, quod vice cœmeterii est, vel Ecclesia sepeliri, *cap. fin. de Sepulturis*, *in VI.* Dicitur que quòd nec alibi sepulturam eligere queant, *quòd velle, vel nolle non habeant; quod qua defunctum est, nisi aliter de voluntate mortui constet. Quæ praxis etiam in Hispania observatur.*

(s) *Istud Caput, quod Auctorem habet Bonifacium VIII. non observatur in Galliis. Sepelitur corpus in ea Parœcia, in*

quod & de Monialibus dicendum. Quin & Begginæ, licèt priùs *Regulares* non sint, suum proprium Parochum, & cœmeterum, ac jus sepulturæ hodie habent, uti suprà *parte* 1. *tit.* 33. *cap.* 3. notavimus.

XII. Imò in *cap.* 10. ✠ *de Sepulturis*, injungit Pontifex Hospitalariis » ut de quarta trium millium solidorum satisfaciant » Priori; cùm constet eos à Parochianis ejus illos solidos recepisse; nisi (ait) sufficienter sit ostensum, quòd eorum *Oblati*, vel *Conversi* fuissent. «

Ad hæc verba reflectens Panormitanus, ait: » Nota ibi: *eorum Oblati*, & tene menti: quia nescio alibi ita expressum, » quòd Oblati, & Conversi sepeliantur apud Ecclesiam, ubi » sunt Oblati; nec debet solvi portio Ecclesiæ Parochialis. «

XIII. Addit dein Panormitanus: » Quod ergo intelligo in » *plenè* Oblatis, & Conversis; ut qui tradiderunt se & sua, alias » secus. «

Hæc Panormitani restrictio non obscurè expressa est in *Clem.* 1. *de Decimis*, ubi declaratur, quòd Constitutio de solvendis Ecclesiæ Parochiali decimis animalium, quæ Religiosi in fraudem Ecclesiarum in pluribus locis emunt, emptaque tradunt venditoribus, vel aliis ab ipsis tenenda, extendenda non sit ad animalia, quæ per Religiosorum ipsorum Donatos, seu Oblatos tenentur: *dum tamen* (ait textus) *illis Religiosis cum effectu donaverint, aut obtulerint se, & sua.*

Hæc clausula ostendit, pro veris oblatis non esse reputandos nisi *cum effectu se, & sua* Religiosis obtulerint; atque hâc oblatione de familia Monasterii censeatur, sive ipsi familiæ incorporati.

De hisce Oblatis latè agit Du Cange in Glossario, verbo *Oblati*, monens, quòd licèt non omnes Oblati essent *veri Monachi*, nihilominùs Oblatorum, & Donatorum ea esset conditio, ut de familia Monachorum censerentur, Abbati obedientiam promitterent, & victum, & vestitum ab iis consequerentur.

XIV. In signum oblationis etiam signum aliquod distinctum accepisse innuit *cap.* 1. *de Success. ab intestato*, in tertia Decretalium Collectione apud Antonium Augustinum, ubi refertur, » quòd cum Archipresbyter de Alerio se, & sua ad participationem orationum, Monasterio de Bruxia pietatis intuitu obtulisset, quibusdam rebus usui suo simplici reservatis, » de manu cujusdam fratris ejusdem Cœnobi *augmentationem* » *coronæ in signum oblationis* illius accepit. «

XV. Multùm proinde differunt *veri*, *& pleni* Oblati, de quibus fit mentio in Decretalibus, quique de familia Monasteriorum reputantur, ut eorum juribus, & privilegiis participent, à pueris, aut etiam adultis, qui simpliciter in Monasteriis habitare, & expensas solvere solent; nec obedientiam aliquam promittunt, aut vestem, aliudve signum distinctivum Oblatorum accipiunt.

XVI. Unde nec hi Monasteriis incorporati, etiam Monasteriorum juribus, aut privilegiis gaudere queunt; manentque Parochis, & Parochialibus subjecti, debentque tanquam Parochiani ad Ecclesiam Parochialem sepeliri; quemadmodum Panormitanus suprà non obscurè innuit *solos plenè Oblatos* apud Ecclesiam, ubi oblati sunt, sepeliendos monens.

Hoc & indubiè fundamento declârarunt S. Carolus, & Synodi Belgicæ, quòd laici famuli quicunque Regularium Monasteriis operam navantes, tametsi in illis habitent, stato Paschatis tempore in sua quique Ecclesia Parochiali sacram communionem sumere debeant; de quo suprà *tit.* 4. *cap.* 3. *num.* 9. nimirùm quia hujusmodi famuli, tametsi in Monasteriis habitantes, non sunt veri *Oblati*, nec de familia Regulari; ideoque Parochiæ subjecti manent.

His corfomis est sententia Officialis Cameracensis die ultima Julii 1432. pro Pastore Ecclesiæ Parochialis de Molenbeke, sive S. Catharinæ in civitate Bruxellensi, qua declaratum est, » servitores, servitrices, juvenes, & commensales, cœteros- » que in dicto Beghinasio famulantes infrà limites Parochialis » Ecclesiæ de Molenbeke, in dicto Beghinasio commorantes » prædicti Actoris, veris Beghinis duntaxat exceptis, fuisse, ac » esse Parochianos ab eodemque Actore (pastore prædicto) Sa- » cramenta Ecclesiastica, necnon Ecclesiasticam *sepulturam* de- » buisse, ac debere recipere: insuper decernimus, hospites » transeuntes, & peregrinos prædicti Actoris Parochianos infir- » mitate detentos, & in dicto Beghinasio defunctos non potuis- » se, nec posse Sacramenta Ecclesiastica, sepulturamque Ec- » clesiasticam in dicto Beghinasio recipere, nisi primitùs, & an- » te omnia licentiâ à dicto Actore petitâ, & obtentâ. «

XVII. Addunt tamen Synodi: *Nisi ex speciali concordia aliud ipsis sit permissum.* Quæ clausula & in hac de sepulturis materia subintelligi debet. Quin enim, & hîc concordata sint servanda dubium non est; quemadmodum, & privilegia, & indulta particularia, præsertim diuturnâ possessione suffulta, hîc attendenda sunt; de quibus latiùs capite quinto.

XVIII. Sicuti Religiosi, & oblati, qui sunt de familia Monasteriis sepeliendi sunt ad Ecclesiam Monasterii; ita & Canonici sepeliendi sunt in Ecclesia Capituli, tametsi forsan in alia Parochia habitent, eò quòd ipsi Ecclesiæ Capitulari sint incorporati, atque ejus sint membra, manentque Parochiani hujus Ecclesiæ ubicunque degant; uti notat Card. Tuschus *Pract. conclus. Litt. P. conclus.* 99. *num.* 5. & quotidiana praxis consonat; quæ respectu Beneficiatorum *propriam* Ecclesiam, seu Parochiam reputat Ecclesiam, cui sunt per Beneficium incorporati; atque in hac eos sepeliri vult, si commodè fieri possit; nec alio titulo, puta electionis, alibi sepeliendi sunt. (t)

Unde in antiquis Decretis Cameracensibus *tit.* 21. statuitur: » ut Capellani perpetui Sacramenta sua à Curatis locorum suo- » rum in infirmitatibus suis accipiant; & si decedant, in *Ca-* » *pellanis suis sepeliantur*, nisi ex devotione (salvo jure Paro- » chiali) alibi elegerint sepulturam. «

XIX. Quæ hactenus de jure Ecclesiæ Parochialis ad sepulturam Parochianorum dicta sunt, intelligi debent inspecto jure Decretalium, nisi defunctus habeat sepulchrum Majorum, in quo Portius quàm in Parochia sepeliendum esse declaratur *cap.* 1. & 3. ✠ *de Sepulturis*; idque exemplo petito à Parochianis in Veteri Testamento, qui amabant sepeliri in sepulchro Majorum. Hinc frequenter in Scriptura Sacra occurrit hæc phrasis: *Sepultus, seu appositus est ad* PATRES *suos.*

XX. Verùm de Patriarcha Jacob legitur, quod *adjuraverit* filium suum Joseph, ut corpus suum sepeliret in sepulchro Majorum, uti & in Tobia consideravi *Can.* EBRON *caus.* 13. *quæst.* 2. adeoque sepulchrum Majorum per *electionem* obtinuisse, & sibi procurasse videntur, ait Zypæus *in Jure novo, tit. de Sepulturis, num.* 4. asseritque, quòd horum exemplo, » multis locis usurpetur, ut nisi defunctus testatus fuerit se se- » peliri velle apud Majores suos, sepeliatur in Parochia. «

XXI. Addit tamen Zypæus: » Si autem alia argumenta » concurrunt, facilè sepulchrum Majorum assumitur in argu- » mentum electæ in eo sepulturæ. «

Indubiè consuetudo locorum plurimum hic valere potest, præsertim ut primævum jus Ecclesiæ Parochiali conservetur.

XXII. Sepulturæ Majorum uti; & Parochiali de jure, & consuetudine præfertur sepultura à defuncto electa, *cap.* 1. ✠ *de Sepulturis*; ubi Pontifex postquam dixit, unumquemque juxta instituta antiquorum Patrum in Majorum suorum sepulchro sepeliendum esse, subjungit: » Nulli tamen negamus » propriam eligere sepulturam, & etiam alienam. Dominus » enim, & Magister alienam elegit, ut propriam. « Et in *cap.* 2. §. *fin. eod. in VI.* dicitur, » Si quis antiquâ dimissâ no- » vam *elegerit* sepulturam, electionem hujusmodi nolumus im- » pugnari. «

XXIII. Verùm illud in hac Decretali notandum, quòd dicatur, electionem non esse impugnandam, etiamsi elegerit sepulturam *in loco minus religioso*; quod repugnare videtur *cap.* 3. ✠ *de Sepult.* ubi scribit Innocentius III. » mortuorum sepul- » turas, & cœmeteria apud illas Ecclesias, & Monasteria ex » antiquo esse disposita, in quibus Religiosorum fratrum con- » ventus sunt constituti, & orationes, atque Missarum solem- » nia tam pro vivis, quàm defunctis frequentiùs celebrantur. Hinc ulterius concludunt: » Unde ipsorum devotioni, & ex- » tremæ voluntati, qui apud hujusmodi Ecclesias sepeliri de- » siderant, minimè est contradicendum.

Deindè addit: » Qui verò relictis antiquis Ecclesiis, & Pa- » trum, aliorumque Parentum suorum sepulchris, contra » consuetudinem Patrum veteris Testamenti, qui cum pa- » tribus suis sepulti esse leguntur, ad nova, & *minus religiosa* » loca se transferunt, irrationabiliter, & contra antiquam insti- » tutionem facere videntur. «

Hinc

(t) *Id non est consonum disciplinæ quæ hodierna die in Gallis observatur: quippe Religiosi cùm extra sui Monasterii septa moriuntur, eorum corpora obnoxia sunt juribus Parochorum, in quorum Parœciis obierunt; idem quoque censendum est de Canonicis Ecclesiarum Collegiatarum, nec ab eo usu excipiuntur nisi Canonici Cathedrales ejusdem Diœceseos: quamquam si sit Canonicus cujusdam Ecclesiæ extraneæ, quæ precum communione conjuncta sit cum Cathedrali Ecclesia illius urbis, in qua mortuus est, tunc pro more consueto Canonici Cathedrales sine Parochi consensu exequias defuncto persolvere solent. Quod si tamen Canonici titulo vel antiqua possessione careant, neque*

suos neque alios Canonicos, quibus precum communione conjuncti sunt, sepelire legitimè possunt: quanquam casus, ubi Capitula possunt tantùm allegare antiquam possessionem, difficultatem patitur. Varia enim in eo casu Arresta data sunt à Supremo Parisiorum Senatu; alia in favorem Capitulorum: etiam Collegiatorum, alia in favorem Parochorum. Ea Conciliare conatur D. De Hericourt in suo Opere de Legibus Ecclesiasticis, 3. part. pag. 144. edit. 1743. *Hunc consulere non pigeat. Quod Hic de Gallia dictum est, idem de Hispania dici debet, cum de Sepulturis eadem pene praxis in ambobus Regnis servetur.*

Hinc unanimi consensu concludunt Canonistæ, sepulturam eligendam esse in loco religioso; electionem autem factam de loco profano, tanquam irrationabilem esse respuendam: notantque Pontificem *in citato cap. 3. de Sepulturis, in VI.* non dicere, non esse impugnandam electionem in loco *profano*, sed *minus religioso*. Apparet autem quòd Bonifacius VIII. ibi per locum *minus religiosum* intelligat oratorium, vel Sacellum ad Missarum solemnia, & sepulturas dedicatum; sed tamen in quo non est *Religiosorum Fratrum Conventus*, nec *frequenter Missarum solemnia* tam pro vivis quàm defunctis celebrantur; qualem locum desiderâsse videbatur Innocentius III. in dicto *cap. 3.* atque quoad hoc, Decretalem Innocentii III. correxisse, aut prius declarâsse videtur Bonifacius VIII. qui expressè monet, *licet jura super hoc videantur esse diversa.*

XXIV. Rituale Romanum ait: »Cæterùm nemo Chistianus in communione fidelium defunctus extra Ecclesiam, aut »cœmeterium ritè benedictum sepeliri debet; sed si necessitas »cogat ex aliquo eventu aliquando ad tempus aliter fieri curetur, ut quatenus, fieri poterit, corpus in locum sacrum »quamprimùm transferatur.«

XXV. Quid prosit sepultura ad memorias Martyrum, sive Ecclesias, latè exponit Augustinus libro *de Cura pro mortuis*; unà ostendens, nihil obesse Christianis, si per crudelitatem tyranorum, aut inhumanitatem hominum, vel alia de causa ipsorum corpora maneant insepulta, aut etiam à bestiis devorentur.

XXVI. Itaque unicuique libera est electio sepulturæ in loco quocunque religioso jus sepulturæ habente. Et quidem adeò libera est hæc electio, ut nec subjectio uxoris respectu mariti impediat, quominùs uxor etiam vivente marito sibi possit eligere sepulturam; diciturque in *cap. 7. ℵ de Sepulturis*, nullam quoad hanc eligendi libertatem, esse faciendam distinctionem inter virum, & mulierem. Ratio subjungitur: *Cùm electio ista ad eum potiùs statum pertineat, in quo mulier solvitur à lege viri.* Quasi diceret, electio hæc non nisi post mortem mulieris effectum habet; atque in illud tempus tantùm disponitur, quando mulier tunc soluta est à lege viri.

XXVII. Si autem mulier non elegerit sepulturam, in sepulchro mariti sepelienda erit; & quidem si plures habuerit maritos, est cum ultimo, cujus domicilium, & honorem retinet, sepelienda. *Cap. 3. §.* MULIER *de Sepult. in* VI. Atque de hoc casu non electæ sepulturæ accipiendum esse credit Glossographus quod ex S. Hieronymo dicitur in *Can. II. caus. 13. quæst. 2.* »Quos conjunxit unum conjugium, con»jungat sepulchrum, quia unà caro est: & quos Deus con»junxit, homo non separet.« Item, & illud sub nomine S. Augustini in Canone sequenti: »Unaquæque mulier se»quatur virum suum, sive in vita, sive in morte.«

XXVIII. Sicuti potestas mariti in uxorem non impedit electionem sepulturæ; ita nec patria potestas impedimento est filiofamilias, quominus sibi eligat, etiam sine consensu patris, sepulturam, *cap. 4. de Sepulturis, in* VI. modò tamen minorennem ætatem excesserit, sive pubertatem attigerit.

XXIX. Minores enim sibi eligere non possunt, sed pater eligere sepulturam potest pro minore suo filio, si *consuetudo* loci id habeat *cap. 7. §.* Utrum *ℵ de Sepult.* ubi autem consuetudo hujusmodi non habetur, cum suis Majoribus, vel in Ecclesia Parochiali sunt sepeliendi. Dicto *cap. 4. de Sepult. in* VI.

Notat autem hîc Glossagraphus, quòd »consuetudo ha»beat, quòd parentes, vel amici, tales (minorennes) sepe»liant in altera *quam volunt* (hoc est, in sepultura Majorum, »vel in Ecclesia Parochiali) Et grave videtur (ait) puerum 8. »dierum semper in antiquis tumulis solemniter sepeliri.

Unde & in suis ordinationibus Synodalibus declarat Eminentissimus Cardinalis Camusius Episcopus Gratianopolitanus, quòd pueri minorennes debeant sepeliri in Ecclesia Parochiali, nisi habeatur sepulchrum Majorum, in quo pater poterit eligere sepulturam pro filio minorenni. *Tit. 4. art. 2. cap. 6.*

XXX. Quamvis electio sepulturæ plerumque fiat per testamentum aut codicillos, atque non nisi morte confirmetur, & effectum sortiatur, nequaquam tamen propriè est actus ultimæ voluntatis; neque regulis, & solemnitatibus ultimarum voluntatum subjecta, aut alligata; unde, ut jam dictum est, licèt filiusfamilias de jure testamentum facere nequeat, sepulturam tamen eligere potest.

XXXI. Videtur itaque electio hæc esse quædam species mandati exequendi post mortem; ac propterea etiam re integrâ revocabilis usque ad mortem. Atque consequenter non tantùm per testamentum, aut codicillos, sed & aliam quamcunque defuncti scripturam, aut etiam sine scriptura solo verbo electio hæc fieri potest.

XXXII. Ita autem fieri debet, ut plenè probari queat, sive per scripturam, sive per tot testes, & tales, qui plenam fidem faciant; uti rectè persolvit Wamesius *Cons. Can.* 433. qui & ibidem ex Guidone Papa, *Decis.* 544. tradit, ad probandam electam sepulturam sufficere testes singulares ex loco & tempore, uno dicente hoc loco & tempore, ab isto, vel ab aliis audivisse, defunctum sibi eligentem sepulturam, aut confitentem quòd elegerit.

XXXIII. Hoc tamen addit Wamesius; »In hac probatione, quæ fit per testes, sive contestes, sive singulares, hoc re»quiritur, ut deponant defunctum non jocosè, non levitate »quadam, aut obiter fecisse hanc electionem; sed destinato »proposito, & verbis non omninò enuntiativis, sed dispositivis, & in re & actione seria seu ardua.«

XXXIV. Notat insuper, interdum probari posse electam sepulturam »ex facti evidentia, ex destinatione Patris familias, »si videlicet sibi vel uxori, seu familiæ aliquo loco monumentum fieri fecerit, si sarcophagum posuerit, si epitaphium, præ»veniendo tempus mortis, posuerit.«

XXXV. Illud quoque non dubium exactiorem probationem requiri de electione sepulturæ, si agatur de excludenda Ecclesia Parochiali, in qua defunctus vita suâ durante Sacramenta recepit, & audivit verbum Dei, quam si agatur inter duas Ecclesias, quarum neutra de jure fundata est super sepultura defuncti.

XXXVI. In Actis Cleri Gallicani *tom. 1. tit. 2. cap. 6. art. 7.* refertur judicatum 19. Julii 1628. per Arrestum Parlamenti Redonensis corpora defunctorum esse sepelienda in suis Parochiis; nisi aliter per testamentum, & ultimam voluntatem disposuerint.

Non dubium, quin consuetudine, vel statuto induci posset, ut nulla electio sepulturæ admitteretur cum exclusione Ecclesiæ Parochialis, nisi de electione per testamentum, aut aliam legitimam ultimæ voluntatis dispositionem constaret; ut ita magis cautum esset Ecclesiis Parochialibus, quibus de jure sepultura competit; tum ut omnes contentiones super probatione electionis cessarent; sicuti hac ratione hîc Edicto perpetuo cautum est, non admitti aliam probationem, quàm per scripturam, quando agitur de summa excedente 300. flor.

XXXVII. Cùm autem jam pridem soliciti fuerint Fideles suam erga loca suæ sepulturæ liberalitatem singularem ostendere, fundationesque pias iis in locis facere; quin & in funeribus oblationes fieri consueverint; etiam jam pridem cupiditas quorundam Ecclesiasticorum his emolumentis temporalibus inhiantium, variis artificiis & modis parùm honestis conata est Fideles ad eligendam in suis Ecclesiis sepulturam inducere; idque non rarò cum notabili detrimento Ecclesiarum Parochialium, quæ ipsos defunctos, vitâ durante, tanquam piæ matres lactaverant, & nutriverant.

XXXVIII. In *cap. 4. de Sepultur.* in prima collectione Decretalium apud Antonium Augustinum (fragmentum extat in *cap. 2. ℵ* eod.) refertur Epistola Leonis (verisimiliter IX.) omnibus Fidelibus per Dardaniam constitutis inscripta, in qua scribit, sibi esse relatum, quosdam esse perversè agentes, qui pervertere nituntur Ecclesiæ unitatem, »videlicet Abbates, Monachos, qui non studio charitatis, sed zelo rapacitatis invigilant, atque seducere conantur seculares, quos illaqueare possunt, ut res suas, atque possessiones, sive in morte, sive in »vita, Monasteriis suis tradant, & Ecclesiis, quibus subjectæ »esse videntur, & à quibus Bautismum, Pœnitentiam, Eucharistiam, necnon pabulum vitæ, cum lacte carnis acceperint, »vel accipiunt, nihil de bonis relinquunt.«

Hanc Monachorum rapacitatem planè improbandam dicit: »considerantes (ait) non esse bonum, si illi, qui olim socii fue»runt passionum, secundum Apostolum, sint immunes à so»cietate consolationum. Et quia dignus est operarius mer»cede suâ.«

XXXIX. Sanctus Bonaventura in Epistola 2. ad Provinciales sui Ordinis scribit, quòd sepulturarum & testamentorum litigiosa, & avida quædam invasio Ordinem ipsum Clero toti non modicum exosum fecisset; uti suprà *part. 1. tit. 32. capit. 1. num. 21.* notavimus. Ex quo colligitur, quòd vel eo tempore inciperent ad suas Ecclesias attrahere Fidelium sepulturas, idque cum Clerici offensione.

XL. Cùm autem hæc sepulturarum invasio, quæ etiam aliorum Ordinum Religiosos, imò Clericos seculares sensim invasit, magna scandala & dissensionum semina pareret, ipsisque Fidelibus libertatem in eligendis sepulturis adimeret, Bonifacius VIII. animarum periculis & scandalis, quæ frequenter ex his proveniunt, obviare volens, ait: »Universis Religiosis, & »secularibus Clericis cujuscunque status, vel conditionis exis»tant, in virtute sanctæ obedientiæ, ac sub interminatione ma»ledictionis æternæ, districtissimè prohibemus, ne aliquos ad »vovendum, jurandum, ut fide interpositâ, seu alias promit»tendum inducant, ut apud eorum Ecclesias sepulturam eli»gant, vel jam electam ulteriùs non immutent.«

XLI. Extat hoc Bonifacii Decretum in *cap. 1. de Sepult. in VI.* additque: »Nos enim (si secùs factum fuerit) electionem »talem decernimus nullius penitùs existere firmitatis. Statuen»tes, ut ii, qui sic elegerint, nec apud sic electas Ecclesias »ulla-

» ullatenus sepeliri, nec alibi (ne contra votum, juramentum » aut promissum hujusmodi à se factum materiam habeant ve- » niendi) possint eligere sepulturam: sed contradictione qua- » cunque cessante sepeliantur omninò apud illas Ecclesias, apud » quas sepeliendi de jure fuissent, si alias sepulturâ non electâ » forsitan decessissent.

XLII. » Si verò iidem Religiosi, vel Clerici prædictos in » suis Ecclesiis, vel cœmeteriis præsumpserint sepelire, ad res- » titutionem tam sepultorum corporum (si petantur) quàm etiam » omnium, quæ occasione sepulturæ illorum pervenerint quo- » modolibet ad eosdem, intra decennium integraliter facien- » dam ipsos obligatos esse censemus. Quàm nisi fecerint, Ec- » clesiæ ipsæ apud quas sepulti fuerint, necnon & cœmeteria » earundem, ex tunc eo ipso sint, & tandiu maneant Eccle- » siastico supposita interdicto, donec ab eis facta fuerit resti- » tutio plenaria omnium prædictorum."

XLIII. Hæc constitutio renovatur in *cap.* 3. *de Pœnis*, in Clementinis; volens, » violatores dictæ constitutionis pœnam à » Bonifacio comminatam incurrere *ipso facto*, ab alio, quàm à » Sede Apostolica (præterquam in mortis articulo) nullatenus » absolvendos: nullis privilegiis, aut statutis cujuscunque teno- » ris existant, super his valituris.

XLIV. Synodus Namurcensis anno 1659. postquam *tit.* 19. *cap.* 4. declaraverat, quòd in sepeliendis mortuis, seu deducendis ad Ecclesiam non possint Religiosi portare stolam extra septa Monasterii sui juxta Clementinam DUDUM *de Sepulturis*, subjungit *cap.* 5. » Neque inducere, aut persuadere morientibus, » ut apud se eligant sepulturam sub pœna comminatâ in Cle- » mentina CUPIENTES, *de Pœnis*."

Sanè si Fidelibus permitteretur libera sepulturarum electio, omnisque illa inductio, & odiosa ac scandalosa sepulturarum invasio cessaret, non dubium, quin multa dissensionum Clerum inter & Regulares semina suffocarentur, murmuraque & scandala evitarentur."

CAPUT IV.

De vetita exactione pro Sepulturis, et de juribus funeralibus.

1 *Athanasius certum redditum attribuit Ecclesiæ Constantinopolitanæ, ut* exequiæ *sine sumptu fierent.*
2 *Id primùm constituit Constantinus Magnus.*
3 *Hæ leges quomodo tempore Justiniani Imper. neglectæ.*
4 *Leges illas Justinianus renovavit.*
5 *Sumptus, & expensas funerum præscripsit, & ministrorum honoraria taxavit.*
6 *Inter hos ministros erat qui* Decani *dicebantur.*
7 *Quod hodie in Ecclesia Constantinopolitana* Decani *officium.*
8 *Qui* Decani *dicuntur, non absimiles hodiernis Alexianis.*
9 *Inter funeris ministros erant Acolythi: & quod horum munus.*
10 *Erant quoque Ascetriæ, sive Canonicæ; quales hæ fuerint; & quos funeribus adhibendæ cum Acolythis.*
11 *Constitutio Justiniani per Leonem Imperator. renovata.*
12 *Quare conveniret, ut exequiæ* gratis *fierent.*
13 *Tempore S. Gregorii querebantur Laici pro sepultura pretium exigi.*
14 *Id graviter reprehendit S. Gregorius.*
15 *Ipse vitium illud evellere studuit; monetque Episcopos ut ipsum faciant.*
16 *Reprobat consuetudinem exigendi pretium pro sepultura tanquam abusivam.*
17 *Leo IV. pro sepulturis quidquam exigi vetat.*
18 *Similiter & Hincmarus Remensis.*
19 *Idipsum seculo IX. & X. plura Concilia vetuerunt, & exactionem pro exequiis defunctorum ut simoniacam damnat Concilium Turonense.*
20 *Idipsum declarat Concilium Lateranense; neque consuetudinem contrariam valere dicit.*
21 *Consuetudinem non effodiendi sepulchrum, priusquam pro terra pretium solvatur, reprobat Honorius III.*
22 *Consuetudo oblationes in exequiis faciendi non reprobatur.*
23 *Voluntarias oblationes à Clericis accipi permittit Sanctus Gregorius.*
24 *Idem permittit Hincmarus Remensis.*
25 *Pristina Concilia reprobantia exactiones, admittunt receptionem oblationum.*
26 *Simili modo Synodi recentiores reprobant exactiones, & probant oblationes.*
27 *Quid nomine oblationum veniat.*
28 *Sanctus Carolus oblatum, & Ecclesiæ consecratum dixit quidquid circa funus apponitur.*
29 *Idem censuit Episcopus Gratianopolitanus.*
30 *Non videtur id ubique receptum.*
31 *Inter oblata recensenda, & Clerici honoraria.*
32 *Pallium feretro imponendum* gratis *dari optavit S. Carolus; & quid circa hoc habeat consuetudo Belgica.*
33 *Pallium semel feretro impositum esse Ecclesiæ consecratum, declarat S. Carolus.*
34 *In Belgio usitatæ redemptiones, quidque in his cavendum.*
35 *Redemptiones has reprobâsse videtur S. Carolus.*
36 *Oblationis funerariæ cui competant.*
37 *Sicuti Clericis vetitæ exactiones, ita & laicis vetatur laudabiles offerendi consuetudines refringere.*
38 *Concilium Lateranense vult laudabiles consuetudines offerendi retineri.*
39 *Laudabiles consuetudines observari voluit S. Carolus.*
40 *Ut Parochis, & Ecclesiis Parochialibus provideretur, oportuit consuetas oblationes stabilire, & quasi necessarias facere.*
41 *Ut abusus vitaretur, conveniens fuit, ut auctoritate Superiorum laudabiles consuetudines taxarentur.*
42 *Decreta Synodorum Cameracensium de hac taxatione.*
43 *In Belgio taxatio harum oblationum, sive jurium funeralium sine consensu Magistratus ægrè admittitur.*
44 *Taxa jurium funeralium auctoritate Regia facta pro Comitatu Namurcensi.*
45 *Ordinatio Caroli V. super materia funeralium pro civitate Mechliniensi.*
46 *Pro mortuis extra civitatem ad exequias celebrandas in civitate hæc ordinatio cogi non vult hæredes.*
47 *Vult unicuique liberum esse eligere genus sepulturæ, & exequiarum quod sibi placet.*
48 *Recentior taxa Regia eorundem jurium pro civitate Mechliniensi.*
49 *Similes pro civitate Antuerpiensi.*
50 *Natura jurium sic taxatorum similis est decimarum conditioni.*
51 *Jura taxata, & consueta à Clero non excedenda.*
52 *Prætextus excedendi à S. Carolo rejecti.*
53 *Cavere debet Clerus, ne quid ex* pacto *prætextu jurium exigat; sed solvi solitis sint contenti.*
54 *Evitare solicitè avaritiæ notam; nec ob non solutionem jurium sepulturam differre.*
55 *Hæc delatio sepulturæ ab Imperatoribus etiam Ethnicis reprobata.*
56 *Eâdem ratione improbatur mos arrestandi corpora, quæ vehuntur per pagos; & quæ hujus moris origo.*
57 *Hunc morem improbat Parlamentum Mechliniense.*
58 *Improbat quoque S. Carolus.*
59 *Pignus accipere in securitate solutionis jurium funeralium vetat S. Carolus.*
60 *Sepultura conveniens hodie ob defectum solutionis jurium non rarò negatur, quod non est provandum.*
61 *Parochi Parochianis suis, licèt pauperibus, honestam sepulturam meritò procurare student.*
62 *Monitum Episcopi Gratianopolitani circa sepulturas pauperum.*
64 *Ob defectum competentiæ subindè Parochi ad duriorem jurium exactionem impelluntur.*

I. EXtat in Codice Justinianeo titulo *de SS. Ecclesiis* lex Anastasii Imperat. in hæc verba: » Magna &c. Cons- » titutio magnæ Ecclesiæ Constantinopoleos, septuaginta libra- » rum auri redditum, eam ob causam, ut scilicet exequiæ si- » ne sumptu & *gratis* fiant in urbe Constantinopolitana, & » usque ad novos muros, & Blacernas. «

II. Si Justiniano credimus, hujus constitutionis primus Auctor non est Anastasius, sed Constantini M. lex est, per Anastasium innovata. Dicit enim in *Novella* 59. quæ inscribitur, *de Debita impensa in exequiis defunctorum*, » *Quod* » Constantinus rectè cogitans disposuit, & post hæc Anastasius » firmavit, adjiciens etiam redditus causæ, hoc nos ipsi, cùm » periculum patiatur cadere, reparare, & dare cum omni cau- » tela, & terminis competentibus cogimur, illud facientes ma- » nere immortale. «

Constantinus itaque erectam à se Constantinopolim, Romanæ urbis dignitate, & privilegiis donavit; & ejus Ecclesiæ mille & centum tabernas, seu officinas, sitas in præcipuis civitatis foris, & ab omni Regiâ exactione, ac publico onere liberas adscripsit, ex quarum redditu omnes funerum impensæ solverentur.

III. Verùm hoc Principis donum in alienos usus jam tempore Justiniani converti videbatur; vel certè contra intentionem donantis, funeris impensa non è *publico* erogabatur, sed ab hæredibus defunctorum exigebatur; uti testatur ipse Justinianus. » Plurimi plerumque audierunt nos (inquit) dicentes non » similiter causam procedere, neque sine mercede fieri de- » functorum exequias, sed exigi amarè, & inveniri plurima fo- » ris nomina, & corpora, quæ etiam invitos exigunt lugen- » tes, & cogunt dare non habentes; hæc omnia justum judi- » cavimus competenti correctione digna facere."

Ita-

IV. Itaque hâc Novellâ rursus constituit Justinianus, ut Ecclesia Constantinopolitana ex officinis mille & centum ab omni onere liberis, & redditu ab Anastasio adjecto impensas funerum suppeditet; nihilque causa funeris ad hæredibus exigatur.

V. Utque firmior esset ejus observantia, etiam hâc Novellâ modum sumptibus funerum præscribitur; quantumve per semestria singula oporteat Œconomos Ecclesiæ Constantinopolitanæ dare his, qui funeri operam impendunt, taxatur.

VI. Inter hos funeri assistentes erant, qui *Decani* dicebantur, qui & *lecticarii*, sive *Copiatæ*, vel enim *Vespillones* & *fossarii* dicti sunt, quorum officium erat lectum, seu feretrum, cui cadaver erat impositum, efferre, & corpus inhumare; de quibus fit etiam mentio in *L.* 4. *Cod. de SS. Ecclesiis*, ubi numerus eorum restringitur ad nongentos & quinquaginta.

VII. In notitia Ecclesiæ Constantinopolitanæ apud Goartium legitur: » Decanus Sacerdotes ad jura sua, & oblationum » partem accipiendam advocat. « Hanc exponens Goartius ait: » Decanus idem est quòd Vespillo, seu Lecticarius, & ut Epi» fanius loquitur, qui mortuorum effert corpora. Unus hîc tan» tùm esse perhibetur, supra alios videlicet de grege plebis ad » efferendos mortuos absque Ecclesiastico titulo assumptos emi» nentior, cujus est etiam ea provincia, ut Sacerdotes com» ponat in juribus, & contributionibus, & eos ex funeribus, » & alios quovis obsequio provenientibus, accipiendi. «

VIII. Hi igitur Decani, seu Vespillones, vel Lecticarii similes fuêre hodiernis Fratribus Cellitis, seu Alexianis, qui sepeliendis, inhumandisque, ac curandis mortuorum corporibus se impendunt.

IX. Inter funerum ministros, quibus & è publico honorarium constituit, erant Acolythi, & Asceteriæ, sive Canonicæ. Acolythi erant quasi asseclæ, quorum officium erat funeri funalia, sive faces præferre; statuitque, ut singulis funeribus saltem *tres* Acolythi assistant, qui nihil penitùs accipient, scilicet ab hæredibus defuncti.

X. Asceteriæ, sive Canonicæ erant mulieres, quæ præcinendo & psallendo funus præcedebant, quas octo ut minus singulis funeribus adesse voluit.

Verba Justiniani sunt in hac Novella *cap.* 4. §. 1. » Sancimus singulo lecto (id est *feretro*) gratis dato unum ascete» rium dari, asceteriarum, aut Canonicarum non minus octo » mulierum præcedentium lectum, & psallentium, & tribus » Acolythis, qui nihil penitùs accipient.

XI. Cumque rursus lapsu temporis hæc Constitutio negligeretur, ac proventus in alios usus detorquerentur, Leo Sapiens legem tulit, qua decrevit, » ut quæ de his jam olim » edita Constitutio est, immota & inviolata permaneant. « *Novell.* 12.

XII. Optandum sanè esset, ut quod in Constantinopolitana Ecclesia ex pia Imperatorum liberalitate fuit ordinatum, etiam hodie in omnibus Ecclesiis, servari posset; ipsæque etiam pauperum exequiæ, & funeralia honorificè, & religiosè, prout eorum merita, & vitæ conditio exigunt, sine ipsorum sumptu agerentur; ipsisque Clericis occasio adimeretur, de hoc pietatis, ac religionis opere quasi mercandi, & de alieno luctu lucrum cantandi.

XIII. Scribit ad Januarium Episcopum Calaritanum S. Gregor. *lib.* 7. *indict.* 2. *Epist.* 56. » Questa est nobis Nereida » charissima fœmina, quòd ab ea centum solidos pro filiæ suæ » sepultura Fraternitas vestra non erubescat exigere, atque ei » super doloris gemitum, majorem dispendii studeat inferre » molestiam. «

XIV. Post hæc subjungit Gregorius: » Quod si ita se veri» tas habet; quia grave nimis, & procul est à Sacerdotis officio » pretium de terra concessa putredini, quærere, & de alieno vel» le facere luctu compendium: ab hac se petitione Fraternitas » vestra contineat, & molestia ei de cætero non existat; maxi» mè, quia & Hortolanum quondam, de quo se ipsam asserit fi» liam suscepisse, Ecclesiæ vestræ non in parva quantitate muni» ficum memorat extitisse. «

XV. Deindè narrat, quomodo ipse vitium hoc extirpare studuerit; & quod exemplo etiam Gentilium Episcopi excitari debeant, ut sepulturam gratis annuant. » Hoc autem vitium » (ait) & nos postquam, Deo auctore, ad Episcopatûs honorem » accessimus, de Ecclesia nostra omnino vetuimus, & parvam » denuò consuetudinem nequaquam usurpari permissimus: me» mores quia dum Abraham à filiis Emor, hoc est, Ephron filio » Seor sepulchrum pretio ad humandum corpus conjugis postu» laret, pretium accipere renuit, ne commodum videretur de » cadavere consecutus. Si ergò tantæ considerationis paganus vir » fuit, quantò magis nos, qui Sacerdotes dicimur, hoc facere » non debemus? Unde ne hoc avaritiæ vitium, ne vel in alienis » denuò tentari præsumatur admoneo.«

Hanc sententiam Gregorii refert Gratian. *Caus.* 13. *quæst.* 2. *Can.* 12.

XVI. Et Dono Episcopo Messano scribens idem sanctus Pontifex *lib.* 7. *Indict.* 1. *Epist.* 4. morem aliquid pro sepultura exigendi vocat *illicitam antiquam consuetudinem*. Verba ejus sunt: » Cum secundum nostrum institutum noveris nos » *illicitam antiquam consuetudinem* omninò vetuisse, nec cui» quam assensum præbere, ut loca humandi corporis pretio pos» sint adipisci. «

XVII. Seculo IX. Leo IV. in homiliâ, seu Epistolâ de Cura Pastorali ad omnes Sacerdotes curam animarum gerentes ait: » Nullus vestrum pro mortuis sepeliendis præmium, aut mu» nus exigat.«

XVIII. Hincmarus Rhemensis in litteris ad Hedenulphum Laudunensem Episcopum ait: » Episcopus, aut Præsbyter pro » sepultura obaudiens Decreta B. Gregorii, pretium de terra » concessa putredini quemquam non permittat in sua Paro» chia quærere, & de alieno velle luctu compendium.«

Eandem prohibitionem reiteravit in primo suo Capitulari *cap.* 12. & in tertio *cap.* 2 additque hîc: *Sicut Sacra, & Canonica sanxit auctoritas.*

XIX. Sub idem tempus Concil. Meldense *Can. LXXII.* verbis utens S. Gregorii, ait: » Nemo pro loco sepulturæ pre» tium de terra putredini concessa, & de alieno velle facere » luctu compendium, (u) aliquo modo tentet.«

Plura sunt tum Synodorum, tum Episcoporum Decreta hanc sepulturarum mercimoniam execrantia; & apud Gratianum *Caus.* 13. *quæst.* 2. *Can.* 14. refertur Decretum Concilii Triburiensis; & *Can. XV.* aliud sub nomine Synodi Varensis, sed quod revera est Decretum Synodi Nannetensis: & *Can. XII.* extat sententia S. Hieronymi hisce conformis.

His decretis insistentes posteriores Synodi, & summi Pontifices, uno consensu exactiones omnes pro sepeliendis mortuis non tantùm prohibuerunt, sed ut simoniacas reprobârunt; idque non obstante quâcunque contrariâ consuetudine.

Extat in *Cap.* 8. ✠ *de Simonia*, Decretum Concilii Turonensis sub Alexandro III. „ Pro *supultura* quoque, & chrisma» tis, & olei receptione, nulla cujusquam pretii exactio atten» tetur.“ Aditque: „ Nec sub obtentu *cujusquam consuetudinis* » reatum suum quisquam tueatur; quia diuturnitas temporis non » diminuit peccata, sed auget.“

XX. Et in *Cap.* 9. ✠ *eod.* refertur Constitutio Concilii Lateranensis sub Alexand. III. ubi imprimis dicitur: » Horribile » nimis est, quod in quibusdam Ecclesiis locum venalitas per» hibetur habere, ita ut & pro sepulturis, & exequiis mortuo» rum aliquid requiratur.

„ Putant autem (pergit Concilium) plures ex hoc licere, » quia legem mortis de longâ invaluisse consuetudine arbitran» tur; non attendentes quòd tantò graviora sunt crimina, quan» tò diutiùs infelicem animam tenuerunt alligatam.“

XXI. Denique Honorius III. scribit Magalonensi (x) Episcopo in *cap.* 13. ✠ *de Sepult.* » Abolendæ consuetudinis per» versitas apud Montem Pessulanum (ut dicitur) inolevit ut de» cedentibus non priùs permittatur effodi sepultura, quàm pro » terra, in qua sepeliendi sunt, certum pretium Ecclesiæ persol» vatur; & infra: Mandamus, quatenus, cùm loci Diœcesanus » existas, inhibeas clericis ne quicquam omnino præsumant exi» gere hac de causa.“

XXII. Verùm cùm hisce Decretis nequaquam reprobetur laudabilis, & à primis seculis in Ecclesia recepta consuetudo in funeribus oblationes pro mortuis faciendi; proindè neque Clericis eas recipiendi libertas adempta est.

XXIII. Et quid S. Gregorius in citata *Epist.* 56. postquam exactionem pro sepultura reprobavit, addit: „ Sed si quando » aliquem in Ecclesia sepeliri concediti, si quidem parentes ip» sius, proximi, vel hæredes pro luminaribus *sponte offerre* » quid voluerint, accipere non vetamus.“

XXIV. Similiter Hincmarus Remensis in allegato primo Capitulari prohibens quidquam exigi, aut extorqueri, addit: » Si » quid autem Altari, vel Ecclesiæ, aut sibi (Presbytero) *gratis* » *oblatum* fuerit à devotis quibuslibet, cum benignitate recipere » non interdicimus:“ Et rursus in altero Capitulari: „ Si aut » aliquid quisquam *gratis* offerre voluerit post sepultum corpus, » hoc suscipi non vetamus.“

XXV. In Concilio Meldensi etiam hæc clausula his verbis exprimitur: » Si quando autem proximi, vel hæredes *sponte* ali» quid conferre in Ecclesia voluerint in *eleemosynam* defuncti, » accipere non vetamus: *peti* verò, vel *exigi* aliquid omninò pro» hibemus.“

Decreta Conciliorum Triburiensis, & Nannetensis suprà citata

(u) *Compendium eo loci, significat tributum, seu præstationem nummariam.*

(x) *Magalone*, Maguelone, *urbs olim Episcopalis Galliæ Narbonensis; verùm ann.* 1536. *ejus sedes à Paulo III. summo Pontifice, postulante Francisco I. Rege Francorum, ad Montem-Pessulanum translata est.*

tata apud Gratianum, eandem clausulam continent.

XXVI. Eodem tenore & Synodorum nostræ penè ætatis Decreta concipiuntur; ut nimirum, exactiones, & pactiones interdicant, oblationes verò probent; hasque à Parochis, aliisque, quibus de jure, vel consuetudine, aliove legitimo titulo competunt, recipere permittant.

XXVII. Nomine oblationum non veniunt hîc tantùm illa, quæ in Missis exequiarum, aut anniversariorum ad altare offeruntur; sed & luminaria, aliaque, quæ circa funus, sive occasione funeris à consanguineis, hæredibusque defuncti in funeris pompam impenduntur.

XXVIII. Unde S. Carolus in suo Concilio Mediolanensi I. *tit. de Funeribus & Exequiis*, ait: » Candelæ omnes, cerei, & » quæ *intortitia* vocantur, quæ circum crucem, & cadaver ad » Ecclesiam adferuntur, & alia, quæ circa pheretrum, & in » altaribus, ac reliquis in locis, dum divina officia in funere celebrantur, hæredum impensa accenduntur, ita Deo oblata esse intelligatur, ut ejus Ecclesiæ sacristiæ, in qua mortui corpus humandum erit, continuò addicta sint. «

XXIX. Sancti Caroli vestigia premens Cardinalis Gratianopolitanus in suis Ordinationibus Synodalibus *tit.* 4. *art.* 2. *cap.* 15. idipsum declaravit. Verba ipsius sunt: *Tout ce qui est offert à l' Eglise, n' en doit jamais etre retiré, c' est pourquoy Nous ordonnons que les cierges, & flambeaux qui auront été allumés aux convois, ou dans l' Eglise, à l' Autel, demeureront aux Curés, ou à ceux à qui ils appartiennent, par le droit & par la coutume, à la reserve des cierges des Confreries, & que les Confreres tiennent à leurs mains pour accompagner le corps de leur Confrere, qui seront retirés par leurs Officiers.* Id est. „ Quidquid Ecclesiæ oblatum est, au- » ferri ab ea non potest: hinc statuimus, ut candelæ, & fa- » ces, quæ accensæ fuerint in comitatu, vel in altari Templi, » Parocho cedant, aut iis, ad quos jure, aut consuetudine per- » tinent: hinc exceptis Confraternitatum candelis, quas in de- » ducendo Confratris cadavere Confratres prætulerunt, quæ » per ipsorum administros reposcentur. «

XXX. Id nihilominus non ubique videtur receptum; ac nominatim legitur in Regulamento emanato è Curia Brabantiæ anno 1685. pro civitate Antuerpiensi super juribus sepulturæ *art.* 12. quòd faces, quæ positæ fuêre circa feretrum, non poterunt retineri ab Ecclesia; sed referentur ad domum mortuariam, ad dispositionem hæredum, vel Executorum.

Verba articuli sunt: *Datmen ten absighte vande flambeuwen gestuaen hebbende rontom de baere in geene Kercke vande selve stadt* (Antwerpen) *het sal moegen behouden maer dat met de selve sal laeten wederkeeren naer het Sterfhuys on te blyven ter dispositie vande Erfgenaemen oft Executeurs van t' selve.*

Id est: » Quoad faces circum circa feretrum collocatas nul- » la ejusdem civitatis Ecclesia has sibi poterit vindicare, verùm » ad domum mortuariam referri eas liberum erit, ut de iis aut „ hæredes, aut executores disponant.

XXXI. Præter illa hîc enumerata, inter oblationes etiam comprehendenda sunt, quæ Clericis funus comitantibus, exequias, aliave Officia funeralia agentibus, dari solent, de quibus loquitur S. Carolus dicens: » Excipimus (à superiori Decreto) » ea, quæ Clericis cujusvis eleemosynæ causâ dari solent, & „ quæ funeralium nomine Cathedralibus, & Parochialibus Ec- „ clesiis ex sacris Canonibus debentur."

XXXII. Vult insuper S. Carolus, ut » dent operam Epis- » copi diligenti cohortatione, ut in singulis Parochiis, commu- » nibus eorum sumptibus, qui sunt in Parochia, comparetur » pallium quòd mortuo imponi solet; idque omnibus in funere » *gratis* commodetur: quod si Parochiani id recusârint, sin- » guli Parochi & alii Ecclesiarum curatarum Rectores pallium » ad hujusmodi usum emant, pro quo mortuorum hæredes illis » minimum aliquid Episcopi arbitratu largiantur. «

In Belgio in plerisque Ecclesiis *pallium* hujusmodi habetur, sed sumptibus Ecclesiæ, vel fabricæ plerumque comparatum; pro quo aliquid solvi solet. Superiorum est attendere, ne ejus occasione nimis petatur.

XXXIII. Addit S. Carolus » Si verò nobiles homines aureo » vel serico, vel omninò pretioso pallio uti voluerint, pecu- » niâ suâ faciendum curent; quod ad ejusmodi cadaverum usum » nullo modo imposterum adhibeatur; sed illi Ecclesiæ, in qua » mortuus sepultus fuerit, illicò post funus acquisitum sit, & » in ejus ornamenta convertatur. «

XXXIV. Consueverunt hæc, & similia ad pompam funeris, vel feretro, vel altaribus, vel etiam templi, aut chori parietibus appendenda vela sive panni lugubres, certâ redimi eleemosyna, Fabricæ, vel Canonicis, aut Parocho, juxta variam locorum consuetudinem, cedente: quemadmodum & ipsa in specie oblata, in quorum locum hæc redemptionis pecunia succedit, pro varia locorum consuetudine his illisve cedunt, quod & innuit S. Carolus in suo Concilio Mediol. II. *decreto* 16. explanans hac in parte Decretum primi Concilii suprà relatum, quo significabatur, oblata cedere Sacristiæ.

Sed hac in redemptione illud cavendum, ne eo titulo pompæ funeris nimium excrescant; atque etiam hi, quorum conditio, & dignitas hujusmodi externum apparatum non permittunt, ad similem fastum, mediante alicujus modicæ pecuniæ redemptione, prosiliant; Parochi autem, & Clerici, qui interim per similes redemptiones lucrum captant, faciliores reddantur ad externum illum fastum permittendum, ut hoc pacto saltem lucrum ex redemptione proveniens habeant. Accedit quòd hujusmodi redemptiones, præsertim quando hactenus consuetudine aut Superiorum auctoritate non sunt determinatæ, mercimoniam quandam redoleant, soleantque laici cum Parochis, & Clericis super his quasi mercari.

XXXV. Hinc S. Carolus in suo Concilio Mediol. IV. *tit. de Funeribus & Exequiis*, statuit: » Ne pactiones de funere, aut de exequiis pro mortuo celebrandis cum defuncti hærede, » aut alio, ad quem pertineat, à Parocho, aliove ea conditio- » ne fiant, ut certa ceræ pars, quæ exequiarum officii su- » pererit, ipsi hæredi, aut alteri restituatur. «

Has redemptiones improbare quoque videtur citata Ordinatio Curiæ Brabantiæ pro civitate Antuerpiensi *art.* 14. in verbis: *Dat in toecommende sullen cesseren alle* REDEMPTIE *over cruysen, vaenen, baer-cleeden, behangen vande chooren, ende diergelycke; maer sal een ieder schuldigh syn sigh te contenteren met de reghten hier onder in t' particulier aengeroert.* Id est: » Nulla imposterum fiet redemptio ratione crucis, quæ præ- » fertur, labari, vestis sepulchralis, vestitionis chori, aut si- » milium; sed unicuique satis erit quod per jura infra specia- » liter exprimenda concedetur. «

XXXVI. Cessante particulari consuetudine, aut privilegio, aliove titulo oblationes hæ funerariæ tanquam jura Pastoralia spectant ad illos, quibus alia jura Pastoralia competunt; atque de his, sicuti de aliis oblationibus judicandum conformiter ad illa, quæ suprà *tit.* 33. *cap. fin.* dicta sunt. Et ita in specie de pecunia, quæ in redemptionem panni lugubris parietibus Ecclesiæ appensi solvebatur, respondit Zypæus *Consult.* 6. *de Sepulturis.*

XXXVII. Sicuti Clericis severè prohibitum fuit, ne super sepulturis, aut exequiis, aliisve similibus Religionis operibus paciscantur, vel hac occasione extorsiones faciant, ita quoque laicis inculcatum fuit, ne pias, & laudabiles, ac receptas offerendi consuetudines facilè infringant.

XXXVIII. Testatur Concilium Lateranense in *cap.* 42. ✠ *de Simonia.* » Ad Apostolicam audientiam frequenti relatione » pervenisse, quòd quidam Clerici pro *exequiis mortuorum*, & » benedictionibus nubentium, & similibus, pecuniam exigunt, » & extorquent; & si fortè eorum cupiditati non fuerit satis- » factum, impedimenta fictitia fraudulenter opponunt. E con- » tra verò quidam laici laudabilem consetudinem erga sanctam » Ecclesiam, piâ devotione Fidelium introductam, ex fer- » mento hæreticæ pravitatis nituntur infringere, sub prætextu » Canonicæ pietatis. «

His querelis occurrens Concilium, ait: Quapropter super his pravas exactiones fieri prohibemus, & pias consuetudines » præcipimus observari; statuentes, ut liberè conferantur Ec- » clesiastica Sacramenta, sed per Episcopum loci veritate cog- » nitâ compescantur, qui malitiosè nituntur laudabilem consue- » tudinem immutare. «

Ex hoc Decreto conclusum fuit, exactiones quidem in exequiis mortuorum vetitas esse; sed & laudabiles consuetudines offerendi à laicis esse observandas; imò etiam per Episcopum ad earum observantiam urgeri posse: quod non solùm praxis, sed & Synodi posteriores probârunt.

XXXIX. Et quidem S. Carolus in suo Concilio Mediolan. I. *de Funeribus & Exequiis*, statuit imprimis: » Exequia- » rum, sepulturæ, & anniversariorum causâ nemini quidquam » pacisci, aut exigere liceat, neque etiam petere, vel quid aliud » committere, quòd Simoniacæ labis, aut sordidæ avaritiæ sus- » picionem habeat."

Huic dein decreto immediatè subjungit: » Pias tamen in his „ consuetudines servari jubemus; cujus rei Episcopus curam „ suscipiat."

Ulteriùs cùm prius illud decretum contra exactiones, & pactiones Rectorum Ecclesiarum in exequiis in eam partem à plerisque accipi animadvertisset, quòd occasione inde sumptâ, Ecclesiæ, non servato piarum consuetudinum usu, debitis eleemosynis defraudentur, in suo Concilio Mediol. II. *part.* 3. *Decreto* 17. hæc in modum declarationis, seu explanationis prioris Decreti addidit: „ Quare Episcopus, habitâ & locorum, & „ personarum ratione, in funeribus, & exequiis, quæ pia ins- „ tituta, & consuetudines laudabiles sibi videbuntur, arbitra- „ tu suo servari jubeat sacrorum Canonum auctoritate, con- „ tumacesque compellat omni juris remedio."

XL. Postquam autem decimæ personales desierunt, & decimæ reales, ac mixtæ sensim ad Monasteria, & Capitula Canonicorum devolutæ fuêre, necessitas quodammodò coëgit,

con-

consuetudines has offerendi stabilire ; ipsosque laicos quasi constringere ad ipsas oblationes hactenus consuetas , ut Parochorum, & Ecclesiarum Parochialium necessitatibus provideretur ; creditumque fuit, æquum esse , „ proprio Pastori , tam pro of- » ficio exequiarum , quàm reliquis charitatis officiis defunc- » to , vitâ ejus durante , impensis , debitum honorarium post » mortem præstari. « Uti loquitur Synod. P. II. Camer. *titul.* 12. *cap.* 8.

XLI. Sed ne circa has laudabiles , piasque consuetudines, vel à Clericis per excessum , vel à laicis per defectum aberretur , omnesque contentiones , & etiam sordidæ aut suspectæ conventiones evitentur , meritò caverunt Synodi , ut modus ac mensura hisce oblationibus auctoritate Superiorum ponatur , determineturque , qui juxta laudabilem piamque consuetudinem à laicis solvi , & à Clericis prætendi queat : quod auctoritate Episcoporum fieri in suprà allegato Decreto mandavit S. Carolus.

XLII. Similiter Synodus P. II. Camerac. in citato Decreto , quo æquum declaravit, ut proprio Pastori , tam pro officio exequiarum , quàm reliquis charitatis officiis defuncto vitâ ejus durante , impensis , debitum honorarium post mortem præstaretur , advertens difficilimum esse, hoc (debitum honorarium) *uniformiter* pro singulis locis statuere & definire , voluit , ut » curent Episcopi in suis singulis Diœcesibus circa id provide- » re, prout (ait) statuitur *cap.* 7. tit. *de Decimis*, primi Conci- » lii Provincialis. «

Illo autem *cap.* 7. Synodus illa Provincialis decrevit : » In » Ecclesiis , in quibus jura Pastoralia , vel conventione , vel » auctoritate Magistratus sunt ordinata ac terminata , ea jura » maneant , si æqua fuerint ; si minus vel augeantur , vel mi- » nuantur Episcopi , ac Magistratus judicio. In quibus autem » non sunt determinata , ineatur ratio cum eodem Magistratu, » ut fiat. «

XLIII. Supponit Synodus in hoc Decreto , taxationem horum Jurium, & Episcoporum, & Magistratuum auctoritate fieri.

Verisimile est , Synodum hîc attendisse harum , & vicinarum Provinciarum morem & consuetudinem , quæ Jura illa temporalia citra auctoritatem Magistratus civilis ægrè laicis imponi sinerent , uti suprà *tit.* 1. *cap.* 3. notavimus : ubi unà dictum est esse conveniens , ut utraque potestate hæc jura taxentur ; ne alias laicis , de excessu Ecclesiasticorum in taxandis his Juribus , querendi detur prætextus.

XLIV. Notori est Belgii praxis, taxationem hanc perficiendi auctoritate Magistratus Regii ; (y) extatque in pluribus Ecclesiis similis taxa pro civitate , & Comitatu Namurcensi prout illa inita , & conventa est de mandato Regio cum Concilio illius Provinciæ , describitur ad calcem Synodi Namurcensis anno 1659. *Cui quisque se conformavit*, ait ipsa Synodus *tit.* 19. *capite* 7.

XLV. Extat quoque parte 3. Edictorum Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 6. *cap.* 1. ordinatio Caroli V. de 23. Martii 1528. pro civitate , & districtu Mechliniensi , quâ sumptus funerum , & honoraria , sive jura Parochorum , aliorumque ministrorum, necnon Ecclesiæ sive fabricæ specificantur , & taxantur.

XLVI. Imprimis in hac ordinatione decernitur , quòd nullus civis , aut incola Mechliniensis tenebitur ad exequias , aut alia jura pro civibus , seu incolis civitatis Mechliniensis , qui extra civitatem mortui fuerint , etiamsi intra civitatem , vitâ durante , domicilium , & larem haberent ; nisi ipse defunctus per testamentum , aut ultimam suam voluntatem ordinâsset; aut ejus hæredes communi consensu , libera voluntate , & ex devotione idipsum vellent , & à Parocho requirerent.

XLVII. Secundò declaratur , quòd unicuique cujuscunque status sit , sive dives , sive pauper fuerit , liberum sit eligere tales exequias , sive magnas , sive exiguas , cum illo pulsu campanarum , & lumine , sicuti ei visum fuerit : & casu , quod id per testamentum , aut aliter non declaraverit , idipsum fieri possit de voluntate , & judicio hæredis , vel executoris. Verba Edicti sunt : *Ende dat een ieghelick mensche binnen Mechelen ende Schependom van dier , rick oft : arm , van wat state oft conditie, die sy, kiesen ende verclaeren sal te doen soo groote ende cline uytvaert , met sulcken gheluyt ende licht , alst hem ghelieven sal , ende in dien hy by synen testamente oft andersins niet ghecosen oft verclaert en hadde , sal t' selve gheschieden tot wille ende discretie van den erfghenaemen oft executeurs sonder voorder gehouden , bedwongen oft ghemolesteert te moghen wesen.* Id est : » Unusquisque tam incola Mechl. » quàm qui sub ejus Scabinatus jurisdictione degit , pauper , seu » dives cujuscunque gradus , aut conditionis fuerit , eliget & » statuet exequias sibi parandas ea pompâ splendidâ , seu me- » diocri , tali campanarum pulsu , & facibus , prout ipsi libi- » tum fuerit ; si verò testamento , aut aliàs nihil horum statuis- » set , juxta prudentiam , & voluntatem hæredum , aut exe- » cutorum id constituetur , nemine ad plura obligato , sine ul- » la coactione , aut molestia.

XLVIII. Cùm verò super his Juribus rursus excitata esset quæstio coram Parlamento Mechliniensi inter Magistratum dictæ civitatis ex una , & Capitulum , Plebanum , ac Pastores ejusdem Civitatis ex altera partibus , Parlamentum , auditis Advocatis Fiscalibus , necnon Commissariis pro informatione causæ designatis , declarationem per modum ordinationis edidit anno 1668. quâ confirmavit citatam Carolinam , atque exactam insuper omnium Jurium pro temporum conditione , necnon funerum diversitate , tum fabricæ , tum Capitulo , Parochis, aliisque quibuscunque ministris competentium , specificam taxam fecit ; ac etiam sumptuum funerariorum aliquam moderationem adjunxit. Habetur hæc ordinatio unà cum taxa , parte 4. Edictor. Brabantiæ *lib.* 2. *tit.* 14.

XLIX. Similis taxa Jurium funeralium , necnon determinatio eorum , quæ circa sepulturas observari oporteat , emanavit anno 1686. è Curia Brabantiæ pro civitate Antuerpiensi , in qua determinantur omnia , & singula jura Parochorum , Cleri, Custodum , aliorumque Ministrorum , & Fabricæ , idque pro diversitate funerum.

Dicitur insuper in hac Ordinatione *art.* 22. quotidie quæstionem moveri super electione sepulturæ , & sepeliendis pueris, & aliis in sepulchro Majorum aliquibus prætendentibus , sine speciali electione , pueros non posse extra suam Parochiam sepeliri , tametsi alibi habeatur sepulchrum majorum.

Itaque *art.* 23. decernitur , quòd pueri infra annum 25. uti & minorennes non juncti Matrimonio , sepelientur ubi parentes , aut unus ipsorum voluerit , nisi ipsi filii sepulturam elegissent.

Et *art.* 24. additur : quòd si contraria electio non sit , patre , aut matre ibidem sepultis , eadem etiam sepultura pro pueris erit.

Deindè *art.* 25. quòd pueri parentibus orbati , & cælibes morientes , sive sint adhuc sub tutela , sive non , si in ipsa civitate habeant sepulturam patris , aut matris , poterunt in ea sepeliri in casum non contrariæ electionis.

Si pater , & mater in ipsa civitate sint sepulti in diversis locis , & pueri non conjugati non elegerint sepulturam , liberum erit hæredibus , aut executoribus in alterutrius sepultura corpus defuncti pueri sepelire , *art.* 28. ad evitandas quæstiones super probatione electionis sepulturæ statuitur *art.* 31. quòd omnis electio sepulturæ extra Ecclesiam Parochialem domicilii defuncti fieri debebit *in scriptis* , sub signatura defuncti, vel per declarationem coram Notario , qui de eo mox actam capiet , & de qua constare debebit præfectum funerum ante inhumationem. Verba articuli sunt : *Dat alle d' electie van sepulturen buyten de Parochie herke vande wooninge vanden overneden overledenens sal moeten geschteden schriftelijck by onderteekeninge vanden overledenen, oft declaratie voor Notaris die daer van instantelijck sal acte houden , ende waer van sal moetem consteren aet den Præfectus funerum voor de begraeffenisse.* Id est. » Quòd omnis sepulchris electio extra Parochiam habitatio- » nis defuncti scripto fieri debebit sub chyrographo defuncti, » vel per declarationem coram Notario , qui hujusce continuò » actam servabit , cujusque faciat fidem Præfecto funerum ante » inhumationem. «

Additur tamen *art.* 32. præcedentem articulum ita esse intelligendum , ut quoad illos qui nomina sua alicui lapidi sepulchrali insculpi jusserunt , aut nomina sua etiam vitâ ipsorum durante posita sunt , corpus ipsorum ibidem sepeliendum sit. Verba sunt: *Soo nochtans dat nopende de gene die hanne namen hebben doen stellen op eenige sarcken oft waer van de namen bevonden worden aldaer gestelt te zyn van in hun leven , het doodt lichaem in de kercke alwaer sulcks bevonden wort , sal begraven worden.* Id est : » Sic tamen ut quoad eos , qui no- » mina sui lapidi sepulchrali inscribi jusserint , iisque etiamnum » vivis insculpta esse constiterit , cadaver in Ecclesia , in qua id » fieri curârint , sepeliatur.

L. Hæc Jura sic taxata , sunt onera quædam adinstar quodammodo decimarum laicis imposita ; sed demum post mortem in sustentationem Ministrorum Ecclesiæ , & reparationem , ac intertentionem Fabricæ templi , necnon Divinorum officiorum solvenda. Et sicuti decimarum solutio in sua origine voluntaria, sensim in necessitatem versa est , ita & circa has funerarias oblationes contigit.

LI. Et quemadmodum decimæ juxta locorum consuetudines accipi debent , neque Clericus *insolitas* prætendere potest; ita

(y) *In Hispania debet etiam intervenire auctoritas Regia ad impositionem novorum jurium Parochialium, Actum Acord.* 4. *cap.* 8. & 15. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recop. Castellæ , quod non solùm etiam accidit in Dominiis Indicis , ut constat ex leg.* 6. 7. & 13. *tit* 13. & *leg.* 10. *tit.* 18. *lib.* 1. *Recop Indiar. Verùm etiam Magistratus Civiles suam possunt interponere auctoritatem ad moderanda omnia jura Parochialia , quia illorum est prohibere immoderatas seu injustas impositiones imponi, ut ait L.* 37. *tit.* 7. *ejusdem Recop. Ind.*

ita & juribus hisce taxatis, & receptis Clerus contentus esse tenetur: cavendumque, ne vanis, & excogitatis prætextibus jura illa propriâ auctoritate augeant, aut nova in gravamen laicorum inducant.

Ita S. Carolus in suo Concil. Mediol. IV. parte 2. *tit. de Funeribus, & Exequiis*, monet, ut Capitula, & Canonici contenti sint in funere, funerisque officio, eleemosynâ, quæ generatim ipsi universo, aut singillatim unicuique de Capitulo dari solet.

Deindè adjungit: »Idem Parochi, Rectores, Sacristæ, »custodes, & alii Clerici inviolatè servent ad Episcopi præs»criptum.

LII. »Pro crucibus autem, & quæ circa cadaver aut ce»notaphium disponuntur, pro campanis item, lampadibusve, »aliove prætextu aut nomine, nihil prætereà capiat exigatve, »nec Capitulum, nec quisquam de Capitulo, nec Rector, »nec sacrista, custos, aliusve Clericus quicunque, nisi si »quid est, quod fabricæ, aut sacristiæ, campanarum nomine »dari piæ consuetudinis Episcopus esse censuerit, idque verè »in eum usum cedat; at pro crucibus nihil omninò, quovis »etiam fabricæ, vel sacristiæ nomine accipi liceat.«

LIII. Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 13. *cap.* 3. decrevit, ut »pro loco sepulturæ, etiam eo prætextu quòd cedat »fabricæ, aut alii piæ causæ, nihil ex pacto exigatur; sed si »quid (ait) juxta cujusque loci piam, & laudabilem consue»tudinem á defuncti hæredibus, vel executoribus donetur; ip»si fabricæ cedat, non autem in usus Canonicorum, Pasto»rum, aut aliarum personarum convertatur.«

Monet quòque Rituale Romanum, ut »Parochi, aliique »Sacerdotes iis eleemosynis contenti sint, quæ aut probatâ »consuetudine dari solent, aut Ordinarius constituerit.«

LIV. Ulteriùs Parochi, aliique Sacerdotes in horum jurium petitione omnis avaritiæ, & aviditatis specimen solicitè cavere debent.

Hinc imprimis caveant differre sepulturam prætextu quòd non sufficienter de juribus solvendis cautum fuerit.

Seculo XI. Guillielmus Episcopus Parisiensis in suo Capitulari *Cap.* 5, ait: »Presbyteri non detineant corpora mortuo»rum super terram occasione pecuniæ extorquendæ.«

Et ejus successor S. Odo in Capitulari suo: »Prohibetur »districtè, ut pro interrassio corpus sepeliri differatur.«

LV. Hanc sepulturæ dilationem non tantùm à Sacris Canonibus, sed Imperatorum tam Gentilium, quàm Christianorum legibus tanquam rem barbaram reprobatam esse ostendit Christianus Lupus Dissertatione 2. proœmiali ad tomum 3. Scholiorum in Canones *cap.* 12. ubi insuper relata Severi Imperatoris lege: *Ne corpora detinerentur, aut vexarentur, aut prohiberentur pro oppidorum territoria transferri*, ait: »At verò ho»die apud nos Christianos si quis peregre moriens sepeliri ve»lit in patria, ejus cadaver loco moveri, aut transferri non si»nitur, nisi singulis, per quarum territoria transierit, Paro»chialibus Ecclesiis persolverit sua jura. Ea de causa quando»que videmus cadavera arrestari. Cujus consuetudinis justitiam »non video usque huc, & cupio edoceri.«

LVI. Neque ego hactenus consuetudinis hujus Justitiam video; videturque hæc consuetudo sat solidè reprobata per Peckium in tractatu *de Jure sistendi*, *cap.* 5. ubi in Parochos acriter invehitur, ut suprà *cap.* 1. monui, admodumque verisimile est, hanc consuetudinem originem traxisse ex avita hominum pietate, ac religione, quâ ducti in singulis Ecclesiis pagorum, per quos cadavera deferebantur ad locum sepulturæ, mortuos deponebant, donec Pastores illic cum Clero preces suas pro defuncto effudissent; atque hæc pietatis officia sensim per Parochos tracta esse in necessitatem apparet.

LVII. Supra citata Ordinatio Parlamenti Mechliniensis de ann. 1664. super Juribus funeralibus, vult, ut si exteri in ipsa civitate Mechliniensi moriantur, & eorum corpora aliò asportentur, nihil ab eorum hæredibus prætendere possit Ecclesia Parochialis, sub qua mortui sunt, si ibi non sepeliantur; neque sub prætextu dictorum Jurium sepulturæ, aut servitii arrestare corpora exterorum, aut habitantium, vel aliter impedire, aut differre eorum sepulturam.

Non obscurum est, Parlamentum improbâsse eam dictam consuetudinem exigendi jura sepulturæ corporum, quæ tantùm transvehuntur per Parochiam, eoque titulo arrestandi; cum nec jura exigi permittant, licèt etiam in Parochia mortui sint.

LVIII. Hanc consuetudinem haud probatam fuisse S. Carolo colligitur ex Decreto Concilii Mediolanensis IV. quo decernitur, ut »Parochus intra cujus Parochiæ fines, aliquis alie»næ Parochiæ occisus est, ejus cadaver liberè alio transferri »nullo prætextu prohibeat, nihilque ea de causa accipiat. Si ve»rò translatio ea cum funere fit, liberum ei sit uti jure suo.« *Parte* 2. *cap.* 12.

LIX. Insuper ad evitandam avaritiæ aviditatisque suspicionem, statuit ibidem S. Carolus: »Ne Parochi, aliique Clerici, »neque item exequiarum curatores, aliive quicunque in funere »operam ponunt, pignora capiant, quibus sibi caveant de fu»nerali eleemosyna, aut de eorum operæ in funere præstitæ »mercede.«

LX. Non solent quidem hodie ob defectum solutionis Jurium corpora manere, aut detineri inhumata: sed tamen rarum non est, ut ob ejus defectum negentur sepultura, & exequiæ, quas pietas & institutio Christiana defunctorum Christianorum corporibus impendi postulant.

Sanè nec honestum, nec religioni nostræ decorum apparet, ut defunctus, qui vitæ suæ meritis, & conditione, sive statu meruit honestam ac honorificam sepulturam, locumque sepulturæ, his carere debeat, quia hæredes ejus sine notabili rei familiaris detrimento jura funeralia solvere nequeunt; aut certè hæreditas ejus ejusmodi Jurium solutionem ferre non potest.

LXI. Indubiè Parochi in similibus circumstantiis ostendere debent, se juribus illis non tam avidè inhiare, ut propterea velint suos Parochianos, aliàs benè meritos, honestâ sepulturâ privari; neque nimium duri esse debent in eorum exactione, præsertim dum sciunt familiam defuncti honestam quidem esse; sed tamen reverà in re familiari minùs abundantem.

Scio quidem sæpè non dependere à solo Parocho remissionem horum jurium; imò frequenter minorem eorum partem ad ipsum spectare; nihilominus, si ipse suo agendi modo ostendat, se velle etiam sine juribus, aut cum notabili eorum remissione exequias & sepulturam facere, satis erit, ut notam aviditatis evadat, & Parochianorum suorum benevolentiam conciliet; ostendatque quòd Parochianis etiam pauperibus, juxta conditionem ipsorum, *justa* persolvere sit paratus.

LXII. Eminentissimi Cardinalis Camusii Episcopi Gratianopolitani in citatis Ordinationibus Synodalibus *tit.* 4. *art.* 12. *cap.* 12. hoc notandum occurrit monitum: *Nous leur* (aut Curés) *recommandons de temoigner autant de pieté & d' empressement aux enterremens des pauvres que des riches; de dire les prieres accoûtummées en les conduisant à l' Eglise, & en les mettant en terre, & d' éviter de donner lieu de soupçonner qu' ils apprehendent de n' avoir point de retribution.* Id est: »Com»mendamus ipsis, ut eandem solicitudinem exhibeant ad sepe»liendos pauperes quàm divites, eosque deducendo ad Eccle»siam, & inhumando consuetas preces recitent; caveantque »occasionem suspicioni præbere, quòd timeant, ne sibi fiat »retributio.

LXIII. Indubiè multùm urgentur ac quasi impelluntur Parochi, eorumque Vicarii ad duriorem jurium illorum exactionem, idque non sine gravi Fidelium scandalo, & offensione, eò quòd ex his sibi vitæ necessaria, defectu sufficientis aliundè competentiæ, habere debeant. Decimarum possessores, quibus incumbit Parochis de competentia convenienti providere meritò attendent, ne suâ tenacitate hisce scandalosis, & scabiosis exactionibus causam præbeant.

CAPUT V.

De Juribus Ecclesiæ Parochialis ad Exequias, et oblationes dum alibi sepultura est electa.

1 *Ecclesiæ Parochiali competunt de Jure sepultura, & exequiæ.*
2 *Nonnullis aliis locis religiosis* libera *sepultura, sive jus sepeliendi concessum est.*
3 *Sed ultra privilegii tenorem censetur non extendendum.*
4 *Jus sepulturæ, & jus celebrandi exequias sunt distincta, nec illo concesso sequitur, & hoc concessum esse.*
5 *Consequenter alicui loco religioso concessa libera sepultura, non concessa propterea concessum jus exequiarum.*
6 *Pontifices indulgentes alicui loco religioso liberam sepulturam, reservant Ecclesiæ Parochiali reliqua sua jura.*
7 *Clausula reservatoria jurium Ecclesiæ Parochialis occurrit in Bulla confirmatoria Ordinis S. Dominici.*
8 *Eadem clausula exprimi solita in omnibus Bullis, quibus* libera *sepultura annuitur.*
9 *Per* liberam *sepulturam intelligitur, jus sepeliendi liberè cadavera eorum, qui in loco sepeliri eligerunt.*
10 *Corpora, dum in locis hujusmodi inhumantur, dicuntur ab Ecclesia Parochiali* assumi.
11 Salva justitia *Ecclesiarum Parochialium idem est, quod salvo jure illarum Ecclesiarum.*
12 *Vigore clausulæ* salva justitia Ecclesiarum Parochialium, *manet iis salvum jus celebrandi exequias.*
23 *Manet quoque Ecclesiæ Parochiali jus, ut cadaver priùs ad eam deferatur, & eo præsente Missa celebretur.*
14 *Nulla consuetudo requiritur, ut hoc jus salvum sit Ecclesiæ Parochiali.*
15 *Hoc jure utuntur Ecclesiæ Parochiales in Gallia.*
16 *Hoc jus Ecclesiis Parochialibus per arresta Regia sæpiùs assertum.*
17 *Illud jus Ecclesiis Parochialibus vindicat Cardinalis Camussius Episcopus Gratianopolitanus.*

18 *In pluribus Ecclesiis Belgicis idem jus salvum manet ; & Parochis civitatis Iprensis adjudicatum.*
19 *Per Senatum Regium assertum Parocho civitatis Hallensis.*
20 *Similiter Parochus civitatis Athensis.*
21 *Jus exequiarum sine repræsentatione corporis nonnullis Ecclesiis conservatum.*
22 *Jus exequiarum Parochiis civitatis Mechliniensis asseruit Parlamentum.*
23 *Exequiæ persolvendæ in Parochia quales esse debeant.*
24 *Æquum est, ut Ecclesia Matrix, seu Parochialis participet in oblationibus factis Ecclesiæ electæ sepulturæ.*
25 *Leo III. tertiam partem dari voluit.*
26 *Alius Pontifex mediotatem.*
27 *Tandem* quarta *exemplo quartæ legitimæ, aut Falcidiæ assignata.*
28 *In statuenda hac portione inspiciendam esse legitimam consuetudinem respondit Urbanus III.*
29 *Portio hæc semper dicitur* quarta, *licèt aliquando sit major, vel minor.*
30 *Concilium Viennense quartam funerariam determinavit.*
31 *Voluit dari ex omnibus, quæ à defuncto reliquuntur Fratribus, apud quos est electa sepultura.*
32 *Etiam ex candelis, quas manibus præferunt.*
33 *In quartam funerariam non sunt imputandæ oblationes factæ Ecclesiæ Parochiali.*
34 *Decretum Synodi Tridentinæ quoad hanc quartam funerariam.*
35 *Summa fuit Prælatorum cura pro conservanda hac quarta Ecclesiæ Parochiali.*
36 *Hæc quarta consuetudine regitur.*
37 *Quid in Gallia, & Belgio consuetudo habeat.*
38 *In dubio salvum manet jus Ecclesiæ Parochialis.*
39 *Concordata in hac materia sunt attendenda.*
40 *Quid circa hæc observandum.*

I. SUperiori capite ostensum est, Ecclesiam Parochialem, seu ejus cœmeterium esse locum sepulturæ, sive inhumationis, atque de jure unumquemque esse sepeliendum in Ecclesia Parochiali, nisi ostendatur ex speciali titulo derogatum esse huic juri.

Ulterius ostensum est, Ecclesiæ Parochiali de jure competere, ut in ea exequiæ, aliaque justa defuncto persolvantur, & Parochum esse ordinarium exequiarum, aliorumque officiorum defunctis impendendorum ministrum; eique jus esse ea defunctis suis Parochianis administrandis, non secus ac Sacramenta, aliaque salutis media vitâ durante.

II. Porrò licèt jure soli Ecclesiæ Parochiali id competat, nullusque alius locus inspecto jure communi, inhumationi Fidelium defunctorum datus sit; nihilominus successu temporis, jus sepulturæ sive inhumationis aliis passim locis religiosis ex privilegio communicatum esse constat; ipsisque insuper Fidelibus factam libertatem, sepulturam eligendi in quocunque loco religioso jus sepulturæ habente.

III. Sed cùm hæc inhumandi facultas aliis Ecclesiis, sive locis religiosis competat jure speciali, seu *privilegiato* consequens est, eam ultra tenorem privilegii contra Ecclesiam Parochialem, ejusque jura extendi non posse.

IV. Ulterius notandum est, quod inter se disparata omninò sint, defunctorum sepultura, sive inhumatio, & exequiæ: sive officium Ecclesiasticum pro defuncto exsolvendum.

Hinc sequitur, uno indulto nequaquam alterum censeri concessum: indubitatumque est, posse aliquem in aliquo loco religioso sepeliri, tametsi in eodem nullæ exequiæ, nullumque officium defuncto persolvantur: quod quotidiana praxi magis notum est, quàm ut probari debeat.

V. Dum ergo alicui Ecclesiæ, sive loco religioso indulta est sepultura, vel licentia dandi sepulturam iis, qui in illis inhumari elegerint, nequaquam propterea ipsi datum censetur jus, ut ibidem, in præjudicium Ecclesiæ Parochialis celebrentur exequiæ, aliave officia Ecclesiastica pro defunctis persolvantur.

Cùm enim jus cadavera inhumandi in aliquo loco, sit planè distinctum à jure celebrandi exequias pro defuncto; & utrumque illud jus spectet de jure communi ad Ecclesiam Parochialem, indubitatum est, quod uno eorum alteri loco vigore privilegii communicato, nequaquam alterum censeri debeat indultum in præjudicium Ecclesiæ Parochialis; quia jure communi non censetur recessum, nisi in quantum ipse tenor privilegii exprimit, & exigit: imò dum ipsa verba privilegii sunt dubia, juxta indubitatas juris regulas interpretanda sunt, ut quàm minimùm à jure communi recedatur.

VI. Jure ergo inhumationis communicato alicui Ecclesiæ, seu religioso loco, salva nihilominus remanent Ecclesiæ Parochiali reliqua Jura. Quod & ipsi Romani Pontifices significare intendunt, privilegiis illis, quibus jus sepulturæ concedunt, inserendo clausulam, *salva Justitia Ecclesiarum, à quibus corpora assumuntur.* Cujus clausulæ mentio fit in *Cap.* 9. ✠ *de Sepulturis.*

VII. Et in Bulla Honorii III. quæ incipit: *Religiosam*, Ordinis Patrum Prædicatorum confirmatoria, conceditur ipsorum Ecclesiæ jus sepulturæ, seu inhumationis, sed cum dicta clausula reservativa. Verba Bullæ §. 10. sunt: » Sepulturam quoque ipsius » loci liberam esse decernimus, ut eorum devotioni, & extremæ voluntati, qui se illic sepeliri deliberaverint (nisi fortè excommunicati, vel interdicti sint) nullus obsistat: *salva tamen Justitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur.*«

VIII. Hæc eadem clausula exprimitur in Bulla Sixti IV. quæ vocatur *Mare magnum*, qua varia privilegia indulget Ordini B. M. V. de Monte Carmelo, atque inter alia liberam sepulturam in suis Ecclesiis; »idque, ut ait, ad exemplum » Prædecessorum, à quibus Ordinum Mendicantium Professoribus concessum fuit, ut in suis Ecclesiis, vel cœmeteriis liberam possint habere sepulturam: *salva tamen Justitia Ecclesiarum Parochialium, à quibus corpora defunctorum assumuntur.*«

Hæc Bulla Sixtina insuper probat, Pontifices in suis privilegiis, liberam sepulturam Ordinum Mendicantium Professoribus cum prædicta clausula dedisse; idque conformiter ad responsum Clem. III. in citato *cap.* 9. ✠ *de Sepult.* Nec credo ullam authenticam Bullam Pontificiam super concessione liberæ sepulturæ proferri posse, quæ hâc clausulâ careat.

IX. Ex relatis quoque Bullis habetur, quòd libera sepultura non aliud sonet, nisi libertatem sepeliendi, sive inhumandi corpora illorum, qui ibidem sepeliri desideraverint, vel elegerint; nullusque sepulturæ obsistere queat.

X. Per *Ecclesias, à quibus corpora assumuntur*, intelligi in hac clausula Ecclesias *Parochiales* evidens est, exprimitque ipsa Bulla Sixtina jam citata, traduntque omnes passim Canonistæ. Cùm enim Ecclesia de jure habeat fundatam intentionem ad sepulturam suorum Parochianorum, censetur corpora alibi sepelienda ab ipsa assumi, eo quòd jure communi jam essent ipsi Ecclesiæ Parochiali addicta.

XI. Per *Justitiam Ecclesiarum* hîc significari jura Ecclesiarum non minus notorium est, eo quod ex *justitia* eis competant: in qua significatione in antiquis etiam monumentis vox *justitia* sive *justitiæ* sæpius occurrit, ut ostendit Du Gange in suo Glossario, verbo *justitia*. Dicimus quoque *justa* persolvere defuncto, dum ipsi persolvimus, quæ *jure* ei debentur. Unde clausula *salvâ justitia* synonima est huic *salvo jure*. Quare in Bulla Sixti III. quâ ad supplicationem Ducissæ Brabantiæ probatur erectio Conventus Dominicanorum in civitate Bruxelensi conceditur ut in eo commorantes Fratres fruantur omnibus, & singulis juribus, & privilegiis, quibus alii ejusdem Ordinis Conventus gaudent: prædicta clausula his verbis exprimitur: JURE *tamen Parochialis Ecclesiæ, & cujuslibet alterius semper salvo.*

XII. Cum ergo inter jura Ecclesiæ Parochialis sint *exequiæ*, aliaque officia funeralia pro defuncto persolvenda, eaque à sepultura sive inhumatione planè distincta, consequens est, per concessam *liberam sepulturam*, sive facultatem sepeliendi mortuorum cadavera, hæc non censeri adempta: quin & per adjectam prædictam clausulam cum aliis juribus ipsi Ecclesiæ Parochiali conservata.

XIII. Quia verò uti suprà *cap.* 1. dictum est, convenit, ut Missa funeralis celebretur præsente corpore, etiam de jure competit Ecclesiæ Parochiali, ut corpus, sibi præsentetur, atque eo præsente Missa celebretur; quod non obstare liberæ electioni sepulturæ, jam pridem notavit Glossographus ad *Clementinam* DUDUM *de Sepulturis* verbo *integrè*, ex Joanne de Imola: imprimis ubi est consuetudo primum portandi corpus defuncti ad Ecclesiam Parochialem, priusquam sepeliatur in loco electæ sepulturæ, hæc consuetudo servanda est. Deinde ex eodem addit, »quòd ubi non est consuetudo, etiam esse cada» ver deferendum, ut si haberet *Missam in propria Ecclesia*, » & sic recipiat ibi ultimum vale à suo Curato. Nec istud (ait) » electioni sepulturæ repugnat, sed concordat.«

XIV. Supponit igitur Glossographus post Joannem de Imola, jura illa manere salva Ecclesiæ Parochiali; neque consuetudine opus esse, ut jura hæc Ecclesiæ vindicentur; sed citra consuetudinem, aut specialem titulum ipso jure competere.

XV. Jure hoc etiamnum uti passim Ecclesias Gallicanas innuit Matthæus Beuvelet in quodam libello Gallico, cui titulus: *Instruction sur le Manuel par forme de demandes & responses familieres; se voyent recuillies les choses les plus remarquables qui se trouvent dans la plupart des Manuels, qui sont en usage dans l' Eglise.*

Hic igitur volens ostendere quid circa sepulturam eorum, qui extra Ecclesiam Parochialem eam elegerunt, sit servandum ex præscripto majoris partis Ritualium, seu Manualium, quibus utitur Ecclesia, notat, quòd Clerus Parochiæ sub qua sepeliendus decessit, levet corpus, eoque ad eandem Ecclesiam Parochialem delato, post ibidem celebratam Missam pro defuncto, Cu-

Curatus, comitante Clero suo, illud præsentat Superiori loci in quo sepeliri desideravit. Verba ejus sunt, *pagin.* 379. edit. 1681. *Quand un paroissien desire d' être enterré en un autre lieu, que sa Paroisse?* Et respondet: *Le Clergé sur la Paroisse du quel il est decedé, va lever le corps, & l' ayant conduit dans la même Paroisse aprèsy avoir dit* LA MESSE *pour le Defunt, le Curé accompagné de son Clergé, la va presenter au Superieur du lieu, ou il avoit demandé d' etre inhumé.* Id est: Cum Curialis inhumari desiderat extra Parochiam? R. Clerus Parochiæ, in qua decesserit, tollit cadaver, eoque ad eandem Parochiam delato, & Missa pro defuncto peracta, Parochus Clero comitante exhibet corpus Superiori ejus loci, in quo sepeliri postulavit.

De generali usu Ecclesiarum Galliæ testatur quoque Claudius Henrys *lib.* 1. *cap.* 3. *quæst.* 10. suorum Arrestorum, ubi relatis opinione, & verbis Glossæ suprà expressis, adjungit: C' EST CE QUI SE PRACTIQUE AUSSI PAR TOUT: *& il est bien juste qu' un enfant rende ce dernier devoir à sa Mere, & qu' reconoisse en quittant le monde celle qui l' à nourri de son lait pendant sa vie.* Id est: » Idque ubique observatur; & sanè » æquum est, ut filius hoc Matri supremum officium referat, » agnoscatque mundo demigrans illam, quæ eum vivum lac- » tè suo pavit. «

XVI. Plura Arresta huic conformia refert Carolus Fevretius in tractatu *de abusu*, *lib.* 4. *cap.* 8. *num.* 5. & 6. & recentiùs refertur in opere, cui titulus, *Journal des Audiences*, *part.* 3. *lib.* 3. *cap.* 1. prolatum in Parlamento Parisiensi 25. Januarii 1659. in causa Patrum Augustinianorum contra quosdam Parochos, quo declaratum fuit, Augustinianis jus esse sepeliendi corpora eorum, qui apud ipsos elegerint sepulturam; quæ tamen corpora levabuntur à Curatis, aut Vicariis Ecclesiarum, in quibus decesserunt, & portata in Ecclesiam Parochialem postmodum reducentur ad Ecclesiam Augustinianorum, ut ibidem inhumentur. Verba Arresti sunt: *La cour faissant Droit sur le tout... emendant à maintenu & gardè les dits Augustins au droit & possession d' enterrer en leur Eglise le corps defunt, quand il y aura election de sepulture....lesquels corps des defunts seront levés par les Cures, ou Vicaires des dites Paroisses, ou il seront decedés, & portés en l' Eglise Parochiale, & conduits en suite en l' Eglise des dits Augustins, pour y etre par eux reçus & enterrés.* Id est. » Curia super omnibus jus dicens...dic- » tis Augustinianis possessionem asseruit, ac tutam præstitit: ut » in Ecclesiis suis cadaver sepeliant, cùm electus fuerit locus se- » pulturæ....quæ cadavera tollentur à Parochis, aut Vicariis dic- » tarum Parochiarum, in quibus decesserint, transferenturque » ad Ecclesiam Parochialem, & exinde ac dictorum Augustinia- » norum Ecclesiam deducentur, ut ab iis excipiantur, & inhu- » mentur. «

Notat quoque Barbosa *De offic. Parochi*, *part.* 3. *cap.* 26. *num.* 70. » Ubi defunctorum cadavera in alterius Parochia exis- » terent, & in Ecclesiis Fratrum sepeliri debent, priùs in Ec- » clesiam Parochialem ad *benedictionem*, ac *ultimum vale* à » Parocho recipiendum deferenda esse. « (z)

XVII. Conformiter ad hunc usum Regni Galliæ Eminentissimus Cardinalis Camusius Episcopus Gratianopolitanus *in suis Ordinationibus Synodalibus*, *tit.* 4. *art.* 2. *cap.* 5. interdicit omnibus Sacerdotibus sub pœna suspensionis, & laicis sub pœna excomunicationis transferre quacunque de causa corpora defunctorum è domo mortuaria ad locum sepulturæ electæ extra Parochiam, nisi priùs fuerint delata ad Ecclesiam Parochialem. Verba sunt: *Nous defendons à tous Prêtres* a peine d' suspense; *& à tous Laiques* sous peine d' excommunication, *de transporter pour quelque cause que ce soit, les corps des fideles de la maison ou ils seront decedés au lieu q' ils auront choisi pour leur sepulture hors de leur Paroisse, qu' ils n' ayent été portés auparavans par le Curé à l' Eglise Paroissiale, d' ou ils ne pourront etre transportés dans des Carosses sans Clergé & sans luminaire; si l' on n' en a obtenu de Nous la permission: & afin que les convois se fassent avec decence, Nous ordonnons que le Clergé des Paroiosses accompagnera les corps jusq' la porte d' Eglise, ou l' on les enterrera.* Id est: „ Inhibemus quibuscun- » que Sacerdotibus sub pœna suspensionis, Laicis sub pœna » excomunicationis, ne quamcunque ex causa transferant corpo- » ra fidelium è domo, in qua decesserint, ad locum Sepulturæ, » quem elegerint extra Parochiam, nisi prævie per Parochum » ad Ecclesiam Parochialem corpus delatum fuerit, unde in rhe- » da educi non poterit sine Clero, & facibus, nisi consensus » noster accesserit. Ut verò funebres comitatus decenter fiant, » mandamus, ut Clerus Parochialis corpus usque ad Ecclesiæ » limen, in qua inhumabitur, deducat. "

XVIII. In pluribus Ecclesiis Belgicis idem jus inviolatum hactenus remanet.

Et quidem anno 1613. Vicariatus Iprensis Sede vacante declaravit in causa inter Augustinianos, & Parochos civitatis Iprensis, „ corpora defunctorum laicorum, etiam convictua- » lium studiosorum in Monasterio dictorum Patrum, represen- » tanda esse in Ecclesia Parochiali, ibidemque celebranda con- » sueta funeralia, priusqua. . illa apud prædictos Patres sepeli- » ri queant. "

XIX. Similis est declaratio seu sententia Senatus Regii Montensis pro Pastore Civitatis Hallensis contra Minoritas ibidem anno 1656. Tenor sententiæ est: *Les Gens &c. faisant droit declarent que les Peres Recollects devront souffrir que le corps du defunt, qui aura choisi sa sepulture en leur Eglise, soit porté par le Pasteur & Clergé en l' Eglise Paroissiale, pour recevoir avec décence la derniere Benediction Pastorale, & de la être conduit par ledit Pasteur & Clergé, si celui requis en est, jusques prés d' Eglise desdits Peres, pour à leur sortie d' icelle, le même corps leur être delivré; leur ondonnant de n' y faire aucum Service, avant que celui de la Paroisse soit celebré avec les publications accoutumés.* Id est. „ Judices &c. Jus dicentes de- » clarant teneri PP. Recollectos, ut permittant defuncti cada- » ver, qui in templo ipsorum sepulturam elegerit, à Parocho & » Clero ad Ecclesiam Parochialem deferri, ut ei suprema Pas- » toralis Benedictio decenter impendatur, indeque per dictum » Parochum & Clerum, si is rogatus fuerit, deducatur usque » in vicinam Templi dictorum PP. quo ipsis Templo egressis dic- » tum cadaver tradatur; mandantes, ut nullas exequias pera- » gant, antequam in Parochia consuetis publicationibus præ- » missis celebratæ fuerint. "

XX. Et altera ejusdem Senatus pro Parocho S. Juliani contra PP. Recollectos in civitate Athensi, quâ declaratum fuit anno 1652. *que les Peres Recollects ne pourront ensepulturer en leur Eglise aucum corps qui n' ait été representé en l' Eglise Paroissiale du defunt, ne soit apres que le Pasteur duëment averti en fasse refus.* Id est: „ Quod PP. Recollectis nullum „ in templo suo liceat corpus terræ mandare, quod priùs de- „ latum non fuerit ad Ecclesiam Parochialem defuncti, nisi ejus „ rei Pastor debitè præmonitus id reccusâsset. "

XXI. Postquam autem sensim permitti cœpit, ut contra pristinam, & in Ritualibus præscriptam disciplinam Missa funeralis sive exequiæ in Ecclesia peragerentur *absente* corpore, unà haud difficulter permissum, aut dissimulatum fuit, ut corpus defuncti rectè deferretur ad locum electæ sepulturæ; modò tamen Missa, sive exequiæ pro defuncto in Parochia celebrarentur: quemadmodum in nonnullis Ecclesiis hodie observari videmus.

XXII. Et quidem in ordinatione Parlamenti Mecliniensis emanata anno 1668. quæ estat *part.* 4. *Edict. Brabant. lib.* 2. *tit.* 14. expressè declaratur, quod hæredes aut executores defuncti in civitate Mechliniensi teneantur exhibere funeralia ipsi defuncto in Eclesia Parochiali intra cujus limites è vivis discessit, licèt in alia Ecclesia elegerit sepulturam. Verba sunt: *La cour faisant Droit, & reglant le tout, declare & ordonne que les executeurs Testamentaires & autres, à qui il appartient de rendre les derniers devoirs aux Trepassés, ayant fixe domicile & venant à deceder en cette ville de Malines, seront tenus de faire les funerailles, & Services du Defunt en l' Eglise Parochiale, dans les limites de la quelle ils auront eu leur derniere residence, non obstant qu' ils auront choisi leur sepulture en quelque autre Eglise.* Id est: „ Curia jus dicens, & suas cuique partes as- „ signans, declarat, & statuit, Executores Testamentorum, alios- „ que, ad quos spectabit defunctis justa persolvere, commoran- „ tibus, & decedentibus in hac Civitate Mechliniensi obstric- „ tos fore, ut curent exequias, & Officium pro Defuncto ce- „ lebrari in Ecclesia Parochiali, intra cujus limites ultimò fue- „ rint commorati, idque quantumvis locum Sepulturæ in alia „ Ecclesia sibi delegissent. "

XXIII. Cùm verò hodie sint diversi generis exequiæ, sive funera pro ratione majoris, vel minoris pompæ, & celebritatis exterioris, & loci, quo ipsum cadaver representatur vel sepelitur; ac majora vel minora jura tum Parocho, tum Fabricæ aliisque competant, pro ratione officii pro defuncto persolvendi, quæstio incidit, quod genus exequiarum in Ecclesia Parochiali sit persolvendum, quando in alia Ecclesia fuit electa sepultura; & an hæres sive executor qualicunque officio in Ecclesia Parochiali defungatur: & judicatum per Parlamentum Mechlin. 18. Martii 1669. hæredem sive executorum non defungi; sed teneri ad exequias, sive officium istius generis, quod respondet officio, sive funeralibus factis in ipsa corporis inhumatione in loco sepulturæ electæ. Quia per factam eo modo

(z) *Extat Arrestum* 17. *Februarii* 1702. *datum à supremo Parisiorum Senatu: in eo placito declaratur, deferenda esse fidelium mortuorum corpora ad Parochialem Ecclesiam, antequam deferantur ad Mendicantium, aliorumque Religiosorum Ecclesias, ut terræ in iis mandentur. Arrestum illud refertur in novis Cleri Gallicani Collectaneis* tom. 5. col. 1657. &c. *In Hispania verò licèt ad Ecclesiam Parrochialem non deferantur defunctorum corpora, antequam Religiosis, aliisve locis tradantur, attamen eorum traditio fit à Clero Paræciæ cum elevata Cruce.*

do inhumationem censetur determinâsse genus funeris. (a) Deinde parum honestum videtur, defuncto apud extraneam Ecclesiam splendidiùs parentare, quàm apud propriam, & Matricem Ecclesiam.

XXIV. Ulteriùs quia de jure ipsa Corporis inhumatio, sive sepultura cum omnibus oblationibus competit Ecclesiæ Parochiali tanquam matri, quæ defunctum Christo parturivit, & vita durante enutrivit; juxtum quoque visum fuit, ut dum inhumatio cum oblátionibus ad aliquam Ecclesiam transferri permittitur, hæc Ecclesia mater non in totum ab illis oblationibus excludatur; exemplo matris carnalis, quæ saltem in partem hæreditatis liberorum suorum vocatur, si hæc ad extraneos ex dispositione liberorum transeat.

XXV. Et quidem in *Cap.* 1. ✠ *de Sepult.* postquam Pontifex declaravit, exemplo Patriarcharum ununquemque in sepulchro Majorum esse sepeliendum; & ad exemplum Christi nulli negandam esse electionem sepulturæ, addit: »Sed & quia »dignus est operarius mercede suâ, tertiam partem sui judicii »illi Ecclesiæ dari censemus, in qua cœlesti pabulo refici con»suevit, ut juxta Apostolum sint consolationum socii, ut fue»rint passionum; & sic demum ubicunque libitum fuerit, eli»gat sepulturam.

XXVI. In *Cap.* 2 ✠ *eod.* mandatur, »ut quicunque amo»dò in monasterio converti voluerit, sive in morte, sive in »vita omnium rerum & possessionum, quas pro salute ani»mæ decrevit disponere, medietatem Ecclesiæ, ad quam dig»noscitur pertinere, relinquat."

XXVII. At in *Cap.* 8. ✠ *eod.* statuitur, ut si aliquem Parochianorum alibi contingerit eligere sepulturam, de testamento ipsius *quarta* portio relinquatur, scilicet Ecclesiæ Parochiali.

Portio *quarta* hic determinata apparet exemplo *quartæ* partis hæreditatis, quæ Matri debetur pro legitima ex hæreditate filii.

XXVIII. Interim ex citatis Decretalibus intelligimus, non eandem fuisse hujus portionis taxationem.

Unde interrogatus Clemens III. quomodo positâ hac varietate intelligenda esset clausula in privilegiis apponi solita, *salva justitia illarum Ecclesiarum, à quibus mortuorum corpora assumuntur*, respondit: »Ut, sicut beatus Hieronymus inquit, »unaquæque Provincia in suo sensu abundet, secundum ratio»nabilem consuetudinem regionis illa *justitia* circa medietatem »vel tertiam quartam partem pro locorum diversitatibus atten»datur." *Cap.* 9. ✠ *de Sepulturis.*

XXIX. Verùm licèt juxta locorum sive Provinciarum consuetudinem hæc portio possit esse major vel minor, quàm *quarta*, nihilominùs sicuti portio fructuum, quæ Ecclesiæ penditur semper dicitur *decima*, tametsi non semper decimam fructuum portionem conficiat, ita quoque portio, quæ debetur Ecclesiæ Parochiali ratione Sepulturæ in alia Ecclesia, licèt non semper sit quarta portio funeralium, nihilominus retinet nomem *quartæ*

(a) *Sententia Parlamenti Mechliniensis de forma Exequiarum celebrandarum in Ecclesia Parochiali pro Parochianis sepultis in Ecclesiis Mendicantium.*

Sentence extendue touchant le pied qu'on doit aux Entertemens & Exeques de ceux qui choisissent leur sepulture hors leur prope Paroisse, donnée au grand Conseil le 18. Mars 1669.

Comme different auroit esté meu au Grand Conseil de sa Majesté entre le Pere Superieur de l' Oratoire en cette ville, deservant de la Curè de S. Jean suppliant, d' une part; & Elisabeth Van den Berghe Rescribente d' antre, sur ce que le Suppliant auroit par requete du trèzieme de ce mois remonstré, que feuè Jenne Vanden Berghe Residente en ladit Paroisse, & ayant esté administrée par le Curé d' icelle, etoit decedée au Mois d' Octobre dernier, & sur les promesses que la Rescribente sa sœur, & heretiere avoit fait de faire son service, ou d' en payer les droits à laditte Eglise Paroissiale, elle avoit éié inhumée le vingtieme dudit Mois dans la Chapelle de Notre Dame en l' Eglise de la Societé de Jesus, ou l' Autel avoit étè convert de drap blanc, & la bierre entourée de quatre chandeliers; ce que denotoit plustot un enterrement de Chœur que d' Eglise; & comme ladite rescribente ajant vôulu attendre le dernier reglement de cette Cour, emané le 24. de Decembre dernier, refusoit maintenant de se conformer à iceluy, & que non obstant plusieurs interpellations amiables, elle ne vouloit accomplir ses promesses, ny payer les droits deuz à sa Paroisse; sous ombre qu' elle pouvoit choisir tel service que bon luy sembloit, suivant l' article deuxieme de la Caroline, du vingte troisieme de Mars 1528. & sans considerer, que ledit article ne parloit que d' un service effectif, & presuppose un choix du defunct, ou de son heritier, qui n' avoit pas este fait au cas en question, & q'autrement ce seroit eluder les droits de toutes les Paroisses, si apres avoir fait un service pompeaux dans une Eglise etrangere, comme avoit été fait aut sujet de la dite defuncte, on pouvoit se prevaloir de ladite Caroline, qui ne parloit que du service effectif & nullement des droits surrogez au lieu du service, qui se faisoit ailleurs, & proportionez à la qualitte d' iceluy de Choorlick *ou* Kerck lyck, *ce pourquoy le suppliant concluoit à ce que seroit ordonnè à ladite rescribente, & en tant que de besoin condamnée de luy payer promptement les droits du service nomme* Kerck-lyck, *& les droits* de schinckingne, *du moins par provision, ou bien deputer commissaire, pour parties ouyes, sommierement être disposé sur ce que se requiert. Surquoy auroit eté ordonnè quelle seroit incontinent montré à Parties pour y dire pardevant le Conseillier de Baillencourt le lendemain à deux heures lapres mydi peremptoirement, & à peine que sera dispose sur la provision requise. Que lors parties comparantes par devant ledit Commissaire, ledit Suppliant y auroit fait ramener à fait sadite requeste & conclure selon icelle demandant despens: la Rescribente y respondante auroit declaré que la defuncte n' avoit ordonnè aucunes exeques ou funerailles non plus par testament qu' autrement; par ainsi competoit à la Rescribente sa sœur le choix & l' election d' icelles, ensuitte de ladite Caroline article deuxieme, laquelle rescribente avoit choisi si qu'elle faisoit de faire des exeques mediocres, en Thioes* middelbaere Uyt-vaert van t'vierde Ordre, *offrant suivant ce de promptement faise celebrer lesdites exeques, d' en payer les droits y afferans, soutenant moiennant ce devoir passer, & qu' au sur plus le suppliant seroit declarè non recevable ny fondé au dispositif de sa requête, du moins en la forme & maniere demandant depens. Pour à quoy replicquer le suppliant auroit requis & luy auroit été accorde terme jusqu' au lendemain sans prejudice de ce ledit Commissaire, se conformant à ce dont la* COUR *l' avoit enchargé, auroit demande au procureur de la Rescribente, s' il vouloit mettre en denegation, que la defuncte auroit eté ensevelie en l' Eglise des Peres Jesuites, & qu' il en auroit fait mémes appareils de funerailles comme on etoit accoutumé dy faire pour les autres personnes, lesquelles de memoire on y avoit enterrées, & pour lasquelles on y avoit fait services tant au regard des ornemens de l' Autel que de la representation que l' on mettoit au milieu de l' Eglise du temps de l' Office, & quelquels jours en apres: à quoy la rescribente satisfaisant auroit au verbal du 15. dudit Mois, fait dire que la defuncte avoit eté enterreé daus ladite Eglise des Peres Jesuites en la forme & maniere qu'iceux estoient accoutumez d' enterrer toutes autres personnes tant riches, que pauvres egalement & sans aucune difference au distinction, moins d' aucun appareil de funerailles, ayant simplement la Bierre & l' Autel eté couverts de drap blanc, selon qu' on offroit de verifier en cas de besoin. Sur quoy procedant ledit suppliant, & aussi sur le verbal precedent, auroit debattu le tout par insuffisance, & autrement, & persisté és conclusions prises par sa requête avec demande de depens. Ce qu' etant ainsy debattu par la Rescribente, elle auroit persisté sans qu' elle y adjoutoit par son advertissement que la Caroline n' ayant oncques été abolie ou alterée, chacun la devoit etroitement observer, & de suitte se couformer aux prescripts des funerailles y reglées, de tant plus que l' observance d'icelle se trouvoit bien expressement commandé par ladite sentence du vingt quatrieme Decembre dernier: aussi les causes efficiente & finale de ladite Caroline, temoignent clairement que les Pasteurs n' avoient aucune chosse à dire au regard de la forme des funerailles d' un trespassè, ce que bien consideré l'on ne pouvoit comprendre avec quel fondement le suppliant vouloit obliger la rescribente de faire les funerailles d' un* Kerck-lyck, *veu qu' en effect ces deux choses repugnoient d' avoir le choix & liberté de faire si grand, ou petit service qu' on desire. On voyoit que dans l' Eglise Metropolitaine de S. Rombaut, que pour un pauvre bourgeois qui étoit du corps d' un Mestier, l' Autel étoit couvert de drap noir, la bierre entourée de chandeliers, & couverte d' un splendide habit en Thioes,* Baer Kleedt, *& tout ce non obstant, que l' enterrement se faisoit dans la cemetierre; par consequent ce n' estoient par les appareil, qui devoient determiner les funerailles. Si convenoit noter que la place, ou que le service se fait, ne determinoit non plus le espece de funerailles, comme étant veritable que plusieurs services de trespassez en la Paroisse dudit S. Rombaut se faisoient dans le Chœur, non obstant, que les funerailles étoient de la moindre espece, entre autres les Margliseurs, Fossoyeur & autre servant l' Eglise. Ce qui ayant eté joint audit different & iceluy mis en etat de juger: Le tout veu & considere,* la Cour *faisant droit à ordonné & ordonne par cetté sentence diffinitive & arrest, à laditte suppliante de faire celebrer pour la defuncte sœur en sa Paroisse un service au pied du reglement établi pour l' Ordre dit* Kerckelycken, *& d' en payer les droits du convoy de l' enterrement. La condemnant es depens de sa poursuitte à la taxation & moderation d' icelle Cour. Donne à Molines le dixhuictiéme de Mars 1669.*

tæ funerariæ, tanquam succedens in locum quartæ, quæ adinstar quartæ legitimæ debetur Ecclesiæ Parochiali tanquam Matri respectu defuncti.

Vocatur quoque portio *Canonica* in *Cap. 2. de Sepulturis, in* VI. & alibi, eò quòd à Canonibus sit inducta.

XXX. In *Clementina* DUDUM, *de Sepulturis*, quæ plura dubia, & quæstiones, Fratres Minores, & Prædicatores inter & Parochos explanat, & resolvit, etiam, „ auctoritate „ Apostolicâ constituitur, & ordinatur, ut dictorum Ordinum „ Fratres de obventionibus omnibus tam funeralibus, quàm quibuscunque, & in quomodocunque relictis distinctè, vel in„ distinctè, ad quoscunque certos, vel determinatos usus, de „ quibus etiam quarta, sive canonica portio dari, sive exigi „ non consuevit, vel non debet de jure, necnon de datis vel „ qualitercunque donatis in morte seu mortis articulo in infir„ mitate donantis, vel dantis, de qua decesserit, quomodo„ cunque directè vel indirectè fratribus ipsis, vel aliis pro eis„ dem quartam partem (quam auctoritate Apostolicâ taxamus, „ & etiam limitamus) parœcialibus sacerdotibus, & Ecclesia„ rum Rectoribus, seu Curatis largiri integrè teneantur. "

XXXI. Juxta hanc decisionem non tantùm ex funeralibus propriè dictis, id est, quæ cum funere deferuntur, *quarta* debetur; sed *generaliter ex omnibus quibuscunque, & quorumcunque, in quoscunque usus* obventionibus Fratribus illis à defuncto, qui apud ipsos sepulturam elegit, relictis; tametsi etiam de jure portio Canonica de illis dari non deberet. Quia licèt funeri non applicentur, videntur tamen intuitu electæ sepulturæ à defuncto esse relicta: ideoque æquum videtur, Ecclesiæ Parochiali ex his *quartam* deberi; quia simul cum ipsa sepultura ab Ecclesia Parochiali videntur quodammodo abstracta.

XXXII. Hinc Glossographus ad hanc Clementinam, verbo *Funeralibus* notat, quòd juxta hunc textum etiam quarta debeatur ex candelis, quæ *dantur ad manus*, id est, quas Fratres comitantes, manibus ferunt. „ Et licèt hoc sit rigoro„ sum (ait Glossa) hoc tamen vult ista littera, & verbum *om„ nibus*, quod præcedit, & *quibuscunque*, quod sequitur. " Additque: „ Per hæc verba etiam puto, eos teneri de iis, quæ „ legantur pro Missis dicendis. "

XXXIII. Adhæc observandum, obventiones, è quibus quarta detrahenda dicitur, intelligi de solis obventionibus, quæ obveniunt Ecclesiæ, in qua electa est sepultura; factas autem in Ecclesia Parochiali hîc nullatenus considerandas, neque has in quartam esse imputandas, sed integras Ecclesiæ Parochiali cedere; ac præter has deberi quartam ex obventionibus relictis Ecclesiæ dictorum Fratrum, in qua electa fuit sepultura.

Id jam pridem post Joannem Monachum notavit Joannes de Imola ad citatam Clementinam, asserens, quòd si cadaver primò portetur ad Ecclesiam Parochialem, ibique *Missa* celebretur, „ recepta in tali Missa non computentur in *quartam*: „ Nam licèt quarta debeat contentari, & nihil aliud amplius „ petere, tamen id est verum respectu quartæ ejus, quod est „ relictum Fratribus; nam de his hîc loquitur; de relictis au„ tem Ecclesiæ Matrici nihil hîc dicit Papa. "

XXXIV. de hac quarta *funeraria* extat Decretum Concilii Tridentini *Sess. 25. cap. 13. de Reform.* in hæc verba: „ De„ cernit Sancta Synodus, ut quibuscunque in locis jam ante „ annos quadraginta, quarta, quæ funeralium dicitur, cathe„ drali, aut parochiali Ecclesiæ solita esset persolvi, ac postea „ fuerit; ex quocunque privilegio aliis Monasteriis, hospita„ libus, aut quibuscunque locis piis concessa, eadem posthac „ integro jure, & eadem portione, quæ antea solebat, Cathe„ drali seu Parochiali Ecclesiæ persolvatur: non obstantibus „ concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam *Mari magno* nun„ cupatis, aut aliis quibuscunque. "

XXXV. Hoc decretum, necnon præallegati Juris textus satis indicant, quanta fuerit Ecclesiæ cura, ut Parochialibus Ecclesiis provideretur; quodque creditum fuerit obventiones & funeralia, quæ locis electæ sepulturæ relinquuntur, quasi violentè Ecclesiis Parochialibus absumi; atque propterea meritò Ecclesiis Parochialibus quartam addici exemplo matris, cui hæreditas filii adimitur, & ad extraneos defertur.

XXXVI. Sed & illud ex allegatis Decretalibus, & decreto Concilii Tridentini habetur, hanc quartam consuetudine regi, eamque pro varietate provinciarum, & locorum variam esse; quæ varietas non tantùm circa quantitatem, sed & circa ea, è quibus debetur, versatur.

XXXVII. Synodus Tridentina solùm urgens solutionem integram quartæ, quæ *funeraria* dicitur, quæ ante 40. annos Ecclesiæ Cathedrali, aut Parochiali solvi solita fuit, sat clarè insinuat, usum portionis hujus funerariæ consuetudine longissimi temporis, aliove titulo tolli posse: quemadmodum in Gallia eam non esse in usu testatur vir eruditus Claudius Fleury *lib. 2. Inst. Juris Canonici, cap. 9.* uti & in Belgio multis in locis usus ipsius desiit, præsertim iis in Ecclesiis, quæ jus celebrandi primas exequias retinent: in aliis verò ea ferè consuetudo est, ut electa sepultura apud Fratres Mendicantes, Parochus ad ducendum funus cum suo Clero invitetur; utque officio funebri in Ecclesia Fratrum illorum per ipsos Fratres celebrando intersint, ac propterea quartam partem consequantur *funeralium*, id est, eorum quæ circa funus adhibentur. Ut enim quarta omnium omninò obventionum juxta expressionem Clementinæ *Dudum* solvatur, nescio, an ullibi saltem in Belgio obtineat.

XXXVIII. Itaque quoad hanc *quartam funerariam*, uti & alia jura funeralia multum valet consuetudo locorum & Ecclesiarum, præsertim longi temporis. Si autem ipse usus dubius sit, interpretatio ex juri communi, vel interdum ex usu vicinorum locorum desumenda, ita tamen ut in dubio pro Ecclesia Parochiali quoad jus ad sepulturas, & oblationes interpretatio fiat: utpote cui jus commune assistit, quod salvum manet, donec aliud ostendatur.

XXXIX. Insuper in hac materia attendenda sunt Concordata, & conventiones inita inter Prælatos, & Parochos cum Fratribus Mendicantibus, aliisve, de quibus Concordatis agitur in *Cap. fin. de Pactis, in* VI. ubi unà decernit Bonifacius VIII. hujusmodi „ compositiones, & pacta cum Prælatis, Capitulis, „ & Rectoribus, & personis prædictis ab ipsorum Fratrum „ Conventualibus, Prioribus, seu Guardianis facta vel proba„ ta, de suorum Conventuum consilio & assensu (dum tamen „ aliàs sunt licita, & honesta) debere ab ipsis fratribus in locis, „ in quibus fuerint facta, perpetuò inviolabiliter observari: non „ obstante, quod magistri, vel ministri, aut Prioris Genera„ lium seu Provincialium prædictorum non intervenerit in eis„ dem assensus, nec ab ipsorum Generalibus, vel Provincia„ libus Capitulis extiterint approbata: seu quòd Sedes Aposto„ lica in iis, quæ per prædictos Fratres minores facta fuerint, „ auctoritatem suam non præstiterit, vel assensum. "

XL. Circa hæc Concordata observandum, ut claris terminis omnia exprimantur; ne aliàs ob æquivocationem terminorum contingat, ut Concordata, quæ pacis & concordiæ causa ineuntur, postmodum sint litium & dissidiorum semina. Et quia experientiâ compertum est, Concordata in hujusmodi materiis penè semper lites parere, non facilè ad hujusmodi Concordata Parochi condescendere debent, sed potiùs juri communi inhærere: præsertim quia Concordata hæc vix ineuntur, quin Ecclesia Parochialis aliquid de suo jure remittat: imò nonnunquam contingit lites planè infundatas suscitari, ut postmodum mediante hujusmodi Concordato sopiantur, quo semper aliquid Ecclesiæ Parochiali alioquin de jure communi competens decidit, & Fratribus mendicantibus accrescit. Itaque dum de ineundis Concordatis agitur, meritò omnia accuratè expenduntur, & Superioribus communicantur.

CAPUT VI.

QUIBUS NEGANDA SIT SEPULTURA.

1 *Carere sepultura pœna gravissima etiam apud Ethnicos.*
2 *Eam Christianis Gentiles ut ignominiosissimam infligebant.*
3 *Apud Romanos corpora morte punitorum insepulta manebant.*
4 *Hodie sine licentia Magistratus inhumari nequeunt.*
5 *Medicis dantur corpora morte punitorum ad exercitium anatomiæ.*
6 *Ecclesia nulli negat inhumationem, nisi Ecclesiasticam.*
7 *Quos removet vivos à communione, eisdem negat sepulturam sacram.*
8 *Sepultura negatur excommunicato, ne aliàs cum illo communicetur in sacris.*
9 *Negatur ob vetitum ingressum in Ecclesiam.*
10 *Per inhumationem in loco sacro videtur excommunicatus admitti ad publicas preces.*
11 *Cadaver repræsentat hominem vivum.*
12 *Ex negata communione in vivis probatur neganda sepultura.*
13 *Ab Ecclesiastica sepultura exclusi, ab unitate Ecclesiæ segregati.*
14 *Quales sunt excommunicati, quibus in vita communio negata.*
15 *An requiratur ut sint denuntiati.*
16 *Interdicti quoque exclusi.*
17 *Item hæretici, schismatici, & similes.*
18 *Qui non communicârunt in Paschate ad præscriptum Canonis* Omnis utriusque sexus.
19 *Occisi in ludo torneamentorum.*
20 *His similes sunt pugnantes in duello.*
21 *A sepultura excluduntur, tametsi dederint signa pœnitentiæ.*
22 *Raptoribus subinde negatur sepultura, licèt concedatur* viaticum; *& quid per* viaticum *intelligatur.*
23 *Putant Canonistæ non semper concedendam sepulturam iis, qui in extremis acceperunt absolutionem.*
24 *Idipsum supposuit Concilium Ravennatense.*
25 *Manifesti* Usurarii *à sepultura excludendi.*
26 *Hæc pœna evincit insufficientiam titulorum, quibus hodie usura palliatur.*

In

27 *Infantes mortui sine Baptismo non sepeliendi in loco sacro.*
28 *Neganda publicis, & obstinatis peccatoribus.*
29 *Prudenter in hac negatione procedere debent Parochi.*
30 *Per inhumationem excommunicati polluitur locus sacer, ut nullus ibi sepeliri queat.*
31 *Id expressum in Synodo Aurelianensi; & quæ hujus ratio.*
32 *Cadavera hujusmodi exhumanda si discerni queant.*
33 *Exhumatio auctoritate Superioris ordinariè fieri debet.*
34 *Circa negationem sepulturæ & exhumationem, Ecclesiarum consuetudo attendenda.*

I. GRavissimam etiam apud Gentiles pœnam fuisse carere sepulturâ notissimum est. Eam non nisi scelestissimis impositam fuisse probant *L.* 11. §. 3. *de His qui notantur infamia*, & *L.* 35. *ff. de Religiosis & impensis funerum.* Unde & de parricidis tanquam scelestissimis decretum fuit, ut cadavera eorum, aut in mare projicerentur, aut bestiis objicerentur devoranda.

II. Hinc Gentilium in Christianos furorem exprimere volens Tertullianus in Apologetico *cap.* 37. ait: » Nec mortuis parcunt » Christianis; quin illos de requie sepulturæ, de asylo quo- » dam mortis, jam nec totos avellant, dissecent, distrahant. «

III. Refertur in *L.* 1. *ff. de Cadaveribus punitorum*: » Cor- » pora eorum, qui capite damnantur, cognatis ipsorum ne- » ganda non sunt: & id de se observâsse etiam D. Augustinus » *lib.* 10. *de vita sua* scribit. Hodie autem eorum, in quos ani- » madvertitur, corpora non aliter sepeliuntur, quàm si fuerit » petitum & permissum; & nonnunquam non permittitur, ma- » ximè majestatis causa damnatorum (b). «

IV. Etiam & hodie ad terrorem, & exemplum aliorum, corpora suspensorum manent insepulta; nec sine licentia Magistratus abduci, aut sepulturæ tradi possunt. Vide Paponium *lib.* 20. *tit.* 8. *art.* 4. ubi notat, quòd licèt jure Romanorum videretur necessarius consensus Principis juxta *L.* 1. *ff. de Cadaveribus punitorum*, nihilominus invaluisset, ut à Judice peti corpus possit; quemadmodum corpus Salvatoris nostri JESU Christi petitum ad sepulturam à Pilato judice datum fuit. Referturque ibidem, cadaver cujusdam Advocati à Senatu Parisiensi parentibus ad sepulturam concessum fuisse, etsi de crimine læsæ Majestatis convictus ultimo supplicio fuisset affectus. Dedit & consuetudo Judici arbitrium permittendi Medicis cadavera ista ad Anatomen.

V. Quin Medicis hujus Universitatis anno 1661. permisit Consilium Brabantiæ, ut pro exercitio Anatomiæ quærere possint corpora morte punitorum in civitate Lovaniensi, & pagis vicinis; mandaturque Officiariis, ut dum contingit personam *Virilis* sexûs affici ultimo supplicio in mensibus hiemalibus, Octobri, Novembri, Decembri, Januario, Februario & Martio, indilatè indicare debeant Professori Anatomiæ; & si mulier eo supplicio afficiatur, in omni mense id significare debeant: eò quòd rariùs mulieres, quàm viri supplicio moriantur.

VI. Et hæc quidem de vetitâ omni planè sepulturâ, & inhumatione, quâ fit, ut ipsa corpora maneant planè inhumata, & omnium oculis exposita, à bestiis & aëre consumenda; quam pœnam per Canones, aut Ecclesiam impositam non legimus: neque legitur Ecclesiam unquam prohibuisse, cadavera mortuorum humari, sive terra cooperiri; sed ut summum vetuit quorundam corpora in loco *religioso*, aut *ritu Ecclesiastico* sepeliri.

VII. Sicuti enim nonnullos vivos à sua cummunione, præsertim in sacris, jam pridem excludendos censuit; ita quoque eosdem suâ communione post mortem indignos credidit.

VIII. Imprimis enim si Divina officia, & preces attendamus, quæ in exequiis, atque sepulturis ex Ecclesiæ præscripto adhibentur, notorium erit, sepulturam Ecclesiasticam esse actionem verè *spiritualem*, & sacram; ut consequenter qui in hisce cum excommunicato communicaret, revera cum illo in *sacris* communicare esset dicendus.

IX. Adhæc excommunicatis negatum fuisse ingressum Ecclesiæ scitur. Cùm ergo locus Christianæ sepulturæ sit Ecclesia, ejusve cœmeterium, quod est ejus quasi appendix, etiam corpora illorum, quibus vitâ durante is ingressus Ecclesiæ fuit, & mansit usque ad mortem interdictus, nec post mortem in Ecclesiam, aut cœmeterium inferri voluit.

X. Accedit, quòd Ecclesia quodammodo publicè pro illis, quorum corpora in locis illis religiosis sunt inhumata, orare videatur; nimirum per orationes illas, quas pro inhumandis jam in antecessum fudit per Pontificem in ipsa Benedictione cœmeterii.

Sicuti ergo excommunicatus videretur ad communionem Ecclesiæ admitti; atque cum illo in sacris communicari, si per inhumationem ipsorum cadaverum illos ad participandum in publicis illis precibus admitteret Ecclesia; ita & post mortem videretur admitti, si ad sacram sepulturam reciperetur.

XI. Quamvis enim mortuum corpus, seu cadaver non sit capax communionis spiritualis, quia nihilominus cadaver hominem quasi viventem repræsentat, pœna, quæ corpori infligitur, ipsi homini infligi videtur. Ut ergo ostendatur, defunctum extra Ecclesiæ communionem fuisse, nec ad eam vitâ durante reversum, Ecclesia noluit, post mortem etiam cadaver ipsius ad communionem admitti.

XII. Ecclesiastica igitur sepultura negatur ab Ecclesia iis, qui à sua communione manserunt separati, ne cum ipsis in divinis communicare videretur. Unde Innocentius III. in *cap.* 12. ✠ *de Sepulturis*, probans, excommunicatorum corpora non esse in Ecclesiastico cœmeterio inhumanda, præmittit: » Sacris » est Canonibus institutum, ut *quibus non communicamus vivis*, » *non communicemus defunctis*: & ut careant Ecclesiasticâ se- » pulturâ, qui priùs erant ab Ecclesiæ unitate præcisi, nec in » articulo mortis Ecclesiæ reconciliati fuerunt. « Hinc ulteriùs concludit, » excommunicatum in Ecclesiastico cœmeterio se- » peliendum non esse, imo & sepultum esse exhumandum, etsi » cadaver ipsius ab aliis discerni queat.

XIII. Itaque generaliter ab Ecclesiasticâ sepulturâ seclusi habiti jam pridem fuêre qui ab unitate Ecclesiæ segregati usque ad mortem manserunt, & in hac segregatione defuncti sunt.

XIV. Hinc imprimis excommunicati, quibus communicare non possumus in vivis, à sepultura Ecclesiastica sunt excludendi, quemadmodum respondit Pontifex in citato *cap.* 12. Et in *Cap.* 6. *de Privilegiis*, in prima Decretalium collectione apud Antonium Augustinum (cujus fragmentum extat in *Cap.* 5. ✠ *eod.*) scribit Cantuariensi Archiepiscopo Alexander III. se intellexisse » quòd Hospitalarii nominatim excom- » municatos contra prohibitionem Episcoporum Ecclesiasticæ » præsumant tradere sepulturæ: non cogitantes (ait) quoniam » grave sit eis in morte communicare, quos dum viverent, Ec- » clesia à suo sinu pro suis excessibus segregavit. « Deinde dicit, hujusmodi præsumptionem, & temeritatem nullatenus esse tolerandam.

Rituale Romanum inter excludendos ab Ecclesiastica sepultura numerat *publicos excommunicatos majori excommunicatione.* Eosdem passim omnia Ritualia à sepultura excludendos esse notant.

XV. Pastorale Mechliniense inter repellendos à sepultura Ecclesiastica etiam reponit excommunicatum, sed addit, *publicè denuntiatum.* » Nullus (ait) excommunicatus, & *publicè* » *denuntiatus* sacra sepultura est cohonestandus. «

Et sanè cum juxta Extrav. Martini V. nullus *publicè* excommunicatus, nisi sit *denuntiatus* (si publicos Clericorum percussores excipias) sit in vivis vitandus (uti infrà *parte* 3. *tit. de Censuris*, ostendetur) non apparet, quare post mortem communicare cum hisce nequeat; atque hanc opinionem Pastorale amplecti videtur.

XVI. Eâdem ratione, quâ excommunicati etiam excluduntur à sepultura Ecclesiastica, nominatim interdicti, qui & ab Ecclesiæ ingressu prohibiti, exclusi sunt. *Cap.* 10. ✠ *de Sepult.* & *cap.* 17. *de V. S.* & Ritualia consonant: Nam qui vivi ab Ecclesia manserunt exclusi, nec mortui admittendi sunt.

XVII. Hæretici, Judæi, Pagani, Schismatici, & similes ab Ecclesia alieni & separati, ad Ecclesiasticam sepulturam admittendi non sunt, nimirùm, si ut tales sint publicè convicti & denuntiati; aut publicè professionem hæreseos & ab Ecclesia recessum profiteantur; quales & Ritualia inter exclusos à sepultura reponunt.

Edicto Regis Galliæ anni 1606. *art.* 10. hæretici, qui dicuntur *pretensè Reformati*, *Pretendus Reformés*, privantur Ecclesiastica sepulturâ, etiamsi essent Ecclesiarum fundatores. Acta Cleri Gallicani tomo 1. *part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 6. *num.* 6. ubi & *num.* 10. asseritur judicatum in Parlamento Parisiensi anno 1611. corpus Catholici sepultum inter prætensè Reformatos esse exhumandum, & sepeliendum in terra sancta.

XVIII. Insuper inter privandos Eccletiasticâ sepulturâ referunt Ritualia, de quibus publicè constat, quòd præcepto annuæ Communionis ad præscriptum Canonis *Omnis utriusque sexus*, non satisfecerunt. In citato quippe Canone Concilii Lateranenesis relato in *Cap.* 12. ✠ *de Pœnit. & remiss.* in non satisfacientem præcepto Communionis annuæ ibidem præscripto, decernitur: *& vivens ab ingressu Ecclesiæ arceatur, & moriens Christiana careat sepultura.*

Hîc rursus obiter notandum, vivum arceri ab ingressu Ecclesiæ, & morientem carere Christianâ sepulturâ, tanqnam unum ex altero consequens conjungi; quasi diceretur: *Vivens arcetur ab ingressu Ecclesiæ, ergo moriens careat Christianâ sepulturâ.*

Pœnam hanc negatæ Christianæ sepulturæ non esse hoc casu *latæ sententiæ*; neque eam posse Parochum propriâ auctoritate

(b) *Hac de re consule Kirchman* de funer. Rom. *in append. cap.* 4. *& Kulpis* de jure circa cadavera occis. *Quoad Hispaniæ Regna notorium est, non solùm ultimo supplicio affectis non denegari Ecclesiastica sepultura, verùm etiam ex concessione Pii V. eis debet subministrari Eucharistia, dummodo sit die antecedenti ante executionem sententiæ, petita priùs Senatûs*, vulgo de la Sala, *licentia.*

ritate infligere ostendimus suprà, *tit.* 4. *cap.* 3.

XIX. Ex Concilio Lateranensi refertur in *cap.* 1. ✠ *de Torneamentis*: » Felicis memoriæ Innocentii & Eugenii præ» decessorum nostrorum vestigiis inhærentes, detestabiles illas » nundinas vel ferias; quas vulgò *Torneamenta* vocant, in » quibus milites (c) ex condicto convenire solent, & ad osten» tationem virium suarum, & audaciæ temerè congredi; unde » mortes hominum, & animarum pericula sæpè proveniunt, » fieri prohibemus. Quòd si quis eorum ibi mortuus fuerit, » quamvis ei poscenti pœnitentia non negetur, Ecclesiasticâ » tamen careat sepulturâ.«

XX. Torneamentis paria sunt singularia illa certamina, quæ hodie *duella* vocantur; de quibus agit Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 19. *de Reformat.* Statuitque ut » pugnantes si» ve ipsi duellantes & qui eorum *patrini* vocantur, excommu» nicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac » perpetuæ infamiæ pœnam incurrant, & ut homicidiæ juxta sa» cros Canones puniri debeant; & si in ipso conflictu decesse» rint, perpetuò careant Ecclesiasticâ sepulturâ (d).«

XXI. Hanc pœnam passim Ritualia, & Synodorum Decreta renovant; dicitque Rituale Romanum: Negatur Ecclesiastica sepultura » morientibus in duello, etiamsi ante obitum de» derit *pœnitentiæ* signa.«

Hanc clausulam adjiciens auctor hujus Ritualis respexisse videtur ad finalia verba supra relata ex *cap.* 1. *de Torneamentis*, quibus dicitur, quòd licèt occumbenti in Torneamentis poscenti pœnitentia non negetur, Ecclesiastica tamen careat sepulturâ.

XXII. Præterà in *cap.* 12. ✠ *de Raptoribus*, » statuitur, » ut quicunque ex his, qui violenter surrexerint in rapinam, si» ve in Ecclesiarum violationes manifestè fuerit deprehensus, » & in sanitate obstinata mente non pœnituerit, vel emenda» verit, & in morte securitatem præstare nequiverit, solemni» tas pœnitentiæ parum prodesse videtur, sicut credimus, sed » de peccato contrito *viaticum non negetur*, ita tamen, ut » nullus Clericorum sepulturæ illius intersit, nec ejus eleemo» synam præsumat accipere.«

Extat hoc idem Decretum in Appendice Concilii Lateranensis sub Alexandro III. *parte* 3. cujus, hoc est summarium: » De Raptoribus, & Ecclesiarum violatoribus, quando post » *per peractam pœnitentiam* sit neganda sepultura Ecclesiastica, » nisi satisdent de satisfaciendo.«

Hinc non obscurum, in hoc Decreto, quod citatur in Decretalibus Gregorii IX. sub nomine Eugenii III. per *viaticum* non intelligi *Sacram Communionem*, sed *pœnitentiæ* dationem. Viaticum enim olim etiam pro pœnitentiæ datione, qui pro omni eo quod ipsi moribundo quacunque ratione servire poterat, ut iter seu viam ad æternitatem felicius absolvere posset, sumptum esse, ostendi supra, *tit.* 4. *cap.* 4.

XXIII. Interim ex hisce Decretalibus concludunt Canonistæ, quòd non semper danda sit Ecclesiastica sepultura, tametsi ob signa pœnitentiæ, & emendationem promissam concedatur pœnitentia; imò & absolutio, quæ vocatur *necessarium* viaticum.

XXIV. Id clarissimis terminis expressit Concilium Ravennatense anno 1311. *Rubrica* 28. decernens, » quòd quicunque » de cætero excommunicationis, vel suspensionis, vel interdicti » sententiam animo sustinuerit per annum indurato, etsi in morte » Beneficium *absolutionis* satisfactione præstitâ meruerit, nihilo» minus tamen in pœnam contumaciæ, Ecclesiasticâ careat se» pulturâ.

Et *Rubrica* 29. De pœna adulterorum: » Etsi in morte de » prædictis satisfecerint cùm effectu, nihilominus tamen in ipso» rum contemptum, & pœnam Ecclesiasticâ careant sepulturâ.«

XXV. Inter non admittendos ad Ecclesiasticam sepulturam reponunt passim Ritualia, ac nominatim Pastorale Mechliniense » manifestum fœneratorem, nisi aut de perceptis » usuris satisfecerit, aut de iis restituendis sufficientem cautio» nem, juxta juris dispositionem, posuerit.«

Juris dispositio, ad quam Pastorale remittit, occurrit in *cap.* 2. *de Usuris*, *in VI.* ex Concilio Lugdunensi sub Gregorio X. quam Constitutionem innovat Synodus D. Mechliniensis, *tit.* 11. *cap.* 29. his verbis: » Usurarium manifestum, et» si per testamentum usuras restitui mandaverit, nemo tamen » ad Ecclesiasticam sepulturam admittat, nisi actualiter etiam, » prout facultates tulerint, usuras restituerit, vel de iis res» tituendis idoneè caverit, juxta Constitutionem Gregori X. » sub pœna Canonum.«

XXVI. Verùm hæc seu Pontificum, seu Synodorum in usurarios decreta, nescio quem effectum habere queant, aut quo fine edi potuerint; si omnes, qui passim hodie à Casuistis proferuntur tituli, puta, lucri cessantis, damni emergentis, aliique similes ad excusandas usuras sufficientes sint. Quis enim adeò stupidus fœnerator, ut ad evadendam hanc pœnam non possit saltem lucrum cessans ex pecuniæ mutatione prætendi, quod usuris acceptis æquivaleat? Quis convinci poterit, nullum ipsi lucrum ob mutatam pecuniam ereptum, aut damnum obvenisse, quod aliquo honesto interesse compensari possit? Videant, qui hujusmodi titulos justificant, quomodo hæc Pontificum, & Synodorum Decreta non reddant planè inutilia: & an hinc non potiùs concludendum sit, hosce titulos ut sufficientes à Decretorum illorum auctoribus agnitos haud fuisse.

XXVII. Hæc per transennam. Præter jam nominatos à sepultura quoque Ecclesiastica excludendi sunt infantes mortui absque Baptismo, quemadmodum in omnibus Ritualibus præscribitur; voluntque, ut locus aliquis juxta cœmeterium iis sepeliendis deputetur, quod & praxis observat.

XXVIII. Denique Rituale Romanum negandam dicit Ecclesiasticam sepulturam *manifestis*, *& publicis peccatoribus*, *qui sine pœnitentia perierunt.*

Et Pastorale Mechliniense: » Sacra sepultura nulli concedi» tur, qui more Christi fidelium se per Sacramentorum sus» ceptionem ad salutarem exitum non præparaverit: illis tamen, » qui inopinata, & subita morte hinc auferuntur exceptis, qui» bus sacra sepultura concedenda venit, dummodò eos vitam » Catholicis hominibus congruam egisse, & sacrosanctis mys» teriis dum viverent, in Paschate communicâsse constiterit.«

XXIX. Ne autem in deneganda Ecclesiastica sepultura temerè procedant Parochi, monet Rituale R. » Ubi verò in præ» dictis casibus dubium occurrit, Ordinarius consulatur.«

Optimum sanè, ac salutare in hac materia monitum: Cum enim rarò sine magna turbatione negetur Ecclesiastica sepultura in externa communione Ecclesiæ defunctis, etiam ipsi Parochi haud faciles esse debent ad negandam suis Parochianis Ecclesiasticam supulturam inconsultis Superioribus, nec dubium, quin multis casibus neganda sit *publice* sacra Communio, quibus tamen indulgeri possit Ecclesiastica sepultura; quemadmodum suprà, *tit.* 4. *cap.* 3. notavi.

XXX. Porrò quia admissio ad Ecclesiasticam sepulturam videtur species quædam *communionis*, uti suprà ostendimus; hinc est, quòd excommunicatis, aliisque, quibus in vivis non communicamus, non tantum sepultura sit neganda; sed insuper per eorum in loco religioso sepulturam, locus ipse pollui, seu profanari censeatur, eatenus saltem, ut divina officia ibidem agi nequeant; ne Ecclesia illum ibidem sepultum in suam communionem recipere videatur, neque ullus Fidelis eo loco sepeliri possit; ne per eam inhumationem cum excommunicato ibidem sepulto, cum quo in vivis communicare non poterat, post mortem communicare videatur.

XXXI. Unde ex Synodo Aurelianensi *cap.* 3. refertur apud Gratianum *Dist.* 1. *de Consecrat. Can.* 27. » Ecclesiam, in » qua Paganus sepultus est, non liceat consecrare, neque Mis» sas in ea celebrare, sed jactari foras, & mundari oportet.«

Ratio hujus constitutionis est (ait Glossa ad verbum *celebrare*) » Quia infideles vivi ab Ecclesia repelluntur, ergo mor» tui: quia quibus viventibus Ecclesia non communicat, & » mortuis communicare non potest.«

Et rursus apud Gratianum ibidem *Can.* 28. sub nomine Concilii Agrippinensis dicitur: » Ecclesiam in qua mortuorum » cadavera infidelium sepeliuntur, sanctificare non licet; sed » si apta videtur ad consecrandum, inde evulsis corporibus, » & rasis parietibus, vel tignis ejus loci, reædificetur: sed si » hæc consecrata ante fuerit, Missa in ea celebrare licet; si ta» men fideles fuerint, qui in ea sepulti sunt.«

XXXII. Conformiter ad hos Canones respondit Innocentius III. in citato *cap.* 12. ✠ *de Sepulturis*, » si contingat » interdum, quòd vel excommunicatorum corpora per vio» lentiam aliquorum, vel alio casu in cœmeterio Ecclesiastico » tumulentur, si ab aliorum corporibus discerni potuerint, ex» humari debent, & procul ab Ecclesiastica sepultura jactari.«

XXXIII. Monet ad dictum Canonem 28. verbo *evulsis* Glossographus, *auctoritate Episcopi*, *vel Principis tantùm*, hanc evulsionem esse faciendam.

Exhumatio enim corporis inhumati ordinariè fieri nequit; variæque eæque gravissimæ pœnæ in exhumatores cadaverum, & violatores sepulchrorum jam pridem decretæ fuêre, uti videre est ad titulos Digestorum & Codicis *de sepulchro violato.* Ex causa tamen exhumatio conceditur; sed ne hic aberretur, in quibusdam locis requiritur Superioris licentia. Et quidem in Synodo Buscoducensi sub Masio *tit.* 24. *c.* 6. legitur: » Nec non in» humana corpora sine expressa licentia exhumari interdicimus.«

XXXIV. Cæterùm circa negationem sepulturæ, uti & cadaverum exhumationem, & translationem præter Ritualia, & Synodorum Decreta, multum quoque attendenda locorum & Ecclesiarum consuetudo & praxis.

PARS

(c) *Jam monuimus* militum *nomine apud Auctores mediæ ætatis intelligendos esse* Equites, *les Chevaliers.*

(d) *Præter pœnam privationis sepulturæ Ecclesiasticæ, incurrunt in Hispania retantes, duellum admittentes, & eorum Patrini, pœnas præscriptas in leg.* 12. *tit.* 8. *lib.* 8. *Recopil. quæ conformes sunt Decreto Concilii Tridentini.*

PARS TERTIA.

DE JUDICIIS, DELICTIS, *ET PŒNIS ECCLESIASTICIS.*

TITULUS PRIMUS.

DE JURISDICTIONE ECCLESIASTICA IN CIVILIBUS.

CAPUT I.

QUÆ FUERIT JAM PRIDEM EPISCOPORUM AUCTORITAS IN DIRIMENDIS CAUSIS LAICORUM.

1 *Apostolus modum litigandi Corinthiorum redarguit.*
2 *Quod Quæstiones ad tribunalia Infidelium judicandas referrent.*
3 *Loquitur Apostolus de actore, non de reo.*
4 *In quo consisteret vitium Corinthiorum.*
5 *Primum Argumentum Apostoli, quo ostendit indignum esse, ut Fideles ad tribunalia Infidelium recurrant.*
6 *Secundum argumentum Apostoli.*
7 *Vult in dirimendis secularibus judiciis* contemptibiles *constitui; & qui* contemptibiles.
8 *Non simpliciter, sed comparativè hos judices constitui vult.*
9 *Mens Apostoli erat, ut Sapiens aliquis è Fidelibus constitueretur, qui quæstiones dirimeret.*
10 *Ut hic tanquam arbitrer quæstiones determinaret.*
11 *Desiderabat Apostolus, ut à forensibus litigiis abstinerent.*
12 *Quis ex mente Apostoli* Sapiens *dicatur.*
13 *Quâ ratione ex sensu Apostoli quæstionibus & causis civilibus componendis Episcopi meritò intenderint.*
* *Apostolorum tamen mens non fuit Christianos jurisdictioni Magistratuum civilium subducere.*
* *Id probavit Barclajus adversus Cardinalem Bellarminum.*
* *Quod antea S. Thomas & Liranus non obscurè significaverunt.*
14 *Sanctus Augustinus se illis impendit, ut Apostolico monito obtemperaret.*
15 *Etiam S. Ambrosius se hisce impendit.*
16 *Imperatores Christiani desiderârunt, ut quæstiones inter Fideles ab Episcopis componerentur.*
17 *Constantinus M. permissit litigantibus ad Episcoporum judicium provocare, rejectis Magistratibus civilibus.*
18 *Arcadius Imperator similiter indulsit, ut litigantes ex mutuo consensu judicium Episcopi tanquam arbitri experiri possit.*
19 *A decisione Episcopi sic electi provocari non poterant.*
20 *Litigantium altero recusante, causa ad Episcopos trahi non poterat.*
21 *Ad leges permittentes litigantibus recurrere ad Episcopos respexit S. Leo consulens Pœnitentibus, ut ad Episcopale potiùs quàm ad seculares judicium recurrerent.*
22 *Episcopi potiùs* arbitri *quàm judices constituebantur, idque de consensu utriusque litigantis.*
23 *Extravagans permittens litiganti* altero reluctante *expetere Episcopale judicium, apparet non posse Constantino attribui.*
24 *Hæc Extravagans vult sententias Episcoporum* inviolatas *servari.*
25 *Cur tanta tribuatur auctoritas Episcoporum sententiis.*
26 *Hæc Extravagans à nonnullis viris eruditis ut supposititia rejecta, à Carolo M. sub nomine Theodosii innovata, & confirmata fuit.*
27 *Eam referunt S. Ivo, & Gratianus; probavit Innocentius III.*
* *Perperam ab Innocentio impensa fuit.*
28 *Vigore hujus legis licitum erat laico in quacunque parte litis ad Episcopum causam trahere, etiam altero litigantium invito.*
29 *Non licet à sententia Episcopi appellare.*
30 *Vult Carolus M. in omnibus suis Ditionibus, & ab omnibus hanc legem servari.*
31 *Qui fuerit Caroli M. in promulgatione hujus legis scopus.*
32 *Omnis Episcoporum auctoritas in causis laicorum tendebat ad conciliandam concordiam & pacem.*
33 *Episcopi urgebant Principes, ut idem esset judiciorum forensium scopus.*
34 *Pleræque laicorum causæ civiles ad Episcopos deferebantur.*
35 *Quàm extensa fuerit jurisdictio Ecclesiastica seculo XIII. ostenditur ex Concilio apud Melodunum.*
36 *Causa civilis inter laicos ratione juramenti spectabat ad judicem Ecclesiasticum.*
37 *Hoc titulo omnes penè causæ ad tribunal Ecclesiasticum devolvebantur.*
38 *Causæ testamentariæ ad tribunal Ecclesiasticum spectabant.*
39 *Ratio illius erat, quòd testamenta conficerentur coram Notario Ecclesiastico.*
40 *Per hoc plurimæ causæ Ecclesiastico tribunali subjiciebantur.*
41 *Rectores Ecclesiarum poterant laicos, qui personas vel bona ipsorum læserant, ad Ecclesiasticum Tribunal vocare.*
42 *Multo tempore in Gallia penè solùm fuit forum Ecclesiasticum.*
43 *Id ostenditur ex discursu Bertrandi Episcopi Eduensis nomine Cleri Gallicani coram Philippo Valesio habito.*
44 *Prætendit hic omnem causam, in qua subest materia peccati, spectare ad forum Ecclesiasticum.*
45 *Ex hoc principio facilè omnes causæ ad forum Ecclesiasticum trahi possunt.*
46 *Dicit Eduensis consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ esse, ut cognoscat de causis personalibus, & realibus laicorum.*
47 *Asserit hanc consuetudinem introductam ex voluntate litigantium eligentium tribunal Ecclesiasticum.*
48 *Reflectit hîc Eduensis ad legem sub nomine Theodosii à Carolo M. promulgatam.*

Hæc

49 *Hæc consuetudo in contradictorio Judicio dicitur confirmata.*

50 *Quare Ecclesia Gallicana ampliore Jurisdictione utatur quàm aliæ Ecclesiæ.*

51 *Supplicant Prælati, ut Rex conservet jurisdictionem in causis laicorum.*

52 *Item ut juxta legem Theodosii, à Carolo M. innovatam permittat Litigantibus libertatem judicem eligendi.*

53 *Extensionem jurisdictionis Ecclesiasticæ probat tractatus Guillielmi Durandi Concilio Viennensi exhibitus.*

54 *Consectaria ex ante dictis.*

I. APostolus advertens inordinatum modum litigandi, & disceptandi super rebus temporalibus inter fideles Corinthios irrepere, eos in prima sua ad ipsos Epistola *cap.* 6. de duobus arguit.

II Primò, quòd quæstiones exortas inter ipsos ad profana *infidelium* tribunalia deferrent. *Audet* (ait *v.* 1.) *aliquis vestrum habens negotium adversus alterum, judicari apud iniquos, & non apud Sanctos*? Id est, audet aliquis apud *iniquos* seu infideles, & non apud Christianos, qui hîc Sancti vocantur, *judicari*, seu judicio experiri?

III. Rectè autem monet Estius in Commentario ad hæc Apostoli verba, dirigi hunc Apostoli sermonem ad *actorem*, cujus in potestate erat apud Ethnicum judicem agere, vel non agere: non contra reum, qui compellebatur; cui nec integrum erat judicem ethnicum declinare, modò competentem.

IV. Peccatum ergò Corinthiorum in eo erat (pergit Estius) »quòd cùm possent causam agere apud fideles saltem ut delec»tos arbitros, mallent apud infideles judices experiri, non sine »Ethnicorum scandalo, & Chistianæ religionis injuria; nam eò »vitia Christianorum detegebantur apud infideles, primùm dis»sidia, deinde avaritia, tum injuriæ mutuæ.“

V. Ut autem hujus recursus ad Judicia infidelium indignitatem evincat, & ostendat Apostulus, adjungit *v.* 2.: *An nescitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt? Et si in vobis judicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis judicetis*? Quasi diceret: »cùm sitis judices universales de maximis »rebus judicaturi, ut per quos omnium impiorum vita condem»nanda sit; an vos indignos censetis, qui præficiamini minimis »judiciis? Veluti cùm disceptatur de negotiis hujus seculi ple»rumque frivolis, atque exigui momenti, certè extremo loco »habendis à Christiano.“ Ita Estius.

VI. Prosequitur Argumentum Apostolus *v.* 3. *Nescitis quoniam Angelos judicabimus, quanto magis secularia*? Id est; »si »judicaturi sumus Angelos, id est, creaturam omnium præs»tantissimam, quantò magis digni habendi, qui inter nos de re»bus infirmis, ut sunt ea, quæ spectant ad usum vitæ præsentis, »judicemus?« ait Estius.

VII. Post hæc concludit *v.* 4. *Secularia ergo judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia illos constituite ad judicandum.*

Per contemptibiles hîc inteligit Apostolus, qui inter ipsos Fideles, sive in Ecclesia *minimi* habentur.

VIII. Nequaquam tamen absolutè, & simpliciter vult similes dijudicandis, ac terminandis *secularibus judiciis* sive quæstionibus esse præficiendos; sed *comparativè* duntaxat ad infideles; docere volens potiùs hoc agendum esse, etsi parum deceat, quàm ut Christiani litigent apud infideles.

Unde sequitur apud Apostolum *v.* 5.: *Ad verecundiam dico*, quasi diceret: Quod dixi de *comptentibilibus* constituendis ad judicandum inter vos, non dixi quòd ita fieri debeat, sed ut ab eo, quod agitis, pudor vos avocet. Sic enim confugitis ad profana tribunalia, quasi desint apud vos viri sapientes, & honorati, qui causas vestras dijudicent, quod vobis profectò pudorem incutere debet.

IX. Et hoc est quod sequitur *v.* 6.: *Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum*? Sensus est; Adeone non est vel unus sapiens apud vos, qui Fratrum inter se disceptantium causas possit judicando vel arbitrando, secundum jus & æquitatem dirimere?

Itaque hoc unum inculcare voluit Apostolus, ut si Fidelis quæstionem habeat de rebus etiam temporalibus cum alio fideli, quæstionem non ad tribunal seculare Ethnicorum trahat, sed alicui *sapienti* inter fideles, sive Christianos quæstionem proponat, ut ipse eam determinet, & dirimat.

X. Licèt enim eo tempore sub Imperatoribus ethnicis, Christiani non essent judices à Principe constituti cum Potestate, uti rectè notat Estius, poterant tamen eligi & assumi tanquam *arbitri*, quorum sententiis ex compromisso starent, qui controversias habebant.

XI. Imò vel idcircò desiderabat Apostolus, ut Fideles quæstiones ad Ecclesiam referent, ut hoc pacto judicia, & lites forenses fugerent, controversiasque suas amicabiliter, interveniente *sapiente*, componerent: ideoque subjungit præcedentibus *v.* 7.: *Jam quidem omnino delictum est in vobis, quòd judicia habetis inter vos.* Ac si diceret, non est quòd propterea ad infidelium tribunalia controversias vestras deferatis, quia fideles judicandi auctoritate ab Imperatoribus non sunt instructi, & consequenter Judicicia exercere nequeant; quia hæc vos Christiani fugere debetis imò *jam omninò delictum est in vobis quòd judicia*, sive lites forenses, *habetis inter vos.*

Vult ergò Apostolus, ut fideles quæstiones inter ipsos excitatas non in forensibus Tribunalibus agitent; sed eligatur aliquis sapiens ex ipsis, cui quæstionum suarum decisionem committat.

XII. *Per sapientem*, qui dirimendis, & sopiendis quæstionibus inter Fideles exurgentibus intendat, & ad quem ipsi recurant, intelligi videtur omnis ille, qui difficultatibus illis terminandis, & Fratribus conciliandis, eosque à litibus avocandis est convenientior, & veræ, ac Christianæ sapientiæ gratiâ in Ecclesia honoratus; uti monet Estius.

XIII. Cùm igitur Episcopi præcipuâ in Ecclesia auctoritate pollerent, ipsisque tanquam Christianorum spiritualibus Patribus, & Directoribus Fideles sua negotia magis consuevissent confidere, ipsisque speciali titulo incumberet, animos filiorum & subditorum suorum conciliare, & ab inordinato rerum terrenarum amore avocare; judicârunt jam pridem sanctissimi Episcopi muneris sui esse, causas & quæstiones fidelium, etiam de rebus *terrenis*, audire, & dirimere; ipsosque ad concordiam revocare, simulque suâ auctoritate paternâ eos docere, quantum præ bonis temporalibus, pro quibus tantopere disputant, amanda sint cœlestia.

* Nec virorum Apostolicorum mens erat, Christianos potestatis civilis Jurisdictioni subducere; quippe in iis contextibus, qui laudati sunt, Apostolus loquitur de *Actore*, non autem de *Reo*, qui ab adversario ad tribunal infidelium evocatus illud declinare non poterat.

In eam sententiam hunc locum Apostoli interpretatus est S. Thomas; cùm enim sibi objicisset huic textui Apostoli videri contrarium id, quod dicitur in prima Epistola S. Petri cap. 2. vers. 13.: *Subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, sive Regi tanquam præcellenti, sive ducibus tanquam ab eo missis*, respondet: »Pertinet enim ad auctoritatem Prin»cipis judicare de subditis: est ergo contra Jus divinum pro»hibere, quòd ejus Judicio non stetur, si sit *infidelis*: sed di»cendum (ait) quòd Apostolus non prohibeat, quin *fideles* sub »*infidelibus* Principibus constituti, eorum Judicio compareant, »si *vocentur*; hoc enim esset *contra subjectionem*, quæ debetur »Principibus; sed prohibet, ne Fideles eligant voluntariè infi»delium Judicium.«

Similiter in eundem textum Apostoli scribit Liranus: »Apos»tolus non prohibet hîc, Fideles sub Principibus infidelibus »constitutos comparere coram eis, quando *vocantur*; hoc enim »esset *contra subjectionem*, quæ Principibus debetur: sed pro»hibet, ne *voluntariè* recurrant ad Judices infideles in illis ne»gotiis, quæ determinari possint per Fideles.«

* Rectissimè proinde notavit contra Cardinalem Bellarminum Guillielmus Barclajus in suo tractatu de *potestate Papæ*, *cap.* 21. »Nihil jubere Apostolum eo loco, quòd judicium in»fidelium jurisdictionem, & imperium in Christianos, aut tollat, »aut minuat, aut ei aliquo modo præjudicet; itaque Judicum »illa constitutio, ad quos monet Apostolus, ut Fideles causas »suas deferant, nullo modo eximebat Christianos à subjectione, »& jurisdictione Magistratuum Ethnicorum, sed tantùm au»ferebat illis necessitatem impellendi Judices infideles; cùm ha»berent inter se *communi consensu* constitutos, quorum senten»tiis obortæ controversiæ componi potuerant. Erant autem hi »Judices revera *arbitri* sine imperio, sine præhensione, volun»tariam tantùm Jurisdictionem exercentes: & ideò si vel refrac»tarius Christianus, vel Ethnicus aliquis Christianum ad Ju»dicem infidelem vocâsset, nihil vocato profuisset Judicum illo»rum Christianorum auctoritas, quominus Ethnico Tribunali se »sistere teneretur: teneretur, inquam, *in conscientia*, prop»ter subjectionem, quam Superioribus jure naturali debemus.« Hactenus Barclajus qui ibidem idipsum fusiùs deduxit contra Cardinalem Bellarminum, aliosque, qui ex hoc textu Apostoli prætendere videntur, primos Chistianos per Judicum illorum constitutionem à Jurisdictione Magistratuum Ethnicorum etiam in causis civilibus & politicis fuisse exemptos, nec eis *in conscientia* subjectionem debuisse. Quam sententiam ibidem refutat Barclajus, probans, Chritianos etiam in conscientia debuisse parere Magistratibus infidelibus, eisque subjectionem debitam exhibere in licitis & honestis, quæ nullatenus Evangelio, aut Christianæ Religioni adversabantur.

* Idipsum non obscurè significârunt S. Thomas & Lyramus, dum dicunt, quòd, si Fideles vocati ad Tribunalia *infidelium* se sistere renuissent, hoc fuisset *contra subjectionem*, *quæ debetur Principibus*. Evidens autem est, S. Thomam conformiter ad textum S. Petri, quem commentatur, loqui de debito, sive obligatione in *conscientia*, de qua & S. Petrus loquitur.

XIV. Quod in componendis Christianorum litibus fecerant Epis-

Episcopi, dum in Ecclesiam sæviret persecutio, id, Constantino imperante, qui pacem Ecclesiæ dedit, perrexerunt; regebant enim sine supercilio, coercebant sine terrore; ac dirimendis Fidelibus contentionibus intenti id unum sibi proponebant, ut jus unicuique debitum redderent, pacem & concordiam in animis stabilirent.

Quantopere huic animorum consensioni in Ecclesia, in Imperio consulendæ incubuerit S. Augustinus, testis est Possidius sancti Doctoris coætaneus, ac ejus vitæ auctor. Refert, eum interpellatum non solùm à Christianis, sed à cujuscunque sectæ hominibus causas eorum audivisse *diligenter*, *ac piè*; & ut eas dirimeret, aliquando totâ die jejunum perdurâsse: ubi etiam hoc addit, quàm sanctâ intentione, genus illud occupationis alioquin ipsi molestissimæ susceperit; idque, ut ait Possidius, secundum Apostoli sententiam dicentis, *audet quisquam vestrûm &c.*

Ipse quoque plurimis locis de se ipso testatur, quomodo quæstionibus & causis decidendis occuparetur, & hisce implicatus à rerum cœlestium contemplatione invitus avocaretur; ac signanter libro *de Opere Monachorum*, *cap.* 19. ubi unà asserit, se hisce molestiis ex Apostoli sententia implicari: » Quibus » (ait) nos molestiis idem affixit Apostolus, non utique suo, sed » ejus, qui in eo loquebatur, arbitrio.«

Quantos labores, quantasque molestias subiret, & qualiter se totum impenderet, ut homines seculares ad concordiam revocaret; ipsisque persuaderet, ut suo se subjicerent judicio, videri potest *Can.* 24. *in Psalm.* 118.

XV. Eidem operi insudâsse S. Ambrosium, testis est Augustinus *lib* 6. *Confess. cap.* 3. » Secludentibus me (ait) ab ejus » aure, atque ore catervis negotiosorum hominum, quorum in» firmitatibus serviebat.«

XVI. Imperatores Christiani desiderantes inter subditos suos pacem & animorum concordiam, etiam Episcopale studium in decidendis, & dirimendis negotiis civilibus laudârunt, & suis legibus probârunt, & stabilierunt.

XVII. De Constantino M. scribit Sozomenus *lib.* 1. *hist. cap.* 9. » Litigantibus permisit, ut ad Episcoporum judicium » provocarent, si Magistratus Civiles rejicere vellent; eorum au» tem sententia rata esset, aliorumque judicium sententiis præ» valeret, perinde ac si ab Imperatore ipso data fuisset: utque » res ab Episcopis judicatas, Rectores Provinciarum, eorumque » Officiales executioni mandarent.«

XVIII. Extat & Arcadii Imperatoris Constitutio in *L.* 7. *Cod. de Episcopali Audientia*, quâ idipsum litigantibus permittitur: » Si qui (ait) *ex consensu* apud sacræ legis Antistitem li» tigare voluerint, non vetabuntur; sed experientur illius in *Ci*» *vili* duntaxat negotio, more *Arbitri*, sponte residentis ju» dicium.«

Hinc elucet, litigantibus, liberum fuisse, causas suas civiles ad Episcopum deferre, qui quasi à partibus electus, non ut Judex, sed more *Arbitri*, causam susciperet, & dirimeret. (a)

XIX. Ut autem firmior esset ab Episcopo tanquam arbitro inter fideles probata sententia, declaratur in *L.* 8. *Cod. eod.* quòd ab ea provocari nequeat; atque ipsi Judices, quod ab Episcopo determinatum fuerit, executioni mandari deberent. » Episcopale judicium ratum sit omnibus, qui se audiri à Sa» cerdotibus elegerint: eamque illorum judicationi adhibendam » esse reverentiam jubemus, quam vestris deferri necesse est » potestatibus, à quibus non licèt provocare. Per Judicum » quoque officia, ne sit cassa Episcopalis cognitio, definitio» ni executio tribuatur. «

XX. Permittit quoque Valentianus III. in *Novella* 12. laicis, ut præeunte vinculo *compromissi* coram Episcopo causas suas pecuniarias agant. Addit tamen: » Aliter eos Judices esse » non patimur, nisi *voluntas jurgantium* interposita, sicut dic» tum est, conditione procedat. Si ambo ejusdem officii litiga» tores nolint, vel alteruter, agant publicis legibus, & jure » communi. «

Hæc non obscurè probant, Episcoporum judicia fuisse *amicabilia arbitria*, laicosque non nisi *volentes* eorum Judicio subjectos.

XXI. Ad has leges reflexisse apparet S. Leo, dum *Epist.* 2. respondit Rustico Narbonensi Episcopo: » Si pœnitens habet » causam, quam negligere fortè non debeat, meliùs expedit » Ecclesiasticum quàm forense Judicium. « Hîc enim sat patenter supponit Leo, laicis optionem esse recurrendi, vel ad Ecclesiasticos, vel Seculares Judices. Consulit autem Ecclesiasticos potiùs expeti à pœnitentibus; quia tum temporis, non more forensi, & judiciario, sed arbitrario, & amicè quasi, causæ ab Episcopis finiebantur & sopiebantur: ut consequenter qui ad Episcopum recurrebant, quæstionesque suas referebant, non tam litigare & judicio experiri, quàm amicè convenire, & pacificè quæstionem terminari velle viderentur.

XXII. Quæ hactenus relata sunt, evincunt Episcopos de causis laicorum etiam civilium judices, sive potiùs arbitros constitutos fuisse, si modò litigantes eos elegerint; sive, *si qui apud sacræ legis Antistitem litigare voluerint*, ut loquitur Arcadius in citata *L.* 7. *Cod. de Episcopali audientia*; aut quemadmodum dicit Honorius in lege sequenti, *qui se audiri à Sacerdotibus elegerint*, uti rectè notat Jacobus Gothofredus ad Extravagantem primam de Episcopali judicio, quæ habetur in appendice Codicis Theodosiani.

XXIII. Credit autem Gothofredus, hanc Extravagantem sive legem, vel ex hoc capite suppositiam esse, & Constantino M. tribui non posse, quòd permittat causas laicorum ad Episcopos deferri, non tantùm *ex utriusque* litigantium consensu, sed & *altero refragante*.

In hac quippe lege sub nomine Constantini dicitur: » Qui» cunque itaque litem habens, sive possessor, sive petitor » erit, inter initia litis, vel decursis temporum curriculis, si» ve cùm negotium peroratur, sive cùm jam cœperit promi » sententia, Judicium elegit sacrosanctæ legis Antistitis, illico » sine aliqua dubitatione, etiamsi alia pars refragatur, ad Epis» copum cum sermone litigantium dirigatur: multa enim, quæ » in Judicio captiosæ præscriptionis vincula promi non patiun» tur, investigat, & promit sacrosanctæ religionis auctoritas. «

XXIV. Significat in eadem lege Constantinus Ablavio Præfecto, » sanximus, sicut Edicti nostri forma declarat, senten» tias Episcoporum quolibet genere prolatas sine aliqua ætatis » discretione, inviolatas semper, incorruptasque servari, sci» licet ut pro sanctis semper ac venerabilibus habeatur, quid» quid Episcoporum fuerit sententiâ terminatum. «

Additur post hæc, quòd nec liceat ulteriùs retractari negotium, quod Episcoporum sententia deciderit.

XXV. Cur tanta Episcoporum sententiis auctoritas, tantaque litigantibus ad judicia Episcopalia recurrendi tribuatur libertas, subditur: » Hoc nos Edicto salubri aliquando censui» mus, hoc perpetua lege firmamus, malitiosa litium semina » comprimentes; ut miseri homines, longis, ac penè perpe» tuis actionum laqueis implicati, ab improbis petitionibus, vel » à cupiditate præpropera maturo fine discedant. «

XXVI. Quamvis Jacobus Gothofredus, aliique viri eruditi, tum ex allegata, tum aliis rationibus non improbabiliter sustineant, hanc Extravagantem sive edictum Constantino tribui non posse, hoc nihilominus constat jam pridem illud in Capitularibus Regum Francorum probatum, & quasi adoptatum esse *lib.* 6. *cap.* 366. edit. Baluzianæ; citaturque non quidem sub nomine Constantini, sed Theodosii.

XXVII. Refertur quoque ab Ivone in suo Decreto *parte* 16. *cap.* 312. & à Gratiano *Caus.* 11. *quæst.* 1. *Can.* 35. & 36. ac tandem ab Innocentio III. tanquam primitùs à Theodosio editum, & à Carolo M. innovatum adducitur & probatur in *cap.* 13. ✠ *de Judiciis.*

* Prædictam Extravagantem probavit Innocentius, ut probaret ad suum Tribunal spectare jus decidendi quæstionem inter Joannem Regem Angliæ, & Philippum Regem Franciæ.

Verùm ex contextu Extravagantis, sive Constantinum, sive Theodosium, sive Carolum Magnum Auctorem habeat, nequaquam obscurum est, eam perperam & contra mentem Auctoris per Innocentium III. impendi ad vindicandum sibi jus decidendi hanc quæstionem.

Imprimis enim constat hanc Extravagantem non nisi de *privatis* Laicorum negotiis, & quæstionibus; non autem de *publicis* inter supremos Principes juribus, & regaliis agere.

Ulteriùs constat causas inter Laicos exortas in hac Extravagante ad Episcopos remissas esse, non tanquam ad *judices publica auctoritate* munitos, sed duntaxat tanquam ad *arbitros*, uti ex verbis Extravagantis in textu relatis monstratum est: itaque perperam prætendit Innocentius auctoritate hujus Extravagantis, hoc dissidium inter duos istos Reges coram se, vel ejus delegato *judicialiter* esse decidendum.

Interim ex hac Innocentii Decretali, necnon subsequentium Pontificum Decretalibus, & responsis in Decretales Gregorii IX. relatis habetur, Pontifices leges imperiales, per quas Principes Episcopis commiserunt causas suorum subditorum *sine judiciali strepitu*, aut ullius jurisdictionis contentiosæ formâ decidendas, & pacificè terminandas, tandem labentibus seculis post erecta Ecclesiastica Tribunalia prætendisse omnes il-

(a) *Nemo in Hispaniam temporalem jurisdictionem exercere valet, nisi ad hoc à Rege, aut Magnatibus aliisve, ab ipso hanc gratiam concessam habentibus, nominatus, vel à Partibus electus fuerit, ut constat ex leg.* 1. & 4. *tit.* 9. *lib.* 3. *Recopil. Quod verò ab eo, qui à dictis Partibus electus fuerit, determinatum sit, debet observari eo modo, quo præfinitur in leg.* 4. *tit.* 21. *lib.* 4. *ejusd. Recopil.*

Cùm Ecclesiastici incapaces non sint ad hoc, ut civilis jurisdictio à Rege eis concedatur, ut plurimis in locis concessam legimus, hac de causa eos jurisdictionem in causas temporales habere posse, declarant leg. 4. & 8. *tit.* 3. *lib.* 1. *leg.* 2. & 3. *tit.* 1. *lib.* 4. & *Remiss.* 1. *ejusd. tit.* & *lib. Recop.*

illas causas jurisdictioni Ecclesiasticæ esse subjectas, easque judicialiter coram Judicibus Ecclesiasticis instruendas, & decidendas, ut inferiùs dicetur.

XXVIII. His obiter notatis, constat ante Innocentium III. vigore Edicti, quòd sub nomine Constantini datum est, licitum fuisse laicis non tantùm ante inchoationem judicii, sed in quacunque parte litis causam è manibus judicis laici extrahere, & ad judicium Episcopi trahere, idque parte adversa refragante. Consequenter ampliùs dici non poterat, Episcopum tanquam arbitrum de utriusque litigantis consensu esse electum, & quasi ex compromiso causam dirimere.

XXIX. Ulteriùs Edictum eam tribuit judicio, sive sententiæ Episcopali efficaciam, ut causæ sententiis Episcoporum terminatæ, perpetuo stabilitatis jure firmentur, nec ulteriùs liceat retractare negotium; ut legitur apud Gratianum.

XXX. Porrò notanda meritò verba, quibus hoc Edictum sub nomine Theodosii Carolus M. promulgavit; hinc enim patebit per omnes generatim suas ditiones, sive hæ jure scripto seu Romano uterentur, sive jure consuetudinario, quod hanc promulgationem fecerit consultu omnium suorum Fidelium, tam Clericorum, quàm laicorum. Verba sunt: » Volumus, » atque præcipimus, ut omnes ditioni nostræ Deo auxiliante » subjecti, tam Romani quàm Franci, Alemani, Bajuvarii, » Saxones, Turingii, Fresones, Galli, Burgundiones, Bri» tones, Longobardi, Vuascones, Beneventani, Gothi, & » Hispani, cæterique nobis subjecti omnes, licet quocunque » videantur legis vinculo constricti vel consuetudinario more » connexi, hanc sententiam, quam ex sextodecimo Theodosii » Imperatoris libro capitulo videlicet 11. ad interrogata Abla» vii Ducis illi, & omnibus rescriptam sumpsimus, & inter » nostra capitula pro lege tenendam consultu omnium fidelium » nostrorum tam Clericorum, quàm & laicorum posuimus, le» ge cunctis perpetuò tenendam. «

XXXI. Eadem indubiè mens erat Caroli M. in hujus legis renovatione, & promulgatione, quæ in ipsa lege expressa sub nomine Theodosii erant, redintegrare; nimirum ut populo pax, & vera concordia procuraretur, litesque, ac contentiones inter Fideles amicè componerentur per Episcopum communem ipsorum patrem; atque Episcopi ministerio è cordibus eradicaretur litium, & dissensionum super rebus temporalibus ordinaria radix, cupiditas, & plantaretur pacis & concordiæ mater, charitas.

Hic scopus, ut suprà diximus, in ipsa lege his verbis exprimitur: » Hoc perpetuâ lege firmamus, malitiosa litium se» mina comprimentes, ut miseri homines longis, ac penè per» petuis actionum laqueis implicati, ab impiis petitionibus, vel » à cupiditate præpropera maturo fine discedant. "

XXXII. Tota ergo Episcoporum jurisdictio, & auctoritas in laicorum causis ad concordiam, pacemque inter litigantes conciliandam, miserosque homines è litium, & actionum laqueis, ac tricis eripiendos tendebat. Ut proinde mirum videri haud debeat, si laicis libertas daretur ad ipsos tanquam communes pacificatores, & patres recurrendi.

XXXIII. Imo Episcopi persuadere conabantur Regibus, quòd & judices laici potiùs pacificatores, quàm judices esse deberent; ita Episcopi Concilii Triburiensis ad Ludovicum Regem Germanorum loquebantur. „Constituite Comites, & Mi» nistros Reipublicæ qui placita non pro acquisitione lucri te» neant, sed ut causæ Dei, & viduæ, ac pupilli, & popu» lus justitiam habeant; & plus litigantes ad concordiam salva » justitia revocare studeant, quàm committere, ut ipsi inde » aliquod lucrum possint habere. Quos si pacificare non potue» rint, tum justum judicium decerni faciant."

XXXIV. Hinc itaque fiebat, ut pleræque causæ etiam laicorum coram Ecclesiasticis agitarentur; lateque ipsa auctoritas Episcopalis in decidendis quæstionibus se extenderet.

XXXV. Et reverà extensam admodum fuisse Ecclesiasticorum jurisdictionem, etiam circa causas laicorum dubitari nequit; legiturque quod anno 1225. Ludovicus Rex Galliarum convocaverit Concilium Meloduno, ibique Archiepiscopi, & Episcopi Franciæ, præsente Legato, peterent instanter à Rege Franciæ & à suis Baronibus jurisdictionem omnium hominum super mobilibus, de quibus homines Ecclesiarum in causam traherent coram ipsis, & jurisdictione istâ dicebant investitam esse Ecclesiam Gallicanam.

Huic postulationi Episcoporum Rex se opponens, argumentis evidentissimis asserebat, hoc esse dissonum rationi: » Cùm » causa mobilium (ait) non ratione juramenti, vel fidei, vel » testamenti, vel maritagii petitorum merè sit laicalis, nec ad » forum Ecclesiasticum videatur aliquatenus pertinere. «

XXXVI. Hæc ex Chronico Turonensi referuntur tomo XI. Concil. General. *col.* 290. ex quibus patescit, quod licèt super postulatis Episcoporum nihil fuerint conclusum, ipsaque causa *ab utraque parte posita sit in suspenso*, nihilominus ex ipso Regis responso habetur.

Primò, quòd causa etiam super mobilibus ratione juramenti interpositi tunc temporis spectaret ad forum Ecclesiasticum, quod tanquam indubitatum supponens Bonifacius VIII. *cap. 3. de Foro competenti, in* VI. respondit, quòd Clericus possit laicum, pro quo fidejusserat, quique juramento interposito promiserat fidejussorem servare indemnem, convenire coram judice Ecclesiastico, » ad cujus (ait) forum ratione *juramenti* » causæ hujusmodi cognitio *noscitur* pertinere. «

XXXVII. Hoc titulo omnes penè quæstiones super contractibus etiam civilibus ad Judicem Ecclesiasticum devolvebantur, licèt etiam causa esset realis, uti notat Mornacius ad *L. 8. Cod. de Episcopali Audientia*; » quia nunquam ferè omit» tebant tabelliones adjicere præstitum à contrahentibus Sacra» mentum de servandis, quæ pepigissent, ait Mornacius.

XXXVIII. Ulteriùs ex responso Regis patet causas testamentarias ad forum Ecclesiasticum pertinuisse; quod & notavit Mornacius loco citato.

XXXIX. Rationem addit Mornacius, » quòd testamenta » ferè omnia conscriberentur à duobus semper Notariis, alte» ro Regio, altero Apostolico. « Dein addit: » Ita ut per mix» turam utriusque illius muneris ludificari, & in hoc etiam mos » esset, imperium regium. Manus enim sola incidens Tabellio» nis Apostolici efficiebat, *levibusque velut per devia gyris*, ne» gotium Ecclesiasticum, quod aliàs, & nisi mixtura illa fuis» set, planè erat profanum, & à profanis, seu secularibus, re» giisque judicibus judicandum. «

XL. Observavit & illud auctor Somnii Vergerii; asseritque quòd laici frequenter contractus suos coram Notariis Ecclesiæ conficerent, ut Judici seculari se subtraherent. » Multi (ait » *cap.* 200.) magis eligunt vinculum Ecclesiæ, quàm vinculum » temporale; & ante aliquando dimitterent contractus facere, » sine quibus non possent vivere, quàm se submittere Curiæ » temporali. «

XLI. Sicuti contractus coram Notario Ecclestiastico subdebantur tribunali Ecclesiastico, ita quæcunque causa, cui quid spirituale seu Ecclesiasticum videbatur immixtum, ad idem spectare dicebatur.

Hac de causa Rectores Ecclesiarum coram Judice Ecclesiastico convenire poterant Laicos, qui vel ipsorum personas, vel bona læsisse, aut occupâsse prætendebantur: quia de sacrilegii crimine agi videbatur. *Cap.* 8. ✠ *de Foro Competenti.*

XLII. Hæc, aliaque, quæ causas etiam laicorum ad judicium Ecclesiasticum trahebant, evincunt, meritò notâsse Mornacium loco supra citato: » inde eminuit per longas ætates » unum penè, ac solum in universa Gallia forum Ecclesiasti» cum, eviluitque toto illo tempore, quasique emarcuit Juris» dictio Regia. «

XLIII. Meritò sanè id speciatim de Gallia monuit Mornacius. Nam ut constat ex disputatione super puncto Jurisdictionis anno 1327. habita inter nobiles, Regiosque ministros, & Prælatos Regni Galliæ coram Philippo Valesio Rege Galliæ, in Regno Galliæ magis, quàm in ullo alio, jurisdictio Ecclesiastica ad omnes penè laicorum causas se extendebat; uti ex articulis à Petro de Cugneriis Consiliario Regio nomine Nobilium & Baronum contra Prælatos propositis, & Bertrandi Episcopi Eduensis ad illos responsis colligitur.

XLIV. Hîc imprimis probat Eduensis, jurisdictionem temporalem posse competere Ecclesiasticis, nec esse contrariam Sacerdotio; atque inter alia prolatis exemplis Petri, *Actor. cap. 5. qui Ananiam & Saphiram pro crimine furti, & mendacii judicialiter condemnavit*; & Pauli, 1. *Corint. cap.* 5. qui *convictum fornicatorem condemnavit*: necnon verbis Christi, *Matt. cap.* 18. *Si peccaverit in te frater*, &c. Subjungit: » Ecce » quàm expressè vult, quod in *omni* re, in qua est *peccatum* unius » adversus alterum, si ille qui deliquit monitus curativè non » emendaverit, debet negotium ad judicium Ecclesiæ referri. «

XLV. Hoc principio posito, nemo non videt, quàm non sit difficile, omnes planè causas ad judicium Ecclesiæ referre; cùm nullæ fere causæ sint, in quibus peccatum justitiæ intervenire prætendi nequeat. Quod & ipse Eduensis non obscurè expressit; qui paulò post dicit: » Præterea nullus dubitat, quin » cognitio de peccato ad personas Ecclesiasticas pertineat; cùm » ergo talia non perpetrentur sine peccato alterius partis, pa» tet quòd Ecclesia cognoscere possit. «

XLVI. Dicit deinde Eduensis, quòd consuetudo secundum jura dat jurisdictionem, maximè personæ capaci: ac inde ulterùs concludit: » Cùm ergo Ecclesia Gallicana consueverit » inter laicos cognoscere in actionibus personalibus, & *reali» bus* alicujus Ecclesiæ, patet quòd consuetudo potuit sibi da» re illam jurisdictionem. «

Hîc observamus, consuetudinem in Gallia viguisse, ut & de *realibus* Ecclesia judicaret.

XLVII. Asserit præterea, » quòd Ecclesia Gallicana magis » vindicet sibi illud jus consuetudine, quàm præscriptione: quia » (ait,) consuetudo videtur introduci magis ex voluntate, & » electione populi recurrentis ad judicium Ecclesiasticum po» tiùs, quàm ad judicium seculare, & in favorem eorum. «

XLVIII. Non obscurum est, Episcopum Æduensem hîc reflectere ad legem illam, quam sub nomine Theodosii confirmavit, & innovavit Carolus M. quâ laicis facultas datur recurrendi ad judicem Ecclesiasticum, etiam altera parte refragante: cujus legis ipse Æduensis jam meminerat; ejusque observantiam nomine Cleri apud Regem urget, ut mox videbimus.

XLIX. Multùm confirmatur ad hoc ista consuetudo » (per» git Æduensis) quia fuit in contradictorio judicio obtenta: fre» quenter enim reclamantibus Baronibus, responsione Præla» torum auditâ, fuit per prædecessores vestros Reges consue» tudo hujusmodi Ecclesiæ firmata, & per Ecclesiam pacificè » obtenta. «

L. Posthæc sibi hanc objectionem ex Persona adversarii format: » Quare hoc sibi vendicat Ecclesia Gallicana, cùm aliæ » Ecclesiæ sibi in aliis regionibus hoc minimè vindicare nos» cantur? Ad quod potest faciliter responderi, (ait) Si enim » Reges Franciæ, quos Deus singularibus privilegiis, gratiis & » honoribus præ cæteris Regibus insignivit, & prosperati sunt; » inter cæteros propter tria, scilicet propter magnam fidem & » devotionem ad Deum, item propter maximum honorem & » reverentiam ad Ecclesiam, item propter justitiam prælibatam » ad populum sibi subditum, Ecclesiæ plures libertates conces» serunt, vel concessis uti liberè permisserunt, non est mirum, » imò tanta fuit ad Ecclesiam eorum devotio, quòd Ecclesiæ » tanto eis propinquiores, tanto pluribus libertatibus gaudent, » nec ex hoc minus habuerunt, sed plus sicut rei evidentia » manifesta: imò hoc redundat in magnam nobilitatem regni » & Regis. «

Quidquid sit de hoc responso, hoc equidem negari nequit, quin ipso Æduense fatente, Ecclesia Gallicana præ cæteris Ecclesiis ampliore jurisdictione uteretur.

LI. Postmodum respondet Æduensis nomine Prælatorum ad singulos articulos gravaminum per Barones, & Nobiles propositos; ac dein supplicant Regiæ Majestati, » quòd placeat ei » jura, libertates, privilegia Canonica, consuetudines & saisi» nas, quæ & quas Ecclesiæ Gallicanæ habent, & habuerunt » temporibus retroactis, eis defendere & servare, specialiter » super cognitionem actionum personalium & realium, mixta» rum, necnon & interdictorum maximè inter laicos. «

LII. Plura alia singillatim exprimunt, quæ amplitudinem jurisdictionis indicant; atque finaliter petunt, » ut placeat ei » proclamationes, & inhibitiones factas, scilicet quòd nullus » laicus trahat alium laicum coram judice Ecclesiastico, revo» care; quia hoc esset omnia Ecclesiarum jura tollere. «

Et licèt (inquiunt) in aliquibus locis pro tollenda eorum » malitia in talibus proclamationibus, seu inhibitionibus verba, » quæ sequuntur, apponant: videlicet quòd laicus non trahat » alium laicum coram Ecclesia super casibus pertinentibus ad » judices seculares seu temporales, hoc est, propter jura Ec» clesiæ usurpanda; quia multa pertinent ad forum laicorum, » quæ nihilominus pertinent ad Ecclesiasticum. Et sic jus & » consuetudo tollerentur, per quæ in *electione* laici est, quòd » possit alios laicos in foro Ecclesiæ convenire. «

Prælatos, hîc rursus respicere ad legem sub nomine Theodosii à Carolo M. innovatam, quæ laicis libertatem recurrendi ad judicem Ecclesiasticum tribuit, manifestum est.

LIII. Quàm latè tunc jurisdictio Ecclesiastica in Regno etiam Galliæ ex mente, & opinione Prælatorum se extenderet, sat probat hic discursus; uti & tractatus de modo generalis Concilii celebrandi per Guillielmum Durandum Episcopum Mimatensem Concilio Viennensi oblatus, ubi *Rubrica* 70. vulnera Ecclesiasticæ jurisdictioni à laicis inflicta proponit, quæ si ritè expendantur, apparebit, quàm latè ex opinione Prælatorum se jurisdictio Ecclesiastica diffunderet.

LIV. Hactenus dicta ostendunt, quousque jurisdictio, sive auctoritas Ecclesiæ in judicandis, & decidendis laicorum causis etiam civilibus, & profanis se extenderet: quodque & primis seculis Principes causas ad Episcopale arbitrium deferri optaverint; ipsasque Episcoporum decisiones irretractabiles esse voluerint.

Patet insuper, succedentibus seculis, jurisdictioni Ecclesiasticæ non exiguas à Magistratibus civilibus, & Regiis factas oppositiones.

Cognoscitur quoque, quod non defuerint Episcopi etiam Sanctissimi, qui se Magistratuum conatibus opposuêre, ipsamque auctoritatem & jurisdictionem Ecclesiasticam tutati sunt: non quod forensibus negotiis, aut causarum, & quæstionum discussionibus implicare amarent, aut lucrum ex illis sperarent; sed quod jura Ecclesiarum suarum defendenda crederent, necnon putarent, causis terminandis, & pacificandis suorum subditorum meritò se debere impendere, ut ipsos à litibus forensibus expedirent, & pacem & concordiam inter ipsos firmarent.

Notanda sunt, quæ in hanc rem leguntur de S. Hugone Episcopo Gratianopolitano in ejus vita apud Surium ad diem primam Aprilis: » Temporalium negotiorum litigiosas causas æter» norum amore, non amare, sed tolerare didicerat. Dicebat » enim omne febre molestiora, sibi placita; modisque omni» bus his se abrenuntiaturum, si non in hoc Deum se sciret » offensurum. Intererat autem his tantummodo *pacis* obtentu, » maximè pauperum, atque Ecclesiarum. Ubi verò inexora» bilia in aliquibus odia, & inexpiabiles repeterat iras, tunc » demum fortissime de Dei fisus auxilio, totusque in charita» tis, atque humilitatis solutus affectum, instantissimè ac de» votissimè offensis pro his, qui offenderant, supplicabat. O » quoties salutis humanæ quasi cæcatus desiderio, in cænosa » se pro talibus loca projecit? Quoties ad pedes contemptibi» lium etiam personarum prostratus jacuit? Ne facilè imò penè » nusquam frustrabatur optatis. Nam, & si qui negâssent, non so» lùm gratis, sed & cum satisfactione pœnitentes offerebant » postea non roganti, quod negaverant supplicanti. «

CAPUT II.

Quantopere sensim imminuta sit jurisdictio Ecclesiastica in causis civilibus laicorum in Belgio et Gallia.

1 *Pluribus seculis admodum extensa auctoritas Episcoporum in decidendis causis laicorum.*
2 *Per XI. secula videtur fuisse facultas laicis deferendi sua causas ad judicium Episcopi.*
3 *Circa seculum XIII. cœpit jurisdictio Ecclesiastica in Gallia, & vicinis Provinciis impeti.*
4 *Confœderatio Nobilium Galliæ contra jurisdictionem Ecclesiasticam.*
5 *Causam delegant aliquibus, qui eam strenuè prosequantur.*
6 *Papa hunc Nobilium impetum sistit.*
7 *Seculo XIII. Rex Galliæ inhibuit Delegato Pontificis de rebus ad jurisdictionem temporalem spectantibus cognoscere.*
8 *Laici non patiebantur laicos coveniri coram Judice Ecclesiastico sub initium seculi XIV.*
9 *Laici studebant laicorum causas jurisdictioni Ecclesiasticæ subtrahere.*
10 *Circa seculum XIV. vulnera multa Ecclesiasticæ jurisdictioni inflicta queritur Guillielmus Durandus.*
11 *Sensim & frustatim jurisdictio Ecclesiastica quasi interiit.*
12 *Seculo XIV. Carolus V. Franciæ Rex causas* Reales *jurisdictioni Ecclesiasticæ substraxit.*
13 *Dein Franciscus I. etiam quoad actiones* personales *laicos à jurisdictione Ecclesiastica exemit.*
14 *Inhibuit sub multa arbitraria judicibus Ecclesiasticis citare laicos in causis merè Personalibus.*
15 *Declarat salvam jurisdictionem Ecclesiasticam in causis merè spiritualibus.*
16 *Hæc Constitutio primitùs tantùm edita fuit per provisionem & cum aliqua limitatione.*
17 *Quomodo per usum transierit in difinitivam, & absolutam.*
18 *Principes Belgii seculo XV. laicos in causis personalibus coram Judice Ecclesiastico noluerunt conveniri.*
19 *Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem laicos pene quoad omnes causas à jurisdictione Ecclesiastica eximunt.*
20 *Similiter & Concordata inter Hannones, & Archiepiscopum Cameracensem.*
21 *Hodie in citatione laici ad forum Ecclesiasticum debet exprimi causa, & quare.*
22 *Laici hodie in judicem Ecclesiasticum consentire nequeunt.*
23 *Hodie abrogata Lex sub nomine Thodosii à Carolo M. promulgata.*
24 *Quæ ratio diminutæ jurisdictionis Ecclesiasticæ remissivè.*

I. PLuribus seculis admodum extensam fuisse Episcoporum auctoritatem in decedendis causis civilibus, etiam Laicorum, eamque Principes suis legibus promovisse, & stabilisse, capite præcedenti ostendimus.

II. Videtur autem per undecim, & amplius secula Ecclesia mansisse in pacifica possessione hac extensa auctoritate decidendi causas laicorum, saltem quas Laici ad ipsorum tribunal deferebant; ipsisque laicis integram fuisse libertatem, ut dimissis judicibus secularibus, causarum suarum decissionem Episcopis deferrent.

III. Verùm circa seculum XIII. cœpit hæc pacifica Ecclesiæ possessio turbari, ac paulatim diminui, ac tandem penè ad nihilum redigi, præsertim quoad causas civiles Laicorum; idque vel maximè in Gallia, vicinisque Provinciis, in quibus tamen præteritis temporibus latiùs, quam in aliis regionibus se extenderat jurisdictio, & auctoritas Ecclesiastica; uti ex discursu Berthrandi Episcopi Æduensis capite præcedenti notavimus.

IV. Refertur in probationibus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ

næ ex historia Matthæi Parisiensis ad annum 1246. quod an. 1246. plures Barones Franciæ inter se convenerint, & mutua se fide obstrinxerint, jurisdictionem secularem, quæ tota penè absorpta erat à Clericis revindicare, & defendere. Verba ipsorum sunt: „Nos omni Regni majores attento animo percipientes, quod „regnum non per jus scriptum, ne per Clericorum arro„gantiam, sed per sudores bellicos fuerit adquisitum; præ„senti decreto omnium juramento statuimus, & sancimus, „ut nullus Clericus vel Laicus alium de cætero trahat in cau„sam coram ordinario Judice vel delegato, nisi super hæresi, „matrimonio, vel usuris; amissione omnium bonorum suo„rum, & unius membri mutilatione, transgressoribus immi„nente; certis à nobis super hoc executoribus deputatis; ut „sic jurisdictio nostra resuscitata respiret, & ipsi hactenus ex „nostra de pauperatione ditati, quibus Dominus propter eo„rum superbiam profanas voluit revelare contentiones, redu„cantur ad statum Ecclesiæ primitivæ; & in contemplatione „viventes, nobis, sicut decet activam vitam ducentibus, os„tendant miracula, quæ dudum à seculo recesserunt."

V. Refertur ibidem ex eodem historico acta dictorum Baronum, quâ constituunt quatuor è suis, qui simul, vel duo ex ipsis strenuè cum plena auctoritate, & potestate hoc negotium contra Clerum prosequantur; datâ quoque eisdem auctoritate exigendi etiam certam pecuniæ quantitatem à singulis de hac communitate pro expensis in prosequenda hac causa; monetque, ut si forsan quisquam de hac communitate excommunicaretur, & hi quatuor judicarent, excommunicationem injustam, tunc non attendendo excommunicationem pergeret: Verba Actæ Gallico idiomate relatæ hæ sunt: *A tous ceux qui ces letres verront, nous tous desquels les seaux pendent en cet present escrit, faisons sçavoir, que nous par la foy de nos corps avons fiancé & sommes aliancé, tant nous comme nos heretiers à tousjours, à ayder les uns aux autres & à tous ceux de nos terres, & d' autres terres, qui vouldront être de cette compagnie, à pour chasser, & à requerir, & à defendre nos droits & les leurs en bonne foy envers la Clergie. Et pour ce que seroit griéve chose nous tous assembler pour ceste besoigne, nous avons estu par le commun assent & octroy de nous tous, le Duc de* Burgoigne, *le Conte* Petrum *de* Bretaigne, *le Conte d'* Anguiesme, *& le Conte de* S. Pol. *à ce que si aucuns de ceste communité avoit à faire envers la Clergié, tel ayde comme ces quatre devantdits esgarderoient qu' un homme luy deust faire, nous luy ferions. Et cest à sçavoir, que à se defendre, pourchasser, & requerir, chascun de ceste communité metra la centiesme part par son serment de la vaillance d' un an de la terre quil tiendra. Et chascun riche homme de ceste compagnie fera lever ces deniers, chascun an à son povoir à la Purification de nostre Dame, & les delivrera ou il sera mestier pour cette besoigne par les letres pendantes de ces quatre avant nommés ou des deux de eux. Et si aucun avoit tort, & il ne vouloit laisser par ces quatre avant nommés, il ne seroit pas aydé de la communité. Et si aucun de ceste compagnie estoit excommunié par tort, cognu par ces quatre, que la Clergié luy feist, il ne laisseroit aller son droit ne sa querele pour l' excommuniment, ne pour autre chose qu' on luy fasse, si ce n' est par le accort de ces quatre, ou des deux de eux, ains poursuiveroit sa droiture. Et si les deux des quatre moureroyent ou alloyent hors de la terre, les autres deux qui demeuroyen, mettroyent autres deux en lieu de ces deux qui auroyent tel povoir que cest à devant divisé. Et si le avenoit que les trois & les quatre allassent hors de la terre, ou nourrissent, les douce ou les dix des riches du ceste communité, esliront autres quatre, qui auront ce même povoir que les quatre devantdits. Et si ces quatre, ou aucun de la communité par le commandement de ces quatre faissent aucune besoigne qui appertensist à ceste communité, la communité l' en delivreroit.* Id est: „Omnibus has visuris. Nos omnes quorum sigilla »his appensa sunt litteris, notum facimus, quod interpositâ »corporum nostrorum fide fœdus iniverimus, tam Nos ipsi »quàm liberi nostri in perpetuum, ut nobis mutuo, omnibus»que, qui in terris Jurisdictionis nostræ, seu in aliis de»gunt, huicque fœderi associari volent, opem feramus promo»vendum, procurandum, & defendendum nostra & ipsorum »Jura bonâ fide adversus Clerum. Et quia difficile foret in eum »finem singulos nostrum convenire, constituimus de commu»ni omnium assensu & venia, Ducem Burgundiæ, Comitem »Perrunium, Britanniæ Comitem Inculismensem, & Comitem »S. Pauli, ut si quisquam hujus communitatis adversus Cle»rum tali auxilio indigeat, quale prædicti quatuor judicaverint, »per aliquem ipsi præstari debere, nos ipsi afferamus. Propter»eaque scilicet ut id defendamus, promoveamus & procure»mus, quælibet hujus Communitatis interposito jure jurando, »conferet centesimam partem reditus annui terrarum, quas pos»sidet. Et opulentus quilibet hujus Communitatis procurabit »horum nummorum collectionem annuatim, prout poterit, in »festum Purificationis Divæ Virginis, tradetque, ubi opus erit, »in hanc operam visis litteris obsignatis prædictorum quatuor, »aut duorum ex illis.

»Si verò quis culpa teneretur, arbitroque prædictorum qua»tuor stare detrectaret, à nullo Communitatis juvaretur. Si au»tem quisquam hujus Communitatis injuriâ foret excommuni»catus, quàm dicti quatuor censerent ei Clerum intulisse, nec »querelas, nec jus suum prosequi ommitteret propter excom»municationem, aut aliud demum quidquid contra ipsum aga»tur, nisi de consensu istorum quatuor, aut duorum ex ipsis, »verum jus suum prosequeretur. Quòd si duo horum quatuor »morerentur, aut peregrè proficiscerentur, alii duo qui resta»rent, alios duos substituerent in locum horum duorum, qui »eandem haberent auctoritatem, quam supra declaravimus. »Quòd si contingeret, ut vel tres, vel ipsi quatuor peregrè »proficiscerentur, aut morerentur, duodecim, aut decem ex »opulentis hujus communitatis quatuor alios eligerent, qui ean»dem, quam prædicti quatuor potestatem haberent. Quòd si hi »quatuor, aut quis alius ex Communitate ad mandatum horum »quatuor operam aliquam præstent, quæ hanc Communitatem »concernat, per ipsam damno eximeretur.

VI. Addit dein Matthæus Parisiensis: »Hæc cùm audisset »Papa, ingemuit spiritu perturbato; & cupiens eorum emolli»re corda, & constantiam enervare, admonitione præmissa »eos minis perterruit, nec se sic sensit prævalere. Contulit igi»tur multis consanguineorum eorum multa Beneficia Ecclesias»tica, & licentiam plura obtinendi, cum indulgentiis multis, »necnon & plura ipsis nobilibus contulit donativa; & sic mul»tos eorum à prædicta præsumptione revocavit. Multos tamen »perterruit hujusmodi tenor Epistolæ, credebaturque à consen»su *Frederici* (b) emanâsse; maximè, cùm hujusmodi clausula »finalis concordet Epistolæ *Frederici*, quam multis misit Prin»cipibus, in cujus fine sic dicit: *Semper fuit nostræ intentio vo»luntatis Clericos cujuscunque ordinis ad hoc inducere, & ma»ximè maximos, ut tales perseverarent in fine, quales fuerunt »in Ecclesia primitiva. Apostolicam vitam ducentes, humilita»tem Dominicam imitantes. Tales namque Clerici solebant An»gelos intueri, miraculis coruscare.*"

Quidquid sit de hoc additamento, hoc satis constat, sub hæc tempora jurisdictioni Ecclesiasticæ non tantùm oppositionem fieri cœpisse; sed & paulatim eam diminui & restringi.

* Neque id mirum videri debet; quandoquidem probè intelligerent Principes sensim in forum Ecclesiasticum formam judiciorum inductam pluribus formalitatibus, & tricis obnoxiam, quam esset forma, & stylus litigandi in foro civili usitatus.

Insuper reflecterent judices, ac ministros fori Ecclesiastici non minùs ac Laicos, & civiles Magistratus ex contentionibus partium, atque instructione, & decisione causarum quæstum aucupari. Nec tamen & hoc ignorabant, causas primitùs ad cognitionem & decisionem Episcoporum per Principes fuisse remissas, ut eas sine jurisdictionis contentiosæ stylo, aut sine judice judiciali formâ tanquam arbitratores pacificè determinarent.

VII. Occurrit in Probationibus libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 7. *num.* 6. declaratio cujusdam Capellani Pontificii, quâ declarat, »sibi à Rege Sancto Ludovico fuisse injunctum, »ne de communia Belvacensi, seu de rebus pertinentibus ad »eandem, nec de regalibus suis, seu de rebus aliquibus ad ju»risdictionem suam secularem pertinentibus, cognoscere direc»tè, sive indirectè, seu inquisitionem facere aliquatenùs præ»sumeret."

VIII. Scribit Mayerus *lib.* 10. Annalium Flandriæ, anno 1301. coactam fuisse apud Compendium Synodum Provincialem per Archiepiscopum Remorum, »ubi fulminati Magis»tratus laici (ait Mayerus) qui non patiebantur, ut laici in fo»ro Ecclesiastico convenirentur."

Statuta hujus Synodi edidit Labbeus in ultima Conciliorum Generalium collectione ex MS. codice S. Genovefæ Parisiensis: nec obscurum est, Mayerum reflexisse ad Canonem quintum hujus Synodi, qui his verbis exprimitur: »Item cùm nonnulli »temporales Domini suis inhibeant subditis, ne quis eorum »alium trahat in foro Ecclesiastico, in causis alias à jure, seu »consuetudine permissis, quinimò, quia sic trahentes proce»dunt frequenter ad contemptionem trahentis, & bonorum »ejusdem amicorum trahentis, & bonorum ipsorum: nos ne »talia fiant prohibentes, contrà facientes excommunicationis »vinculo innodamus, & denuntiamus à Canonibus excommu»nicatos."

IX. Hinc rursus apparet Magistratus, & Dominos temporales circa hæc tempora laicorum causas jurisdictioni Ecclesiasticæ voluisse subtrahere: quod & manifestum est ex articulis per Petrum Cugnerium nomine Baronum, & Nobilium Franciæ contra Clerum coram Philippo Valesio propositis, de quibus capite præcedenti actum est.

Et

(b) *Id est, Frederici II. Imperatoris, quem Papa Innocentius IV. anathemate percusserat in Concilio Lugdunensi I.*

X. Et quamvis Prælati, & Clerus se pro tuenda sua jurisdictione fortiter, & viriliter sæpiùs opposuerunt, nihilominus Magistratus, ac ministri Regii suffulti auctoritate Regiâ paulatim perruperunt; ac sensim totam penè jurisdictionem, & auctoritatem judicandi, præsertim de causis civilibus laicorum ad suum tribunal traxerunt; quemadmodum circa idem tempus testatur Guillielmus Durandus in tractatu *De Modo Generalis Concilii celebrandi*, ubi *rubric.* 70. vulnera Ecclesiasticæ jurisdictioni inflicta describens, ait: » Quasi per quandam alluvio» nem frustatim Domini temporales ad se omnia trahunt. Et si» cut frustatim lupus agnum comedit; ita & per ipsos jurisdic» tio Ecclesiastica frustatim quodammodo devoratur. Quidquid » ad Ecclesiasticam jurisdictionem, potissimè quoad tempora» lia, pertinet, sibi competere putantes. Et pauci sunt casus ad » Ecclesiam pertinentes, in quibus directè, vel indirectè per » eos Ecclesiastica jurisdictio non turbetur in diversis mundi » partibus. Nec jam constituta remedia proficere possunt sicut » experientia docet."

XI. Verissimum esse, quòd Domini temporales, & Magistratus Regii frustatim, sive per partes omnem jurisdictionem Ecclesiasticam de causis pecuniariis laicorum sibi atraxerint, notârunt passim auctores, & ex variis Regum Sanctionibus, & Parlamentorum Arrestis successivè datis haud obscurum est.

XII. Anno 1371. Carolus V. Rex Franciæ, instante Procuratore generali, injungi, ac inhiberi mandavit sub magnis pœnis Regi applicandis, Archiepiscopo Senonensi, ejusque Suffraganeis, & ipsorum Officialibus, » ne de casibus, & ac» tionibus realibus, videlicet de rei vindicatione, petitione hæ» reditatis, interdictis possessoriis acquirendi, & retinendi, ac » restitutoris, & de causis retractum hæreditagiorum, necnon » de redditibus annualibus assidatis, vel assisis, seu debitis, & » petitis super hæreditagiis, in præjudicium (ait) nostræ juris» dictionis temporalis de cætero ampliùs cognoscere, aut se in» tromittere quoquo modo præsumant; sed facta, & agitata in » contrarium, monitiones, & processus Ecclesiasticos penden» tes super hoc factos, vel inchoatos, si quæ vel qui sint, re» vocent penitùs, & annullent." Integra acta habentur inter Probationes libertatum Ecclesiæ Gallic. *cap.* 7. *num.* 25. & apud Choppinum *lib.* 2. *de Sacra Politia*, *tit.* 1. *num.* 6.

XIII. Hîc duntaxat actionum, & causarum realium cognitio Ecclesiasticis adimitur, nihil hactenus de merè personalibus. Cumque de hisce multæ, ac variæ essent inter utrumque Tribunal quæstiones, tandem Regiâ Constitutione Francisci I. » abrogatum est indiscriminatim Ecclesiasticæ in profanis juris» dictioni, non tantùm de actionibus in rem, sed in personam » quoque conceptis," uti loquitur Choppin. loc. cit. *tit.* 2. *numer.* 2.

Edita fuit hæc Constitutio ann. 1539. cujus primi articuli verba sunt: *C' est à scavoir que nous avons défendu, & defendons à tous nos sujets de faire citer, ne convenir les laics pardevant les Juges d' Eglise és actions pures personelles, sur peine de perdition de cause, & d' amende arbitraire.*

Id est: » Videlicet quòd prohibuerimus, & prohibeamus » quibuscunque subditis nostris, ne curent citari, aut in jus » vocari Laicos coram Judicibus Ecclesiasticis pro causis merè » personalibus, indictâ pœna amittendæ causæ, & mulctæ » arbitrariæ.

XIV. Dein art. 2. ait: *Et avons défendu à tous Juges Ecclesiastiques de bailler, ne delivrer aucunes citations verbalement ou par escrit, pour faire citer nosdits subjects purs laiz esdites matieres d' actions pures personelles.*

Id est: » Inhibuimus quibusvis Judicibus Ecclesiasticis, ne » citationes ullas insinuent, aut tradant seu verbo, seu scripto, » ut in jus vocent subditos nostros merè Laicos in dictis causis » actionum merè personalium. (c)

XV. Et ne videatur jurisdictioni Ecclesiasticæ in causis purè spiritualibus ullatenus præjudicare, expressè dicit *art.* 4. illa à se ordinata, salvâ jurisdictione Ecclesiasticâ in materia Sacramentorum, & aliis merè spiritualibus, de quibus Ecclesiastici cognoscere poterunt etiam contra laicos. *Sans prejudice toutes fois de la jurisdiction Ecclesiastique, ès matieres des Sacremens, & autres pures spirituelles & Ecclesiastiques, dons ils pourront cognoistre contre lesdits purs laiz selon la forme de droit.*

Id est: » Sine detrimento nihilominùs Jurisdictionis Eccle» siasticæ in materia Sacramentorum, & aliis merè spiritualibus » & Ecclesiasticis, de quibus cognoscere poterunt contra dic» tos merè Laicos secundum formam juris. « (d)

XVI. Quin & *art.* 3. expressè monet, prædicta non nisi per provisionem fuisse ordinata; & nec hoc contra illos, qui contrario Arresto, interveniente Procuratore Regio, essent muniti. *Et ce par maniere de provision quant a ceux dont le fait à été receu sur la possession d' en cognoistre, & jusques a ce que par nous autrement en ait été ordonné, & sans en ce comprendre ceux qui en auroient obtenu arrest donné avec nôtre Procureur general, s' aucuns y ha.*

Id est: » Atque id per modum Juris fiduciarii quoad eos, » quorum causa admissa est ratione possessionis de illa cognos» cendi, & donec aliter per Nos fuerit statutum, non com» prehensis iis, qui, interveniente Procuratore nostro Genera» li, decretum obtinuissent, si qui tales sint. « (e)

XVII. Verùm hæc provisionalis, ac limitata ordinatio sensim in diffinitivam, & absolutam ex Curiæ usu, & Arrestis Parlamentorum transivit, uti notat Carolus Fevretius de *Abusu*, *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 11. Parlamenta enim ab edita hac Regia ordinatione, omnes citationes, omnesque processus in Curiis Ecclesiasticis contra laicos ex causis civilibus, & profanis rejecerunt, ut nullos & abusivos, non obstantibus quibuscunque indultis, privilegis, aliisve titulis, vel possessione.

XVIII. Extat *part.* 1. *Edictorum Flandriæ*, *lib.* 1. *rubrica* 4. ordinatio Maximiliani, & Philippi de 24. Aug. 1486. quâ inhibetur, ne quis in Comitatu Flandriæ cujuscunque conditionis, aut status in actionibus personalibus, civilibus, & profanis (quarum cognitio ad temporalem ipsius Comitis Flandriæ jurisdictionem spectat) alibi quàm coram tribunali seculari laicum citare præsumat, & quidquid in contrarium actum fuerit, cassetur, & annulletur. Verba ordinationis sunt: *Vous* (President & Gens du Conseil en Flandres) *mandons & commettons par ces presentes, que par noz bailliz & autres Officiers de noz Villers, & lieux de nostre dict Pays & Comte de Flandres, ou l' on est accoutumé de faire crys & publications, vous faites par cry publique, telle inhibition & defense de par nous à tous noz subjects de nostre dict pays & Comté de Flandres de quelque estat ou condition qu' ils soyent, que contre ny au prejudice de nosdicts droits, preeminence & jurisdiction temporelle, ils ne tirent on fassent tirer, traveiller ou molester, aucuns de nosdicts subjects layz en actions personelles, prophanes & civiles (dont la cognoissance, & judicature appertient à nous, & à nos loix & judices temporelles) ailleurs que pardevant icelles nos loix & judices temporelles. Ainsi, qui tout ce que par eulx ou aucun d' eux aura été fait ou poursuivi au contraire qu' ilz le revoquent ou facent revoquer & mettre au neant: & ce sur & à peine de soixante livres parisis de nostre monnoye de Flandres, à appliquer à notre prouffit pour autant de fois qu' ils seront trouvez faisans ou avoir fait le contraire.*

Id est: » Vobis (*Præsidi*, & *Consiliariis Flandriæ*) man» damus, & per præsentes committimus, ut per Prætores nos» tros, aliosque Civitatum nostrarum, & locorum dictæ nos» træ Provinciæ, & Comitatus Flandriæ Præfectos, in quibus » proclamationes, & promulgationes fieri consuetum est, cu» retis per proclamationem publicam talem inhibitionem nostro » nomine omnibus subditis nostris dictæ Provinciæ, & Comi» tatus Flandriæ cujuscunque gradus, aut conditionis fuerint, » promulgari, ne in detrimentum, aut contra dicta nostra jura, » prærogativam, & temporalem jurisdictionem, in jus vocent, » aut vocari faciant, vexent, aut infestent quempiam dictorum » nostrorum subditorum Laicorum quoad actiones personales, » profanas, & civiles (quorum cognitio, & decisio Nobis, le» gibus nostris, & seculari tribunali competit) alibi quàm co» ra tribunali isto, & legibus civilibus. Sed ut quidquid actum » fuerit, aut institutum in contrarium, revocent, aut revocari » jubeant, & irritum fieri, idque indicta pœna sexaginta librarum » *parisis* monetæ nostræ Flandricæ in emolumentum nostrum » convertendarum, toties quoties deprehendentur contra hæc » delinquere, vel deliquisse. «

Idipsum rursus pro Comitatu Flandriæ ordinavit per formam Edicti Carolus V. anno 1522. extatque eodem loco. Verba idiomate Flandrico expressa sunt: *Wi hebben by goede ende rype deliberatie van raede ende uyt onsen eygen mouvement rechtewetenheyt ende vulcomen macht gheordonneert ende gestatueert, ordonneren ende statueren by vorme van Edicte, midts desen onsen brieve dat nyemand wie dat hy zy, binnen onsen lande ende graefschepe van Vlanderen hem voort aen en vervoordere eenighe leeke ofte werlicke persoinen (van wat state ofte conditie hy zy) te daghene ofte doen daghene, betrekene, traveillierene, oft andersins te molesterene in eenigher manieren, voor ende omme zaecken en actien personnele, reele, mixte, prophane ende civile elders dan voor heurlieder weerlicke rec-*

(c) *In Hispania sub constituta pœna amissionis bonorum, & ab his Regnis expulsionis, ut dicitur in leg.* 1. & *Remiss.* 2. *tit.* 8. *lib.* 1. *Recop. in leg.* 3. 4. 14. & 15. *Remiss.* 4. & *Actum Accordat.* 4. *num.* 2. *tit.* 1. *lib.* 4. *ejusd. Recopilat.*

(d) *Eandem doctrinam in Hispania praxi mandari debere, præcipiunt leg.* 3. 4. 5. & 6. *tit.* 3. *lib.* 1. & *lex* 5. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recopil.*

(e) *In hanc Francisci I. Galliarum Regis Constitutionem observationes fecit Molinæus; reperiuntur in tom.* 6. *nov. Collect. Cleri Gallicani, col.* 202. &c. *cum quibusdam aliis monumentis, quæ ad istam Constitutionem spectant.*

rechten ende Jugen dien behooren zal op de peyne ende boete van Sestigh ponden parisis, van twintigh grooten onser vlaemscher munte' tpont, telcker reyse als zy bevonden werden zullen dat ghedaen thebenne: ende oock mede indien zy yet daer teghens gheattempteert hadden, dat zy ghehauden zullen wesen tselve te renuntierene ende doen renuncieren tot huerem laste ende coste.

Id est: » Nos ex matura, & æqua deliberatione, & consi- » lio, & motu proprio, certa scientia, & plena auctoritate » mandavimus, & statuimus, mandamus, & statuimus in for- » ma Edicti per has nostras litteras, ut nemo quicunque sit in » hac nostra Provincia, & Comitatu Flandriæ in posterum præ- » sumat Laicos ullos, aut personas seculares (cujuscunque gra- » dus, aut conditionis extiterit) citare, aut citari jubere, in » jus vocare, vexare, aut ut aliàs ullo modo incommodum iis » facessere ob causas, & actiones personales, reales, mixtas, » profanas, & civiles alibi quam coram ipsorum Judicibus, & » Justitia secularibus, quibus competet: sexaginta librarum » *parisis* viginti grossorum monetæ nostræ Flandriæ in libram, » pœnâ indicta, toties quoties id fecisse deprehendentur. Dein- » de, si quid contrà ausi fuerint, ut teneantur iisdem actis sump- » tu, & onere propriis renuntiare, aut renuntiari curare.

Insuper mandat sub pœna 60. librarum, omnibus Judicibus Ecclesiasticis, Promotoribus, Scribis, Notariis, Procuratoribus, aliisque omnibus, ut caveant posthac in Comitatu Flandriæ expedire aliquam citationem, monitionem, aliamve provisionis formam, in materia, & actione personali, reali, civili, vel profana (cujus cognitio ad judicem secularem spectat) aut vi hujusmodi citationis, & monitionis urgere, aut urgeri facere aliquem laicum, non obstante quacunque contraria juris dispositione, consuetudine, aut praxi, quibus per se præsens Edictum derogat. *Insgelicks hebben wy gheordonneert ghestatueert ende verboden, ordonneren, statueren ende verbieden by desen, an alle gheéstelicke rechters ofte Jugen, Promoteuren, Scriben, Notarissen, Procureurs ofte ander wye zy zyn, dat zy hem verdragen van nu voort an, binnen onsen voorseyhen lande ende Graefschepe van Vlaenderen, eenighe citatien, monitien ofte andere manieren van provisien te decernerene oft expedierene, van materien ende actien persoonele, reele, civile ofte prophane (dan of de kennesse den werlicken rechters competeert ende toebehoort) noch oock uyt crachte van zulcke citatien ende monitien te vervolghene ofs doen vervolghen, eenighe vande voorseyde lecke ende werliche persoonen, op gelijcke peine ende boete van Sestigh pond parisis, te verbuerene by den ghuenen die ter contrarien ghedaen zal hebben, telcker reyse als dat gebueren zal: ende dat zy daer toe bedwonghen worden, by die peyne vorschreven. Ende indien zy dat ghedaen hadden, dat zy tselve terstont renuncieren tot hueren eyghen coste: nietteghenstaende eenighe dispositie van rechte, costume ofte usantie ter contrarien, de welcke wy hebben in die stick gederoguiert ende deroguieren mits desen onsen brieven.* Id est: » Similiter mandavimus, statuimus, & » prohibuimus, mandamus, statuimus, & prohibemus per » hasce quibuscunque Ecclesiasticis Judicibus, Promotoribus, » Scribis, Tabellionibus, Procuratoribus, aut aliis quicunque » demùm fuerint, ne imposterum in hac dicta nostra Provincia, » & Comitatu Flandriæ præsumant citationes, monitiones, aut » alterius generis rescripta decernere, & expedire in causis, & » actionibus personalibus, realibus, civilibus aut prophanis » (quarum cognitio Judicibus secularibus competit, ad eosque » spectat) nec in vim talium citationum, & monitionum quem- » piam prædictorum Laicorum & Secularium personarum per- » sequantur, aut persequi jubeant. Simili pœna, & mulcta » sexaginta librarum *Parisis* indicta, persolvenda per eum, qui » contra hæc deliquerit, toties quoties id continget. Et per » dictam penam ad id compellantur. Si autem id egerint, ex- » templo actis proprio sumptu renuntient: non obstante quâvis » Juris dispositione, consuetudine, aut usu contrariis, qui- » bus in hac parte derogavimus, & derogamus per hasce nos- » tras litteras. (f)

XIX. Concordata inter Episcopum Leodiensem & Carolum V. de 1541. laicos penè in omnibus causis privativè judici seculari subjiciunt; declarantque, quòd nec hujusmodi causis se potuerunt Judices Ecclesiastici immiscere. Solæ ferè causæ testamentariæ, & dotales, sive ex contractibus antenuptialibus resultantes, & de bonis amortizatis excipiuntur, idque cum variis limitationibus, modificationibus; uti titulo sequenti latiùs exponetur.

XX. Habentur hæc Concordata parte 1. Edictorum Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 8. ubi & *cap.* 3. refertur confirmatio Concordati inter Archiepiscopum Cameracensem, & Consiliarios Hannoniæ, in quo inter cætera cavetur *art.* 21. quòd imposterum judices Ecclesiastici non citabunt, aut citari facient Hannones pro debitis procedentibus ex contractu, mercatura, aut alia simili causa civili. *Item ceux, d' Eglise se garderont d' oresnavant de citer ou faire citer les manans du pays d' Haynault pour sommes de deniers procedans des contracts, marchiets, & autres semblables purement civils.*

Id est: » Item cavebunt in posterum Ecclesiastici, ne ci- » tent, aut citari jubeant incolas Hannoniæ ratione pecuniæ ex » contractu, emptione, aliisque talibus merè civilibus debi- » tæ. « (g)

XXI. Ordinatione Regia anno 1512. in Gallia cautum fuit, nullum laicum coram judice Ecclesiastico vocari posse, nisi in citationis libello nominatim adscribatur causa, ex qua citatur. Hujus Ordinationis meminit Renatus Choppinus de Sacra Politia *lib.* 2. *tit.* 1. *cap.* 4. qui & addit: » Minimè verò otiosa » Regia illa constitutio, ne profani Ordinis viri promiscuè apud » Pontificios Præfectos conveniantur, neve hi indiscriminatim » de omni causarum genere cognitionem interponant. «

Idipsum anno 1521. ordinavit Carolus V. ut causâ sic expressâ deliberare, & cognoscere queant laici citati, num coram judice Ecclesiastico comparere debeant, an verò citationes hujusmodi aliâ viâ cessare facient. Verba sunt: *Ordonnons & statuons par ces presentes, par maniere d' Edit perpetuel, que d' oresnavant tontes les Citations à emaner & decerner par les Officiaux & autres Juges Ecclesiastiques desdictes Cours spirituеles de Cambray, Arras, Tournay, Teroaune, & autres, contre nosdits subjects & gens Laiz, soyent libellées & narrées des causes, raisons & actions, pour lesquelles elles se decernent & octroyent: à fin que nosdicts Subjects Laicis citez puyssent par icelles scavoir & deliberer (sans autres frais, travail ou despens) de ce qu' ils en auront à faire & s' ils sont tenus de comparoir esdictes Cours, ou faire cesser lesdictes citations par autre voye, veuillant & ordonnant par cesdictes presentes, de nostre certaine science, qu' aux Citations autrement expediées & decernées ne soit aucunement obey.*

Id est: » Mandamus, & statuimus per has præsentes in » forma Edicti perpetui, ut in posterum omnes citationes, quæ » emanabunt, & decernentur per Ministros, aliosque Judices » Ecclesiasticos dictarum Curiarum Ecclesiasticarum Camera- » censis, Atrebatensis, Tournacensis, Teroanæ, & aliarum » adversus præfatos nostros subditos & Laicos, non insinuentur » sine libello, & narratione causarum, rationum, & actionum, » ob quas decretæ fuerint, & concessæ. Eatenus ut dicti nos- » tri subditi Laici citati inde possint cognoscere, & deliberare » (omissis aliis sumptibus, molestiis, & impensis) quid ipsis » agendum incumbat: & utrum in dictis Curiis sistere se te- » neantur, aut dictarum citationum cessationem alio modo » procurent: volentes, & mandantes per hasce præsentes ex » certa nostra scientia, ut citationibus alio modo decretis, » & confectis non deferatur. «

Tes-

(f) *Quoad Hispaniæ Regna vide leg.* 2. *tit.* 8. *lib.* 1. *leg.* 10. & 12. *tit.* 1. *leg.* 20. *in fine tit.* 21. *leg.* 19. & 23. & *Remiss.* 3. & 10. *tit.* 25. *lib.* 4. *Recopil.*

(g) *Num.* 20. *mentio fit Concordati inter Episcopum Cameracensem & Carolum V. ùt Comitem Hannoniæ super exercitio jurisdictionis; at dubitare licet num pro vero Concordato haberi possit. Scitur quidem, quòd cùm sub medium seculi XVI. plures exortæ essent difficultates, & quæstiones super exercitio jurisdictionis inter Carolum V. ut Comitem Hannoniæ, ejusque Consiliarios, & Magistratus ab unâ, & Episcopum Cameracensem ejusque Officiales ab alterâ partibus, tandem post plures super iis habitos congressus, concepti fuerint nonnulli articuli per deputatos utriusque partis sopiendis hisce difficultatibus accomodi; hos articulos retulit Antonius Anselmo Jurisconsultus Antuerpiensis inter Edicta Principum nostrorum* parte 1. Edictorum Brabantiæ, lib. 1. tit. 1. cap. 3. *sub nomine* Concordati inter Episcopum Cameracensem, & Hannones. *Summarium verò ipsis articulis præfixum his verbis conceptum est:* Appoinctement faict pour les jurisdictions spirituelles, & temporelles entre les commis & deputez de Monseigneur le Reve-

Tes-

rendissime de Cambray, & les Conseillers de Haynault le second jour de Mars MDXLI. avant Paques. *Verùm cùm in Prologo articulis hisce præfixa expressè dicatur, hosce articulos conceptos esse ad sopiendas hasce difficultates & quæstiones per deputatos Episcopi Cameracensis* sur le bon plasir toute fois dudit Seigneur Reverendissime, *& in Epilogo asseratur quidem eosdem articulos etiam placuisse deputatis suæ Majestatis Imperialis, nominatim tamen additâ hac clausulâ: sub beneplacito suæ Cæsareæ Majestatis.* Sauf. le bon & noble plaisir desdits Seigneurs; *evidens est hunc articulorum conceptum non potuisse habere suum complementum, nec reputari ut Concordatum nisi post ratificationem Episcopi, & suæ Cæsareæ Majestatis. Cùm nullibi verò de ratificatione ipsius Episcopi Cameracensis, aut suæ Cæsareæ Majestatis hactenus apparuerit, meritò dubitari potest, num hic articulorum conceptus, per deputatos utriusque potestatis propositus, & probatus possit haberi pro Concordato, quandiu de ratificatione Episcopi, & Cæsareæ Majestatis ut Comitis Hannoniæ, sub quorum beneplacito articuli illi propositi, & probati fuere, non constat.*

XXII. Testatur insuper Fevretius *de Abusu*, *lib.* 4. *cap.* 6. *num.* 1. axioma hoc moribus Galliæ receptum esse, laicum in judicem Ecclesiasticum consentire non posse, sive ejus jurisdictionem prorogare.

Similiter in Hispania teste Emmanuele Gonzalez in Commentario ad *cap.* 18. ✠ *de Foro competenti*, *num.* 10. speciali » Principis (h) jussione inhibitum est laicis, Ecclesiasticorum ju» dicum prorogare jurisdictionem, si rei sint; quod si faciant, » nullus est processus coram Ecclesiastico fabricatus; Fiscalis» que Regius petere in Aula Auditorum potest, ut talis de» claretur. Quæ quidem leges (i) Regiæ (pergit Gonzalez) nec » sunt contra immunitatem Ecclesiasticam, neque contra illam » jurisdictionem: quia in laicos reos, causisque merè profanis » nulla Ecclesiasticis judicibus competit jurisdictio. «

Posthæc concludit Gonzalez: » Substinenda ergo est lex po» litica, quam omnes Christianæ nationes habent. « Tum ibidem refert variarum Nationum auctores (k), qui de hac Praxi testantur.

XXIII. Hinc facilè cognosci potest, ad quam angustos limites hodie restricta sit auctoritas, vel jurisdictio judicum Ecclesiasticorum in causis civilibus, & profanis laicorum; quodque jam planè abrogata sit lex illa, quam sub nomine Theodosii renovaverat, & per omnes sui Imperii ditiones observari voluerat Carolus M. quâ lege permittebatur laicis, in quacunque parte litis judicem secularem declinare; causamque ad judicem Ecclesiasticum transferre; idque & altero litigante etiam refragante; quemadmodum capite præcedenti latiùs expositum fuit.

XXIV. Hæc jurisdictionis Ecclesiasticæ in decidendis causis civilibus præsertim laicorum diminutio cœpit, & crevit cum ipsa immutatione formæ, sive modi exercendi judicia Ecclesiastica, tum quoad personas judicum, sive decidentium causas, tum quoad instructionem, & examen causarum. Quæ enim primitus per Episcopos tanquam amicabiles arbitros sine strepitu, & formalitatibus forensibus decidebantur, cœperunt postmodum per Officiales ad rigorem juris, & adhibitis omnibus solemnitatibus modo forensi tractari, & decidi, adeò ut in forma procedendi à seculari judicio vix differrent; quemadmodum in sequentibus latiùs ostendetur, ubi unà demonstrabitur, quomodo hâc judiciorum Ecclesiasticorum formâ introductâ, mirum non sit, quòd ipsæ laicorum causæ civiles Ecclesiasticis judicibus substractæ fuerint.

CAPUT III.

Quæ fuerit jam pridem Episcoporum auctoritas in decidendis causis civilibus Clericorum.

1 *Olim etiam sanctissimi Episcopi decidendis causis laicorum se impendebant.*
2 *Decidebant causas potiùs ut arbitratores, quàm ut Judices.*
3 *Causam ad Episcopum deferre olim penè erat idem quod liti renuntiare.*
4 *Ratio, ob quam conveniat, ut Clerici suas quæstiones committant decidi ab Episcopo sine strepitu judicii forensis.*
5 *Convenit id Clericorum, & Monachorum vocationi.*
6 *Canones volunt Clericos à litibus abstinere, & præcipiunt Episcopis, ut ipsos ad concordiam revocent.*
5 *Olim Clericus in causa civili recurrens ad seculare judicium, relicto Episcopo, mulctabatur.*
8 *Dicebatur hujusmodi Clericus indignè de Ecclesia sentire.*
9 *Concilium Calchedonense vult, ut causa Clericorum, vel per Episcopum, vel per arbitros decidatur.*
10 *Concilium unicè intendit, ut Clericorum quæstiones sine strepitu litis deciderentur.*
11 *Quomodo S. Augustinus quæstiones inter suos Clericos, & Monachos componeret.*
12 *Deferenda est quæstio ad Episcopum, tametsi laicus contra Clericum quæstionem habeat.*
13 *Id voluit Justinianus Imp.*
14 *Justiniani mens fuit Clericos, & Monachos à forensibus jurgiis eximere.*
15 *Justinianus abrogavit legem, quæ Monachos Provinciarum Rectoribus subjiciebat.*
16 *Ne à sacris suis officiis avocarentur, nolebat eos extra Provinciam evocari.*
17 *Causas Clericorum decidi vult Justinianus sine solemnitate judiciali.*
18 *Scopus privilegii* Fori, *est litium Clericorum amicabilis decisio; utque causæ celerrimè terminentur.*
19 *Qualiter sententia Episcopi in causis Clericorum executioni mandanda ex Constitutione Justiniani.*
20 *Exemptio Clericorum à foro seculari per recentiores Principum, & Prælatorum leges confirmata.*
21 *Capitularia Regum Francorum volunt Clericum à suo Episcopo, & non à judice seculari judicari.*
22 *Laicus vetatur Clericum trahere ad* publicum *judicem.*
23 *Judex* publicus *olim opponebatur Judici Ecclesiastico.*
24 *Circa seculum XII. Pontifices, & Episcopi multum hanc Clericorum exemptionem urserunt, & extenderunt.*
25 *Innocentius III. respondit Clericum privilegio fori nequidem in causis profanis renuntiare posse.*
26 *Nequidem cum juramento.*
27 *Conformiter ad hoc Inocentii responsum etiam postmodum in Synodis Decretum fuit.*
28 *Nec per contractum Clerici se laico Judici subjicere poterant.*
29 *Clericus plerisque in locis laicum ad Judicem Ecclesiasticum citare poterat.*
30 *In recentioribus Synodis exemptio Clericorum à jurisdictione laicorum confirmatur.*
31 *In asserenda Clericorum exemptione idem semper mansit Ecclesiæ scopus, & spiritus.*

I. OStendimus *cap.* 1. quantoperè sanctissimi etiam Episcopi se impenderint decidendis quæstionibus & disceptationibus Fidelium, etiam super rebus temporalibus, & profanis; idque non dominandi animo, aut auctoritatem, jurisdictionemque suam amplificandi spiritu; sed pacem, ac charitatem inter Fideles conciliandi, ipsosque à forensibus judiciis, ad mentem Apostoli, avocandi studio.

II. Ipsa quippe judicia Ecclesiastica (uti & ibidem notavimus) primitùs erant amicabilia arbitraria potiùs, quam judicia; ipsique Episcopi non tam judicis, quam amicabilis arbitratoris partes exercebant: nec tam ad rigorem legum, & juris civilis, quam juxta leges charitatis quæstiones ex æquo, & bono decidebant.

III. Unde quæstionem, vel causam ad Episcopum deferre idem erat, ac judicio Forensi renuntiare, & causam arbitrio Episcopi sine strepitu judicii decidendam committere. Quapropter S. Augustinus Christiano justo, quidem, sed tamen infirmo permittit, temporalia sibi ablata repetere, sed Ecclesiastico, non Forensi judicio. Describens enim *lib.* 3. *ad Bonifacium*, *cap.* 5. hominem perfectissimum in fide & Charitate, & hominem justum quidem, & ex fide viventem, sed imperfectiorem, dicit inter cætera de illo » Eleemosynarum » largissimus, injuriam patientissimus, qui non solùm non au» ferat aliena, sed nec sua reposcat ablata. « De hoc autem ita pronuntiat. » Possidet rem familiarem, faciens inde eleemosynas, » non tamen quàm ille tam largas: non aufert aliena; sed quam» vis Ecclesiastico judicio, non Forensi, tamen repetit sua. «

IV. Si ergo Ecclesia tantopere solicita fuerit, ut communes fideles à Forensibus judiciis retraheret, iique suas quæstiones de rebus temporalibus, ut minus ipsis Episcopis, aut sapienti alicui, *secundum monitum Apostoli*, decidendas, & terminandas sine Forensi strepitu crederent, quid mirum, si Clericos & Monachos à Forensibus judiciis abstinere jusserit? Utpote, qui præ communi populo rerum terrenarum contemptum profitentur, ipsique populum tenentur suo exemplo illarum contemptum docere.

V. Accedit quòd Clericorum & Monachorum vocationi & instituto magis, quam laicorum contrarientur forenses litium tumultus. Cùm enim Clerici Ecclesiæ Ministerio ad spiritualem animarum profectum sint destinati; & Monachi ad vitam solitariam, & à mundo absconditam, & abstractam; sat clarum est, statui & vocationi ipsorum planè contrariari jurgiis & litibus forensibus implicari.

VI. Ex Concilio Carthagin. IV. *Can. XIX.* refert Gratianus *Caus.* 14. *quæst.* 1. *Can.* 1. » Episcopus nec provoca» tus pro rebus transitoriis litiget. «

Et *dist.* 90. *Can.* 1. ex eodem Concilio recitat: » Dis» cordantes Clericos Episcopus, vel ratione, vel potestate ad » concordiam trahat: inobedientes Synodus per audientiam » damnet. «

VII. Volebant igitur Patres, ut Clerici quæstiones suas Episcopis subjicerent, & Episcopi ipsos ad concordiam revocarent. Concil. Carthag. III. cui Augustinus interfuit, *Canone IX.* decernit: Item placuit, ut quisquis Episcoporum, » Pres-

(h) *Quia Princeps est fons & origo omnis jurisdictionis, l.* 1. & 2. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recop. l.* 1. *ff. ad leg. Juliam de Ambitu, & Covarr. practicar. cap.* 1.

(i) Scilicet, 10. & 11. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recopilat.*

(k) *De Gallia testatur Rebuffus* ad leges Galliæ, tom. 3. tit. ut laici coram Ecclesiasticis judicibus non conveniantur: *de Aragonia*, *Joseph Sesse* de inhibit. cap. 9. §. 3. *de Lusitania*, *Pereyra de Castro de* manu Regia 2. tom. cap. 35. & *Petrus Barbosa* in lib. 1. de judicis, artic 3. num. 199. *de Navarra*, *Martinus Navarro* consil. 51. sub hoc tit. de sent. excom. & *indistinctè de ejus justitia aut justificatione*, *Vazque Menchaca* usufreq. cap. 14. num. 35. & *Frances* de compet. cap. 49.

„ Presbyterorum, & Diaconorum, seu Clericorum, cum in „ Ecclesia ei crimen fuerit intentatum, vel *civilis* causa fue- „ rit commota, si relicto Ecclesiastico judicio, publicis judi- „ ciis purgari voluerit, etiamsi pro ipso fuerit prolata senten- „ tia, locum suum amittat, & hoc in criminali judicio, in ci- „ vili verò perdet quod evicit, si locum suum obtinere voluerit."

VIII. Legitur hic Canon apud Gratianum *Caus.* 11. *q.* 1. *Can.* 43. cum additamento: „ Cui enim ad eligendos judices „ undique patet auctoritas, ipse se indignum fraterno consor- „ tio judicat, qui de universa Ecclesia malè sentiendo, de ju- „ dicio seculari poscit auxilium; cum privatorum Christiano- „ rum causas Apostolus ad Ecclesiam deferri, atque ibi termi- „ nari præcipiat."

Monet autem Justellus in notis ad Codicem Ecclesiæ Africanæ; „ Quæ quidem verba in omnibus Latinis, Græcisque „ codicibus editis, & manuscriptis, quibus in hac editione „ usi sumus, non habentur, nec in collectione Dionisii Exi- „ gui Moguntiæ edita anno 1525."

Quisquis interim hæc verba Canoni addidit, indicare voluisse videtur, quam indignè agant Clerici, qui quasi indigniùs de Ecclesia sentientes quàm Laici, secularia judicia præ Ecclesiasticis eligunt.

IX. Quapropter Patres Synodi Calchedonensis *Can. IX.* decreverunt „ Si quis Clericus habet cum Clerico litem, aut „ negotium, proprium Episcopum non relinquat, & ad secu- „ laria judicia ne excurrat, sed causam priùs apud proprium „ Episcopum agat, vel de Episcopi sententia apud eos, quos „ utraque pars elegerit, judicium agitetur. Si quis autem præ- „ ter hæc fecerit, Canonis pœnis subjiciatur."

X. Quid hîc aliud intendit Synodus Calchedonensis, nisi Clericis additum ad secularia, & forensia judicia occludere, iisque præcipere, ut quæstiones inter ipsos exortas arbitrio Episcopi determinandas committant, vel certè ex Episcopi sententia, & consilio, aliis quos elegerint, id est, *arbitris*. Unde Isidorus Canonem hunc referens legit: *Apud* ARBITROS *ex utraque parte electos audiatur negotium*: quam lectionem secutus videtur Gratian. *Caus.* 11. *quæst.* 1. *Can.* 46. quamvis non rectè restringat recursum ad arbitros ad casum, quo esset *negotium ipsius Episcopi.*

XI. Quomodo lites inter Clericos, Monachosque suos componeret, terminaretque Augustinus, ipse exponit Sermone 49. De Diversis, seu 355. novæ editionis: „ Si pueri isti servi Dei „ sunt (ait) litem hanc inter illos citò finimus. Audio illos ut pa- „ ter, & fortè melius quàm pater ipsorum. Video quid sit ju- „ ris, sicut Deus voluerit cum paucis fratribus fidelibus hono- „ ratis, Deo propitio de numero vestro, id est, de plebe ista. „ Audio inter illos causam; & sicut Dominus donaverit, finio."

XII. Nec duntaxat quæstiones Clericorum, & Monachorum ad Episcopum deferendæ erant, si Clericus contra Clericum, & Monachus contra Monachum quæstionem haberet; sed etiamsi laicus quæstionem haberet contra Clericum, aut Monachum, ad Episcopum deferri debere, non tantùm sacris Canonibus, sed & Principum legibus cautum erat.

XIII. Justinianus Imperator in *Novella.* 79. *cap.* 1. sancivit: „ Si quis quamcunque habuerit causam cum aliquibus venera- „ bilibus Sanctimonialibus, aut sacris Virginibus, aut mulie- „ ribus omninò in Monasteriis consistentibus, Deo amabilem ci- „ vitatis illius Episcopum interpellet. Ille verò mittat, & cum „ omni honestate, quæ sunt de personarum præsentia disponat; „ sive oportet per Abbates, sive per Responsales, sive per alios „ quoslibet hoc fieri. Ipsi verò cum omni veneratione sacerdo- „ tali causam examinent, & judicent, & *civiles* non sint pe- „ nitùs eis judices, neque confundant eorum honestatem; cum „ idonei sint Deo amabiles singularum civitatum Episcopi, & „ quæ de lite sunt, & de cautela judiciorum disponere, & „ judicare honestè, atque *sacerdotaliter*, & secundum leges „ nostras, & sacratissimas regulas. Si enim & qui aliquam ra- „ tionem habere putantur, merebuntur justitiam, & honestas sa- „ cratorum inviolata, integraque servabitur."

Quamvis hîc duntaxat Sanctimonialium, & mulierum in Monasteriis manentium mentio fiat, nihilominus ex *cap.* 2. & epilogo Novellæ constat, eandem & ad Monachos Constitutionem extendi.

XIV. Vult ergo Justinianus causas Monialium, & Monachorum ad Episcopos deferri, ut ipsi non tanquam judices civiles judicialiter, & cum strepitu, & formula forensi, sed *honestè & sacerdotaliter* eas terminent: ut ita à forensi contentione Monachi expediti, sine impedimento Deo vacare queant; quod & *cap.* 2. expressit dicens: „ Sed etiam accelerari lites san- „ cimus Monachis illatas, ut non mens eorum occupetur circa „ litis solicitudinem; sed velociter liberati, sacris operibus ob- „ secundent."

XV. Rectè notat Cujacius ad hanc Novellam, quòd hîc Justinianus abrogaverit Constitutionem, quæ refertur in *L.* 33. *Cod. de Episcopis*, quâ decernitur: „ Monachos ad Judices ex- „ tra suas Provincias trahi non posse, sed apud suos Judices or- „ dinarios, id est, Provinciarum Rectores, in quibus locis de- „ gunt, Ecclesiarum ministeriis obsecundent (quod ad Clericos, „ de quibus etiam hîc agitur, refertur) omniumque contra se „ agentium excipiant actiones."

XVI. Porrò, quamvis hæc lex antiquata sit per Justinianum quatenus Monachos ad Rectores Provinciarum evocari in causis civilibus permittebat; nihilominus & hoc in favorem Monachorum cavebatur, ne ad quosvis longè etiam extra Provinciam dissitos judices, quemadmodum communes laici, conveniendi essent, ratione hac notanda: „ ut his horis saltem atque „ temporibus, quibus religiosos viros à turbulenta observatio- „ ne prætorii vacare contigerit, cumque eos ad tempus peti- „ torum intentio calumniosa laxaverit, ad sua se Monasteria, & „ venerabiles Ecclesias conferentes, sapienti animo, precatio- „ ne solicita, faciliusque de proximo sacrosanctis altaribus obse- „ cundent, in suis laribus, domiciliisque constituti."

XVII. Hinc rursùs manifestum est, ipsos etiam Principes Chistianos jam pridem solicitos fuisse, ne per tumultum forensium negotiorum sanctum Monachorum otium turbaretur.

Quod in citata Novella de Monachis decreverat Justinianus, id postulante Menna Patriarcha Constantinopolitano, per Novellam 83. ad Clericos extendit, nimirùm ut „ si quis habeat ad- „ versus eos *pecuniariam* causam, priùs ad Deo amabilem Ar- „ chiepiscopum pergat, sub quo constitutus est, & interpellet „ eum, & ex non scripto judicium mereatur; & si hoc fiat, nec „ inquietet eum, nec trahat ad auditoria civilia, neque â sacro „ eum vocare faciat ministerio; sed ex non scripto examinetur „ negotium sine damnis, & accipiat formam forsan etiam scrip- „ tam, & si hoc quoque partes voluerint, & proposuerint, & „ *liberentur alterutro certamine*."

Finalia verba *liberentur alterutro certamine*, rectè interpretatur Dionysius Gothofredus in notis, id est, *exceptionibus, & dilationibus nimiis.*

Et Cujacius ad prædictam *Novellam* 79. hanc præsentem *Novellam* 83. breviter sic contraxit: „ Ex Novella 83. Clerici ac- „ tione pecuniaria committuntur coram Episcopo, qui litem fi- „ niat celerrimè sine sumptu, & sine scriptura solemni."

XVIII. Itaque omnis scopus hujus privilegii Clericalis quod hodie *privilegium fori* (l) vocatur, fuit, ut Clericorum causæ citra strepitum forensem quàm citissimè finirentur; quod Justinianus in eandem Novella indicat, ubi §. 1. declarat, „ quòd „ si aut propter causæ naturam, aut propter quandam fortè dif- „ ficultatem non ofuerit possibile Deo amabili Episcopo decidere „ negotium, tunc licentiam esse & ad civiles Judices pergere „ & privilegiis omnibus custoditis, quæ reverendissimis Clericis „ sacræ præstant Constitutiones, & litigare, & examinationem „ fieri, & terminum imponi liti, & ita liberam fieri causam „ clarissimis judicibus secundum nostras constitutiones, vel leges „ studentibus cum magnanimitate, & velociter lites decidere."

Velociter ergò decidi lites Clericorum præcipit, rationem subjugens: „ Ut non propter hujusmodi causas sacris amoveantur obsequiis, & cùm oporteat Deum placari, & decentia Sa- „ cerdotibus agi, auditoriis detineantur, & illis turbis, atque „ inhærente tumultu litigantium animabus."

XIX. Has leges postmodum rursus confirmavit Justinianus *Novella* 123. *cap.* 21. addita tamen hac moderatione; „ ut si „ Episcopus sententiam tulerit, & alter litigantium intra decem „ dies contradicat iis, quæ judicata sunt, tunc locorum judex „ causam examinet, & si inveniret judicium recte factum, etiam „ per sententiam propriam hoc confirmet, & executioni pro- „ priæ tradat, quæ judicata sunt: & non liceat secundò in tali „ causa victo appellare. Si verò (pergit Justinianus) judicis sen- „ tentia contraria fuerit iis, quæ à DEO amabili Episcopo judi- „ cata sunt, tunc locum habere appellationem contra senten- „ tiam judicis, & hanc secundum legum ordinem referri, & „ exerceri. Si tamen ex imperiali jussione, aut udiciali præcep- „ to Episcopus judicat inter quascunque personas, appellatio „ ad Imperium, aut ad eum, qui transmisit negotium, re- „ feratur." (m)

XX. Hanc auctoritatem Episcoporum in decidendis Clericorum causis, & eorum à jurisdictione Laicorum exemptionem posteriores Principes & Synodi sæpiùs renovârunt, & confirmârunt.

XXI. Libro 1. Capitularium Regum Francorum *cap.* 28. legitur conformiter ad Canonem Calchedonensem suprà relatum: „ Si Clerici inter se negotium aliquod habuerint, à suo „ Episcopo dijudicentur, & non à secularibus."

XXII. Sub idem tempus in Capitularibus Herardi Archiepiscopi Turonensis legitur: „ Ut nullus Laicorum quemquam „ Clericorum absque permissu Episcopi compellat ad causas ire „ *ad*

(l) *Quoad privilegium fori in Hispania videantur leg.* 1. & 2. & *Instructio apposita in fine tit.* 4. *lib.* 1. *Recop.*

(m) *Pro Regnis Hispaniæ ita determinatum est in leg.* 8. *tit.* 3. *lib.* 1. & *Remiss.* 1. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recop.*

» *ad publicum*. Et qui fecerit, donec corrigat, ab Ecclesiæ so-» cietate pellatur."

XXIII. Dum hîc vetatur Laicis Clericos *ad publicum* trahere, vetitum censetur ad judices sive Magistratum civilem trahere. Nam uti rectè observavit Hieronymus Bignonius in notis ad lib. 1. Formularum Marculfi Monachi *cap.* 3. eo tempore soli judices civiles, sive seculares dicebantur *publici* judices. Et in *Cap.* 12. ✠ *de Foro competenti* accipiuntur *publica judicia* pro Jurisdictione seculari, opponunturque cognitionibus Ecclesiasticis, uti ibidem notavit Emmanuel Gonzalez.

XXIV. Mirum! quanto zelo sequentibus seculis hoc privilegium Clericorum, ne à laicis ad Judices seculares trahi possent, urserint Pontifices, & Episcopi, uti vel ex Decretis eorum, Decretalibus Gregor. IX. insertis, cognoscere possumus.

XXV. Legitur in *Cap.* 12. ✠ *de Foro competenti* responsum Innocentii III. Pisano Archiepiscopo, id est, Lothario, qui fuit Juris Civilis Glossator, uti observat Gonzalez in notis ad dictum *Cap.* 12.

Crediderat hactenus Lotharius, quòd licitum esset Clerico renuntiare, saltem in temporalibus, Juri suo, & sibi laicum judicem constituere, præsertim ubi voluntas adversarii accedit; ipsumque juramentum interpositum esse reservandum. At respondet Innocentius, Clericos huic juri renuntiare non posse, rationem hanc adens: quia *pacto privatorum juri publico minimè derogatur*. Dein citato Canone Carthaginensi suprà relato infert: » Manifestè patet, quod non solùm inviti, sed etiam voluntarii » pacisci non possunt, ut secularia judicia subeant: cùm non sit » personale beneficium, cui renuntiare valent, sed potiùs toti » collegio Ecclesiastico sit publicè indultum, cui privatorum » pacto derogari non potest." (n)

XXVI. Quin & addit: „ Nec juramentum licitè servari » potuit, quod contra Canonica statuta illicitis pactionibus in-» formatur."

Ex hoc responso Innocentii III. concludunt Canonistæ, Clericum se non posse Judici seculari submittere etiam medio juramento; tametsi Justinianus id permiserit; quam Justiniani Constitutionem per hac decretalem abrogatam esse dicunt.

XXVII. Conformiter ad hoc responsum legitur in Synodo Exoniensi ann. 1287. *Can. XXX.* » Cùm nec *volens*, nec » invitus Clericus valeat sibi laicum constituere Judicem, inhi-» bemus ne Clericus Clericum super re spirituali, aut quacun-» que actione personali sibi competente, vel suis, trahat in cau-» sam correctionis coram judice seculari. Alioquin illum, qui » hoc facere attentaverit, causam perdere declaramus."

XXVIII. Et *Can. XLI.* ubi altè deplorat, quòd in dies magis magisque laici nitantur subjicere suæ ditioni Clerum, & Ecclesiæ libertates. » Quorum potiùs (ait) temerariam audaciam » resecare tenemur, quàm fovere." Deinde concludit: „ Pro-» hibemus igitur sub pœna excommunicationis, ne Clerici, ma-» ximè Beneficiati, pro debito proprio vel alieno, districtioni se » obligent judicis secularis; cujus obligationis prætextu, laici de » facto, quamquam de Jure non valeant, Clericos ad Judicia se-» cularia pertrahant."

XXIX. Nec tantùm Clericum coram seculari Judice vocari posse receptum erat seculo XII. & XIII. sed & plerisque locis consuetudo invaluerat, ut Clericus etiam laicum coram Judice Ecclesiastico vocaret ad vindicandam rem à laico possessam, licèt eam *suam* esse laicus prætendebat; quemadmodum testatur Alex. III. in *cap.* 5. ✠ *de Foro comp.*

XXX. In Synodis recentioribus passim renovatas has Decretales & pristinos de hac exemptione Clericorum à seculari Jurisdictione Canones videmus; ac signanter Concilium Constantiense sub Martino V, renovavit constitutionem Freder. II. Imperatoris: „ Nullus Ecclesiasticam personam in criminali quæs-» tione, vel *civili* ad seculare judicium præsumat attrahere, con-» tra Canonicas sanctiones, & constitutiones Imperiales."

Concilium Moguntin. anno 1549. *LXXVI.* statuit, » ut » actor Clerico coram seculari judicio actionem intendens, eo » ipso omni causa cadat, nec amplius ad ejus causæ querelam, » etiam coram Ecclesiastico Judice admittantur."

XXXI. Porrò in hac Clericorum à Jurisdictione laicorum exemptione semper idem fuit Ecclesiæ scopus, idemque spiritus; nimirùm, ut ipsos à litibus, & tumultibus forensibus avocaret; quæstionesque inter ipsos suscitatæ amicabiliter interveniente Episcopo, aliove prudente, ac sapiente Viro, ad mentem Apostoli, componerentur, & terminarentur; uti rectè advertit Ludovicus Thomassinus *de Disciplina Ecclesiæ*, *part.* 4. *lib.* 2. *cap.* 89. tametsi nonnulli Prælati nonnunquam dominandi spiritu, aut quæstus causa in usu jurisdictionis, ejusque defensione processerint: quia hi ipsum Ecclesiæ spiritum, & scopum mutare non potuerunt, quamvis forsan his Prælatis, eorumque excessibus ipsa jurisdictionis Ecclesiasticæ collapsio non immeritò imputetur; uti infra latiùs ostendetur.

(n) *Eadem ratio statuta fuit à Concilio Turonensi anno* 1583. *tit.* 19.

SUPPLEMENTUM
AD CAPUT III.

DISCUTITUR, AN CLERICI, ET MONACHI ABSOLUTE SUBDUCTI OLIM FUERINT JURISDICTIONI CIVILI.

1 *Canonum intentio breviter exponitur, quando prohibuerunt, ne Clerici suas causas ad forum Civile deferrent.*
2 *Mens Apostoli, & Patrum hac de re declaratur.*
3 *Clerici, & Monachi semper manent Reipublicæ membra.*
4 *Patres id Clericis mandárunt, ut suas lites arbitris Episcopis definiendas committerent.*
5 *In antiquis Canonibus Clerici non dicuntur absolutè immunes à Jurisdictione Civili.*
6 *Neque ea immunitas in Novellis Justiniani legitur.*
7 *Sententia Gratiani refertur.*
8 *Notatur virga censoria.*
9 *Ad Gratianum refertur origo opinionis, quæ Clericos à jurisdictione Principum absolutè præstat immunes.*
10 *Bellarmini sententia de ea immunitate confutatur.*

* I. SUperiùs assertum est, Clericorum, & Monachorum vocationibus, & professioni parum convenire, litibus, & jurgiis forensibus implicari: ac propterea jam pridem per Canones, etiam sub gravioribus pœnis inhibitum ipsis fuisse, quæstiones, & causas, etsi civiles, ad forensia judicia, sive publicos Magistratus deferre; sed eas Episcoporum examini, & judicio submittere jubebantur.

Porrò circa hos Canones advertendum, Patres, & Concilia id unum intendisse, ne Clerici, vel Monachi ad judicia forensia, sive civiles Magistratus alios pertraherent: sive ne quæstiones, & controversias suas decidendas deferrent; sed ut eas vel arbitris mutuo consensu electis decidendas committerent, aut si id fieri non posset, eorum decisionem Episcoporum judicio submitterent.

II. Itaque eodem consilio id statuerunt Patres circa Clericos, & Monachos, quod id ab omnibus Christianis sub Magistratibus Ethnicis constitutis fieri desideraverat Apostolus, uti suprà *cap.* 1. expositum fuit.

Porrò sicuti Apostolus per hoc suum pium monitum nihil detractum voluit Principum, & Magistratuum civilium licèt Ethnicorum legitimæ auctoritati, & jurisdictioni in decidendis subditorum causis; ita nec Patres, & Concilia per hos Canones, Principum, & Magistratuum auctoritatem in dijudicandis causis civilibus etiam Clericorum, & Monachorum imminuere, aut labefactare intenderunt.

III. Noverant enim Patres illi: quod Principes per conversionem à gentilismo ad fidem & Religionem Christianam, nihil de suo jure, aut legitimâ auctoritate in subditos suos amisissent; sed ipsis jam ad Religionem conversis omninò integra maneret, juxta quod de Christo canit Ecclesia in hymno Epiphaniæ: *Non eripit mortalia, qui regna dat cœlestia.* Cùm igitur certum sit, Clericos, & Monachos subditos fuisse Principibus, & Magistratibus politicis Ethnicis, eò quòd non obstante Clericatu, aut Monachatu remanerent partes & membra reipublicæ, atque cum reliquis Laicis sive Christianis, sive Ethnicis, unum corpus politicum, seu rempublicam conficerent; consequens est eos etiam sub Principibus, & Magistratibus politicis licèt Christianis subditos remansisse; aliàs enim per conversionem ad Religionem Christianam Principes non parum de sua in membra suæ reipublicæ auctoritate amisissent. Indubitatum enim est, Clericos, & Monachos etiam hodie sub Principibus Christianis constitutos esse partes, & membra reipublicæ politicæ, & unam cum reliquis Laicis politicam, & temporalem rempublicam conficere, non secus ac olim sub Principibus gentilibus constitutos.

Idipsum etiam notavit Cardinalis Bellarminus *lib.* 2. *de Cleric. cap.* 28. » Clerici (inquit) præterquam quod Clerici sunt, » etiam cives, & partes quædam reipublicæ politicæ."

Hinc consequens est, quod Clericos, & Monachos à jurisdictione, & subjectione Magistratuum civilium, præsertim quantum ad regimen politicum, & negotia civilia subtrahere, seu eximere, fuisset Principum, & Magistratuum in suos cives, & partes reipublicæ auctoritatem, & jurisdictionem subtrahere.

IV. Cùm verò Patres id sibi fas non esse scirent, id unum Clericis, & Monachis inculcârunt, & mandârunt, ut à litigiis & jurgiis forensibus sibi caverent, atque controversias sine strepitu forensi, electis arbitris, vel Episcopis decidendas committerent: quod non magis jurisdictioni, aut subjectioni Magistratibus civilibus debitæ officere sciebant, quàm si bonus paterfamilias præciperet filiis suis etiam sub pœnis domesticis, ne inter se de controversiis exoriendis apud judicem forensem contendant; sed eas arbitris submittant.

Et

V. Et sanè neque in pristinis synodicis decretis, aut Pontificum scriptis de Clericorum, aut Monachorum à Magistratuum civilium auctoritate, vel jurisdictione in cognoscendis, & judicandis eorum causis in materia notanter civili, exemptione, sive subtractione legitur, imò nec in legibus Imperatorum saltem usque ad tempora Justiniani Imperatoris, qui primus Imperatorum per suas Constitutiones exemptionem aliquam Monachis, & Clericis à jurisdictione & auctoritate judicum publicorum dedisse legitur juxta modum, & limites in illis expressos, prout latiùs *in cap.* 3. expositum fuit.

Quare Petrus Gudelinus de jure novissimo *lib.* 6. *cap.* 5. monet » de Episcopali jurisdictione illud tenendum esse, Clericos, & Monachos primis seculis conveniri solitos apud judices seculares; potuisse tamen actorem, si malebat, convenire eos apud suum Episcopum. At novissimis constitutionibus potestatem jurisdicendi ampliatam esse."

VI. Nullam autem legem, aut constitutionem, quâ ampliata sit Episcoporum auctoritas, in decidendis Clericorum causis anteriorem Novellis Justiniani adfert. Argumentum haud obscurum, & ipsum supposuisse ante has Novellas nullam fuisse Clericorum à Jurisdictione Magistratuum secularium in causis civilibus decidendis exemptionem.

VII. Legitur quidem apud Gratianum *Caus.* 11. *quæstion.* 1. *Can.* 17. » Clericum nullus præsumat apud secularem » judicem Episcopo non permittente pulsare; " ideoque ex *Canon XXXII.* Synodi Agathensis, quæ celebrata est anno 506. adeoque pluribus annis ante editas Novellas Justiniani.

Fatendum est hoc Canone prout à Gratiano expressus legitur, sat apertè indicari, tempore hujus Synodi aliquam exemptionem à jurisdictione Judicum secularium in discutiendis & decidendis eorum causis, Clericis datam esse; idque etiam, ut appareret, auctoritate Synodi: atque ita eo tempore Patribus persuasum fuisse, quòd & auctoritate Episcoporum Clerici possint à jurisdictione Judicum secularium eximi.

VIII. At circa hunc Canonem contigit Gratiano, quod ei circa plurimos accidisse scitur, quòd scilicet eum in alieno à PP. illius Synodi sensu retulerit. Canon enim hic, prout à Synodo Agathensi editus est, & extat cum cæteris hujus Synodi Canonibus tomo 4. Conciliorum Generalium ex Editione Philippi Labbæi, ita statuit: » Ne *Clericus* quemquam præsumat » apud secularem Judicem Episcopo non permittente pulsare. " Quæ genuina Canonis lectio apertè evincit, eam duntaxat Patrum mentem fuisse, cavere, ne Clerici ad Judices seculares suas controversias terminandas deferrent, conformiter ad alios, Canones, & monitum Apostoli datum Corinthiis *cap.* 6. *v.* 1. & 2. quo nullatenùs Jurisdictioni Magistratuum detrahebatur nec Clerici à subjectione eis debita subtrahebantur, uti suprà *cap.* 1. & 3. probatum est.

IX. Interim ex hoc in alienum sensum contorto Canone, necnon pluribus falsis Decretalibus per Pseudo Isidorum primis Romanis Pontificibus suppositis, & per Gratianum in suum Decretum relatis, creditum fuit à Canonistis, Decreto Gatiani, & posteriorum Pontificum Decretalibus simpliciter inhærentibus, exemptionem Clericorum à Jurisdictione Magistratuum, etiam in civilibus auctoritate Ecclesiæ primitùs fuisse inductam, nec eam à potestate Principum dependere.

X. Unde conformiter ad eam Canonistarum opinionem asserere non est veritus Cardinalis Bellarminus, Papam potuisse eximere simpliciter Clericos propria auctoritate per legem Canonicam à subjectione temporalium Principum.

Quod aliud sanè non est, quàm attribuere Romano Pontifici auctoritatem, cives, & partes Reipublicæ politicæ potestatibus sublimioribus subtrahendi. Sed quid mirum; id ab hoc purpurato Auctore assertum, qui nec dubitavit Romano Pontifici auctoritatem in temporalia Principum asserere, quin & potestatem saltem *indirectam* Reges, deponendi, eorum subditos à juramento fidelitatis absolvendi?

Sed hæc à mente Patrum, & Ecclesiæ sunt remotissima; nec ullum in pristinis, & genuinis Ecclesiæ Canonibus fundamentum habent. Nec enim ulla Clericorum, aut Monachorum à jurisdictione Magistratuum publicorum exemptio primis ut minus novem seculis nota fuit, præter eam, quam Principes Christiani concedere voluissent; neque ullam nisi à Principum benignitate dependentem prætendit Ecclesia.

CAPUT IV.

Quibus casibus hodie Clerici in Civilibus coram Judice Seculari conveniatur.

1 *Quando & quâ de causâ causæ Clericorum, præsertim civiles, ad tribunalia laicalia devolvi cœperint.*

2 *An de hac devolutione Episcopi hodie conqueri debeant.*

3 *In Gallia circa tempora Philippi Valesii exemptio Clericorum imminui cœpta.*

4 *Conquerebantur tum temporis, quòd Judex Ecclesiasticus impediret, quominus Clericus in causa hæreditaria conveniretur coram laico.*

5 *Quid huic querelæ responderint Prælati.*

6 *Ex ipsorum querela, & responso colligitur, etiam prætendisse judices Ecclesiasticos cognoscere de causa* reali *inter Clericos; quod & juri communi conforme prætenditur.*

7 *Usus cognitionem in causa reali adjudicem laicum etiam inter Clericos transtulit.*

8 *Jam pridem solemni Arresto interdictum Judici Ecclesiastico de causa reali cognoscere.*

9 *Mulctatus Officialis, qui de tali causa cognoverat.*

10 *Id non tantùm in Gallia, sed penè ubique servatur.*

11 *Tempore Philippi Valesii Prælati asserebant, ad se omnes causas reales spectare, quibus aliquid* personale *erat admixtum.*

12 *Hodie omnis causa etiam personalis ad Judices laicos spectat, si aliquid* realitatis *sit admixtum.*

13 *In causis* mixtis *Clerici coram laicis conveniuntur.*

14 *Contractus coram Judice Ecclesiastico factus non inducit* realitatem; *quia de* realitate *disponere nequit.*

15 *Clericus pro arreragiis redditus conveniendus coram Ecclesiastico Judice, si personaliter tantùm conveniatur; secùs, si jus* reale *controvertatur.*

16 *Hæc distinctio jam pridem solemni arresto probata.*

17 *Etiam Rector, & Conservator Academiæ Lovaniensis eadem distinctione utuntur.*

18 *Ex contracto inito coram Notario Regio Clericus coram Judice Regio convenitur.*

19 *Clerici per contractum se solent jurisdictioni laicali submittere.*

20 *Dispositio juris, quâ Clericus vetatur renuntiare privilegio, usu sublata quoad causas civiles.*

21 *Quæstio an Clericus sit remittendus ad Judicem Ecclesiasticum, hodie spectat ad Judicem Regium.*

22 *Idipsum supponit Edictum Principum nostrorum ad Synodum Cameracensem.*

23 *Prætendunt Pragmatici hîc intervenire quæstionem* Facti.

24 *Supponunt quoque omnem jurisdictionem quoad causas civiles spectare ad Principem, quousque probatum sit in alios translatam.*

25 *Hinc concludunt, Clericum coram laico citatum debere comparere, ut privilegium alleget.*

26 *Clericus hodie convenitur coram laico, si in alia quàm Clerici qualitate conveniatur.*

27 *Clericus administrans bona laicorum potest coram laico Judice conveniri.*

28 *Item si sit Officiarius secularis.*

29 *Similiter ut tutor, aut curator laici.*

30 *Conventus ad præstandam garandiam in causa evictionis.*

31 *Ut hæres laici potest coram seculari quoque conveniri.*

32 *Quantum diminuta Jurisdictio Ecclesiastica.*

33 *In Brabantia concessum privilegium Prælatis, ut conveniri nequeant nisi coram supremo Principis Senatu.*

34 *Idem nonnullis Capitulis in Gallia concessum.*

35 *Hoc privilegium ad causas concernentes functiones sacras non extenditur.*

36 *Etiam hodie manet spiritus Canonum, qui vetabant Clericis ad secularia tribunalia recursum.*

I. Sicuti causæ civiles Laicorum ad secularia tribunalia sensim devolutæ sunt, ipsique Episcopi, & Judices Ecclesiastici ab earum cognitione penè totaliter exclusi postquam nimirum judicia Ecclesiastica ad normam judiciorum civilium institui, & agi cœperunt, uti suprà *cap.* 2. monuimus; ita & causæ civiles Clericorum ad laicos judices devolvi cœperunt, & exemptio Clericorum quoad causas has ad arctissimos limites coarctari; ipsique Clerici coram laicis tribunalibus in causis civilibus non tantùm à laicis citari, sed ultrò hæc tribunalia expetere, & suos creditores etiam Clericos convenire maluerunt: adeò ut hodie, præsertim in Belgio, & Gallia de exemptione Clericorum à laici jurisdictione quoad causas *merè civiles* vix aliquid supersit: (o) quinimò, & plerasque causas Ecclesiasticas agitari coram judicibus Regiis, titulo sequenti ostendetur; ubi una ratio reddetur, cur Clerici plerumque ament coram Regiis Tribunalibus, quàm Ecclesiasticis suas quæstiones examinari, & judicari, & quæ sit ratio, cur is recursus hodie faciliùs, quam olim tolerari queat.

Unà

(o) *Loquendo de Tonsuratis Beneficium Ecclesiasticum non habentibus, vel alicui Ecclesiæ non adscriptis, idem in Hispania accidit, ut constat ex leg.* 2. *tit.* 4. *lib.* 1. *Recopil. atta-*

men non ita si Beneficium aut adscriptionem habeant, vel in Marjoribus Ordinibus sint Constituti, per leg. 4. 5. & 6. *tit.* 2. *lib.* 1. *Recopil.*

II. Unà ostendetur, quòd graviter ferre non debeant Episcopi, si causæ & quæstiones ad Regia & laica tribunalia transferantur, quandiu ea, quæ nunc invaluit, forma judiciorum Ecclesiasticorum remanet; licèt non immeritò doleant, quòd judicia Ecclesiastica, quæ primitùs nonnisi ad concordiam & pacem tendebant, nihilque de forensibus tricis habebant, tandem in jurgia forensia transierint; quin & in his laicalia judicia facilè superent: atque ita omnis ferè ratio, quæ jam pridem moverat Prælatos Ecclesiæ, ipsosque, Principes, ut Clericos, coram judicibus Ecclesiasticis convenire vellent, & laica tribunalia declinare juberent, non tantùm negativè, sed & contrariè cessare videatur; quia litigando coram Ecclesiasticis, amplius, & diutius litium tumultibus & forensibus tricis implicari solent, quam litigando coram Tribunalibus Regiis.

III. Jurisdictionem Ecclesiasticam quoad causas Clericorum circa tempora Philippi Valesii Regis Franciæ, id est, sub initium seculi XIV. imminuisse, notat Michael Roussellius, & non obscurum est ex disceptatione inter Prælatos, & Barones Regni Galliæ coram eodem Rege sub initio istius seculi super materia jurisdictionis excitata.

IV. Inter articulos ex parte Baronum per Petrum Cugnerium contra Prælatos allegatos erat hic 57. » Item si laicus vocat » Clericum in causa hæreditaria coram judice seculari, ipsi judi- » ces Ecclesiastici faciunt cessare processus, sibi cognitionem » attribuentes. «

V. Huic articulo nomine Prælatorum respondet Ludovicus Bertrandus Episcopus Eduensis, » quod super actione per- » sonali vel mixta, aut super interdicto, quod in parte per- » sonale extiterit, Clericus, fuerit coram judice seculari vo- » catus, non debet coram eo respondere; ubi autem actio » esset merè realis, de jure deberet super hoc cujuslibet Ec- » clesiæ consuetudo servari; & ubi consuetudo non esset, de- » beret jus scriptum in talibus imitari. «

VI. Ex articuli propositione, & ad illum responsione patet, quòd tum quæstio esset, quis Clericorum competens esset judex, etiam in causis *mixtis* & *realibus*; ipsumque Eduensem prætendisse, in causis *mixtis*, quæ aliquid personalitatis continent, solùm judicem Ecclesiasticum esse competentem; quin & in causa merè reali, si consuetudo Ecclesiæ non sit contraria: (p) quod & conforme esse juri communi vulgò tradunt Canonistæ, quos citat Aufrerius de potestate seculari in Ecclesiasticos, *regula* 2. *fallentia* 4.

VII. Verùm controversiam hanc usus finivit, ipsamque cognitionem de causis *realibus* judici laico detulit, quantumvis contra Clericum agatur; nam ut ipse Aufrerius testatur ex Joanne Fabro, hodie Clericus in actione *reali* potest coram judice seculari conveniri: & ita de consuetudine in Regno Galliæ servari asserit.

VIII. Testatur quoque ibidem Aufrerius, „ an. 1385. in » Parlamento Parisiensi pronuntiatum fuisse arrestum, quo dic- » tum fuit, Episcopum Cabilonensem non esse recipiendum ad » manutenendum, quòd in ejus Curia spirituali posset cognos- » cere de actione *reali*, & fuisse condemnatum ad cessandum » de cætero ab impedimentis per eum super hoc factis.

» Hoc Arrestum, ait Joannes Galli *quæst.* 45. mirum videri » non debet; nam si penes judicem Ecclesiasticum notio illa re- » mansisset, oportuisset aliquando Regem, & cæteros Galliæ » Proceres ire litigatum Romæ pro feudis, & temporalibus suis » per viam appellationis, aut evocationis. «

IX. Insuper ut Judices Ecclesiastici deterrerentur à capienda notione de actione *reali*, » anno 1463. Capitulum S. Maxen- » tii fuit condemnatum in 200. libras, quia cognoverat de ac- » tione *reali* virtute jurisdictionis spiritualis, « inquit Aufrerius.

X. Nec tantùm in Gallia, sed & aliis plerisque Regnis judices laicos cognoscere de causis *realibus* ostendit Michael Roussellius *in Historia jurisdictionis Pontificiæ*, *lib.* 4. *cap.* 4. & de Belgio testatur Jodocus Damhauderus in Praxi civili *cap.* 53. & ubi notat Tuldenus, & praxis notoria, & quotidiana consonat.

XI. Ex Responso Ludovici Bertrandi suprà relato patet Prælatos ut indubitatum tunc asseruisse, quòd Clericus in actione *mixta*, aut super interdicto, quod in *parte personale* extitit, coram judice seculari vocatus, non debeat coram eo respondere. Supponebant enim *personale* ibidem intermixtum trahere ad se *reale*, ipsumque judicem laicum esse omninò incapacem, qui de *personali* contra Clericum quovis modo judicare posset: è contra verò judicem Ecclesiasticum haud esse incapacem, qui de *reali*, quod hîc miscetur, cognoscat; ideoque solicitè notant, *quod in parte* PERSONALE *est.*

XII. At verò hodie contrarium plane principium invaluit, & in Regiis Parlamentis receptum, & probatum est: nimirum bona temporalia esse omninò de jurisdictione seculari; ipsosque judices Ecclesiasticos esse incapaces cognoscendi, aut statuendi de *realitate* bonorum; adeò ut abstinere debeant ob omni causa, cui *realitas* aliqua immixta est.

XIII. Hinc tanquam indubitatum tradunt Pragmatici, Clericum non tantùm in merè realibus, sed & in *mixtis*, puta actione hypothecaria, conveniendum esse coram judice seculari, sive ipsius rei sitæ, quemadmodum loco citato notat Aufrerius; & pluribus relatis confirmat Rouselius dicto *cap.* 4. *num.* 10. additque. » Denique nullius non quæstionis ex fundo, & *reali-* » *bus* subortæ competens est nobis judex secularis: nec His- » panis, ut tradit Alphonsus Villadiego: (q) Ecclesiasticus ve- » rò incompetens. «

Hactenus Roussellius, qui ex his concludit: » Itaque si » Clericus vendiderit fundum, aut si immobilia ejus sint præ- » hendenda, non poterit forum seculare declinare. « (r)

XIV. Imò receptum esse tradit pluribus citatis Broudæus in notis ad Louetium *Lit. H. num.* 15. quòd contractus, & obligationes firmatæ sigillo judicis Ecclesiastici nullam inducant hypotecam, sive tacitam, sive expressam: quia judex Ecclesiasticus nullum habet jus se immiscendi iis, quæ *realitatem* spectant. Verba ipsius sunt: *Parce que la jurisdiction Ecclesiastique n' a aucun droit de s' entremettre en ce qui est de la realité, comme est l' hypotheque.* Id est: „ Eò quòd Jurisdictioni » Ecclesiasticæ nullum jus competat, ut se immisceat iis, quæ » realitatem spectant, quale est Hypotheca. «

XV. Ex hoc principio nonnulli conclusêre, quòd Clericus ratione canonum, seu *arreragiorum*, ut ajunt, alicujus redditus realis, sive fundiarii, non nisi coram judice laico conveniri posset; eò quòd huic obligationi *realitas* causam dederit; sive quòd obligatio canonum ex obligatione *reali* profluxerit.

Verùm si de solis annuis canonibus agitur, ratione quorum obligatio duntaxat personalis habetur, neque ipsum jus redditus, sive *reale* controvertatur, non apparet, cur de hac obligatione *merè personali* judex Ecclesiasticus competens non sit; secus verò, si ipsum *jus reale* in controversiam veniat.

Hac distinctione jam pridem usus est Aufrerius, dicens; pro arreragiis census annui conveniri posse Clericos coram judice seculari, » quando medium concludendi est *reale*; ut quia peti- » tur ratione prædiorum censualium: quia tunc magis videntur » conveniri prædia, quam personæ, scilicet possessores præ- » diorum. Si autem medium concludendi sit *personale*; ut quia » arreragia petuntur ex stipulatione, vel obligatione personali, » tunc secus esset dicendum. «

XVI. Hæc distinctio fundata apparet in famoso & solemni Arresto prolato an. 1271. contra plures Episcopos, eorumque Officiales, quo ipsis interdicitur, » cognoscere de actionibus » realibus, & de redditibus annualibus affidatis seu debitis, & » petitis super hæreditagiis, supposito, quòd partes *censum*, » aut *onus reale* se debere *minimè* confiteantur. « Arrestum refertur apud Choppinum de Sacra Politia *lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 6.

Distinctionem hanc rationi consonam esse fatetur etiam Carolus Fevretius de Abusu *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 11. insignis alias jurisdictionis Regiæ Patronus.

XVII. Hæc distinctio occurrit quoque in concordia inter Maximilianum & Philippum, & Universitatem Nostram Lovaniensem, inita super exercitio jurisdictionis Rectoris, & Conservatoris, confirmata per Carolum V. Imperat. ubi permittitur, ut & Rector Conservator cognoscant de materiis personalibus, non *realibus* aut *mixtis* bona immobilia tangentibus; permittiturque, ut si personaliter agatur de *redditibus*, possit incidenter de titulo cognoscere, ne continentia causæ dividatur; ut tamen non cognoscant de *realitate*, aut validitate contractus. Verba sunt: *Que les dits Recteur & Conservateur pourront pendre & avoir la cognoissance des matiéres personnelles, non reélles & mixtes, si avant qu' il touche biens immuebles. Pourveu que si les parties, que viendront en justice pardevant eux, en la deduction desdicts actions personnelles, se veullent ayder d' aucun tiltre & en vertu d' iceluy justifier la constitution de la rente ou autre chose, dont en action personnelle question seroit meue pardevant eulx, iceulx Recteur & Conservateur, pour eviter que la contenance de la cause ne soit divissée, pourront incidemment prendre connoistiana coaluisse. Plura dabit D. De Marca* in sua Concordia Sacerdotii & Imperii, *lib.* 4. *cap.* 1. *num.* 1.

(p) *Regnante Philippo Valesio, dum prædicta controversia moveretur, introducta primùm est forma appellationis, quam vocant*, ex abusu, *cujus tamen principia in Galliis antiquiora sunt, & forma & nomine. Adversus* appellationes tanquam ab abusu, *imperitiores rerum Gallicarum de novitate præscribunt, ac si res ipsa antiquiori origine non censeretur, quàm istud forense vocabulum; cum tamen æquis rerum æstimatoribus facilè persuaderi possit rem ipsam, id est, tuitionis Ecclesiasticæ executionem, iisdem initiis cum regia potestate in Ecclesia Chris-*

(q) *Cap.* 2. *Instructionis*, *num.* 51.

(r) *Non dubium, quòd in Hispania quando agitur cum Ecclesiasticis super prædiis gratiisque à Rege concessis, ejus cognitio pertinet ad Magistratus Civiles, & super eo non admittitur jurisdictionis declinatio, ut ajunt L.* 4. *tit.* 4. *lib.* 1. *lex.* 6. *tit.* 1. *lib.* 4. *leg.* 10. *tit.* 7. & 14. *tit.* 16. *lib.* 9. *Recop.* & *Remiss.* 3. *tit.* 8. *lib.* 1. & 14. *tit.* 1. *lib.* 4. *ejus Recop.*

noissance audit tiltre, sans toutefois autrement eulx entremettre d' aucune realitè, & sans aussi eulx entremettre ou prendre connoissance sur la validité dudit tiltre, au cas que questions s' en meat pardevant eulx, Id est : „ Quod dicti Rector, „ & Conservator cognoscere poterunt de causis personalibus, „ non realibus & mixtis, quatenus concernunt bona immobilia. „ Si modò partes, quæ coram ipsis in judicio se sistent, in de„ ductione actionum personalium titulo quodam tueri se ve„ lint, & in vim illius probare creationem redditus, aut quid „ aliud, de quo per actionem personalem coram ipsis mota fue„ rit quæstio : dicto Rectori, & Conservatori, aut evitetur „ continentiæ causæ divisio, incidenter de dicto titulo cognos„ cere licebit ; ita tamen, ut nullatenus realitati se immisceant, „ aut de validitate dicti tituli cognoscant, si coram ipsis quæs„ tio desuper moveretur.

XVIII. Si tamen contractus initi, & roborati sint sigillo Regio, vi hujus contractus Clericos hodie actione personali conveniri coram judice seculari, notat ibidem Fevretius. Cui consonat articulus modificationis jam pridem inseri solitus verificationi Legatorum Sedis Apostolicæ : » De contractibus in„ ter quascunque personas, sive Ecclesiasticas, sive laicas ini„ tis, qui obligationes personales continebant, si à Notariis *Re„ giis* publicâ auctoritate recepti fuerint, ipse Legatus non cog„ noscat. « Vide modificationes has relatas suprà *part.* 1. *tit.* 21. *cap.* 3. *num.* 11.

XIX. Accedit, quòd dum contractus etiam inter Clericos, aut Clericum, & Laicum coram Notariis Regiis ineuntur, & conficiuntur, soleat illis inseri clausula, quâ contrahentes pro impletione dictorum contractuum, & oblationum se subjiciunt *voluntariè* ipsis Regiis & aliis ordinariis judicibus, vigore cujus submissionis conveniri possunt coram judice Regio, & seculari pro adimpletione contractûs. Fevretius ibidem *cap.* 6. *num.* 10. & *cap.* 10. *num.* 8. ubi citat ordinationem Philippi II. Regis Catholici, quâ declarat, contractus confectos sub sigillo Regio cum submissione esse attributivos jurisdictionis.

XX. Quòd enim jure communi cautum est, Clericum non posse renuntiare privilegio fori, se subjiciendo jurisdictioni laicali, id quoad causas *civiles* in desuetudinem abiit, uti passim testantur Pragmatici. Unde Mornacius ad *L.* 4. *ff. de Pactis*, discussâ hac quæstione in utramque partem, demùm adjungit: » Tandem itum est ab omnibus in eam sententiam, ut si de „ crimine agatur, renuntiare non possit Clericus Cleri privile„ gio ; cùm dedecus inde inferatur Ordini, in cujus gratiam „ privilegium inductum est : in *civili* autem negotius secus.“

XXI. Si quæstio sit, an citatus sit Clericus, vel in hac causa gaudere debeat privilegio fori, & ad judicem Ecclesiasticum sit remittendus, inspecto jure communi in *cap.* 12. *de Sententia excommunicat. in* VI. cognitio ad judicem Ecclesiasticum spectat : at hîc rursus usus tandem judicibus Regiis favit: nam ubique penè usu invaluit, ut hujus quæstionis decisio ad judicem secularem pertineat.

De Gallia testatur & ipse Covarrubias *Pract. qq. cap.* 33. *n.* 1. ubi postquam ostendit, de jure quæstionem hanc ad judicem Ecclesiasticum spectare (s) ait : » Apud Gallos hujus con„ troversiæ cognitio ad secularem judicem pertinet, ab eoque „ lis tractatur, & expeditur, non admissa nec recepta consti„ tutione Bonifacii VIII. *in dict. cap.* 12.“

Et Grivellius *Decisione Dolana* 30. ait : » Ut apud judicem „ secularem spectet cognoscere, an remittendus sit reus ad fo„ rum Ecclesiasticum, vel non, id apud nos in praxi servatur. «

XXII. Idipsum supponit Edictum Phlippi II. ad Synodum Cameracensem *art.* 17. mandans, ut si aliquæ personæ conquerantur apud tribunalia Regia, se malè citatos esse coram tribunali Ecclesiastico, ipsa Consilia Regia, antequam quidquam decernant, priùs petant de causa per judicem Ecclesiasticum informari, ut informatione habitâ judicent, an causa ad judicem Ecclesiasticum spectet. Verba Edicti sunt : *Et quand lesdicts, Juges Ecclesiastiques auront cité quelques personnes qui se pretendent exemptes de leur Jurisdiction. Nous ordonnons à nos Conseils, & Sieges Provinciaulx que leur en estant faite plaincte, auparavant décerner quelque provision de saisissement, ou cassation, ils ayent à escrire audict Juge Ecclesiastique, à fin d' advertir que c' est du procés, de quelle matiere ily à question, & sur quoy le demandeur fonde dè la connoissance du Juge Ecclesiastique. Et s' il luy semble la matiére disposee, pour submettre ledict lay à sa Jurisdiction & par quelle raison ; pour la rescription veue, & examinée en Conseil, si les raisons sont trouvées insuffisantes, requirir ledict Juge Ecclesiastique iterativement de se déporter de ladicte cognoissance; apein d' y pourveoir par les remedes accoutumez comme en cas de default ils feront. Tenant pendant ceste communication toutes procedeures en surseance.* Id est : » Et cùm dicti Judices Ec„ clesiastici aliquos in jus vocaverint, qui se ab illorum ju„ risdictione exemptos esse contendent : Mandamus Consiliis „ nostris, & Provinciarum Tribunalibus, ut querelis apud eos „ depositis, antequam bonorum occupationem, aut rescis„ sionem decernant, priùs dicto Judici Ecclesiastico scribant, „ ut de statu litis edoceantur, de qua materia sit orta con„ troversia, quo fundamento ad cognitionem Judicis Eccle„ siastici recurrat : & utrum ipsi videatur materia disposi„ ta, ut dictum Laicum jurisdictioni suæ subjiciat, & qua „ de causa ; ut visâ rescriptione, & in Concilio expensâ, si infun„ datæ deprehendantur rationes, iteratò dictus Judex Ecclesias„ ticus moneatur, ut à dictæ causæ cognitione abstineat ; se aliàs „ in pœnam ordinariis mediis provisuros, prout & in casum „ defectus facient. Omni interim processu suspenso, dum hæc „ communicatio fiet. « (t)

XXIII. Fundamentum hujus praxeos apparet, quod in hac quæstione aliquid temporale sive non spirituale intervenire credant ; nec de *jure*, sed de *facto* quæstionem esse. Hoc autem *factum* nihil spiritualitatis habere dicunt. Unde Aufrerius in Repetitione *Clem.* 1. *de Officio Ord. regulâ* 4. *fallentiâ* 8. dicit, quòd regula, quæ dictat Judicem secularem de causis Ecclesiasticis non cognoscere, » fallat *generaliter*, ubi de quæstione „ Ecclesiastica versatur sola quæstio *facti* : nam tunc Judex se„ cularis est competens. « Deinde in exemplum subjicit, » si „ disputetur, utrum mulier fuerit desponsata, vel non ; vel an „ habitus sit Clericalis, an non ; an quis sit legitimus, vel non; „ an sit usurarius, vel non ; quia nos est quæstio juris, sed „ *facti*. Et idem in similibus. «

XXIV. Ad hæc supponunt judices Regii, omnem jurisdictionem contentiosam primariò, & originaliter residere & esse penes Principem : nec nisi ab illo ad inferiores, sive laicos, sive Ecclesiasticos, præsertim quoad negotia *civilia*, dimanare: atque hinc concludunt, omnes coram Principe, ejusve Magistratu conveniendos, quousque ostensum sit, ipsos aliquo speciali titulo alteri jurisdictioni esse subjectos.

XXV. Hinc ulteriùs invaluit, teste Joanne Gallo *quæst.* 353. quòd Clericus citatus coram judice seculari debeat comparere, & suum privilegium sive exceptionem declinatoriam allegare, & petere, ut remittatur ad judicem Ecclesiasticum, aliàs ut contumax condemnandus.

XXVI. Sicuti Clerici conveniuntur hodie coram judice seculari, si causa *rem* potiùs quàm personam respiciat : eò quòd, non tam Clerus, quàm *res* ipsa temporalis, & profana conveniri videatur ; ita dum Clerici se officiis, aut negotiis secularibus immiscent, aut præficiuntur, atque sub ea qualitate conveniuntur, quæstio non coram judice Ecclesiastico, sed seculari agitanda est; quia non tanquam Clerici, sed tanquam seculares conveniri censendi sunt.

XXVII. Itaque si Clericus administrationem rerum profanarum ad laicas personas spectantium susceperit, non poterit judicem secularem declinare, si de ipsa administratione agatur; hanc esse omnium Parlamentorum praxim, testis est Lucius *lib.* 2. *Placitorum*, *tit.* 2. *cap.* 15. dicitque : » Sacerdotem, sa„ crisque initiatum, qui rebus prophanis se immiscuerit, si ad „ prophanum judicem iis de rebus vocetur, ire debere ; neque „ fori præscriptione se tueri posse, quod & permultis Curiæ „ auctoritatibus comprobatum est.

XXVIII. » Pariter trahi potest Clericus in actione perso„ nali coram Judice seculari, ubi tanquam Officiarius secula„ ris teneretur : ut qui fortè depositum pecuniarum, vel alia„ rum rerum suscepit auctoritate judicis secularis, « ut notat Guillelmus Benedicti ad *Cap.* RAINUTIUS, verbo *Ex uxorem*, *num.* 419.

XXIX. Addit idem auctor, qui à 200. & ampliùs annis scripsit : » Et idem servatur in hoc Regno (Franciæ) ubicun„ que Clericus, aut persona Ecclesiastica officium tutelæ, vel „ curæ, aut aliud quodcunque seculare gessissent ; qui coguntur „ de administratis reddere rationem coram judice seculari. «

XXX. Eadem ratione si Clericus venditor alicujus fundi vocetur ab emptore ad *garrandiam*, ut ajunt, sive ad præstandam evictionem, non poterit declinare tribunal seculare, coram quo causa evictionis tractatur ; quia in hoc casu Clericus coram judice laico litigat, non per se, sed tanquam actor & procuratur emptoris laici, uti loquitur Glossa in *L.* VENDITOR ✠ *de Judiciis*. Et ita servari in Curiis jam pridem annotavit Guillielmus Benedicti loco citato *num.* 417. ubi & in *num.* 416. observat, in causa reconventionis Clericum quoque excipere non posse à judice, coram quo ipse alium convenit ; idque in pra-

(s) *Ita præcipitur in leg.* 7. *tit.* 4. *lib.* 1. *Recop.*

(t) *In Hispania quando Judex Ecclesiasticus se intromittit ad cognoscendum in causis merè profanis, & inter laicos, ab his introducitur coram Supremo Senatu recursus vulgò* de fuerza, *& à prædicto Senatu librantur litteræ ad remissionem processûs ; misso visoque, si revera causa sit merè profana & inter Laicos, declaratur talem Judicem Ecclesiasticum se intromississe, hoc est,* que hace fuerza en el conocer y proceder, *ut ait Actum* 4. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recopil.*

praxi esse receptum, licèt de jure non una sit de hisce quæstionibus Canonistarum opinio (u) Vide plura apud Carolum Fevretium de Abusu *lib.* 4. *c.* 10.

XXXI. Similiter quæstio inter Canonistas disputata, num Clericus hæres laici, conventus in qualitate hæredis, queat declinare forum laici, cui defunctus suberat, hodie cessat: receptumque est Clericum respondere debere coram judice defuncti, nec forum ex persona hæredis mutari: uti pluribus citatis ostendit Fevretius de Abusu *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 8.

XXXII. Ex his aliisque, quæ ex praxi hodierna, & Parlamentorum Arrestis referuntur à Pragmaticis, quæque quotidie observari videmus, sat evincitur, exemptionem Clericorum à jurisdictione, & foro seculari in causis civilibus, sive profanis ad angustos admodum limites esse redactam; rarisimosque esse casus, quibus clerici judicium seculare in hujusmodi causis declinare efficaciter queant; præsertim cùm & ipsi judices Regii contendant sibi auctoritatem privativè competere judicandi, an causa ad judicem Ecclesiasticum remittenda sit, vel non.

XXXIII. Porrò ne Ecclesiastici præcipuè in dignitate constituti, ratione similium actionum coram quibuscunque minoribus Magistratibus, non sine dignitatis suæ dedecore, & incommodi conveniantur; speciali indultum est privilegio Prælatis, qui de Statibus existunt, ut non alium judicem agnoscant, quàm ipsum Principem, ad quod Privilegium alludunt Concordata inter Episcopum Leodiensem & Carolum V. dum dicunt *tit.* 3. *art.* 7. »Abbates, Abbatissæ, & alii de statibus »Brabantiæ existentes juri stabunt activè & passivè coram judi»cibus illis, coram quibus de antiqua consuetudine stare juri »consueverunt: « scilicet (ait Zypæus de Foro competenti *num.* 2.) coram Duce seu ejus Consilio Brabantiæ, quod in hoc Ducatu est supremus Senatus.

Dein ibidem adjungit: Zypæus »Prout passim praxis in»troduxit, ut Prælati, ac Collegia Ecclesiastica coram Prin»cipum Consiliis conveniantur, & alios eò trahant. «

XXXIV. Refert quoque Choppinus de S. P. *lib.* 2. *tit.* 2. *num.* 5. privilegium plerisque Canonicorum Collegiis competere, ut nimirùm alium judicem secularem præter Senatum Regium agnoscere non debeant; recitatque in hanc rem diploma Caroli VII. Regis Franciæ de ann. 1440. datum Cathedrali Pictonum templo in hæc verba: »Ut Canonici ipsius Ecclesiæ, »tam conjunctim, quàm divisim nullatenus teneantur litigare »coram aliquo judice seculari Regni nostri, præter quam in »*Curia Parlamenti*, nisi eis placuerit, respectu omnium cau»sarum suarum, tam agendo, quàm defendendo, tangendo »corpus & fundationem dictæ Ecclesiæ, & ubi dicti de capi»tulo erunt pars. Nostra tamen est intentio, quòd eorum ho»mines, ac subditi, & alia membra in hoc, quod aliqualiter »non tanget jura, seu fundationem ipsius Ecclesiæ, respon»dere tenebuntur in casu ressorti coram illo Baillivorum, aut »Seneschalorum nostrorum, in cujus Baillivia, seu Senescha»lia commorabuntur. «

XXXV. Hoc tamen privilegium Abbatum, & Prælatorum intelligendum est de actionibus civilibus, sive profanis, non autem de sacris, & ad spirituale eorum regimen spectantibus. Nam uti rectè ibidem notavit Zypæus *num.* 4. »Ab»bates Brabantiæ, quoad *sacra* sui statûs aut regiminis, nun»quam spectaverunt ad dictum Consilium (Brabantiæ) sed tan»tùm quoad debita, & actiones *Civiles*. «

XXXVI. Interim hactenùs dicta, & notoria praxis evincunt, nec diffiteri possumus, Clericos juxta modernum usum, & praxim ubique penè receptam, in causis civilibus coram judicibus secularibus conveniri posse, neque Clericos, ut coram illis litigent, hodie indigere consensu Episcopi; quemadmodum sacri Canones olim requirebant. Nihilominùs illud immutatum & immobile manet, Clericos debere, quantum possibile est, lites fugere; semperque ita agere, ut verificari queat in ipsis, ut ad mentem Apostoli sint *non litigiosi.* 1. Timoth. *cap.* 3. & Tit. *cap.* 3.

Ulteriùs hoc negari nequit, quin & hodie ratio Canonum vetantium Clericos in forensi judicio litigare, immota permaneat; licèt *externa* disciplina in ipsis expressa suum amiserit vigorem. Quid enim aliud per dictos Canones intenditur, nisi Clericos litibus & forensibus jurgiis eximere, eosque inducere, quin & astringere, ut quæstiones suas potiùs Episcopo, aut aliis Viris prudentibus, & intelligentibus amicabiliter sine strepitu forensi decidendas committerent? An non, & hodie Clerici tenentur, quantum possibile est, lites fugere, & à forensibus jurgiis se liberare; omnique affectu, & studio desiderare & conari, ut quæstiones amicè terminentur: summoque cordis affectu quotidiè dicere cum Ecclesia: *Extingue flammas litium!*

(u) *In Hisp. anteriori doctrinæ consona est L.* 57. *t.* 7. *Part.* 1.

TITULUS II.

De Causis Ecclesiasticis.

CAPUT II.

DE CAUSIS SPIRITUALIBUS, PRÆSERTIM MATRIMONIALIBUS.

1 *Causæ aliæ* merè *Ecclesiasticæ*, *aliæ* non merè.
2 *In hac generalitate interdum in jure accipiuntur.*
3 *Canones interdicentes laicis omnem de causis Ecclesiasticis cognitionem, præcipuè loquuntur de* merè *Ecclesiasticis.*
4 *Causæ Sacramentorum tanquam merè Ecclesiasticæ spectant de jure ad forum Ecclesiasticum.*
* *Principum auctoritas circa externam spiritualium Politiam.*
5 *Res verò merè spirituales Ecclesiasticis Judicibus reservantur.*
6 *In Gallia per Parlamentorum Arresta causæ merè Ecclesiasticæ ad judicem Ecclesiasticum remittuntur.*
7 *Inhibitum Judicibus Regiis cognoscere de causis spiritualibus.*
8 *Idipsum & in Belgio obtinet.*
9 *Ad judicem Ecclesiasticum spectat cognoscere de capacitate, & qualitatibus requisitis ad administrationem, aut susceptionem Sacramentorum.*
10 *Inter quæstiones merè Ecclesiasticas hodiè ferè solæ sunt causæ Matrimoniales, quæ coram judice Ecclesiastico agitantur.*
11 *Causa matrimonialis etiam hodie coram solo judice Ecclesiastico agitari potest.*
12 *Etsi coram judice seculari tantùm* incidenter *mota esset.*
13 *Id ipsum obtinet in Belgio vigore Concordatorum inter Episcopum Leodiensem, & Carolum V.*
14 *Quid si quis calumniosè exceptionem de valore Matrimonii coram judice seculari incidenter proposuerit.*
15 *Causæ Matrimoniales aliquando ad Synodos spectásse creduntur.*
16 *Postmodum ad ipsos Episcopos exclusis inferioribus judicibus.*
17 *Hanc disciplinam innovavit Synodus Tridentina.*
18 *An hodie Abbates possint cognoscere de causis Matrimonialibus.*
19 *Consuetudo, ni sit immemorialis, inferioribus cognitionem harum causarum tribuere nequit.*
20 *Conservatores Privilegiorum cognoscere nequeunt.*
21 *Ex stylo Curiæ R. causæ Matrimoniales etiam in secunda instantia solis Episcopis committi solent.*
22 *Causa Matrimonialis coram judice seculari tractari potest, si sit tantum quæstio* facti, *an sit initum Matrimonium.*
23 *Item si non agatur de* validitate, *aut* invaliditate *Matrimonii inter ipsos contrahentes.*
24 *Causa* Natalium *profluens ex jure Matrimonii spectat ad solum judicem Ecclesiasticum.*
25 *Secùs si tantùm agatur de quæstione* facti, *an sit natus ex Matrimonio.*
26 *Judex Ecclesiasticus in Gallia, nec incidenter de quæstione* facti, *aut profana cognoscere potest.*
27 *Nec potest adjudicare alimenta, aut pecuniam pro sumptibus litis pendente causa Matrimoniali.*
28 *Nec* accessoriè *hodie cognoscere potest de* dote.
29 *In Belgio liberaliùs agitur cum judice Ecclesiastico.*
30 *De aliis causis Ecclesiasticis, puta Beneficiorum, decimarum, &c. hodie vix agitur coram judice Ecclesiastico; & quare.*

I. CAusas Ecclesiasticas communiter dividunt Canonistæ in Ecclesiasticas *meras*, & *non meras*. *Meras* vocant, que sunt tales ex natura sua, independenter ab omni positiva constitutione, aut consuetudine. *Non meras*, quæ quamvis sint ex natura sua temporales, & profanæ, justis tamen de causis reservatæ sunt Ecclesiasticis Judicibus.

II. Hac generali significatione causæ Ecclesiasticæ accipiuntur in *cap.* 4. *de Immunit. Eccles. in* VI. in verbis, »super »cau-

» causis Ecclesiasticis, sive quæ ad forum Ecclesiasticum ratione personarum, negotiorum, vel rerum de jure, vel antiqua consuetudine pertinere noscuntur. «

III. Causæ *merè* Ecclesiasticæ, sive quæ tales ex natura sua reputantur, sunt exempli gratiâ, causa Sacramentorum, & similes, quæ nihil temporalis annexum habent; sed omninò spirituales, & Ecclesiasticæ sunt: atque de his præcipuè intelligendi sunt Canones, interdicentes laicis omnem cognitionem de causis Ecclesiasticis; adeò quidem, ut Concilium Lateranense sub Innocentio III. » generaliter prohibuerit, ne super rebus *spiritualibus* compromittatur in laicum: quia non » decet, ut laicus in talibus arbitretur. " *cap.* 8. ✠ *de Arbitris.*

IV. Hinc unanimi consensu receptum est, causas Sacramentorum esse merè Ecclesiasticas, easque quantum ad substantiam eorum, ad Judicem Ecclesiasticum privativè spectare: nihilque circa eorum validitatem, vel invaliditatem judicem secularem posse decernere: eò quòd hæ ex natura sua sint merè spirituales.

* Dixi quantum *ad substantiam eorum*: Certum enim est, quòd circa modum, tempus, & locum ea exhibendi, aut celebrandi, necnon circa horum ministros plurima intercurrere queant externam politiam spectantia, & ad quæ Principum eorumque Magistratuum cura, & auctoritas se extendere possit, quin & subinde debeat; utpotè quibus incumbit externæ politiæ curam habere, atque curare, ut omnia recto ordine etiam in Ecclesia agantur.

Hinc & plurimæ, tum in Codice Justinianeo, tum Theodosiano, & Capitularibus Regum Francorum, tum etiam in posterioribus Edictorum Imperialium, & Regiorum collectionibus, Christianorum Principum sanctiones occurrunt, quæ hanc Principum curam, & auctoritatem probant.

Neque legitur, quòd Ecclesia has Principum sanctiones unquam improbaverit, quasi immunitati, aut Jurisdictioni Ecclesiasticæ adversas: imò scitur jam pridem ab Ecclesia Romana susceptas fuisse Novellas Justiniani Imperatoris, in quibus plurima circa prædictas materias, externam disciplinam, sive politiam spectantia, statuta leguntur.

V. Occasione Politiæ externæ, cujus observationi invigilant Magistratus civiles, sensim in Gallia, & etiam in his Provinciis causæ plures, quæ inspecto jure communi erant Ecclesiasticæ cognitionis, devolutæ sint ad judices laicos, sive tribunalia Regia; nihilominus causæ Sacramentorum, & similes merè spirituales reservatæ manserunt judicibus Ecclesiasticis, etiam per ipsas Principum Ordinationes, & Parlamentorum Arresta.

In Edicto Francisci I. Regis Franciæ de anno 1539. quo vetantur citati laici in causis merè personalibus coram judice Ecclesiastico (de quo titulo præcedenti *c.* 4.) expressè additur clausula reservans cognitionem de causis Sacramentalibus, aliisque spiritualibus judici Ecclesiastico. *Sans prejudice toutefois de la jurisdiction Ecclesiastique és matieres de Sacremens & autres pures spirituelles Ecclesiastiques., dont ils pourront cognoistre contre lesdits laïs selon la forme de droict.* Id est: » Absque detri» mento nihilominùs Jurisdictionis Ecclesiasticæ in materia Sacra» mentorum, & aliis merè spiritualibus Ecclesiasticis, de quibus „ contra dictos Laicos juxta formam juris poterunt cognoscere."

VI. Rursus Regio Edicto anno 1610. injunctum fuit judicibus Regiis, ut permittant judici Ecclesiastico causas ad forum Ecclesiasticum spectantes, ac nominatim causas concernentes Sacramenta, & cæteras merè spirituales, prout referuntur in Actis Cleri Gallicani *Tom.* 1. *parte* 1. *tit.* 2. *cap.* 9. *art.* 8. in verbis: *Il enjoinct aux cours de Parlement de laiser à la jurisdiction Ecclesiastique les causes qui sont de leur connoissance; mesme celles qui concernent les Sacremens & autres causes spirituelles & purement Ecclesiastiques, sans les attirer à eulx sous prætexte de possessoire, ou pour quelque autre occasion que ce soit.* Id est: » Injungit Supremorum Senatuum Cu» riis, ut Jurisdictioni Ecclesiasticæ subjectas sinant causas, » quarum ad eos spectat cognitio; quinimò eas, quæ Sacra» menta, aliasque causas spirituales, & merè Ecclesiasticas con» cernunt, nec causas illas titulo possessorii, aut aliâ demum » quacunque occasione ad se traducent."

VIII. Idipsum sæpiùs postmodum Regiis Edictis renovatum fuisse ibidem refertur; additurque *art.* 12. per Arrestum Consilii Privati 28. Augusti 1637. inhibitum fuisse omnibus supremis Curiis, cæterisque judicibus Regiis, cognoscere de causis merè spiritualibus & Ecclesiasticis.

Citantur ibidem *art.* 11. & 13. Arresta, quibus causæ super doctrina ad Episcopum, tanquam judicem Ordinarium remissæ fuêre.

VIII. Similia in Principum nostrorum edictis passim occurrunt, dicitque Antonius Anselmo *in suo Triboniano Belgico, Cap.* 84. §. 8. » Etenim Principes nostri religiosè suis Constitu» tionibus vetuerunt, ne quis in causis Politiam Ecclesiasticam » tangentibus, aut in morum correctoriis recurrat ad judicem » secularem, aut per appellationem procuret aliquam supersesso» riam, seu suspensionem, aut clausulas inhibitivas. " (x)

IX. Hoc fundamento imprimis ad Episcopum, & judicem Ecclesiasticum spectant causæ, in quibus de ipsis Sacramentis agitur, puta, de capacitate, & approbatione requisita in ministris Sacramentorum, ipsorum examine, admissione, &c. (y) quæ etiam hodie privativè ad Episcopum, sive judicem Ecclesiasticum spectant, tanquam causæ merè spirituales, & Ecclesiasticæ. Vide suprà *part.* 2. *tit.* 26. *cap.* 1.

X. Verum super valore, vel nullitate Sacramentorum nullæ hodie ad forum contentiosum quæstiones deferri solent, nisi super matrimonio; ideoque solæ causæ matrimoniales ferè sunt inter causas civiles, circa quas hodiè jurisdictio Ecclesiastica versatur, & ratione quarum laici ad forum Ecclesiasticum citari solent.

XI. Et sanè si quæstio vertatur de validitate ipsius Matrimonii, solus judex Ecclesiasticus est competens; ipseque solus de hac quæstione cognoscere potest; idque sive jus commune, sive consuetudinarium spectemus, quemadmodum post alios Pragmaticos notat Carolus Fevretius de Abusu *lib.* 5. *cap.* 5.

XII. Imò quæstio de validitate Matrimonii in tantum est fori Ecclesiastici, ut si motâ quæstione de jure hæreditatis, incidat quæstio de jure connubiorum; » puta, de præcedenti nup» tialium sacrorum impedimento, vel si quâ aliâ ratione canoni» câ convellatur jus, statusque matrimonii, de eo *sacrum* est » tribunal adeundum, non civilis Magistratus, " inquit Renatus Choppinus, *de Sacra Polit. lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 16. additque: » Sive inciderit, seu principaliter mota sit connubialis con» troversia. Idque à Neapolitano Senatu disceptatum refert » consultissimus ejusdem Ordinis senator Matthæus *Decis. Nea» politan.* 219."

XIII. Conformia sunt Concordata inter Episcopum Leodiensem & Carolum V. 11. Jan. 1543. lecta & publicata in Camera Consilii Brabantiæ januis apertis, & acceptata ab Episcopo Cameracensi, sub quo & Episcopo Leodiensi ante novos erectos in Belgio Episcopatus, tota Brabantia fuit; ita ut meritò hæc Concordata pro lege in Brabantia habeantur. In his itaque Concordatis *tit.* 2. *art.* 1. decernitur: » Quoad fœdus » Matrimoniorum.....*solius* judicis Ecclesiastici erit cognoscere, » etiamsi quæstio fœderis Matrimonialis inciderit coram judi» ce sæculari; quo casu judex secularis supersedere tenebitur, » & hunc articulum (tanquam spiritualem) ad judicem Ecclesias» ticum, per eum infra anni spatium terminandum, remittere."

XIV. Addit dein *art.* 2. „ Sed si quis dictam allegationem „ incidentis quæstionis calumniosè proposuisse reperiatur, con„ demnabitur in mulctam judicis arbitrio constituendam, alio„ quin termino effluxo, judex secularis in causa coram eo in„ tentata, poterit procedere, perinde ac si hujusmodi arti„ culus coram eo non incidisset, vel propositus fuisset. "

XV. Causas Matrimoniales olim in Conciliis Episcoporum decisas fuisse innuitur apud Gratianum *caus.* 35. *quæst.* 6. *Canon* 10. ubi Alexander II. scribit cuidam Guillelmo, ne propriam uxorem prætextu consanguinitatis præsumat dimittere, & aliam ducere, *donec Episcoporum Religiosorum Concilium causam istam examinaverit.*

XVI. Verùm Glossa ad *Canonem* 1. *Caus.* 33. *quæst.* 2. monet, quòd si olim id obtinuerit, postmodum tamen ad Episcopos singulos causæ Matrimoniales, exclusis inferioribus devolutæ sint. Verba Glossæ sunt: » Sed rectè, & hodie ad Epis» copalem jurisdictionem cognitio Matrimonialis causæ spectat. » Unde nec Abbates, nec alii cognoscere possunt de matrimo» nio, nisi ex concessione, vel alia causa legitima id ha» beant. «

XVII. Hanc disciplinam renovavit Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 20. *de Reform.* decernens: » Adhæc causæ Ma» trimoniales non Decani, Archidiaconi, aut aliorum inferio» rum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantùm examini & » jurisdictioni relinquantur. «

XVIII. Decretum Concilii Tridentini etiam à cognitione causarum Matrimonialium excludere *Abbates* quantumvis exemptos, decisum fuisse in Rota Romana, refert Barbosa *in Collectaneis ad hoc caput Concilii Tridentini, num.* 56. idque donec per tres sententias conformes, vel unam, quæ transivit in rem judicatam, constiterit, Abbatiam, ac loca illi subjecta, seu ab ea dependentia, *nullius* esse Diœcesis: & consequenter constet, quòd Abbas in loca illa habeat jurisdictionem *quasi Episcopalem.* Hanc eandem distinctionem quoad Abbates circa cognitionem harum causarum notavit Fevretius *de Abusu, lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 6.

XIX. Notat insuper Barbosa *de Potestate Episcopi, part.* 3. *Allegat.* 74. *num.* 5. quòd Synodus sustulerit possessionem quadra-

(x) *Huic doctrinæ consonæ in Hispania sunt leges* 2. 3. 4. 5. & 6. *tit.* 3. *lib.* 1. & *Actum Acordatum* 8. *prope medium, lib.* 4. *tit.* 1. *Recopil.*

(y) *Vide leges* 22. *prope medium, &* 31. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopil. idipsum præcipientes.*

dragenariam cum titulo, seu privilegio, » solamque immemo-» rabilem non excludere, & donec de illa constiterit per tres » conformes sententias, non inferiorem Episcopo, sed ipsum » Episcopum hujusmodi causas cognoscere debere.“

Huic resolutioni conformis est resolutio Cardinalium data Episcopo Antuerpiensi, declarans, ad Episcopum spectare facultatem cognoscendi de causis Matrimonialibus, nisi Capitulum *immemorabilem* consuetudinem haberet; sed donec eam per tres sententias probaverit, Episcopus ea utatur. Extat apud Zypæum *de Officio Ordinarii*, *num.* 20.

XX. Cùm Synodus generaliter causas matrimoniales judicum inferiorum judicio subtrahat, & Episcopi *tantùm* jurisdictioni relinqui mandet(z), non videtur privilegiorum conservatorum jurisdictio ad has causas extendenda; (a) notatque Fevretius *loco citato*, *num.* 8. ex Choppino, quòd ex Ordinatione Ludovici XII. anni 1498. » vetitum sit Conservatori-» bus, ne de fœdere connubiali, de divortiis, aut de Eccle-» siastica Sacramentorum administratione cognoscant. «

XXI. Quamvis Decretum Synodi Tridentinæ tantùm videatur loqui de cognitione in prima instantia; nec appareat vi hujus Decreti vetitum, delegari causas Matrimoniales in *secunda* instantia judicibus inferioribus, nihilominus stylus Curiæ jam pridem usitatus fuit, ut causæ matrimoniales non soleant aliis quàm Episcopis à Sede Apostolica committi; uti testatur Covarruvias *de Matrimonio*, *part.* 2. *cap.* 8. §. 12. *num.* 1. & Barbosa in Collectaneis ad præsens caput Concilii Trid. *num.* 59.

XXII. Quod de incidente quæstione Matrimoniali remittenda ad judicem Ecclesiasticum dictum fuit, intelligi oportet de casu, quo de validitate Matrimonii agitur, ut est casus in *cap.* 1. ℣ *de Ordine cognitionum*; secus verò ubi non de jure, sed de *facto* quæstio incideret; puta, si non quæratur an Matrimonium sit validum; sed an reverà de *facto* ullum matrimonium fuerit initum. » Si enim in petitionem hæreditatis incidat *mera facti* » quæstio, contractum ne sit, nec ne conjugium; eo casu legiti-» ma erit Regii Prætoris cognitio,“ ait Choppinus de S. Polit. *lib.* 2. *tit.* 1. *num.* 16. & ita in Parlamentis constanter servari monet Fevretius *De Abusu*, *lib.* 5. *cap.* 5. *num.* 18.

XXIII. Asserit ibidem Fevretius *num.* 19. quòd si motâ quæstione super causa matrimoniali intercedat *tertia* persona allegans vim, seductionem, aliudve factum intervenisse, Judex Ecclesiasticus quæstionis hujus competens non sit; & ita aliquando judicatum fuerit, conformiter ad ea quæ tradit Imbertus in suo Manuali in quæstione intitulatâ, *Matrimonii causa*: » Matrimonii » quæstio & controversia, licèt quantum ad eos, inter quos » contractum asseveratur matrimonium, sit coram Pontificio ju-» dice tractanda; tamen si pater, aut mater simul cum filia » apud Pontificium forum conveniantur, ut quam de futuro ma-» trimonio emiserint, promissionem impleant, poterunt illi » parentes fori jurisdictionem declinare, vel etiam ab ipsius » citationis decreto tanquam ab abusu, provocare ad supre-» mam Parlamenti Curiam. «

Rationem addit, dicens: » In Regno (Franciæ) receptum » fuisse, quia de jure Franciæ speciali laici sunt à Pontificia » jurisdictione soluti, ac emancipati; nisi in casibus *specialiter* » permissis. « Et Annæus Robertus *lib.* 3. *Rerum jud. cap.* 5. asserit, » de jure Franciæ obtinere, ut de iis tantùm cognos-» cere possit Judex Ecclesiasticus, quæ *spiritualia* sunt, aut » ad Sacramenta pertineant. «

XXIV. Quia causa natalium, sive an quis sit *legitimus*, pendere solet à *jure & validitate* matrimonii, causam, hanc esse fori Ecclesiastici tanquam *spiritualem*, uno consensu tradunt Canonistæ ad *Cap.* 7. ℣ *Qui filii sint legitimi*, atque ut talem agnoscunt allegata Concordata inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem: voluntque, ut si quæstio legitimitatis, aut illegitimitatis coram judice seculari incidat, eodem modo ac quæstio fœderis matrimonialis ad judicem Ecclesiasticum remittatur.

XXV. Ex ipso contextu Concordatorum sat manifestum est, quod remissio hæc intelligenda sit de casu, quo de *jure* agitur, non autem de *facto*; puta, si controvertatur, an quis sit *legitimus* ob defectum, sive non valorem matrimonii; secùs verò si tantùm quæratur, num hic reverâ sit filius, sive natus ex tali matre, aut patre, quemadmodum notavit Cevallos tract. *de cognit. per viam violentiæ*, *quæst.* 96. dicens: » Resolutivè tenendum est, judicem laicum posse cognoscere, » an sit filius natus in figura Matrimonii, an non: quia est quæstio » *facti*, incidens principali motæ super petitione hæreditatis. «

Quod & ipsa Concordata *tit.* 1. *art.* 6. expreserunt, caventia, quòd non poterit judex Ecclesiasticus cognoscere de *filiatione*, cùm est quæstio inter laicos *de mero facto*, an talis » scilicet sit filius, vel non. «

XXVI. Quin quæstio profana, & *facti* nec accessoriè cùm ipsa quæstione *Juris* coram Judice Ecclesiastico ex usu Regni Galliæ tractari potest: puta, si judex Ecclesiasticus pronuntiaverit in causa Matrimonii, aut sponsalium, non poterit tamen pronuntiare super damnis, & interesse resultantibus, ex non adimpletis sponsalibus; quemadmodum observat Joannes Tournetius *in collectione Arrestorum*, *litt. A. num.* 116. citatque Fevretius *loco citato*, *num.* 14. Arrestum de anno 1689. quo declaratum fuit, abusivè processum per Officialem Carnotensem, qui pronuntiatione facta super cessatione sponsalium condemnaverat patrem desponsæ, qui sponsalibus consenserat, ad expensas, damna & interesse.

XXVII. Similiter si contingeret, pendente quæstione super validitate matrimonii, uxorem petere summam pecuniæ pro alimentatione, & sustinendis expensis litis, abusum futurum pronuntiant Pragmatici Galli, si Officialis super his pronuntiet; quemadmodum pluribus citatis testatur Fevretius *num.* 13.

XXVIII. Monet quoque ibidem Fevretius, quòd in Gallia soleret Ecclesiasticus judex judicare accessoriè de dote, alimentis, aliisque similibus; sed eodem Fevretio teste hæc doctrina tandem rejecta est, interdictumque Officialibus de his tanquam de rebus *meri facti* cognoscere, & quod & generaliter observari ait: *C' qui s' observe par tout pour le present, en telle sorte que la citation* IN CASU DOTIS ET ALIMENTORUM *decerné par l' Official seroit cassé comme abusive.* Id est: » Quod » ubique modo observatur: sic ut citatio IN CASU DOTIS, ET » ALIMENTORUM per Officialem decreta aboleretur, tanquam » ob abusum vitiosa. Ita videmus verissimum esse jurisdictionem » Ecclesiasticam per *frustra* tandem disrumpi, uti jam pridem » querebatur Durandus Episcopus Mimatensis.

XXIX. In Belgio sanè juxta sæpius citata Concordata modestiùs agitur cum judice Ecclesiastico, permittiturque judici Ecclesiastico cognoscere de *alimentis*, quæ per virum, aut mulierem peti contigerit pendente devortii causa, vel de tractamento alterius eorundem, si hæc coram eo incidant vel incidenter petantur, uti suprà *part.* 2. *tit.* 15. *cap.* 7. ostensum est; ubi unà notatum fuit, quando de dote, aut donatione propter nuptias judex Ecclesiasticus judicare queat juxta eadem Concordata; item *tit.* 12. *cap.* 2.

XXX. Quin inter causas Ecclesiasticas reputandæ sint causæ Beneficiorum Ecclesiasticorum, uti & decimarum, præsertim ad Ecclesiasticos spectantium, nec non juris funerandis & similium, nemo dubitet. (b) Unde in sæpe citatis Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *tit.* 3. *art.* 13. hæ omnes causæ causis merè Ecclesiasticis annumerantur, » de » quibus Judex Ecclesiasticus etiam contra laicos poterit cog-» noscere in petitorio.“

Causa jurispatronatus spiritualibus causis quoque accensetur Ita enim » conjuncta & connexa spiritualibus causis dicitur in » *cap.* 3. ℣ *de Judiciis*, quod non nisi Ecclesiastico judicio » valeat definiri. «

Verùm jus Patronatus laicis ratione feudi, aut alicujus rei patrimonialis competens, non spirituale, sed quodammodo profanum, saltem quoad competentiam judicis habetur.

Unde de hoc jure Patronatus in citatis Concordatis §. 14. dicitur: » De jure verò Patronatûs Principis suorum vasallo-» rum, & aliorum laicorum Juspatronatus ad causam feu-» dorum suorum, aut alterius rei immobilis habentium, quan-» do inter duos laicos quæstio erit, quis eorum sit patronus, » solus judex secularis cognoscet, sive super illis principaliter, » de se & per se, agatur, vel cum universitate. Si verò inter » duos vel plures præsentatos vel patronos laicos, quæstio fue-» rit coram judice Ecclesiastico de institutione suâ, quis eorum » præferri debeat, & inciderit quæstio juris Patronatus, de illâ » sic incidenti, in præjudicium partium litigantium, non au-» tem Patronorum absentium, judex Ecclesiasticus cognoscet, » & definiet. «

Verùm hodie rarò admodum de his causis, sive Beneficiorum, sive Decimarum vel juris Patronatûs coram judice Ecclesiastico agitur (c); quia quæstiones vel causæ hæ rarissimè in *pe-*

(z) *In Hispania ita servatur virtute L.* 5. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recopil. & Concordati inter Sanctam Sedem Regemque nostrum ann.* 1737. *celebrati*; *nam* in art. 12. *dicitur*: » Que la dispo-» sicion del Sagrado Concilio de Trento, concerniente á las » causas de primera instancia, se hará observar exâctamente: y » en quanto á las causas en grado de apelacion, que son mas » relevantes, como las Beneficiales... MATRIMONIALES, « *&c.*

(a) *Præter dicta in ante dicto Articulo Concordati*, *cautum est etiam in leg.* 59. *&* 62. *cap.* 2. *tit.* 4. *lib.* 2. *Act. Accord.* 6. *cap.* 4. *num* 1. *cap.* 21. *&* 22. *tit.* 8. *lib.* 1. *Act. Accord.* 4. *cap.* 14. *tit.* 1. *lib.* 4. *& Remission.* 8. *&* 18. *tit.* 8. *lib.* 1. *Recopil. ut exequatur sanctum Concilium Tridentinum, & ne impediatur Ordinariis causarum cognitio in prima instantia; denegata Conservatoribus alia cognitio, quàm injuriarum notoriarum Ecclesiis, Monasteriis personisque Ecclesiasticis illatarum ut ajunt*, *L.* 1. *&* 3. *tit.* 1. *& Actum Accord.* 4. *cap.* 14. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recop.*

(b) *&* (c) *Ita quoque in Hispania servari assserunt L.* 5. *tit.*

titorio aguntur ; sed duntaxat in possessorio , quod ex notoria praxi coram solis Regiis Consiliis agitari potest , ut infrà *capite* 4. ostendemus.

CAPUT II.

De Causis Testamentariis ; et quomodo ad Judicem Ecclesiasticum spectent.

1 *Apud Romanos summa fuit erga ultimas voluntates veneratio.*
2 *Solebant tabulas testamentarias Præfectis templorum confidere.*
3 *Imperatores Christiani executionem ultimarum voluntatum specialiter Episcopis demandârunt.*
4 *Christianis etiam usitatum fuit testamenta sua Episcopis consignare.*
5 *Hæc consuetudo videtur causas testamentarias ad judicem Ecclesiasticum transtulisse.*
6 *Jure Decretalium causæ testamentariæ sunt fori Ecclesiastici.*
7 *Ecclesiastici præscribebant solemnitates testamentarias reprobatis solemnitatibus à Jure civili inductis.*
8 *Solemnitas jure Canonico inducta ubique passim recepta.*
9 *Tempore Philippi Valesii quæsti sunt laici causas hæreditarias ad forum Ecclesiasticum trahi.*
10 *Ecclesiastici sustinebant eas de jure , & consuetudine ad suum forum spectare.*
11 *Seculo præterito cognitio causarum testamentariarum sensim ad judices seculares devolvi cœpit.*
12 *Vetita primùm fuit Notariis Ecclesiasticis testamenti confectio.*
13 *Hinc testamentorum cognitio ad judices Regios quomodo devoluta.*
14 *Tempore Joannis Galli causa testamentaria in Gallia erat adhuc* mixti *fori.*
15 *Hodie est solius fori secularis , sublatis contrariis locorum consuetudinibus.*
16 *Etiamsi agatur de testamento ad* pias *causas.*
17 *Principes Belgii in hoc articulo moderatiùs egerunt cum jurisdictione Ecclesiastica.*
18 *Causa testamentaria Principum Edictis declaratur pertinere ad judicem Ecclesiasticum.*
19 *In Concordatis Brabantiæ causa testamentaria habetur* mixti *fori.*
20 *Judex Ecclesiasticus super causa testamentaria aditus potest etiam de connexis , & emergentibus cognoscere.*
21 *Judex Ecclesiasticus in decisione harum causarum sequi tenetur ordinationes Principum , & locorum consuetudines.*
22 *Hoc juri conforme.*
23 *Quædam actiones , licèt oriantur ex testamento ,* soli *judici* laico *reservantur.*
24 *Quid de hac cognitione habeat Concordatum inter Episcopum Cameracensem , & magistratum Antuerpiensem.*
25 *Ex concordatis Hannoniæ testamenta Ecclesiasticorum spectant ad Ecclesiasticos , & laicorum ad laicos judices.*
26 *Concordata Brabantiæ dant potestatem judici Ecclesiastico supplendi negligentiam executorum.*
27 *Item absolvendi ab onere executionis.*
28 *Synodi Belgicæ supponunt causas testamentorum in* pias *causas , ad Episcopos spectare.*
29 *Idque etsi testator id interdixisset ; quod consonat juri communi.*
30 *Rectori , & Universitati Lovaniensi quæ sit auctoritas circa testamenta Supposititorum.*
31 *Synodus Cameracensis ostendit testamenta* Clericorum *speciali ratione ad Episcopi curam spectare.*
32 *Licèt non ubique causæ testamentariæ spectent ad forum Ecclesiasticum , Episcopi tamen curam piorum legatorum habere debent.*
33 *Id voluit Justinianus Imperator.*
34 *Synodi Belgicæ injungunt Parochis invigilare , ut pia legata solvantur , & piæ fundationes impleantur.*
35 *Meritò monent Pastores suos Parochianos , ut tempestivè condant salutare testamentum.*
36 *Parochi debent esse Parochianorum defunctorum quasi pii Procuratores , ut procurent executionem piæ eorum voluntatis.*
37 *Parochi executionem piorum legatorum urgentes cavere debent omnem avaritiæ speciem.*
38 *Executores sæpiùs suscitant infundatas lites super solutione piorum legatorum ex proprio interesse : & quod contra hos remedium.*

I. INter causas profanas , quæ jam pridem jurisdictioni Ecclesiasticæ subjectæ fuêre , una , eaque è præcipuis fuit causa testamentorum , cujus cognitio , & executio specialiter Ecclesiasticis competiisse videtur.

Legitur apud Romanos , summam fuisse erga ultimas defunctorum ordinationes venerationem ; habebantque ut sacrilegos , & falsarios , qui ultima hominum elogia ante eorum mortem aperirent , aut evulgarent. Is , qui aperuit vivi testamentum lege Corneliâ de falsis tenetur , ait Mornacius in *L. 2. §. 5. ff. ad legem Corneliam de falsis.*

II. Ut autem securiùs conservarentur , & fideliùs executioni mandarent , solebant tabulas testamentorum deponere in æde sacra , ipsisque Præfectis ædis sacræ eas confidere ; cujus moris meminit Ulpianus in *L. 3. §. 3. ff. de Tabulis exhibendis*, dicens: » Proinde & si custodiam tabularum *ædituus* , vel tabularius sus» cepit , dicendum est , eum teneri interdicto. «

Per ædituum hîc intelligi *ædituum templi* , monet Gothofredus *in notis , num.* 17. additque : » Solebant enim Veteres » testamenta templis , eorumque custodibus , ut & Vestalibus » commendare. « Plures ex antiquis, qui hujus moris testes sunt, ibidem citat Gothofredus.

III. Constat quoque Imperatores Christianos curam testamentorum specialiter Episcopis demandâsse , ac voluisse ; ut invigilarent , si suprema voluntas defuncti executioni mandaretur; uti videri potest *in leg.* 28. *Cod. de Episcopis & Clericis*, necnon Authentica eidem subjecta.

IV. Unde & Christianis usitatum fuit , Episcopis sua testamenta consignare , eisque executionis curam committere. Refert Amoinus *lib. 4. de Gestis Francorum , cap.* 30. Dagobertum Regem Galliæ voluisse testamenti sui quatuor exemplaria fieri, » è quibus unum Lugduni in Gallia , aliud Parisiis, » tertium Mettis in *archivis Ecclesiarum* dirigi voluit. «

V. Ex hac porrò consuetudine Fidelium consignandi tabulas testamentarias inter manus Sacerdotum , earumque executionem ipsis demandandi , verisimiliter fluxit , quòd testamentorum executio , & difficultatum super his exorientium discussio , & decisio ad Ecclesiasticos , quorum prudentiæ & religioni sua ultima elogia defuncti commiserant , transierit.

His accedebat , quòd nullum penè testamentum conficeretur , nisi Notarius aliquis Ecclesiasticus interveniret ; (d) à quo factum testamentum etiam aliquid Ecclesiastici mutuare videbatur , ratione cujus ad forum Ecclesiasticum spectare deberet.

VI. Quidquid sit , hoc equidem constat , vel è solis responsis , & resolutionibus Pontificum , præsertim Alexandri III. Innocentii III. & Gregorii IX. quæ sub titulo Decretalium *de Testamentis* referuntur , quæstiones & causas testamentarias, etiam planè civiles ac profanas , & laicales ad Pontifices & Episcopos fuisse relatas , ipsorumque decisiones super iis expetitas ; quemadmodum videre est in *cap.* 16. & 18. *de Testam.*

* Ea causarum testamentariarum jurisprudentia XII. seculo jam vigebat ; nec istud revocare in dubium nemini hodie licet. Constat enim quòd circa tempora Alexandri III. & Innocentii III. Romani Pontifices de omnibus causis indifferenter cognitionem susciperent ; ut mirum non sit , quòd legamus pleràsque controversias præsertim inter Ecclesiasticos , etiam in causis merè civilibus , puta, testamentariis , aliisque similibus ad Pontifices fuisse deductas , ut ab iis controversiarum decisionem acciperent.

Quorum responsa , & resolutiones , postquam inter Decretales Gregorii IX. relata fuerunt , ea pro jure communi passim à Canonistis reputari cœperunt: creditumque causas illas conformiter ad responsa Pontificum in Decretalibus hisce contenta esse judicandas , & ad Ecclesiastica Tribunalia referendas.

Quapropter in antiquis Canonibus , aut Conciliis nihil de testamentorum solemnitate , aut validitate legitur ; utpote nondum Episcopis , aut Pontificibus inciderat , sibi esse jus aut auctoritatem super testamentis , eorumque solemnitatibus quidquam ordinandi : sed hæc omnia ex Principum ordinationibus , & legibus dependere non dubitabant.

XII. Seculo XII. tanta erat in causis testamentariis auctoritas Ecclesiæ , ut Alexander III. rescribens Hostiensi Episcopo *in ex Remis.* 14. *tit.* 1. *lib.* 4. *cum lege* 2. *cap.* 4. *& 25. tit.* 2. *lib.* 9. *Recopil.*

(d) *In Hispania per dispositionem leg.* 8. *prope finem, tit.* 3. *lib.* 1. *leg.* 9. *tit.* 1. *leg.* 19. *&* 49. *cap.* 5. *tit.* 25. *lib.* 4. *& Remission.* 1. *ejusd. tit. & libr. Recopilationis , nullum instrumentum , in causis temporalibus inter laicos & coram Notariis Apostolicis factum , validum est.*

tit. 1. *lib.* 4. *Recop. ibi* : Beneficiales , Decimales , & *Articulas* 12. *antea dicti Concordati, verbo etiam* Beneficiales Decimales : *Exceptis illis Beneficiis , quæ ad Regium spectant Patronatum , quorum cognitio ad Supremum Cameræ Senatum privatè pertinet per Act. Acord.* 4. 5. 7. & 15. *tit.* 6. *lib.* 1. & *Remiss.* 4. & 5. *ejusd. tit. & libr. & illis Decimis , quæ vulgò* TERCIAS *vocantur , quia ut Regiæ Coronæ incorporatæ , de his cognoscit Regius Senatus , vulgò* de Hacienda , *ut constat*

in cap. 10. ✠ *eod.* reprobatâ solemnitate juris civilis de adhibendis *septem* testibus, » testamenta, quæ Parochiani coram » Presbytero suo, & tribus, vel duabus aliis personis idoneis » in extrema fecerint voluntate, firma decrevit permanere sub » anathematis interminatione; prohibentes (ait) ne quis hujus- » modi audeat rescindere testamenta (e). «

VIII. Quòd autem passim hæc Ecclesiæ auctoritas circa has causas agnita, & recepta fuerit, vel hinc elucet, quòd contra juris Civilis dispositionem, hæc Pontificis decisio, & præscripta forma testamentaria ubique penè recepta & probata fuerit.

IX. Inter articulos nomine Baronum, & Nobilium Regni Galliæ coram Philippo Valesio per Petrum Cugnerium contra Prælatos ejusdem Regni propositos erant hi 64. & 65. » Item » volunt (judices Ecclesiastici) inventaria facere de bonis illo- » rum, qui ab intestato decedunt; voluntque bonorum tam » mobilium quàm immobilium possessionem habere, & ipsa » per manus eorum distribui hæredibus, vel illis, quibus vo- » lunt conferre. Item testamenta quoque volunt per manus suas » executioni tradere; inventaria facere bonorum defuncto- » rum, eademque servare, & hæredibus distribuere; & » habent officiales, qui super his exequendis duntaxat deputa- » ti existunt. «

X. Hæc à Petro Cugnerio asserta, Prælati non negabant; sed sustinebant illa ad judices Ecclesiasticos tum de jure, tum de consuetudine spectare. Responsum enim Bertrandi Episcopi Eduensis erat: » Ad 64. & 65. qui loquuntur de executoribus, » & inventariis bonorum testatoris, & intestatoris dicit, quòd » tam de jure scripto, quàm de consuetudine speciali Prælati » sunt executores legitimi testamentorum; unde si executio ve- » nerit ad Prælatum, nulli facit injuriam, bona inter hæredes » distribuendo, & de eis inventaria faciendo. Et hoc idem di- » cit de bonis intestatorum, maximè in locis, ubi sic de con- » suetudine extitit observatum à tanto tempore, quòd in con- » trarium memoria non existit (f). «

XI. Agnoscit ipse Carolus Fevretius *de Abusu*, *lib.* 4. *cap.* 7. *num.* 3. quòd in Burgundia judices Ecclesiastici cognoverint de publicatione, & executione testamentorum usque ad annum 1508. primumque cœperint post Ordinationem Francisci I. de anno 1539. judices Regii de hac testamentorum publicatione. judicare. (g)

Additque Fevretius, quòd & *pedetentim* pro temporis, & casuum occurrentium opportunitate hæc cognitio judicibus Ecclesiasticis adimi cœpta sit.

XII. Primò quidem adempta fuit Notariis Ecclesiasticis auctoritas conficiendi testamenta, eò quòd confectio testamenti videretur negotium merè seculare, ac temporalitatem respiciens, ac ideò secularis cognitionis; uti ex stylo Parlamenti refert Fevretius ibidem *num.* 4. Et quidem interdicta fuit Notariis Ecclesiasticis testamenti confectio: abrogatis specialibus locorum consuetudinibus, quæ testamenta coram Notariis Ecclesiasticis facta probabant.

XIII. Hac factâ inhibitione, necesse erat in confectione testamentorum adhibere Notarios Regios, qui ex solito stylo apponebant clausulam submissionis (h) judicibus Regiis: qua mediante submissione, & appositione sigilli Regii testamenta inter casus Regios relata censebantur, ut notat Choppinus *de Domanio Regio*, *lib.* 2. *tit.* 7. *num.* 6.

XIV. Verùm tametsi testamenta coram Notariis Regiis confecta, essent cognitionis Regiæ, tamen adhuc exclusi non erant judices Ecclesiastici, sed præventioni locus erat; poterantque executores executionem voluntariè submittere Curiæ Ecclesiasticæ, ut de suo tempore testatur Joannes Galli, celebris & antiquus Juris consultus *quæst.* 26. dicens: » Item au- » divi dici à Domino Arnoldo primo Præsidente in Parlamento, » quòd licèt Episcopus Parisiensis faceret coram Curia sua spi- » rituali adjornare executores alicujus defuncti, per hoc non » acquireret præventionem contra Regem, quia executores » possent, hoc non obstante, subjicere executionem Curiæ » Regiæ temporali intra annum à tempore mortis testantis, licèt » secùs si voluntariè submitterent executionem Curiæ spirituali. «

XV. Verùm & hanc preventionem paulatim in Gallia amisit Ecclesiasticus judex; & cognitio de testamentis, quæ erat etiam ex præscripto variarum consuetudinum *mixti fori*, facta tandem est cognitionis *merè secularis*; idque sive testamentum fuerit laici, sive Sacerdotis, sive testatores subjecissent executionem Curiæ spirituali voluntariè, sive non; uti pluribus tandem Arrestis probatum declaratum testatur Broudæus in notis ad Louetium *Litt. N. num.* 5. quamvis ex notis Mornacii ad *L.* 28. *Cod. de Episcopis*, *& Clericis* pateat, quòd non ita pridem adhuc in vigore essent consuetudines Provinciarum, permittentes cognitionem de causis testamentariis judicibus Ecclesiasticis, saltem per præventionem. Dicit enim Mornacius, quòd hodie soli Regii judices de hujusmodi controversiis cognoscant; addidit tamen hanc clausulam; *Nisi aliter præscripti Provinciarum mores statuant*, *ut apud Meldas & Tricassinos*, *&c.*

Videri etiam potest Michael Roussellius *lib.* 4. *de Hist. Jurisd. Pontif. cap.* 4. *num.* 20. ubi notat, hodie generaliter controversias ex testamentis quibuscunque etiam Ecclesiasticorum, & inter Ecclesiasticos pendere à tribunali seculari; licèt esset etiam successio Ecclesiastici ut Ecclesiastici. (i)

Ita videmus magis magisque jurisdictionem secularem extendi, & Ecclesiasticam restringi.

XVI. Quin etsi ageretur de testamento ad *pias causas*, etiam Clerici, nihilominus quæstionem agitandam fore coram judice seculari, Parlamenta Regia determinâsse videntur; uti indicat Broudæus loco allegato sub finem. Citatis enim *cap.* 6. 17. & 19. ✠ *de Testamentis*, aliisque nonnullis Juris textibus, qui executionem, & cognitionem testamentorum, signanter quoad legata, & dispositiones ad *pias causas*, Episcopis deferunt, asserit hæc in Gallia non observari; quòd adeò verùm est (ait) ut si agatur de legato *pio*, prosecutio fieri soleat per procuratorem *Regium* coram Curia Regia; ita ut Episcopus se immiscere nequeat; additque opiniones eorum, qui causas has sustinebant, esse vel *Ecclesiastici*, aut saltem *mixti* fori, non recipi in Francia, nec unquam recipiendas, utpote, jam dudum per contraria Arresta abrogatas.

XVII. Sanè Principes Belgii moderatiores hactenus fuêre in restringenda jurisdictione Ecclesiastica quoad testamenta, eorumque executiones, & quæstiones super eorum validitate exorientes.

Constat enim causas testamentarias jurisdictioni Ecclesiasticæ hîc in Belgio non esse subtractas: imò sæpiùs etiam in Litteris Principum declaratum, de iis judices Ecclesiasticos cognoscere posse.

XVIII. Extat part. 1. Edict. Brabantiæ *lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 1. privilegium Philippi Boni de 3. Juanarii 1447. quo conceditur pro privilegio incolis Brabantiæ, quòd coram judice Ecclesiastico citari nequeant, nisi ex causa *testamentorum*, contractuum antenuptialium, & bonorum amortizatorum, datâ facultate Ecclesiasticis judicibus, sententias suas in his causis data per mandata, & inhibitiones exequendi. Verba sunt: *Dat sy in diem sacken hun metten de geestelycke gherichte souden moghen behelpeu*; *ende dan uyt bringen ende doen exequeren in onsen voorschreven Lande die monitien ende andere ghehoden daer toe dienende*, *ghelyck in voorledene tyden ende van oudts heeft plegen te ghescienden.* Id est: » Quòd in his causis Ec- » clesiastico Jure protegere se possint, & proferre & curare, » ut executioni mandentur monitiones; aliaque rescripta ad id » spectantia in dictis nostris Provinciis, prout antiqua olim con- » suetudo obtinuit. «

Rursus in additione 2. ad lætum introitum Caroli V. de anno 1515. *art.* 3. permittitur judicibus Ecclesiasticis cognitio de tribus prædictis causis.

XIX. Verùm cùm tantùm dicatur, judicem Ecclesiasticum cognoscere posse de his *tribus* causis, non excludendo ab earum cognitione judicem secularem, sustinuerunt judices Regii, causas illas esse *mixti* fori; atque in eam sententiam tandem itum est per Concordata inter Episcopum Leodiensem, & Carolum V.

In his Concordatis *tit.* 1. *art.* 1. conventum est, » quòd » causæ testamentariæ in Ducatu Brabantiæ sub Diœcesi Leo- » diensi censebuntur esse *mixti* fori, eritque *præventioni* locus, » ita & taliter, quòd judex primò aditus, sive Ecclesiasticus, » sive secularis, de illis unà cum incidentibus, emergentibus, » annexis, & connexis cognoscet, & decidet, & hoc quan- » do agitur actione personali. «

Dein-

(e) *Hæc doctrina utpotè contraria legibus* 1. *&* 2. *tit.* 4. *lib.* 1. *Recop. in Hispania non servatur.*

(f) *In Hispania nullus Judex*, *sive Ecclesiasticus aut secularis*, *in bonis Intestatoris*, *aut de his inventarium facere se intromittere potest*; *secularis verò coercere tamen potest hæredes*, *ut funus*, *exequias*, *funeralia*, *aliaque suffragia adimpleant*, *ut præceptum est in lege* 10. *verb.* nuestras Justicias les compelan, *& leg.* 16. *verb.* por sus propios Jueces, *tit.* 4. *lib.* 5. *Recop.*

(g) *Publicatio Testamentorum in Hispania*, *etiam illius*, *in quo Clericus à laico hæres institutus est*, *ante secularem Judicem facienda est*, *leg.* 14. *&* 15. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recop.*

(h) *Laicis in Hispania actus submissionis Judici Ecclesiastico est prohibitus per leg.* 9. 10. *&* 11. *tit.* 1. *leg.* 20. *prope finem*, *tit.* 21. *leg.* 23. *& Remiss.* 10. *tit.* 25. *lib.* 4. *Remissionemque* 4. *tit.* 8. *lib.* 1. *Recop.*

(i) *Cùm in Hispania Clericos in ordinibus majoribus constitutos ad suum Tribunal attrahere non possint Judices seculares*, *leg.* 5. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop. consequens etiam videtur*, *quòd Clerici*, *ut Clerici*, *in suis testamentis à potestate*, *seu judicio seculari non dependere.*

XX. Deinde §. 2. subditur : » Videlicet si judex Ecclesias-» ticus primò, & principaliter adeatur in causa testamentaria, » vel dotali, poterit coram eo libellari, & concludi ad validi-» tatem, vel invaliditatem testamenti, vel contractus dotalis, seu » antenuptialis, & cognoscet de hujusmodi causa testamenta-» ria, vel dotali, & de viribus, & non viribus testamenti, con-» tractus dotalis antenuptialis, & de iis, quæ incidunt, & » emergunt, vel necessario sequuntur, & sine quibus causæ » hujusmodi expediri non possunt; & poterit sententiam » suam per censuras exequi, vel per judicis secularis requisi-» tionem.«

Idem permittitur judici seculari §. 3. » etiamsi quæstio vi-» rium, vel non virium (testamenti) inciderit in alia causa co-» ram eo attentata.«

XXI. Additur & eodem articulo 3. quòd judex Ecclesiasticus in decissione hujusmodi causarum teneatur se conformare Ordinationibus Principum, & consuetudinibus locorum. (k) „Salvo, » quòd in prædictis causis Judex Ecclesiasticus non poterit judi-» cando contravenire ordinationibus, & constitutionibus Du-» cum Brabantiæ, nec statutis, consuetudinibus, vel privilegiis » locorum, hactenus editis & observatis, seu imposterum eden-» dis, & huic concordiæ non præjudicantibus; alioquin Prin-» ceps poterit providere. «

XXII. Et sanè cùm agatur de causa *civili* inter personas laicas, quæque non mero jure ad forum Ecclesiasticum spectat, sed quàdam tantùm præscriptione & consuetudine, non est in congruum, ut in his civilia jura observentur, ut notat Zypæus *de Foro comp. num.* 6.

XXIII. Insuper §. 4. declaratur, quòd » nec poterit ju-» dex Ecclesiasticus cognoscere de feudis, aut de dominiis juris-» dictionem habentibus, nec de actionibus realibus ex testamen-» to ortum sumentibus.«

XXIV. In Concordatis inter Magistratum Antuerpiensem, & Episcopum Cameracensem (cui Antuerpia tunc erat subjecta) causa testamentaria remittitur ad Episcopum, ut habetur in Concordato de 9. Septembris 1490. parte 1. Edict. Brabantiæ *lib.* 8. *tit.* 1. *cap.* 6. notatque Zypæus, ex hoc Concordato causas testamentarias judici Ecclesiastico *privativè* reservari, nec esse preventioni locum; & ita anno 1503. judicâsse Senatum Brabantiæ ibidem refert.

Quinimò credit Zypæus, quòd videatur Episcopus Cameracensis eodem jure usus, quâ se Diœcesis Cameracensis extendit in Brabantiam: quod & Præses Everardus *cons.* 136. indicâsse apparet, uti ex ejus verbis à Zypæo ibidem relatis colligitur.

XXV. In Concordatis inter judices Ecclesiasticos, & Seculares Hannoniæ de 12. Jan. 1483. *art.* 8. causæ testamentorum Ecclesiasticorum deferuntur privativè judici Ecclesiastico; laicorum verò judici seculari. *Quant aut fait de toux testaments, codicilles, & derniers volontez des Prestes, Cures, & gens d' Eglise beneficiers & Officiers portans habits d' Eglise, & Cleres de Paroisses tonsurez, puissant & habils de ce faire faicts & passes pardevant Notaires, ou tesmoins ou par autre forme, selon l' ordonance de l' Eglise, la cognoisance sera & appartiendra à la Justice spirituelle* SEULEMENT, *& auront iceux testaments, codicilles & derniere volontez plaine execution audit pays d' Haynault, sans perjudice toutefois de ceus qui seront exempts de la jurisdiction de mondit Signeur de Cambray, qui demeureront pardevant leurs juges; & d' autres testaments la cognoissance en demeurera à la justice temporelle, comme il est accoutumè.* Id est: » Quod ad causam quo-» rumvis Testamentorum, Codicillorum, & ultimarum Vo-» luntatum, Presbyterorum, Parochorum & personarum Ec-» clesiasticarum, Beneficiatorum, & Ministrorum gestantium » habitum Ecclesiasticum & Clericorum Parochialium tonsurâ » insignitorum, capacium & idoneorum similia condendi, acta-» que fuerint coram Notariis, aut testibus, aut alio modo juxta » leges Ecclesiæ, cognitio ad SOLUM Judicem Ecclesiasticum » spectabit; dictaque testamenta, Codicilli, & ultimæ Vo-» luntates integrè executioni mandabuntur in dicta Hannoniæ » Provincia, salvo tamen eorum jure, qui erunt Jurisdictione » dicti Domini Archiepiscopi Cameracensis exempti, qui coram » suis Judicibus se sistent; aliorumque Testamentorum cognitio » ad secularia tribunalia, ut moris est, competet. «

Ex his manifestum est, in causis testamentariis plus in Belgio, quàm in Gallia judici Ecclesiastico atribui: quamvis & illud constet, non in omnibus Belgii Provinciis, aut locis eandem in hac re consuetudinem, aut legem esse.

Hoc quoque fatendum est, quòd ubi præventionibus locus est, soleat magis ad secularia, quàm ad Ecclesiastica tribunalia recurri; cujus ratio infra capite ultimo exponetur.

XXVI. Non tantùm de validitate, aut invaliditate cognoscendi auctoritatem tribuunt judici Ecclesiastico Concordata Brabantiæ, sed & supplendi negligentiam Executorum. » Si autem » (inquiunt) executores piorum legatorum fuerint reperti negli-» gentes & culpabiles; poterunt secundum casus exigentiam per » Judicem Ecclesiasticum puniri, & eorum negligentiæ sup-» pleri. «

XXVII. Insuper dant potestatem judicii Ecclesiastico, absolvendi Executores ab onere executionis, citandique omnes interesse habentes; qui tamen si *laici* sint, inviti comparare non tenebuntur. Verba sunt: » Et si dicti executores coram judice » Ecclesiastico ab onere executionis dictorum piorum legatorum » absolvi se petant, poterunt quoad illum effectum duntaxat ab » eo citatione impetrare, vigore cujus nominatim vocentur om-» nes, quibus legata pia relicta fuerunt, & in genere omnes alii » sua communiter, vel divisim interesse putantes. Cujus tamen » occasione laici coram Ecclesiastico judice comparare non te-» nebuntur, nisi velint; valebitque citatio ad effectum absolutio-» nis legatorum piorum duntaxat. «

XXVIII. Synodi nostræ Belgicæ supponunt, executionem testamentorum præsertim in *pias* causas ad Episcopos spectare, Synodus Namurcensis sub Habetio anno 1570. titulo *de Testamentis*, *cap.* 1. postquam dixit, non esse ferendum abusum, qui passim cernitur circa testamentorum executionem, quo sæpè numero fit, ut defunctorum extrema voluntas suum non sortiatur effectum, & quæ in *pios usus* erant insumenda, in alios contra fas & æquum expendantur, » præcipit, ut qui à deces-» suro nominati sunt executores, si onus suscipere velint, an-» te omnia curent defuncti bona describi præsentibus fidedig-» nis testibus, quæ ubi erunt descripta unà cum testamento, in-» fra mensem à morte testatoris, ad nostri fori judicem deferant; » per quem in dubiis, si quæ oriantur, Executores instruantur, » & si in muneris suscepti functione fuerint negligentes, cor-» rigentur.«

XXIX. Similia passim in aliis Synodis leguntur: additque Synodus Buscoducensis sub Masio *tit.* 23. *cap.* 2. in omnibus *piis* voluntatibus esse per locorum Ordinarios providendum, ut secundum defuncti desideria omnia fideliter fiant, *licèt etiam à testatoribus contingeret interdici.* Quæ clausula desumpta est ex *cap.* 17. ✠ *de Testamentis.*

XXX. Auctoritatem super executione testamentorum Rectori & Universitati nostræ Lovaniensi competere, Universitatis Statuta & notoria praxis supponunt.

In his enim Statutis titulo *De Piis Legatis* legitur: » Exe-» cutores ultimarum voluntatum Suppositorum decedentium, » statim post mortem defuncti Suppositi, cujuscunque etiam con-» ditionis fuerit, testamenta hujusmodi Domino Rectori præ-» sente Notario Universitatis exhibeant, quam exhibitionem » Rector, & Notarius gratis admittant.

» Executores anno suæ Administrationis finito computum & » rationem hujusmodi Piorum legatorum, & suæ administra-» tionis coram Rectore, & Ordinariis Deputatis reddant. Ad » hujusmodi computum fieri videndum, omnes & singuli Cre-» ditores, hæredes, legatarii, & successores, ac jus & actionem » in bonis Testatoris habentes per edictum publicum in valvis Ec-» clesiæ Collegiatæ S. Petri Lovaniensis proponendum, vo-» centur.«

XXXI. Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 22. *cap.* 16. ostendit, ad Ordinarium sive judicem Ecclesiasticum speciali ratione spectare executionem ultimarum voluntatum *ipsorum Clericorum*; (l) decrevitque à sua Majestate Regia postulandum, ut judices laici » nullam moveant difficultatem in hac execu-» tione; sed penes Episcopos, seu alios judices Ecclesiasticos » sit libera facultas cogendi executores dictorum testamentorum, » etiam laicos, ad reddendum suos computus, & pia legata, » aut fundationes executioni demandandum.«

Hæc conformia videntur Concordatis inter Episcopum Cameracensem, & Magistratus Hannoniæ suprà relatis

XXXII. Licèt non ubique hæc auctoritas juridicè cogendi executores testamentorum, aut ipsos ab onere executionis absolvendi, quantumvis etiam sint testamenta ad *pias causas*, competat Episcopis; nihilominùs nemo dubitat, quin saltem ipsis incumbat pro paterna sua solicitudine invigilare, ut defunctorum pia voluntas observetur; ipsaque pia legata suo tempore solvantur, & secundum voluntatem defunctorum impendantur.

XXXIII. Ita & Justinianus in *L.* 46. *C. de Episcopis*, vult ut

ab intestato decesserit; si alii hæredes, quàm in Hispania aliove Regno non sint; tunc ipsius bonorum collectio & custodia ad Tribunal, quod vulgò de bienes de difuntos *vocatur, privativè pertinent, sive Clericorum (dummodo hæres laicus sit) aut laicorum, adeò ut Prælatus Ecclesiasticus neutiquam se intromittere possit, ut ait L.* 8. *tit* 32. *lib.* 2. *Recop. Indiar.*

(k) *Legum civilium observantiam omnibus obligare perquàm manifestum est ex lege* 1. *tit. lib.* 2. *Recop. ibi*: Es la ley comun asi para Varones, como para Mugeres de qualquier edad y estado que sean.

(l) *Notandum est, in Hispanicis Dominiis Indicis generaliter ordinatum esse, ut quicunque in illis ex testamento, aut*

ut Episcopi curam piorum legatorum habeant, atque negligentes hæredes, & executores urgeant adimplere; sed si ipsorum mandatis non obediant, ipsique consequenter hæredes juridicè cogendi sint, vult ut per judices Provinciarum cogantur: *Clarissimis Præsidibus Provinciarum necessitatem imponentibus hæredibus ea perficere.*

XXXIV. Undè etiam Synodi nostræ, non tantùm Episcopis, sed & Parochis præcipiunt, ut » piorum legatorum diligen- » tem curam habeant, & seriis monitionibus satagant, ut ante fi- » nem anni piis Fundatorum voluntatibus satisfiat; alioquin ii, » quibus hoc onus incumbit, Ordinario denuntientur. « (m) Ita Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 17. *cap.* 9.

XXXV. Synodus Audomarensis anno 1583. *tit.* 24. *cap.* 1. vult, ut imprimis » Pastores moneant parochianos suos, ut tem- » pestivè testamentum condant salutare, atque ita disponant tem- » pori, domui, rebusque suis, ut in morte dispositum esse de- » siderent; ne opus sit, animum tum anxiè his occupari, cùm » ea relinquenda sunt.“

XXXVI. Deinde addit: » Ubi illi vitam cum morte muta- » verint, sint eorum veluti procuratores, tum ut animabus eo- » rum, subsidio fortassis egentibus, sacrificiis, precibus, ele- » emosynis, cæterisque charitatis officiis succurratur, tùm etiam » ut piæ eorum, quas ultimò testati sunt, voluntates, ac tes- » tamentariæ constitutiones, executioni, ita ut oportet, man- » dentur. Perquirant itaque quid condiderint piorum legatorum; » quod ubi intellexerint, observent, justis exequiarum ritè pe- » ractis, an hæredes & testamenti executores id adimpleant; & » si tardi illi, aut negligentes fuerint, moneant eos, nostra etiam » auctoritate, si opus est. Quòd si anno à morte testatoris evo- » luto, (n) refractarii difficilesque perseverent, Nobis, aut Vi- » cariis nostris, vel Procuratori animarum à nobis designato, » absque ulteriori dissimulatione illos denuntient.“

XXXVII. Executionem hanc securiùs urgere poterunt Pastores, si nihil sit, quod directè, aut indirectè in proprium ipsorum emolumentum cedere queat; aliàs prudenter, & circumspectè procedere debent, ne hîc avaritiæ, aut cupiditatis suspicionem incurrant. Hinc & monet Synodus Namurcensis anni 1639. *tit.* 15. *cap.* 3. » Caveant seriò Pastores, ne à mo- » ribundis aliquid sibi testamento legari petant. (o)“

XXXVIII. Valde quoque notandum, quod observat citata Synodus Namurcensis sub Havetio, multos, ne voluntati testatoriis satisfaciant, tergiversari, qui certa, & manifesta controvertentes, iniquos processus temerè suscipiunt, non suo, sed eorum periculo, quibus bona testamento sunt relicta. » Id ne » quis (ait) posthac faciat, statuimus, ut si Executores absque » justa & evidenti causa litem instituant, & per judicis senten- » tiam in expensas condemnentur, eas de *suis*, non testatoris » bonis refundere cogantur.“ Hæc si à judicibus observarentur, quàm multæ lites infundatæ & temerariæ, quibus sæpè piæ fundationes exhauriuntur, non susciperentur; ad quas suscipiendas procliviores sunt executores, quia nihil damni sibi ex iis metuunt, & notabile emolumentum ex vacationibus, & labore in earum prosecutione impendendis sperant.

CAPUT III.

De aliis Causis profanis ad specialem Episcoporum curam spectantibus.

1 *Bona verè Ecclesiastica à laica jurisdictione quomodo exempta.*
2 *Jure communi causæ super bonis Ecclesiasticis spectant ad judicem Ecclesiasticum.*
3 *Illud & in Principum nostrorum Edictis expressum quoad bona* amortizata.
4 *Quæ ad hunc effectum censenda sint amortizata.*
5 *Quare hodie bona Ecclesiæ præsumantur* amortizata.
6 *Vi Concordatorum Brabantiæ Officialis cognoscere potest de bonis amortizatis; modò priùs ipsi constet esse amortizata.*
7 *Quæstio, an sint* amortizata, *ad judicem Regium spectat.*
8 *Quis de servitute super bonis amortizatis cognoscat.*
9 *An laicus actione personali occasione bonorum amortizatorum coram judice Ecclesiastico conveniri queat.*
10 *Quare hodie rarò causæ super bonis amortizatis coram judice Ecclesiastico tractentur.*
11 *Quid de causis super* rebus mobilibus *Clericorum.*
12 *Arrestum per judicem* secularem *injici non potest pensioni Ecclesiasticæ reservatæ alicui Pastori.*
13 *Posset tamen judex secularis inhibere colono alicujus Clerici, nec mercedem solveret.*
14 *Quomodo de dote in Belgio cognoscat judex Ecclesiasticus remissivè.*
15 *Declarârunt Principes Belgii, Judices Ecclesiasticos tantùm de* tribus *causis scilicet* testamentorum, dotis, & *bonorum* amortizatorum *cognoscere posse.*
16 *Hæc restrictio respicit tantùm causas* profanas.
17 *In aliis causis profanis si* laicus *citetur, citatio per Senatum Regium cassatur.*
18 *Nec per laicum in aliis causis jurisdictio Ecclesiastica hodie prorogari potest.*
19 *An laicus ex contractu conveniri queat coram judice Ecclesiastico ratione interpositi juramenti.*
20 *Causæ viduarum, & miserabilium personarum hodie non sunt fori Ecclesiastici.*
21 *Hujusmodi personæ sunt sub* speciali *protectione Regis.*
22 *Possunt suos creditores vocare coram Senatu Regio in prima instantia.*
23 *Aliquando judicatum, famulum ratione sui salarii posse convenire Clericum actione personali coram Senatu Regio; & quare.*
24 *Licèt causæ miserabilium personarum non sint hodie fori Ecclesiastici, curam tamen illarum personarum habere debent Episcopi.*
25 *Monitum de hac re S. Caroli ad Episcopos.*
26 *Hoc sensu verificari potest responsum Prælatorum Galliæ ad articulos Petri Cugnerii.*
27 *Interdum Episcopi apud judices, aut etiam Principem instare debent, ut* miserabilibus *personis justitia administretur.*
28 *De jure communi, ex communi Canonistarum opinione judex Ecclesiasticus supplere potest negligentiam Judicis secularis non administrantis justitiam.*
29 *Hæc opinio hodie non admittitur.*

I. Res Ecclesiæ esse exemptas à potestate laicorum, nec eas à laicis gravari posse suprà *part.* 2. *tit.* 35. *cap.* 2. vidimus, ubi unà notavimus, non omnia bona ad Ecclesiasticos spectantia, hodie censeri bona Ecclesiastica, saltem eatenus, ut immunitate bonis Ecclesiasticis indultâ gaudeant; sed ea tantùm, quæ amortizata sunt, aut ut talia tempore præscripto ab Ecclesia possessa fuerunt. De hac amortizatione vide suprà *part.* 1. *tit.* 29. *cap.* 3.

II. Porrò sicuti Ecclesiastici sive Clerici *fori* privilegio gaudent; ita quoque bona *verè Ecclesiastica*, qualia hodie sunt bona *amortizata*, à jurisdictione seculari inspecto jure communi (p) exempta esse, unanimi consensu docent Canonistæ; quod & in Belgio etiamnum hodie ferè obtinet.

* Certum tamen est, bona temporalia Clericorum prioribus seculis X. jurisdictioni Laicorum plenè fuisse subjecta, nec nisi circa seculum XI. & sequentia de similibus bonis tanquam Clericorum propriis Judices Ecclesiasticos cœpisse cognoscere, ac tandem adnitentibus præsertim Romanis Pontificibus hæc bona non secùs atque ipsos Clericos, à Laicorum jurisdictione fuisse substracta: horumque posteriorum Pontificum responsis in Decretales Gregorii IX. relatis innitentes Decretalium Commentatores concluserunt, hæc bona non secus, ac ipsos Clericos fori privilegio gaudere.

Quâ Canonistarum opinione sensim receptâ, generaliter Judices Ecclesiastici, quæstiones super iis exorientes, ad suum Tribunal trahere cœperunt. Imò hæc bona non secùs ac ipsi Clerici, & Ecclesiæ à jurisdictione Laicorum exempta prætendebantur.

Cùm autem huic Judicum Ecclesiasticorum prætensioni faveret jus Decretalium, quod pro *jure communi* tandem erat receptum, necnon communis opinio huic juri innixa, non mirum quòd Principes quæstiones super his bonis exorientes Judicibus Ecclesiasticis sub certis limitationibus reliquerint.

III. In litteris Philippi Boni de 3. Januarii 1447. expressè declaratur, quòd causæ de bonis armortizatis spectent ad judicem Ecclesiasticum; ita ut in hujusmodi causa laicus conveniri queat coram Ecclesiastico judice: *Van geestelycke ende amortizeerden goeden.* Quod & expressum est in additione 2. ad Lætum Introitum Caroli V. de anno 1515. *art.* 3. Extat parte 1. Edict. Brab. *lib.* 2. *tit.* 1. *cap.* 17.

IV. Cùm verò variæ quæstiones inter Ecclesiasticum & laicalem judicem occasione harum causarum moverentur, tandem pluribus articulis hæc materia in Concordatis inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem exposita fuit.

Imprimis *tit.* 3. *art.* 1. declaratur, quòd » illa bona tantùm » censeri debeant *amortizata*, quæ à jurisdictione seculari per Prin-

(m) *Huic doctrinæ conformis est, quæ quoad Hispania Regna traditur in L.* 5. *cap. penult. tit.* 2. *lib.* 5. & *Remiss.* 25. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopil.*

(n) *Vide leg.* 10. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recopil. ubi idem stabilitum est.*

(o) *Non solùm Pastores, sed etiam quemcumque Confessorem hæredes institui, prohibitum est per Actum Acordatum.* 3. *tit.* 10. *lib.* 5. *Recopil.*

(p) *Eo loci per* jus commune *intelligitur Gregorii IX.* Decretalium jus.

» Principem sunt exempta, litteris desuper ritè expeditis, vel » quæ à 70. aut 80. annis tanquam amortizata per Ecclesiam » possessa fuerunt.

V. » Verùm enim verò (ait Zypæus *De Foro Comp. nu-* » *mer.* 21.) impræsentiarum non est valde laborandum de hu- » jusmodi amortizatione, cùm omnia ferè bona Ecclesiasticorum » ab annis nunc 70. ut amortizata possideantur; quoad Colle- » gia antiquiora, quæ his calamitosis temporibus passim ob pu- » blicas collectas reales, & personales, à quibus saltem in Bra- » bantia vix eximuntur, magis decreverint, quàm res suas au- » xerint, pleraque insignia prædia, aliaque ob hæc onera dis- » traxerint."

VI. Præmissâ descriptione bonorum amortizatorum subdi- tur in Concordatis *art.* 2. » Officialis cognoscet de proprieta- » te bonorum amortizatorum, ut suprà etiam contra *laicum*."

Sed ne sub prætextu amortizationis laici in aliis causis ad tribunal Ecclesiasticum citentur, additur hæc cautio: „Sed prius- » quam citatio decernatur, debebit eidem (Officiali) de amor- » tizatione prædicta constare, per litterarum amortizationis ins- » pectionem, vel copiam authenticam, vel de possessione per » tempora, in citatorio exprimendo modum, per quem eidem » de hujusmodi amortizatione constiterit."

VII. » Factâ autem hoc modo citatione, die sequenti, reus » laicus (pergunt Concordata) ante litis contestationem amorti- » zationem prædictam verbo, vel scripto poterit impugnare, » cum causarum suarum allegatione, & resignatione.

» Et si super eadem impugnatione incidens quæstio emerse- » rit (inquiunt Concordata) illa ad Consilium Brabantiæ deci- » denda remittetur, cum præfixione termini unius anni, intra » quem quæstio illa veniet terminanda; alioqui Officialis ad cau- » sæ principalis expeditionem procedere poterit, perindè ac si » quæstio illa non incidisset."

VIII. Hæc de causis, quæ ipsam bonorum amortizatorum proprietatem tangunt; si autem agatur de servitute, sive in urba- nis prædiis, vel rusticis ex quocunque jure prætendatur, cog- nitio non spectabit ad Officialem, » nisi quando ambo fundi » tam dominans, quàm serviens amortizati fuerint;" uti de- claratur *art.* 4.

Et *art.* 5. » De terminis, & limitibus ponendis, vel amo- » vendis judex Ecclesiasticus non cognoscet, sed secularis » solus" (q)

IX. Hactenus de actionibus realibus ratione bonorum amor- tizatorum, vel servitutibus illis bonis inhærentibus. » Si autem » laicus actione *personali ex contractu* per Ecclesiasticam per- » sonam conveniatur ratione bonorum *merè Ecclesiasticorum*, » ut putà dicimarum, vel oblationum, vel ratione bonorum » (ut prædicitur) *amortizatorum*, poterit *laicus* in jus trahi co- » ram Officiali, vel Judice seculari: ita quòd talis actio erit » *mixti* fori." Ita Concordata *art.* 10. Idem erit, si laicus in- vitis dominis, videatur *defructuâsse* bona *merè Ecclesiastica*, uti ibidem dicitur.

X. Dicta evincunt cognitionem bonorum amortizatorum hisce Concordatis judici Ecclesiastico attribui; sed sub iis li- mitationibus & cautionibus, ut mirum videri non debeat, rarò causas hujusmodi hodie coram Judice Ecclesiastico tractari, præsertim quia *art.* 7. dicitur: » Abbates, & Abbatissæ, & » alii de Statibus Brabantiæ (penes quos præcipua bona amorti- » zata resident) juri stabunt activè, & passivè coram judicibus » illis, coram quibus de antiqua consuetudine stare juri con- » sueverunt;" Nimirum coram supremo Brabantiæ Senatu, uti titulo præcedenti *cap.* 4. dictum est.

XI. Certum est, bona *mobilia* magis sequi personam, ac de conditione personæ plus mutuare, quàm bona *immobilia*: un- de de illis eodem titulo Concordatorum §. 8. decernitur: » Bo- » na mobilia, & moventia Presbyterorum, Diaconorum, Sub- » diaconorum, & Clericorum beneficiatorum, actu suis officiis » deservientium, aut in Universitate studentium, vel reipubli- » cæ causâ absentium, viventium, vel piorum locorum, se- » quentur conditionem personæ, vel piorum locorum, quoad » forum, nisi in casibus, in quibus Judex secularis potestatem » habet in Clericos, sive eorum bona. «

XII. Hinc Zypæus *consult.* 2. *de Judiciis*, sine ulla hæsita- tione resolvit nullum, irritum, atque invalidum esse arrestum per Judicem secularem injectum pensioni Ecclesiasticæ & spi- rituali, cuidam Sacerdoti reservatæ super Pastoratu suo sol- vendæ per Deservitorem ejusdem Pastoratûs. Rationem præmi- sit, quia Judex secularis in bona *mobilia* Clericorum, quæ *per- sonæ conditionem* sequuntur, jurisdictionem non habet.

XIII. Monet tamen ibidem Zypæus: » Quòd si autem *se-* » *cularis* quispiam ejus (Clerici) colonus, aut aliàs debitor es- » set, tum isti personæ seculari à suo judice juberi possset, ut » manus suas non vacuaret. «

XIV. Præter duas has causas civiles, & profanas, scilicet testamentarias, & bonorum amortizatorum, Judici Ecclesias- tico permittitur tertia, nimirùm *dotis*, sive contractus ante- nuptialis, quæ in allegatis Concordatis conjungitur cum causis testamentariis: ut tantùm repetenda sint, quæ capite præce- denti de his dicta sunt.

XV. Porrò declaratur Philippus Bonus in citatis litteris de 3. Januarii 1447. & Carolus V. in allegata additione 2. ad suum Lætum Introitum, Judices Ecclesiasticos contra laicos cog- noscere non posse, nisi in tribus prædictis causis. Verba Ad- ditionis sunt: *Dat die selve Geestelycke Rechters*, MAER *ken- nisse nemen en sullen van* DRY *saechen* SONDER MEER, *ta we- ten van die werden of onwerden van testamenten, va houwely- ckxsen woorwaerden, van Geestelycke gheadmortiseerde goe- den, ende* NIET VOORDERE. Id est: » Ut iidem Judices Ec- » clesiastici de tribus duntaxat causarum generibus cognoscant, » videlicet de validitate, aut invaliditate testamentorum, de » pactis antenuptialibus, de bonis Ecclesiasticis amortizatis, nec » omninò de aliis. «

XVI. Hanc restrictionem intelligendam esse de causis me- rè civilibus; non autem de merè Ecclesiasticis, & spiritualibus, rectè advertit, & ostendit Zypæus *de Foro compet. n.* 5. hasque etiamnum hodie ad Ecclesiasticum Judicem spectare; & in his causis laicos in Belgio coram Ecclesiastico Judice pos- se conveniri.

XVII. Itaque quoad causas civiles, & profanas jurisdictio Ecclesiastica ad has *tres* causas restringitur; ita ut ratione *cau- sæ* laici foro Ecclesiastico non sint subjecti extra prædictas cau- sas, neque Judex Ecclesiasticus ex alia causa civili laicum ci- tare possit.

Hinc Hubertus Loyens in Tractatu de Curia Brabantiæ *cap.* 15. ait: » Ad Senatum (Brabantiæ) quoque attinent res- » cissiones judiciorum Ecclesiasticorum, quando municipes, vel » incolæ Brabantiæ ad eorum tribunal evocantur, extra *tres* » causarum species, nempè cùm agitur de testamentorum va- » liditate, pactorum Matrimonialium valore, & rerum in pios » usus donatarum, seu per amortizationem seculari potestati » subductarum. «

XVIII. Imò in tantum Judex Ecclesiasticus in aliis causis profanis est judex incompetens laicorum, ut nec consensu lai- ci approbari queat: » Quoniam (ait Rousselius *lib.* 6. *cap.* 5. » *num.* 13.) non patimur jurisdictiones prorrogari, quia non » pendent ex voluntate subditorum, sed patrimoniales sunt, » vel Regiæ, & utræque à Principe promanantes. «

XIX. Unde quod Canonistæ communiter dicunt, laicum ex contractu civili posse conveniri coram Judice Ecclesiastico, si juramentum de adimplendo contractu fuerit interpositum, ut suprà *tit.* 1. *cap.* 1. monui, hodie in desuetudinem abiit: quemadmodum monet Renatus Choppinus *lib.* 2. *de Sac. Po- lit. tit.* 2. *num.* 3. dicitque eum disciplinæ forensis usum jam pridem explosum esse.

XX. Similiter quod communiter tradunt Doctores post Glos- sam ad *cap.* 15. ✠ *de Foro compet.* quòd causæ etiam *civiles, & profanæ* viduarum, & *miserabilium* personarum pertineant ad Judicem Ecclesiasticum, ita ut hujusmodi personæ debitores suos laicos coram Tribunali Ecclesiastico citare possint, ex- plossum esse pluribus citatis notat Rousellius *lib.* 6. *Hist. Pon- tif. cap.* 5. *num.* 14.

XXI. Atque hodie receptum est, quod jam pridem dixit coram Philippo Valcsio Petrus Cugnerius: nimirum, mulieres viduas, pupillos, aliasque miserabiles personas cum suis bonis esse de *gardia* Regis; & causarum illarum cognitionem spec- tare ad Regem.

XXII. Et quidem legitur jam pridem decretum à Constan- tino M. in *lege unica*, *Cod. Quando Imperator inter pupillos, vel viduas*, & » Quòd si pupilli, vel viduæ, aliique fortunæ » injuriâ miserabiles judicium nostræ Serenitatis oraverint, præ- » sertim cùm alicujus potentiam perhorescunt; cogantur eorum » adversarii examini nostro sui copiam facere. «

Hoc privilegio etiam hodie miserabiles personæ utuntur: re- fertque judicatum Antonius Faber in Codice *lib.* 3. *tit.* 13. *defi- nit.* 1. quòd vidua uti possit hoc privilegio etiam contra pupil- lum, tametsi etiam ageretur de notabili dote. Plura de hoc personarum miserabilium privilegio vide apud Covarruv. *Prac- tic. qq. cap.* 6.

XXIII. Imò uti notat Fevretius de *Abusu*, *lib.* 4. *cap.* 10. *num.* 9. eò extensum est hoc privilegium, ut si quæstio esset de salario alicujus operarii, aut famuli, vel ancillæ contra Cleri- cum, etiam permitteretur actione personali convenire Clericum, coram Senatu Regio; & ita judicatum fuisse in Parlamento Pa- risiensi 11. Augusti 1633. rescissâ inhibitione factâ per Officia- lem Episcopi cuidam pauperi fœminæ non conveniendi Pres- byterum super suo salario alibi quàm coram ipso. Injustum enim apparebat Senatui Regio, remittere hanc pauperem fœ- minam ad Judicem Ecclesiasticum, à quo non posset accipe- re aliquam provisionem, nisi post tres sententias conformes.

N'

(q) *Ita & in Hispania per leg.* 58. *tit.* 4. *lib.* 2. *leg.* 16. *tit.* 5. *leg.* 3. *& Actum Acord.* 1. *cap.* 1. *tit.* 6. *lib.* 3. *Recop.*

N'y ayant (ait Fevretius) *aucune apparence d' obliger un serviteur ou mercenaire, d' aller plaider pour ses gages & salaires en Cour d' Eglise, où il ne pourroit obtenir une provision executoire sans appel, qu' apres* trois *sentences conformes.* Id est: » Cùm omninò videatur absurdum, ut cogatur famulus aut » mercenarius coram Ecclesiastico tribunali pro stipendio, aut » mercede litigare, nec executionem, à qua appellari non pos- » set, obtinere valeret, nisi post tres sententias conformes. «

XXIV. Verùm tametsi hodie causæ miserabilium personarum non pertineant ad tribunal Episcopi, eatenus, ut personæ illæ possint laicos debitores suos *juridicè* coram ipsius tribunali citare, possintque Officiales Episcoporum eo titulo de causis Civilibus laicorum cognoscere; nihilominùs illud semper verum est, quòd non tantùm Episcopis, sed & omnibus, quibus animarum cura incumbit, *præcepto divino mandatum sit, pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternam gerere*, uti loquitur Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.*

XXV. Sanctus Carolus in suo Concilio Mediolan. III. *cap.* 18. monet Episcopos, quòd sacri Canones ipsi curam pauperum, & oppressorum specialiter injunxerint, ac propterea aliquem sive Laicum, sive Ecclesiasticum designare debeant, qui ipsorum causas suscipiat, & prosequatur. » Pupillorum, » viduarum, & egentium hominum cura Episcopo, commu- » ni omnium parenti, à sacrosanctis Canonum legibus potissi- » mùm commendata, & commissa negligi non debet, ne si læ- » dantur, vociferentur ad Dominum, qui exaudiet clamorem » eorum. Quamobrem pro sui muneris officio Episcopus ali- » quem constituat Ecclesiasticum, vel alium pium hominem, » Christianæ charitatis operibus, atque officiis deditum, qui » viscera misericordiæ indutus, id generis hominum patrocinium » in omni causa suscipiat. Quòd si aliqui jam huic pio operi » præfecti sint, id agat Episcopus, ut ii munus sibi creditum » exequantur quàm diligentissimè. «

XXVI. Hoc sensu rectè responsum est ad articulum Petri Cugnerii suprà relatum nomine Prælatorum: » De viduis, » & pupillis dicit Episcopus, quòd de jure divino, & huma- » no, gardia talium personarum, quantum ad violentias, & » saisinas, pertinet ad Ecclesiam; & sic de consuetudine obser- » vatur in Ecclesiis Gallicanis. «

XXVII. Unde si viduæ, aliæque personæ miserabiles justitiam contra potentes consequi non possint, meritò Episcopi, & Pastores operâ, & consilio ipsis assistent; etiam instando apud Judices Regios, ut Justitia iis administretur, aut etiam Principem interpellando, si opus sit, ut Judicibus injungat justitiam administrare.

Ita jampridem Justinianus sanxit, ut si negligentes fuerint Judices in administranda justitia, adeatur loci Episcopus, hicque apud Judices pro administranda justitia instet.

XXVIII. Nec tantùm instare posse Episcopos, ut in foro seculari jus ipsis viduis, aliisque personis miserabilibus administretur; sed & Judicem Ecclesiasticum posse negligentiam Judicis secularis supplere communis est Canonistarum opinio fundata in *cap.* 11. ✠ *de Foro competenti*, ubi Glossa ait: » No- » ta quòd propter negligentiam Judicis secularis transferatur ju- » risdictio ad Ecclesiasticum Judicem. «

XXIX. Hanc esse receptam à Canonistis opinionem notavit quoque Covarruvias *Practicar. qq. cap.* 6. *num.* 1. de qua tamen ipse se ingenuè fateri debere dicit: » Hoc *certò* scito, eam » apud Regia Hispaniarum, & Galliæ Prætoria *risui* equidem » fore; tantùm abest, ut ea in usum, & praxim recepta fuerit. «

Similiter Michael Roussellius *lib.* 6. *Historiæ Pontificiæ jurisdict. cap.* 5. *num.* 16. relatis legibus Wisigothorum, quibus concedebatur Episcopis reformare sententias laicorum, subjungit: » At hodie antiquatæ sunt istæ dispositiones, siquidem » verum est, quod Bobadilla scribit, non esse jus Ecclesiasti- » co Judici laicum Prætorem cogere, ut ab eo carceri deditum, » licèt injustè, liberet: & non facilè admissum iri, ut Episco- » palis notio de causis pauperum, & viduarum, atque de » *negligentia* secularis Magistratus supplenda jurisdictionem ha- » beat, quoniam lege Regia prohibetur conventio laici coram » Judice Ecclesiastico: adeò ut si pro causa purè prophana, » quæ non sit mixti fori, laicus laico diem dixerit apud forum » Ecclesiasticum, eum puniri velit lex Regia. « (r)

CAPUT IV.

De Possessorio, et Petitorio in Causis Ecclesiasticis.

1 *De Juris communi etiam* possessorium *rei spiritualis spectat ad Judicem Ecclesiasticum.*
2 *Contrarius usus jam pridem invaluit in Gallia.*
3 *Martinus V. declarat, se nolle huic usui quoad possessorium* retinendæ *possessionis derogare.*
4 *Pontifex per suam Bullam nullum novum privilegium concedit, sed receptum usum tantùm permittit.*
5 *Hæc, & similes Pontificum Declarationes jus Regium super cognitione possessorii non parùm firmârunt.*
6 *Etiam earum occasione ad alia Regna is usus extensus.*
7 *In Belgio sub finem seculi XV. stabilitus fuisse videtur.*
8 *Sensim, & gradatim usus ille invaluit.*
9 *In Concordatis Brabantiæ possessorium* retinendæ, & recuperandæ *possessionis defertur Judici seculari*, adipiscendæ *autem Ecclesiastico.*
10 *Etiam in Gallia primitùs possessorium* adipiscendæ *Judici Ecclesiastico relictum.*
11 *Quare prius potiùs quàm posterius sibi Judices seculares attraxerint.*
12 *Prætendunt Judices Regii in possessorio tantùm tractari quæstionem* facti, *non juris.*
13 *Verisimile primitùs Judices Regios non cœpisse plenam titulorum, aut jurium discussionem.*
14 *Olim incognita fuit distinctio inter simplicem recredentiam, & plenum possessorium; & unde hæc originem habuerit.*
15 *Quid recredentia; & unde sic dicta.*
16 *Quandiu detur effectus recredentiæ.*
17 *A recredentiario præstanda cautio de restituendis fructibus, & qualis præstanda remissivè.*
18 *Cui in causa Beneficiali recredentia adjudicanda.*
19 *Ad abbreviandas lites in materia Beneficiali debent Partes in initio litis exhibere titulos.*
20 *Id conforme est Concordatis Brabantiæ.*
21 *Quænam nomine* tituli *intelligatur.*
22 *Ex Ordinatione Francisci I. Regis Franciæ tenentur etiam exhibere capacitates*, capacitez, *quid harum nomine intelligatur.*
23 *Aliquando usus habuit, ut super recredentia, & pleno possessorio* duo *distincti processus instituerentur.*
24 *Id hodie vetitum.*
25 *Potest tamen distinctè super iis pronuntiari.*
26 *Recredentia adjudicatur præviâ* summariâ *causæ discussione.*
27 *Recredentia non est adjudicanda, dum causa sine nova probatione in* pleno *possessorio potest expediri.*
28 *Pro* pleno *possessorio causa plenariè instruitur, & tituli discutiuntur.*
29 *Judices Regii hodiè reverà examinant, & discutiunt* petitorium.
30 *Hinc & inhibetur hodie possessorii, & petitorii cumulatio.*
31 *Quandiu possessorium pendet, vel totalem executionem non habet, non potest intentari petitorium.*
32 *Quandonam quoad hunc effectum sit evacuatam possessorium.*
33 *Lata & executioni mandata sententia pleni possessorii potest intentari petitorium.*
34 *Si à sententia pleni possessorii sit appellatum, debet petitorium suspendi pendente appellatione.*
35 *Licèt soli Judices Regii cognoscant de possessorio in materia Ecclesiastica, tamen interdùm appellari potest.*
36 *Quandiu petitorium coram Judice Ecclesiastico pendet, possessorium retinet suum effectum.*
37 *Hinc rarò post plenum possessorium intentatur petitorium.*
38 *Altera ratio, quæ facit, ut rarò in petitorio absoluto possessorio agatur: imò aliquando in Gallia inhibitum sit petitorium intentare.*
39 *Hodie possessorium retinendæ, & recuperandæ possessionis* privativè *ad Judicem laicum spectat.*
40 *Quomodo omnes causæ Beneficiales hodie titulo possessorii* retinendæ *possessionis coram Judice Regio agitentur.*
* *Hodie Clerici pro* manutenentia *ad Auditoria Regia recurrere quodammodo coguntur.*
41 *Judices Regii, licèt petitorium examinent, non nisi tamen super possessorio tanquam merè* facti *pronuntiant.*

(r) *Præter jam anteà dicta, & quæ suprà ex Covarruvias & Bobadilla à D. Van Espen allata sunt, addendum est, omnem cognitionem de re merè temporali & inter laicos, quales considerantur causæ testamentariæ, dotales, contractûs antenuptialis, viduarum, pupillorum, cæterarumque personarum, Ecclesiasticis prohibitam esse per leg.* 3. 10. 13. *& Remiss.* 4. *tit.* 1. *&* 3. *tit.* 25. *lib.* 4. *leg.* 1. *&* 2. *tit.* 8. *lib.* 1. *& Actum Acord.* 4. *cap.* 2. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recop. quin ex negligentia Judicis secularis Ecclesiasticum ullam jurisdictionem adquirere possit, L.* 48. *tit.* 6. *Part.* 1. *adeò ut qui à seculari jurisdictionem declinaverit, puniri debet ex leg.* 10. *&* 13. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recop. cùm ipsis miserabilibus personis concessum sit per leges* 1. *tit.* 1. *&* 8. *tit.* 3. *lib.* 4. *ejusdem Recop. adire ad Superiora Tribunalia, omissis sui territorii, recursu, qui vulgò vocatur* por caso de Corte.

42 *Ut causa Ecclesiastica deferatur ad Judicem Laicum, solet peti* manutenentia, *cujus definitio additur.*
43 *Ratio ethymologica hujus vocis.*
44 *Pro obtinenda manutenentia requiritur possessio.*
45 *Item turbatio facti.*
46 *Hodie titulo manutenentiæ omnes passim causæ ad Tribunalia Regia devolvuntur.*
47 *Ipsi Ecclesiastici amant litigare apud Tribunalia Regia.*
48 *Rationes, cur forum Ecclesiasticum declinent.*
49 *Dolendum, quod hodie apud laicos Ecclesiastici litigare cogantur.*
50 *Manente hodierno stylo fori Ecclesiastici vix aliud sperandum.*
51 *Episcopi allaborare debent, ut lites Ecclesiasticorum amicè sopiantur.*

I. NOn tantùm petitorium sed & possessorium in causis Beneficialibus, aliisque, de jure communi Decretalium spectare ad Judicem Ecclesiasticum, excluso Judice seculari, unanimis est Canonistarum sententia; neque obscurè probatur in Decretal. sub titulo ✠ *de Causa possessionis, & proprietatis*, in quibus supponitur, utrumque judicium coram eodem Judice esse terminandum; & pluribus ostendit Covarruvias *Pract. qq. cap.* 35. *num.* 1. aitque, » non posse laicum judicem secundum *rigorem juris* cognoscere de causa *possessoria* Beneficii » Ecclesiastici, cùm ad justificandam possessionem in hoc casu sit » necessaria quædam summaria probatio alicujus tituli apparentis, nec aliter possit possessio obtineri, etiam quoad interdicta possessoria.“

II. Fatetur nihilominùs ipse Covarruvias, contrarium usum jam pridem in Regno Galliæ invaluisse, cujus usus etiam antiqui Auctores Galliæ meminerunt; atque inter alios Guillielmus Benedicti ad *Cap.* RAYNUTIUS, ✠ *de Testament.* verbo *Et uxorem*, *num.* 131. dicens: „ Et antiqua, & *immemorabili* consuetudine remedia possessoria etiam in Beneficialibus, & Ecclesiasticis causis in isto regno Franciæ procedunt, & tractatur per Judices Regios: quam consuetudinem Beatus Pater » Martinus Papa ad requestam Regis Franciæ, videlicet Caroli VII. Domini nostri Regis (s) moderni nunc regnantis avi » paterni aprobavit, etiam respectu causarum Beneficialium, tam » in Regno, quàm in Delphinatu, seu declaravit dictæ consuetudini, & stylo per quamcunque Constitutionem Apostolicam derogatum non fuisse, nec Judices Regios de talibus » quæstionibus cognoscentes Censuris Ecclesiasticis ligasse, nec » derogare, aut ligare velle.“

Incubitanter reflectit hîc Auctor ille ad Bullam Martini V. datam anno 1426. 4. Februarii, ac integra refertur in Probationibus Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 26. *num.* 2.

III. In hac Bulla expressè declarat Martinus V. quòd per suas litteras anteriores (quibus sub gravibus pœnis inhibuerat Clericis, ut suas causas & querellas, præcipuè quæ de jure, vel consuetudine ad forum Ecclesiasticum spectare noscuntur ad forum laicum non deferant) non intendat præjudicare juri, & jurisdictioni Regiæ, præsertim in casu possessorii *retinendæ* possessionis super quibuscunque Ecclesiis, & Beneficiis Ecclesiasticis. Verba sunt: „ Cùm autem, sicut pro parte charissimi in Christo filii nostri Caroli Regis (t) Francorum illustris nobis fuit expositum, à nonnullis revocetur in dubium, an per hujusmodi nostram Constitutionem derogari voluerimus juri, & jurisdictioni Regiæ, præsertim in casu » possessorii retinendæ possessionis, super quibuscunque Ecclesiis, & Beneficiis Ecclesiasticis suorum Regni Franciæ, & » Delphinatus Vienensis, per quam jurisdictionem præfatus Rex » sibi licere asserit, in omni casu etiam juridicè tueri possessores: » Nos ad omnis ambiguitatis tollendum dubium, super his opportunè consulere, & providere volentes, ejusdem Regis in » hac parte supplicationibus inclinati, auctoritate Apostolicâ tenore præsentium declaramus, nostræ intentionis non fuisse, » neque esse, per prædictam, aut quamcunque aliam Constitutionem nostram eidem Regi, & ejus Regiæ jurisdictioni, per » quam, sicut asseritur, tam ipse, quàm progenitores sui super » hujusmodi possessorio à tanto tempore, circa quod de ejus » contrario memoria hominum non extitit, consueverunt cognoscere, in aliquo derogari voluisse, aut velle quoquo modo: » decernentes partes molestatas super earum conservatione ad » suorum Beneficiorum possessionem ipsius Regis auxilium implorantes, dummodo in contemptum jurisdictionis & libertatis » Ecclesiasticæ, & ut partes sibi adversas in rebus Ecclesiasticis » diutiùs perturbarent, hoc non fecerint, pœnas in dicta nostra » Constitutione contentas nullatenùs incurrisse, aut debere incurrere quovis modo. Per hoc autem nullum jus, seu jurisdictionem » in præmissis cognoscendis eidem Regi de novo acquiri volumus, sed antiquum, si quod habet, tantummodò conservari.

IV. Ex verbis jam relatis manifestum est, errâsse Zypæum, dum scripsit titulo *De Causa possessionis, & proprietatis*, *numer.* 1. quòd „ Franci à Martino V. privilegium impetrârunt, » quo Judex secularis iis (possessoriis rerum spiritualium controversiis) ingerere se posset.“ Non enim Martinus V. ipsis privilegium dedit cognoscendi de possessorio *retinendæ* possessionis super Beneficiis Ecclesiasticis; sed tantùm declaravit, „ne » que per hanc, neque per quamcunque suam Constitutionem » eidem Regi (Franciæ) & ejus Regiæ jurisdictioni per quam si » cut asseritur, tam ipse, quàm ejus Progenitores super hujus » modi possessorio à tanto tempore, circa quod de contrario me » moria hominum non existit, consueverunt cognoscere, in ali » quo derogari voluisse, aut velle quoquomodo.“

Imò & expressè protestatur Pontifex: » se per hoc nullum » jus, seu jurisdictionem in præmissis cognoscendis eidem Regi » *de novo* acquiri velle.“ Evidens proinde est, nullum Privilegium Francis esse à Martino V. datum; sed solummodò jus ab antiquo competens confirmatum.

V. Non dubium tamen, quin ex similibus Pontificum Declarationibus consuetudo, & jus cognoscendi de possesorio Beneficiorum in tribunalibus laicalibus non parum fuerit firmatum, ipsique Judices Regii magis obfirmati.

Unde Guillielmus Benedicti (u) dicto loco citatis ad marginem hâc Bullâ Martini V. necnon Litteris Leonis X. ad Curiam Regiam Tolosanam, quibus stylum & consuetudinem Franciæ in hoc puncto clarè aprobare videtur, subdit: „ Ex quibus re » sultat, Judices Regios sine scrupulo conscientiæ cognoscere » posse de tali possessione, postquam Summi Pontifices, qui po » testatem super hoc dispensandi habent, scienter hoc tolerâ » runt tanto tempore, quinimò approbârunt, ut videtur.“

VI. Quin & illud admodum verisimile est, quòd ex hac Bulla, tametsi ad solum Regem Franciæ datam, alii quoque Reges & Principes consuetudinem, & simile jus securiùs sibi asseruerint. Cujus vel ipse Salgado *de Protectione Regia*, *parte* 1. *præludio* 5. *num.* 293. testis est. Relatâ enim hac Bullâ, ait: » Licet sit inducta in favorem Regum Franciæ, tamen ejus de » cisio, & determinatio generalis est, & universaliter compre » hendit omnes Reges & Principes simile jus, & consuetudinem » immemorialem habentes.“

VII. In Belgio sub finem seculi XV. stabilitam fuisse consuetudinem disceptandi *possessorium* in causis Beneficialibus coram Judicibus Regiis, patet ex Edicto Philippi Archiducis die 20. Maii 1497. quo cavetur, ut nullus vigore Bullæ, aut provisionis Papalis trahatur extra patriam; sed, quæstione incidente, si sit in possessorio, accedatur ad ipsum *Principem*, aut ejus Officiarios, ad quos ipsa cognitio spectat; & in *petitorio* ad Ordinarium. Verba sunt: *Et semblablement que nul (quelq' il soit) pour raisont desdicts Benefices estant en nosdicts pays ne attraye nos subjects ny autres y residans, par vertu desdictes Bulles & Rescritz de Cour de Rome: ains s' aulcune chose ils veulent demander, à la cause dicte, le fassent, si c' est en possessoire, pardevant nous ou noz Officiers, ausquelz la connoissance en appartiendra, & en petitoire, en premiere instance pardevant l' Ordinaire en nosdicts pays.* Id est.: » Similiter ut ne » mo (quiscunque fuerit) ratione Beneficiorum sitorum in dictis » nostris Provinciis, ullum subditorum nostrorum, aut alio » rum in iis commorantium, vi dictarum Bullarum, & rescrip » torum Curiæ Romanæ in jus vocet: verùm si quid volent ob » tinere in dicta causa, coram Nobis, aut Ministris nostris, si » de possessorio agatur, compareant, ad quos hujusmodi cog » nitio spectabit. In petitorio verò in prima instantia, coram » Ordinario in dictis nostris Provinciis.“

VIII. Jus hoc Regis judicandi de *possessorio* rerum spiritualium primitùs consuetudine magis quam aliquâ positiva Ordinatione apparet inductum fuisse, idque sensim, & per gradus.

Et quidem citata Bulla Martini V. tantùm meminit juris cognoscendi de possessorio *retinendæ* possessionis, quod & *recuperandæ* complectitur, ait Zypæus loco *num.* 2. juxta generale remedium Canonis *Reintegrandæ*.

IX. In Concordatis Brabantiæ inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem de anno. 1541. *tit.* 4. §. 1. & 2. possessorium *retinendæ*, & *recuperandæ* possessionis defertur judici seculari; interdictum verò *adipiscendæ* judici spirituali relinquitur.

X. Similiter Guido Papa Consiliarius in Senatu Gratianopolitano circa annum 1440. testatur, quòd » licèt hîc Senatus » cognosceret de possessorio *retinendæ*, & *reintegrandæ* in Be » neficialibus, equidem in possessorio *adipiscendæ* non consue » verat Curia de eo cognoscere, cùm plus habeant proprie » tatis, quàm possessionis.“ *Decis.* 1.

XI. Causam enim possessorii assumpserunt Judices Regii vel

(s) *Ille Francorum Rex erat Carolus VIII. quo imperante Guillielmus Benedicti vivebat.*
(t) *Id est Carolus VII.*
(u) *Regnante Ludovico XII. Guillielmus Benedicti munere Consiliarii fungebatur in supremo Tolosatensium Senatu.*

vel hoc titulo, quòd possessio *in facto*, & non *in jure* consistat. Quæ autem *facti* sunt, non spiritualia, sed potiùs temporalia censentur. Possessio enim non dicitur spiritualis, ut ipsa proprietatis, sed potiùs *temporalis*, ait Guido Papa *decis.* 1. Et Aufrerius *reg.* 2. *fall.* 24. post Glossam in *cap.* CUM DILECTUS, ✠ *de Election.* ait: » Quando agitur de possessorio de ju» re spirituali, non agitur *spiritualiter*, & ideò non est trac» tanda tanquam spiritualis. " At in interdicto *adipiscendæ* nihil *facti*, sed tantùm *juris* versatur: ideoque & hoc possessorium ad Senatum Regium non spectare judicavit Senatus Sabaudiæ apud Antonium Fabrum in Cod. *lib.* 3. *tit.* 7. *definit.* 1.

XII. Illud sanè compertum est, cognitionem possessorii judicibus laicis delatam esse, quòd crederetur, non *juris*, sed *facti* quæstionem versari. Unde Damhauderus in Praxi Rerum Civilium *cap.* 41. objiciens sibi, quòd judex secularis dando manutenentiam in materia Beneficialia videatur se immiscere rebus spiritualibus ait: » Quia in isto casu non immiscet sese » rebus spiritualibus, nec spirituales res tractat, nec exercet, » sed tantùm quod est merè seculare; dum lites, contentiones, » & turbationes à suæ Reipublicæ subditis arcet, & prohibet."

XIII. Imò verisimile est, quòd Consilia Regia, cùm primùm de *possessorio* cognoscere cœperunt, ipsum jus contendentium parùm examinasse; sed cum contingeret, duos de Beneficio contendere, ac unus alterum è possessione viâ facti extrudere, atque per vim se in ea manutenere vellet, Consilia Regia, ut hoc tumultus, qui in seditiones non rarò degenerabant, imò nonnunquam inter Principes, aut Nobiles bella quædam excitabant, præcipuè dum de Episcopatibus inter personas potentes quæstio incidebat; ut hos, inquam, tumultus compescerent, *summariè* atque *de plano* de causa cognoscebant, ad decernendam illi, qui apparentius jus habere videbatur, nudam ac simplicem possessionem *facti*; eumque in hac possessione contra violentias adversarii tuendum, donec per legitimum Judicem Ecclesiasticum de ipso jure plenè judicatum esset. Jodocus Damhauderus in Praxi Rerum Civilium *cap.* 41. *num.* 4. ostendit, quòd Judex Regius, dando manutenentiam, non tractet res spirituales, sed tantùm *merè seculares*: » Dum (ait) lites, contentiones, & turbationes à suæ » Reipublicæ subditis arcet, & prohibet" Simile ex Andræa Gail tradit in notis ad citatum locum Damhauderi Nicolaus Tuldenus, dicitque hoc jus fundatum in jure communi: » Nam » quoties (inquit) de *possessione* inter duos, pluresque conten» tio est, ita ut uterque possidere se contendat, & res ob » litigiosam possessionem ad *arma* spectare videatur; tunc ju» dicem ex officio, vel parte petente possessionem sequestra» re posse rei controversæ, citatis partibus, ut certâ die com» pareant, & jura sua possessoria *summariè* deducant, interim» que ab *armis abstineant.*"

XIV. Unde nec primitùs nota fuisse apparet distinctio inter *recredentiam*, ut nostri vocant, sive *momentaneam* possessionem, & *plenum* possessorium, quæ sensim invaluit; & hodie usitatissima est, præsertim in materiis Beneficialibus.

Cùm enim in his possessio justa esse nequeat sine titulo Canonico, qui in *cap.* 1. *de Regulis Juris*, *in VI.* vocatur *Institutio Canonica*, cœperunt prætextu possessorii plenum super titulis examen instituere, ut de possessione judicarent. Hoc autem examen, quia non rarò longiores moras requirit, ne Beneficium medio tempore necessario ministro destituatur, qui & functiones obire, & proventus colligere queat, introducta est prædicta possessorii distinctio; ut per *recredentiam* interim, dum *plenum* possessorium discutitur, Beneficio de ministro provideatur.

XV. Recredentia enim est interlocutoria, quam Judex dat, processu durante in materia novitatis, manutendentiæ, aut in aliis materiis possessoriis, super usufructuum, aut rei litigiosæ, ait Damhauderus in Praxi Rerum Civil. *Cap.* 147.

Dicta autem *recredentia*, quasi *rei credentia*, quod res, fructus, & possessio rei, ei potiùs cui *recredentia* adjudicatur, credenda credatur; interim scilicet, quousque pleniùs res ipsa discussa, & in pleno possessorio definita fuerit.

XVI. Recredentia enim non habet effectum, nisi quousque lis duraverit proprietatis, vel possessionis; idque sine præjudicio partis adversæ, si hæc in pleno possessorio vincat.

Neque enim fructus, aut emolumenta rei Recredentiario absolutè & irrevocabiliter addicuntur; sed tantummodo quasi ejus fidei *interim* creduntur, seu quasi penès ipsum sequestrantur restituendi parti adversæ, si plenum possessorium huic adjudicetur; uti notat Rebuffus in *Tractatu de Causis Beneficial. possessor. art.* 1. *Glos.* 1. *num.* 18. cui consonat *art.* 443. Ordinationum Curiæ Brabantiæ.

XVII. Hæ insuper declarant, à recredentiario præstandam esse sufficientem cautionem de restituendis, & reddendis illis fructibus, quos pars adversa lucrari, & habere potuisset, si actualiter possedisset: *Behoudeleck goede ende sufficiente cautie van te restitueren ende wederkeeren alsulcken vruchten, als de partye soude moghen winnen ende hebben, ingevalle hy actuelijcken possedeerde.* Id est: » Additâ legitimâ sufficientique cau» tione de restituendis, reddendisque iis fructibus, quos lu» crari pars adversa, & obtinere posset, si actu possessione fo» ret gavisa."

Quomodo, & quando, & quæ cautio præstanda sit, latè explicat Rebuffus in Tractatu *de Sententiis executorialibus*, *art.* 1. *Glos.* 15. & 16.

XVIII. In materia autem Beneficiali quoad recredentiam, qui titulum non habet, ait Rebuff. *de Causis Benef. posses. art.* 3. *num.* 7. quia tunc *apparentiorem* censetur habere titulum, cùm aliter nullum producat. Et ut notat *num.* 8. Judices in judicanda recredentia duo maximè attendere debent, videlicet titulos partium, & earum capacitatem: & adjudicare recredentiam habenti apparentiorem titulum, si capax sit & idoneus; quod & indicant Ordinationes Curiæ Brabantiæ, quæ volunt, ut si altera partium suo tempore non reproduxerit suos titulos, hæc excidat *recredentia*, quæ adjudicabitur illi parti, quæ suos titulos exhibuerit.

XIX. Ut ergo faciliùs ac sine longa mora, ut minùs recredentia alteri partium adjudicari queat, debent partes statim initiò litis exhibere suos titulos, quemadmodum tum in Gallia per Ordinationem Francisci I. *art.* 10. tum in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 439. cautum est.

XX. Id consonat Concordatis Brabantiæ, quæ optant lites super possessorio abbreviari, ne diù Beneficia vacare contingat; atque propterea *tit.* 4. *art.* 1. dicitur: » expediens tamen » esset, quòd Princeps tempus terminandarum litium super pos» sessorio statueret, ne Beneficia diutinam vacationem patian» tur."

XXI. Nomine *tituli* autem veniunt omnia acta, quæ tribuere queunt jus ad Beneficium; ut sunt litteræ præsentationis, collationis, institutionis, litteræ testimoniales approbationis super sufficientia doctrinæ, & morum, vulgò *Visa*, acta captæ possessionis, &c.

XXII. In Ordinatione Francisci I. *art.* 3. non tantùm titulorum exhibendorum, sed & *capacitatum* mentio fit in verbis: *Et par faut d'exhiber, se fera adjudication de recreance ou maintenue sur les tiltres &* CAPACITEZ *de celuy qui aura forny.* Id est: » Defectuque exhibitionis adjudicabitur recre» dentia aut manutenentia illi, qui de titulis, & capacitati» bus docuerit."

Hoc nomine *capacitez* veniunt acta, quæ probant capacitatem personæ, ut sunt extractum ex Registro Baptismali, quo v. g. legitimitas, & ætas, vel locus originis aut Baptismi probantur, litteræ Tonsuræ, Ordinis, vel Gradûs Academici, aut similium pro conditione Beneficii.

XXIII. Apud Gallos aliquando usitatum fuisse, ut judices duos facerent distinctos processus, & instantias: unum super *recredentia*, & alterum super *pleno* possessorio: ita ut prolatâ sententiâ *recredentiæ*, de novo inchoarent processum super *pleno* possessorio, notat Rebuffus *in citato Tractatu*, *art.* 10. & in Belgio quoque obtinuisse verisimile credit Nicolaus Tuldenus in notis ad *cap.* 147. Damhauderi.

XXIV. Verùm cùm conveniat lites super Beneficiis citò terminari: tam in Gallia, quàm in Belgio ordinatum fuit, ut non fiant imposterum *duo distincti* processus super recredentia & pleno possessorio; sed ambo jungantur, & instruantur, per *unicum* processum, uti habet citata Ordinatio Francisci I. *art.* 10. & Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 440. addentes insuper, quòd Advocatus, qui separatim in his materiis scripserit, condemnabitur in mulctam 10. Carolinorum, *Carelsguldens*, applicandorum ærario Regis, & suspendetur à suo officio ad sex menses.

XXV. Hinc tamen nullatenus concludendum est vetitum esse *separatim* ferri duas sententias, alteram *recredentiæ*, & alteram *pleni possessorii*, uti monet Rebuffus, & quotidiana praxis observat; supponuntque citatæ Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 441. quo injungitur, ut titulis hinc inde per partes reproductis, ipsi de Curia Brabantiæ mox de causa discernant, ut minùs qua recredentiam super titulis & munimentis ab utraque parte allegatis: *Naer diem de voors. Materie possessoire van Beneficien alsoo geinstrueret sal zyn, soo sullen die van onsen voorschreven Raede geouden zyn te vuyten ten minste de recredentie, op de voorschreven titulen ende munimenten van beyden syden geproducert.* Id est: » Cùm verò præfata mate» ria de possessorio Beneficiorum hoc modo ordinata fuerit, » tenebuntur ii de dicto nostro Consilio, ut minùs decernere » recredentiam ratione prædictorum titulorum, & munimento» rum causæ utrinque productorum."

XXVI. In adjudicanda recredentia judex tantùm summariè informare solet, atque exactis sive hinc inde reproductis instrumentis despicere, quis apparentiorem titulum habere videatur; & cui omnibus expressis possessio *per interim*, quousque *plene* caussa fuerit discussa, & pleniùs de jure contendentium constiterit, sit *credenda.*

XXVII. Monet autem Rebuffus in tractatu *de Sentent. exe-*

execut. art. 1. *Glos.* 5. *num.* 3. quòd » nunquam recredentiæ » sententia proferri debeat, quando plenum possessorium po- » test expediri sine alia approbatione: utpote quando non » sunt aliqua facta allegata, sed & ex ipsis titulis potest ip- » sum Beneficium dijudicari. «

Recredentialis autem sententiæ executio habetur non obstante oppositione aut appellatione; quemadmodum habent Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 443. duratque ejus efectus, quousque per sententiam definitivam *in pleno possessorio* fuerit retractata. De quo vide Antonium Fabrum in Cod. *lib* 1. *tit.* 2. *Dist.* 95.

XXVIII. Adjudicatâ recredentiâ, si nimirum materia, & causæ status eam requirere videatur, tunc ulteriùs causa instruitur, & *plenarie* de titulis & juribus ipsarum partium judices cognoscunt, eaque discutiunt, ut appareat, quis Canonicam possesisonem habeat, atque in ea manutenendus sit; & cui per sententiam definitivam *plenum* possessorium adjudicandum sit.

XXX. Hinc evidens est, hodie in possessorio judices non tantùm de mero, & nudo *facto* possessionis cognoscere, sed totum, & integrum jus discutere: ut ex *jure* dijudicent, cui possessio, quæ sine Canonica institutione, sive Canonico titulo haberi nequit, adjudicanda sit.

Proinde dubitari non potest, quin reverà hodie judices Regii in judicio possessorio rerum spiritualium examinent, & tractent ipsum *petitorium*, sive *jus* ipsum; quamvis sententiam dicendo, non super ipso petitorio, sed possessorio duntaxat pronuntient.

XXX. Quare mirum non est, si & tandem unà invaluerit, atque in Gallia & in Belgio decretum sit, quod possessorium, & petitorium simul intentari non possit, ut habent Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 445. Cùm enim in possessorio tituli & jus litigantium examinentur, & discutiantur, inconveniens sanè visum est, si eodem tempore in *petitorio* coram judice Ecclesiastico discuterentur.

XXXI. Quin & eodem articulo, uti & in Ordinatione Francisci I. Regis Franciæ *art.* 12. decernitur, quòd intentato possessorio non possit intentari petitorium: quandiu materia possessorii per sententiam definitivam planè terminata non fuerit, ipsique sententiæ totaliter satisfactum fuerit, tam quoad principale, quàm fructus, damna, & interesse, si hæc adjudicata sint, nisi per illum, in cujus favorem sententia lata fuit, fieret, quòd executio non haberetur.

XXXII. Quandonam juxta has Ordinationes censeatur satisfactum *integrè* ipsi possessorio ut petitorium intentari queat, consule Rebuffum in tractatu *de Causis Benef. posses. art.* 12. ubi inter alia notat, quòd licèt in Ordinatione Regia, uti & in citatis Ordinationibus Curiæ Brabantiæ, nihil dicatur de *expensis* litis, nihilominus & has comprehendi, & debere esse solutas, antequam petitorium coram judice Ecclesiastico intentari possit.

XXXIII. Sententia autem definitivè in *pleno* possessorio prolatâ, & tam quoad ipsum principale, quam accessoria executioni mandatâ, tunc liberum est parti victæ intentare *petitorium* coram judice Ecclesiastico, si possessorium fuerit in materia Ecclesiastica ad forum Ecclesiasticum spectante. (x)

XXXIV. Si tamen ab ipsa sententia in possessorio lata sit appellatum, appellatione pendente super possessorio, petitorium intentari nequit: quia ipsum possessorium necdum totaliter censetur evacuatum, sive absolutum; uti notat Rebuffus in Tract. *de Causis Benef. posses. art.* 12. *num* 3. & Wamesius noster *Cons. Can.* 82. & notoria praxis consonat.

XXXV. Soli quidem judices Regii in Gallia, uti & in iis partibus, de possessorio in materia Ecclesiastica judicant, quemadmodum observat Rebuffus *de sent. exec. art.* 1. *Glos.* 11. non tamen soli judices supremi, sed & subalterni, sive à quibus ad supremam Curiam appellatur, ut sunt in Belgio Consilia Provincialia, puta Flandriæ, Namurcense, &c. à quibus ad Parlamentum Mechliniense à sententia super *pleno* possessorio in materia Ecclesiastica quotidie appellatur, eaque appellatione pendente, petitorium manet in suspenso.

XXXVI. Porrò petitorio intentato, & coram judice Ecclesiastico pendente, effectus sententiæ latæ in pleno possessorio non sistitur; nec is, cui possessorium adjudicatum est, in sua possessione quoquo modo turbari potest prætextu intentati petitorii, quandiu ipsum petitorium coram judice Ecclesiastico *plenè* evacuatum & absolutum non est. Non censetur autem petitorium esse plenè adjudicatum, nisi per tres sententias conformes fuerit judicatum; si nimirum toties fuerit appellatum.

XXXVII. Mirum proinde videri non debet, quod rarò in Beneficialibus, aliisque Ecclesiasticis causis intentetur petitorium coram judice Ecclesiastico, postquam plenum possessorium in Curia Regia fuit adjudicatum; quia scitur, sæpissimè tantum temporis moram requiri, ut verisimiliùs ipse finis vitæ præveniret ipsum finem litis.

XXXVIII. Accedit, quòd cùm hodie in causis possessorii examinentur, & discutiantur *plenariè* omnes tituli, quibus ipsa possessio initur; non sine fundamento credatur, quòd & in *petitorio* sucumbet, qui in pleno possessorio victus fuit. Quare refert Fevretius de *Abusu*, *lib.* 4. *cap.* 11. *num.* 6. aliquando in Parlamentis Galliæ judicatam fuisse abusivam citationem in *petitorio* post absolutum & adjudicatum *plenum* possessorium; quasi injustum & inordinatum esset, rursus titulos examinare coram judice Ecclesiastico, qui ad plenum in Regio Senatu discussi fuêre; atque per intentatum petitorium, ipsas materias, præsertim Beneficiales, durante vitâ Beneficiati, æternizare. Nihilominus ipse Fevretius fateri debet, & juxta jus commune, & ipsas Regias Ordinationes petitorium posse coram judice Ecclesiastico, evacuato possessorio, intentari. Quod & ipsa Concordata Brabantiæ *tit.* 4. *art.* 1. expressè permittunt; optantque à Principe tempus terminandarum litium super possessorio statui, *ut quæstio petitoria citiùs institui & terminari valeat.* Videri etiam potest Tournetius in sua Collectione Arrestorum *lit. P. art.* 138. 140. & 147. atque hoc ultimo articulo indicat, aliquando inhibitum, intentari petitorium post absolutum plenum possessorium; quin & ibidem notat, anno 1613. Parlamentum sibi atraxisse causam cujusdam Presbyteri, qui coram judice Ecclesiastico litigabat pro obtinenda portione congrua, eique per provisionem aliquam portionem assignâsse; quia ob frequentes appellationes, & difformes à varis judicibus latas sententias, nihil obtinere à judice Ecclesiastico poterat; quo fiebat, ut Ecclesia interim viduata à suo ministro maneret.

XXXIX. Videtur indicare Philippus Probus ad Sanct. Pragmat. *tit. de Electionibus*, *Cap.* LICET §. SUPER OMNIBUS, quòd suo tempore cognitio de *possessoriis* Beneficialibus competeret judicibus Regiis *non privativè*, sed *cumulativè* cum Ecclesiasticis. Sed hîc rursus certò auctoritas judicum Regiorum crevit, ipsaque possessoria non cumulativè, sed *privativè* ad ipsos transierunt. Unde ad citata verba Philippi Probi notabit in margine Franciscus Pinsonius: » Istud non servatur circa possessoriam li- » tium cognitionem judicibus secularibus competentem etiam » *privativè*.“ Quod & Concordata Brabantiæ saltem quoad possessionem *retinendæ*, *& recuperandæ* præscribunt, reservantque *privativè* ipsis judicibus secularibus hujus possessorii cognitionem.

XL. Reservant quidem hæc Concordata interdictum *adipiscendæ* possessionis judici Ecclesiastico; sed tamen id non impedit, quòminùs omnes passim quæstiones in materia Beneficiali titulo possessorii ad Regia tribunalia deferantur; nam mox ut collatio Beneficii habetur, si possessio realis haberi nequeat, capitur possessio, quàm *juris* vocant, coram Notario; quam ut sufficientem ad fundandum possessorium *retinendæ possessionis* Consilia Regia recipiunt, uti notat Zypæus *tit. de Causa poss. & propriet. num.* 2.

* Hodie frequenter accidit, ut Clerici pro manutenentia in possessione suorum Beneficiorum recurrant ad Regia Auditoria: id quodammodo necessarium est, eò quòd Episcopi, eorumve Officiales, non rarò nullo juris ordine servato, vel causâ hactenus non instructâ, ad suspensionem, vel interdictum prosiliant; atque ita ipsos Beneficiatos viâ *facti*, sive juris ordine non servato in suorum Beneficiorum possessione, aut quasi possessione, quæ in exercitio functionum Beneficio annexarum consistit, turbant, imò spoliant.

Porrò Judices Regios annuendo in simili casu manutenentiam Beneficiatis, nequaquam turbare, aut impedire Episcopos, aliosque judices ordinarios, & Ecclesiasticos in correctione, & castigatione Clericorum sibi subditorum, latè ostendi in Tractatu, cui titulus: *Concordia immunitatis Ecclesiasticæ*, *& juris Regis*, &c. qui habetur inter opuscula editionis ultimæ.

XLI. Quamvis hodie Judices Regii de omni penè quæstione in materia Ecclesiastica cognoscant, non tantùm de possessorio, sed & de petitorio; attamen pristinis formulis insistere videntur, solumque possessorium, quod *facti* est, sibi attribuere, numquam de petitorio aut jure ipso pronuntiant, sed tantùm super possessorio, declarando, hunc illumve esse *manutenendum in sua possessione*; sive litteras *manutenentiæ* rectè, vel malè obtentas.

XLII. Ut enim quæstio in materia spirituali, seu Ecclesiastica ad Tribunal Regium deferatur, peti solet *manutenentia*, quæ est » quædam provisio, imò veriùs quoddam Principis vel » Consilii sui beneficium, quod aliquem pacificum possessorem, » metuentem tamen ex ea ejici aut exturbari, in eadem sua » quie-

(x) *In Gallis post sententiam de* possessorio, *ut ajunt*, *Beneficii definitivè pronuntiatam*, *non licet item de* petitorio *intendere. Arbitrantur enim Judices eam actionem judiciariam esse inutilem quippe cum sententia de* possessorio *lata fuerit post diligens titulorum examen*; *superfluum videtur ad Judices Ecclesiasticos confugere*, *ut de* petitorio *judicent ex titulis*, *quorum cognitio major ipsis*, *quàm Judicibus Laicis in suprema Curia non affulgebit.*

» quieta possessione tenet, servat, & quasi manutenendo suâ » auctoritate tuetur."

XLIII. Ita Damhauderus in Praxi Rerum Civilium *cap.* 41. *num.* 1. additque *num.* 2. quòd quamvis hoc vocabulum sit recens, tamen aptum sit ad significandum, » quòd possessor in » possessione suæ per Principem manuteneatur, & in ea per- » manere jubeatur, cum interdictione omnium, qui ad hanc » quietam possessionem contradicere velint, & id donec per » justitiam alius potiùs jus habens inseratur, & manutentus ite- » rum ejiciatur."

Unde si exteriorem formam manutenentiæ, ipsumque litterarum manutenentiæ tenorem duntaxat consideremus, diceretur, Judices Regios de nuda *facti* possessione cognoscere, ac id unicè præcavere, ne pacificus possessor viâ *facti* inquietetur, licèt plus reipsa sibi attribuant.

XLIV. Quare & hodie duo pro obtinendis litteris manutenentiæ requiruntur. Primò possessio, de qua saltem summariè apparere debet; quemadmodum in ipsis Litteris manutenentiæ expressè etiam exprimitur; præscribiturque in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 438. quòd qui anno uno fuit extra possessionem, manutenentiam habere nequeat.

XLV. Secundò requiritur turbatio *facti*, quæ generaliter fit per quemcunque actum, quo quis non sinit liberè & quietè res nostras possidere, ut ait Rebuffus in Tract. *de Materia posses. art.* 1. *Gloss.* 2. *num.* 36. ubi & plures modos turbationis enumerat, aitque *num.* 39. quòd quis teneatur exprimere modum, & qualitatem turbationis, nisi ex actis appareat.

XLVI. Verùm quia qualiscunque possessio etiam *juris*, nec non qualiscunque turbatio facilè admittitur, ut litteræ *manutenentiæ* concedantur; fit ut omnes passim causæ Ecclesiasticæ titulo *manutenentiæ*, sive possessorii ad Tribunalia Regia trahantur, ipsaque Tribunalia Ecclesiastica iis priventur.

XLVII. Et quod mirum est, passim ipsimet Ecclesiastici amant, quin & omnem operam impendunt, causas suas Beneficiales, aliasque Ecclesiasticas apud Regia Tribunalia potiùs, quàm apud Ecclesiastica examinari, & dijudicari; quod ex hodiernâ formâ procedendi in foro Eclesiastico, magna ex parte provenire indubitatum est.

XLVIII. Juxta enim hodiernum procedendi, & litigandi morem, & stylum in judiciis Ecclesiasticis servari solitum, quique ab aliquot seculis irrepsit, nemo nescit, pene citiùs expectandum esse litigantibus finem vitæ, quàm finem litium; plusque & diutiùs tumultibus & jurgiis forensibus implicandos litigantes coram judice Ecclesiastico, quàm Regio. Ut non dicam quòd ordinariè de capacitate Officialium judiciis Ecclesiasticis præsidentium non ea sit oppinio & persuasio in causis, præsertim arduis discutiendis, quæ habetur de Senatibus Regiis: quorum & in judicando integritas sæpè partibus est magis perspecta, quàm ipsorum Officialium: quemadmodum in progressu Operis, ubi de forma judicorum, & appellationum frequentia, item de Officialibus singillatim tractabitur, latiùs ostendetur.

XLIX. Indubiè dolendum est, causas Ecclesiasticas, ipsasque quæstiones, & difficultates inter Ecclesiasticos exorientes passim ad laicalia Tribunalia deferri, ipsosque laicos constitui judices, & arbitros harum controversiarum; & qui à Sacerdotibus judicari, & instrui deberent, ipsos Sacerdotes instruere, & judicare debeant, & eorum quæstiones decidere: ut meritò Ecclesiasticis hodie dici queat quod Christianis ad judicia Gentilium confugientibus exprobrabat Apostolus: *Sic non est inter vos Sapiens quisquam, qui possit judicare inter fratrem suum.* 1. Corint. cap. 6. v. 5.

L. Et quamvis nemo non dubitet, id non exiguum dedecus Ecclesiæ, & opprobrium Cleri cedere, spes tamen exigua id emendandi affulget, nisi ille forensis litigandi modus, & dilationum & appellationum frequentia è judiciis Ecclesiasticii tollatur. Unde Episcopis, & judicibus Ecclesiasticis quærentibus suam jurisdictionem diminui, imò quasi totaliter aboleri, non immeritò dicetur quod ad Eugenium Papam scripsit S. Bernardus *lib.* 1. *de Consid. cap.* 10. » Agitentur causæ, sed sicut » oportet. Nam is modus, qui frequentatur, execrabilis planè, » & qui non dico Ecclesiam, sed non forum deceret. Miror » namque, quemadmodum religiosæ aures tuæ audire sustinent » hujusmodi disputationes Advocatorum, & pugnas verborum, » quæ magis ad subversionem, quàm ad inventionem proficiunt » veritatis. Corrige pravum morem.... Nihil ita absque labore » manifestam facit veritatem, ut brevis & pura narratio."

LI. Interim dum hæc judiciorum Ecclesiasticorum emendatio haberi non potest, Episcopi tenentur, quantum possibile est, intendere, ut lites, & controversias more antiquo, & ad mentem Apostoli, & Ecclesiæ, præsertim inter Clericos super Beneficiis, aliisque materiis Ecclesiasticis sine forensi strepitu componant; seque ita in omnibus agerere, ut Clerici eam de ipsorum integritate, & in judicando æquitate concipiant fiduciam, ut libenter quæstiones ipsorum judicio & arbitrio decidendas subjiciant, exemplo S. Caroli, de quo scilicet Auctor vitæ ejus *lib.* 7. *cap.* 7. » de Litibus est memorabile, Notariis, » Scribisque fori Caroli tempore accidisse, ut peritiam earum » litium, quæ de Beneficiis tam frequentes alibi inter Clericos » esse solent, penè dediscerent. Nulla enim eo vivente lis erat » ejusmodi. Vocatus quisque, nihil agitans, ne cogitans fe- » re quidem, Beneficium accipiebat, sine controversia reti- » nebat, sine auctoritate sui Antistitis non dimittebat, aut per- » mutabat."

Ut hoc ubique per suam Provinciam obtineret, in Concilio VI. Mediolanensis statuit; » Antequam litis, reive alicujus ju- » dicium constituatur, studeant omni æquitatis officio, pater- » noque consilio lites dirimere, controversias sedare, & tran- » sactionibus litigantes reconciliare, &c. Sin autem id assequi » non poterunt, id saltem curent, ut lites breviùs, quàm in » foro laicali moris est, definiantur."

TITULUS III.

De Jurisdictione Criminali.

CAPUT I.

QUÆ JAM PRIDEM FUERIT AUCTORITAS JUDICIS ECCLESIASTICI IN PUNIENDIS DELICTIS CLERICORUM.

1 *Auctoritatem vindicandi crimina Magistratibus Civilibus detulit Apostolus.*
2 *Imperatores correctionem eorum, quæ contra religionem, & disciplinam Ecclesiasticam committuntur, permiserunt Judici Ecclesiastico.*
3 *Constitutio Valentiniani Imp. delictorum hujusmodi correctionem Episcopis asserens.*
4 *Sensum hujus Constitutionis exponit S. Ambrosius.*
5 *Delicta civilia Clericorum judicibus publicis in hac Constitutione reservata.*
6 *Eandem delictorum distinctionem adstruunt Imp. Arcadius, & Honorius.*
7 *Eadem occurrit in Constitutione sub nomine Valentiniani Junioris, & Theodosii.*
8 *Hinc invaluit divisio delictorum in Ecclesiastica, & Communia, quæ hîc describuntur.*
9 *Ecclesiastica Ecclesiastico, communia Civili Judici delata.*
10 *An hæc distinctio per Honorium Imper. aliquando fuerit sublata.*
11 *Certum est Justinianum Imper. eâ distinctione usum esse.*
12 *Non vult tamen Clericum capitaliter puniri à Judice Civili, nisi ab Episcopo exauctoratum.*
13 *Constitutio Justiniani in compendium contracta.*
14 *Posteriore sua Constitutione cavit Justinianus, Clericum à Judice seculari non damnandum, nisi probante Episcopo.*
15 *Id conforme Canonibus sub id tempus editis.*
16 *Sensim omnium delictorum Clericorum sine distinctione cognitio, & punitio Judici Ecclesiastico* privativè *delata.*
17 *Id supponunt Capitularia Regum Francorum.*
18 *Ratio hujus disciplinæ assignatur.*
19 *In recentioribus legibus nulla prædictæ distinctionis delictorum mentio.*
20 *Seculo XI. etiam crimen* furti *à Clerico commissum Judici Ecclesiastico reservatum.*
21 *Articulus Henrici II. Regis Angliæ, quo volebat laicos de aliquibus delictis Clericorum cognoscere, reprobatus.*
22 *In Gallia quoque* indistinctè *crimina Clericorum Judici Ecclesiastico deferebantur.*
23 *Ob hanc disciplinam Gratianus videtur truncâsse legem sub nomine Valentiniani, & Theodosii publicatum.*
24 *Immunitatem Clericorum in criminalibus generaliter expressit Fredericus Imper.*
25 *His consonat jus Decretalium.*
26 *De Jure Decretalium Clericus de crimine assasinatûs convictûs videtur à* solo *Judice Ecclesiastico judicandus.* Cle-

27 *Clericus coram Judice* seculari *falsum deponens, de jure debet judicari in foro Ecclesiastico.*

28 *Synodus Tridentina causas* criminales *tanquam majores Episcopis reservat.*

29 *Non tamen excluditur Officialis.*

I. PUblicam auctoritatem vindicandi crimina esse penes Magistratus civiles, (y) quibus jus gladii est, clarissimè docuit Apostolus in Epistola ad Romanos *cap.* 13. ubi de Potestate sublimiori ait: *Non enim sine causa gladium portat; Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malum agit.* Sensus est: » Gladium gestat, sive Potestas, sive Princeps tanquam » Dei Minister, à quo gladium accepit, aut sit *vindex in iram*, » id est, ut ejus vice ac nomine justitiam exerceat vindicativam » in puniendis iis, qui malum agunt, vel pacem publicam turbantes, vel honestatem vitæ communis lædentes. Ad hoc enim » instituta est potestas *secularis*, ut & pacem publicam conservet, & vitæ communis honestatem tueatur.“ Ita Estius in hunc Apostoli textum.

II. Verùm sicuti Ecclesiæ, atque religionis curam crediderunt Principes Christiani ipsis Episcopis tanquam præcipuis ejus ministris, & Apostolorum successoribus, ita quoque ipsis correctionem eorum, quæ Ecclesiam, & religionem, ejusque disciplinam spectant, ipsis detulerunt; præsertim tamen si quid, quod hanc turbaret, à Clericis seu inferioribus Ecclesiæ ministris fieri contingeret.

III. Extat hac de re Constitutio Gratiani & Valentiniani Senioris Imper. de an. 376. in *Leg.* 23. *Cod. Theod. de Episcopis, & Clericis.* » Qui mos est causarum civilium, idem in negotiis Ec» clesiasticis obtinendus est: ut si qua sunt ex quibus dissenssioni» bus, levibusque delictis ad religionis observantiam, pertinentia, » locis suis, & à suæ Diœceseos Synodis audiantur: exceptis, » quæ actio criminalis ab Ordinariis, extraordinariisque Judicibus, aut illustribus potestatibus audientia constituit.“

Nequaquam obscurum est, Ecclesiasticis Synodis, sive conventibus deferri correctionem delictorum, quæ contra Ecclesiasticam disciplinam, aut religionem committuntur: *si qua sunt ex quibusdam dissensionibus, levibusque delictis ad* RELIGIONIS *observantiam spectantia.*

IV. Id voluisse Valentinianum, indicat quoque S. Ambrosius, de hac Lege ad Valentinianum Juniorem scribens *epistol.* 13. » Nec quisquam contumacem judicare me debet, cùm » hoc asseram, quod Augustæ memoriæ pater tuus non solùm » sermone respondit, sed etiam Legibus suis sanxit: in causa » fidei, vel Ecclesiastici alicujus ordinis eum judicare debere, » qui nec munere impar sit, nec jure dissimilis; hæc enim » verba rescripti sunt: hoc est, Sacerdotes de Sacerdotibus vo» luit judicare, quin etiam si aliàs quoque argueretur Episco» pus, & morum esset examinanda causa, etiam hæc voluit ad » Episcopale judicium pertinere.“

V. Sed quid de civilibus delictis Clericorum, quæ ipsam Reipublicæ tranquillitatem turbant, & cum Laicis communia sunt? Hæc judicibus publicis detulisse videtur his verbis » Ex» ceptis his, quæ ratio *criminalis* ab ordinariis, extraordina» riisque judicibus, aut illustribus potestatibus audientia consti» tuit.“ Hîc pro *audientia* legendum esse, *audienda*, recte notâsse videtur Jacobus Gothofredus: ut sensus sit, ea excipienda esse, quæ actio *criminalis* efficit, ut ab ordinariis, vel extraordinariis judicibus aut illustribus potestatibus *audienda* sint.

VI. Qua distinctione etiam Imperatores Arcadius & Honorius anno 399. usi videntur in *L.* 1. *Cod. Theod. de Religione*, dicentes: » Quoties de *Religione* agitur, Episcopos opor» tet judicare: cæteras verò causas, quæ ad ordinarios cogni» tores, vel ad usum *publici* juris pertinent, *Legibus* oportet » audiri. «

VII. Levia ergo seu Religionem, ac morum sanctitatem lædentia Clericorum delicta, & causas ad Episcopale Judicium spectare voluêre prædicti Imperatores; publica autem, quæ regimen, ac politiam Reipublicæ concernunt, eamque nata sunt perturbare, publicis judicibus reservant: quod & probat *L.* 3. *Cod. Theod. de Episcopali Jud.* quæ Imperatoribus Valentiniano, Theodosio, & Arcadio inscribitur, ubi decernitur, » no» men Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesiæ necessitatibus » serviunt, ne ad judicia, sive ordinariorum, sive extraordi» nariorum judicum pertrahatur: habent illi judices suos, nec » quisquam (vel potiùs *quidquam*) his publicis commune cum » legibus, *quantum* (inquiunt) *ad causas tamen* ECCLESIAS» TICAS *pertinent*, quas decet Episcopali auctoritate decidi. «

Additur & in eadem Lege, quòd si quæstio mota fuerit, quæ ad *Christianam* pertineat *Sanctitatem*, tunc eos decebit sub eo judice litigare, qui *Præsul* est in suis partibus omnium Sacerdotum. Quidquid verò negotiorum *aliunde* incidet, id ipse Præses Provinciæ terminabit.

VIII. Ex his ergo legibus deduxerunt Doctores, duo genera delictorum in Clericis esse distinguenda: ut nimirùm alia sint delicta *Ecclesiastica*, alià verò *communia.* Priora dicit illa, quæ committuntur propriè contra disciplinam Ecclesiasticam, & ordinem sive statum Ecclesiasticum: quæque pœnis Canonicis, puta, exauthoratione, vel communionis privatione, aut Ordinis suspensione castigantur. Hæc Ecclesiastica meritò vocantur, quia ab Ecclesiasticis ut *Ecclesiasticis* committuntur.

Communia dicunt; quæ jure communi, & *publicis* Legibus vindicantur, nec propriè contra Ecclesiasticam disciplinam, sed contra regimen politicum perpetrantur; quæque Cleri non ut *Ecclesiastici*, sed ut Reipublicæ cives committunt; nam ut rectè Cardin. Bellarminus *lib.* 1. *de Clericis*, *cap.* 18. Clerici præterquam quòd Clerici sunt, » sunt etiam cives, & par» tes reipublicæ. «

IX. Quæ ergo Ecclesiastica erant, Episcopis vindicanda permittebantur; quæ verò communia, etiam communibus & osdinariis judicibus deferebantur: idque exemplo militum, quorum crimina, sive admissa, quia aut *propria* aut *cum aliis communia*, etiam & persecutio, aut propria, aut communis est, ut ait Jurisconsultus in *Leg.* 2. *ff. de Re militari.*

X. Credunt nonnulli, eam delictorum distinctionem quoad immunitatem Clericorum à judicio seculari sublatam per Honorii Imp. Constitutionem ann. 412. relatam in *L.* 41. *Cod. de Thed. Episc. & Clericis*, qua decernitur indifinitè: » Clericos non ni» si apud Episcopos accusari convenit. « Deinde additur: » Igi» tur si Episcopus, vel Presbyter, vel Diaconus, & quicun» que inferioris loci, Christianæ legis Minister, apud Episco» pum, siquidem alibi non oportet, à qualibet persona fue» rint accusati, sive ille sublimis vir honoris, sive ullius alterius » dignitatis, qui hoc genus laudabilis intentionis arripiet, no» verit docenda probationibus, monstranda documentis se debe» re inferre. «

Verùm non obstante hâc indefinita expressione, credit Jacobus Gothofredus in notis ad hanc legem post Merlottum in tractatu *de Delicto communi*, *& privilegiato*, Honorium non recessisse ab Antecessorum suorum Constitutionibus, tantumque de *Ecclesiasticis* delictis locutum esse; quod ex ipsis verbis legis ostendere conatur Gothofredus.

XI. Quidquid sit, certum est, Justinianum Imperat. eam rursus delictorum differentiam observâsse in *Novell.* 83. ubi in præfatione §. 2. ait: » Si tamen (Clerici) de criminibus conve» niantur, si quidem *civilibus*, hîc quidem competentes judi» ces, in Provinciis autem earum Præsides, sive judices, « &c. Deinde *cap.* 1. subdit: » Si verò *Ecclesiasticum* sit delictum, » egens castigatione Ecclesiasticâ, & mulctâ, Deo amabilis Epis» copus hoc discernat; nihil communicantibus clarissimis Pro» vinciæ judicibus. Neque enim volumus talia negotia omninò » scire civiles judices; cùm oporteat talia Ecclesiasticè exami» nari, & emendari animas delinquentium per Ecclesiasticam » mulctam secundum sacras, & divinas regulas, quas etiam » nostræ sequi non dedignantur leges. «

XII. Dicit quidem in prima parte, ubi de civilibus delictis loquitur: » Illud palam est, si reum esse putaverit eum, qui » convenitur, Provinciæ præses, & pœnis judicaverit dignum; » priùs hunc spoliari à Dei amabili Episcopo Sacerdotali digni» tate, & ita sub legum fieri manu. « Id enim duntaxat probat, Justinianum quidem voluisse, Sacerdotes accusari posse de *civilibus* delictis coram Præside Provinciæ; sed convictum non pose pœna *capitali* damnari, nisi priùs per Episcopum Sacerdotali dignitate spoliatum, quod hodie per solemnem degradationem contingit; de qua infrà titulo *de Pœnis Ecclesiasticis.*

XIII. Hanc Justianiani mentem in hac Constitutione brevi verborum compendio expressit Irenæus in *Authentica* CLERICUS QUOQUE, §. 1. & 2. » Sed in *civili* crimine *civilis* præsit ju» dex, ut lis ultra duos non egrediatur menses: nec tamen pu» niatur, etiamsi reus sit inventus, priusquam per Episcopum » Sacerdotio spolietur. Si verò crimen sit Ecclesiasticum Epis» copalis erit examinatio, & castigatio. «

XIV. At idem Imperator Justinianus in *Novella* 123. *cap.* 21. decernit: Ut si quis Clericum, aut Monachum, vel Monialem de crimine apud judicem civilem accusaverit, & crimen per legitimam examinationem potuerit approbare, » tunc Episcopo » locorum gesta monumentorum palam faciat; & si ex his ag» noscatur, proposita crimina commisisse eum, tunc ipse Epis» copus hunc secundum regulas ab honore, sive gradu, quem » habet, separet: judex autem ultionem ei inferat legibus con» gruen»

(y) *Ita edocent Leges Hispaniæ* 1. 2. 3. & 18. *cap.* 6. *titul.* 1. *lib.* 4. & *Leg.* 5. *tit.* 10. *lib.* 5. *L.* 20. 57. 58. *tit.* 5. *lib.* 2. *L.* 5. 6. 7. 14. 16. *per totum*, & 18. *tit.* 6. *lib.* 2. *totus Titul.* 7. *lib.* 2. *L.* 9. *tit.* 10. & *totus Titul.* 21. *lib.* 2. *L.* 24. & 30. *tit.* 5. *L.* 28. & 36. *tit.* 6. *Leg.* 14. & 18. *tit.* 9. *Remiss.* 10. 11. 13. 14. & 16. *tit.* 5. *Remiss.* 5. 9. 10. 12. 20. & 23. *tit.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 17. 18. 19. 20. 21. 22. & 23. *per tot. lib.* 8. *Recap.*

» gruentem. Si verò Episcopus putaverit gesta non justè con-
» fecta, tunc liceat ei deferre, & nudare honore, seu gradu
» accusatam personam; ita tamen ut hujusmodi persona sub
» legitima cautela fiat, & ita ad nos negotium tam ab Episco-
» po quàm à judice referatur, ut nos hoc cognoscentes, quæ
» nobis videntur, jubeamus. «

Noluit ergo Justinianus, Clericum etiam apud Judicem civilem de crimine civili accusatum, & convictum condemnari & puniri, nisi Episcopus judicis sententiam probâsset, aut ipsius Principis decisio in casum dissensûs causam determinâsset.

Ex hac posteriore Justiniani Constitutione satis clarum est, Justinianum causas criminales Clericorum, non tantùm in delictis Ecclesiasticis, sed & civilibus, sive communibus voluisse ab Episcopis debere approbari, priusquam executioni mandarentur; aut saltem si Judex secularis & Episcopus dissentirent, causam ad Principem esse referendam.

XV. Id consonat Canonibus seculi VI. qui nolunt Clericis ullam injuriam à judicibus inferri inscio eorum Episcopo; uti loquitur Synodus Matisconensis II. anno 575. *Can. X.* Item Synodus Parisiensis V. *Can. IV.* dicens: » Ut nullus judicum,
» neque Presbyterum, neque Diaconum, aut Clericum ullum,
» aut Juniores Ecclesiæ *sine scientia Pontificis* per se distrin-
» gat, aut damnare præsumat. «

XVI. Sensim autem causas criminales sine criminum distinctione ad judicem Ecclesiasticum etiam *privativè* fuisse devolutas, tam Principum, quàm Pontificum & Synodorum posteriores sanctiones evincunt; quæ nullâ factâ delictorum distinctione, causas criminales Clericorum, Episcopis, sive judicibus Ecclesiasticis deferunt.

XVII. Libro 1. *Capitul. Regum Franc. cap.* 38. sancitum est: » Ut Clerici Ecclesiastici ordinis, si culpam incurrerint,
» apud Ecclesiasticos judicentur, non apud seculares. « Et *lib.* 5. *cap.* 378. » Nemo audeat Clericum, aut Monachum, vel Sanc-
» timonialem fœminam ad civile judicium *accusare*, sed ad
» Episcopum. «

XVIII. Rursus *lib.* 7. *cap.* 422. dicitur: » Placuit, ut Cle-
» rici non distringantur, vel dijudicentur, nisi à propriis Epis-
» copis. « Rationem addit: » Fas enim non est, ut divini mu-
» neris ministri temporalium Potestatum subdantur arbitrio. Nam
» si propriorum Episcoporum jussionibus inobedientes exstite-
» rint, tunc juxta Canonicas Sanctiones per potestates exteras
» adducantur, id est, per judices seculares. «

XIX. Nihil hîc de distinctione delictorum occurrit, sed generaliter Clerici coram judice laico accusari vetantur; uti nec in Responsis Pontificum, aut Synodorum Decretis, quæ aliquot sequentibus seculis publicata sunt; ac generatim Clericorum accusatio coram Episcopis institui, & Clericos eorum sententiâ puniendos, seu condemnandos decernitur.

XX. In Constitutionibus, quas anno 1067. Mediolanensibus observandas præscripserunt Legati Alexandri II. legitur: » In-
» tegram quoque habeat Episcopus in omnem suum Clerum
» canonicè judicandi, ac distringendi potestatem, tam in civi-
» tate quàm extra per omnes Plebes, & Capellas: ut dum Cle-
» rici fuerint à secularis judicii infestatione securi, in divina
» servitute, & Canonum auctoritate consistant quieti, & Archie-
» piscopo suo obediant devoti. «

XXI. Inter consuetudines, quas Henricus II. Rex Angliæ ab Episcopis tempore S. Thomæ Cantuariensis observari, & juramento firmari volebat, erat hic articulus 3. » Cleri citati, &
» accusati de quacunque re, moniti à justitia Regis, venient in
» Curiam ipsius, responsuri ibidem de hoc, unde videbitur Cu-
» riæ Regis, quod sit ibi respondendum. Ita quòd justitia Re-
» gis mittet in Curiam sanctæ Ecclesiæ ad videndum, qua ra-
» tione res ibi tractabitur: etsi Clericus convictus, vel confes-
» sus fuerit, non debet de cætero eum Ecclesia tueri. « *Tom.* 10. *Concil. col.* 1431.

Hunc articulum tanquam immunitati Clericali contrarium damnavit Alexander III. scripsitque ad ipsum Regem Henricum *epist.* 10. » Sicuti Clerici à viris secularibus vitâ, & ha-
» bitu distinguuntur, ita & judicia Clericorum à laicorum ju-
» diciis diversa penitùs comprobantur. Monetque ut negotia Ec-
» clesiastica, & præcipuè criminalia personis Ecclesiasticis trac-
» tanda relinquat. «

XXII. Circa idem tempus legitur contentio inter Ecclesiam Rothomagensem, Wihelmum Normanniæ Senescalum præsentibus Baronibus composita, hoc inter alios articulo: » Imprimis
» determinatum est de Clericis, quòd nulla occasione, à secu-
» laribus potestatibus capientur, nisi pro homicidio, furto, &
» incendio, vel hujusmodi enormi flagitio, quod ad placitum
» gladii pertineat; & tunc cùm requisiti fuerint ab Ecclesiasti-
» cis Judicibus, quieti reddentur in Ecclesiastica Curia ju-
» dicandi. «

XXIII. Itaque eo tempore generaliter invaluerat, ut de crimine etiam civili in Curia Ecclesiastica Clerici judicarentur. Unde Gratianus noster sub hæc tempora Decretum suum conficiens, & ad sui temporis disciplinam respiciens, referensque fragmentum citatæ legis 3. *Cod. Theod. de Episcopali judicio*, quo asseritur immunitas Clericorum, *Caus.* 11. *q.* 1. *Can.* 5. clausulam illam *quantum tamen ad causas Ecclesiasticas* omisit, hunc conflando Canonem: » Continuâ lege sancimus, ut
» nullus Episcoporum, vel eorum, qui Ecclesiæ necessitatibus
» serviunt, ad judicia, sive ordinariorum, sive extraordinario-
» rum judicum pertrahatur. Habent illi suos judices, nec quid-
» quam his publicis est commune cum legibus. «

XXIV. Hanc immunitatem ita generatim ad omnia crimina extensam etiam confirmavit Fredericus Imp. in *Auth.* STATUIMUS, *Cod. de Episcopis*, quâ statuit, » ut nullus Ecclesias-
» ticam personam in criminali quæstione, vel civili trahere ad
» judicem secularem præsumat contra constitutiones Imperiales,
» & Canonicas sanctiones. Quod si actor fecerit, à suo jure ce-
» dat, judicatum non teneat, & judex ex tunc potestate judi-
» candi privetur. «

Ad eam Frederici Constitutionem rectè notat Dionysius Gothofredus, hac constitutione abrogatam fuisse constitutionem Justiniani, quæ super delicto civili Clericum coram judice civili conveniri volebat.

XXV. Hisce conformes sunt Decretales, quæ hodie jus commune Canonicum constituunt, generalem immunitatem, sive privilegium fori Clericis de quocunque crimine reis vindicantes.

Et quidem ex litteris Innocentii III. ad Archiepiscopum Pisanum refertur in *cap.* 12. ✠ *de Foro compet.* » Tam Episco-
» pi, quàm Diaconi, seu quilibet Clerici in *criminali* negotio,
» si derelicto Ecclesiastico judicio, publicis judiciis se purgare
» voluerint, etiamsi pro eis sit lata sententia, locum suum
» amittant. «

XXVI. Imò adeò extensum est hoc fori privilegium in causis criminalibus ex communi Canonistarum sententia, ut nec de crimine assasinatus contra Clericum cognoscere posse judicem laicum sustineant; neque à judice laico ob hujusmodi crimen puniri, nisi priùs à Judice Ecclesiastico condemnatus sit, & declaratus ut talis; quantumvis in detestationem istius criminis in *cap.* 1. *de Homicidio*, in VI. decernatur, quòd Prælatus, seu quævis alia persona Ecclesiastica hoc crimen committens, depositionis à dignitate, honore, ordine, officio, & Beneficio incurrat sententiam *ipso facto*, & postquam probabilibus constiterit argumentis, aliquem scelus tam execrabile commisisse, nullatenus alia sententia depositionis adversus eum requiratur. Videri possunt notat ad *cap.* 96. *practicæ criminalis* Lopez de Salcedo.

XXVII. Videri quoque poterit apud eundem *cap.* 93. *n.* 2. ex communi Canonistarum opinione, inspecto jure communi Clericum, qui falsum testimonium dixit coram judice *seculari* per eum tamen puniri non posse, neque principaliter, nec incidenter.

Quin & simplices Clericos primâ duntaxat Tonsura insignitos de enormissimis criminibus etiam læsæ Majestatis, gravisos fuisse privilegio fori, & ad judicem Ecclesiasticum remitti debuisse seculo XIII. & XIV. multis exemplis ostendit Michael Rousselius in Historia Pontificiæ Jurisdictionis *lib.* 4. *cap.* 2. *n.* 22. & nonnulla antiqua Parlamentorum Arresta referuntur in Actis Cleri Gallicani *tom.* 2. *part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 17. quæ evincunt, latè admodum tunc se extendisse hoc privilegium fori.

XXVII. Synodus Tridentina causas criminales, non secùs ac causas Matrimoniales, solis Episcopis detulit, exclusis judicibus inferioribus *Sess.* 24. *cap.* 20. *de Reformat.* Cùm autem sub eodem verborum contextu tam criminales causas quàm matrimoniales, Episcopis reservet, poterunt hîc sufficere, quæ super hoc Decreto suprà titulo præcedenti *cap.* I. dicta fuerunt.

XXIX. Illud hîc notandum, per Decretum Concilii nequaquam excludi à cognitione causarum *criminalium* Officialem Episcopi: quia hîc vice Episcopi judicat, ipsumque tribunal Officialis reputatur tribunal Episcopale. Quapropter de omnibus causis, quæ Episcopo tanquam Ordinario judici deferuntur, Officialis cognoscere, & judicante poterit (y) nisi specialiter dictum sit, quod *per se ipsum* Episcopus cognoscere, & judicare debeat.

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT I.

CLERICORUM IMMUNITAS NOCERE NON DEBET AUCTORITATI PRINCIPUM SECULARIUM.

1 *Quid Apostoli, quid patres senserint de obsequio, quod Clerici Principibus debent.* A

(y) *De criminibus Clericorum, fori privilegio gaudentium in Hispania Judices Ecclesiastici cognoscunt, ut asserunt leges* 5. 6. & 38. *tit.* 4. *lib.* 3. & *leg.* 1. 2. & 8. *tit.* 4. *lib.* 1. *Recopil.*

2 *A jurisdictione Principum nemo immunis.*
3 *Circa Causas criminales Clericorum plura pro varietate temporum decreverunt Imperatores.*
4 *Exemptio Clericorum in causis criminalibus, & civilibus profluit ex indulto Principum.*
5 *Hujus gratiæ memoriam delevit Gratiani Decretum.*
6 *Oblivioni data est celebris Justiniani Novella* 123.
7 *Exemptio Clericorum in causis criminalibus non eos subducit Principum potestati.*
8 *Ea de re Barclaji sententia exponitur.*
9 *Sua in Clericos potestate exuere se Principes non petuerunt.*
10 *Clerici non secus ac laici membra sunt Reipublicæ.*
11 *Eo principio nititur praxis omnium ferè Regnorum.*
12 *Auctoritas Principum in limitanda Clericorum exemptione.*
13 *Guillelmi Nubrigensis consideratio.*
14 *Mens Christianorum Principum in limitandis Ecclesiæ immunitatibus.*

I. * EA semper extitit virorum Apostolicorum doctrina, Christianos omnes, non Laicos tantùm, sed etiam omnes Ecclesiæ Ministros potestatibus sublimioribus, id est, Magistratibus civilibus, qui gladium portant, sive quibus est jus gladii, subjectos declarâsse unanimi consensu docuêre sancti Patres, ipseque D. Pauli textus verbis adeò generalibus conceptus manifestè evincit. Hinc ex verbis Apostoli id concludit Gregorius Nazianzenus in oratione ad Præsidem iratum, & populum pertimescentem. *Subjecti simus*, inquit, *tum Deo, tum aliis alii, tum iis, qui cum imperio nobis in terra præsunt Magistratibus propter ordinis constructionem. Etiam hæc in legum nostrarum numero est, ut quemadmodum heris servi, uxores mariis, Ecclesia Domino, discipuli Pastoribus, ac Doctoribus obtemperant, ita nos etiam cunctis potestatibus supereminentibus subjecti simus, non tantùm propter iram, sed etiam propter conscientiam, ut qui tributo pendendo simus obnoxii, lex Christi vos quoque meo, tum imperio, tum solio subjicit, nam & nos in potestate sumus.*

Manifestum est Gregorium eo loco loqui de Magistratibus civilibus, à quibus pœnas luendas pertimescebat populus, & quibus conformiter ad textum Apostoli omnes indiscriminatim etiam *seipsum* debere obedire & subjectos esse monet dicens: *nam & nos in potestate sumus.*

Et pressiùs ad ipsum textum Apostoli S. Chrysostomus *Homil.* 23. *in Epistolam ad Rom.* » Potestatibus *ex debito* obedi» re jubet (Apostolus) ostendens quòd ista imperentur omni» bus, & *Sacerdotibus* & Monachis, non solùm secularibus; id » quod statim in ipso exordio declarat cùm etiam dicit: *Omnis » anima potestatibus sublimioribus subdita sit* etiam si Aposto» lus, si Evangelista, si Propheta, sive quisquis tandem fueris; » *non enim pietatem evertit ista subjectio.*"

Hinc & Sanctus Bernardus scribens ad Archiepiscopum Senonensem ex generali Apostoli elocutione concludere non dubitat, & ipsum Archiepiscopum potestati sublimiori se debere agnoscere subjectum, dicens: » cui honorem; omnis anima » potestatibus sublimioribus subdita sit: *si omnis & vestra*, qui » vos excipit ab universitate? Si quis tentat excipere, cona» tur decipere."

Igitur ex sententia Apostoli, Episcopi, & Clerici, non secùs, ac Laici sublimioribus potestatibus obedire jubentur, ipsisque sublimioribus potestatibus & magistratibus auctoritas est coercendi malefactores Clericos æquè ac Laicos, atque utroque respiciunt hæc verba Apostoli: *Non enim sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malè agit.*

II. Hinc evidenti consequentiâ consequitur à Jurisdictione Principum secularium nullum Ordinem sacrum per se, ne quidem Episcopalem, quemquam à potestate Principis, ejusve Magistratûs in causis criminalibus eximere, atque præveniendo omne positivum privilegium Principis cunctos indifferenter, sive Clericos, sive Laicos rempublicam turbantes, legesve politicas violantes per Principem posse coerceri, in eosque gladio materiali animadvertere, tanquam Dei Minister constitutus in iram eis, qui malum agunt.

III. Mirum itaque videri non debet, quòd Imperatores Chistiani circa causas criminales Clericorum, eorumque punitionem, & causarum decisionem, plura pro varietate temporum, & criminum decreverint: ut proinde dubium non sit ipsos existimâsse etiam causas criminales Clericorum, tanquam qui reipublicæ membra unà cùm Laicis eam constituunt, ad se pertinere; atque sibi jus esse his causis decidendis, ac dijudicandis formam præscribere.

IV. Ex his ulteriùs evidenter sequitur exemptionem Clericorum à jurisdictione Laica etiam in causis criminalibus & delictis civilibus, non è jure naturali vel divino, neque ex Ecclesiasticis decretis, sed ex solis Imperatorum & Principum legibus profluere, & de ea statuendum, ac judicandum: unde nec de hac exemptione valet auctoritas Decretalium, sive jus commune canonicum, nisi in quantum illud in hoc articulo est receptum expresso, vel tacito Principum consensu.

V. Unde nec legitur, quòd primis octo ut minus seculis aliunde, quàm ex Principum ordinationibus exemptio Clericorum, etiam in criminalibus fuerit asserta, vel petita; sed id demum post evulgatas falsas Decretales, & receptum Gratiani Decretum, invaluit opinio, quâ absoluta Clericorum immunitas in causis tum criminalibus tum civilibus asserebatur. Tunc oblivioni datum est, quod Clericorum exemptio, quam privilegium *fori* nuncupant, acepta deberetur Principibus, qui eam Ecclesiæ concesserant.

VI. E memoria exciderat Justiniani Novella 123. quæ *numer.* 4. *cap. præced.* relata est. Quamvis in ea Constitutione Imperator voluerit, ut super crimine, de quo Clericus accusatur, coram judice civili ex sententia judicis civilis ad punitionem Clerici non procedatur, nisi priùs gesta seu acta litis Episcopo fuerint notificata, & Episcopus sententiam judicis civilis justam probaverit: nihilominùs patenter indicavit Imperator suam auctoritatem in puniendo crimine Clerici accusati omninò salvam manere, dum in casu dissensus inter Episcopum, & judicem civilem causam hanc criminalem *ad se* referri voluit suâ auctoritate decidendam.

VII. Id rectè notavit Vir eruditus Paulus Venetus in Tractatu, cui titulus: *Considerationes Censurarum Pauli V. Pontificis contra Serenissimam Rempublicam Venetam* apud Melchiorem Goldastum *tom.* 3. *Monarchiæ*, *pag.* 299. Observat, quòd qui Constitutiones legerit Imperatorum, quibus exemptio Clericorum à judicio Magistratuum civilium sive in causis criminalibus legitur indulta, facilè inveniet, & plenariè informabitur, quòd exemptio Ecclesiasticorum fuerit *gratia* ab Imperatoribus facta; & certior, ait etiam inde fiet, quòd *licèt exemptionem à potestate sua Magistratus Clericis concesserint, supremæ tamen suæ Majestatis neminem immunem fecerint*: » Ut ita (inquit idem auctor) cum principatui potestas illa pu» niendi quoscunque contra leges committentes *inseparabiliter* » sit conjuncta: quod idem est, ac si dicas, Principem in suo » statu hunc, vel illum in causis secularibus non habere sub» jectum, & in quocunque etiam alio bonum publicum con» cernente in quantum Princeps non est. Nam quemadmodum » corpus naturale consistere nequit, quod partem aliquam ad » sui integritatem non pertinentem in se habet, ita etiam, & » multò minùs durare potest corpus civile, quod in medio sui » talem aliquam personam habet, quæ in rebus humanis, & » secularibus alium præter suum Principem recognoscit. "

VIII. Similiter Clarissimus Guillielmus Barclajus in suo Tractatu *de Potestate Papæ*, *cap.* 33. postquam in præcedentibus probaverat, tum ex allegato textu Apostoli ad Romanos *cap.* 13. tum ex SS. Patribus & celebrioribus Theologis Christianos omnes, tam Clericos, quàm Laicos in Regum, ac Imperatorum manu, ac potestate fuisse, quandiu fuit Ecclesia sub Ethnicis Principibus, postea ad Fidem conversis Imperatoribus ètiam Clericos omnes eodem ordine, & loco mansisse, quantum ad subjectionem temporalem Principibus Christianis subjectos, quo fuerant sub Principibus Ethnicis, eò quòd lex Christi neminem jure, dominioque suo privet; concludit non tantùm omnes exemptionem Clericorum in causis civilibus, & delictis non merè Ecclesiasticis à Principum liberalitate, & auctoritate emanere, sed insuper quòd non obstantibus omnibus privilegiis exemptionum à foro seculari per Principes hactenùs concessis cuncti Clerici cujuscunque conditionis, & statûs in ditionibus Principum secularium morantes, à potestate, & jurisdictione ipsorum Principum non sint *omninò* exempti; sed & debeant ii tanquam membra, & cives Reipublicæ non secùs, ac laici supremam Principis auctoritatem circa ea, quæ civile & politicum Reipublicæ regimen spectant, recognoscere, eique obedientiam exhibere.

Neque enim, ut idem Auctor rectè advertit, privilegia Principum, quibus Clericis exemptionem à Magistratibus suis civilibus indulserunt, inferunt exemptionem *à suprema Principum potestate*, » legantur enim, (ait Barclajus) quæ de privi» legiis illis scripta sunt, ne minimum quidem in iis tantæ liber» tatis testimonium reperitur: id tantùm Clericis largiti sunt, ne » apud Magistratus seculares, sed apud proprios Episcopos & » Judices Ecclesiasticos conveniantur. Hoc autem non est exi» mere Clericos de potestate ipsorum Principum, aut eorum » Jurisdictioni, Judicioque præjudicium facere, si aliquando » illis libitum fuerit de causis Clericorum cognoscere, quæ mo» dò merè spiritualia non sunt.

IX. » Imò ut ibidem reflectit Barclajus, non potuerunt Prin» cipes, nec adhuc possunt Clericos in suis regnis constitutos » eâ libertate donare, ne ipsis potestati seculari subsint, neve » delinquentes ab iis judicari, & puniri possint, nisi eâdem » operâ sese principatu, atque imperio abdicent: est enim pro» prium Principum, & inseparabile animadvertere posse in » delinquentes, & omnia Reipublicæ membra, cives, inquam, » omnes pœnis, & præmiis legitimè gubernare. "

Et

X. Et sanè enim omnes recognoscant, & fateantur, Clericos non secùs, ac Laicos essse membra, & cives ejusdem Reipublicæ, atque unum corpus politicum unà cum Laicis constituere, uti meritò concludit idem Vir Clarissimus: » Quod ergo, inquit, & cives, & Reipublicæ politicæ partes Principi subsint, nec possint ei in temporalibus, quamvis id ipse vellet, non esse subjecti: alioquin verò, aut ipse Princeps non esset, aut non illi cives.“ De hac salva suprema Principum potestate in quoscunque Clericos gravium criminum reos, non obstantibus privilegiis, & exemptionibus, tractat quoque Michaël Roussellius *in Histor. Pont. Jurisdict. lib.* 4. *cap.* 3. *numer.* 49. & *seq.* qui postquam multis exposuisset hoc privilegium Clericorum, tandem *num.* 49. hoc subjungit monitum: » Sciant Ecclesiastici, vel primores illorum, istud non adeò valere, quin prævaleat Regum, sub quibus degunt, potestas, qui prout lubet, hanc sinunt prærogativam suas habere partes.“

XI. Huic etiam principio innititur hodierna omnium penè regnorum praxis, quòd si contingat oriri controversiam inter Magistratum civilem, & judicem Ecclesiasticum super competentia fori, sivè, ut loquuntur, inter ipsos sit *conflictus jurisdictionis*, decisio hujus controversiæ deferatur ad ipsum Principem, vel ejus supremum Consilium, eò quòd à Principe omnis Jurisdictio contentiosa, quæ circa externam politiam versatur, dimanare, & à Principe nunquam totaliter abscedere credatur. (a)

Capite primo Tituli 1. hujus partis, necnon ad *num.* 14. capitis præcedentis habetur, quòd exemptio Clericorum, tam in civilibus, quàm in criminalibus causis, non tantùm ex Principum benignitate, & voluntate tacita, vel expressâ, originem, suam habeat, sed insuper, quòd non obstantibus omnium exemptionum privilegiis maneat salva *suprema* Principum auctoritas, & imperium in Clericos tanquam Reipublicæ cives, & membra; sed illa auctoritas spectat tantùm ea, quæ politici regiminis esse dicuntur.

XII. Si igitur Principes intelligant exemptionem, quâ hactenùs gavisi sunt, politico, & recto Reipublicæ regimini plurimum officere, ipsamque Clericorum à jurisdictione, & coërcitione Magistratuum secularium exemptionem fovere crimina ob eorum impunitatem, atque hanc subministrare incentivum delinquendi; quidni Principes possint, quin & subinde teneantur pro temporum, & rerum circumstantiis hæc exemptionum privilegia suâ auctoritate limitare, atque circumscribere, & quædam crimina excipere, & formam, & modum de his cognoscendi, & judicandi præscribere.

XIII. Dolendum sanè etiam hodie Episcopos, & Prælatos frequentiùs majori zelo pro tuenda Clericorum exemptione fervere, quam ad criminum correctionem, & castigationem, de quibus meritò dicitur, quòd de similibus suo tempore scribebat Guillelmus Nubrigensis *lib.* 2. *cap.* 16. » Quòd dum defendendis magis Clericorum libertatibus, quàm eorum vitiis corrigendis, resecandisque invigilant, arbitrentur obsequium se præstare Deo & Ecclesiæ, si facinorosos Clericos, quos pro officii debito Canonicæ rigori censuræ subjicere, vel nolunt, vel negligunt, contra publicam tueantur disciplinam.“

XIV. Dum certis quibusdam limitibus privilegia Clericis concessa determinant Principes, dum causas, vel criminales, vel civiles Clericorum ad sua Tribunalia revocant, (b) nolunt Ecclesiasticas exemptiones abrogare; suam quoque non excedunt potestatem, neque immunitati, aut libertati Ecclesiasticæ quidquam detrahunt; id unum intendere videntur, Cleri disciplinam cum auctoritate Principis, & Sacerdotii sanctitatem cum Imperii majestate conciliare, utriusque Potestatis quosdam limites in judiciis temporalibus definire, abusus, qui irrepserunt emendare, atque ita Sacerdotium, & Imperium temperare, ut sit utrumque alterius majestate augustum, alterius sanctitate venerandum.

CAPUT II.

Qua ratione imminutum hodie privilegium fori, et de quibus criminibus Clericorum cognoscant Judices Regii.

1 *Olim latissimè patebat privilegium* fori *Clericis competens.*
2 *Cur privilegium illud facilè indultum fuerit.*
3 *Rationes, quæ moverunt Prælatos, ut hoc privilegium tuerentur, & Principes, ut hoc ipsum confirmarent.*
4 *Circa seculum XIII. & XIV. hoc privilegium impeti cœpit.*
5 *Quærela Concilii Remensis de hac impetitione.*
6 *Concilium vetat aliquam* emendam *per laicos exigi à Clericis.*
* *Nimia exemptionum ostensio.*
7 *Concilium Avenionense prohibet sub pœna excommunicationis personam Ecclesiasticam capi per Judices laicos.*
8 *Concilium revocat omnes licentias datas ab Episcopis capiendi Clericos per Judices laicos.*
9 *Non obstantibus Decretis Conciliorum, equidem magis continuò attentatum fuit contra privilegium* fori.
10 *Vult Concilium, ut in locis, in quibus detinentur Clerici à laicis, cessetur à divinis.*
11 *Decretum Concilii Constantiensis pro immunitate clericali.*
12 *Ex decretis Conciliorum cognoscitur, Magistratus Civiles attentâsse sine speciali auctoritate Regis.*
13 *Seculo XV. aliqua crimina erant reservata ex consuetudine cognitioni Regiæ, etiam contra Clericos.*
14 *Hæc reservatio innittebatur consuetudini, & præsumpto privilegio Pontificio.*
15 *Pro stabilienda consuetudine adferebant criminum impunitatem, quæ dicebatur haberi in tribunalibus Ecclesiasticis.*
16 *Multiplex appellatio à sententia Judicis Ecclesiastici punitionem criminum impediebat.*
17 *Facilis laicorum tonsuratio procurabat impunitatem criminum, de qua querebantur Judices Regii.*
18 *Crimina reservata, & modus procedendi à Judicibus Regiis olim continuò extensa.*
19 *Primitùs tantùm videntur Judices Regii Clericos condemnâsse* pecuniariter.
20 *Successu temporis integram punitionem sibi attribuerunt.*
21 *Quæ crimina dicerentur privilegiata, & quæ communia.*
22 *Cur sic dicta.*
23 *Decretum Francisci I. Regis Galliarum de processu super crimine privilegiato.*
24 *De hoc edicto, tanquam immunitati clericali contrario, quæstus fuit Clerus Gallicanus.*
25 *Moderatio hujus Edicti impetrata ab Henrico III. Edicto Melodunensi.*
26 *Modus procedendi hîc præscriptus multis titulis videtur conveniens.*
27 *Hic procedendi modus per totum Regnum Galliæ fuit extensus, abrogata contraria praxi.*
* *Auctoritas Principis circa crimina privilegiata.*
28 *Edictum Henrici III. nullam facit distinctionem super delictis privilegiatis.*
29 *Hodie plura delicta privilegiata dicuntur ab hoc edicto exempta, & solis Judicibus Regiis reservata.*
30 *Hodie videtur invaluisse distinctio ipsorum criminum privilegiatorum, de quibus Judices Regii, vel soli, vel conjunctim cognoscant.*
31 *Per hanc distinctionem multum detractum auctoritati Ecclesiasticæ.*
* *Princeps quædam crimina cognitioni suorum Magistratuum reservans libertati Ecclesiæ officit.*
32 *Juxta Edictum Henrici III. sive Mediolanense, Clericus accusatus de delicto privilegiato remittendus* est *ad Episcopum proprium.*
33 *Episcopus aliquando tenetur deputare Vicarium, qui de crimine cum Judice Regio cognoscat.*

(a) *Cùm Civiles leges ligent, ut ait lex* 1. *tit.* 1. *leg.* 1. *Recopilat. ibi*: Y es la ley comun, asi para varones, como para mugeres, de qualquiera edad y estado que sean; y es tambien, (*ut ait L.* 5. *ejusdem tit. & lib.*) para los sabios, como para los simples: *dubium non apparet, ad earum observantiam Clericos obstrictos esse, præcipuè eas, quæ ad bonum commune spectant, ut constat ex Acto Acordat.* 4. *tit.* 18. *lib.* 9. *Recop. verb.* cuyas leyes y Reales resoluciones, *id est leg.* 11. & 12. *tit.* 3. *lib.* 1. *ejusd. Recop.*

(b) *De utriusque Jurisdictionis fines non erit superfluum exponere, quod vir illustrissimus De Marca docuerit in admonitione, quam præfixit operi* de Concordia Sacerdotii, & Imperii. » *Utraque potestatem (inquit) suis limitibus est circumscripta, Si-*

» *& in dissitis omninò negotiis exercetur, cùm illa spiritualibus* » *addicatur, hæc publicis occupata sit: sed ferente rerum constitutione, adeò vicinæ sunt ambæ, ut difficile sit etiam prudentissimo cuique fines controversos dirimere, certæ quidem* » *regulæ in genere assignari possunt, quibus invicem distermi-* » *nentur; sed multa accidunt in specie proposita, qui peritis-* » *simos arbitros fallant, vetentque ne fines, ut par est, inter* » *eas Potestates regere possint. Quæ locum habent, non in con-* » *troversiis fidei, quæ longo intervallo remotæ sunt à cognitione* » *Principum, nec in rerum publicarum administrationibus, quæ* » *alienæ sunt à cura pascendi gregis: sed in plurimis disciplinæ Capitibus, quæ personas aut res ipsas respiciunt.*“

34 *Similiter & in causa appellationis Vicarius, nominandus de Diœcesi, in qua prima sententia fuit prolata.*
35 *Privilegium Episcopi Parisiensis cognoscendi de crimine omnium Clericorum, qui in civitate Parisiensi capiuntur*
36 *Causa pendente in Parlamento Regio deputandi Consiliarii Ecclesiastici ab Episcopo.*
37 *Cur id specialiter indultum supremis Curiis.*
38 *Remissione Clerici facta ad judicem Ecclesiasticum, causa conjunctim cum judice Regio instruenda est.*
39 *Causâ conjunctim instructâ, sententia per utrumque judicem separatim proferenda.*
40 *Absolutus à Judice Ecclesiastico potest super eodem delicto condemnari à judice Regio.*
41 *Judex Ecclesiasticus non potest Clericum dimittere è Carcere sine consensu judicis Regii.*
42 *Appellans à sententia judicis Ecclesiastici remittitur ad Superiorem Ecclesiasticum; & quem effectum hæc appellatio habeat.*
43 *Modus hic procedendi super crimine privilegiato in Belgio hactenus non est præscriptus.*
44 *Multa crimina dicuntur privilegiata in Flandria.*
45 *Quid de his habeant Concordata Brabantiæ.*
46 *Hæc Concordata non omnia crimina capitalia habent pro privilegiatis.*
47 *Concordata tantùm loquuntur de simplicibus Clericis primæ Tonsuræ.*
48 *Cur Praxis Galliæ faciliùs communicari potuerit Flandriæ, quàm Brabantiæ.*
49 *Clerici delinquentes in officio seculari non gaudent privilegio clericali, etiam juxta Concordata Brabantiæ.*
50 *Idipsum in Flandria & Gallia usitatum.*
51 *Plura per Ministros Regios paulatim inducta contra immunitatem Ecclesiasticam ultra tenorem Edictorum Regiorum, & Concordatorum.*
52 *Quibus modis his occurrere possent Episcopi.*
* *In Hispaniis jam pridem nota crimina privilegiata.*
* *Orator Hispanus in Concilio Tridentino reclamat adversus quosdam articulos oppositos jurisdictioni Regis Catholici in puniendis Clericorum criminibus.*
* *Modus procedendi in causis criminalibus Clericorum dici debet protectio statûs Politici.*
* *Oppositione Oratoris Hispani factum est, ut prædictos articulos Synodus Tridentina expunxerit.*

I. LAtissimè jam pridem patuisse privilegium Clericale, quod *fori* vocant, in materia criminali, capite præcedenti ostendimus; adeò ut Clerici, tametsi enormium criminum rei & convicti, à Judice Ecclesiastico duntaxat judicari, & condemnari possent: qui convictos solebat non publico, aut capitali supplicio damnare, (nec enim per se poterat) sed carceri perpetuo, jejunioque panis, & aquæ, similibusque pœnis castigare.

II. Hoc facilè indulgebatur, ut vel sic Clerici ad meliorem frugem revocarentur, & Ordinis Ecclesiastici dignitati consuleretur; cavereturque, ne Sacerdotalis Ordo secularium insultationi exponeretur: quemadmodum Prælati Gallicani Ludovico Pio jam pridem repræsentârunt, ut Ebbonem Archiepiscopum Remensem de crimine rebellionis convictum Synodi judicio puniendum dimitteret: » Ut parceretur (inquiunt) ipsius verecundiæ, ac propter etiam Ecclesiæ oprobrium, & » insolentem secularium insultationem; tum ne dignitas Sa» cerdotalis pollueretur, si publicè Ebbo de his, quibus impe» titus, & adhuc impetendus erat, convictus foret. «

Ita refert Hincmarus in Opusculo contra Gothoscalcum *cap.* 36.

III. Et sanè quis ambigat, quin contumeliosum appareat Ordini Sacerdotali, ipsos Sacerdotes propalam in plateis publicis coram populo necari, aut corporalibus suppliciis affici? Quod & pagani ipsi agnoverunt. Nam decori Vestalium dabatur, ut daturæ pœnas, ludibrio, & oculis vulgi subtraherentur defossæ in specum vivæ.

Scitur quoque quanto & ipsis Laicis scandalo sit, dum ipsa Clericorum crimina propalantur, & omnium oculis exponuntur; quantumque hæc Laicorum erga Sacerdotes venerationem, & obedientiam diminuant. Mirum proindè videri non debet, quòd Imperatores & Principes Christiani aliquando admodum favorabiles fuerint in remittendis Clericorum delictis ad Judices Ecclesiasticos: ipsique Episcopi etiam Sanctissimi tanto zelo, & labore hoc privilegium *fori* vindicaverint. & contra Laicorum conatus defenderint.

IV. Porrò quemadmodum circa seculum XIII. & XIV. privilegium fori in materia civili à nonnullis impeti & sensim arrodi cœpit, uti *tit.* 1. *cap.* 3. ostensum est; ita circa idem privilegium in materia criminali contigisse, vel ex solis Synodorum Decretis contra hosce laicorum insultus intelligimus.

V. Concilium Remense celebratum apud Compendium anno 1301. imprimis » statuit, & decernit, quod si in aliqua » civitate, vel in aliquo loco Remensis Provinciæ contingat » quandoque Clericum detineri per laicalem justitiam, post» quam dictus Clericus fuerit ab Episcopo loci illius, vel ab » Officiali, vel Decano rurali, seu ex parte alicujus eorum le» gitimè requisitus, cessetur à Divinis in loco captionis & » detentionis, quousque fuerit competenter restitutus.“

Deindè *Can. II.* vult Concilium, » si Clericus per justitiam » secularem laicalem capiatur in aliqua Diœcesi, & extraha» tur ab ea, & ad aliam deducatur, *cessetur* similiter à divi» nis in loco, ubi fuerit captus, & in locis ipsius capientis, » per quem fuit deductus, quousque ad dictam Diœcesim fue» rit readductus, & sufficienter restitutus. «

VI. Denique *Can. III.* sub pœna excommunicationis inhibet laicis, ne occasione excessuum Clericorum aliquid exigant vel levent: » Cum (inquit Concilium) per justitiam laicalem » non debeant puniri excessus Clericorum, nec ab eis levari » emenda de eisdem, cum hæc ad solos Judices Ecclesiasti» cos, non seculares pertinere noscantur. «

* Ex his Decretis intelligitur, quòd exemptio Clericorum in causis criminalibus tunc temporis summum incrementum cœpisset: imò adeò quidem invaluerat circa hæc secula, maximè post editas Decretales Gregorii IX. exemptio Clericorum præsertim in causis criminalibus à foro seculari, ut passim Doctoribus (qui penè unicè hisce Decretalibus insistebant) persuasum esset, eam exemptionem esse *Juris Divini*: & consequenter nulli humanæ constitutioni, ac præsertim laicæ esse subjectam, ipsasque Magistratuum aut etiam Principum Ordinationes, aut placita huic exemptioni quacunque ratione contraria esse mera attentata, utpotè huic immunitati divinâ ordinatione inductæ opposita; ut proindè mirum non sit, quòd, dum Principes & Magistratus civiles crimina Clericorum ad conservandam pacem & tranquilitatem Reipubliæ ad sua tribunalia revocare voluerunt, nonnunquam zelo indiscreto sese oppossuerunt Episcopi, ac notanter Romani Pontifices, variasque Principes passi sint oppositiones, atque variis modificationibus pro temporum, & locorum circunstantiis uti debuerint, quemadmodum & in causis civilibus eos uti debuisse ostensum est.

VII. Atque istas oppositiones Principum non pluris fecisse videtur Concilium Avenoniense anno 1326. quippe *Can. XIV.* sub pœna excomunicationis ipso facto incurrendæ prohibet Judicibus, & Magistratibus Laicis aliquam personam Ecclesiasticam capere; „ nisi fortè in eo duntaxat casu, cùm scilicet eos ad» huc flagrante crimine capi contigerit, antequam ad alios ex» traneos actus divertant, rectâ viâ eos ad Curiam Ecclesiasticam » duxerint, & eos restituerint sine fraude.“ (c)

VIII. Illud notandum occurrit, quòd Concilium revocet omnes licentias aliquando ex causa eis (Magistratibus civilibus) ad certum tempus, vel simpliciter ad certas personas ab Archiepiscopis, vel Episcopis concessas: „ eò quòd hac occa» sione, manus temerarias ad capiendum Clericos passim, & » indifferenter, inciviliter, & eo modo, quo possint turpiùs, ad » majorem confussionem Ecclesiæ ac Cleri extendere non ve» rentur.“

Quidni ex his licentiis nonnunquam forsan faciliùs, & liberaliùs concessis, sensim major accesserit Magistratibus laicis capiendi Clericos audacia & libertas.

IX. Id equidem videmus, sensim magis laicos contra Clericale hoc privilegium attentâsse. Conqueritur enim Concilium Parisiense anno 1346. *Can.* 1. quòd » justitia secularis Clericos, » & personas Ecclesiasticas de die in diem capiat, & capi fa» ciat, & captos, seu captas in prisionem seu carcerem de» trudat, seu detrudi; detineat, seu detineri; & quod gra» vius est, torqueat, seu torqueri; ultimo supplicio tradit, » seu etiam tradi faciat, in præjudicium jurisdictionis Ecclesias» ticæ libertatis. «

X. His attentatis occurrere volens Concilium statuit: „Si con» tingat Clericum, seu personam Ecclesiasticam in villis, seu cas» tris, aut locis Diœcesis, aut Provinciæ Senonensis capi per judi» cem secularem, seu detineri, vel ultimo tradi supplicio, ju» dex requisitus, seu monitus de reddendo eundem Clericum » seu illam personam.... ipsius, suo judici Ecclesiastico non » redidderit, seu restituerit, vel reddere, aut restituere nolue» rit, seu recusaverit, aut plus debito distulerit, in sua mali» tia perseverans; cessetur à Divinis.“

XI. Similia & in aliis Conciliis etiam seculo XV. occurrunt; ac notanter in Concilio Constantiensi anno 1417. » Nul» lus Ecclesiasticam personam in criminali quæstione, vel ci» vili, ad judicium seculare præsumat attrahere contra canoni» cas sanctiones, & contra Constitutiones Imperiales.“

XII. Cùm hæc Decreta dirigantur contra Magistratus, & judi-

(c) *Ita infertur in Hispania ex leg. 9. tit. 3. leg. 7. in fine tit. 4. & Remiss. 1. tit. 4. lib. 1. Recop.*

dices immunitatis Clericalis infractores, admodum » verisimi- » le est, magistratus & judices id propria auctoritate attentâsse."

Et sanè si Regiâ auctoritate, seu aliquo possitivo Principis Edicto fuissent suffulti, nunquam eas pœnas, & censuras Episcopi in ipsos evibrâssent; sed potiùs ipsi Principi pro revocatione, suspensione, vel moderatione sui Edicti supplicâssent.

XIII. Negare tamen non possumus, nonnulla delicta atrociora seculo XV. jam tum Regiæ cognitioni ex consuetudine fuisse reservata; idque etiam contra Clericos, quemadmodum antiqui Practici, Massuerus, Aufrerius, & post hos Guillielmus Benedicti ad *Cap. Raynutius* unanimiter testantur, & signanter Benedicti ait *num.* 435. „ Cognoscit Rex & ejus Officia- » rii de omni crimine *privilegiato*, ut sunt crimen læsæ Majes- » tatis, falsæ monetæ, infractio salvægardiæ Regiæ, vel assecu- » ramenti brisati. Et procedere consuevit etiam contra Cleri- » cos de præmissis, vel aliquo præmissorum inculpatos: vel si » manum Regiam violaverint, & de quibusdam aliis, quæ *pri-* » *vilegiata* dicuntur."

XIV. Illud tum ex Guillielmo Benedicti, tum aliis antiquioribus auctoribus patet, hanc auctoritatatem cognoscendi de delictis Clericorum tunc consuetudini adscriptam fuisse; quam privilegio Pontificio dicebant innixam.

Aufrerius enim de Potestate seculari in Ecclesiasticos *Reg.* 1. *Fall.* 12. postquam dixit, quòd in casu violationis, seu infractionis salvægardiæ Judices Regii contra Clericus quoscunque cognoscere consueverint, & hujusmodi Clericos *pecuniariter* punire, subjungit: » Et de hoc Res, & ejus Officiarii sunt in » possessione, & saisina à tempore cujus initii memoria non exis- » tit, quòd tempus immemoriale, juxta Theoricam Joannis Mo- » nachi, operatur idem quod privilegium."

Post hæc dicit: „ Nec obstat, si dicatur illud locum habe- » re, quando præscribens est capax possessionis; secùs ubi es- » set incapax.

» Ad quod respondetur (ait Aufrerius) verum esse regula- » riter, quod ex solo cursu temporis quis fieri non potest ca- » pax de incapaci; fallit tamen, si unà cum tali possessione im- » memoriali concurrat *fama privilegii*; quia ne propter diffi- » cultatem probandi rem antiquam pereat jus partis, præsumi- » tur *pro privilegio*; non ergo solum tempus hoc inducit, sed » præsumptio privilegii probata diuturnitate famæ.... Quòd au- » tem facultas cognoscendi, civiliterque puniendi de certis cri- » minibus aliquorum Clericorum per judicem secularem sit quæ- » sibilis *privilegio*, jam satis tactum esse videtur in prima fal- » lentia.....Sed sic est, quod in nostro casu unà cum prædicta » possessione immemorabili concurrit fama privilegii. Et præ- » sertim, quia scientia Principis cum tollerantia in materia quæ- » sibili privilegio facit validam consuetudinem generalem præ- » sentis Regni.

Ex his manifestum est, judices Regios auctoritatem hanc sensim assumpsisse cognoscendi de quibusdam criminibus Clericorum, eamque non in aliqua positiva Ordinatione Regia, » sed possessione, & præsumpto privilegio, atque tacita Princi- » pis approbatione ex tolerantia resultante, fundâsse."

XV. Hanc possessionem contra immunitatem Clericalem tot Conciliorum Canonibus, & Principum legibus expressam, & firmatam, tuebantur judices Regii, vel eo præcipuè prætextu, quod Clericorum crimina apud judices Ecclesiasticos essent impunita; ipsaque impunitas incentivum daret peccandi; idque in summam Reipublicæ, & humanæ societatis turbationem & nocumentum; quemadmodum jam pridem coram Philippo Valesio conquerebantur Petrus Cugnerius; & latiùs Paponius *lib.* 1. *tit.* 5. *Arrest.* 34. ubi in hanc impunitatem refundit hanc criminum privilegiatorum reservationem.

XVI. Similiter Guillelmus Benedicti *num.* 443. postquam & dixit *simplices* Clericos, qui arma portârunt in exercitu, ex consuetudine Regni Galliæ puniri per judices Regios sine prævia degradatione, aut cognitione judicis Ecclesiastici, rationem addens ait: „ Aliàs multa sequerentur & infinita scandala, si ju- » dices seculares haberent in talibus expectare judicis Ecclesias- » tici declarationem, & simplicium Clericorum degradationem: » à qua declaratione appellarent criminosi ad Metropolitanum, » & deinde ad Papam: & sic crimina puniri non possent sine » magno circuitu, sumptibus & laboribus, ac periculo perdi- » tionis prisioneriorum, sic traducendorum: ex quo tota secu- » laris justitia remaneret illusa, crimina impunita, & patria scan- » dalizata."

XVII. Deindè quòd notandum adjungit: „ Viso maximè » hodierno more, quod nomini Episcopi omnes, & quoscunque » etiam armigeros, & laboratores, ac vagabundos tonsurant; » imò jam conjugatos promovent ad Clericatum, quorum plu- » res tonsurantur, ut liberiùs delinquere possint, & corporalem » securiùs evadere punitionem."

Indubiè hæc facilitas tonsurandi, atque hoc pacto subtrahendi quoscunque etiam laicos malefactores jurisdictioni seculari, eisque hoc pacto impunitatem procurandi; judicibus Regiis occasionem contra criminosos sine respectu privilegii Clericalis præbuit procedendi, atrocioraque crimina Rempublicam præcipuè conturbantia, & auctoritatem Regiam læd entia, suæ cognitioni servandi.

XVIII. Cùm autem hæc crimina, ac modus procedendi contra Clericos criminosos nullâ positivâ Ordinatione essent expressa, aut determinata; nec ubique praxis fuit uniformis, nec semper eadem permansit; sed continuò per judices Regios, quibus major erat potestas, extensa; ut mirum non sit, si frequenter Prælatos inter & judices Regios fuerit super his contentio.

XIX. Et quidem teste Aufrerio, eo tempore moris erat, quòd executio emendæ per Clericum debitæ ratione violationis salvægardiæ Regiæ fieri deberet in bonis immobilibus temporalibus. » Unde (ait Aufrerius) anno Domini 1399. die prima » Martii, cum quidam Clericus in simili casu condemnatus in » emendam, non haberet temporale, dictum fuit per Curiam » Parlamenti, quòd idem Clericus solutus teneret prisionem in » curia Episcopi Parisiensis usque ad satisfactionem. Et hoc, ne » Arrestum primum remaneret illusorium, & quia dicta emen- » da descendebat ex delicto."

Hinc apparet, primitùs tantùm judices Regios condemnâsse Clericos *pecuniariter*; nec suis carceribus, sed Episcopali carceri mandâsse.

XX. Successu verò temporis integram cognitionem, & punitionem criminum *privilegiatorum* sibi judices Regii arrogabant, solâ cognitione, & judicandi auctoritate delictis *communibus* judici Ecclesiastico relictâ.

XXI. Crimina autem *privilegiata* censebantur atrociora crimina, quæ directè ad turbandam quietem publicam tendebant; uti sunt crimina læsæ Majestatis, aliaque similia.

Communia verò, quæ præcipuè ipsam Ecclesiasticam œconomiam, & Sacrorum administrationem spectabant; atque ideò & *Ecclesiastica* dici poterant, quæque canonicam pœnam merebantur. Imò unum, idemque crimen potest esse privilegiatum, in quantum lædit Rempublicam, & eatenus pœna civili puniendum; & *commune*, quatenus disciplinæ Ecclesiasticæ opponitur, & pœnâ etiam Canonicâ reus plecti meretur.

XXII. Cur autem crimina ad forum seculare contra *privilegium* Clericale spectantia nomen *privilegii* acceperint, & *privilegiata* fuerint vocata: & è contra quæ ex *privilegio* fori ad judicem Ecclesiasticum spectant, *communia* fuerint appellata, non malè expressisse videtur Michael Roussellius in Historia *Jurisdiction. Pontif. lib.* 4. *cap.* 3. *num.* 6. » Quia *privilegium* » quasi constitutum est laico judici, ut de illis cognoscat; nem- » pè quoniam Ecclesiastici videbantur præscripsisse omnium cri- » minum in seipsos cognitionem, privilegio fuerit opus, ut non » obstante illa præscriptione, notionem hujusmodi criminum » haberent seculares Magistratus."

Et quanquam, inspecto primævo jure, crimina illa, quæ ex *privilegio* fori spectant ad cognitionem Judicis Ecclesiastici, excluso judice seculari, potiùs viderentur dicenda esse *privilegiata* à *privilegio* fori, uti quoque notat ibidem Roussellius; nihilominus usus invaluit, ut hæc dicantur crimina *communia*, quasi circa hæc juxta jus commune procedatur.

XXIII. Cùm autem Judicibus Regiis super processu criminali contra Clericos accusatos de crimine privilegiato sæpè molestia moveretur à Judicibus Ecclesiasticis, tandem certus modus à Francisco I. præscriptus fuit Edicto Molinensi anno 1566. *art.* 39. quo declaravit, non esse remittendos Clericos accusatos de crimine *privilegiato* ad Judicem Ecclesiasticum pro delicto *communi*, nisi priùs super delicto privilegiato Judices Regii cognoverint, & judicaverint.

Verba Edicti sunt: *pour obvier aux difficultes qui se sont cydevant presentées en la confection des procez criminels des personnes Ecclesiastiques mesmement pour le cas privilegié; Ordonons, que nos Juges & Officiers instruiront & jugeront en tout cas les delictes privilegiez contre les personnes Ecclesiastiques, auparavant que faire aucun delaissement d' icelles à leurs Juges d' Eglise, pour le delict commun. Lequel delaissement sera fait à la charge de tenir prison, pour les peines du delict privilegié, où elles n' auroient etè satisfaictes, & desquelles respondront les Officiers de l' Evesque en cas d' elargissement par eux fait, avant la satisfaction desdites peines.* Id est: » Ad obviandum difficultatibus, quæ antehac occurrerunt » in processu criminali personarum Ecclesiasticarum, etiam in » casu privilegiato: Mandamus, ut Judices, & Præfecti nostri » instruant, & judicent, quicunque fuerit casus, delicta privi- » legiata adversus personas Ecclesiasticas, priusquam Judicibus » suis Ecclesiasticis pro delicto communi dimittantur. Quæ di- » missio fiet sub onere eos carceri mancipandi in pœnam delic- » ti privilegiati, si pro eo non satisfecerint. Si verò è vinculis » ante persolutam pœnam eximantur, id periculo Ministrorum » Episcopi, qui hoc admiserint, factum fuerit.

XXIV. Itaque Judices Regii juxta hoc Edictum poterant condemnare Clericum sine præsentia judicis Ecclesiastici, & antequam judex Ecclesiasticus de crimine cognosceret. De quo Cle-

Clerus Gallicanus, tanquam de vulnere mortali Clericali immunitati inflicto, suas querelas iteratò deposuit, donec tandem anno 1580. sub Henrico III. per Edictum Melodunense prioris Edicti mitigationem obtinuit.

XXV. Mitigatio autem in hoc præcipuè consistit, quòd instructio litis contra personas Ecclesiasticas super crimine privilegiato debeat *conjunctim* per judicem Regium, & judicem Ecclesiasticum institui, & judex Regius teneatur accedere Curiam Ecclesiasticam in ordine ad formandam dictam instructionem. Verba Edicti *art.* 22. sunt: *L' instruction det procez criminels contre les personnes Ecclesiastiques pour les cas privilegiez, se fera conjointement tant par les Juges desdits Ecclesiastiques, que par nos Juges. Et en ce cas seront ceux de nosdits Juges, qui seront commis pour cet effect, tenus aller au Siege de la jurisdiction Ecclesiastique.* Id est: » Instructio causarum criminalium contra personas Ecclesiasticas pro casu » privilegiato conjunctim fiet, tum per Ecclesiasticos, tum per » nostros Judices. Quo casu Judices nostri, qui ad eam causam deputabuntur, Curiam Ecclesiasticæ Jurisdictionis accedere tenebuntur."

XXVI. Hic procedendi modus pluribus titulis conveniens visus est. Imprimis dum utraque potestas, scilicet Ecclesiastica, & Regia in unum conveniunt, illustrior redditur conventus. Adhæc utrâque potestate uni, eidemque causæ incumbente, & allaborante, facilè omnibus suadetur, nec à justitia per unam potestatem nimiâ conniventiâ deflecti, nec innocentiam per aliam opprimi. Ulteriùs hâc formâ procedendi evitatur contentio sat frequens in Provinciis, in quibus hæc forma procedendi non erat in usu, super qualitate criminis, num esset commune sive Ecclesiasticum, num esset privilegiatum.

Hâc quoque procedendi formâ fit, ut si contingat, Clericos absolvi à pœnâ corporis afflictiva, aut civili, remittaturque judici Ecclesiastico puniendus solâ pœnâ Canonicâ, dici nequeat, judices Ecclesiasticos esse similes pristino Senatui Romano, qui teste Plinio *lib.* 9. *Epist.* 13. » Sævus in cæteros, Senatoribus » solis quasi mutuâ dissimulatione parcebat."

XXVII. Hinc tandem factum est, hanc formam processûs ita placuisse, ut per Edictum Regium anno 1678. & confirmatum per declarationem anni 1684. per totum Regnum Galliæ extensa fuerit, abrogatâ praxi, & formâ procedendi contrariâ in quibusdam Provinciis hactenus observatâ; uti monet Claudius Fleury *parte* 3. *Institut. Juris Can. cap.* 14.

* Ex iis, quæ dicta sunt de crimine *privilegiato*, de modo, quo variis Regum Edictis crimen illud judicari debet, necnon de Cleri Gallicani pro eorum Edictorum obtinenda mitigatione ad Regum recursu, manifestum est, Reges non dubitâsse, quin sibi competeret auctoritas privilegia exemptionis restringendi, & quædam atrociora crimina justis de causis sibi reservandi, modumque præscribere procedendi contra similium criminum reos, ipsumque Clerum Gallicanum per suum ad Regum recursum eam in Rege auctoritatem palam agnovisse.

XXVIII. Edictum Melodunense suprà relatum nullam facit delictorum *privilegiatorum* distinctionem; sed de his omnibus indistinctè loquitur, & vult esse judicium commune inter Judicem Ecclesiasticum, & Regium, sive secularem.

XXIX. Verùm hanc communionem tandem Judices Regii respuerunt circa delicta atrociora, quemadmodum testatur Michaël Roussellius *loco citato num.* 8. referens » inter atrocia de» licta læsæ Majestatis Divinæ, & humanæ, parricidium, homi» cidium datâ operâ & ex insidiis commissum, sodomia & cæ» tera hujusmodi, quæ horrori sunt & detestationi." Quin addit Claudius Fleury *loco citato*, judices Regios rarò ad judicem Ecclesiasticum remittere in casibus, quibus pœna *corporalis* locum habere potest.

XXX. Hinc ipse Roussellius enumeratis delictis *privilegiatis* ad judicis Regii cognitionem spectantibus, *num.* 24. ponit hanc conclusionem: » Sit igitur ex præmissis distinctio crimi» num, ut quædam privilegiata sint pro foro seculari cujusmo» di *atrocia omnia*, ut non requiratur *præsentia* judicis Eccle» siastici. Alia privilegiata pro foro Ecclesiastico, ut ad aliud » remittantur Clerici rei, sed judicandi assistente Regio judice, » & procuratore, ac ea fortassè *communia* dicuntur, quoniam » ipsorum cognitio utrique judici *communis* est."

Eandem distinctionem delictorum *privilegiatorum* tanquam hodie usitatam asserit Claudius Fleury *P.* 3. *Instit Juris Can. cap.* 14. aitque, delicta privilegiata *solis* judicibus Regiis reservata, esse *læsæ Majestatis*, & alia, quæ eò reducuntur, puta, falsæ monetæ: & generaliter non solere remitti ad judicem Ecclesiasticum, dum occurrunt casus, quibus pœna *corporalis* infligi posset. Verba auctoris sunt: *Ily en a de tellement privilegiez, que les Juges laiques en cognoissent seuls, sans donner part à l' Official de leur procedure, ny avoir aucun égard au privilege criminel. Tel est le crime de lése Majesté, & ceux que l' on y rapporte, comme la fausse monoye. Et en général, ils ne renvoyent guere au Juge Ecclesiastique dans le cas où la peine afflictive peut avoir lieu*: Id est: » Quædam crimina eò us» que privilegiata sunt, ut de iis soli Judices Laici cognoscant, non » communicato cum Officiali processu suo, aut habitâ privile» gii criminalis ratione. Tale est crimen læsæ Majestatis, & ea, » quæ ad id reducuntur, quale adulteratæ monetæ flagitium. » Et generaliter vix ad Ecclesiasticum Judicem remittunt, dum » pœnæ corporali in casu locus est."

XXXI. Si hodiernam Parlamentorum, & Magistratuum Civilium praxim rectè hi auctores expresserint, apparet, jam tandem crimina, quæ olim sola dicebantur *privilegiata*, non tantùm non spectare ad cognitionem judicis laici *conjunctim* cum judice Ecclesiastico; sed ab horum cognitione Judices Ecclesiasticos esse submotos: atque crimina *privilegiata*, de quibus Edictum Melodunense vult conjunctim cognosci, esse redacta ad crimina *leviora*, quæ pœnam aliquam civilem merentur, eò quòd & Civili policiæ adversentur.

Id & ipse Roussellius haud diffiteri videtur, dum *num.* 52. dicit crimina simplicia, quæ ad *solius* judicis Ecclesiastici notionem spectant, esse illa, quæ solâ castigatione Ecclesiasticâ indigent.

Si hæc vera sint, videant ipsi Prælati, quâ ratione huic Regiæ jurisdictionis amplificationi in diminutionem suæ auctoritatis & jurisdictionis occurrere queant, eamque postliminio revocare, ad eos saltem terminos, quos ipsi Reges suis Edictis expresserunt: interim praxim hanc sat recentem esse, fidem facit famosus Galliæ Jurisconsultus & Practicus Claudius de Prestre, qui *Cent.* 1. *cap.* 20. dicit, se non vidisse unquam negatam remissionem Clerici, nisi in crimine læsæ Majestatis, vel nisi Clericus captus esset in veste seculari, (d) quantumvis aliàs ageretur de crimine valde atroci, quorum plura exempla allegat.

* Quod hîc dicitur per distinctionem delictorum vulgò *privilegiatorum*, in ea, de quibus solus Judex Regius cognoscit, & in ea de quibus Judex Ecclesiasticus unà cum Judice Regio judicat, detractum esse Jurisdictioni Ecclesiasticæ, intelligi debet de Ecclesiastica Jurisdictione, prout hæc sensim tum ex gratia, & privilegio Principum, tum postremis seculis per Decretales Pontificum ad omnia Cericorum delicta fuerat protensa; de reliquo nihil Jurisdictioni, aut libertati Ecclesiæ per Principes hac criminis distinctione detrahi, constat ex capite primo, & ejus Suplemento, hujus tituli ubi notatum fuit, non obstantibus omnibus privilegiis per Principes Ecclesiæ indultis, semper mansisse integram supremo Principi auctoritatem vindicandi & puniendi delicta atrociora Clericorum, Rempublicam curæ suæ commissam perturbantia. (e)

XXXII. Juxta Edictum Melodunense suprà citatum, Clericus accusatus de delicto *privilegiato* remittendus est ad judicem Ecclesiasticum, id est, Episcopum suum *proprium*, non autem ejus loci, in quo apprehensus est, vel in quo delictum est commisum.

Quam remissionem satis expressit ipsum Edictum, dum voluit, ut judex Regius accedat ad Curiam Ecclesiasticam, ut ibidem cum judice Ecclesiastico causam instruat.

XXXIII. Si tamen *proprius* Episcopus si extra districtum Curiæ supremæ, à qua remittitur reus, solet illa Episcopo injungere, ut Vicarios in suo districtu committat, à quibus unà cum Judice Regio de crimine, & persona lis instruatur, uti monet Roussellius *loco citato*, *num.* 27.

XXXIV. Similiter in casu appellationis à sententia lata per judicem Ecclesiasticum super delicto, si Metropolitanus, aut Primas sit extra districtum Curiæ, sub quo sententia in prima instantia fuit prolata, tenetur hic Vicarium constituere de eadem Diœcesi, qui sub eodem districtu causam appellationis instruat, & definiat: & si appellatio devoluta sit ad Papam, impetrantur judices delegati ex eadem Diœcesi, uti monet Le Prestre *loco citato*, *num.* 8.

XXXV. Illud tamen privilegium datum Episcopo Parisiensi, ut cognoscat de delictis omnium Clericorum cujuscunque sint Diœcesis, qui capiuntur in ipsa civitate Parisiensi: qui consequenter ad ipsum, & non ad proprium Episcopum remittendi sunt. Hujus privilegii meminit Choppinus in *Præfatione ad consuet. Paris. pag.* 7.

XXXVI. Monet insuper Fleury *citato cap.* 14. quòd si causa instruatur in aliquo Parlamento, non soleat advocari Officialis, sed quòd Episcopus Ordinarius Clerici accusati debeat in Vicarios suos deputare Consiliarios Ecclesiasticos Parlamenti.

XXXVII. Vide Paponium *lib.* 1. *tit.* 5. *arresto* 51. ubi notat, quòd soli *supremæ* Curiæ id liceat, quæ corpore Eccle-

(d) *Clericus in habitu seculari in Hispania captus, Ecclesiastico Judici traditur per dispositionem legis* 9. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopil.*

(e) *Quoad Regna Hispaniæ comprobatur per verba in le-*

siasge 38. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopil. ibi*: Estimulado de gravisimas causas, relativas à la obligacion en que me hallo constituido de mantener en subordinacion, tranquilidad, y justicia à mis vasallos, &c.

siasticorum, & laicorum constat. Additur in notis : » Quòd si » Episcopus id facere renuat, aut differat, postquam id ei sig- » nificatum est, Curia quemdam ex officio delegare consuevit. «

XXXVIII. Remissione ad judicem Ecclesiasticum factâ, processus criminalis instrui debet conjunctim per utrumque judicem, neque potest judex Ecclesiasticus vigore hujus remissionis in casu delicti privilegiati processum instruere, nisi assistente judice Regio.

XXXIX. Causa per judicem Ecclesiasticum, & Civilem conjunctim instructâ, sententia separatim pronuntiatur per utrumque judicem : nimirum per judicem Ecclesiasticum pronuntiatur super crimine in quantum est Ecclesiasticum sive *commune*, ut vocant ; per judicem autem Civilem pronuntiatur super eodem crimine in quantum est *privilegiatum* ; & uterque judex pœnam crimini sub una, & altera consideratione convenientem imponit : & ita per solemne Arrestum Parlamenti Parisiensis anno 1631. ordinatum fuit, vetitumque judicibus Regiis proferre sententiam conjunctim cum judice Ecclesiastico.

XL. Hinc licèt accusatus esset absolutus à judice Ecclesiastico, posset nihilominus super eodem delicto, in quantum est *privilegiatum*, condemnari per judicem Regium ; & ita judicatum anno 1604. Vide Claudium le Prestre *Cen. I. cap.* 20. ubi & notat, quòd etiam judex Regius possit procedere ad sententiam mortis, non obstante sententia absolutoriâ judices Ecclesiastici, si crimen in quantum est privilegiatum talem pœnam mereretur : quia sententia judicis Ecclesiastici nullatenus constringit judices Regios, in quantum est crimen privilegiatum.

XLI. Hinc judex Ecclesiasticus Clericum incarceratum è suo carcere dimittere non potest, quandiu sententiæ judicis Regii non satisfecit reus, nisi consensus ipsius judicis accesserit ; tametsi à judice Ecclesiastico fuisset absolutus, vel pœnæ à judice Ecclesiastico impositæ satisfecisset. Le Prestre *loco citato*, *num.* 9. Diciturque in Annotationibus ad Arresta Paponii *lib.* 1. *tit.* 5. *Arresto* 35. ita in Camera criminali anno 1586. decretum fuisse.

XLII. Insuper quia utraque sententia est planè separata, & à diverso judice prolata, si accusatus appellet, Curia Regia non solet recipere appellationem, nisi quæ est à sententia judicis *laici* : aliam autem remittit ad Superiorem immediatum judicis Ecclesiastici, à cujus sententia appellatur : & huic quidem adeò defert Curia Regia, ut supersedeat ipsa quoad appellationem à sententia judicis laici, quousque in causa appellationis per judicem Ecclesiasticum etiam per *tres* sententias *conformes* pronuntiatum sit. Uti notat Le Prestre ibidem.

XLIII. Hic ferè est hodiernus procedendi stylus quoad delicta privilegiata, sive non merè Ecclesiastica, in Gallia observari solitus, qui hactenus nullo Regio Edicto in Belgio præscriptus aut expressus scitur ; neque consuetudine, aut usu introductus.

XLIV. Equidem illud negari nequit, quin & hîc in Belgio crimina nonnulla habeantur pro *privilegiatis*, & eo sensu de his judex Regius possit contra Clericum, non obstante privilegio Clericali, cognoscere, uti notat Damhauderus in *Praxi Rerum Civilium*, *cap.* 134. ubi imprimis dicit, Clericos teneri respondere coram suo Principe, aut coram ejus Consilio de publicæ fidei salvæguardiæ, sive securitatis violatione. Item de armorum gestatione, & aliis similibus causis privilegiatis. Deinde *num.* 26. Dicit : » Intelliguntur Privilegiatæ causæ crimina enor- » mia qualificata, & quæ Princeps sibi reservat, veluti crimen » læsæ Majestatis vel divinæ vel humanæ, & cætera ibidem enu- » merata ; in quibus dicit, Curiam Gandensem nullam admitte- » re remissionem : & pluribus confirmat ibidem in notis Nico- » laus Tuldenus. «

XLV. Concordata Brabantiæ inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *tit.* 6. qui inscribitur *de Actionibus Competentibus contra Clericos primæ Tonsuræ*, postquam expreserunt conditiones requisitas in Clericis conjugatis, vel non conjugatis primâ Tonsurâ insignitis, ut privilegio fori gaudere queant (de quibus conditionibus agitur capite sequenti) subjiciunt : » Hi om- » nes Clericali officio gaudebunt, etiam in criminibus membri » amputationem, aut capitalem pœnam, seu corporis afflictivam » inferentibus. «

Post hæc *art.* 8. per modum exceptionis additur ; » Non in » enormibus, utpote hæreticis, mandatis Principis contravenien- » tibus, raptoribus virginum, homicidiis ex proposito, vel per » insidias, incendiariis, grassatoribus, famosis latronibus, de- » populatoribus agrorum, & similibus. «

XLVI. Ex his manifestum, quòd Concordata hæc non omnia crimina, etiam Clericorum conjugatorum primæ tonsuræ habent pro *privilegiatis*, quantuvis adeò gravia, ut etiam *capitalem* pœnam, seu corporis afflictam inferant, sed tantùm *enormia*, quæ quasi directè ad Reipublicæ, & Statûs politici turbationem, & eversionem tendunt.

XLVII. Porrò Concordata hæc tantùm loquuntur de simplicibus Clericis sive conjugatis sive non conjugatis, hosque etiam in delictis quantumvis pœnâ corporali puniendis, modò tamen non sint ex enormioribus, immunitate Clericali gaudere declarant. De Clericis autem in Sacris constititutis non loquuntur : ut hos juri communi quoad usum hujus immunitatis reliquisse videantur : refertque Zypæus *tit. de Foro compet. num.* 37. Consilium Brabantiæ Presbyteros de crimine enormi convictos remisisse ad judicem Ecclesiasticum.

XLVIII. Neque mirum videri deberet, si Flandria magis quàm Brabantia moribus, & praxi Gallicanis consentiret. Notum quippe est, quòd ante institutum anno 1473. à Carolo Burgundione Parlamentum Mechliniense, Flandri à suo Senatu Provinciali appellârint ad Parlamentum *Parisiense* : uti monet Damhauderus in Praxi rerum civilium *cap.* 6. notatque *num.* 4. quòd Parlamentum Mechliniense in locum *Parisiensis* suffectum, hujus Parlamenti ferè modum, ritum, institutionem, & auctoritatem referat. Quid mirum igitur, si Flandri praxim, & mores Parisienses sensim etiam sequuti sint.

XLIX. Porrò sicuti ob criminis *enormitatem* Clerici nonnunquam suo privilegio privantur, ita quoque eodem non gaudent, quando alio quàm Ecclesiastico officio funguntur, atque circa illud delinquunt : eò quòd tunc non ut Clerici, sed ut Officiarii considerentur ; eaque delicta non habeantur pro delictis Clericorum, sed laicorum, seu Officiariorum laicalium, quorum officia Clerici obeunt.

Hinc citata Concordata *art.* 8. expressè declarant, quòd Clericus Clericali privilegio non gaudebit, *quando contra statuta officiorum delinquetur*, id est, Officiorum secularium quibus fungitur.

L. Notat idipsum Nicolaus Tuldenus *in annotationibus ad cap.* 124. Damhauderi in praxi rerum Civilium, asseritque id procedere » in Clerico, licèt *in Sacris* constituto, officium se- » culare gerente, in eoque delinquente ; ut puniri possit pro » modo delicti, per captionem temporalitatis, ac venditionem » immobilium, privarique ac suspendi officio in quo delinquit. « De conformi praxi Galliæ jam pridem testatus est Guillelmus Benedicti ad *Cap.* RAYNUTIUS, verbo Et *uxorem*, *num.* 447. dicens : » Tertiò cognoscit Rex & ejus Officiarii, ubicunque » Clericus licèt in *Sacris* constitutus officium seculare gerens » deliquisset in officio, quòd puniri posset pro modo delicti per » captionem temporalitatis, ac venditionem bonorum immobi- » lium. Et si casus hoc exigeret privari aut suspendi officio, in » quo deliquit, quod est de casibus privilegiatis secundum ali- » quos, & ita servari est consuetum in regno. «

LI. Ex his, quæ hactenùs dicta sunt, non difficile erit intelligere, quod sensim tribunalia Laica, & Regia auctoritatem, sive jurisdictionem in Clericos de criminibus accusatos protenderint, non tantùm ultra præscripta Canonum, & Juris Communis, sed & ultra ipsas Regias Ordinationes ad figendos limites utriusque jurisdictionis expressè editas. Quantopere de hac ampliatione jurisdictionis Laicæ conquesti sint Episcopi proximè elapso seculo, ex Synodis Provincialibus tunc celebratis videri potest.

LII. Sed si Episcopi suos Clericos, ac præsertim in *Sacris* constitutos à laicis judicari, & puniri nolint, imprimis provideant, ut non citò manus imponant ; sed primùm diligenter examinent, num iis moribus sint, ut flagitia, quibus respublica turbetur, ab eo non timeantur.

Ulteriùs si contingat, Judam aliquem aut similem perditum hominem irrepere, criminibus non conniveant, sed pro debito puniant ; idque pœnâ ipsi crimini condignâ : neque sint Episcopi, eorumve Officiales ex illis, de quibus jam pridem dixit Guillelmus Benedicti *loco citato*, *num.* 448. » Om- » nia delicta quantumcunque gravia in pecuniam convertunt. » Et quod deterius est, si aliquem etiam pro gravissimo cri- » mine condemnaverint ad perpetuum carcerem, semper in fine » sententiæ gratia Domini Episcopi, & misericordia reserva- » tur... Cujus clausulæ virtute pœnam personæ delinquentis in » detrimentum bursæ, quæ non delinquit, convertunt. Ex quo » cum justitiam veram de Clericis non faciant, ex isto incon- » venienti, quia eos non puniunt, sequitur aliud inconveniens, » quòd sæpè Judices seculares de eis justitiam faciant, & eos » puniant. «

Et quia Episcopi in criminum punitione per frequentes appellationes, & recusationes, aliaque similia à facinorosis hominibus facilè impediuntur, rursus spes exigua affulget, integram Clericorum immunitatem restituendi, in hisce appellationibus, & recusationibus modus apponatur ; quia his sic instantibus, videbunt Judices Regii, quod crimina manebunt impunita, idque nonnunquam cum summo Reipublicæ detrimento, si ea jurisdictioni Ecclesiasticæ relinquantur.

* Superius *num.* 44. notavimus in Belgio quædam esse crimina privilegiata. In Hispania jam pridem etiam fuisse quædam privilegiata intelligimus ex litteris Francisci de Vargas è Concilio Tridentino 26. Nov. 1551. datis ad Episcopum Atrebatensem, in quibus scribit per Legatum Pontificis Concilio præsidentem inter articulos reformationis in proxima Sess. 14. promulgandos fuisse propositos quinque articulos exemptionem Cle-

Clericorum, & immunitatem Ecclesiasticam concernentes, quorum quartus hîc erat: „Nemo Laicus cujuscunque dignitatis „prætextu, cujuscunque privilegii, vel consuetudinis contra „in Sacris constitutos, etiam in actionibus criminalibus procedere possit.“

* Scribit autem de Vargas, quòd hisce articulis magna fuerit facta oppositio, ac præsertim per Franciscum de Toledo Oratorem Regis Catholici, ob præjudicium inferendum Jurisdictioni Regiæ in puniendis atrocioribus delictis Clericorum, si hi articuli per Concilium approbarentur ac signanter per dictum articulum quartum, qui, ut notat De Vargas, esset pernitiosæ consequentiæ, ac nominatim cederet in notabile præjudicium Catholicæ suæ Majestatis, & suorum regnorum. „Habemus enim in Hispania (ait) ordinationes Regias, „privilegia, laudabiles & vetustas consuetudines, quæ per hunc „prætensum articulum à Legato Pontificio propositum evertuntur. Insuper (prosequitur De Vargas) articulus hic con„trarius est stylo, modoque procedendi, qui ab antiquo fue„rant observati, & hactenus observantur in Parlamentis, & Cu„riis Regiis, in his enim cognoscitur de omnibus violentiis; (f) „citantur (g) & exilio (h) mulctantur omnes Ecclesiastici tur„bantes pacem, & tranquilitatem publicam; item opponen„tes, & rebellantes contra Jurisdictionem Regiam; (i) item, „qui crimina enormia commiserunt, & pœnas criminum non „fuerunt; (k) item contravenientes Edicto Madritensi, quo ve„titum est conferre Beneficia non regnicolis, sive extraneis, (l) „aut pensiones Beneficiis imponere. Item atentantes contra Ju„ra & privilegia regni, aut alia similia perpetrantes.“

* Notat autem De Vargas, quòd hîc stylus, & modus procedendi contra facinerosos Ecclesiasticos similium criminum reos debeat potiùs dici conservatio, defensio, & protectio (m) statûs politici ejusque privilegiorum, quàm violatio, & usurpatio immunitatis, & Jurisdictionis Ecclesiasticæ.

Hinc intelligimus etiam jam pridem Reges Catholicos ad conservandam tranquillitatem, necnon Jura, & privilegia suorum Regnorum, nonnulla crimina Ecclesiasticorum sibi suisque Consiliis, ac Parlamentis reservâsse.

* Ex hac insuper Epistola De Vargas intelligimus per hanc oppositionem Oratorum, præsertim Regis Catholici factum esse, ut hi articuli è numero articulorum reformationis fuerint expuncti, indeque contigisse, quod inter Decreta reformationis *Sessione* 14. nihil de his occurrat.

CAPUT III.

Qui Clerici privilegio *fori* gaudeant.

1 *Attento Jure Decretalium omnes indistinctè Clerici etiam primæ Tonsuræ gaudent privilegio fori.*
2 *Similiter & juxta pristinos Canones, & Principum sanctiones.*
3 *Idipsum supponit Pontificale Romanum.*
4 *Canones omnes Clericos habent pro Ministris Ecclesiæ.*
5 *Hoc quoque indicant ceremoniæ primæ Tonsuræ.*
6 *Insinuat etiam Synodus Tridentina.*
7 *Meritò initiati primâ Tonsurâ, tanquam* Ministri *Ecclesiæ hoc privilegio gaudent.*
8 *Matrimonium non obstat, quominùs Clericus sit* Minister *Ecclesiæ.*
9 *Hinc Clericis conjugatis communicatum hoc privilegium.*
10 *Clericis propter* ministerium *Ecclesiæ datum hoc privilegium.*
11 *Circa seculum XIII. & XIV. Canonistæ primam Tonsuram Ordinibus annumerare cœperunt, & efficaciam imprimendi characterem ei tribuere.*
12 *Hinc immunitatem in ipsam Tonsuram, & non in ministerium Ecclesiæ refuderunt.*
13 *Id supposuerunt Prælati Galliæ coram Philippo Valesio seculo XIV.*
14 *Hac opinione recepta, omnes passim, etiam sceleratissimi se à Jurisdictione Laica substrahebant.*
15 *Hinc justæ laicorum querelæ de impunitate criminum & extensione hujus privilegii contra intentionem Canonum.*
16 *Querela Petri Cugnerii super hoc articulo.*
17 *Querelæ laicorum renovatæ circa tempora Concilii Tridentini*
18 *Synodus Tridentina constitutionem Bonifacii VIII. de Clericis conjugatis renovavit.*
19 *Addidit clausulam, qua ostendit, hoc privilegium non attribui nudæ tonsuræ.*
20 *Decretum Synodi Tridentinæ circa Clericos non conjugatos.*
21 *Hic rursus ostendit, privilegium non dari ob nudam tonsuram.*
22 *Quæ dicendæ vestes clericales, & quandonam censeatur Clericus* abjecisse *vestes clericales, remissivè.*
23 *Clericus tonsuratus etiam non conjugatus captus in veste laicali forum seculare declinare non potest.*
24 *Clericus conjugatus faciliùs privatur privilegio fori, quàm non conjugatus.*
25 *Aliquando in Gallia ordinatum fuit, ut soli clerici in Sacris constituti gauderent hoc privilegio.*
26 *Hoc postmodum extensum ad Beneficiatos & scholares.*
27 *Hæc extensio videtur convenire cum Decreto Concilii Tridentini.*
28 *Ex mente Synodi Tridentinæ Clericus serviens Ecclesiæ, aut studens, etiam sine speciali mandato, aut licentia Episcopi, gaudet hoc privilegio.*
29 *An Clericatus, postquam delictum aliquod est commissum, tribuere soleat privilegium fori.*
30 *Clerici non servantes conditiones à Synodo Tridentina præscriptas, excidunt privilegio, sine prævia monitione.*
31 *Clericus deponens vestes Clericales non in perpetuum privatur hoc privilegio, sed resumpto habitu recuperat.*
* *Edicta Principum attendenda sunt circa privilegium fori.*

I. ATento Jure Decretalium, Clericos omnes, & indistinctè gaudere privilegio *fori*, communis est Canonistarum sententia, fundata in generali, ac indefinita expressione Decretalium de hoc privilegio loquentium; ac notanter *Cap.* 2. ℵ *De Foro comp.* ubi sub nomine Concilii Parisiensis dicitur: „Nullus Judicum, neque Presbyterum, neque Diaconum, „aut *Clericum ullum*, aut minores Ecclesiæ sine permissu Ponti„ficis per se distringere, aut condemnare præsumat. Quod si fe„cerit, ab Ecclesia Dei, cui injuriam irrogare dignoscitur, tan„diu sit sequestratus, quousque reatum suum cognoscat, & „emendet.“

II. Similiter & veteres Canones, nec non Principum Sanctiones de auctoritate, & jurisdictione Episcoporum loquentes, omnem indefinitè Clerum Episcopis subjiciunt, omnesque generatim Clericos de foro Episcopi esse supponunt.

III. Quare & Pontificale Romanum etiamnùm hodiè supponit, Tonsuratos per susceptionem primæ Tonsuræ constitui de *foro Ecclesiæ*. Post collatam enim Tonsuram ex præscripto Pontificalis Episcopus alloquitur novos Tonsuratos dicens: „Filii „charissimi, animadvertere debetis, quod hodie de *foro Eccle„siæ* facti estis, & privilegia Clericalia sortiti estis; cavete igi„tur, ne propter culpas vestras illa perdatis; & habitu hones„to, bonis moribus, atque operibus Deo placere studeatis.“

IV. Neque sanè mirandum, jam pridem sub hoc privilegio indistinctè *omnes* Clericos, etiam primæ Tonsuræ, & minorum Ordinum, fuisse comprehensos: quia supponebatur, uti & hodiæ Ecclesia desiderat, quòd omnes Clerici reverà essent *ministri* Ecclesiæ, atque reipsâ Ecclesiæ, de cætero servire, ac seculo renuntiare vellent; ipsâque conversatione, & habitu ita se exhibere ut omnibus manifestum esset, se velle Ecclesiæ, & non seculo servire.

V. Id quoque hodiernæ ceremoniæ, & præces, quas in collationæ primæ Tonsuræ Pontificale præscribit, ostendunt.

Ut quid enim habitum secularem deponunt, & *habitum sacræ religionis* indunt, nisi ut se seculo renuntiare, & religioni militare posthac velle demonstrent? Unde & Episcopus ad impositionem vestis Clericalis ad Deum se convertit, supplicans:

Qui-

que por el mismo hecho hayan perdido y pierdan la naturaleza y temporalidades; *L.* 1. *Remiss.* 2. *tit.* 8. *lib.* 1. *lex* 7. *tit.* 4. *lib.* 1. & *L.* 38. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopil. ibi*: He venido en extrañar de todos mis Dominios.

(i) *Lex* 9. & 38. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopil.*

(k) *Lex* 6. *tit.* 4. *lib.* 1. *leg.* 2. 3. & 5. *tit* 14. *lib.* 8. & *Remis.* 16. *tit.* 3. *lib.* 1. & 3. *tit.* 15. *lib.* 8. *Recop.*

(l) *Exteris prohibitum est in Hispania obtinere Beneficia Ecclesiastica per leg.* 14. 15. 16. 18. 19. 25. & 34. 36. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop.*

(m) *Quòd hæc fiant ratione Protectionis Vasallorum, non autem Ecclesiasticæ Immunitatis violationis declarant priora verba leg.* 38. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop. ibi*: „Usando de la supre„ma autoridad que el Todopoderoso puso en mis manos pa„ra la PROTECCION de mis Vasallos, &c.

(f) *In Hispania cognoscitur de* violentiis *in Supremis Tribunalibus per dispositionem Remiss.* 9. *tit.* 3. *leg.* 2. *tit.* 6. & *Acti Acordat.* 4. *tit.* 8. *lib.* 1. *Recop. leg.* 36. & 80. & *Remis.* 2. *tit.* 5. *lib.* 2. & *ultimo per Act. Acord.* 4. *num.* 2. *tit.* 1. *lib.* 4. *ejusdem Recopil.*

(g) *Ad Tribunalia Regia Ecclesiastici citantur, ut ajunt L.* 14. *tit.* 3. *lib.* 1. *ibi*: Son tenudos de venir al llamamiento de su Rey. *L.* 13. *tit.* 3. *lib.* 4. *ibi*: Segun son obligados á venir al llamamiento de sus Reyes, & *Remis.* 10. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop. ibi*: En qué pena caen las personas Ecclesiasticas que no vienen al llamamiento de los Reyes.

(h) *Secus pœnam deportationis incurrunt, ut etiam ait suprà dicta L.* 13. *tit.* 3. *lib.* 4. *ibi*: Que pierdan las Temporalidades... y se les mande no estén mas en nuestros Reynos, y se salgan y vayan fuera de ellos; *L.* 4. *tit.* 1. *lib.* 4. *ibi*: Y

» Quibus in tuo sancto nomine habitum sacræ religionis impo-» nimus, ut te largiente *de voti in Ecclesia tua persistere me-» reantur.*"

VI. Et Synodus Tridentina *Sess.* 23. *cap.* 4. *de Reformat.* præcipit, ut ii duntaxat Tonsurâ initientur, » de quibus pro-» babilis conjectura non sit, eos non secularis judicii fugiendi » fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus » elegisse. « (n)

VII. Dum igitur prima Tonsura juxta Ecclesiæ intentionem, & regulas ab ipsa præscriptas fuit collata, meritò etiam vel primâ Tonsura initiati sub hoc privilegio comprehendi poterant, & de foro Ecclesiæ constitui; utpotè ejus *ministerio* reipsa adscripti, & idem juxta conditionem suam ad præscriptum Episcoporum incumbere parati.

VIII. Cùm autem nec matrimonium obstet, quominus quis *servitio* Ecclesiæ insistere, & ei se totaliter consecrare queat, nec conjugati Tonsurâ Clericali initiati, hoc privilegio fraudari debuerunt: nec Ecclesia ob contractum ab iis Matrimonium, auctoritate in suos *Ministros* privari.

IX. Hinc ex citata Decretali sub nomine Concilii Parisiensis, tanquam consequens declarat Bonifacius VIII. in *Cap. unico, de Clericis conjugatis, in VI.* » Clericos conjugatos pro commis-» sis ab iis excessibus vel delictis, trahi non posse criminaliter » aut civiliter ad judicium seculare; nec ab ipsis secularibus ju-» dicibus eos debere personaliter, vel etiam peculiariter (ne » per unam viam concedatur eisdem judicibus, quod per aliam » denegatur) nullatenus condemnari. «

X. Non immeritò ergo *omnes* Clericos privilegio Clericali comprehendebant, non tantùm Synodorum Canones, sed & ipsorum Principum Sanctiones, quia omnes indistinctè Clericos divinis obsequiis mancipatos supponebant, quæmadmodum expressit Constantinus M. non obscurè in Clericale obsequium ipsam immunitatem refundens, in *L.* 2. *Cod. Theod. de Episcopis & Clericis*: » Qui divino cultui ministeria religionis impen-» dunt (id est, hi, qui *Clerici* appellantur) ab omnibus omnino » muneribus excusentur; ne sacrilego livore quorundam à di-» vinis *obsequiis* avocentur. «

XI. Verùm cùm circa seculum XIII. & XIV. cœpissent Canonistæ *Tonsuram* Clericalem Ordinibus annumerare, eique etiam efficaciam imprimendi characterem indelebilem tribuere, unà cœperunt docere, Tonsuratos per nudam, & simplicem susceptionem primæ Tonsuræ fieri personas *sacras.*

XII. Ex quo ulteriùs concludebant, primâ Tonsurâ initiatos à foro seculari, tanquam personas sacras, seu sacratas esse exemptos, tametsi nec Tonsuram, nec habitum Clericalem gestarent; eò quòd supponerent, per Tonsuram imprimi characterem independenter ab omni servitio, aut habitu clericali.

XIII. Id suppossuisse Episcopum Eduensem, qui nomine Prælatorum Galliæ pro immunitate Ecclesiastica decertabat cum Petro Cugnerio coram Philippo Valesio, patet ex illius responso ad articulum 30. ejusdem Cugnerii. Articulus Cugnerii erat: » Item si contingat, quòd Gentes Regiæ capiant aliquem ma-» lefactorem pro crimine certo per eum commisso, & idem ma-» lefactor dicat, se Clericum esse, licèt nec Tonsuram, nec ha-» bitum deferat Clericales, Officiales Prælatorum faciunt in con-» tinenti detinentes & capientes compelli per monitiones & sen-» tentias ad restituendum sibi prædictum malefactorem tanquam » Clericum suum. «

Huic articulo respondit Eduensis: » Ad 30. articulum; qui » loquitur de Clericis conjugatis captis in habitu laicali; dicit, » quòd tales pro eo, quòd non deferunt Tonsuram vel habi-» tum Clericis congruentem, non amittunt privilegium Clerica-» le: unde si sit notorium judici Ecclesiastico, talem esse Cle-» ricum, vel fama sit publica super hoc, idem judex sine cu-» juscunque injuria potest ad restitutionem talis Clerici justitiam » compellere secularem. «

Hoc responsum manifestè supponit, quòd sufficiat esse Clericum, ut quis fori privilegio gaudeat, & captus à judice laico restituendus sit judici Ecclesiastico, tametsi nec Tonsuram, nec habitum deferat Clericis congruentem.

XIV. Porrò hâc persuasione de characteris impressione per simplicem, & nudam Tonsuræ susceptionem semel receptâ, ostium erat apertum, quo omnes passim se à jurisdictione laicali subducerent, & pœnas per judices laicos criminibus congruentes infligendas impunè evaderent; idque tam conjugati, quàm cælibes cujuscunque conditionis, tametsi nec de statu Ecclesiastico assumendo, aut habitu & Tonsurâ Clericâli gestando cogitarent, modò tantùm primâ Tonsurâ initiarentur. Nec illud difficile erat, tum quòd Officiales desiderarent plures suo foro subjectos, tum quòd etiam Ministri Episcoporum exindè lucellum captarent. Nec deerant Episcopi, qui suis Ministris benefacere volentes, quin ex lucello illo nonnunquam participantes, facilè ad Tonsuram quoslibet admitterent; maximè cùm tunc & Episcopi Titulares sibi auctoritatem Tonsuram, & Ordines conferendi in aliena Diœcesi arrogarent, & lucrum exinde quærerent: quemadmodum ex Decretis Synodi Tridentinæ quibus hi abusus resecantur, haud difficulter potest intelligi.

XV. Mirum ergo videri nequit, si laici quererentur, hoc pacto passim sceleratos homines, nihil præter nudam Tonsuræ impressionem habentes, titulo privilegii Clericalis à jurisdictione laicali eximi, atque hoc pacto scelera atrocissima manere impunita, idque contra intentionem eorum, qui privilegium hoc veris Clericis, sive Ministris Ecclesiæ, qui & conversatione & habitu se tales exhiberent, indulgere voluerunt.

XVI. Inter articulos Petri Cugnerii erat hic 49. » Item fa-» ciunt Prælati Tonsuras hominibus 30. annorum & ultra, & » etiam conjugatis aliquibus, quando veniunt ad eos metu intru-» sionis carceris, & punitionis alicujus criminalis delicti, quod » antèa perpetraverunt, & hoc pluries fuit factum."

Querelam Guillelmi Benedicti de facili Tonsuratione cujuslibet generis, & artificii hominum, & quomodo hac ratione crimina manerent impunita, citavimus Capite præcedenti.

XVII. Nec circa tempora Concilii Tridentini cessârunt querelæ laicorum de impunitate criminum, etiam atrocissimorum, quæ obtentu hujus privilegii obtinebatur, uti videre est è gravamine 31. inter gravamina à Principibus Germaniæ sub id tempus Sedi Apostolicæ oblato, & litteris Francisci de Vargas Oratoris Regis Catholici in Concilio Tridentino ad Episcopum Atrebatensem datis 26. Novemb. 1551. in quibus latè de hoc excessu conqueritur.

XVIII. Ut his querelis satisfaceret Synodus, imprimis renovavit Constitutionem Bonifacii VIII. de Clericis conjugatis, addens hanc clausulam: » Modò hi Clerici (conjugati) alicujus » Ecclesiæ servitio, vel ministerio ab Episcopo deputati, eidem » Ecclesiæ serviant, vel ministrent: & Clericali habitu, & » Tonsurâ utantur, nemini quoad hoc, privilegio vel consue-» tudine, etiam immemorabili suffragante." *Sess.* 23. *cap.* 6. *De Reformat.*

XIX. Hac clausulâ sat ostendit Synodus, privilegium hoc Clericale non ob nudam rasionem capillorum, aut ceremonialem illam Tonsuram esse indultum; sed maximè propter ministerium, cui per ipsam Tonsuram fit applicatio, sive datur introitus.

XX. Circa Clericos non conjugatos declarat, » quòd nul-» lus prima Tonsura initiatus, aut etiam in minoribus Ordini-» bus constitutus, ante decimum quartum annum Beneficium » possit obtinere." Deinde subjungit: » Is etiam fori privilegio » non gaudeat, nisi Beneficium Ecclesiasticum habeat; aut Cle-» ricalem habitum, & Tonsuram deferens, alicui Ecclesiæ ex » mandato Episcopi inserviat, vel in Seminario Clericorum, aut » in aliqua Schola, vel Universitate, de licentia Episcopi, qua-» si in via ad majores Ordines suscipiendos versetur."

Non obscurum est; Synodum hîc æquiparare initiatum primâ Tonsurâ, & initiatum minoribus Ordinibus: atque in utroque requirere hîc expressas conditiones, ut privilegio fori gaudere queant. (o)

XXI. Ulteriùs sat manifestum, Synodum non refundere hoc privilegium *fori* in nudam, & solam Tonsuræ Clericalis, aut minorum Ordinum susceptionem; sed in hoc, quòd quis ministerio Ecclesiastico sit actualiter applicatus; aut saltem se impendat, ut Ecclesiæ servire queat.

XXII. Circa vestes, sive habitum Clericalem multa præscribunt Concordata Brabantiæ inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *tit.* 6. quoad Clericos conjugatos, & simplices, sed quæ omnia videntur eò tendere, ut Clerici illi habitu externo se Clericos esse ostendant, aut saltem à laicis distinguant. Quæ enim sit vestis Clericalis, ex locorum & temporum conditione desumendum esse, ostendi *parte* 1. *tit.* 2. *cap.* 2. ubi unà notatum, quandonam Clerici vestes Clericales *abjecisse* censeantur, ut privilegio *fori* excidant, & pœnis Canonicis contra non gestantes vestem clericalem decretis puniantur.

XXIII. Clericum Tonsuratum non conjugatum, & in alio quàm Clericali habitu captum, pro illa vice forum declinare non posse, nec privilegio uti, judicatum esse anno 1584. refert Paponius *lib.* 1. *tit.* 5. *Arresto* 42. & in annotationibus idipsum non semel aliàs judicatum dicitur.

XXIV. Item *Arresto* 47. refert judicatum esse Clericum *conjugatum* non gaudere privilegio fori, qui captus fuerat in veste, non quidem omninò laicali, sed tamen aliqualiter ad eam accedente; monetque Paponius, quòd aliud foret in Clerico *non*

(n) *Ita enim sancitum est in Hispania, & servatur virtute Act. Acord.* 4. *cap.* 20. *tit.* 1. *lib.* 1. *Recop. & Instructionis apposita in fine tit.* 4. *lib.* 1. *ejusdem Recop. & Concordati ann.* 1737. *cap.* 9.

(o) *Hoc sat manifestè explicat Hispana lex* 1. *tit.* 4. *lib.* 1. *Recop. unà adens privilegium fori amittere Clericos non conjugatos, qui, sex menses ante commissum delictum habitu Clericali usus fuisse, non probaverint, ut ad supplicationem Philippi II. Hispaniarum Regis ann.* 1565. *SS. Pius IV. sua Bulla concessit.*

non conjugato : » Hoc casu quippe (ait) major habitus dissolutio » requireretur ; & faciliùs *conjugatus* privilegium suum amittit.“

Nec immeritò. Licèt enim conjugium absolutè Clericatui non repugnet , dubium tamen non est , Clericum per conjugium præsumi ad statum secularem velle divertere ; quæ præsumptio tunc per habitum alioquousque ad laicalem accedentem perficitur. (p)

XXV. Edicto Molinensi anno 1566. cautum fuit in Gallia, quod nullus Clericus gauderet privilegio fori , nisi ut minùs esset *Subdiaconus* actualiter residens , & Divinis inserviens. Verva Edicti sunt : *Que nul de nos sujets soy disant Clerc ne pourra jouir dudit privilege , soit pour de laissément aux juges d' Eglise , ou pour autre chose ; s' il n' est constituè es Ordres sacres , & pour le moins Sous-diacre ou Clerc actuellement residant & servant aux offices , ministeres & Benefices q' il tient dans l' Eglise.* Id est : » Ut nemo subditorum nostrorum se Cle» ricum asserens valeat dicto privilegio gaudere , sive ut ad Ec» clesiasticos Judices remittatur , sive alia de causa , nisi sacris » Ordinibus initiatus sit, saltem Subdiaconus , aut Clericus actu » residens & inserviens officiis , ministeriis & Beneficiis quæ in » Ecclesia possidet.“

XXVI. At postmodum ad instantiam Cleri declaravit Rex, quòd etiam Clerici Scholares auctualiter , & sine fraude studentes , & omnes Beneficiati privilegio fori uterentur. *Les Ecoliers actuellement estudians , & sans fraude, & aussi tous Clercs Beneficiers.* Id est : » Scholares actu , & dolo seposito Stu» dentes , omnesque insuper Clerici Beneficiati.“

XXVII. Per hanc moderationem Edictum Regium ad terminos Concilii Tridentini reductum apparet , nisi quòd Synodus tantùm requirat, ut Clericus *alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inserviat* ; quod fieri potest , tametsi nullum *Beneficium* habeat ; moderatio verò Edicti tantùm præter Scholares excipiat Clericos *Beneficiatos*. Sed quidni dicamus , Clericum, qui *alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi servit*, ad mentem Regii Edicti pro Beneficiato esse reputandum ; quod & Edicto anni 1571. *art.* 14. declaratum est in verbis : *Ceux qui seviront actuellement à l' Eglisse , jouiront du privilege de Clericature & Tonsure.* Id est : » Qui actu inservient Ecclesiæ , Privi» legio Clericatus , & Tonsuræ gaudebunt.“

XXVIII. Unde & S. Congregationem declarâsse refert Fagnanus ad *cap.* 1. ✠ *de Foro comp. num.* 22. quòd Clericus incedens in habitu & Tonsura Clericali gaudeat privilegio , si *alicui Ecclesiæ serviat* , etiam *sine mandato* Episcopi ; aut studeat in aliquo Seminario , vel Schola , aut Universitate *citra licentiam* Episcopi ; quia etiam cessante mandato , aut licentiâ Episcopi , habetur finis præcipuus Concilii.

XXIX. Et hæc quidem , si non appareat , Clericatum fuisse susceptum in fraudem fugiendi judicii secularis. Si enim post delictum commissum susceperit Clericatum , & ex circumstantiis satis constet , id in fraudem factum esse , sat convenit inter Doctores , hujusmodi Clericum prætextu suscepti Clericatûs jurisdictionem laicam declinare non posse. Indicium autem fraudis haud obscurum erit , si mox à perpetrato delicto Tonsuram susceperit , uti rectè monet Roussellius *lib.* 4. *Histor. Pontificiæ jurisd. cap.* 3. *num.* 48. Nam ex vicinitate , vel diuturnitate temporis dolus præsumitur esse , aut abesse , ait Roussellius. Cæterum latè de hac quæstione per varias distinctiones agit Fagnanus ad *cap.* MAGNUS , ✠ *de Obligatis ad ratiocinia.*

XXX. Cùm Synodus Tridentina jam dictas conditiones in Clerico requirat , ut privilegio *fori* gaudere queat, rectè post Riccium notat Zypæus titulo *de Foro comp. num.* 43. Clericos non servantes conditiones hîc expressas excludi à privilegio fori , nullâ etiam prævîâ monitione.

XXXI. Hoc tamen privilegium non absolutè amittit Clericus , qui vestes Clericales deposuit ; sed tantùm pro eo tempore , quo eas non gestat. Si enim resumptis veste & Tonsurâ Clericali alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi deserviat ad præscriptum Concilii Tridentini , non apparet , cur tunc privilegio gaudere non debeat ; quandoquidem tunc habeat omnes conditiones à Concilio requisitas ; (q) & ita voluisse S. Congregationem refert Fagnanus loco citato.

* Hoc capite citantur aliquæ resolutiones sanctæ Congregationis Cardinalium , ut probetur , qui Clerici hodie ex Decreto Concilii Tridentini gaudeant privilegio *fori*. Verùm notandum , circa has quæstiones de privilegio *fori* magis attendenda esse Principum Edicta , & mores singularum Provinciarum quàm similia Decreta , aut declarationes Romanas , eò quòd hæc Clericorum exemptio, seu privilegium *fori* præcipuè à Principum voluntate dependeat.

(p) *In Hispania dummodo Clerici conjugati servent eas conditiones in Concilio Trident.* Sess. 23. cap. 6. de Reformat. *stabilitas , fori privilegio gaudere nemo dubitat ; nam hoc manifestè declarant verba leg.* 1. *tit.* 4. *lib.* 1. *Recop. prope medium*: Y que los casados , para gozar del privilegio del Fuero

CAPUT IV.

CORAM QUO CAUSÆ CRIMINALES EPISCOPORUM EXAMINANDÆ, ET TERMINANDÆ.

1 *Causæ criminales Episcoporum olim in Synodis Provincialibus terminatæ.*
2 *Probatur ex Synodo Nicæna.*
3 *Canonem Nicænum judicium Episcoporum deferre Synodo Provinciali, probat Concilium Constantinopolitanum primum.*
4 *Luculenter idem evincit Epistola Patrum Africanorum.*
5 *Disciplinam Nicæno Canone expressam confirmat Synodus Antiochena.*
6 *Eadem disciplina asseritur in Concilio Sardicensi.*
7 *Synodus Sardiciensis permittit interdum renovari judicium Synodi Provincialis.*
8 *Renovationem non permittit nisi causâ cognitâ.*
9 *Cognitionem causæ Synodus defert Episcopo Romano.*
10 *Pendente causâ renovationis coram Episcopo Romano nullum in locum damnati Episcopi ordinari voluit Synodus.*
11 *Si Episcopus Romanus judicium renovandum censeat , renovationem committere potest propinquis Episcopis Provinciæ.*
12 *Potest etiam committere aliquos è latere suo , qui cum Episcopis Provinciæ judicium renovent.*
13 *Refertur summariè sensus Canonum Sardicensium.*
14 *Canonibus Sardicensibus quoad judicium Episcoporum in prima instantia consonat Synodus Chalcedonensis.*
15 *Eandem disciplinam expressit Gelasius II.*
16 *Disciplina hæc mutari cœpit circa seculum VIII. occasione Collectionis Isidorianæ.*
17 *In hac Collectione refertur sub nomine Julii Papæ Epistola Decretalis, causas Episcoporum reservans Sedi Apostolicæ.*
18 *Similis Epistola refertur sub nomine Eleutherii Papæ.*
19 *Quanto applausu hæ litteræ Decretales fuerint receptæ , remissivè.*
20 *Hinc invaluit , Episcopos non nisi à Sede Apostolica judicari posse.*
21 *In seculo IX. asseruit & vindicavit Gregorius IV.*
22 *Seculo X. eadem opinio ubique penè recepta.*
23 *Tanquam indubitata proponitur in* Dictatu *vulgò Gregorii VII.*
24 *Decretalibus veterum Pontificum auctoritatem non exiguam conciliavit Decretum Gratiani.*
25 *Retulit Gratianus Decretales reservantes causas Episcoporum Sedi Apostolicæ in suum Decretum.*
26 *Retulit quoque Canones asserentes easdem causas Synodo Provinciali, atque hinc distinctio inter graviores & minores causas Episcoporum.*
27 *Hanc distinctionem non obscurè amplexus est Innocentius III.*
28 *Eandem distinctionem jam pridem proposuit antiquus Glosator Sanctionis Pragmaticæ.*
29 *Conformiter ad hanc distinctionem causas* graviores *criminales Synodus Tridentina committit Summo Pontifici.*
30 *Causas minores remittit ad Synodum Provincialem.*
31 *Huic Decreto Cardinalis Lotharingius apponi voluit particulam* , Salvis Provinciarum privilegiis.
32 *Nonnulla omissa in decreto , ne offenderentur Galli.*
33 *Decretum , antequam promulgaretur , displicuit Oratoribus Regis Galliæ.*
34 *Notæ Oratoris Regis Christianissimi in hoc Decretum.*
35 *Observationibus Gallicanis consonant observationes Belgicæ.*
36 *Soliciti fuêre Magistratus Regii , ne subditi judicarentur extra suas Provincias.*
37 *Judicia faciliùs instituti, & absolvi possunt intra Provinciam.*
38 *An Episcopi ob aliquod crimen possint conveniri apud Judicem laicum.*
39 *Difficulter hodie conveniri possunt Episcopi criminaliter.*

I. CAusas criminales Episcoporum jam pridem in Synodis Provincialibus tractatas fuisse satis constat , est que passim ab omnibus admissum , & in Canonibus antiquis expressum.

II. Id imprimis probat Nicænus *Can. V.* qui licèt expressè & nominatim de Episcopis non loquatur , nihilominus cùm generatim quæstiones in Provincia exorientes velit in Synodo Provinciæ examinari , ac determinari , videtur & ipsas quæstiones, sive causas contra Episcopos comprehendere ; præsertim quia nominatim Concilio Provinciali judicium tribuit , & examen ex-

com-

hayan de servir actualmente en algun ministerio de la Iglesia, siendo diputados por el Obispo para ello , y hayan de traer Tonsura y hábito Clerical.

(q) *Repete hîc quæ ad §. XXIV. hujus capitis quoad Hispaniæ Regna annotata sunt.*

communicationum ab Episcopis latarum in Clericos; quod fieri non potest, quin de Episcopo judicium feratur. » Requiran» tur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, aut alio quo» libet Episcopi vitio videantur à Congregatione seclusi. Ut hoc » ergo decentiùs inquiratur benè placuit, annis singulis per unam» quanque Provinciam bis in anno Concilia celebrari, ut com» muniter omnibus simul Episcopis Provinciæ congregatis, dis» cutiantur hujusmodi quæstiones. «

III. Adhæc secunda Synodus generalis Constantinopolitana I. dicit, omnem Provinciæ administrationem Synodo Provinciali per Canonem Nicænum commissam. Verba Canonis II. hujus Synodi sunt: » Servatâ, quæ præscripta est de guberna» tionibus, regulâ, manifestum est, quòd illa, quæ per unam» quanque Provinciam ipsius Provinciæ Synodus dispenset, sicut » *Nicæno* constat decretum esse Concilio. «

Quis porrò ambigat, quin intra illa, quæ per unamquanque Provinciam occurrunt, maximi momenti sit Episcoporum correctio, & depositio?

IV. Sed omnem scrupulum eximunt Patres Africani, quos inter erat S. Augustinus in Epistola ad Cœlestinum Papam, ubi tanquam indubitatum asserunt juxta Nicæna Decreta, Episcopos à suis Metropolitanis, nimirùm in suis Conciliis Provincialibus esse judicandos. » Præfato debitæ salutationis officii impen» dio deprecamur (inquiunt) ut deinceps ad vestras aures hinc » venientes non faciliùs admittatis, nec à nobis excommunica» tos in communionem velitis admittere; quia hoc etiam in » Nicæno Concilio definitum facilè advertit Venerabilitas Tua; » nam etsi de inferioribus Clericis, vel laicis videtur ibi præ» caveri, quantò magis hoc de *Episcopis* voluit observari, ne » in sua Provincia à communione suspensi à Tua Sanctitate, vel » festinato, vel præproperè, vel indebitè videantur commu» nioni restitui; quia & nullâ Patrum definitione, hoc Eccle» siæ derogatum est Africanæ; & Decreta Nicæna, sive infe» rioris gradus Clericos, sive ipsos *Episcopos* suis Metropolita» nis apertissimè commiserunt. Prudentissimè enim, justissimeque » providerunt, quæcunque negotia in suis locis, ubi orta sunt, » finienda; nec unicuique Provinciæ, gratiam Sancti Spiritus de» futuram, quâ æquitas à Christi Sacerdotibus, & prudenter » videatur & constantissimè teneatur. «

V. Disciplinam Nicæno Canone stabilitam amplexi sunt Patres Concilii Antiocheni *Can. XV.* qui ex versione Dionysii Exigui sic habet: » Si quis Episcopus, de certis criminibus ac» cusatus condemnetur ab omnibus Episcopis ejusdem Provin» ciæ, cunctique consonanter eandem contra eum formam De» creti protulerint, hunc apud alios nullo modo judicari, sed » firmam concordantium Episcoporum Provinciæ manere sen» tentiam (vult Synodus). «

Hic manifestè supponit Concilium, Synodum Provinciæ de criminibus Episcopi judicare, ipsamque sententiam, si constantibus Episcoporum suffragiis lata sit, firmam manere voluit. (r)

Sin autem Episcopi dissentiant, statuit Synodus *Can. XIV.* » ut (tunc) Metropolitanus Episcopus à vicina Provincia judi» ces alios convocet, qui controversiam tollant, ut per eos simul, » & per Comprovinciales Episcopos, quod justum visum fue» rit, approbetur. «

VI. Disciplina hæc deferens causas Episcoporum Synodo Provinciæ, loculenter quoque Canonibus Concilii Sardicensis expressa est.

Nam *Can. III.* ex lectione Dionysii Exigui ita habet: Quòd si aliquis Episcoporum judicatus fuerit in aliqua causa, & pu» tat se causam bonam habere, ut *iterum Concilium* (versio » Gentiani Herveti habet: *Ut etiam rursus judicium*) renovetur, » si vobis placet, S. Petri Apostoli memoriam honoremus, ut » scribatur ab his, qui causam examinârunt (Græca versio ha» bet: *Judicârunt.*) Julio Romano Episcopo, & si judicave» rit, renovandum esse judicium, renovetur, & det judices. » Si autem probaverit, talem causam esse, ut non refricentur » ea, quæ acta sunt; quæ decreverit, confirmata erunt. Si » hoc omnibus placet? Synodus respondit: Placet. «

Hoc Canone deferri Synodo Provinciæ in prima instantia causas Episcoporum, atque ab ea Episcopos judicandos esse, manifestum est.

VII. Verùm cùm animadversum esset, non semel accidisse, ut Hæreticorum, ac nominatim Arianorum, qui tunc dominabantur, vafritie & potentiâ, Episcopi Catholici in Conciliis, seu potiùs Conciliabulis opprimerentur, & damnarentur, ut recenter in S. Anasthasio factum fuerat Osius Episcopus Cordubensis Occidentalium, & Orthodoxorum Episcoporum Coryphæus, censuit, conveniens fore, ut si Episcopus damnatus putaret, se *bonam causam habere*, petere posset *renovari* judicium, sive causam rursus examinari.

VIII. Sed ne hac *renovatione* judicii semper posset ipsum Synodale judicium suspendi etiam per homines sceleratos, meritoque damnatos, ipsaque judicia Ecclesiastica magis paterent nebulorum quorundam proterviæ, quàm secularia, in quibus non omnium apellationes recipi docet titulus Codicis, *Quorum appellationes non recipiantur*, judicatum, eam non esse admittendam sine justa causa.

IX. Itaque necesse erat, ut quis designaretur, qui judicaret, num judicii *renovatio* esset admittenda; quare proposuit Osius: Si placeret, ut quando aliquis damnatus à Synodo petit *renovari judicium*, scribatur Julio Episcopo Romano per Episcopos, qui judicârunt, ut ipse judicet, an renovandum sit judicium, an non. Si prius, judicium renovetur; si posterius, tunc judicata maneant firma. Verba Canonis ex versione Herveti clara sunt: » Si vestræ dilectioni videtur, Pe» tri Apostoli memoriam honoremus, ut ab iis, qui judica» verunt, scribatur Julio Romanorum Episcopo; & per pro» pinquos Provinciæ Episcopos, si opus sit, judicium renove» tur; & cognitores ipse præbeat. Si autem probari non potest, » causam ejus esse talem, ut eam rursus judicari opus sit; quæ se» mel sunt judicata, non infirmentur, sed rata sit lata sententia. «

X. Ut verò causa maneret integra quousque sententia Episcopi Romani super renovatione judicii haberetur, æquum visum fuit Gaudentio Episcopo cujus sententiam Synodus probavit, ut dum sententia Episcopi Romani expectaretur, nullus in locum depositi Episcopi ordinaretur, quemadmodum *Canone IV.* exprimitur; qui ex versione Gentiani Herveti sic habet: » Gaudentius Episcopus dixit: Si videtur, necesse es» se adjici huic sententiæ, quam sincerâ dilectione plenam » protulisti, ut si quis Episcopus fuerit depositus judicio Epis» coporum, qui sunt in vicina, & dicat rursus sibi defen» sionis negotium competere, non prius in cathedram alius subs» tituatur, quàm Romanus Episcopus causâ cognitâ seten» tiam tulerit. "

XI. Ulteriùs quia *Canone III.* expressa non erat forma, quæ in ipsa renovatione judicii servanda foret, casu, quo Episcopus Romanus senserit, judicium esse ronovandum, *Canone VII.* decernitur: » ut si quis Episcopus delatus fuerit, & congregati » ejusdem Regionis Episcopi eum *gradu* moverint, ac *velut* (s) » *appellans* confugerit ad Beatissimum Romanæ Ecclesiæ Epis» copum, & velit ipsum audire, & justum esse existimaverit » ejus rei examinationem renovaveri; Coepiscopis scribere dig» netur, qui sunt propinqui Provinciæ, ut ipsi diligenter, & » accuratè singula perscrutentur, & ex veritatis fide de re sen» tentiam ferant. " Hæc juxta versionem Herveti, cui quoad sensum consonat editio Dionysii Exigui. Atque hic est primus modus, quo ex sententia Episcopi Romani *judicium* renovari potest.

XII. Alterum modum subjungit Canon, cujus sensus clariùs exprimitur apud Dionysium Exiguum, quàm in versione Hervetiana, quamvis reipsa conveniat. Itaque Dionysii editio ita » habet: Quod si is, qui rogat causam suam iterum audiri, depre» catione sua moverit Episcopum Romanum, ut de latere suo » Presbyterum mittat; erit in potestate Episcopi quid velit, & » quid æstimet. Et si decreverit mittendos esse, qui præsen» tes, cùm Episcopis judicent, habentes ejus auctoritatem, à » quo destinati sunt, erit in suo arbitrio. Si verò crediderit » Episcopos sufficere, ut negotio terminum imponant; faciet » quod sapientissimo consilio suo judicaverit. «

XIII. Sensus proindè Concilii Sardicensis his Canonibus expressus est, ut Episcopi coram Synodo Provinciæ accusari, judicari, & etiam *gradu moveri* queant; ipsaque sententia Synodi firma consistat, nisi Episcopus damnatus judicium renovari, petierit; ipseque Episcopus Rommanus ab Episcopis Provinciæ interpellatus judicaverit, judicium renovandum juxta modum *Can. VII.* expressum: prout latius deduxi in Tractatu Historico Canonico in notis ad hos Canones.

XIV. Canonibus Sardicensibus quoad primum judicium super causis Episcoporum delatum Synodo Provinciæ, consonat Synodus Calchedonensis *Can. IX.* » Si Clericus autem cum » propio Episcopo negotium, aut litem habeat à Provinciæ Sy» nodo judicetur. " Vide etiam Novellam Justiniani 123. *capit.* 22. quæ controversias Episcoporum similiter Synodis Provincialibus, vel etiam Metropolitano committit.

XV. Circa idem tempus Gelasius II. Papa dissertè agnoscit, Episcopos Provinciæ esse judices, ad quorum judicium » *omnes* causæ *Episcoporum*, & reliquorum Sacerdotum ac ci» vitatum causæ referantur, ut ab his omnibus justè conso» nâ voce discernantur. " Epistola ad Joannem Constantinopolitanum.

XVI. Verùm circa seculum VIII. & IX. hæc Synodorum auc-

(r) *Eruditam hujus Canonis interpretationem dedit Auctor noster dissertatione in Synod. Antiochenam* Scholior, in *Can.* 15.

(s) *Vox* Appellans *impropriè sumi hic debere pro revisione causæ, (est qui dicat) non autem pro vera appellatione, cujus vi ea est, ut priori interim sententiæ supersedendum sit; quod aliter obtinet in revisione; nam confugium illud ad Sedem Apostolicam non impediebat, quin interim sententia depositionis executioni mandaretur.*

auctoritas in decidendis causis Episcoporum diminui cœpit. Sub id enim tempus nova quædam Collectio Canonum, & Epistolarum Decretalium Pontificum prodiit sub nomine cujusdam Isidori, in qua ipsum jus judicandi, & deponendi Episcopos Synodis Provincialibus adimitur, à Romano Pontifice etiam in prima instantia asseritur.

XVII. Refertur enim sub nomine Julii I. Epistola Decretalis ad Orientales Episcopos in causis Athanasii, & excessibus contra Romanam Ecclesiam, in qua *cap.* 2. hæc leguntur: » Porrò dudum à Sanctis Apostolis, successoribusque eorum in præfatis antiquis decretum fuerat statutis, quæ hactenus Sancta & Universalis Apostolica tenet Ecclesia, non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari, nec Episcopum damnari; quoniam Sanctam Romanam Ecclesiam Primatem omnium Ecclesiarum esse voluerunt. «

Et rursus *cap.* 4. » Si quis ab hodierna die, & deinceps Episcopum præter hujus Sanctæ Sedis sententiam damnare, aut propria pellere sede præsumpserit, sciat se irrecuperabiliter esse damnatum, & proprio carere perpetim honore; eosque, qui absque hujus Sedis sunt ejecti sententia, vel damnati, hujus Sanctæ Sedis auctoritate scitote pristinam recipere communionem, & in propriis restitui sedibus. «

XVIII. In Epistola quoque Eleutherii Papæ huic similiter Collectioni insertâ dicitur: » De accusationibus ergo Clericorum, super quibus consulti sumus, quia omnes eorum accusationes difficilè est ad Sedem Apostolicam deferre, finitiva Episcoporum tantùm judicia deferantur, ut hujus Sanctæ Sedis auctoritate finiantur, sicut ab Apostolis eorumque successoribus multorum consensu Episcoporum jam definitum est. «

XIX. Quanto applausu hæc Collectio, ac præsertim Epistolæ illæ Decretales sub gloriosis nominibus primorum Pontificum, & Martyrum exhibitæ, fuerint receptæ, non tantùm à Romanis Pontificibus, sed plerisque Episcopis, qui ambiebant e judicio & correctioni Metropolitanorum, & Synodorum Provincialium subtrahere, & Sedi Apostolicæ in causis criminalibus immediatè subjici, latè exposui in Tractatu Historico Canonico in Canones *part.* 4. *cap.* 1. §. 3.

XX. Stabilitâ autem harum Decretalium auctoritate, unà invaluit opinio, Episcopum sine auctoritate Sedis Apost. damnari non posse; quod tanquam ab Apostolis ad posteros derivatum, & quasi divinitùs pro privilegio Sedi Apostolicæ, cui Petrus præsedit, concessum esse dicebatur.

XXI. Unde cùm anno 835. ad Gregorium IV. appellâsset Aldricus Cenomanensis Episcopus ante sententiam Episcoporum, præcipit quidem Gregorius, ut causa ejus audiatur à Primate Diœceseos, sed judicium peragi prohibet, quod sibi reservat, vel legatis suis in Provinciam mittendis. Extat integra epistola *tomo* 7. *Concil. col.* 1571. (t) fragmentum huc spectans apud Gratianum *Caus.* 2. *q.* 6. *Can.* 11. Eadem fuit subsequentium Pontificum sententia, quam & suis Epistolis sæpiùs expresserunt, & ut observaretur, præceperunt.

XXII. Observat Petrus de Marca *lib.* 7. *de Concordia Sacerdotii, & Imp. cap.* 25. Arnulphum Remensem Archiepiscopum in Synodo Remensi sub seculo IX. depositum, auctoritate Romani Pontificis fuisse restitutum, eo solo titulo, quòd in Synodo sine Sedis Apostolicæ auctoritate depositus fuisset: monetque ab eo tempore opinionem illam invaluisse, ac tandem praxim ei conformem uno quasi consensu fuisse receptam, & stabilitam.

XXIII. Quare in *Dictatu*, qui vulgò Gregorii VII. dicitur, & sub ejus nomine extat *tom.* 1. *Concil. col.* 110. pro vice regulæ ponitur *art.* 3. » quòd ille solus (Papa) possit deponere » Episcopos, vel reconciliare. «

XXIV. Ad hæc cùm variæ prodirent seculo XI. & XII. Canonum Collectiones, in omnibus passim prædictæ Decretales Pontificum ab Isidoro primùm proditæ inserebantur, quâ insertione non exigua iis conciliabatur auctoritas: præsertim tamen eis auctoritatem addidit Gratianus, eas suo Decreto inserendo.

Cùm enim Decretum illud omnium, non tantùm Canonistarum, sed & Theologorum manibus tereretur, eoque tanquam Corpore Canonico uterentur, imò & Doctorum Glossis illustraretur, sententiæ ibidem expressæ pro indubitato suscipiebantur, & in foro admittebantur.

XXV. Refert Gratianus fragmentum suprà citatæ epistolæ Julii 1. *Caus.* 3. *q.* 6. *Can.* 9. cum hac epigraphe: » *Præter sententiam Romani Pontificis, nec Concilia celebrari, nec Episcopum damnari oportet.* « *Et Can.* 7. fragmentum epist. Eleutherii cum hoc summario: » *Comprovinciales, & Metropolitani Episcoporum causam audire, sed definire non possunt.* «

XXVI. Cùm verò Gratianus in suum Decretum retulisset quoque Canones Nicænos, Antiochenos, Sardicenses, & similes, qui causas Episcoporum ad judicium Synodorum referunt, necesse fuit, aliquam reperiri rationem hos Canones conciliandi; unde tandem adhibita fuit distinctio inter causas majores, & minores. Majores dixerunt, quæ depositionem ab Episcopatu mererentur. Minores verò, quæ correctionem, sed mitiorem requirerent.

Illas Sedi Apostolicæ reservatas esse dicebant juxta Decreta in Decretalibus Pontificum relata: has verò conformiter ad sacros Canones in Synodis Provincialibus, & à Metropolitanis esse terminandas.

XXVII. Hanc distinctionem non obscurè amplexus videtur Innocentius III. nam solam Episcoporum depositionem Sedi Apostolicæ reservatam asserit in *Cap.* 2. *De Translat. Episcopi* imò ait, tria, nimirum *translationem, depositionem, & cessionem Episcoporum*, non tàm institutione Canonica, quàm institutione Divina, soli esse Romano Pontifici reservata.

XXVIII. Hanc distinctionem jam pridem receptam fuisse in Gallia testis est antiquus Sanctionis Pragmaticæ Glossographus Cosmas Guimierus, dicens: » Episcoporum depositio est Papæ reservata. Si verò non agatur contra Episcopos ad depositionem, sed ad aliam pœnam arbitrariam, vel determinatam, citra tamen depositionem, tunc Concilium Provinciale erit judex. «

XXIX. Eandem tandem confirmavit Synodos Trident. *Sess.* 24. *cap.* 5. *De Reformat.* ubi ait: » Causæ criminales graviores contra Episcopos, etiam hæresis, quod absit, quæ » depositione, aut privatione dignæ sunt, ab ipso tantùm summo Romano Pontifice cognoscantur, & terminentur. Quòd » si ejusmodi sit causa, quæ necessariò extra Romanam Curiam » sit committenda, nemini prorsùs ea committatur, nisi Metropolitanis, aut Episcopis à Beatissimo Papa eligendis. Hæc » verò commissio, & specialis sit, & manu ipsius Sanctiss. Pontificis signata; nec unquam plus his tribuat, quàm ut solam » facti instructionem sumant, processumque conficiant; quem » statim ad Romanum Pontificem transmittant, reservatâ eidem » Sanctissimo sententiâ definitivâ. «

XXX. Post hæc de minoribus Episcoporum causis subjungit: » Minores verò criminales causæ Episcoporum in Concilio tantùm Provinciali cognoscantur, & terminentur, vel à » deputandis per Concilium Provinciale. «

XXXI. Refert Cardinalis Pallavicinus *lib.* 23. *Hist. Concilii Trid. cap.* 7. *num.* 11. » quòd cùm ageretur de Decretis reformationis *Sessione* 24. promulgandis, Cardinalis Lotharingius in quinto capite, ubi lex habetur de committendis Episcoporum causis, opinabatur, aut caput illud omninò delendum, aut restringendum, adjectâ particulâ *salvis Provinciarum privilegiis*: aliter necesse fore, ut Galli repugnarent, » cùm Decretum illud opponeretur privilegiis Ecclesiæ Gallicanæ. «

XXXII. Deinde narrat Pallavicinus ibidem *cap.* 8. *num.* 5. quòd in hoc quinto capite » sublatæ fuerint in gratiam Lotharingi amplissimæ derogationes cuicunque privilegio jam appositæ, idque ne apertum detrimentum prærogativis Ecclesiæ » Gallicanæ in eo contineretur, quandoquidem ille non impetraverat, sicut petierat in antegresso examine, ut Provinciarum privilegia dissertè illæsa servarentur: in quo necesse habuit, ut ardenter se gereret, quoniam super hoc articulo » Venetiis conquesti fuerant de Synodo Gallici Oratores. «

XXXIII. Quod hîc dicit Pallavicinus de Gallicis Oratoribus etiam probant observationes atque animadversiones Oratorum Regis Christianisimi in articulos reformationis *Sess.* 24. publicandos; in his observationibus notatur: » Caput, quod incipit, *Causæ criminales*, non placet. Adversatur enim antiquissimo juri Regis, & Ecclesiæ Gallicanæ privilegiis, quibus cavetur, ne quis etiam volens extra Regnum à quoquam » ex quacunque causa in jus vocari; nedum comdemnari possit. «

XXXIV. Extant hæ observationes in libello, cui titulus, *Memoires pour le Concile de Trente*, edit. 1654. *pagina* 573. ubi & *pag.* 575. referuntur notæ Domini de Pibrac Oratoris Regis Galliæ in Concilio Tridentino ad aliquot Capita hujus *Sessionis* 24. ubi nominatim ad hoc Caput quintum notatur: » Hoc » totum Decretum gratissimum omnibus Patribus fuit, nullo- » que dissentiente approbatum, quanquam ex eo nihil magis sequi videatur quàm securitas & gravissimorum criminum » impunitas, quæ ipsa per se maxima est illecebra peccandi. » Quis enim ex longinquis regionibus ad testimonium dicendum » Romam proficisci volet? Violatur quoque hîc apertissimè jus » nostrum, quo hactenus semper usi sumus; neminem enim » Gallum, nisi in Gallia, judicari leges patiuntur. Illud autem » nullâ ratione fieri potest, quòd causæ civiles Episcoporum, » ubi scilicèt de eorum bonis agitur, ad forum Romanum hoc » Decreto transferuntur. «

XXXV. Observationibus Gallicanis circa hoc decretum Concilii Tridentini non absimiles sunt notæ Magistratuum Belgi-

(t) *D. Van Espen cùm Editionem Conciliorum citat, ea censenda est, quam RR. PP. Labbe, & Cossartius adornârunt.*

gicorum, quas prævie ante publicationem Concilii Tridentini in his partibus addiderunt.

Imprimis enim ad *cap.* 8. *Session.* 13. ubi dicitur : *Causæ Episcoporum, cum pro criminis gravitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipsum terminentur*, » speciatim Brabantini observârunt, hâc ratione subditos » extra Patriam fore trahendos, quod directò adversatur indul- » to summorum Pontificum Leonis, & Clementis, & Constitu- » tionibus Suæ Majestatis, & Illustrissimorum ejus Prædecesso - » rum, qui non sine gravi, ac prægnanti causa id concesse- » rùnt. «

Deinde ad *Cap.* 5. *Sess.* 24. » monuerunt Brabantini, Flan- » dri, alique, posse Regem inhærere veteri juri, & auctoritati » suæ ad conservandam securitatem, & tranquilitatem Reipubli- » cæ, & subditorum.«

XXXVI. Plurima, & antiquissima sunt Principum Belgii edicta, quæ vetant Belgas extra suas Provincias in jus vocari; eaque etiam juramento Principes in sua inauguratione inviolabiliter observare promittunt. Idque non tantùm in causis civilibus, sed Ecclesiasticis; atque hinc notorius, & quotidianus usus delegandi judices appellationum in *Partibus*, si quando à sententia judicis Ecclesiastici, ad Pontificem appellatum est; (u) uti infrà ubi de *judicib. deleg.* agetur, latiùs ostendetur.

XXXVII. Non dubium, quin magna secum trahat incommoda extra Provinciam, & in remotis locis causam prosequi debere : idque sive personas litigantes spectes, quæ sine magnis sumptibus, variisque domesticis & familiaribus incommodis in locis illis remotioribus ad prosequendas causas morari nequeunt; sive etiam ipsam causarum instructionem attendas; nam ut jam pridem rectè scripsit S. Ivo Carnotensis *epistola* 68. » Si intra » Provinciam, secundum quod instituta Majorum continent, » fieret prima discussio, sicut necesse foret, non deessent accu- » satores, non deessent testes, qui pro hujusmodi negotiis non » audent ad remota loca prodire.«

XXXVIII. Quamvis nonnulla crimina inferiores Clericos, quin & Presbyteros judicibus Regiis subjecerint, Praxisque invaluerit, ut de illis à judicibus Laicis judicentur, & condemnentur, hactenùs non scimus ad Episcopos Laicam jurisdictionem ratione criminis quantumvis atrocis esse extensam; referturque in actis Cleri Gallicani declaratum esse 26. Aprilis 1657. per Regem Galliæ, quòd si Episcopi accusarentur de crimine *læsæ Majestatis*, ipsorum processus instruerentur per judices Ecclesiasticos, conformiter ad sanctiones Canonicas, & formam in hoc Regno servari consuetam. Quâ de re extat articulus in Summario Actorum Cleri Gallicani edit. 1680. *tom.* 1. *part.* 1. *tit.* 1. *cap.* 2. *art.* 37. Les *immunites, & exemptions acquises aux Cardinaux, Archevêques, & Evêques doivent estre inviolablement gardées & observées dans ce Royaume. Ce qui fut ordonné par sa Majesté par Arrest de son Conseil d' Etat du* 26. *Avril* 1657. *& la Commission du* 21. *Septembre* 1654. *qui avoit esté envoyée aut Parlement de Paris pour faire le Procés á Monseigneur le Cardinal de Rets, fut declararèe nulle; & q' au cas q' ils soient accusez du crime de leze Majesté leur Proces sera instruit, & jugé pour leurs personnes, par les Juges Ecclesiastiques, conformement aux saints Decrets, & Constitutions Canoniques, suivant les formes observées dans le Royaume aux causes des Evêques.* Id est : » Immunitates, & exemp- » tiones Cardinalibus, Archiepiscopis, & Episcopis partæ in- » violabiter conservandæ sunt in hocce Regno. Idque à sua » Majestate statutum est per edictum Consilii Statûs datum 26. » Aprilis 1657. & mandatum de 21. Septembris 1654. quod su- » premæ Curiæ Parisiensi missum fuerat, ut Dominus Cardina- » lis Retensis in jus vocaretur, nullius valoris declaratum est; » utque in casum, quo de crimine læsæ Majestatis rei ageren- » tur, ipsorum causa instrueretur, & judicaretur pro ipsorum » persona per Ecclesiasticos Judices conformiter ad Ecclesiasti- » ca Decreta, & Canonicas Sanctiones, & juxta morem in hoc » Regno observatum in causa Episcoporum.«

Sa Majesté donna une Declaration du méme jour 26. *April.* 1657. *qui confirme ledit Arrest.* Id est : » Sua Majestas eodem » die 26. Aprilis 1657. Declarationem fecit, qua dictum Edic- » tum confirmat.«

XXXIX. Ex his satis intelligitur, quomodo Ecclesia fuerit solicita, ne temerè Episcopi accusarentur, aut damnarentur, neque inferioribus subderentur; dum non nisi causas criminales ipsorum coram multorum Episcoporum cœtu examinari, & discuti voluit. Verùm & ex his etiam intelligere possunt Episcopi, quòd juxta mentem Ecclesiæ debeant se in omnibus irreprehensibiles exhibere, ne quis contra ipsos justam querelam habeat : neque hanc ab inferioribus judicibus immunitatem in licentiam dominandi, aut liberiùs peccandi assumere. Sanè dum hodiè vix seculo uno Synodus Provincialis habetur, patet, quomodo ab omni penè judice Episcopi in hujusmodi causis sint exempti.

(u) *Idipsum in Hispania observatur, ut suo loco dicetur quando de Judicibus Delegatis agetur.*

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT IV.

DE SENSU CANONIS SARDICENSIS, ET DE TEMPORE QUO MAJORES CAUSÆ EPISCOPORUM SEDI APOSTOLICÆ RESERVATÆ FUERUNT.

1 *Synodus Sardicensis nihil decrevit adversus supremam Conciliorum Provincialium auctoritatem.*
2 *Revisio multum differt ab appellatione.*
3 *Isidorus seculo IX. Canones Sardicienses in alienum sensum primus detorsit.*
4 *Eos exposuit, quasi tribuerent Summo Pontifici jus rescindendi sententiam in Concilio Provinciali latam.*
5 *Ea expositio à summis probata Pontificibus, executioni mandata fuit.*
6 *Fuerunt seculo IX. qui eam explicationem, vel rejecerunt, vel ea abusi sunt.*
7 *Hincmarus Laudumensis in Concilio Duziacensi damnatus, ea expositione suffultus, ad Summum Pontif. appellat.*
8 *Appellationem suscipit Adrianus II.*
9 *Adversus eam appellationem reclamant Hincmarus Remensis, & alii Episcopi Galli.*
10 *Se tuentur auctoritate Canonum Sardicensium.*
11 *Si causam retractari jubeat Pontifex, existimant eam retractari debere ab Episcopis Provinciæ, & locorum finitimorum.*
12 *Rogant, ut Canones Sardicenses inviolati serventur.*
13 *Romani Pontifices nixi versione Isidori à se hos Canones observari arbitrabantur.*
14 *Id certum visum est Gregorio IV. ad quem Aldricus Cenomanensis appellaverat.*
15 *Creditum olim est sine auctoritate Summi Pontificis deponi non posse Episcopum.*
16 *Eodem tempore non defuêre, qui contrarium docuerunt, nixi Canonibus Nicænis.*
17 *Qui inter Episcopos Galliæ recipiebant falsas Decretales, ajebant iis non posse convelli Canones Nicænos.*
18 *Ex earum receptione manavit opinio, plurimas Reservationes Sedi Apostolicæ factas descendere ex Apostolica Traditone.*

* I. COmmunis fuit Canonistarum sententia, ad Concilium Sardicense referendam esse primam originem juris, quod Summi Pontifices in Canonicis Episcoporum judiciis sibi vindicârunt. Verùm si rem propiùs introspiciamus, manifestum erit in eo Concilio nihil statutum fuisse adversus Supremam Synodorum Provincialium auctoritatem in causis Episcoporum judicandis. Patres Sardicenses Summo Pontifici concesserunt tantùm jus discernendi revisionem sententiæ à Concilio Provinciali in Episcopum latæ, non autem jus recipiendi appellationem Episcopi condemnati, & rescindendi sententiam, quam tulerat Synodus Provincialis.

II. Discrimen quippè est inter *appellationem*, & *revisionem*: illa integram causæ cognitionem transfert ad Judicem Superiorem, qui post quæstionem discussam, eam in suo Tribunali definit : at revisio definitivum judicium relinquit priori jurisdictioni ea ratione, ut prioribus Judicibus novi etiam adjungantur; ut constat ex quadam Constitutione græca, quam Cujacius in suis Observationum libris restituit.

III. Causæ Episcoporum in Synodis Provincialibus fuerunt examinatæ, & definitæ usque ad IX. circiter seculum, quo prodiit nova quædam Canonum collectio, vulgò *Isidori Mercatoris*, cui hic inseruit non tantùm confictas Decretales sub nomine primorum Pontificum Romanorum à Clemente usque ad Siricium (uti in textu notatur) sed & plures Synodorum Canones in alienum sensum detorsit, & in suam Collectionem sic detortos transtulit, idque vel precipuè ad amplificandam Sedis Apostolicæ auctoritatem, & signanter in examinandis, & definiendis causis Episcoporum.

IV. Hunc in finem Canonem 3. Sardiciensem ita expressit, ut non obscurè significetur Patres Concilii Sardicensis detulisse Romano Pontifici *judicium* de justitia, vel injustitia sententiæ in Synodo Provinciali contra Episcopum prolatæ : quasi scilicet Romanus Episcopus causam examinaret, judicaretque num sententia contra Episcopum prolata justa, vel injusta esset. Ita enim legit : *Osius Episcopus dixit; quòd si aliquis Episcopus adjudicatus fuerit in aliqua causa, & putet se bonam causam habere, alterum judicium renovetur. Si vobis placet, Sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur vel ab his, qui examinaverunt, vel etiam ab aliis Episcopis, qui in Provincia proxima Romano Episcopo; & si judicaverit renovandum esse judi-*

dicium, renovetur, & det Judices. Si autem probaverit talem causam, ut ea non refricentur, quæ acta sunt, quæ decrevérit Romanus Episcopus, confirmata erunt. Si hoc ergo placet omnibus statuatur. Synodus respondit: Placet. Apud Gratianum 6. *quæst.* 4. *Can.* 7.

Verba enim illa: *quæ decreverit Romanus Episcopus confirmata erunt*, innuunt, Romano Episcopo delatum fuisse judicium de ipsa causa Episcopi cognoscendi, contra verum, & genuinum sensum Canonis & Patrum Sardicensium mentem, qui duntaxat à Romano Episcopo postulandum judicârunt, ut examinaret, utrum post latum judicium in Synodo Provinciali contra Episcopum causa esset rursus revidenda, & renovanda; & si Rom. Pontifex censeret non renovandum, tum *priùs* judicata firma manerent, uti *num.* 9. *cap. præc.* fuit expositum, & probatum hanc esse veram Canonis lectionem, quam exhibent tam Græcæ, quàm Latinæ lectiones, atque præ cæteris lectio Gentiani Herveti: ut inde manifestum sit falsarium illum verba Canonis in gratiam Romani Pontificis in alienum sensum detorsisse.

V. Quemadmodum autem à Romanis Pontificibus præsertim à tempore Nicolai I. confictæ Decretales, sub nomine primorum Romanorum Pontificum, tanquam vera & authentica illorum Pontificum decreta propugnata, & proposita fuere, & ad asserenda jura Sedis Apostolicæ assumpta; ita quoque & Canones Conciliorum, tametsi in alienum sensum in hac Collectione inflexi, à Romanis Pontificibus pro tuenda Sedis Apost. auctoritate impensi fuere.

VI. Verùm sicuti non defuêre sub idem tempus qui epistolarum illarum auctoritatem admittere recusârunt, eò quòd in Codice Canonum scilicet Dionysii Exigui (qui tum temporis pro Codice Canonum in Gallia receptus erat) non continerentur; ita & Canones in sensum alienum in hac Collectione Isidori detorti, ab iisdem non admittebantur; sed eos, prout in dicto Codice Dionysii expressi legebantur, observandos contendebant.

Hujus rei exemplum occurrit in causa Hincmari Episcopi Laudunensis circa annum 865.

VII. Hic enim de pluribus criminibus accusatus, à suo Metropolitano Hincmaro Remensi ad Synodum Episcoporum evocatus, suæ causæ non satis fidens, priusquam sententia contra ipsum pronuntiaretur ad Romanum Pontificem Adrianum II. appellandum censuit: idque auctoritate Canonum Sardicensium, Verba appellationis erant: *Alioquin secundum sacros Canones. & Decreta sanctæ Sedis Romanæ Pontificum* BEATI PETRI APOSTOLI MEMORIA HONORETUR, *& ut mihi nulla ab ullo violentia inferatur propriâ voce, atque libello* SEDEM APOSTOLICAM APPELLO, *& hanc possessionem, atque appellationem meam Domino nostro Regi Christianissimo à Primate Provinciæ meæ, cui hanc porrigo, dari deposco.*

Nihil evidentius, quàm hic alludi ad Canones Sardicenses his verbis *B. Petri Apostoli memoria honoretur*, quæ ab ipso Osio in Concilio Sardicensi impensa fuêre; ut hoc colore causam Athanasii, aliorumque Episcoporum orthodoxorum Orientalium ad Rom. Pontificem trahere posset.

VIII. Appellationum ab Hincmaro Lugdunensi interjectam libenter suscepit Adrianus II. eumque, ut eam coram se prosequeretur, Romam evocavit.

IX. Verùm Episcopi Gallicani, ac præ cæteris Hincmarus Remensis Archiepiscopus, cui ut Metropolitano suberat Laudunensis, eam appellationem tanquam frustratoriam, & sacris Canonibus adversam rejicientes, contra prædictum Hincmarum Lugdunensem processerunt, atque tandem in Synodo Duciacensi anno 871. setentiam depositionis protulerunt.

X. Porrò ex Actis Synodi habetur Episcopus Gallicanos auctoritatem Canonum Sardicensium eo tempore admisisse quidem, sed prout hi Canones in Codice Canonum, vulgò *Dionisii Exigui*, legebantur, uti & in ipsa Synodo relecti ab Aldagario Diacono fuêre: quin & in sententia nominatim declarârunt, » se velle reservata per omnia juris privilegia Domini & Patris nostri Adriani Apostolicæ ac primæ Sedis Papæ, » sicut sacri Sardicenses Canones decreverunt. « Nimirum ut post sententiam contra Episcopum in Synodo Provinciali per Episcopos prolatam, integrum esse juxta Canones Sardicenses, rursus in Provincia judicium renovari, si Episcopo Romano visum esset judicium esse renovandum, prout Hincmarus Remensis ad ipsum Prontificem rescripsit; & ipsa Synodus Duziacensis in sua Synodica ad eundem clarissimis terminis expressit.

XI. Rogat enim imprimis, ut sententiam contra Laudunensem Episcopum à Synodo prolatam, suâ velit auctoritate roborare, ac deindè subjungit: » Et si fortè, quod non pu» tamus visum vobis necessario fuerit, ut secundum Sardicen» ses, Canonis renovetis judicium, & detis judices scribendo » Episcopis, qui in finitimis, & vicinis Provinciis sunt, ut & » ipsi diligenter omnia requirant, & juxta fidem veritatis de» finiant, vel si decreveritis mittere à latere vestro habentes » auctoritatem vestram, qui cum Episcopis judicent, *eo in gra* » *du adhuc non restituto* sicut sacri Sardicenses Canones præci» piunt, non abnuimus. « Tom. 8. Concil. General. col. 1656.

Non abnuerunt igitur Episcopi Gallicani, ut post latam sententiam, conformiter ad Canones Sardicenses, judicium in Provincia rursus renovaretur, si ita Romano Pontifici visum fuisset, sed illud Patribus etiam Sardicensibus adversum arbitrantur, quod ad Sedem Apostolicam causæ Episcoporum per appellationem etiam ad *effectum supensivum* trahi possent, ipsamque causam extra Provinciam dijudicari.

XII. Unde in eadem Synodica super articulo de non evocanda causa extra Provinciam, aut infirmanda sententiâ Synodi ante renovatum judicium, ipsos Canones Sardicenses inviolatos servari rogant. » Veruntamen (inquiunt) quanta pos» sumus devotionis humilitate deposcimus, ut etiam in causa » nobis canonicam definitionem servetis: videlicet, ut si, quod » non credimus, ea quæ regulariter definivimus, prout sacras » regulas intelleximus, vobis præsentialiter non placuerit, ves» trâ sententiâ roborare, non antea communioni Sacerdotali, » à qua separatus est, restituatur, *antequam secudum regulas* » *& leges in Provincia*, in qua causæ gestæ, & judicatæ sunt, re» quirantur; quia usque ad nostra tempora, nullâ Patrum de» finitione hoc Ecclesiis Gallicanis & Belgicis est derogatum. «

XIII. Ex his aliisque ad *num.* 22. notatis intelligitur non sine fundamento à quibusdam observatum esse inter præcipua motiva, quibus Romani Pontifices causas Episcoporum ad se traxerunt, fuisse Canones Sardicenses, quos jam pridem Patribus Africanis pro Canonibus Nicænis in causa Apiarii Presbyteri Zosimus Papa, ejusque Successores Bonifacius, & Cœlestinus per suos Legatos submiserunt, quemadmodum in scholis ad Canones Africanos observavimus, ac deinde eosdem in alienum sensum, ex versione Isidori detortos, eundem in finem impenderunt.

Ostensum enim est suprà *num.* 21. Rom. Pontifices post publicatam collectionem vulgò *Isidori* ad vindicandum Sedi Apostolicæ causas Episcoporum, non tantum impendisse confictas Decretales in hanc collectionem per falsarium illum conjectas, sed & Canones notantes Sardicenses, per hunc falsarium in alienum sensum detortos, & in suam Collectionem conjectos.

XIV. Et quidem Canones Sardicenses per Gregor. IV. ad quem Aldricus Cenomanensis appellaverat, fuisse impensos ex verbis epistolæ & fragmenti apud Gratianum relati evidens est: quin ex iis adstruxisse jus Episcoporum appellandi à Synodo Provinciali ad Sedem Apostolicam, etiam ante Sententiam per Synodum Provincialem prolatam, & quidem eo effectu, ut per hanc ad Sedem Apostolicam appellationem auctoritas Synodi Provincialis pronuntiandi contra Episcopum pendente appellatione suspenderetur, & sententia Romani Pontificis, ejusve Legati spectanda esset. Verba Epistolæ sunt: » Mandamus, ut si aliquis quod non optamus, suorum æmu» lorum Aldricum Canonicæ Ecclesiæ Episcopum accusare dam» nabiliter attentaverit, *ut honoretur Beati Petri Apostolorum* » *Principis memoria*, Ecclesiæque Romanæ, cui præsedit pri» vilegium, & nostri nominis auctoritas, liceat illi post audi» tionem Primatum Diœceseos, si necesse fuerit, nos appella» re, & nostra auctoritate, aut ante nos, aut ante Legatos *nos» tro ex latere missos juxta Patrum Decreta* suas exercere, at» que finire actiones." Hic alludi ad Canones Sardicenses, eosque in alienum sensum detorqueri evidens est. Patres Sardicenses enim nonnisi ex quadam humanitate, & reverentia erga Sedem Petri, nocnon ob necessitatem temporis ad honorandam Petri memoriam statuerunt, ut postquam Episcopi in sua Provincia essent damnati, posset scribi ad Romanum Pontificem. ut hic non de causa principali sententiam ferret, sed duntaxat examinaret, utrum causa hujus Episcopi in Provincia rursus esset examinanda, sive *judicium renovandum*: interim *firmâ* manente priori sententiâ, donec Romanus Pontifex judicâsset judicium renovandum, & in hoc novo judicio prior sententia esset retractata, uti *num.* 9. fuit expositum, & latiùs in Scholiis ad hos Canones, & in *cap. præced. num.* 16. ostensum fuit, Pontifices hunc perversum Canonum Sardicensium sensum auctoritate Collectionis Isidorianæ unà cum falsis Decretalibus in ea contentis ad stabiliendam auctoritatem Sedis Apostolicæ assumpsisse.

XV. Ex Actis Concilii Remensis, in quo causa depositionis Arnulphi Archiepiscopi Remensis agitata fuit, habemus inter Patres quoque agitatum fuisse, utrum penes Concilium esset auctoritas deponendi Episcopum, non interveniente sententia Romani Pontificis. Ad hæc ex iisdem Actis habetur, pro asserenda Romani Pontificis auctoritate adductas fuisse falsas Decretales, quas Isidorus Mercator orbi obtruserat, & adnitentibus Romanis Pontificibus, notanter Nicolao I. in auctoritatem erant receptæ.

XVI. Hoc autem & ex iisdem Actis constat, non defuisse etiam tunc temporis Episcopos, qui auctoritatem Synodorum Episcopalium in deponendis Episcopis conformiter ad Nicænos Ca-

Canones salvam esse sustinerent, neque Decreta Pontificum hisce Canonibus posse derogare. Pro hoc jure Synodorum sustinendo acriter, & vehementer peroravit in eadem Synodo Arnulphus Aurelianensis Episcopus, qui honorandam quidem memoriam Sancti Petri, & Decreta Romanorum Pontificum veneranda, ac reverenter suscipienda præmonuit: »Sed (ait) »salvâ auctoritate Nicæni Concilii, quod eadem Romana Ec»clesia semper venerata est, statuta etiam sacrorum Ca»nonum diversis temporibus sub eodem Spiritu Dei condito»rum in æternum valere præcipimus, ab omnibus servanda »censemus.« Deinde monet, quòd magnoperè providendum sit, si Romani Pontificis nova Constitutio promulgatis legibus Canonum præjudicare potest; nihil profuturas leges conditas, cùm ad unius arbitrium omnia dirigantur.

XVII. Ex discursu Arnulphi Episcopi Aurelianensis habetur, quòd eo tempore, id est, sub finem seculi X. falsæ Decretales etiam ab Episcopis Gallicanis, ut *veneranda Romanorum Pontificum Decreta* admitterentur: id unum contendentibus Episcopis Gallicanis, hæc Decreta Romanorum Pontificum non potuisse convellere Canones *Nicænos*, qui auctoritatem deponendi Episcopos Synodis Provincialibus detulerant.

XVIII. Verùm semel receptis his Decretalibus, tanquam genuinis litteris, seu Decretalibus Romanorum Pontificum, quorum nomina præferebant, haud difficile fuit Romanis Pontificibus sustinere, quòd, quæ in hisce Decretalibus Sedi Apostolicæ reservata asseruntur, ex Apostolica traditione descendant, atque ita quasi à Christo fuissent reservata Sedi Apostolicæ.

Et scitur, quòd post receptas has Decretales persuasum fuerit permultâ ex traditione Apostolica, Sedi Apostolicæ esse reservata, quæ demùm seculo IX. auctoritate harum Decretalium reservari cœperunt, inter quæ etiam depositio Episcoporum, quæ ut minùs per IX. secula auctoritate Synodi Provincialis absque interventione Sedis Apostolicæ facta scitur; uti *part.* 1. *tit.* 15. *cap.* 5. fuit observatum.

TITULUS IV.

De Delictis Ecclesiasticis.

CAPUT I.

QUOMODO OLIM EPISCOPI DE OMNIBUS CRIMINIBUS COGNOVERINT, ET QUOMODO HÆC EPISCOPORUM AUCTORITAS IMMINUTA.

1 *Per multa secula latissimè se extendit Ecclesiæ auctoritas in crimina etiam laicorum.*
2 *Argumentum istius disciplinæ suppeditant Constitutiones vulgò Apostolicæ.*
3 *Episcopi in omnia crimina, etiam occulta, inquirebant, & quasi processum instituebant.*
4 *Hæc inquisitio, & processus tendebant ad reconciliationem peccatoris.*
5 *Forum externum non erat separatum à foro interno, seu Sacramentali.*
6 *Non erat alius pro foro externo, alius pro foro interno constitutus.*
7 *Hæc disciplina videtur durâsse per XI. secula.*
8 *Multa judicialia etiam interveniebant, quæ tamen indirectè spectabant ad Sacramentum Pœnitentiæ.*
9 *Circa seculum VII. quædam crimina specialiter spectabant ad Sacramentum Pœnitentiæ.*
10 *Ostenditur quomodo omnia crimina meritò fuerint jurisdictionis Ecclesiasticæ.*
11 *Nulla tunc erat criminum distinctio in Ecclesiastica, & Civilia, prout illa hodie accipiuntur.*
12 *Episcopus non vetabatur inquirere in crimina Civilia etiam laicorum.*
13 *Episcopo non obstabat judicium laici.*
14 *Crimen civiliter punitum poterat postmodum etiam per Episcopum puniri.*
15 *Ratio istius disciplinæ.*
16 *Reprobantur, qui contrarium asserere volebant.*
17 *Qui Episcopis obedire renuebant, compellabantur per Magistratus Civiles.*
18 *Jurisdictio Episcoporum integra mansit, quandiu forum externum fuit conjunctum cum interno.*
19 *Circa seculum XII. utrumque forum separari cœpit.*
20 *Quæ fori judicialis sunt, Episcopi sibi vel Vicariis suis reservârunt, & quæ fori interni, inferioribus Presbyteris commiserunt.*
21 *Hac fori separatione stabilitâ Officiales Episcoporum de omni peccato cognoscere prætendebant.*
22 *Conforme responsum Innocentii III.*
23 *Posito hoc principio, omnium penè causas sibi attrahebant Judices Ecclesiastici.*
24 *Fundamentum Officialium erat, quòd ad Ecclesiasticos pertineret remissio peccatorum.*
25 *Hæc ratio non concludebat pro foro contentioso.*
26 *Ob separationem fori Pœnitentialis à foro contentioso cœperunt judices Regii aliqua crimina sibi reservare.*
27 *Crimina, quæ nihil continent spirituale præter illud, quod concernit forum Sacramentale, non spectant ad cognitionem Officialium.*
28 *Ad illud forum spectantia remittuntur ad hujus fori ministros.*
29 *Si crimen habeat aliquid spirituale præter illud, quod concernit forum Sacramentale, illud manet cognitionis Ecclesiasticæ.*
30 *Hinc invaluit distinctio criminum in Ecclesiastica, Civilia, & mixta.*

I. PRimitùs latissimè Ecclesiæ auctoritatem in puniendis quibuscunque etiam laicorum delictis, atque in ea inquirendi patuisse, multis ostendit Morinus *de Administratione Sacramenti Pœnit. lib.* 1. *cap.* 9. & 10.

Imò asserere non dubitat, quòd totis undecim & ampliùs seculis eam in omnia crimina auctoritatem Ecclesia constantissimè exercuerit. »Quanquam enim (ait) toto illo tempore non »nullas magni momenti varietates urgentibus de causis Epis»copi in Ecclesiæ disciplinam, quæ pœnitentiam spectat, in»tulerint; constantissimè tamen Jurisdictionem suam in omnia »crimina etiam levissima, occulta, & publica, Sacramenta»li, ut nunc loquimur, ratione exercuerunt.«

II. Argumentum istius disciplinæ suppeditat totus liber secundus Constitutionum vulgò *Apostolicarum*, quæ licèt Apostolis falsò tribuantur, tamen antiquæ sunt, nec seculo IV. recentiores videntur. In hoc porrò libro, »nihil penè aliud trac»tatur quàm modus, ratioque, juxta quam Episcopus in ju»dicandis, ac puniendis peccatis, recipiendis ad pœniten»tiam peccatoribus sese gerere debeat; nec ulla unquam in »eo distinctio peccatorum, cujus membrum foro Ecclesias»tico, & pœnitentiæ non subjiciatur:« ait Morinus *citato cap.* 10. *num.* 2.

III. Ostendit ibidem multis ex antiquitate petitis testimoniis, Episcopos tunc temporis in omnia crimina etiam occulta inquisivisse, ac quasi processus instituisse; ut conformiter ad crimina detecta pœnitentias imponerent.

IV. Hoc tamen apprimè notandum, quòd dicat Morinus, Episcopos Jurisdictionem suam tunc in *omnia* crimina exercuisse, *Sacramentali*, ut tunc loquimur, *ratione*.

Licèt enim in peccata inquirerent, testes audirent, censuris, aliisque canonicis pœnis contra peccatores procederent, tamen hæc omnia unicè ad ipsius peccatoris reconciliationem tendebant; imò omnia, quæ Episcopi circa crimina exercebant, cum pœnitentiæ Sacramento connectebantur, atque ad ipsum forum internum Pœnitentiæ sive antecedenter sive consequenter reducebantur.

V. Neque enim toto illo seculorum undecim curriculo forum externum ab interno, seu Sacramentali disjungebatur; sed hoc illi arcto vinculo connectebatur; sive potiùs quidquid in foro externo agebatur, ad forum internum Sacramenti Pœnitentiæ referebatur; uti fusè ibidem ostendit Morinus.

VI. „Nec erat alius, qui excomunicationem, alius, qui pec»cata solveret, ad quem solutâ excomunicatione peccator esset »remittendus: nec erat aliud tribunal, in quo excommunican»dus, vel excommunicatus judicabatur, aliud in quo pœnitens »excommunicatione solutâ; sed unus & idem homo, Episco»pus scilicet vel Presbyter unius ejusdem tribunalis præses id »præstabat.“

VII. Hæc Morinus *cap.* 10. *num.* 1. qui addit *num.* 11. nihil hactenus à se inventum, quod probet, ante seculum XII. forum externum ab interno fuisse separatum; aut judicem peculiarem excommunicationis solvendæ, alium culpæ eluendæ destinatum fuisse.

VIII. Non eo tamen inficias (subdit Morinus) in ea „Pœniten»tiali criminum, præsertim publicorum, vindicta mulcta judicia»lia tantùm, & ceremonialia adhibita fuisse, quæ indirectè, & »per accidens non ex sui naturâ ad Sacramentum Pœnitentiæ re»fe-

» ferebantur. Imò videtur necessarium, cùm Pœnitentiæ publicæ » non instituerentur solùm ut Deo satisfieret, sed etiam ut Eccle- » sia reorum pœnitentiis ædificaretur. Verùm antiqui ad unum & » idem tribunal utraque revocabant.“

IX. Illud quoque haud diffitetur circa seculum VII. duplex quoddam forum invaluisse. Sub id enim tempus invaluit disciplina, ut de peccatis publicis *publica*, de occultis pœnitentia *occulta* ageretur. » Publicorum itidem peccatorum Confessio, » Pœnitentia, absolutio, ad Episcopos, eorumque speciales De- » legatos pertinet: occultorum Confesio, Pœnitentia, Absolu- » tio, ad quoslibet Presbyteros. Duplex forum manifestissimum, » causarumque materia longè diversa. Utrumque hoc forum à » tempore notato multis seculis in Ecclesia fulgentissimum fuit.“

Verùm quidquid Episcopi, quidquid Presbyteri circa peccatores agebant, totum ad Sacramenti Pœnitentiæ administrationem, sive peccatorum curationem directè vel indirectè pertinebat.

X. Cùm igitur omnis Ecclesiastica auctoritas tunc unicè ad eluendas criminum maculas aut etiam ad avertenda à reliquo populo scandala collimaret; neque forum externum, & contentiosum à foro interno disjungeretur; ipsique Episcopi Sacramentali duntaxat ratione in crimina inquirerent, eaque punirent; non mirum, quòd sicuti hodie nulla omninò crimina à foro *interno* sive Sacramentali subtrahuntur; ita toto illo tempore, quo utrunque forum mansit conjunctum, etiam crimina omnia auctoritati Ecclesiasticæ manserint subjecta, ut Ecclesiæ Ministri salutares pœnitentias etiam solemni quodam & judiciali modo decernerent, prout saluti peccatorum & fidelium ædificationi convenire judicarent.

XI. Nulla igitur tunc nota erat criminum distinctio in Ecclesiastica & civilia, eo nimirùm sensu, ut aliqua essent judici civili reservata privativè ad judicem Ecclesiasticum, sive Episcopum.

XII. Neque enim vetabatur Episcopus in crimina Laicorum quantumvis *civilia*, puta furtum, homicidium &c. inquirere, atque de his vel per propriam Confessionem, vel aliunde convictis, publicas vel occultas pœnitentias pro ratione criminum imponere; non quidem ad meram delictorum illorum vindictam, sed ad delinquentium emendationem, & publici scandali reparationem.

XIII. Ulteriùs, quia eo tempore forum externum jungebatur interno; & quæ Episcopi agebant circa criminum inquisitiones, & alia, quæ ad forum externum pertinere videbantur, *Sacramentali ratione* exercebantur, sive pròximè aut remotè, directè, aut indirectè ad forum internum reducebantur: ideò judicium Magistratûs civilis, vel sententia aut pœna decreta contra delinquentes non magis impediebat ipsam jurisdictionem seu auctoritatem Ecclesiasticam in puniendis eisdem criminibus per pœnitentias publicas solemniter & judiciali quodam modo imponendas, quàm hodie sententia judicis Laici impediret Confessarios in iis, quæ forum *internum* spectant.

XIV. Quapropter » qui propter crimen lege civili punitus » fuerat; quia civili examine & convictione crimen publicatum » erat, pœnitentiæ publicæ post toleratam pœnam civilem, si- » ve pecuniariam, sive corporalem, subjiciebatur: nonnun- » quam etiam post actam pœnitentiam publicam pœna civili pu- » niebatur. «

XV. Ita Morinus *de Administratione Sacram. Pœnit. lib.7. cap.* 6. rationem hanc subjiciens: » Pœnitentiam enim ut me- » dicinam potissimùm considerabant, peccatorem ut ægrotum: » ideò punitum quidem propter crimen pœnâ civili censebant, » non autem sanatum. Christiana tantùm pœnitentia eum verè » sanare, vulnera per peccatum inflicta obducere credebatur. » Quapropter crimen actione civili detectum & condemnatum, » medicinâ pœnitentiali publicè diligenter curabant.“

XVI. Plurima in probationem illius praxeos ibidem adducit testimonia, atque inter alia notat, quòd sub initium seculi X. nonnulli asserere præsumerent, post sumptum Lege Civili de reis supplicium, nullam superesse Episcopis infligendarum pœnitentiarum auctoritatem, reique id impudentur contendebant jactantes *nihil pertinere ad Episcopum, quæ à publico examinata dignoscuntur, & discussa*, uti legitur in Concilio Romano ann. 904. *Can.* 12. respondetque Concilium: „ Quod om- » ninò irregulariter inolevisse manifestum est. Habeant igitur » Episcopi singularum urbium in sua diœcesi liberam potesta- » tem adulteria & scelera inquirere, ulcisci, & judicare secun- » dum quod Canones censuerunt, absque impedimento alicu- » jus. Et cùm opus fuerit, ad comprimendos rebelles, & con- » temptores, publicum Placitum convocent, non ad præjudi- » candum, sed potiùs ad ea, quæ Deo placita sunt, & saluti » animarum conveniunt, prosequendum.

XVII. Quod hîc dicit Concilium, aliquando ad comprimendos rebelles & contemptores publicum Placitum per Episcopos convocandum, disciplinæ illorum temporum congruit. Id enim consuetum erat, ut si Episcoporum judicio in suscipiendis pœnitentiis Canonicis parere recusarent criminum auctores à Magistratibus Civilibus cogerentur.

Ut Episcopi incestuosos penitùs investigare studeant, omninò decernimus: „ Qui si pœnitere noluerint, ab Ecclesia ex- » pellantur.“ ait Concilium Moguntinum anno 816. *Canon XXVIII.* additque: „ Quòd si Sacerdotum monitionibus » noluerint aurem accommodare, volentes in pristinis perdu- » rare criminibus, oportet eos per secularis potentiæ discipli- » nam à tam pravâ consuetudine coerceri.“

Plurima in eam rem adducit Morinus *lib. 7. cap.* 5. eaque probant, eo tempore Episcopos jurisdictionem, & auctoritatem in utroque foro in omnia crimina etiam laicorum exercuisse.

XVIII. Porrò hæc Episcoporum jurisdictio integra mansuisse videtur usque ad seculum XI. & XII. quousque scilicet ipsum forum externum seu contentiosum à foro interno, & Sacramentali non fuit omninò disjunctum.

XIX. Circa seculum XII. cùm » Scholasticæ Theologiæ fun- » damenta jacerentur, brevique Scholas omnes occupasset, (ait » Morinus *lib.* 1. *cap.* 9. *num.* 6.) forum pœnitentiale in praxi » separari cœptum est à judiciali, & in varias personas transfer- » ri, ne Episcopi eorumque Vicarii negotiorum tam Ecclesias- » ticorum, quàm laicorum mole opprimerentur.“

XX. Deinde pergit Morinus: » Et licèt hoc posterius auc- » toritate, virtute, Spiritusque S. communicatione priori pluri- » mum cedat, Primario tamen alicui presbytero cæteris do- » minaturo delegatum est; prioris verò exercitium inferiori- » bus, & vilioribus Presbyteris demandatum. Ille igitur Prima- » rius Presbyter Episcopi Vicarius civiles omnes, criminales- » que Clericorum causas, necnon Laicorum plerasque judica- » vit, sed cum juris formulis, strepituque, & tumultu forensi; » Censurasque Ecclesiasticas pro prudentia sua solus pronutia- » vit, vel à jure illatas solus declaravit, & executus est; so- » lus quoque ad iisdem Censuris absolutionem concessit, quàm » culpæ & peccatorum expunctricem esse noluit, ne forum suum » judiciale & externum cum pœnitentiali & interno confunde- » ret; neve quod necessum fuisset, longas & multiformes secre- » tæ omnium peccatorum confessionis ambages audiendo defa- » tigaretur.“

XXI. Hac utriusque fori separatione stabilitâ, Episcopi, eorumque Officiales omnium criminum & delictorum cognitionem, etiam adversus laicos, sibi secundum Canones vindicabant; imò de omni causa, ubi quæstio de peccato videretur, cognoscere prætendebant.

XXII. Hinc Innocentius III. in *cap.* 13. ✠ *de Judiciis*, scribit Archiepiscopis, & Episcopis per Franciam constitutis: „ Non » intendimus judicare de feudo, cujus ad ipsum (Regem) spec- » tat judicium, nisi fortè juri communi per speciale privile- » gium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum: » sed decernere *de peccato*, cujus ad nos pertinet sine du- » bitatione censura, quam in quemlibet exercere possumus & » debemus. Nullus, qui sit sanæ mentis ignorat, quin ad offi- » cium nostrum spectet de quocunque mortali peccato corri- » pere quemlibet Christianum, & si correptionem contempse- » rit, per districtionem Ecclesiasticam coercere. «

XXIII. Posito hoc principio, non tantùm de quibuslibet criminibus, sed de omnibus penè causis Civilibus cognitionem sibi competere contendebant Ecclesiastici; uti suprà *tit.* 1. *cap.* 1. ostendi, & videri potest ex iis, quæ in famosa illa disceptatione inter Petrum Cugnerium & Bertrandum Episcopum Eduensem coram Philippo Valesio objecta, & responsa sunt.

XXIV. Hoc ex responsis Bertrandi intelligitur, ipsum jurisdictionem & auctoritatem Ecclesiasticam præcipuè defendisse hâc inter alias ratione, quòd peccatum interveniret, cujus remissio ad Episcopos attinet. Id & ad citatum *cap.* 13. *de Judiciis*, ubi Innocentius dicit se non velle judicare de feudo, sed de peccato, indicat Glossa dicens: *Tantùm ratione peccati, & inducendo ad pœnitentiam.*

XXV. Hæc ratio quidem concludebat pro foro Sacramentali, & iis, quæ ad forum illud referuntur; at quoad forum externum & contentiosum haud concludebat.

XXVI. Quare judices Regii animadvertentes, forum externum & contentiosum esse planè à foro interno & Sacramentali jam separatum, neque ampliùs procedi ab Episcopis, seu eorum Officialibus *ratione Sacramentali*; neque pœnas canonicas infligi per modum salutaris & medicinalis pœnitentiæ in ordine ad purgationem delictorum, sed modo omninò forensi & strepitu judiciali, non ad ipsos criminosos disponendum ad remissionem suorum delictorum, sed ad meram vindictam pecuniariam vel corporalem, cœperunt laicorum causas criminales, non secùs ac Civiles, sibi reservare.

XXVII. Cùm enim quædam essent crimina, in quibus nihil omninò esset spirituale, nihilque quod ad forum Ecclesiasticum spectaret, nisi ipsius peccati coram Deo remissio, aut absolutio vigore Clavium à Sacerdote obtinenda, visum fuit, cognitionem hujusmodi criminum ad judicium sive forum Officialis

non spectare, sed potiùs ad laicale, quantum ad pœnam externam & Civilem istorum criminum : quandoquidem nihil in crimine occurrat spirituale præter illud, quod unicè spectat forum Sacramentale & internum, à foro contentioso & externo planè distinctum : in tantum quidem, ut sæpiùs ipsa fori contentiosi jurisdictio competat iis, qui ipsius Jurisdictionis Sacramentalis sunt incapaces.

XXVIII. Illud autem, quod forum internum & Sacramentale spectat, ad ipsos Sacerdotes, & Episcopos hujus fori ministros remittitur ; & quia olim forum externum, & internum non erant distincta, hinc de omnibus criminibus cognoscebat Episcopus, ejusve Vicarius, sed in ordine ad forum internum, uti suprà expositum est.

XXIX. Si verò crimen præter illa, quæ forum internum concernunt, habeat aliquid spiritualitatis, etiam ratione illius etiamnum hodie judicis Ecclesiastici cognitio est contra laicos.

XXX. Hinc ad exemplum causarum Civilium, hodie invaluit divisio delictorum in Civilia, Ecclesiastica, & mixta. De prioribus solus Judex laicus contra laicos cognoscit ; neque ratione horum coram Officiali Episcopus citari potest. De Ecclesiasticis solus judex Ecclesiasticus etiam contra laicos cognoscit. De mixtis uterque per præventionem. Quæ autem crimina sunt unius, alteriusvè generis, in progresu videbitur.

CAPUT II.

De crimine hæresis, et schismatis.

1 *Difficulter definitur quid sit hæresis, aut qui sit Hæreticus.*
2 *Minùs docti subinde putant hæreses, quæ non sunt.*
3 *Simplices interdum ut Hæreticos quosdam persequentes hæreses faciunt.*
4 *Arcadius Imp. declaravit, quos Hæreticorum numero haberi vellet.*
5 *Laudabile fuit hoc Arcadii consilium, & quare.*
6 *Requirit Arcadius, ne quis à* judicio Catholicæ Religionis *deviet, sive ab eo, quod Catholica Religio credendum proponit.*
7 *Hoc est, quod verbo Dei scripto, vel non scripto continetur.*
8 *Quod ad hæresim requisivit Arcadius, hodie ab omnibus requiritur.*
9 *Potest quis à verbo Dei deviare sine hæresi, si ab Ecclesia ut verbum Dei nondum sit propositum.*
10 *Multa sunt, quæ ob defectum hujus propositionis ad* fidei *certitudinem non pertingunt.*
11 *Utile admodum est, discernere quæ fidei sunt ab iis, quæ fidei non sunt.*
12 *Ad cognoscendam fidem Ecclesiæ Catholicæ nonnunquam exemplum Catholicorum Episcoporum propositum fuit.*
13 *Hoc consilio usus est Theodosius Imperator, remittendo populum ad fidem Ecclesiæ Romanæ, Damasi Episcopi Romani, & Petri Alexandrini.*
14 *Refertur Edictum Theodosii.*
15 *Ratio hujus Edicti.*
16 *Quare Theodosius specialiter remiserit populum ad fidem Ecclesiæ Romanæ.*
17 *Jam pridem usitatum fuit, ut fides ab Apostolis tradita peteretur ab Ecclesia Romana.*
18 *Usitatum quoque, ad cognoscendam fidem Catholicam jungere utranque Ecclesiam Romanam simul & Alexandrinam.*
19 *Exemplum interdum aliorum Episcoporum ad cognoscendam fidem propositum fuit.*
20 *Pro dignoscenda fide Catholica frequens remissio fuit ad Concilia præsertim generalia.*
21 *Hoc consilio usus est Pius IV. in moderna formula fidei.*
22 *Qui à judicio Catholicæ Religionis ab Ecclesia proposito deviat, meritò Hæreticis annumeratur.*
23 *Deviare hîc accipitur pro recedere cum pertinacia.*
24 *Qui errat circa articulum fidei sine pertinacia non est Hæreticus.*
25 *Absolvitur ab hæresi, qui sua scripta submittit judicio Ecclesiæ Romanæ.*
26 *Nemo damnandus ut Hæreticus, nisi de hæresi plenè convictus.*
27 *Non facilè damnandus ut Hæreticus, qui publicè fidem Catholicam profitetur.*
28 *Episcopi etiam sanctissimi aliquando de hæresi accusati.*
29 *Sanctus Chrysostomus noluit sine cognitione causæ aliquos ut Hæreticos damnare.*
30 *Quomodo S. Epiphanius se permiserit in materia hæresis nimis leviter præveniri.*
31 *Huic periculo se exponunt, qui vagis accusationibus de hæresi aures præbent.*
32 *Solicitè cavendum, ne habeatur Hæreticus, qui non est legitimè convictus.*
33 *Id religiosè observari voluit Innocentius XII.*
34 *In quantum hæresis continet recessum à dogmatæ Ecclesiæ, eatenus est crimen merè Ecclesiasticum.*
35 *Tale esse declaravit Bonifacius VIII.*
36 *Consonat unanimis Canonistarum sententia.*
37 *Concordata Brabantiæ judicium de hæresi deferunt soli Episcopo ; salvâ tamen in aliquibus Principis auctoritate.*
38 *In Gallia simplex crimen hæresis spectat ad cognitionem Judicis Ecclesiastici.*
39 *Interdum annexum habet crimen* privilegiatum, *& eatenus spectat ad judicem secularem.*
40 *Hæc distinctio circa crimen hæresis fundamento non caret.*
41 *Summa fuit jam pridem Principum cura pro extirpandis Hæreticis.*
42 *Hanc esse Principum obligationem astruit Sanctus Augustinus.*
43 *Variæ pœnæ à Principibus in Hæreticos decretæ.*
44 *Judicium S. Augustini de his pœnis.*
45 *Principum nostrorum Edicta contra Hæreticos, remissivè.*
46 *Episcopis speciatim incumbit inquisitio in Hæreticos.*
47 *His adjuncti fuerunt speciales fidei Inquisitores.*
48 *Inquisitores hi in Hispania, Italia aliisque Regnis recepti.*
49 *Etiam in Belgio aliquando interducta fuit Inquisitio.*
50 *Postmodum abrogata ; & quare.*
51 *Quid propriè schisma.*
52 *Crimen schismatis quâ ratione Ecclesiasticum, & qua ratione Civile.*

I. QUid sit hæresis, & quid aliquem Hæreticum faciat, „regulari aliquâ definitione comprehendi, sicut ego „existimo, aut omninò non potest, aut difficillimè „potest," ait S. Augustinus libro de *Hæresibus in Præfat.*

Eandem difficultatem exaggerat in *Epistola* 122. ad Quodvultdeum (qui à S. Augustino librum de Hæresibus quæ hactenus fuerant, scribi petierat) ubi narrat, quòd Philastrius quidam Brisiensis Episcopus scripsisset librum de Hæresibus, hicque numeraverit hæreses, quæ in populo Judaico fuerint ante Adventum Domini 28. & exortas post Domini Adventum 128. Epiphanius autem Episcopus Cyprius scripserit quoque librum de eâdem materia, sed ipse utriusque temporis hæreses colligens, 80. complexus est.

Post hæc subjungit Augustinus : „ Cùm ergo ambo id vel„lent facere quod à me petis, quantum tamen inter se differant „de numero interim sectarum vides : quod utique non evenisset, „nisi aliud uni eorum videretur esse hæresis, & aliud alteri. Ne„que enim putandum est, aliquas ignorâsse Epiphanium, quas „noverat Philastrius ; cùm Epiphanium longè Philastrio doc„tiorem invenerimus ; ita ut Philastrium potiùs dicere debemus „latuisse plurimas, si tamen plures esset ille complexus, & iste „pauciores. Sed procul dubiò in eâ quæstione, ubi disceptaba„tur, quid si hæresis, non idem videbatur ambobus, & reverâ „omnibus definire difficile est : & ideo cavendum, cùm omnes „in numerum redigere conamur, ne prætermittamus aliquas, „quamvis hæreses sint, aut annumeremus aliquas, cùm hære„ses non sint."

II. Hinc inprimis habemus, non tantùm vissum esse Augustino, difficile, quid sit hæresis, vel quis sit Hæreticus dicendus ; sed etiam nonnunquam, minùs doctum & instructum hæreses putare, aut fingere, quas non esse hæreses doctior novit, ut in Philastrio, & Epiphanio contigisse hîc monet Augustinus.

III. Et S. Gregorius *lib.* 9. *Epist.* 39. scribens Theotistæ Patriciæ ait, „ quòd sint multi Fidelium, qui imperito zelo suc„cenduntur, & sæpè dum quosdam quasi Hæreticos insequuntur, „hæreses faciunt."

IV. Arcadius Imperator sub finem seculi IV. postquam jam variæ leges contra Hæreticos latæ essent, declaravit, qui Hæreticorum vocabulo contineantur, & latis adversus eos Sanctionibus debeant succumbere ; nimirum, *qui vel levi argumento à judicio Catholicæ Religionis, & tramite detecti fuerint deviare.* Extat in *L.* 28. *Cod. Theod. de Hæreticis.* Et referuntur jam citata verba in *L.* 2. §. 1. *Cod. Justin. eod. tit.*

Hanc legem hodiè inter celebratissimas esse in argumento de Hæreticis, & quæstionem capitalem decidere, scilicet definitionem Hæreticorum, & proinde hæreseos, rectè monet Jacobus Gothofredus in notis ad hanc legem in Codice Theodosiano.

V. Ubi etiam notat, quàm laudabile, & Christiano Principe dignum fuerit hoc Arcadii consilium. „ Sæpè enim, dum in „incerto vagantur criminum Interpretatores, luctuosa Regna, „Resque publicæ tumultu, imò & Ecclesiæ colliduntur, atque „innoxius sæpè sanguinis effunditur : quod ne in veris quidem & „agnitis Hæreticis Arcadius *hujus legis* Auctor unquam sus„tinuit."

VI. Vult ergo Arcadius eos Hæreticos esse censendos *qui à judicio Catholicæ Religionis, & tramite detecti fuerint deviare.* Im-

Imprimis itaque inspiciendum, quid hîc per *judicium Catholicæ Religionis*, *& tramitem* intelligat Arcadius.

Indubiè aliud noluit Arcadius, quàm deflectendum non esse ab iis, quæ ipsa Catholica Religio proponit, & judicat esse credenda, & tenenda.

VII. Cùm autem Catholica Religio nihil aliud fide credendum proponat, nisi quod à Christo, vel scripto, vel verbo per traditionem Apostolicam accepit, videtur Arcadius hîc idem voluisse, quod jam antea ex mente suorum Prædecessorum dixerat Gratianus Imp. in *L.* 1. *Cod. Ne sanctum Baptisma iteretur* Ubi condemnans Anabaptistas, sive iterantes Baptismum, ait: „Nihil enim aliud præcipi volumus, quàm quod Evangeliorum, „& Apostolorum fides, & traditio interrupta servavit.“ Quia nimirum Catholica Religio nihil aliud *fide* credendum proponit: & consequenter qui hæc tenet, à judicio Catolicæ Religionis, & tramite non convincitur deviare.

VIII. Quod tradidêre hîc Imperatores, hodiè & uno consensu tradunt Canonistæ & Theologi; dum ad hæresim requirunt deviationem ab articulo, quem Ecclesia, seu Religio Catholica tanquam *fidei* articulum credendum, ac tenendum proponit. „Illud omne, & solum est de fide Catholica, quod est „revelatum in verbo Dei, & propositum omnibus ab Eccle„sia Catholica fide Divina credendum:“ ait Doctissimus Franciscus Veronius in *Regula Fidei Catholicæ*, *cap.* 1. §. 1.

IX. Nequaquam igitur sufficit, ut Hæreticus quispiam habeatur, eum deviare, aut dissentire ab aliquo articulo, qui in verbo Dei continetur, nisi ipsum contineri, Religio sive Ecclesia Catholica declaravit; eumque tanquam à Deo revelatum & consequenter *fide Divinâ* credendum proposuerit; uti rectè monet ibidem Veronius §. 2. „quia revelatum quidem est „in verbo Divino, sed quod interprete egeat, & necdum Ec„clesia sensum verbi Dei, seu scripti, seu traditi aperuerit, „sicque nondum definierit; & proinde nondum proposuerit, „hoc vel illud esse fide credendum. “

X. Hæc Veronius, qui ibidem §. 3. recenset multa, quæ ad certitudinem fidei non perveniunt, eò quòd non contineatur in *verbo Dei* scripto aut *non scripto*: & §. 4. latè ostendit, quibus non possit attribui certitudo *fidei Divinæ*; quia necdum sunt ab Ecclesia Catholica tanquam talia Fidelibus proposita.

XI. Post hæc descendendo ad particulares materias, examinat, & segregat ea, quæ *fidei* sunt ab iis, quæ ad eam fidei certitudinem hactenus non pertigerunt: idque eâ eruditione & exactitudine, ut de hac *Regula Fidei* pronuntiare non dubitârint Illustrissimi, & Doctissimi Walenburchici: „Æstimamus „hunc Tractatum adeò excellentem, ut meritò plurimùm fiat „apud illos, qui operam salutarem impendunt reducendis er„rantibus ab hæresi, & schismate ad unitatem, veritatemque „Ecclesiæ Catholicæ,“ Sanè nihil esse Hæreticis convertendis, & supervacaneîs disputationibus & contentionibus resecandis utilius, quàm exactè discernere dogmata Ecclesiæ Catholicæ à dogmatibus, sive sententiis particularium Auctorum, vel etiam Scholarum, notum est, & benè observavit Episcopus Meldensis in famosa illa ac probatissima *Fidei Expositione* quæ superiori seculo sæpiùs edita est.

XII. Jam pridem Imperatores, ut normam, & regulam seu typum fidei Catholicæ populis sibi subditis exponerent, eos nonnumquam ad fidem illustrium Ecclesiarum, & præcipuorum Episcoporum, qui tunc in fide Catholica præcipuè eminebant, remiserunt, ut nimirùm cum his in fide convenirent; ac unà brevem formulam *fidei* illi præcipuè hæresi, quæ tum exurgebat, oppositam proponebant.

XIII. Hoc consilio anno 380. Theodosius Imperator ut populos sibi subjectos contra heresim Arianam muniret, & in fide Catholica firmaret, Rescripto suo significavit, se velle, ut „omnes subditi sui eam Religionem sequerentur, quam Petrus „Apostolorum Princeps Romanis ab initio tradidisset; & quam „eo tempore Damasus Romanæ urbis Episcopus, ac Petrus „Alexandrinus servarent. Utque eorum duntaxat Ecclesia, qui „divinam Trinitatem æquali honore colerent, Catholica nomi„naretur: qui verò aliter sentirent, Hæretici dicerentur, in„famesque essent, seque scirent supplicio afficiendos.“

XIV. Hæc Sozomenus *lib.* 7. *Hist. Eccles. cap.* 3. extatque ipsum Edictum in *L.* 1. *Cod. de Fide Catholica*, his verbis expressum: „Cunctos populos, quos Clementiæ nostræ „regit imperium, in tali volumus religione versari, quam di„vum Petrum Apostolum tradidisse Romanis, religio usque „adhuc ab ipso insinuata declarat, quamque Pontificem Da„masum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum vi„rum Apostolicæ sanctitatis: hoc est, secundum Apostolicam „disciplinam, Evangelicamque doctrinam, Patris, & Filii, „& Spiritus Sancti unam Deitatem sub pari Majestate, & sub „pia Trinitate credamus.“

Edictum hoc recitans Baronius ad annum 380. vocat *auream Sanctionem.*

XV. Notatu dignum quod scribit Sozomenus, Theodosium ad hanc legem descendisse, „cùm apud se reputâsset satiùs es„se, ut suam de divinitate sententiam ipse subditis suis palam „prædicaret, ne vim inferre videretur, repentè invitis quid „colendum esset præcipiendo.“

Hoc exemplo ostenditur, populis priùs clarè exponendum quid *credere* oporteat, quàm eos ut Hæreticos insectari.

XVI. Theodosius igitur populis non proponit tantum in generali fidem Catholicæ Ecclesiæ, sed primùm eis exemplum Ecclesiæ Romanæ præferendum duxit his verbis: „In tali vo„lumus Religione versari, quam divum Petrum tradidisse Ro„manis, Religio *usque adhuc* (vel ut in Codice Theodosiano „legitur, *usque nunc*) ab ipso insinuata declarat.“ Quibus verbis non tantum Romanis semel traditam Religionem testatur, verùm eandem ita traditam, ut deinceps ad hanc diem in tradita semel Religione perstiterint: id enim est quod indicat his verbis, *usque nunc ab ipso insinuata declarat*, quod traditum semel deinceps in sinu custoditum habetur, servaturque.

XVII. Et sanè ad Ecclesiam Romanam antiquitùs remissos Fideles, ut ab ea fidem ab Apostolis traditam, & conservatam acciperent, Patrum Scripta testantur. Et quidem S. Irenæus Lugdunensis Episcopus de ipsa Romana Ecclesia scribit: *Hujus exemplo pravam omnem disciplinam profligamus.* Rationem ipsam hoc imperatorio Edicto expressam subjiciens *lib.* 3. *adversus Hæreses*, *cap.* 3. „Ad hanc enim Ecclesiam propter „potentiorem principalitatem, necesse est omnem convenire „Ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles; in qua „semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ ab „Apostolis est traditio.“

XVIII. Adhæc proponit Theodosius, sequendum exemplum duorum Catholicorum Episcoporum; ac imprimis Damasi Romani Episcopi: *Quamque* (scilicet fidem) *Pontificem* DAMASUM *sequi claret.* Dein Petrum Alexandriæ Episcopum adjungit, eique copulat *Virum Apostolicæ Sanctitatis.*

Sanè sub idem tempus S. Hieronymus simili prorsus ratione & exemplo, quo Theodosius in hoc Edicto, ad eorumdem Damasi & Petri fidem provocandum esse duxit, Epistola ad Marcum Presbyterum: „Hæreticis (inquit) vocor prædicans „ὁμοούσιον Trinitatem, Sabellianæ impietatis arguor, tres sub„sistentes veras, integras, perfectasque Personas indefessâ vo„ce pronuntians: si ab Arianis, meritò: si ab Orthodoxis, „qui hujusmodi arguunt fidem, Orthodoxi esse desierunt, aut „si iis placet, Hæreticum me cum Occidente, Hæreticum me „cum Ægypto, hoc est, cum *Damaso*, *Petroque* con„demnent. Quid unum hominem, exceptis sociis, cri„minantur?“

Similia, quæ morem antiquum provocandi ad fidem Episcoporum Ecclesiæ Romanæ, & Alexandrinæ probant, occurrunt apud Ambrosium, Rufinum, quin & Athanasium, uti ostendit Jacobus Gothofredus in notis ad *L.* 2. *Cod. Theod. de Fide cathol.*

XIX. Eundem morem, scilicet ad exemplum Catholicorum Episcoporum provocandi, sicuti sunt Theodosius Junior *in L. fin. Cod. Theod. de his qui super Religione contendunt*, ubi provocat ad exemplum Arsacii Episcopi Constantinopolitani, Theophyli Episcopi Alexandrini, & Porphyrii Antiocheni, *Reverendissimorum sacræ legis Antistitum.* Secutus est Marcianus Imperator in *L.* 8. *Cod. de Hæreticis*, ubi ait: *Et sicut Athanasius*, *& Theophylus*, *& Cyrillus sanctæ recordationis Episcopi Alexandrinæ Ecclesiæ credebant.*

XX. Frequentissimum quoque fuit ad Conciliorum præsertim Generalium definitiones revocare, eosque pro Hæreticis declarare, qui hisce definitionibus acquiescere nolunt: quemadmodum de quatuor Conciliis, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, & Calchedonensi diversis Sanctionibus (quæ habentur sub titulo Codicis, *de Fide cathol.*) edixit Imperator Justinianus; & in *Novella* 131. *cap.* 1. de his quatuor Conciliis loquens, ait: „Prædictarum enim Synodorum dogmata si„cut Sanctas Scripturas accipimus, & regulas sicut leges ob„servamus.“

Novum ergo non est, quòd vel ad Conciliorum Canones, certamve fidei formulam remittatur populus, ut *judicium Catholicæ Religionis*, à quo deviare nefas sit, cognoscere queat; præsertim circa hæreses, à quibus maximè populo timendum, & ipsis Pastoribus præcipuè invigilandum.

XXI. Hoc consilio confecta, & proposita formula, sive professio fidei hodie usitatissima, & frequentissima auctoritate Pii IV. Pontificis publicata, in qua speciatim fides Ecclesiæ Catholicæ exponitur contra hæreses, tunc præcipuè dominantes, additâ hâc generali clausulâ: „Cætera item omnia à sa„cris Canonibus, & œcumenicis Conciliis, ac præcipuè à sa„crosancta Synodo Tridentina tradita, definita, & declarata, „indubitanter recipio, atque profiteor.“

XXII. Qui igitur *à judicio Catholicæ Religionis*, *& tramite* sic proposito *detecti fuerint deviare*, meritò Arcadius Imperator in citata *leg.* 28. eos Hæreticis accensendos declarat: hoc est, qui peculiarem sibi in rebus fidei viam muniunt, & alienam

nam *à judicio Catholicæ Religionis & tramite* sententiam proponunt, novoque *tramite* incedere volunt, sive ut idem ipse Arcadius loquitur in *L.* 13. *Cod. de Paganis* : à *Catholicæ Religionis dogmate deviare* CONTENDUNT.

XXIII. Hac autem loquendi formulâ sat innuit, non sufficere ad hæresim, simpliciter à judicio Catholicæ Religionis & tramite *deviare*, sed requiri, ut deviare *contendat* : sive quadam *animositate* in judicium oppositum feratur, sive errorem tueatur *pervicaci animositate* ; uti notat Glossa ad *L.* 3. *Cod. de Hæreticis.*

XXIV. Et ut jam pridem rectè dixit Augustinus *Epist.* 43. » Qui sententiam suam quamvis falsam, atque perversam, nul» là *pertinaci* animositate defendunt, præsertim quam non au» dacià suæ præsumptionis pepererunt, sed à seductis, atque » in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cau» tâ solicitudine veritatem, corrigi parati, cùm invenerint, » nequaquam sunt inter Hæreticos deputandi. « Apud Gratianum *Caus.* 24. *quæst.* 3. *Can.* 29. » ubi Glossa notat, verbo » *pertinaci*, licèt ergo teneat aliquis ea, quæ sunt contra fi„ dem, dummodò paratus sit corrigi, non est habendus Hæ„ reticus. "

XXV. Hâc ratione Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *Cap.* 2. ✠ *de Summa Trinitate*, damnatis opinionibus Abbatis Joachim, ipsum nihilominus ab hæresi absolvit. » Cùm omnia Scripta sua nobis (ait Innocentius III.) assignari » mandaverit Apostolicæ Sedis judicio approbanda, seu etiam » corrigenda. « Hinc commune illud à Canonistis probatum axioma : *Non error, sed erroris pertinacia Hæreticum facit.*

XXVI. Vult Arcadius in sæpè citatâ Lege, eos pro hæreticis habendos, non qui dicuntur, aut accusantur à judicio Catholicæ religionis, & tramite deviare; sed *detecti fuerint* deviare, hoc est, convicti, & plenè probati fuerint deviare; idque ad eum modum, quo crimen probari debet, priusquam quis tanquam criminis auctor damnari possit; uti benè ostendit Jacobus Gothofredus ad citatam *Legem* 28. *in Codice Theodosiano* ; probatque hæc verba *Levi argumento* non posse accipi pro *levi* præsumptione aut suspicione, quasi sufficeret *levis* probatio, vel præsumptio, aut suspicio, ut quis habeatur *hæreticus*, & ut talis condemnetur ; sed vocem *argumento* accipi hoc loco pro articulo dogmatico ; sensumque Arcadii esse, eum pro hæretico habendum, qui in quocunque articulo, quantumvis *levis* ipsi videatur, à judicio catholicæ religionis, & tramite deviare convictus fuerit: adeoque verba illa *Levi argumento* jungenda non esse cum voce *detecti* ; sed cum verbo *deviare* ; uti etiam probat Tuldenus in Codice hoc *tit.*

XXVII. Et sanè cùm crimen *hæresis* sit crimen enorme, & gravissimis annumeretur ; ac insuper difficulter sciatur, quis hæreticus sit censendus, indubiè exacta & admodum clara probatio requirenda est, antequam quis de hoc crimine condemnetur; præsertim si de cætero inter Catholicos hactenus versetur, & Catholicam fidem publicè profiteatur, ejusque communioni adhæreat.

XXVIII. Scitur quam injustè jam pridem etiam Sanctissimi, & maxime Orthodoxi Episcopi, aliique tanquam hæretici accusati fuerint ; & quomodo etiam optimis quibusvis Principibus, & Prælatis subreptum fuerit.

XXIX. Notum quomodo aliquando in S. Joannem Chrysostomum concitatus fuerit S. Epiphanius, ejusque contubernium ac communionem detractaverit, eò quod nollet ipse Chrysostomus damnare ut hæreticos, contra quos Epiphanius jam præventus erat; cùm Chrysostomus *ante causæ cognitionem hæc facere haudquaquam justum esse duceret*, uti narrat Sozomenus *lib.* 8. *Hist. Ecclesiast. cap.* 14.

XXX. Adhæc notatu dignum, quod sequenti *cap.* 15. subjungit Sozomenus de Epiphanio. Cùm enim Ammonius, & qui cum illo erant, adiissent ad Epiphanium, eique dixisset Ammonius : » Libenter equidem discerem, utrum aliquando in » discipulos, aut in libros nostros incideris. Illo (Epiphanio) » negante, iterum quæsivit Ammonius : Unde ergò hæreticos » illos esse judicasti, qui nullum habes argumentum, quo sen» tentiam illorum possis convincere ? Et cum Epiphanius dice» ret, id se auditu accepisse : nos verò ait Ammonius, planè » contrarium fecimus. Nam & discipulos tuos sæpenumero vi» dimus, & libros perlegimus ; ex quibus unus est, qui Anco» ratus inscribitur. Cumque multi vituperare te, & tanquam » hæreticum calumniari vellent, nos pro parte, uti par erat, » propugnavimus & causæ tuæ defensionem suscepimus. Proin» de nec tu ex solo auditu absentes damnare debuisti, quo » nequaquam tu ipse certis argumentis inductus conviceras; » nec ejusmodi gratiam referre Laudatoribus tuis. «

Hæc Sozomenus, qui addit : » Post hæc Epiphanius lenius » eos allocutus, tum quidem ab se dimisit. «

XXIX. Interim ex hac historiâ patescit, quomodo in hac hæresis accusatione obripi possit, si vagis, & incertis accusationibus, & aliorum relationi aures præbeantur ; quia & similes accusationes, tametsi zelo fidei & religionis tegantur, non rarò tamen ex quadam particulari accusantium in accusatos passione procedunt ; quemadmodum verisimile est, Epiphanium agnovisse accusationes suscitatas in S. Chrysostomum ex singulari Theophyli Alexandrini invidiâ processisse ; ipsumque propterea Epiphanium relictâ Constantinopoli Cyprum navigasse, uti notat Antonius Godeau Episcopus Vinciensis in sua Historia ad annum 402. *cap.* 6.

XXXII. Solicitè ergo cavendum, ne quis de hæresi damnetur, aut ut hæreticus habeatur, nisi *à judicio Catholicæ Religionis, & tramite fuerit* CONVICTUS *deviare* ; uti loquitur Arcadius Imperator.

XXXIII. Hanc æquissimam, justissimamque regulam secutus modernus Pontifex Innocentius XII. in brevi ad Belgii Episcopos 6. Februarii 1694. ipsis, quantum in Domino potest, injungit : » Ne ulla ratione quemquam vaga ista accusatione, & invidioso nomine Jansenismi traduci, aut nuncupari sinatis, » nisi prius suspectum esse *legitimè* constiterit, aliquam ex his » Propositionibus docuisse, aut tenuisse; nec quemquam sub hoc » prætextu repelli ab officiis, muniis, Beneficiis, gradibus, ac » concionibus habendis, vel alia quacunque functione Ecclesias» tica permittatis, nisi *servato juris ordine*, eam pœnam, quæ » viris alioquin Catholicis gravissima est commeruisse *proba» tum* fuerit.

XXXIV. Porrò, quia nulla hæresis est, nullusque judicari potest hæreticus, nisi à judicio Catholicæ religionis, sive dogmate Ecclesiæ cum pertinacia recedatur, hinc apud omnes in confesso est, crimen hæresis esse crimen Ecclesiasticum, ipsisque Episcopis de hæresi cognitionem primariò competere; *cùm eorum sit ministerii de dogmatibus judicare*, ait S. Ambrosius *epist.* 32.

XXXV. Hinc Bonifacius VIII. in *cap.* 18. *de Hæreticis in VI.* » prohibet ditrictiùs Potestatibus, & Dominis tempora» libus, & Rectoribus, eorundemque Officialibus, ne ipsi de » hoc crimine (cum *merè* sit *Ecclesiasticum*) quoquo modò cog» noscant, vel judicent. «

XXXVI. Conformiter ad hunc textum, concordi Canonistarum sententiâ receptum est, hoc crimen merè esse Ecclesiasticum ; ita ut tam contra laicos, quàm Clericos Judex Ecclesiasticus privativè ad Judicem secularem cognoscat, quemadmodum notavit Julius Clarus *lib.* 5. *Sententiarum* §. *Hæresis* dicens : » crimen hæresis est merè Ecclesiasticum; & ideo ejus » cognitio ad solos Judices Ecclesiasticos spectat, neque potest » judex laicus aliquo modo in eo se intromittere, & cum hac » conclusione *transeunt omnes* indifferenter. «

XXXVII. Concordata Brabantiæ inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *tit.* 9. *art.* 1. habent crimen hæresis pro merè Ecclesiastico, de quo *cognoscet solus Episcopus*: „salvâ tamen (in» quiunt) Principi apprehensione, & detentione personarum » de hæresi suspectarum, necnon annotatione & confiscatione » bonorum de hæresi condemnatorum. (x) Ex quibus Episcopus » moderatas expensas habebit, si de crimine hæresis cognove» rit, reservata etiam eidem Principi punitione eorum, qui con» tra prohibitionem suam asserunt propositiones *jam ut* hære„ ticas damnatas, aut quid aliud contra mandata, seu pro» hibitiones faciunt (ad juvandum negotium fidei) facta vel » factas."

XXXVII. In Gallia quoque crimen hæresis in quantum expectat deviationem à judicio seu dogmate religionis Catholicæ, spectat ad Judicem Ecclesiasticum ex ordinatione Henrici II. Regis Galliæ de 30. Augusti 1542. *art.* 1. ubi quidem injungit Judicibus, & Magistratibus laicis, ut conjunctim, vel divisim cognoscant de materiis concernentibus factum hæresis, sed duntaxat quantum ad informationem, & decretum, cum obligatione eosdem tradendi Judici Ecclesiastico, ut hic de errore, & hæresi judicet. Verba Ordinationis sunt : *Ordonnons que nos Baillifs, Seneschaux, & Jugex Presidiaux, leurs Lieutenans generaux & particuliers cognoistront cumulativement & concurremment ainsi que les cas s' y offrirons, des matieres concernans le fact d' heresie : à scavoir quant à l' information & decret seulement, à la charge que apres avoir executé leur decret, & interrogé les personnes accuseés desdits crimes, ils seront tenus rendre les personnes aux Juges d' Eglisse pour conoistre d' iceux crimes d' erreur ou heresie simple, procedant plus d' ignorance en leur infirmité & fragilité humaine, legereté, & lubricitè de la langue de l' accusé que de vraye malice ou volonté de se separer de l' union de l' Eglise.* Id est : » Mandamus, ut Prætores, Seneschalli, & Judices nostri » Præsidiales, eorum, seu Generales, seu Vicarii speciales, de » materia causam hæresis concernente, prout se casus offeret » cumulatim, & concurrenter cognoscant. Videlicet quoad in„ qui

(x) *Huic doctrinæ consona est praxis Hispaniæ, fundata in leg.* 1. *tit.* 3. *lib.* 8. *Recop. per verba* : Y este tal, despues de que por el Juez Ecclesiastico fuere condenado por Herege, pierda todos sus bienes, y sean para la nuestra Cámara.

» quisitionem & decretum duntaxat : exindè verò post decreti » executionem, & personarum de dictis criminibus accusatorum » inquisitionem teneantur eas Ecclesiasticis Judicibus sistere, ut » de iis criminibus erroris, aut hæreseos simplicis cognoscant » magis ortæ ex ignorantia, infirmitateque ipsarum, & fragili- » tate humana, levitate, & lubricitate linguæ ipsius rei, quam » ex mera malitia, aut voluntate sese ab Ecclesiæ unitate se- » gregandi.

XXXIX. Addit dein hæc ordinatio, quòd si crimini hæ- reseos conjunctum esset scandalum publicum, commotio popu- » laris, seditio, aut aliud crimen secum trahens offensam pu- blicam, & consequenter casum *privilegiatum*, tunc de crimi- ne hoc debeat *conjunctim* per utrumque judicem laicum, & Ecclesiasticum cognosci. Tenor Ordinationis est: *Et ou avec le crime d' heresie, y auroit scandale public, commotion populaire, sedition, ou autre crime emportant offense publique, & par consequent cas privilegié, en ce cas sera le procez fait par le Juges de l' Eglise & Royaux ensemblement. Et apres le delict commun jugé par le Juge Ecclesiastique, sera procedé au jugement du cas privilegié par nos Juges: à la charge aussi que s' il y avoit appel de leurs sentences, les appellations resortiront en nostre Cour de Parlement.* Id est: » Ubi verò crimini hæreseos » publicum scandalum jungerentur, emotio popularis, seditio, » aliudve crimen publico injurium, & consequenter casus privi- » legiati, tum per Judices Ecclesiasticos & Regios conjunctim » lis instaurabitur, delictoque communi per Judicem Ecclesias- » ticum judicato, per Nostros Judices ad judicium privilegiati » casus procedetur, sic ut si ab eorum sententia liceat provo- » care, teneantur dictas provocationes ad supremam nostram Cu- » riam referre. «

XL. Non immeritò sanè hîc distinguitur crimen hæresis, in quantum contrariatur fidei Catholicæ, & in quantum scanda- lum publicum, commotionem populorum, seditionem, aliave similia Rempublicam & Ecclesiam turbantia inducit : ut scilicet judicium de hæresi, quatenus contraria est dogmatibus fidei, de- feratur Ecclesiæ; in quantum verò populos turbat, & scanda- lum parit, coërcitioni Principum subdatur ; ut scilicet Ecclesia de doctrina decernat : Principes verò, eorumque Magistratus, sua auctoritate hæreticos jam declaratos compescant ; ipsamque Reipublicæ quietem, & tranquillitatem procurent, & verita- tem religionis declaratam tueantur.

XLI. Hinc omnes pristinæ illæ Christianorum, & Catholi- corum Principum Sanctiones, quæ tum in Codice Theodosia- no, tum Justinianæo extant sub titulis *de Fide Catholica*, *de Hæreticis*, *aliisque affinibus* ; quibus ea, quæ ab Ecclesia de- finita sunt, proponunt, suâ auctoritate muniunt, & executioni mandari præcipiunt; omnique solicitudine intendunt, nequid contrarium judicio Catholicæ religionis irrepat, aut quis à tra- mite Catholicæ religionis deviet.

XLII. Hanc Principum solicitudinem laudat S. Augustinus in Epistola ad Bonifacium 185. docetque, officii Principis Chris- tiani esse, hæreses è suis Regnis profligare. » Quomodo (ait) » Reges Domino serviunt in timore, nisi ea, quæ contra jussa » Domini fiunt, religiosâ severitate prohibendo, atque plecten- » do ? Aliter enim servit, quia homo est, aliter quia etiam Rex » est. Quia homo est, ei servit vivendo fideliter; quia vero etiam » Rex est, servat leges justa præcipientes, & contraria prohi- » bentes, convenienti vigore sanciendo.“

Dein nonnullis interpositis pergit : » Quis mente sobrius » Regibus dicat : Nolite curare in regno vestro, à quo tenea- » tur vel oppugnetur Ecclesia Domini vestri ; non ad vos per- » tineat in regno vestro, quis velit esse sive Religiosus, sive Sa- » crilegus ; quibus dici non potest, non ad vos pertineat, in » regno vestro quis velit pudicus esse, quis impudicus ? Cur » enim, cùm datum sit divinitus homini liberum arbitrium, adul- » teria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur ? An fidem » non servare levius est animam Deo, quàm fœminam viro? Aut » si ea, quæ non contemptu, sed ignorantia religionis commit- » tuntur, minus vindicanda, nunquid ideò negligenda sunt?“

Fragmentum hujus sententia S. Augustini refert Gratianus *Caus.* 23. *q.* 4. *Can.* 42. ubi & plures Canones ex dictis Au- gustini in hanc rem referuntur.

XLIII. Ad coërcendos, quin & ad reducendos ad fidem Catholicam, aut etiam in fide Catholicâ populos retinendos, plu- res pœnæ jam pridem in hæreticos à Principibus decretæ fue- runt, uti videri potest in legibus sub titulis *de fide Catholica*, item *de Hæreticis* in Codice seu Theodosiano, seu Justinianæo extantibus ; ubi tamen advertere licebit, graviores, aut mitio- res pro qualitate hæresum, & hæreticorum pervicacia & inso- lentia esse decretas. *Non* enim *omnes* hæretici *eadem austeritate plectendi sunt*, ait Theodosius Imp. in *L.* 65. *Cod. Theod. de Hæreticis*. De hac pœnarum varietate pro hæreticorum, & hæ- resum varia conditione & perfidia, vel pertinacia vide latè Paratitlon Jacobi Gothofredi ad titulum de *Hæreticis* in Codice Theodosiano ; & Suldenum ad eundem titulum Codicis Justi- nianæi.

XLIV. Per inflictionem pœnæ temporalis coërceri hæreti- cos, & ad Catholicam veritatem adigi, probat & laudat S. Au- gustinus in allegata epistola ad Bonifacium. » Quoniam (ait *n.* 7.) » multi per illas correcti sunt, & quotidie corriguntur ; & se » esse correctos, atque ab illa furiosa pernicie liberatos gratias » agunt. Et qui oderant, diligunt, molestasque sibi fuisse salu- » berrimas leges, quantum in insania detestabantur, tantùm re- » ceptâ sanitate gratulantur ; & in residuos, cum quibus fuerant » perituri, jam simili dilectione nobiscum, ut pariter instemus, » ne illi pereant, excitantur.“

Deindè *num.* 21. multis ostendit, utile omninò esse, per ter- rorem pœnarum homines ad veritatem duci, seu quasi com- pelli. » Multis enim (ait) profuit, priùs timore vel dolore cogi, » ut postea possent doceri, aut quod jam verbis didicerant, ope- » re sectari.“ Fatetur quidem, bonis, & filiali affectu Deo ad- hærentibus, quique rectâ fide, veroque intellectu, totis animæ suæ viribus dicunt : *Sitivit anima mea ad Deum vivum, quando veniam, & apparebo ante faciem Dei?* non solum temporalium pœnarum, vel imperialium legum, sed nec gehennarum timorem necessarium esse : » sed tamen, antequam dicant boni filii, *con- » cupiscentiam habemus dissolvi, & esse cum Christo*, multi priùs » tanquam mali servi, & quodammodo improbi fugitivi, ad Do- » minum suum temporalium flagellorum verbere revocantur.“

Meminit quoque ibidem Augustinus vulgatissimæ illius legis, quam Theodosius generaliter in omnes hæreticos promulgavit, *ut quisquis eorum Episcopus, vel Clericus ubilibet esset inventus, decem libris auri mulctaretur* ; extatque in *L.* 11. *Cod. Theod. de Hæreticis.*

Hanc legem arbitrabatur Augustinus cum nonnullis aliis Epis- copis, esse restringendam ad eos hæreticos seu Donatistas, *in quorum regionibus aliquas violentias à Clericis, vel à circumcellionibus, vel populis eorum, Ecclesia Catholica pateretur* ; eam- que restrictionem ab Imperatoribus postulandam dixit, quod & à Concilio Episcoporum obtinuit, & Legati eum in finem ad Imperatores missi sunt ; sed nihil obtinuerunt, sed lex ipsa, instantibus Episcopis contrariæ opinionis, per Africam promul- gata fuit, uti testatur Augustinus ; qui & ibidem refert, multos eâ occasione veritatem agnovisse, & ad Catholicam Ecclesiam redivisse. » Jam verò cùm ipsæ leges (ait *num.* 29.) venissent in » Africam, præcipuè illi, qui quærebant occasionem, aut sævi- » tiam furantium metuebant, aut suos verecundabantur offende- » re, ad Ecclesiam continuò transierunt. Multi etiam, qui solâ » illic à parentibus traditâ consuetudine tenebantur, qualem » verò causam ipsa hæresis haberet, nunquam antea cognove- » rant, nunquam quærere, & considerare voluerant ; mox ubi » cœperunt advertere, & nihil in ea dignum invenire, propter » quod tanta damna paterentur, sine ullâ difficultate Catholici » facti sunt. Docuit enim eos solicitudo, quos negligentes secu- » ritas fecerat. Istorum autem omnium præcedentium auctorita- » tem, & persuasionem secuti sunt multi, qui minùs idonei erant » per seipsos intelligere, quid distaret inter Donatistarum erro- » rem, & Catholicam veritatem.“

Ex his Augustini dictis facilè colligitur, ipsum probare qui- dem Hæreticorum coërcitionem, non ad vindictam, sed ad emendationem, ac pœnitentiam ; quod expresiùs docet *Epistol.* 100. ad Donatum Proconsulem Africæ, ubi ipsum depre- catur, ne nimiùm in Hæreticos desæviat, & ne pro immunita- te facinorum, sed potiùs pro lenitatis Christianæ consideratione censeat coërcendos. » Neque enim (ait) vindictam de inimicis » in hac terra requirimus, aut verò ad eas angustias animi nos » debent coarctare quæ patimur, ut obliviscamur quid nobis » præceperit, pro cujus veritate ac nomine patimur. Diligimus » inimicos nostros, & oramus pro eis. Unde occasione terribi- » lium judicum ac legum, ne in æterni judicii pœnas incidant, » corrigi eos cupimus, non necari; nec disciplinam circa eos » negligi volumus, nec suppliciis, quibus digni sunt, exerce- » ri. Sic igitur eorum peccata compesce, ut sint, quos pœni- » teat peccâsse.“

XLV. Seculo XVI. exortis hæresibus Lutheranâ, & Cal- vinianâ, quæ ad has vicinasque Provincias virus suum sparge- bant, Principes nostri plurima, eaque nonnulla admodum se- vera adversus has hæreses, & earum fautores, & patronos edi- dêre ; quibus in eos, eorumque conventicula animadverti man- dârunt, ipsosque ad has Provincias recipi vetârunt ; & alia mul- ta, quæ ipsis pro extirpatione hæreseos, & conservatione po- puli in avita Catholica fide conducentia apparebant : quæ om- nia referuntur in libris Edictorum, & summariè recitantur, & indicantur in Codice Belgico Antonii Anselo Juris Consulti Antuerpiensis verbo *Keters*, id est, *Hæretici.*

XLVI. Sive Principum Edicta, sive Canones Ecclesiæ, seu Pontificum Decretales attendamus, indubitatum est, pri- mam de hæreticis sive hæresibus, in quantum doctrinæ Catho- licæ Ecclesiæ opponuntur, inquisitionem & judicium Episcopis competere, eisque semper hoc judicium esse delatum ; adeò ut nullus de hæresi, ut est crimen merè Ecclesiasticum, judex præter Episcopos per 12. & ampliùs secula notus fuerit; quem-

ad-

admodum *part.* 1. *tit.* 22. *cap.* 3. notavimus.

XLVII. At circa seculum XIII. exorta hæresi Albigensium, eaque in partibus Gallicanis, ac signanter in Comitatu Tholosano latiùs continuò progrediente, nonnulli ab Innoc. III. Romano Pontifice deputari cœperunt, qui unà cùm Episcopis in hæreticos inquirerent, & auctoritate Apostolicâ muniti contra hæreticos procederent, imò & ipsum Episcoporum defectum supplerent, qui dein *Inquisitores fidei* seu *hæreticæ pravitatis* dicti fuerunt; de quorum origine, & progressu citato *cap.* 3. egimus; ac insuper notavimus, quomodo tandem tribunal *inquisitionis* erectum fuerit, coram quo de hæresi, & de hæreticis, aut de hæresi suspectis, eorumve fautoribus cognosceretur & judicaretur.

XLVIII. Hoc Inquisitionis tribunal fuisse receptum in Regno Aragoniæ circa annum 1233. allaborante Sancto Raymundo de Pennafort Ordinis Prædicatorum, scribit Ludovicus à Paramo *de Origine & Progressu Inquisitionis lib.* 2. *tit.* 2. *cap.* 8. sed extra Regnum Aragoniæ se non extendisse constat ex epistola Innocentii IV. datâ ad ipsum Raymundum anno 1249. quæ habetur tomo 11. Concil. *col.* 603.

Sub finem seculi XV. ad alia Regna, & Ditiones Hispaniæ tribunal extendi cœpit. (y) Mortuo enim Henrico Aragoniæ Rege sine liberis, Regnum illud devolutum est ad ejus sororem Isabellam, quæ juncta matrimonio Ferdinando Castellæ Regi postulavit, auctoritate Sixti IV. Inquisitionem in hoc Regno stabiliri, & confirmari. Anno 1484. obtentâ postmodum Bullâ, qua toti administrationi tanquam generalis Inquisitor præficiebatur Thomas de Turre Cremata ex Ordine Dominicanorum præcipuâ apud Reges gratiâ, quorum peccata per pœnitentiam expiare consueverat, uti loquitur Mariana *lib.* 24. *de Rebus Hisp. cap.* 17. qui & addit: » Edictis Inquisitionis propositis, spe veniæ homines promiscuæ ætatis, sexûs, conditio» nis, ad 17. millia virorum ultrò crimina esse confessos, duo » millia igne crematos, majori numero in vicinas Provincias » delapso.“

Ut intelligatur, quare tot millia virorum *ultrò* sua crimina confiterentur, sciendum, quòd Inquisitor in suo adventu habeat sermonem ad populum, in quo *magna gratia* addicitur iis, qui sua crimina *spontè* confessi fuerint, veniamque petierint.

Narrat ibidem Mariana, tribunal hoc Inquisitionis initio Provincialibus *grave* visum fuisse; multasque adversus illud fuisse populi querelas. Quibus tamen non obstantibus, paucis post annis, hoc inquisitionis tribunal per omnia penè reliqua Hispaniæ Regna propagatum est, variisque locis Inquisitores constituti, quibus omnibus hodie præest Inquisitor generalis, qui à Rege nominatur, & à Pontifice confirmatur: præsidetque hic supremo Inquisitionis Consilio, quod Curiam Regis semper sequitur (z). Ab hoc Consilio reliqui inferiores Inquisitores leges accipiunt; atque ab eorum sententiis ad hoc appellatur.

Inquisitio Lusitanica efformata ad normam Inquisitionis Hispanicæ erecta fuit à Paulo III. anno 1535. ad postulationem Joannis III. Lusitaniæ Regis.

In Italia plures jam pridem Inquisitiones institutæ fuerunt, designatis Inquisitoribus præcipuè ex Ordine Prædicatorum, & Minorum. At in Urbe Romana Inquisitionis tribunal per ipsum Pontificem cum quibusdam ministris, quos pro opportunitate assumebat, exercebatur, donec Cardinales ad id deputari cœperunt; ac tandem Congregatio Inquisitionis instituta fuit; de quibus *parte* 1. *tit.* 22. *cap.* 3.

XLIX. Carolum V. Belgii Principem circa annum 1541. voluisse in has Belgii Provincias Inquisitores fidei introducere, patet ex Concordatis inter ipsum Carolum & Episcopum Leodiensem initis. Ibi enim cognitione de crimine hæresis soli Episcopo delatâ, additur hæc clausula: » Salvâ Principi prærogativâ suâ quoad *Inquisitorem* per eum à Sanctæ Sede impetra» tum, vel impetrandum.« De fidei inquisitoribus per Carolum V. à Sede Apostolica postulatis & impetratis, etiam agit Famianus Strada, de BelloBelgico *lib.* 2. *ad ann.* 1550. ubi scribit: » Cùm postulâsset (Carolus V.) à Pontifice Censores fidei, » accepissetque, eorum auctoritati, securitatique cavens multa » sancivit, quæ anni 1550. Placito præscribuntur.« Habetur hoc Placitum *part.* 1. *Edictorum Brab. lib.* 1. *tit.* 2. *cap.* 2. sub hoc titulo: *instructio pro Inquisitoribus hæreticæ pravitatis in Belgio.* Hîc inter alia dicitur, quòd progressui hæreseos providere volens Sua Majestas, » in Provinciis inferioribus Ger» maniæ, Suæ Majestati ratione sui patrimonii subjectis, cer» tos inquisitores hæreticæ privitatis, viros doctos, & probos, » inculpatæ vitæ, & famæ, ordinari, & designari curavit, qui» bus data est ampla potestas contra omnes Hæreticos, & de » hæresi suspectos, eorumque fautores, & receptores, inqui» rendi, procedendi, corrigendi, puniendi, necnon procedendi ad degradationem Ecclesiasticorum, & traditionem Cu» riæ seculari, juxta formam, & tenorem litterarum Apostoli» carum desuper confectarum.«

Post hæc multis articulis, modum, quo inquisitores procedere debeant, & qualiter ipsis à Magistratibus Regiis auxilium præberi debeat, præscribit.

Rursus Philippus II. in quem Carolus has Provincias Belgicas pleno jure transtulerat, præfatum Edictum novo Edicto approbavit, & confirmavit, & in quantum opus erat, de novo ordinavit, & statuit in civitate Bruxelensi anni 1555. 28. Novemb. » Requirentes (ait) omnes, & singulos inquisitores, » eorumque subdelegatos, ut omnia in dicta instructione præs» cripta diligenter observent, debitæque executioni tradant: » Mandantes itidem cunctis, tam Magistratibus, quàm priva» tis, subditisque nostris universis, ut præfatis Inquisitoribus » circa ea, quæ in dicta Instructione continentur omnem præs» tent assistentiam, Mandatisque, ac Ordinationibus hujusmodi, » quantum ipsos concernit, diligenter pareant, quatenus gra» tiam nostram charam habeant, indignationemque nostram, ac » pœnam arbitrariæ correctionis evitare maluerint.«

Quamvis hoc Edictum publicâsset Philippus, » rem tamen » haud promovit (ait Strada) implicitus repentè bello, quod eo » ipso, quo Edictum proposuit, anno, tribusque insequentibus, » accerrime cum Gallo gessit.«

At mox ut liber fuit à bello, animum rursus ad Religionem promovendam adjiciens, discedensque è Belgio ann. 1559. » mandata sorori suæ Gubernatrici, atque Antistiti Granvellano » dedit, enixè curarent, ut Caroli Edicta, & cautiones, quas » ipse Rex pro Pontificis Inquisitoribus confirmârat, exquisitè » servarentur,« ait Strada.

Deinde ann. 1565. Philippus II. iteratò scripsit ad Margaritam Parmensem Belgii Gubernatricem, » ut Quæsitores cau» sarum fidei ubique persanctè retineantur, omnique ope à » Gubernatrice, ac reliquis Provinciarum Præfectis adjuventur.«

His litteris receptis, earum copiam misit Gubernatrix ad Consilium Flandriæ, præcipiens, ut omnis favor, & assistentia præstetur Inquisitoribus fidei in exercitio sui officii, ipsaque inquisitio fiat prout hactenus facta fuit. Verbà litterarum sunt: *Aussis que l' on donne toute faveur, & assistance aux Inquisiteurs de la Foy en l' exercice de leurs offices, & que l' Inquisition se fasse par lesdits Inquisiteurs, comme elle s' est faite jusques à maintenant, & comme leur appartient par droits divins & humains, ce que Sa Majestè aussi tres expressement commande par les dits lettres.* Id est: » Insuper ut om» nis favor, & auxilium Inquisitoribus fidei in muneris sui exe» cutione præstetur, utque per dictos Inquisitores, prout hac» tenus obtinuit, inquisitio fiat, & prout ad eos divino, & hu» mano jure spectat, quod Majestas sua verbis conceptis per » litteras dictas statuit.«

Ex his, aliisque intelligitur, tam Caroli V. quàm Philippi II. intentionem fuisse, inducere Inquisitores in has Provincias, & in his illos stabilire; ipsæque litteræ, ac Edicta Regia satis innuunt, & aliunde constat, Inquisitores aliquo tempore stabilitos fuisse saltem in aliquibus Belgii partibus, testisque est ipse lapis sepulchralis Michaelis Ball, qui visitur in Sacello Collegii Adriani VI. Papæ hîc Lovanii, in quo ipse Bajus dicitur *Generalis per Germaniam Inferiorem Inquisitor Regius.*

L. Cæterum ipsa toties repetita Edictorum pro stabiliendis Inquisitoribus renovatio sat innuit, non eam fuisse populi Belgici in recipiendis hisce Inquisitoribus animi promptitudinem, quam ipsi Principes desiderâssent; imò summas fuisse ab initio usque ad finem populi, & Nobilium oppositiones, colligitur ex iis, quæ Famianus Strada, aliique tumultuum Belgicorum Historici tradunt.

Et quidem Strada factâ mentione Edicti Caroli V. de anno 1550. cujus suprà meminimus, addit: » Verùm nova illa » judicii facies plus terroris secum attulit in Belgium, quàm » observantiæ. Nam etsi alicubi suscepta res est, Brabantini ta» men, quòd in eo carpi libertatem suam dicerent, commo» dum nacti, imposito sese onere liberarunt sub ejus anni quin» quagesimi finem.« Hæc ille *lib.* 2. *ad ann.* 1550.

Deinde postquam narravit, quòd Margarita Parmensis Belgii Gubernatrix vellet conformiter ad mandata Regia, Edicta de *Inquisitoribus* executioni mandare, scribit, quòd Gubernatrix de hac re cum Præfectis Provinciarum agere aggressa, *senserit esse non paulò difficilius imperata facere, quàm imperare facienda.*

Præterea testatur, quòd Magistratus ægrè viderentur, id negotii in se suscipere, & inter nobiles essent dissensiones. » Apud populum nihil moderati, aut medii, consternatio pri» mùm, mox audacia: nunc timenti, nunc terrenti similis; nem» pe ut potentiorum aspiratione, atque Hæreticorum flagello » agi-

(y) *Philippus II. Rex Hispaniæ in suis Regnis Indicis Mexicano & Peruano Inquisitionis Tribunalia fundavit, ut constat ex Regiis Provisionibus ann.* 1570. *quæ extant in leg.* 19. *tit.* 19. *lib.* 1. *Recop. Ind.*

(z) *Acta Acordata* 67. & 99. *tit.* 4. *lib.* 2. *Recop.*

» agitabatur. « *lib.* 2. *ad ann.* 1550. Ubi scribit, quòd & in ipsum Regem voces exaudirentur, quas aliunde immissas in ora sermonemque multitudinis apparebat; atque in iis vehemens contra formam illam inquisitionis elucebat animorum commotio; imò, teste Strada, tantus tum populi, tum Nobilium adversus Inquisitores fuit excitatus tumultus, totque sparsi libelli pro eorum abrogatione, ut annuente Gubernatrice, datâ veniâ delinquentibus, & mitigatis Regiis Edictis, intermissâ fuerit contentio de eo inferendis Inquisitoribus, ubi ante non fuerant; uti latiùs narrat Strada loco citato.

Verùm hæc animorum commotio magis emicuit, cùm circa ann. 1565. nomine Philippi II. rursus urgeri cœpit negotium Inquisitionis, ipsaque Gubernatrix litteras ea de re misit ad Provinciarum Consilia, quarum suprà mentionem fecimus.

» Etenim Regis Edictum Brabantinis cùm proposuisset Pro» vinciæ Cancellarius, (neque enim Brabantia Præfectum ha» bet alium præter eum, qui toti Belgio præest) illico civitates, » quæ dicuntur Provinciæ capita, *Lovanium, Bruxellæ Antuer*» *pia, & Buscoducum,* coacto Senatu, compositoque ad Cancella» rium libello, vehementer, iracundeque flagitant, ut suorum » ratio privilegiorum habeatur, quibus ea Quæsitorum judicia, » Cæsarisque Placita cùm repugnent, non debuisse Edictum » Regis à Cancellario tam facilè proponi, à se certè admitti non » posse. «

Quanta fuerit Nobilium, & Magnatum commotio, pluribus ibidem narrat Strada, aitque: » Tunc enim verò, qui con» jurationem moliebantur, nacti speciem tuendæ patriæ liber» tatis, sparsis incredibili celeritate per Provincialis libellis, (eos » ad quinque millia fuisse scripsit ad Regem postea Guberna» trix) Hispanicam inquirendi de Religione censuram ludibriis, » execrationibus, maledictis omnibus lacerare: monere populos, » ne ei sese tyrannidi supponerent, cui ubique gentium, ac » veluti quodam consensu generis humani repugnatum sit, ne » Romæ quidem sine tumultu initia ejus extitisse: quid agendum » esse Belgio tot privilegiis adversus nova hæc omnia com» munito? «

Quin eodem Stradâ referente *lib.* 5. *ad ann.* 1566. novem homines è Nobilitate fœdus conscribunt, quod cœteris proponerent, in quo exorsi ab Inquisitionis execratione, dicebant eam divinis, humanisque legibus adversam, barbariem longè superare omnium retrò tyrannorum: seque *societatem iniisse, quâ obviam irent nefariis eorum conatibus, qui per hæc judicia, proscriptionesque, ac cædes in optimorum civium fortunas intenderent.* Hæc conjuratio vulgò *compromissum* appellata est, inquit Strada; ac variis dein linguis, quo ubique vulgaretur, prodiit in lucem cum hac inscriptione, ut Britanicè quidem edita præferebat: *Exemplar fœderis à Proceribus, Nobilibusque Inferioris Germaniæ percussi, ob Hispanicam Inquisitionem hisce Provinciis intentatam.*

Plura addit Strada, quæ ostendunt, magis continuò crevisse Nobilium, Procerumque adversus Inquisitionem commotiones; dicitque ipsam Gubernatricem in publico Procerum & Magistratuum consessu fassam: *Scio adversus hoc tribunal effusè ferri omnium odia.* Id ipsum Proceres confirmârunt, dicentes: » Quòd verò ad inquisitionem attinet, satis apparere, » eam nulli hominum ordini acceptam esse, adeò ut Antuer» piæ nemo sit tam tenuis fortunæ, qui sclopum, aut hastile » aliquod non ostentet, mineturque, illo se telo usurum in eos, » qui Hispanicam Inquisitionem inferre in urbem connitantur. » Imò & Episcopos non levi affectos injuriâ videri, dum Reli» gionis causæ, quarum cognitio ad ipsos jure pertinet, ad » posterius hoc Quæsitorum tribunal transferuntur. «

Et licèt in eo consessu non una fuerit omnium sententia, *vix tamen fuit in eo Senatu, qui opportunum tempori existimaverit ejusmodi tribunal.*

Tandem post multas altercationes res in hunc modum composita est: Cùm duplex sit Inquisitionis genus, alterum mu» neri Episcoporum adjunctum, alterum certis judicibus à Pon» tifice Maximo impositum. Querelas, atque odia populorum » esse duntaxat in hosce Pontificios Quæsitores; quos licèt Ca» rolus Cæsar invexerit in Belgium, id tamen coactum fecisse » Pastorum inopiâ, negligentiâque. Quæ ratio cùm in præsen» tia cesset, simulque tantopere mortales abhorreant ab exter» no hujus Inquisitionis nomine, non debere adversantibus po» pulis tam violentum, intempestivumque remedium obtrudi. «

Hæc, aliaque multa, quæ summam erga hoc tribunal aversionem ostendebant, ad Regem iteratis litteris scripsit Gubernatrix, qui tandem significavit, se permittere, ut Inquisitores Ecclesiastici removerentur; modò tamen Episcopi priùs in suas Sedes essent inducti; quod cùm factum esset, paulatim ipsum Inquisitionis tribunal per totum Belgium abolitum fuit, ut nihil de eo hodie supersit, nisi innata quodammodo populi Belgici ab eo aversio, ita ut, vel solum nomen *Inquisitionis* exhorreat, & execretur.

Quoad Galliam, & Germaniam Inquisitio in aliquibus civitatibus recepta fuit sub initium, quo primùm orta est, sed exiguo tempore substitit; hodie nullum iis in Regnis superest Inquisitionis tribunal, aut illius aliquod exercitium. Dicitur quidem, in civitate Montispessulana esse Dominicanus, nomen *Inquisitoris* cum aliqua Regia pensione retinens; sed sine ullo functionis exercitio. Vide Fleury *part.* 3. *Inst. Jur. Can. cap.* 9.

LI. Schisma Græcum nomen est, *scissuram* sonans, ut habet *Can.* 34. *caus.* 24. *quæst.* 1. possetque juxta hanc latiorem significationem quælibet Societatis, ac Communitatis diruptio, sive scissura schismatis appellatione contineri. Hic autem sumitur pro scissione, vel divisione ab unitate Ecclesiæ Catholicæ, quæ ex pluribus particularibus Ecclesiis sub uno Capite coalescens universalem, sive Catholicam, & unam Ecclesiam constituit. Ut ergo aliqua Ecclesia sit Schismatica, vel aliqui dicantur *Schismatici*, non sufficit, quòd non communicet cum aliqua particulari Ecclesia, aut Societate, quæ universalem Ecclesiam non constituunt; sed requiritur, ut non communicet cùm Ecclesia Catholica, seu Universali.

Censetur autem recedere à communione Universalis Ecclesiæ, si recedat ab omnibus, aut penè omnibus Ecclesiis particularibus, quæ Ecclesiam Universalem conficiunt. Quare Optatus Milevitanus Donatistas Schismaticos esse probat, *lib.* 2. *contra Parmen.* quòd ab Ecclesiarum totius Orbis communione discesserant. *Videndum est* (ait) *quis in radice cum toto Orbe manserit, quis foras exierit.* Centies idem argumentum contra Donatistas urget S. Augustinus.

Verùm cùm Ecclesia Romana propter Primatum sit unitatis centrum, ejusque Antistites cæterorum caput sit constitutus, ut *schismati* tolleretur occasio, haud dubium, quin magnum sit argumentum, eos non esse schismaticos, qui ipsi tanquam Capiti adhærent, & cum eo communione junguntur; è contra magnum sit schismatis præjudicium, si quis ab ejus sit communione alienus. Hinc schisma à S. Thoma, quem communiter sequuntur Theologi, definitur 2. 2. *quæst.* 39. *art.* 1. 1. *in corp.*

» Divisio, per quam quis se ab unitate Ecclesiæ separat, in » quantum Ecclesia est corpus mysticum, ex universis Fideli» bus, tanquam membris, & Romano Pontifice, tanquam Ca» pite constans. «

Ex dictis facilè intelligitur, Ecclesias particulares aliquando posse inter se dividi, & à mutua communione separari, licèt propterea non sint Schismatici; eò quòd utrisque aliæ pleræque Ecclesiæ communicent, & neutra se à reliquis Ecclesiis universalitatem constituentibus sejungat.

LII. Canones Ecclesiæ, nec non Pontificum Sanctiones de Schismate, & Hæresi eodem penè modo loquuntur. Quia licèt schisma absolutè posset esse sine hæresi; ordinariè tamen hæresim conjunctam habet; imò si initio absque hæresi fuerit, & in sola forsan quæstione facti constiterit; tamen plerumque tandem in hæresim degenerat.

Si hæresim conjunctam habeat, atque in hæresi fundetur, crimen erit merè Ecclesiasticum, ad *solius* judicis Ecclesiastici judicium spectans. Si autem sit merum schisma sine hæresi, tunc judex secularis poterit cognoscere; uti in terminis distinguunt Concordata Brabantiæ inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *tit.* 9. *art.* 2. » De crimine schismatis sapientis *hæresim,* » idem ut suprà in præcedenti articulo (de hæresi.) Si autem » schisma non sapiat hæresim, tum cognitio, & punitio ad *so*» *lum* judicem *secularem* pertinebit. «

* Eo loci aliquis forsan inquireret, an possit contingere, ut Ecclesia particularis à Romana separetur, nec tamen habeatur schismatica? Diximus quidem *num.* 51. quòd non exiguum argumentum unitatis & unionis cum Ecclesia Universali sumatur à communione cum Ecclesia Romana; & contra non sit leve argumentum schismatis, separatio à communione cum Ecclesia Romana.

Verùm cùm certum sit (ut *part.* 1. *tit.* 16. *cap.* 5. probatum est) quòd Ecclesia Romana, licèt primatum teneat, semper considerata fuerit, & etiam hodie debeat considerari ut una *particularis* Ecclesia cum reliquis Ecclesiis particularibus unam Universalem Ecclesiam conficiens, nequaquam Ecclesiæ illæ semper argui possunt *schismaticæ*, tanquam ab unitate Ecclesiæ *Universalis*, sive ab ipso corpore ex omnibus Ecclesiis particularibus etiam ipsâ Ecclesiâ Romanâ conflato divulsæ.

Hoc in capite nemo dixit, Ecclesias Asianas, quæ disciplinam circa diem celebrandi Paschatis observabant diversam à disciplina, quam eo tempore Ecclesia Romana cum pluribus aliis Ecclesiis tenebat, fuisse schismaticas, tametsi ob retentam & constanter propugnatam hanc disciplicam, tandem per Victorem Episcopum Romanum à communione Ecclesiæ Romanæ fuerint per excommunicationem separatæ; sive quia Victor Episcopus Romanus cum ipsa sua Ecclesia particulari Romana communionem cum Asianis fovere noluerit, seu potiùs eis suam communionem substraxerit.

Neque enim Asiani se à communione Ecclesiarum, diversam

sam ab eis disciplinam circa diem celebrandi Paschatis observantium separabant; sed neque aliæ Ecclesiæ, licèt quoad hoc punctum disciplinæ consentientes Ecclesiæ Romanæ existimârunt communionem Ecclesiis Asianis ob hanc in disciplina varietatem esse subtrahendam, nec ipsis communionem suam substraxerunt, ipsamque substractionem Victoris Episcopi Romani minimè probabant: teste enim Eusebio, S. Irenæus, aliique Episcopi Galliæ, tametsi eandem cum Ecclesia Romana disciplinam servantes, *Victoris* factum *acriter* reprehenderunt, *Victoremque monuerunt, ut ea potiùs sentire vellet, quæ paci, charitatique erga proximum congruebant.* Extant *etiamnum* (inquit idem Historicus) *eorum litteræ, quibus Victorem acerbiùs perstringunt.*

Similiter nec S. Cyprianum, aliosque Africanos ipsi consentientes, in quæstione de baptizandis iis, qui apud Hæreticos erant baptizati, neque S. Firmilianum, aliosque Orientales ullus veterum *schismatis* insimulavit, tametsi à Stephano Romano Episcopo communione Romanæ Ecclesiæ privatos fuisse non obscurum sit ex ipsa Epistola Firmiliani ad Cyprianum, uti *inferiùs cap.* 3. notatum fuit.

Licèt enim Asiani per Victorem, & Africani, ac Orientales per Stephanum Episcopum Romanum à communione Ecclesiæ Romani essent separati, sive repulsi; ipsi tamen nequaquam se separabant ab aliis Ecclesiis, etiam illis, quæ super hac quæstione aliter sentirent, & aliam ab aliis praxim amplecterentur.

Imò admodum verisimile est, quòd nec omnes illæ Ecclesiæ particulares cum Stephano Episcopo Romano idem sentientes, eandemque praxim tenentes, se ob eam diversitatem opinionis, & praxis ab Africanis, aut Orientalibus Ecclesiis separaverint, sive communionem suam ab ipsis substraxerint, uti nec ab Asianis Irenæum, aliosque Episcopos Gallicanos in celebratione Paschatis cum Victore, & Ecclesia Romana consentientes se subtraxisse suprà notatum est. Et quidem de Dionysio Alexandrino scribit Eusebius, quòd post obitum Stephani secundam scripserit Epistolam ad ejus successorem Xystum, in qua Stephani simul, ac reliquorum Episcoporum sententiam, ac judicium exponit de Stephano ita scribens: » Antea quidem » litteras scripserat de Heleno, & Firmiliano, de omnibus de» nique Sacerdotibus per Ciliciam, Cappadociam, cunctasque » finitimas Provincias constitutis sese ob eam causam ab illorum communione discessurum, quòd Hæreticos rebaptizarent.«

Post hæc ex eadem Epistola Dionysii subjungitur: » Ac vi» de, quæso gravitatem negotii reverà enim in maximis, ut au» dio, Episcoporum Conciliis Decretum est, ut, qui ab Hæ» reticis ad Catholicam Ecclesiam accedunt, primum Catechu» meni fierent, ac deindè veteris, ac impuri fermenti sordibus » per Baptismum purgarentur. De his omnibus ego ad illum » Epistolam misi rogans, atque obtestans. «

Nequaquam obscurum est, Dionysio Alexandrino displicuisse, quòd in quæstione adeò obscura, & in tot Conciliis Episcoporum agitata Stephanus Romanus Episcopus ab Episcoporum communione recederet, ob id, quod in hac quæstione adeò obscura secum non consentirent. Imò nec dubium est, quin super eo procedendi modo Stephano scripserit, eumque ut communionem cum eis in vinculo pacis servaret, sit obtestatus, atque per litteras contigerit, ut sub Xysto Stephani Successore pax & unitas Ecclesiæ fuerit restituta, uti *inferius num.* 3. declarabitur.

Hoc ipsum latiùs ac solidissimè adstruxit adversus nostri temporis Hæreticos Vir doctissimus D. Nicole in libro cui titulus: *L' unité de l' Eglise*, lib. 2. cap. 10.

SUPPLEMENTUM I.

AD CAPUT II.

EX AGENDI RATIONE S. CYPRIANI, ET SUORUM COEPISCOPORUM CONCLUDITUR POSSE QUANDOQUE IMPUGNARI DOGMA ALIQUOD ABSQUE HÆRESEOS CRIMINE.

1 *Error, aut dissensio circa dogma neminem reddit hæreticum, nisi ut dogma fidei ab Ecclesia fuerit propositum.*
2 *Hujus rei exemplum petitur ex disputatione orta inter Sanctum Stephanum Pontificem, & S. Cyprianum.*
3 *Error S. Cypriani, & Africanorum sui temporis.*
4 *Africani profitentur se velle servare unitatem cum Sede Apostolica, quamvis Stephanus contrariam sententiam propugnet.*
5 *Hanc protestationem in Epistola ad Jubajanum directa renovat S. Cyprianus.*
6 *Hujus meminerunt SS. Hieronymus & Agustinus.*
7 *Errorem Cypriani fortiter impugnat Sanctus Stephanus.*
8 *Ut sua de non rebaptizandis hæreticis sententia acceptetur, jubet sub pœna excommunicationis.*
9 *Eâ censurâ irritatus videtur S. Cyprianus.*
10 *Permotus auctoritate S. Stephani suam de hæreticis rebaptizandis sententiam examini Concilii subjicit.*
11 *Ad Synodum concionatur Cyprianus.*
12 *Notat iuplicitè S. Stephani agendi rationem.*
13 *Sententia de rebaptizandis Hæreticis in Concilio approbatur.*
14 *Ad S. Stephanum mittuntur Legati, qui eum certiorem faciant de iis, quæ in Synodo gesta sunt.*
15 *Agendi ratio S. Stephani.*
16 *Summi Pontificis agendi rationem, & suam Episcopis Orientalibus imprimis Firmiliano, significat Cyprianus.*
17 *Amicam rescripsit Epistolam Firmilianus.*
18 *Tacitè redarguit Stephanum tanquam unitatis hostem.*
19 *Sententias Africanorum approbant Orientales.*
20 *Opinio de rebaptizandis Hæreticis ut jam pridem ab Episcopis Phrigiæ, Ciliciæ & Galatiæ defensa dicitur.*
21 *Ex Epistola Firmiliani ad Cyprianum concluditur plurimos Episcopos à Stephano fuisse excomunicatos.*
22 *Latam fuisse excommunicationis censuram arbitrantur Baronius, & Tillemontius.*
23 *Africani, & Orientalis Episcopi in sua de rebaptizandis sententia perseveraverunt.*
24 *Nec videtur credidisse eam esse quæstionem disciplinæ Ecclesiasticæ.*
25 *An suam opinionem Cyprianus revocaverit, ignorat Augustinus.*
26 *Ab omni hæreseos vel schismatis labe immunis declaratur Cyprianus.*
27 *Si quam aliam labem contraxerit, ejus martyrium abstersit.*
28 *Testatur S. Augustinus, quod S. Cyprianus cessisset veritati si universæ Ecclesiæ auctoritate illud dogma firmatum fuisset.*
29 *Quin olim, quid nunc de Firmiliano sentiendum est.*
30 *Quod suam Firmilianus sententiam revocaverit, insinuat Baronius, sed non demonstrat.*
31 *Sedente Stephano, pax Ecclesiis restituta non fuit.*
32 *Non nisi post Stephani mortem, intercedente Dionysio Alexandrino pax reddita est; sed ea videtur apposita conditio, ut quælibet Ecclesia in sua praxi remaneret.*

* I. VOx una esset debet omnium Catholicorum, nihil tanquam fidei dogma à fidelibus habendum, nisi quod Ecclesia Catholica ut fide credendum proposuit; in *n.* 7. & 9. *cap. præced.* observatum est.

Hac ratione semper existimatum fuit, nullum ob id posse argui hæreseos, quòd super quæstione etiam *dogmaticâ* diversum sentiat, quam Apostolicâ Traditio habeat, si super ea quæstione ipsa Ecclesia Catholica, nondum quid Traditio Apostolica habeat, quidque ex Traditione illa credendum, & tenendum sit, declaravit, & fidelibus proposuerit.

II. Illustre illius exemplum habemus in quæstione, quæ seculo III. acriter disputata fuit, notanter inter sanctum Cyprianum, & Episcopos Africanos, necnon sanctum Firmilianum Cæsareæ in Cappadocia Episcopum cum aliis Orientalibus ab una, & sanctum Stephanum Episcopum Romanum cum pluribus aliis Occidentalibus Episcopis ab altera; utrum nimirum ab hæresi, aut schismate ad Ecclesiam Catholicam revertentes, & ab Hæreticis, vel Schismaticis baptizati rursus in Ecclesia Catholica essent baptizandi.

III. Sustinebat enim Cyprianus cum suis baptismum ab Hæreticis, aut Schismaticis collatum invalidum esse, & accedentes ad Ecclesiam Catholicam tametsi apud Schismaticos, aut Hæreticos baptizatos debere baptizari.

Et quidem consultus à Januario aliisque octodecim Episcopis Provinciæ Numidiæ (qui & ipsi sustinebant baptismum ab Hæreticis, aut Schismaticis esse nullius effectûs, ideoque & hujusmodi revertentes ad Ecclesiam baptizandos censebant) quid ipse, aliique cum ipso in Synodo congregati Episcopi super hac quæstione censerent, responsum fuit nomine Synodi Episcoporum, relatis eorum litteris, quòd » idem cum ipsis sen» tiant, & quidem sententiam hanc non esse novam; sed jam » pridem ab Antecessoribus suis statutam & à se servatam as» serere non dubitant. Sententiam nostram (inquiunt) non no» vam promimus, sed jam pridem ab antecessoribus nostris » statutam, & à nobis observatam pari consensione conjungi» mus, censentes scilicet & pro certo tenentes neminem foris » baptizari extra Ecclesiam posse. «

Eandem suam sententiam rursus S. Cyprianus unà & 71. Episcopi Africani in altera Synodo congregati confirmârunt atque resolverunt » eos *qui sunt foris extra Ecclesiam* tincti, & » apud Hæreticos, & Schismaticos profanæ aquæ labe macula» ti, quando ad nos (ajunt) atque ad Ecclesiam, quæ unà est, » venerint, baptizari oportere. « Hanc suam Synodalem resolutionem per Epistolam Synodicam (quæ est 72. inter Epistolas S. Cypriani, significârunt Stephano Episcopo Romano, eidem adjungentes exemplar Epistolæ S. Cypriani ad Quintum: nec-

non

non Epistolam Synodicam prioris Concilii ad Episcopos Numidiæ, concludentes, quod hæc ad ejus conscientiam, & pro honore communi & simplici dilectione protulerint: *credentes etiam tibi pro Religionis tuæ & fidei veritate placere, quæ & religiosa pariter vera sunt.*

IV. Sed cùm dubitarent, num Stephanus cum aliis Occidentalibus Episcopis pluribus hanc ipsorum resolutionem, & praxim baptizandi revertentes ad Ecclesiam ab hæresi, aut schismate, licèt jam ab hæreticis aut Schismaticis baptizatos, approbaturus esset, utpote quem verisimiliter sciebant oppositum sentire, & ejusmodi revertentes sine novo baptismate recipere, Epistolam suam hâc humili precatione concludendam censuerunt: »Cæterum scimus quosdam, quod semel imbibe»runt, nolle deponere, nec propositum facile mutare, sed »salvo inter Collegas pacis & concordiæ vinculo, quædam pro»pria, quæ apud se semel sunt usurpata, retinere: qua in re »(inquiunt) nec nos vim unquam facimus, aut legem damus »cùm habeat in Ecclesiæ administratione voluntatis suæ arbi»trium liberum unusquisque præpositus rationem actûs sui Do»mino redditurus.«

Hujus Epistolæ ad Stephanum, an notanter finalis hujus protestationis, meminit S. Hieronymus in dialogis adversus Luciferianos.

V. Post hæc consultus S. Cyprianus super eadem quæstione à Jubajano Episcopo, ut eum instrueret super hac quæstione, imprimis ei communicavit exemplar Epistolæ Synodicæ I. Concilii ad Episcopos Numidiæ, item quam ipse Cyprianus super eadem quæstione scripserat ad Quintum Episcopum, necnon Decretum Synodi 71. Episcoporum, quo prioris Synodi super hac quæstione Decretum confirmabatur; quibus adjungit longam Epistolam, in qua multis auctoritatibus & rationibus suam conatur adstruere opinionem & praxim; sed tamen ut ostendat, se nolle cum iis, qui contrarium existimant, baptismumque ab Hæreticis, aut Schismaticis collatum validum reputant, scissuram facere, & vinculum unitatis scindere, aut quemquam cogere in suam opinionem descendere, hâc rursus protestatione Epistolam concludendam censuit. »Hæc tibi »breviter pro nostra mediocritate rescripsimus, Frater charis»sime, nemini præscribentes, aut præjudicantes, quominus »unsquisque Episcoporum, quod putat, faciat, habens arbi»tri sui liberam potestatem. Nos quantum in nobis est, prop»ter Hæreticos cum Collegis, & Coepiscopis nostris non con»tendimus, cum quibus divinam concordiam, & dominicam »pacem tenemus, maximè cùm & Apostolus dicat: Si quis au»tem putatur contentiosus esse, nos talem consuetudinem non »habemus, neque Ecclesia Dei. Servatur à nobis patienter, & »firmîter charitas animi, Collegii honor, vinculum fidei, & »concordia Sacerdotii.«

VI. Hujus quoque protestationis mentionem facit S. Hieronymus in Dialogis adversus Luciferianos, ut probet Cyprianus ea, quæ de baptizandis revertentibus ab hæresi scripserat, non cum anathemate in eos, qui se sequi noluerant, edidisse, sed in eorum communione permansisse, qui sententiæ suæ contrarii erant.

Ejusdem humillimæ ac charitatis plenæ protestationis meminit Augustinus *lib. 4. de Baptismo contra Donatistas, cap. 8.* eamque ut plenam charitate, quâ diversa sentientes in charitate toleravit, ibidem laudat.

VII. Interea quo Cyprianus & Episcopi Africani synodaliter congregati conantur rationibus & auctoritatibus suam de invaliditate baptismi ab Hæreticis collati opinionem firmare, aliosque ad hanc suam sententiam inclinare, plurimi Episcopi huic se opinioni tanquam Traditioni Apostolicæ contrariæ acriter opposuerunt; ac signanter S. Stephanus Episcopus Romanus receptis litteris Concilii Africani eam tanquam Traditioni Apostolicæ adversam fortiter rejecit in litteris suis ad S. Cyprianum, in quibus pro fundamento posuit hoc tantoperè laudatum, & probatum fidei nostræ fundamentum: *Nihil innovetur, nisi quod traditum est.*

VIII. Imò nec contentus Stephanus suam de hac quæstione admodum intricatâ, & necdum per Ecclesiam decisâ, exponere, rationibus & auctoritatibus firmare sententiam, sed ulteriùs progressus eam quasi auctoritatem habens, ab omnibus recipiendam præcepit: quemadmodum teste Augustino *lib. 5. de Baptismo contra Donatistas, cap. 23.* ipsemet Cyprianus aperte significavit in litteris suis ad Pompejum. Quin & eodem teste Augustino *lib. citato, cap. 25.* Stephanus etiam abstinendos putaverat, qui de suscipiendis Hæreticis priscam consuetudinem convellere conarentur.

IX. His litteris Stephani Episcopi Romani non nihil quidem irritatus fuisse videtur Cyprianus, ex iis, quæ scribit ad Pompejum, qui ab ipso postulaverat certior fieri de iis, quæ à Stephano super hac de baptismo Hæreticorum controversia scripta essent. In hac enim Epistola ad Pompejum hæc de Stephano habet: »Se exemplar litterarum Stephani mittere, quo »lecto (ait) magis ac magis ejus errorem denotabis, qui Hæreti»corum causam contra Christianos, & contrà Ecclesiam Dei as»serere conatur; nam inter cætera, vel superba, vel ad rem »non pertinentia, vel sibi ipsi contraria, quæ imperitè, atque »improvidè scripsit, etiam aliud adjunxit, ut diceret: *Si quis ergo à quacunque hæresi venerit ad nos, nihil innovetur, nisi quod traditum est, ut manus illi imponatur in pœnitentiam, cum ipsi Hæretici propriè alterutrum ad se venientes non baptizent, sed communicent tantùm.*

X. Cyprianus tamen in hac inter Episcopos agitatâ quæstione, & contraria praxi, veritatis amore, cùm viderit suam opinionem non obstantibus, quæ in Synodis Africanis pro ea fuerant adducta, à pluribus Episcopis, ac notanter à Stephano primæ Sedis Episcopo tanquam novam, & Traditioni Apostolicæ contrariam rejici, & damnari, penitius de veritate inquirere statuit: eamque ob causam numerosam ex Africæ Provinciis Synodum cogendam duxit, ad quam convenerunt 85. vel ut Pamelius numerat 87. Episcopi præter Presbyteros, & Diaconos, præsente etiam plebis maximâ parte. In hac Synodo ante omnia prælectæ fuere Epistolæ Jubajani ad Cyprianum super hac de baptismo Hæreticorum controversia, & ejusdem Cypriani ad eam Epistolam Jubajani responsoria, necnon quid ad hanc Cypriani responsoriam postmodum rescripsisset Jubajanus. Item lecta fuit Epistola, quam præcedens Africana Synodus 71. Episcoporum scripserat ad Stephanum Episcopum Romanum, atque ipsius Stephani ad hanc Synodi Epistolam responsoria.

XI. His ita relectis Cyprianus dixit: »Audistis, Collegæ »dilectissimi, quæ mihi Jubajanus Coepiscopus noster scripse»rit consulens mediocritatem nostram de illicito, & profano »Hæreticorum baptismo, & quid ego ei rescripserim, censens »scilicet, quòd semel atque iterum censuimus Hæreticos ad »Ecclesiam venientes Ecclesiæ baptismo baptizari, & sanctifi»cari oportere. Item lectæ sunt vobis & aliæ litteræ Jubajani, »quibus pro sua sincera, & religiosa devotione ad Epistolam »nostram rescribens non tantùm consensit, sed etiam instruc»tum se esse gratias egit.«

Post hæc conversus ad Synodum dixit: »Superest, ut de »hac ipsa re, quid singuli sentiamus, proferamus neminem ju»dicantes, aut à jure communionis aliquem, si diversum sen»serit, amoventes: neque enim quisquam nostrûm Episcopum »se esse Episcoporum constituit, aut tyrannico terrore ad ob»sequendi necessitatem Collegas suos adigit; quando habeat »omnis Episcopus pro licentia libertatis, & potestatis suæ ar»bitrium proprium, tamque judicari ab alio non possit, quàm »nec ipse potest alterum judicare. Sed expectemus universi ju»dicium Domini Nostri Jesu Christi, qui unus & solus habet »potestatem, & præponendi nos in Ecclesiæ suæ gubernatio»ne, & de actu nostro judicandi.«

XII. Quantumvis nullum hîc nominatim arguat Cyprianus, nihilominus nequaquam obscurum est, uti & notat Cardinalis Baronius, hæc verba tacito nomine contra Stephanum fuisse directa, eò quod (ut vult Baronius) suo decreto præfixisset titulum: *Episcopus Episcoporum*, & in contra sentientes excommunicationis sententiam fuisset comminatus.

XIII. In hoc Concilio unanimi suffragio, priorum Synodorum super hac controversiâ sub S. Cypriano celebratarum Decreta de baptizandis revertentibus ab hæresi ad Ecclesiam, fuerunt probata, & confirmata.

Hujus Concilii necnon prolocutionis S. Cypriani ad suos Collegas meminit S. Augustinus *lib. 3. de Baptismo contra Donatistas, cap. 3.* ubi inter cætera relatis præallegatis verbis S. Cypriani, quibus monet, neminem se debere existimare Episcopum Episcoporum, nec tyrannico terrore ad obsequendi necessitatem Collegas suos adigere, exclamat: »Quid man»suetius? Quid humilius? Nulla nos certè deterret auctoritas ad »quærendum, quid verum sit.«

XIV. Cùm autem S. Cyprianus ex Epistola Stephani Episcopi Romani intellexisset Stephanum ob hanc circa Baptismum Hæreticorum dissensionem, & Ecclesiarum variam praxim velle unitatem Ecclesiæ scindere, rursus post Episcoporum celebratam Synodum legatos ad Stephanum mittendos censuit, qui ipsum non solùm de gestis in hac Synodo informarent, sed etiam fundamenta, & rationes, quibus suam de baptizandis, ab hæresi revertentibus opinionem sufficienter credebant probatam, Stephano exponerent, eumque hisce rationibus ad suam sententiam inclinarent, aut saltem eum ita mitigarent, ut manente opinionum & praxeos varietate unitas Ecclesiæ non scinderetur, & omnes in vinculo pacis se mutuò patienter tolerarent.

XV. Verùm Stephanus certior factus de iis, quæ in hac Synodo acta, & dicta fuissent, & ex iis probè intelligens, Episcopos Africanos in sua persistere opinione, & praxi de baptizandis revertentibus ab hæresi, non obstantibus litteris, in quibus ipse præceperat, etiam sub abstentionis comminatione, ut omnes suam amplecterentur sententiam de non baptizandis reversis ab hæresi; necnon perspiciens suam hanc sententiam tanquam Hæreticis & schismaticis faventem ab Episcopis Africanis

in ipsa Synodo durius perstrictam, necnon suum procedendi modum per Cyprianum quasi tyrannicum redargutum, tantum abest, ut Stephanus his litteris Africanorum fuerit mitigatus, ut è contrario in tantum adversus Episcopos Africanos irritatus fuerit, ut nec legatos eorum ad sermonem colloquii saltem communis admitteret, quin & præciperet fraternitati universæ, ne quis eos in domum suam reciperet, ut venientibus non solùm pax & communio, sed & tectum & hospitium negaretur.

XVI. De hac Stephani adversus se animi commotione & procedendi modo certior factus Cyprianus, pacemque, & unitatem in vinculo pacis cum omnibus Ecclesiis, in quantum in se erat, conservare studens, donec in quæstione agitata, quid veritas haberet, ipsi ampliùs esset perspectum, de omnibus, tum quæ in hac, tum præcedentibus Synodis statuta essent, & quæ super hac controversia, tum ad Jubajanum, tum ad Stephanum Romanum Episcopum scripta fuissent; & quæ à Stephano rescripta, & tandem qualiter Stephanus legatos rejecisset, certiores reddere voluit Orientales Episcopos, ac inter alios Firmilianum Cæsareæ in Capadocia Episcopum, qui tunc inter illarum partium Episcopos illustrior eminebat, ad quem cum litteris destinavit Rogatianum Diaconum suum, qui eum de omnibus plenè informaret.

XVII. Ad has litteras Cypriani Epistolam sat extensam per eundem Rogatianum rescripsit Firmilianus, quæ est 75. inter Epistolas S. Cypriani.

Ex hac Epistola intelligitur, imprimis litteras Cypriani ipsi fuisse gratissimas, atque ob has gratias Deo egisse, quòd hinc contigerit, ut qui corpore ab invicem separarentur, sic spiritu adunarentur, quasi non unam tantùm regionem tenentes, sed in ipsa, atque eadem domo simul inhabitantes.

XVIII. Ac deindè pluribus in commendationem unitatis, ac mutuæ charitatis prolatis testimoniis ex sacra Scriptura Stephanum tanquam hanc unitatem, & charitatem scindentem tacitè redarguit scribens: Quòd » gratiam referre possit Stephano, » quòd per illius humanitatem nunc effectum sit, ut fidei, & » sapientiæ (Cypriani) experimentum caperet.“

XIX. Præterea ex eadem Epistola habetur, ea, quæ per Africanos circa Baptismum Hæreticorum fuerant resoluta, Firmiliano placuisse, ipsumque idem cum Africanis super hac quæstione sensisse.

Postquam enim paucis indicâsset quantum ei mœroris attulissent ea, quæ à Stephano in hac quæstione erant scripta & acta, subjungit: » De vobis autem cognoscentes, quòd se» cundum regulam veritatis, & sapientiam Christi, hoc, de » quo agitur, disposueritis, cum magna lætitia exultavimus, » & Deo gratias egimus, quia invenimus in fratribus tam longè » positis tantam nobiscum fidei & veritatis unanimitatem. «

Ex ea Epistola cognoscimus, quòd Firmiliano esset in more positum, per singulos annos seniores, & præpositos in unum convocare ad disponenda ea, quæ curæ suæ commissa erant, ut, si quæ graviora essent, communi consilio dirigerentur.

Unde vix dubium, quin litteræ Africanorum super hac controversia ad Firmilianum datæ in Synodo Episcoporum quoque fuerint relectæ, & examinatæ, & quid ad eas rescribendum foret, resolutum; uti ita litteræ scriptæ sub nomine Firmiliani non tam solius Firmiliani, quàm Synodi sint existimandæ.

XX. Constat ex eadem Epistola, sententiam Africanorum de invaliditate Baptismi ab Hæreticis collati, necnon baptizandis ab hæresi ad Ecclesiam reversis, jam pridem ante receptas à Firmiliano Africanorum litteras in numerosa Synodo Episcoporum apud Orientales fuisse probatam: (y) scribit enim Firmilianus, quòd » totum jam pridem in Iconio, qui Phrygiæ » locus est, collecti in unum, convenientibus & Galatia & » Cilicia & cæteris proximis regionibus confirmavimus, tenen» dum contra Hæreticos firmiter & vindicandum, cùm à qui» busdam de ista re dubitaretur, scilicet repudiandum esse om» nino Baptisma, quod sit extra Ecclesiam constitutum. «

XXI. Probat & hæc Epistola Firmiliani, Stephanum etiam plurimos Episcopos Orientales à sua communione rescidisse: atque idcirco ipsum Stephanum schismatis insimulare non veretur Firmilianus: relato enim textu Apostoli *Ephes.* 4. quo commendat, ut soliciti sint servare unitatem spiritûs in vinculo pacis, de Stephano hæc ironicè scribit: » Hæc Apostoli mandata, » & monita salutaria quàm diligenter Stephanus implevit! hu» militatem sensus, & lenitatem primo in loco servans. Quid » humilius, aut levius quàm cum tot Episcopis per totum or» bem dissensisse, pacem cum singulis vario discordiæ genere » rumpentem, modo cum *Orientalibus* (quod nec vos latere » conndimus) modò *vobiscum*, qui in meridie estis «

Non exprimit quidem Firmilianus, Stephanum Orientales Episcopos à sua communione rescidisse, ob id, quod reversos ab hæresi baptizarent; sed ex toto contextu planum est, quòd Firmilianus nequaquam dubitaverit, & significare voluerit, hanc fuisse rescissionis causam, quod & apertiùs expressit Dionysius Alexandrinus in Epistola ad Xystum, qui in Stehpani locum successerat; in qua nominatim hujus abscissionis Orientalium per Stephanum factæ, hanc causam allegat: *quòd Hæreticos rebaptizarent*, apud Eusebium in Historia Ecclesiastica *lib.* 7. *cap.* 5.

Finalia verba ex Firmiliani Epistola suprà allegata referri ad Legatos à Cypriano ad Stephanum super hac controversia destinatos, ex ipso contextu manifestum est.

Præterea & illud ex illis verbis intelligitur, Firmilianum notitiam eorum, quæ de non admissis à Stephano ad communionem Legatis Cypriani scribit, accepisse ex Epistola Cypriani, aut ex Rogatiano, ipsius Cypriani Diacono: ac proindè Rogatianum cum Epistola Cypriani destinatum fuisse ad Firmilianum, postquam Cyprianus intellexisset, qualiter ipse Stephanus Legatos Episcopos tratâsset, & ad suam communionem admittere noluisset. Igitur non tam ex testimonio ipsius Firmiliani, quàm ipsius Cypriani, à quo Firmilianus ea intellexerat, habentur, quæ in hac Epistola de Episcopis Africanis à Stephano ad communionem non admissis scribit Firmilianus.

XXII. Hinc non sine fundamento post plures eruditos credit Clarissimus Tillemontius in suis ad vitam Cypriani reflexionibus, æquè Cyprianum, & reliquos Episcopos Africanos, ac Orientales (quos reipsa à Stephano fuisse excommunicatos fatetur Baronius) fuisse à Stephano abstentos, sive excommunicatos. Insuper intelligitur, hanc Africanorum per Stephanum abscissionem contigisse, postquam Stephanus intellexisset, quæ in III. Concilio Carthaginensi post receptas ejus litteras dicta & acta fuissent.

XXIII. Ex his omnibus habetur, Cyprianum, aliosque plurimos Africanos Episcopos, necnon Firmilianum, cæterosque Orientales Episcopos constanter asseruisse, suisque Decretis declarâsse, Baptismum ab Hæreticis, aut Schismaticis collatum non esse verum, & validum Christi Baptismum; sed unum esse Baptismum in Ecclesia Catholica collatum, ideoque revertentes ab hæresi ad Ecclesiæ unitatem, tamessi apud Hæreticos baptizatos, denuò esse in Ecclesia Catholica baptizandos; quantumvis Stephanus Episcopus Romanus, aliique plurimi ei juncti Episcopi Occidentales istam sententiam tanquam Traditioni Apostolicæ contrariam palam rejicerent: quin & sub Censurarum comminatione à quoquam propugnari vetaret Stephanus, qui tam Africanos, quàm Orientales, quòd ejus præceptis parere renuerent, à sua communione verisimiliter abscidit.

Quin Cyprianum, eique junctos Episcopos Africanos, aut Firmilianum, cæterosque Episcopos Orientales, qui per Synodalia Decreta sententiam suam de invaliditate Baptismi Hæreticorum fidelibus suarum Ecclesiarum tenendam tanquam Evangelio & Traditioni Apostolicæ magis consonam proposuerant, nequaquam etiam post comminatam abscissionis, aut etiam in ipsos vibratam, à sua sententia recesisse, aut etiam retractâsse legitur.

XXIV. Ex quibus & manifestissimum est, non fuisse quæstionem super puncto disciplinæ, sed de dogmate, quod ex Scriptura S. & Traditione Apostolica erat eruendum.

XXV. Dicit quidem de S. Cypriano Augustinus *lib.* 2. *de Baptismo contra Donatistas*, *cap.* 4. » Quòd anima tam pa» cata, & tam sancta potuerit uni verum dicenti, & commons» tranti (scilicet Stephano) facilimè consentire, & *fortasse* fac» tum est (ait) sed nescimus. «

XXVI. Tametsi autem Augustino de retractatione Cypriani, & consensione cum Stephano non constaret, ipsum tamen ab omni prorsus hæreseos aut schismatis in hac constanti à Stephano dissensione, & in sui erroris constantissima perseverantia labe vindicare non dubitat; (tametsi etiam teste ipso Augustino *lib. de unico Baptismo cap.* 14. *num.* 23. multi cum Stephano, quidam cum Cypriano sentirent) hâc unicâ ratione, quòd quæstio, quæ super Baptismo Hæreticorum tunc temporis disputabatur, nondum esset in aliquo Concilio plenario determinata; uti pluribus locis contra Donatistas expressit, ac signanter *lib.* 1. *cap.* 18. scribens, quòd Donatistæ ad tuendam causam sui schismatis, sibi de auctoritate sanctissimi Martyris Cypriani *carnaliter blandiantur*, *cùm ejus charitate spiritualiter perimantur*. Nam illis temporibus (ait) » antequam plena» rii Concilii sententiâ quid in hac re sequendum esset, totius » Ecclesiæ consensio confirmâsset, visum est ei cum fermè oc» togintа Coepiscopis suis Africanarum Ecclesiarum, omnem » hominem, qui extra Ecclesiæ Catholicæ communionem bapti» zatus fuisset, oportere ad Ecclesiam venientem denuò bapti» zari: quod non rectè fieri tanto viro nimirum propterea Do» minus non aperuit, ut ejus pia, & humilitas, & charitas in » custodienda salubriter Ecclesiæ pace patesceret. Ibidem mirifi» cè

(y) *Non igitur credendum est D. Baillet, qui in vita S. Cypriani asserit S. Doctorem primum extitisse, qui sententiam de rebaptizandis Hæreticis docuerit.*

„cè extollit hanc Cypriani in servanda Ecclesiæ unitate charitatem, & cum aliis Episcopis aliter sentientibus sincerâ pacis „communione in quæstione nondum plenarii Concilii, aut totius Ecclesiæ consensione decisâ.“

XXVII. Ex his quoque intelligitur, quòd, dum Augustinus dicit, Cyprianum labem per martyrium abstersisse, intelligere de labe forsan ex errore circa Baptismum contractâ; uti planum est ex contextu totius capitis, ac notanter his finalibus verbis: *Quòd ergo ille Vir sanctus de Baptismo aliter sentiens quàm res se habebat, quæ posteà pertractata, & deligentissimâ consideratione firmata est, in Catholica unitate permansit, & charitatis ubertate compensatum est, & passionis falce purgatum.*

XXVIII. Et rursus *lib.* 4. *cap.* 6. postquam enim dixisset S. Cyprianum circa Baptismum Hæreticorum non vidisse veritatem, nec eam ipsi fuisse tunc temporis revelatam, subjungit: *Ubi si minus ei aliquid revelatum est, ut magnitudo charitatis ejus, quâ unitatem non deseruit, probaretur, non idcirco quisquam tantis ejus firmamentis, meritisque virtutum, & tantæ copiæ gratiarum audere debet præponere, quia* (ait) *Universalis Concilii admonitus firmitate videt aliquid, quod ille non vidit, quia plenarium de hac re Concilium nondum habebat Ecclesia.* Et *lib.* 2. *cap.* 4. Cyprianum tametsi à Stephano, pluribusque aliis Episcopis in hac quæstione de Baptismo dissentientem tanquam in unitate Ecclesiæ perseverantem, laudat hac sola ratione, quòd non dubitaret, quin Universæ Ecclesiæ concordissimâ auctoritate firmatæ veritati cessisset, „si jam illo tempore quæstionis hujus veritas eliquata, & declarata per ple„narium Concilium solidaretur.“

XXIX. Similiter nec Firmilianum ob eam in hac quæstione à Stephano dissensionem, & ob constantissimam contrariæ sententiæ propugnationem hæreseos, aut schismatis à quoquam veterum incusatum, aut pro Hæretico, aut Schismatico reputatum legimus. Quin ut illustrior sui temporis Episcopus ab omnibus celebratus fuit, & in unitate Ecclesiæ plenus meritis defunctus; adeò ut & ipsi Græci eum ut sanctum venerentur, & colant, cujus natalem diem perinde ac aliorum Sanctorum in Menologio consignatum anniversariâ memoriâ die 28. Octobris celebrant, uti notat Cardinalis Baronius, & pluribus ejus sanctitatem, & nominis celebritatem veterum tesminoniis confirmat Vir Clarissimus Tillemontius in reflexionibus suis ad ejus vitam; videmusque Concilium Antiochenum II. contra Paulum Samosatensem anno 270. in Synodica ad Dionysium Episcopum Romanum eum jam defunctum non secus ac ipsum Dionysium Alexandrinum nominâsse hominem *beatæ, ac felicis recordationis.*

XXX. Quod verò Card. Baronius insinuat, Firmilianum sententiam suam retractâsse, sive ut ipse loquitur ad meliorem frugem rediisse, & communioni Catholicæ fuisse restitutum, id nullo veterum testimonio probatur: neque enim ullibi legitur, Firmilianum ante suum obitum suam circa baptismum Hæreticorum sententiam retractâsse, aut Stephanum eum in communionem suam recepisse.

XXXI. Verum quidem est, Dionysium Alexandrinum Episcopum super hac quæstione litteras dedisse ad Stephanum, uti ipse fatetur in Epistola ad Xystum Stephani successorem apud Eusebium *lib.* 7. *cap.* 5. At Dionysium inflexisse Stephanum ad recipiendos Cyprianum, aut Firmilianum cæterosque cum eis de baptizandis Hæreticis sentientes in Communionem probabile non est, neque sedente Stephano super hac dissensione pacem redditam fuisse. Imò nequaquam obscurum est ex litteris Dionysii Alexandrini ad Xystum II. immediatum Stephani in Sede Romana Successorem pacem Ecclesiæ datam non fuisse sedente Stephano, sed demum sub Xysto ejus Successore.

XXXII. In his etiam litteris Dionysius Xystum de omnibus, quæ tum in Africa, tum in Asia, Capadocia, Ægypto, aliisque orbis partibus acta essent, informavit, quàmque grave esset in quæstione adeò controversâ, & in qua tanta esset Ecclesiarum dissensio pacem & communionem scindere. Hæc patenter evincunt, quòd, dùm hæc ad Xystum scripsit Dionysius, necdum data suponeretur pax Ecclesiæ, ipsæque Ecclesiæ adhuc manerent divisæ.

Cùm autem post tempora hujus Xysti nihil de hac quæstione, aut occasione illius de Ecclesiarum scissione legatur, verosimilius est pacem Ecclesiæ intercedente præcipuè Dionysio Alexandrino redditam fuisse eâ conditione, ut omnes Ecclesiæ in sua opinione, & praxi in vinculo pacis tolerarentur quoad usque veritas hujus quæstionis magis esset eliquata, aut totius Ecclesiæ consensione, seu definitione decisa, uti pluribus ostendit Vir Clarissimus Tillemontius in suis ad historiam Cypriani reflexionibus *art.* 5. & Vir Clarissimus Fleury *lib.* 7. *suæ histor. num.* 32.

SUPPLEMENTUM II.

AD CAPUT II.

De Auctoritate Episcoporum in reprobandis, et condemnandis erroribus.

1 *Episcopi sunt fidei Judices.*
2 *Hæc veritas Actis Apostolorum probatur.*
3 *Judicium ab Apostolis, & Senioribus pronuntiatum.*
4 *In communi judicârunt Apostoli.*
5 *Episcopi Apostolorum successores, eorum auctoritate fruuntur in condemnandis erroribus.*
6 *Ab incunabilis Ecclesiæ eo jure usi sunt.*
7 *In Conciliis decreta fiebant nomine Conciliorum.*
8 *Circa seculum X. doceri cœpit causas fidei, aliasque majores causas ad Sedem Apostolicam esse referendas.*
9 *Seculo XII. contendebant Romani, absque Summi Pontificis auctoritate non licere Episcopis ferre judicium de fide.*
10 *Deinceps Canonistæ hanc sententiam acriter propugnârunt.*
11 *Inter Gallos tamen plurimi tum Episcopi, tum Doctores huic sententiæ constanter obstiterunt.*
12 *Hos inter emicuerunt Parisienses Theologi, ac potissimum Episcopus ejusdem urbis.*
13 *In defendenda Episcoporum auctoritate, ore & calamo desudârunt Petrus Alliacensis, & Joannes Gersonius.*
14 *Multis probat Gersonius inesse Episcopis jus pronuntiandi, an Catholica, an erronea sit hæc vel illa propositio.*
15 *Ea constans semper extitit Gallorum doctrina.*
16 *Eam Regii Magistratus ut libertatum Ecclesiæ Gallicanæ basim spectârunt.*
27 *Auctoritatem Episcoporum in reprobandis erroribus asseruerunt quoque Episcopi Belgæ.*

* I. EPiscopos, *quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei*, non tantùm posse vigore sui Officii Episcopalis inquirere in personas de hæresi, aut perversâ doctrinâ suspectas atque de his judicium proferre, sed etiam eosdem posse de ipsa doctrina, utrum Fidei Catholicæ aut christianæ morali consona sit, vel ab ea dissona, inquirere, & judicare, docet & evincit exemplum Apostolorum, & continua Ecclesiæ traditio.

II. Legitur enim in Actibus Apostolorum, *cap.* 15. *vers.* 6. quòd, cùm esset exorta quæstio sub initium nascentis Ecclesiæ, utrum conversos ex gentibus ad Christum oporteret circumcidi, & præcipere quoque observare legem Moysi, super hac controversiâ *convenerint Apostoli, & Seniores videre de verbo hoc.*

Cùm autem (inquit sacer Testus Act. *cap.* 15.) magna inquisitio fieret, surgens Petrus dixit ad eos: „Viri Fratres, vos „scitis, quoniam ab antiquis diebus Deus in nobis eligit per os „meum audire gentes verbum Evangelii & credere, & qui no„vit corda Deus testimonium perhibuit dans illis Spiritum Sanc„tum sicut & nobis, & nihil decrevit inter nos & illos fide pu„rificans corda eorum. Nunc ergo, quid tentatis Deum impo„nere jugum super cervices discipulorum, quod neque Patres „nostri, neque nos portare potuimus? Sed per gratiam Domi„ni Jesu Christi credimus salvari, quemadmodum & illi.“

Post hæc subjungit sacer Textus: „*Tacuit autem omnis „multitudo, & audiebant Paulum, & Barnabam narrantes, „quanta Deus fecisset signa, & prodigia in Gentibus per eos.*“ Hîc non obscurè innuit sacer Textus, multitudinem facto silentio ipsa Petri verba attentiùs ruminâsse; utque pleniùs de his, quæ circa conversionem Gentium accidissent, informarentur, audire placuit Paulum & Barnabam narrantes, quanta Deus fecissent signa, & prodigia in Gentibus per eos.

Postquam autem Paulus, & Barnabas narraverant quæ per ipsos Deus in Gentibus operatus esset, Jacobus Jerosolymorum Episcopus ad multitudinem congregatam verba habuit, repetens, quæ à Petro de conversione Gentium ad fidem narrata fuerant, ostendens, ea Oraculis Prophetarum consonare; quibus dictis primus super hac controversia judicium suum protulit, dicens: *Propter quod ego judico, non inquietari eos, qui ex Gentibus convertuntur ad Deum, sed scribere ad eos, ut abstineant se à contaminationibus simulachrorum, & fornicatione, & suffocatis, & sanguine.*

III. Huic Jacobi judicio acquievit omnis multitudo, placuitque (ùt ait sacer Textus) Apostolis Senioribus cum omni Ecclesia eligere viros ex eis, & mittere Antiochiam cum Paulo, & Barnaba, Judam, qui cognominabatur Barsabas, & Silam viros primos in fratribus, eisque mandârunt, ut fratribus Antiochiæ de Gentibus significarent quæ ab Apostolis, & Senioribus in unum collectis essent decreta, unaque eisdem fratribus scripserunt in hæc verba: *Vissum est enim Spiritui S. & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris quàm hæc necessaria, ut abstineatis*

vos

vos ab immolatis simulachrorum, & sanguine, & suffocato, & fornicatione, à quibus vos custodientes benè agetis.

IV. Ex his manifestum est, Jacobum, cæterosque Apostolos, & Seniores de hac controversia examen instituisse, atque *judicialiter* eandem in communi determinâsse, & definivisse; neque Petrum alias hîc partes habuisse, nisi quòd primus inter ipsos verba habuerit, quibus coram ipsa multitudine congregatâ narrabat, quid in conversione Gentium Deus per ipsum fuisset operatus, & quid circa conversos è Gentibus agendum existimâsset.

V. Hoc exemplo Apostolorum nequaquam dubitârunt Episcopi in locum Apostolorum succedentes, & non secùs ac ipsi Apostoli à Spiritu S. positi regere Ecclesiam Dei sibi ex Officio solicitudinis pastoralis, & regiminis Ecclesiæ, non minùs ac Apostolis auctoritatem esse examinandi, & judicandi dogmata fidei, erroresque condemnandi; imò non minùs se solicitos esse debere fidem, ac doctrinam Evangelicam integram conservare, errores avertere, quàm morum & vitæ puritatem illibatam inculcare, vitia & abusus extirpare.

VI. Hinc legimus, ab initio Ecclesiæ Episcopos in nascentes errores, hæresesque solicitè inquisivisse, suâque auctoritate mox ut eas detexerant, suis Decretis confixisse, & damnâsse: imò nullam penè hæresim per Concilia Generalia primorum seculorum damnatam legimus, quæ non prius per Episcopos vel particularibus Decretis, vel per simul congregatos in Synodis Episcopalibus damnatæ fuissent; neque creditur de hac Episcoporum auctoritate per VIII. aut IX. Ecclesiæ secula à quoquam dubitatum fuisse.

VII. Et dum necesse visum est ad profligendam hæresim, ejusque progressum comprimendum Concilium Generale, sive œcumenicum congregare, Episcopi universi ad illud convenientes exemplo Apostolorum de quæstione judicium suum depromebant: atque ex eorum judicio concludebatur, & Decretum formabatur.

Unde & Decreta non edebantur sub nomine alicujus Episcopi etiam Romani, sed sub nomine Concilii: ut indicarent exemplo Apostolorum non uni, sed cœtui Episcoporum Ecclesiam representanti ita vissum esse.

VIII. At verò circa seculum X. falsis Decretalibus sub nomine primorum Pontificum in auctoritatem receptis, ac signanter post edictum, & receptum Decretum Gratiani, prætendi, & doceri cœpit à quibusdam Canonistis, præcipuè Ultramontanis, *majores*, & *graviores causas* ad Sedem Apostolicam esse referendas, ejusque solius judicio terminandas. Porrò determire, aut definire, quid de Fide sit tenendum, vel ut erroneum rejiciendum reputabant, inter *majores* causas esse reponendum, ac per consequens ad solum Pontificem hanc de doctrina definitionem spectare.

IX. Et quidem sub medio seculo XII. Curiam Romanam prætendisse, Episcopis fas non esse quidquam super doctrina determinare citra Romani Pontificis auctoritatem, constat ex Actis Concilii Remensis anni 1148. in quo contra Gilbertum Porretanum Episcopi Gallicani Symbolum Fidei condiderant; quod ægrè ferentes Cardinales dixerunt, *nulli fas esse circa fidem quidquam determinare citra auctoritatem Romani Pontificis*, uti fusiùs refertur in Actis hujus Concilii, quæ habentur tom. 10. Concil General.

Hæc persuasio tempore Innocentii III. eo usque invaluerat, ut hîc Pontifex interrogatus super quæstione de Baptismo parvulorum, quasi indubitatum in suo responso præmittendum censuerit, causas concernentes articulos *fidei* tanquam causas *majores* ad Petri Sedem esse referendas, *cap. 3. ✠ de Baptismo.*

X. Ex quo Innocentii responso relato in dicto *capite* Commentatores Decretalium, qui unicè penè neglecta notitia Historiæ & Patrum disciplinâ hisce Decretalibus insistebant, ac signanter Ultramontani, aliisque plus æquo prætensis prærogativis Romanorum Pontificum adulantes conclusere ad solum Romanum Pontificum spectare de causis concernentibus articulos *fidei judicialiter* decernere, ipsosque Episcopos posse quidem controversias fidei seu dogmaticas ventilare, sed *judicialiter*, sive *auctoritativè* decidere non posse.

XI. Verùm hanc opinionem tanquam traditioni Apostolicæ, & Episcopali auctoritati omninò contrariam non ab omnibus ubique Episcopis præsertim Gallicanis, fuisse receptam, sibique eos tum verbis, tum factis, judicium super doctrina, & dogmatibus *fidei* competere constanter asseruisse legimus.

XII. Et quidem legitur, quòd anno 1387. Facultas Theologica Parisiensis damnaverit, seu Judicium suum protulerit contra quasdam propositiones Joannis de Montesono Ordinis Prædicatorum, quodque postmodum ex judicio ejusdem Facultatis Episcopus Parisiensis eas publicari, prædicari, doceri *lata sententia* prohibuerit.

Ab hoc decreto Facultatis, & sententia Episcopi appellavit prædictus Joannes de Montesono ad Clement. VII. Romanus Pontificem, tum temporis Avenione sedentem: ac pro præcipuo appellationis suæ fundamento asserere non dubitavit, quòd » *solius* Sedis Apostolicæ sit declarare, damnare & reprobare, & quod Episcopus Parisiensis apponens manum in mesem Summi Pontificis dictas propositiones pronuntiaverit, & declaraverit falsas, hæreticas & erroneas; quia ista, quæ tangunt *fidem*, sunt de *majoribus Ecclesiæ causis*, & quæ ad *solum* Summum Pontificem pro examinatione, & decisione deferri debent. «

Nequaquam obscurum est ex finalibus verbis Joannem de Montesono reflexisse ad prædictam Decretalem Innocentii III. atque ex ea conformiter ad tunc invalescentem opinionem Canonistarum conclusisse ad solum Romanum Pontificem pertinere, & examinare, & decidere causas ad fidem spectantes tanquam causas *majores*.

XIII. Sententiam Episcopi Parisiensis contra dictam appellationem, & prætensum fundamentum Joannis de Montesono fortissimè sustinuerunt Doctores Parisienses, atque præ cæteris Petrus Alliacensis, tunc Facultatis illius Doctor, ac postmodum ob suam eximiam eruditionem, & singularia merita promotus ad Episcopatum Cameracensem, & tandem S. R. E. Cardinalis effectus, qui in defensionem Facultatis, & Episcopi edidit Tractatum, quem nomine ejusdem Facultatis obtulit Clementi VII. Romano Pontifici, in quo inter alia asserere non dubitavit, quòd prædicta propositio Joannis de Montesono, in quantum asserit ad solum Romanum Pontificem pertinere eorum, quæ tangunt *fidem*, examinationem & decisionem, contineat *manifestam hæresim*, imò multas hæreses, ac inter cæteras hanc allegat rationem: » Quia per hanc assertionem excluduntur Episcopi Catholici ab omnimoda cognitione, examinatione, & decisione eorum, quæ sunt *fidei*, quod est contra jus tam divinum, quàm humanum. «

Sub idem tempus in Academia Parisiensi florebat, & præ cæteris eminebat Joannes Gersonius ejusdem Universitatis Doctor & Cancellarius, qui non minus ac ipse Petrus de Alliaco Episcoporum auctoritatem in examinandis, determinandis, & definiendis Fidei articulis propugnavit, ac tanquam Ecclesiæ certam doctrinam asseruit, & coram Patribus Concilii Generalis Constantiensis eam suam opinionem tanquam admodum necessariam, & præ reliquis omni modo inculcandam proposuit in sermone habito in festo Purificationis B. Mariæ, post irritationem à Cardinalibus factam sententiæ Episcopi Parisiensis contra *Joannem Parvum*, quæ lata est 15. Januarii 1415.

XIV. Extat hic sermo Gersonis inter ejus opera ultimæ editionis tom. 2. pag. 281. in hoc sermone multis probat Episcopis vi sui regiminis pastoralis esse jus examinandi doctrinam, & de ea *judicialiter* pronuntiandi, utrum Catholica sit vel erronea, aut hæretica, idque de jure divino.

Huic sermoni subnectuntur aliqua sub hoc titulo: *Conclusiones quædam sub quibusdam articulis ponendæ post finem sermonis de Purificatione Mariæ Virginis.* In quarum sexta hæc tanquam certa proponit: » Ad Episcopos spectat jure *divino* & quibusdam de pia consuetudine legitimè præscripta, propositionem quandam hæreticare, hoc est, hæreticalem decernere, vel determinare, nedum doctrinaliter (sicut Doctores Theologiæ possunt) sed etiam *judicialiter* cum appositione Decreti pœnalis contra subditos rebelles, si illa propositio scandalizaverit Diœcesim suam; & si est talis, de qua possit habere sufficientem certitudinem, per consilium peritorum in Theologia, quòd repugnat eis, quæ fide credenda sunt, quamvis aliqui etiam Theologi dicerentur de illa dubitare. «

XV. Hanc auctoritatem Episcoporum in examinandis, & decidendis dogmatibus Fidei constantissimè usque in hodiernum diem Ecclesia Gallicana, ipsaque Universitas Parisiensis tanquam Episcopatui ex ipsa institutione divina annexum retinuit, ipsosque Episcopos esse naturales Judices, & Interpretes dogmatum Fidei non minùs ac ipsum Romanum Pontificem sustinuit; unà tamen recognoscens in Romano Pontifice *Primatum* Jurisdictionis, unà cum prærogativa suffragii in decidendis quæstionibus *fidei*.

XVI. Imò hanc doctrinam tanquam basim quandam suarum libertatum reputare non dubitant etiam ipsi Regii Magistratus, ac propterea si quid in Bullis, Rescriptis, vel Brevibus Romanis, contrarium huic doctrinæ ipsis occurrere videtur, remedio appellationis tanquam *ab abusu* ab executione similium Bullarum, aut Rescriptorum eorum publicationem, & executionem impediunt; ne quid contra libertates Ecclesiæ Gallicanæ, & auctoritatem Episcopalem inducatur, uti novissimè visum est occasione (z) Brevis Clementis XI. quo præscribebatur Mandatum Episcopi S. Pontii Tomerarium in Galliis.

Inter motiva enim, quibus Advocatus Regius coram Parla-

(z) *A summo Pontifice duo* Brevia *data sunt die* 18. *Januarii* 1710. *unum adversus Episcopi S. Pontii Mandatum, & tres ejus Litteras Pastorales; alterum adversus Tractatum, quem in gratiam Regaliæ idem Præsul scripserat.*

lamento Parisiensi appellationem suam tanquam *ab abusu*, contra publicationem, & executionem hujus Brevis sustinebat, hoc erat, quòd ex contextu totius hujus Brevis (a) nequaquam obscurum esset, per condemnationem doctrinæ in hoc mandato contentæ, præcipuè impeti doctrinam de auctoritate Episcoporum in determinandis, & definiendis articulis Fidem concernentibus, quæ sparsim in hoc mandato asserebatur.

De hac Episcoporum auctoritate in dijudicandis, & reprobandis perniciosis erroribus non dubitâsse Episcopos Belgas, evincunt plura eorum Decreta, ac notanter duorum zelosorum Antistitum Jacobi Boonem Archiepiscopi Mechliniensis, & Antonii Triest Episcopi Gandensis, qui circa medium præcedentis seculi plures Casuistarum opiniones tanquam Moralis Christianæ relaxativas, & in praxi perniciosas proscripserunt; quæ decreta unà cum ipsis propositionibus exhibet Prosper Fagnanus in Commentario *cap.* NE INMITARIS ✠ *de Constitut.* ut ex his propositionibus evincat, ad quas tandem laxitates adducti fuerint Patroni probabilismi, sive sustinentes posse unumquemque tutâ conscientiâ amplecti opinionem probabilem, licèt minùs tutam, & minùs probabilem.

CAPUT III.

De Sortilegio, Magia, et aliis similibus.

1 *Quid sortilegium.*
2 *Cur sortilegii dicti divinatores seu* divini.
3 *Sortilegiorum definitio ex Isidoro.*
4 *Sortilegia, sive sortes divinatoriæ meritò superstitiosis divinationibus anumerantur.*
5 *Sortes divinatorias Leo IV. maleficia reputat.*
6 *Natura sortilegii probat intervenire maleficium.*
7 *In sortilegio intervenit pactum implicitum, vel explicitum cum dæmone.*
8 *Eisdem signis, quibus utuntur Sortilegi ad prædictionem futurorum, etiam utuntur ad nocendum, & tunc propriè maleficii dicuntur.*
9 *Pro varietate signorum, quibus Sortilegi utuntur, varia quoque sortiuntur nomina.*
10 *Ex sortilegiis, & maleficiis gravissima solent oriri incommoda.*
11 *Consulere Sortilegos super statu Reipublicæ, aut Principis etiam ipsi Gentiles sub pœna capitali vetuerunt.*
12 *Constitutio Constantii Imperatoris contra sortilegos divinatores.*
13 *Quid per Aruspicem intelligatur in hanc Constitutione.*
14 *Quid Mathematici, Astrologi, & Genethliaci.*
15 *Quid per Augures intelligatur.*
16 *Votum nomine qui veniant.*
17 *Constantius Imperator in dicta Constitutione, non tantùm hos nominatim expressos, sed generatim omnes Sortilegos, & maleficos pœnâ capitali perstringit.*
18 *Altera Constantii Constitutio contra illos, qui maleficiis elementa perturbare, aut Manes evocare audent.*
19 *Magicis artibus elementa turbari posse jam pridem creditum est, dictique hujusmodi maleficii* Tempestarii.
20 *De his Tempestariis testimonium S. Agobardi Episcopi Lugd.*
21 *Jam pridem Magos inclamâsse mortuos, à quibus futura prædicerentur, testatur Tertullianus.*
22 *Hîc sæpiùs hominibus illudi per phantasma asserit Tertullianus.*
23 *Pœna legis Constantii est vivicomburium.*
24 *Lex Constantini contra Maleficos, qui aliquid moliuntur contra salutem hominum, vel animos ad libidinem excitant.*
25 *Dubitatur, num Constantinus probaverit, artem magicam adhiberi posse ad bonum finem.*
26 *Id probâsse Constantinum credidit Leo Imperator.*
27 *Leo Imperator abrogata Lege Constantini omnem magiam etiam ad bonum finem adhiberi vetuit.*
28 *Non desunt, qui putant; Leonem non bonè intellexisse Legem Constantini.*
29 *Certum est, semper fuisse vetitas magicas artes, etiam ad bonum finem adhibitas.*
30 *Eas jam pridem vetuit Constantius Imperator.*
31 *Similes incantationes vetitæ in Synodo Ancyrana.*
33 *Sanctus Chrysostomus invehitur in eos, qui magicis artibus utuntur ad conservationem vitæ.*
33 *In Capitulis Martini Bracarensis id ipsum vetitum.*
34 *Consonat Responsum Alexand. III.* in cap. 2. de sortilegiis.
35 *Erroneum declarat Facultas Parisiensis, licere uti maleficiis ad bonum finem, vel maleficia maleficiis pelli posse.*
36 *Hoc postremum vetat quoque Rituale Romanum.*
37 *Consentiunt Synodi Belgicæ, & vicinarum Provinciarum.*
38 *Decretum Synodi Cameracensis contra varias superstitiones ad curationem hominis, vel jumenti adhiberi solitas.*
39 *Simile Decretum Synodi Provincialis II. Mechliniensis.*
40 *Regula ad dignoscendum, an aliquid sit superstitiosum, ab hac Synodo proposita.*
41 *Eandem Regulam quoad substantiam probaverat Synodus Provincialis prima Mechliniensis.*
42 *Ex hac regula declarat Synodus Sylva-Ducensis, plures observationes esse superstitiosas.*
43 *Monet eadem Synodus populum à Parochis docendum, grave peccatum esse, hujusmodi observationibus uti.*
44 *Decreto Synodorum Namurcensium contra quasdam superstitiosas observationes.*
45 *De superstitione liberandi certas animas è Purgatorio per certas verborum formulas, remissivè.*
46 *Plures superstitionum species, remissivè.*
47 *Referuntur Edicta Principum nostrorum contra Sortilegos, & Magos.*
48 *Specialia Edicta contra illos, qui vulgò vocantur Ægyptiaci.*
49 *Ex Canonistarum sententia crimen sortilegii creditur esse Ecclesiasticum.*
50 *Ita in Gallia aliquando judicatum.*
51 *Hodie judicatur esse merè civile.*
52 *Praxis Galliæ apparet conformis praxi Belgicæ.*
53 *Judex in his causis cum magna prudentia, & circumspectione procedere debet.*
54 *Episcopi, & Pastores tenentur populum diligenter instruere super hac materia.*
55 *Formula usitata inter milites Hispanos judicata superstitiosa per Episcopum Ipresem.*
56 *Si simile examen hodie ab Episcopis institueretur, multa deprehenderentur superstitiosa, quæ à populo frequentantur.*
57 *Ad quas observationes maximè attendere debent Episcopi.*
58 *Aliquando permittit Deus, ut vera prædicentur; & quare.*
59 *Meritò attendunt Episcopi, ne exorcismis aut cæremoniis Ecclesiæ immisceantur superstitiosa.*
60 *Quæ potissimùm hîc ab Exorcistis cavenda.*

I. SOrtilegium dicitur à *sorte*, soletque accipi in malam partem, nimirùm pro superstitiosa, & magica *divinatione*, qua quis futura, aut occulta, vel omninò incerta prædicere, aut cognoscere vult ex aliquibus signis, quæ ad ea cognoscenda, aut indicanda nec à natura, aut Deo instituta, vel ordinata sunt.

II. Solent similia signa vocari *sortes divinatoriæ*, tanquam quæ adhibeantur ad cognoscendum ea, quæ citra divinam revelationem ex talibus cognosci nequeant; atque illi, qui iis utuntur, vocantur *divinatores*, tanquam futura & planè occulta prædicentes, aut revelantes, aliquid Divinitatis præ se ferentes: quare & teste Isidoro *lib.* 8. *Etymol. cap.* 9. Divini appellantur, quasi *Deo pleni.*

III. Definiuntur ab ipso Isidoro apud Gratianum *Caus.* 26. *quæst.* 1. *Can.* 1. » Sortilegi sunt, qui sub nomine fictæ religio-» nis per quasdam, quas Sanctorum *sortes* vocant, divinatio-» nis scientiam profitentur, aut quarumcunque scripturarum » inspectione, futura promittunt. «

IV. Sortes illæ divinatoriæ, utpote nullam, vel naturalem, vel supernaturalem vim habentes ad occulta illa, ac merè contingentia, & planè ab incerto eventu dependentia manifestanda, meritò superstitiosæ divinationes, & maleficia reputantur, & ut talia jam pridem reprobatæ sunt, uti apud Gratian. *Caus.* 26. *quæst.* 5. *Can.* 7. legitur: » Sortes, quibus cuncta vos in ves-» tris discriminatis judiciis, (quod Patres damnaverunt) nihil » aliud, quam divinationes, & maleficia esse decernimus. Quam-» obrem volumus, illas omninò damnari, & inter Christianos » ultra nolumus nominari, & ne exerceantur, sub anathematis » interdicto prohibemus. «

V. Hîc *sortes* reputari inter *divinationes*, & *maleficia* manifestum est; evidentiusque adhuc patebit, si attendatur epistola Leonis IV. ad Episcopos Britaniæ *cap.* 4. unde hic Canon desumptus est. Dicit enim Leo: » De experientia autem divi-» nationum, vel maleficiorum, scriptum quidem habemus in » sacris Canonibus, ut ipsa verba ponamus, ita: Qui Divinatio-» nes expetunt, & morem gentilium subsequuntur, aut in domos » suas hujusmodi homines introducunt, exquirendi aliquid arte » maleficâ, aut expiandi causâ, sub regula quinquennii jaceant. «

His præmissis infert tanquam consequens: *Unde ad eorum similitudinem*, SORTES, & cætera, quæ suprà relata sunt.

Plures Canones, quibus *sortilegi* unà cùm Divinatoribus, & maleficis condemnantur, & pari pœnâ plectuntur, refert Gratianus citatâ *quæst.* 5.

Et

(a) *Id est, prioris Brevis adversus Mandatum, & Litteras Pastorales.*

VI. Et sanè si attendatur natura sortilegii, sive *sortium*, prout eæ adhibentur ad cognitionem, sive manifestationem futurorum vel occultorum, ad quæ cognoscenda, aut manifestanda, nec ex natura rei, nec ex supernaturali Dei ordinatione vim ullam habent, facile patebit, sortilegium esse ad superstitiosam Divinationem referendum.

Si enim cultus divinus, sive id, quod soli Deo competit, exhibeatur, aut tribuatur creaturæ, dicitur superstitio cultûs *indebiti*, uti locuuntur Theologi post S. Thomam 2. 2. *quæstio* 93. *art.* 1.

Dum ergo cognitio furorum contingentium, quæ à libero hominum arbitrio, aut aliis planè incerttis eventibus dependent, aut occultorum manifestatio petitur à rebus ad eam manifestationem, nec à natura, nec Dei Ordinatione institutis vel ordinatis, tunc transfertur quidam Dei cultus, vel Dei proprietas, nimirum futurorum & occultorum scientia & manifestatio, ad creaturam. Ac propterea Sortilegi etiam Divinatores, tanquam *Divini* aliquid præferentes, dicti sunt, uti suprà notatum est.

VII. Ulteriùs quia sortes, sive signa adhibita ad futurorum & occultorum cognitionem nullam ex sua conditione, vel speciali Dei ordinatione virtutem habent, ideò sortilegium continere solet expressum vel tacitum pactum cum dæmone, à quo mediantibus illis signis futurorum & occultorum scientia expetitur.

VIII. Nec tantùm ad futurorum aut occultorum revelationem signis illis utitur dæmon; sed etiam ad nocendum hominibus, vel in corpore, vel bonis temporalibus; diciturque ars hæc *maleficium*.

Et quamvis omnes quacunque ratione homines malum facientes, possent dici *malefici*, nihilominus, diabolicis hisce artibus ad hominum nocumentum utentibus vulgò *Malefici* vocantur, *ob facinorum magnitudinem*, ut loquitur *L.* 5. *Cod. de Maleficis.*

IX. Sicuti autem varia sunt signa quibus dæmon utitur ad suas præstigias, fallacias, aut maleficia exercenda, ita variæ sunt sortilegii & maleficii species, quæ diversitate signorum etiam varia sortiuntur nomina, quorum tum in Canonibus, tum legibus Principum mentio occurrit, ut in sequentibus videbitur; quibus tamen omnibus dæmon utitur ad deceptionem & nocumentum hominum, & ut divinitatem sibi attribuat futurorum, & occultorum manifestationem sibi vindicet. Dumque hominibus persuadet, eam à se expetere, & expectare, una persuadet, sibi cultum Deo soli debitum exhiberi, quod dæmon ex innata sibi superbia summopere affectat.

X. Præterquam autem, quòd in omni sortilegio, maleficio vel superstitione tale aliquod expressum, vel implicitum pactum, & commercium cum dæmone interveniat, etiam gravissima solent vel ex sortilegiis, sive futurorum prædictionibus incommoda oriri, & à dæmone hisce mediantibus procurari.

XI. Sciebant vel ipsi Gentiles, & idolorum cultores, quid ex auguriis & divationibus incommodi expectari posset, si de Reipublicæ statu, aut Principis persona futura vel occulta per hujusmodi auguria panderentur. Quapropter tametsi ipsi Romani Gentiles dæmonia, & idola colerent, multaque superstitiosa permitterent, & probarent; tamen severissimè puniebant eos, qui de statu Reipublicæ, aut salute Principis ea consuluissent; testaturque Paulus Juris Consultus *Sent.* 5. *tit.* 21. pœnâ *capitali* punitos, *qui de salute Principis, vel summa Reipublicæ respondissent.*

XII. Imperatores verò Christiani expendentes, quàm hæc omnia, & Reipublicæ, populis, nec non ipsi Religioni Christianæ essent adversa & perniciosa, generaliter hæc omnia unà cum ipsa Gentilitate & Idololatria abolere, & extirpare funditùs studuerunt.

Imprimis extat in *L.* 5. *Cod. de Maleficis, & Mathematicis*, Constitutio Constantii Imp. de ann. 357. contra Sortilegos, sive Divinatores in hæc verba: » Nemo Auruspicem consulat, » aut Mathematicum; nemo Ariolum, Augurum, & Vatum » parva confessio conticescat. Chaldæi, ac Magi, ac cæteri, quos » *maleficos* ob facinorum magnitudinem vulgus appellat, nec » ad hanc partem aliquid moliantur. Sileat omnibus perpetuò » divinandi curiositas. Etenim supplicio capitis ferietur gla» dio (b) ultore prostratus, (c) quicumque Jusis nostris obse» quium denegaverit. «

XIII. *Auruspex*, sive Auspex, cujus in hac lege, aliisque frequens mentio occurrit, dictus fuit, qui hostiis, & extis sive visceribus pecudum (quas idolis Gentilitas immolabat) inspectis futura prædicebat: atque hinc ars, sive professio ex simili inspectione futura prædicendi *Auruspina* dicebatur. De his vide *Can.* 1. *Caus.* 26. *quæst.* 3. item *Can.* 14. *ead. Caus.*

XIV. Mathematicus hîc pro Astrologo accipitur. » Astro» logi autem dicti, eò quòd in astris augurantur, « ait Gratianus in *Can.* 1. *Caus.* 26. *quæst.* 4. additurque in eodem Canone: » *Genethliaci* appellati sunt propter natalitiorum con» sideratione dierum. Geneses enim hominum per duodecim » cœli signa discribunt, siderumque cursu nascentium mores, » actus, & eventus prædicere conantur: id est, quis quali sig» no fuerit natus, aut quem effectum habeat vitæ, qui nascitur. » Hi sunt, qui vulgò *Mathematici vocantur*, cujus superstitio» nis genus *constellationes* Latini vocant, id est, notationes si» derum, quomodo se habeant, cùm quisque nascitur. « Hæc ex citato Canone, quem sub nomine S. Augustini exhibet Gratianus; sed uti notant Correctores Romani, pleraque non extant apud Augustinum, » sed sunt in libello Rabani *de Ma*» *gorum præstigiis*, quem ipse Rabanus ex variis Augustini, & » Isidori locis collegit, & Gratianus sæpè citat sub nomine Au» gustini. «

Rectè hîc notatur, prædictum libellum ex dictis S. Augustini esse collectum; nam & citata verba saltem quoad substantiam habentur apud S. August. *lib.* 2. *de Doctrina Christiana, cap.* 21. ubi latè agit de his, *qui* Genethliaci *propter natalium dierum considerationes, nunc autem vulgò* Mathematici *vocantur*; quorum superstitionem perniciosam, & fallacem ibidem exponit, & refutat.

Hos eosdem quoque S. Augustin. *lib.* 4. *Confess.* 3. appellat *Planetarios*; referturque locus Augustini à Gratiano *Can.* 8. *Caus.* 26. *quæst.* 2.

XV. Augures sunt (ait citatus *Can.* 1.) qui volatus avium » & voces intendunt; aliaque signa rerum, vel observationes » improvisas hominibus occurrentes ferunt. Iidem sunt, & » Auspices. Nam auspicia sunt, quæ iter facientes observant. » Dicta autem sunt auspicia, quasi avium spicia, & auguria » quasi avium garria, id est, avium voces, & linguæ. Item » augurium quasi avigerium, quod aves gerunt. «

XVI. Vates hîc sumi possunt pro iis, qui quasi spiritu prophetico, & tanquam *Deo pleni* de futuris vaticinantur; quique & *Fanatici* dicti, qui vi Numinis interiori se agitari fingebant; unde & *Divini* dicti sunt. Divinitate enim plenos se esse simulant, & astutâ quadam fraudulentiâ hominibus futura conjectant, ut dicitur in allegato Canone. 1.

XVII. Hos itaque generatim consuli vetat hâc Lege Constantinus; & quidem sub pœna *capitali.* Imò non tantùm in hac Lege nominatim expressos, sed & omnes *generatim* Sortilegos, sive ope dæmonum futura prædicentes hâc Lege comprehendi; omnemque perniciosam illam *divinandi* artem damnari sat innuunt hæc verba legis: *Et cæteri, quos* maleficos *ob facinorum magnitudinem vulgus appellat.* Item: *Sileat omnibus perpetuò divinandi curiositas.* Unde huic legi in Codice Theodos. subjicitur hæc compendiosa interpretatio: » Quicun» que pro curiositate futurorum, vel invocationem dæmonum, » vel Divinos, quos *ariolos* appellant, vel Aruspicem, qui au» guria colligit, consuluerit, *capite* punietur. «

XVIII. Extat alia ejusdem Imperatoris Constantii Constitutio in *L.* 6. *Cod. de Maleficiis*, de Magia, sive de magicis artibus, in hæc verba: » Multi magicis artibus usi, elementa » turbare, vitam insontium labefactare non dubitant, & Ma» nibus accitis audent ventilare, ut quisque suos conficiat ma» lis artibus inimicos; hos quoniam naturæ peregrini sunt, fe» rialis pestis absumat. «

Habetur & hæc Constitutio in *L.* 5. *Cod. Theod. tit.* 16. ubi pro *usi*, legitur *ausi*: ut sensus sit, *multi magicis artibus* AUSI *elementa turbare, vitas insontium labefactare audent.*

Hanc lectionem ut rectiorem, & veriorem probat Jacobus Gothofredus ad citatam *Legem.* 5. *in Codice Theodosiano, de Maleficiis*; notatque, quòd Constantius duplicem audaciam hîc perstringat Magorum ad inimicos suos conficiendos, elementorum scilicet turbationem, & Manium evocationem.

XIX. Magicis artibus elementa turbari passim notum est, vocanturque ob tempestates per elementorum turbationem excitatas *Tempestarii*, de quibus in Legibus Visigothorum legitur *lib.* 6. *tit* 2. *leg.* 3. » Malefici, & immissores tempesta» tum, qui quibusdam incantationibus grandinem in vineas, » messesque mittere perhibentur. « Et *lib.* 1. *Capitularium Regum Francorum, cap.* 62. » Præcipimus, ut nec cauculato» res, nec incantatores, nec *Tempestarii*, nec Obligatores » fiant. Et ubicunque sunt, emendentur, vel damnentur. «

XX. Est de his Tempestariis insignis locus S. Agobardi Ar-

(b) *In Hispania Divinationes exercentes pœna capitali plectuntur*; *Receptores verò exilii perpetui, ut ait L.* 6. *tit.* 3. *lib.* 8. *Recop.* Que los maten por ello, y que los que lo encubrieren en su casa á sabiendas sean echados de la tierra para siempre: *quæ lex per* 8. *ejusdem tit. & libri anno* 1598. *observari iterum præcipitur. His legibus addenda est* 3. *tit.* 23. *Partita* 7. *ità loquens*: Deben morir por ende, è los que los encubrieren en sus casas á sabiendas, deben ser echados de nuestra tierra para siempre.

(c) *In Codice Theodosiano, cujus editionem dedit Marvillius ann.* 1665. *legitur*: Supplicium capitis feret gladio ultore postratus, quicunque jussis obsequium denegaverit.

Archiepiscopi Lugdunensis in Libro de *Grandine*, & *Tonitruis*, *cap.* 1. » In his regionibus penè omnes homines nobiles, & ignobiles, urbani & rustici, senes & juvenes, putant, grandines, & tonitrua hominum libitu posse fieri. Dicunt enim, mox ut audirent tonitrua, & viderint fulgura, » *Aura levatitia est*. Interrogati verò, quid sit aura levatitia, » alii cum verecundia, parùm remordente conscientia, alii » autem confidenter, ut imperitorum moris esse solet, confirmant, incantationibus hominum, qui dicuntur *Tempestarii* esse levatam, & ideò dici *levatitiam* auram. «

Hunc vulgi errorem ibidem rejicit Agobardus.

XXI. Addit Constantius: *Et manibus accitis audent ventilare, ut*, &c. hoc est, nonnulli magicis artibus animas seu spiritus defunctorum inclamare, & quasi de inferis accire audent, quo inimicos suos conficiant.

De hac specie magiæ tanquam suo tempore usitatissima loquitur Tertullianus *Libro*, *de Anima*, *cap.* 57. » Publica » jam littera est, quæ animas etiam justa ætate sopitas, etiam » proba morte disjunctas, etiam promptâ humatione dispunctas, evocaturum se ab inferûm incolatu pollicetur. «

XXII. At hîc sæpè phantasma duntaxat esse, ac sensibus hominum per illudi dæmoniacas præstigias, ibidem monet Tertullianus: » Sic in illa specie magiæ, quæ jam quiescentes animas » evellere ab inferis creditur, & conspectui exhibere, non » alia fallaciæ vis est operatior. Planè quia & *phantasma* præs» tatur, quia & corpus affingitur; nec magnum illi, exterio» res oculos circumscribere, cui interiorem mentis aciem ex» cæcare perfacile est.

Qui hac arte vulgò utuntur *Necromantici* vocantur.

XXIII. Itaque hâc Lege Constantius statuit, ut si qui ausi sint, vel elementorum turbatione, vel accitis Manibus per magicas artes suos inimicos labefactare, hos *ferialis pestis absumat*. Per feralem pestem hîc intelligi *vivicomburium*, putat Jacobus Gothofredus; ibidem ostendens, qua ratione hæc pœna dicatur *ferialis pestis*. Notaturque in appendice ad Arresta Paponii *lib.* 22. *tit.* 3. quòd adversus eos, vel eas, qui quæve execrabile commiserint sortilegium, constituta sit pœna *ignis*; atque ita plerumque Arrestis Curiæ puniti fuerint.

XXIV. In *Leg.* 4. *Cod. de Maleficiis* legitur quoque sub nomine Constantini M. » Eorum est scientia punienda, & seve» rissimis meritò legibus vindicanda, qui magicis accinti artibus, » aut contra hominum moliti salutem, aut pudicos ad libidi» nem deflexisse animos detegentur. « Horum incitamentorum ad impudicos amores per artes magicas meminit S. Augustinus *lib.* 10. *de Civitat. Dei cap.* 11. & plura refert in hanc rem Jacobus Gothofredus ad *L.* 3. *Cod. Theod. de Maleficis*; & Georgius Tolosanus in Syntagmate Juris universi *lib.* 34. *cap.* 12. ostendit, quomodo etiam rebus sacratissimis ad hæc maleficia abutantur.

XXV. Omnem ergo illam scientiam magicam, quæ ad hominum nocumentum vertitur, severissimè puniendam dixit Constantinus. Sed quid, si hæc scientia non ad nocumentum, sed potiùs ad salutem, & commodum homini procurandam serviat, & adhibeatur? Id licitum putâsse Constantinum in hac Lege aliqui credidêre. Verbis enim suprà relatis subjungit immediatè tanquam priorum verborum moderativa: » Nullis ve» rò criminalibus implicanda sunt remedia humanis quæsita cor» poribus, aut in agrestibus locis innocenter adhibita suffragia, » ne maturis vindemiis metuerentur imbres, aut ventis gran» dinisque lapidatione quaterentur: quibus non cujusquam sa» lus, aut æstimatio læderetur, sed quorum proficerent ac» tus, ne divina munera, & labores hominum sternerentur. «

Ex his itaque statuunt nonnulli, Constantinum quidem interdixisse magicas artes, sive incantationes, sive incantamenta (quæ hîc *suffragia* dicuntur) adhiberi in hominum nocumentum; sed ea probâsse, si ad salutem ipsorum, aut fructuum conservationem adhiberentur. Unde Petrus Tolosanus *in Syntagmate juris universi lib.* 34. *cap.* 18. asseveranter ait: » Scio » leges Codicis Justinianæi, magiam illam, quæ salutem, & » bonum aliquod procurare videtur, non improbâsse. « Deinde citat hanc legem quartam.

XXVI. Ita hanc legem intellexisse Leonem Imp. qui vulgò *sapiens* dictus est, patet ex ejus Constitutione 65. *de Incantatorum pœna*: ubi expressè asserit, auctorem hujus legis probâsse *incantationes illas*, *tanquam fructus & segetes curent, aliaque bona* (*ut quidem videtur*) *suppeditent*.

XXVII. Hanc legem ipse Leo *ex legum quasi fundo tollendam* putavit. Deinde rationem subjicit: » Nos istiusmodi in» cantationes pernitiosas esse persuasum habemus: & ut boni » quidpiam inde manare credamus, induci non possumus. At » sanè etiamsi boni quidpiam producere illas appareat (quo» modo quidem approbanti ipsas legi videtur) non id bonum » esse, sed illecebram atque nassam, quæ illectos in malorum » omnium extremum, ubi à summo bono excidant, absorbeat, » compertum habemus. «

Tandem nonnullis interpositis concludit: » Sanè verò si quis » aliquo modo incantamentis usus esse deprehensus fuerit, sive » id restituendæ, conservandæve valetudinis, sive avertendæ à » rebus frugiferis calamitatis causa fecerit, is apostatarum pœ» nam subiens supremum supplicium sustineto. «

XXVIII. Non desunt, qui credant Leonem sensum hujus Legis haud fuisse assecutum: noluisse Constantinum in hac lege probare incantationes magicas ad conservationem segetum, vel salutem corporum procurandam; sed tantùm declarâsse per priorem partem suæ Constitutionis, prohibita non esse *remedia humanis quæsita corporibus*, hoc est, remedia, quæ non ars magica, sed natura suppeditat: qualia nonnunquam, & cantamenta ad leniendum dolorem esse possunt; uti ostendit Jacobus Gothofredus ad hanc legem in Codice Theodosiano.

XXIX. Quidquid sit, hoc certum est, jam pridem & sacris Canonibus, & Imperatorum Sanctionibus, & Patrum Scriptis damnatas fuisse generatim incantationes, & magicas artes, tametsi ad salutem procurandam adhibitas.

XXX. Scribit Ammianus *lib.* 16. de Constantii Imp. temporibus: » Si quis anile incantamentum ad *leniendum* adhibuis» set dolorem, reus delatus, pœnaliter interibat. Et *lib.* 19. » testatur, ut veneficos pronuntiatos reos capitis interiisse, si » quis remedia quartanæ, vel alterius doloris collo gestaret. «

XXXI. Synodus Ancyrana sub initium seculi IV. *Canone* XXIV. ait: » Qui vaticinantur, & gentium consuetudines » sequuntur, vel in suas ædes aliquos introducunt, ad medi» camenta arte invenienda, vel lustrationem, in quinquennii » Canonem incidant, secundum gradus definitos: tres annos » substractionis, & duos annos orationis sine oblatione (d). «

XXXII. Et S. Joannes Chrysostomus *Homil.* 43. *in Matth. cap.* 23. invehitur in eos, qui suâ ætate philacteria ad collum suum appendebant, vel partem aliquam Evangelii scriptam, quasi virtus Evangelii in litterarum figuris sita fuisset. Neque dubitat idem S. Doctor *Homilia* 8. *in Epist. ad Colossenses*, comparare aliquatenus martyrio contemptum harum vanitatum; quasi vitam potiùs amittere, quàm has superstitiosas vanitates adhibere malint.

XXXIII. Ex Capitulis Martini Bracarensis refert Gratianus *Caus.* 26. *q.* 5. *Can.* 3. » Si quis autem Paganorum consuetu» dinem sequens, Divinos, & Sortilegos in domum suam intro» duxerit, quasi ut malum foras mittant, aut maleficia inve» niant, vel lustrationes Paganorum faciant, quinque annis pœ» nitentiam agant. «

XXXIV. Hisce conforme est Responsum Alexandri III. in *cap.* 2. ✠ *de Sortilegiis*. Expositum erat Pontifici » quemdam » Presbyterum cum quodam infami ad privatum locum acces» sisse; non eâ intentione ut dæmonium vocaret, sed eâ in» tentione ut inspectione astrolabii, *furtum* cujusdam Ecclesiæ » posset recuperari. « Respondit Pontifex: » Verùm licèt hoc *ex* » *bono*, *zelo & simplicitate* se fecisse proponat; id tamen gra» vissimum fuit, & non modicam inde maculam peccati con» traxit. «

Deinde mandat, ut huic Presbytero pœnitentia pro expiatione illius delicti imponatur, quòd per *annum*, & *amplius*, si Episcopo visum fuerit, ab altaris ministerio præcipiatur abstinere.

XXXV. Unde rectè declaravit Facultas Theologica Parisiensis anno 1398. *art.* 5. eos falli, qui credunt licitum uti ad bonum finem arte magicâ, aliisque superstitionibus, quas Deus, & Ecclesia damnat.

Quin & addit *art.* 6. sine errore sustineri non posse, licitum esse, quin & permittendum esse, maleficium maleficio tollere. Verba sunt: » Quòd licitum sit, etiam permittendum ma» leficia maleficiis repellere, error. «

XXXVI. Idipsum & expressit Rituale Rom. dicens: » Ali» qui (dæmones) ostendunt factum maleficium, & à quibus sit » factum, & modum ad illud dissipandum; sed caveat ne ob » hoc ad magos, vel ad sagas, vel ad alios, quàm ad Ecclesiæ » ministros confugiat, aut ulla superstitione, aut alio modo » illicito utatur. «

XXXVII. His omnibus tandem consentiunt recentiores tum in Belgio, tum alibi celebratæ Synodi, generatim omnem usum artis magicæ, & cujusvis superstitionis, tametsi ad sanitatem corporis, vel animalium, vel conservationem fructuum, aut rerum perditarum recuperationem, aliumve honestum finem adhibitum.

XXXVIII. Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 1. *cap.* 7. ait: Signa, vel imagines, annulive, orationes scriptæ, vel ut vocant brevia characteribus, aut nominibus incognitis impressa, » ne ad alicujus improbi hominis, jumentive curationem adhi» beantur, ne etiam ligaturæ matrimonii actum impedientes, » alia *beunda his expressa verbis legitur*: Sub regula quinquenii jaceant, secundum gradus pœnitentia definitos.

(d) *Canon Anciranus citatur secundum versionem Gentiani Herbeti: at si versio Dionysii Exigui consulatur, pœna su-*

» aliave beneficia, vel fascinationes superstitiosa observatione » fiant, aut dissolvantur; nec vulnera, aut plagæ ullæ su- » perstitioso adhibito signorum, verborum, aut precum nu- » mero, linteolis, vel alia, quæ à Medicis comprobata non sit, » ratione curentur. «

Et altera Synodus D. Cameracensis anni 1604. *tit.* 1. *cap.* 8. agit adversus eos, non tantùm » qui magos divinatores, sagas, » Ægyptios, aliosve similes super futuris eventibus, qui à libe- » ra pendent hominum voluntate, super furto oblatis, abscon- » ditis thesauris, rebus deperditis, aliisque occultis consulunt, » aut consuli mandant; sed & in eos, qui rerum occultarum » cognitionem per cribi, annuli, vel alterius rei agitationem » explorant."

Dein *cap.* 9. mandat, » ut ea omnia, quæ certas persona- » rum, temporum, numerorum, locorum, & similium rerum » observationes, corporisque compositionem, ac certorum es- » culentorum, & potulentorum sumptionem ita requirunt, ut » qui ea prætermiserit, exspectato fraudetur effectu; tanquam » vana, & superstitiosa, vel de superstitione admodum suspec- » ta, de medio tollantur, nisi arte Medicâ, Ecclesiæ Constitu- » tione, aut consuetudine per eandem approbatâ, præscri- » bantur."

De variis superstitionibus ex observatione temporum vide Thiers in Tractatu *de Superstitionibus*, *cap.* 5. Inter vanas, & superstitiosas observationes personarum meritò refertur illa, hodie sat frequens etiam inter homines non vulgares, quâ creditur unus intra annum moriturus, si *tredecim* simul in mensa accumbant, secùs si majore vel minore numero sint; quam observationem planè superstitiosam esse evidenter colligitur ex regula superiùs ex Synodo Mechliniensi adductâ, & ab omnibus probatâ.

XXXIX. Synodus P. II. Mechliniensis *tit.* 51. *cap.* 1. ait: » Nemo ad morbos, vel vulnera hominum, aut brutorum cu- » randa superstitiosis remediis utatur, vel super rebus deper- » ditis, aut super futuris eventibus, ac quibusvis secretis, Divi- » nos, seu pro Divinis se venditantes, consulere præsumat."

XL. Deinde *cap.* 3. ponit regulam, è qua dignosci queat, num quid superstitiosum sit; vultque » ut Parochi subditos » suos diligenter de superstionibus doceant; & inter cætera, » superstitiosum esse exspectare quemcunque effectum, à qua- » cunque re, quem res illa, nec ex sua natura, nec ex institu- » tione divina, nec ex ordinatione, vel approbatione Ecclesiæ » producere potest."

XLI. Hanc regulam, licèt non iisdem verbis, expresserat Synodus P. I. Mechliniensis *tit. de Superstitione*, docens: » Om- » nem illarum rerum usum esse superstitiosum, qui sine verbo » Dei, & Ecclesiæ doctrina fit, præscriptis aliquibus ritibus, & » observantiis, quarum rationabilis causa reddi non potest, & » fiducia in eis collocatur, certò exspectandi aliquem eventum, » qui sine illis ritibus ex Sanctorum intercessione non sperare- » tur; aut quæ in cultu Sanctorum ex temeritate, ac quadam » levitate potiùs, quàm pietate, & vera in Deum religione, fie- » ri videntur."

XLII. Huic Regulæ insistentes aliæ passim Synodi Belgicæ varias exinde observationes etiamnùm hodie usitatas, superstitiosas esse concludunt.

Synodus Sylvæ-Ducensis sub Metsio postquam probavit regulam in Synodo Mechliniensi I. propositam » declarat ad pro- » fanam superstitionem pertinere, quòd nonnulli illicitis, & in- » solitis medicamentis, ligaturis, amuletis, chartulis, littera- » rum incisuris, aut rebus consecratis, verbisque sacris extra » probatam medendi rationem ad morbos hominum depellen- » dos, febresque curandas, aut pecudes sanandas utantur."

XLIII. Post hæc concludit: » Ac ideò mandamus omnibus » Parochis nostris, ut fidelem populum doceant usum dictarum » rerum ad effectus hujusmodi, & similes consequendos, abs- » que gravi peccato contra primum Decalogi præceptum, ad- » hiberi à quocunque non posse, cùm illa ad occulta quædam » cum dæmonibus inita pacta pertineant."

XLIV. Synodus Namurcensis 1639. *tit.* 4. *cap.* 1. ait: » Nullus se, vel animalia, à morbo curari, & à periculis præ- » servari procuret per superstitionem, aut verba magica; & » quod gravius est, non consulat Divinos, aut cribrum verti » curet, ad cognoscendum, quis rem suam, vel alterius surri- » puerit, aut sibi malum intulerit."

Observatio in vertendo *cribro*, cujus hæc Synodus meminit, hodie in aliquibus locis (e) satis adhuc usitata est, ac per eam non rarò etiam innocentissimi in suspicionem criminis adducuntur: unde meritò hîc invigilant Episcopi, & Pastores. Vocatur hæc *divinatio* apud Petrum Tolosanum loco citato *cap.* 3. *Coscinomantia.*

(e) *Id est, in quibusdam Belgii, vel Italiæ locis, unde à nonnullis hoc divinationis genus nuncupatur* Coscinomantia *à voce* Coscinus, *vel* Coscina, *quæ ab Italis dicitur mensuræ frumentariæ species.*

Altera recentior Synodus Namurcensis anni 1659. *titulo* 14. post expressis verbis renovatam regulam in Synodo P. II. Mechliniensi propositam, subjungit *cap.* 6. » Monebunt » Pastores parochianos suos, abstinere à remediis, quibus præ- » tenduntur nosci occulta, & à vulgari consuetudine circumli- » gandi arbores pro ubertate fructuum, & infortuniis, patibu- » la pro cessatione febrium, & à peregrinationibus per impe- » ritas mulierculas suggestis, & aliis similibus. «

XLV. Addit *c.* 7. » Monebunt etiam abominandam esse eo- » rum vanitatem, qui certo numero, & præscriptâ forma ver- » borum, & precum asserunt certas animas semper è Purgato- » rio liberari. « De hac abominanda vanitate videri possunt, quæ dicta sunt *parte* 2. *tit.* 37. *cap.* 6.

XLVI. Plures superstitionum species refert, & reprobat S. Carolus in Concilio Mediol. I. *part.* 1. *cap.* 10. & infinita penè signa, verborum formulas, quibus homines vulgares passim utuntur vel ad investigationem futurorum, vel ad maleficia, aut ad recuperandam sibi, vel brutis suis sanationem à morbis vel vulneribus, aut ad conservationem frugum, aliumve effectum, nominatim recitat Joannes Baptista Thiers in Tractatu *de superstitionibus*; quem meritò Parochi in hac materia consulent, utpote plura referentem, quæ hodie multum frequentantur.

XLVII. Et sicut pristini reipublicæ moderatores hisce maleficiis, & superstitionibus eliminandis, etiam suam operam impenderunt; ita & Principes nostri varia Edicta contra Maleficos, Divinos, Incantatores, & similes, nec non in consulentes, sive opem eorum expetentes, diversis temporibus ediderunt.

Imprimis Edicto criminali anno 1570. *art.* 60. jubentur puniri generaliter magi, sive malefici secundum jus scriptum. Et Edicto Alberti & Isabellæ ad Synodum Mechlinensem *art.* 13. sancitur, ut nemo prædictionibus, & arcanorum revelationibus superstitiosis se addicat, perpetuo exilio mulctandus, gravibusque pœnis etiam coerceantur consulentes. Verba sunt: *Ende willende woorts verhohenden ende wooreomen alle ocasien van superstitie, verbieden allen ende eenen yegelycken, van wat qualiteyt oft conditie sy syn, hun te onderwinden oft moyen met waerseggingen van toecomende oft openbaringhen van verborghen saecken ende so verre deshalven eenighe beticht oft schuldigh bevonden souden worden, ordonneren wy wel enrstelycken aen alle onse Rechteren, ende aen die van onse Vassalen, de selve te bannen voor altoos buyten onse Lande ende Provincien straffende met groote boeten, oft anderssins die gene die tot alsulcke te raede gaen.* Id est: » Cupientes insuper avertere, & » occurrere occasionibus quibusvis supertitionis, inhibemus om- » nibus, & singuli cujuscunque qualitatis, aut conditionis exti- » terint, ne operam dent, cur se immisceant prædictionibus fu- » turis, aut detectionibus rerum arcanarum: si autem his non » obstantibus quispiam accusetur, aut deprehendatur reus, » mandamus urgentissimè quibuscunque nostris & subditorum » nostrorum Judicibus, ut eos perpetuo extra ditiones nostras » & Provincias exilio damnent, gradibusque mulctis, aut aliter in » eos animadvertat, qui tales consulunt. «

Dein *art.* 4. statuitur, ut adversus magos, & maleficos seriò & diligenter procedatur, juxta Litteras Regias ad Episcopos omnes, atque Consilia missas 20. Junii 1592.

Habentur hæ litteræ ad calcem Synodi Antuerpiensis sub Miræo; item *parte* 2. *Edictorum Flandriæ*, *lib.* 1. *Rubrica* 1. His Litteris Rex mandat, ut in omnis generis Sortilegos, Genethliacos, Astrologos judiciarios, Maleficos, Superstitiosos, omnes Judices diligenter insurgant, Prælati per Pastores, & Concionatores populum instruant, judices Ecclesiastici, & Seculares officio fungantur: ii secundum Canones, & Constitutiones Apostolicas; illi secundum leges, & Edicta: Episcopi, & Officiales, & Promotores diligentiam præstent: similiter Consilia, Magistratus, & Officiarii.

XLVIII. Præter hæc Edicta generaliter contra magos, & maleficos sunt insuper quædam specialia contra eos, qui sub vulgari nomine *Egyptiorum* hic solent vagari (f) quos Carolus V. & Philippus II. suis respectivè Edictis de 15. Feb. 1537. & 2. Sept. 1560. & *art.* 6. *Additionis* 2. *ad lætum Introitum*, sub pœna confiscationis corporis, & bonorum, eorumve asseclas, vel qui se tales dicerent, aut eorum habitu uterentur, vetuerunt in his Dictionibus versari. De horum hominum in Europam adventu agit Pasquier *lib.* 4. *Reccerches*, *cap.* 17. Hoc hominum genus uti solent *chiromantia*, id est, divinatione ex inspectione manuum, atque eâ mediante de annis vitæ, faustis, vel infaustis eventibus multa divinare & prognosticare; & hisce fallaciis simplices fallere, & pecunias emungere.

XLIX. In *Canone* 10. *Caus.* 26. *q.* 5. refertur ex S. Gregorio

(f) *Plurae & diversæ pœnæ secundum temporum varietatem in Hispania stabilitæ sunt, quæ videri possunt in LL.* 12. 13. 14. 15. 16. *& Actis Acordat.* 1. 5. 7. 8. 9. 10. 11. 15. *tit.* 11 *lib.* 8. *Recop.*

gorio ad Januarium Episcopum, quod si Episcopus exhortatione sua nequeat auruspices, atque sortilegos ad emendationem revocare, possit eos, » si quidem servi sunt, verberibus, cruciatibusque, quibus ad emendationem pervenire » valeant, castigare: si verò sunt liberi, inclusione dignâ districtaque sunt in pœnitentiam redigendi; ut qui salubria, & » à mortis periculo revocantia audire verba contemnunt, cruciatus saltem eos corporis ad desideratam mentis valeat reduere sanitatem. «

Hic verbo *verberibus* annotat Glosographus: Cum hic scribatur Episcopis, patet hoc crimen *Ecclesiasticum* esse.

L. Notat Choppinus *lib. 2. de S. Polit. tit. 2. num.* 11. id conforme esse veteri Senatusconsulto, quo anno 1282. Sylvanectensi Præsuli adjudicata fuit cognitio in sagas & fascinatrices mulieres, quæ anteà hujus sortilegii nomine relatæ fuerant in numerum reorum coram Sylvanectensi Regio Prorætore. Arrestum refertur *part. 7. styli Parlamenti, Arresto* 72.

LI. Verùm uti ibidem notat Choppinus, postero seculo in contrariam sententiam à Senatu Parisiensi itum est, ne hujusmodi veneficæ incantatrices mulierculæ ad Sacros Magistratus remitterentur. Arresto contra Episcopum Parisiensem prolato anno 1387. quod refert Joannes Galli *quæst.* 241. & Tournetius *litt. S. cap.* 42. ubi unà remittit ad Ludovicum Charondam, qui *lib. 9. Respons.* 43. probat criminis hujus cognitionem spectare ad judicem Civilem; qui & refert ibidem formam instituendi processum super hoc crimine, pluresque sententias à judice Civili prolatas: additque Tournetius, *id jam esse usitatum, & communi praxi receptum.*

LII. Nihilominus Joann. Paponius *lib. 22. tit.* 3. relato Arresto cujus meminit Joannes Galli, quod suprà retulimus, fatetur » alterum *contrarium* Arrestum extare inter judicia, consilia, & arresta Parlamenti Sanmartiniani 1582. de tribus mulieribus sortilegii accusatis, quæ ad Episcopum Parisiensem remissæ fuerunt. «

Conjecturam suam hujus contrarietatis adjungit Paponius: » Ex eo, forsan, quòd de *fide* inquirendum videbatur adversus eas; in præcedente verò quæstio de eo non erat. «

Si hæc Paponii (g) conjectura praxim Galliæ attingat & ei conveniat, haut difformis erit praxi Belgicæ, prout hæc expressa est in Concordatis Brabantiæ inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem. De judice enim hujus criminis ibidem *tit.* 9. *art.* 15. dicitur: » De criminibus sortilegii, divinationis, maleficii, & » consulentium eos, cognoscet, & puniet judex secularis solus, » nisi quando prædicta crimina fierent per invocationem dæmonum, aut abnegationem *fidei*; quo casu cùm sapiant hæresim, » Episcopus, aut Inquisitor cognoscet, ut in articulo hæresis » dictum est.“

Distinctionem hîc in Concordatis expressum etiam approbat Petrus Tolosanus in Syntagmate Juris universi *lib.* 34. *cap.* 15.

LIII. Cæterùm quisquis sit hujus criminis judex, indubitatum est, summâ prudentiâ, & circumspectione hîc procedendum esse: cùm certum sit multa frequenter magicis, & diabolicis artibus adscribi, atque ex commercio diabolico perpetrari existimari, quæ naturales causas habent; aut certè non nisi phantastica & ilusoria sunt hominum figmenta.

Imò nonnunquam dæmon suis præstigiis homines præsertim mulierculas ita movere, aut earum phantasiam turbare potest, ut reverà credant se, nescio quæ, cum dæmonæ commercia habere, atque de his interrogatæ etiam fateantur, & ex ordine etiam cum quadam certitudine, ut ipsis apparet, deponant, mira sibi obvenisse, atque cum dæmone tractâsse, quorum tamen nihil subest: quam in rem videre licet *Canonem* 12. *Causa* 26. *quæst.* 5. Videri etiam possunt quæ habent Abulensis in *Cap.* 13. *Genesis*, *q.* 354. & Cajetanus in 2. 2. *quæst.* 95. *art.* 3. apparebitque quòd non rarò fallantur mulieres, quæ credunt, & pro indubitato asserunt, se ope dæmonis ad certum conventum sagarum translatas fuisse atque mira cum dæmone gesisse, & locutas fuisse. Quin & admodum verisimile est, translationes illas ad sagarum conventus esse meras dæmonis illusiones, & muliercularum vehementes imaginationes: neque iis fidem esse adhibendam, nisi de earum veritate ex certis argumentis constiterit.

A pluribus jam pridem observatum & notatum fuit, quòd illis in locis, ubi sagæ aliquo numero trahuntur ad Judicia, & veluti tales condemnantur, ordinariè plures aliæ mulieres sibi persuadeant, quòd & ipsæ sint sagæ; forti nimirum imaginatione, ex illis quæ de sagis audiunt, cerebrum suum ita occupant, ut sibi persuadeant se quoque illa, aut fecisse, aut passas esse, de quibus priores fuerant accusatæ. Et hinc fit, ut per ejusmodi inquisitionem sagarum, ut creduntur, numerus mirè multiplicetur; & ex adverso, ubi de sagis non fit per judices inquisitio, pauciores inveniantur de hoc crimine suspectæ.

LIV. Quamvis crimen sortilegii hodie ferè sit cognitionis judicis Secularis, atque ad judicem Secularem ejus punitio spectet; nihilominus certum est, Episcopos, & Pastores non tantùm posse, sed & teneri de hoc crimine, omnique superstitione inquirere, soliciteque examinare omnia, quæ aliquam superstitionis speciem præferunt; populumque sibi creditum solicitè instruere, in quo hujus criminis, & superstitionis malitia consistat; & quàm periculosum sit in morbis, aliisque adversitatibus ad hæc remedia superstitiosa, quibus diabolus se immiscet, recurrere.

Unde Rex noster in Litteris 20. Junii anni 1592. ad Episcopos & Consilia Regia missis (quarum supra mentio facta est) postquam retulit, quomodo ea, quibus malefici, & sortilegi utuntur, & hominibus imponunt, sunt meræ fraudes dæmonis, vult, ut Prælati Ecclesiastici indilatè injungant Pastoribus, & Concionatoribus, ut moneant diligenter, & frequenter populum, ut hujusmodi impostores, & illusores tanquam vera diaboli instrumenta fugiant; unà admonentes, ut hoc crimen horreant, & detestentur tanquam à Deo pariter & hominibus vetitum. Verba Litterarum sunt: *Sçavoir est que les Prelats Ecclesiastiques ordonnent incontinent aux Pasteurs & Prédicateurs, chacun en son Diocese, de preadvertir & admonester diligemment & souvent le peuple, de soy garder de tels abuseurs, imposteurs, trompeurs, comme vrais instrumens diaboliques, commettans ces impietes & abominations par secrete assistence des malins esprits contra Dieu, & leur prochain, les admonestans & commandans aussi d'avoir en horreur & detestation tels mechans pecchez condamnez en premier de Dieu, & apres des hommes; procedant seulement (comme dict est) de l'invention du diable, ennemy commun du genre humain; à quelque conleur qui ce soit, de Divination, de Magie, Matematicque, Astrologie, prognostication, Physiognomie, Negromantie, Chiromantie, ou autres tiltres tant specieux que puissent estre: procedant cecy en grande partie de la suite & effect de tant de heresies, & faulses doctrines, & d'apostasies pullulantes par tout.* Id est: » Videlicet ut Prælati Ecclesiasti» ci (quilibet in sua Diœcesi) indilatè Pastoribus, & Concionatoribus injungant, ut frequenter & sedulò denuntient, & po» pulum commoneant, quo sibi à talibus veteratoribus, impos» toribus, & deceptoribus tanquam diaboli verè ministris ca» veant, has impietates, & abominationes committentibus, per » occultam operationem malignorum spirituum adversus Deum, » & proximum; utque insuper horreant, & detestentur enor» mia talia peccata ut à Deo primò & ab hominibus reprobata, » quæ non nisi ex inventione diaboli (ut dictum est) ortum ha» bent universi generis humani inimici, quocunque obtentu » fiant, Divinationis, Magiæ, Mathematices, Astrologiæ, Prog» nostici, Physonomiæ, Necromantiæ, Chiromantiæ, aut alio » demum quocunque titulo quamlibet specioso: his omnibus » pro magna parte ortum ducentibus tanquam sequelis, & ef» fectis ex tot hæresibus perversis domgatibus & apostasiis quaqua » enascentibus.“

LV. Refert Martinus Delrio *lib. 3. Disquisit. Magic. parte 2. q. 4. sect. 7.* formulam verborum inter milites Hispanos suo tempore usitatam, » quâ quidam *Salutatores*, ut fuerunt, » (ait Delrio) sanctè viventes, & omnes *gratis* curantes, cum » sola impositione linteorum, & certorum verborum recitatione utuntur.“

Addit dein Delrio, super hac formula motam fuisse Ipris quæstionem, maximè, quia nullum naturale medicamentum accedebat; ac post examen de ea institutum, Episcopus Iprensis ejusque Consiliarii, totam curationem hanc judicârunt superstitiosam, & illicitam, & prohibuerunt ne quis eâ uteretur.

Dicit ibidem Delrio, quòd multis hæc damnatio injusta visa sit; *sed* (ait ipse) *immeritò*. Rationes subjungit; » Nam hic effec» tus totus exspectaretur à Deo per modum miraculi: sed mi» racula sic assiduè de quasi ex consuetudine poscere, est Deum » tentare. Deindè sancti viri, ad miracula edenda, non sunt usi » certis, & quasi conceptis verborum formulis; sed modò sic, » modò aliter, prout Spiritus Sanctus suggerebat. Tertiò sanc» titas hujus non satis probata: fit enim plerumque ut malefici » præclarè, specie externâ, sanctitatem mentiantur: neque in » hac re milites satis idonei judices; quibus sancti videntur, qui » extrinsecus peccata gravià non produnt. Quartò, qui do» num sanationum à Deo acceperunt, illi nunquam acci» piunt cum conditione, ut talibus vel talibus utantur ver» bis: sed tales commentitiæ formulæ sunt indicia pacti saltem la» ten-

(g) *Paponi doctrinæ sunt in Hispania consona L. 3. & Act. Acordat. 1. cap. 14. tit. 6. lib. 3. L. 18. cap. 6. tit. 1. lib. 4. & leges 6. & 7. tit. 3. lib. 8. Recopilation. & in hac ultima per hac verba*: Y los que hallaren culpantes legos, los prendan los cuerpos, y tengan presos y castiguen, y los Clerigos lo notifiquen à sus Perlados, y Jueces Ecclesiasticos, para que ellos lo castiguen. *Cui adde leg. 5. tit. 1. cum lege 2. tit. 3. lib. 8. ejusdem Recop.*

» tentis. Quinto non licet privatis comminisci formulas, quas » nec sacræ litteræ nec Ecclesiasticus usus approbavit, qualis est » ista.“

LVI. Si simile examen ab Episcopis, & Pastoribus institueretur super observationibus, verborum formulis, quæ hodie ad sanationem tam hominum, quàm jumentorum, aut frugum conservationem adhibentur, non dubium, qui non pauca reperirent, non minùs quàm prædictam curationis formam superstitiosas, & illicitas; maximè si non tam attenderent inveteratum harum observationum usum, sed potiùs abusum, quàm regulas à Synodis propositas, & probatas; neque multitudinem, quæ iis sine ullo examine utitur, sequerentur: nec omnes passim observantias, aut ritus, qui nonnunquam dormientibus Pastoribus in aliquibus Ecclesiis tanquam zizania succreverunt, & profundas radices jecerunt, reputarent pro praxi, aut ritibus Ecclesiæ Catholicæ.

LVII. Præcipuè autem attendere debent Pastores, & allaborandum erit circa observantias, è quibus non tantùm populus sperat conservationem, aut recuperationem rerum temporalium, aut vitæ humanæ, sed insuper emolumentum aliquod in Ecclesiasticos, aut eorum Ecclesias, vel communitates ex iis redundat. Incredibile enim est, quàm facilè similes observantiæ etiam evidenter superstitiosæ invalescant; & cùm invaluerint, quàm difficulter aboleri queant.

Dum similium observationum abolitio tentatur, imò vel in quæstionem deducitur, mox clamores in populo excitantur, quasi ipse Religiosus Sanctorum, vel Imaginum, aut reliquiarum cultus, aut probatus ab Ecclesia ritus abolendi essent: nihilque nisi zelus avitæ religionis retinendæ auditur, & auribus popularibus inclamatur; quibus excitatus populus clamat, non secus atque clamabat Asiæ populus: *Magna Diana Ephesiorum*, excitatus à Demetrio, & socii ejus, specie venerationis in Dianam ejusve templum; sed reipsa quia *Demetrius argentarius faciens ædes argenteas Dianæ, præstabat artificibus non modicum quæstum*: *quos convocans* (ait sacer textus) *& eos, qui hujusmodi erant opifices dixit*: *Viri, scitis quia de hoc artificio est nobis acquisitio. Act. cap.* 19. *v.* 24. 25.

Si attendas genuina motiva eorum, qui maximè solent populum contra abolitionem harum observationum, & adversus Episcopos; & Pastores earum abolitionem meditantes excitant, indubiè patebit, eos non absimili motivo duci, quo Demetrius, ejusque socii pro conservatione venerationis Dianæ, ejusque templi contra Paulum, & Apostolos seditionem excitabant: *Quia de hoc artificio est nobis acquisitio.*

LVIII. Opportunum erit ostendere populo, quòd non sit adhibenda fides observationibus, tametsi nonnunquam ex iis sequantur effectus sperati; quia etiam Deus permittit, ut dæmones iis abutantur, & hominibus mediantibus superstitiosis observationibus prosperi aliquid succedat; aut aliqua innotescant, in pœnam nimii erga res temporales affectus, aut curiositatis futura aut incognita sciendi: quo Dei justo judicio homines ampliùs implicari dæmoniacis hisce superstitionibus contingit.

Apud Gratianum *Caus.* 26. *q.* 5. *Can.* 14. sub nomine Augustini refertur; » Si autem aliquis mihi opponit, & dicit: Quo» modo eveniunt illa, quæ illi divini prædicunt futura; aut » quomodo ægris possunt præbere medelam, aut sanis immit» tere ægritudinem, si aliquid propriæ virtutis, ac potestatis non » habent; hoc à me recipiat responsum: quòd ideò quisque non » debet eis credere, quia aliquando eveniunt quæ prædicunt, » aut sanare videntur languidos, aut lædere sanos, quia hoc » permissu Dei fit, ut ipsi, qui hæc audiunt, vel vident, » probentur, & appareat, quâ fide sint, vel devotione erga » Deum. «

Eandem quæstionem versans S. Augustinus *lib.* 5. *q. in Deuteronomii cap.* 19. dicit: » Nec præter suam potestatem Deus » ostendit esse, quòd ista contingunt; sed quasi quæreretur, cur » ea permittat, causam tentationis exposuit, ad cognoscendam » utique eorum dilectionem, utrum eam habeant erga Deum » suum, cognoscendam verò ab ipsis potiùs quam ab illo, qui » scit omnia antequam fiant. «

Extat similiter apud Gratianum in citato *Canone* 14.

Quomodo dæmones possint nonnunquam ex variis circumstantiis sibi notis naturaliter futura prædicere; aut etiam nonnulla in omnibus, aut aliis rebus terrenis causare, nec tamen iis propterea credendum, aut confidendum sit, ipsique frequentissimè & fallantur, ostendit Augustinus toto libro *de Divinatione Dæmonum.*

LIX. Inter cætera (inquit Pastorale Mechliniense) quibus Christus Ecclesiam suam sponsam ornavit. est potestas ejiciendi dæmonem è corporibus hominum, ejusque vim noxiam reprimendi juxta illud Luc. 10. *v.* 19. *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.*

Antiquum esse ritum, & in Ecclesia usitatum abhibendi exorcismos probat Exorcistarum in Ecclesia usitata Ordinatio; quibus in ipsa Ordinatione liber exorcismorum traditur, & jam pridem traditus fuit, ut colligitur *ex Canon. VII.* Concilii Cartaginensis IV.

Sed ne in hos ritus, uti in alias Ecclesiæ cæremonias sub prætextu religionis superstitio se immisceat, admodum solicitè invigilare tenentur Episcopi.

Hac de causa Synodus Tridentina in Decreto *de observandis, & evitandis in celebratione Missæ*, expressè » decernit, ut » Ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere, atque è me» dio tollere sedulò curent, ac teneantur, quæ *superstitio*, » veræ pietatis falsa imitatrix, induxit. «

Et inter alia nominatim vult, ut » quarundam Missarum, » & candelarum *certum* numerum, qui magis à supersitioso » cultu, quàm à vera religione, inventus est, omninò ab Ec» clesia removeant. «

Similiter mandat Episcopis, ut » omnis superstitio in Sanc» torum invocatione, Reliquiarum veneratione, & Imaginum » sacro usu tollatur. « Decreto *de Invocatione Sanctorum.*

LX. Ne igitur prætextu exorcismorum, & Benedictionum invalescat superstitio, atque Sacerdotum, aut Exorcistarum imperitia, aut cupiditas iis ad superstitionem abutatur, imprimis passim in Synodis, & Ritualibus decretum est, ut nemo utatur aliis exorcismis, quàm ab Ordinario approbatis; uti loquitur Synodus Mechliniensis P. II. *tit.* 5. *cap.* 4.

Monet Pastorale Mechliniense conformiter ad Rituale Romanum: » Non termè credat Exorcista, aliquem esse obses» sum, aut maleficiatum, neque facilè adhibeat exorcismos, » nisi ex signis, prudenti Medicorum, suo aliorumque Doc» torum judicio examinatis, moraliter constet esse energume» num, aut maleficiatum. « Quæ sint hæc signa, latè post Rituale Romanum exponit Pastorale Mechliniense; quæ tamen signa prudenter & maturè expendenda sunt.

Addit Pastorale Mechliniense verbis suprà relatis: » Mul» tò minùs morbos hominum, animalium, aut damna possessio» nibus obvenientia, statim incantationibus, aut maleficis attri» buet; aut homines id ordinariè existimantes in ista opinione re» linquet, multò minùs confirmabit. «

Admodum prudenter præcipit Pastorale Mechliniense impresum anno 1598. sub Hovio, ut „ seriò instruantur quorum » vaccæ, vel alia jumenta vexantur incantationibus, ne quiquam » imputent, neque suspicentur vicinos, vel alius homines id » fecisse, qui fortè sunt innocentissimi; nec aures præbeant » vanis hominum promissionibus, qui ineptis, & fallacissimis in» diciis nituntur deprehendere, an mulier ista, vel alia sit incan» tatrix, &c. Per quas observationes diaboli illusionibus ex» ponuntur, qui talibus fidunt; & iniquiis suspicionibus ca» piuntur erga homines sæpè innoxios, cum gravi injuria pro» ximi, & suarum animarum detrimento. Et ob id diabolis sæ» pè talia vel suggeri, vel per alios homines malos suggeri pro» curat, additis aliquando indiciis, quibus suspicionem augeat » quam præ damni dolore qui temporalibus plus satis addicti sunt, » ægrè sibi patiuntur eximi «

Valdè frequentes hodie esse has leves suspiciones notum est; ut proinde meritò sint soliciti Pastores, ut conformiter ad hoc monitum Pastoralis, sæpiùs populum ea de re moneant; invigilentque ne subinde nonnulli etiam Ecclesiastici, qui ex exorcismis commoda sibi, aut suis familiis quærunt, populum ad similes suspiciones incitent; aut occassionem præbeant populo imputandi morbos, aut infortunia maleficiis, quæ revera naturaliter acciderunt.

Et sanè citatum Pastorale Hovii deplorat, quòd „ut olim » fuerunt, qui hanc exorcizandi potestatem infeliciter usurpa» rent; quemadmodum legitur in Actis Apostolorum *cap.* 19. » de filiis Scevæ Judæis; ita etiam hodie multi inveniuntur, qui » vel cupiditate, vel alia quavis temeritate, aut ignorantia duc» ti, sumunt quidem sibi audacter officium exorcizandi, sed non » cum eo fructu, qui inde sperari posset, si graviter & cum » debita pietate negotium tractaretur.“

Hinc in multis Synodis statutum est, ne quis tametsi Ordinem Exorcistarum, imò Sacerdotii susceperit, exorcizare possit, nisi specialem habeat ab Ordinario licentiam. » Nullus om» ninò exorcizare præsumat (ait Synodus P. II. Mechlin. *tit.* 15. » *cap.* 4.) sine licentia Ordinarii in scriptis obtenta.“ Idipsum » passim in aliis Synodis occurrit.

Quomodo Exorcista se per pietatis exercitia, præsertim jejunium & orationem præparare debeat, ut cum dæmone certare feliciter queat, & quæ in ipsa exorcizatione cavere, & observare debeat, latè exponit Rituale Romanum, quod sequitur Pastorale Mechliniense.

CAPUT IV.

De Crimine adulterii, lenocinii, stupri, raptus, concubinatus, et fornicationis.

1 *Quid sit adulterium, & quotuplex.*
2 *Crimen adulterii Scriptura Sacra reputat inter gravissima crimina.*

Im-

3 *Imperatores Romani similiter attrocissimis criminibus annumerârunt.*
4 *Pœnæ contra adulteros decretæ atrocitatem criminis ostendunt.*
5 *Justinianus Imperator supposuit pœnam mortis in adulteros decrevisse Constantinum Magnum.*
6 *Justinianus quoad mulieres adulteras pœnam mitigavit.*
7 *Apud Romanos viri adulteri mitiùs puniti, quam mulieres adulteræ; inde tamen non sequitur, leviùs fuisse illorum, quàm harum crimen.*
8 *Idipsum ostendunt Ambrosius, & Hieronymus.*
9 *Ex Canonibus Pœnitentialibus ostenditur atrocitas istius criminis.*
10 *Canonistæ jam pridem crediderunt hoc crimen esse Ecclesiasticum.*
11 *Hæc opinio Canonistarum seculo XIV. etiam in Gallia recepta est.*
12 *Sensim crimen hoc in Gallia devolutum est ad forum seculare.*
13 *Manet tamen Ecclesiasticum, si agatur de separatione thori.*
14 *Hæc praxis Galliæ non dissonat à Concordatis Brabantiæ.*
15 *Eadem videtur praxis Flandriæ ex Damhoudero.*
16 *Deplorat Damhouderus crimen hoc nimis leviter puniri.*
17 *Idipsum deplorat Zypæus; & quæ hodie soleat esse pœna adulterorum.*
18 *In Gallia adulteræ sæpiùs punitæ pœna juris expressâ in Constitutione Justiniani.*
19 *Eadem pœna obtinet in Sabaudia.*
20 *Non facilè permittendum, ut ad Monasteria Monialium tanquam carceres retrudantur adulteræ, & quare.*
21 *In Gallia pœna adulterorum aliquando est capitalis pro ratione circumstantiarum.*
22 *In Belgio non eadem videtur esse in omnibus locis observantia.*
23 *Mariti interdum ob adulteria uxorum puniendi.*
24 *Maritus interdum committit crimen Lenocinii ob adulterium uxoris.*
25 *Quid sit Lenocinium.*
26 *Detestabile semper habitum hoc crimen.*
27 *An maritus dissimulans adulterium uxoris semper sit reus Lenocinii.*
28 *Quis de hoc crimine Lenocinii cognoscat juxta Concordata Brabantiæ.*
29 *Quæ sit differentia inter adulterium, & stuprum.*
30 *Quid sit propriè stuprum.*
31 *Pœna stupri de jure Civili.*
32 *Quæ pœnitentia pro stupro per Canones pœnitentiales imposita.*
33 *Quoad forum externum pœna civilis contra stuprum jure Canonico mitigata.*
34 *Videtur hæc mitigatio originem habere ex lege Mosaica.*
35 *Pœna stupri Jure Canonico, & Lege Mosaica expressa qualiter hodie in foro Ecclesiastico recepta.*
36 *Stuprator tenetur alere prolem; & quandonam mulieri asserenti hunc illum ve esse stuprato rem, credatur.*
37 *Stuprum virginis nondum viri potentis morte punitur.*
38 *Stuprum tutoris cum puella extraordinariâ pœnâ punitur.*
39 *Custos carceris stuprum committens in captivam, pœna mortis plectitur.*
40 *Ex eadem ratione directores, & directrices puerorum ipsos corrumpentes graviter puniendi.*
41 *Gravissimâ pœna digni Sacerdotes, qui suis Pœnitentibus abutuntur.*
42 *Pœna stupri violenti an de jure Capitalis.*
43 *Raptus propriè dictus, à stupro violento quomodo distinguatur.*
44 *Ex tabulis Legum Brabantiæ pœna stupri violenti est pœna atrocissima: hodie ferè pœna gladii.*
45 *An actio criminalis raptus cesset post contractum Matrimonium.*
46 *Quamvis matrimonia non facilè turbanda prætextu adulterii, interdum tamen ex officio agere potest Fiscus contra adulteros.*
47 *De raptu, ut constituit impedimentum matrimonii, remissivè.*
48 *Quid sit incestus, & inter quos committatur.*
49 *Quæ pœnitentia imposita incestuosis per Canones Pœnitentiales.*
50 *Varia est pœna incestus in foro externo pro varietate ipsius incestus.*
51 *Crimen incestus ex Concordatis Brabantiæ est mixti fori.*
52 *Similiter crimen concubinatus notorii.*
53 *Concubinatus semper ab Ecclesia reputatus ut illicitus.*
54 *Leges concubinatum permittentes jam pridem per Leonem Imperatorem reprobatæ.*
55 *Supponit Imperator concubinatum Jure divino esse reprobatum.*
56 *Sanctus Augustinus concubinatum tanquam concubitum reprobatum describit.*
57 *Synodus Tridentina concubinatum declaravit esse grave peccatum.*
58 *Juxta Correctores Romanos vera uxor minùs solemniter ducta olim aliquando vocabatur concubina.*
59 *Idipsum insinuat Gratianus.*
60 *Canon à Gratiano relatus sub nomine S. Isidori non est Isidori.*
61 *Scriptura Sacra veram uxorem subinde vocat concubinam.*
62 *Qualiter à concubina distinguatur meretrix, ut vulgo dicitur.*
63 *Simplicem fornicationem esse grave peccatum ostendit Sacer Textus.*
64 *Idipsum ostenditur ex sancto Augustino.*
65 *Idipsum probat S. Chrysostomus, & alius apud S. Ambrosium.*
66 *Item Canones Pœnitentiales.*
67 *Episcopi, & Pastores allaborare debent, ut eliminentur omnia, quæ ad hoc peccatum allicere possunt.*
68 *Peccatum carnis quandonam habeat rationem sacrilegii.*
69 *Quæ pœna Clericorum in hoc crimine incidentium.*
* *Quibus pœnis in foro externo subjaceant Clerici, qui mulieres suspectas detinent.*

I. ADulterium dicitur copula carnalis inter personas non conjuges, quarum saltem altera est matrimonio juncta alteri tertiæ.

Hinc facilè intelligi potest, esse quasi triplicem adulterii speciem: unam nimirum conjugati cum conjugata: ita ut sit adulterium ex parte utriusque. Secundam mulieris conjugatæ cum aliquo non conjugato. Tertiam denique viri conjugati cum muliere soluta.

II. Crimen adulterii, sive jus Divinum, sive humanum, seu Civile, seu Ecclesiasticum spectemus, semper inter gravissima, & atrocissima crimina reputatum fuit.

Narratur Genesis *cap.* 26. *v.* 10. & 11. quòd cùm Abimelech Rex Palæstinorum cognovisset Rebeccam esse uxorem Isaac, dixerit ad Isaac: *Quare imposuisti nobis? Potuit coire quispiam de populo cum uxore tua, & induxeras super nos* GRANDE PECCATUM. Additque Sacer Textus: *Præcipitque omni populo dicens: Qui tetigerit hominis hujus uxorem, morte morietur.*

Hinc apparet, etiam ipsos Gentiles, qualis erat Abimelech, solo naturæ lumine judicâsse, adulterium esse *grande* peccatum, etiam *morte* puniendum.

Gravitatem criminis ostendit Deus, dum Levitici *cap.* 20. *v.* 10. declaravit: *Si mœchatus quis fuerit cum uxore alterius, & adulterium perpetraverit cum conjuge proximi sui, morte moriantur, & mœchus & adultera.* Hanc legem rursus renovavit Deus Deuteron. *cap.* 22. *v.* 22. *Si dormiverit vir cum uxore alterius, uterque morietur, id est, adulter, & adultera, & auferes malum de Israel.*

III. Conformiter ad legem naturalem, & divinam, inter atrocissima ac immanissima crimina jam pridem à Principibus & Imperatoribus repositum fuit adulterium in *Lege* 7. *Cod. Theod. de Remiss. crimin.* Unde & adulteri una cum atrocissimorum criminum reis excludebantur ab indulgentia *Paschali*, id est, indulgentia, quæ minorum criminum reis ob festum Paschæ dari solebat; uti patet ex citata *lege* 7. & aliis sub eodem titulo; & latè exponit Jacobus Gothofredus ad eundem titulum.

Similiter ob criminis atrocitatem, adulteris legitimè convictis, aut confessis appellare non licuit, *L.* 1. *Cod. Theod. Quorum appell. non recip.* ipsumque adulterium ibidem numeratur inter crimina, quæ *atrocissima crimina sunt.*

Quin & ipse Ulpianus Jurisconsultus Gentilis adulterium vocat *probrum & oprobrium naturæ*, in *L.* 42. *ff. de V. S.* dicitque *natura turpe* esse.

IV. Atrocitas pœnæ jam pridem in adulteros decretæ, ipsam quoque criminis atrocitatem ostendit.

In *Lege* 4. *Cod. Theod. Quorum appell. non recip.* refertur rescriptum Constantii Imp. de anno 339. quo rescribit, quod »pari similique ratione sacrilegos nuptiarum, tanquam manifestos *parricidas*, *insuere culleo vivos*, vel *exurere*, Judicantem oporteat.«

V. Extat & Constitutio Constantini M. in *L.* 30. *Cod. ad Legem Juliam de adulteriis*, in cujus finem dicitur: *Sacrilegos autem nuptiarum gladio puniri oportet.* Sed cum eadem hæc Constitutio referatur in *L.* 2. *Cod. Theod. eod. tit.* sine hoc additamento, credunt nonnulli, id à Triboniano excitato rescripto Constantii huic Constitutioni esse adjectum.

Quidquid sit, de eo sat convenit inter Interpretes, Justinianum in *Novella* 134. *cap.* 10. supposuisse, Constantinum pœnam mortis in reos adulterii decrevisse; quam quo-

quoad viros adulteros retineri vult Justinianus. (h)

VI. Quoad mulieres autem adulteras pœnâ illâ mitigatâ, » voluit adulteram competentibus vulneribus subactam in Mo- » nasterium mitti : & si quidem intra biennium recipere eam vir » suus voluerit , potestatem ei damus hoc facere , & copulari » ei , nullum periculum ex hoc metuens ; & nullatenus propter » ea , quæ in medio tempore facta sunt, nuptias lædi. Si verò » prædictum tempus transiverit , aut vir priusquam recipiat mu- » lierem , moriatur , tonderi eam , & monachicum habitum acci- » pere , & habitare in ipso Monasterio in omni propriæ vitæ » tempore. «

Ex his conflata est Authentica *Sed hodie* , subjecta citatæ *legi* 30. Hinc quoque patet , mitiùs cum adultera muliere , quàm viro adultero agi , uti ad hanc Novellam notavit Dionysius Gothofredus.

VII. Verùm jam pridem apud Romanos ob quasdam rationes politicas severiùs punita fuisse adulteria mulierum quàm virorum certum est ; atque hinc nonnullos etiam Christianos voluisse , minora esse peccata virorum , quàm mulierum adulteria , testis est Augustinus *lib.* 2. *De Adulterinis conjugiis*, *cap.*8. ubi adulteros quosdam introducit ita loquentes: » An ve- » rò sexûs nostri dignitas hanc sustinebit injuriam , ut cum aliis » fœminis præter uxores nostras si quid admittimus , in luen- » dis pœnis mulieribus comparemur ? His respondet Augusti- » nus: Quasi non propterea magis debeant illicitas concupis- » centias viriliter frænare, quia viri sunt : quasi non propterea » magis debeant mulieribus suis ad virtutis hujus exemplum se » præbere , quia viri sunt : quasi non propterea minus habeant » à libidine superari , quia viri sunt : quasi non propterea mi- » nus debeant lascivienti carni servire , quia viri sunt ? Et ta- » men indignantur , si audiant adulteros viros pendere similes » adulteris fœminis pœnas ; cum tanto gravius eos puniri opor- » tuerit , quantò magis ad eos pertinet , & virtute vincere , & » exemplo regere fœminas.... Sed isti , quibus displicet , ut in- » ter virum & uxorem par pudicitiæ forma servetur , & po- » tius eligunt maximeque in hac causa , mundi legibus subditi » esse quàm Christi , quoniam jura *forensia* non eisdem , qui- » bus fœminas pudicitiæ nexibus viros videntur obstringere. «

Multis ibidem exaggerat Augustinus gravitatem adulterii in viris ; ostenditque falsò sibi persuadere maritos , leviora sua esse , quàm uxorum adulteria.

VIII. Et Ambrosius *lib.* 1. *De Abraham*, *cap.* 4. apud Gratianum *Caus.* 32. *q.* 4. *Can.* 4. » Nemo blandiatur sibi de » *legibus hominum.* Omne stuprum adulterium est ; nec viro li- » cet , quod mulieri non licet. Eadem à viro , quæ ab uxore » debetur castimonia. Quidquid in ea, quæ non sit legitima uxor, » commissum fuerit , adulterii crimine damnatur. «

Et ibidem apud Gratianum *q.* 5. *Can.* 20. S. Hieronymus: » Apud nos quod non licet fœminis , æque non licet viris , & » eadem servitus pari conditione censetur. « Adde quæ in hanc rem dicta sunt *parte* 2. *tit.* 15. *cap.* 2.

Hæc & hodie non inutiliter subinde à Parochis coram populo dicuntur ; quia & hoc tempore quibusdam persuasum apparet , leviora esse virorum , quàm mulierum adulteria.

IX. Quàm atrox hoc adulterii crimen reputaverit Ecclesia, colligi poterit ex Canonibus pœnitentialibus; quibus plurium annorum pœnitentia viris tametsi semel tantummodo lapsis imponebatur. Utque antiquiores Canones omittam , in Canonibus à S. Carolo in ordinem redactis , & singulis Decalogi præceptis accommodatis dicitur : » Si quis maritus semel lapsus est, » pœnitentiam aget annis quinque. Si sæpiùs mœchatus est , in » fine mortis est conveniendus : sique promisserit se cessaturum, » dabitur ei communio. « Id est , in fine vitæ reconciliatio dabitur. Communio enim hîc juxta antiquorum phrasim pro reconciliatione , non pro communione Eucharistica sumitur. Imò uti Cardinalis Bona notat *lib.* 1. *Rerum Litturg. cap.* 17. *num.* 1. inter crimina , quibus olim in quibusdam saltem Ecclesiis negata fuit absolutio in fine vitæ , numerabatur adulterium.

Hæc Canonum pœnitentialium notitia serviet iis , qui foro pœnitentiali præsunt , ut adulteris ex pœnitentiarum diuturnitate olim à Patribus decreta , ostendatur criminis enormitas; & ut ipsi pro personarum , temporum , & criminum qualitate pœnitentias convenientes imponant , quemadmodum *parte* 2. *tit.* 6. *cap.* 4. ostendit.

X. Crimen adulterii esse delictum Ecclesiasticum , communiter docent Canonistæ ad *Cap.* 1. ✠ *De Oficio Ordinarii*, ubi sub nomine Synodi Joannis Papæ , quæ creditur celebrata apud Trecas in Gallia anno 872. dicitur : » ut habeant Epis- » copi singularum urbium in suis Diœcesibus liberam potesta- » tem adulteria , & scelera inquirere , ulcisci , & judicare se- » cundum quod Canones censent absque impedimento alicujus. «

XI. Hîc Glossographus notavit , crimina enumerata , ac nominatim crimen adulterii esse de criminibus *Ecclesiasticus* ; eamque opinionem receptam fuisse tempore Petri Cugnerii patet ex *art.* 39. ex parte Baronum Regni Galliæ contra Prælatos anno 1329. proposito. » Item dicti Officiales faciunt citari ali- » quem bonum hominem conjugatum , & imponunt ei , quòd » adulteratus est cum aliqua : & similiter mulierem aliquam on- » jugatam imponendo sibi quod adulterata est , in perpetuam » infamiam ipsorum conjugum , & cum hoc extorsionem pecu- » niarum recipiunt ab eisdem. « Huic articulo responsum fuit à Bertrando Episcopo Eduensi : » Ad 39. (articulum) quod lo- » quitur de adulteriis , quæ laicis per Officiales imponuntur, di- » cit quòd nunquam talia faciunt , prout loquitur articulusme- » moratus , neque fieri debent talia , nisi super factis notoriis, » vel manifestis , aut ubi tales , contra quos proceditur , essent » publicè diffamati , seu in aliis casibus à Jure permissis, &ni- » hilominùs parati erant Prælati præcipere suis , quòd alia in » talibus nullo modo procedant. «

Ex his sat manifestum est , Prælatos haud dubitâsse , qin cognitio de crimine adulterii spectaret ad Officiales , possentque ratione hujusmodi notorii criminis etiam laici coram Oficialibus citari , neque id negâsse Barones ; sed tantùm hos conquesos fuisse , falsò imponi innocentibus , & bonis conjugatis hujusmodi crimen cum summa eorum infamatione, & pecuniarum extorsione.

XII. At verò lapsu temporis crimen hoc Gallia ad tribunal laicum revocatum est; (i) refertque Ægidius Magister in tractatu *de Appellat. cap.* 6. antiquum Arrestum vulgò *de Uxoratis scortatoribus* per recentiora Arresta renovatum esse atque hisce Arrestis inhibitum fuisse Episcopis , & Archidiaconis , citare laicos in materia adulterii coram suis Officialibus Eisdem Arrestis indicatis concludit quoque Roussellius *lib.* 6 *Jurisd. Pontif. cap.* 4. *num.* 28. » Ergo de crimine adulterii » judicat laica Curia, licèt ejus criminis pœna sit arbitraria. «

XIII. Si tamen non criminaliter , seu ad pœnam propriè agitur , sed ad solam separationem thori , (k) cognitio erit judicis Ecclesiastici , quemadmodum notavit Glossa Pragmatica *tit. de Concubinariis* , §. *Et cum omnes* , verbo *Pertinet.*

XIV. Id non omninò dissonat à Concordatis Brabantiæ, quæ *tit.* 9. *art. fin.* statuunt : ,, De crimine adulterii , cognoscet » Judex Ecclesiasticus , ubi cognovit de separatione matrimo- » nii quoad thorum , propter adulterium , & in locis , ubi habet » synodos , & scabinos (l) synodales; hoc salvo , quòd scabi- » ni non poterunt denuntiare nisi notorios adulteros ; nec po- » terit Judex Ecclesiasticus procedere contra alios , quàm con- » tra denuntiatos per scabinos synodales, vel per alterum con- » jugum , in locis ubi consuevit de adulterio cognoscere: ubi » verò non habet scabinos synodales , consuevit tamen cognos- » cere uterque de adulterio notorio , vel ad requisitionem alte- » rius conjugum , cognoscet , & non aliàs , eritque præventio- » ni locus.“

XV. Jodocus Damhouderus in Praxi rerum criminalium *cap.* 91. *num.* 17. notat , quòd „ Judices Ecclesiastici adulterii » notitiam , & punitionem sibi peculiariter reservent, & vindi- » cent Curiæ spirituales , & Jura Canonica : quia hoc adulte- » rium directè concernit & spectat ad Ecclesiam , aut ad viola- » tionem Sacramenti Matrimonii.“ Deinde adjungit: » Judices » seculares nihilominus sæpè adulterii examinationem & punitio- » nem assumunt ; non tanquam curiæ spirituali præjudicantes, » quasi de Sacramentis, & causis spiritualibus quidam judican- » tes : cùm ea tantùm faciant , non Sacramenti violati gratia, sed » ipsius personæ causa , quæ prophana est , & non spiritualis: » ideoque ipsorum foro habilis est , & subjecta.“

Hîc sat insinuat Damhouderus , Judices seculares contra laicos cognoscere de *adulterio* , quando non de Sacramento, seu de separatione Matrimonii , sed de pœna inffigenda tractatur.

XVI. Hoc non immerito deplorat ibidem Damhouderus, quod ubi olim adulteria Deo jubente, ac legibus Romanis postmodum probantibus , fuerunt *morte* punita , » hoc infelicissi- » mo seculo apud quosdam Judices tam parvi fiant adulteria , ut » quasi parum ipsis insit sceleris , & quasi peccata sint levius- » cula ob hoc solum , quod sint frequentia , & à multis citra » conscientiæ stimulum perpetrata. Ideoque vel leviùs adulteria » pu-

(h) *In Hispania olim Adulterus pœnâ mortis , Adultera verò virgis cessionis , & in toto loco reclusionis puniebantur per leg.* 15. *tit.* 18. *Partita* 7. *postea per leg.* 1. *tit.* 20. *lib.* 8. *Recop. adulterans & adultera voluntati , & dispositioni Mariti relinquebantur ; hodie tamen attentis criminis circumstantiis , personarumque qualitatibus arbitraria est.*

(i) *Ita etiam in Hispania in usu esse comprobatur ex lege* 36. *tit.* 6. *lib.* 3. *& leg.* 1. *& 2. tit.* 1. *lib.* 4. *Recop.*

(k) *Jam sæpè dictum est in Hispania Judices Ecclesiasticos posse cognoscere de causis* MATRIMONIALIBUS *per leg.* 5. *prope medium tit.* 1. *lib.* 4. *Recop. & cap.* 12. *Concord. an.* 1737. *& ideò consequens est , quòd quando agitur de thori separatione , ejus cognitio privativè pertinet ad dictos Ecclesiasticos Judices , non autem quando de pœna afflictiva tractatur.*

(l) *Scabini dicti sunt synodales , quos incolæ civitatis in Synodis , seu comitiis congregati in Judices sibi eligebant.*

» puniunt, forsan etiam, quod ipsi eo aliquando contamina-» ti sunt.“

XVII. Conqueritur quoque Zypæus *in Notitia Juris Belgici, tit. ad Legem Juliam de Adulteriis, num.* 7, » Crimen » hoc adulterii *nimis moliter* puniri: pecuniariis plerumque » mulctis, quandoque expositione in theatro ad ignominiam, in-» ductione infami per plateam, processione in lineo indusio, & » delata ad templum candella, adulteræ veste supra genua præ-» cisa, ad subsannationem, aut simili pœna arbitraria. «

XVIII. Eandem esse in Gallia usitatissimam adulterii pœnam testatur Boërius *Decis.* 279. idque, ut apparet, desumptum est ex Glossa ad *Can.* 5. *Caus.* 32. *quæst.* 1. refert tamen Paponius *lib.* 22. *Arrest. tit.* 9. adulteras sæpiùs fuisse condemnatas ad pœnam juris expressam in *Authent.* SED HODIE *Cod. de Adulteriis*, cujus suprà meminimus.

XIX. Dicit Antonius Faber in Codice *lib.* 6. *tit.* 7. *Definit.* 2. in Sabaudia adulteras puniri pœnâ juris expressâ in citata Authentica *Sed hodie*; ubi rectè notat, quòd si Monasterium non nisi honestis, Deoque sacris virginibus includendis sit destinatum, cogi nequeat ad adulteram recipiendam, nisi ab initio in eam rem constitutum sit, cujusmodi Monasteria plerasque apud Italos, nulla apud nos, ait Faber.

XX. Et sanè admodum inconveniens, & periculosum est, ejusmodi adulteras, aliove carnali concubitu corruptas, ad Monasteria, aut honestarum virginum consortium admittere propter periculum infectionis: neque Superiores facilè etiam intuitu lucri temporalis in similium receptionem consentire debent; sed potiùs allaborare, ut loca specialiter ad simile hominum genus collocandum, & recludendum extruantur, iisque de bonis Directoribus & Directricibus provideatur; quale hodie in civitate Bruxullensi satis amplum & famosum habetur.

XXI. Nonnunquam adulteros ob speciales circumstantias concurrentes fuisse etiam pœnâ mortis punitos testatur Paponius loco citato; ut proinde appareat, pœnam adulterii esse quasi arbitrariam pro casuum, & circumstantiarum varietate, quæ crimen vel aggravant, vel alleviant: quod etiam ex Paponio observat Petrus Tolosanus *in Syntagmate*, *lib.* 36. *cap.* 6. *num.* 38.

XXII. In Belgio non eandem esse Provinciarum consuetudinem indicârunt Consilia Regia, dum in promulgatione Concilii Tridentini hic ageretur. Nam teste Anselmo in suo Triboniano Belg. *cap.* 32. §. 34. circa *cap.* 8. *Sess.* 24. *de Reform. Matrim.* quo adulteros, & concubinarios contumaces excommunicandos, & extra Diœcesim ejiciendos statuitur, notatum fuit: » Uti variant Provinciarum consuetudines, ita & censuræ. » Brabantis videtur sufficere pœna Juris Canonici, & contra Lai-» cos Juris scripti. Hanones ad Concordata sua provocant. Na-» murani Laicos à Laicis puniendos, Clericos à Judicibus Ec-» clesiasticis. Arthesii & Ultrajectini notant ejectionem adultero-» rum extra oppidum & Diœcesim sapere relegationem, quæ » non competat in Belgio potestati Ecclesiasticæ. Alii indicant » præventioni locum esse inter Judicem Ecclesiasticum, & se-» cularem. In summa: Concordata, & consuetudines vetus-» tas prævalere debere quolibet in loco.“

XXIII. Mariti non tantùm ob propria adulteria puniendi, sed interdum etiam ob adulteria uxorum. » Maritus enim (ait » Damhouderus *cap.* 92.) qui sciens, volensque dissimulat, & » permittit uxorem audelterari, ita ut nec verbis, nec re ulla » illi adulteranti obsistat, nec ipsam ab adulterio retrahat, vel » nec ipsam à se dimoveat, is ob uxoris adulterii dissimulatio-» nem damnandus est exilio, aut alia simili pœna arbitraria » Judicis. «

XXIV. Multò magis his pœnis, aut acrioribus pœnis est condemnandus, quoties ex uxoris adulterio ullum sibi quæstum parat, aut lucrum; hoc enim faciendo, crimen præterea committit Lenocinii, *Leg.* 2. §. LENOCINII, *ff. ad Legem Jul. de Adult.* & *L.* 2. *Cod. eod.*

XXV. Lenocinium, cujus hîc facta mentio, est nefarium illud scelus, quo quis ex publicis scortationibus, adulteriis, fornicationibus, similibusque nefariis vitiis carnis sibi quæstum facit: non quidem proprio corpore, sed virgines, mulieres, vel uxores, aliasve matronas quæstus gratiâ ad actum venereum pellicens, vel etiam privatim ad hoc domi alens, & ex eo meretricio quæstu vivens.

XXVI. De hoc crimine videri potest Damhouderus in *Praxi Rerum criminalium*, *cap.* 93. è quo hæc descripsi; qui & ibidem ostendit, hoc crimen etiam Ethnicis fuisse detestabile, ac atrocibus pœnis subjectum (m); deploratque hodie quidem apud Christianos mitiùs puniri; unà tamen monens, hujusmodi lenones, aut lenas » esse in damnabili rerum statu, » & abjectissima dæmonum mancipia; imò dæmonibus multò » nocentiores, utpote per quas non rarò honestas puellas, ma-» tronas probas, & Ecclesiasticos natura & moribus continen-» tissimos ad lapsum pertrahunt, quod ipsorum dæmonum ten-» tamenta præstare non poterant, neque possent, nisi hujus-» modi instrumentis adjuvarentur. Quo circa etsi extremam » punitionem temporalem hîc apud Judicem secularem eva-» dant, punitionem tamen divinam nunquam effugient. «

XXVII. Non semper tamen arguendus est maritus, aut Lenocinii insimulandus, qui adulterium uxoris dissimulat, aut etiam tegit. Ubi enim adulterium uxoris non esset manifestum, nihilque de eo haberetur in ore & notitia vulgi præter incertam suspicionem, & rumusculum popularem, quem maritus suâ prudentiâ facilè tueri posset, & tegere, eo casu maritus uxori cohabitans, nequaquam de lenocinio ob dissimulatum adulterium uxoris est condemnandus, *L.* 17. *Cod. ad Leg. Jul. de Adult.* » Nam & hoc singulis à naturæ recto dictamine in-» situm est, ut domesticos omnes, atque adeò uxoris propriæ » vitia tegant, & probitatem tueantur, sicubi possint & va-» leant: « ait Damhouderus *cap.* 92. Quandonam maritus uxorem adulteram subinde ex lege saltem charitatis recipere teneantur, dixi *part.* 2. *tit.* 15. *cap.* 2.

XXVIII. De hoc crimine dicitur in Concordatis Brabantiæ *tit.* 9. *art.* 23. » De crimine lenocinii notorii, ubi quis est » leno suæ uxoris, uterque cognoscet, secundum qualitatem » suæ Jurisdictionis, extra illum autem casum Judex secularis » solus cognoscet, & puniet. «

XXIX. Adulterium, & stuprum subinde pro eodem sumuntur; dicitque lex 101. *ff. de V. S.* quòd lex Julia *de Adulteriis* indifferenter hoc verbo *stupri* utatur; & tam in Jure Civili, quàm Canonico sub eodem titulo agitur de adulteriis & stupro. Attamen propriè adulterium in nuptam, stuprum verò in virginem viduamque committitur, ait *Leg.* 6. §. 1. *ff. Ad leg. Jul. de Adult.* Et in *Leg.* 34. §. 1. *ff. eod.* » Adulte-» rium in nupta admittitur: stuprum in vidua, vel virgine, vel » puero committitur. «

XXX. Gratianus post *Can.* 2. *Caus.* 3. *quæst.* 1. hanc stupri definitionem tradit: » Stuprum autem propriè est vir-» ginum illicita defloratio: quando videlicet non præcedenti » conjugali pactione, utriusque voluntate virgo corrumpitur, » patre injuriam ad animum statim post cognitionem non re-» vocante. «

Recepto hodie loquendi modo, etiam sub stupro comprehenditur defloratio viduæ honestè viventis, uti tradit Damhouderus in *praxi rerum Criminal. cap.* 94. *num.* 2. dicens: » est autem stuprum ordinarium crimen, quod in virginem, » *viduamque* honestè viventem committitur. «

XXXI. Pœna stupri simplicis citra vim commissi, nullisque aggravantibus circumstantiis vestiti, de Jure Civili in personis honestis est publicatio dimidiæ partis bonorum; in humilibus coercitio corporis cum relegatione (n) §. ITEM LEX JULIA, *Instit. de Publicis judiciis.*

XXXII. Inter Canones Pœnitentiales à S. Carolo collectos habetur: » Si quis adolescens cum virgine peccaverit, pœni-» tentiam aget annum unum. « Item » Vidua, quæ stuprum » admiserit pœnitentiam aget annum totum: & præterea in al-» tero anno dies jejuniorum. «

XXXIII. Pro foro externo, pœna stupri lege Civili decreta, jure Decretalium mitigata est juxta responsum Pontificis in *cap.* 2. ✠ *de Adulteriis*, » pervenit ad nos (ait Ponti-» fex) quòd Felix quandam virginem *stupro* decepit; quod si » verum est, quamvis esset de lege pœnâ plectendus, nos ali-» quatenus legis duritiem mollientes, hoc modo disponimus, ut » aut quam stupravit uxorem habeat, aut si renuendum puta-» verit, corporaliter castigatus, excommunicatusque in Mo-» nasterio, in quo agat pœnitentiam, detrudatur, de quo » nulla sit egrediendi sine præceptione licentia. «

XXXIV. Hæc mitigatio conformis apparet legi Mosaicæ relatæ in *cap.* 1. ✠ *eod.* ubi dicitur: » Si quis seduxerit vir-» ginem non desponsatam dormieritque cum ea, dotavit eam » & habebit uxorem. «

XXXV. Hæc dispositio Juris Canonici quoad pœnam stupri hodie in tribunalibus recepta est. Imò licèt tam Lex Mosaica, quàm jus Canonicum stupratorem obligent ad duo præstanda, scilicet ad dotandam, & ducendam virginem stupratam, consuetudo tamen *alternativam* induxit: relinquens electioni stupratoris, an dotare, vel ducere velit, uti post Julium Clarum notat Zypæus *Consilio* 4. *de Adulteriis & stupro*: nisi tamen promissio Matrimonii accesserit; quæ quando copula accessit, facilius accedentibus aliquibus circumstantiis intervenisse præsumitur, uti ibidem monet Zypæus; additque, quòd facilius stuprator simpliciter ad ducendum obli-

ga-

(m) *In Hispania licèt olim Lenones, vel lenæ ultimo supplicio crucisve suspensio, ut ait Azevedo in commentario ad LL.* 4. & 5. *tit.* 11. *lib.* 8. *Recop. punirentur; hodie tamen mitiùs puniuntur, nam tantùm flagellantur, & ad remigii hodie præsidii opera condemnantur, ut constat tit.* 11. *& ex LL.* 5. & 10. *fin. tit.* 20. *lib.* 8. *Recop.*

(n) *In Hispania huic doctrinæ consona est lex* 2. *tit.* 19. *Partita* 7.

gatus credi possit & condemnari; nam facilè res redit ad suam naturam, & jus primævum.

XXXVI. » Insuper tenetur stuprator prolem alere, quam » se ex eo concepisse mulier juraverit tempore partus. Quia tunc » ratione instantis periculi, non immemor suæ salutis præsumi- » tur dicere veritatem, nisi tamen illa jam ante ab alio fue- » rit cognita, aut postea plures admiserit, deque eo cons- » tet, & probet ipse. Nam præsumptio est pro muliere, secun- » dùm quam virginitas, utpote qualitas naturalis adfuisse præ- » sumitur, & delictum abfuisse. « Perez *ad leg. Julian de Adult. num.* 51. & conformiter ad consuetudines Mechlinienses *tit.* 18. *art.* 4. & aliarum civitatum, quas ad dictum articulum refert Paulus Christinæus.

XXXVII. Hæc quidem si non concurrant speciales circumstantiæ aggravantes. Si enim stuprum committatur in virginem præ ætate nondum viri potentem, etiam hodie de consuetudine videtur pœna mortis imposita; nisi circumstantiæ eam imminui faciant, puta, quia stuprum quidem fuit attentatum, sed non consummatum, ut ex Joanne Fabro tradit Perezius ad Codicem *de Adulteriis*, *num.* 49.

XXXVIII. Graviùs quoque punitur (o) tutor, qui pupillam suæ tutelæ creditam stupravit, juxta *L. unicam*, *Cod. Si quis eam, cujus tutor fuit, corruperit*; » Crescit enim crimen propter » perfidiam violantis eam, quam à corruptela immunem ultrò » præstare debet; cùm tutor non tantùm patrimonio, sed mo- » ribus regendis proponatur, « ait Tuldenus ad citatum titulum Codicis.

XXXIX. Similiter tradit ex Joanne Fabro Tuldenus ad titulum Codicis *de mulieribus*, *quæ se propriis servis junxerunt*, Commentariensem, qui custodiæ suæ creditam vitiaverit, quamvis consentientem, capite plectendum. » Cujus ra- » tionem esse credit Tuldenus, quòd capta fidei custodis cre- » datur: quòd is impressione potestatis facilè consensum ex- » presserit: imò quòd illa comercio libidinis facile corrupto- » ris sui corruperit fidem ad laxandam effugio custodiam. «

XL. Quidni & graviori pœna digni ludimagistri, aliique filiorum, aut puerorum directores, qui hisce, quos à corruptelis sua cura, & vigilantia præservare deberent, abutuntur eosque corrumpunt?

XLI. Sacerdotum autem, qui filias suas spirituales ad libidines provocant, iisque abutuntur, quis illorum scelus & sacrilegium sat æstimet? Meritoque Michael Rouselius *lib.* 4. *Histor. jurisd. Pontif. cap.* 3. *num.* 27. postquam ex Riccio retulit, in foro Neapolitano » suspensum duntaxat à cura sua „ fuisse Sacerdotem accusatum, & convictum, quòd in ac- „ tu confesionis mulieres solicitaret ad turpia, pluribus depo- „ nentibus se tactu & signis ab eo solicitatas fuisse, exclamat: » Indulgens sanè, aut potiùs ridicula pro qualitate criminis, „ nullo non supplicio in tanto sacrilegio digni pœnâ; unde „ remitti debeat ad judicem laicum, vel etiam flammis ex- „ piandus."

XLII. Stuprum subinde violentiam adjunctam habet, vocaturque stuprum *violentum*, dum nimirum vis aliqua corporalis puellæ infertur; puniturque ex lege Julia *de Vi*, uti notat Tuldenus ad titulum Codicis *de Raptu virginum*; dicitque pœnam hujus stupri cœpisse esse capitalem ex Constitutione Caroli V.

Verùm credunt nonnulli, pœnam stupri *violenti* esse capitalem ex dispositione Justiniani in *Leg. unica*, *Cod. de Raptu Virginum*: asseruntque stuprum *violentum* sub *raptu* ex mente Justiniani contineri; quasi non tam ratio raptûs ponatur in eo, quòd virgo per violentiam abducta fuerit à *loco*, quàm quòd per vim oppressa fuerit.

Hinc raptum dicunt, quoties honesta mulier, aut virgo *vi* abducitur libidinis causa, aut per vim opprimitur. Damhauderus loco citato *cap.* 97. *num.* 2.

XLIII. Gratianus loco suprà allegato dicit raptum admit- „ ti, cum puella *violenter* à domo patris abducitur, ut cor- „ rupta in uxorem habeatur, sive *puellæ* solummodo, sive pa- „ rentibus tantùm, sive utrisque vis illata constiterit."

XLIV. Certum est non tantûm raptûs propriè dicti, qui fit per *violentam adbductionem* puellæ, sed stupri *violenti* per *oppressionem* puellæ, pœnam esse non tantùm simpliciter capitalem, sed & in modo esse graviorem ordinaria pœna capitali ex Tabulis legum Brabantiæ: ut scilicet ei, qui invitam virginem, aut fœminam stupravit, *assere* cervix amputetur. Verba sunt: *Wie dat vrouwen oft joffrouwen verchrat, men soude hem den hals a saghen met eender plancken.* » Hodie ferè ubi- „ que (ait Zypæus in Notit. Juris Belg. *de Adulteriis*, *& stu-* „ *pris*) gladio punitur, tam ipse reus, quam qui opem præ- „ tant, & conniventes parentes exilio." (p)

XLV. Quia crimen raptus non tantùm personas particulares lædit & offendit, sed & Reipublicæ admodum damnosum, & nocivum est; hinc est, quòd tametsi rapta contraxerit Matrimonium cum raptore, etiam consentientibus parentibus, omniaque raptori fuerint ex parte puellæ, & parentum condonata, propterea tamen actio criminalis non censetur extincta, potestque Fiscus adhuc adversus Matrimonio conjunctos, *capitaliter* agere; uti notat Damhauderus in *Praxi rerum crimin. cap.* 97.

Observat nihilominùs Zypæus in Notitia Juris Belgici *tit. de Raptu virginum*, *num.* 3. quòd pœna criminalis, nimirùm in quantum est *capitalis*, ferè per Matrimonium cesset; addens tamen *num.* 4. se vidisse fiscali actione pulsatos, ut raptûs reos, quamvis jam conjuges, & pecuniâ crimen abolitum: *atque hæc* (ait) *in gratiam*, *ut videbatur*, *Matrimonii.* (q)

XLVI. Monet quoque Antonius Faber in Codice *lib.* 9. *tit.* 7. *definit.* 4. quòd » & si benè concordantia matrimonia ne- » mo turbare debeat, ne publicus quidem accusator prætextu » adulterii, quod ab altero ex conjugibus, altero non conque- » rente, admissum esse dicatur, si tamen absente per multos » annos viro mulier corpore suo quæstum vulgò faciat, liberos- » que suspiciat, quos nemo non sciat, aut vulgo quæsitos esse, » aut ex certo adulterio susceptos, ad procuratoris Fiscalis of- » ficium pertinet, ut rem deferat, & crimen, quod publicè » scandalo sit, maloque exemplo, coërceri curet, sed ita de- » mum si præcedat diffamatio. Nam si vulgò ignoretur, quis » adulter sit, non est permittenda inquisitio, ut sciatur, quis » ille sit, tum puniatur. Id enim solo marito requirente, & ac- » cusante fieri potest." (r)

XLVII. Plura de raptu, prout constituit impedimentum Matrimonii, & quibus pœnis illum puniendum censuerit Synodus Tridentina, videri possunt *parte* 2. *tit.* 13. *cap.* 9.

XLVIII. Ulteriùs defloratio virginis, aut alius illicitus actus venereus specialem malitiam induit, si contingat inter personas conjunctas in gradu vetito consanguinitatis, aut affinitatis: soletque hic actus vocari incestus.

Hinc dicit Gratianus post *Canonem* 2. *Causa* 36. *q.* 1. » In- » cestus est consanguinearum, vel affinium abusus. Unde inces- » tuosi dicuntur, qui consanguineis, vel affinibus abutuntur."

De pœnitentia injungenda incestuosis agitur in *Can.* 17. *Caus.* 33. *q.* 2. ubi unà habetur incestum committi, » cum ea, » quam de sacro fonte Baptismatis susceperit, aut cum illa, quam » ante Episcopum tenuerit, cùm sacro Chrismate fuerit uncta."

Notandum tamen non omnem consanguinitatem, aut affinitatem causare incestum, sed eam duntaxat, quæ ponit impedimentum dirimens Matrimonium; sive inter eos, qui sunt consanguinei, vel affines in gradu vetito.

XLIX. In Canonibus pœnitentialibus Sancti Caroli de incestuosis habetur: » Qui cum duabus sororibus, vel cum no- » verca, vel cum sorore sua, vel cum amita, vel cum nuru, » vel quo denique incestum admiserit, ab ingressu Ecclesiæ » abstinebit annum unum: quo anno præter festos dies pane » solum & aquâ utetur, arma non feret, osculum nemini præ- » bebit, sacram communionem nisi pro viatico non sumet. Sex » deindè annis Ecclesiam ingredetur, sed carne & vino, & si- » cera non utetur, nisi festis diebus. Posteà verò duobus annis » quando carne vescetur, à potu vini abstinebit: quod si bi- » berit, carne non vescetur, nisi Dominicis diebus, & præ- » cipuis festis; deinde usque ad obitum perpetuò præter fes- » tos dies à carne abstinebit. Tres legitimas ferias singulis heb- » domadis jejunabit, & quadragesimas tres singulis annis legi- » timè custodiet. «

Deindè addit *Canone sequenti*: » Qui incestum fecerit, ei » alii annorum 12. alii 15. alii 10. alii 7. pœnitentiam cons- » tituunt."

L. Observat Damhauderus *loco citato*, *num.* 96. » Quisquis » hoc incestu se contaminat, is *capitaliter* puniendus est." (s) Ve-

(o) *In Hispania Tutor stuprans sibi commissam pupillam in pœnam exilii bonorumque amissionem Regiæ Cameræ applicandorum*, *incurrit*, *ut ait L.* 6. *tit.* 17. *Partita* 7.

(p) *Hic repetenda sunt, quæ ante sunt dicta num.* 5. *cap.* 4. *tit.* 4. *hujus Partis* 3. *quibus etiam addi potest L.* 5. *tit.* 15. *lib.* 8. *Ordinament.*

(q) *In Hispania eandem doctrinam edocet L.* 22. *tit.* 1. *Partita* 7.

(r) *Hæc doctrina conformis est ei*, *quæ in Hispania servatur ex L.* 2. *tit.* 19. *lib.* 8. *Recopil. per verba*: Salvo si su marido l a quisiere acusar *& leg.* 2. *tit.* 17. *Partita* 7. » Non la » puede ninguno acusar si non su marido, &c. « *cum leg.* 3. *tit.* 7. *lib.* 4. *Fori Leg. attamen notandum est, quòd in casu accusationis Mariti debere ea fieri de amborum crimine*, *non unius tantùm*, *ut præscribitur in leg.* 2. *tit.* 20. *lib.* 8. *Recopil.*

(s) *Huic doctrinæ conforme est quod dicitur in leg.* 3. *titul.* 20. *Partita* 7. Debe morir por ende..... esa deben haber los que le ayudaron á sabiendas á robarla, ó á esforzarla, pero esto se entiende quando la violenta abduccion ú opresion fue con muger viuda de buena fama, ó virgen, ó casada, ó Religiosa, y los bienes se aplican á la robada ó forzada; si voluntariamente se casa con el que la robó ó forzó, deben ser del Pa-

Verùm sicuti non ejusdem malitiæ est omnis incestus, ipsaque malitia incestus augetur, vel diminuitur pro ratione gradus propinquioris, vel remotioris, quo personæ incestuosæ se consanguinitate, aut affinitate contingunt; ita indubiè & pœna augenda, vel minuenda erit, ut & ipse Damhauderus observat *num.* 4. Latiùs Antonius Faber *Lib.* 5. *Cod. tit.* 3. per varias definitiones.

LI. Concordata Brabantiæ *tit.* 9. *cap.* 24. dicitur: »De »crimine incontinentiæ cum Moniali, affini, consanguinea, cog»noscet uterque Judex, seclusâ aliâ qualitate delicti, vis, rap»tus, vel simili; quia tunc solus secularis judex cognoscit.«

Hæc evincunt, crimen incestus esse crimen *mixti* fori; sed propter concurrens crimen raptûs, aut oppressionis, sive violentiæ, reddi merè seculare; eo quòd tunc fiat crimen *capitale*, qualia crimina solent spectare ad cognitionem & punitionem judicis secularis.

LII. Crimen concubinatus juxta hæc Concordata similiter *mixti* fori esse, saltem quando concunbinatus est notorius, indicat *art.* 22. ubi dicitur: »De crimine concubinatus noto»rii *præventioni* erit locus.«

LIII. Ex his quoque verbis patet, concubinatum hîc habitum pro *crimine*.

Et sanè quamvis Jure Civili majoris mali evitandi causâ *concubinatus* aliquando toleratus, sive non punitus fuerit, quatenus unica cum unico adinstar uxoris citra Matrimonii vinculum cohabitaret, & carnaliter conversaretur, tamen is semper à sacris Canonibus fuit reprobatus, & à SS. Patribus pro gravi crimine habitus fuit.

LIV. Imò jam pridem leges concubinatum permittentes à Leone, qui vulgò *Sapiens* dicitur, rejectæ sunt *Constitut.* 91. cujus hic titulus: *Ut concubinam habere non liceat.* (t)

Imprimis in hac Constitutione dicit Leo, quòd »ea lex, »quæ probrosè cum *concubinis* immisceri non erubescentibus id »permittendum judicavit, honestatem susquedeque habuerit. »Ne ergo (ait) hoc Legislatoris erratum dedecore nostram Rem»publicam afficere sinamus. Itaque lex illa in æternum sileto.« Rationem deindè subjicit: »Ab illa enim non modò Religionis, »verum etiam naturæ injuriâ secundum Divina, Christianisque »convenientia præcepta prohibemur. Et quidem si cum fon»tem habeas, sobriè inde haurire Divino præcepto moneare; »quâ ratione, cùm puras aquas haurire liceat, lutum tu mavis? »Tum tametsi fontem non habeas, rebus tamen vetitis uti non »potes. Cæterùm vitæ consortem invenire difficile non est.«

LV. Evidenter hîc supponit Imperator, concubinatum illum, quem lex civilis non puniebat, sive tolerabat esse vetitum *jure Divino*; quod & Canonistæ, & Theologi uno consensu docent, ipseque sacer Textus non uno in loco expressit, utpotè omnem carnalem concubitum extra Matrimonium reprobans, ut infrà paucis ostendetur.

LVI. Concubinatum manifestè tanquam reprobatum concubitum describit S. Augustinus *lib.* 50. Homiliarum, *homil.* 49. ubi ita scribit: »Sufficiant vobis, aut uxores, aut nec uxores: »concubinas vobis habere non licet. Audiat Deus, si vos sur»di estis: audiant Angeli ejus, si vos contemnitis: concubinas »vobis habere non licet: si audiant Competentes, quod dico »Fidelibus, non habetis uxores, non licet vobis habere concubi»nas quas posteà ducatis uxores: quanto magis damnatio vobis »erit, si habere volueritis & concubinas, & uxores dimittatis?

Locum S. Augustini retulit Gratianus *dist.* 34. *Can.* 6. sed mutilatè, uti ibidem notârunt Correctores Romani. Et *Caus.* 32. *quæst.* 2. *Can.* 5. refert ex eodem sancto Doctore, libro *de Bono conjugali*, *cap.* 14. „Concubinæ ad tempus adhibitæ, „nec etiam si causa filiorum concumbant, justum faciunt con„cubinatum suum.“ Plura tum ex ipso Augustino, tum aliis Sanctis Patribus profert Ferdinandus Mendoza *lib.* 2. *de Confirmat. Concil. Eliberit. cap.* 8. quibus ostenditur, concubinatum semper fuisse reprobatum.

LVII. Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 8. *de Reformat. Matrimonii*, declarat, non tantùm esse peccatum, sed *grave* peccatum, homines solutos habere concubinas; statuitque: „Hujusmodi concubinarios, cujuscunque status, dignitatis, & „conditionis existant, si postquam ab Ordinario, etiam ex „officio, ter admoniti ea de re fuerint, concubinas non eje„cerint, seque ab earum consuetudine non sejunxerint, ex„communicatione feriendos esse, à qua non absolvantur, do„nec reipsa admonitioni factæ paruerint. Quòd si in concubi„natu per annum, censuris neglectis, permanserint, con„tra eos ab Ordinario severè pro qualitate criminis procedatur. Mulieres, sive conjugatæ, sive solutæ, quæ cum adulteris, seu concubinariis publicè vivunt, si ter admonitæ non „paruerint, ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, „ex officio graviter pro modo culpæ puniantur, & extra op„pidum, vel diœcesim, si id eisdem Ordinariis videbitur, in„vocato, si opus fuerit, brachio seculari, ejiciantur, aliis „pœnis contra adulteros, & concubinarios inflictis, in suo „robore permanentibus.“

Ex his evincitur, simplicem concubinatum ab Ecclesia semper reputatum fuisse illicitum, graveque peccatum, quantumvis Legibus Imperialibus non semper fuerit punitus.

LVIII. Observat Correctores Romani ad *Can.* 4. *dist.* 32. apud Gratianum, olim aliquando dictas fuisse *concubinas* mulieres, quæ veræ essent *uxores*, atque reverà maritali affectu habebantur; quia tamen in earum conjunctione non intervenerant dotalia instrumenta, aliaque ad solemnem ritum nuptiarum ex Legum præscripto requisita, non appellabantur uxores, neque gaudebant Juribus, quæ uxoribus juxta solemnem Legum ritum acceptis deferebantur; creduntque hi Correctores de similibus concubinis quosdam antiquos Canones in Decreto Gratiani occurrentes debere intelligi.

LIX. Insinuavit idipsum non obscurè ipse Gratianus, præcitato Canone 4. præmitens hæc verba: „Concubina autem hîc »ea intelligitur, quæ *cessantibus legalibus instrumentis* unita »est, & *conjugali affectu* adsciscitur, hanc *conjugem* facit af»fectus, concubinam verò lex nominat.“

LX. Refert quoque Gratianus citatâ *dist.* 34. Canonem de Concubina sub nomine Isidori, De distantia novi & veteris Testamenti: sed, uti rectè advertit Jacobus Du Breul Monachus Sancti Germani à Pratis, qui Opera S. Isidori revidit & excudi »jussit, *Lib.* 1. *Sent. cap.* 22. argumentum est de differentia »Testamentorum, non inde tamen desumptus videri potest hic »Canon, ut neque ex differentiarum *lib.* 1. *diff.* 28.«

LXI. Et licèt Isidorus posteriore loco nonnullas assignet differentias inter utrumque Testamentum, nihil tamen de concubinis dicit; quamvis negari nequeat, in veteri Testamento subindè vocari *concubinas* eas mulieres, quæ erant veræ, & propriè dictæ uxores, sed minus solemniter ductæ; ita legitur *Genesis* 25. 1. quod Abraham duxerit *uxorem* nomine *Ceturam*, quæ eodem capite vocatur *concubina*. Et Judicum *cap.* 19. *v.* 1. dicitur: *Fuit quidam vir Levites habitans in latere Montis Ephrain, qui accepit* UXOREM *de Bethlehem Juda.* Quæ hîc & *vers.* 9. appellantur *uxor*, & revera hujus Levitis uxor erat, vocatur *v.* 10. ejus *concubina*. Indicium evidens, aliquas uxores tum etiam dictas fuisse concubinas.

LXII. A concubina distat illa, quæ vulgò *meretrix* dicitur, quòd hæc pluribus se prostituat, & quasi quæstum ex concubitu quærat; (u) ista verò uno tantùm utatur. *Meretrix, quæ multorum libidini patet*, ait *Can.* 16. *Dist.* 34. Et ex Augustino *Can.* 11. *Caus.* 32. *quæst.* 4. »Meretrices esse, & ad meretri»ces accedere prohibet Dominus, quarum publicè *venialis* est »turpitudo.“

LXIII. Cum meretrice si laicus solutus peccet, simplex fornicatio dicitur, quæ licet hodie pro sat levi peccato vulgò reputetur, nihilominus certum est fornicationis peccatum esse grave, atque ab Apostolo numerari inter ea, quæ à Regno Dei excludunt, ad Ephesios *cap.* 5. dicente: *Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus.... non habet hæreditatem in Regno Christi, & Dei.*

Ulteriùs Apostolus gravitatem fornicationis astruit 1. *ad Corinth.* 6. tribus præcipuè argumentis.

Primum exprimit his verbis, vers. 15: *Nescitis quoniam corpora vestra membra sunt Christi? Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis?* Absit. *Hoc enim est* (ait S. Thomas in hunc locum) HORRENDUM *sacrilegium.*

Secundum argumentum desumit Apostolus ab ingenti libidine, quâ peccatum hoc præ cæteris committitur, expressum his verbis, vers. 18: *Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur, in corpus suum peccat.*

Tertium contentum his verbis, vers. 19: *An nescitis quoniam membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo?* Quibus verbis enormitas fornicationis ostenditur ex eo, quòd fornicari sit contaminare, & profanare Templum Spiritus Sancti; idque cum insigni ingratitudine in Deum; eò quòd per fornicationem expellatur Spiritus Sanctus, qui tantâ misericordia à Deo datus est.

LXIV. Sanctus Augustinus *Serm.* 162. in ultim. edit. reflectens ad verba Apostoli pro secundo argumento superiùs allata, ait: »Videtur B. Apostolus exagerare voluisse fornicationis ma»lum SUPER CÆTERA OMNIA PECCATA; quæ etsi per corpus com-

Padre é de la Madre de la forzada, si no hubiesen consentido en la fuerza, ni en el casamiento; pero si consintieren son para la Camara, y si fuese Monja los bienes para el Convento. *Hodie tamen per leg.* 7. *tit.* 20. *lib.* 8. *Recop. quolibet in casu dimidia pars bonorum raptoris Regiæ Cameræ applicari debet. Si tamen stuprum violenter extra oppidum commissum sit,*

sagittæ pœna punire debere ait L. 2. *cum* 7. *tit.* 13. *lib.* 8. *Recopilat.*

(t) *In comprobationem hujus doctrinæ quoad Hispaniæ Regna legatur totus Titulus* 19. *lib* 8. *Recop.*

(u) *Publicæ Meretricium domus in Hispania nullatenùs permittuntur, L.* 8. *tit.* 19. *lib.* 8. *Recopil.*

» committantur, non tamen animum humanum concupiscentiæ » carnali ita efficiunt obstrictum, & obnoxium.... ut.... solo hoc » tantummodò fornicationis malo in corpus proprium peccari di- » xerit, quia MAJORIS LIBIDINIS ARDORE QUO SUPERIOR NUL- » LUS EST, voluptas ipsius corporis tenet servum, efficitque cap- » tivum, &c."

LXV. Similiter S. Chrysostomus ad ea verba Apostoli: *Tollens ergo membra Christi, faciam membra meretricis? Absit.* » Nihil est (ait) hac distinctione terribilius." Et rursus ad hæc: *Qui fornicatur, in corpus suum peccat.* „In fornicatione (ait) » totum corpus sit sceleratum, & scelerandum. Tanquam enim » incidens in lebetem immunditiæ, sordibusque, & inquinamento » tinctum, sic polluetur." *Homil.* 18. *in Epist.* 1. *ad Corinth. c.* 6.

Audiamus & Commentatorem in Epistolas Pauli apud Ambrosium ad hæc verba: *Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus est.* » Quia (inquit) cætera peccata, etsi per » corpus generantur, non tamen animam ita carnali concupis- » centia faciunt abstrictam, & obnoxiam, quemadmodum » commisceri facit animam cum ipso corpore usus libidinis, » agens in opere carnalis fornicationis; quia in tantum agglutinatur anima corpori, ut ipso momento nihil aliud cogitare » homini liceat, aut intendere; quia ipsam mentem captivam » subdit ipsa submersio & absortio libidinis & concupiscentiæ » carnalis." Unde subditur: „Qui autem fornicatur, in corpus » suum peccat. Ostendit GRAVISSIMUM esse peccatum, quia ex » hoc omne deperit corpus, in cæteris autem peccatis portio » perit, non totum."

Ante hos omnes S. Cyprianus *Epist.* 52. fornicationis gravitatem adstruxit, ipsamque fornicatoris causam pejorem esse quàm libellatici asseruit: „Si se cordis, & renis scrutatorem » constituat & judicem, per omnia æqualiter judicet, & fraudato- » res, & mœchos à latere suo, atque à comitatu suo separaret: » QUANDO MULTO GRAVIOR, ET PEJOR EST MŒCHI QUAM LI- » BELLATICI CAUSA: cùm hic necessitate, ille voluntate pecca- » verit: hic existimans sibi satis esse, quòd non sacrificaverit, » errore deceptus sit; ille Matrimonii expugnator alieni, vel » lupunar ingressus.... sanctificatum corpus, & Dei templum » DETESTABILI COLLUSIONE violaverit."

LXVI. Enormitas fornicationis etiam ex pœnitentia ei per Canones Pœnitentiales olim imposita elucet. Inter Canones S. Basilii occurrit Canon 59. quo decernitur: „Fornicator septem » annis sanctis non communicavit, duobus deflens, & duodus au- » diens, & duabus substratus, & in uno consistens: octavo autem » ad communionem admittetur."

Inter Canones à S. Carolo ex Pœnitentiali Romano, aliisque libris mediæ ætatis, cùm jam disciplina pœnitentialis nonnihil flaccescere cœperat, collectos habetur: „Si laicus solutus cum fœ- » mina soluta concubuerit, pœnitens erit annos tres; & quantò » sæpiùs, tantò majori pœnitentiâ afficietur.

LXVII. Tametsi non omnia crimina carnis sint fori Ecclesiastici, neque juxta hodiernam disciplinam laici propter quæcunque carnis peccata coram illo tribunali accusari & puniri soleant, tamen Episcoporum & Pastorum est allaborare, ut peccata hæc, eorumque occasiones, & incitamenta eliminentur, meretrices & lupanaria è suis Diœcesibus, & Parochiis, quantum possibile est, eliminando: libros, cantilenas, statuas, imaginesque, ac similia veneris incitamenta proscribendo: patres & matres-familias, necnon magistros & magistras, qui hujusmodi libros obscœnos vel in familia, vel domi legi, aut imagines sive statuas exponi permittunt, haud facile ad reconciliationis beneficium admittendo, quandiu hæc in familiis, aut domibus suis permittunt. De conventiculis personarum utriusque sexûs, quæ solent esse impudicitiæ prostibula, multis actum est *part.* 2. *tit.* 17. *cap.* 6.

Sanè vel ipsæ Leges Romanæ ipsos Christianos, & præsertim Episcopos, & Pastores excitare deberent, ut quantum in ipsis est, amoveatur è publico quidquid castitatem offendere posset. Hæ enim Leges adeò castæ fuerunt, ut ne *nudum* quidem *militem* in flumine lavari permittant in conspectu exercitûs. *L.* 12. *Cod. de Re Militari, lib.* 12. » Ne deproperans publicos occu- » los *nudatus* incestet, sed procul à cunctorum obtutibus in in- » ferioribus partibus fluviorum hoc ipsum faciat."

Adhæc verba reflectens Dionysius Gothofredus in notis ait: » Quod summo sanè pudore factum, quodque hodie probro est, » in militibus etiam *nudata* corpora non tulisse, qui summâ in- » verecundiâ nudos omnimodò in publicis fluviis lavari æstate si- » nimus, & spectamus."

Eandem Legem referens Zypæus *in Notitia Juris Belgici tit. ad Leg. Jul. de Adult. num.* 5. ait: „Quod & castarum » Civitatum Edictis sæpiùs proclamatur, sed non usquequaque » servatur: " negligentia nimirum Magistratuum, & Superiorum; qui utinam seriò attenderent peccata ex publica illa membrorum nudiate provenientia; & quomodo suâ in exequendis Edictis negligentia eorum efficiantur participes.

LXVIII. Si per peccatum carnis violetur persona Deo specialiter consecrata sive dicata, tunc peccatum hoc habet rationem *sacrilegii*, in quantum est violatio rei sacræ; id est, rei Deo specialiter consecratæ aut dicatæ.

Hoc titulo fornicatio, adulterium, aliudve peccatum carnis commissum à persona voto castitatis obstricta, & Deo consecrata, præter rationem fornicationis, adulterii, alteriusve peccati carnis, habet insuper rationem sacrilegii; novamque ac distinctam malitiam peccato carnis addit.

Hinc fornicatio cum Moniali voto castitatis adstricta, de jure Civili etiam pœnâ mortis punitur; quod & Statutis Ducatus Mediolanensis expressum est; & disponunt communiter Statuta per Italiam, teste Julio Claro *lib.* 5. *Recept. Sent.* §. FORNICATIO, *num.* 17.

In Concordatis Brabantiæ *tit.* 9. *art.* 24. dicitur: „De cri- » mine incontinentiæ cum Moniali.... cognoscet uterque judex, » seclusâ aliâ qualitate delicti, vis, raptûs, vel simili, quia tunc » solus Secularis judex cognoscet."

LXIX. Porrò quò major sanctitas requiritur in persona aliqua, eò quoque enormior est violatio, quâ sanctitati personæ detrahitur; ipsaque persona speciali ratione sanctificata, & Deo consecrata profanatur. Hinc præ cæteris peccatis sacrilegii enormius est peccatum carnis, quo ipsa Sacerdotum sanctitas violatur, & membra specialiter Deo consecrata fiunt membra meretricis.

Quare multis seculis sanctissimè servatum fuit, ut si quis Sacro Ordine initiatus peccato carnis se polluisset, atque membra Deo sacrata profanasset, in perpetuum ab omni Ecclesiæ ministerio deponeretur, ut nec post actam pœnitentiam restitueretur uti notatum fuit *part.* 2. *tit.* 10. *cap.* 6. & latiùs probatum in Dissertatione *de Canonicis, part.* 2. *cap.* 2.

* Quibus pœnis in foro externo hodie subjaceant, & puniendi sint Clerici, qui mulieres, de quibus possit haberi suspicio, in domo vel extra detinent, aut cum iis ullam consuetudinem habere audent, petendum ex Concilio Tridentino *Sess.* 25. *c.* 14. *de Reform.* ubi modus procedendi contra Clericos de hoc crimine suspectus, eosque puniendi præscribitur, adhibitâ distinctione inter Clericos Beneficiatos, & non Beneficiatos.

Satis constat ex modo procedendi adversus Clericos Beneficiatos juxta præscriptum Concilii Tridentini, Concilium non omnem Canonum rigorem suo Decreto expressisse; quemadmodum post Martinum Navarrum notavit Zerola in Praxi Episc. verbo *Concubinarii.* Unde non sine fundamento creditur hoc Decretum unum esse ex his, quæ temporum miseria & duritia à Patribus extorsit.

Insuper & hoc notandum, Decretum illud quoad priorem suam partem, non procedere quando Clerici fornicatio adjunctam habet aliquam specialem circunstantiam aggravantem; puta in Sacerdote cognoscente suam filiam spiritualem; vel eam, quæ ptopter Sacramentum Pœnitentiæ effecta fuit sibi filia spiritualis; vel Parochianam suam; sed his casibus *deponi* potest, uti notavit Zypæus in Jure Novo *de Cohabitat. Cleric. & mulier. num.* 10. aditque: Idem in Religiosis fornicantibus.

CAPUT V.

De Blasphemia, perjurio, et aliis nonnullis delictis Ecclesiasticis.

1 *Quid Blasphemia.*
2 *Maledicta in Sanctos, & res sanctas etiam Blasphemiæ nomine veniunt.*
3 *Omne convicium in Deum dicitur Blasphemia.*
4 *Constitutio Gregorii IX. in Blasphemos contra Deum, & Sanctos.*
5 *Pœna Blasphemiæ ex Capitularibus Regum Francorum.*
6 *Criminis hujus attrocitatem ostendit sacer textus.*
7 *Pœna Blasphemiæ ex constitutione Justiniani ultimum supplicium.*
8 *Eadem pœna renovata in Capitularibus Regum Francorum.*
9 *Crimen hoc dicitur mitius puniri ob defectum Religionis, & justitiæ.*
10 *Réprobatur consuetudo Blasphemos mitiùs puniendi.*
11 *Qua pœna in Hispania puniantur Blasphemi.*
12 *Quomodo contra Blasphemos procedatur in Gallia.*
13 *Edicta Principum nostrorum contra Blasphemos.*
14 *Decretum Concilii Cameracensis contra Blasphemiam.*
15 *Nulla consuetudo, aut multorum usus excusat Blasphemiam.*
16 *De Jure communi Crimen hoc videtur esse mixti fori.*
17 *In Gallia habetur pro crimine fori secularis.*
18 *Quid de crimine Blasphemiæ habeant Concordata Brabantiæ.*
19 *Quid eadem Concordata habeant de crimine irreverentiæ in imagines Sanctorum.*
20 *Juramenta in communi sermone usitata speciem habent Blasphemiæ; & quid de his habeant Concordata Brabantiæ.*
21 *Crimen perjurii habetur pro crimine mixti fori.*

Con-

22 *Consuetudo jurandi valdè improbata à Sanctis Patribus.*
23 *Ut evitetur frequentia juramentorum vetitum contractibus ingeri juramentum.*
24 *Contra pravam jurandi consuetudinem merito procederetur sicuti contra Blasphemiam.*
25 *Ex Canonibus Pœnitentialibus probatur enormitas perjurii.*
26 *Pœna perjurii in foro externo hodie ferè est arbitraria.*
27 *Crimen falsi de jure communi dicitur mixti fori.*
28 *In Gallia Clerici committentes crimen falsi coram judice laico ab eodem puniuntur.*
29 *Quid hic habeant Concordata Brabantiæ.*
30 *Quid eadem Concordata habeant de laico delinquente in officio suo coram Judice Ecclesiastico.*
31 *Violatio festorum refertur inter crimina Ecclesiastica in dictis Concordatis.*
32 *Quis cognoscat de turbatione Officii Divini.*
33 *De percussione Clerici quis Judex de jure cognoscat.*
34 *Quis hujus criminis Judex juxta Concordata Brabantiæ.*
35 *Quis sit Judex competens quando delictum est commissum in loco Sacro.*
36 *Cujus fori sit crimen usurarium de jure communi.*
37 *Quid hac de re habeant Concordata Brabantiæ.*
38 *Senatus Brabantiæ cognoscit, an contractus sit usurarius, vel non.*

I. BLasphemia, ut hodie ferè accipitur, est maledictum in Deum: cùm nimirum vel verbis, vel factis injuriosis profertur quidquam Deo injuriosum, derogans ejus perfectioni. Unde S. Thomas 2. 2. *quæst.* 13. *art.* 1. *in Corp.* respondet: »quod nomen blasphemiæ importare videatur quan»dam derogationem alicujus excellentis bonitatis, præcipuè »Divinæ.«

Et in responsione ad primum dicit; »quòd ille, qui con»tra Deum loquitur, convitium inferre intendens, deroget »Divinæ bonitati, non secundum feritatem intellectûs, sed »etiam secundum pravitatem voluntatis detestantis, & impe»dientis pro posse Divinum honorem; quod est Blasphemia »perfecta.

II. Non tantùm maledicta immediatè, & directè in Deum, sed in Sanctos ejus conjecta, nomine Blasphemiæ veniunt; tametsi & hæc remotè in Deum redundet, ac eatenus in Deum etiam Blasphemia vocari queat. Quia, uti respondet S. Thomas citato articulo *ad* 2. »Sicut Deus in Sanctis suis laudatur, »in quantum laudantur opera, quæ in Sanctis suis efficit, ita »Blasphemia, quæ fit in Sanctos, ex consequenti in Deum re»dundat.«

Quod de Blasphemia in Sanctos asserit hîc Doctor Angelicus, ad ipsum & de Blasphemia in res sacras, puta Sacramenta, dicendum est.

III. Unde ex communi Doctorum sententia asserit Julius Clarus *lib.* 5. *Sentent.* §. BLASPHEMIA: »Omne convitium, »contumelia, vel maledictum prolatum in Deum est Blas»phemia.«

IV. De Blasphemia contra Deum, & Sanctos, & maximè beatam Virginem extat Constitutio Gregorii IX. in *Cap.* 2. ℟ *de Maledicis*, qua statuitur, »ut si quis contra Deum vel »aliquem Sanctorum suorum, & maximè beatam Virginem, »linguam in blasphemiam publicè relaxare præsumpserit, per »Episcopum suum pœnæ subdatur inferiùs adnotatæ; vide»licet, quòd in septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiæ »in manifesto (dum aguntur Missarum solemnia) blasphemus »existens, ultimo illorum die Dominico pallium, & calcea»menta non habeat, ligatus corrigia circa collum, septemque »præcedentibus sextis feriis in pane & aqua jejunet, Ecclesiam »nullatenus ingressurus. Quolibet quoque prædictorum dierum »tres si poterit, alioquin duos reficiat pauperes, sive unum. »Et si nec ad hoc ejus suppetant facultates, id in pœnam aliam »commutetur, cui etiam si renuerit recipere, ac peragere »pœnitentiam supradictam, Ecclesiæ interdicatur ingressus, »& in obitu Ecclesiasticâ careat sepulturâ. Per temporalem »præterea potestatem coactione (si necesse fuerit) Episcopi »Diœcesani adhibita contra eum, Blasphemus si dives fuerit, »quadraginta solidorum, alioquin triginta, sive viginti: & »si ad id non sufficiat, quinque solidorum usualis monetæ pœ»na mulctetur, nullam in hoc misericordiam habiturus; quod »etiam inter alia communitatum statuta ponatur.«

V. Legitur *lib.* 6. *Capitular. Regum Franciæ*, *cap.* 101. »Si quis quolibet modo blasphemiam in Deum jactaverit, ab »Episcopo vel Comite pagi ipsius carceri usque ad satisfactio»nem tradatur, & publica pœnitentia mulctetur, donec pre»cibus proprii Episcopi publicè reconcilietur, Ecclesiæque »gremio canonicè reddatur.«

VI. Crimen hoc semper in atrocissima crimina computatum fuit. Quid enim atrocius quàm Deo convitiari? Hoc autem facit blasphemia; & nihil ea esse horribilius passim asserunt SS. Patres. Atrocitatem blasphemiæ ostendit Deus, dum interrogatus à Moyse quid statuendum esset de viro Israëlita, qui blasphemaverat nomen Domini, & maledixisset ei, respondit: *Educ Blasphemum extra castra, & ponant omnes qui audierunt, manus suas super caput ejus, & lapidet eum populus universus. Et ad Filios Israël loqueris: Homo, qui maledixerit Deo suo, portabit peccatum suum, & qui blasphemaverit nomen Domini, morte moriatur. Levit. cap.* 24. *v.* 14. 15. & 16.

VII. Conformiter ad hanc legem Justinianus Imperator in *Novella* 77. blasphemos ultimo supplicio afficiendos sancivit: »Si enim (ait) contra homines factæ blasphemiæ impunitæ non »relinquuntur; multo magis qui ipsum Deum blasphemant, »digni sunt supplicia sustinere... Propter talia enim delicta, & »fames, & terræ motus, & pestilentiæ sunt.«

Deinde mandat Præfecto Provinciæ, »permanentes in his»ce illicitis & impiis actibus post hanc admonitionem nostram »comprehendere, & *ultimis subdere suppliciis*, ut non ex »contemptu talium inveniatur & civitas, & respublica per »hos impios actus lædi.«

VIII. Additione 3. ad Capitularia Regum Francorum *cap.* 84. contra blasphemos legitur: »Si quis quolibet modo »blasphemiam in Deum jactaverit, à præfecto Urbis ultimo »supplicio subjiciatur. Qui verò talem cognoscens non mani»festaverit, similiter coerceatur. Si præfectus Urbis hæc puni»re neglexerit, post Dei judicium nostram indignationem in»currat.

IX. Verùm, uti notat relatis aliis auctoribus Julius Clarus loco citato, »Hæc pœna *capitalis* licèt divina, & humana le»ge constituta fuerit, hodiernis tamen temporibus ob *defec»tum* religionis & justitiæ non servatur.«

X. Deinde postquam ex Lazio retulit, quòd „hæc pœna „de consuetudine non servetur, nisi esset magna & enormis „blasphemia, quæ ex deliberato, maligno, & doloso propo„sito, & execrabili ore ad perniciosum exemplum Dei, & ho„minum proferatur,“ subjungit: „Sed certè hæc est pes„sima consuetudo, & judicio meo graviter peccant Principes „Christiani & eorum Magistratus, qui hoc crimen severissimè „non puniunt. Et in hoc Respublica Christiana magna indiget „informatione.“

XI. Refert Covarrubias ad *Cap.* QUAMVIS *de pactis*, *in* 6. *part.* 2. §. 7. *num.* 22. quòd ex Constitutionibus Regiis in Hispania Blasphemi variè puniantur, præsertim jure *Partitarum*, quod *septima Partit. tit.* 28. continetur. „Quo in loco (ait) „Alphonsus Rex diligentissimè pœnas adversus Blasphemos „distinxit, & statuit: præsertim quod plebejus pro prima „blasphemia verberetur: pro secunda notetur in labiis ferro „candenti signo crucis: pro tertia lingua mutilis fiat, eique „abscindatur.“

Verùm Emmanuel Gonzalez in Commentario ad *Cap.* 2. ℟ *de Maledicis* asserit, quòd „Jure Regio Novissimo in *L.* 5. „6. & 7. *tit.* 4. *lib.* 8. *Recopil.* pro prima blasphemia detine„tur reus per mensem in carcere cum compedibus; pro se„cunda in exilium mittitur per sex menses, mulctaturque mil„le marapetinis (x); pro tertia verò lingua figitur clavo: quæ „ultima pœna consuetudine non est recepta, sed ejus loco „flagellatur, & lingua premitur ligno, id est *mordaza*. Tan„dem ex lege finali *tit.* 4. *lib.* 8. *Recop.* ad triremes damnan„tur Blasphemi: quas pœnas si non exequatur Judex, eis pu„niendus est.“

XII. Varias pœnas diversis temporibus in Blasphemos in Gallia auctoritate Regiâ Decretas fuisse ostenditur *tom.* 2. *part.* 1. *cap.* 21. *Actorum Cleri Gallicani*; & nonnullæ ordinationes pœnales contra Blasphemos referuntur in appendice ad Paponium *lib.* 1. *Arrest. tit.* 2. atque inter cæteras *num.* 2. Ordinatio Curiæ Regiæ interdicens „Omnibus cujuscunque „status, qualitatis, conditionis, ne pejerare, detestari, in„frendere, blasphemare: neque alia juramenta fœda, & de„testanda proferre velint adversus Dei, sacrosanctæ ipsius „Matris, omniumque Sanctorum, & Sanctarum Paradisi hono„rem: proposita pœna pro prima vice mulctæ pecuniariæ arbitrio „Judicis, cujus pars tertia prædicto D. Regi, altera ad sartæ „tectæ Ecclesiæ, tertia denuntiatori, & accusatori addicenda; „pro secunda verò, tertia, & quarta vice sub pœna ferrei „collaris publico loco in collum injectionis, idque ut ibidem „ab hora 8. matutina ad primam usque promeridianam consis„tant, sic rursum ut contumeliis, & probris omnium expo„siti sint; ac præterea mulcta arbitraria afficiantur: pro sexta „vice verò catomidiabuntur (y) atque inibi ferro candente su„perius labium eis amburetur, usquequo dentes promineant: pro „septima vice pariter catomidiandi, atque in inibi verberandi »de-

(x) *Marepetini, vel Marabatini, Maravedini, &c. efficiunt monetam, quæ Idiomate Hispano vocatur* Maravedi.

(y) *Catomidiabantur, id est, in cervicibus cæduntur.*

„ deducentur, quin & inferius labium his ferro candente ambu-
„ rendum: & si casus tulerit, ut rursus prædicta juramenta, &
„ delicta admittant, linguam eis penitùs amputandam."

Hæc ordinatio rursus renovata fuit ann. 1599. sub iisdem pœnis; addita clausula: *Quinimo &* VITÆ, *si rei qualitas* exposcat.

Clausula hæc sat ostendit, pœnas in blasphemos non ita esse determinatas, quin pro gravitate, aut levitate blasphemiæ augeri, aut mitigari queant; quod ex Arrestis notatis à Paponio loco citato, & relatis in Actis Cleri Gallicani patescit: quibus imposita fuit varia pœna, etiam subinde *mortis*, pro diversitate blasphemiæ, quæ desumitur vel ex verbis blasphemiæ, vel persona blasphemante, vel etiam modo blasphemandi, aliisque circumstantiis. Vide etiam Renatum Choppinum de *S. Polit. lib.* 2. *tit.* 2. *num.* 11.

XIII. Plura sunt Edicta Principum nostrorum contra blasphemos, quæ recitat Zypæus in Notitia Juris Belgici *tit. de blasphemis*; & quidem novissimo de 7. Octob. 1431. *art.* 43. decernitur, ut Blasphemi rigidè puniantur per carcerem menstruum in pane & aqua; gravius qui Deum, ejusve Matrem, aut Sanctos abjurant animo improbo, præter carcerem lingua transcindatur sine ulla dissimulatione; & qui alia verba probrosa & vilipendentia protulerint pœnâ arbitraria, idque sine conniventia, alioquin Judices statûs sui periculum patiantur. Verba Edicti sunt: *Om te remedieren teghens de Blasphemateurs hebben wi eenenygelicken verboden ende verbieden te blasphemeren Godt almachtig, die Maghet Maria, haeren Helegem oft haeren naeme: op de peyne de ghene die Godt zynder Moeder, haeren name, oft haeren Heleghen looghenen, afgaen, ende versmaden, zauden gheapprehendeert ende in stricte ghevanghenesse gheauden wesen, te watere ende te broode den tydt van eender maend. Ende de ghene die Godt ofte zynder Moeder, ofte de Heleghen looghenen, afgaen ofte versmaden zauden, met eenen quaden ende fellen moede ende herten, boven het vooschreven ghevanghenesse sullen op een schavot die tonghe openbaerlicken doorstecken hebben, zonder gratie respyt ofte verdragh. Ende de ghene die andere vileyne ende quade eeden doen ende sweeren zullen, in haeren persoon arbitralicken ghecorrigiert te wordene ter discretien van den Rechteren, under den welcken t' selve ghebueren, ende de kennese daer af hebben zaude. Ende en sullen de worschreven Rechteren niet moghen dissimuleren noch oytstellenden, die punitie vanden Blasphemeghen oft vanden, ghenen die vileyne oft quade eedem inder manieren voorn doen sullen, nae dat t' selve tot haer l' kennesse ghekomen sal wesen op de peine van haeren state ende officien ghepriveert te wesen nochte tot den selven nemmern meer gheherestitueert te wordene, nochte ooc andere tea moghen vercryghen hauden ofte bedienen.* Id est: » Ut adversus blasphemos provideatur, qui-
» busvis prohibuimus, & prohibemus, ne sacrilegis dictis
» Deum O. M. Virginem Deiparam, Cœlites, aut eorum no-
» mina violent, denuntiata in eos pœnâ, qui, Deum, Deipa-
» ram, eorum nomina, aut Cœlites abnegaverint, ejuraverint,
» spreverint, corporalis apprehensionis, arctæque incarcerationis
» ut mense continuo aquâ & pane macerentur. Iis qui Deum
» aut Deiparam, aut Cælites abnegaverint, ejuraverint, aut
» spreverint obstinato & malevolo animo, ultra incarcerationem
» prædictam publicè in pegmate lingua perforabitur, favore,
» mora, & dilatione sepositis. Qui verò aliter turpiter, & ma-
» lè juraverint arbitrariâ in corpore pœnâ mulctabuntur, pro-
» ut judicibus, sub quibus id contigerit, & innotuerit, æquum
» visum fuerit. Nec fas erit dictis Judicibus connivere, aut
» pœnam procrastinare eorum, qui, aut turpiter, aut malè
» juraverint, postquam ad eorum pervenerint notitiam. Si se-
„ cus faxint, gradu & officio suo excident, nunquam resti-
„ tuendi muneri, nec aliud demum impetrare, obtinere, &
„ administrare poterunt."

Habetur hoc Edictum *part.* 1. *Edict. Flandriæ lib.* 3. *Rub.* 1. Ex verbis hujus articuli patet, pœnam blasphemiæ & hic aliquousque *arbitrariam* esse. Quidni igitur pro atrocitate blasphemiæ subindè possit etiam usque ad mortis supplicium extendi?

XIV. Synodus P. II. Cameracensis *tit.* 1. *cap.* 8. » Inhæ-
„ rendo Constitutioni Leonis X. contra blasphemos editæ in
„ Concilio generali Lateranensi *Sess.* 9. à Pio V. innovatæ,
„ pœnas in ipsa contentas exactè observari mandat; præci-
„ pitque Pastoribus, ut sæpe in suis concionibus declarent suis
„ parochianis gravitatem hujus delicti."

XV. Blasphemiam jure naturali, ac divino prohibitam, nulla quantumvis longissimi temporis, aut multorum praxi firmata consuetudine, licitam reddi posse, certum est. Sed credunt nonnulli, consuetudine induci posse, ut verba ex se, & propria significatione blasphematoria, per consuetum hominum loquendi modum eam accipere possint interpretationem, seu significationem, ut non pro *blasphemiis*, sed pro sceleratis & maledictis juramentis talia verba puniantur, uti notat Julius Clarus loco citato *num.* 7. addens: „ Senatus tamen noster hoc
„ non admittit, quinimò plerunque jussit rejici capitula, in
„ quibus quandoque imputati de blasphemia, volebant hujus-
„ modi consuetudinem probare. Talis enim non consuetudo
„ sed abusus potiùs dicendus est, cujus nulla ratio haberi de-
„ bet." Utinam hoc Senatûs judicium contra blasphemandi insolentissimam, & improbam consuetudinem ubique æmularentur Senatus regii!

XVI. Hoc crimen blasphemiæ esse mixti, sive communis fori, (z) ita ut latiùs de eo convictus possit per judicem, tam Laicum, quàm Ecclesiasticum puniri, post Canonistas ad *Cap.* 1. ✠ *de Maledicis*, notat Julius Clarus.

XVII. In Gallia tamen cognitio, & punitio ad *solum* Judicem *Laicum* spectat, uti ex Boëtio refert Choppinus loco citato; refertque Carolus Fevretius de Abusu *lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 2. ex Rebuffo, etiam Clericum à judice laico punitum de hoc crimine tanquam privilegiato.

XVIII. Concordata Brabantiæ inter Episcopum Leodiensem & Carolum V. *tit.* 9. *art.* 4. habent: „ De crimine blas-
„ phemiæ in Deum, vel in Sanctos ejus, necnon juramento per
„ humanitatem Christi, vel ejus membra, cognoscet, & puniet
» *secularis solus.*" (a)

XIX. Deindè *art.* 5. „ De crimine irreverentiæ in imagines
„ nostræ Dominæ & Sanctorum, cognitio & punitio ad solum
„ Judicem secularem pertinebit, nisi malefactor sustineret re-
„ verentiam imaginibus non esse exhibendam propter id, quod
„ illa repræsentant; de hoc enim cognoscet Ecclesiasticus judex
„ solus, & judex secularis invocatus exequetur, & alias, ut
„ suprà in articulo de crimine hæresis."

XX. Perjuria præsertim inter sermocinandum leviter, & quasi ad ornatum sermonis assumpta, à blasphemia vix distant; atque ad eam spectare notat Zypæus loco citato *num.* 6. De crimine perjurii decernunt supra citata Concordata *tit.* 6. *art.* 27. „ De crimine perjurii, solus judex secularis, nisi dubium fue-
» rit, an juramentum fuisset obligatorium, necne, & sic an
» incursum fuisset perjurium, vel non; vel nisi perjurium com-
» missum fuisset coram judice Ecclesiastico, quo casu Judex Ec-
» clasiasticus cognoscet."

XXI. Ex his patet crimen perjurii esse quodammodo *mixti* fori; uti & in Gallia observari tradit Carolus Fevretius de Abusu *lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 4. aitque, laicum ratione perjurii non posse conveniri coram judice Ecclesiastico, nisi perjurium à laico coram judice Ecclesiastico in causa Ecclesiastica esset commissum; monetque in desuetudinem abiisse dispositionem Capitis CUM LAICUS *de Foro competenti*, *in VI.* quod & suprà *tit.* 1. *cap.* 2. notavimus.

XXII. Contra pravam, & horrendam consuetudinem, seu abusum jurandi in communi sermone, & quasi ad omnia sua dicta interponendi juramenta, quæ quandam blasphemiæ speciem præfert, dum toties nomen Dei in vanum accipitur; imò & sæpius in testimonium falsitatis assumitur, jam pridem declamârunt SS. Patres; ac nominatim S. Chrysostomus in Homiliis ad populum Antiochenum, eam consuetudinem adeò perniciosam existimans, ut publicè profiteretur, se tandiu in eam invecturum, donec reipsa emendationem videret. » Pri-
» mùm igitur persuademus, ut juramentorum fuga in melius
» mutationem faciat: etsi heri & nudiustertius de hac vobis
» locutus sum materia, neque tamen hodie desistam, neque
» cras, neque perinde eandem persuadere. Et quid dico cras-
» tinam, aut tertiam diem? Donec vos correctos videam, non
» absistam: si enim legem prævaricantes non erubescunt; mul-
» to magis nos jubentes ne prævaricemini, admonitione conti-
» nuâ confundi non est dignum."

Hæc ille *homil.* 15. ad populum Antiochenum, qui & *eadem Homilia*, & *Homil.* 9. 11. & 19. varia specialia media ad pravam hanc consuetudinem paulatim eliminandam proponit; quæ utinam hodie in multis locis contra eandem consuetudinem à Pastoribus, ac præcipuè Episcopis impenderentur!

XXIII. Ad vitanda perjuria, Legibus Hispanis (b), Lusitanis, & Burgundis cautum est, ne contractus medio juramento fiant, uti ex Busio refert Zypæus, in Jure Novo, *tit. de Jure jurando*, *num.* 2. Similiter anno 1290. declarat Senatus Parisiensis » rectè inhibitum fuisse per Vicarium Tholosanum
» Notariis Regis, ne ponerent juramentum in instrumentis suis,
» dum tamen contractus, seu negotia, super quibus erant dic-
„ ta

(z) *Inspectis legibus Hispaniis totius tituli* 4. *& Remiss.* 1. *& 2. ejusd. tit. lib.* 8. *leg.* 58. *tit.* 4. *&* 20. *tit.* 6. *lib.* 3. *Recop. non solùm in eis variè variisque pœnis secundum temporum varietatem blasphemi puniti sunt (ut suprà in textu) sed ex eisdem etiam infertur hujus criminis cognitionem & punitionem ad seculares Judices pertinere; non exclusis Inquisitoribus, aut Ju-*

dicibus Ecclesiasticis, nam secundum gravitatem aut qualitatem blasphemiæ cognitionem habere possunt; quod infertur ex leg. 3. *tit.* 4. *lib.* 8. *Recop. verb.* Que lo prendan.

(a) *Repete hîc, quæ ad §. XIII. hujus capitis annotata sunt.*

(b) *Scilicet*, 11. *&* 12. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recop.*

» ta instrumenta confecta, possent absque juramento subsiste-» re,« uti refertur *part.* 7. *Styli Parlam. num.* 8.

XXIV. Sanè contra eandem consuetudinem, idque frequenter interpositis verbis blasphematoriis, aut his non absimilibus, non minus quàm contra blasphemias, Judicum, & Pastorum zelus sese exercere deberet, quemadmodum in suo ad Reginam Matrem libello anno 1649. urserunt Deputati Cleri Gallicani, uti habetur in actis ejusdem Cleri *tom.* 3. *parte* 8. *tit.* 1. *num.* 47.

XXV. Quàm grave crimen sit perjurium probat pœnitentia Canonica jam pridem imposita. Inter Canones à S. Carolo collectos habentur plures, quibus pro diversitate, qua perjurium est commissum, major, vel minor pœnitentia decernitur.

» Si quis sciens pejerat in manu Episcopi, vel Presbyteri, » vel Diaconi, vel in cruce consecrata, altarisve, pœnitentiam » aget annos tres: in cruce non consecrata, annum unum.

» Qui perjurium in Ecclesia fecerit, pœnitentiam aget an-» nos decem.

» Qui sciens pejerat Domini impulsu, pœnitens erit quadrage-» simas tres, & ferias legitimas. Dominus autem quia præcepit, » quadraginta dies in pane, & aqua, & septem sequentes annos.

» Si quis sciens pejeraverit, aliosque in perjurium induxe-» rit, (c) pœnitens erit dies quadraginta in pane & aqua, & » septem sequentes annos: & tot jejuna jejunabit, quot homi-» nes in perjurium induxerit.«

XXVI. Pœna perjurii hodie ferè est arbitraria (d) pro qualitate, & enormitate delicti, quemadmodum notavit Menoch. de *Arbitrariis Judicum*, *lib.* 2. *cent.* 4. *casu* 319. *num.* 9. & 10. dicens: » Cùm quis jus jurandum per ipsum Deum opt. » Max. sedato animo subiit, & pejerâsse reperitur, in hoc ca-» su variæ sunt Doctorum opiniones; illorum (ait Menochius) » magis placet, qui dixerunt, perjurium puniri, sed extra or-» dinem, scilicet judicis arbitrio. « Invehitur ibidem Menochius in eos, qui dicere non erubuerunt, puniendos pœna temporali, qui pejerant per *salutem* Principis, non autem qui per ipsum Deum, sed hos *soli Deo* puniendos dimitti. » Mirum cer-» tè est (ait) quòd contempta Principis Religio corporali pœna » puniatur, & illa maximi rerum omnium opificis Dei non vin-» dicetur, sed judicio Divino relinquatur.«

Dicit quoque Paponius *lib.* 22. *tit.* 11. *Arresto* 19. perjurium arbitrio judicis puniendum esse; referens ibidem quemdam de perjurio convictum, condemnatum fuisse ad mulctam pecuniariam, qui falsò juraverat, sed nunquam cessionem bonorum fecisse.

Conqueritur tamen Zypæus in Notitia Juris Belgici *tit. de Falsis*, quòd » falsitas testium *pejerantium* nimis etiam leviter » tractetur, præsertim cum crimen coram judice evidens sit.«

* Quòd si perjurium scelus sit detestandum, & gravioribus pœnis vindicandum, inde concludere licet, juramentum non esse exigendum, nisi justa & urgens omninò necessitas ad illud adigendum compellat. Egregium est hac de re S. Augustini monitum *epist.* 157. his verbis: » Jurationem cave: melius quippe » nec verum juratur, quia jurandi consuetudine in perjurium » sæpè caditur; & semper perjurio propinquatur.« De juramenti exactione dignum est videri resolutionem Doctorum Lovaniensium de 22. Octobris ann. 1699. (e)

Cri-

(c) *Qui ad perjurandum induxerit, eandem pœnam incurrit, ac ipse perjurans, ut dicitur in leg.* 7. *prope finem, tit.* 7. *lib.* 8. *Recopilationis.*

(d) *In Hispania pœnam perjurii arbitrariam non esse constat ex leg.* 10. *tit.* 1. *lib.* 1. *& leg.* 4. *& 7. tit.* 17. *lib.* 8. *Recop. nam in eis cuilibet perjurii generi certa pœna assignatur.*

(e) *Resolutio Doctorum Lovaniensium super exactione juramenti de non fraudato publico vectigali.*

CASUS.

Ad plenius Colligendum tributum, seu gabellam farinæ impositam in quadam Regione, imponitur Incolis, ut nisi conveniant cum demptoribus dicti Tributi, jurare debeant, quantum consumant farinæ in sua familia pro mense, vel anno, &c. & non plus.

QUÆRITUR.

An rectè tale juramentum Incolis imponatur salvâ conscientiâ, & bono publico?

RESOLUTIO.

Per exactionem juramenti, de quo in casu plurimum multiplicanda fore juramenta nequaquam obscurum est.

Imprimis in ea Regione facilè quicunque Incolæ farinâ indigentes (& quis non indiget?) ad hoc juramentum adigentur, aut certè incitabuntur, ut se à conventione ad beneplacitum Collectorum hujus gabellæ ineundâ liberent; atque minore pretio esse à gabellis illis eximant.

Adhæc, si juramentum hoc à Collectoribus hujus Regionis exigi permittatur, non dubium quin eorum exemplum aliarum Regionum Collectores non minùs ac hi lucro inhiantes, sint imitaturi.

Deinde si pro securiore exactione hujus gabellæ juramentum Incolis imponi sinatur, quidni eadem ratione pro assequendis aliis gabellis imponi sinetur, atque ita quasi in infinitum juramenta multiplicentur, & quotidiana reddantur?

Ex hac multiplicatione duo quasi naturaliter, ac morali certitudine sequentur.

Primum est ipsius jurisjurandi contemptus, atque vilipendium; notum quippe est frequentiam inducere irreverentiam, & jam pridem dictum à Tertuliano: *semper abundantia contumeliosa in semetipsa est.* Unde illud vulgatum S. Augustini, *Euchar. cap.* 80. » Peccata quantumvis gravia, cum in consuetudi-» nem venerunt, aut parva, aut nulla esse creduntur.«

Alterum illudque præcipuum, perjurium multiplicium, non tantùm periculum, sed certa quasi sequela.

Jam enim pridem observatum est, multiplicari perjuria multiplicatis juramentis: ideoque notârunt Patres, quod licèt Christus: dicendo: *Ego dico vobis non jurare omninò, &c.* non quidem absolutè jurare vetuerit; tamen tanquam periculosum solicitè cavendum voluerit, ne non satis cavendo in perjurium incidatur; quod post SS. Patres sapientissimè expressit Innocentius III. in Cap. *Et si Christus* 26. ✠ *de jurejurando*: » Quæ-» dam enim prohibentur, ait, quia per se mala sunt, ut furtum, » adulterium, & hujusmodi, quæ non sunt aliquatenus facien-

» da. Quædam verò prohibentur ex causa, non quia per se mala » sunt, sed quia, si fiant frequenter & multum, ex his mala se-» quuntur: ut vinum per se malum non est, & tamen prohibet » Apostolus dicens: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria,* » quoniam ex frequenti, & immoderata potatione vini luxuria » generatur. Sic & juramentum per se quidem malum non est, » cùm sit confirmatio veritatis, sed tamen prohibetur ex causa, » quoniam ex frequenti & incauta juratione perjurium sæpè con-» tingit: sicut in Ecclesiastico legitur cap. 23. v. 12: *Vir mul-» tum jurans replebitur iniquitate, & non discedet à domo ejus » plaga.*«

Hinc magna semper fuit, tam Ecclesiastici, quàm Civilis Magistratûs cura, ne juramenta multiplicarentur, aut ubi multiplicata erant, diminuerentur.

Sic in legibus antiquis Visigothorum *lib.* 2. *cap.* 22. legimus: » Judex ut benè causam cognoscat, primùm testes inter-» roget: ac deinde scripturas inquirat, ut veritas possit cer-» tiùs inveniri, ne ad Sacramentum facilè veniatur. Hoc enim » justitiæ potiùs indagatio vera commendat, ut scripturæ ex » omnibus intercurrant, & jurandi necessitas sese omninò sus-» pendat.«

Et in Capitularibus Regum Francorum *lib.* 7. *cap.* 79. » Volumus, ut Sacramenta citò non fiant, sed unusquisque ju-» dex priùs causam veraciter cognoscat, ut eum veritas latere » non possit, ne facilè ad Sacramenta veniant.«

Si hæc tam solicitè etiam in judiciis, ubi est Judex, qui jurantes instruere, monere, atque etiam terrere potest, jam pridem Principes ob jurisjurandi Religionem, atque perjurii pericula decreverint; quanto magis putamus extrajudicialia hæc juramenta à quibuscunque etiam idiotis, atque plebeiis hominibus passim præstanda præcavissent, ne dicam improbâssent? Reipublicæ Moderatoribus Ecclesiasticum Magistratum jungentes Patres Concilii Coloniensis anno 1536. celebrati, de hac juramentorum multiplicatione audiamus: » Multiplex illa facilis ju-» ramentorum exactio, inquiunt, quæ in judiciis Ecclesiasticis » fit, nobis probari non potest. Christus inter perfectionis hor-» tamenta ponit & illud, ut in totum abstineamus ab omni ju-» rejurando. Quo colore ergo consuetudo nunc passim juran-» tium in omni negotio excusari possit, non videmus; nisi, aut » gravitate negotii, aut necessitate.«

Rationem improbatæ multitudinis juramentorum hanc addunt: *Crebris juramentis rarò deest perjurium, quod gravissimè punit Deus*, hac parte 13. cap. 13.

Superiùs *part.* 3. *cap.* 20. reflectentes ad multiplicia juramenta in quibusdam Capitulis præstari solita, ita loquuntur: » Cùm » Christus tam seriò jurandi facilitatem prohibuerit, ut nisi ne-» cessitate veritatis alioqui periclitandæ, cogamur, omninò non » jurare debeamus: coercenda est illa immoderata in Capitulis » juramentorum exactio, per quam necesse est, ut multi in an-» cipitia perjuria corruant; quorum non tantum illi, qui peje-» rant, sed & qui causam perjurii temerè exigendo præstant, » rei sint.«

Hæc indubiè perjuriorum multiplicatio incrementum capiet, si jurantes lucrum sibi accessurum, aut certè damnum temporale à se avertendum mediante perjurio prævideant. Quàm enim ad pejerandum proclives sint homines, dum de lucro captando, aut damno vitando agitur, etiam ipsos Imperatores, &

Ju-

XXVII. Crimen falsi esse fori mixti eatenus, ut si falsum sit commissum coram Judice Ecclesiastico, puniri possit per judicem Ecclesiasticum, etiam in Laico; si verò coram judice Laico, puniendum sit per judicem Laicum, communis est Canonistarum opinio; qui & addunt, Clericum conveniendum, & puniendum à judice Ecclesiastico, licèt *falsum* commisisset coram judice Laico; neque à judice Laico posse puniri, vel principaliter, vel incidenter, ut loquitur Bernardus Diaz in *Praxi crim. cap.* 87.

XXVIII. Contrarium servari in Gallia jam pridem testatus est Guillelmus Benedicti ad *cap.* RAYNUTIUS, verbo *Adela*, *num.* 434. dicens: similiter eos (Clericos) punire poterit Judex secularis, si coram eo falsum deposuerint; & ita servatur (ait) *in præsenti Regno*, additurque in margine ex Aufrerio de *Potestate Secul. in Eccles. Reg.* 1. *limitat.* 2. *num.* 7. » Et » idem videtur de Advocato, Procuratore, vel Notario Cle» ricis coram judice seculari delinquentibus; & idem in Cle» rico utente falso instrumento coram judice Laico. « Refertque ibidem Aufrerius plura Arresta. Videri etiam potest Joannes Galli *Quæst.* 56. & latiùs Carolus Fevretius de Abusu *lib.* 8. *cap.* 2. *num.* 16.

XXIX. Concordata Brabantiæ *tit.* 9. *art.* 15. habent, » De » crimine falsitatis commissæ contra litteras Apostolicas vel Ordinarii (f) ille cognoscet, coram quo incidet quæstio, salva „ Principi annotatione & confiscatione bonorum delinquentis; » ubi verò de prædicto crimine principaliter quæretur, cognitio, » & correctio ad judicem secularem pertinebit. «

Permittunt igitur hæc Concordata, ut Judex Ecclesiasticus cognoscat de crimine falsi etiam contra *laicum* saltem *incidenter*, si coram ipso Judice Ecclesiastico fuerit commissum; eò quòd coram hoc Judice deponendo, aut falsum instrumentum producendo, ipsum judicem agnoscat, & sortiatur. Julius Clarus *lib.* 5. §. *fin. quæst.* 38. *num.* 15. dicit, hoc casu præventioni locum esse; & ita in facti contingentia decissum esse per Consilium Neapolitanum.

XXX. Eodem fundamento decernitur in dictis Concordatis *art.* 16. „ Judex Ecclesiasticus cognoscet de delicto custo„ dis, commisso in & circa officium suum, & similiter de de„ lictis Procuratorum, & Advocatorum, & aliorum Officia„ torum Curiæ Ecclesiasticæ, in & circa officium suum de„ linquentium. "

XXXI. Inter crimina Ecclesiastica referunt prædicta Concordata violationem festorum ab Ecclesia institutorum, *art.* 14. „ De crimine violationis, seu infractionis festorum, ab Ec„ clesia institutorum, cognoscet Judex Ecclesiasticus, quan„ do violatio fiat per opera manualia, & mechanica publicè » fac-

Jurisconsultos Romanos in densissimis ipsius gentilitatis tenebris novisse, non obscurum est *ex Leg.* 8. *ff. de Conditionibus Institut.* ubi Ulpianus scribit: „ Quæ sub conditione jurisjuran„ di relinquuntur, à Prætore reprobantur. Providit enim ne is, „ qui sub jurisjurandi conditione quid accepit, aut omittendo „ conditionem perderet hæreditatem, legatumve; aut cogeretur » turpiter accipiendi conditionem jurare: voluit ergo, cui sub » *jurisjurandi conditione* quid relictum est, ita capere, ut ca„ piunt hi, quibus nulla talis jurisjurandi conditio inscribitur. "

Deinde Edictum Prætoris probans Ulpianus, ait: » Et rec» tè: cùm enim faciles sint nonnulli hominum ad jurandum con» temptu Religionis, alii per quam timidi metu Divini Numi» nis usque ad superstitionem, ne vel hi, vel illi, aut conse» querentur, aut perderent, quod relictum est, Prætor con» sultissimè intervenit. «

Quid Principes Christiani senserint, vel ex sola constitutione in materia præsentem quæstionem propriùs attingente, quæ refertur *lib.* 2. *Capitularium*, *cap.* 39. intelligi poterit. » Qui » decimas post creberrimas monitiones, & prædicationes dare » neglexerint, excommunicentur, inquiunt; juramento verò » eos constringi nolumus propter periculum perjurii. «

Igitur etiam gravissima pœna, qualis est excommunicatio, subditos suos ad solvendas decimas à Sacerdotibus constringi permittunt: non tamen juramento; rationem attendamus verbis præcedentibus subjectam: *Propter periculum perjurii.*

Si hîc piissimi illi Principes periculum perjurii in subditis veriti, noluerint eos juramento ad solvendas decimas constringi, an non meritò Principes nostri juramento, de quo quæstio, subditos suos constringi vetabunt propter periculum perjurii?

Non fortè credetur, minus proclives futuros ad pejerandum, ut se à Gabellis Regi pendendis eximere queant, quàm ut se decimis Ecclesiæ solvendis liberent?

Ne quid nostro judicio, conjeturaque depromamus, audiamus quid de his crediderit verè magnus, & teste Suidâ omnium eloquentissimus, & in omni doctrinæ genere summus S. Basilius: tempore quippe illo quidam Collectores Tributorum, spe majoris lucri incitati, homines etiam Rusticos ad juramentum adigere cœperunt, non secus atque hi, de quibus in casu. Videamus verba dicti Sancti, epist. 305. » Per omnes » usque Synodos, & conventus publicos, inquit, contestari » non intermitto: per omnes omninò privatos congressus de » eadem re disserere non desisto, juramenta non esse in pu» blicis exactionibus à colonis exigenda per reductores: reli» quum est de iis, & per litteras coram Deo & hominibns » protestari, non esse vobis illo instituto insistendum adhuc ul» teriùs, quo mortem animabus inferatis: aliàs vobis esse ineun» das, excogitandàsque rationes exactionum, & nequaquam » vulnerandas hominum animas esse. Hæc ad te scribo, non » in eum finem, quòd sit opus tibi per me sermone hortatorio » (domi enim habes occasiones, & argumenta timendi Deum) » sed ut omnes illi, qui à te pendent, per te docti discant, ne » sanctum illum ad iram excitent, aut rem interdictam per » consuetudinem malam inveteratam quasi indifferentem habe» ri faciant. Neque enim ad res redigendas quæquam illis pro» fuerint juramenta: at malum manifestarium, & in confesso » positum exinde hominum animis inuritur. Si enim perjurium » parvi semel facere incipiant homines, non deinceps se ad fa» ciendam solutionem comparabunt, sed juramentum se inve» nisse gloriabuntur, fraudis & doli mali instrumentum, & di» tationis faciendæ occasionem. « Hactenus Basilius, qui casum propositum tantà vehementiâ, & perspicuitate resolvit, ut vel sola tanti Doctoris resolutio pro omni resolutione sufficere deberet.

Et tamen si hæc suo tempore Basilius docuit, quid putamus dixisset hac nostra ætate, dum non solùm quorundam interpretatione scimus adeò extenuatum illum præceptum: *Cui vectigal, vectigal: cui tributum, tributum*, ut penè contra Apostolum persuasum sit, propter timorem, non propter conscientiam tributa Regibus esse solvenda; sed etiam ob nimiam nunc multiplicatam juramentorum exactionem & frequentiam adeò jurisjurandi religio apud multos deperiit, ut sine ullo penè examine veritatis, utilitatis, vel necessitatis juretur.

Dum insuper tot restrictionibus, æquivocationibus, & aliis palliis perjuria à quibusdam occultantur, ut perjuria tantùm hominum imperitorum, & scrupulosorum esse credantur; jamque veriùs dici queat, quod suo tempore dixit S. Augustinus in *libro contra Mendacium cap.* 18. Sunt in eis docti, qui etiam regulas figant, finesque constituant, quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi estis fontes lachrymarum! Et quid faciemus? Quo ibimus? Ubi nos occultabimus ab ira veritatis, si non solùm negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria?

Dicimus ergo cum Carolo Magno vetante constringi subditos suos ad solvendas decimas mediante juramento *propter periculum perjurii*; & cum magno Basilio, qui nec publicè, nec privatim destitit adversus exactionem juramenti in tributorum solutione intonare, juramenti impositionem, de qua in casu, neque incolarum conscientiæ, neque bono publico expedire, sed alias potiùs ineundas, excogitandasque rationes exactionum, ne aliàs patria perjuriis impleatur: atque hinc in suis terris & Regnis implere conspiciant Principes comminationem Prophetæ Zachariæ cap. 5. v. 3. & 4. *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ.... Et veniet.... ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & consumet eam, & lingua ejus, & lapides ejus.* Ita responsum Lovanii hac 22. Octobris anno 1696. Signârunt Doctores Theologiæ.

G. HUYGENS. S. Theologiæ Doctor. & Prof.
HERM. DAMEN S. Theol. Doct. & Prof. Ord.
D. M. HARNEY Facultatis Theol. Doct. Regent.
GUILLELMUS RENARDI S. T. D. & Prof. Reg.

M. STEYART Vic. Ap. S. T. D.
FRANCISCUS MARTIN S. Theol. Doct. & Prof.
HENRICUS DE CHARNEUX S. Theol. Doct. & P. R.
J. SULLIVANES S. Theol. Doct. & Prof. Regius.

Et Jurium.

J. LISER J. U. Doct. & SS. Can. Prof. Ord.
J. HERYS J. U. D. & Prof. Reg.

A. TONSERN J. U. Doct. & Prof. Ord.
Z. B. VAN ESPEN J. U. Doct. & SS. Can. Prof.

(f) *Qui in Hispania sigilla Regia, Archiepiscoporum, Episcoporum, aliorumque Prælatorum adulteravit, perfidus censetur in leg.* 3. *tit.* 17. *& Remiss.* 12. *tit.* 18. *lib.* 8. *& Remiss.* 17. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop. ac per consequens in mortis pœnam incurrit, ut ait L.* 1. *prope finem, tit.* 18. *lib.* 8. *Recop.*

„ facta, unde oriri possit scandalum, extra casum necessita-
„ tis, & aliàs non: per hoc tamen non excludetur judex se-
„ cularis exigere mulctam, si per statuta secularia aliqua in-
„ dicta sint, contra festorum violatores in casu prædicto." Re-
peti poterunt quæ de hac re dicta sunt *part. 2. tit. 16. cap. 8.*

XXXII. Ægidius Magister vulgò *Le Maître* in Tractatu suo *De Appellationibus ab Abusu*, *cap. 7.* refert Arrestum, quo quidam remissus fuit ad Officialem Aurelianensem in causa *turbationis* Officii Divini, quam causaverat proferendo aliqua verba tumultuosa contra Cantores, & Presbyteros, qui processionaliter ante ædes ipsius transibant. Ratio Arresti fuit, uti notat hic auctor, quia *cura divini Officii ad Episcopum pertinet.*

Hac ratione docet Mornacius ad *Auth.* SED NOVO JURE, *Cod. de Episcopis & Clericis*, quòd „ si injuria fiat Clericis in „ Ecclesia, vel dum Supplicationes procedunt, Litaniæque „ fiunt publicæ, solius Episcopi illarum esse cognitionem, „ etiam adversus laicum. "

Verùm testatur Renatus Choppinus *lib. 3. de S. P. tit. 4. num. 24.* Senatum pronuntiâsse anno 1549. hoc genus delicti esse *mixti* fori; ut nimirum laicus coram laico, & Clericus coram Ecclesiastico judice conveniendus sit. Vide latè Carolum Fevretium; ubi monet, quòd si laici rixati sint in Ecclesia, aut verba injuriosa protulerint etiam contra Sacerdotes, aut Ministros in Divino Officio occupatos, cognitio sit judicis laici, modò tumultus non processerit ex contemptu Divini Officii.

XXXIII. Julius Clarus loco citato *quæst. 36. num. 47.* scribit, quòd crimen laici percutientis Clericum sit *mixti* fori: nimirum ut judex Ecclesiasticus procedat ad pœnas Ecclesiasticas; laicus verò ad pœnas Fisco applicandas. „ Uterque enim „ judex (ait) videtur offensus; meritò uterque ad pœnam sui „ fori procedere debet, cùm pœna spiritualis non tollat temporalem, nec contra. "

XXXIV. In citatis Concordatis Brabantiæ *tit. 9. art. 12.* de hoc crimine decernitur: „ De crimine injectionis manuum „ in personas Ecclesiasticas, cognoscet uterque judex (g), & „ puniet secundum qualitatem suæ jurisdictionis, nisi pœna „ mortis reo inflicta fuerit; quo casu judex Ecclesiasticus amplius non poterit cognoscere. "

XXXV. De delicto in quantum est in Ecclesia commissum, & ea ratione habet aliquid de sacrilegio, cognoscere judicem Ecclesiasticum, videntur supponere prædicta Concordata *artic. 13.* ubi dicunt: De crimine effractionis, & pollutionis Ecclesiæ, vel Cœmeterii, quantum ad effractionem, vel pollutionem per vim factam, judex secularis cognoscet, & puniet. Deinde subjungit: „ Et quia delictum in Ecclesia est commissum, poterint etiam delinquentes hoc casu per Episcopum „ puniri. "

Hîc patenter supponitur, quòd tametsi ob violentiam, seu vim illatam judex secularis de delicto cognoscere queat, nihilominus judicem Ecclesiasticum idem delictum punire posse (h), idque eo titulo, quòd in Ecclesia sit commissum.

Unde si pollutio Ecclesiæ, vel Cœmeterii fiat sine vi, Judicis Ecclesiastici erit cognitio, ut eodem articulo declarant Concordata.

XXXVI. Crimen usurarum esse *mixti* fori, (i) si agatur *criminaliter*, docet Julius Clarus loco citato *quæst. 37.* eatenus nimirum, ut laicus judex agat adversus laicos, Ecclesiasticus verò contra Clericos usurarios. Similiter potest judex laicus cognoscere, an contractus sit usurarius, vel non, si id *incidenter* coram eo incidat; si nimirum reus conventus ex contractu dicat, illum esse usurarium: secus verò si *principaliter* quæratur, num contractus sit usurarius. Hanc enim quæstionem esse fori Ecclesiastici post alios Canonistas asserit Julius Clarus. Quid in Gallia obtineat tradit Fevretius *cap. 2. num. 6.*

XXXVII. Concordata Brabantiæ videntur hoc crimen pro crimine *mixti* fori habuisse. Hæc habent *art. 26.* „ De crimi-
„ ne usuræ notoriæ cognoscet, & puniet Ecclesiasticus judex
„ quoad incursum censurarum, & absolutionem ab eo, salvo,
„ quod se non intromittet de usurariis existentibus sub tole-
„ rantia, vel salva guardia Principis; & judex laicus pœnam
„ etiam usurariis imponere poterit secundum jurisdictionis suæ
„ qualitatem. "

XXXVIII. Senatum Brabantiæ cognoscere, & judicare, num contractus sit usurarius, vel non, probant ejusdem Senatus decisiones apud Stockmannium *Decis. 75. & 76.* ubi referuntur dicti Senatus judicata in materia usurarum; eâque occasione nonnulla notantur in hac materia observatu digna, præsertim *Decis. 76.* testaturque à Senatu Brabantiæ anno 1642. declaratam fuisse usurariam cautionem ea forma conceptam: *Ut confiteretur debitor se accepisse à Titio aureos mille ad redditum annuum; & donec pecunia redderetur, se quotannis persoluturum sex in centum: Titium autem repetere volentem nummos suos admoniturum debitorem sex mensibus ante diem cadentem.*

Apparebat enim reverà *mutuum* esse contractum, licèt nomen *redditus* esset expressum. Ostendit ibidem Stockmannius, non esse admittendos titulos paciscendi certas summas ultra sortem, qui à nonnullis Theologis adducuntur, nî una velimus apertis januis usuram recipere; & dicere, prohibitionem fœnoris scriptam esse verbis, non rebus.

Plura ibidem notatu dignâ notavit Stockmannius; atque inter alia, Mercatores non semper tutos in conscientia, dum stipulantur usuras juxta Constitutionem Caroli V. de 4. Octobris 1540. tametsi in foro *externo* actio ipsis concedatur. (k)

(g) „ *Injuria facta Clerico* (*ait Azevedo in commentario* ad leg. secundam lib. 1. tit. 2. lib. 1. *Recop. pag. 15. §. 8.*) *cen-*
„ *setur & facta Ecclesiæ, in qua intitulatus est, secundum*
„ *glos. illam, & glos. eandem in* leg. 9. tit. 9. Partita 7. &
„ *Anton. Gom.* tom. 3. cap. 6. num. 6. *pro qua quidem injuria*
„ *etiam judex Ecclesiasticus est competens, & de ea potest*
„ *cognoscere & inquirere, secundum Marantam* in practicar.
„ 6. part. num. 141. cum 3. sequent. pag. 335. in parvis.... &
„ *hoc dummodo secundum Covarrub.* lib. 1. Variar. cap. 4. co-
„ lumn. penult. in princip. *manus violentæ in* CLERICUM INJI-
„ CIANTUR, *vel sacrilegium aliud committatur, quod* MIXTI *fori*
„ *est, ut infrà dicam.*"

(h) *Quod talia crimina in Hispania, tam à Judice laico, quam ab Ecclesiastico puniri debeant, infertur ex L. 1. tit. 2. lib. 1. Recopil. primum per verba*: I encargamos á nuestros Jueces: *secundum verò per sequentia*: los Curas y Prelados..., que requieran, i amonesten, á los dichos Jueces &c. *quod clariùs per leg. 2. ejusdem tit. & lib. probatur*: *Quæ ita ait*: Ninguno sea osado de quebrantar Iglesia, ni Cementerio por su enemigo, ni para hacer otra cosa de fuerza; y el que lo hiciere, peche el sacrilegio al Obispo, ò al Arcediano, ò aquel, que lo oviere de aver, y el Merino, ò el Alcalde hagangelo dar, si la Iglesia por su Justicia no lo pudiere aver. *Nam cùm effractio, & pollutio Ecclesiæ sit sacrilegium, rectè ait Azevedo in Commentario ad hanc legem §. 10. prope finem*: „ ESSE
„ MIXTI *fori quoad pœnas temporales pro eo imponendas, ex text.*
„ *& ibi glos. & Doctor.* in cap. *cùm sit*, de Foro competenti; *no-*
„ *tatque Clar.* in pract. crim. §. final. quæst. 37. num. 6. *ubi*
„ *allegat Mantuanum asserentem ita omnes tenere, & Octa-*
„ *vianus Chacheron* in decis. Pedem 103. num. 7. *verum tamen*
„ *est, quod quantumvis per secularem prævenientem puniatur*
„ *laicus pro sacrilegio, hac tamen punitione non obstante, po-*
„ *terit Ecclesiasticus judex contra talem sacrilegium procedere*
„ *ad excommunicationem, & alias pœnas spirituales, ut ve-*
„ *niat condignam pœnitentiam recepturus..... & sic video prac-*
„ *ticari* (*ait*) *in nostra Audientia ecclesiastica hujus Placentiæ*
„ *civitatis, &c.* "

(i) *Cùm in leg. 1. tit. 6. lib. 8. Recop. usura prohibeatur, & Archiepiscopis, cæterisque Prælatis moneatur*: Que pongan sentencia de excomunion en qualquier que contra esto fuere, y denuncien las que están puestas: *& in Leg. 36. tit. 6. lib. 3. L. 9. tit. 18. lib. 5. Remiss. 2. tit. 6. lib. 8. Recopil. secularibus Judicibus ejus punitio commitatur; mixti fori esse in Hispania constans est: & Auctores Regnicolæ ita tradunt; inter quos* Matthæu in suo lib. de re Criminali, controversia 40. §. 39. *ait*: „ *Et licèt Doctores plurimùm laboraverint in agitanda*
„ *quæstione de competentia judicis in hoc crimine usurarum,*
„ *prævaluit sententia eorum, qui tenent, crimen hoc* MIXTI
„ FORI *esse, ob quod uterque Judex in fœneratores insurge-*
„ *re potest... In jure nostro* (*prosequitur idem auctor*) *habemus*
„ *expressum Textum in leg. 36. tit. 6. lib. 3. Recop. & indict.*
„ *leg. 4. tit. 6. lib. 8. quo Reges nostri necessitatem imponunt*
„ *judicibus inquirendi, atque puniendi, summa adhibita dili-*
„ *gentia, eo in crimine, quo in casu extra dubium est, ut*
„ *omnes tenent.* " *Et* Acevedo in Commentar. ad leg. 1. tit. 6. lib. 8. Recop. §. 86. „ *Nihilominus tamen* (*ait*) *dicendum est*
„ *leges nostras optimè procedere, ex eo quod lex nostra quoad*
„ *punitionem usurariorum, & dicta Lex 36. disponunt &*
„ *procedunt, quoad hoc enim ita potest* secularis *procedere, si-*
„ *cut* Ecclesiasticus, *& sic quoad hunc effectum crimen hoc est*
„ MIXTI FORI, *idque deducitur clarissimè, cùm & à legibus nos-*
„ *tris sit reprobata* USURA, *& à jure naturali, & divino, ut*
„ *dictum est.* " *Hodie tamen rarò, vel nunquam de hoc crimine coram Ecclesiastico agitur.*

(k) *Repete hîc resolutionem Doctor. Lovaniensium, quam super exactione juramenti dedere 22. Octobris ann. 1696. & extat suprà ad fin. §. XXVI. hujus capitis sub littera* (d).

TI-

TITULUS V.

De Judicibus Ecclesiasticis, & Arbitris.

CAPUT I.

De Judicibus Ordinariis, et eorum Officialibus.

1 *Qui apud Romanos dicti* Judices Ordinarii.
2 *Horum exemplo qui Jure Canonico vocati sint* Ordinarii.
3 *Definitio Judicis* Ordinarii.
4 *Non incongruè dicuntur Judices* nati.
5 *Legati à latere impropriè dicti Judices* Ordinarii.
6 *Jurisdictio Ordinaria nec auferri, nec restringi sine causa & citra juris ordinem potest.*
7 *Nomine* Ordinariorum *intelligi solent Episcopi.*
8 *Episcopus jure suo habet jurisdictionem in tota Diœcesi.*
9 *Habet de jure fundatam intentionem exercendi jurisdictionem in omnes personas suæ Diœcesis.*
10 *Episcopus retinet jurisdictionem, donec plenè probetur exemptio.*
11 *Episcopus solus habet de jure jurisdictionem* generalem *per suam Diœcesim.*
12 *Nullus ad exclusionem Episcopi potest jurisdictionem exercere, nisi eam* plenè *probaverit.*
13 *Multis seculis tota auctoritas causas decidendi mansit penes Episcopos.*
14 *Episcopi Clerum suum in decidendis causis consulere, & adhibere soliti.*
15 *Causas summariè decidere, aut partes ad concordiam adducere satagebant.*
16 *Difficiliores quæstiones ad Synodos deferebantur.*
17 *Episcopi causas inferioribus Prælatis, & Archidiaconis committere cœperunt.*
18 *Quâ ratione Prælati, & Archidiaconi sensim facti sint Judices* Ordinarii.
19 *Quomodo hac occasione constituti* Officiales, *qui jurisdictioni Episcopali præessent.*
20 *Quo præcisè tempore constituti sint* Officiales, *incertum.*
21 *Seculo XII. notus erat usus Officialium in Gallia.*
22 *Quin & eodem tempore in ministerium illud graves abusus irrepserant.*
23 *Officialium vitium erat* munerum *acceptio.*
24 *Episcopi per Officiales lucrum sibi captabant.*
25 *Exemplo Episcoporum inferiores Prælati etiam Officiales constituere cœperunt.*
26 *Plures cœperunt Officiales constitui.*
27 *De multitudine Officialium querela Nobilium Regni Galliæ.*
* *Duo sibi vindicârunt Episcopi, proprium territorium in suæ Diœcesi, & regimen Ecclesiasticum ad normam regiminis Civilis.*
* *Apud Gallos unicus duntaxat est Officialis in singulis Diœcesibus, unico casu excepto.*
* *Id quoque observatur à Belgis, nisi Diœcesis in plures Provincias se extendat.*
* *Quod in prima parte hujus operis dictum est contrarium, revocatur.*
28 *Eadem querela Principum Germaniæ.*
29 *Officialium aviditati forensis litigandi forma, & litium protractio adscribenda videtur.*
30 *Tempore Petri Blesensis* seculari jure *causæ agitabantur in foro Ecclesiastico.*
31 *Querelæ Principum nostrorum contra excessus Officialium.*
32 *Ecclesia usum Officialium non reprobat, licet abusus improbet.*
33 *Tribunal Officialis idem cum Tribunali Episcopi; dicitur-que* Ordinarium.
34 *Episcopi pro suis Officialibus rationem reddituri attendere solicitè debent, quos constituant.*
35 *Officiales constituendi, in quibus non est* avaritia *& qui strepitus forenses non quærunt.*
36 *Qui persequantur vitia, non homines propter bursam.*
37 *Ne Officiales in decidendis causis carni aut sanguini indulgerent, voluit S. Carolus, ut potiùs ex aliena Diœcesi assumerentur.*
38 *Voluit insuper sæpius per Episcopum visitari tribunal Officialis.*
39 *Voluit ut justitia* gratis *omninò administraretur.*

I. JAm pridem apud Romanos Judices *Ordinarii* dicti videntur ad distinctionem illorum, qui dantur à Principe *extra ordinem*, de quibus apud Julium Paulum *lib.* 5. *Recept. Sent. tit.* 5. atque hoc modo Judices Ordinarii accipi apud Ammianum Marcellinum *lib.* 16. credit Janus à Costa in Commentario ad titulum Decretalium *de Officio Judicis Ordinarii* Verba Marcellini sunt: » Inter Ordinarios Judices Ruffinus pri» mus Præfectus Prætorio; & inter Militares Equitum magister » Arbetio.“

II. Hoc forsan exemplo contingit, ut de Jure Canonico Judices *Ordinarii* dicti fuerint ad differentiam Judicum, qui quasi *extra ordinem* à Pontifice pro quibusdam causis terminandis delegantur; vocanturque Judices *Delegati*: quæ distinctio occurrit in *cap.* 5. & 8. ✠ *de Officio & Potest. Jud. Deleg.* ubi apertè Judex Delegatus distinguitur ab *Ordinario.*

III. Itaque de Jure Canonico, & hodierno usitato loquendi modo, Judices *Ordinarii* dicuntur, qui jurisdictionem non ex speciali aliqua delegatione, seu commissione, sed vi suæ Dignitatis, sive officii accipiunt. Unde Judex Ordinarius à Canonistis definiri solet, qui jurisdictionem habet, quam *jure suo* seu *jure* Ecclesiasticæ suæ Prælaturæ, vel Magistratûs, quo fungitur, exercet.

IV. Quare & hi Judices quasi nascuntur, nec inconvenienter ad exemplum Legati *Nati* (de quo *part.* 1. *tit.* 21. *cap.* 1.) dici possent Judices *Nati*; quasi cum ipsa Prælatura, sive officio, cui præficiuntur, absque ulla speciali delegatione, Judices nascantur.

V. Verum quidem est Legatos Summi Pontificis, qui cum summa potestate mittuntur in Regna, & Provincias, habere *Ordinariam* jurisdictionem, atque dici *Ordinarios*; quamvis jurisdictionem, & auctoritatem suam habeant ex *speciali* delegatione Pontificis. Quia, uti rectè notat Eruditus Franciscus Florens ad titulum *de Officio Ordinarii*, » Præterquam quod no» va est illa Constitutio, & contra Jus vetus, & communem » Interpretum sententiam; solent tamen non absolutè, sed cum » adjunctione appellari Ordinarii *ex delegatione S. Pontificis*: » cæteri verò propriè & absolutè *Ordinarii* dicuntur, vel *Or*» *dinarii locorum*, ut appellantur in *cap.* 3. *de Offic. Ord. in VI.*“

VI. Ex hac descriptione Judicis Ordinarii consequens est, jurisdictionem Ordinariam alicui sine causa, aut citra ordinem juris hodie adimi non posse, (l) imò nec restringi; non magis quàm Prælatura, aut Dignitas auferri, vel in totum, vel pro parte possit. Cùm enim hæc jurisdictio sit ipsi Prælaturæ, sive Dignitati, aut officio annexa, atque possessorem Prælaturæ, sive Dignitatis, aut officii indivulsè sequatur, eamque jure Prælaturæ exerceat, evidens est, quòd si ipsi vel in totum, vel pro parte auferretur, unà ipsa Prælatura adimeretur.

VII. Licèt omnes qui *jure suo*, sive jure suæ Dignitatis vel Prælaturæ jurisdictionem exercent, dici queant *Ordinarii*; nihilominus nomine *Ordinariorum*, vel *Ordinariorum locorum* intelligi solent *Episcopi*, & nomine tribunalis *Ordinarii* tribunal Episcopale.

VIII. Cùm enim Episcopo tanquam particularis Hierarchiæ, sive Ecclesiæ, & Diœcesis suæ Capiti competat totius Diœcesis cura, & regimen, quemadmodum *part.* 1. *tit.* 16. *cap.* 4. exposuimus; etiam eidem primariò, & quasi essentialiter competit jurisdictio spiritualis, & Ecclesiastica totius Diœcesis: adeoque jam pridem dixit Bonifacius VIII. in *cap.* 7. *de Officio Ordin. in VI.* quòd *Episcopus in* TOTA *sua Diœcesi jurisdictionem* ORDINARIAM *noscatur habere.*

IX. Hinc post Glossographum ad citata verba Bonifacii tradunt Canonistæ, quòd Episcopus de jure communi habeat intentionem fundatam super exercitio jurisdictionis per totam suam Diœcesim, & in omnes personas suæ Diœcesis, *ita quod qui se dicit exceptum, habeat hoc probare*, ut loquitur Glossographus.

X. Ulteriùs inde deducitur, quòd Episcopus ex asse sua jurisdictione uti queat contra Clericos & Regulares suæ Diœcesis, donec exemptio *plenè* probata fuerit; adeoque & in casu Con-

(l) *Quod in Hispania jurisdictio ordinaria neque adimi, aut restringi possit* quoad Civilem, *constat ex Remiss.* 15. *tit.* 4. *lib.* 2. *leg.* 10. *tit.* 9. *lib.* 3. *leg.* 4. *tit.* 3. *& leg.* 13. *&* 15. *tit.* 21. *lib.* 4. *Recop.* quoad Ecclesiasticam, *ex leg.* 59. *&* 62. *cap.* 2. *tit.* 4. *lib.* 2. *Act. Acordat.* 7. *cap.* 2. *&* 4. *lib.* 2. *Act. Acordat.* 5. *cap.* 14. *tit.* 1. *lib.* 4. *& Remiss.* 8. *in fine tit.* 8. *lib.* 1. *Recopilat.*

Concilii Trident. *Sess.* 25. *cap.* 6. *de Reformat.* solus procedere potest, donec Capitulum per *tres* sententias *conformes* docuerit de legitima sua exemptione; quemadmodum observat Zypæus in *Jure Novo*, *tit. de Officio Ordin. num.* 19.

XI. Quinimo notat Glossographus ad allegata verba Bonifacii VIII. » quòd Episcopus *solus* habet jurisdictionem Ordi» nariam *generalem* in tota sua Diœcesi. Unde (ait) territorium » est *solius* Episcopi, & non Archidiaconi vel alterius inferio» ris Prælati. «

XII. E quo concluditur, quòd nullus possit in Diœcesi uti jurisdictione, nisi eam legitimo titulo sibi competere docuerit. Deinde hinc concludunt Canonistæ, quòd jurisdictio inferioribus concessa semper intelligatur duntaxat concessa *cumulativè*, non autem *privativè* cum exclusione Episcopi, nisi clarè & plenè probetur.

XIII. Multis sanè seculis penes Episcopum mansit judicandi auctoritas; ipseque Episcopus causas discutiebat, & decidebat.

XIV. Verùm ut Episcopi ostenderent, se non dominandi animo velle præesse, neque omnia suo privato arbitrio decidere & regere, nihil pene sine Presbyteris, Diaconis & Clericis agere, aut tractare volebant, ut probant Canones relati apud Gratianum *Caus.* 15. *quæst.* 7. & ostendimus *part.* 1. *titul.* 8. *cap.* 4.

Forma judicandi primitùs servata exhibetur *lib.* 2. *Constit. Apostol. cap.* 47. quæ Constitutiones licèt Apostolis tribui nequeant, videntur tamen circa seculum IV. collectæ, & disciplinam illius ætatis exhibere.

Hîc itaque præscribitur, ut » judicio assistant Diaconi, & » Presbyteri, qui citra acceptionem personarum tanquam homi» nes Dei justè judicent. «

XV. Deinde additur: Si inter duas personas quæstio esset, utraque in judicium veniebat, eisque auditis, ferebantur suffragia; ita tamen ut priùs operam omnem impenderent, ut causa amicabiliter componeretur, & disceptantes ad concordiam revocarentur. Verba sunt: » Cùm igitur utraque persona sicut » lex jubet, in judicium venerit, stabit uterque disceptantium » in medio judicio; quibus auditis, forte sanctè & incorruptè » suffragia, & date operam, ut antequam Episcopus pronun» tiet, fiant amici, ne exeat Episcopi sententia super terram » contra eum, qui deliquit: quia habet secum in tribunali Chris» tum Dei filium judicii comprobatorem & cognitorem. «

Ex his habemus, causas tunc summariè, utrinque parte auditâ, fuisse decisas; operamque præcipuè impensam, quomodo partes ad concordiam adducerentur; omnisque dissensionis, & amaritudinis radix è cordibus Fidelium eradicaretur, atque ita veri inter se amici fierent. Intelligitur insuper ex citatis, quòd licèt Diaconi & Presbyteri assisterent, sententia nihilominus ab Episcopo esset pronuntianda.

XVI. Si causæ sive quæstiones majoris momenti incidebant, Episcopus non tantùm Presbyteros, Diaconos, & Clerum civitatis Episcopalis (qui quasi ipsius Ordinarium Senatum constituebant) sed ex *tota* sua Diœcesi convocabant; quem Conventum hodie dicimus Synodum *Diœcesanam*. In hoc autem conventu Episcopus notabiliores quæstiones, & difficultates proponebat, & unà cum suo Clero discutiebat, ac de eorum consilio decidebat; uti suprà *part.* 1. *tit.* 18. *cap.* 2. dictum est.

XVII. Verùm sensim Episcopi, multitudine negotiorum, & causarum obruti, præsertim in magnis civitatibus, & vastioribus Diœcesibus, cœperunt causas committere alicui Presbytero, & sæpiùs Archidiaconis suis; quod tunc magis frequentari cœpit, ubi jurisdictio Episcopalis ad causas quoque *civiles* Laicorum extensa fuit.

XVIII. Ex hac autem frequenti, & sæpè indefinita causarum delegatione, tandem cœperunt nonnulli Presbyteri, & Archidiaconi jurisdictionem sibi delegatam in *ordinariam* jurisdictionem vertere, & ut talem sibi vindicare præsumpserunt; atque reipsa tandem *Ordinarii* judices facti sunt. Uti suprà *parte* 1. *tit.* 12. *cap.* 1. ostendimus.

Et quidem sub medium seculi XII. inter *Ordinarios* judices Ecclesiasticos in nonnullis partibus fuisse Archidiaconos, Abbates, aliosque Ecclesiarum Prælatos probatur ex Synodo Remensi sub Eugenio III. anno 1148. è qua refertur in prima Decretalium collectione apud Antonium Augustinum *tit. de Judiciis*, *cap.* 2. » Decernimus, ut laici etiam Ecclesiastica termi» nare negotia non præsumant, & Episcopi, Abbates, Archi» diaconi, & alii Ecclesiarum Prælati de negotiis Ecclesiasti» cis, vel de illis, quæ spiritualia esse noscuntur, laicorum » judicio non disponant. «

Eadem Constitutio extat in Decretalibus Gregorii eodem titulo *cap.* 2. sed nonnihil mutilata. Interim notant passim Canonistæ, Abbates, Archidiaconos, aliosque Prælatos hîc unà cum Episcopis inter judices *Ordinarios* constitui: & quoad Archidiaconos latiùs ostendimus *part.* 1. *tit.* 12. *cap.* 1.

XIX. Porrò Episcopi videntes, Archidiaconos sibi ordinariam, & quasi independentem ab Episcoporum delegatione jurisdictionem assumpsisse, maluerunt causas ad suum forum spectantes, aliis quibusdam Presbyteris committere, & delegare, qui non propria, nec ordinaria, sed aliena & delegata auctoritate jurisdictioni præessent; & quorum auctoritas tota ab Episcoporum quasi nutu & arbitrio dependeret; quos alibi *Vicarios*, tanquam vices Episcoporum supplentes; alibi *Officiales* ab officio, quod vice Episcoporum obibant, vocârunt.

XX. Quo tempore cœperint Episcopi constituere Officiales sive Vicarios, qui jurisdictioni contentiosæ vice ipsorum præessent, non omninò constat; admodumque verisimile est, non ubique eodem tempore, praxim hanc invaluisse.

XXI. Seculo XII. fuisse in Gallia Officiales Episcoporum constat ex *epist.* 25. Petri Blesensis *Officiali* Episcopi Carnotensis inscripta. Neque in hac Carnotensi Ecclesia tantùm, sed in aliis stabilitum fuisse tum temporis usum Officialium, ipsa epistola ostendit.

XXII. Quin & eo jam tempore officium illud variis abusibus conspurcatum fuisse ex eadem epistola evincitur.

Hortatur enim hunc Officialem amicum suum, quia eum affectuosissimè diligebat in visceribus Jesu Christi: » Ut de » Ur Chaldæorum, & de medio Babylonis tempestivus exeat, » & ministerium *damnatissimæ* villicationis omittat. «

Quin & audet dicere: » Credo hujusmodi Officiales non » ab Officio, *nomine*, sed ab Officio, *verbo*, mutuâsse voca» bulum. *Nam genus hoc hominum, quod dicunt officiperdi.* «

XXIII. Officialium vitium fuisse, munera accipere, indicat ibidem Blesensis, exprobrans amico suo, eum cupiditate munerum Officialatum acceptâsse. » Scio (ait) quia *munerum* » cupiditas subvertit cor tuum, ut fieres Officialis Episcopi: » Quandoque legeras, sed fortè negligebas verbum illud beati » Job *cap.* 15. *v.* 34. *Ignis devorabit corpora eorum, qui mu» nera libenter accipiunt* (m).«

XXIV. Quin & illud ex eadem epistola intelligimus, quòd & ipsi Episcopi per Officiales jurisdictionem suam quasi venalem exponerent; atque per Officiales divitias sibi attraherent.

Tota Officialis intentio est (inquit) ut ad opus Episcopi » suæ jurisdictioni commissas miserrimas oves quasi vice illius » tondeat, emungat, & excoriet. Isti enim sunt Episcopi san» guisugæ evomentes alienum sanguinem, quem biberunt. Quod » enim aggregant per oppressionem pauperum, Episcopis qui» dem ad delicias cedit, Officialibus ad tormentum... Sic Epis» copus quasi longa manu bona aliena diripit, & notam cri» minis à se removens, suis Officialibus culpæ, & infamiæ » discrimen impingit.«

XXV. Alii inferiores Prælati videntes, quòd Officiales in ærarium Episcoporum non modicum lucrum derivarent, cœperunt & ipsi suos constituere Officiales, & tribunalia suis ministris instructa erigere; è quibus & sibi non modicum emolumentum obventurum sperabant.

XXVI. Utque majus esset lucrum, non fuerunt Episcopi uno Officiali contenti, sed plures in diversis suæ jurisdictionis locis cœperunt designare; qui omnes ad sua, & Dominorum suorum lucra intenti, mirum in modum homines torquebant, & quodammodo excoriebant. Hinc & orta distinctio Officialis *Principalis*, *& foranei*, de quibus *part.* 1. *tit.* 12. *cap.* 4.

XXVII. De hac Officialium magna multitudine, & populi vexatione extat querela Baronum Galliæ proposita coram Philippo Valesio Rege Galliæ per Petrum Cugnerium *art.* 16. » Item dicti Prælati habet magnam multitudinem Officialium, » quos vocant *Præpositos Clericorum*, qui quidem Officiales » faciunt communiter citationes vivâ voce contra quasque per» sonas per dominium Regis, & alibi sine commissione, licèt » in qualibet Diœcesi esse non debebat nisi sedes una dunta» xat, ubi cognoscatur de causis. Ex hoc accidit pluries, quòd » multæ personæ sine causa coram eis citantur ad finem quod » redimant se de magna pecuniæ quantitate, quod est in mag» num præjudicium Regis, subditorumque suorum, & juris» dictionis temporalis eorundem. «

Huic articulo reponebant Prælati, quòd » tam de ratione, » quàm de jure, & consuetudine quilibet Prælatus in quacun» que parte suæ Diœcesis potest habere Officiales suos, & alias » personas ad jurisdictionem Ecclesiasticam exercendam... qui» libet enim Dominus temporalis ubicunque in terra sua potest » habere gentes, & justitiarios suos, & eadem ratione & spi» ritualis Judex. «

* Ex his intelligitur, eo tempore Episcopos prætendisse, sibi esse *proprium territorium* per suas respectivè Diœceses, non secus atque Domini temporales per suas respectivè Toparchias obtinet.

Insuper intelligitur, Episcopos prætendisse regimen Ecclesiasticum formandum ac instituendum ad normam regiminis civilis; idemque licere Episcopis, & Judicibus Ecclesiasticis cir-

(m) *In vulgata editione legitur.* Devorabit tabernacula eorum.

ca institutionem sive erectionem Tribunalium, & directionem judiciorum, quod licebat Magistratibus Civilibus.

Hæc disceptatio super jurisdictione inter Barones, & Prælatos Galliæ agitata nullum vel exiguum habuit effectum sub hoc Rege Philippo Valesio; id notat D. Fleury in suo discursu historico 7. tom. 19. suæ Historiæ præfixo: quin tamen sensim in multis auctoritate Regiâ restricta postmodum fuerit Jurisdictio Ecclesiastica, præsertim in Gallia indubitatum est, atque in hoc Opere signanter *part.* 3. *tit.* 2. & 4. notatum fuit.

* Quoad hunc verò articulum de multiplicatione Tribunalium Ecclesiasticorum, & Officialium tandem in Gallia receptum esse, observavimus *part.* 1. *tit.* 12. *c.* 4. quòd in singulis Episcopatibus unicus duntaxat queat constitui Officialis, idque in civitate Episcopali: judicatumque fuisse, abusivam esse alterius Officialis constitutionem extra civitatem Episcopalem, etiam in loco à civitate Episcopali duobus milliaribus distante, unico casu excepto, si Diœcesis se in plures Provincias extendat. Hoc enim casu jubetur Episcopus in ea Provincia specialem residentem Officialem constituere, qui incolis istius Provinciæ, & de sua Diœcesi existentibus jus dicat; ne aliàs hujus Provinciæ incolæ extra suam Provinciam in jus evocarentur, uti ibidem notatum est.

* Ad eandem normam videtur tandem redacta & Officialium, & Tribunalium Ecclesiasticorum institutio, sive erectio, ut nimirum singulæ Diœceses unicum suum habeant Officialem, eumque in civitate vel in urbe Episcopali residentem, nisi Diœcesis in plures similiter se Provincias extendat, atque ita in Diœcesibus Antuerpiensi, Gandensi, Brugensi, Iprensi, Ruremondensi, &c. nonnisi unicus scitur institutus Officialis, isque in ipsa urbe Episcopali residens; Namurcensis verò præter Officialem principalem, sive in urbe Episcopali residentem, unum habet in civitate Gemblacensi, qui jus dicat Brabantis sub Diœcesi Namurcensi in spiritualibus consistentibus; nec aliàs Brabanti extra suas Provincias in jus traherentur ad Tribunal in Provincia Namurcensi existens.

* Igitur nec in Belgio obtinet, ut in una, eademque Provincia ob suam extensionem plures constituantur Officiales; licèt id inadvertenter asseruerim suprà *part.* 1. *tit.* 12. *cap.* 4. *n.* 6. ubi dixi: *Plures in una, eademque Provincia, verbi gratia, Brabantia ob ejus extensionem ejusdem Episcopi Officiales creari videmus.*

Imprimis inadvertenter dictum fuit, plures in una eademque Provincia, à me visos fuisse constitutos Officiales. Hæc autem inadvertentia occasionem habuisse videtur ex eo, quòd duo conspicerentur in Brabantia unius Episcopi Mechliniensis Tribunalia, coram quibus per diversos Officiales jus diceretur.

At hoc inanimadversum mansit, quòd hæc Diœcesis Mechliniensis se quoque in diversas Provincias protenderet: imò quòd ipse Officialis principalis in civitate Episcopali (Mechliniâ) residens extra Brabantiam Branbatis jus dicere nequeat, quin & ipsi Brabanti non viderentur obstricti coram Judice extra Brabantiam fixum domicilium habente comparere.

Itaque, quòd duo sint Officiales, qui suum habent respectivè Tribunal in Brabantia, non est ob extensionem hujus Diœcesis Mechliniensis, sed ut querelis Brabantinorum aliquo saltem colore satisfiat, qui querebantur se coram Judice extra Brabantiam residente evocari, tametsi hîc aliquod Tribunal in loco vulgò *Pasbrugge* in Brabantia, habere videretur (n).

Unde & Officialis, qui in Brabantia, puta, civitate Bruxellensi constituitur, vulgò dictus fuit *Brabantinus*, quasi constitutus, ut Brabantis jus diceret.

Imò vix dubito, quin si in Belgio Episcopus præcisè ob extensionem suæ Diœcesis, præter Officialem principalem in eadem Provincia alium institueret, hæc novi Officialis institutio non secùs ac in Gallia Regiâ auctoritate cassaretur, & ut abusiva declararetur.

XXVIII. Inter gravamina Principum Germaniæ in Comitiis Norembergicis Oratori Pontificio exposita ann. 1523. articulus 55. concernebat Officiales Archipresbyterorum: » Qui (ut » dicunt) ut plurimum sunt indocti, inhabiles; insuper & scur» rilibus moribus, nihil pensi habentes, nihil habentes, quàm » pecuniam... Adhæc per leves, ac viles has Officialium per» sonas, in quorum conscientis nulla Christianæ pietatis viget ra» tio, sed tantùm sceleratus habendi amor, laici miserè ad vi» vum usque in bonis suis spoliantur, ac deprædantur. «

Officiales lucro inhiantes, » nequaquam litibus extinguendis, » controversiisque amicabiliter sopiendis; sed potiùs suscitandis, » & extrahendis intendebant. «

XXIX. Hinc non immeritò Officialium multiplicatione adscribenda videtur non tantùm litium multitudo, sed & forensis litigandi forma, & lites æternizandi, quæ ab aliquot seculis forum Ecclesiasticum intravit; & quam optimi quique Episcopi semper reprobârunt, & in suis Synodis, quantum temporum, & rerum conditio patiebatur, extirpare studuerunt, uti infrà *tit. de Instructione litium*, videbitur.

XXX. Teste enim Petro Blesensi in citata Epistola, eo tempore judicia, & causæ Ecclesiasticæ *seculari* jure ab Officialibus decidebantur. Dicit enim ad amicum suum: » Hanc admi» nistrationem, quam tibi damnabiliter usurpâsti, patientiùs fer» rem, nisi sacrarum litterarum scientiâ præemineres. Causæ, & » judicia, quibus te imprudenter, ne dicam impudenter, immis» ces, potiùs *consuetudinario*, & *seculari* jure deciduntur. Vi» rum litteratum, & Ecclesiasticum non sic decebat secularibus » negotiis implicari. «

Post hæc addit: » Officium Officialium, quorum te numero » aggregâsti, hodie est jura confundere, suscitare lites, transactio» nes rescindere, innectere dilationes, supprimere veritatem, fo» vere mendacium, quæstum sequi, æquitatem vendere, inhia» re exactionibus, versutias concinnare. «

XXXI. Non desunt quoque Belgarum querelæ adversus gravamina, & excessus Officialium, uti videre est in Ordinatione Maximiliani, & Philippi de 24. Augusti anni 1486. in qua conqueruntur, subditos suos passim in actionibus personalibus, & profanis, ac merè civilibus citari coram Judice Ecclesiastico: idque frequenter ex causis admodum vilibus, exiguis, & futilibus, puta pro summa 10. aut 12. grossorum plus minusve: & quod in casu non comparitionis citatorum, procedant contra ipsos per excommunicationes, & alias censuras, ita ut subditos nostros (inquiunt) redigant ad totalem ruinam, & paupertatem. Verba sunt: *Et souventes fois, pour bien miserables, petites & inutiles actions, comme de dix ou douze gros pour une fois, ou peu plus ou moins: par la noncomparition des citez, procedent contre eux par excommunications & autres Censures, en telle maniere qu' ils mettent nosdicts Subjects à totale perdition & povreté.* Id est: „Et frequenter ob viles, exiguas, & futiles actiones, » qualis decem, aut duodecim grossorum plus minus semel dun» taxat debitorum, eò quòd citati non compareant, adversus » eos excommunicationibus, aliisque censuris procedunt, eò us» que ut subditos nostros penitùs ad ruinam, & inopiam re» digant. «

Similes querelæ occurrunt in Edicto Caroli V. de 5. Augusti 1521. quo statuitur, nullum laicum coram Judice Ecclesiastico posse citari, nisi causa citationis in libello nominatim expressa, de quo suprà *part.* 3. *tit.* 1. *cap.* 2. *num.* 21.

XXXII. Hactenùs dicta sat ostendunt, Officialium hodiernorum institutionem esse ævi recentioris; ac cum ipsis in tribunalia Ecclesiastica forensem modernam litigandi morem, & strepitum intrâsse; ipsisque Ecclesiasticis Tribunalibus venerationis, & existimationis multum ipsorum occasione deperiisse; & Ecclesiasticæ jurisdictioni non parum fuisse detractum (uti infra tit. *de Instructione causarum* latiùs demonstrabitur) nequaquam tamen ex iis concludi potest, Officiales esse ab Ecclesia reprobatos, aut Episcopos ipsorum operâ uti non posse.

Imò scitur, quòd licèt Ecclesia optaret, citra fori secularis strepitum, & forenses formulas Judicia Ecclesiastica agi, & quæstiones finiri ad normam primorum seculorum, (uti infrà videbitur) nihilominùs quandiu illud obtineri nequit, non improbat, ut Episcopi negotiis majoribus occupati, Judicia forensia Officialibus committant; ipsamque jurisdictionem per ipsos exerceant; ut suprà *part.* 1. *tit.* 12. *cap.* 4. ostendimus, uti speciatim *de Officiali* Episcopi actum fuit.

XXXIII. Illud hîc addendum, Officialem esse hodie jurisdictionis Ordinariæ, quæ aliàs Episcopo competit, ministrum, atque per Judicem *Ordinarium* vulgo intelligi hodie Officialem Episcopi, utpote qui vices Episcopi in exercitio jurisdictionis supplet: ideoque tribunal Officialis etiam est tribunal Episcopi. Unde & causæ reservatæ cognitioni & jurisdictioni Episcopi, etiam per Officialem cognosci & judicari possunt, nisi nominatim declaretur, Episcopum *per se* de causa cognoscere & judicare debere.

XXXIV. Ulteriùs quia Officiales vices Episcopi, in munere judiciario supplent, meritò monet Concilium Narbonense anno 1609. *cap.* 42. „ Officiales pro quibus rationem reddituri » sunt Episcopi, ut Officio fungantur, hortentur sæpiùs, & cum » illis agant de rebus civilibus, & criminalibus, quæ in Curiis » ventilantur, ut qua fieri poterit meliori & expeditiori ratione » provideatur. «

Mandat & ibidem Episcopis, ut dum per se jus dicere nequeunt, „ personas idoneas, providas, & in Jure Canonico » exercitatas in Officiales eligant. «

XXXV. Sed vel præcipuè attendendum, ut in Officiales & Judices Ecclesiasticos eligantur, in quibus non sit avaritia, quique

(n) *In Galliis cùm quædam Diœcesis suos producit fines in jurisdictione plurium Parlamentorum, tenetur Episcopus tot instituere Officiales, quot sunt Parlamenta, in quibus sua extenditur Diœcesis, nisi Patentes, seu litteras obtinuerit Regias, quæ eum* à secundo *Officiali instituendo dispensent. Hac de re consulatur Tomus VII. novorum Collectaneorum Cleri Gallicani,* col. 232. *&c.*

que non cupiditate res temporales augendi, sed amore justitiæ, & pacis inter Fideles conciliandæ officium illud obeant; qui litium tricas, & forenses litium strepitus aversentur; nec iis nisi coacti, & more justitiæ inducti se implicari sinant.

XXXVI. Qui denique ostendant, se non adversus homines, sed adversus vitia agere; neque homines, sed vitia persequi velle; ipsorumque delinquentium emendationem, non autem bursam quærere: non minus adversus vitia & scandala pauperum, nihil in ære habentium, exurgere quàm divitum, quorum pingues vaccæ, & agri pleni.

Citatum Concilium Narbonense deplorat, quòd „ ignaros „ Sacerdotes, & pauperes pluribus vitiis deditos experiretur, & „ impunitos ad totius Cleri dedecus sciret, dum (ait) sumptibus „ adhiberi necessariis parcitur, ut tales puniantur.“ Deindè subjicit: „ Promotores igitur etiam per officii suspensionem, & aliis „ Juris pœnis compellant, ut contra tales inquirant, debitas pœ„ nas requirant, atque ut justum ab Officialibus de illis supplí„ cium exigatur, Episcopi procurent; ut eos pœnæ formido ter„ rat, quos virtutis amor non movet: sumptus verò non salaria „ solvent ipsi Episcopi, cùm in talibus gratis agatur.“

XXXVII. Quantopere vereretur S. Carolus, ne Officiales sive Vicarii sui ducerentur in causis decidendis carne, aut sanguine, probat Decretum Concilii Mediol. V. *part.* 3. *tit. de Episcopo, Episcopali jurisdict.* &c. quo declarat „ illud maxi„ mè expedire, cum omnique ratione consentiens admodum esse, „ ut Vicarii Episcopales quoad ejus fieri potest, alienæ potiùs „ Diœcesis, quàm illius sint, ubi commissum vicariæ curæ offi„ cii munus obire atque exequi debent.“ Rationem subjungit. „ Sæpè enim fit, ut cum Justitiæ quasi occulis tenebras cogna„ torum, affiniumve illa innata vis offundat: tum gratia metu„ que eorum quibuscum vixerunt, vivendumque deinceps est, „ etiam boni constantesque viri ab æquitatis norma, rectaque via „ faciliùs deflectant.“

XXXVIII. Et quia sciebat, facilè in forum Ecclesiasticum abusus irrepere, nisi Episcopus solicitè invigilet, statuit S. Carolus in Concilio Mediol. III. *part.* 1. *tit. de Iis quæ ad Episcopale forum pertinent*: „ Quotannis fori sui tribunal Episcopus „ visitet; inquiratque an præscripta fori ratio, an præfinita taxa „ servetur: tum præterea, an si quæ corruptelæ, si quive abusus „ irrepserint; an si quid denique vel institui, vel emendari opor„ teat: idque solicitè imprimis curet, ut eripiantur abusus, tum „ restituantur quæcunque ad rectam Judiciorum formam atti„ nent.“ (o)

XXXIX. Denique sciens nihil adeò fori Ecclesiastici odium apud populum excitare, nihilque spiritui Ecclesiastico magis contrariari, quàm si ex ipsa Justitiæ administratione temporalia quærantur, voluit imprimis S. Carolus in Concilio Mediol. III. loco citato: „ Nullum neque munus, neque domum, „ neque cujusvis generis xenia, ne esculenta quidem, poculen„ tave Vicarii ab iis accipiant, qui coram eis causas vel habent, „ vel agunt.“

Sed his, quæ omnibus Judicibus etiam Secularibus sunt pariter interdicta, non contentus, declaravit in Concilio Mediol. V. loco citato; „ Illud præter cætera munus Episcopi est, „ ut in suo Episcopali foro universis & singulis Jus *gratis* red„ datur. Quamobrem præter id quod alio Concilio Provinciali „ de muneribus, & donis cavimus, hoc Decreto statuimus, in „ ordinariis causis nihil quidquam vel minimum, ne sportularum „ quidem nomine, nec sponte etiam dantibus, aut ullo quovis „ modo à Judice illius fori accipi licere.

„ Si quis acceperit, pœnam lege Julia Repetundarum sancitam ipso facto subeat.“

Quam denique curam adhibuerit S. Carolus, ut & integri ministri in tribunalibus Ecclesiasticis haberentur; causæque eâ integritate & Justitiâ expedirentur, quæ tribunal Ecclesiasticum decent, in sequentibus latiùs ostendetur; ac unà dicetur, quòd recta horum tribunalium institutio sit unicum medium conservandi, & restituendi Jurisdictionem Ecclesiasticam.

CAPUT II.

De Judicibus Delegatis, et Synodalibus.

1 *Quid Judex Delegatus.*
2 *In quo distinguatur ab Ordinario.*
3 *Judicum Delegatorum usus præcipuè circa seculum XII. & XIII. invaluisse videtur.*
4 *Cur sub idem tempus multiplicari cœperint delegationes Pontificiæ.*
5 *Plures Decretales circa officium, & auctoritatem judicum Delegatorum sub idem tempus editæ.*
6 *Decretales penè solos delegatos Sedis Apostolicæ concernunt; & hodie aliorum rarus est usus.*
7 *Episcoporum Officiales non reputantur ut judices* Delegati; *& quare.*
8 *Officiales jurisdictionem aliis non delegant, sed tantùm aliquam partem aliis citra jurisdictionem committunt.*
9 *Pontifices Judices à se Delegatos haberi voluerunt, ut Judices à* Principe *delegatos.*
10 *Judex à* Principe *datus poterat judicem dare.*
11 *Hoc exemplo Pontifices declarârunt, Judices à se delegatos posse judices dare.*
12 *Decretalis Alexandri III. de hac auctoritate.*
13 *Altera Decretalis in eam rem vulgò eidem Alexandro attributa.*
14 *Hanc Decretalem declaravit, & exposuit Innocentius III.*
15 *Innocentius III. abrogata Novella Justiniani absolvit suos Delegatos à necessitate interveniendi negotiis cum suis subdelegatis.*
16 *Non tantùm concedit suis Delegatis auctoritatem dandi judices, sed integram jurisdictionem subdelegandi.*
17 *Quo fundamento responderint Pontifices ab hujusmodi Subdelegatis appellare non ad Delegantem, sed ad Summum Pontificem.*
18 *Hodie receptum, Delegatum Pontificis adinstar Ordinarii posse jurisdictionem subdelegare.*
19 *Judex à S. Pontifice delegatus potest etiam Episcopos subdelegare, eosque compellere.*
20 *Jure Decretalium etiam simplices Cleri poterant à Sede Apost. delegari.*
21 *Bonifacius VIII. voluit tantùm causas à Sede Apostolica delegari habentibus Dignitatem, aut Personatum, aut Canonicis Cathedralium Ecclesiarum.*
22 *Quoad habentes* Personatum *consuetudo constitutioni Bonifacii derogavit.*
23 *Decretum Concilii Tridentini circa personas à Sede Apostolica ejusve Legatis, & Nuntiis delegandas.*
24 *Concilium Trid. requirit in judicibus delegandis qualitates à Bonifacio expressas.*
25 *Requirit insuper ut* nominatim *designentur in Synodis; inde dicti judices* Synodales.
26 *Qui in dignitate constitutus judex fuit delegatus, potest de legationem absolvere, tametsi dignitatem dimiserit.*
27 *Ex dispositione Concil. Trid. cessat hodie Decretalis Alexandri III. declarans, successorem in dignitate succedere in delegatione.*
28 *Hodie solent Judices Synodales designari extra Synodos à solis Ordinaris cum consilio Capituli.*
29 *Etiam subdelegati à delegatis Pontificiis debent habere qualitates à Synodo præscriptas.*
30 *Hoc non procedit in delegatione ad aliquem particularem actum.*
31 *Ordinariis, & eorum Officialibus causæ delegari possunt licet non sint* designati.
32 *Hinc delegatio facta Ordinario etiam hodie transit ad successorem.*
33 *Judex delegatus debet probare suam delegationem; & quidem in* scriptis.
34 *Imò procedere nequit antequam litteræ delegationis ipsi fuerint præsentatæ.*
35 *Hodie solet rescriptum delegationis litteris citorialibus inseri, ut citato de delegatione constet.*
36 *Delegatus tenorem suæ delegationis servare debet.*
37 *Plures ad eandem causam judices jam pridem delegabantur.*
38 *Pluribus simpliciter delegatis unus sine altero procedere nequit.*
39 *Nisi alter alterum subdelegaverit.*
40 *Addita subinde clausula*: Quod si non omnes interesse possint, aut valeant, reliqui procedant; *& quæ vis hujus clausulæ.*
41 *Clausula hæc erat conditionalis.*
42 *Interdum plures, sed singuli* in solidum *delegantur; quod & hodie fieri solet.*
43 *Per præsentationem, & acceptationem ab uno Delegatorum factam, non cessat totaliter aliorum delegatio.*
44 *Inconveniens videtur, ut hodie dentur Judices ad postulationem & arbitrium partis.*

I. JUdex delegatus dicitur, qui jurisdictionem, vel cognitionem causæ habet ex delegatione, seu mandato alterius: eamque nomine, sive vice delegantis vel mandantis exercet. Unde dixit jam pridem Papinianus Jurisconsultus in *L.* 1. §. 1. *de Officio ejus, cui mand. jurisdict.* „ Qui mandatam juris„ dictionem suscepit, proprium nihil habet; sed ejus qui man„ davit, jurisdictione utitur.“ Et Ulpianus in *L.* 16. *ff. de Jurisd. omn. Jud.* „ Is, cui mandata jurisdictio est, fungitur vice „ ejus, qui mandavit, non suâ.“

II. Itaque Judex delegatus distinguitur à Judice Ordinario: quod hic jurisdictionem habeat propriam, eamque suo nomi-

(o) *Huic doctrinæ consonæ sunt Hispanæ leges* 6. 30. *&* 32. *&* 33. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop.*

mine proprio exerceat: Delegatus verò quidquid possideat, & quidquid agat, possideat, agatque nomine alterius, & vices ejus suppleat, ejusque personam repræsentet.

III. Hæc jurisdictionis delegatio in forum Ecclesiasticum intrâsse videtur, postquam forum hoc adinstar fori *secularis* regi cœpit: hoc est circa seculum XII. & XIII. Quod vel inde verisimile redditur, quod nec sub titulo *de Rescriptis*, neque sub titulo *de Officio*, *& potestate Judicis Delegati*, in Decretalibus Gregorii IX. ulla reperiatur Decretalis, quæ habeat auctorem antiquiorem Alexandro III. qui obiit anno 1181. quando ipsa tribunalia Ecclesiastica adinstar tribunalium secularium regi cœperunt.

IV. Cumque sub idem tempus causæ plurimæ, tum per appellationes (quæ tunc invalescebant) tum per exemptiones Capitulorum, & Monasteriorum (quæ sub idem tempus originem, & progressum habuere) aliisque pluribus titulis ad Romanum Pontificem devolverentur, quibus examinandis, & discutiendis Pontifex non sufficiebat; imò nec Romæ ob distantiam locorum, è quibus probationes peti debebant, facilè instrui poterant, necesse fuit causas plurimas aliis delegare; atque ita frequentissimæ esse cœperunt delegationes Pontificiæ.

V. Cùm autem recens esset horum Judicum Delegatorum in foro Ecclesiastico institutum, plurima tunc circa eorum auctoritatem, & officium difficultates, ac dubia mota sunt: quibus elucidandis, ac terminandis plurima Pontificum prodiere responsa, & Constitutiones, præsertim Alexandri III. & Innocentii III. ac subsequentium Pontificum.

VI. Et quidem omnes ferè Decretales sub titulis *de Rescriptis*, & *de Officio & potestate Judicis Delegati*, tam in libris Decretalium Gregorii IX. quam in Sexto Decretalium pertinent ad elucidationem potestatis, & officii Judicum à Sede Apostolica delegatorum, qui & hodie frequentiores sunt: imò ferè aliorum usus desiit.

VII. Episcopi enim, aliique Judices Ordinarii, si *per se* non judicent, aut jurisdictioni contentiosæ præsint, habent suos Officiales, qui licèt vice aliena fungantur, nihilominus non pro judicibus Delegatis, sed quasi Ordinariis reputantur, tanquam unum ex Ordinariis tribunal constituentes. Quare ipsorum tribunal reputatur pro Episcopali, & Ordinario, ut etiam monet Zypæus *Tit. de Officio Jud. Deleg. num.* 3.

VIII. Ulteriùs hi Officiales non solent aliis jurisdictionem delegare, sed tantùm aliquam ejus partem Archipresbyteris, aliisve committere, puta, ut *audiant allegationes*, *& rationes*, *& attestationes recipiant*, uti loquitur Alexander in *Cap.* 7. *de Potestate Jud. Deleg. in prima Collectione Decretalium*, reservata sibi finali decisione causæ. Itaque & hîc potissimum de Delegatis Pontificiis agendum.

IX. Cùm forum Ecclesiasticum eo tempore ferè regeretur legibus civilibus, etiam ipsi Judices delegati ad normam earundem legum instituti sunt: apparetque ex responsis, & Decretalibus Pontificum in Corpus Canonicum relatis, voluisse Pontifices, ut eorum Judices Delegati gauderent prærogativis, quas de jure Civili judices Delegati a Principe habent.

X. Imprimis judici à Principe dato illud speciale fuit, ut judicem ipse dare possit *L.* 5. *Cod. de judiciis*, ubi dicitur: „ A „ judice judex delegatus, judicis dandi potestatem non habet, „ cùm ipse judicario munere fungatur, nisi à *Principe* judex „ datus fuerit.“

XI. Hoc exemplo Pontifices etiam declarârunt, suis Delegatis jus esse dandi judices, tametsi id denegetur judicibus Delegatis ab Ordinariis.

XII. Imprimis Alexander III. in *Cap.* 7. *de Officio & Potest. Jud. Deleg.* in prima Decretalium Collectione apud Antonium Augustinum, & refertur in parte decisa *cap.* 6. ✠ *eod.* respondit Episcopo Wintoniensi: „ Innotescat itaque so„ licitudini tuæ, quod judex à nobis delegatus causam sibi » commissam potest aliis delegare, aut totam audiendam & ter» minandam, aut ut audiant allegationes & orationes, & at» testationes recipiant, & sententiam sibi ut reservent, vel » horum aliquid tantummodo faciant juxta voluntatem & be» neplacitum delegantis. «

XIII. Rursus sub nomine Alexandri III. in *Cap.* 18. ✠ *eod.* refertur responsum: » Si super causa, quæ tibi ex nos» tra delegatione committitur, à personis Ecclesiasticis una » vel pluribus, quibus, (ut parcas laboribus partium, & ex» pensis) cognitionem ipsius causæ, & testium examinationem » (sententia tibi reservata) committas, appellatio fuerit inter» posita, hujusmodi appellationis intuitu causam ipsam inde» finitam relinquere non teneris. «

Quamvis Emmanuel Gonzalez in notis ad hoc Capitulum, credat hujus Decretalis Auctorem non fuisse Alexandrum III. sed Lucium III. certum tamen est, quòd Innocentius III. ejus Auctorem crediderit fuisse Alexandrum III.

Innocentius enim respondens Archiepiscopo Cantuariensi in *Cap.* 27. ✠ *eod.* » Per Constitutionem nostram consultationi » *Alexandri* Papæ nullatenus derogatur, sed illa per istam ex» ponitur, imò in ista veriùs, quæ in illa fuerant prætermissa, » supplentur, « evidenter ad citatam Decretalem reflectit, ut exequentibus verbis manifestum est; & ipse Gonzalez in notis ad hoc Capitulum fatetur.

XIV. In hac Decretali apertè declarat Innocentius: » In» tentionis nostræ fuit (sicut ex tenore Constitutionis præmissæ » potest liquide deprehendi) quòd ut judicialis auctoritas libe» riùs valeat exerceri, delegatus à nobis licitè possit, & princi» pium, & finem, & medium causæ sibi commissæ, non solum » conjunctim, sed etiam divisim alii delegare; non obstante » quod dicitur, quòd judex debet cognoscere per se ipsum in » principio, in medio, & in fine: cùm antequam ferat senten» tiam, universa, quæ acta sunt in judicio, investigare debeat » diligenter.“

XV. Per hanc clausulam, *non obstante quod dicitur* &c. alludi ad Novellam 60. Justiniani Imp. notavit vir Eruditus Franciscus Florens in Commentario ad tit. Decret. *de Offic. & potest. jud. Deleg.* in qua Novella Justinianus nominatim interdixit Judicibus à se delegatis, ne suis Assessoribus vel Consiliariis, neque principium, neque medium neque finem committerent; sed ipsi per se in omnibus litis partibus unà cum suis Assessoribus, vel Consiliariis adessent vigilantiùs. Ab hac igitur necessitate judices à se delegatos hîc absolvit Innocentius; quod & Glossographus notavit, verbo *In principio*, notans insuper, quòd » secundum Leges tantùm suis Consiliariis commit» tit judex examinationem, uti in dicta Novella: secundum Ca» nones committit cuicunque vult, *Cap.* PASTORALIS 28. ✠ » *eod.* « Quod est etiam Innocentii III.

XVI. Ulteriùs cùm juxta leges tantùm permittatur judici à Principe delegato *judicem dare*, ipse Innocentius declaravit, judices à se delegatos posse non tantùm judices dare, qui ex dispositione juris Civilis tantùm simplicem *notionem*, non autem jurisdictionem habebant; sed posse omnimodam & plenam jurisdictionem alteri committere, sive *subdelegare*: quod præter rationem juris Civilis inductum esse notavit, & pluribus probavit Franciscus Florens loco citato.

XVII. Adhæc notat ibidem Florens, quòd ubi Pontifices contra juris Civilis rationem introduxerunt judicem *à se* delegatum posse integram jurisdictionem alteri delegare, sive subdelegare, conformiter ad alia juris principia responderint, appellari ab hujusmodi *subdelegato*, non ad delegantem, sed ad Summum Pontificem, juxta *L.* 1. *ff. Quis & à quo appelletur*: ubi dicitur, à judice *dato* provocandum ad eum, qui dedit; sed ab eo, cui mandata jurisdictio, non is provocandus sit qui mandavit, sed is qui provocaretur ab eo qui mandavit.

XVIII. Interim ex hoc Innocentii responso, aliisque subsequentium Pontificum conformibus responsis receptum est, Delegatum Pontificis jurisdictionem vel in totum, vel in parte, posse delegare; atque hac in parte potiorem esse Delegatis Ordinariorum, imò quasi Ordinarium reputari.

XIX. Hæc potestas judici à S. Pontifice delegato idcirco delata est, quia ex persona, & vice ipsius Pontificis cognoscit & judicat, ipsiusque personam in hoc judicio repræsentat: ideoque & eidem permittitur, ut Superiores, ac Prælatos, imo & Episcopos subdelegare, & si necessitas exigat, compellere possit; quin & sententiarum executionem eisdem demandaret: eò quod in hac causa tanquam Pontificem repræsentans, reputetur major, & superior Ordinariis: ita tamen ut in coactione modum servet, & dignitati deferat & personæ, *Cap.* 11. ✠ *de Offic. jud. Deleg.* & *Cap.* 2. *eod. in VI.*

XX. Jure Decretalium nullæ speciales qualitates expressæ reperiuntur circa personas judicum delegandorum à Sede Apostolica, sed quilibet etiam simplices Cleri eo jure delegari poterant, pluraque exempla hujusmodi delegationum occurrunt.

XXI. Cùm autem id in depressionem Sedis Apostolicæ, & Ordinariorum, quibus hi Delegati superiores esse prætendebant, cederet, Bonifacius VIII. in *Cap.* STATUTUM 11. *de rescript. in VI.* sancivit, » ut nullis nisi Dignitate præditis, aut Persona» tum obtinentibus, seu Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, » causæ auctoritate litterarum Sedis Apostolicæ vel Legatorum » ejus de cætero committantur. «

XXII. Quæ Beneficia sint hodie *dignitates*, ac pro talibus reputentur, videri potest supra *parte* 2. *tit.* 18. *cap.* 2. ubi notatum fuit, Personatus hodie ferè inter *simplicia* Beneficia reputari; unde & Zypæus *Consult.* 1. *de Offic. jud. Deleg. numer.* 14. observat, quòd licèt Bonifacius hîc locarit habentes *Personatum* inter Dignitates, & Canonicos Cathedrales, nullum tamen hîc viderit designatum in Judicem, nisi & alia qualitas ei competierit.

XXIII. Synodus Tridentina considerans, » quoniam ob ma» litiosam petentium suggestionem, & quandoque ob locorum » longinquitatem, personarum notitia, quibus causæ mandantur, » usque adeò haberi non potest, hincque interdum Judicibus » non undequaque idoneis causæ in partibus delegentur, statuit » *Sess.* 25. *cap.* 10. *de Reformat.* in singulis Conciliis Provin» cialibus, aut Diœcesanis aliquot personas, quæ qualitates ha» beant,

» beant, juxta Constitutionem Bonifacii VIII. quæ incipit, *Sta-*
» *tutum*, & alioquin ad id aptas designari, ut præter Ordina-
» rios locorum, iis etiam posthac causæ Ecclesiasticæ, ac spi-
» rituales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes in partibus
» delegandæ committantur. Et si aliquem interim ex designatis
» mori contingerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Ca-
» pituli alium in ejus locum usque ad futuram Provincialem,
» aut Diœcesanam Synodum, ita ut habeat quæque Diœcesis
» quatuor saltem aut etiam plures probatas personas, ac ut su-
» prà qualificatas, quibus hujusmodi causæ à quolibet Legato,
» vel Nuntio, atque etiam à Sede Apostolica committantur:
» alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi
» ad Summum Romanum Pontificem transmittant, delegatio-
» nes quæcunque aliorum Judicum aliis, quàm his factæ, subrep-
» titiæ censeantur.«

XXIV. Vult ergo imprimis Synodus, ut judices, quibus in partibus causæ delegantur à Legatis vel Nuntiis, atque etiam à Sede Apostolicâ habeant qualitates expressas in citata Constitutione Bonifacii VIII.

XXV. Verùm ultra has qualitates requirit Synodus, ut ex personis illis, quæ dictas qualitates habent, aliquæ *nominatim* designentur in Conciliis Provincialibus, aut Synodis Diœcesanis, quibus & non aliis, posthac causæ Ecclesiasticæ, ac spirituales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur. Unde juxta Decretum Synodi non sufficit, quòd quis sit in Dignitate constitutus, ut causæ ei delegari queant; sed requiritur insuper, ut sit ad id officii speciatim designatus, seu nominatus.

Et quia secundum Synodum Tridentinam hæc nominatio deberet fieri in Synodis Provincialibus, vel Diœcesanis, solent personæ ad hoc munus delectæ vocari hodie *judices Synodales*; quasi *à Synodo* designatæ sint in *judices*.

XXVI. Ut designari queant, requiritur quidem ut qualitatem à Bonifacio VIII. requisitam habeant; sed si constitutus in Dignitate fuerit in Judicem Synodalem designatus, ipsique causa aliqua delegata fuerit, si postmodum eam Dignitatem resignaverit, posse nihilominus in causa illa pergere, post alios notat Stephanus Weymesius in Analysi ad Constitutionem I. inter 24. Constitutiones per Concilium Tridentinum innovatas. Quia propriè non est ipsa Dignitas, aut Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis, quæ personam ad judicandum aptam reddit, sed ideò requirit Synodus eam qualitatem, quod magis de capacitate harum personarum ex Dignitate, quam obtinent, præsumatur; quæ præsumptio nullatenus diminuitur, tametsi qualitas illa postmodum illis adimatur: atque hoc casu verè ac propriè accipi possunt hæc Synodi Trident. verba: *alioquin ad id aptas*; cùm satis reperiatur apta persona, quæ semel aptâ fuit, nec aliquid quod ad aptitudinem in judicando conducit, amisit.

XXVII. Necessitas dessignationis faciendæ in Synodis Provincialibus, aut Diœcesanis facit, ut hodie cesset Decretalis Alexandri III. in *Cap.* 14. ✠ *De Offic. & potest Jud. Deleg.* qua deciditur, Successorem in Dignitate succedere in delegatam jurisdictionem, quæ facta est sub *nomine Dignitatis*, & non personæ nominatim expressæ. Nam non sufficit, ut supra monuimus, ut quis Dignitatem habeat ratione cujus Prædecessor fuit electus in judicem Synodalem, sed necessaria est *specialis designatio* personæ.

Hinc ipsa Synodus expressè declarat, »si aliquem inte-
» rim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci
» cum consilio Capituli alium in ejus locum usque ad futuram
» Provincialem, aut Diœcesanam Synodum« quibus clarè innuit, successorem in Dignitate nequaquam suo jure in hoc munus suo prædecessori succedere, sed opus esse nova designatione.

XXVIII. Et quidem cùm hodie rarò admodum Synodi celebrentur, passim usu invaluit, ut Ordinarii de consilio Capituli Judices Synodales designent; quibus & non aliis causæ in partibus delegandæ committantur.

XXIX. Nec tantùm Nuntii, & Legati Apostolici restringuntur in sua delegatione ad personas juxta præscriptum Synodi Trident. designatas, sed & ipsi Delegati si subdelegare velint; cùm Delegatus non debeat melioris conditionis censeri, quam Delegans, uti rectè advertit Weymesius loco citato *num.* 20.

XXX. Hoc tamen intelligendum de Subdelegato ad plenam cognitionem, & decisionem causæ. »Negari enim non potest,
» quin (ut rectè notat Weymesius *num.* 21.) ad unum aliquem
» particularem articulum subdelegari rectè possit is, qui Digni-
» tatem non habet, dummodo de cætero sit idoneus & legalis;
» puta, testium examinationem, ad instrumentorum collatio-
» nem, vel ad alium similem actum. Et cùm per talem Subde-
» legationem tota jurisdictio Apostolica non transferatur; imò
» possit talis articulus expediri absque ulla causæ cognitione,
» non immeritò tolerantur in exercitio illius etiam simplices
» Clerici, ac personæ privativæ, quæ nullam habent Dignitatem.
» Quod ipsum usus, & fori praxis quotidiana testatum faciunt.«

XXXI. Advertit Zypæus in jure novo *tit. De Off. Jud. Deleg. num.* 3. quòd Synodus Tridentina duntaxat requirat designari in Conciliis Provincialibus, aut Diœcesanis personas, quibus *præter Ordinarios* causæ in partibus delegandæ committantur: adeoque ipsis Ordinariis (sub quibus & Officiales Episcoporum comprehenduntur) causas posse delegari absque *speciali* designatione.

XXXII. Ex quo ulteriùs conficitur, quòd delegatio facta Ordinario sub qualitate Ordinarii transeat ad successorem juxta citatam Decretalem Alexandri III. quia hîc sufficit sola qualitas Ordinarii, quæ in successore reperitur. Itaque si Ordinariis sub qualitate Ordinariorum non expressis nominibus propriis facta sit delegatio, indubiè hæc ad successorem transibit: quemadmodum Ordinarii sine ulla speciali delegatione procedunt tanquam Delegati Sedis Apostolicæ in omnibus illis causis, quæ ipsis per Synodum Tridentinam tanquam Delegatis Sedis Apostolicæ sunt commissæ: de qua delegatione latiùs agetur infra titulo *De Exemptionibus*.

XXXIII. Ut quis possit jure specialis delegationis procedere, debet ante omnia delegationem probare; neque fides adhibenda dicenti se delegatum, nisi probet se delegatum, uti docent Canonistæ ad *Cap.* CUM IN JURE ✠ *de Off. & Potest. Jud. Deleg.*

Imò sicuti mandatis Principum, quæ quis se habere asserit, credi non debet, nisi *scriptis* probaverit, *Leg.* 1. *Cod. De Mandatis Principum*; ita nec delegato credendum nisi *litteris* suam probaverit delegationem; & ostendit Fagnanus ad citatum *Cap.* CUM IN JURE, *num.* 7. & 8.

XXXIV. Quin ex communi Doctorum sententia, judex delegatus ad exercitium suæ jurisdictionis procedere nequit ante præsentatas *litteras* delegatorias, uti multis relatis probat Salgado *De Protect. Reg. parte* 4. *cap.* 6. *n.* 60. ubi & *num.* 26. asserit id procedere, etiamsi sciat facultatem sibi competere, sed nondum sint litteræ præsentatæ. Conformis est hodierna praxis. Qui enim in causa appellationis impetravit à Nuntio Apostolico rescriptum delegatorium, illud Judici Synodali, cui rescriptum dirigitur, præsentat; nec ante ejus sibi factam præsentationem & acceptationem officium Judicis aggreditur.

XXXV. Post acceptationem juxta litteras delegationis procedit; & si partem adversam citet, ipsis litteris citatorialibus copiam rescripti Apostolici inserit, ut ex ipso rescripto probetur ipsi citato auctoritas citantis; conformiter ad opinionem Glossæ in *Can.* SI EPISCOPUS, *Caus.* 3. *quæst.* 2. verbo *Convocari*, ubi dicit: »Item non valet citatio, si rescriptum Apostolicum
» non inseritur.«

XXXVI. Litteræ delegationis non tantùm necessariæ sunt, ut delegationem suam Delegatus probare queat, sed insuper ut ex earum tenore auctoritatem, & potestatem suam metiri possit. Nam ut ait Pontifex in *Cap.* 21. ✠ *De Offic. Jud. deleg.* »Mandati siquidem fines excedere probaretur, si quis citra for-
» mam rescripti accepti præsumeret judicare.« Unde delegatio ad certas personas, aut articulos extendi nequit, sed termini delegationis servandi *Cap.* 40. ✠ *eod.*

XXXVII. Sicuti jure Civili in una eademque causa sæpiùs plures judices dabantur, *L.* 76. *ff. De Judic.* ita & Pontifices causas frequenter pluribus judicibus delegare soliti fuerunt, *Cap.* 21. ✠ *eod.* ubi dicitur: »Illa quippe fuit antiqua Sedis
» Apostolicæ provisio, ut hujusmodi causarum recognitiones
» duobus, quàm uni, tribus, quàm duobus libentiùs delegaret;
» cùm (sicut Canones attestantur) integrum sit judicium, quod
» plurimorum sententiis confirmatur. Mandati siquidem excede-
» re fines probaretur, si quis circa formam rescripti accepti præ-
» sumeret judicare.«

XXXVIII. Et quidem si simpliciter plures delegati sint Judices, unus sine altero procedere nequit, *Cap.* 16. ✠ *eod.* »Quia
» (ait Pontifex) cùm causa duobus committitur, sententia unius
» non tenet.«

XXXIX. Hoc tamen fallit, si unus alteri causam subdelegaverit, *Cap.* 6. ✠ *eod.* quia hanc subdelegandi auctoritatem à jure habet; adeoque necesse non est, ut hæc ei per Rescriptum delegationis detur, uti notat Glossa ad dictum *Cap.* 6. quod Jure Civili non licebat. Nec enim Judex datus alterum subdelegare poterat, sed cogebatur ipse judicare. Judicandi enim munus erat personale, uti monet Franciscus Florens ad titulum *De Off. Jud. Delegat.*

XL. Cùm autem sæpè contingeret, ut pluribus datis Judicibus, unus eorum vel interesse nollet, vel non posset; atque ita lites expediri non possent; cœperunt Pontifices, ut faciliùs lites expedirentur, in suis Rescriptis addere hanc clausulam: *Quid si non omnes interesse velint, aut possint: reliqui in negotio procedant; vel duo, aut unus ex illis procedat*, dicto *Cap.* 21. 23. & 30. ✠ *eod.* in quibus dictarum clausularum vis explicatur. Et quidem in Cap. 21. §. 1. dicitur, quòd si clausula tantùm exprimat, *si interesse nequiverint*, & unus ex ipsis, cùm possit, *noluerit* interesse, reliqui nihilominùs possint procedere.

Ul-

XLI. Ulteriùs ostenditur in citatis Decretalibus, quòd cùm prædictæ clausulæ sint *conditionales, si interesse non possint, aut nolint*, non posse reliquos procedere, vel uno tantùm neglecto; sed opus est, ut ante constet litteratoriè, sive in scriptis eum interesse non velle, vel non posse.

XLII. Quod si non conditionaliter, sed purè, & absolutè ita clausula fuerit concepta, *ut omnes, aut duo, vel unus sine altero procedat*, ipsorum quælibet liberè poterit in causa procedere non expectatis conjudicibus cæteris. Censentur enim hoc casu omnes, & *singuli in solidum* delegati. Quæ formula proponitur in *Cap.* 8. *De Off. Jud. Deleg.* estque hodie frequentissima.

Solent enim passim à Nuntiis in Belgio designari tres Judices, idque cum clausula, ut eorum quilibet, cui rescriptum præsentari contigerit, in causa solus procedere queat.

Ususque habet, ut non nisi *uni* è tribus rescriptum delegatorum præsentetur; isque solus de causa cognoscat.

XLIII. Nequaquam tamen per præsentationem, quin & acceptionem rescripti ab uno judicum factam, aliorum auctoritas ita expirat, quin adhuc liberum sit impetranti rescriptum ad ipsos revocare, si prior vel non potuerit, vel noluerit in causa procedere; uti declarat Pontifex *in citato Cap.* 8. tametsi negotium etiam fuisset coram ipso inchoatum. Vide Zypæum *Cons.* 1. *De Rescriptis.*

XLIV. Hoc nonnullis in hodierno stylo displicet, quòd judices designentur ad postulationem partis; ac præterea è tribus designatis electio impetranti detur, cui è tribus quem sibi faventiorem credit, Rescriptum delegationis præsentet: quòd sanè (ait Carolus Fevretius *lib.* 4. *De Abusu cap.* 2. *num.* 11.) nec fieri, nec tolerari oportet ex ratione Jurisconsulti in *L.* 47. *De Judiciis*: » Observandum est, ne is judex detur, quem al-» tera pars nominatim petit, id enim iniqui esse exempli Adria-» nus rescripsit. «

Quomodo judices delegati causam instruere, sententiam proferre, ac exequi possint, aut debeant, dicetur inferiùs, ubi de instructione causarum, sententiarum prolatione, earumque executione speciatim tractabitur.

CAPUT III.

De Judicibus delegandis in Partibus, et non evocandis extra Provinciam.

1 *Primitùs judices delegabantur in partibus etiam remotissimis*
2 *Ad evitanda incommoda Concilium Lateranense statuit, nullum posse citari extra suam Diœcesim ultra duas dietas.*
3 *Dietæ hîc sumuntur pro dietis vulgaribus, non legalibus.*
4 *Hoc sensu dietas accepit Concilium Andegavense.*
5 *Bonifacius VIII. constitutionem Concilii Lateranensis restrinxit ad unam dietam.*
6 *Jam pridem judicavit Synodus Nicæna conveniens esse, ut negotia terminentur in locis, ubi orta sunt.*
7 *Synodus Tridentina videtur desiderare, ut causæ delegentur judicibus Synodalibus singularum respectivè Diœcesium.*
8 *In Gallia, causa Appellationis committenda est in propria Diœcesi.*
9 *In Belgio etiam extra propriam Diœcesim judices delegantur; nec hoc videtur absolute repugnare Concilio Tridentino.*
10 *Juxta notorium usum Belgii incolæ non possunt trahi in judicium extra Provinciam.*
11 *Hic usus indicatur in antiquis tabulis Cortenbergensibus.*
12 *Eundem confirmat Bulla aurea Caroli IV.*
13 *Id ipsum jam pridem juramento interposito promiserunt Principes Belgii.*
14 *Gravissima pœna constituta in eos, qui incolas Brabantiæ evocarent extra Brabantiam.*
15 *Aliquando exceptæ fuere causæ coram Episcopis tractandæ.*
16 *Anno 1515. civitates Brabantiæ à Principe impetrârunt, ne ulla ex causa ad tribunalia Ecclesiastica extra Brabantiam evocari possent.*
17 *Hodie Episcopi extra Brabantiam residentes habent tribunalia in Brabantia, coram quibus citantur incolæ Brabantiæ.*
18 *In causis spectantibus ad Curiam Romanam debent Belgæ judicari per judices delegatos in partibus.*
19 *De hoc jure Belgarum conservando soliciti fuere Magistratus Regii in promulgatione Concilii Tridentini.*
20 *Hoc jus Belgarum etiam agnovit S. Congregatio Cardinalium interpretum Concilii Tridentini.*
21 *Scriptores etiam exteri de hoc privilegio Belgarum mentionem faciunt.*
22 *Judices* in partibus *hîc dicuntur, qui in singulis propriis citatorum Provinciis delegantur.*
23 *In Hispania exemptus non potest eligere Conservatorem extra regnum.*
24 *Rex Hispaniæ suscipit defensionem illius, qui ad curiam Romanam extra regna Hispaniæ vocatur.*
25 *Similiter in Hispania Episcopi recidentes extra regnum debent deputare Vicarios in regno.*
26 *In Gallia nullus potest citari extra regnum, sed causæ delegandæ in partibus.*
27 *Executor citans aliquem extra regnum potest super eo conveniri.*
28 *Usus Galliæ habet, ut judices delegentur intra limites Parlamenti cujusque Provinciæ.*
29 *Ratio istius usus.*
30 *Ab hoc usu non videtur dissona praxis Belgii, & quandonam aliquis videatur citari extra Provinciam.*
31 *An hodie Belga possit citari vigore rescripti delegatorii ultra unam dietam extra suam Diœcesim.*
* *Nec de consensu partium causæ ad judicia peregrina, sive extra Provinciam deducendæ.*

I. CUm primitùs judices delegari cœperunt, sicuti omnimoda erat circa personas delegandas libertas Delegantis; ita quoque quoad locum, in quo judicium delegationis esset peragendum, nulla erat restrictio; solebantque etiam in partibus remotioribus judices impetrari; ipsæque partes coram eis ad loca illa remotiora comparere cogebantur.

II. Verùm Concilium Lateranense sub Innocentio III. advertens, quòd » nonnulli gratiâ Sedis Apostolicæ abutentes, lit-» teras ejus ad remotos Judices impetrare niterentur, ut reus fa-» tigatus laboribus, & expensis liti cedere, vel importunita-» tem actoris redimere compellatur, statuit, ne quis *ultra duas* » duas dietas extra suam Diœcesim per litteras Apostolicas ad ju-» dicium trahi possit. « (p) *Cap.* 28. ✠ *De Rescriptis.*

III. Quærit Glossographus hîc, num Constitutio intelligatur de *vulgaribus* dietis, quæ habentur secundum consuetudinem regionis, aut de *legalibus*, secundum quas viginti milliaria computantur pro dieta, *L.* 3. *ff. De V. S.* resolvit autem Glossographus, quòd de *vulgaribus* intelligenda sit; & ita quoque aliquando per Senatum Parisiensem judicatum fuisse, refert Choppinus *lib.* 2. *de S. P. tit.* 5. *num.* 9.

IV. Hoc sensu Concilium Andegavense 1365. à Simone Archiepiscopo Turonensi cum Suffraganeis celebratum intellexisse *dietas* colligitur ex *Can. III.* ubi imprimis narrat, quòd nonnulli in Provincia Turonensi *dietas* diversimodè in casibus præmissis (id est Rescriptorum Sedis Apostolicæ) niterentur computare. Post hæc dicit: » Nos verò de communi consilio, & assensu to-» tius Concilii duodecim leucas taxamus pro dieta *vulgari*, vel » etiam *usuali* in Diœcesi Turonensi, & Andegavensi; in Bri-» tannia verò & Cænomania decem leucas taxamus pro dieta. «

Deinde concludit: » Itaque reus à fine Diœcesis Turonen-» sis, & Andegavensis ultra duodecim, & in Britannia & Cœno-» mania, ultra decem leucas per litteras Apostolicas non traha-» tur. «

V. Dum hîc non permittunt ultra *unam* dietam, quæ 12. aut 10. (q) leucas comprehendit à fine Diœcesis, reum in judicium trahi per litteras Apostolicas, indubiè reflectunt ad Constitutionem Bonifacii VIII. in *Cap.* STATUTUM *De Rescriptis, in VI.* qua statutum fuit, ut si actor, & reus ejusdem civitatis seu Diœcesis fuerint, extra ipsas causa non committatur, nec conveniatur aliquis eorundem, nisi in duobus casibus ibidem nominatim expressis, in quibus casibus extra dictas civitatem, & Diœcesim possit causa committi; *Nullus tamen* (ait) *eorum ultra* UNAM DIETAM *à fine suæ Diœcesis valeat conveniri.*

Deinde addit eadem Constitutio: » Cùm autem actor, & » reus civitatum & Diœcesium fuerint diversarum, si actor in » civitate, vel Diœcesi rei judicem habere recuset, ipsum non in » sua, sed in alia civitate, vel Diœcesi liberè impetrare valeat, » reumque trahere ad eandem; dummodo locus (ait) ad quem » eum *editi, sit erectum, in eo omnes dictæ Causæ terminari debent, hac potissimum ratione ne Vassalli sui gravamina, expensas, extorsionesque in litis prosecutione patiantur: eademque ratione neque etiam intra Regnum ad Civitatem, quæ Episcopatûs caput est, laicos citari, paucis exceptis, posse præcipit lex* 5. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recop.*

(p) *In Hispania etiam cautum est in Act. Acordato* 3. *tit.* 8. *lib.* 1. *Recop. litteras Apostolicas, seu Brevia, quæ ad remissionem causarum ad Judices Ecclesiasticos extra Regnum impetrantur, retineri, cùm dictæ causæ Ordinariis, sive Judicibus Synodalibus committi debeant, ut ait Act. Acord.* 6. *cap.* 2. *ejusdem tit. & lib. vel judicibus Apostolicis, in Curia constitutis, ut etiam dicitur in dicto Act.* 6. §. 10. *verùm hodie cùm ad postulationem Catholici nostri Regis Rotæ Tribunal virtute Brevis à SS. D. Clemente XIV. sub data* 26. *Martii ann.* 1771.

(q) *In Hispania unaquaque dieta constat etiam decem leucis, ut constat ex leg.* 19. 20. & 18. §. 8. *lib.* 7. *tit.* 1. *Recop.*

» eum traxerit, ultra *unam dietam* minimè sit remotus. « Licèt ergo Bonifacius in hac Constitutione permiserit reum citari quibusdam casibus extra suam civitatem, vel Diœcesim, noluit tamen eum ultra *unam* dietam à fine suæ Diœcesis citari.

VI. Conveniens esse, ut causæ terminentur ubi exortæ sunt, jam pridem judicavit Synodus Nicæna, uti refertur *Canon XII.* in Collectione Canonum sub nomine Adriani I. » Prudentissima (inquit) justisimaque Nicæna, sive Africana Decreta definierunt, quæcunque negotia in *suis locis*, ubi *orta* fuerint, finienda. « Plures Canones idipsum præsertim in causis Clericorum, & Episcoporum, astruentes collegit, & retulit Gratianus *Caus. 3. quæst. 6.*

VII. Unde prædicta Constitutio in quantum restringit evocationes causarum è locis, in quibus ortæ sunt, ubique recepta fuit; quin & Synodus Tridentina volens, ut habeat unaquæque Diœcesis quatuor saltem, aut etiam plures probatas personas, ac ut supra qualificatas, quibus causæ à quolibet Legato vel Nuntio, atque etiam à Sede Apostolica committantur, satis innuit, se saltem optare, ut causæ judicibus Synodalibus singularum respectivè Diœcesium committantur.

VIII. Imò si Philippo Probo credamus in notis ad Glossam Pragmaticæ Sanctionis, *tit. de Causis*, §. *Statuit.* verbo TERMINENTUR ET FINIANTUR, *num.* 8. in Gallia debet causa delegari » in Diœcesi, in qua appellatus degit, aut in ea, in qua » prima instantia fuit facta, alias appellatur ab ea rescripti obten- » tione tanquam ab abusu. «

Et ex Joanne Chenu refert Carolus Fevretius *lib. 4. de Abusu, cap. 2. num. 9.* » Papa in Diœcesi, in qua lis cœpta est, at- » que in partibus ubi causa in prima instantia tractari, & decidi » debuit, Rescripto suo litem ultimo judicio dirimendam com- » mittere debet; aliàs si extra Diœcesim, inspectâ litis origine, » Rescriptum dirigatur, locus erit apellationi ab abusu. «

Testaturque Choppinus *lib. 2. de S. P. tit. 4. num. 5.* quòd cùm à sententia Officialis Capituli Turonensis exempti esset appellatum ad Sedem Apostolicam, atque causa commissa esset duobus Canonicis Ecclesiæ Cænomanensis, in Provincia Turonensi, quia tamen erat extra *Diœcesim* Turonensem, delegationem fuisse declaratam abusivam anno 1535. ac rursus in simili casu anno 1564.

Notat insuper Joannes Lucius *lib. 2. tit. 4.* Inquisitorem fidei, auctoritate Pontificis constitutum, & à Rege admissum non potuisse partes litigantes coram se citare, nisi esset in Regno; quia juxta SS. Canones, Rei delati extra suas Diœceses evocari non poterant. » Itaque (ait) pronuntiatum est, eum, qui ab » ejusmodi evocatione velut ab abusu provocâsset, rectè atque » ordinatè provocâsse. «

IX. Licèt Synodus Tridentina (uti dictum est) optare videatur, ut causæ à judicibus in suis respectivè Diœcesibus ubi ortæ sunt, definiantur; ideoque prædicta praxis Regni Galliæ à Mente Synodi non appareat difformis, non apparet tamen, quòd Synodus absolutè statuerit, ut causæ in aliqua Diœcesi ortæ tantùm delegentur judicibus *ejusdem Diœcesis*; atque hac in parte restrinxerit Constitutionem Bonifacii VIII. Cùm enim eam derogationem non exprimat, credit Zypæus *Consult. 1. de Offic. Jud. deleg.* Synodum Tridentinam hac in parte juri antiquo non derogâsse; posseque consequenter, judices etiam aliarum Diœcesium delegari, intra terminos tamen à Bonifacio VIII. constitutos, id est, non ultra *unam* dietam extra Diœcesim, præsertim in secundis, & tertiis instantiis: quod & notoriæ praxi Belgii consonat.

X. Verùm hæc ita nihilominùs limitanda sunt, ut causæ semper intra Provinciam maneant; nec Belgæ prætextu cujusvis delegationis extra patriam in judicium trahantur; puta, Brabantus extra Brabantiam litigare cogatur.

Hoc enim notorio & vetusto usu receptum est, & Principum Diplomatibus cautum, & à Principibus interposito etiam Juramento Belgis promiti solitum, ut Belgæ extra patriam, seu Provinciam in judicium trahi non sinantur.

XI. Et quidem in antiquissimis illis Tabulis, quas anno 1312. Joannes Dux Brabantiæ condidit Cortenbergæ, ac inde Tabulæ *Cortenbergenses* vulgò vocantur, studiosè inculcatur, ut subditi & incolæ per judices *indigenas* eo loco, quo forum sortiuntur, secundum cujusque civitatis leges judicentur, interpositâ fide de non permittendo, ut quis adversus ea faciat. Verba latinè reddita sunt: *Cunctis jus postulantibus judicia reddi faciemus per Scabinos, aut eos, quibus judicare incumbit, atque uti secundum proposita negotia, forum sortiuntur, nimirum unicuique secundum jus civitatis suæ, nec adversus hoc faciemus, aut fieri patiemur; & si quid elucidandum, aut mutandum incidit circa leges, id semper fiet adhibito consilio bonorum virorum hujus regionis. Quæ omnia fide, & jure jurando nostro, tactis Sacrosanctis Evangeliis, promittimus per nos; & successores nostros firma & stabilia fore, atque curaturos, ut ab aliis observentur.*

Exstant hæ Tabulæ parte I. Edict. Brabant. *lib. 2. tit. 1. cap. 2.*

XII. Deinde eodem libro *tit. 2.* extat privilegium Caroli IV. vulgò *Bulla aurea*, ejusque iterata confirmatio, qua Duci Brabantiæ conceditur, ne ullibi gentium extra propriam regionem Brabantis diem dicere, aut litem intendere quis ausit.

XIII. Adhæc jampridem promiserunt Principes, etiam juramento interposito, perpetuò firmum & stabile fore, ne alter alterum extra Provinciam in jus vocet; ut habetur in læto Introitu Joannæ Ducissæ Brabantiæ de 3. Januar. extatque citata *part. 1. Edict. Brabantiæ, lib. 2. tit. 1. cap. 4.*

XIV. Extat ibidem *cap. 6.* lætus introitus Antonii Ducis Brabantiæ, quo idem articulus auctior promittitur, addito insuper promisso, severitatem pœnæ (videlicet perditionis corporis, & bonorum, *Verbeuren syn lif ende syn goed*) in contravenientes, se nulli moderaturum.

XV. Addit tamen exceptiones paucas intuitu jurisdictionis Ecclesiasticæ, nimirùm in causis testamentorum, pactorum antenuptialium, eleëmosynarum, & bonorum Ecclesiasticorum.

Cùm enim olim tres causarum species ad audientiam Ecclesiasticam Leodiensis vel Cameracensis Episcopi deduci possent, videlicet de testamentorum validitate, de pactis antenuptialibus, & rebus in pios usus donatis, seu per amortizationem subductis seculari potestati (uti suprà *tit. 2. cap. 2.* & 3. ostensum est) etiam primitùs indultum fuit, ut his ex causis coram illis Episcopis extra Brabantiam comparere deberent.

XVI. Verùm anno 1515. deputati Civitatum Brabantiæ dissertè à Principe stipulati sunt, ne municipes, vel incolæ Brabantiæ ulla ex causa ad tribunalia Ecclesiastica evocari possent, aut jurisdictionem vicinorum Episcoporum agnoscere, nisi per Delegatos in Brabantia residentes, & jus dicentes; uti habetur in additione 2. ad lætum Introitum Caroli V. *art. 3.* Verba sunt: *Dat de ondersaten onses voorchreven landts van Brabandt in den Bisschopdomme van Luycke ende Camerycke, huyten den selve Lande van Brabandt geleghen, voor t' Geestelycke gherichte, niet en sullen moghen worden betoghen van heuren persoonen oft goeden, die in onsen voorschreven Lande van Brabandt gheleghen oft geseten zyn. Maer dat die inde Gheestelycke Hoven der selver Bisschoppen binnen den Lande van Brabandt gestelt, getoghen sullen worden ten rechte alsoo langhe als de selve Geestelyche Hoven in den selven onsen lande van Brabandt liggen sullen.* Id est: » Ut subditi dictæ nostræ » dictionis Brabanticæ in Diœcesibus Leodiensi, & Camera- » censi extra dictam Brabantiæ Provinciam coram tribunali Ec- » clesiastico nec ratione personæ, aut bonorum in dicta nos- » tra Brabantiæ Provincia sitorum conveniri possint, verùm » quòd ad Curias Ecclesiasticas dictorum Episcoporum intra » Brabantiam constitutas in jus vocabuntur, donec dictæ Ec- » clesiasticæ Curiæ in præfata Brabantiæ nostra Provincia ex- » titerint. «

XVII. Hæc cautio solemni Principis juramento firmata, ad hanc diem religiosè custoditur. Hinc Archiepiscopi Mechliniensis, & Cameracensis, item Episcopus Namurcensis per suos Officiales in Brabantia residentes, & pro tribunali sedentes jus dicunt municipibus, & incolis Brabantiæ; neque extra Brabantiam in causis etiam merè Ecclesiasticis unquam citare præsumunt.

* Uti judicavit Senatus Brabantiæ contra Archidiaconum Condromi in Ecclesia Leodiensi 10. Martii 1700. quâ unà declaravit, similem Officialem sive Judicem debere *fixam* habere residentiam in Brabantia, & insuper debere esse *perpetuum*, sive non revocabilem ad arbitrium Prælati, seu Judicis extra Brabantiam residentis; ut ita Brabanti nullatenus dependerent à Judice extra Brabantiam residente. Integra sententia extensa exhibetur infrà sub litt. (r)

(r) Sententia extensa Senatus Brabantiæ contra Archidiaconum Condromi 10. Martii 1700.

Le Prévot & Pasteur de Limbourg, Vice-Archidiacre & Official de Condros, au pays & Duché de Limbourg & autres pays d' Outremeuse, & pour lui en prenant la cause, le Conseiller & Procureur General & les Etats du pays de Limbourg, Suppliáns. L' Archidiacre dudit Condros, Rescribent.

Veu au Conseil souverain de Sa Majesté, ordonné en Brabant la Requête y présentée par le premier Suppliant le 13. de Juillet 1693. par laquelle il donnoit à connoître, que suivant les privileges du pays de Brabant & d' Ultremeuse, aucuns Sujets Ecclesiastiques ou autres de même pays, ne pouvant être évoquez ni convenus en Jugement pardevant le Juge Ecclesiastique ou autres hors ledit pays, le Rescribent avoit donné commission au Suppliant pour exercer la Jurisdiction Ecclesiastique dans le dit Condros, laquelle il avoit longues années paisiblement exercé ensuite du placet dudit Conseil; mais comme François Pirotte avoit présenté Requête au-

Similis sententia ab eodem Senatu lata fuit die 26. Augusti 1720. contra Archidiaconum Hasbaniæ, quoad Officialem &

audit Rescribent, pour que le Suppliant auroit à lui envoier les actes du debat que ledit Pirotte avoit pardevant le Suppliant contre Corneille de Haut Regard, aut sujet de la Cure de Waudre, afin d' en connoître, le dit Rescribent, sans considerer, qu' il ne pouvoit exercer aucune Jurisdiction sur les Sujets du pays de Limbourg, avoit par appointement du 31. Mai. 1693. dit : *communicetur præsens supplica Officiali nostro Limburgensi, fine transmittendi nobis acta, interim quæcunque præjudicialia suspendentes*, ledit Rescribent avoit pour lors ordonné au Suppliant de lui envoier les actes d' un Procès ventillant pardevant lui ; & après avoir examiné lesdits Actes, il les avoit renvóiés avec la Sentence par ecrit, avec ordre au Suppliant de la prononcer comme il l' avoir couchèe ; mais comme le sentiment dudit Suppliant & de ses Assesseurs n' étoit conforme à la dite Sentence, il en avoit donné avis audit Rescribent, dont il avoit eu pour réponse, qu' il n' avoit pas envoié la Sentence pour la faire examiner de ses Assesseurs, mais bien pour la prononcer, comme étoit à voir par la piece en étante ; & quoique par toute civilité & raison, il avoir donné à connoître au Rescribent, qu' il ne lui étoit permis d' exercer aucune Judicature en ce pays, il ne laissóit pas pourtant à continuer de le troubler dans sa Judicature avec menace de revoquer sa commission ; raison pourquoi ledit Suppliant se retiroit vers ledit Conseil, le suppliant très-humblement d' être servie de lui vouloir accorder Lettres de maintenue *in forma*, avec clause de mandement, tenant lieu. Vû aussi la rescription y servie à l' encontre par le Rescribent le 29. d' Octobre 1693. par laquelle il dissoit d' avouer, que suivant les privileges des pays de Brabant & de Oultremeuse aucuns Sujets Ecclesiastiques ou autres du meme pays, ne pouvoient être évoquez ni convenus en jugement pardevant le Juge Ecclesiastique, ou autres hors ledit pays, & que pour cette raison & au lieu, & que le Rescribent vaqueroit lui même en Brabant, pour prendre connoissance de toutes les causes des Brabançons, qui pourroient survenir en son district, ainsi que l' Archidiacre de Hasbaye le faisoit lui même ès terres de l' Obeissance de Sa Majesté, il avoit substitué le Suppliant en sa place en l' ann. 1691. pour exercer la Jurisdiction en son nom & de son autorité dans ledit Condros, ne croiant pas, que sur cette substitution seroit suivi aucun Placet, qui n' étoit pas aussi necessaire, celui du 18. Avril 1671. ne pouvant servir pour ladite substitution faite par le Rescribent dix années après ; & en tout cas, supposant, que le placet de Sa Majesté seroit requis pour que le Suppliant pourroit exercer la jurisdiction en vertu de cette substitution, pardessus, que tout ce, qu' il auroit fait jusqu' à présent, seroit nul & de nulle valeur, il étoit notoire, que ce Placet ne pourroit changer la nature de ladite substitution; tellement, que de revocable qu' elle étoit de soi & en vertu de la clause sous laquelle elle avoit été faite *usque ad revocationem nostram duntaxat*, elle seroit devenue irrevocable, & qu' ainsi il avoit toujours demeuré libre au Rescribent de la révoquer, comme il avoit fait ; de maniere, qu' il n' y avoit aucune apparence de possession, sur laquelle il pourroit fonder sa demande afin de maintenuë, & qu' il avoit tort de se plaindre de ce, que le Rescribent avoit été obligé de faire en meilleure administration & execution de la justice, pour empêcher des coups, que le Suppliant meditoit de faire par une trop grande partialité pour l' une des parties, ce qui n' étoit pas de cette matiere ; & sourtout le Rescribent s' etonnoit d' autant plus du procédé du Suppliant, qu' il ne pouvoit ignorer qu' Antoine Delva aiant fait de même contre le prédécesseur du Rescribent, & aiant même obtenu en ce regard Lettres de maintenuë, icelles avoient été declarées sub & obreptices & sans effet, & lui non fondé ni recevable, & condamnez à deux tiers de depens, ainsi qu' étoit à voir par la Sentence pareillement en étant ; parmi qu' elles & autres raisons debattans l' ulterieur contenu de ladite Requête d' impertinence, frivolité & dénégation, contendoit le Rescribent à ce que levant l' interdiction accordée sur la dite Requête, icelui pour avoir requis par icelle, ainsi qu' il avoit fait, seroit déclaré non fondé ni recevable, & condamne ès dépens. Vû de suite la réplique, rescription ulterieure, réplique ultérieure & duplique desdites parties, ainsi que la Requête civile du Rescribent du 23. Decembre 1694. avec les raisons d' impertinence y alencontre servies de la part du Suppliant. Vû en outre la Sentence interlocutoire y ensuivie le 26. de Mars 1695. par laquelle ledit Conseil, avant de faire droit, ordonnoit aux emprenans de venir *ad causam* pour &c. Vû en outre la conclusion desdits emprenans, par laquelle ils disoient en substance, que selon les loix & privileges fondamentales de ce pays, les Sujets du Roi, soit Ecclesiastiques ou séculiers, ne pouvoient être arrêtez, évoquez ni tirez en justice hors de ce

Tri-

même pays, mais ils devoient être traitez & jugez par des Juges du pays ; qu' aussi le Rescribent n' ignorant pas cette vérité, & sçachant, qu' il ne pouvoit faire en ce pays aucun Acte jurisdictionel en qualité d' Archidiacre du Condros, à raison qu' il devoit tenir & tenoit fixement résidence dans la Ville de Liege, il avoit laisse continuer le Suppliant dans l' exercice de la jurisdiction Ecclesiastique audit Condros, ensuite de la commission lui donnée pour ce sujet, & agrée par le Roy par Acte du 18. Avril 1671. jusqu' à ce, qu' il lui avoit pris envie d' ordonner au Suppliant de lui envoier les Actes & Pieces du Procés instruit devant lui Suppliant, entre le Procureur d' Office d' une, & Me Nicolas Gregoire d' autre part, de les examiner, y porter Sentence, & en charger par sa Lettre du 27. Juin 1693. le suppliant de la prononcer, à quoi le suppliant n' aiant voulu déferer, comme il ne pouvoit en aucune maniere, à moins de souscrire à une emprise evidente, le Rescribent s' étoit voulu attribuer l' autorité de le deporter, en révoquant, comme il avoit pretendu de faire par acte du 28. Aoust de ladite année, sa commission ; mais comme l' une & l' autre choquoient également lesdites loix & privileges, le premier, parce que les Sujets du Roi ne pouvoient être jugez, qu' en ce pays, & par des Juges y domiciliez : & le second, parce qu' il y doit être un Tribunal fixe pour les gens d' Eglise aussi bien que pour le séculier ; que les Juges y devoient juger avec une pleine & entiere liberté, & que partant ils ne pouvoient être révocables *ad nutum*, lesdits Emprenans concluoient, à ce, que le entreprise du Rescribent énoncée & faite respectueusement par sa Lettre du 27. de Juin 1693. fut déclare nulle, invalide & sans effet, lui ordonnant de la casser & metre à néant avec depens, déclarant de plus que la personne, qui se devoit établir dans la Province de Limbourg pour y exercer ladite jurisdiction Ecclesiastique, y devoit tenir fixe domicile, & ne pouvoit être déporté ni revoqué *ad nutum* aussi avec dépens, ou qu' autrement &c. lequel écrit aiant été appointé de communication le 28. de Juin 1695. le Rescribent avoit servi à l' encontre son écrit de réponse, & conclusion contraire, contenant en substance, qu' il ne vouloit aucunement tirer en dispute les loix & Privileges du pays, énoncez en l' article 1. dudit écrit, mais que le contenu du second article, où les Emprenans disoient, que les Sujets du Roi devoient être traitez & jugez par des Juges du pays, contenoit un équivoque ; s' il entendoit par la, que les Sujets de sa Majesté devoient être jugez par des Juges, qui tenoient leur Tribunal dans le pays on admettoit très-volontiers ce point: mais s' il entendoit par la que les Sujets de Sa Majesté devoient être jugez par des Juges qui soient nez & domiciliez dans le pays, on dénioit absolument ce point pour ce, qui regardoit la Jurisdiction Ecclesiastique, le contraire étant avéré & établi par plusieurs exemples publics & par une usance immémoriale ; qu' en premier lieu il ne pouvoit pas avoir un exemple plus solemnel qu' au regard des Archevêques de Malines, lesquels, quoique pour la plupart point nez dans le pays, n' avoient pas laissé pour cela d' exercer leur Jurisdiction dans toutes les parties du Brabant, qui étoient de leur Diocèse, aussi les Archevêques avoient leur Domicile & Palais en la Ville de Malines, qui étoit une Province separée de celle de Brabant, & non obstant cela ils exerçoient & avoient toûjours exercé leur jurisdiction dans le Brabant ; & combien que par succession de tems ils avoient établi un Official dans la Ville de Bruxelles, cela ne s' étoit fait, que pour plus grande commodité de ladite Ville, à cause que l' Official qui résidoit en la Ville de Malines, ne pouvoit pas commodément vacquer dux affaires de Bruxelles ; aussi ledit Official, qui résidoit à Bruxelles, n' étoit pas délegué seul pour les affaires du Brabant, sa délegation primative étoit restrainte au district de Bruxelles & de l' Eau de saint Pierre ; dans le reste du Brabant, comme Louvain, Tirlemont, Diest, Arschot; Leau, Saint Leonard, autres quartiers, l' Official qui résidoit & étoit domicilié à Malines, avoit la délégation & jurisdiction concurrente avec l' Official, qui résidoit à Bruxelles, mais l' Official qui résidoit à Malines, ne exerçoit pas dans la Ville de Malines la jurisdiction, qu' il avoit sur les Habitans de la Province de Brabant; il exerçoit cette jurisdiction dans un lieu, qu' il désignoit à cet effet dans la Terre & Province de Brabant, & ce pour que les Sujets de Brabant ne pourroient pas se plaindre d' évocation. C' est en cette conformité que les Archidiacres de Liege, qui n' étoient nez ni domiciliez dans le pays de Brabant, etoient en possession immemoriale de juger par soi-meme ou par leurs Substituts, de toutes les causes appartenantes à leur jurisdiction ou district de Brabant : que l' article 3. dudit écrit contenoit plusieurs periodes, lesquelles il convenoit de considerer séparément, pour autant mieux les recontrer & y donner solution particuliere, les Emprenans disoient en premier lieu audit article, que le Rescribent ne pourroit faire

Tribunal Ecclesiasticum Patriæ Ultramosanæ, hujus Senatus re en ce pays aucun Acte jurisdictionel en qualite d' Archidiacre de Condros, à raison qu' il tenoit sa fixe residence en la Ville de Liege. Cetre premiere partie dudit article étoit entierement abusive; au contraire il étoit libre au Rescribent d' exercer par soi-meme en Brabant la jurisdiction Ecclesiastique, laquelle lui competoit sur les Sujest de Sa Majesté en sadite qualité d' Archidiadre; il s' vouloit exercer cette jurisdiction par soi-même, il n' établiroit pas pour cela son Tribunal dans la Villa de Liege, il établiroit à cet effet son Tribunal dans la Terre de Brabant au distriét, qui étoit sujet à sa jurisdiction Ecclesiastique. Les Emprenans disoient en second lieu audit article, que le Rescribent auroit laissè continuer le Suppliant dans l' exercice de la jurisdiction Ecclesiastique audit Condros, en suite de la commission à lui pour ce donnée & agreée par le Roi par Acte du 18. Avril 1671. les Emprenans montroient laudit article que le Conseil du Suppliant s' étoit melé & assisté pour faire dresser leur Ecrit; car pourquoi avançoient ils cette continuation figurée, sinon pour couvrier le tort du Suppliant, lequel étoit évident en ce, qu' il étoit notoire, que par la mort de feu l' Archidiacre, prédécesseur du Rescribent, la qualité d' Official, laquelle le Suppliant pouvoit avoir reçû de lui, étoit venu à cesser étant notoire en droit, *quod sit idem Tribunal Episcopi & ejus Officialis, idem Tribunal Archidiaconale & ejus Officialis, atque adò moriente Episcopo cessat qualitas ejus Officialis, uti & moriente Archidiacono*, dont il avoit en cette Archidiocése de Malines un exemple tout nouveau, arrivé par le trepas de l' Archevêque Alphonse de Berges, par la mort duquel est venu à cesser la qualité d' Official en la personne du Cure du Beginage Martin Oudenhagen, qui étoit encore en vie. Si donc cette qualité etoit venu à cesser en la personne du Suppliant par la mort du feu l' Archidiacre, oncle du Rescribent, ainsi que cela étoit notoire en droit & usance journaliere, le Suppliant ne pouvoit pas prétendre présentement la qualité d' Official du chef de feu le prédécesseur du Rescribent; tout ce, qu' il y ponvoit prétendre, devoit avoir sa source & sa force de la délegation faite par le Rescribent, & de la commission lui donnée à cet effet. Si les Emprenans vouloient examiner ladite commission, & tout ce qui étoit ensuivi, ils trouveroient sans doute plus de matiere pour se joindre au Rescribent, & pour emprendre de cause pour lui, que pour l' emprendre pour le Suppliant, ils tronveroient, que depuis que la premiér commission du Suppliant étoit venue à cesser par la mort de feu l' Archidiacre de Condros, prédécesseur du Rescribent, le Suppliant ne s' étoit jamais mis en devoir pour obtenir des Lettres de Placet, afin de pouvoir exercer au páys de Brabant sa nouvelle commission, & ainsi on laisse à considerer aux Emprenans, s' ils veulent continuer à défendre uné personne, laquelle sans demander, moins obtenir des Lettres de Placet, vouloit exercer au pays de Brabant une commision d' Official par lui obtenue du Rescribent, ils trouveroient au dessus de cela dans sa délegation donnée par le Rescribent les mots *ad nostram revocationem*, sur lesquels on avoit raisonné dans les Ecrits précedens, & on diroit en general contre l' article 3. que le Rescribent n' avoit jamais douté du pouvoir, qu' il a de juger par lui-même au pays de Limbourg, auquel lui compete la jurisdiction Ecclesiastique en qualité d' Archidiacre de Condros, non obstant q' il tenoit sa residence en la Ville de Liege: si le Rescribent avoit délegué au Suppliant ladite jurisdiction Ecclesiastique, cela n' avoit pas été fait par aucune obligation, mais par la volonté libre du Rescribent à l' instance & trés instante priere dú Suppliant: cela s' étoit aussi fait pour la commodité du Rescribent, afin qu' il ne seroit pas obligé d' aller lui meme au pays de Limbourg pour y exercer la jurisdiction à chaque cas, lequel y auroit pû arriver. Quant à ce que les Emprenans disoient en l' article 4. qu' il auroit pris envie au Rescribent d' ordonner au Suppliant de lui envoier les Actes & Pieces du Procés instruit pardevant le Suppliant entre le Procureur d' Office d' une, & Me Nicolas Gregoire d' autre part, le Rescribent avoit eu des raisons tres-pressantes pour se faire informer de ladite procedure, le devoir du Rescribent n' etant pas de laisser agir ses substituts en toutes les causes comme ils le trouvoient à propos; le devoir du Rescribent, qui est *oculus Episcopi*, pour se bien acquitter de sa charge, étoit de se faire du moins quelque fois informer de l' état de la partie du Diocése qui étoit sous sa Jurisdiction, & de l' état des causes qui font quelque bruit & éclat, comme a fait celle instituée contre le nommé Gregoire, mais il étoit abusif de dire, que le Rescribent y auroit porté Sentence, & qu' il auroit enchargé le Suppliant par sa Lettre du 27. de Juin 1693. de la prononcer; que c' étoit en vain, que les Emprenans figuroient cette prétendue raison, pour la quelle le Rescribent auroit revoqué la commission du Suppliant, le Rescribent ne croiant pas, qu' il devoit verifier autre raison pour cette effet que sa seule volonté; puisque ces sortes de commissions, delegations ou substitutions, comme tous autres mandats, etoient revocables *ad nutum* de celui, qui avoit commis, delegué ou substitué; qu' aussi l' Acte de revocation insinué au Suppliant ne contenoit & n' avoit dû contenir aucune raison particuliere, bien loin, qu' il contiendroit la pretendue raison figurée par les Emprenans; au contraire, du 5.' article le Suppliant auroit beaucoup mieux fait de se conformer au projet de Senténce à lui envoiée de la part du Rescribent, lequel etoit suggeré par des hommes scavans, desinteresez, sans faveur, ni dissimulation, le Rescribent n' aiant fait en cela qu' ensuite de son devoir & de sa conscience, enseigner & diriger le Suppliant pour qu' il auroit porté Sentence conforme à la disposition du droit, & proportionée au méfait de celui, qui etoit accusé; par quel enseignement & direction personne n' avoit été évoqué ni jugé hors du pays étant captieux de dire que le Rescribent l' auroit voulu deporter pour cette raison, il étoit vrai, qu'il avoit plû au Rescribent de déporter le Suppliant & de révoquer la commission, laquelle il lui avoit donnée, mais il ne s' ensuivoit pas de la que le Rescribent avoit revoqué ladite commission pour telle prétendue raison particuliere, & partant le Rescribent ne croioit pas d' avoir en aucune maniere contrevenu à aucune loi ou privileges de ce pais de Brabant, n' aiant jugé personne hors du pays; les Archidiacres ni autres Juges Ecclesiastiques n' étant pas obligés de tenir résidence continuelle dans ce pays; & quant à ce que les Emprenans disoient, qu' il devoit y avoir un Tribunal fixe en ce pays pour les gens d' Eglisse, ausi bien que pour les séculiers, la constitution de ce Tribunal dependoit du Rescribent, à qui competoit la Jurisdiction ordinaire Ecclesiastique parmi la partie de la Terre de Brabant, qui étoit & avoit été de tout tems immemorial sous le district de Condros: que le Tribunal étoit le Tribunal du Rescribent & nullement de son Délegué, commis ou substitué, si non pour le tems, qu' il lui plaisoit de continuer cette delegation, commission ou substitution; finalement quant à ce, qu' étoit dit sur la fin de l' article 9. quelles Juges ne pouvoient être revocables *ad nutum*, parce qu' ils devoient juger avec une pleine & entiere liberté, cet argument etoit trop general pour etre de quelque solidité ou de consideration; que tous les Echeviens du plat pays de cette Province sont revocables *ad nutum*; ils ne laissoient pas pour cela d' être Juges durant leur commission; tous les Juges céléguez étoient révocables *ad nutum* ensuite des termes du droit écrit, ils ne laissoient pas cependant d' être Juges aussi longtems que leur délégation duroit; & si la crainte, que leur commission étoit révoquée, étoit capable d' induire les Juges à faire une injustice, il seroit plus convenable de les voir bien tot révoquer, que de voir dans des Tribunaux des gens, qui par crainte de perdre un gain temporel, porteroient des Sentences contraires au mouvement de leur conscience, au moien de quoi le Rescribent concluoit à ce, que les Emprenans, pour avoir conclu ainsi qu' ils l' avoient fait sur la fin dudit Ecrit, fussent déclarez non fondez ni recevables *cum expensis*. Vû de suite l' Ecrit de réplique des Emprenans servi le 27. Septembre 1695. par lequel ils disoient en susbtance, que le Rescribent ne voulant tirer en dispute les loix & priviléges du pays, il ne devoit faire passer pour équivoque ce qu' ou avoit dit en consequence des mêmes loix & priviléges, que les sujets du Roi devoient être traitez & jugez par des Juges nez au pays; non pas que par des Juges du pays, pour causes Ecclesiastiques on vouloit entendre des Juges nez au pays, mais bien des Juges y domiciliez; que les peuples de ce pays aiant de tout tems eu en horreur d' être traitez par des Juges étrangers, ne avoient rien eu plus à cœur que de laisser à la posterité un usage par forme de loi, qui baniroit semblables jugemens, ce que les Princes avoient du depuis confirmez & établi par leurs inaugurations & plusieurs pragmatiques, ensuite desquels tous ceux, qui ne residoient pas, étoient inhabiles pour juger, parce que tout homme etoit reputé pour étranger qui n' y etoit pas habitué, quand même il en fût originaire du moins en matiére de Judicature; & qu' ainsi tout Tribunal etoit censé étranger, qui étoit composè d' un Juge étranger: *Primæ illæ tabulæ Cortenbergenses à Duce & proceribus Regionis solemniter Juratæ, quæ nobis tanquam Solonis axones*, (1) *vel Lycurgii Rhetræ* (2) *religiosæ sunt, nihil studiosius inculcant, quam jus dicendum esse subditis & incolis per judices indigenas,*

(1) *Solonis* Axones, *seu* Axes, *erant tabulæ sectiles, quæ leges Solonis insculptas habeant, ut testatur Guill.* lib. 2. c. 12. *Van Espen Jur. Eccles. Pars III. Tom. II.*

(2) Rhetræ *dicebantur oracula seu responsiones Apollinis, deinde dictæ sunt de legibus Lycurgi. Consule Ammianum lib.* 10. c. 5

» bunal de la Hesbaye au Pays d' Outremeuse doit être per-
» manent, que les personnes qui le composent y doivent te-
» nir

nas, eo loco, ubi forum sortiuntur, & secundum cujusque civitatis leges: interposita fide de non ferendo, aut permittendo, ut quis adversus ea faciat; Stockmans *in Tractatu suo Defensio Belgarum, cap.* 1. *num.* 4. donant par ce mot *indigenas* à connoitre qu' il faut, que les Juges soient inhabitans du pays, ce que il déduisoit plus amplement *num.* 7. *Cum olim tres causarum species ad audientiam Ecclesiasticam Leodiensis vel Cameracensis Episcopi deduci possent, videlicet de testamentorum validitate, de pactis matrimonialibus & rebus in pios usus donatis, seu per amortizationem subductis seculari potestati; providerunt postea majores nostri de his etiam speciebus, & diserte à Principe stipulati sunt die* 26. *Aprilis* 1515. *ne ulla ex causa ad Tribunalia Ecclesiastica, municipes, vel incolæ Brabantiæ evocari possent, aut Jurisdictionem vicinorum Episcoporum agnoscere cogerentur, nisi apud delegatos eorum, qui in Brabantia residerent; quæ nova cautio solemni principis Sacramento firmata ad hanc diem religiosè custoditur.* Que comme il ne se pouvoit introduire aucune coûtume, ni prescription par que laps de tems que ce pouvoit être, contre & en préjudice des loix fondamentales du pays, renouvellées & fermentées dans toutes les inaugurations de nos Princes souverains, il étoit inutile d' alleguer des exemples & usances contraires; c' étoient de tollérances dont l' on ne pouvoit tirer aucune conséquence, & qui n' avoient même jamais été pratiquées par les Suppliant ou ses prédecéseurs dans le pays de Brabant ou de Limburg, ou ils n' avoient jamais exercé par eux-mêmes aucune Jurisdiction Ecclésiastique, mais y avoient toujours établis des Juges qui y avoient de tout tems tenu leur fixe résidence conformement les loix du pays, qui étoit ce que l' on prétendoit ici, sans qu' il étoit necessaire de toucher ici davantage la question, si par la mort de l' Archidiacre la qualitè de son Official venoit à cesser le Suppliant à qui elle concernoit promptement l' aiant assez établi par ses Ecrits précédens, nonobstant l' exemple du Curè de Beginage en cette Ville Martin Oudenhagen; lequel, comme on sçait, n' avoit plus continué la fonction d' Official après le trepas de l' Archevêque de Malines, parce qu' il n' avoit plus l' envie de porter le fardeau de cette charge; qu' il s' en étoit ainsi demis volontairement & de son propre mouvement, après quoi il avoit toujours tenu son propre domicile en cette Ville, si long tems qu' il avoit été révétude la dite charge, & jugé à l' exclusion de tous autres toutes les causes Ecclésiastiques qui s' etoient presentées; à l' exemple de quoi le Rescribent se devoit aussi régler, laissant le jugement libre & tout entier, & en toutes les causes au Juge de Eglise établi audit Limbourg, sans s' en attribuer la connoissance lui-même, qui ne avoit pas de qualité de juger en ce pays faute de résidence personnelle & de permission du Roi, comme Duc de Brabant & de Limbourg de sorte que l' entreprise enoncée & faite respectivement par sa Lettre du 27. de Juin 1693. étoit un attentat inexcusable sur les privileges du pays, icelle lettre faissant voir clairement malgré tout ce que le Rescribent en dissoit par le 48. article de son Ecrit, qu' il avoit enchargé le Suppliant de lui envoier les Actes & Pieces du Procés y mentionnez, de les examiner, en porter Sentence, & ordonner au Suppliant de la prononcer; qui n' étoit pas seulement d' administrer justice entre les Sujects du Roi par un Juge étranger comme l' étoit le Rescribent habitué dans la Ville de Liege, mais aussi la rendre hors les limites du pays sous une Jurisdiction étrangere, l' une & l' autre également contre & en préjudice du droit public, dont l' observance avoit été jurée si solemnellement par toutes les dites inaugurations, y comprise aussi celle du Roi notre Sire, que Dieu conserve longues années. Que les Juges du platpays de cette Province ne l' étoient pas comme le Rescribent l' alleguoit, n' étant point dans le pouvoir de ceux qui les établissoient de les démettre sans cause légitime avant le tems ordinaire du changement, & ainsi il y avoit un Tribunal fixe non plus n' moins qu' en toutes les autres Villes de Brabant, de quoi l' on ne se contentoit pas encore au pays de Limbourg, puisqu' il étoit notoire que tous les Juges même jusqu' à ceux du plus chetif Village, y sont perpétuels: il étoit donc inutile de dire que les Juges déléguez, quoique révocables *ad nutum*, seroient Juges ausi long-tems, que leur commission duroit, attendu qu' il ne suffisoit pas d' avoir des Juges, mais qu' il en falloit avoir conformément aux loix du pays, c' est à dire, des Juges, qui puissent juger toutes sortes de causes avec une indépendance totale de celui, qui les établissoit, & une liberté toute entiere, & de suite composer un Tribunal fixe & ordinaire, ce qui ne se pouvoit pas trouver dans de juges révocables *ad nutum*, à la faveur desquelles & autres raisons, &c. debattant l' ulterieure contenu dudit Ecrit d' impertinence & dénegation, *quatenus contra*, persistoient les Emprenans comme auparavant avec Hepens. Vû en outre la duplique dudit Rescribent, par laquelle il disoit entrè autres, que les peuples de ce pays n' avoient jamais eu en horreur les Juges étrangers, comme les Emprenans alleguoient, mais bien les évocations qui se faisoient hors du pays, qui les obligeoient de plaider à grands frais, & sans l' assurance de leurs personnes pardevant des Tribunaux étrangers établis hors du pays; les inaugurations & pragmatiques des Princes souverains de ces pays avoient blamé & aboli les evocations; mais ni les inaugurations ni les pragmatiques n' avoient jamais blâmé l' exercice de la Jurisdiction Ecclesiastique par ceux à qui elle competoit, nonobstant qu' ils ne résideroient pas dans le pays, c' est-à-dire, nonobstant, qu' ils n' y avoient pas ni domicile constitué ou absolu, qui se nomme en Droit *domicilium incolatus & constituitur in eo loco ubi quis larem & rerum suarum summam constituit, lib.* 2. *cap. de municip. & originar.* pourvu, que cette Jurisdiction s' exerceroit dans le pays même, & que les Surceans du Brabant ne seroient pas évoquez hors du pays, ceux, qui avoient exercé cette Jurisdiction, aiant toûjours éte tenus quant à cet effet pour domiciliez dans le pays, à raison de leur dignité & Jurisdiction, qu' ils y avoient tenue & exercé, ce domicile étant appellé en Droit *domicilium dignitatis*, en suite de quoi un Pretre est censé avoir domicile au lieu de son Benefice, un Magistrat au lieu, où il dèservoit sa Magistrature, nonobstant qu' il y auroit ailleurs son domicile constitué *sive incolatus*, comme il étoit remarqué par Argentré aux Coutumes de Bretagne, *art.* 9. *Gloss.* 1. *num.* 6. que les Emprenans avoient pourtant grand tort de dire, comme ils avançoient, que tout Tribunal étoit censé etranger, qui est composé d' un Juge, qui est étranger, ou au contraire les Juges, qui avoient Jurisdiction dans le pays étoient censez par le exercice de cette Jurisdiction dans le pays avoir leur domicile dans le pays même; que les Emprenans citoient en vain les Tables de Cortenberg, ou plûtot les Passages de Stockmans, faisant mention avec eloge desdites Tables, où non seulement ledit Stockmans ne parloit pas toûjours avec le même eloge desdites Tables, comme par exemple en sa Décision premiere num. 21. où il disoit: *In Tabulis Cortenbergensibus Joannis Brabantiæ Ducis annis* 1312. 1313. *quanta ruditas & infantia*; mais aussi lesdites Tables ne parloient aucunement de la Jurisdiction Ecclesiastique, aussi Stockmans dans le lieu cité par les Emprenans entendoit par les mots *judices indigenas* des Juges nez & domiciliez dans le pays, ce que les Emprenans même avoient dû avouer ne pouvoir être appliqué aux Juges Ecclesiastiques, lesquels ils avoient avoué ne devoir pas être nez dans le pays, comme ce l' a été usité dans le Brabant au regard des Juges seculiers: les mots *secundum cujuscunque civitatis leges*, dont Stockmans se servoit audit passage, marquoient aussi, qu' il y entendoit de parler des Juges seculiers, même il n' agissoit pas audit passage du cas en question, mais il y agissoit pour desaprouver les évocations, qu' il appelloit *peregrina judicia*; pour lesquels desaprouver il n' emploioit pas seulement lesdites Tables de Cortenberg, mais aussi le traité fait en l' an. 1251. entre Henry Duc & Prince de Brabant, & l' Evêque de Cologne, où il avoit été convenu, *ne occasione debitorum, conventionum, vel pactionum, alter alterius res, vel personas in civitate Coloniensi, vel in terra Ducis accipere posse, vel arrestare*, lequel Traite me contenoit notoirement que les evocations, & nullement le sujet du présent debat. Les Emprenans ne pouvoient pareillement se prévaloir de ce, qui étoit deduit plus amplement par ledit Stockmans audit Traité *Defensio Belgarum, cap.* 1. *num.* 7. Car combien qu' il étoit véritable, *quòd cum olim tres causarum species ad audientiam Ecclesiasticam Leodiensis, vel Cameracensis Episcopi deduci possent, videlicet de Testamentorum validitate & de pactis matrimonialibus, & rebus in pios usus donatis, sive per amortizationem subductis seculari potestati, providerunt postea majores nostri de his etiam speciebus, & dissertè à Principe stipulati sunt, ne ulla ex causa ad Tribunalia Ecclesiastica municipes, vel incolæ Brabantiæ evocari possent*: néanmoins ce qui étoit ajoûté en après, *aut Jurisdictionem vicinorum Episcoporum agnoscere tenerentur, nisi apud delegatos eorum, qui in Brabantia residerent*, cela étoit ajoûté par le dit Stockmans du sien, & ne étoit contenu dans aucuns Edits des Princes souverains de ce pays, ni dans aucuns Concordats ou Traitez publics, même l' usance immemoriale y étoit directement contraire, car combien, que les Eveques de Liege, de Chambry, ou leurs Archidiacres avoient en leurs déleguez, qui de tems en tems avoient residez dans le pays, ce nonobstant lorsque les personnes, auxquelles competoit la Dignité & Jurisdiction principale, avoient voulu venir dans le pays, ils y ont toûjours éxercé leur Jurisdictions & fonctions en dépendantes, sans participation ou concurrence de leurs Déleguez, aussi-bien, qu' il s' étoit toûjours pratiqué au regard des Archidiacres de Malines, qui combien ils y éta-

» *nir fixe residence, que touts les actes jurisdictionels exer-*
» *cez an contraire sont nuls & sans effet*, interdisant à tous
» sujets

établisoient un Official en Brabant, y venoient néanmoins exercer leur Jurisdiction par eux-mêmes indépendamment de leurdit Official, quand ils les trouveroient convenir; & pour montter plus clairement, que ces mots *aut Jurisdictionem vicinorum Episcoporum agnoscere tenerentur, nisi apud delegatos eorum, qui in Brabantia residerent*, étoient ajoutés par ledit Stockmans du sien & sans aucun fondement, il convenoit de considerer les mots immédiatement suivant, par lesquels ils veut confirmer, lorsqu' il disoit, *quæ nova cautio solemni Principis juramento firmata ad hanc diem religiosè custoditur*: que cette prètendue confirmation par serment du Prince, consistoit dans l' addition de la joieuse Entrée en datte du 26. Avril 1515. article 3. comme remarquoit le même Auteur à la page dudit num. 7. c' étoit donc ladite joieuse Entrée qui devoit faire décision du discours tenu par ledit Stockmans, puisqu' il s' y rapportoit lui même; on verroit dans ladite joieuse Entrée qu' elle empêchoit les évocations, mais on ne verroit pas, que lesdites joieuses Entrées empêcheroient que les Evêques de Liege & de Cambray, ou leurs Archidiacres, auxquels competoit la Jurisdiction ordinaire Ecclésiastique, n' auroient pû exercer leur Jurisdiction ordinaire par eux-mêmes dans les Tribunaux qu' ils avoient établis dans le pays; que les mots de ladite joieuse Entrée sonnoient comme s' ensuit, *Item dat d' ondersaetem onser voors. Landts van Brabant in den Bistchopdomme van Luyck ende Camerick buyten den selven Lande van Brabant gelegen voor t' geestelyck gerechte niet en sulleu mogen Worden betogen van heure persoonen ofte goeden die in onsen voors. Lande vau Brabant gelegen ofte geseten syn, maer dat die inde Geesteliycke Hovender selve Bistchoppen binnen den Lande van Brabant gestelt, getogen sullsn Worden te rechte, alsoo lange als den geestelycken Hove inden selven onsen Lande vau Brabant liggen sullen.* L' on voioit clairement par la dite joieuse Entreé que l' intention du Prince n' avoit été que d' empêcher les évocations, que pour le reste il ne faisoit aucune distinction entre les Evêques & leurs Déléguez, il disoit seulement que les Tribunaux Ecclésiastiques devoient être établis dans le pays, le tribunal ou la Cour Ecclésiastique étant un lieu propre & convenable pour tênir rôle, comparition, & pour exercer d' autres Actes dependans de la Jurisdiction Ecclésiastique, ce lieu devoit être établi dans le pays; que les mots propres de ladite joieuse Entreé, bien loin qu' ils pourroient servir pour exclure les personnes principales, moutroient bien clairement, que tout le droit demeure aux personnes principales *in verbis*: *maer dat die iudeu Geestelyckeu Hove der selve Bisschoppen binnen den Lande van Brabaut gestelt* &c. Qu' il n' y est point dit que les Surceans du Brabant devoient être assignez pardevant les Cours Ecclésiastiques des Officiaux établies dans le pays, mais elle parlois bien clairement des Cours Ecclésiastiques des Evêques; marque évidente qui elle ne vouloit rien déroger ou droit des personnes principales, mais qu' à cet égard elle vouloit laisser le tout dans la disposition du droit commun, pourvû qu' il ne seroit pas contrevenu aut point unique, dont y étoit traité, qui consistoit dans l' évocation; & partant c' étoit en vain que les Emprenans disoient qu' il ne se pouvoit introduire aucune coûtume ny prescription par quel laps de tems que ce pouvoit: être contre & en préjudice dex loix fundamentales du pays, renouvelleés & fermentées dans toutes les inaugurations des Princes souverains de ce pays, puisq' on avoit montré si ouvertement l' impertinence desdites Loix, pour l' intention des Emprenans; & qu' au contraire elles confirmoient la soûtenue & intention du Rescribent: il ne pouvoit pas être inutile de alleguer des observances contraires, comme vouloient soûtenir les Emprenans; car, puisque l' observance donnoit l' esprit & la force à la loi *sitque consuedo optima legis interpres*, *Leg. si interpret.* 37. *ff. de legib.* les dites observances contraires faisoient voir, que les Emprenans tournoient fort mal le sens & l' esprit de ladite joieuse Entrée, comme cela étoit montré cidessus; aussi les Emprenans ne pouvoient pas dire avec justice que ces observances contraires consistoient dans des Actes publics *qui exercentur in invitos & contra cujuscunque conditionis personas*, où lesdites observances contraires consistoient dans des Actes pas seulement réiterez, même journaliers, aiant toûjours été pratiqué par le Rescribent & ses prédecesseurs dans la partie du pays de Limbourg, sujette à sa Jurisdiction en qualité d' Archidiacre de Condros, aussi-bien qu' il avoit toûjours été pratiqué par le présent Archidiacre de Hasbaye, & les Predécesseurs dans la partie du Brabant, qui etoit sujette à sa Jurisdiction, les successifs Archidiacres de Condros ayant de tout temps immémorial visité par eux-mêmes la partie du pays de Limbourg qui étoit sujette á leur jurisdiction, y ayant corrigé les abus, qui étoient venus à leur connoissance, y ayant porté à cet effet des Decrets & Sentences qu' ils avoient toûjours mis en exécution, s' ils y avoient établi des Juges pour pardevant eux être démenués les causes de haute recherche, cela n' avoit été fait que pour commodité particuliére parce qu' étant de résidence en la Cathedrale de Liege, ils ne pouvoient commodement faire par eux-mêmes tous les devoirs qu' il convenoit de faire en ces sortes de causes, mais cela n' otoit, ni de changeoit rien dans leurs droits: cette Jurisdiction qu' ils donnoient à leurs Officiaux ou Dèputez n' étoit qu' une communication qu' les dits Officiaux ou Deputez exerçoient au nom de leurs principaux, dans les causes pour lesquels ils etoient commis *ad certas duntaxat causas*, soit qu' ils seroient commis *ad universitatem causarum sive simpliciter*, *sive ad revocationem*: les Emprenans disoient qu' il n' etoit pas nécessaire de toucher devantage la question, si par la mort de l' Archidiacre la qualité de son Official venoit à cesser, ils faisoient bien de ne pas toucher devantage ce point qui se trouvoit clairement décidé au Droit Canon en faveur du Rescribent par les raisons ci-devant avancées *quod sit idem tribunal Episcopi, & ejus Officialis, idem Tribunal Archidiaconi & ejus Officialis.* Si les Emprenans vouloient toucher devantage ce point, ils feroient paroitre autant clairement les raisons pour lesquelles leur principal devoit être condamné étant impertinent de dire que le sieur Martin Oudenhaghen n' auroit plus continué sa fonction d' Official apres le trépas de feu l' Archevêque de Malines, parce qu' il n' auroit plus eu envie de porter le fardeau de cette charge, & qu' ainsi il s' en seroit demis de son propre mouvement, ou cette qualité étoit venu à cesser par la mort de feu l' Archevêque Alphonse, & qu' on ne pourroit pas montrer que depuis ladite mort il auroit exercé quelque Acté de Jurisdiction. Il pouvoit bien être vrai, qu' il n' auroit pas fait des devoirs pour solliciter sa continuation *sede vacante*, mais cependant il demeuroit toûjours véritable que sa fonction d' Official étoit venu à cesser par la mort du dit Archevêque; que si les Emprenans ne se vouloient pas contenter dudit exemple, on leur pourroit encore montrer plusieurs autres, tant dans le Diocese d' Anvers que dans le Archidiocése de Malines, comme aussi dans le Diocéses de Gand, de Bruges, de Ruremonde, auxquelles on a vû que la qualité d' Official étoit venu à cesser par la mort de l' Evêque. Les Emprenans ne devoient pas dire que ledit Oudenhaghen, qui avoit été Official de l' Archevêque de Malines en Brabant, auroit jugé, à l' exclusion de touts les autres les causes du Brabant; car en premier lieu ledit Archevêque Alphonse avoit jugé par lui même plusieurs causes du Brabant, non obstant, qu' il avoit sondit Official en Brabant: & en second lieu le sieur Coriache, Chanoine de la Métropolitane à Malines, qui en cette qualité & aussi à cause de sa fixe demeure avoit son domicile dans la Ville de Malines, avoit au même tems son Tribunal en Brabant en qualité d' Official de l' Archevêque, aiant établi le lieu d' assignations pour les adjournemens au Role & autres comparitions au quartier du Brabant, qui n' etoit gueres éloigné de Malines, & s' appelloit *Passebrugge*, ou il avoit jugé en qualité d' Official toutes les causes de Louvain, Tirlemont, Diest, Archost, Sichem, Leau, Vilvorde & autres quartiers du plat-pays aux environs, d' ou les Emprenans montroient, qu' ils étoient trés mal informez de ce qu' avoit été pratiqué dans le Diocese de Malines au sujet de l' exercice de la Jurisdiction Ecclesiastique, pour venir dire que ledit Oudenhaghen auroit jugé à l' exclusion de toutes les causes du Brabant, & partant, c' étoit en vain, qu' ils vouloient regler le Rescribent à l' exemple dudit Oudenhaghen, le Rescribent ne devoit être reglé a l' exemple d' un Official, au regard duquel même les Emprenans avoient commis tant d' erreurs, devant au contraire être reglé à le exemple d' une personne à qui competoit la Jurisdiction en chef *& jure dignitatis*, & ainsi a l' exemple des Archevêques de Malines, lesquels nonobstant, qu' ils avoient leur residence à Malines, exerçoient & avoient toûjours exercé leur Jurisdiction en Brabant quand bon leur avoit semblé, lesquels mêmes avoient toûjours député des Officiaux résidens dans la Ville de Malines, avec pouvoir d' exercer la jurisdiction en Brabant, lesquels Officiaux, quoique residens en la Ville de Malines, avoient toûjours exercé paisiblement ladite jurisdiction en Brabant avec ce seul temperament, qu' ils ne pouvoient évoquer un inhabitant de Brabant pour comparoitre en la Ville de Malines, mais que le lieu d' assignation devoit être désigné en Btabant. La Lettre du Rescribent, dont etoit fait mention par les Emprenans, ne pouvoit être regardée ni comme une Sentence, ni comme un autre Acte juridique, & de suite, l' on ne pouvoit attribuer à cette Letre, ni le nom d' attentant ni d' entreprise; que les evocations ne se faisoient pas par des Lettres particulieres ou familieres, comme etoit celle dont les Emprenans parloient; que le Tribunal, que le Rescribent avoit dans le pays de Brabant, n' etoit pas moins pour le Rescribent, à qui en qualité d' Archidiacre competoit la jurisdiction en chef *& jure dignitatis*, que pour son Official & Député; que ce Tribunal ne dé-

» sujest de Sa Majestè d' y deferer à peine qu' il sera pour-
» vû à leur charge. (s)

XVIII. Nec Episcopos duntaxat hisce in partibus non residentes, debere per judices in patria residentes judicare, sed & Curiam Romanam, & Romanum Pontificem, tam in causis ad ejus cognitionem in prima instantia spectantibus, quàm per appellationem ad ipsum devolutis debere per Judices in partibus delegatos judicare; nec municipes, aut incolas Brabantiæ, seu Laicos, seu Ecclesiasticos vi litterarum Sedis Apostolicæ extra Brabantiam evocari posse, Belgis ac præsertim Brabantinis jam pridem omninò persuasum fuit.

* Planissimum etenim est regulam *de non evocando*, non solùm in prima, sed & in secunda, & ulteriori instantia locum habere: respuunt enim Belgæ quæcunque extera judicia.

Hinc & litteris *Placeti*, quas Nuntii, & Internuntii in Belgio residentes super eorum commisione Pontificiâ à Principe humiliter postulant, semper solicitè inter cætera cavetur nominatim, *qu' és causes d' appel, de evocation, commission, ou autres il deleguera* IN PARTIBUS & NON HORS *desdits Pais.*

Similiter in expeditione aliarum litterarum *Placeti* super quibusvis Bullis, aut Rescriptis summâ curâ ab immemoriali tempore inseritur expressa clausula, & conditio; quòd usus Bullæ aut Rescripti non aliter impetranti concedatur, quàm eâ lege, quod si super eo ulla quæstio moveatur, ea in *possessorio* instituenda, & terminanda sit coram Senatu Provinciæ, atque in *petitorio* coram Ecclesiastico Judice ordinario *in Provincia, re-*

dépendant pas de la résidence d' un Juge, il suffisoit, que le Juge y venoit exercer ses fonctions au tems necessaire & opportun: si les Juges établis étoient revocables *ad nutum* ou pas, cela ne regardoit aucunement les Emprenans, qui n' avoient aucunement droit sur la jurisdiction Ecclesiastique; il souffisoit pour le Rescribent, que les sacres Canons, selon lesquels ladite jurisdiction devoit être reglée, admettoit & approuvoit telle révocation; que les Juges du plat-pays en Brabant se changeoient *ad nutum* de ceux, qui les avoient établis; si les Juges seculiers du plat-pays en la Province de Limbourg etoient perpetuéls, ce que l' on ignoroit, il etoit notoire, qu' on ne pouvoit tirer aucun argument des Juges seculiers, aux Juges Ecclesiastiques; l' on avoit seulement allegué l' exemple des Juges du plat-pays en Brabant, pour montrer que c' etoit sans fondement & contre l' observance que les Emprenans vouloient soutenir avec tant de force, que les Juges en Brabant, devoient être perpetuels, que les Emprenans ont de toute maniére grand tort de vouloir disputer au Rescribent d' exercer la jurisdiction par soi-même, ainsi que lui & ses prédécesseurs l' avoient toûjours fait à la vue de tout le monde en la Province de Limbourg, & les Archidiacres de Hesbaye en la partie de Brabant qui étoit sous leur district; & même si les Emprenans ou autres vouloient contrevenir à cette observance, ce differend ne devroit pas se décider par devant ce souverain Conseil, mais pardevan des Commissaires de sa Majesté, & de l' Evêque de Liege, ensuite du Concordat arrêté le 10. Mars 1541. entre l' Empereur Charles V. de glorieuse mémoire, & ledit Evêque ou il y est dit tit. 9. art. 29. *Insuper visum est Commissariis antedictis, quod si super præmissis & articulis superius non decisis dubium emergat, aut difficultas oriatur inter Justitiarios Principum, talis difficultas terminari, & sedari debeat mutuis communicationibus, vel litteris, ita quod una jurisdictio aliam non turbet, vel impediat*; & partant le Rescribent excipiant sur ladite observance immemoriale, & debatant l' ulterior contenu dudit écrit de replique, de frivolité, impertinence, & denegation, concluant, persistoit comme devant A tout eu egard, la Cour combinant les debats mûs par Requête du premier Suppliant du 31. Juillet 1693. & par la conclusion des seconds supplians du 28. Juin 1695. & rejettant la Requête civile du Rescribent, ordonne audit Rescribent & à tous ceux, qu' il appartiendra d' établir, le cas y arrivant, en ladite Province de Limbourg, pour autant, qu' elle est sous ledit Archidiaconé du Condros, un Official ou Juge, qui y tiendra domicile fixe pour y administrer la jurisdiction Ecclésiastique; le condamner de mettre à néant son entrepise énoncée & faite par son Decret du 30. Mai, & par sa Lettre du 27. de Juin, ambedeux dudit an. 1693. déclare que parmi ce, les conclusions ulterieures prises au procès viennent à écesser; adjuge au premier Suppliant la maintinuè par lui requise, & condamne le Rescribent en l' amende de ladite Requête civile rejettée, comme aussi en deux tiers des dépens pour ce engendrez, à dûe taxation & modération dudit Conseil, compensant le restant tiers pour cause. Ainsi fait en la Ville de Bruxelles le 10. de Mars 1700. *Signé.* BODRY.

(s) Sententia Senatus Brabantiæ Contra Archidiaconum Hasbaniæ 26. Augusti 1720.

Le sieur Vander Heggen Pasteur d' Aubel, Suppliant.

Le Reverend André Vigen, Chanoine de Notre-Dame de Maestrescht, Official délegué pour le District d' Outremeuse, sous l' Archidiaconat de la Hesbaye, Rescribent.

Veu au Conseil souverain de Sa Majesté ordonné en Brabant, la Requéte du Suppliant y présentée, contenant: Que quoi qu' il seroit notoire, que dans la Province de Limbourg & pays d' Outremeuse, on ne pourroit établir aucun Siege ou Tribunal de Justice sur & au sujet des inhabitans de ladite Province & pays d' Outremeuse, que par ordre exprés & par la seule autorité de Sa Majesté, & que ceux, qui composoient les Tribunaux y dûement établis, auroient dû être revêtus des qualitez à ce necessaires & requises, comme d' être originaires de ladite Province ou de celle de Brabant, avec adjonction d' y devoir tenir leux fixe domicile. Il étoit qu' en préjudice desdits droits & hauteurs de Sa Majesté, & en infraction des privileges des Habitans de ladite Province de Limbourg & pays d' Outremeuse, le Rescribent, qui tenoit son fixe domicile & residence dans la Ville de Maestricht, G. J. Fabritius, Admodiateur de la Commanderie de l' Ordre Teutonique de saint Pierre Fouron, & y tenant aussi son fixe domicile, & Jacques Joseph de Tiege, s' étoient émancipez de former de leur autorité privée entr' eux un prétendu Tribunal, par laquel ils prétendent d' exercer la Justice sur & au sujet desdits inhabitans, Sujets de Sa Majesté; scavoir le Rescribent dans la prétendue qualité de Juge comme Official de l' Archidiacre de Hssbaye, Chanoine de la Cathedrale de Liege, & y tenant son fixe domicile; ledit Fabritius dans la qualité de prétendu Greffier, & ledit de Tiege en celle de Fiscal, au moien de laquelle entrepise sur les droits & autorité de sa Majesté, ils vexoient & molestoient lesdits Habitans, Sujets de Sa Majesté, par des voyes illicites, intentant a leur charge pardevant ledit prétendu Tribunal des Actions prétenduément Fiscales, afin d' en tirer des prétendues amendes, lorsqu' ils ne vouloient pas y comparoitre, ni se soûmetre à leur Jugement, ainsi qu' ils avoient fait au regard du Suppliant, & suffroient aussi que d' autres particuliers y intentoient des Actions, tant aut sujet des matiéres Ecclesiastiques qu' autres, comme avoit fait aussi Winant Fellery à charge du Suppliant, comme apparoissoit des piéces jointes à ladite Requête, aiant par leur prétendue Sentence du 19. Septembre lors dernier, décerné à sa charge une amende de quatre pistoles, sur laquelle ledit de Tiege dans sadite prétendue qualité de Fiscal a levé des exemplaires & fait sommer le Suppliant le 4. du mois de Octobre 1718. rapport aux Pieces y pareillement jointes, le tout en mépris & vilipendence du Decret de ce Conseil supréme le 15. Jannvier 1718. y aussi joint, par lequel la Cour, sur la Requête y présentée par ledit Rescribent, apres préalable avis de l' Office Fiscal, avoit déclaré l' établissement dudit Tribunal Ecclésiastique pour les Habitans de la Province de Limbourg & pays de Otremeuse dans la Ville de Maestricht nul & sans effet, & tous Actes jurisdictionels à y exercer contre eux invalides, leur défendant de s' y adresser au comparoître, à peine que seroit pourvû à leur charge; comme aussi en mépris & vilipendence du Decret postérieur dudit Conseil du 13. Mai lors dernier, donné sur la seconde Requête du Rescribent aussi jointe en copie, par lequel avoit été dit & déclaré aussi après prealable avis de l' Office Fiscal, que le Rescribent illec Suppliant auroit à se conformer à l' appointement précédent & cidevant réclamé; sujet pourquoi il supplioit très-humblement que ledit Conseil seroit servi de pourvoir contre lesdits excées & attentats par la voie la plus prompte & la plus efficace, qu' il trouveroit convenir, attendu qu' il y avoit *periculum in mora* au sujet de ladite exécution & pour suite d' icelle, *cum expensis, dannis & interesse*; & en cas de communication, interim interdiction d' attenter ultérieurement; vu l' appointement margé sur ladite Requête le 14. Decembre 1713. par le quel la Cour, vû l' avis de l' Office Fiscal, ordonnoit, qu' icelle seroit communiquée à partie pour y dire en deans la quinzaine de la communication; & sans préjudice du ce, inhérant dans les appointemens du 15. Janvier & 13. Mai lors dernier, interdisoit à la même partie de rien attenter: vû aussi l' Ecrit de rescription, avec réquisition & soûtenue du Rescribent y allencontre servi; satisfaction & réplique du Suppliant & duplique du Rescribent. Le tour consideré, la Cour, à l' intervention de l' Office Fiscal, déclare que le Tribunal Ecclésiastique de la Hesbaye au pays d' Outremeuse doit être permanent: que les personnes qui le composent y doivent tenir fixe résidence, & que tous les Actes Jurisdictionels exercez au contraire sont nuls & sans effet, interdisant à tous Sujets de Sa Majesté d' y déferer, à peine, qu' il sera pourvû à leur charge, parmi quoi ce procès vient à cesser, compensez les dépens pour cause. Ainsi fait en la Ville de Bruxelles le 26. d' Aoust. 1720. sub GHINDERTAELEN.

residente, & in casu appellationis, aut aliàs coram delegatis etiam *in Provincia*, seu *partibus residentibus*.

Hinc cùm Daniel Ludovicus *Fraye* ugore *Rescripti appellatorii* citari curâsset Mariam Magdalenan *Clerin* Brabantiæ incolam, coram Officiali Gandevensi, in tertia instantia; sustinens regulam *de non evocando*, ad primam instantiam limitari: supremus Brabantiæ Senatus ad instantàm dictæ Magdalenæ præcepit præfato Danieli à citatione, & processu coram Officiali Gandavensi instituto planè desistere, per sententiam de die 18. Decembris 1713. quod & rursus item Senatus ordinavit per sententiam latam die 22. Decembis 1714. quoad processum institutum coram Officiali Iprensi inter Joannam *de Proost*, & Ægidium *van-Mieldert*: binæ sententiæ annectuuntur infrà sub litt. (t) & (u).

XIX. Quàm soliciti Magistratus Belgici, ac notanter Brabantini, ne quid huic patrio jure detractum esse videretur, per promulgationem Concilii Tridentini in Belgio, intelligitur ex Notis in ejusdem Concilii Decreta per Magistratus Regios appositis.

Ad *cap.* 8. *Sess.* 13. quo decernitur, ut causæ Episcoporum, cùm pro criminis objecti qualitate comparere debeant, coram Pontifice Maximo referantur, ac per ipsum terminentur, » speciatim Brabantini observârunt, hac ratione subditos extra » Patriam fore trahendos, quod directo adversatur indulto Summorum Pontificum Leonis, & Clementis, & constitutionibus » Suæ Majestatis, & illustrissimorum ejus prædecessorum, qui » non sine gravi, ac prægnanti causa id concesserunt. «

Rursus ad *cap.* 5. *Sess.* 22. » Quod statuitur de cognitio» ne adhibenda in dispensationibus, cum hac cautione acci» piendum esse monetur, ne subditi hac occasione *extra Pro» vincias* suas evocentur. «

Denique ad *cap.* 10. *Sess.* 25. dicunt, » Quod statuitur, de» signandas esse personas aliquot præter Ordinarium, quibus » causæ Ecclesiasticæ in partibus delegandæ committantur, sic » accipiendum monent Brabanti, ne hac occasione subditi ex» tra patriam evocentur. «

Scimus autem Concilium Tridentinum in Belgio promulgatum esse cum expressa clausula, salvis vetustis, ac inveteratis privilegiis, & juribus patriæ; quemadmodum latiùs in Prolegomenis ostensum fuit: ideoque & hoc jus hactenus inconcussum permansit.

XX. Hoc Belgarum privilegium etiamnum post Concilium Trid. agnovit S. Congregatio Cardinalium Concilii Trid. Interpretum 23. Junii 1615. Propositum enim fuit Sacræ Congre-

(t) Sententia Senatus Brabantiæ 18. Decembris 1713.

La Damoiselle Maria Magdaleine Clerin, Suppliante. Le sieur Daniel Lois de Fraye, Rescribent.

Veu au Conseil Souverain de Sa Majesté, ordonné en Brabant la Requête y présentée par la Suppliante le 15. d' Avril dernier contenant: Que le Rescribent son mari aiant, sous pretexte d' un amas de faits abusifs & controuvez, adjourné la Suppliante devant le sieur Official de la Cour spirituelle d' ici, parties étant reglées à preuve, la Suppliante avoit néanmoins été conseillée d' exciper sur reconciliation postérieure, deferant au Rescribent le serment décisif sur les faits ce concernans à peine de relation, ainsi que cela avoit été entendu par Sentence du 11. de Juin 1712. & quoiqu' en cela il n' y eût aucun grief, ensorte qu'a cette cause ledit sieur Official *super petitione de Apossolis* (1) n' avoit aucunement balancé de répondre *de Refutatoriis*, ainsi qu' il consistoit par l' Acte couché au pied de ladite Sentence, partie en avoit cependant appellé au sieur Prelat de Cauberg comme Juge délegué Apostolique, qui avoit positivement confirmé ladite Sentence le 4. Mars dernier, de quoi le Rescribent s' étoit aussi avancé d' appeller au sieur Official de Gand, ainsi qu' il se voioit par les Lettres surprenantes, Lettres d' adjournement en étantes. Et comme rien n' étoit si notoire, qu'un habitant de ce pays de Brabant ne pouvoit être attrait, chargé ou molesté hors du même pays de Brabant, nommément par un Brabançon, y obstant la Bulle d' or, les previleges notoires, les Edits, & joieuses Entrées de nos Princes; étan de ailleurs ceci uniquement inventé par le Rescribent pour mettre de plus en plus la Suppliant hors d' état de pouvoit porsuivre ultérieurement son bon droit, & pour rendre illusoire la modique alimentation de deux cens cinquante florins par an; à elle aussi adjugé par ladite premiere Sentence du 11. Juillet 1712. sans que le Rescribent entendoit de contribuer en outre quelque chose pour les frais de tous ces procès mal fondez, & autres débats inutils, qu' il suscitoit contre elle, concluant ainsi la Suppliante à ce que le dit Conseil seroit servi de déclarer, que les susdites Lettres d' adjournement ëtoient nulles, sans force & saus effet, & d' ordonner au Rescribent & à tous ceux, qu' il appartiendroit ou s'en voudroit entremêler, de se déporter desdites Lettres & adjournemens faits, & de les casser & reparer avec tout ce, qui en étoit suivi, avec tous dépens, frais & interéts, soufferts & à souffrir, & permission de les libeller. Vû aussi la rescription y alencontre servie par le Rescribent, disant par icelle qu' il étoit véritable; que les parties avoient été en procés en matiere de divorce devant le Reverend sieur Official de l' Archevêque de Malines, où la cause étant reglee à preuve par Sentence interlocutoire, la Suppliante êtoit venu poser quelques fait nouveaux en matiere de reconciliation prétendue, lesquels aiant été désavouez par la Rescribent, & la Suppliante ne pouvant trouver quelque preuve sur de tels faits abusifs avoit déferé au Rescribent le serment décisif, ainsi qu' elle soutenoit, le Reseribent avoit dit sur cette déclaration, qu' on lui pouvoit bien déferer le *Juramentum litis decisorium*, & qu' il étoit prét d' accepter la délation de tel serment; mais que le sermen à lui deferé par la Suppliante n' étoit pas decisif de la cause, puisque la Suppliante, après que le Rescribent auroit fait ledit serment à lui déferé, elle voulut encore obliger le Rescribent à prouver les faits par lui posez au procès, & entendoit aussi de rester de son côte entier en matiere de preuve, qu' ainsi le Rescribent ne pouvoit être obligé d' accepter & de preter ledit serment uniquement sur quelques faits choisis, qui n' étoient pas décisifs de la cause. Sur ceci avoit été ému-debat pardevant ledit sieur Official, lequel aiant été jugé par lui à charge du Rescribent, il en avoit appellé & introduit son appel devant le sieur Prélat de Cauberg en cette Ville, où la cause aiant été reglée *ad accordandum*, à raison des altercations des Aviseurs, & nul accord en étant suivi, ledit sieur Prelat avoit confirmé la premiere Sentence; mais comme ensuite du droit Ecclésiastique il y devoit avoir trois Sentences conformes, le Rescribent avoit aussi appellé de cette derniere Sentence & introduit son appel devant le Reverend sieur Official du Diècese de Gand, laquelle introduction d' appel y faite ne pouvoit pas être contestée par ladite Suppliante, sous prétexte, qu' elle seroit par là évocée hors du Brabant; qu' il étoit vrai qu' ensuite de la Bulle d' or les Brabançons ne pouvoient être arrétez hors du pays de Brabant, ni aussi en la premiere Instance être attraits en Justice hors du Brabant *in personalibus*: mais qu' ès causes Ecclesiastiques il auroit été de tout tems immémorial constamment observé, que les Habitans de ce pays appelleroient des Sentences rendues par le sieur Official de l' Archevêche de Malines, ou par d' autres Juges Ecclésiastiques d' ici, & introduiroient leur appel en vertu de la commission du sieur Internonce, pardevant les Evêques suffragans de l' Archevêche de Malines, ou pardevant leurs Officiaux, que les *Roles* des Officialitez, des Evêchez de Gand, Bruges & Ruremunde, étoient pleines des exemples continuellement & sans interruption à cet égardé usites: qu' ainsi ce constant usage continué publiquement & continuellement, étoit en ce point interprétaif de la dite Bullæ d' or, les Habitans du Brabant n' étant pas par-là évoquez hors de ce pays bas de l' Obéissance de Sa Majesté, ni aussi hors des limites de l' Archevéqué, principalement érigées pour les Barbançons, telles introductions ne pouvant êtra invisagées pour des evocations, puisque le sieur Official de l' Archevéché de Malines en Brabant prenoit toûjours connoissance en la premiere Instance, & que les citations se faisoient pardevant lui, & que l' appel s' interjettoit uniquement vers les Evéques suffragans ou Officiaux, qui étoient établis pour secours de l' Archevéché de Malines: qui aussi tel appel ne seroit proprement pas une évocation, mais seulement une vole de defense, laquelle de tout tems, depuis l' établissement de l' Archevéché de Malines & ces Evéchez suffragans, auroit ainsi été constantement & continuellement pratiquée, dont l' interruption seroit par conséquent contraire à un droit etabli par cet usage constant & immémorial; parmi quoi & autres raisons le Rescribent concluoit à ce que ladite Suppliante, pour avoir agi & conclu par le dispositif de sadite Requéte, ainsi & de la sorte qu' elle l' avoit fait, seroit déclarée non fondée ni recevable *cum expensis*. Vû la réplique de la Suppliante, les rescription ulterieure, & réplique ulterieure & duplique des mêmes parties, le tout consideré, la Cour ordonne au Rescribent de se déporter des Letres d' adjournement avec ce qui en est suivi, réclamées au procés sans frais ni depens de la Suppliante; lui entier d' introduire dûement sont appel pardevant l' Official d' Anvers, nommé & commis *primo loco* dans le *Rescriptum* du sieur Internonce, condamne ledit Rescribent es dépens, à dûe taxation & modération de la Cour. Ainsi fait dans la Ville de Bruxelles le 18. Décembre 1713. sub GHINDERTAELEN.

(1) *Petitio de Apostolis fiebat cum ab Episcopis aut eorum Officialibus ad summum Pontificem provocabatur. Hujus petitionis antiqua cernuntur exempta tom. 6. Spicilegii Acheriani*, pag. 152.

gregationi nomine Alberti Archiducis, Belgii Principis, per Philippum Masium ejusdem Principis in Curia Romana Oratorem: *Cum in Burgundiæ, Brabantiæ, & Flandriæ, ac aliis Belgii partibus Dominio Alberti Archiducis Austriæ subjectis, inter alia Archiepiscoporum, & Episcoporum Synodalia statuta ex immemorialibus consuetudinibus, Concordatis, & Privilegiis notoriis earumdem partium, huc usque in viridi tentum, & observatum sit, omnium incolarum coram exteris Judicibus nullatenus evocabilium, causas præsertim appellatorias, Judicibus Synodalibus Patriæ duntaxat committi, nihilominus inter alias Nuntiorum Apostolicorum Belgii facultates, insertum asseratur indultum, easdem causas generaliter committendi, cognoscendi; ideò per Philippum Masium, pro eodem Alberto hîc residentem, quæritur, an per dictas facultates Nuntiorum Apostolicorum hîc annexas, possit dictis Statutis, & privilegiis aliquatenus derogatum censeri, juxta cap. 20. Sess. 24. de Reformat.*

Huic propositioni hoc responsum repositum fuit: *Sacra congregatio Cardinalium Concilii Tridentini interpretum, facto priùs verbo cum Sanctissimo D. N. Paulo PP. V. Respondit Sanctissimi, & Patrum dicti Concilii intentionem non fuisse, nec esse, Statutis, & Privilegiis hujusmodi derogare: firmâ tamen ac aliàs in reliquis illæsâ permanente dicti Capituli 20. Sess. 24. dispositione Romæ 23. Junii 1615. Signatum S. Cardinalis Lancelottus dictæ Congregationis Præfectus.*

Ex his elucet, etiam ex sententia S. Congregationis, Synodum Tridentinam noluisse per decreta sua tametsi generaliter expressa, derogare speciali & immemoriali Belgii consuetudini de non evocando; cujus consuetudinis, & juris etiam exteri Scriptores, tanquam de re notoria meminêre.

XXI. Ludovicus Guicciardinus Italus in generali Belgii descriptione ait: Pontifex » nullius omnino prætensionis, vel cor- » reptionis prætextu, quenquam hominem, sive Ecclesiasticus » sit, sive Laicus, evocare potest extra Provincias. Unde si » quid fortè occurrat, oportet ut mittat, vel hic deputet » Commissarios, qui de prætensa causa cognoscat.« Vide etiam Choppinum *lib. 3. de S. P. tit. 4. num. 8.* ubi ejusdem juris meminit.

XXII. Igitur Judices in *partibus* hîc dicuntur, qui in unaquaque Provincia delegantur: neque sufficeret, eos in ipsa Diœcesi delegari, si Diœcesis se extra Provinciam, & patriam rei vel appellati extenderet; sed deberet in ea parte Diœcesis causa committi, quæ intra Provinciam continetur (u).

XXIII. Eodem jure uti Regem Catholicum in Regnis Hispaniæ, latè probat Salgado *de Supplicat. ad Sanctissimum, parte 2. cap. 11.* refertque *num. 97.* » generale consultum supre- » mi Consilii Regii, quo dispositum stat, exemptum non pos- » se eligere conservatorem *extra hæc Regna Hispaniæ*, ne » naturales horum Regnorum molestentur, nec conveniantur ex- » tra Regnum (x).«

XXIV. Quin & *numer. 83.* tradit Principem, & Senatum posse evocatum ad Curiam Romanam defendere, ne extra Regna Hispaniarum extrahatur: » tanquam (ait) hoc sit Regis pro- » prium munus, & *Regale* Officium, ne subditi tali molestia » opprimantur: maximè cùm Clerici, Ecclesiasticæquè perso- » næ, cives reputentur, sintque pars populi, & membræ Rei- » publicæ temporalis, ad quorum protectionem simul tenetur » Princeps.«

XXV. Addit denique *num. 101.* » Et ex identitate ratio- » nis, aliisque motivis, & inconvenientibus vitandis similiter » decretum fuit per Senatum Supremum *in Decreto 25. inter* » *impressos*, quod Episcopi Regni Aragonum habentes loca » sibi subjecta in hoc Regno Hispaniæ, Vicarios constituant in » illis, coram quibus naturales conveniantur. (y)«

XXVI. Apud Gallos nullum posse extra Regnum conveniri seu citari, uno consensu testantur Regni illius Pragmatici: asseritque Choppinus *lib. 2. de S. P. tit. 4. num. 8.* » Politi- » cis sanctionibus posteriorum temporum, Romana Sedes tene- » tur supremam illam sacrarum litium cognitionem demandare » Gallis Ecclesiarum Præfectis.«

(u) Sententia ejusdem Senatus 22. Decembris 1714.

Joanne de Proost Suppliante, Egidius van Muldert Insinué.

Veu au Conseil souverain de Sa Majesté, ordonné en Bravant la Requéte y présentée par la Suppliante le 20. Fevrier dernier, tendante à ce, que le dit Conseil fût servi d' ordonner à l' Insinué de désister promptement de son appel pardevant le sieur Official d' Ipres, & des procedures par lui y introduites, & de se déporter d' icelles avec dépens; & en cas de communication, d' interdire audit Insinué de poursuivre lesdites procedures. Vû aussi la rescription y à l' encontre servie par l' insinué, réplique & duplique des mêmes parties, le tout consideré, la Cour faisant droit, ordonne à l' Insinué de desister promptement de sondit appel pardevant ledit sieur Official d' Ipres, & des procedures par lui introduites, lui ordonnant de s' en déporter, & condamne le même Insinué és dépens taxez à la somme de cinquante huit florins & neufs sols, y compris le rapport & les exécutoires. Ainsi fait en la Ville de Bruxelles le 22. Décembre 1714. sub GHINDERTAELEN.

XXVII. Et Rebuffus ad Concordata *tit. de causis*, dicit » Quando quis citatur extra Regnum, practica est, ut ille ab » abusu appellet ad Senatum, qui illum abusum in hoc regno » reformat...: Et vidi judicari, ut *executor* intimari possit, & » citari tanquam pars, quia pars extra Regnum citari non po- » test, sic judicatum fuit anno 1534. die 15. Februarii in hoc » Senatu contra executorem cujusdam Abbatis in Sabaudia re- » sidentis.«

XXVIII. Quin usus Regni Galliæ habet, quod non sufficiat Judices committi in Patria, & Diœcesi; sed insuper ut sint intra limites, & Jurisdictionem Parlamenti, cui ipse reus est subjectus; testaturque Lucius in sua collectione Placitorum » à Pontificii diplomatis executore velut abutente, rectè pro- » vocari, si de rebus Curialis litionis extra eam datus fuerit.« Confirmat dein idipsum per arrestum de anno 1491. quo Parlamentum declaravit abusivam executionem rescripti delegatorii, quod ii, quibus Pontifex executionem mandaverat, extra Curiæ ditionem dati essent.

XXIX. Eundem usum latiùs extruit, & nonnullis Parlamentorum Arrestis confirmat Carolus Fevretius *Lib. 4. de Abusu, cap. 2. num. 10.* Rationem illius usus allegans, quòd in causis in Curiis Ecclesiasticis tractandis, possint multa intervenire, quæ cogant litigantes recurrere ad Curias Parlamentorum, vel pro interdicto de nihil innovando, aut attentando, vel ut recipi queant tanquam appellantes ab Abusu; quod haud sine difficultate, longa mora, aliisque incommodis fieri posset, si hi Judices Delegati essent sub jurisdictione alterius Parlamenti, quàm sub quo ipsi litigantes domicilium habent.

XXX. Neque ab hoc usu Galliæ dissona apparet praxis Belgica: nam & in Belgio pro limitibus Provinciæ, seu Patriæ limites in hoc puncto reputari videntur, intra quos supremus Senatus Principem repræsentans continetur: ut tum extra Patriam, sive Provinciam citari, vel convenirì dicantur, dum citantur seu conveniuntur ad locum alteri Senatui, sive Parlamento subjectum. E contrario autem dicuntur citari in Patria, sive Provincia, modò locus judicii sit intra terminos supremi Senatûs, sub quo domicilium habet citatus, tametsi reipsa, & propriè loquendo, locus, ad quem citatur, sit alterius Provinciæ, ab ea, in qua citatus moratur: puta, si è Flandria quis citetur Mechliniam. Licèt enim Mechlinia, & Flandria sint diversæ Provinciæ, nihilominùs, quia habent idem supremum Parlamentum, quoad præsentem articulum pro eadem Provincia reputantur.

XXXI. Districtus Parlamenti, sive Provinciæ latè admodum se aliquando extendit; adeò ut etsi intra limites Provinciæ quis citaretur, nonnunquam tamen ultra *unam* dietam extra suam Diœcesim in judicium provocaretur: quo casu, licèt non posset excipere contra eam citationem eo titulo, quod extra Provinciam evocaretur, posset tamen excipere, quod contra Constitutionem Bonifacii VIII. evocaretur ultra *unam dietam* extra suam Diœcesim: cui Constitutioni per Jus Belgarum de evocandis extra Provinciam, nullatenus in hoc puncto est derogatum.

* Gallis adeò odiosa sunt peregrina judicia, ut nec partes possint extra regnum etiam consentientes judicio contendere, & causas suas ad exteros Judices deferre (z).

Unde inter observationes ad quosdam articulos per Legatos Sedis Apostolicæ Patribus Concilii Tridentini propositos legitur hæc observatio: » Caput, quod incipit *causa criminalis*, » non placet: adversatur enim (inquiunt) antiquissimo Juri Re- » gis, & Ecclesiæ Gallicanæ privilegiis, quibus cavetur, ne » quis *etiam volens* extra Regnum à quoquam ex quacunque » causa in Jus vocari nedum condemnari possit.« Leguntur hæ observationes in libello, cui titulus: *Memoires pour le Concile de Trente.*

Idipsum & habet praxis Belgii, ut nec de consensu partium extra Provinciam causæ tractari queant; legiturque ann. 1700. 13. Decemb. Consilium Brabantiæ cassâsse sententiam latam in Curia Romana super Canonicatu Ecclesiæ Collegiatæ de Kerpen, licèt utraque pars in Curia Romana super dicta causa fuis-

(x) *Doctrinæ D. Salgado adde quæ ad §. II. hujus capitis 3. prænotata sunt.*

(y) *Hoc in Hispania debere servari infertur ex argumento textus Remiss. 1. tit. 3. lib. 4. & Remiss. 30. tit. 5. lib. 8. leg. 21. tit. 5. lib. 2. leg. 3. tit. 7. lib. 3. & leg. 19. tit. 2. lib. 2. Recopil.*

(z) *De Judicibus delegandis* in partibus *eruditè & fusè dictum est in novis Cleri Gallicani Commentariis*, tom. 7. col. 1433. 1434. *&c.*

fuisset contestata, Judicemque agnovisset, neque super incompetentia, aut privilegio patriæ excepisset: contendebat enim Officium Fiscale, nec partes posse derogare Juribus, aut Privilegiis patriæ vetantibus causas exortas in Brabantia extra Brabantiam ventilari, & terminari. Sententia hæc exhibitur infrà sub lit. (a)

Idem quoque obtinet in secunda, & ulteriori instantia, quia neque in his adversus patriæ juratas leges ullatenus admititur per partium, coram Judice contestationem, licèt voluntariam, Jurisdictionis prorogatio. Ita judicatum à Brabantiæ Senatu die 6 Maii 1716. per sententiam latam inter Isabellam Franciscam Peronne, & Robertum Vander Schuren; quæ infrà annectitur sub litt. (b) circa processum institutum vigore *Rescripti appellatorii* coram Officiali Ruremundensi, qui etiam jam inde sententiam interlocutoriam in causa tulerat.

(a) *Sententia Senatus Brabantiæ, quâ cessatur Sententia lata in Curia Romana 13. Decemb. 1700.*

Le Conseiller & Procureur General, Suppliant.

Henry Kruff, se qualificant Chanoine de l'Eglise Collegiale de Kerpent, Rescribent.

Veu au conseil souverain de Sa Majesté, ordonné en Brabant la Requéte y présentée par le Suppliant le 16. Octobre 1698. par la quelle il donnoit à connoitre que lors n^a gueres étant venu à vacquer dans l^e Eglise Collegiale de S. Martin à Kerpen un Canonicat à la collation du Chapitre *viâ electionis*, certain Henry Pelser y demeurant chez son frere, aussi Chanoine, avoit eu en sa faveur la moitié des suffrages des Capitulaires, l^e autre moitié étant tombée en faveur du Rescribent, en quelle différence & partage des Capitulaires le susdit Pelser soutenant que la collation du susdit Canonicat étoit dévolue à Sa Saintetè, avoit impetré d^e icelle la collation du susdit Canonicat, à faire à sa personne par les déleguez dans la Bulle Papalle, & de suite pour l^e execution d^e icelle avoit obtenu en ce Conseil les lettres ordinaires de placet; & quoique par là le susdit Rescribent, qui dés auparavant étoit entré dans la possession dudit Canonicat, ne fût point proprement trouble en icelle, & qu^e au cas qu^e en apres il auroit recontré quelque trouble, il auroit pû lors prendre la voie de maintenue pardevant le susdit Conseil, comme Juge primativement competant du possessoire beneficiel, qui devoit précéder le petitoire; auquel néanmoins devroit aussi être procedé pardevant Juge à deleguer dedans la Province, sans que l^e une partie pourroit attraire l^e autre hors d^e icelle en cette matiere, y obstant les privileges notoires de ce pays, confirmez même par le Pape. Il avoit néanmoins plû au susdit Rescribent d^e évoquer le susdit Pelser à Rome, en vertu des lettres citatoriales accordés à cet effet pardevant l^e Auditeur de la Rote Alexandre Caprara, & cella comme on pouvoit voir par sa supplique présentée, à sa Sainteté, pour entre autres y être aussi maintenu dans sa possession affectée dudit Canonicat, sans quoi cependant telle evocation *ad exterum judicium*, ne lui seroit point permisse sur d^e autres points qui pourroient concerner le petitoire, comme aussi ne seroit point permis à l^e évoqué Pelser entant que habitant de Kerpen, de venir en litis contestation à Rome; ce que celui ci, effraié par les censures continuelles, avoit entrepris aussi legement que l^e autre s^e étoit émancipé de l^e y faire citer; & ce faisant, il avoit encouru les peines statués par les placats des Princes de ce pays, qui s^e entendoient jusqu^e à forfaire corps & biens au cas que quelqu^e un viendroit à citer un autre hors du pays, comme il constoit par la joyeuse Entrée du Duc Winceslas de l^e année 1355. *circa initium*, & du Duc Antoine article 14. & que du moins au regard des personnes Ecclesiastiques entreprenantes semblables evocations à la Cour de Rome on s^e étoit toûjours servi du saisissement de leur temporel ensuite du placart du 12. Septembre 1485. Apres quoi l^e Archiduc Philippe par son Edit du 20. Mai 1497. avoit encore défendu que nul, pour raison de Benefices étant en ces pays, n^e attireroit les Sujets ni autres, resident par vertu des Bulles & Rescrits de Cour de Rome, sur peine de perdre le fruit & effet d^e iceux, d^e être bannis hors lesdits pays, & d^e être déclarez inhabiles de n^e y pouvoir jamais tenir, jouir ou posseder des fruits d^e aucuns benefices, tellement, que ladite citation faite audit Pelser de la part du susdit Rescribent sur des débats concernans ledit Canonicat de Kerpen, étoit directement entreprise contre ces placarts & privileges, qui au cas présent étoient d^e autant plus enfraints que le susdit Rescribent par son Ecrit de rescription servi contre la Requête dudit Pelser, afin de maintenue touchant ledit Canonicat, présentée dans ledit Conseil, avoit la témerité d^e exipier sur ladite procedure Invalidement institué à Rome, & de se servir ainsi de son attentat pardevant ce Conseil même, ce qui seroit de tres mauvaise conséquence s^e il^e n^e

CAPUT IV.

De Arbitris.

1 *Arbiter interdum accipitur pro judice ordinario vel arbitro* juris.
2 *Frequentiùs pro Arbitro ex compromisso electo.*
3 *Unde dicantur* compromissarii, & recepti.
4 *Quid compromissum.*
5 *Auctoritas Arbitri dependet ex compromisso; nec illud egredi potest.*
6 *Hinc nec coram Arbitro institui potest reconventio.*
7 *Potest tamen Arbiter cognoscere de connexis, & sine quibus causa in compromisso comprehensa determinari nequit.*

Ar-

y fût pourvû promtement, pourquoi le Suppliant se retiroit vers le susdit Conseil, le requerant d^e être servi de déclarer la susdite citation & poursuite judicielle intentée en Cour de Rome nulle & de nulle valeur; ordonnant au susdit Rescribent & à tous autres qu^e il pourroit appartenir en quelque maniere, de les casser, & réparer avec dépens, dommages & interêts, & permission de les libeller, & d^e accorder là dessus au Suppliant telle autre provision, que la Cour trouvéroit convenir selon les loix du pays, interdissant par conséquent au susnommé Rescribent de reconoitre le susdit Juge, avec dépens; & en cas de communication, de interdire cependant tant à l^e un qu^e à l^e autre, de n^e y rien entreprendre ultérieurément. Vû aussi la rescription par le susdit Rescribent y al encontre servie, par laquelle il concluoit afin, que le suppliant, pour avoir dispositif de sadite Requête venu en Cour, conclu à cassation de la Sentence par le Rescribent obtenue en Cour de Rome le 21. Aoust lors dernier, seroit déclaré non fondé, ni recevable. Vu à ce la réplique avec ampliation de conclusion ledit Suppliant, par la quelle il persistoit comme devant & ensuite de la permision par lui obtenue, concluoit afin que la Sentence Roiale du 21. Aoust 1698. avec tout ce, qui en étoit suivi, seroit declaré nul & de nulle valeur, ordonnant au Rescribent de la casser, & reparer avec depens & dommages, declarant de plus icelui Rescribent inhabile pour pouvoir jamais possedér le dit Canonicat en question, ou autre Benefice quelconque en Brabant & pays y appartenans, avec dépens. Vû encore la rescription ulterieure, réplique ulterieure, & duplique des susdites parties, comme aussi la Requete Civile du Rescribent du 26. Juin dernier, avec les raisons d^e impertinence sur ce ensuivies de la part dudit Suppliant: Le tout consideré, la Cour rejettant ladite Requête Civile du Rescribent, déclare la citation & poursuite judicielle intentée en Cour de Rome, comme aussi la Sentence du 21. Aoust 1698. sur ce ensuivie nulles & de nulle valeur, condamnant ledit Rescribent aux dépens à dûe taxation & modération de la Cour, ensemble à la peine de ladite Requête Civile rejettée. Ainsi fait en la Ville de Bruxelles le 13 Décembre 1700. sub signé BODRY.

(b) *Sententia Senatus Brabantiæ 6. Maji 1716.*

Isabelle Françoise Peronne Suppliante.

Sieur Robert Vander Schueren, Rescribent.

Veu au Conseil souverain de Sa Majesté ordonné en Brabant la Requête y présentée par la Suppliante le 3. Décembre 1715. tendante à ce que ledit Conseil fût servi d^e ordonner audit Rescribent de se déporter & désister de l^e appel de la procédure par lui introduite pardevant le sier Oficial de l^e Evêché de Ruremonde, lui ordonnant aussi de l^e abandoner, avec condamnation aux dépens & sans frais de la Suppliante, ainsi qu^e il avoit été jugé par Sentences en estantes en datte respectivement du 22. Décembre 1713. & 18. Décembre 1714. & en cas de communication d^e interdire cependant toute ultérieure poursuite pardevant ledit Official de Ruremonde, sur quoi il fût ordonné par apostille que ladite Requête seroit communiquée à partie pour y dire endedans la huitaine de la communication & sans préjudice de ce, la Cour interdisoit à la même partie interim de rien attenter. Vû aussi la rescription y alencontre servie par le Rescribent, la réplique & persistence & la duplique desdites parties: le tout consideré, la Cour ordonne au Rescribent de se déporter & désister de l^e appel, & de la procedure par lui introduite pardevant l^e Official de Ruremonde, lui entier de l^e introduire pardevant l^e Official d^e Anvers, aussi nommé par le recrit du Seigneur Internone: bien entendu que les dépens engendrez pardevant ledit Official de Ruremonde, *depuis la contestation y faite*, demeureront à la charge de la Suppliante, condamnant ledit Rescribent és dépens de ce procès taxez à la somme de cinquante un florins cinq sols, y compris la moitiè du rapport. Ainsi fait en cetre Ville de Bruxelles le 6. Mai 1716. *sub.* BODRY.

8 *Arbiter procedere non potest nisi constet de compromisso.*
9 *An compromissum debeat esse in scriptis.*
10 *Sententia Arbitri sine prævio compromisso an per consensum subsequentem possit validari.*
11 *Compromitti potest in unum vel plures.*
12 *Si in plures fuerit simpliciter compromissum, uno absente etiam per contumaciam reliqui procedere non possunt de Jure Civili.*
13 *Secus obtinet de Jure Canonico.*
14 *Quid moribus circa hunc articulum sit receptum.*
15 *An compromissum rectè fiat in duos cum potestate assumendi tertium in casum dissensus.*
16 *Compromisso solet inseri pœna; & quandonam hæc debeatur.*
17 *An solutione pœnæ liceat à Compromisso recedere.*
18 *An Compromissa hodie fieri possint interposito juramento.*
19 *De Jure Civili non potest in judices ordinarios compromitti ut arbitros.*
20 *Potest tamen de Jure Canonico; & quæ ratio diversitatis.*
21 *Potest utroque jure compromitti in Judices, tanquam Arbitratores.*
22 *Arbitrator non est propriè Arbiter, nec forma judiciali procedit.*
23 *Judices se interponentes ut Arbitratores agunt tantùm partes amicabilium compositorum.*
24 *Præcipuè urgenda est concordia, dum causa est dubia; & quomodo hac in parte peccare possint judices urgendo partes ad concordiam in casu non dubio.*
25 *Improbandum quòd judices tantùm cogitent de concordia post factas expensas.*
26 *Hodie frequenter in eandem personam compromittitur tanquam Arbitrum, & Arbitratorem.*
27 *Leges non admittunt appellationem à sententia Arbitri.*
28 *Id scopo introductorum Arbitrorum est consonum.*
29 *Mores hodierni admittunt reductionem à sententia Arbitri?*
30 *Hæc reductio habet vim appellationis quoad effectum suspensivum.*
31 *Etiam à sententia Arbitri nulliter lata reducitur.*
32 *Ad quem à sententia arbitri fiat reductio.*
33 *Reductio ad instar appellationis fieri debet intra decem dies.*
34 *In Brabantia facta post viginti dies non habet effectum suspensivum.*
35 *Licentia reducendi debet à Curia Regia peti per libellum.*
36 *Ob nimis facilem reducendi licentiam Arbitria hodie solent esse sine effectu.*
37 *Quod remedium ut per Arbitria litibus finis imponatur.*

I. ARbiter aliquando sumitur pro Judice Ordinario, ut in *L.* 6. *Cod. de postulando*; & quandoque pro eo, qui de jure eligitur, dum Judex recusatur ex causa suspicionis; quem Doctores communiter vocant *arbitrum juris*, (c) de quo infrà, *tit. de Appell. & Recusat.*

II. Frequentiùs verò accipitur pro eo, qui eligitur à partibus ex compromisso conventionali; (d) & in hac significatione sumitur sub titulo Decretalium *de Arbitris*; & titulo Codicis *de Recept. Arbitr.* & Digestorum *de Receptis, qui Arbitrium receperunt.*

III. Hi arbitri subindè etiam vocantur simpliciter *compromissarii*, *L.* 41. *ff. eod.* eò quòd litigantes in eum *compromittant*. Recipiunt enim & promittunt invicem litigantes stare sententiæ arbitri *communi* consensu electi; qui & *recipit* se pronuntiaturum: & inde dicti sunt *recepti.*

IV. Partium autem conventio vel constipulatio, quâ promittunt utrinque se velle stare decisioni electi arbitri, dicitur *compromissum*: & uti rectè notat Rebuffus in *tractatu de Arbitr. Glos.* 2. compromissum est illa simultanea partium de standо arbitrio promissio.

V. Et quidem cùm arbiter auctoritatem judicandi, vel decidendi à lege non habeat, sed ex partium duntaxat conventione, sive compromisso, ideò omnis ejus auctoritas ex ipso compromisso desumenda est. Unde ait Jurisconsultus in *L.* 32. §. 15. *de Receptis, qui arbitrum* &c. » De Officio arbitri tractantibus sciendum est, omnem tractatum ex ipso compromisso sumendum: nec enim aliud illi licebit, quàm quod ibi, ut efficere possit, cautum est: non ergo quodlibet statuere arbiter poterit, nec in re qualibet, nisi qua re compromissum est, & quatenus compromissum est. «

VI. Quare interrogatus Innocentius III. utrum coram arbitris reconventioni sit locus, respondit: » quòd licèt in Judicio convenientem reconvenire valeat is (e), qui coram Judice convenitur, coram arbitris tamen reconvenire non potest: cùm arbitri (ait) judicare non valeant, nisi de iis tantùm, super quibus in eos extiterit compromissum « *Cap.* 6. ✠ *de Arbitris.*

VII. Hæc nihilominùs intelligenda sunt de iis, quæ omninò distincta sunt ab iis, super quibus compromissum est. Si enim aliquid emergat dependens à principali negotio, rectè de eo arbiter cognoscit. Hinc dicit Pontifex, quòd arbitri etiam de restitutione cognoscere queant, si coram eis *incidenter* mota fuerit. *Cap.* 9. ✠ *de Restit. in integ.* Similiter super *interesse*, tametsi in compromisso non expressum, pronuntiare potes arbiter, citatâ *L.* 32. §. 5. Imò, uti communiter docent Interpretes, potest arbiter de iis cognoscere, sine quibus causa decidi non posset; quæque ipsi causæ adeò connexa sunt, ut, nî unà decidantur, causæ plena decisio haberi nequeat. Vide Tuldenum ad Codicem *tit. de receptis Arbitris.*

VIII. Interim cùm auctoritas arbitri petenda, & mensuranda sit ex forma compromissi; primùm de ipso compromisso constare debet, antequam arbiter procedat. » Compromissum autem, aut submissum in arbitros debet scribi (ait Damhouderus in *Praxi Rerum Civil. cap.* 204.) ac tum scriptum illud debet authenticari per aliquem Judicem, Notarium, Tabellionem, Graphiarium, aut per aliam similem personam publicam, idque præsentibus testibus; quia arbiter secundum hoc fundamentum, ad conscriptam illam, & acceptam auctoritatem debet instituere, ac producere suum Processum, ac eam conscriptam facultatem nullo modo excedere. « (f)

IX. Imò dicit Rebuffus in *tract. de Arbitris, art.* 1. *glos.* 2. *n.* 10. » Oportet quòd probetur arbitrium per litteras, alioquin Judex semper procedere poterit. « Vide notas Nicolai Tuldeni ad citatum locum Damhouderi; item ad *cap.* 208. ubi monet opinionem Rebuffi apud nos non servari.

X. Observat quoque Faber ad Codicem *lib.* 2. *tit.* 38. *Definit.* 1. » Et si valere non potest arbitrorum sententia, quam nostri *laudum* dicunt, si non præcedat compromissum: si tamen sententiæ litigatores consenserint, hactenus conformabitur, ut valeat in vim pacti, sive expressus sive tacitus consensus intervenerit. «

XI. Compromitti potest, tam in unum quàm in plures (g); tam æquali, quàm inæquali numero; quod posterius tamen est convenientius, ut in casu dissensûs major pars decidat. *L.* 17. §. 6. *ff. eod.*

XII. Si in plures simpliciter sit compromissum, uno eorum absente, reliqui procedere nequeunt, quia non videretur servari forma compromissi, quæ in plures concepta est; & ita deciditur in *L.* 18. *ff. eod.* Idque procedet, licèt per legitimam citationem, ut adesset, interpellatus probetur, uti notat Faber loco citato *definit.* 3. Nam quod dici solet, contumaciam esse pro præsentia, tunc verum est, cùm agitur de præjudicio contumacis, non alterius, cui contumaciam alterius nocere non oportet, ut in proposita specie: quia tertius ille absens potuisset forsan, si adfuisset, alios trahere in suam sententiam; & quod notandum, noluit compromittere, nisi in *tres*; & hac forma, & non alia compromissum à Partibus conclusum fuit.

XIII. De Jure Canonico ex speciali Constitutione Bonifacii VIII. in *cap.* 2. *de Arbitris, in VI.* contrarium obtinet, ut nimirum, si unus è tribus arbitris legitimè citatus, & cessante legitimo impedimento absit, possint reliqui duo negotium examinare, & liberè definire, » sicut possent eo præsente, nec volente cum iis in unam sententiam concordare; ut sic ipsius absentia præsentiâ repleta divinâ, eum reputari faciat pro præsente. «

Hanc suam Constitutionem videri contrariam legibus haud diffitetur; ait enim: *licèt lex civilis aliud innuere videatur.*

XIV. Hac Juris Canonici Constitutione nos uti testatur Simon à Groenewegen *de Legib. abrogat. ad. L.* 18. *ff. de Receptis qui arbit.* &c. item Simon Van Leeuwen in Censura Forensi *part.* 1. *cap.* 17. *num.* 9. citans ibidem Constalium ad *L.* 17. *ff. eod.* qui tamen de hac inter Jus Civile, & Canonicum differentia hîc loquens dicit, » quòd in eo genere quæstionis sumus, in quo jus utrumque in suo foro servari debeat, civile in civili, Canonicum in Canonico, cùm talia salutem animæ non contingant. «

Subgin. 92. *col.* 1. *num.* 2. *contendit reconventionem locum non habere in Galliis, nisi sit exceptio respectu petitionis. Vide Consuetud. Parisiens.* art. 106.

(c) *De his* Arbitris juris *mentionem facit L.* 4. *tit.* 21. *liber* 4. *Recop. per verba*: En manos de arbitros *juris.*

(d) *Ita intelligitur in Hispania ex verbis*: O à placer de las Partes, que lo tomen por avenencia para juzgar algun Pleyto, *dictæ legis* 4. *anteà citatæ.*

(e) *Reconventio est actio, quâ petitur aliquid alteri, qui anteà postulabat*: *D. de Hericourt*, Loix Eccles. *part.* 1. *pa-*

(f) *In compromisso etiam in Hispania debet attendi, ut fiat* dentro del termino del compromisso, y sobre las cosas, sobre que fue comprometido, *ut ait L.* 4. *tit.* 21. *lib.* 4. *Recop.*

(g) *L.* 4. *tit.* 21. *lib.* 4. *Recop.*

Subdit quoque ibidem Costalius : » Item quemadmodum » Jure Civili requirimus, ut omnes arbitri sententiæ ferendæ » adsint : idem ferè dicitur in actis, quæ ad instruendam litem » fiunt, ut ea expedire non possint, nisi præsentibus omnibus » arbitris : ideò ex tribus arbitris acceptis duo non possunt reci- » pere testes, & interrogare ; ut curia Parisiensis censuit.«

Illud equidem expeditum apparet, decissionem Juris Canonici non habere locum, si in plures compromissum sit, non simpliciter, sed adjectâ conditione, ut *simul omnes* in cognoscendo, & judicando intersint ; uti rectè observat Tuldenus ad Damhouderum *in Praxi rerum civil. cap.* 212. *litt. D.*

XV. Si in duos simpliciter compromissum sit ; hique inter se dissentiant, tacitè id actum videtur, ut tertius ab iis eligatur, cujus auctoritati pareatur, *L.* 17. §. 6. *ff. eod.* At si in duos compromissum sit hâc addita expressâ cautione, *ut si dissentiant, tertium assumant*, dicit Jurisconsultus in citata *L.* 17. §. 5. » Puto tale compromissum non valere ; nam in » assumendo possunt dissentire. « At hac Juris Civilis subtilitate explosâ, hodie contrarium servatur ; suntque hæc compromissa usitatissima. Rebuffus loco citato *num.* 7. item Mornatius ad citatam *L.* 17. & Zypæus in Notitia Juris Belgici *tit. de Arbitris*, notat, nihil per mores frequentius, quam ut eligantur duo arbitri, & his detur auctoritas assumendi tertium non suspectum in casu dissensûs, quòd & probari in *cap.* 61. ✠ *de Appellat.* rectè ibidem reflectit Zypæus.

XVI. Solent compromissa fieri pœnâ interpositâ, (h) si arbitrio non obtemperetur, *Leg.* 11. §. 2. *Leg.* 12. & 13. *ff. de Receptis* &c. Hæc autem pœna persolvenda est à non obtemperante Decreto, seu *laudo* arbitri, vel comparere nolente coram arbitro electo : perindè enim est, non pareat quis sententiæ, an ne ea feratur, impediat, *L.* 2. *Cod. de Receptis arbitr.* & *Leg.* 27. §. 4. & *Leg.* 30. *ff. eod.*

XVII. Si pœna simpliciter inseratur compromisso, quo nihil frequentius moribus nostris, in æstimandis emptionum pretiis in arbitrium boni viri collatis, eâ persolutâ liberè à compromisso receditur : secùs si adjecta sit cum clausula, manente compromisso, quia tunc is, qui compromisso stare renuit, in pœnam incidit, & nihilominus compromisso stare jubetur ; Andræas Gail. *lib.* 1. *Observ.* 150. *num.* 14.

XVIII. Aliquando etiam interposito jure jurando arbitros fuisse assumptos constat ex *L.* 4. *Cod. eod.* illudque vocatur ibidem *sanctissimum arbitrum.*

Postmodum autem Justinianus *in Novella* 82. *cap.* 11. » Sancimus de cætero nullum fieri omninò judicem *arbitralem* & » cum *jurisjurandi* cautione judicare. Ne (ait) ex hoc in perjurium invitum incidant homines propter judicum ignorantiam, pejerare compulsi ; sed omninò qui judicem, aut judices eligunt, cum pœna eligant eos, quatenus partes ad invicem coëant, & necessitatem habeant, aut contentæ esse judicio, aut si retractare voluerit alter, det mulctam, & si licentiam habeat discedere reus ab iis, quæ judicata sunt, & ad aliud » venire auditorium ; nostris judicibus si aditi fuerint, exigentibus mulctam : & iis, qui eam jussi sunt accipere, restitui » præparantibus. «

Hanc Justiniani Ordinationem non fuisse ubique receptam, & semper observatam constat ex *Cap.* 2. & 9. ✠ *de Arbitris*, ubi arbitriorum cum interposito juramento mentio fit ; eamque distinctionem inter Jus Civile, & Canonicum observat Damhouderus *cap.* 204.

* Sed notandum quoque est, tribunalia Ecclesiastica multis abusibus XII. & XIII. seculo jam fuisse referta, atque inter alios invaluisse in illis contra veterem Ecclesiæ disciplinam juramenta ; quam rem plurimi deplorârunt, optâruntque ut à Judiciis Ecclesiasticis hæc frequentia juramentum exularet, & non nisi ex gravissimis causis juramentum admitteretur ; ut sic & periculum perjurandi, & assumendi nomen Dei in vanum cessaret.

Non desunt Interpretes, qui docent, prædictam Justiniani Constitutionem de arbitris tantùm, & non de litigantibus loqui ; uti monet Zypæus in *Jure Novo*, *tit. de Arbitris*, additque : Adeoque *jurata* compromissa *indies* fiunt.

XIX. Arbitri quacunque forma assumpti nullam accipiunt propriè dictam jurisdictionem, quam privati dare nequeunt ; unde nec propriè *judices* sunt, sed compromissarii privato partium consensu, ad eorum controversias decidendas, assumpti. Imò inspecto Jure Civili, Judices Ordinarii in Arbitros assumi nequeunt, *L.* 9. §. 2. *ff. eod.* cui consonus apparet *art.* 23. Ordinat. Curiæ Brabantiæ, qui inhibet Consiliariis, ne munus compromissi suscipiant causarum in Senatu motarum, aut verosimiliter movendarum, sine consensu Cancellarii & Senatûs.

XX. Jure Canonico tamen etiam in ipsos Judices compromitti posse, constat ex *Cap.* 7. ✠ *de Arbitris*, & *cap.* 21. ✠ *de Præbendis.* Credit Janus à Costa in Summario tituli Decretalium *de Arbitris*, hoc de Jure Canonico receptum esse, quia ipsa judicia Ecclesiastica cœperunt ab *Arbitrio*, & more arbitrorum primùm jussi sunt Episcopi judicare, *L.* 7. *Cod. de Episcop. Aud.* & suprà *tit.* 1. *cap.* 2. notavimus.

Nonnulli autem credunt, referente Acosta ibidem, hanc decisionem Juris Canonici occasionem habuisse ex *Novella* 86. Justiniani : ex qua potest judex esse honorarius arbiter vel *mediator*, id est, ut loquuntur *Arbitrator*, & amicabilis compositor.

XXI. Quidquid sit, hoc sat constat, judices ordinarios posse se interponere, etiam in causis coram se pendentibus, tanquam mediatores, ut partes ad concordiam inducant.

Quin & ipsos Judices tanquam *Arbitratores* compromitti posse, dicit Antonius Faber ad Cod. *lib.* 2. *tit.* 38. *deffinit.* 2. » In Præsides, & Senatores non magis (ait) compromitti potest » tanquam *Arbitros juris*, quàm in quemlibet alium judicem » ordinarium ; cùm sint & ipsi judices Ordinarii. Sed *tanquam* » in *Arbitratores*, & benevolos, ut vocant compositores com- » promitti haud dubiè potest. « Et ita judicatum in Senatu Sabaudiæ anno 1591.

XXII. Neque enim *arbitrator* est propriè dictus *arbiter*, qui more judicis causam discutit, & definit, partesque judicis subit, uti notat ex Corasio Diodorus Tuldenus ad titulum Cod. *de Receptis Arbitris* : additurque, quòd quidem præter Compromissarium alium arbitrum jus agnoscat, sed qui propriè non est arbiter, nec ut talis de lite cognoscit, verùm ad cujus æstimationem, moderationemque aliquid in contractibus partes referunt. » Porrò (ait Tuldenus) amicabilis contendentium conci- » liator non definit ipse litem ; sed ejus finiendæ consilium, mo- » dumque suggerit ipsis contendentibus. Nec nego pergit (Tul- » denus) hunc quoque arbitrum vocari, sed nego judicem esse, » verum proxenetam transactionis esse affirmo. «

Hactenus ex Tuldeno allegata videntur dissertè expressa in *L.* 13. §. 2. *ff. eod.* » Recepisse autem arbitrum videtur (ut » Pedius *lib.* 9. dicit) qui Judicis partes suscepit, finemque se sua » sententia controversiis impositurum pollicetur. Quod si (inquit) » hactenus intervenit, ut experiretur an consilio suo, vel auctori- » tate discuti litem paterentur, non videtur arbitrium recepisse. «

Hic manifestè distinguitur à propriè dicto *arbitro*, qui se simpliciter interponit, ut experiatur, an litem finire posset ; qui uti notat ibidem Dionysius Gothofredus *arbitrator* dicitur.

XXIII. Igitur dum judices se interponunt, ut suggerant, proponantque litigantibus media, & consilia concordiæ, arbitratores, seu amicabiles compositores dici possunt, non arbitri : nec dubium quin officium Judicis nonnunquam exigat, ut conentur partes ad concordiam aliquam, & transactionem inducere, uti rectè monet Damhouderus in *Praxi Rerum Civil. cap.* 199. testaturque, quòd » in supremo Mechliniensi Consi- » lio frequenter utantur, ut partes mittant, ad Commissarios ut » illas audiant, causas ipsarum coram discutiant, & disputent, & » eas si quomodo poterunt, amicè concordent. Et si eas nullo » modo concordare poterunt, saltem utrique partium seorsum, » & secretè omnes difficultates causarum prudenter aperient, ut » inter spem, & metum fluctuantes, persuasionibus citiùs ad » concordiam conducantur. Sin pertinaciter sanis consiliis ac- » quiescere nolint, rerum eventum & sententiam futuram ex- » pectent. Atque hoc pii ac Christiani Judicis officium quivis » Judex exequi, & peragere potest, ne dicam debet, in quo- » cunque statu res etiam & causæ consistent, si materia difficultatis plurimùm contineat, & Judicis sententia pronuntianda » anceps videatur. «

XXIV. Monet autem ibidem *num.* 3. ut reflectat Lector ad finalem clausulam verbis suprà relatis adjectam : *Si materia difficultatis plurimum contineat, & judicii sententia pronuntianda anceps videatur.* » Quia (ait) si proce sus in jure con- » clusus, visitatus, & diligenter examinatus esset, atque ex eo » examine (i) Judex certè cognosceret utrius partis causa esset » potior, & justior, eo casu non debet partes ad concordiam » inducere, & pertrahere ; (k) id enim si faceret, alterutri » parti magis favere videretur, quod ab animo Judicis procul » abesse convenit ; sed eo casu debet jus dicere, & justitiam » æquiori parti adjudicare citra omnem favorem, & de con- » cordantia apud neutrum partem, nec semel hiscere. «

Multa quoque tradit Nicolaus Tuldenus ad *cap.* 206. Damhouderi *litt. M.* contra judices, qui videntes partem unam habere justam causam, nihilominùs eam ad concordiam, & aliquid de suo jure remittendum incitant, ut vel hoc pacto alteri parti faveant.

Hoc

(h) *Dicta L.* 4. *ibi* : Y prometen de estar por la Sentencia que dieren, y de no reclamar de ella so cierta pena.

(i) *Ex eo examine, id est, viso per se processu, non autem relatione tantùm Scribæ Notariive habita ; quia hoc inferioribus Judicibus prohibitum est facere in leg.* 6. *tit.* 9. *lib.* 4. *leg.* 4. *tit.* 8. *& 17. tit.* 17. *lib.* 2. *& postremo in Remiss.* 10. *dict. tit.* 17. *lib.* 2. *Recopil.*

(k) *Lex* 9. *tit.* 6. *lib.* 3. *Recop.* Y no reciban (*ait*) el, ni sus oficiales compromisos de ningunos pleytos, que ante ellos estuvieren pendientes.

XXV. Hoc non minus reprehendendum, quòd judices frequenter de excitandis partibus ad concordiam non cogitent, nisi postquam jam omnes penè litis expensæ factæ sunt, ipsisque nihil amplius ex lite lucrandum superest; & quando ob factas expensas ferè impossibilis, aut admodum difficilis redditur concordia. Hoc animadvertisse videtur Damhouderus, qui loco citato *num.* 4. dat hoc pium omnibus Judicibus monitum: » Sed » hoc (ait) omnibus Judicibus ex Christiana charitate velim esse » familiare, ut quoties coram ipsis ullus processus intentatur, » partes per se, aut per alios concordatas curent, si prius- » quam ad odiosas, ac voracissimas lites descendant. Id enim » facientes, non tantùm pii Judicis, sed etiam veri, ac sinceri » Christiani hominis officium referunt; Apostolicam doctri- » nam sequuntur, & ad Christi Salvatoris nostri, ac pacifici » exemplum se componunt, & id imitatione exprimere curant. «

XXVI. Communiter hodie fit, ut partes se in unam eandemque personam submittant, tanquam *arbitratorem*, & *arbitrum*; » hoc est, ut in causis controversis unus, & idem induat utram- » que personam, & arbitri & arbitratoris, sic ut si partes con- » siliis, rationibus, & amicis pacificationibus concordari pote- » runt, id primò scilicet curet: sin id non valebit, arbitrum » agat, & rem omnem juris ordine peragat; « ait Damhouderus *cap.* 204. *num.* 8. in *Praxi Rerum Civil.* additque: » At- » que hoc geminum officium arbitratoris, & arbitri, in uno » mihi videtur admodum laudabile amplectendum. «

XXVII. De sententia arbitri ex compromisso Jure perfecto aditi, appellari non sæpè rescriptum est (ait *L.* 1. *de Receptis Arbitris*:) » Quia nec judicati actio inde præstari potest: & ob » hoc ipsum pœna invicem promittitur, ut metu ejus à placitis » non recedatur. « Et in *L.* 27. §. 2. *ff. eod.* » Stari autem de- » bet sententiæ arbitri, quam de re dixerit; sive æqua, sive » iniqua sit; & sibi imputet, qui compromisit: Nam & Divi » Pii rescripto adjicitur; *Vel minus probabilem sententiam æquo* » *animo ferre debet.* «

XXVIII. Hinc communi calculo concludunt Interpretes de Jure Civili à sententia arbitri ex libero partium consensu assumpto appellari non posse, sed ejus sententiæ omninò esse standum; quod & scopo introductorum arbitrorum omninò consonum apparet: nimirum, ut ope arbitrorum lites citius, ac minoribus expensis terminentur, & à forensi strepitu tandem ipsi litigantes eximantur, & omnibus jurgiis finis imponatur.

XXIX. Unde deplorat Tuldenus, quòd consuetudo id perperam mutaverit. Moribus enim passim invaluit, ut ab arbitrorum sententia provocari, sive ut (ajunt) *reduci* queat: idque exemplo *arbitratorum* inductum apparet; de quibus legitur in *L.* 76. *ff. Pro Socio*; » quod ad boni viri judicium re- » digi debeat; etsi nominatim persona comprehensa sit cu- » jus arbitratu fiat.

» Hodie praxis statuit, & servat, (ait Rebuffus) quòd sem- » per recurratur ad arbitrium boni viri, ubicunque arbiter » iniquè arbitratus est. Et hoc sive cum adjectione pœnæ erat » electus, sive non: & sic non fit hodie differentia in hoc » regno, in quo passim recurritur ad arbitrium boni viri, quo- » modocunque arbiter iniquè arbitratus fuerit, & sive arbiter, » sive arbitrator, sive amicabilis compositor & quocunque no- » mine vocitatus fuerit. « (l) Hæc ille in Tract. *de Arbitris*, » *art.* 1. *glos.* 3. *num.* 7. Quod & praxi Belgicæ conforme est. Zypæus in *Notitia Juris Belg. tit. de Arbitris.*

XXX. Hæc provocatio, quia non est propriè à sententia, non solet vocari appellatio, sed reductio, scilicet ad arbitrium boni viri; quamvis reipsâ, inspectis hodiernis moribus ab appellatione vix differat. Quare monet Rebuffus loco citato *Glos.* 8. *num.* 30. quòd sententia Arbitri pendente reductione maneat omninò in suspenso, & sine executione, æquè ac sententia Judicis pendente appellatione: quia (ait) hæc reductio vim habet suspensivam, (m) sicut appellatio.

XXXI. Quare etiam sicuti moribus nostris à quacunque sententia judiciali, quantumvis *nulliter* latâ debet provideri per appellationem, neque infirmari potest per viam (ut ajunt) *nullitatis*; (n) ita quoque obtinuit; ut simili modo per reductionem debeat infirmari sententia arbitralis, quamvis nulliter lata; uti observat Antonius Fab. loco citato *defin.* 6. Eadem ratione Rebuffus in *tractatu de Arbitris*, *art.* 1. *Glos.* 8. postquam *num.* 28. dixisset, in Rota aliquando dubitatum, an in causa reductionis ad arbitrium boni viri sit lis contestanda, quia per eam officium Judicis imploratur, mox tamen dicit *num.* 29. » in Francia tamen hæc dubitatio non fit, quia per *appellationem* » recursus fit, & omnia, quæ in causa apellationis requiruntur, » & in hoc recursu servari solent. «

XXXII. Hæc reductio in Gallia fit ad Judicem Ordinarium, id est, ad eum, in cujus teritorio pars habet domicilium, & sic is regulariter erit Judex, qui in causa fuisset Judex sine compromisso. Latè Rebuffus loco citato *glos.* 10.

Idipsum in Germania obtinere testantur Gail. *lib.* 1. *obs.* 149. & Mynsingerus *Cent.* 2. *Assert.* 61.

In Brabantia reductio fieri solet immediatè ad supremum Senatum, uti notat Zypæus in Notitia Juris Belgici *tit. de Arbitris*: refertque Hubertus Loyens in tractatu de Curia Brabantiæ *cap.* 15. inter causas, de quibus Senatus Brabantiæ est judex, reductionem à laudo arbitrorum, dicens: » Ad cognitio- » nem Senatus (o) jure quoque pertinet omnis reductio à sen- » tentia Arbitri ad arbitrium boni viri. «

Ex Ordinationibus tamen hujus Curiæ *art.* 487. potest reductionis causa committi Judicibus Ordinariis, ubi expedire videbitur. Verba articuli sunt: *de Materien van reductien sullen by onsen Raedem ten Landrechte moghen gecommittert worden, alssy bevinden sullen soo te behooren.* Id est: Reductionem causæ poterunt Senatui nostro in Patrio tribunali committi, cùm sic expedire videbitur.

XXXIII. Cùm reductio sit quædam species appellationis, ex communi Interpretum opinione debet fieri intra decem dies (p) adinstar appellationis; uti notat Damhouderus in Praxi Rerum civil. *cap.* 213. & ita servari in Francia dicit Rebuffus loco citato *gloss.* 8. *num.* 6. Unà tamen monens, quòd si dolo, vel per sordes quis prætendat se enormiter læsum, possit intra 10. annos impetrare litteras Regias restitutionis; quemadmodum in aliis contractibus id licet.

XXXIV. Ex Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 488. reductio ad hanc Curiam effectum suspensivum non habet, nisi facta sit intra 20. *dies* à latâ sententia arbitrali: post annum verò nulla reductio admittenda. *Dat egeen materien van reductien effect van suspensie hebben en sullen, ten sy das die reductie versocht is binnen twintigh dagen naer de uytspraeke gedaen, ende egheen reductien en sullen ontfangen, oft geadmittert worden naer den jaere dar d' uytspraeke gedaen sal syn.* Id est: » Ut nulla reductionis causa suspensionis effectum sortiatur nisi dicta reductio intra vigesimum à prolata sententia diem impetretur. Elapso verò post sententiam anno, nulla reductio recipi, aut admitti poterit.

XXXV. Ut reductio fiat, debet per libellum à Curia facultas reducendi impetrari; quod & innuit citatus articulus Ordinationum Curiæ Brabantiæ, dum dicit reductionem non habere effectum suspensivum, nisi *petita sit* intra 20 dies *Die reductie* VERSOCHT *is.*

XXXVI. Conqueritur Busius, ad Legem primam *de Arbitris*, quòd malo more eadem reductio in nonnullis Belgicis Curiis facilè, & plerumque sine ulteriori causæ cognitione concedatur. Et sanè etiam concedi solet, tametsi pœna compromisso adjecta sit, & reductioni expressè renuntiatum sit: nam & adversus hanc renuntiationem restitutio datur, & reductio admittitur; uti latè deducit Rebuffus loco citato *Gloss.* 5. & 8. ubi notans, omnes penè cautelas, quæ pro roboratione arbitrorum fuere jam pridem observatæ, ampliùs non valere. Adeò ut hodie vis arbitrorum penè totaliter sit enervata; ipsaque compromissa magis ad augendas quàm ad extinguendas lites hodie servire videantur: Cùm tamen teste Jurisconsulto in *L.* 37. *ff. eod.* non differendarum litium causa, sed *tollendarum* ad Arbitros eatur.

XXXVII. Ad hæc finalia verba reflectens Mornacius ad *L.* 36. *ff. de Receptis qui Arbitrium &c.* ait: » Notandus tex- » tus. Sed quia nec satis arctum arbitralis sententiæ vinculum » esse compertum est ex quotidianis experimentis, inventa est, » & hæc alia ratio tollendarum litium: nempè ut statim atque » terminata sunt negotia ab Arbitris, Litigantes coram eis tran- » sigant apud tabelliones, id est, & contestationes, quæ fac- » tæ ab iis fuerunt, & judicium, quod ab Arbitris latum est, » transactionis obice perpetuo muniant; nihilque amplius pateat, » tantillumve emineat, præter contractum, quem omnium esse » fortissimum, ideò voluit constitutio Regia anni 1561. «

Et ne adversus transactionem forsan restitutio petatur ex capite prætensæ Læsionis, atque hîc rursus litibus initium detur, solet transactionis confirmatio à Senatu peti.

TI-

(l) *Hæc praxis consona est ei, quæ quoad Hispaniam traditur in leg.* 4. *tit.* 21. *lib.* 4. *Recopil. per verba.* I pide de ella reduccion a alvedrio de buen varon.

(m) *Verba dictæ legis* 4. *anteà relatæ, scilicet*: Se execute libremente, *contraria sunt doctrinæ Rebuffi.*

(n) *In Hispania agi posse de* nullitate *edocent verba*: O hacen contra ella de nulidad, *dictæ legis* 4.

(o) *Reductio à sententia Arbitri agi potest in Hispania vel in Supremis Tribunalibus, au coram inferioribus Judicibus: si prius sententia executioni mandatur; si verò posterius ab ea appellari potest, ut ait L.* 4. *tit.* 21. *lib.* 4. *Recopil.*

(p) *Licèt enim in Hispania ad petendam reductionem, seu arbitrium Boni viri, inspecto Partitarum jure, & præcipuè* 23. & 35. *tit.* 4. *decem dies consignentur, attamen quinque tantùm dies præscribuntur in leg.* 1. *tit.* 18. *lib.* 4. *Recopil. qui numerari debent à die scitæ injuriæ; querela verò nullitatis intra sexaginta dierum spatium interponi potest per leg.* 2. *tit.* 17. *lib.* 4. *Recopil.*

TITULUS VI.

De Ministris Curiæ Ecclesiasticæ.

CAPUT I.

De Assessore.

1 *Hodierni Officiarii seu Ministri curiæ Ecclesiasticæ demum institui cœperunt, quando in forum Ecclesiasticum intravit stylus fori civilis.*

2 *Origo, & conditio horum Ministrorum potissimum ex Jure Civili petenda.*

3 *Officium Assessoris jam pridem apud Romanos notum fuit; & unde nomen Assessoris.*

4 *Assessores etiam dicti fuerunt* Consiliarii.

5 *Apud Romanos Magistratus Assessoribus utebantur.*

6 *Error in judicando, cur Assessoribus, non Magistratibus imputaretur.*

7 *Assessores reputabantur quasi judices; & ideò multis privilegiis gaudebant.*

8 *Erant immunes à tutelis, & onere indictionis.*

9 *Si absentes læsi essent, restituebantur in integrum.*

10 *Assessores apud Romanos accipiebant salaria sua ex publico.*

11 *Olim omnes majores Magistratus sibi Assessores assumere poterant, hodie soli Principes supremi.*

12 *Hodie Assessores Principum constituunt Parlamenta, & Consilia eorum.*

13 *Inferiores Magistratus habere solent suos Secretarios, vel Graphiarios vices Assessorum supplentes.*

14 *Præter hos Officiatos consulere consueverunt Advocatos, qui locum ssessorum suppleant.*

15 *Nonnunquam Magistratus tenentur judicium istorum Advocatorum in pronuntianda sententia sequi.*

16 *Exemplo Magistratuum Civilium Judices Ecclesiastici cœperunt Assessores sibi assumere.*

17 *Seculo XII. moris fuisse assumere Advocatos in Assessores in Curiis Ecclesiasticis, probat Synodus Cantuariensis.*

18 *Nonnulli Judices Ecclesiastici in gravamen partium sine causa assumebant assessores.*

19 *Decretum Bonifacii VIII. occasione hujus abusus evulgatum.*

20 *Quis dicatur Assessor in hoc Decreto Bonifacii.*

21 *Bonifacius vetat assumi Assessorem à judice*, nisi eo indigeat.

22 *Potest tamen semper assumere, modò id fiat sine gravamine partis.*

23 *Quandonam Judex censeatur fraudulenter assumere Assessorem ex mente Bonifacii.*

24 *Potest assumere judex, si indigeat, Assessorem etiam cum gravamine partis.*

25 *Hodie Judices Ecclesiastici, qui non sunt professione Jurisperiti, solent Assessores assumere.*

26 *Ex Constitutione Leonis X. Judices in neutro Jurium graduati tenentur Assessorem assumere, una etiam parte tantùm requirente.*

27 *Judex licèt professione Jurisperitus, & in Jure graduatus potest Assessorem ad gravamen partis assumere, si eo indigeat.*

28 *An judex indigeat vel non, Bonifacius relinquit conscientiæ ipsius judicis.*

29 *Unde hodie Judices de causa assumendi Assessorem nulli nisi soli Deo rationem reddere debent.*

30 *Judex delegatus ob suam insufficientiam hodie non potest recusari.*

31 *Potest recusari Assessor tanquam suspectus.*

32 *Permittit Bonifacius judici, ut Assessori competens salarium ad onus partium assignet.*

33 *Quæ de jure in assignatione salarii consideranda.*

34 *Quid hodie obtineat circa salarium Assessorum, qui in Assessores assumuntur, vel pro* judice consuluntur.

35 *In Curiis Ecclesiasticis jura Assessoris solent esse taxata.*

36 *Interdum Assessor recipit jura judicis nullo honorario judici relicto.*

37 *Convenit, ut Judex per se examini causæ intersit, tametsi Assessore utatur.*

I. DUm circa seculum XII. cœperunt in tribunalibus Ecclesiasticis causæ more, & stylo forensi instrui, & secundum legum etiam Civilium rigorem examinari, & decidi, unà in his tribunalibus invaluere Officiarii, & Ministri fori Civilis; atque ad exemplum Officiatorum, & Ministrorum jurisdictionis civilis iisdem penè legibus institui, & ordinari, uti rectè notavit Carolus Loyseau tractatu *de Officiis*, *lib.* 5. *c.* 6. *num.* 33. dicens vice fundamenti in hac materia tenendum esse, quòd officia fori Ecclesiastici iisdem juribus, & regulis regantur, quibus Officia secularia: *Aussi il faut tenir* (ait) *pour maxime, que les Offices de la justice Ecclesiastique gardent & retinent le même droit, & les memes regles de la justice temporelle* Id est: » Unde tanquam axioma habeatur, quòd Officia fori » Ecclesiastici, idem jus, easdemque regulas cum foro seculari » observent & teneant. «

II. Unde si quis noscere vult Ministrorum, seu Officiatorum Curiæ Ecclesiasticæ originem, & naturam, quin & eorum munus, & Officium, necnon regulas, quas observare debent, eam notitiam ex jure Civili ferè haurire debebit; atque investigare, quæ fuerint, aut sint hujusmodi ministrorum apud Civiles Magistratus munia, & leges. Atque hinc facilè quoque intelliget, ex foro Civili in forum Ecclesiasticum hæc esse introducta, postquam hoc forum ad normam istius regi cœpit, & causæ ad præscriptum non tantùm Canonum, sed & ipsarum legum Civilium instrui, & decidi.

III. Notum jam pridem fuit officium *Assessorum*, ita dictorum, quòd Magistratibus *adsidere* in causarum examine & decisione solerent. » Omne officium Assessoris, quo Juris studiosi partibus suis funguntur, in his ferè partibus constat, in » cognitionibus, postulationibus, libellis, edictis, decretis, epistolis, « inquit Jurisconsultus in *L.* 1. *ff. de Offic. Assessorum.*

IV. Dicuntur & *Consiliarii*, utpote qui consiliis propriis Magistratus in decidendis, & tractandis causis juvare debebant, *L.* 7. *Cod. eod.*

V. Licèt enim jure Romanorum Judices Legum peritiam habere debeant, atque munus judicandi *per se* obire teneantur, *Novellâ* 60. & 82. tamen Magistratus hâc scientiâ non debebant esse instructi; uti ipse etiam Justinianus iudicat in dicta *Novellâ* 82. *Cap.* 2. & manifestè supponit *L.* 2. *ff. Quod quisque juris in alterum statuerit &c.* ubi dicitur: » Si Adsessoris imprudentiâ jus aliter dictum sit, quàm oportuit, non debet hoc » Magistratui officere, sed ipsi *Adsessori.* «

VI. Cur non debeat Magistratui officere, rationem allegat ibidem ex Cujacio *lib.* 23. *Observat.* 40. Dionysius Gothofredus: » Adsessor pro Jurisperito agit, & scientiam juris præs» tare debet: Prætor vel Præses non item. (q) Et plerumque » nec Jurisperitus est, sed vir militaris ex nobiliori quadam fa» milia, qui arma potiùs callet, quàm leges; quod & hodie » in iis, qui Ballivi sive *Seneschalli* dicuntur, usu venit. «

Idipsum jam pridem observavit Theodorus Balsamon ad *Can.* 15. Carthaginensem, dicens: » Magistratus, seu qui præ» sunt judicibus, non coguntur leges exactè scire, ut qui in » multis aliis magnis occupationibus versentur; & propterea si » per imperitiam sententiam ferant, eis venia datur. Eorum au» tem Assessores, si contra leges ferant sententiam, puniun» tur. Dicit enim Lex in *lib.* 7. *tit.* 3. *cap.* 24. Dolum Magis» tratus requirimus. Si enim per imperitiam Assessoris aliter ju» dicatum fuerit, non facit injuriam Præses, seu Magistratus, » sed qui ei fert auxilium. Et est probabilis quidem ratio. Ma» gistratus enim propter eam, quæ dicta est, causam, non in» simulantur: Judices autem, quorum est proprium munus ju» dicare, si contra leges fecerint, tenentur ac si dolo fecissent; » secundum legem quæ dicit: *imperitia negligentiæ æquipa» ratur*; & rursus: *Dolum quis facit, qui perfectè nescit, quod » se scire profitetur.* «

VIII. Assessorum illorum non exigua erat apud Romanos dignitas; multisque erant privilegiis decorati. Cùm enim eorum consiliis omnia apud majores Magistratus agerentur, quasi Ju-

(q) *In Hispania nemo munus Judicis Assesorisve exercere potest, quin priùs per decem annos litteris operam in jure civili, vel canonico dederit, L. 2. tit. 9. lib. 3. & Remiss. 5. tit. 5. lib. 3. Recopil. & etiam sit instructus in legibus Ordinamenti, Pragmaticarum & Partitarum. L. 4. tit. 1. lib. 2. attamen qui his qualitatibus non est suffultus, Assessorem nominare potest ex præscripto leg. 9. & 31. tit. 6. lib. 3. leg. 9. tit. 5. lib. 3. leg. 1. cap. 12. tit. 2. lib. 9. & leg. 16. tit. 33. lib. 9. Recopil.*

Judices & Magistratus erant: hincque administrantium Provincias socii, atque participes, & *quædam uniuscujusque portio* videri dicuntur in *L.* OMNIS *Cod. Theod. De iis, quæ administrantibus* &c.

VIII. Et quidem Assessores tanquam qui vices Judicum subirent, ipsisque Provinciarum Præsidibus, & Magistratibus assisterent suis consiliis continuò, immunes erant à tutelis, & ab omni indictionis onere, non solùm dum in officio erant, sed & eo deposito. *L.* 11. *ff. de Offic. Assess.*

XI. Similiter, si dum hujus officii causâ in Provinciis agerent, & à patria abessent, interea in aliquo læsi essent, damnumve in Patria accepissent, restituebantur in integrum, *L.* 37. & 38. *ff. Ex quibus causis majores. &c.* quia Reipublicæ causâ abesse censebantur.

X. Et quod amplius est, ipsi Adsessores non secùs ac ipsi Magistratus salaria sua ex *publico* accipiebant, *L.* 4. *ff. eod.* Unde & titulus Codicis *de Annonis, & capitatione Administrantium, vel* ASSESSORUM &c.

XI. Olim major quivis Magistratus sibi Assessores adoptabat, ut Præfectus Prætorio Præses, Proconsul, Prætor, publico eis constituto salario, *L.* 11. *Cod. de Assessoribus.* Hodie solùm Principes, & qui Provinciis præsunt, & liberæ civitates eos assumunt in consilium, ait Antonius Perezius ad tit. Codicis de *Assessoribus, num.* 1.

XII. Hi hodie dicuntur Consiliarii Principis, constituuntque ipsa hodierna Principum Parlamenta, & Consilia, quæ etiam tanquam Principum Assessores, omnia sua publicant, & enuntiant sub nomine Principis, ipsoque Principis sigillo utuntur.

XIII. Inferiores Magistratus hodie suos habere solent Secretarios vel Graphiarios (de quibus infrà) qui plerunque sunt Jurisperiti, & in negotiis forensibus aliquatenus instructi. Hi tanquam quidam Magistratuum Adsessores causis instruendis, & agendis, ac decidendis Magistratibus assistere consueverunt: præsertim quia cum hi Officiarii perpetui sunt, Magistratus autem ferè ubique temporales, in negotiis instructiores esse solent. Quare & omnibus sat persuasum est, à capacitate, & diligentia hujusmodi Officiatorum bonum regimen, & causarum justam directionem plurimùm dependere.

XIV. Præter hos Officiatos, quorum consilio passim Magistratus utuntur in negotiis dirigendis, & causis instruendis, consulere quoque consueverunt Advocatos, seu Jurisperitos, qui iis in causis vicem Adsessorum (r) supplent; utpote, qui in judicando suis consiliis quasi adsident, quidve edicere, aut pronuntiare debeant, præscribunt. Unde Advocati, qui à Magistratibus super decisionibus causarum consuluntur, vulgò dicuntur consulere *pro judice*, quod consilia ipsorum sint adinstar judiciorum.

XV. Licèt enim tales Advocati nullam habeant jurisdictionem, neque sententiam suo nomine proferre queant; nihilominus his Advocatis potiori jure ipsa sententia adscribenda, quàm Magistratibus; quia Magistratus, qui frequentiùs juris scientia non sunt exstructi, judicium Advocatorum illorum loquuntur. Imò ex Edicto de ann. 1693. tenentur Magistratus subalterni in Brabantia ex sententia Advocatorum pronuntiare:

XVI. Exemplo Magistratuum civilium cœperunt & ipsi Prælati, quibus jure ordinario vel delegato judicandi auctoritas competebat in causis tractandis, vel decidendis Assessores adsciscere; præsertim postquam causæ Ecclesiasticæ tractari incœperunt morte forensi; atque non amplius ex æquo & bono more arbitrorum, sed ex rigore juris in foro Ecclesiastico procedi consuetum fuit. Sæpiùs enim contingebat, ipsos Prælatos, aliosve, quibus auctoritas judicandi, vel jure proprio, vel delegato competebat, scientiâ illâ forensi, aut parùm esse instructos, aut aliis majoribus, & gravioribus negotiis occupari, quo minus forensibus illis, quæ multùm sæpè temporis requirunt, implicari possent, aut conveniret.

XVII. Seculo XII. moris fuisse, ut in tribunalibus Ecclesiasticis assumerentur Advocati in Assessores, patet ex Synodo Cantuariensi anno 1265. *Can. XXVIII.* ubi dicitur: » Ad advocatorum consilium in interlocutoriis, & sententiis in » consistorio prænotato (Episcopali) ferendis de *consuetudine* » Curiæ supradictæ (Episcopalis Cantuariensis) à Judice seu » Præsidente recurritur. «

Hinc manifestum est, non fuisse novum in Curia Cantuariensi ad consilium Advocatorum in sententiis ferendis recurrere; sed jam illud *de consuetudine* eo tempore fuisse servatum. Advocati autem hi ibidem vocantur & *Assessores.*

XVIII. Quamquam non sit improbandum, quòd Prælati disceptationum forensium peritiâ haud instructi, vel gravioribus negotiis impediti in causis tractandis, & decidendis Assessores sibi assumant; hoc tamen improbandum, in gravamen Partium sine justa causa, ut Advocatis, aliisve faveatur, Assessores etiam plures nonnunquam adscisci.

XIX. Huic abusui occurrere volens Bonifacius VIII. in *Cap.* 11. §. ASSESSOREM, *de Rescriptis, in VI.* statuit: » Assessorem autem ut quandoque faciunt aliqui fraudulenter (nisi » eo indigeat, quod conscientiæ relinquatur ejusdem) sibi ne- » quaquam adjungat, alioquin de suo proprio providere teneatur eidem. Si autem indigeat, ipsum neutri parti suspectum » assumens, ei, de competenti salario providè moderando ab » eo, faciat à partibus communiter provideri.

XX. » Et autem Assessor (ait Archidiaconus ad hoc Capitulum) is, quem ille, qui potestatem habet judicandi, sibi associat, ut sibi in causa assideat, vel assistat, seque ad causam rectè decidendam instruat. « Atque de officio ejus remittit ad titulos Digestorum & Codicis *de Offic. Assessoris*; ut vel inde apparet, nec Archidiaconum dubitâsse, quin officium Assessoris, de quo hîc agitur, & in tribunalibus Ecclesiasticis hodie est vulgatum, ex jure Civili originem habuerit; & ex hoc jure de officio Assessoris sit statuendum.

XXI. Imprimis itaque Bonifacius dicit, quòd Delegatus Judex à Sede Apostolica non debeat assumere Assessorem, *nisi eo indigeat.* Ad quæ verba reflectens Glossographus quærit: » Utrum Delegatis indistinctè permissum sit, assumere Assessores sive Consiliarios, posito quòd ipsi Delegati sint sufficientes ad decidendum dubiat? Et respondet, quòd non, nisi » necessitas exigat. Ideò (ait) si Delegatus sit negligens, quia » dixit, quòd non vult studere, ideò quia non recipit aliquid » à partibus, hoc non debet facere, quia si sit sufficiens, non » debet in gravamen partium assumere Assessores vel Consiliarios, qui salarisabuntur à partibus. «

XXII. Rectè addit Glossographus hæc finalia verba, *qui salarisabuntur à Partibus.* Nec enim prohibetur judex Delegatus indistinctè, & pro suo arbitrio assumere Assessores sive Consiliarios, nisi in quantum hæc assumptio vergit in gravamen Partium. Unde in sua Constitutione dicit Bonifacius, quòd si Delegatus sibi adjungat Assessorem, quo non indiget, *de suo proprio teneatur providere eidem.*

XXIII. Deplorat Pontifex, quòd quidam contrarium faciant *fraudulenter*, hoc est, sibi Assessorem adjungant, quo non indigent. *Fraudulenter*, inquit Glossographus, » vel ut partes » gravent, vel alteram earum; vel ut amicis serviant, vel ut » lucrum percipiant, vel participent. «

XXIV. Vetat autem Bonifacius à Judice Delegato Assessorem assumi, additâ hâc cautione, *nisi eo indigeat*: quo manifestè indicat, Judicem Assessorem sibi posse adjungere, *si eo indigeat*: puta, » quia fortè non est peritus ut convenit, ad » universa puncta causæ ruminanda, vel quia variis suis negotiis, vel infirmitate corporis impeditur; « uti ibidem exponit Glossographus.

XXV. Ex capite non sufficientis peritiæ solent hodie Judices Delegati, qui professione non sunt Jurisperiti, nec consequenter forensium disceptationum peritiam profitentur, Assessores assumere, ex quorum consilio, & directione causas instruant, & decidant.

XXVI. Imò Leo X. in Constitutione, quæ incipit, *Regimini universalis Ecclesiæ*, 10. *in Bull. R.* declaravit §. 9. » Judices autem, & Conservatores à Sede Apostolica deputati, si » in altero jurium graduati non fuerint, Assessorem Partibus » non suspectum, ab ipsis Partibus, vel earum altera requisiti, » assumere, & secundum ejus relationem judicare teneantur. «

XXVII. Et licèt sint professione Jurisperiti, & in utroque vel altero jurium graduati, si tamen se directioni, aut decisioni causarum reverà credant insufficientes, aut non satis suæ peritiæ ob causarum difficultatem & gravitatem fidant, vel aliis majoribus negotiis ita sint occupati, ut hisce vacare nequeant; poterunt & hi, vel pro integra causæ directione, vel saltem pro ejus finali decisione Assessorem assumere, prout & hodie frequenter judices, etiam professione Jurisperiti, atque in Jure graduati assumunt.

XXVIII. Utrum autem Judex *Assessore indigeat*, & utrum sit causa sufficiens eum sibi adjungendi expensis Partium, ex citata Constitutione *conscientiæ* ipsius Judicis assumentis relinquitur. Ex quo concludit Glossographus, » quòd Pars non » possit referre quæstionem Judici Delegato, scilicet dicendo » quòd Assessore non egeat. Cùm enim hoc *conscientiæ relinquatur* ipsius, ergo soli Deo, & nulli alii Judici vel cognitori. «

XXIX. Conformiter ad hanc expositionem Glossæ Judices Ecclesiastici hodie sibi Assessores assumunt ex solo conscientiæ dictamine; nec ipsis super sufficientia causæ assumptionis à Partibus in foro externo quæstio moveri potest. Caveant tamen, ne Assessores plures, aut non necessarios in gravamen Partium, puta, ut amicis, aut familiaribus lucrum procurent, vel eorum sibi favorem, aut amicitiam concilient, assumendo, rationem reddere debeant ei, qui conscientiæ cognitor est & Judex.

XXX. Cùm Judex Delegatus ob suam insufficientiam possit

(r) *Lex* 2. *tit.* 9. *lib.* 3. *Recop. verba*, ni de asistencia: *per quæ verba officium Assessoris demonstratur.*

sit, imò & debeat sibi Assessorem assumere, rectè hîc observat glossa marginalis, quòd licèt Judex Delegatus non sit sufficiens, propter hoc non possit recusari; quod & hodiernæ praxi est conforme.

XXXI. Addit Bonifacius VIII. in sua Constitutione, quòd si Judex Delegatus Assessore indigeat, *ipsum neutri Parti suspectum assumat.*

Hinc rursus notat Glossa, »quòd Consiliarius, vel Assessor possit recusari ut suspectus, licèt non habeat jurisdictionem; quia Consiliarius posset inducere Judicem ad judicandum pro parte adversa.« Quod vel tunc indubiè præcipuè locum habet, quando Judices Juris peritiam non habentes, omnes penè causæ directionem & decisionem à Judicio Assessorum petere & exspectare debent: tunc enim licèt auctoritatem Judicis non habeant, reverà tamen in decisione & instructione causæ partes Judicis agunt.

XXXII. Permittit autem Bonifacius in sua Constitutione, ut si Judex Delegatus Assessorem, quo se *indigere* judicavit, assumpserit: »ei de competenti salario providè mode»rando ab eo, faciat à Partibus communiter provideri.«

XXXIII. Hîc ad verbum *moderando* monet Glossographus, quòd moderatio hæc fieri debeat à Judice secundum qualitatem causæ, & Partium conditionem, & facundiam Assessoris, & loci consuetudinem.

XXXIV. Hodiè ferè ubique moribus receptum est, ut si Advocati in certis causis pro *Judice* consulantur, aut in Assessores assumantur, salarium ipsis solvatur pro quantitate temporis, vel numero horarum, quibus in causæ examine fuerint occupati. Salarium autem illud in singulas horas solet de stylo Curiarum esse taxatum.

Illud hîc advertendum, ne tempus & horas rebus & discursibus ad causam impertinentibus impendant, & nihilominus ad gravamen Partium tanquam in causæ examine impensas adducant; vel etiam majus quàm Statuta Curiarum determinant, salarium prætendant.

XXXV. In Curiis Ecclesiasticis, in quibus solet penè semper adesse Assessor, imò nonnunquam omnia ferè per solum Assessorem aguntur, consuetum est, ut & ipsius Assessoris, quemadmodum aliorum Officiariorum salarium sit taxatum. Ita in Statutis omnium Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis tit. *de Assessore*, habentur ejus jura taxata; atque *art.* 1. »Pro qualibet sua præsentia, sive in terminis substan»tialibus, sive non substantialibus habebit 5. stuferos.«

Similiter legimus in Ordinationibus Curiarum Rectoris, & Conservatoris hujus Universitatis per Principes Belgii Albertum, & Isabellam anno 1617. probatis, salarium Assessoris taxatum. Extant hæ Ordinationes *parte* 3. *Edict. Brabantiæ*, *lib.* 1. *tit.* 5. *cap.* 30.

XXXVI. Dicitur in citatis Ordinationibus Curiarum Provinciæ Mechliniensis *art.* 3. »Si contingat Assessorem loco »Commissarii audire testes sive extra civitatem, & locum re»sidentiæ, sive judicialiter, sive extrajudicialiter, habebit Jura »in hisce casibus Commissario attributa.«

Nolunt igitur hæc Statuta, ut Commissarius sive Judex de salario participet, si ipse operam non impendat, quod sanè justum est. Unde & Universitas nostra Lovaniensis in Literis ad Principem datis anno 1500. pro conservatione ipsius Curiæ Conservatorialis, loquens de Juribus Conservatoris, ait: »De interlocutoriis & deffinitivis, quia compositas per Assesso»rem solùm pronuntiat, nihil.« Habentur hæc litteræ insertæ privilegio Ducis Philippi super cursu Jurisdictionis Domini Conservatoris, quod extat in citato libro Edictorum *cap.* 8.

XXXVII. Tametsi ex justa causa judex Ecclesiasticus possit uti Assessore, imò frequenter debeat eo uti, tam in causis dirigendis, quàm decidendis; nihilominus conveniens est, ut & ipse etiam ipsa acta causæ legat, & examinet, ipsosque Assessores audiat, ut ita videat, ne quid ex aliquo humano affectu, aut negligentia, vel imprudentia committatur, aut omittatur, quod uni, aut alteri Parti officiat, aut Justitiam lædere queat; quemadmodum voluit Justinianus *Novella* 60. ut Judices saltem ipsam sententiæ dictionem sibi reservarent.

CAPUT II.

De Advocatis.

1 *Quomodo, & quando in Curias Ecclesiasticas Advocati fuerint recepti.*
2 *Hodie litigantes tam in Curiis Ecclesiasticis quàm secularibus causam per Advocatos, proponere solent.*
3 *Innocentius III. voluit, ut non per Advocatos sed per ipsos litigantes factum exponeretur.*
4 *Id in praxim adduci optat Cujacius.*
5 *Advocatus conari debet de factis causæ exactè instrui.*
6 *Causam suscipere non potest ante obtentam convenientem causæ instructionem.*
7 *Decretum Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis quoad hunc articulum.*
8 *Habita causæ cognitione quoad facta debet Advocatus examinare, an causa sit fundata in jure.*
9 *In causæ examine meritò Advocati sibi proponunt exemplum Ciceronis.*
10 *Hodie Advocati specialiter attendere debent, ne injustam causam suscipiant ob solitum præstari juramentum.*
11 *Hoc examen requirit in Advocato peritiam Juris.*
12 *Apud Romanos hujus peritiæ debebant habere testimonium à Professoribus Juris.*
13 *Hodie vicem hujus testimonii supplent gradus Academici; nec ad munus Advocati admitti solent nisi ut minus Licentiati Juris.*
14 *Multum solicitè esse debent Professores, ne indignis gradum Academicum conferant.*
15 *Visitatio hujus Universitatis requirit* rigorosum *examen per totum jus in ordinatione ad gradum Licentiæ in jure.*
16 *Quàm gravia incommoda redundent in Ecclesiam, & Rempublicam ex nimis facili admissione ad gradus Academicos.*
17 *Quare hodie in Belgio meritò exactius examen circa graduandos in Jure requiratur.*
18 *Ex Constitutione Justiniani requiritur studium quinquennii, ut quis in foro Jus profiteri possit; hodie minus requiritur ad gradum Licentiæ.*
19 *Meritò hodie post absolutum studium Juris tempus aliquod impenditur dicendæ praxi, antequam suscipiatur officium Advocati.*
20 *Advocatus non solum debet esse eruditus in Jure, sed maximè vacuus à malis affectibus, præsertim à cupiditate lucri.*
21 *Hæc cupiditas hodie specialiter periculosa est, quia Advocatis cedit salarium, sive causam perdant, sive lucrentur.*
22 *Hodie non solent Advocati ob imperitiam, aut injustam causæ defensionem in judicio conveniri, quod magnopere ad suscipiendas etiam causas injustas excitat.*
23 *Multitudo Advocatorum sæpè in causa est, ut causæ injustè suscipiantur.*
24 *Olim certus erat Advocatorum numerus; hodie indeterminatus.*
25 *Ex hac multitudine oritur quoque diuturnitas, & multitudo litium.*
26 *Nonnulli crediderunt feliciorem fore Rempublicam sine Advocatis, quàm cum Advocatis.*
27 *Valde optandum, ut numerus Advocatorum restringeretur*
28 *Advocatus causam injustam suscipere nequit, licèt prævideat, quòd alios patronos reperiet.*
29 *Licèt etiam ex recusato patrocinio sibi gravia incommoda imminere intelligat.*
30 *Advocatus causam, quam suscepit ut justam, deserere debet ubi intellexerit eam esse injustam.*
31 *Nec potest partem adversam pellicere ad transigendum cum suo cliente.*
32 *Ad id tenetur Advocatus etiam cum periculo infamiæ, & offensæ sui clientis.*
33 *Advocatus in prosecutione causæ debet se exhibere fidelem sui clientis patronum, & ingenuum justitiæ defensorem.*
34 *Ut Advocatus id assequatur, debet breviter, & clarè statum quæstionis judici exponere.*
35 *Hodiernum Advocatorum vitium multis parergis causam involvendi, & extrahendi.*
36 *Hoc Advocatorum vitium jam pridem reprobavit Justinianus Imperator.*
37 *Mos conviciandi partem adversam, ejusve Advocatum per leges Romanas improbatus.*
38 *Ob convicia in partem adversam conjecta hodie puniuntur Advocati, licèt convicia principalis probet.*
39 *Advocati abstinere debent etiam vi sui juramenti à superfluis dilationibus.*
40 *Qui Advocati huic magis sint exposiri?*
41 *Statutum Curiæ Ecclesiasticæ contra superfluas scriptiones, & dilationes.*
42 *Fidelitas Advocati erga suum clientem requirit, ut ei serviat sine collusione cum parte adversa.*
43 *An Advocatus possit suscipere causam, dum à parte adversa fuit consultus; vel in prima instantia pro illa postulavit.*
44 *Ad eliminanda vitia Advocatorum lata aliquando fuit lex Cincia, quæ vetabat ab Advocatis aliquid pro patrocinio accipi.*
45 *Hæc lex urgente Senatu Romano moderationem accepit, & Advocatis moderatum honorarium permissum.*
46 *Jure Romanorum in taxatione honorarii merita causæ, & industria Advocati considerari debebant.*

Ho-

47 *Hodie pro pagellarum & linearum numero fit taxatio ; ex qua taxandi ratione multa incommoda oriuntur.*
48 *Quid bonus Advocatus stante hoc usu taxandi observare debeat.*
49 *Advocatus , ut ostendat se justitiæ defensorem, debet etiam causas pauperum gratis suscipere.*
50 *An error Advocati noceat clienti.*
51 *Hactenus dicta ostendunt , Advocati officium esse periculosum , quod etiam monuit S. Carolus.*
52 *Quare jam pridem munus Advocati interdictum fuerit Clericis.*
53 *Qui hodie Clerici ab officio Advocati excludantur.*
54 *Casus , quibus Clerici in sacris constitutis postulare possunt, & quæ hîc moderatio tenenda.*
55 *An in foro Ecclesiastico Clerici postulare queant.*
56 *S. Carolus Advocatum pauperum è suis Clericis instituit.*
57 *De Advocato Fisci , remissivè.*

I. QUemadmodum in Curias , & tribunalia Ecclesiastica ad exemplum tribunalium Civilium intrârunt Assessores , postquam stylus forensis tribunalia Ecclesiastica occupavit , (uti capite præcedenti dictum est) pari ratione Advocati ex foro Civili ad forum Ecclesiasticum unà cum stylo forensi admissi sunt ; eodemque munere in utroque tribunali fungi cœperunt.

II. Hodie quidem solent ferè litigantes , sive in Civilibus, sive Ecclesiasticis Curiis per Advocatos causas suas , tam quoad facta , quàm quoad Jura proponere.

II. Innocentius III. in *Cap.* 14. ✠ *De Judiciis* , tamen respondit Episcopo Heliensi , » ut principales personæ (id est, » Actor & Reus) non per Advocatos , sed per se ipsos factum » proponant , nisi fortè sint adeò indiscretæ , ut earum defec- » tus de Judicis licentia per alios suppleatur.

IV. » Utinam (inquit Cujacius ad hanc Decretalem) serva- » retur lex hujus Capituli, quæ vult litigatores ipsos per se , si in- » tellectum capiant , factum , de quo est controversia , sive » quæstio , narrare apud Judicem , non per Advocatos. (s) Ii » enim plerumque de facto narrando callidè nimis & fastidiosè » se gerunt , ut decipiant judicum religionem & fidem ; quin » & sæpiùs numero ad causam orandam accedunt facto nondum » benè perspecto , & percepto , de quo (ut Ammianus Mar- » cellinus *lib.* 30. scribit) sub ore judicis inter ipsos conflictuum » articulos tunc demum instruuntur , quod hodie fit vulgo: » hisce hominibus committas jura tua , causas tuas , qui ad eas » nondum cognitas accedunt temerè , ac tunc demum incipiunt » cognoscere cùm & agere. «

V. Interim attenta hodierna praxi , boni Advocati officium est de facto , sive quæstione ritè instrui , ipsumque Clientem monere , ut exactè & sincerè facta & statum quæstionis exponat ; ostendendo , quòd non possit de justitia causæ rectè judicare , justumque judicium formare , nisi omnia fideliter & veraciter exponantur.

VI. Si videat Clientem in exponendis factis , formandoque casu hæresitare ; nec posse se satis exprimere , Advocati est, ipsum interrogando , aut aliqua proponendo juvare , omnique modo satagere , veritatem factorum , veramque speciem quæstionis cognoscere. Quod si advertat , se veram facti speciem non posse habere , debet id ipsi Clienti sincerè dicere , eumque à suscipienda lite dissuadere , saltem quousque meliùs de specie casûs & veritate factorum fuerit instructus.

VII. Statuta Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis *tit.* 8. *art.* 7. volunt , » ut Advocati ante initium litis, » à partibus totius causæ instructionem , quantum fiere potest, » accipiant , ut alioqui proponenda appositè proponere , aut ad » proposita aptè respondere possint ; neque in singulos termi- » nos ipsos litigantes advocare debeant. «

VIII. Perspectâ specie casûs quoad facta , Advocati officium est , priusquam causam suscipiat , expendere , num id, quod prætendit Cliens suus , sit justum , sive an causa ex parte sui Clientis sit in justitia , & jure fundata. (t)

IX. In utroque hoc examine , id est , factorum & juris, merito attendent Advocati illud, quod de se narrat Cicero homo licèt Gentilis *lib.* 2. *De Orat.* » Soleo (ait) dare operam, » ut de sua quisque re me ipse doceat , & ut ne quis alius ad- » sit , quo liberiùs loquatur , & agere adversam causam , ut ille » agat suam , & quidquid de re sua cogitaverit , in medium » proferat. Itaque cum ille discessit , tres personas unus sustineo, » summa animi æquitate ; meam , adversarii , Judicis. «

X. Advocati hodierni vel eò exactiùs causæ justitiam , priusquam ejus patrocinium suscipiant, examinare , & discutere obligantur , quod non tantùm jure naturali vetante injustitiæ quacunque ratione patrocinari , sed & speciali vinculo juramenti constringantur , nullam causam defendendam suscipere , quam noverint injustam. (u) Illud quidem olim Jure Romanorum in singulis causis utriusque partis Advocati jurare debebant , *L.* 14. §. 1. *Cod. De Judiciis* ; at hodie in omnibus passim Tribunalibus , illud semel in sua ad officium Advocati admissione jurato promittunt.

XI. Porrò ut Advocatus æquum justumque de causa judicium formare queat , primò requiritur , ut eâ sit scientiâ instructus , ut inter justum & injustum discernere queat.

XII. Hinc apud Romanos nullus in Advocatorum matriculam recipiebatur , nisi de peritia juris à Professoribus juris testimonium haberet , *L.* 1. §. 11. *Cod. de Advocatis divers. judic.* » Jurisperitos etiam eorum Doctores jubemus juratos sub » gestorum testificatione depromere , *esse eum , qui posthac su-* » *brogari voluerit , peritiâ juris instructum.* « Et in *L.* 3. §. 4. & *L.* 5. §. 4. *Cod. de Advocatis divers. jud.* dicitur: » Nec » de cætero quemquam , antequam per *statuta* tempora *legum* » eruditioni noscantur inhæsisse , supradicto consortio (Advo- » catorum) sociari. «

XIII. Moribus hodiernis eruditionis testimonium supplent gradus Academici in aliqua famosa Universitate prævio Doctorum examine adepti : nec solent ad munus Advocati in Curiis sive secularibus , sive Ecclesiasticis admitti , nisi ut minus Licentiæ gradu in Jure fuerint insigniti ; ut nimirum gradu , tanquam publico testimonio suam in Jure peritiam probent.

Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 286. volunt , ut Advocati Curiæ sint Viri *docti* , & ad minus Licenciati in Ecclesiastico , vel Civili jure , benè eloquentes. Verba sunt : *Dat d' Advocatem in onsen Raede sullen vvesen geleerde persoonen, ende ten minsten Licentiaten in de geestelijcke oft vveerlicke Rechten , hebbende goede eloquentie.* Id est : » Ut Advocati in » Consilio nostro sint Viri docti , ut minùs Licentiati Juris Ca- » nonici aut Civilis , insignique facundia prædiți. « (x)

In statutis Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis *tit.* 8. *art.* 1. dicitur : » Nullus ad postulandum & Ad- » vocati munus exercendum admittatur , nisi qui in probata » Universitate Doctoratûs , vel Licentiæ Lauream in utroque Ju- » re est assecutus , «

XIV. Si gradus Academici sint vice testimonii publici de scientia , atque capacitate Graduati , facilè intelligi potest , quàm soliciti esse debeant Doctores , quibus admissio ad similes gradus incumbit , ne gradus illi ceu quædam eruditionis testimonia

(s) *Si Partes & Advocati exactè servarent in Hispania, quod in leg.* 14. *tit.* 16. *lib.* 2. *Recopil. statum est, scilicet* : Que los Abogados tomen razon por escrito de la parte de todo lo que pertenece á su derecho , y de todas las excepciones que tiene , y de todo lo que sabe que cumple á su derecho cumplidamente : *neque illi suo jure privarentur , nec Advocati defectu instructionis partis inutiliter lites exequerentur.*

(t) *Si partis prætensio in jure fundata non sit , eam Advocatus neque admittere , nec quando illam quacumque in litis parte , ut talem agnoscat , prosequi potest L.* 2. *tit.* 16. *lib.* 2. *Recop.*

(u) *Dicta lex* 2. *tit.* 16. *lib.* 2. *Recopil.*

(x) *In Hispania ad Advocatiæ exercitium nemo admittitur; quin priùs in eo concurrat gradus Bachalaureatus sub circumstantiis præscriptis in Regia Schedula* 24. *Januarii anno* 1770. *art.* 11. *ibi* : Para el grado de Bachiller en qualquiera de las facultades de Canones ó Leyes , ha de preceder igual justificacion de haber estudiado á lo menos la Dialéctica en Universidad aprobada , y ganado quatro cursos en otros tantos años en la facultad que solicita el grado , y haber actuado en ellos por lo menos un acto público mayor ó menor : el exâmen será de media hora con puntos de 24. á la ley ó decretal que elija entre los tres piques : satisfacer á los argumentos , que por espacio de un quarto de hora le pondrá cada uno de los Exâminadores , y responder á las preguntas sueltas del tercero, que será Catedrático.

Gradu Bachalaureatûs insignitus , debet etiam esse instructus in legibus Regni , ut ajunt lex 4. *tit.* 1. *lib.* 2. *& lex* 2. *tit.* 9. *lib.* 3. *Recop. ad quorum instructionem inquirendam per quatuor annos continuos ad scholam Advocati approbati ventitare debet ; quibus ritè expeditis , examinatus & approbatus* 1. *Supremo Castellæ Senatu , ut præscribunt Act. Acord.* 23. *tit.* 2. *lib.* 3. *&* 5. *tit.* 16. *lib.* 2. *& lex* 1. *ejusd. tit. & lib. Recop. ad hoc munus in Curia Matritensi exercendum , & Collegium ingrediendo , ejus Decano suorum vitæque suæ informationem præsentare , ut Collegii statuta , in Act. Acord.* 12. *titul.* 16. *lib.* 2. *approbata , requirunt. Posteà in Collegio Matritensi admissus , in suorum Alumnorum catalogo adscribitur, sine qua præcisa circumstantia nullam causam patrocinare potest, ut statutum est in Act. Acordat.* 14. *tit.* 16. *lib.* 2. *Recopil.*

Hodiè verò secundum Actum de 12. *Julii* 1770. *præter omnia suprà dicta additum est , ut ante examen & approbationem Supremi Senatus , quod fieri debet in Camera , ubi expectat , ut ait Act. Acordat.* 5. *tit.* 16. *lib.* 2. *Recop. præcedere debet aliud Advocatorum Collegii, ultimò stabilitum est.*

nia annuant, nisi iis, quos post rigorosum examen hujusmodi testimonium mereri compererint.

XV. Unde & Principes nostri in visitatione hujus nostræ Universitatis anno 1617. ne paucarum Legum, aut Canonum Licentiati fiant, sed in Theorica Juris *perfectè* versati in palestram praxeos, ut docti & spectabiles Viri prodeant, qui clientibus prudenter, & candidè patrocinentur, voluerunt & statuerunt, ut Doctores utriusque vel alterius Juris, quibus examen Licentiandorum committitur, passim *ubicunque libuerit*, per totum Jus Civile, vel Canonicum respectivè examinent. Examen autem rigorosum requiri exprimunt articulo sequenti dicentes: » Verùm ne illis dedecori sit repulsam pati, statui» mus, ut notabili tempore ante Repetitionem dictum examen *rigorosum* fiat. «

XVI. Hæc latiùs deducta videri poterunt in Dissertatione mea *De Instituto & Officio Canonicorum*, *parte* 1. *cap.* 4. ubi unà ostendi, quàm multa & gravia incommoda in Ecclesiam & Rempublicam redundent ex indebita graduum Academicorum collatione: & consequenter quàm meritò in Concilio Constantiensi inter remedia reformandi Ecclesiam proposuerit Card. D^e^ Ailliaco » Ut Gradus Academici distribuerentur dignis sine fa» vore, aut acceptione personarum, & cum rigore examinis » in scientia & moribus. «

XVII. Illud hîc meretur notari, quòd hodiè præsertim in Belgio, vicinisque Provinciis, requiratur singularis & exacta circa admittendos ad Gradus Academicos cura & discretio, eò quòd sine ullo alio, sive scientiæ, sive morum testimonio vel examine, omnes indifferenter ad officium Advocati admittantur, qui gradu Licentiæ in Jure sunt insigniti: quamvis teste Carpzovio in *Processu Juris*, *tit.* 5. *art.* 7. in Imperiali Camera non indistinctè omnes admittantur, qui licentiæ litteras testimoniales protulerunt; sed insuper Præses, & Assessores inquirere jubentur in originem, doctrinam, & vitam anteactam, ne quemquam præterquam ex legitimo matrimonio natum, honestè viventem, & simul insigni eruditionis titulo decoratum recipiant.

XVIII. Justinianus in præfatione Pandectarum quinquennii studium Juris præfixit; assignatis materiis & libris, quibus singulos illos annos impendi oporteat.

Per Visitationem hujus Universitatis Lovaniensis ordinatum fuit, ut » nemo in utrâque Juris Facultate ad Licentiam admit» tatur, nisi qui *quatuor* annis in iisdem studuerit, & lectio» nes publicas se audivisse docuerit. In Jure verò Canonico » vel civili tantùm, nisi qui *tribus* annis lectiones prædictas au» diverit, ejusque rei fidem fecerit. «

XIX. Cùm hodie non tantùm requiratur in Advocato scientia Juris Civilis, & Canonici, prout hæc ex libris Juris communis hauritur, sed insuper consuetudinum & particularium jurium diversorum locorum, meritò tempus, quod *quinquennio* à Justiniano præstituto, hîc minus prærequiritur ad gradum Licentiæ, impenditur hauriendæ scientiæ consuetudinum, & jurium particularium; necnon styli & praxeos, priusquam ad Licentiæ gradum promotus Advocati officio se impendat.

XX. Præter scientiam in Advocato, quâ discernat justum ab injusto, ipsumque quæstionis nodum exactè intelligat, illud maximè necessarium est, ut sit vacuus ab affectibus, qui etiam sapientum oculos excæcant, judiciumque ita sæpè pervertunt, ut non ex veritate, sed pro affectu id justum judicent, quod justum esse affectui commodum est: præcipuè autem in Advocatis id facit auri sacra fames, & lucri aviditas; idcirco ea in Advocatis admodum cavenda est.

Huic tamen periculo speciali titulo sunt expositi Advocati qui numerosam habentes familiam, nec habentes de proprio, unde eam juxta conditionem Advocatorum, instituant, ex officio Advocationis sibi, familiæque suæ providere debent, ut plerumque hîc verificetur illud Ecclesiastici *cap.* 27. v. 1. *propter inopiam multi deliquerunt.*

XXI. Hæc lucri aviditas vel eo titulo hodie est Advocatis periculosissima, quòd moribus hodiernis Advocati sua salaria accipiant, sive causa cadant, sive in causa triumphent; sive causæ justæ, sive injustæ patrocinati fuerint. (y)

XXII. Et licèt de Jure communi videatur Advocatus, ob suam in dirigendis causis, aut in suscipiendis imprudentiam teneri ex *quasi delicto* parti victæ ad interesse argumento *L.* IDEM JURIS EST, *ff. ad Leg. Aquil.* tamen moribus hodiernis id à forensi usu recessit, neque advocati ob imperitiam, aut imprudentiam in causis dirigendis aut suscipiendis conveniri à suo Cliente possunt; uti notat Bugnonius *De Leg. abrog. lib.* 1. *cap.* 124. & Christinæus in Notis. Si tamen dolus intervenisse probari queat, rectè conveniri poterit. Quin & si Judex videat, Advocatos frequenter causas injustas magna temeritate suscipere, aut crassam in directione inscitiam ostendere, meritò ipsos ab officio Advocationis, ne nocere pergant, suspendere poterit.

Interim cum rarò admodum Advocati ob injustè causæ defensionem mulctentur, (z) aut suis salariis frustrentur, nemini obscurum esse potest, quàm difficulter Advocatus, quem lucri cupiditas obsidet, causas quantumvis injustas rejicere, aut Justitiam aliquam non finget, ubi videt sibi non incertam spem lucri offerri.

XXIII. Auget periculum hodierna Advocatorum prodigiosa multitudo. Dum enim causæ justæ non sufficiunt tantæ Advocatorum multitudini, ut ex causarum patrociniis victum sibi parere queant, lites multiplicare debent, & causas haud difficulter justas judicant, dum aliàs causis, quibus patrocinarentur, destituerentur.

Et quid est, quod hodie non sine summo dolore conspicere debeamus nullas penè esse causas, quantumvis injustas, quæ suos non reperiant patronos, nisi Advocatorum hæc promiscua turba, quæ ad lucrum potiùs, quàm ad Justitiæ defensionem tota est intenta, & nullas sibi oblatas causas recusat, ne panem è mensa rejiciat, ut vulgò dicitur?

XXIV. Olim quidem certus erat Advocatorum numerus qui excedi non poterat, *L.* 8. *&* 11. *Cod. De Advocatis divers. judiciorum.* At moribus nostris, sine numero omnes, qui Licentiæ duntaxat gradum adepti sunt, ad officium Advocatorum recipiuntur.

XXV. Ex hac Advocatorum turba fit, ut non tantùm omnes passim indifferenter causæ quantumvis injustæ patronos reperiant; sed etiam lites in longum extrahantur, & sine fine multiplicentur, quemadmodum eruditè & eleganter exposuit Nicolaus Vernulæus in hac Academia quondam Historiographus Regius, & publicus Eloquentiæ Professor in *Dissertatione De Litibus*, *Oratione* 5.

XXVI. Cùm enim in hac Dissertatione Oratione primâ ostendisset, inter maxima terrarum orbis mala lites esse, atque tribus sequentibus tria attulisset remedia litibus tollendis, aut saltem moderandis opportuna, tandem hâc quintâ Oratione quartum remedium suggerens, ait: » Optandum fortassis esset, » ut causarum Patronis hodie Respublica careret. Etenim (inquit) » ubi Causidicorum turba strepit, ibi litium incendiis tota ci» vitas ardet, nec ulla propemodum à contentione domus va» care potest. Illi ut vivant, lites serunt, ac fovent, & cum lu» cri sint mancipia, id unum illis est votum, replere sua mar» supia. «

Post hæc scribit: » Zamorenus vidisse se populosissimas in » Germania Civitates, ait, in quibus nullæ lites essent, atque » idcircò, quod nulli in iis essent Advocati; existimatque vir » prudentissimus minus Reipublicæ perniciosum fore, si quidam » injustè ob Advocatorum, & defensionis inopiam opprimantur, quàm si infinitis litium contentionibus reliqui omnes ci» ves, atque adeò tota Respublica concutiatur primùm, dein» de misserrimè suvertatur. «

Denique refert, quomodo nonnulli Reges, ac Principes ad suas ditiones Causidicos admittere noluerint, aut introductos expulerint, ne per illos litibus omnia implerentur, recitatque dictum Columellæ: *sine Causidicis felices olim fuêre*, *futuræque sunt urbes.*

XXVII. Cæterum advertens, quòd hoc remedium nimis acerbum videri fortasse posset; quoniam etiam laudabile, & honorificum est Advocatorum officium, qui gloriosæ vocis confisi munimine, in laborantium spem, vitam, & posteros defendunt, ut loquuntur Imperatores in *L.* 14. *Cod. De Advocatis diversor. judiciorum*, hoc saltem petit, ut » sint Advocati, sed *pau» ci*, excellenti ingenio, multiplici doctrinâ, fidi, opulenti, *non » avari*, non fraudulenti: qui in Consilio dando sint cauti, in » patrocinio suscepto fideles, in Judicio procurando justi..... » Atque hoc (ait) sapientum omnium est consilium, qui nu» merum illum penè innumerum Pragmaticorum rigidæ Judi» ciorum sinceritati vehementer infestum arbitrantur. Animad» vertunt nimirum plures hodie causidicos esse, quàm causas, » qui ut vivant, id unum agunt, ut copiosus litium sit proven» tus, & ut ex unâ lite lis alia semper exoriatur. «

Similiter Tuldenus *De causis corruptorum judiciorum*, *lib.* 4. *cap.* 2. hunc Advocatorum indeterminatum numerum improbat, illumque vehementer infestum existimat rectæ, & rigidæ judiciorum sinceritati.

XXVIII. Non obstante hac Advocatorum multitudine, quorum plures causas omnes passim accipiunt, debet bonus & Christianus Justitiæ Patronus, omni planè privato, atque humano affectu seposito, causam examinare, eamque ubi injustam reperit, omnino à se dimittere: quantumvis non dubitet, quin alios Patronos, defensoresque causa hæc facilè inveniet.

XXIX. Quin & prævideat, quòd si Clienti hac in causa patro-

(y) *Super hac materia videndæ sunt leges* 9. 10. 11. 12. 18. 19. 21. & 26. *tit.* 16. *lib.* 2. *Recop.*

(z) *In Hispania ex leg.* 6. *tit.* 16. *lib.* 2. *Recop. Advocati adstriguntur ad solvendum omnia detrimenta, qua ratione suæ imperitiæ, aut doli partibus subsecuta fuerint.*

trocinari recuset, ad alium sè Patronum, non tantùm pro hac, sed & aliis causis convertet; videatque hinc se non modico lucro privandum. Neque enim aut aliorum Advocatorum, quantumvis multorum exemplum, aut lucri licèt etiam admodum notabilis amissio, justificare potest injustæ causæ patrocinium, neque Advocatum, qui jure jurando promisit se non patrocinaturum causæ, quam novit injustam, à perjurii crimine absolvere.

XXX. Ut Advocatus justitiam omnem adimpleat, cavere debet, non tantùm ne causæ injustæ patrocinium suscipiat, sed ne ullo unquam tempore causæ, quam injustam novit, patrocinetur. (a) Unde si causam, quam justam credebat, susceperit defendendam, ac in litis progressu injustitiam ejus advertat, patrocinium illius deserere debet: quod non ipsa solùm lex naturalis dictat, sed & solitum juramentum imponit. Verba juramenti ex Ordinatione Curiæ Brabantiæ sunt: *Ende indien sy eenige saecken aennemen, meynende die redelick ende gefondeert te wesen, ende sy daer naer de contrarie verstaen, dat sy in dien gevale sulcke ongefondeerde saechen* TERSTONT *laeten ende renuntieren sullen.* Id est: » Si verò causæ alicujus, quam » æquam, & fundatam putaverint, patrocinium suscipiant, » quod postea secus esse compererint, continuò causas tales fun- » damentis juris destitutas demittent, & abdicabunt. «

XXXI. Monet quoque Tuldenus *de Causis corruptorum judiciorum*, *lib.* 4. *cap.* 6. » Deserere iniquam causam jubetur, » non pellicere ad transigendum adversarium, ne ab omni se » injustitiæ societate disjungat. «

XXXII. Hîc rursus ab injustitia absolvere nequit Advocatum, qui injustitiam causæ noscens, eidem patrocinari pergit; quod provideat ex desertione causæ sibi imminere existimationis, & famæ suæ non modicam læsionem; ac Clientis, quem in expensas hactenùs factas, & in litem adduxit, in ipsum iram, & offensionem, aliaque similia incommoda: quæ quantumvis ipsi Advocato gravia, & dura sint, nequeunt tamen injustitiæ, aut perjurii labem abstergere. Illud quidem diffiteri non possumus, quòd ob hæc, & similia officium Advocatorum non parum sit periculosum: cùm non rarò vel temporalibus lucris, quin & famæ, existimationique, atque hominum favoribus sit renuntiandum, si justitiæ adhærere, juramentumque suum servare velint.

XXXIII. Et hæc quidem de patrocinio causæ assumendo, aut in eo continuando. Ubi autem Advocatus reverà credit causam sui Clientis justam & fundatam, ipsumque ab adversario injustè vexari; causamque sufficientem judicio experiendo esse putat, tunc ulteriùs requiritur, ut in prosecutione causæ sincerum, ac fidelem sui Clientis se patronum exhibeat, ingenuumque Justitiæ Athletam, illud præcipuè, ac primariò præ oculis habens, quomodo possit ipsi judici causæ justitiam persuadere: suumque Clientem quàm citissimè litibus, & jurgiis forensibus eximere, & Adversarii injustitiis, & molestiis liberare.

XXXIV. Ut autem Advocatus in defensione causæ talem se exhibeat, imprimis studeat oportet, ut rectè concipiat statum controversiæ, ipsumque difficultatis cardinem, eumque claris, & simplicibus terminis judici exponat; abstineatque ab omnibus, quæ ad statum quæstionis non pertinent, aut eum involvunt, ac obscurant potiùs, quàm elucidant. Verissimè enim jam pridem dixit S. Bernardus *lib.* 1. *de Consid. cap.* 10. » Nihil ita absque labore manifestam facit veritatem, ut brevis » & pura narratio. « (b)

XXXV. Hoc sanè hodiernum est multorum Advocatorum vitium, quod sua non ad causæ scopum, & quæstionis cardinem dirigant, nec studeant breviter & dilucidè statum causæ judici exponere, sed confusè omnia agglomerent, ipsamque facti speciem in infinitos penè articulos, & particulas disceptant, interjectis & intermixtis parergis, quæ ipsam facti speciem obscurant potiùs, quam elucidant. Accedunt dein cavillationes circa singulas non tantùm causæ minutias, sed argutias quoque adversarii, quæ nihil aut parum ad statum causæ conferunt, sed eam totaliter involvunt, & plura sæpè in una lite volumina progignunt.

XXXVI. Has Advocatorum longas disputationes, & effrenem scribendi libertatem jam olim repressit (c) Justinianus in *L. fin.* §. 1. *Cod. de Appellat.* dicens: » In refutatoriis au- » tem libellis, qui solent maximè in sacro Auditorio prudentis- » simorum nostrorum procerum recitari, caveant tam litigato- » res, quàm libellorum dictatores, verbosis uti assertionibus; » & ea, quæ jam perorata sunt, iterum resuscitare; sed hæc » sola eis inscribere, quæ compendiosa narratione causas pro- » vocationis possunt explanare, vel aliquid novi continent, vel » addere quod derelictum est: scituri, quòd si hoc fuerit præ- » termissum, non deerit adversus libellorum conditores am- » plissimi judicii competens indignatio. «

Hisce verbis relatis dicit Tuldenus loco citato *cap.* 9. quòd hinc rectè Juris interpretes censeant, interdici à judice advocationem ei posse, qui nimis in superfluarum disputationum sinus effundi solet.

Huic Advocatorum vitio incentivam vehementem subministrat hodiernus mos taxandi salaria Advocatorum pro numero pagellarum, & linearum, atque verborum; de quo infrà.

XXXVII. Accedit non rarò hodie aliud vitium, à Romanis jam olim reprobatum in *L.* 6. §. 1. *Cod. de Postulando*, quòd scilicèt in conviciandi prorumpant licentiam. » Agant » (inquit lex citata) quod causa desiderat: temperent se ab in- » juriâ. Nam si quis adeò procax fuerit, ut non ratione, sed » probris putet esse certandum, opinionis suæ imminutionem » patietur: nec enim conniventia commodanda est, ut quis- » quam negotio derelicto in adversarii sui contumeliam, aut pa- » lam pergat, aut subdolè. «

XXXVIII. Idipsum injungunt Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 293. adduntque, nec Advocatos id facere posse, nec à pœna ibidem statuta eximendos, tametsi ipsorum Clientes, hæc convicia, sive injurias sint parati probare: *Al waert oock soo dat heure meesters deselve injurien souden willen advouerem.*

XXXIX. Ulteriùs cùm Advocati sit omni studio, & industria procurare clienti suo administrationem justitiæ, atque à litium difficultate, & onere liberare, satis patet, optimè Advocatis congruere quod habetur in *L.* 6. §. 4. » Nemo ex » industria protrahat jurgium. «

Hinc inter alia hodie jurant Advocati, quòd intuitu proprii lucri, vel ad præjudicandum parti adversæ, non quærent illegitimas vias, aut dilationes. (d) *Dat sy om haer selft profyt oft om die weder partye van heure meesters te prejudicieren, geene onbehoorleycke weghen oft dilayen sencken en sullen.* Id est: » Ut nec proprii lucri causa, nec quo adversariæ Clientum suorum parti detrimentum accersant, illegitimis viis procedant, aut dilationes procurent.

Speciale Edictum Regium contra Advocatos inutilibus, & superfluis dilationibus utentes extat *part.* 2. *Edict. Flandriæ. lib.* 1. *Rub.* 5. de ult. Augusti, anni 1586.

XL. Huic vitio magis solent esse subjecti Advocati, qui divites fieri volentes tot causis se onerant, ut omnibus ritè dirigendis & instruendis sint impares: nec tamen nimiâ lucri aviditate illecti, ullas à se causas dimittere amant. Atque hinc multiplices dilationes accipere, morasque omni viâ possibili, cum summo litigantium detrimento, magnisque expensis nectere conantur.

XLI. Prædicta omnia compendio exprimunt citata Statuta Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis, *tit.* 8. *art.* 5. » Caveant Advocati, in scripturis concipiendis, ab » injuriis, inutilibus repetitionibus, à supervacaneis, & im- » pertinentibus allegationibus, (e) & positionibus, facta etiam » singula non dividant, nec plura conjungant, sed in uno- » quoque articulo unum factum ponant, sub pœna, quòd ta- » les notoriè impertinentes articuli in taxam non venient. Se- » riò etiam caveant, ne aliquâ ratione falsas allegationes pro » veris obtrudant sub gravi pœna, pro gravitate delicti per » Judicem infligenda. «

Deinde *art.* 6. addunt: » Abstinebunt à superfluis Legum, » Canonum, vel Auctorum allegationibus. « Quantopere in hoc articulo hodie peccetur ab Advocatis, qui vulgò dicuntur scribere *pro culina*: quibusque satis est, si pagellas impleant, pudendum est dicere.

XLII. Fidelitas Patronorum, quam suis Clientibus addicunt eorum causas suscipiendo, exigit quoque, ut omni fidelitate sine ulla cum parte adversa collusione causam sui Clientis defendant; ideoque & jam pridem apud Romanos adhuc Gentiles, Advocatus, qui causam sui Clientis prodebat, colludendo cum adversario, extra ordinem puniebatur. (f) *L.* 1. *ff. de Prævaricat.*

XLIII. Utque ab omni prævaricationis specie sint remoti non

(a) *Consonat L.* 2. *tit.* 16. *lib.* 2. *Recop.* Otrosi que no ayudarán en causas desesperadas, en que sepan, y conozcan que sus Partes no tienen justicia: y que si hubieren comenzado à ayudar en algunos pleytos, en qualquier estado dellos que supieren, y les costare que sus Partes no tienen justicia, que luego les avisarán dello, y les dirán que se dexen de los tales pleytos.

(b) *Scitum est illud Euripidis:* Veritatem in simplici & neglecto cultu placere. *Et illud Diodori*: Bonam causam in sui patrocinium non egere nisi tribus vocibus.

(c) *Ita præscribitur in LL. Hispaniis* 4. & 34. *tit.* 16. & 29. *tit.* 5. *lib.* 2. *Recop.* ibi: Y que sean breves, & *Actis Acordat.* 1. 7. & 11. *tit.* 16. & 10. *tit.* 17. *lib.* 2. *ejusd. Recop.*

(d) *Lex* 3. *tit.* 16. *lib.* 2. *Recop.*

(e) *Lex* 4. & *Actum Acordat. supradicti tit.* & *lib.*

(f) *In Hispania*, desde agora les privamos del dicho oficio de la abogacia, *ait lex* 17. *ejusd. tit.* & *lib.*

non convenit, ut facilè patrocinium alicujus suscipiat Advocatus, dum adversa pars eum consulendo, arcana suæ causæ sincerè, & fideliter ipsi exposuit; tametsi causæ ipsius patrocinium suscipere recusaverit.

Eadem ratione postulare non posse Advocatum contra Clientem in judicio appellationis, pro quo postulavit in prima instantia, communiter receptum est. (g)

XLIV. Ut vitia, quæ hodie laudabile, & honorificum Advocatorum officium reddunt odiosum, & in vilipendium adducunt, eliminari possent, credunt nonnulli in usum revocandam legem Cinciam, quâ ne causarum Patroni pecuniam, aut donum aliquod pro causis in foro agendis acciperent, vetabatur; quam jam vetustate abolitam Augustus Imper. teste Tacito *lib.* 14. *Annal.* renovavit, & retinere voluit Trajanus, jussis omnibus qui quid negotii haberent, priusquam agerent, jurare: *Nihil se ob advocationem cuiquam dedisse, promisisse, cavisse.* Vide latè hac de re discurrentem Nicolaum Vernulæum *dissert. de Litibus, orat.* 4. ubi revocatæ hujus Legis hanc utilitatem putat: » quòd Patroni causarum nihil ex litibus sperantes, quàm » citissimè ad earum finem adspirabunt, non eas perducent, non » dilatabunt, non ingentibus scriptorum molibus onerabunt. Una » est (ait) lucri aviditas, quæ hoc tempore procreat tot motiva, » tot instrumenta, tot arrestata, tot interrogatoria, tot vidimus, » tot replicas, duplicasque tam prolixas, & tanta verborum farragine amplificatas, quas dum miseri Clientes intuentur, & quandoque vix ferre possunt, attoniti illo tot foliorum apparatu, » quidquid habent in Advocatorum sinum conjiciunt, & adhuc » parvam sese rependisse pro tanto labore mercedem arbitrantur.«

Idipsum monet Tuldenus *lib.* 4. *de Caus. corrupt. Jud. cap.* 10. dicens: » Prædæ spes uberioris, & salarii copiosioris » auctoramentum tot tabulas, tot calumniatores prævaricatores- » que facit. «

XLV. Hoc tamen monet Tuldenus hanc legem etiam sub Imperatoribus Romanis moderationem accepisse. Scribit enim quòd cum de renovanda hac lege rursus sub Claudio Imperat. ageretur, atque eam in rem disseruisse Silium Consulem, rem tamen peragi non potuisse: eò quòd quidam de Senatu fortiter intercederent dicentes: » Neque eloquentiam gratuitò continugere, omitti curas familiares, ut quis se alienis negotiis intendat: Sublatis studiorum pretiis etiam studia peritura, ut » minus decora. «

Quidquid sit de hac Senatûs intercessione, necnon contra legem Cinciam allegatis, hoc constat, quòd Imperatores Romani salarium quoddam Advocatis permiserint; illiusque meminit Ulpianus Jurisconsultus (qui circa tempora Claudii Imperat. floruit) in *L.* 1. §. 10. *ff. de Extraord. cognit.*

XLVI. Notanda autem ratio taxationis, quam à Judice in taxando Advocati honorario ineundam esse scribit Ulpianus: » In honorariis Advocatorum ita versari Judex debet, ut pro » modo litis, proque Advocati facundia, & fori consuetudine, » & judicii, in quo erat acturus, æstimationem adhibeat: (h) » dummodò licitum honorarium quantitas non egrediatur. «

Quantitas legitimi honorarii exprimitur in *L.* 5. *Cod. de Postulando.*

XLVII. Verùm hæc ratio taxandi Advocatorum honoraria, necnon præfixa eorum quantitas, moribus hodiernis à foro recesserunt.

Hodie enim non pro Advocati facundia, vel eruditione, & meritis, sed pro numero pagellarum, articulorum, vel linearum salaria taxandi usus invaluit, in quem stomachabundus invehitur Tuldenus loco citato *cap.* 11. » Quid enim hoc aliud » est (ait) quàm ultrò incitare loquacitatem ad permiscendum » omnia, tragœdiasque excitandum in nugis? Quid hoc aliud, » quàm præmiis provocare ad diffundendam causam, protra- » hendumque jurgium? Adeò igitur vel nihil ingenii, doctri- » næque in Advocatis, quod æstimetur, vel nihil in judicibus » ea æstimaturæ prudentiæ est, ut numerari versus actionum, » non ponderari oporteat? Id verò perindè est, ac si picturæ » pretium definiat modus, & spatia oblitarum tabularum. An » non longè majus discrimen & artis, & ingenii, & utilitatis in- » ter forenses orationes, & pictorum opera? Quando reprime- » tur inanis torrens garrulitatis, sua inundatione omnem causæ » speciem, omnesque juris limites confundentis; si honorarii » quantitatem loquacitatis modus definiet? Furor est, profectò » furor, publicâ auctoritate, honore, lucro incitare Rabulas ad » certamen extendendæ in immensum litis & loquacitatis.

» Itaque (concludit ibidem Tuldenus) saluberrimum judi- » ciis fuerit, Judicem, qui de causa cognovit, honorarii quan- » titatem definire, pro conditione causæ, & merito navatæ di- » ligentiæ, quam non mole æstimet, sed pondere; sensa magis imputando quàm verba, argumenta, non cavilationes; » vim disputationis ad causæ pertinentis statum, non pompam » inanium excursuum; causæ enucleationem, non ineptissima- » tum adversarii argutiarum, dum refutantur, imitationem; » defensionem Clientis, non intenta adversario maledicta; & » in universum vim, & pondus orationis ad statum causæ ac- » comodatæ, non numerum, & molem scriptorum in ratione » salarii intueatur judex. «

XLVIII. Interim tamen ubi hic usus taxandi salaria perseverat, bonus Advocatus debet causas amore, & zelo justitiæ, & veritatis assumere, & pro officii sui ratione Judici sincerè, ac fideliter exponere; vitando ea omnia, quæ ad causæ justam defensionem non spectant, ac taxato à Judice salario contentus esse, quemadmodum & jurejurando in sua ad officium Advocati admissione promittere solet.

XLIX. Ostendet Advocatus se non primario intuitu salarii, nec animo planè mercenario causarum patrocinium suscipere, si non tantùm divitum, sed & pauperum justas causas libenti animo suscipiat; iisque fideliter, & diligenter gratis, & seposita omni spe remunerationis temporalis (i) inserviat; quemadmodum etiam volunt Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 292. ubi decernitur, ut Advocati suis Clientibus, ipsorumve procuratoribus liberum dabunt accessum, tam pauperibus (quibus pro Deo servient) quàm divitibus; & ut pauperi priùs ad ipsum accedenti, præstabit alloquium ante diyitem, qui posteriùs accesserit: *Dat d' Advocaten sullen den partien oft heuren Procureurs volkomen audientie geven, soo wel den armen (die sy om Godts willt dienen sullen) als den rycken; ende den armen eerst aen hem komende, audientie geven, gerieven ende ontcommeren voor de rycke die naer komen sullen.* Id est: » Ut Advocati, parti, aut ejus Procuratoribus liberum, & facilem » dent accessum, nec minùs pauperi (cui pro Deo inservient) » quàm diviti. Pauperique cùm prior advenerit, aures præbe- » bunt, eumque expedient præ divite seriùs accedente. «

L. An error Advocati noceat Clienti, imprimis distinguendum est inter errorem juris, & facti. Si Advocatus, quæ meri Juris sunt, omiserit, non ita nocent Clienti, quin per Judicem suppleri queant; imò judicis est, ex officio, quæ juris sunt supplere, juxta *L. unicam, Cod. Ut quæ desunt Advocatis &c.* Error autem facti à Judice suppleri ordinariè non potest: ne non tam Judicem, quam Advocatum agere videatur. Vide Antonium Fabrum in *Cod. lib.* 2. *tit.* 7. *definit.* 1. ubi dicit, » factum nunquam supplendum esse, nisi tale sit, ut ex actis & instrumentis litis non modò conjici, sed etiam probari queat. Id » enim est (ait) quod vulgo nostri jactitant, debere judicem secundum allegata, & probata judicare potiùs, quàm secundum » propriam conscientiam. Hinc consequens sit, ut non nisi per- » raro suppleri exceptiones possint, propterea, quod licèt plerræque juris magis quàm facti esse videantur, vix tamen contingere potest, ut non aliquam habeant implicitam facti quæstionem, cùm ex facto pendeant, cujus non semper expedita est » ex actis probatio. Nam neque notorium supplere Judex potest, » quod non fuerit allegatum, quamvis allegati probationes exigere nullas jure possit. «

Quomodo autem error positivus, sive facti alicujus falsi allegatio Advocati noceat Clienti, & habenda sit pro allegatione Clientis, vide eundem ibidem *tit.* 6. *definit.* 1.

LI. Ex omnibus, quæ hactenus dicta sunt, facilè cognosci potest, quod licèt haud contemnendum, quin & laudabile sit Christiani, & boni Advocati officium, nihilominus illud multis periculis expositum, & forensibus tricis implicatum sit. Dixit olim etiam Plinius *lib.* 2. *epist. ad Nepotem*: *Nos, qui in foro, variisque litibus agimus, multum malitiæ, quamvis nolimus, addiscimus.* Et Symmachus: *In forensi pulvere rara cognitio facundioris & boni pectoris.*

LII. Ob hæc pericula, tum quòd Advocatorum officium ferè totum in forensibus disceptationibus consistat, meritò judicatum fuit, Clericis in sortem Domini vocatis hoc officium minimè congruere: probatumque quod olim dixit Justinianus Imper. in *L.* 41. *Cod. de Episcopis*: » Absurdum etenim Cle- » ricis est, imò etiam opprobriosum, si peritos se velint ostendere disceptationum esse forensium. « Qua moderatione scientiæ Legum civilium studere debeant Clerici, dictum est suprà *parte* 1. *tit.* 2. *cap.* 4.

LIII. In *cap.* 1. ✠ *de Postulando* ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. » Clerici in Subdiaconatu, & supra, & » in Ordinibus quoque minoribus, si stipendiis Ecclesiasticis sustentetur, coram seculari Judice Advocati in negotiis secularibus fieri non præsumant: nisi propriam causam, vel Ecclesiæ suæ fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus fortè per- » so-

(g) *Leges* 13. & 22. *tit.* 16. *lib.* 2. *Recop.*

(h) *Consona est L.* 10. *tit.* 16. *lib.* 2. *Recopil. per verba*: Que atenta la calidad y facundia de los dichos Abogados, y de cada uno de ellos, y asimismo la calidad y cantidad de los Pleytos, &c. *Leg.* 1. *ejusd. tit. & lib.* Considerada la calidad de la causa, y la calidad de las personas pleiteantes y el trabajo, & 63. *tit.* 5. *lib.* 2. *Recop.*

(i) *Leg.* 16. & 27. *tit.* 16. & 28. *tit.* 5. *lib.* 2. *Recop. cum* 6. *tit.* 6. *lib.* 2. *ibi*: sin dineros.

» sonis, quæ proprias causas administrare non possunt. «

Hinc concluditur, Clericos in Sacris Ordinibus constitutos, aut Beneficium Ecclesiasticum, è quo sustententur, habentes, non posse coram Judice seculari munus Advocationis exercere. (k)

LIV. Excipit Pontifex in citata Decretali tres causas, in quibus postulare Clericis permittitur, nimirùm si propriam causam, vel Ecclesiæ suæ fuerint prosecuti, aut pro miserabilibus personis, quæ proprias causas administrare non possunt. Hæ exceptiones verisimiliter invaluerunt, postquam Clerici non tantùm Sacris Canonibus, sed & legibus Civilibus incumbere cœperunt; quos acerbo stylo exagitat Petrus Blesensis relatus suprà *parte* 1. *tit.* 2. *cap.* 4.

Interim & his casibus advocationis officium à Clericis cum ea moderatione est exercendum, ut non impingant in eam Apostoli sententiam: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus.* 2. *ad Timoth. cap.* 2. *v.* 4.

LV. Cùm Decretalis nominatim loquatur de exercitio advocationis coram Judice *seculari*, concludunt communiter Canonistæ secuti Glossam, nequaquam vetitum esse Clericis agere Advocatiam coram Judice Ecclesiastico, sive in Curiis Ecclesiasticis.

Verùm quia hodie causæ aguntur stylo forensi in Curiis hisce non secùs ac in foro seculari, parum videtur vocationi Clericali conforme, causas, & in hisce Curiis instruere, aut dirigere, & ea occasione disceptationibus forensibus implicari. Hinc & plerumque etiam in Curiis Ecclesiasticis Advocati sunt laici; & sæpè iidem, qui coram Judice Seculari id munus obeunt.

LVI. Quia tamen pium est, Pauperes oppressos juvare, eorumque Patronos agere, ne defectu defensionis à potentioribus opprimantur, statuit S. Carolus, ut in sua Diœcesi esset semper aliquis *Advocatus pauperum.* Quin & in Cathedrali, & Collegiatis nonnullis Ecclesiis, auctoritate Apostolica instituit præbendam *Canonistalem*, cujus possessor *Advocatum pauperum* coram Judicibus Ecclesiasticis agere debebat. Vide acta Ecclesiæ Mediolanensis *pag.* 567. edit. Lugdunensis anni 1683. ubi & inter alia statuit, quòd » quicunque Ecclesiastici homi» nes Mediolani commorantes Jurisperiti sunt, eorum unus sem» per per vices, quemadmodum jam à nobis cum illis actum est, » unoquoque trimestri in orbem officio Advocati pauperum » fungatur. «

CAPUT III.

De Procuratoribus, et Syndicis.

1 *De Jure communi duo sunt genera procuratorum; hodie soli Procuratores ad* lites *hoc nomine appellari solent.*
2 *Aliquando apud Romanos vetitum fuit causas agere in judicio per Procuratores.*
3 *Hoc jus multis seculis viguit in Gallia.*
4 *Ex hoc jure Gallicano petendus intellectus* Cap. 7. ✠ de Procuratoribus.
5 *Seculo XV. declaratum fuit in Gallia, licitum esse in causis Civilibus agere per Procuratores.*
6 *Hæc declaratio conformis est praxi omnium passim tribunalium.*
7 *Ordinationes Curiæ Rectoralis Universitatis Lovaniensis vetant citationes* personales.
8 *In criminalibus admittitur citatio* personalis; *& quis ejus effectus.*
9 *Procuratores ad lites quando in Curias Ecclesiasticas intraverint.*
10 *Officium Procuratorum jure Romanorum erat privatum; secus hodie, nec ad illud infames admittuntur.*
11 *Hodie numerus Procuratorum solet esse determinatus; nec admitti nisi prævio examine.*
12 *Moribus hodiernis causæ agi debent per probatum Procuratorem Curiæ.*
13 *Etiam* inviti *ad officium suscipiendum cogi possunt.*
14 *Excusandus à suscipienda causa, si juret se credere causam esse* injustam.
15 *Procurator non potest servire causæ, quam novit injustam.*
16 *Hujusmodi causam non suscipere juramento promittunt.*
17 *Difficulter suo juramento satisfacient Procuratores, qui causas omnes passim sine examine suscipiunt.*
18 *Ordinationes Curiæ Rectoralis volunt, ut Procurator ante causæ susceptionem de ea sit debitè instructus.*
19 *Quæ ab Advocatis hac in parte observanda sunt, etiam meritò à Procuratoribus attenduntur.*
20 *Procuratores æquè ac Advocati suis Clientibus* fideliter *servire debent; & quid eum in finem habeant Ordinationes Curiæ Brabantiæ.*
21 *Procuratores non possunt protrahere lites in dispendium partium: neque eum in finem superfluas dilationes petere.*
22 *Contra abusus Procuratorum multùm valeret exacta observantia Ordinationum Curiarum.*
23 *Procurator, licèt à Curia admissus, debet habere* mandatum *ad causam prosequendam.*
24 *An admittatur sine sufficienti mandato sub cautione de* rato.
25 *Cautio de* rato *tantùm videtur admittenda: quando aliqualiter constat de mandato; nisi in certis personis.*
26 *Quomodo procuratorium hodie probetur.*
27 *An procuratorium post litem contestatam provocari possit? Et an morte constituentes expiret?*
28 *Hodie Procuratoribus debentur sua salaria; & qui hinc abusus?*
29 *Actores Universitatis, Collegii, Civitatis, &c. sunt quasi eorum Procuratores.*
30 *Hi vocantur* Syndici: *interdum* Pensionarii.
31 *Syndicus non tantùm ad lites, sed & ad negotia extrajudicialia constitui solet.*
32 *Universitas Lovaniensis habet suum Syndicum; & quod ejus juramentum & officium.*
33 *In Decretalibus Gregorii IX. extat unica Decretalis de Syndico, desumpta ex Epistola S. Gregorii.*
34 *Sanctus Gregorius solicitus fuit ut negotia Monachorum ita tractentur, ne eorum mens per plura distenta defluat.*
35 *Consulit, ut negotia alicui Laico committant aliquo constituto salario.*
36 *Ratio notanda à S. Gregorio allata.*
37 *Ex hac Decretali concludunt Canonistæ, à Monachis esse constituendum* Syndicum *ad lites prosequendas.*
38 *Quàm periculosum sit Monachis implicari negotiis forensibus.*
39 *Convenit etiam, ut Clerici se à forensibus tricis eximant.*

I. DE Jure duæ sunt Procuratorum species. Prima eorum, qui ad negotia familiaria, & extrajudicialia committuntur; nec hodie solent vocari *procuratores*, sed communiter dicuntur *Receptores*, *Administratores*, *Œconomi*, aut etiam *mandatarii*, si sint ad negotia aliqua specialia deputati.

Alia species Procuratorum est, qui sunt ad lites, & causas in judicio prosequendas; solentque vulgò simpliciter *Procuratores* appellari; atque de his solis hîc agitur.

II. Vetustissimo Jure Romanorum, hujusmodi Procuratores litis prosequendæ causâ constituere permissum non fuisse, notant passim Interpretes, ac nominatim Bignonius *de Legibus abrog. lib.* 2. *cap.* 58 & Christinæus ibidem in notis.

III. Notant quoque, conformiter ad hoc vetustissimum jus, diu in Gallia moris fuisse, ut sine gratia, & rescripto Regio actori per procuratorem agere non liceret, quod præter alia docet nos Marculfus Monachus *lib.* 1. *Form. cap.* 21. & ibidem observavit vir eruditus Hieronymus Bignonius, additque: » Illud longo post tempore apud nos (Gallos) obtinuisse, ut » præter Regem nulli Procuratores habendi absque Principis » consensu facultas suppeteret, (l) testantur Joannes Faber ad » §. UNIVERSITATIS, *Instit. de Rerum divis.* & Brolius in » stylo Parlamenti. «

IV. Ex hoc prisco Gallico jure petenda apparet vera ratio, quæ movit Universitatem Parisiensem petendi ab Innocentio III. ut ad agendum, & defendendum de *ejus permissione* Procuratorem instituere liceret: respondit autem Innocentius: » Licèt de jure communi hoc facere valeatis, instituendi ta» men procuratoris super his auctoritate præsentium vobis con» cedimus facultatem. « Extat responsum in *cap.* 7. ✠ *de Procurat.*

Cùm enim Universitas Parisiensis tota penderet ab auctoritate Romani Pontificis, licentiam, quam alii à Rege impetrare debebant, ipsa à Romano Pontifice petere maluit. Vide Janum Acosta & Hieronymum Bignonium locis citatis.

V. Meminit ejusdem moris Francisci Damhouderus in Praxi rerum civil. *cap.* 84. asseritque eum abrogatum in Comitiis habitis Turingæ anno 1483. » ubi tunc ordinatum, & de» cretum fuit (ait) quòd omnes Actores in materiis civilibus pos» sint occupare, & comparere per Procuratores absque gra» tia Regis ad hoc impetranda.

VI. Hæc moderatio conformis est hodiernis moribus, quibus receptum est, ut in omnibus passim tribunalibus tam Civilibus quàm Ecclesiasticis sine ulla speciali licentiâ permittatur per Procuratorem agere, & se defendere, idque in omnibus causis saltem civilibus. (m)

Con-

(k) *Lex* 15. *tit.* 16. *lib.* 2. *cum* 10. *tit.* 3. *& Remiss.* 7. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop.*

(l) *Lex* 45. §. 1. *num.* 6. *& 7. tit.* 25. *lib.* 4. *& Actum Acord.* 9. *tit.* 24. *lib.* 2. *Recop.*

(m) *In Hispania nemo Procuratoris officium in Supremis & aliis Superioribus Senatibus exercere valet, quin priùs examen ad hoc subeat, juramentum præstiterit, & in Procuratorum numero adscribatur, ut ajunt L.* 1. *tit.* 25. *lib.* 4. §§.

VII. Conformiter ad hunc usum in Ordinationibus Curiarum Rectoris, & Conservatoris privilegiorum hujus Universitatis Lovaniensis confirmatis auctoritate Principum Belgii Alberti, & Isabellæ die 18. Aprilis 1617. *art.* 11. ordinatur: » Omittatur deinceps in citatorialibus litteris, quòd pars debeat » comparere *personaliter* (n) ad respondendum certo die, & » hora; quia id per Procuratorem facere potest. «

VIII. In criminalibus tamen citari solent rei ad respondendum *personaliter*: & dicitur citatio *personalis*; vulgò *Daeghsel personeel*, atque ita citati constitui dicuntur in *reatu*; redduntur que infames, ac solent ab officio publico, quo funguntur, suspendi, quousque se à crimine intento purgaverint, & absoluti sint. Vide Van Leewen in Censura forensi *parte* 2. *lib.* 2. *cap.* 15. *num.* 10.

IX. Nec tantùm in curiis Civilibus, sed & Ecclesiasticis usus Procuratorum invaluit, idque verisimiliter unà cum stylo forensi, id est, circa seculum XII. aut XIII. unde de hujusmodi Procuratoribus, ad lites nullæ Decretales, aut Decreta, quæ Eram hanc præcedant, in libris Juris Canonici occurrunt. Quod enim in *Cap.* 1. ✠ *de Procuratoribus* refertur ex S. Gregorio, spectat duntaxat ad Procuratores seu mandatarios ad *negotia* agenda specialiter commissos, non autem ad Procuratores ex officio suo ad prosequendas lites, & causas constitutos, & electos, (o) quales sunt hodierni Procuratores ad lites.

X. Si Jus commune attendamus, officium Procuratorum est privatum, & vile; omnesque passim personæ indifferenter in Procuratores designari possunt. At moribus hodiernis *publicum* est; nec ad illud infames admittuntur, licèt Justinianus exceptionem infamiæ contra Procuratorem noluerit habere locum §. *fin Instit. de Except.* uti notat Gudelinus *L. de Jure Noviss. lib.* 4. *cap.* 4. *num.* 26. Vide etiam Christinæum *vol.* 2. *decis.* 107. *num.* 2.

XI. Quin & in Curiis tam Ecclesiasticis quàm Civilibus vulgò usitatum est, non nisi certas, & determinato numero personas ad hoc officium assumi, & prævio super qualitate, & capacitate earum examine. Statuta Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechlin. *tit.* 8. *art.* 2. » Nullus Procuratoris officio » fungi permittetur, nisi qui 25. (p) ætatis annum excesserit, » & per officialem super litteraturâ, industriâ, stylo, & prac» tica examinatus, & idoneus repertus, in manibus ejusdem ju» ramentum præsiterit. «

Similiter Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 322. nullum volunt admitti ad officium Procuratoris; nisi prævie ex commissione Cancellarii fuerit examinatus, & idoneus repertus: admittunt tamen minorem 25. annis, modo excesserit 20.

XII. Morem hunc de certis, designatisque duntaxat personis, idque prævio examine, & præstito juramento admittendis in Procuratores, ubique communem esse, videre est apud Van Leewen loco citato; & testatur Nicolaus Tuldenus ad allegatum locum Damhouderi, quod » hodie privati, neque per » se, nec per Procuratores causam suam agere in foro, vel » Judicio possint: nisi *selectis* quibusdam forensibus Procura» toribus negotium mandent. «

XIII. Quandiu Officium Procuratorum fuit privatum, nemo illud invitus suscipere tenebatur; at hodiè dum publicum est, hi, qui prævio examine, & juramento in numerum eorum relati sunt, etiam inviti cogi possunt, ut officium suum impendant, (q) uti post alios observat Nicolaus Tuldenus ad Damhouderum in *Praxi rer. Civil. cap.* 84. *Litt. E.*

XIV. Ex justis tamen causis ab officio impendendo in hac illave causa excusari possunt; dicitque Damhouderus ibidem *num.* 2. » quòd ab eo onere suscipiendo sese purgare possint, » & illud onus detrectare, si *jurent* quòd teste conscientia, ip» sorum (clientum) causa non videatur ipsis defensibilis. «

XV. Nec immeritò, licèt enim hodiernis moribus receptum sit, non transferri Judicium in Procuratorem, neque ipsum per litis contestationem reddi dominum causæ, aut in ipsum sententiam ferri, quemadmodum jure Civili obtinebat, uti passim monent Pragmatici, ac nominatim Simon à Groenwegen de Legibus abrogatis ad tit. Digestorum *de Procuratoribus*; nihilominus verum manet, Procuratores hodiernos suscipere defensionem & prosecutionem causæ, quam sanè impendere nequaquam possunt causæ, quam credunt *injustam.*

XVI. Imò & juramentum (r) in admissione ad Officium Procuratoris solet ipsos astringere, quòd nullam causam, quam noverint injustam, suscipient: aut si aliquam tanquam justam susceperint, dimittent mox ut eam noverint injustam. Verba juramenti præstari soliti in curiis Ecclesiasticis Provinciæ Mechliniensis sunt: » Nec acceptabo Officium Procuratoris in ma» lis & injustis causis scienter: & quàm citò mihi constiterit » de injustitia causæ, in ea ampliùs non procurabo. «

XVII. Procuratores illi, qui omnes indiferenter causas sibi oblatas sine ullo examine super earum Justitia, aut injustitia suscipiunt, ostendunt parùm memores se esse præstiti Juramenti, parumque solicitos, num justam injustamve causam tueantur; meritoque anxii sunt, an cum hujusmodi affectata ignorantia immunes erunt à perjurio, saltem coram eo, qui scrutatur cor & renes, si causam injustam suscipiant, quam, si examen debitum præmisissent, nec lucri cupiditate ad omnes indifferenter causas suscipiendas fuissent illecti, facilè agnovissent esse injustam.

XVIII. In citatis Ordinationibus Curiæ Rectoris, & Conservatoris hujus Universitatis *art.* 12. statuitur: » Procurator » non occupet causam aliquam sive ad agendum sive ad defen» dendum, nisi priùs satis instructus. «

XIX. Quæ capite præcedenti dicta, & notata fuerunt circa obligationem Advocatorum de non patrocinando causæ injustæ, hîc meritò repeti poterunt: cùm tam Procuratoribus, quàm Advocatis vi Juramenti, & officii vetitum sit, causæ injustæ quacunque ratione patrocinium impendere.

XX. Non minus quoque Procuratores, quàm Advocati obligantur fideliter suis Clientibus servire: unde & hîc repeti poterunt quæ de fidelitate Clienti ab Advocato servanda dicta sunt capite superiori, Hoc tamen hîc observandum, quòd Curia Brabantiæ cautum volens, ne ex connexione & familiaritate Procuratorum *secreta* unius Partis alteri revelarentur, statuit *art.* 334. ne pater, & filius, aut duo fratres, vel duo habitantes in eadem domo sint simul in eadem causa procuratores pro utraque parte. *Om dies wille dat de Procureurs onderlighe gheallieert zynde van bloede oft affiniteyt, gelick vader ende sone, twee ghebruers, oft wonende in een huys, ontfanghen in een saecke de procuratie van beyden partyen, waer uyt die secreten van partyen somwylen worden ghereleveert, ende d' een van partyen ghesupplanteert oft bedroghen: Wy verbieden de voorsz. Procureurs ghealliеert zynde, oft wonende in een huys, te nemen Procuratie oft te occuperen in een saecke vor heyde de partyen.* Id est: » Eò quòd Procuratores mutuò, aut sanguine, » aut affinitate conjuncti, quales Pater & filius, aut etiam fra» tres, aut in eodem domicilio commorantes, in eadem causa » utriusque partis procurationem agunt, unde, fit, ut quan» doque arcana partium detegantur, alteraque harum circum» veniatur, & decipiatur. Prohibemus dictis procuratoribus ut » supra conjunctis, aut in eadem domo commorantibus, ne in » eadem causa utriusque partis procurationem admittant. «

XXI. Illud quoque Procuratoribus, æquè ac Advocatis incumbit, ut omni modo allaborent, ut Clienti suo Justitia administretur, unicèque studeant causam sincerè (s) prosequi, nihil scienter ad protractionem causæ in suum proprium lucrum, & litigantium detrimentum faciendo.

Hac de causa Procuratores in Curiis Ecclesiasticis Provinciæ Mechliniensis inter alia jurant: » Nec petam aliquas dilationes » in causis meis, in gravamen alicujus partium, sed terminos » meos legalites servabo...Nihilque proponam per me, vel alium » pro causa protrahenda, vel ad vexandum indebitè adver» sarium. «

Contra superfluas, & extravagantes dilationes sub variis prætextibus peti solitas (t) extat *art.* 329. Ordinationum Curiæ Brabantiæ.

XXII. In his Ordinationibus, uti & Ordinationibus Consilii Flandriæ de anno 1624. & 1667. quæ habentur parte 3. Edictorum Flandriæ *lib.* 1. *Rubr.* 8. nec non in statutis Curiarum Ecclesiasticarum multa occurrunt, quæ officium Procuratorum spectant, quæque plures hodiernos abusus resecarent, si exactè observarentur: illudque notandum, quòd in formula juramenti præstandi à Procuratoribus in Curiis Ecclesiasticis exprimitur: » Item in responsionibus per *credit* vel non facien» dis, non informabo partes, sed ipsas omninò inducam, ut fa» teantur veritatem. « Ad quem articulum juramenti nescio, an sat hodie attendant Procuratores.

XXIII. Licèt hodie in plurimis Curiis certus determinatusque sit numerus Procuratorum, nec officio Procuratorum fungi quis possit, nisi prævio examine super idoneitate, & præstito juramento in numerum Procuratorum sit admissus, uti suprà notavimus; nullus tamen illorum potest causam aliquam suscipere, aut prosequi, nisi mandatum sive procuratorium habue-

§§. 2. 3. 4. & 5. & *Act. Acord.* 20. *tit.* 19. *lib.* 2. & *Act.* 16. §. 13. & 22. *dud.* 12. *tit.* 2. *lib.* 3. *Recop.*

(n) *Leges* 5. 9. & 15. *tit.* 3. *lib.* 4. & *Actum Acord.* 35. *tit.* 19. *lib.* 2. *Recop.*

(o) *Dicta Leg.* 1. *tit.* 24. *lib.* 2. & *Actum Acord.* 6. *cap.* 12, 14. & 18. *tit.* 8. *lib.* 1. *Recop.*

(p) Que sean de 25. años, *LL.* 30. & *fin.* & *Act.* 1. & 23.

(q) *Lex* 22. & 28. *tit.* 16. *lib.* 2. *Recop.*

(r) I hagan juramento ante ellos que usarán bien, y fielmente sus oficios, *L.* 1. *tit.* 24. *lib.* 2. *Remiss.* 11. *ejusd. tit.* & *lib.* & *Act. Acord.* 6. *cap.* 12. *Recop.*

(s) *Lex* 38. *tit.* 1. *lib.* 3. *Recop.*

(t) *Lex* 16. *tit.* 22. & 6. *tit.* 24. *lib.* 2. *Recop.*

buerit, (u) ipsaque auctoritas Procuratoris etiamnum hodie ex mandato seu procuratorio dependet, uti monet Simon à Gronewegen ad *Instit. de Satisdationibus*, §. 3.

XXIV. Quin eodem teste non admittitur hodie Procurator absque mandato, etiamsi caveat *de rato*; nisi tamen pars litigans ipsi Procuratorii esset sanguine juncta; quo casu ex Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 325. poterit sub cautione *de rato*, ex permissione Curiæ admitti. Verba articuli sunt: *Dat de Procureurs hun niet en sullen worderen sonder besonderlycke procuratie eenighe partyen te dienen tenware dat de partye hen bestonde van bloede, in welken ghevalle sy midits stellende cautie de rato, sullen ter ordinantie van onsen voorsz' Raede moghen worden gheadmiteert.* Id est: » Ut Procura» tores se in obsequium partium non interponant, absque legi» tima rei gerendæ sibi facta potestate, nisi pars iis sanguine fo» ret juncta; quo casu si caverint *de rato*, poterunt ex decreto » præfati nostri Consilii admitti. «

Quod ergo dicit Simon Van Lewen in Censura Forensi *part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 5. *n.* 4. quòd ex stylo Procurator, qui debitè instructus est, mandatum autem aut nondum accepit, aut quod accepit, in aliquo deficiens est, sub cautione *de rato*, & termino, quo defectum suppleat, aut sufficiens mandatum cum ratihabitione omnium, quæ hactenus ab eo gesta fuerint, interim admittitur, id consonum non est citato articulo Ordinationum Curiæ Brabantiæ; nec hodie in illa Curia admitteretur, quamvis in aliis nonnullis Curiis id admittatur, ut ex ibidem citatis Pragmaticis notant Van Lewen; & in Ordinationibus Curiæ Rectoris & Conservatoris hujus Universitatis *art.* 13. non obscurè admittitur. Verba articuli sunt: » Ut procurator » sive Actoris, sive Rei primo die suæ comparationis exhibeat » suum mandatum; & si mandatum *minus sufficiens* videatur, » jubeatur aliud exhibere intra certum tempus, interea tamen » ulteriùs procedatur, præstita cautione *de rato*, per eundem » Procuratorem præstanda, nec aliter admittatur. « Idem habet *artic.* 8. *tit.* 11. *Ordinat. Curiarum Ecclesiast.*

XXV. De hac admissione Procuratoris sub cautione *de rato* vide latè Nicolaum Tuldenum ad Damhouderum in notis *cap.* 90. *litt. C.* ubi notat ex Socino, aliisque, huic cautioni ita demum locum esse, quando aliqualiter de mandato constat, sed non plenè; neque eam admitti quando res, quæ agitur, est valde ardua.

Ubi sine sufficienti mandato sub cautione *de rato* admissus est procurator, si mandatum intra terminum non exhibeat, in ipsum Procuratorem sententia fertur, & ad interesse & damnum condemnatur; imò & in aliquibus partibus, arbitrali correctioni obnoxius redditur; uti aliis citatis monet Van Lewen loco citato.

XXVI. Quamvis de jure communi Procuratorium solo consensu expediri queat, & etiam per testes, aut Nuntium probari queat, in nonnullis tamen Curiis hodie receptum est, non nisi per scripturam admitti probationem procuratorii, uti servari in Parlamento Mechliniensi testatur Christinæus *Vol.* 2. *Decis.* 107. *num* 20. uti nec in ejusdem Civitatis Mechliniensis Consilio Duodecimvirali ex statuto ejusdem *tit.* 1. *art.* 25. cujus hæc sunt verba: » In causa civili licitum est per procurato» rem actiones instituere, & excipere, modò Procurator ple» nè doceat de mandato per sigillum authenticum, vel per chi» rographum Secretarii Principis. « Vide Christinæum ad hunc articulum; ubi latè agit de forma ad probandum procuratorium hodie necessaria: de qua etiam agit Damhouderus in *praxi rer. Civ. cap.* 90. ubi monet *num.* 4. quòd „Procuratoria sub Princi» pis sigillo alicujus data non egeant attestatione Senatorum, sed » sint per se sufficientia. « Addens: » Item quando constituen» tes sunt Prælati, Episcopi, aut præclari Nobiles, aut in ea » dignitate aut officio constituti, ut sua sigilla omnibus sint » cognita, rata, & approbata, eorum quoque procuratoria » data & sigillata habentur rata & valida sine ulla cognitione » Magistratuum. «

XXVII. Suprà observatum fuit, quòd hodierni Procuratores per litis contestationem non fiant *domini litis*, uti fiebant Jure Romano; sed habeantur pro ministris nudum ministerium sive servitium in prosecutione litium suis clientibus præstantibus: atque hinc ulteriùs moribus receptum est, quòd & post litem contestatam Procurator revocari queat. Et si altera Partium moriatur ante causæ conclusionem, tunc Procurator inchoatam causam finire non possit, sed implorato judicis officio citatio ad reassumendam in eo statu, in quo relicta est, contra hæredes decernatur: A Gronevvegen ad *L.* 22. *Cod. de Procurat.* Et ita servari in Curia Mechliniensi testatur Christinæus citata *Decis.* 107. *num.* 22.

Dicitur quidem in *Clement. fin. de Procurat.* » Procurato» rem à Prælato, Rectore, vel alio quolibet pro Ecclesia sua, » vel Beneficio constitutum per mortem constituentis revocari; » etiam quoad negotia, & causas, in quibus per ipsum lis fue» rit ante mortem hujusmodi contestata. « Sed id speciale est in Rectore Ecclesiæ, uti rectè notavit Zypæus in *Notit. Juris Belg. de Procuratoribus*, quia Rectoris Ecclesiæ tanquam meri usufructuarii jus omne per mortem perimitur; adeoque nihil superest, quod ejus mandatum porrigatur.

XXVIII. Jure Romano Procuratoris officium erat gratuitum nisi aliquod salarium esset promissum; at hodie tam in Ecclesiasticis, quàm Civilibus Curiis sua salaria Procuratores à Clientibus petere possunt, licèt de his nihil dictum fuerit.

Notius est, quam ut probari debeat, multiplices inutiles terminos, altercationes, dilationes, aliaque similia à Procuratoribus procurari, & fieri, ut salaria ipsorum continuò crescant: infinitasque Procuratorum tricas esse, ad protrahendum causas, suaque salaria augenda, (x) norunt, non tantùm, qui Curiis illis præsunt, sed & qui in illis lites sustinere coacti aliquado fuêre; possuntque colligi ex Ordinationibus Curiarum non tantùm Civilium, sed & Ecclesiasticarum, quibus multi Procuratorum abusus castigantur, multaque à Procuratoribus observanda, & cavenda præscribuntur: optandumque esset ut quemadmodum sanctissimè constituta sunt, ita quoque exactissimè observarentur: abscinderentur omnes illi prætextus, quibus Procuratores, etiam in Curiis Ecclesiasticis utuntur ad lites & terminos prolongandos & multiplicandos, ipsumque tribunal Ecclesiasticum odio & vilipendio communi exponunt.

Quàm periculosum ex hoc capite sit Procuratorum officium, & qui huic maximè sint expositi, intelligi potest ex dictis capite præcedenti *num.* 35. *& seq.*

XXIX. Procuratori similis est Defensor, sive actor causarum Universitatis, Collegii, Societatis, similiumque corporum, quæ à Principe, vel Senatu sunt confirmata. Neque enim omnibus passim permissum est habere corpus Collegii, sive Societatis, quod ad exemplum Reipublicæ habeat res communes, arcam communem, & Actorem, *L.* 1. §. 1. *ff. Quod cujuscumque Universitatis nomine, &c.*

XXX. Actor hic vocabulo græco vocatur *Syndicus* à lite sive causa, quam nomine Universitatis prosequitur, agendo, vel defendendo, *L.* 18. §. 3. *ff. de Muneribus.* Solet similis Procurator ad agendas causas constitutus in civitatibus majoribus (y) vocari *Pensionarius*, uti notat Christinæus ad citatum articulum 25. consuetudinum Mechliniensium, ubi & de Officio Pensionarii tractat.

XXXI. Observat autem Mornacius ad *L.* 1. §. 1. *ff. eod.* » Ex usu hodierno Syndicus creari consuevisse, ut sint non » tantùm actores Reipublicæ quoad lites, sed etiam ad cætera » quælibet Universitatis negotia, vel oppidi, aut Paræciæ, cui » dati sunt. «

XXXII. Habet & nostra Universitas Lovaniensis Syndicum qui inter alia jurat, quòd causas Universitatis, quas tanquam actrix, vel rea suo, vel alieno nomine habebit, diligenter prosequetur.

Præscribunt tamen Statuta Universitatis, » ut nullam cau» sam Universitatis nomine inchoet, nisi ad hoc habeat spe» ciale mandatum ab Universitate, vel saltem à Rectore & » Deputatis. Causam inchoatam non deserat absque consensu » Universitatis vel Rectoris, & Deputatorum; sed omni dili» gentia prosequatur usque ad finem. Item admoneat D. Rec» torem, ut conclusiones Universitatis exequatur. «

XXXIII. In Decretalibus Gregorii IX. extat specialis titulus *de Syndico*, sub quo unica tantùm refertur Decretalis sub hoc titulo: *Gregorius Papa Subdiacono Defensori Siciliæ.* Rectè autem post Contium monuit Antonius Augustinus in notis ad primam collectionem Decretalium, hanc Decretalem esse frag-

(u) *In Hispania Procuratores mandatum Procuratorium habere, & præsentare tenentur, leg.* 2. *tit.* 24. *lib.* 2. 39. *&* 55. *tit.* 1. *lib.* 3. *&* 3. *tit.* 1. *lib.* 4. *& Acta Acord.* 3. 30. *&* 32. *tit.* 19. *lib.* 2. *Recop. Quo præhabito in lite nomine Partis admittuntur, adeò ut neque libellum ipsius Partis absque eorum subscriptione in judiciis ullum effectum producere potest; quod ita à Supremo Senatu declaratum est* 26. *Novemb.* 1707. 10. *Maji* 1734. *&* 22. *Februarii* 1745.

(x) *In Hispania Scribæ tenentur jurare & servare vulgò* el Arancel, *L.* 32. *tit.* 16. *lib.* 2. *Remiss.* 2. *tit.* 15. *lib.* 4. *& Act. Acord.* 6. *cap.* 12. *tit.* 8. *lib.* 1. *Recop. ibi*: Y de guardar el Arancel; *& Notarii Ecclesiastici, aut Apostolici ad præscriptum agere. L.* 33. *tit.* 25. *lib.* 4. *Recop. & ut ajunt leg.* 27. *& final. ejusd. tit. & lib.* En la exaccion de derechos se arreglen à el Arancel Real.

(y) *In Hispania ab antiquo cognitum est nomen & exercitium Procuratoris Syndici; hodie verò in ejus locum subrogatum est aliud sub nomine* Personero, *qui & Delegati populi, vulgò* Diputados del Comun, *erecti, seu instituti sunt vigore Acti Accordat. de* 5. *Maii ann.* 1766. *pro quorum electione, nominatione, oneribus, præheminentiisque expedita est Regia Schedula* 15. *Novembr.* 1767. *& Regium Decretum de* 2. *Decembris ann.* 1767. *adjecta Regia instructione de* 26. *Junii an.* 1766.

fragmentum Epistolæ 67. lib. 1. Sancti Gregorii, cujus inscriptio est: *Petro Subdiacono Defensori Siciliæ.*

XXXIV. In hac epistola imprimis scribit S. Gregorius: » Sicuti studii nostri esse condecet à litigiis forensibus submovere, ut divinis ministeriis piè ac solerter invigilent: ita necesse est nostra Provisione, quemadmodum negotia eorum disponi debeant, ordinare, ne distenta mens per varias causarum curas defluat, & ad celebrandum opus consuetum enervata torpescat, «

XXXV. Post hæc significat dicto Petro Subdiacono; quòd » præsentium litterarum lator Joannes Abbas plurima se Monasterii sui asserat habere negotia. «

Deinde subjungit: » Pro qua re experientiam tuam per præsentis scripti paginam admonemus, quatenus cum Fausto, qui Romani viri magnifici ex Prætore Cancellarius fuerat, loqui debeat. Cujus si pronam ad hanc rem compereris voluntatem, ei Monasterii ipsius generaliter debeas constituto salario commendare negotia. «

XXXVI. Rationem hanc notandam adjungit: » Expedit enim parvo incommodo à strepitu causarum servos Dei quietos existere; ut & utilitates cellæ per negligentiam non pereant, & servorum Dei mentes ad opus Dominicum liberiores existant. «

XXXVII. Hinc notant Interpretes post Glossam, S. Gregorium voluisse, ut quidam Faustus constitueretur Syndicus Monasterii cum salario de bonis Monasterii ad omnia negotia Monasterii in judicio procuranda: eò quòd expediat, ut modicum damnum sustineant Monachi, ut ab hujusmodi litigiis conquiescant, & Divinis intersint.

XXXVIII. Quàm periculosum sit, Monachum secularibus negotiis, & præsertim forensibus implicari: & quæ in Œconomo sive Procuratore Monasterii sint observanda, notavi suprà *part.* 1. *tit.* 31. *cap.* 5.

XXXIX. Cæterum & illud certum, non tantùm Monachis, sed & Clericis parum convenire, eorumque vocationi parum esse conforme, negotiis illis temporalibus & forensibus litigiis implicari, atque per illa ab Ecclesiasticis ministeriis avocari.

Sic enim Episcopos prohibuere Concilia, ne ad Comitatum pergerent, electis ad id opus Diaconis: sic eosdem à rerum temporalium administratione submoverunt, quando curam illam Œconomis, & vice dominis demandârunt, uti monet eruditus auctor notarum in citatam epistolam S. Gregorii: cum quo quidni dicamus: » Utinam & cæteris Clericis simili quopiam remedio provideretur ope Syndicorum, & defensorum, (z) ut ab » omnibus terrenis negotiis liberi soli Deo vacarent, omnesque » Clerici & Monachi tam essent forensium actionum rudes, » quàm coguntur esse ignari. «

CAPUT IV.

De Graphiariis et Secretariis.

1 *Quid apud Romanos dicti Cancellarii.*
2 *In horum locum successerunt hodierni Graphiarii, & Secretarii.*
3 *Ante Concilium Lateranense sub Innocentio III. nulla reperitur Constitutio de adhibendo Graphiario in Judiciis Ecclesiasticis.*
4 *Concilium vult adhiberi personam publicam, quæ Acta judicialia conscribat.*
5 *Persona illa publica concidit cum hodierno Graphiario, qui &* Notarius *aliquando dictus fuit.*
6 *Ordinatio Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis de scribendis Actis per Graphiarium.*
7 *Graphiarius debet Acta registrare, & diligenter conservare.*
8 *Debet in speciali registro registrare omnes sententias.*
9 *Prædicta Graphiarius jurejurando promittit.*
10 *Graphiarius debet copiam Actorum dare Parti petenti, originalibus sibi retentis.*
11 *Actis judicialibus à Graphiario conscriptis, & registratis plena fides adhibetur, licèt nulli testes interveniant.*
12 *In hoc tamen attendendus stylus, & consuetudo Curiarum.*
13 *In quibus causis Secretariis Episcoporum, aut Collegiorum plena fides sit adhibenda.*
14 *Graphiarius debet utrique parti indifferenter servire.*
15 *Juramentum Graphiariorum in Curia Ecclesiastica de hac indifferentia.*
16 *Graphiariorum indifferentia hodie maximè necessaria; & quare.*
17 *Rectus judiciorum ordo multum hodie dependet à Graphariis.*
18 *Graphiariorum officium olim erat vile; secus hodie.*
19 *Querela Bonifacio VIII. de nimia exactione salarii Graphiariorum.*
20 *Hodie Graphiariorum salaria sunt taxata; & quomodo ex hac taxatione Graphiarii capiant occasionem causas protrahendi.*
21 *Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum contra excessus Graphiariorum.*

I. EXtat in Codice Justinianæo titulus *de Assessoribus Domesticis*, & CANCELLARIIS Judicum.

Notant autem communiter Doctores, *Cancellarios* Judicum fuisse, qui scribendis & expediendis Judicum epistolis actisque operam dabant. Hosque *Cancellarios* fuisse dictos, quod eorum cellulæ ob chartarum amittendarum periculum, *cancellis* essent munitæ.

II. Horum officio funguntur hodiè, tam in Curiis Ecclesiasticis, quàm Civilibus illi, quos *Graphiarios*, vel *Secretarios* vocamus; qui tanquam publicæ & juratæ personæ omnia acta judicialia scribunt, ac fideliter constituunt, sive registrant.

III. Admodum verisimile, hos Graphiarios, & Secretarios unà cum stylo forensi, & forma litigandi è Curiis Civilibus in Curias Ecclesiasticas sensim intrâsse; quamvis non reperiatur ulla Constitutio Canonica, quæ præcipiat Judicibus Ecclesiasticis personam publicam conscribendis actis habere ante Constitutionem Concilii Lateran. sub Innocentio III. relatam in *cap.* 11. ✠ *de Probat.*

IV. Conqueritur hîc Concilium, quòd quidam Judices aliquando in præjudicium alterius partis aliqua falsa asserant; & quoniam contra falsam assertionem iniqui Judicis (ait) innocens litigator quandoque non potest veram negativam probare; cùm negantis factum per rerum naturam nulla sit directa probatio: ne falsitas veritati præjudicet, aut iniquitas prævaleat æquitati, statuit Concilium, » ut tàm in ordinario judicio, quàm extraordinario judex semper adhibeat, aut publicam (si poteſt habere) personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter universa Judicii acta conscribant: videlicet citationes, » dilationes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, interrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumentorum productiones, interlocutiones, appellationes, renuntiationes, conclusiones, & cætera, quæ occurrerint competenti ordine conscribenda, loca designando, » & tempora & personas. «

V. Persona *publica*, de qua hîc agit Concilium Lateranense dicitur in *Cap.* 11. *De rescriptis*, in VI. *Notarius*, coinciditque cum eo, qui hodie solet dici *Graphiarius*, vel *Secretarius*. Unde & in antiquis Statutis hujus Universitatis, qui hodie vulgò vocatur *Secretarius*, dicitur *Notarius Universitatis.*

VI. Itaque conformiter ad decretum Concilii Lateranensis in omni judicio, sive ordinario, sive extraordinario hodie habetur persona publica, sive *Graphiarius*, vel *Secretarius*, qui juxta Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis *tit.* 5. *art.* 2. debet » scribere, & subsignare omnes » citationes, monitionesque, inhibitiones, arrestationes, commissiones, executorias, decreta, sententias, & reliqua omnia, quæ tam ad officii, quàm partium instantiam, aut aliàs » sub nomine Officialis, expedientur; idque omninò sub data » illius diei, quo decreta fuerint. « (a)

VII. Cùm verò parum esset ad finem assequendum, quem in citato Decreto intendit Concilium Lateranense, Acta conscribere, nisi etiam diligenter custodirentur, (b) ut ex iis semper veritas haberi queat, ideò addunt dictæ Ordinationes eodem articulo: » Conscribetque & *registrabit* omnia Acta judicialia, » eaque ac Partium munimenta exhibita judicialiter, (ne alio- » quin

(z) *In Hispania neque Religiosi, neque Clerici pro aliquo, etiam propinquo munus Procuratoris exercere valent, quia prohibitum est per Acta Acordata* 1. & 2. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop. Regiam Schedulam* 2. *Novembris* 1764. & *Provisionem de* 4. *Augusti ann.* 1767. & *Religiosis etiam Notariatus L. fin. tit.* 25. *lib.* 4. *Recop.*

(a) *In Hispania tria Notariorum genera agnoscuntur, & stabilita sunt; nimirùm Primarii vulgò* Majores, *Numerarii, & Ordinarii, vulgò* de diligencias, *L. fin.* §§. 2. 3. 4. & 5. *tit.* 25. *lib.* 4. *Recop.*

(b) *In Hispania cautum est in leg.* 32. *tit.* 3. *lib.* 1. Que los Notarios Eclesiásticos no den Escrituras signadas, salvo de la forma que la dan los Escribanos... dexando otro tanto como dan signado por registro, firmado de cada una de las partes, &c. *in L.* 13. *tit.* 25. *lib.* 4. Sin que primeramente se asienten en el dicho libro y protocolo; *in leg.* 16. *ejusdem tit. & libr.* guardar bien los libros de los Registros, y Protocolos, y los Procesos, *in leg.* 12. *ejusdem tit. & libr.* I... que tengan en buen recaudo los dichos registros *in L.* 10. *tit.* 1. *lib.* 8. y guardarlos, & *postremò in L.* 27. *tit.* 6. *lib.* 3. *Recop.* Y los procesos sean guardados.

» quin ad damna, & interesse Partium teneatur) *diligenter* » *conscribat*. «

VIII. Et *art.* 7. » Graphiarius in speciali registro omnes » sententias, tam diffinitivas, quàm interlocutorias propria ma- » nu registrare tenebitur; aut si per aliud faciat, unicuique sen- » tentiæ, sic registratæ subscribet. «

IX. Illud quoque punctum in formula juramenti à Graphiariis præstandi exprimitur his verbis: » Acta processuum & cau- » sarum diligenter & veraciter registro meo inscribam, & post- » quam inscripsero, nihil addam, vel delebo sine decreto Offi- » cialis; exhibita sine ejusdem decreto non restituam, non ex- » hibita inseri non permittam. « (c)

Similis registratio sententiarum, & Actorum judicialium injungitur Graphiariis Curiæ Brabantiæ in ejusdem Curiæ Ordinationibus *art.* 126.

X. Addit Concilium Lateranense in allegato Decreto: » Et » omnia sic conscripta Partibus tribuantur, ita quod *originalia* » penes Scriptores remaneant: ut si super processu judicis fue- » rit suborta contentio, per hoc possit veritas declarari. «

Hoc & praxis observat, ut nimirum copia Actorum Partibus tradantur auctoritate judicis; originalibus, vel publicis registris, in quæ Acta sunt relata, manentibus in Graphiaria.

XI. Porrò Actis à Graphiario conscriptis, sive signatis plena fides adhibetur, tametsi nulli præterea testes adhibeantur; uti post Glossam ad citatum *Cap.* 11. ℵ *de Probationibus* communiter tradunt interpretes, & praxis confirmat teste Simone Van Leewen in *Cens. Forensi*, *parte* 2. *lib.* 1. *cap.* 8. *num.* 5. qui monet tamen *num.* 6. id restrigendum esse ad *mera judicialia*, & quæ propriè sunt de Actis, & ad judicii expeditionem pertinent; (d) secus in extrajudicialibus, aliisque quæ his extrinsecus inseruntur. Hanc distinctionem expressit quoque Glossa loco citato dicens: » Et licèt circa *judicia* cre- » datur scripturæ tabellionis, tamen circa contractus non credi- » tur ei, nisi habeat testium subscriptionem. « (e)

XII. In his nihilominùs consuetudo & stylus Curiarum singularium attendi debent, qui nonnunquam præter Graphiarii, aut Secretarii fidem, etiam signaturam judicis, aut sigillum publicum requirunt, ut Litteris, sive Actis plena fides habeatur.

XIII. Habent & Episcopi suos passim Secretarios, qui sunt deputati ad conficienda instrumenta de Actibus ipsius tantùm Episcopi: puta, de collationibus, vel institutionibus, vel quæ cooperante Episcopo fiunt, ut de resignatione Beneficii in manus Episcopi facta, vel præsentatione Patroni, vel quavis insinuatione ei factâ; vel de acceptatione collationis, in præsentia ejusdem Episcopi facta, & similibus ad ipsius Episcopi officium spectantibus. Hi licèt in his negotiis censeantur *Notarii*, & personæ *publicæ*, nequaquam tamen vulgò & simpliciter *Notarii* dicuntur, neque extra dicta negotia possunt instrumenta in qualitate Notariorum conficere; sed habentur pro privatis personis, quemadmodum Actuarii, sive Graphiarii extra rem forensem. Neque similes Prælatorum Secretarios solere intelligi in Regis Edictis, vel Curiarum Ordinationibus nomine *Notariorum*, communiter tradunt Pragmatici, & communis praxis evincit; uti nec Scribas, aut Secretarios Collegiorum Ecclesiasticorum, ad negotia duntaxat horum Collegiorum expedienda deputatos, sed tantùm Notarios *communes* ad quæcunque negotia extrajudicialia, vel Ecclesiastica, vel Civilia auctoritate *publica* deputatos; de quibus agetur titulo sequenti, ubi de probatione per instrumenta tractabitur: eò quòd fides instrumentorum præcipuè à fide Notariorum dependeat.

XIV. Quandoquidem Graphiarius, seu Secretarius sit persona publica judici in scribendis Actibus deserviens, debet, ut ipse judex, esse in causa indifferens, atque utrique Parti fideliter servire; neque uni magis, quàm alteri favere.

XV. Unde juxta Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechlin. jurejurando promittit Graphiarius: » Liti- » gantibus, vel litigare volentibus directè vel indirectè consi- » lium non dabo: dicta, & depositiones testium fideliter ex- » cipiam. Et *tit.* 5. *art.* 9. Graphiario præcipitur, quòd me- » mor juramenti sui, secretus erit, neutri partium se *addictum* » aut *partialem* exhibebit, sed eundem omnibus; neutri etiam » consilium directè, vel indirectè dabit. «

XVI. Hæc Graphiariorum indifferentia hodie maximè necessaria est; eò quòd moribus nostris in plerisque judiciis, præsertim subalternis & Ecclesiasticis, Graphiarii Adsessorum & Consiliariorum vicem ferè sustineant; frequenterque judices ab ipsis instructionem accipere debeant: uti rectè notavit Simon Van Leewen loco citato.

XVII. Hinc facilè intelligitur, & quotidiana experientia nimiùm evincit, bonum judiciorum ordinem, quin & rectam justitiæ administrationem plurimùm dependere à peritia, & integritate Graphiariorum, & Secretariorum: ut propterea meritò soliciti sint, quibus ipsorum electio vel deputatio competit, peritos & integros ad hujusmodi officia assumere.

XVIII. Illud quoque notandum, quòd licèt olim Scribarum, sive Graphiariorum (quos *Tabelliones* vocant veteres) reputaretur vile officium & servile, hodie tamen officium ipsorum sit honorificum; & in honore habeantur; quia eorum fidei publicæ tabulæ, periculaque Magistratuum committuntur; uti notat Simon à Groenewegen ad titulum Codicis *De Tabulariis*, *Scribis*, &c.

XIX. Notarios, sive Graphiarios Acta scribentes, in exigendo salario metas rationis jam pridem excessisse conqueritur Bonifacius VIII. *in cap.* 11. §. *Notarium de Rescriptis*, *in VI.* mandans, ut judex prout ad ipsius officium expectat, prudenter refrænet.

XX. In plerisque Curiis, tam Ecclesiasticis, quàm Civilibus salaria Graphiariorum, & Secretariorum taxata sunt. (f)

Verùm cùm hæc taxatio ita plerumque concepta sit, ut in singulos terminos, necnon paginas, & lineas copiarum Actorum salarium sit constitutum, natum est fieri, ut lucri causâ lites in longum protrahant, copiasque Actorum extendant, & multiplicent cum maximo Partium incommodo: idque vel precipuè timendum in Curiis tam Ecclesiasticis, quàm Civilibus, in quibus pauciores causæ ocurrunt, & quibus præficiuntur sæpiùs Graphiarii, & Secretarii tenuis conditionis, & fortunæ, qui ex proventibus suorum officiorum se & familiam intertinere coguntur.

XXI. Interim hisce injustitiis occurrere volentes sæpiùs citatæ Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis *tit.* 5. *art.* 4. statuunt: » Graphiarius ab omnibus » superfluis abstineat, ideoque nec dies festos ad substantiam » rei non necessarios apponat, nec dignitatem judicum Com- » missariorum, vel litigatorum, vel Procuratorum sæpiùs repe- » tat. In depositionibus testium, aut extracto quocunque pro- » cessibus inserendo, abstineat à superfluis præambulis, longis- » que & inutilibus præfationibus, & aliis omnibus, quæ ad » principale negotium non pertinent; nec tenorem totum ejus- » dem instrumenti citationis, vel cujuscunque scripturæ un- » quam reiteret, sed si tenore semel inserto, ejus alibi men- » tio facienda sit, fiat remissivè, secùs inserta non veniant in » taxam. «

Et rursùs *art.* 8. » Nullum salarium consequitur Graphia- » rius pro Actis malè & illegibiliter, vel ordine præpostero » conscriptis, sed omnes illæ expeditiones, quin etiam & su- » perfluæ omnes extensiones intra Acta illegitima reputabuntur. «

Hæc in ipso quoque juramento à Graphiario præstando exprimuntur his paucis verbis: » Causâ lucri, vel ultra consue- » tum modum Acta non extendam.

CAPUT V.

De Advocato Fisci, et Procuratore officii, sive Promotore, necnon Apparitoribus.

1 *Apud Romanos frequens mentio Advocatorum Fisci; & quod eorum officium.*
2 *Hi hodie vocantur Advocati Fiscales.*
3 *His junctus est Procurator Fisci, vulgò* Procurator Regius.
4 *Etiam Curiæ Ecclesiasticæ cœperunt habere suos Advocatos Fiscales, & Procuratores officii, qui* Promotores *dicuntur.*
5 *Unde derivatum nomen Promotoris.*
6 *Formula institutionis Promotoris Curiæ Ecclesiasticæ.*
7 *Quod sit officium Advocati Fiscalis Universitatis Lovaniensis.*
8 *Promotori incumbit promovere causas ad publica Ecclesiæ jura spectantes.*
9 *Hodie officium Promotorum præcipuè consistit in detegendis, &*

(c) *Leges* 16. 17. & 38. *cap.* 3. *tit.* 25. *lib.* 4. *Recopil.*
(d) *Leges* 1. & 2. *tit.* 25. *lib.* 4. 27. & 51. *tit.* 6. *lib.* 8.
(e) *In Hispania solùm in Testamento*, *vulgò* cerrado, *testes subscribunt*, *nam in leg.* 2. *tit.* 4. *lib.* 5. *Recop. stabilitum est*: Sean ocho firmas, y mas el signo del Escribano: *In contractibus verò*, *scripturisque ad eos easve concernentibus*, *subscriptio testium necessaria non est*, *sed tantùm sufficit ea*, *quæ à Partibus contrahentibus*, & *Tabellione apponitur*, *ut ait*, *L.* 13. *tit.* 25. *lib.* 4. *Recop.* Los dichos Escribanos las lean presentes las Partes, y los Testigos; y si las Partes las otorgaren, las firmarán de sus nombres.

(f) *In Hispania omnes suorum salariorum*, *vel sportularum taxam*, *seu vulgò* Arancél *habent*, *ut dicitur in LL.* 27. & 28. & *Act. Acordat.* 14. 15. 16. & 17. *tit.* 8. *L.* 11. *tit.* 12. *Act. Acord.* 26. *tit.* 14. *L.* 18. & *Act. Acord.* 3. 4. 5. 6. 7. 8. & 9. *tit.* 18. *Act. Acord.* 51. *penè usque in fin. tit.* 19. *L.* 40. & *Act. Acord. tit.* 20. *LL.* 5. 6. & 8. & *unic. Act. Acord. tit.* 21. *lib.* 2. *Recop. tit.* 12. & *toti Tituli* 26. & 27. *lib.* 4. *cum leg.* 27. & *fin. tit.* 25. *lib.* 4. *L.* 33. *ejusdem*, & *postremò L.* 17. *tit.* 5. *lib.* 3. *ejusdem Recopil.*

et prosequendis excessibus ad jurisdictionem Ecclesiasticam spectantibus.

10 *Seculo XIV. plures querebantur innocenter à Promotoribus vexari.*

11 *Qualiter his querelis occurrendum censuerit Concilium Noviomense Provinciæ Remensis.*

12 *Procuratorum excessus seculo IV. describit Nicolaus de Clemangis.*

13 *Excessus hi nondum hodie aboliti.*

14 *Promotoribus injungitur ut nonnisi habitâ informatione, magnaque discretione quemquam conveniant.*

15 *Quâ cautione procedendum contra personas Ecclesiasticas, & boni nominis.*

16 *Vi juramenti Promotor Curiarum Ecclesiasticarum nullum potest aggredi super excessibus, nisi quem verè reum de excessu credit.*

17 *Promotor super causis agendis debet conferre cum Advocato Fiscali.*

18 *Advocatus Fiscalis intendere debet, an causæ à Promotore institutæ sint justæ.*

19 *Promotor Universitatis causam suscipere nequit, nisi de excessu, aut saltem de fama plenè informatus.*

20 *Monitum Sancti Caroli ad Promotorem, ejusque substitutum.*

21 *Promotores nonnunquam proclives ad dissimulandos defectus & excessus; & quare.*

22 *Decretum Curiarum Ecclesiasticarum contra hunc Promotorum defectum.*

23 *Promotores cum delinquentibus conniventes arbitrariè puniendi.*

24 *Promotores Curiarum Ecclesiasticarum jurant, quòd excessus fideliter prosequentur.*

25 *Promotor Universitatis propria auctoritate non potest componere super excessu.*

26 *In Gallia Promotores debent esse in sacris constituti.*

27 *In Belgio etiam conjugati, & interdum tenuis fortunæ ad hoc officium assumuntur; & quæ hinc incommoda.*

28 *Curia Ecclesiastica suos etiam habet Apparitores, sive Nuntios.*

29 *Juramentum Apparitorum.*

30 *Quæ fides Apparitoribus adhibenda.*

31 *Quâ pœnâ plectendi, qui Apparitoribus in executione sui officii resistunt.*

32 *Plura de Apparitoribus, & Nuntiis remissivè.*

I. FRequens in Legibus Romanis occurrit mentio Advocati Fisci, extatque in Codice Justinianæo specialis titulus *de Advocatis Fisci.*

Dicebatur autem Advocatus Fisci, qui causas publicas & Principis agebat; ac ideò in ordine Advocatorum excellebat: ex quo ordine ad eum honorem promoveri solebant longis experimentis ante alios spectati, aut ait *L.* 8. *Cod. de Advocatis diversorum Judic.*

II. Similes Advocati in hodiernis quoque Curiis Regiis dicuntur Avocati *Fiscales*, tanquam qui ex officio patrocinari debeat Fisco, sive publico Ærario: vel etiam vocantur *Advocati Regii*; quia Regni, sive causis Regis serviunt: extantque passim in Ordinationibus Curiarum varii articuli de Officio Advocati Fiscalis. (g)

III. Sicuti in causis privatis intervenit non tantùm Advocatus, sed & Procurator; ita Advocato Fisci, etiam in causis publicis, jungitur Procurator, qui causas Fiscales, & Regias in qualitate Procuratoris prosequatur. Et sicuti Advocatus Fiscalis primus est in ordine Advocatorum, ita hic primum locum obtinet in ordine Procuratorum.

IV. Postquam Curiæ Ecclesiasticæ more & stylo Curiarum civilium gubernari cœperunt, ipsaque jurisdictio ad normam jurisdictionis Civilis exerceri, etiam cœperunt creari Advocati Fiscales, (h) & Procuratores Officii, quos hodie *Promotores* vocamus, qui causas *publicas*, & ad *communem* Ecclesiæ utilitatem spectantes susciperent, & defenderent; atque earum decisionem coram Judice Ecclesiastico urgerent.

V. Nomen *Promotoris* derivatur à verbo *promovere*, eò quòd officii ejus sit invigilare abusibus & insolentiis, delictisque, quæ in Diœcesi committuntur; atque de iis Episcopum, & Judicem informare, quin & opportunum remedium, etiam judicialiter contra delinquentes agendo, expetere; uti notat Claudius Horry in Tractatu Gallico *de Procuratore Curiæ Ecclesiasticæ*, qui habetur ad calcem libri ejusdem Auctoris, cui titulus: *Le parfait Notaire Apostolique.*

VI. Refert & ibidem formulam, quâ Archiepiscopus Parisiensis Curiæ suæ Ecclesiasticæ Promotorem constituit; è qua facilè intelligitur, quas causas promovere debeat: » Dantes tibi (ait) facultatem omnes, & singulas causas ad Forum » nostrum, & jurisdictionem nostram Ecclesiasticam, & spiritualem spectantes agendi, promovendi, interessendi, & » concludendi sententias, & jus super iis à Domino Officiali » dictæ nostræ Curiæ Ecclesiasticæ, & spiritualis Fori, ipsasque debitæ executioni demandari instandi, Ecclesiasticos & » alios nobis subditos delinquentes, seu in crimine deprehensos, & in culpa, ac alios, quos convenerit, citari, evocari, corrigi, puniri, mulctari, sententiari, condemnari, » absolvi, prout æquitas, & Juris ordo postulaverit curandi; » & generaliter omnia alia, & singula faciendi, & gerendi, & » exercendi, quæ ad hujusmodi Promotoris munus, & officium de jure, usu, vel consuetudine spectant, & pertinent, » & quæ circa præmissa necessaria & opportuna fuerint. «

Similia passim Procuratoribus, & Advocatis Fiscalibus injunguntur.

VII. Et quidem in Statutis hujus Universitatis Lovaniensis declaratur, Advocati Fiscalis officium esse, » omnes causas Universitatis contra quoscunque prosequi, in quibus » agitur de læsione alicujus privilegii tam intra, quàm extra » Lovanium. Hac de causa vult, ut Advocatus Fiscalis » apud se habeat, & incorporet omnia Privilegia, Exemptiones, Libertates, Concordata, & Pacta Universitatis cum » Principibus, & Communitatibus, Episcopis, atque Prælatis. «

Eadem ex causa dicit, » quòd officio ejus incumbat venire » ad omnes Congregationes, ac Deputationes, & quoties » Rectori libuerit, ubi scilicet aliquid de supradictis negotiis » tractabitur. «

Illud denique Advocato Fiscali (i) injungitur, » ut assistat » Promotori in libellando processus Fiscales, contra excedentes, & Statuta, Edictave violantes. «

VIII. Similiter declarat S. Carolus in *Instructione Promotoris Fisci*, quòd illorum officium etiam sit, » cum solicitudine » promovere causas omnes etiam Civiles, quæ ex officio tractantur, quamvis etiam assistat Pars, præsertim pro executione piorum relictorum, & honorum Ecclesiasticorum, pio» rumve locorum usurpatorum recuperatione. Itidem causis » quomodolibet spectantibus ad mensam Archiepiscopalem, jurave spiritualia, vel temporalia Archiepiscopatûs. Itidem de » causis, ubi de Ecclesiastica jurisdictione, vel libertate tuenda agitur. « *Act. Eccles. Mediol. part.* 4.

IX. Hodie officium Promotorum, seu Procuratorum causarum Fiscalium in Curiis Ecclesiasticis præcipuè consistit in detegendis, & prosequendis excessibus ad jurisdictionem Ecclesiasticam pertinentibus.

In Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis *tit. de Promotoribus, seu Procuratoribus causarum Fiscalium*, *art.* 1. dicitur: » Omnia, & singula delicta ad » jurisdictionem Ecclesiasticam spectantia investigabunt, & ut » puniantur, prosequentur. "

X. Hoc jam pridem fuisse Promotorum officium certum est, atque evidenter supponit Concilium Noviomense celebratum anno 1344. à Joanne Remensi Archiepiscopo, & Suffraganeis ejus, *Can. XVI.* unà declarans, » quòd quamplurimorum de Dominis temporalibus, & Judicibus secularibus gravem querimoniam receperit, continentem quòd nonnulli » dictarum Curiarum Ecclesiasticarum Promotores, ac etiam » Procuratores, ad excessus citantes eorum homines subditos, » & Burgenses, varia, & diversa crimina, & excessus coloribus fictis exquisitos eisdem imponentes, non solùm corporibus propriis, & in gravi eorundem scandalo, damnificant » & fatigant; sed etiam gravissimis sumptibus, & expensis: nobis supplicantes, ut vellemus super his providere de remedio opportuno. «

XI. His ergo querelis occurrere volens Concilium subjungit: » Nos verò attendentes, juri non fore consonum, quòd » inde nascantur injuriæ, unde debent jura provenire: statuimus decernentes, quòd de cætero nullus Promotorum, aut » Procuratorum ad excessus aliquem ex officio citari faciat, » vel procedat contra eum super aliquo crimine, vel excessu, » & præsertim tali ratione, cujus fama ipsius citati posset imposterum denigrari, sive scandalum contra eum suboriri, nisi verisimiliter videatur eisdem, quòd justam causam habeant » contra tales procedendi: (k) super quo tamen eorum consu» tientias oneramus. Et de hoc cùm ad dictum officium assu» men-

(g) *De Fiscalibus Regiis, & eorum munere, & officio in Hispania agit L.* 1. *& tot. tit.* 13. *lib.* 2. *Recop. de Fiscalibus verò Regii Senatûs, L.* 49. *tit.* 4. *ejusd. Recop.*

(h) *De Advocatis Fiscalibus in Tribunalibus Ecclesiasticis Hispaniæ mentionem facit L.* 30. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recopilation.* Que los Obispos y Perlados..... pongan por Fiscales personas de Orden Sacra.

(i) *Consona sunt huic doctrinæ leg.* 2. *&* 11. *tit.* 13. *lib.* 2. *Recop.*

(k) *Leges* 3. 4. *&* 5. *tit.* 13. *lib.* 2. *&* 3. *&* 11. *tit.* 1. *lib.* 8. *Recop.* Porque no se pueda negar, ni venir en duda.

» mentur, per juramentum astringentur; nec tunc etiam ul-» tra primam citationem procedatur per eosdem, Officiali dic-» ti loci inconsulto. «

XII. Acriori stylo hunc Promotorum excessum; ne dicam nequitiam, & tyrannidem descripsit circa idem seculum Nicolaus de Clemangiis *de Corrupto Ecclesiæ Statu*, *cap.* 15. *num.* 1. » Dici non potest (inquit) quanta mala faciant illi » scelerati exploratores criminum, quos *Promotores* appellant. » Simplices, & pauperculos agrestes vitam satis innocuam in » suis tuguriis agentes, & fraudis urbanæ nescios, in jus sæpè » pro nihilo vocant. Causas, & crimina contra eos sedulò con-» fingunt, vexant, terrent, minitantur: sicque eos per talia » secum componere, & pacisci cogunt. Quod si facere re-» nuant, crebris eos citationibus quotidie impetunt, supra mo-» dum infestant. Quod si semel qualibet occasione præpediti » comparere desierint, censurâ illicò anathematis ut rebelles, » & contumaces feriuntur. Si verò ad diem venire, quoties » vocati erunt, perseveraverint, eorum audientias apud ju-» dicum tribunalia impedient, morasque & subterfugia dila-» tionum, & interlocutionum captabunt, quæ perfacilè à foris » Ecclesiasticis obtinentur, quo vel sic longo tædio, longaque » sui temporis jacturâ fatigati, superfuturam vexationem, at-» que impensam pecuniæ pactione redimere coguntur, &c. «

XIII. Optandum sanè esset, ut hi excessus, & injustæ vexationes cum seculis istis desiissent; nec ad nostra tempora perseverâssent.

Nimium ipsa quotidiana experientia evincit, quàm hoc hominum genus lucri cupiditate stimulatum, innocentissimos non rarò, idque nonnunquam super fictis excessibus vexet, & scelera, gravissimosque excessus dissimulet, dum faciliùs ab illis, quàm ab his mulctas, aut sub prætextu compositionis aliquam pecuniæ summam consequi sperat.

XIV. His abusibus ut occurratur, in Statutis Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis decernitur, imprimis, ut non nisi habitâ informatione, magnaque discretione aliquos super excessibus aggrediantur.

» Caveant, ne quem innocentem per calumniam in jus vo-» cent, aut importunè, vel indiscretè aliquos exagitent, de-» fectusque propalent, ac accusatos seu inquisitos, præsertim » Ecclesiasticos, ante sententiam diffament, sed cum omni mo-» destia, integritate, & humanitate officium suum exerceant, « inquiunt citatæ Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechlin. *tit.* 7. *art.* 3.

XV. Additurque *art.* 4. » Quamobrem etiam, antequam » causam aliquam contra Ecclesiasticos, aut honesti nominis per-» sonas in Judicio contradictorio tractandam exhibeant, eam » priùs Officiali denuntient, ut dispiciat, an eas ad se per lit-» teras clausas evocare velit, an viâ Regiâ permittere cau-» sam agi. «

XVI. Adhæc jure jurando promittit Procurator harum Curiarum: » Neminem citari procurabo ab officio super excessi-» bus, nisi credidero illos veros delinquentes, & me causam » justam habere. «

XVII. Utque maturiùs hac in parte procedatur, injungunt *tit.* 4. *art.* 2. Advocato Fiscali, quòd » singulis hebdomadibus, » diebus, & horis designandis, deliberabit cum Promotore de » omnibus causis institutis, vel instituendis; signanter de iis, in » quibus proximâ die juridicâ, vel concludendum verbaliter, aut » articuli, aliæve scripturæ erunt exhibendæ, informationes Pro-» motoris visitabit, eidem consilium in omnibus dabit, & quando » materiæ difficultas, scandalum, personæ dignitas, vel nego-» tii qualitas id exiget, omnia nobis, vel Officiali referet, prius-» quam Promotori diem parti dicere permittet: quod nunquam » etiam aliàs faciet, nisi Promotor instructionem suam saltem » summariè in scriptis ipsi Advocato id petenti tradiderit. «

XVIII. Insuper *art.* 3. mandatur Advocato Fiscali: » Uni-» cè etiam curabit, ne per Promotorem aliquæ causæ officii, vel » in scriptis, aut etiam summariè instituantur, nisi prævia in-» formatione; serioque advigilabit, ne temerè aliquis vexetur, » vel calumniosè in jus vocetur. «

XIX. Et juxta Statuta hujus Universitatis similiter jurat Promotor: » Quòd nullam causam contra aliquem incipiam nisi de » excessu, vel delicto, aut saltem de fama fuero planè informa-» tus. « (l)

XX. Itaque rectè monuit S. Carolus Promotorem Fisci, ejusdem socios, & substitutos, ut » meminerint, se esse Procura-» tores veritatis, & non debere sub ejus clypeo innocentes op-» primere, vel aliàs esse in causa, ut quis calumniis fatigetur. « In Actis Ecclesiæ Mediolanensis *part.* 4. *tit. de Officio Promotoris Fisci, & Substitutorum*, *pag.* 566. edit. anni 1683.

XXI. Sicuti non rarò Promotores spe lucri incitati nimis faciles sunt, ut personas etiam Ecclesiasticas vitæ & conversationis innocentis, suisque officiis diligenter & strenuè incumbentes, super quibusdam fictis, aut levibus excessibus divexent; ita è contrario proclives sunt ad disimulanda crimina enormia, publica & scandalosa, abususque gravissimos, perniciosissimos, dum ex illa dissimulatione, vel super iis cum accusatis, vel denunciatis compositione, lucrum sperant; vel saltem ex ipsa accusatione, & actione difficultates à sceleratis criminum illorum actoribus, aut abusuum fautoribus timens, & nullum, aut exiguum lucrum sperant: adeò ut ad agendum, aut inquirendum contra excessus, & delinquentes ipsos non nisi lucri cupiditas incitare videatur. (m)

XXII. Hunc Promotorum defectum emendare volentes Episcopi Provinciæ Mechliniensis ordinârunt citato *tit.* 7. *art.* 2. quòd Promotores » cum nemine dissimulabunt, aut component; » sed simul atque de delictis sufficienter fuerint informati (in » quo omnem diligentiam adhibebunt, sic tamen quòd in cau-» sis violationum Festorum, similibusque aliis levibus excesi-» bus, informationem in scriptis non capient) actionem adver-» sus eosdem, ex Advocati Fiscalis prævio consilio, & in gra-» vioribus causis, etiam priùs obtento judicis decreto, & non » aliter, instituent, & ad finem usque legitimè prosequentur, » nec eam, nisi ex ejusdem Advocati judicio & prævio Judicis » decreto derelinquent. «

XXIII. Additur *art.* 3. » Si autem Promotores delinquen-» tes aliquos sciant cum quibus conniveant, & ad Nos, vel Of-» ficialem non deferant, tanquam consentientes, vel saltem ne-» gligentes arbitrariè puniantur. «

XXIV. Jurejurando in assumptione ad officium Promotoris promittit: » Excesus non supprimam, neque celabo, sed » cum omni possibili diligentia prosequar, nec desistam, etiam-» num citatum innocentem putavero, nisi id Advocato Fiscali » vel Officiali indicavero, ut desuper decernat, quod ratio pos-» tulavit.... Nullis muneribus, præce, odio, favore inducar, (n) » quominus Promotoris munus, juxta prædicta statuta fideliter » exequar. «

XXV. Similiter Promotor Universitatis jurat: » Neque su-» per aliquo excessu, vel delicto componam sine expresso con-» sensu D. Rectoris, vel Universitatis. «

XXVI. Et quia Promotoris est præcipuè animadvertere in crimina & excessus Ecclesiasticorum, conveniens apparet, ut & ipsi Promotores sint Ecclesiastici, uti declarat Concilium Turonense anno 1583. idque praxi Regni Galiæ consonat, quæ in Promotores non admittit nisi Sacerdotes, aut saltem Sacris Ordinibus initiatos (o) uti refert Carolus Fevretius *lib.* 4. *de Abusu*, *cap.* 3. *num.* 29. & post ipsum Claudius Fleury *part.* 3. *Istitut. Juris Canon. cap.* 4.

XXVII. In Belgio etiam personis conjugatis officium Promotoris committitur; & quidem nunquam personis tenuis satis fortunæ: quæ dum familiam suam ex emolumentis officii intertinere coguntur, toti sunt ad lucrum intenti; atque hinc frequens innocentium oppressio, pauperum, & miserorum excoriatio, causarum protractio, salariorum extensio, & denique enormium, & scandalosorum peccatorum frequens impunitas, quàm facilè similes lucrorum aucupes tolerant, modò manus eorum impleantur.

Hi sunt, qui tribunal Ecclesiasticum adeò odiosum, & vile vulgò redunt, ut penè populo sit persuasum non ad correctionem, sed ad pecunias habendas in crimina inquiri, & in criminosos actionem institui: eò quòd videant, crimina tametsi publica, & scandalosa manere passim impunita, dum nullum ex eorum punitione lucrum speratur.

XXVIII. Præter Promotorem, aliosque Officiatos, habet quoque hodie Curia Ecclesiastica, ad exemplum Curiarum secularium, suos Apparitores sive Nuntios, qui ea, quæ in judiciis peragenda sunt, partibus annuntiant, litigatores in jus vocant, & mandata, atque sententias judicum exequuntur, (p) *L.* 33. *Cod. de Episcop. & Cler. L.* 1. *Cod. de Execut. & exact.*

XXIX. Nuntius in Curiis Ecclesiasticis Provinciæ Mechliniensis jurat in hæc verba: » Fidelis ero in officio meo nihil aliud » referendo, vel rescribendo, quàm per me actum erit: & omnia » quæ officio executoris incumbunt, fideliter faciam, & exercebo. » Nullas pactiones, aut conventiones cum Partibus vel Procu-» ratoribus, aliisque per me, vel per alium faciam pro causis » protelandis, & differendis; sed mandata Curiæ fideliter & » di-

(l) *Lex* 3. *tit.* 13. *lib.* 2. *& leg.* 1. *&* 6. *tit.* 1. *lib.* 8. *Recop.*

(m) *Lex* 11. *tit.* 13. No pidan, ni lleven derecho, ni salario alguno de las Partes del actor, ni del acusado, ni por desistencia que haya de facer: *&* *L.* 56. *tit.* 5. *lib.* 2. *Recop.* Ni Procuradores Fiscales.....no puedan tomar, ni recibir por sí mismos, ni por interpositas personas presente, ni dadiva alguna.

(n) *Hoc etiam in Hispania accidit, & probatur ab argumento textus in leg.* 2. *&* 11. *tit.* 13. *lib.* 2. *l.* 7. *tit.* 1. *lib.* 8. *& leg.* 3. *tit.* 9. *lib.* 3. *Recopil.*

(o) Pongan por Fiscales personas de Orden Sacro, *ait lex Hispana* 30. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop.*

(p) *Lex* 8. *tit.* 23. *lib.* 4. *L.* 13. *tit.* 8. *lib.* 2. *&* *L.* 39. *tit.* 18. *lib.* 6. *Recop.*

diligenter exequar, & executionem factam juxta statuta dorso » litterarum inscribam. Quoscunque excessus per Diœcesim N. » audivero, Vicario generali, Officiali, Sigillifero seu Promo» tori indicabo. « (q)

XXX. Ob præstitum juramentum, iis plena fides adhibetur in iis, quæ ratione officii ex mandato judicis exequuntur, & factâ executione referunt; puta, asserenti apparitori se aliquem citâsse, eumque personaliter invenisse, eaque expedivisse, quæ ipsi à judice mandata & commissa erant, plena adhibetur fides, nullo alio teste, aut testimonio accedente, uti notant Doctores post Glossam in *Cap.* CUM PARATI ✠ *de Appellat.* & notoria praxis in Belgio tam in Curiis Civilibus, quàm Ecclesiasticis confirmat. Vide Peckium in Tractatu de *Jure sistendi*, *cap.* 26. ubi etiam notat, quâ pœnâ sit puniendus Apparitor, qui falsam relationem fecisse probatur. Referenti autem extra officium non creditur, uti post alios citatos notat Christinæus ad Bugnonium *lib.* 2. *cap.* 80. sed de hoc infra latiùs, ubi de forma citationis & relationis agetur.

XXXI. Ulteriùs, quia Apparitores in executione eorum, quæ sui sunt officii, judicis personam repræsentant, non levi pœnâ puniendi sunt, & hodie puniri solent, qui Apparitoribus executionem de mandato judicis & ex officio facientibus, re aut facto resistunt, eisque injuriam inferunt. Vide Bugnonium *de legibus abrogatis*, *lib.* 1. *cap.* 182. ibique notat Christinæi.

XXXII. Plura circa Apparitorum, & Nuntiorum officium, & quæ ab iis observanda sint, videri possunt in ordinationibus Curiarum, sive Civilium, sive Ecclesiasticarum; (r) atque ex iis etiam apparebit, in utrisque penè per omnia esse idem Apparitorum & nuntiorum officium: è quibus tum titulo sequenti, tum sub titulo de Sententiis, & earum executione plura notanda occurrent.

TITULUS VII.

De Instructione Causarum Civilium.

CAPUT I.

QUANDO, ET QUOMODO HODIERNA FORMA LITIGANDI FORUM ECCLESIASTICUM INTRAVERIT.

1 *Judicia Ecclesiastica primitùs sine strepitu forensi peracta.*
2 *Quare Principes optaverint, ut litigantes potiùs ad Episcopos, quàm ad Judices publicos suas quæstiones deferrent.*
3 *Scopus exemptionis Clericorum, & Monachorum à foro seculari fuit; ut litibus forensibus eximerentur.*
4 *Canones vetantes Clericis ad judicia secularia recursum, præcipuè intenderunt, ne essent litigiosi.*
5 *Refertur summariè, quid olim inter judicia Civilia, & Ecclesiastica interesset.*
6 *Circa seculum XI. strepitus forensis in judicia Ecclesiastica sensim intravit.*
7 *Prælectio Juris Civilis, quæ circa hoc tempus cœpit in Italia, huic mutationi causam præbuit.*
8 *Decretum Ivonis ostendit, Clericos studium Juris Civilis junxisse studio Canonum.*
9 *De aviditate Clericorum ad studium Legum multorum quærela.*
10 *Penè soli Clerici studio Legum incumbebant.*
11 *Clerici Legibus imbuti eas in suum forum deduxerunt.*
12 *Pontifices cœperunt quoque in suis responsis uti auctoritate Legum Civilium; & ad harum normam causas decidi voluerunt.*
13 *Ex decreto Concilii Lateranensis IV. evincitur, quòd seculo XIII. stylus forensis forum Ecclesiasticum intrâsset.*
14 *Judices seculares causarum directionem, & decissionem plerumque Clericis commitebant.*
15 *Hinc forma litigandi in Decretalibus præscripta, tribunalia secularia intravit.*
16 *Ecclesia semper desiderat causas in foro Ecclesiastico, præcipuè inter Clericos sine strepitu forensi decidi.*
17 *Stante moderna disciplina, Judices tenentur suarum Curiarum Ordinationes servare.*
18 *Quomodo pristinam disciplinam præ oculis habere debeant,*
19 *Scopus hujus tituli.*

I. PRimitùs Judicia Ecclesiastica fuisse adinstar arbitriorum sine strepitu forensi, fusè ostendimus suprà *tit.* 1. *cap.* 1. ipsosque Episcopos in decidendis causis etiam laicorum, non tanquam *publicos* Judices, sed potiùs ut arbitros seu veriùs amicabiles arbitratores intervenisse: in hoc unum intentos, ut quæstiones inter Fideles exortas sine strepitu forensi, & recursu ad publicos, & ordinarios judices componerent; atque hoc modo filios suos discordantes in concordiam, veramque amicitiam, & pacem adducerent.

II. Unde & ibidem notavimus, Imperatores optâsse, ut litigantes potiùs ad Episcopos, quàm ad publicos judices suas controversias deferrent; hoc præcipuè motivo inducti, quòd optarent, subditorum suorum quæstiones, & discordias amicabili potiùs arbitramento Episcoporum componi, quàm ipsos jurgiis forensibus, & litium ambagibus, & tricis implicari: eamque fuisse rationem, cur judiciis, sive decisionibus Episcoporum tantam præbuerint auctoritatem, & firmitatem, ibidem ostendimus.

III. Ostendimus insuper eodem titulo *cap.* 3. quòd tam Principum, quàm Episcoporum, qui voluerunt, ut Clericorum, & Monachorum causæ, non ad publicos judices, sed Episcopos deferri deberent, præcipuus scopus fuerit, ipsos Clericos, & Monachos à litibus, & jurgiis forensibus eximere; utque ipsorum quæstiones sine strepitu judiciali per Episcopos, ut *amicabiles arbitratores*, citra formam judicialem deciderentur; quòd & sanctissimos Episcopos in defensione ac tuitione exemptionis Clericorum intendisse notavimus.

IV. Denique observavimus, quòd ubi Canones vetârunt Clericis ad judicia secularia recurrere, unicè intenderint eis inculcare, ne contra Apostoli præceptum essent *litigiosi*; sed lites, quantum in ipsis esset, fugerent, & quæstiones suas Judicio Episcoporum decidendas submitterent.

V. Summa igitur erat inter Judicia Ecclesiastica, & secularia differentia. In illis enim sine formulis judiciorum, & Legum Civilium neglecto rigore, & solis Scripturis sacris, & Canonum præscripto *summariè* ex æquitate adinstar *arbitramentorum* quæstiones decidebantur; in his verò juxta formulas juris, & servato Legum rigore procedebatur; ideoque & hæc vocabantur *publica judicia*, & qui eis præsidebant Judices *publici*.

VI. Hæc judiciorum Ecclesiasticorum simplex & plana forma circiter per X. secula inconcussa permansit; atque toto illo tempore ipso forensis strepitus à judiciis illis exulavit: ac demum à quinque circiter seculis in tribunalia Ecclesiastica sensim formalitates & tricæ forenses irrepere cœperunt; atque labentibus seculis ita multiplicari, ut nec in his tribunalia Ecclesiastica tribunalibus Civilibus cedere debuerint; imò facilè hæc superaverint.

VII. Unde hæc Judiciorum Ecclesiasticorum immutatio, atque pristinæ disciplinæ collapsio originem habeat, non difficulter intelligetur, si advertatur, quòd circa seculum XI. in Italia, vicinisque Provinciis cœperit florere studium juris civilis, publicique prælegi Jus Justinianæum. Nec tantùm Laici, sed & Clerici jure illo delectari, & Studio SS. Canonum illud jugere cœperint.

VIII. Hinc videmus, quòd Ivo Carnotensis seculo XI. in suam Canonum collectionem sive *Decretum*, non tantùm Canones, vel dicta Patrum, sed & multa ex libris Juris Civilis tum Pandectis, tum Codice, Novellis, ac Institutionibus Justinianæis retulerit, quod alii Canonum Collectores ante Ivonem fecisse saltem in Occidente, non reperimus: eò quòd studium Juris Civilis antea minus notum esset.

IX. Huic Legum studio quantâ aviditate Ecclesiastici, etiam neglecto quodammodo Scripturarum, & SS. Canonum studio, se implicarent, ostendunt plurimorum, tum piorum virorum, nec non Conciliorum illius temporis querelæ, de nimia Clericorum in hoc studium propensione; uti suprà *part.* 1. *tit.* 2. *cap.* 6. videri potest.

X. Imò & hoc notandum, quòd penè soli Clerici, sive Ecclesiastici eo tempore studio juris se darent; ut inter Nobiles, & Seculares vix reperirentur, qui aliquam, vel mediocrem juris scientiam haberent: adeò quidem, ut *Clerici* dicerentur omnes generatim Viri *litterati & docti*, uti notat Du Cange in Glossario mediæ & infimæ latinitatis, Verbo *Clerici*.

Por-

(q) *Leg.* 2. 3. 9. & 21. *tit.* 23. *lib.* 4. *Recopil.*
(r) *Quoad Hispania Regna in toto ferè tit.* 23. & *Act. Acord. lib.* 4. *Recop.*

XI. Porrò Clerici studio Legum imbuti, sola scientiâ non contenti, eam & in praxim deducere voluerunt; quapropter Legibus ipsis, earumque formulis in judiciis uti cœperunt, atque ex earum præscripto causas decidere. Et quidem tanta velocitate Judicia Ecclesiastica Leges Civiles Justinianeæ occupârunt, ut sub initium seculi XII. ad Eugenium Papam scribat S. Bernardus *lib. 1. de Considerat. cap. 4.* in ejus Curia perstrepere Leges Justiniani, ipsasque in lites, & cavillationes degenerâsse. » Et quidem quotidie (ait) perstrepunt in palatio » Leges, sed *Justiniani*, non Domini. Justene etiam istud? Tu » videris. Nam certè *lex Domini immaculta convertens animas.* » Hæ autem non tam Leges, quàm lites sunt, & cavillationes » subvertentes judicium. «

XII. Cùm ergo & studium Legum inter ipsos Clericos invaluisset, & causæ ad earum præscriptum decidi passim consuevissent, ipsi quoque Pontifices ac nominatim Alexander III. & Innocentius III. eorumque successores in suis Responsis Legum auctoritate uti, & modum causas instituendi, & decidendi ad normam Legum Civilium præscribere cæperunt; quemadmodum patet ex Decretalibus relatis Libro secundo Decretalium Gregorii IX. qui Liber uti & pars Libri primi penè nihil continent, nisi modum, & formam causas instruendi, & decidendi; quæque tum à Litigantibus, tum à Judicibus in causarum instructione, & decisione observari debeant.

XIII. Quomodo stylus forensis jam tum sub initium seculi XIII. tribunalia Ecclesiastica occupâsset, probat decretum Concilii Lateranensis sub Innocentio III. *in cap. 11. ✠ de Probationibus*, ubi statuit, » ut tam in ordinario judicio, quàm » extraordinario, judex semper adhibeat, aut publicam (si po- » test habere) personam, aut duos viros idoneos, qui fideliter » universa judicii acta conscribant: videlicèt citationes, dilatio- » nes, recusationes, exceptiones, petitiones, responsiones, in- » terrogationes, confessiones, testium depositiones, instrumen- » torùm productiones, interlocutiones, appellationes, renun- » tiationes, conclusiones, & cætera, quæ occurrerint compe- » tenti ordine conscribenda; loca designando, & tempora, & » personas. «

XIV. Denique cùm circa hæc tempora judices publici passim essent viri Nobiles, & militares, exiguâ, aut nullâ juris scientiâ instructi, qui nec per se judicabant; solebant & hi in causis instruendis, & decidendis assumere Clericos Legum scientiâ instructos; ipsisque plerumque plenam judiciorum directionem committere.

XV. Hi verò formulas, quas ad præscriptum Legum in suis Decretalibus præscripserant Pontifices, in hæc tribunalia introduxerunt; uti notat Claudius Fleury *part. 3. Instit. Juris Can. cap. 4.* qui ibidem rectè monet, omnem hodiernam litigandi formam in Curiis secularibus usitatam provenire à Canonistis; ideoque, si quis eam exactè cognoscere velit, ejus originem ex Decretalibus haurire debeat. Verba ejus sunt; *En sorte que toute la procedure moderne des Cours seculieres vient des Canonistes: & qui voudra l' estudier curieusement, doit en chercher les origines dans les Decretales.* Id est: » Adeò ut omnes moder- » ni processus Curiarum Secularium à Canonistis sint inducti; » earumque originem in Decretalibus quærat, qui eas sedulò in- » vestigare decreverit. «

XVI. Sicuti Ecclesia nunquam probavit, ut Clerici in sortem Domini vocati, abdicato Scripturarum, & SS. Canonum studio, se totos studio Legum immergerent, uti citato *cap. 6.* ostendimus; ita nunquam votum Ecclesiæ fuit, ut forensi illo strepitu causæ in foro Ecclesiastico agerentur; sed è contrario Ecclesia eodem semper spiritu animata, lites & contentiones aversans, nonnunquam desideravit, & etiamnum desiderat, ut questiones & controversiæ filiorum suorum, ac præsertim illorum, qui in sortem Domini vocati, & à tumultibus mundi vi suæ vocationis sunt separati, amicabiliter & summariè sine omnibus illis forensibus tricis & solemnitatibus terminarentur, atque deciderentur; quòd & Conciliorum, atque Episcoporum Decreta etiam horum posteriorum temporum evincunt, uti in progressu hujus materiæ notabitur.

XVII. Interim dum ea non est temporum conditio, ut judicia Ecclesiastica ad pristinam illam, ac simplicem normam reducantur; atque Ecclesia eam quæ à nonnullis seculis invaluit, tolerat judiciorum formam; indubiè Judices in causis decidendis, & instruendis, suarum Curiarum ordinationes, ac Statuta, non quidem ad corticem litteræ, sed ad mentem Ecclesiæ & constituentium, attendere, & observare tenentur.

XVIII. Debent insuper, ad pristinam Patrum normam, quæ unicè pacem & charitatem inter Fideles fovendam & conservandam intendebat, quantum præsentis temporis disciplina patitur, collimare, quod frequenter assequi possent, litesque multas sopire, aut saltem multùm abbreviare, & litigantes concertationibus & molestiis forensibus eximere, si exactè observarent, quæ etiam posteriores Canones, & Curiarum Ordinationes præscribunt, quemadmodum in decursu hujus tituli notavimus.

XIX. Cùm ergo hodie, & judices & litigantes, sive laici, sive Clerici jubeantur se receptæ disciplinæ, & formæ judiciali conformare, utile judicavi hodiernam formam Judiciorum Ecclesiasticorum, quæ in plerisque cum forma judiciorum Secularium coincidit, breviter, & quoad præcipua saltem puncta exponere: & hoc quidem titulo ea, quæ praxim Civilem, & sequenti titulo, quæ praxim Criminalem spectant, proponendo.

CAPUT II.

De Citatione, ejusque forma.

1 *Exordium, & fundamentum processuum est citatio Partis.*
2 *Citatio Partis est juris naturalis, nec ulla humana auctoritate tolli potest.*
3 *Ejus necessitatem agnoverunt Romani adhuc gentiles.*
4 *Aliquando licuit privata auctoritate adversarium in jus adducere; sed id per Justinianum mutatum.*
5 *In supremis Curiis citatio fieri debet de speciali venia Curiæ; in inferioribus verò sufficit generalis data Apparitoribus.*
6 *Interdum tamen & in his specialis jussus Judicis requiritur.*
7 *In Curiis Ecclesiasticis jam pridem solebat requiri* specialis *jussus Judicis.*
8 *Idque convenienter, ut prævià ad citationem lis componi posset.*
9 *Meritò Judex præsertim Ecclesiasticus, ante decretam citationem concordiam tentat.*
10 *Consuetudo hujus Universitatis de non decernenda citatione contra majora Supposita nisi mentione prævia.*
11 *Citatio Juridica duplex, privata, & publica, & utriusque descriptio.*
12 *Citatio fieri debet ad personam, si reperiri queat, aut ad ejus domicilium, & ita jubent Ordinationes Curiæ Rectoris.*
13 *Hinc clausula in litteris citatorialibus*, Ad personam, aut ad domicilium, *ordinem citationis designans.*
14 *Moribus hodiernis citatio fieri potest ad personam Procuratoris, aut ejus domicilium.*
15 *Procedit id in citationibus post litis contestationem.*
16 *Usus citationem ad domicilium sustinet, tametsi apparitor personam curiosè foris non quæsierit.*
17 *Imò sufficit, si dicatur non esse domi.*
18 *Forma citationis ad domicilium.*
19 *Facta citatione ad domicilium, præsumitur pervenisse ad notitiam citati.*
20 *Quod sit dicendum proprium domicilium in ordine ad citationem; & quid, si quis habeat plura.*
21 *Quo modo citanda Corpora, & illustres personæ, remissivè.*
22 *Quo modo per apparitorem relinquenda copia citationis, ut citatus ejus notitiam habere possit.*
23 *Citationes vagabundorum per publicas proclamationes, vel affixiones fieri solent.*
24 *Quomodo citandi, qui ad alienas Provincias migrârunt.*
25 *Quid si Procuratorem vel bonorum suorum administratorum in Provincia habeat.*
26 *Ordinationes Curiæ Rectoris non permittunt fieri citationem per edictum, nisi persona citanda latitet, aut nesciatur ubi sit.*
27 *Quâ forma citatio per edictum juxta has Ordinationes fieri debeat.*
28 *Litteræ excommunicatoriales quà cautione ex præscripto horum Ordinationum dandæ.*
29 *Litteris citatorialibus causa citationis ordinariè inserenda.*
30 *Id præscribunt Ordinationes Curiæ Rectoralis.*
31 *Subindè integer libellus Actoris citato communicatur in ipsa citatione.*
32 *Apparitor tenetur dare relationem citationis ei, ad cujus instantiam hæc facta est.*
33 *Citato dandus conveniens terminus ad camparandum; & quare.*

I. OMnis processuum institutio ferè ab ipsa citatione exordium sumit, ait Damhouderus in Praxi Rerum Civilium *cap. 54. num. 1.* notatque *num. 2.* quòd citatio sit fundamentum, & principium Ordinis judiciarii.

II. Eam esse jure naturali & humano ad judicii ordinem necessariam, monet *num. 4.* adeò, ut ipsius omissio judicium omne reddat nullum; nam parte non vocata, & inaudita nihil legitimè statui potest. » Quocirca (pergit Damhouderus) ne per » Principem quidem quantumvis potentem citatio omitti potest, » adeò ut ex certa scientia, & de plenitudine potestatis nec » possit, nec debeat procedere ad ullam sententiam sine cita- » tione partis, ut est textus in *Clem.* PASTORALIS, §. CÆTERUM, *de*

» *de Sententia*, & *re judic.* ubi summus Pontifex idem expres-» sè declarat, quòd Princeps non potest ex certa scientia cita-» tionis defectum supplere, imò ne quidem contra suum subdi-» tum, quia hoc esset in judicio tollere defensionem sui, quæ ta-» men est de jure naturali, ut in judicio alteram aurem accusa-» toribus, alteram defensoribus delinquamus. «

III. Sanè neminem inauditum condemnari posse videbant & ipsi Romani, adhuc sub densissimis gentilitatis tenebris constituti; uti colligitur ex sententia Festi relata *Actor.* 25. *Quia non est Romanis consuetudo damnare aliquem hominem, priusquam is, qui accusatur, præsentes habeat testes, locumque defendendi accipiat ad abluenda crimina.*

IV. Olim Actori potestas erat adversarium suum propriâ, ac privatâ auctoritate in jus vocare; quia nisi confestim iret, aut vadimonium promitteret, id est, satisdaret judicio sisti, invitus obtorto collo in jus duci, & trahi poterat (s) *L.* 5. *ff. Qui satisdare coguntur.* Verùm cùm parum humanum & tutum videretur, rem tantam privatis committere, iis hæc potestas paulatim adempta fuit, & modestior quædam citandi sive in jus vocandi ratio introducta est; videlicet ut futura lis denuntietur auctoritate judicis per publicum ministrum, seu Apparitorem aut per edictum, seu litteras publicas affixas. (t) *Novella* 53.

V. Hodie in Belgio in supremis Curiis veniâ, seu litteris citatorialibus (u) opus est; sed in inferioribus tribunalibus Apparitores, sive Nuntii nullo speciali judicis mandato interveniente, ad solam Partis petitionem, citationem exequuntur; (x) uti post alios citatos observat Christinæus in notis ad Bugnionium *de Legibus abrogatis*, *lib.* 1. *cap.* 112. idque quasi ex tacito, & generali Magistratus mandato. Eandem distinctionem in Gallia servari testatur Rebuffus in Tractatu *de Citationibus*, *gloss.* 4. *num.* 8.

VI. Rectè autem monet Zypæus in *Notitia Juris Belg. tit. de In jus vocando*, jussum illum generalem judicis ita accipiendum esse ut nihil insolitum habeat: » ideoque (ait) non ex-» tenditur ad citationem, quæ facienda est per edictum, per » tubam, per campanam, minus per apprehensionem, quæ rea-» lis est citatio; nisi forte in fragranti crimine (y) reus depre-» hensus sit. « Idipsum notat Rebuffus loco citato.

VII. Quod in supremis Curiis hodie servari tradit Christinæus, id & in Curiis Ecclesiasticis penè ubique servatur; ut scilicet nemo etiam per Apparitorem citari queat ad personam, nisi de speciali mandato judicis; idque & in Gallicanis Curiis Ecclesiasticis servatum fuisse usque ad annum 1667. quo prodiit Edictum Regium super forma procedendi in causis civilibus coram judice Ecclesiastico, monet Claudius Fleury in Instit. Juris Canon. *part.* 3. *cap.* 4. & explicat Claudius Horry in Tractatu, cui titulus: *Procureur des Officialités* &c. ubi summariè proponit modum instituendi processum seu civilem, seu Criminalem in Curiis Ecclesiasticis conformiter ad Edicta Regia de annis 1667. & 1670. quorum prius spectat processus in materia Civili, & posterius processus in materia Criminali.

VIII. Cæterùm quòd in Curiis Ecclesiasticis citatio non fiat, nisi de speciali mandato, & licentia judicis, forsan vel ideò servatum, & ordinatum fuit, ut judex antequam Partem citari permittat, aliquemve vel initialem actum judicialem exerceri, priùs examinare, & inquirere posset, an quæstio sine lite terminari amicabiliter non queat; partesque ad concordiam adduci, quod ante omnem citationem juridicam faciliùs obtineretur; quàm ubi per citationem lis aliquo modo inchoata fuerit; & Pars juridicè citata nonnihil exacerbata.

IX. Unde meritò judices, præsertim Ecclesiastici priusquam citationem decernant, expendunt, num causa talis sit, quæ litem mereatur; & an partes ad amicabilem concordiam ante omnem citationem juridicam adducere nequeant.

X. Hinc consuetudine in hac Universitate Lovaniensi invaluit, ut nullus, qui de Consilio Universitatis existat, possit coram D. Rectore citari, etiam de ejus speciali mandato, nisi ei priùs libellus supplex Actoris à Rectore prælectus fuerit, petitumque num contendere, num petitioni Actoris condescendere velit.

XI. Citatio verbalis, quæ hodie usitatissima est, solita fieri per Apparitorem ad mandatum judicis, talia dicitur *privata*; non quòd auctoritate privata fiat, sed quia fit ad *privatam* personam Rei, aut ejus domicilium; quemadmodum observat Merula in *Praxi Civili Curiæ Hollandiæ*, *lib.* 4. *tit.* 24. *cap.* 3.

Alia verò vocatur *publica*, quia *publicè* fit per Edicta Ecclesiis, aliisque locis publicis affixa, vel per proclamationem Apparitoris, per sonum tubæ, aliove simili signo, Merula ibidem *num.* 3.

XII. Ordinariè citatio fieri debet ad *personam*, si inveniri possit.

Hinc in Ordinationibus Curiarum D. Rectoris & Conservatoris Privilegiorum hujus Universitatis confirmatis per Principes nostros Albertum & Isabellam *art.* 1. mandatur, » Ut ci-» tatio semper ad personam fiat, si commode reperiri potest, » puta, intra oppidum, vel pagum existens, & ad eum tutus » sit accessus: nec fiat ad domicilium, nisi personâ priùs quæsi-» tâ (de quo mentio fiat in relatione) idemque in litterarum » aliarum executione observetur. «

XIII. Hunc ordinem in Ordinationibus Curiæ Hollandiæ etiam præscribi notat Merula in *Praxi*, *lib.* 4. *tit.* 24. *cap.* 15. monetque clausulam in litteris citorialibus inseri solitam: *Ad personam citandi aut ejus domicilium*, non intelligi, quasi sit in arbitrio Apparitoris, num velit citationem facere ad *personam* citandi, an verò ad *ejus domicilium*; sed designari ordinem citationis ab Apparitore servandum; ut nimirùm primò inquirat in personam; & si inveniri nequeat, tunc fiat ad ejus domicilium. Idipsum & in Gallia observatur ex Ordinatione Ludovici XII. quam latè exponit Rebuffus in Tractato *de Citationibus*; notatque conformiter ad ea, quæ habet Merula, ordinem citationis servandum esse, ut nimirùm primò persona inquiratur, antequam fiat citatio ad domicilium: monetque id & in Hispania, (z) & Italia servari.

XIV. Ibidem Rebuffus *num.* 4. & 5. ait, quòd de consuetudine citatio fieri queat ad personam *Procuratoris*, aut ad ejus domicilium; quod & hîc in Belgio obtinet: teneturque Pars si litiget extra locum domicilii, Procuratorem in loco judicii constituere, cui insinuatio fieri possit; aut domicilium eligere.

XV. Et Damhouderus in *Praxi Rer. Civil. cap.* 59. *n.* 11. dicit, ante litis contestationem necessum esse partem ipsam citare ad ipsam personam sive ad ipsius domicilium; sed post litis contestationem sufficere citationem fieri ad personam Procuratoris.

XVI. Notat autem Zypæus in *Notitia Juris Belgici*, *tit. De in jus vocando*, quòd citationem ad domum usus sustineat, quamvis Nuntius Reum sive citandum *curiosè foris* non quærat.

XVII. Et quidem moribus ferè receptum, ut Apparitor citaturus ad domicilium citandi accedat, & si dicatur à domesticis citandum non esse domi, quòd citra ulteriorem inquisitionem citet ipsum in persona domestici; & ita servari asserit Rebuffus citata *Gloss.* 3. *num.* 10. Et *num.* 13. dixerat, quòd hodie sufficit ut Apparitor citandum domi perquirat, licèt non alibi, quamvis de jure major inquisitio fieri deberet, ut communiter tradunt Interpretes ad *L.* 4. §. PRÆTOR *ff. de Damno infecto.*

XVIII. Dum ergo citatio fit ad domum, insinuatio fieri debet domesticis: quòd si nullus sit domi, tunc citatio declarabitur vicinis, sic ut citatio talis ad ipsius citati notitiam pervenire possit, inquit Damhouderus in *Praxi Rerum Civilium*, *cap.* 59.

Hæc forma executionis in plerisque Curiarum Ordinationibus præscribitur; atque in terminis exprimitur in citatis Ordinationibus Curiæ Rectoralis hujus Universitatis *art.* 2. & 3. his verbis: » Non repertâ verò persona, adhibitâque diligen-» tia, fiat citatio, seu monitio & denuntiatio, primò uxori, » tum aliis domesticis, vel eorum alicui, prout quisque per-» sonæ conjunctissimus est, & ibidem reperitur.

» Alioquin nullo domi, vel in vicinia reperto, relinqua-» tur copia ad ostium domus, vel insinuetur vicinis. «

XIX. Porrò facta citatione ad domicilium, præsumitur quòd cinen cargo de emplazar.

(s) *In Hispania in foro seculari etiam datur aliud remedium procedendi in causa usque ad sententiam diffinitivam*, *vel remedium missionis in possessionem ex* 1. & 2. *Decreto*, *quod Hispano sermone* via de Asentamiento, *leg.* 1. 2. & 3. *tit.* 11. *lib.* 4. *Recop.*

(t) *In Tribunalibus secularibus Hispaniæ variæ citationis species agnoscuntur*, *de quarum prima fit per* EDICTUM, *L.* 3. *tit.* 10. *lib.* 4. Y haciéndole fixar una carta de emplazamiento en lugar público. *Secunda per* LITTERAS, *seu Epistolam L.* 3. *tit.* 3. *lib.* 4. Lo den por escrito los que oviere de emplazar firmado de su nombre, ó de Escribano. *Tertiam per vocem* PRÆCONIS, *L.* 7. *tit.* 6. *lib.* 2. Y pregonado: *Quarta per Apparitorem aut Nuntium*, TABELLIONEMQUE, *dicta L.* 3. Escribanos, Porteros y Emplazadores, y otras personas que tie-

(u) *Leges* 1. & 14. *tit.* 3. *lib.* 4. *L.* 18. *cap.* 1. *tit.* 19. *lib.* 2. & *penè totus titulus* 14. *lib.* 4. *Recop.*

(x) *Praxi Hispanæ contraria est Belgica*, *nam sine judicis speciali mandato Scribæ citare non possunt*, *L.* 3. *tit.* 3. *lib.* 4. *Recopilat.* Sin que primeramente le sea expresamente mandado por nuestras Justicias: *cui adde leg.* 6. & 14. *tit.* 21. & *leg.* 7. & *Act. Acord. tit.* 23. *lib.* 4. *Recopil.*

(y) *Act. Accord.* 5. *tit.* 8. *lib.* 2. 7. *tit.* 23. *lib.* 4. *Recop.* Sino en los casos de hallarla cometiendo algun delito.

(z) *Leges* 19. & 21. *tit.* 21. *lib.* 4. *Recop.* En persona del executado si pudiere ser habido *Quod etiam præscribunt L.* 8. *tit.* 14. *lib.* 2. & *L.* 8. *tit.* 6. *lib.* 4 *ejusd. Recop.*

citatio pervenerit ad notitiam citati; quia isti habitantes præsumuntur ei dedisse citationis exemplum, & certiorem eum fecisse; uti tradit Rebuffus ibidem *num.* 2. additque *num.* 4. quòd nec audientur volentes posteà probare, non venisse in notitiam illorum: quod & moribus nostris conforme esse testatur Tuldenus in notis ad citatum *cap.* 59. Damhouderi.

XX. Quæ habenda sit propria domus, & ubi citatio facienda sit, si citandus plura domicilia habeat, latè examinat Rebuffus; item Damhouderus locis suprà citatis. Et quid de consuetudine obtineat, breviter annotat Merula in Praxi *lib.* 4. *tit.* 24. *cap.* 15.

XXI. Ibidem quoque tradit Damhouderus, quomodo Communitates, puta Capitula, Monasteria, Civitates &c. citari debeant; & latiùs Merula in Praxi *lib.* 4. *tit.* 24. *cap.* 12. ubi & quæ servanda sint in citatione Illustrium Personarum breviter exponit.

XXII. Ut autem citandus habeat exactiorem notitiam citationis, possitque probare, ad quam diem, & quo die citatus fuerit, debet Apparitor non tantùm litteras citationis coram citando, aut ejus domesticis legere, sed & copiam earum tradere, & relinquere suâ manu signatam; uti notat Merula loco citato *cap.* 14. & expressè in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 386. injungitur Apparitoribus copias relinquere citationis, & provisionis quam exequuntur, citato, vel ejus servitoribus, aut familiæ, vel easdem affigere ostio domûs citati, cum insertione primæ diei juridicæ, quam designaverit Apparitor, etsi copia petita non esset. *Ende sullen onse voornoemde Deurvaerders ghehouden zyn copie te laten van de mandementen, ende provisien die sy ter executien ghestelt sullen hebben, den ghedaeghde, syne dienaren ende familie, oft de selve te affigeren aen di deuren van den huyse van den ghedaeghden, met insertie van den eersten daghe van Rechte, die hy hem beteecken sal hebbent, al waert oock soo dat die copye niet versockt enware, op arbitrale correctie.* Id est: »Et »apparitores nostri præfati ex officio tenebuntur mandatorum, »aut provisionum, quas executioni mandaverint, exemplar cita»to, aut ejus famulo, & familiæ tradere, aut idem ostio citati »affigere, inserendo primam diem instituendæ actionis, quam »ipsi designaverint, etiam quantumvis dictum exemplar non »posceretur. Idque sub pœna arbitraria.«

Hæc planè conformia sunt praxi, & Ordinationi Regni Galliæ, (a) & latè exponit Rebuffus in Tractatu *de Citatione*, *artic.* 5. item Ordinationibus Parlamenti Mechliniensis *tit. de Apparitoribus*, *art.* 3.

XXIII. Vagabundi, & qui nusquam habent certum domicilium, vel proprium, vel conductum, vel gratis concessum, citantur per publicas proclamationes, vel Edicta publica, aut cum auctorizatione, ait Damhouderus citato *cap.* 59. *num.* 7. & post ipsum Zypæus loco suprà allegato.

XXIV. Addit deinde Damhouderus: »Sic etiam citantur, »qui patriam planè deseruerunt, & in alienas regiones sese mo»raturos transtulerunt, sed eam citationem per auctorizatio»nem convenit fieri in loco, ubi ultimè habitârunt, aut frequen»târunt; debetque illis dies comparitionis insinuari in fini»bus patriæ, & in loco quantum fieri poterit ipsis maximè »vicino.«

XXV. Hoc tamen notandum, quòd si citandus in patria habeat Procuratorem, factorem, sive bonorum suorum administratorem, ei debeat fieri insinuatio citationis, idque cum eo temporis intervallo, ut principalis de citatione possit commodè informari. Item si per edictum fiat citatio, debet tamen citato (si sciatur ubi moretur) mitti per litteras copia citationis; uti conformiter ad Ordinationes Curiæ Holandicæ tradit Merula loco citato *cap.* 16. & præscribitur in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 388. & 389. Vide etiam Edictum Caroli V. de 11. Jan. 1535. item Ordinationes Parlamenti Mechliniensis *tit. de Apparitoribus*, *art.* 4.

XXVI. His & conformes sunt Ordinationes Curiarum D. Rectoris, & D. Conservatoris hujus Universitatis; ubi *art.* 6. ordinatur: »Non fiat citatio per edictum, nisi priùs constite»rit de non tuto, vel facili accessu ad personam, vel ad do»mum, seu domesticos, nec decernatur vel admittatur facta »per edictum citatio, nisi persona citanda latitet, aut nescia»tur ubi sit.«

XXVII. Deinde *art.* 7. »Cùm fiet per edictum citatio fiat »ad Ecclesiam Parochialem loci habitationis Citandi, si»ve ubi in eo oppido, vel pago edicta fieri, vel affigi solent, »vel in casu non tuti accessus, ad Ecclesiam sive locum pro»pinquiorem, ut ad notitiam Citati facillimè queat pervenire »citatio, insinuatione eidem per epistolam factâ, sive Pasto»ri, ut denuntiet excommunicationem, si litteræ fuerint ex»communicatoriales.«

XXVIII. Rectè autem monent circa litteras excommunicatoriales *art.* 8. ut »tamen non dentur, nisi citatione priùs »factâ in personam, vel aliàs ex evidenti contumacia, & quo »casu non suppetunt alia remedia juxta Concilii Tridentini »Decretum.« (b)

XXIX. Ut reus sive citatus meliùs deliberare queat, num cedere, num litigare velit, debet ipsa petitio, sive libellus Actoris, ad cujus instantiam citatio fit, ipsis litteris citatorialibus saltem summariè inseri; tum etiam, ut ex ipsa citatione intelligere, & deliberare queat, utrum ex justa causa, & coram legitimo Judice &c. citatus sit. Quod specialiter Edictis Principum nostrorum cautum esse in citatione laicorum ad tribunal Ecclesiasticum notavimus *tit.* 1. *cap.* 2. & generaliter in omni citatione requirit Constitutio Ludovici XII. Regis Galliæ; quam explanat Rebuffus in citato tractatu *de Citatione*, *art.* 3. & in Belgicis Tribunalibus observari tradit Damhouderus in *Praxi rerum civil. cap.* 55.

XXX. Hinc & in citatis Ordinationibus Curiæ Rectoralis & Conservatorialis, *art.* 9. dicitur: »Mittatur libellus cum exe»cutore citaturo, ut tantò melius possit deliberare, an conten»dere velit: & si contendendum putet, instruere possit suum »Procuratorem: aut saltem litteræ monitoriales, tam clarè & »planè monitionem Actoris, causamque debiti contineant: ut »Reus deliberare, seseque instruere possit.«

XXXI. Interdum non tantùm causa citationis, aut summaria Actoris petitio Reo exhibetur; sed subinde cùm lites communicatoriè, ut vocant Pragmatici, instruuntur, »libello Ju»dici oblato, Judex in margine ejusdem libelii decernit, ut de»super adversarius ad certum diem respondeat, isque libellus cum »decreto per Nuntium adversario porrigitur: eodemque ulte»riùs modo ea lis peragitur,« ait Zypæus in *Notitia Juris Belgici*, *tit. de Edendo.*

XXXII. Factâ citatione, debet Nuntius, sive Apparitor dare relationem ei, ad cujus instantiam citationem fecit: eique totam citationis seriem inserere, exprimendo diem, (c) quin subinde & horam factæ citationis, & in quem diem citaverit; an ad personam, an ad domimicilium; quibus è domesticis, aut vicinis eam insinuaverit; quid responsi retulerit, & generatim quæ in ipsa citatione contigerunt; quemadmodum latiùs exponit Merula in *Praxi Curiæ Hollandiæ*, *lib.* 4. *tit.* 25. *cap.* 1. & Rebuffus in Tractatu *de Citatione*, *art.* 5. *Gloss.* 5. & in omnium passim Curiarum Ordinationibus præcipitur.

XXXIII. Adhæc ne Citatus præceps & non satis instructus in judicium trahatur, & in litem incidat, dandus est Citato terminus sive dilatio aliqua; eaque longior vel brevior, ratione habitâ causarum, personarum, ac præcipuè distantiæ domicilii ipsius Citati à loco Judicii, quemadmodum passim in omnium Curiarum Ordinationibus exprimitur; ac nominatim in Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis *tit.* 9. *art.* 9. »Et quo faciliùs Partes ante litis ingressum concordare, »vel transigere, vel seriò cum Advocato suo de causa delibera»re possint, antequam præcipites in litem incidant, unde pos»tea

(a) *Consule Scitum, quod Ludovicus Magnus Galliarum Rex dedit ann.* 1667. *insuper Edict. ann.* 1669. *cujus hic est stylus* Edit du Controlle des Exploits *Et vide etiam quoad Hipaniæ Regna leg.* 19. *tit.* 21. *lib.* 4. *Recop. quæ ita præcipit sequentibus verbis*: Sea citado... en su persona, si pudiere ser habido, y si no en su casa; haciéndolo saber á su muger y hijos ó criados, si los tuviere, y si no á los vecinos mas cercanos, &c.

(b) *In Hispania, ut integrè adimpleretur, quod circa Censuras in Concilio Tridentino constitutum fuit in Concordato inter S. Sedem Regemque nostrum Catholicum ann.* 1737. *celebrato*, *art.* 10. *cautum est*: Que no debiéndose usar de las CENSURAS sino es *in subsidium*, conforme á la disposicion de los Sagrados Cánones, y al tenor de lo que está mandado por el Santo Concilio de Trento en la *Sess.* 25. *de Reg. cap.* 3. se encargará á los Ordinarios que observen la dicha disposicion Conciliar y Canónica, y no solo que las usen con toda moderacion debida, si no tambien que se abstengan de fulminarlas, siempre que con los remedios ordinarios de la execucion Real, ó personal se puede occurrir á la necesidad de imponerlas, y que solamente se valgan de ellas quando no se pueda proceder á alguna de dichas execuciones contra los Reos, y estos se mostraren contumaces en obedecer los decretos de los Jueces Eclesiasticos. *Cui doctrinæ consoni sunt Textus in LL.* 8. *tit.* 3. 7. *tit.* 4. 4. & 5. *tit.* 8. & 3. *tit.* 10. *lib.* 1. & *in Act. Acord.* 4. *cap.* 18. *tit.* 1. & 3. *tit.* 10. *ejusdem libri* 1. *Recop.*

(c) Dies *notificationis præcisè debet inseri in processu, ut ajunt LL.* 1. 2. & 3. *tit.* 4. *totus penè tit.* 5. *LL.* 1. & 2. *tit.* 6. 1. & 3. *tit.* 8. 5. *tit.* 9. 3. *tit.* 11. 1. & 2. *tit.* 17. 1. 2. 11. 15. & 17. *tit.* 18. & 1. 2. & 5. *tit.* 19. 1. 3. 4. & 19. *tit.* 21. & *ultimò Remiss.* 12. *tit.* 18. *lib.* 4. *Recop. in* EXECUTIVO *autem & hora, nam cum debitor intra terminum* 24. *debitum solvere teneatur sub pœna solutionis decimæ, cæterarumque sportularum, ea annotari debet, ut* 24. *numerentur. Leg.* 21. 22. & 23. *tit.* 21. *lib.* 4. *Recop. Ibi.* asiente la hora.

» tea difficiliùs se extricent, ac denique res suas tempestivè ad » comparendum stato tempore componere, certa intervalla tem- » porum, inter diem factæ executionis, & terminum ad compa- » rendum servientem, & præfixum, servari volumus. Utpote, » si ad Judicium primâ citatione evocatus, domicilium in civita- » te, aut intra milliare ab eo foveat, tres dies intermedios, & » liberos; si verò moretur extra civitatem & milliare, intra ta- » men sex, septem vel octo milliaria aut circiter, octo dies in- » termedios & liberos habeat; si verò ultra octo milliaria, aut » circiter, habeat duodecim dies modo præscripto, nisi natura » citationis, & qualitas causæ brevioria requirat intervalla; præ- » sertim in causis officii, ubi de impediendis, aut emendandis » excessibus agitur. In ulterioribus autem citationibus dies bre- » viores, competentes tamen, assignari poterunt. «

Et *art.* 10. additur: » Et si contingat, terminum citatio- » nis incidere in diem festum, vel non Juridicum, serviet cita- » tio die juridica proximè sequenti. «

CAPUT III.

De Libelli oblatione, et litis contestatione.

1 *Quid libellus conventionalis.*
2 *Libellus judici offerendus, & auctoritate judicis Reo communicandus.*
3 *Libelli conventionales olim in judiciis Ecclesiasticis incogniti, præsertim in causis Civilibus.*
4 *Etiam ante Justinianum Imp.*
5 *Glossographus id restringit ad causas* modicas, *&* viles.
6 *Hæc limitatio parùm conformis pristinæ disciplinæ.*
7 *Libelli conventionales unà cum stylo forensi in judicia Ecclesiastica intrârunt.*
8 *Quomodo distinctio Glossæ inter causas ardùas, & leviores, in quibus* summariè *est procedendum sit recepta.*
9 *Quæ sint causæ* leviores summariè *decidendæ.*
10 *Libellus, quâ formâ concipiendus.*
11 *Quoad oblationem, & formam concipiendi libellum stylus Curiarum Ecclesiasticarum coincidit cum stylo Curiarum Civilium.*
21 *In formatione libelli præcipuè attendenda conclusio.*
13 *Si citatus conclusioni Actoris non censeat annuendum, sequi solet litis contestatio; & quid hæc sit.*
14 *Jure Decretalium per positiones, & responsiones ad eas non inducitur litis contestatio.*
15 *Ratio istius juris.*
16 *Processus defectu litis contestationis irritus est.*
17 *Quomodo de praxi hodierna inducatur litis contestatio.*
18 *Primitùs in judiciis Ecclesiasticis solemnis litis contestatio usitata non fuit.*
19 *Nec hodie in* summariis *requiritur.*
20 *Optandum, ut causæ Ecclesiasticæ* summariè *absolverentur.*
21 *Per litis contestationem judicio inchoato lis defuncti ipso jure transit in hæredes; secùs de moribus hodiernis.*

I. LIbellus conventionalis, de quo hîc agitur, & sub titulo Decretalium *de Libelli Oblatione*, describitur à Doctoribus post Glossam ad *cap.* 1. ✠ *de Libelli Oblatione*, scriptura, *in qua continetur res, quæ petitur, & causa petendi, & nomen Actoris & coram quo judice.*

II. Hinc ibidem infert Glossopraphus, quòd semper sit offerendus libellus *judici*; & per ipsum Reo, ut ipse Reus possit deliberare; quemadmodum dicitur in *Authent.* OFFERATUR, *Cod. de Litis contestat.* quam refert Gratianus *Caus.* 3. *quæst.* 3.

III. Verùm libellos conventionales, in causis præsertim Civilibus, coram judicibus Ecclesiasticis olim fuisse ignotos, constat ex *Novella* 67. Justiniani, quam verbis Juliani Antecessoris retulit Gratianus *in Can.* 45. *Caus.* 11. *quæst.* 1. ubi dicitur: » Ubi autem Episcopus causam dirimere vult, *sine scrip-* » *tura* omnia procedant, & diffinitiva sententia sine scriptis ab » eo proferatur. «

IV. Neque id primùm à Justiniano esse constitutum, sed etiam ante Justinianum fuisse regulariter scripturam denegatam judicibus Ecclesiasticis, ex *Leg.* 41. *Cod. Theod. de Episcop. & Clericis* colligi notat Janus A Costa in Summario tituli Decretalium *de Libelli Oblatione*: additque: » Nec temerè olim » solemnia Judiciorum Civilium vel publicorum usurpavit Ec- » clesia. «

V. Fatetur ibidem Glossographus loco citato, quòd allegatus Canon 45. velit à judice Ecclesiastico causas esse dirimendas *sine scriptura*; sed id credit obtinere in *modicis*, & *civilibus causis*, ut in his scripturis non requiratur.

VI. Verùm id à sensu Justiniani, & disciplina illius ætatis est planè alienum. Neque enim illius distinctionis vel vestigium in Legibus Justiniani, aut ætatis illius Canonibus extat.

VII. Dicendum ergo, quòd quandiù judicia Ecclesiastica sine strepitu forensi, & formulis publicorum, & Civilium judiciorum peracta sunt, nihil de solemni quoque libelli exhibitione, aut oblatione cautum fuerit; sed simplex petitio seu expositio suffecerit: at postquam ad normam forensium judiciorum ipsa Ecclesiastica judicia formari cœperunt, non ampliùs simplex quæstionis ac controversiæ expositio suffecit; sed libellis, æquè atque in judiciis Civilibus, opus fuit.

VIII. Hodie de jure Decretalium, & moribus recepta est sententia, & distinctio Glossographi, ut nimirum in judiciis Ecclesiasticis, ubi de re ardua agitur in plenario judicio, requiratur libellus in scriptis judici offerendus: in levioribus, ac brevioribus causis *summariè* absolvendis, non sit necesse libellum *scripto* tradi, sed sufficiat Actoris petitionem coram judice nudè proponi, eamque Actis continuò inseri, ut re posteà exigente, ejus copia haberi possit, *Clem.* SÆPE §. VERUM, *de V. S.* quod & in tribunalibus civilibus (d) servari notat Damhouderus *in Praxi rerum Civil. cap.* 100. & latiùs Nicolaus Tuldenus ibidem in notis.

IX. Causas leviores, in quibus *summariè* sit procedendum juxta præscriptum citatæ Clementinæ *Sæpè*, declarant Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *art.* 1. esse, si in causa civili pecuniaria summa petita non excedat quatuor libras flandricas, atque in causis officii excessus minores: » Ne ulli articuli (nisi propter personarum qualitatem, » vel delicti circumstantiam Officalis aliter faciendum decreve- » rit) exhibentur: sed Advocati utrinque causam verbaliter ex- » ponent, conclusio tamen summariè, & pertinenter cum de- » bitis circumstantiis verbaliter capta, & responsio, replica, » duplica verbaliter subsecutæ, actis paucissimo verborum re- » latu continuo inserentur, & Judex sententiam mox proferet, » si res liquet. «

X. Ex *cap.* 2. & 3. ✠ *de Libelli oblat.* colligunt Doctores post Glossam, quod si agatur actione reali, sive rei vindicatione exprimendam esse rem, quæ petitur, & utrum petatur totum, an pars: alias enim Reus deliberare non posset. In hac tamen actione non esse exprimendam causam: » Causa enim » (ait ibidem Glossa) expressa est eo ipso, quòd proponit rei » vindicationem. Causa enim non est alia nisi ipsum dominium, » cùm dicit, rem ad se pertinere jure dominii, vel quasi..... Si » autem agatur actione personali, ut si petas decem dari tibi, » causa petendi exprimenda est in libello; aliter enim respon- » dere non tenetur. « Ita Glossographus, qui latiùs ibidem prosequitur, quomodo causâ, & res petita sint in libello exprimendæ; & an causâ unâ expressâ, possit eandem rem postmodum petere ex alia causa; item an libellum semel oblatum mutare possit. (e)

XI. Cæterùm stylus Curiarum Ecclesiasticarum quoad oblationem libelli, ejusque formam hodie penè per omnia coincidit cum stylo Curiarum civilium. Unde meritò in hac materia consuluntur Interpretes Juris Civilis ad titulum Digestorum, & Codicis *de Edendo*; ac præsertim Pragmatici, qui annotant stylum, & consuetudines singularum Curiarum, quæ in formatione libellorum attendi debent.

XII. Illud autem uno consensu monent, in formatione libelli maximè attendendum esse, ut conclusio sit apta, paucis, & claris, ac intelligibilibus terminis expressa; nihil habens obscuri, nec conditionale, generale, vel alternativum; è qua ipse judex, & pars adversa possint facilè inteligere petitionem, & intentionem Actoris. Vide Damhouderus in *Praxi rerum civilium*, *cap.* 101. & 102. & Notas Nicolai Tuldeni. Imò tametsi consuetis actionum formulis in concipiendo libello usus non sit, nequaquam tamen inde libellus de nullitate argui poterit: dummodo ipsa conclusio ritè sit concepta; atque ipsum factum, & rei veritatem ita proponat, ut quid sibi dari, aut præstari petat, intelligi possit: ita ut si inepta sit narratio, & conclusio apta, libellus sustineatur, quod conclusio reliqua ampliet, restringat, aut exponat. (f)

XIII. Si reus ad diem citationi præfixum in judicio compareat, & visa, ac examinata Actoris petitione judicet, non esse *alia*: Como tambien resolver verbalmente hasta en cantidad de 500. reales.

(d) *In Hispania priùs anno* 1534. *legib.* 19. *tit.* 9. *lib.* 32. & 5. *tit.* 8. *lib.* 2. *Recop. cautum est*: Què ninguno de los Escribanos.... ni haga autos algunos en los procesos que ante ellos pasaren de 400. maravedis abaxo: *posteà ann.* 1593. *lege* 24. *tit.* 9. *lib.* 3. *ejusd. Recop. præcipitur*: Que lo proveído en la ley 19. de este titulo en la demanda de quatrocientos maravdis abaxo se entienda, y estienda à mil maravedis: & *postremò in Regia Schedula* 13. *Augusti an.* 1769. §. 7. *resolutum est inter*

(e) *Lex* 4. *tit.* 2. *lib.* 4. *Recop.*

(f) *Consona est L.* 10. *tit.* 17. *lib.* 4. *Recop. adeò ut si quævis petitio in actis redigatur, ex qua inferri possit quid actor intendat, conclusio non est necessaria*: *adde etiam L.* 22. *tit.* 4. *lib.* 2. *ejusd. Recop.*

se annuendum Actoris libello, sed petitioni, sive conclusioni Actoris absolutè resistendum, tunc solet sequi litis contestatio; *quæ est Rei ad Actoris, vel contra Actoris ad Rei petitionem principalem, negando, vel affirmando coram judice purè facta responsione animo contestandi litem* (g) *Cap. unico* ✠ *de Litis contestatione* & ibidem tradit Glossa.

XIV. In citato Capitulo dicit Gregorius IX. quòd quendam processum de Fratrum suorum consilio irritum duxerit nuntiandum, quia quamvis positiones & responsiones hinc inde super pluribus articulis factæ fuerint coram judicibus, quia tamen *litis contestationem* non invenit factam: » Cùm (ait) non » per positiones, & responsiones ad eas, sed per petitionem » in jure propositam, & responsionem secutam litis contesta- » tio fiat. « Eadem sententia occurrit in *Cap.* 54. PARTIBUS ✠ *de Elect.* cujus verba assumpsit Gregorius in hac Constitutione, uti observat Cujacius ad dictum *Cap. unicum.*

XV. Cur per positiones & responsiones ad eas non inducatur litis contestatio, scribit Glossographus ad citatum *Cap. Unicum*: » Qui enim ponit aliquod dictum vel factum, nihil petit » ab adversario; nec etiam ostendit, se per hoc velle agere: » & ita non posse per hoc fieri sententia condemnationis, vel » absolutionis, cùm nihil petitum sit per positionem, sed os- » tenditur esse factum, vel dictum, seu promissum. «

XVI. Ex eodem Pontificis Responso statuunt Canonistæ post Glossam (h) sine litis contestatione, processum esse irritum declarandum, tanquam fundamento, & capite carentem.

XVII. Hodie in judiciis effectum litis contestationis habet prima qualiscumque responsio Rei de causa principali, teste Tuldeno in Codice De litis contestatione *num.* 3. asseritque de simili Germaniæ usu testari Myns. *Cent.* 4. *Observation* 62. Vide latiùs Bignonium De Legibus abrogatis *lib.* 2. *cap.* 185. & *lib.* 3. *cap.* 121. & ibi notas Christinæi.

XVIII. Solemnem, & formalem litis contestationem in judiciis Ecclesiasticis, quando forma arbitrorum potiùs quam judiciorum servabatur, necessariam non fuisse, ipsa judiciorum forma tunc servata probat.

XIX. Unde in *Clement.* SÆPE, *de V. S.* expressè sancitur sub nomine Clementis V. in Concilio Viennensi, quòd si in causis aliquibus simpliciter, & *de plano* procedi mandetur, ut judex, cui taliter causa committitur, necessariò libellum non exigat, *litis contestationem non postulet.* Hic procedendi modus hodie vocatur *summarius & de plano*, multumque ad pristinum judiciorum Ecclesiasticorum ordinem accedit.

XX. Optandum esset, ut ad abbreviandas lites hic procedendi modus, præsertim in Curiis Ecclesiasticis sæpiùs etiam de consensu Partium servaretur. Non licet quidem Partibus ordinem juris suo arbitrio moderari, uti observat Tuldenus in Codice loco citato, *num.* 5. » Si verò (ait) judicis arbitrio id » commiserunt, poterit is, solemnitatibus juris omissis de so- » la facti, & juris veritate inquirere, & pronuntiare: valebit- » que id non in vim sententiæ sed in vim pacti, quippe in quod » consensu Partium convalescere etiam possit sententia ipso ju- » re invalida. «

XXI. Cùm per litis contestationem lis videatur formata, atque de jure communi quasi contractum inter Partes, receptum quoque fuit eodem jure, ut si alteruter litigantium lite pendente ante causæ conclusionem moriatur, lis cœpta ad hæredes defuncti activè, & passivè ipso jure transmittatur, *L.* 33. *ff. de Fidejussorib. L.* 19. *ff. de Judiciis.* Sed moribus nostris introductum est, ut Rei defuncti hæres de novo conveniatur ad hoc, ut litem reassumat, (i) & ex postremis retroactis cum Actore ulteriùs procedat, aut Actori cedat, quod petitur. Idemque ex parte rei, si Actoris hæredes liti renuntiaturos putet, aut ejus intersit, absolutoriam sententiam prosequi.

Ratio hujus praxeos videtur, ne quis invitus agere, aut litigare per indirectum videatur; quæ ratio subtilitati juris Romani, quæ per litis contestationem quasi contractum intervenire fingebat, prævaluit.

CAPUT IV.

De Juramento calumniæ, et dilationibus.

1 *Juramentum calumniæ à litigantibus in exordio litis præstari voluit Justinianus Imp.*
2 *Caveat ne quacunque occasione omitteretur.*
3 *Ratio hujus enixæ voluntatis.*
4 *Rarior hodie est hujus juramenti usus in Curiis secularibus.*
5 *In Gallicanis Curiis Regiis non præstari testatur Rebuffus.*
6 *In quibusdam Conciliis Belgicis non jurari de calumnia testatur Damhouderus.*
7 *Ratio abrogationis hujus juramenti.*
8 *Juratur etiam hodie durante processu in Curiis secularibus* de malitia.
9 *Quid inter hoc Juramentum, & juramentum de* calumnia *intersit.*
10 *Juramentum illud de malitia vocatur hodie de* calumnia; *& quid intersit inter jus Romanum, & hodiernum usum Curiarum Secularium.*
11 *In Curiis Ecclesiasticis observatur quoad hoc juramentum dispositio Juris Pontificii.*
12 *Respondit Eugenius III. Canones nulli hoc juramentum indicere.*
13 *Responsum illud ad causas spirituales restrinxit Raymundus Decretalium Gregorii IX. compilator.*
14 *Ex dispositione Juris Pontificii initio litis debet jurari de calumnia.*
15 *Si in exordio litis non sit præstitum, potest postmodum exigi.*
16 *Ob omissum tacitè hoc juramentum processus non est irritus, aut irritandus.*
17 *Hoc juramentum tacitè censetur remissum, si à parte non exigatur.*
18 *Præstito in exordio litis juramento de calumnia, potest in progressu litis exigi juramentum de* malitia.
19 *Nec in Curiis Ecclesiasticis hodie distinguitur juramentum* malitiæ *à juramento* calumniæ.
20 *Hodie etiam in causis spiritualibus juratur de calumnia.*
21 *In Judiciis quoque* summariis.
22 *Pœna recusantis hoc Juramentum.*
23 *Quid contineat hoc Juramentum, & quomodo exponi debeat Parti, cui indicitur.*
24 *Qua ratione Imperatores Clericis hoc juramentum remiserint.*
25 *Ex constitutione Henrici II. Imp. probata in* Cap. 1. ✠ de juram. calumniæ, *potest hoc juramento à personis Ecclesiasticis præstare per Procuratorem: nisi judex aliud judicaverit.*
26 *Non debet præstari à Procuratore nisi benè instructo.*
27 *Ex dispositione Juris Pontificii Episcopus Juramentum hoc præstare nequit, nisi consulto R. Pontifice; nec Clericus inconsulto Episcopo.*
28 *Quoad Episcopum id in desuetudinem abiisse notat Glossa.*
29 *Quid hodie circa Clericos obtineant.*
30 *Lite contestatâ, & præstito juramento calumniæ, solet dari dilatio; & quid sit dilatio.*
31 *In qualibet parte litis solent dari dilationes, & eorum termini de Jure Civili erant determinati, & fixi.*
32 *Jure Canonico dependent ab arbitrio judicis.*
33 *Decisio Juris Canonici conformis est hodiernæ praxi.*
34 *Quo sensu dilationes hodie dicantur dependere ab arbitrio Judicis.*
35 *Ne judices hîc exorbitent, termini dilationum in Ordinationibus Curiarum solent exprimi.*
36 *Quæ dilationes dandæ in provisione manutenentiæ.*
37 *Moderatio terminorum sive dilationum ex Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum.*
38 *Judicis est superfluas dilationes amputare ob damna, quæ Partibus hinc obveniunt.*
39 *Abbreviationem dilationum præscribunt Ordinationes Curiarum.*
40 *Causis requirentibus celerem expeditionem brevis termini assignandi.*
41 *Causæ possessoriæ super Beneficiis celeriter expediendæ.*
42 *Causas Monachorum voluit Justinianus accelerari; & quare.*
43 *Solent in Curiis Ecclesiasticis Citato dari tres dilationes ad comparendum; & quid perdat, si ad primam non compareat.*
44 *Quis effectus non comparationis intra secundam dilationem.*
45 *Quid si nec infra terminum tertiæ compareat.*
46 *Concilium Tridentinum desideravit, ut lites celeriter terminarentur; idque saltem intra biennium, permittens post lapsum biennii recursum ad judicem superiorem.*
47 *Etsi hodie rarus sit hujus Decreti usus, tamen constat, Concilium optâsse, ut Fideles, ac præsertim Ecclesiastici, celerrimè litibus eximantur.*

(g) *Leges* 1. *&* 2. *tit.* 4. *cum L.* 9. *tit.* 6. *lib.* 4. *&* 5. *tit.* 7. *lib.* 9. *Recopil.* Que la contestacion se haga negando ó confesando.

(h) *Jure Regio Hispano necessaria est contestatio, L.* 1. *tit.* 4. *lib.* 4. *Recop. ibi* Sea tenudo à responder derechamente á la demanda conte xtando el pleyto.

Quæ

(i) *Pratica, quæ in Hispania observatur, est, ut si hæredes noluerint se in hæreditate immisceri, actor ad judicem recurrere debeat, ut compellat testamentarios, vel ab intestato venientes ad addendam repudiandamve hæreditatem, cum ex tali actu pendeat prosequutio actionis contra defunctum intentatæ, & in judicio secutæ.*

48 *Quæ sit praxis in Gallia, dum judex in causis decidendis est morosus.*

I. JUstinianus Imperator intendens litigantes à calumniosa litium prosecutione avertere, voluit *L.* 2. *Cod.* de *Jurejurando propter calumniam*, ut ipsæ personæ Litigantes, id est, actor, & reus in primordio litis jurent: & actor quidem juret, *Non calumniandi animo litem movisse, sed existimando bonam causam habere.* Reus verò non aliter suis allegationibus utatur, nisi prius & ipse juraverit, *quod putans se bona instantiâ uti, ad reluctandum pervenerit.*

II. Addit ibidem Justinianus §. 4. » Sed quia veremur, ne » forsan quidem collussione aliqua utentes remittere videantur » inter se hujusmodi Sacramentum, & ex prædicta dissimula- » tione nostram Sanctionem deludant: sancimus omnes Judices, » licet ex compromisso cognoscant, vigorem suum exercentes » (quia non pro commodo privatorum, sed pro communi uti- » litate præsentem legem posuimus) minimè pati tale Sacramen- » tum remitti, sed omnimodò hoc & ab actore & à fugiente » exigi; ne paulatim videatur hujusmodi res defraudari, & Sa- » cramentum vel principalium personarum, vel Advocatorum » ex quacunque parte mutilari. «

III. Hæc satis ostendunt, quàm enixè voluerit Justinianus hoc juramentum à Litigantibus præstari; optaveritque ne quasunque occasione intermitteretur. Rationem hujus sui voti expressit §. 8. » Sic enim non lites solùm, sed etiam calumniato- » res minuentur; sic pro judiciis putabunt homines sese in sa- » crariis sisti. Si enim & ipsæ principales Litigantium partes per » juramentum lites exerceant, & causarum patroni præbeant » Sacramentum, & ipsi judices propositis Sacrosanctis Scrip- » turis tam totius causæ faciant examinationem, quam suum » proferant arbitrium: quid aliud nisi pro hominibus Deum in » omnibus causis judicem esse credendum est? Antiqua itaque » calumnia quiescente & ejus ambagibus, constitutio nostra di- » lucida & compendiosa in terris clareat omnibus, & sit ma- » ximum dirimendarum causarum remedium. «

IV. Non obstante hâc enixâ Justiniani Declaratione, necnon communi commodo, quod ex usu hujus juramenti sperandum proponit Justinianus, usus ipsius hodie in Curiis secularibus penè evanuit; eatenus nimirum, quatenus à litigantibus in exordio litis præstari volebat Justinianus.

Unde dicit Petrus Gudelinus *de Jure novissimo*, *libr.* 4. *cap.* 8. *num.* 22. » Sciendum est in seculari foro exactionis is- » tius juramenti (de calumnia) rarissimum, aut nullum usum » esse etiam à litigatoribus. «

V. De Gallia testatur Rebuffus in *Proœmio ad Constitut. Regias*, *Gloss.* 5. *num.* 50. » In Curiis Secularibus Regni non » juratur de calumnia; & sic parum servit Rubrica *de Jureju- » rando propter calumniam dando.*" Et in Tractatu *de Responsionibus per credit vel non*, ait » Notandum est, quòd sensus » judiciorum antiquus multa invenit contra Partes remedia, ut » veritatem ab eis elicerent. Primò invenit, ut jurarent se nihil » calumniæ causâ facturos in causa. Verùm quia istud juramen- » tum in initio litis præstabatur, aliquando Partes in medio litis » calumniabantur, & non erant memores illius juramenti; ob id » statutum fuit, ut etiam jurarent de malitia, quòd malitiæ cau- » sa nihil facient, & hoc repetabatur *Cap.* 2. *de Juram. ca- » lum. in VI.* & differentias inter ista juramenta tradit Socinus » in Rubrica *de Juramento calumniæ.*: Quæ duo juramenta in » his Curiis Franciæ consuetudinariis non præstantur. « (k)

VI. Testatur Damhouderus *in Praxi Rer. Civil. cap.* 151. *num.* 30. quòd in Flandriæ Provinciali Consilio, & in magno Mechliniensi Consilio hoc juramento (de calumnia non utantur. » Conjecturam istius non usus subjungit: Fortassis quia ti- » mendum sit, ne partes hujusmodi prædictum juramentum » præstando sæpè pejerarent: & contra præceptum divinum » peccantes suam perderent animam potiùs quàm litem. «

VII. Dixeratque jam pridem Baldus ad *L.* SI POST, *Cod. de Evict.* quòd juramentum calumniæ contemnatur, ut non æs- » timetur uno obulo; quia facti sumus contemptores Dei, & religionis ejus. Dictum hoc Baldi referens Maranta *de Ordine jud. part.* 6. *titul. de Juramento*, *num.* 11. ait: » Unde ego » puto, quòd litigatores nostri temporis potiùs jurant de ca- » lumnia committenda, quam vitanda, & ideo melius esset, ex » toto tolleretur à judicio causa vitandi tot perjuria. «

Eandem rationem abrogati hujus juramenti in Gallia allegat Rebuffus loco citato ex procœmio. Quæ ratio si sufficiens fuerit ad abrogandum Juramentum contra calumniosas lites introductum, facilè erit intelligere, quàm multa juramenta meritò hodie ob eandem rationem abrogarentur.

VIII. Porrò monet ibidem Damhouderus *num.* 31. » quòd » in istis Consiliis benè utantur, durante processu, juramen- » to malitiæ, hoc est, quo jurent sese extraordinarias dilatio- » nes ad calumniandum non petituros, vel accepturos; neque » etiam impertinentes exceptiones, ac productiones ad proces- » sum, sive ad Judicium differendum, aut suas Partes vexan- » dum proposituros, & allegaturos. «

IX. Subjicit dein *num.* 32. differentiam inter Juramentum calumniæ, & Juramentum malitiæ: » Quòd Juramentum calum- » niæ datur & conceditur duntaxat semel, statim post litis con- » testationem: Juramentum verò malitiæ datur & conceditur » toties quoties judici æquum, & Justum & expedire videbi- » tur, non minùs ante, quàm post litis contestationem. «

X. Tametsi juramentum calumniæ, quod à litigantibus in exordio litis præstari volebat Justinianus, & totam litem spectabat, hodie in Curiis Secularibus passim abolitum sit, nihilominùs in plerisque Curiis Secularibus perseverat usus Juramenti, quod olim *malitiæ*, hodie etiam de *calumnia* vocatur, præstandum super certis articulis, aut propositionibus in progressu litis, prout judex instante Parte arbitratus fuerit. Unde rectè dicit D. Christinæus in notis ad Bugnionium *lib.* 1. *cap.* 3. » Ad » mores Belgarum quod attinet, quamvis in Judiciis non soleat » frequentari eodem quo apud Romanos modo; non tamen ejus usus planè exolevit. « Vide etiam Merulam in *Praxi*, *lib.* 4. *tit.* 64.

XI. Illud apud omnes indubitatum est, frequentiorem hujus Juramenti usum perseverare in Curiis Ecclesiasticis; atque à litigantibus crebrò præstari, teste Gudelino loco citato. Et Rebuffus in citato Tractatu *de Responsionibus per credit*, *vel non*, postquam dixit Juramenta de calumnia, & de militia in Curiis Secularibus consuetudinariis non præstari, immediatè addit: Sed in Curiis Ecclesiasticis observatur Juris Pontificii dispositio, & hæc Juramenta servantur.

XII. Admodum verisimile est Pontifices ad imitationem Justiniani Imp. ad amputandas, & præveniendas calumniosas lites hoc Juramentum induxisse in forum Ecclesiasticum, postquam in illud stylus forensis litigandi intravit. Neque enim legitur antiquitus ulli indictum Juramentum calumniæ, uti etiam in quadam Decretali testatur Eugenius III. relata in Appendice ad Concilium Lateranense sub Alexandro III. *part.* 23. *cap.* 2. & in prima Collectione Decretalium apud Antonium Augustinum *cap.* 3. *de Juramento calumniæ.* Ubi respondit Pontifex, quòd » Romana Ecclesia in his causis, in quibus de decimis Ecclesiæ, » & rebus Spiritualibus tantùm agitur, Juramentum calumniæ » nec dare vel recipere consuevit: eò quòd hujusmodi causæ non » ex legum districtione, sed ex Canonum æquitate finem debi- » tum sortiuntur. Canones autem (ait) Juramentum calumniæ » *nulli prorsus* indicunt. «

XIII. Verum quidem est, in *Cap.* 2. ✠ *de Juramento calumniæ*, ubi prædictum Responsum Eugenii refertur, finali huic clausulæ interseri hæc verba; *In hujusmodi casibus, vel causis*, quæ generalitatem prædictorum verborum restringunt ad *causas*, de quibus antè actum erat: sed sciendum est, satis familiare fuisse Raymundo Decretalium Greg. IX. Collectori, aliqua antiquis Decretalibus addere, vel detrahere, prout disciplinæ sui temporis congruere videbatur: quemadmodum latiùs ostendi in Tract. Historico Canonico in Canones *part.* 8. *cap.* 1. §. 4. & 5.

Hoc quidem constat, ætate Raymundi Juramentum calumniæ in foro Ecclesiastico, in aliquibus saltem causis, fuisse exactum, atque ad normam Juris Justinianæi sensim magis magisque stabilitum esse.

XIV. Imprimis itaque inspecta hodiernâ Juris Pontificii dispositione, nec Actori, nec Reo suis allegationibus uti permittitur, nisi præstito hoc juramento, *Cap.* 2. §. 1. *De Juramento calumniæ*, *in VI.*

XV. Sed » si de calumnia, seu de veritate dicenda in pri- » mo litis exordio non juretur (ut debet) poterit postmodum in » qualibet parte litis jurari, ait Bonifacius VIII. in *Cap.* 1. *eod.* » *in VI.* rationem addens: Cùm hujusmodi juramentum præs- » tari ab initio, de substantia Ordinis Judiciarii non existat. «

XVI. Quin & declarat ipse Bonifacius ibidem §. 1. » quòd » propter omissum quoque *tacitè* in tota causa calumniæ jura- » mentum, judicialis processus aliàs factus legitimè, non est nul- » lus, nec etiam annullandus. «

XVII. Hinc deducit Glossographus, hîc probatam esse à Bonifacio eorum Antiquorum opinionem substinentium, quòd juramentum hoc duntaxat necessariò sit præstandum, quando à parte est exactum. Si enim non exigatur, *tacitè* remissum censetur; quæ remissio vetita non est, modò absit collusio.

Unde & in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *art.* 12. dicitur: » Lite per responsionem Rei, contes- » ta

(k) *Licèt in Codice Hispaniarum legum assignetur titulus, qui in illo est* 7. *lib.* 4. del Juramento de Calumnia, *tamen in eorum Tribunalibus rarò tale juramentum præstatur, sed tantùm malitiæ, maximè in causis criminalibus, & iis, quæ aliquam malitiam important, ut asserit D. Gonzalo Suarez de Paz*, 1 *part. & tom.* 4. *temp. num.* 39. & 404. *part. ejusd. tom. cap.* 3 §. 6. *num.* 51.

» tatâ *petentibus partibus*, eâdem die juridica jurabitur de calumnia.

XVIII. Dicit insuper Bonifacius VIII. in citato *cap.* 2. §. *fin.* » In omnibus autem causis, nedum ante, sed etiam » postquam lis fuerit contestata, sive de veritate, sive de calum- » nia sit juratum in ipsis, potest Judex à partibus exigere ju- » ramentum malitiæ, quoties viderit expedire. «

Notat hîc Glossa: » licèt ex quo juratum est *de calumnia*, » ampliùs in eadem causa *de calumnia* jurandum non sit ab eo- » dem; *de malitia* tamen benè juratur, puta, cùm suspicatur » Judex, quòd *malitiosè* proponatur exceptio, petatur dilatio, &c.

XIX. Moribus hodiernis non distinguimus scrupulosè juramentum malitiæ à juramento calumniæ, quasi hoc de tota lite intelligeretur, atque semel duntaxat peti posset: sed & illud quod super certis articulis in progressu litis à Judice ad instantiam Partis imponitur, vocari solet juramentum *calumniæ*: idque non tantùm in Curiis Secularibus, (de quo suprà) sed & Ecclesiasticis. Unde in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechliniensis *titulo* 11. *art.* 12. *de Juramento calumniæ*, dicitur: » Illud quidem juramentum intra certa judicii tempo- » ra non coarctamus; sed id poterit Judex indicere, quando & » *quoties* expediri viderit. «

XX. Juxta Decretalem Eugenii III. suprà citatam, non esse exigendum hoc juramentum in causis spiritualibus, præsertim prout exprimitur à Raymundo in *cap.* 2. ✠ *eod.* manifestum est, agnoscitque Bonifacius VIII. in *cap.* 1. §. *fin. eod. in VI.* quòd Canones in causis spiritualibus non indicant alicui juramentum calumniæ; ipse autem perpendens etiam in hujusmodi causis posse calumniari, utile reputavit, » quòd simul, sicut » (ait) plerique observant, tam de veritate dicenda, quàm de » *calumnia* (ut via præcludatur calumniis) jurari debeant in iis- » dem; « nimirum spiritualibus causis.

XXI. Nec tantùm in Judiciis ordinariis, sed & in summariis à Judice exigi posse juramentum calumniæ, patet ex *Clementina* SÆPE, *De V. S.* ubi expressè declaratur, quòd si alicui commissa sit causa, ut in ea *de plano & simpliciter*, ac sine strepitu, & figura Judicii procedatur, citationem tamen, ac » *præstationem jaramenti de calumnia*, vel malitia, sive de ve- » ritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem hu- » jusmodi non intelligi exclusam.

XXII. » Pœna recusantis hoc juramentum cùm præstan- » dum fuerit, est, ut Actor ab instituta cadat actione, Reus » autem haberi debeat pro confesso: « ait Pontifex in *Cap.* 7. §. *fin.* ✠ *de Juramento calumniæ*; & renovatur in citato *artic.* 12. Ordinat. Curiarum Eccles. Monet autem Glossa ad dictum §. *finalem*, quòd recusantes hoc juramentum cadant causâ per sententiam Judicis: » Quia Judex procedit contra eun- » dem (Actorem recusantem) ac si nihil probasset, Reum ab- » solvendo, & eodem modo de Reo. «

XXIII. Quid autem complectatur juramentum de *calumnia*, expressit Glossographus quatuor versiculis; & latiùs, ac clariùs explicat *art.* 13. *tit.* 11. *Ordinationum Curiarum Eccles.* quo & mandatur ut parti, quæ de calumnia jurare debebit, vulgari idiomate omnes clausulæ juramenti exponantur. Verba articuli sunt: » Parti verò, quæ de calumnia jurare debebit, » vulgari idiomate omnes clausulas juramenti calumniæ exponi vo- » lumus: videlicet, quòd credit se habere bonam causam; quòd » interrogatus non negabit id quod verum esse crediderit; quòd » non utetur scienter falsa probatione; quòd dilationem non » petet in fraudem, ad protelandam litem; quodque nihil de- » derit, aut promiserit, nec dabit, aut promittet, pro victo- » ria obtinenda, nisi illis, quibus Leges & Canones dare per- » mittunt; fietque in actis mentio, an expositio ista facta fue- » rit, aut non: Scriba verò, aut Graphiarius, qui circa harum » clausularum expositionem, seu dictam notitiam negligens fue- » rit, multabitur uno floreno. «

XXIV. Juramentum hoc remitti apparet Clericis notissima Constitutione Marciani Imp. *in L.* 25. *Cod. de Episc. & Clericis*; cujus meminit Pontifex in *cap.* 1. ✠ *de Juramento calumniæ*, ubi per errorem pro *Marciano* legitur *Marco.* Et licèt Marcianus tantùm videatur loqui de Clericis Constantinopolitanis, tamen cùm ratio à Marciano sit generalis: quia *Ecclesiasticis regulis, & Canone à Beatissimis Episcopis antiquitùs constituto Clerici jurare prohibentur*, eam trahendam esse ad omnis Orbis Christiani Clericos, primùm Henricus II. Imperator decrevit, Constitutione, quæ extat *lib.* 2. *Legum Longobardorum*, *tit.* 47. *cap.* 11. qua » decernit, & Imperiali auc- » toritate, & irretractabiliter diffinit, ut nec Episcopus, nec » Presbyter, nec cujuscunque Ordinis Clericus, non Abbas, » non aliquis Monachus, vel Sanctimonialis in quacunque con- » troversia, sive criminali, sive civili jusjurandum qualibet ra- » tione compellatur subire; sed advocatis suis propriè idoneis » hoc officium debeat delegare. «

XXV. Hanc Henrici Constitutionem laudat Pontifex in citato *cap.* 1. finalemque clausulam refert his verbis: Sed idoneis defensoribus (si expedire Ecclesiæ suæ noverit) hujusmodi officium liceat delegare. » Hîc notat Glossa verbo *Defensoribus*, » id est, Syndicis, Actoribus, aut Procuratoribus; licèt no- » mina sint diversa, officium tamen est idem: unde sufficit, » sive dicatur constituimus talem Syndicum, Procuratorem, si- » ve Actorem. «

Hinc receptum est, juramentum hoc à personis præsertim Ecclesiasticis per Procuratorem *speciale* mandatum habentem præstare posse; nisi judex inspecta controversiæ qualitate, & personarum principalium conditione, ipsis potius quam earum procuratoribus etiam speciale mandatum habentibus, juramentum deferendum judicaverit *cap.* 3. ✠ *eod.*

In hoc enim Capitulo dicitur: » In pertractandis causis Sa- » cramentum calumniæ non passim præcipimus exhiberi; sed » causæ, & principalium personarum qualitate inspecta, quan- » doque per ipsas principales personas, quandoque per œcono- » mos, qui causam omninò non nesciant, in animam jurantis » illud præcipimus præstari. «

Dependet ergo à Judicis arbitrio, an juramentum præstandum sit super ipsas personas principales, an per Œconomos, sive Procuratores.

XXVI. Illud hîc notandum, quòd dicatur præstandum per Œconomos, *qui causam omninò non nesciant.* » Id est, (ait » Glossa) *benè sciant*: aliter enim *anceps* subiret juramentum, » quod facere non debet. Quod utinam jurantes omnes benè » attenderent. «

XXVII. Porrò Pontifex in citato *cap.* 1. postquam probavit Constitutionem Henrici Imperatori subjungit hanc clausulam: » Verùm cum hac moderatione, ut Episcopus inconsulto Ro- » mano Pontifice, vel quisque Clericus inconsulto Prælato suo » minimè jurare audeat. «

XXVIII. Ad hæc verba monet hîc Glossographus: » Dif- » ficile videtur, ut Episcopus propter hoc debeat requirere » Romanum Pontificem: sed *hoc non servatur.* Unde si Epis- » copus (ait) litigat in propria persona, ipsemet præstat jura- » mentum de calumnia, nec est necesse requirere Papam, » *cap. ult.* ✠ *eod.* Clericus faciliùs potest requirere Episcopum; » unde tenetur primò requirere ipsum. «

XXIX. Verùm nec hoc de Clericis hodie servatur, præsertim dum exigitur juramentum à Judice Ecclesiastico.

At de juramento præstando à Clericis coram Judice seculari legitur in Synodo D. Mechliniensi *tit.* 17. *cap.* 5. » Cle- » ricus coram Judice laico testimonium dicturus, vel quodcun- » que Juramentum præstiturus (quod etiam sine nostra, vel » alterius Ecclesiastici legitimi Superioris licentia ei non licet) » id manibus personæ Ecclesiasticæ juramentum præstet.

Sed neque in judiciis secularibus communiter attenditur, præcipuè si ipsi clerici coram illis in materia profana litigent; quo casu solent non secùs ac laici in manibus judicis laici jurare. In Concordatis inter Episcopum Cameracensem & Consiliarios Hannoniæ anni 1541. *art.* 20. cavetur, quòd Ecclesiastici in materia merè civili, tenebuntur requisiti ferre testimonium veritatis coram Judice seculari; neque pars, quæ vult testimonium exigere, teneatur ullam licentam requirere: Et si testari renuant, cogentur per Decanos suos Christianitatis. Verba articuli sunt: *Item les gens d' Eglise en matiere pure civile, s' ils en sont requis pourront & deveront deposer & porter leur tesmoignage de verité devant juges seculiers, sans que la partie, qui le veut produire, doive demander quelque licence; si lesdits gens d' Eglise font aucune difficulté, seront contraincts par leurs Doyens de Chrestienneté de ce faire.* Id est: » Item personæ Ecclesiasticæ in causis purè civilibus, si » rogentur, poterunt, & debebunt testimonium dicere, & » veritatem coram secularibus Judicibus testari; nec adstringe- » tur pars, quæ eos volet producere, veniam aut ullius as- » sensum rogare; si verò dicti Ecclesiastici difficiles in ea re » se præbeant, per Christianitatis Decanos suos ad id faciendum » compellentur. « Extant parte 1. Edict. Brab. *lib.* 1. *tit.* 1. *c.* 3.

XXX. Lite contestata, ac præstito juramento calumniæ, solent litigantes utrinque petere inducias, sive dilationes, ut interea ea, quæ ad fundandam suam intentionem necessaria sunt, sibi comparere, & in ordinem redigere possint.

Dilatio enim judicialis, de qua hic agitur, est justum temporis intervallum, quod ad aliquem actum judicialem commodiùs perficiendum conceditur Actori, vel Reo.

XXXI. In qualibet parte Judicii dari à Judice solent dilationes, intra quas litigantes ad suam intentionem probandam, aut absolvendum ea, quæ à Judice ad instructionem causæ injunguntur, se præparare possint. Sive spectemus dilationes, quæ initio litis dantur, & vocari solent, *citatoriæ* vel *deliberatoriæ*, sive quæ in progressu litis, dicunturque communiter *probatoriæ*, de Jure Civili habent certa tempora designata, toto titulo Codicis *de Dilationibus*, eaque nec iterari posse edicitur in *L.* 7. *Cod. de Feriis.* (l)

(l) *Lex* 1. *tit.* 4. *tetus tit.* 5. *& leg.* 1. 2. *&* 3. *tit.* 6. *lib.* 4. *Recop.*

XXXII. Jure verò Canonico termini, sive tempora dilationum pendent ab arbitrio Judicis, *cap.* 24. ✠ *de Offic. Deleg. Cap.* 15. ✠ *De sententia, & re jud.* atque hac ratione dicuntur dilationes de Jure Canonico esse *arbitrariæ.*

XXXIII. Hæc autem decisio Juris Canonici passim moribus ubique recepta est; testanturque passim Pragmatici, de consuetudine in omnibus passim Curiis, etiam secularibus dilationes esse arbitrarias. Ex stylo communi, & consuetudine Curiarum non servantur *juris* dilationes (ait Bugnion, *de Legibus abrogatis, lib.* 2. *cap.* 104.) sed stylus, & quælibet Curia suas *arbitratur* dilationes, ac eas concedit.

Deinde subjungit idem Auctor: » Nec tamen propterea di» cendum est, dilationes in arbitrio Judicum positas esse; qui» nimò pro rerum necessitate largiendæ sunt; atque, ut refert » Ulpianus in *Leg.* NONNUNQUAM, *ff. de Judiciis*, dilationes » dandas æstimare oportet eum, qui jus dicit pro conditione, » ac qualitate causæ, personæ, vel temporis, & ita ordinem » Edictorum, & compendium moderari. «

Id desumptum apparet ex Glossa ad *cap.* 2. ✠ *de Dilationibus*, verbo *Plenè*, ubi dicit: » Dilationes istæ hodie viden» tur arbitrariæ, ut Judex considerata locorum distantiâ, & » temporis qualitate inducias concedat. « (m)

XXXIV. Non igitur eo sensu dilationes sunt *arbitrariæ*, quasi tempora earum dependerent à libero planè nullis legibus circumscripto arbitrio, & voluntate Judicis; sed quod Judex omnibus prædictis maturè expensis, terminos, sive dilationes ita determinare, sive arbitrari debeat, ut nec per earum niniam brevitatem litigantibus probationis & instructionis tempus denegetur, neque per earum prolixitatem, & multiplicationem, aut prolongationem lites protrahantur, & litigantes suo Jure per multum temporis fraudentur; à qua inordinata dilationum concessione appellari posse deciditur, in *cap.* 1. ✠ *eod.* & uno consensu docent Canonistæ, hodieque in usu est.

XXXV. Verùm nec Judices in hac dilationum, vel restrictione, vel prolongatione, seu extensione aberrent, in omnibus Curiarum, tam Secularium, quam Ecclesiasticarum Ordinationibus, & numerus, & tempora, ac intervalla dilationum designari solent: (n) quos terminos non sine rationibus urgentibus, & causæ cognitione transgredi licet: ubi & videmus rationem præmissorum habitam esse. Sic enim vidimus in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 505. incolis assignari terminum, sive dilationem quindecim dierum; exteris verò trium septimanarum.

XXXVI. Et *art.* 386. mandatur Apparitoribus, ut dum litteras manutenentiæ, aut alterius provisionis cum clausula citationis in casum oppositionis insinuant, diem comparationis, nec nimis brevem, nec nimis longum assignent, sed convenientem; ita ut ad minus *duo* dies Martis, vel ad summum *tres* intercedant; nisi de consensu utriusque partis, vel nisi in ipsa provisione ipsis injunctum sit longiorem terminum assignare; vel nisi *vacantiæ* intercederent: quia tunc assignanda esset prima dies juridica post vacantias; verba articuli sunt: *Soo sullen sy den ghenen hen opponeren, weygheringhe oft vertreckt maecken, gheven ende beteeckenen daegh; te compareren voor, onsen voornoemdem Raede, sonder den selven dach te seer kort, oft te lanckte stellen, maer, tamelyck ende redelyck: te weten datter ten minsten twe Dynstdaghen tusschen beyden zyn, ende ten hooghsten niet meer dan dry Dynst-daghen, ten ware by consente van beyde den partien, oft dat byder provisie hen gheordineert worde corteren oft langheren dagh te ghevent, oft ten vvare dat de vacantien tuschen beyden vvaren, soo soude den dagt ghenomen vvorden op den eersten dagh van rechte naer de vacatien.* Id est: » Tum opponenti, recusanti, » aut declinanti diem constituent & præfigent, quâ coram con» silio nostro præfato compareat, nec diem illam nimium ac» celerabunt, aut procrastinabunt; sed medium quoddam ex » æquitate tenebunt, videlicet ut saltem dies Martis iteratò in» tercedat, tertioque ut summum, nisi utraque pars consenti» ret, aut ipsa provisio brevius aut longius tempus decerneret » assignandum, aut nisi vacationum feriæ intercederent, quo » casu prima post vacationem Juridica dies constitueretur. (o)

XXXVIII. In Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis mirè elucet hæc dilationum, sive terminorum moderatio, *tit.* 11. *art.* 36. ubi statuitur, » ut con» cedantur ad probationes faciendas priùs Actori, deinde Reo, » vel conjunctim utrique eodem tempore, secundum negotii, » & personarum qualitatem, & Judicis discretionem, si testes » in civitate habitaverint, vel infra quatuor milliaria, sub pri» ma & secunda dilatione, tres septimanæ, sub tertia dilatio» ne, quindecim dies, & hoc sine continuatione; nisi consti» terit de debitis diligentiis factis, & quod per partem probare » debentem non steterit, quominus satisfecerit: quo casu jux» ta negotii & personarum qualitatem, poterit Judex tertiam » dilationem continuare, vel prolongare. Si verò testes ultra » quatuor milliaria abfuerint (idem intelligentes de instrumen» tis producendis, & aliunde adferendis) tunc Judex juxta dis» tantiam locorum, testium, & temporum qualitatem termi» num statuet ad tres septimanas, vel ad mensem, vel aliàs, » prout judicaverit expedire, sub duabus dilationibus; & si illis » pendentibus per partes non steterit, statuet judex alios quin» decim dies, vel tres septimanas, secundum loci distantiam, » pro tertia dilatione. Nunquam verò pars, vel Procurato» rum aliquis admittantur ad quartam dilationem, nisi se» cundum formam juris communis, ut videlicet quartam di» lationem petens, juret, quòd per se, aut per alium testificata » non didicerit; quod per fraudem, vel per dolum, prorro» gationem aut dilationem non petat, quodque testes, quos » producere, instrumentave, quæ exhibere desiderat, priùs ha» bere non potuerit. «

Deinde *art.* 37. additur: » In causis summariis, & Actor » ad probandum intentionem suam, & reus ad probandum ex» ceptiones, si quas dederit, non habebunt pro prima & se» cunda dilatione, nisi tres septimanas sine ulla continuatione; » pro tertia verò dilatione, habebunt quindecim dies tantùm, » nisi testes absint, aut aliud impedimentum probetur; quo ca» su, terminus prorogabitur secundum conscientiam judicis, » nullo verò modo quarta dilatio conceditur. «

XXXVIII. Porrò sicuti judicis est, litigantibus ordinarias, ac necessarias causæ instruendæ suæ, & defensioni dilationes annuere; ita & ipsi incumbit extraordinarias haud temerè concedere; atque superfluas rejicere, omnesque intra legitimos ac convenientes terminos concludere, propter enormia damna, & interesse, quæ plerumque ex indebitis dilationibus, & justitiæ procrastinationibus enascuntur, ait Damhouderus in *Praxi rerum civil. cap.* 114. *num.* 5. Mala ex his procrastinationibus sequi solita enumerat *num.* 2. » Ita ut (ait) pars ob has sæpè » depauperetur, aut mendicare, vel maleficia patrare cogatur, » aut mœrore contabescat, & moriatur, liberique ipsius squa» loribus, & inediâ pereant, ne pejora commemorem. «

Deinde concludit: » Ideoque hujusmodi pericula, & mala, » tam Deo ingrata, quàm hominibus invisa, judicibus erunt præ» meditanda, & justitiæ progressus legitimè ab eis accelerandus. «

XXXIX. Hinc in Ordinationibus Curiarum passim multa contra superfluas hasce dilationes, & litium procrastinationes occurrunt; atque imprimis in Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *cap.* 3. decernitur: » Ad lites » abbreviandas, nolumus, quòd terminus absentiæ, *ullave dilatio* detur Actori ante conclusionem, vel libelli exhibitionem; » quod & in causis appellationum servabitur, ut videlicet pri» mo comparitionis termino gravamina exhibeantur: abrogantes » penitùs modum procedendi, qui alicubi inolevit, quo Pro» curatores terminum ad gravamina exhibenda petere solent; » cùm quilibet sciat, vel scire debeant, cur adversarium in » jus vocarit, aut denique cur ad superiorem judicem appellâ» rit. Et hæc omnia nisi forte Officialis ex officio, justaque de » causa unicam dilationem concedendam duxerit; quâ elapsâ te» nebitur Appellans, sive Actor, saltem pertinenter in materia » appellationis, aut aliàs concludere. «

Et *art.* 20. generaliter dicitur, quòd judex *omnes arbitrarias dilationes*, quantum fieri poterit, *tenebitur abbreviare.*

XL. Quia verò nonnullæ causæ ex procrastinatione speciale patiuntur & adferunt præjudicium, non rarò etiam irreparabile, ideò & in his causis dilationes specialiter abbreviandæ, & difficiliùs indulgendæ sunt.

Unde in citatis Ordinationibus eodem titulo *art.* 21. statuitur: » In causis verò summariis suprà tactis, ac miserabilium » personarum, alimentationis, divortii, & incarceratorum de » triduo in triduum procedatur; & omnes dilationes non ne» cessariæ præcidantur. «

Idipsum jam statutum erat in Synodo P. III. Cameracensi *tit.* 22. *cap.* 4. Imò ea potest esse causarum, & personarum, ac locorum conditio, ut non tantùm *tridui*, sed & multò breviorem terminum judex præscribere meritò debeat; quemadmodum & sæpè in causis accelerationem requirentibus fieri vide-

(m) *In Hispania* » Considerada la calidad de las perso» nas, ó de la causa, ó la cantidad de la demanda, ó la dis» tancia de la tierra, « *ut ait L.* 1. *tit.* 3. *lib.* 4. *Recop. possunt Judises, aut causam abbreviare seu differre.*

(n) *Leg.* 1. & 2. *tit.* 3. 1. *tit.* 4. 1. & 2. *tit.* 5. 1. 2. & 3. *tit.* 6. 1. & *fin. tit.* 8. 4. & 5. *tit.* 9. 3. *tit.* 10. 1. 2. & 4. *tit.* 11. 2. *tit.* 17. 1. 2. 4. & 7. *tit.* 18. 1. 4. & 5. *tit.* 19. & *leg.* 2. 3. & 19. *tit.* 20. *lib.* 4. *Recop.*

(o) *Licèt, ut antèa dictum est, ab arbitrio Judicis pendeat tempus præscribere ad probationem, illud restringendo, vel ampliando secundum causarum & personarum, locorum distantiæ, litisque entitatis diversitatem; cùm lis ad probationem recipitur (si ex sua natura recipi potest) ultra* 80 *dies* los puertos aquende, 120. si allende, *neque ultra sex menses* si allende la Mar. *ampliare Judex non potest, ut ajunt LL.* 1. 2. & 3. *tit.* 6. *lib.* 4. *Recop.*

demus : ut proinde in his plurimùm valeat prudens, & justum judicis arbitrium.

XLI. Cùm protectio causarum Beneficialium, præsertim Curatorum, soleat secum trahere Ministrorum defectum, nec non & Clericos forensibus tricis tenere implicatos, & à divino servitio abstractos, meritò in his causis dilationes, & termini præcidendi, & abbreviandi sunt; quòd & Ordinationes Curiæ Brabantiæ insinuant *art.* 444. Verba articuli sunt: *Dat men in de voorsz materien van Possessien van Beneficien sommierlyck procederen sal, ende dat alle dilayen peremptoir sullen zyn, ende dat men maer een dilay accorderent en sal, om d' enqueste van partyen te doen, indien datter eenige vallen.* Id est: » Ut in prædictis causis circa Beneficiorum possessionem » summatim res agatur, omnisque ampliatio præcisa sit, unica- » que duntaxat prorogatio concedatur, ut partium inquisitio, » si qua sit opus, instruatur. «

XLII. Et Justinianus in *Novella* 79. *cap.* 2. voluit, lites Monachis illatas *accelerari*, » ut (ait) non mens eorum occu- » petur circa litis solicitudinem; sed *velociter* liberari, sacris » operibus obsecundent. «

XLIII. Juxta ordinarium stylum Curiarum Ecclesiasticarum solent Reo citato dari tres dilationes, sive termini ad comparendum; ita tamen, ut omnis termini sive dilationis lapsus ipsum non comparentem constituat in aliquali contumacia, & contumaciæ nonnullis effectibus subjiciat.

Si enim Reus ad primam citationem in termino præfixo » non compareat, nec Procuratorem in causis Civilibus mittat, » secludetur ad omni exceptione *declinatoria*, & in expensas » contumaciales condemnabitur. «

XLIV. Si nec secundò citatus compareat, » secludetur ab » omni exceptione *dilatoria*, & iteratò in expensas condem- » nabitur, « uti habent Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *cap.* 4.

Addunt citatæ Ordinationes, quòd secundo termino non comparente Reo, » decernetur tertia citatio sub pœna seclu- » sionis à peremptoria in litteris exprimenda. Quod si nec sic ci- » tatus compareat, accusatâ contumaciâ, delatisque Actis cau- » sæ judex determinabit, prout juris erit, & rationis. «

XLV. Post tertiam igitur citationem non comparens Reus, verè contumax constituitur; & si post hanc compareat, & audiri desideret, non audietur, *nisi refusis expensis contumacialibus*, uti statuitur in dictis Ordinationibus *art.* 7.

XLVI. Hæc sat ostendunt, etiamnùm hodie mentem Ecclesiæ esse, ut lites, quantum fieri potest abbrevientur, omnesque dilationes non necessariæ rescindantur; quod & ipsa Synodus Tridentina sat ostendit *Sess.* 24. *cap.* 20. *de Reform.* decernens, ut » causæ omnes ad forum Ecclesiasticum quo- » modolibet pertinentes saltem infra biennium à die motæ litis » terminentur: alioquin post id spatium liberum sit partibus, » vel alteri illarum judices superiores, aliàs tamen competen- » tes, adire, qui causam in eo statu, quo fuerit, assumant, & » quamprimum terminari curent. «

XLVII. Rarus aut nullus penè est hodie Decreti hujus usus quoad recursum ad Judices superiores ob lapsum biennii à die motæ litis; sed solent causæ etiam ad plures annos protrahi, & sine peremptione instantiæ, aut mutatione Judicis coram eodem judice continuari: quia facilè ostenderetur, quòd non steterit per Judicem, quominùs intra dictum tempus causam definiret, sed vel ob qualitatem causæ, vel cavillationes partium; quo casu Decreto locum non esse declaravit S. Congregatio teste Fagnano ad *Cap.* VENERABILIS *de Judiciis.*

Indubitatum interim est, mentem Synodi Tridentinæ fuisse, ut causæ in foro Ecclesiastico quàm citissimè ac brevissimè absolverentur, ac *saltem* ultra biennium non protraherentur; ut ita ipsi Judices præsertim Ecclesiastici allaborarent, omnemque curam impenderent, ut ipsos Fideles à litigiis & forensibus jurgiis quàm citissimè eximerent, & in veram concordiam, & pacem ac tranquillitatem adducerent; factisque probarent, se nequaquam lites discordiarum & odiorum seminaria, sed pacem & charitatem inter ejusdem Ecclesiæ filios quærere; seque optare, ut omnia jurgia & quæstiones summariè ac amicabiliter potius componere possent, quàm judicialiter discutere & decidere deberent, exemplo Sanctorum Patrum, & Episcoporum, ad quos tanquam Patres & Pacificatores sua dissidia Fideles referebant.

XLVIII. In Gallia non debet exspectari lapsus biennii. Si enim ante illud tempus causa sit in statu, ut decidi queat, Pars tertiò juridicè monebit judicem, & si post tertiam monitionem adhuc perseveret in mora decidendi ipsam causam, poterit Pars appellare tanquam à denegata justitia; ipsumque judicem vocare in jus, atque adversum ipsum concludere ad damna, & interesse, uti notat Claudius Fleury *parte* 3. *Instit. Juris Canon. cap.* 7.

CAPUT V.

De Probationibus, et Præsumptionibus.

1 *Post litem inter Partes contestatam solet sequi necessitas probandi*
2 *Quid propriè sit* probare.
3 *Probatio versatur circa* facta, *non autem circa jus.*
4 *Hinc motiva juris non computantur inter acta litis.*
5 *Qui factum controversum allegat, illud probare tenetur.*
6 *Unde Actori solet probatio incumbere.*
7 *Si Reus respondendo factum alleget, ei probatio incumbit.*
8 *Præsumptio juris subinde onus probandi injicit in Reum.*
9 *Subinde utrique incumbit probatio.*
10 *Pro quo judex decidere debeat, si uterque probet.*
11 *In pari probatione solet favorabiliter esse causa possessoris.*
12 *Ex possessione oritur aliqua præsumptio pro possessore.*
13 *In quo hæc præsumptio sit fundata.*
14 *Quod hinc commodum possessionis.*
15 *Inde patet, cur in pari causa dicatur melior conditio possidentis.*
16 *Quomodo circa hanc regulam erreter, remissivè.*
17 *Quid sit præsumptio.*
18 *Quare dicatur probatio* artificialis.
19 *Triplex species præsumptionis; & quid præsumptio juris tantùm.*
20 *Species hujus præsumptionis.*
21 *Quid præsumptio* juris & de jure.
22 *Exemplum hujus præsumptionis.*
23 *Etiam hæc præsumptio tantùm innititur conjecturis.*
24 *Hinc cedit veritati.*
25 *Describitur præsumptio hominis seu judicis.*
26 *Præsumptiones hominis admodum diversæ sunt quoad effectum probationis: & quare.*
27 *In æstimando effectu præsumptionis magnâ prudentiâ & circumspectione opus est.*
28 *Non judicandum ex præsumptione, dum veritas aliunde haberi potest.*
29 *Ad abbreviandas probationes inductus usus positionum.*
30 *Quid sint positiones.*
31 *Videtur earum usus ex foro Ecclesiastico in Civile intrâsse.*
32 *Pars adversa ad positiones respondere non debet, nisi jubente judice.*
33 *Debet Pars citari ad respondendum.*
34 *Non potest judex Partem interrogare, aut juramentum deferre nisi rogatus:*
35 *Respondere recusans habetur pro confitente.*
36 *Nisi rationabilem causam non respondendi habeat; & quæ sit causa rationabilis.*
37 *Positiones exhibendæ judici, ut videat, an sit admittendæ, vel rejiciendæ.*
38 *Difficulter qui excusatur à respondendo super facto* proprio.
39 *An ad positiones responderi queat per Procuratorem; & quale mandatum requiratur.*
40 *In responso ad positiones debet esse summa sinceritas ob juramentum calumniæ prævièpræstandum.*
41 *In Gallia vetitum ad positiones respondere per* credit; *& quare.*
42 *Circa perjurium non potest responderi ad factum propositum* non credit, *si illud sciat verum.*
43 *Quid hîc incumbat judici.*
44 *Post responsa ad positiones quorum supersit probatio.*

I. LIte contestatâ per negationem ipsius Rei, sequitur necessitas probationis. Nisi enim quis asserta sua in judicio probet, nihil obtinere potest; ideoque probatio dicitur anima processûs.

II. Probare autem hîc idem significat, quòd Judici fidem facere de facto dubio, super quo in judicio est quæstio; sive de facto, quod unus litigantium asserit, & alter negat. Unde probatio, de qua agitur sub titulis Juris Canonici & Civilis de *Probationibus*, non est aliud, quàm Judici alicujus facti dubii sive controversi, legitimè facta ostensio seu verificatio.

III. Nec enim probatio propriè versatur nisi circa *facta*, sive ea, quæ *facti* sunt, quia hæc sola à Partibus Judici probanda sunt; quæ enim juris sunt, judici nota esse supponuntur, & secundum Leges, seu jura è quibus causæ decisio dependet, judicare eum oportet, licèt à litigatoribus, eorumve Advocatis per negligentiam vel imperitiam forent omissa, *L. unica, Cod. ut quæ desunt. Advocatis*, &c.

IV. Hinc *motiva Juris*, quibus jus ipsum deducitur, tanquam necessaria ad instructionem causæ, non computantur inter acta litis, neque in taxatione impensarum eorum ratio solet haberi; sed manent ad onus exhibentis, tametsi causam lucretur cum expensis.

Igi-

V. Igitur qui factum allegat, quod alter negat, si huic *facto* conclusio seu petitio innitatur, tenetur factum illud judici probare.

VI. Idcircò ordinariè ipse actor intentionem suam probare jubetur: eò quòd hic soleat factum allegare, atque in eo intentionem suam adversus Reum fundare; Reus verò soleat factum simpliciter negare; atque hinc illud vulgare: *Actore non probante Reus absolvitur, etsi nihil præstiterit.*

VII. Si autem reus non simpliciter neget petitionem Actoris, sed contra eam excipiat, proponendo aliquod factum petionem Actoris perimens, quæ inde dicta est exceptio *peremptoria*, tunc tenetur reus *factum* allegatum probare, puta, solutionem, transactionem, pactum de non petendo, &c.

VIII. Rursus Reus probare tenetur, quando jus commune aut præsumptio est pro Actore. Licèt enim Reus negare videtur, implicitè tamen asserit, & *factum* allegat. Si enim jus commune vel præsumptio sit pro Actore, Reus petitionem Actoris huic juri vel præsumptione innixam negans, implicitè asserit factum aliquod, quo jus commune, aut præsumptionem Actori faventem elidere contendit, quod *factum* nisi probet, manet jus commune, vel præsumptio pro Actore, & vi illius Judex petitionem Actori adjudicare tenebitur.

Plures alios casus, quibus Reo incumbit onus probandi assignat Damhouderus in *Praxi Civil. cap.* 158.

IX. Si ab utraque parte allegentur facta contraria, utriusque erit sua facta verificare, si iis fundamentum causæ innitatur; puta, in judiciis *duplicibus*, ut *communi dividundo*, *familiæ erciscundæ*, interdicto *retinendæ possessionis*, &c.

Et quidem in his obtinebit, qui probaverit suam intentionem altero non probante: v. g. unus probaverit possessionem, alter non, indubiè probanti adjudicabitur possessorium.

X. Quod si uterque probaverit, Judicis erit dijudicare, uter meliùs probaverit; ut si agatur de possessione, quis antiquiorem possessionem, vel justiorem titulum probaverit, juxta Rubricam *cap.* 9. ✠ *de Probat.* quæ habet: »Si Actor & Reus »interdicto retinendæ possessionis probat, obtinet is, qui antiquiorem possessionem probat titulo maximè justificatam, vel »meliores probationes respectu possessionis adduxit.

XI. »Quod si ambarum partium testes sint æquè idonei, »*Possessoris* testes præferentur; cùm promptiora sint jura ad »solvendum, quàm ad condemnandum,« ait Pontifex in *cap.* 3. §. Quod si ✠ *De Probat.* Hinc concludunt communiter Canonistæ, quòd in pari probatione potior sit conditio possidentis: imò inde conflata apparet Regula juris: *In pari delicto vel causa potior est conditio possidentis*, cap. 65. de Regulis juris, in VI.

XII. Ex ipsa enim possessione oritur præsumptio quædam pro possessore, eaque pro diuturnitate, vel brevitate durationis vehementior, vel levior; quæ & in judicio vice cujusdam probationis habetur.

XIII. Leges enim volunt, ut in foro externo quisque præsumatur, & habeatur tanquam Dominus rei, quam ut sibi propriam possidet; nec è possessione illius deturbetur, quousque in judicio sufficienter fuerit probatum, rem illam ad ipsum possessorem revera non spectare; eique possessionem tanquam injustam esse auferendam.

XIV. Itaque commodum non exiguum confert hæc præsumptio ipsi possessori; quod nimirum onus probandi transferat in adversarium, ipseque interim gaudeat usu ipsius rei, donec adversarius probaverit; quod expressit Justinianus in §. 4. *Inst. de Interdictis*, dicens: »Commodum possidenti in eo est, »quòd etiamsi ejus res non sit, qui possidet, si modo Actor »non potuerit suam esse probare, maneat in suo loco possessor.«

XV. Ex his haud difficulter intelligitur, qua ratione dicat Regula Juris, quòd in pari casu sit melior conditio possidentis, nimirum ob præsumptionem ex possessione resultantem, & onus probandi in adversarium transferentem.

XVI. Hinc ulterius elucet quantopere circa hanc Regulam errent, qui putant, possessorem tutum semper in retentione rei, tametsi rationabiliter dubitet, an sua sit, an aliena: necnon illi, qui Regulam hanc extendunt extra materiam justitiæ; uti latiùs ostendi in explicatione hujus Regulæ, quam per modum appendicis adjunxi Dissertationi, seu repetitioni ad Regulam: *In dubiis semita tutior est eligenda.*

XVII. Præsumptio dicitur anticipata de re dubia opinio ex argumentis, indiciis, & conjecturis per rerum circumstantias plerumque evidentibus sumpta.

Hæc autem opinio ex indiciis, & conjecturis, & argumentis deducta, interim dum probatio clara veritatis cessat, vicem probationis supplet; atque ideo præsumptio dicta, quasi aliquid *antè sumat*, & ponat credendum, sequendumque, uti observat Tuldenus in Codice *tit. de Probat. num.* 3.

XVIII. Probatio innixa præsumptioni dicitur *artificialis*, quia arte ingenii quodammodo conficitur per collectionem ex signis, indiciis, probabilibusque argumentis.

XIX. Præsumptio communiter dividitur in præsumptionem Juris tantùm, præsumptionem Juris & de Jure, & præsumptionem judicis sive hominis.

Præsumptio Juris tantùm dicitur indicium Lege probatum; id est, quod lege sit expressum, ex hujusmodi indicio præsumendum esse, hoc illudve subesse, quousque contrarium probetur.

XX. Hujus præsumptionis species est, quæ resultat ex possessione. Vult enim Lex, ut ex possessione præsumatur rem ad possessorem spectare, quousque contrarium probetur. Hujus generis præsumptiones plurimæ tam in Legibus, quàm Decretalibus occurrunt.

XXI. Præsumptio juris & de jure vocatur, cùm Lex, aut Canon ita ex aliquo indicio quidpiam præsumit, ut super tali præsumptione jus firmum statuat, & eam pro veritate à judice haberi velit, non admissâ probatione in contrarium: ideoque à Doctoribus dicitur necessaria, & violentissima.

XXII. Hujus præsumptionis species occurrit in *Cap.* 30. ✠ *de Sponsalibus*; ubi dicitur, »quòd is, qui fidem dedit mu»lieri super matrimonio contrahendo, insuper carnali copula »subsecutâ, etsi in facie Ecclesiæ ducat aliam, & cognoscat, »ad primam tenetur redire.« Rationem subjungit Pontifex: »Quia licèt præsumptum primum Matrimonium videatur, *con»tra præsumptionem* tamen hujusmodi non est probatio admit»tenda. Ex quo sequitur (ait) quòd nec verum, nec aliquod »censeatur Matrimonium, quod de facto est postmodum sub»secutum.«

Hinc post Glossam docent Canonistæ, ex copula Carnali subsecuta oriri *jure Decretalium* præsumptionem juris & de jure, sponsalia de futuro mutuo consensu transiisse in sponsalia de præsenti, sive verum consensum Matrimonialem intervenisse, & Matrimonium esse contractum; atque ab ipso judice ita esse procedendum in judicio, ac si revera Matrimonium esset initium; nec Partes ad contrariam probationem esse admittendas.

XXIII. Verùm licèt præsumptio juris & de jure sit violentissima, nec facilè per contrarias probationes elidatur; tamen verè & propriè non est veritas, cùm versetur circa dubium; & in claris locus non sit conjecturis, vel præsumptioni, quæ ex conjecturis desumitur.

XXIV. Hinc concludunt Doctores, quòd etiam hæc præsumptio cedere debeat veritati; atque ordinariè elidatur per confessionem illius, pro quo stat ipsa præsumptio. Vide Andream Vallensem in *Paratitlis*, *tituli de Præsump.* §. 4. *numer.* 7. ubi & plures casus annotat, quibus ipsa præsumptio juris & de jure elidi potest.

XXV. Præsumptio hominis sive judicis est quædam opinio sive conceptus hominis ex aliqua conjectura sive indicio formatus. Dicitur hominis sive judicis, quia nullâ Lege, aut Canone nominatim expressum est, ex hoc, illove facto hujusmodi præsumptionem, sive opinionem esse formandam, sed eam judex sibi format.

XXVI. Porrò sicuti indicia, seu principia, è quibus hujusmodi opiniones vel judicia formari possunt, sunt admodum varia, ita & præsumptiones ex iis resultantes variæ quoque sunt, præcipuè quoad effectum probationis. Prout enim indicia sive argumenta ex factis, & circumstantiis resultantia sunt fortiora, & plausibiliora; ita & præsumptio iis respondens vehementior est, & ad probandum efficacior.

XXVII. Cùm autem definire, quid hæc indicia hîc & nunc in talibus circumstantiis probent, quamque præsumptionem faciant, ab hominum diversis opinionibus dependeat, sat apparet, quàm circumspecti, ac prudentes debeant esse judices in scrutandis, & ponderandis factis, & circumstantiis, ut de effectu præsumptionis ex his resultantis rectè statuere queant.

XXVIII. Meritò proindè Damhouderus in *Praxi Rerum Civil. cap.* 178. *num.* 46. »Judicem diligenter præmonitum es»se vult, ne hisce præsumptionibus nimiùm innitatur, sed ut »reliqua omnia diligenter consideret, antequam ad definitivam »descendat, & ut maturâ deliberatione omnia priùs perquirat, »quàm ex suspicionibus præsumptivis ullam sententiam pro»nuntiet.«

XXIX. Contingit autem frequenter, quòd tam est parte Actoris, quàm ex parte Rei multa *facta* proponantur; quorum omnium, si exacta probatio fieri debeat, lites in longum protrahentur, & litigantes in immensas expensas incident: atque sæpè continget ob difficultates, & impensas probationum Partes suo jure fraudari.

Hinc ad exemplum *interrogationum in jure faciendorum* quæ apud Veteres in usu fuerunt, ut patet ex titulo Digestorum *de interrogationibus in jure faciendis*, introductus est usus *positionum.*

XXX. Positiones sunt articuli, quibus Actor vel Reus exprimit *facta*, quæ in judicio fuerunt allegata; eaque scriptis Judici exhibet, ut super iis jubeat Partem adversam respondere: atque hoc pacto à Parte adversa confessionem de veritate factorum extorquendo. Ponens ab onere relevetur.

XXXI. Meminit harum positionum Bonifacius VIII. in *Capit. 2. de Confessis*, *in VI.* & in Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum earum passim mentio occurit; atque admodum verisimile est, earum usum ex Constitutionibus Canonicis initium sumpsisse, & ad Curias Civiles (p) transiisse.

XXXII. Supponit hîc Pontifex, quòd respondere (q) ad Positiones non teneatur Pârs adversa, nisi justa à judice respondere; quod latiùs ibidem exponit Glossa verbo *Jussusque à judice*; quod & praxis observat. Licèt enim Pars suas positiones exhibuerit, atque super iis medio juramento responderi postulaverit, nequaquam respondere cogitur, quandiu Decretum, & jussus Judicis non intervenerit; & ad positiones à Judice respondere cogatur.

XXXIII. Ulteriùs ad has responsiones faciendas debet primò pars adversa citari: si enim non citaretur, responsiones nullas facere teneretur, ait Damhouderus in *Praxi rerum civil. cap.* 154. *n.* 33. quod & habent Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 31. quo ordinatur, Commissarios ad examen testium deputatos ante omnia debere litteras citatoriales sub suis sigillis committere uni Apparitorum, vel Nuntiorum Curiæ, ad citandum Partes, ad respondendum scripturis sive positionibus *per credit vel non.* Verba articuli sunt: *Dat be Commissarissen adeer sy uyt crachte van heure commissien tot eenige enquesten sullen moghen procederen, sullen ghehouden zyn heure briefven van citatien onder heuren segele te decerneren aen eenige Deurwaerderen oft Boden van onsen Raede, om die partye te daghen, om op de scrifturen, die selve eerst gheaffirmeert zynde, t' antworden* PER CREDIT VEL NON. Id est: » Ut Com» missarii, priusquam vi mandati inquisitionem instituant, te» neantur citationis litteras sigillis suis munitas cuidam, seu Ap» paritorum, seu Nuntiorum Curiæ tradere, quibus partes evo» centur, ut ad scripta tum præasserta respondeant per *Cre» dit vel non.* (r)

XXXIV. Non poterit tamen judex deferre juramentum Parti, & eam interrogare, nisi Parte hoc requirente, ut ait Rebuffus in tractatu *de Respons. per* credit *vel* non, *art.* 1. *n.* 14. additque: » Quia judices in Francia solent ad Partium » utilitatem esse elingues, sine requisitione illarum. «

XXXV. Dicit autem Pontifex in citato *Cap.* 2. *de Confessis*, *in* VI. quòd si quis jussus à judice » respondere recu» set, aut nolit, seu contumaciter se absentet, haberi debet, » super iis, de quibus in eisdem positionibus interrogatus exti» tit, pro confesso, (s) « quod & hodiernæ praxi est conforme, & extat ea de re expressus *articulus* 36. Ordinationum Curiæ Brabantiæ. Vide etiam Merulam in *Praxi, lib.* 4. *tit.* 71. *cap.* 4. *n.* 4.

XXXVI. Addit nihilominùs Pontifex hanc notandam clausulam restrictivam, si *absque rationabili causa recuset.*

Notat autem ibidem Glossa, *rationabilem causam* responsum recusandi esse, » si positio sibi proposita superflua esset, » vel impertinens, quæ probata non relevaret; vel obscura vel » generalis; item si sit de facto alieno; item si sit captiosa; item » si sit impossibilis vel contra naturam: Item super crimina » ejus, contra quem fiunt, non admittuntur positiones. Hæ » ergò & similes sint rationabiles causæ, propter quas respon» dere non teneatur. « Hactenus Glossographus, qui id ibidem latiùs ostendit, & post illum fusiùs deducit Damhouderus in *Praxi rerum civil. cap.* 154. ubi unà notat *num.* 32. quâ formâ responsiones fiant tam in Consilio Flandriæ, quam Parlamento Mechliniensi coram Commissario ordinato, & deputato ad informationem faciendam coram suo adjuncto.

XXXVII. Hinc Actor postquam suas positiones collegerit, & formaverit, tunc eas judici in scriptis (t) exhibere debet, ut tam Partes quàm judex videant, an sint tales positiones vel admittendæ vel rejiciendæ, ait Damhouderus ibidem *cap.* 152. additque: » Nam debet judex eas positiones examinare, an fa» ciant ad causam, & an sint admissibiles, & non captiosæ, non » negativæ, & sic de aliis, idque Partibus præsentibus. «

XXXVIII. Si de *facto proprio* ipsius respondentis agatur, illudque ad causæ decisionem serviat, ac clarè proponatur, difficulter à responso se eximere poterit interrogatus; decernuntque expressè Ordinationes Curiæ Brabantiæ *articul.* 34. quòd litigantes, eorumve Procuratores teneantur respondere super *factis propriis* simpliciter & absolutè absque ulla additione, vel excusatione ignorantiæ, oblivionis, impertinentiæ, aut alterius, sub pœna sex florenorum. Verba articuli sunt: *Ende de sullen de voorscreven partyen oft heure Procureurs moeten antworden op t' ghene; d' awelck van heur eygene seyten wesen sal naecktelick ende absolutelick sonder tot de selve te moghen weghen eenighe additien oft excusatien van ignorantie, vergheten-theyt, impertinentie, oft andere, op pene van ses Carolus Guldens, d' een hellicht t' onsen profyte, ende d' andere hellicht tot behoef van de geinteresseerede partien.* Id est: » Debebunt» qu e dictæ partes, aut eorum Procuratores ad ea, quæ facta » propria concernent, simpliciter & absolutè respondere; nec » liceat illis additiones, aut excusationes, seu ignorantiæ seu » oblivionis, ineptias, aut alia apponere, sub mulcta sex flo» renorum Carolinorum, cujus altera medietas nostro emolu» mento, altera parti, cujus res agitur, cedet. «

Similem pœnam sex florenorum imponunt *art.* 35. ei, qui detegitur facta aliqua calumniosè posuisse, aut negâsse.

XXXIX. Sæpiùs citatæ Ordinationes Curiæ Brabantiæ *articulo.* 33. non permittunt, responsiones fieri per Procuratorem, dum de *facto proprio* Partis respondentis agitur, nisi ob morbum vel absentiam, aliamve rationabilem causam à Parte ipsa fieri non possent; quo casu Procurator habens *speciale* mandatum (u) (quod exhibere tenebitur Commissariis in præsentia Partis adversæ) continens factum, vel facta, super quibus pars deberet respondere, poterit dictas responsiones facere, & non alias. Notat quoque Rebuffus citato loco, requiri in Gallia *speciale* mandatum ad respondendum, nec sufficere generale; & ita aliquando judicatum fuisse.

Secundum stylum Consilii Flandriæ, & Parlamenti Mechliniensis, quando altera Partium non est præsens, sed est absens, tunc jurat illius absentis Procurator in eadem causa sui magistri, uti refert Damhouderus *cap.* 153. *num.* 3.

XL. Cæterùm cùm hæ responsiones fiant prævio juramento *de calumnia*, (x) satis manifestum est, summa sinceritate in his responsionibus esse procedendum; summopereque cavendum, ne quid falsi, aut contra veritatem dicantur.

Dicit Damhouderus citato *cap.* 154. *n.* 39. quòd » multi Ad» vocati, & Procuratores nonnunquam consulunt Dominis, ac » Magistris suis, ut illum, aut illum articulum negent; ut non » confiteantur, quòd ipsi cum tali confessione, etiamsi vera es» set, suam causam perderent, aut in sua causa succumberent. » Sed hi (ait Damhouderus) non considerant, quòd veritatem » simulanter & falsò negando, suas animas damnant, & ita ve» ritatem negantes, ad inferna descendunt. «

XLI. Observat Rebuffus in allegato Tractatu *art.* 2. per Constitutionem Francisci I. ann. 1539. *art.* 36. prohibitum esse, ne de cætero responsiones fiant *per credit*; easque ideò sublatas arbitratur, » quia Partes super his frequenter pejerabant, existi» mantes falsò, se non ligari, si jurarent *per non credit*; licèt » de jure tantùm valeat confessio per verbum *credit*, sicut fac» ta de veritate. « Quod & monet Glossographus ad *Cap.* 32. ✠ *de Jurejurando*, verbo, *occultâ veritate.*

XLII. Nec dubium, quin vi juramenti præstiti teneatur respondens dicere sincerè circa veritatem facti, quod putat subesse. Unde si re ritè discussâ, putet reverà factum propositum esse verum, non poterit citra perjurium respondere *non credit*; cùm ita in effectu dicat, idque sub juramento, quod factum non putet sive credat verum; ubi tamen reverà sciat, & credat esse verum, Judicis erit super his subindè monere, & instruere Partes, præsertim quas meritò præsumit rudiores, & ad vim juramenti minùs reflectentes.

XLIII. Dicit Damhouderus citato *cap.* 152. *n.* 25. » Oblatis » igitur ab Actorè positionibus, quærat Judex primò à Ponen» te Actore, sic ponis tu, vel credis tu N. per juramentum à » te præstitum, quod in his positionibus continetur. Et si affir» mativè respondeat, quod sic; tunc convertet se ad Reum, » contra quem fiunt positiones, & ipsum adhortabitur, ut ha» bita animæ salutis ratione, nihil horum neget, quod verum » esse noverit. «

XLIV. Responsionibus ad Positiones absolutis restat probatio eorum factorum duntaxat, quæ Pars adversa respodit *per non credit*, sive ad quorum veritatem nec explicitè nec implicitè confessa est. Quæ enim Pars in suis Responsivis confessa est per verbum *credit*, ulterius probari non debent; uti nec ea, ad quæ per contumaciam respondere noluit: utpote quæ pro confessis habentur, uti supra notavimus.

Pro-

(p) *In Hispania ann.* 1387. *tempore D. Joannis I. positiones in usu erant, ut constat ex leg.* 1. *tit.* 7. *lib.* 4. *Recop.*

(q) *Leg.* 1. 2. *&* 3. *dict. tit.* 7. *& lib.* 4. *de quibus prior ait*: » O si despues que le fuere mandado por el Juez que res» ponda. «

(r) *In Hispania non sunt sufficientia in confessione verba* Credo, *vel* non, *sed terminativa* Nego, *vel* Confiteor, *ut ait L.* 2. *tit.* 7. *lib.* 4. *Recop.* » Confesandolo ó negandolo simple» mente, y sin cautela, y no por palabra de creo, ó no » creo. «

(s) *Dictæ leg.* 1. *&* 2. *tit.* 6. *lib.* 4. *Recop.*

(t) *Actor suas positiones in scriptis, citatus verbo & scripto, Procurator verò cum litterarum mandati præsentatione & juramento manifestare debet, ut præscribitur in dicta L.* 2. » Aunque sean puestas por escrito.... con especial mandato.... » responda so juramento «

(u) *Lex.* 2. *tit.* 6. *lib.* 4. *Recop. per verba*: » con poder » especial. «

(x) Responda so juramento, *ait dict. L.* 2. *dict. tit. & lib. Recopilat.*

Probatio autem factorum, quæ pars in judicio inficiatur potissimum fit tribus modis, per testes, per scripturas, & instrumenta, & per juramenti delationem â Parte, aut à Judice; idque juxta factorum & causæ conditionem & naturam, prout in sequentibus explanabitur.

CAPUT VI.

De probatione per Testes.

1 *Probatio per* testes *solet præferri probationi per instrumenta.*
2 *Qui testes producere intendit, terminum ad eos producendum à judice petere debet; & quid hic hodie obtineat.*
3 *Non facilè citra sententiam Partes ad probandum admittendæ.*
4 *Judex visso processu Partes, aut alteram earum ad probandum ex officio admittere potest.*
5 *Solent designari Commissarii ad examen testium.*
6 *Testes à Judice citandi sunt, licèt à Parte produci debeant.*
7 *Testes ad dandum testimonium etiam cogi possunt.*
8 *An testis, qui Apparitori vel Judici declarat, se nihil de causa hac scire, cogi queat ad testandum.*
9 *Nonnullæ personæ excusantur à ferendo testimonio; & quid de Clericis coram Judice laico.*
10 *Quomodo audiendi, & examinandi testes infirmi, aut in remotis degentes.*
11 *Regulariter duo testes plenè probant.*
12 *Modo sint omni exceptione majores.*
13 *De Jure omnes testes censentur idonei, nisi ostendantur excepti.*
14 *Moribus hodiernis Judex testem non repellit, nisi Parte opponente: Judicis autem est arbitrari, quæ fides ei adhibenda.*
15 *Possunt super eodem plures, quam duo testes produci, nimia tamen multitudo à Judice refrænanda.*
16 *Hodie ultra* 10. *testes super eodem facto non producendi.*
17 *Fallit in probatione consuetudinis, styli, privilegii, & similium.*
18 *Hæc per* Turbas *probari solent: quæ constat ut minus* 10. *testibus.*
19 *Pro turba non ultra* 30. *testes producendi, nec ampliùs quàm tres turbæ.*
20 *Testes jurare debent de dicenda veritate.*
21 *Convenit juramentum præcedere depositionem testis.*
22 *In repetitione, seu recolectione testium coram Judice superiore, an renovandum juramentum.*
23 *Judex instruere debet testes super præstando juramento.*
24 *Citanda pars adversa ad videndum jurare testes; ea non comparente poterit ulteriùs procedi.*
25 *Producens testes debet exhibere articulos, super quibus testes audiendi, & interrogandi.*
26 *A Parte adversa dantur judici interrogatoria; quæ sit eorum forma.*
27 *Ratio introductionis interrogatoriorum.*
28 *Designationes articulorum, & interrogatoria actis litis inserenda sunt.*
29 *Interrogatoria Parti adversæ non communicantur; sed à Judice examinantur.*
30 *In Curiis Regiis interrogatoriorum usus non est.*
31 *Testes* singulatim & secretò *examinandi.*
32 *Monendi testes à Judice, ut exactè attendant ad articulos sibi propositos.*
33 *Judex in examine testium ad quæ potissimum attendere debeat:*
34 *Non recipienda depositio testis relativa ad depositionem alterius.*
35 *Testis non satisfacit, tradendo suam depositionem scripto.*
36 *Depositiones testium scripto à notario excipienda; & quid hîc observandum.*
37 *In scribendis depositionibus testium quæ exprimenda, & quæ omittenda.*
38 *Omnium & singulorum testium depositiones integrè, & ad longum excipiendæ.*
39 *Depositiones scripto exceptæ relegendæ sunt.*
40 *Quomodo depositiones à testibus signandæ sint.*
41 *Depositiones testium à Commissariis non possunt publicari.*
42 *De Jure communi debet fieri publicatio depositionum, & testium ante sententiam.*
43 *In Gallia jam pridem usus invaluerat non publicandi depositiones.*
44 *Idem usus in Belgio aliquando obtinuit.*
45 *Abrogatus generaliter per Edictum perpetuum de anno* 1611.
46 *Etiam in Curiis Ecclesiasticis fit publicatio depositionum & testium; interdum tamen sola testium nomina.*
47 *Quis scopus publicationis.*
48 *Post publicatas depositiones vetita ulterior productio testium super iisdem, aut planè contrariis articulis.*
49 *Interdum tamen permittitur; sed rarò.*
50 *Publicatis depositionibus, & nominibus testium, permittitur testium reprobatio.*
51 *Unde hæc summi soleat.*
52 *Qualitas testium inspicienda pro tempore dati testimonii.*
53 *An testis ab una Parte productus possit ab eadem reprobari; si contra ipsam producatur.*
54 *Reprobatio subindè sumitur ex iis, quæ depositiones concernunt.*
55 *Factâ Reprobatione testium admittitur salvatio*
56 *Qualis terminus est datus ad reprobandum, etiam dandus ad salvandum.*
57 *In reprobationibus, & salvationibus nihil impertinens ad causam est ponendum.*
58 *Terminus dandus ad probanda facta contra testes allegata.*
59 *Edictum Principum nostrorum vult reprobationes testium & depositionum, uti & eorum salvationes simul absolvi.*

I. Inter modos facta probandi frequentissimus est, qui fit per testes; traduntque communiter Canonistæ, eum multò efficatiorem, ac digniorem esse, quàm qui fit per instrumenta: cùm etiam falsitas instrumenti, vel quod deest instrumento, per testes probari possit, *Cap.* 10. §. PORRO ✠ *de Fide instrum.* Hodie tamen in quibusdam causis admittitur probatio per sola instrumenta, & non per testes; ut in decursu ostendetur.

II. Si Actor per testes suam intentionem probare velit, vel Reus suam exceptionem, imprimis petere debet à Judice admitti ad probandum, & dari sibi terminum ad probandum, sive terminum convenientem, intra quem suos testes producere queat. Hodie ferè receptum est, ut judex viso processu Partes, vel alteram earum ad probandum per sententiam interlocutoriam condemnet, vel admittat.

III. Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *art.* 25. mandant: »Processus sic, ut præmittitur, instructus »ad Judicem deferatur, ut ipse dispiciat, an quæstio juris, vel »facti sit; sententiam suam definitivam, vel interlocutoriam fe»rat, nec ante citra sententiam ad probandum Partes admittan»tur, (y) nisi ambæ consentiant, & Judici nulla suspicio sub»repat collusionis Procuratorum, aut Advocatorum, qui suo »lucro velint expensas facere damno Partium, ad earum ju»ra tuenda non necessarias.«

IV. Deindè *art.* 26. addunt: »Processu per Judicem vi»sitato, seu visis Actis, si testium productione opus esse ju»dicet, utramque partem, aut illam, quam ad fundandam »intentionem suam probatione indigere comperiet, ad proban»dam admittet.«

V. In Curiis Civilibus, dum partes sunt admissæ ad probandum, solent deputari Commissarii, coram quibus testes produci, & examinari debent; (z) de quibus Commissariis designandis à Cancellario Curiæ Brabantiæ est expresus *art.* 29. dictarum Ordinationum.

VI. Post hæc, testes per Commissarium vel Judicem citari debent. Testes enim, qui sua sponte, nulla prævia citatione, ad ferendum testimonium se offerunt, suspecti esse solent.

Illud tamen notandum, quòd ipsi testes à Partibus, vel per Partes produci debeant, & nullo modo à Judice, vel per Judicem, aut à Judicis officio; quia Judex ex suo officio, partium facta in causis civilibus, aut in causis criminalibus civiliter intentatis, inquirere non potest, licèt id possit in criminalibus causis criminaliter intentatis. Ita Damhouderus in Praxi Rer. Civil. *cap.* 163.

Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechlin. *art.* 29. idipsum insinuant, ubi statuunt: »In probandi termino pen»dente, is, cui probandi onus incumbit, articulos scripto de-sig-

(y) *Idem in Tribunalibus secularibus Hispaniæ observatur juxta præscriptum in leg.* 1. *&* 9. *& Remiss.* 2. *tit.* 6. *& leg.* 1. *in fin. tit.* 7. *lib.* 4. *Recop.*

(z) *In causis Criminalibus, & Civilibus arduis in Hispania testes coram Judicibus examinari debent; in eis, quæ parvi sig-sunt momenti fidei tabellioni examen committi solet. L.* 28. *&* 44. *tit.* 6. *lib.* 3. *Remiss.* 12. *tit.* 6. *lib.* 4. *leg.* 73. *in fin. tit.* 5. 3. *cap.* 1. *tit.* 11. 6. *tit.* 20. 2. *tit.* 21. *lib.* 2. *&* L. 50. *tit.* 4. *lib.* 3. *Recop.*

» signabit, super quibus *productionem facere* intendet. «

VII. Citati testes ad dicendum testimonium, si contumaciter comparere, & testimonium ferre recusent, possunt etiam inviti, præsertim in Civilibus (a) cogi ad testimonium ferendum. *Cap.* 2. ✠ *de Testibus cogendis* & *L.* SI QUANDO, *Cod. de Testibus*, & Authenticâ ei subjectâ.

VIII. Imò si contingeret, quòd testis citatus Apparitori citanti responderet: » Ego non veniam, quia ego de causâ ni- » hil scio; tamem deberet venire & comparere, & ad hoc com- » pellendus est, saltem ut illa declaret, & affirmet sub suo ju- » ramento, « ait Damhouderus in praxi rerum civil. *cap.* 163. *num.* 10. Si tamen ex circumstantiis satis appareret Judici, quòd testis nihil de causa illa sciret, meritò eum à subeundo labore, & præstando juramento absolvere posset.

IX. Sunt præterea quædam personæ, quæ à ferendo testimonio, etiam in civilibus causis, excusantur; de quibus agunt Doctores ad titulum Decretalium *de testibus cogendis*: quibus & annumerant Clericos, præsertim in Sacris constitutos, quos asserunt excusari à testimonio ferendo, in causis etiam civilibus coram Judice laico, saltem sine licentia, & consensu suorum Prælatorum: quod tamen hodie non servari notat Bignonius de Legibus abrogat, *lib.* 3. *cap.* 152. quin & cogi posse ad testimonium ferendum coram laicis in civilibus; quod in Belgio servari notat Christinæus ad Bignonium ibidem *cap.* 131. Et exprimitur in Concordatis inter Episcopum Cameracensem, & status Hannoniæ de anno 1541. *art.* 20. uti suprà cap. 2. notatum est.

X. Si testes sint infirmi, vel in remotis partibus morentur, tunc subindè ipse Judex, vel Commissarii ad locum ipsorum testium accedunt; atque ipsos testes personaliter audiunt, & examinant: (b) interdum verò in causis non arduis, ut parcatur sumptibus, scribitur Judici, sub quo degunt testes, ut eos recipiat & audiat juxta schedulam informationis eò transmissam, & secundum formam, ac stylum loci, uti loquitur Damhouderus citato *cap.* 163. *num.* 8. idque & in Curiis Ecclesiasticis est usitatissimum; mandaturque in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *art.* 38. quòd » quando Judex, » ob sua impedimenta, locorum distantiam, Partium tenuitatem » & modicum causæ momentum, vel aliàs non vacabit testibus » per se audiendis, committet partes suas alteri ad hoc idoneo, » qui prout & ipse Judex, nunquam solus, semper cum adjunc- » to idoneo, Partibus quàm minimè oneroso, & neutri partium » suspecto, testes audiet. «

XI. Regulariter duo testes sufficiunt ad plenam probationem, *L.* 12. *ff. de Probation.* ubi Ulpianus ait: » Ubi nume- » rus testium non adjicitur, etiam duo sufficiunt: pluralis enim » elocutio duorum numero est. « Quod est conforme huic Christi sententiæ: *In ore duorum vel trium testium stet omne verbum.* Matt. cap. 18. vers. 16.

XII. Verùm ut duorum testium depositio super uno eodemque facto plenè probet, requiritur, ut hi testes sint omni exceptione majores; id est, ut nulla ex parte fides illorum vacillet: quales olim antiquo verbo legis XII. Tabul. *assidui* vel *classici* vocabantur, (c) uti observat Wesembecius ad tit. *de Testibus*, *n.* 2.

XIII. Multi de jure testes esse prohibentur; & alii quidem generaliter in quibuscunque causis, & contra quascunque personas; alii in certis causis, & contra certas personas; qui passim à Doctoribus ad titulum Decretalium, Digestorum & Codicis *de Testibus* annotantur.

Omnes tamen censentur de jure idonei testes, qui specialiter non ostenduntur excepti, *Cap.* 1. ✠ *de Testibus*, & ibi Glossa unà notans, quòd » edictum de testibus prohibitorium sit, ut » quilibet admittatur, qui non repellitur. «

XIV. Cùm ergo omnis testis de jure reputetur idoneus, nisi ostendatur exceptus, Partis est exceptionem adversus testem opponere: moribusque receptum est, ut judex testes non reppellat, nisi Parte opponente: (d) ipsius tamen arbitrio relictum manet, quantum fidei tribuat, juxta *L.* 3. §. 1. & 2. *ff. de Testibus*; ubi asseritur: » Divus Adrianus Vivio Varo Le- » gato Provinciæ Ciliciæ rescripsit, eum qui judicat magis pos- » se scire, quanta fides habenda sit testibus. « Idipsum latiùs exprimitur in *L.* 21. §. 2. *ff. eod.*

XV. Licèt duo testes omni exceptione majores sufficiant ad plenam probationem; quia tamen nonnunquam fides testium aliqua ex parte debilitatur, prohibitum non est, imò & nonnunquam consultum ad firmiorem, & clariorem probationem plures testes adducere: modò tamen caveatur, ne superflua multitudo testium ad divexandum adversarium sumptibus, producatur; voluerunt que jam pridem Romani, ut licentiam producendi testes ita Judices moderentur, » ut eum solum nu- » merum testium, quem necessarium esse putaverint, evocari » patiantur; ne effrænata potestate ad vexandos homines super- » flua multitudo testium protrahatur, *L.* 1. §. 2. *ff. eod.*

XVI. Moribus hodiernis plerisque Curiarum Ordinationibus cautum est, ne super uno, eodemque articulo ultra 10. *testes* producantur; (e) quemadmodum de Parisiensi Parlamento testatur Mansuetus de Judiciorum Praxi *sub Rubrica de testibus*, *col.* 6.

Et in Curia Brabantiæ *art.* 44. injungitur Commissariis quod super uno facto non possint ultra 10. testes audiri, nisi in causis Fiscalibus, vel aliis magni momenti arbitrio Cancellarii & Consilii: & si ultra 10. testes essent auditi, hi non taxabuntur ad onus partis adversæ. Testaturque Antonius Faber in Codice *lib.* 4. *tit.* 5. *Definit.* 6. in notis, stylo Senatus Sabaudici cautum esse, super eodem facto ultra 10. *testes* non audiendos.

XVII. Idem numerus testium præfigitur in citatis Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum *art.* 25. addita hac exceptione: » Nisi quando vertitur quæstio super consuetudine, aut » Judex, meritis causæ excussis, aliud decreverit. «

Quod hîc dicitur de *consuetudine*, ut in hujus probationem plures quàm 10. testes admitti queant, similiter locum habet ubi de usu, an stylo alicujus Curiæ, aut de privilegiis diu usitatis constroversia est; uti monet Damhouderus in Praxi rerum civil. *cap.* 164.

XVIII. Hæc enim vix sine multitudine testium uniformiter deponentium probari possunt; diciturque probatio per *Turbas*, quasi turbatim populus testaretur. In citato *art.* 44. Ordinationum Curiæ Brabantiæ declaratur, quòd una *Turba* habebitur tantùm pro unico teste. Turba autem constat 10. testibus, uti observat Merula in Praxi *lib.* 1. *tit.* 65. *cap.* 13. *num.* 4. asseritque Antonius Faber loco citato *Definit.* 14. quòd super consuetudine plures testes per turbam quidem audiri possint: » ita » tamen (ait) ut non paucioribus quàm *decem* testibus turba » constet. «

XIX. Addens unà ex Rebuffo, nec tamen posse adduci » ultra 30. testes pro turba, & quòd probatio recipiatur ad » tres turbas, & non ampliùs. «

XX. Ut dictis testium fides in judicio habeatur, hodie requiritur, ut priùs coram judice præstet juramentum (f) de dicenda veritate: nec testi injurato hodie in judicio creditur; & licèt hoc juramentum non sit pars litis, aut de substantia processus, non potest tamen omitti, nisi de consensu utriusque Partis, & judice probante, *Cap.* 39. ✠ *de Testibus*, & ibi Glossa verbo *Remittatur.* Vide etiam Merulam in Praxi *lib.* 4. *tit.* 65.

XXI. Planè convenit juramentum hoc non sequi, sed antecedere testimonium, uti & Praxis (g) observat: » Nam faci- » liùs religio à falso absterruerit, quàm ad confitendum de falso » adegerit; « uti rectè advertit Tuldenus in Codice ad titulum *de Testibus*: qui tamen adjungit; » sed non utique hoc ordine » converso irritum fuerit testimonium. « Vide etiam Damhouderum in *Praxi rerum civil. cap.* 166. *num.* 11.

XXII. Monet Merula *num.* 7. quòd si quis juramento præstito deposuerit coram arbitro, aut Judice subalterno, si postmodum coram Judice superiore cogatur renovare eandem depositionem, non videatur cogendus ad renovandum Juramentum: quòd sanè æquum, & justum apparet; ne Juramenta nimis leviter, & sine sufficienti causa (prout hodie frequenter admodum contingit) exigantur, & præstentur, & ita nomen Domini in vanum assumatur.

XXIII. Priusquam testes ad juramentum admittantur, meri-

(a) *Testes in Hispania cogi possunt ad ferendum testimonium tam in causis Civilibus quam Criminalibus sub pœna*, así por los bienes como por los cuerpos, *ut ait L.* 6. *tit.* 6. *lib.* 4. *Recop.*

(b) *Ita pro testibus infirmis decrevit Alexander III. cap.* Si quis, *extra de Testibus. Ac verò in Hispania si testes infirmi sunt accedit Judex*; *pro absentibus Receptoria vulgò* Requisitoria *expeditur Leg.* 24. *tit.* 16. 32. *tit.* 20. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 18. 19. 20. 21. & 22. *cum* 25. *lib.* 2. 68. & 79. *cap.* 51. *tit.* 4. *lib.* 3. & *L.* 8. *tit.* 6. *lib.* 4. *Recop.*

(c) *Lex* 32. *tit.* 16. *Partita* 3.

(d) *L.* 1. *tit.* 8. *lib. Recop.* Cada una de las partes que quisiere... tachar ó contradecir, &c.

(e) *In Hispania Pragmatica Sanctione de anno* 1503. (*quæ hodie est L.* 7. *tit.* 6. *lib.* 4. *Recop.*) *permissum est in qualibet causa, & etiam in quolibet ejusdem art.* 30. *testes recipi, dummodo pars juramentum de non malitia præstiterit*; *quod etiam confirmatum est per leg.* 32. *tit.* 20. & 11. *tit.* 22. *lib.* 2. *Recop. ann.* 1554. & 1534. *latas*: *Per leges autem* 68. & 79. *cap.* 52. *tit.* 4. *lib.* 3. *ejusd. Recop. ab ann.* 1600. *numerus testium ad* 20. *redactus est. Hodie verò in inferioribus Tribunalibus usus invaluit* 12. *tantùm testes in qualibet causa, articulove accipiendi*; & *ita ait observari D. Gonzal. Suarez de Paz* 1. *part.* 1. *tom. temp.* 8. *num.* 14.

(f) *Consonunt huic doctrinæ Hispanæ leg.* 23. *tit.* 16. *Partit.* 3. 68. *tit.* 4. *lib.* 3. & 6. *tit.* 6. *lib.* 4. *Recop.* Y juren.

(g) *Obtinet in Hispania, dict. L.* 6. *tit.* 6. *lib.* 4. *Recop.*

ritò Judex solicitus est, ut testes sint rectè instructi de ipso juramento quæ contineat; quamque grave sit juramento quidquam falsi præsertim in judicio, & in præjudicium tertii testificari. Hinc in Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis *tit.* 11. *art.* 38. expressè mandatur Judici, vel Commissario, seu Delegato ad audiendos testes, quòd ante omnem depositionem ad veritatem adhortabitur, » & iis » specificè pœnas perjurii exponet; quàm imprimis graviter » Deum offendat testis falsum deponens, aut verum subjicens; » Judicem quoque, qui secundum probata judicare debet, fallat; & partem vehementer lædat; quòd ad restitutionem to» tius damni, quòd pars ea de causa patitur, teneatur. «

XXIV. Hoc testium juramentum præstandum est, Parte illa, contra quam producuntur, legitimè citata; quæ si per se, vel per Procuratorem compareat, in ejus præsentia præstandum est. Si autem legitimè citata non compareat, poterit ipsa absente recipi juramentum, & procedi ad auditionem testium, (h) *Cap.* 2. ℞ *de Testibus*, & ibi Glossa. Imò in sæpiùs citatis Ordinationibus Curiarum Eccles. *tit.* 11. *art.* 27. præcipitur, ut Judex ad examen testium non procedat, nisi de partis ad videndum *jurare* testes citatione constiterit, » quæ » in initio suorum actorum, seu examinis describi per Graphia» rium, seu alium adjunctum curabit. « Dicitur autem *art.* 41. » Si pars citata ad videndum testes jurare, se absentet, proce» detur nihilominus à Commissariis ad examen. « Eadem habentur in Ordinatione Curiæ Brabantiæ. *art.* 559.

XXV. Ante examen testium, pars testes producens, debet priùs intentionem suæ examinationis faciendæ ex petitione sua elicere, eamque in scriptum quoddam redigere Judici tradendum, ut super articulis ibidem designatis testes producendos examinet.

XXVI. Insuper interrogatoria à Parte contra quam testes producuntur, judici exhibentur, de quibus in *Cap.* 2. *de Testibus in* VI. ubi Glossa verbo *interrogatoria* dicit: » Interro» gatoria sunt quæ facit Pars testibus productis contra se, & » dantur super articulis à Parte producente exhibitis. Forma in» terrogatoriorum hæc est: Si dixerit testis verum esse, quod » primò intentionis articulo continetur, quæratur ab eo quo» modo scit, & si præsens erat, & ad quid ibi erat, & si vi» dit, aliave his similia, secundum quod facient ad factum; « uti latiùs eam describit Glossographus loco citato. (i)

XXVII. Interrogatoriorum usus potissimum introductus fuisse apparet, ut ex responsis super iisdem, testium fraudes, falsitates, & subornationes faciliùs & clariùs deprehendi, & cognosci possent, quemadmodum notat Merula loco citato *capit.* 8. *num.* 3. quare nec à Parte producenda generalia, aut inutilia interrogatoria, quæ duntaxat ad causam protrahendam, Partem producentem expensis onerandam, & vexandum Commissarium facere videntur: quæ omnia Judex rejicere debet, uti ibidem monet Merula *n.* 4.

XXVIII. Circa articulos monent citatæ Ordinationes Curiarum Eccles. *tit.* 11. *art.* 29. quòd » nullos designabunt ad » recipiendas probationes, sub pœna unius floreni, nisi qui in » lite propositi, & adversario communicati fuerint. Designatio» nes verò articulorum, & interrogatoria actis tanquam eorum » pars inserenda sunt. «

XXIX. Ut autem interrogatoriorum finis supra designatus habeatur, hæc » de consuetudine & de jure non dantur Parti ad» versæ, ne posset super his instruere testes suos: sed Judex » per se, vel Assessorem examinat illa; & si qua reperit super» flua vel impertinentia, illa resecat. « (k) Ita Glossa loco citato.

XXX. Innuit autem ibidem Glossographus, non semper interrogatoria exhiberi; imò nec in omnibus Curiis eorum usus est. Et quidem *art.* 72. Ordinationum Curiæ Brab. interdicitur Partibus, ulla Interrogatoria Commissariis subministrare. Verba sunt: *Dat Partyen de Commissarissen egeem interrogatorien en sullen mogen overgeven.* Et teste Damhoudero in Praxi rerum civil. *cap.* 170. *n.* 16. » in magno Mechliniensi & in Pro» vinciali Flandriæ Consiliis, Commissarius formet sua interro» gatoria, in omnibus iis, quæ ipsi aliquo modo ad veritatis in» quisitionem pertinere videbuntur. «

XXXI. Testes præstitò juramento parte adversa præsente, aut saltem legitimè citata, & absente, à Commissario vel Judice super articulis designatis *singulatim* examinandi sunt, hoc est, quilibet seorsum, sic ut nullus sciat, quid alter dixerit, seu deposuerit; & *secretò* nemine præsente, præter Commissarium, seu Judicem, & Graphiarium, seu Secretarium vel Notarium, qui depositiones excipiat. Damhouderus in *Praxi rer. civil. cap.* 170.

Quamvis enim pars adversa in præstatione juramenti admittatur, non tamen in ipsa depositione.

XXXII. Commissarius sériò admonere, & instruere debet testes, ut ritè advertant ad facta, super quibus interrogabuntur: nec aliud dicant, quàm sicut revera in animo credunt: utque clarè & lucidè loquantur.

XXXIII. Judex autem, sive Commissarius » eosdem dili» genter juxta data, aut alioquin juris interrogatoria, de tem» pore, loco, causa scientiæ, aliisque necessariis circumstan» tiis, exactè examinabit, « inquiunt Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *art.* 38.

Idipsum præcipitur in Ordinatione Curiæ Brabant. *art.* 37. volentes insuper, ut veritatem, & rationes scientiæ ritè inquirant. Plura, quæ ad rectam normam examinandi testes pertinent, vide apud Damhouderum citato *cap.* 170.

XXXIV. Notat ibidem Damhouderus, » non esse recipien» dum testem, qui ad hunc modum deponere volet; Ego Pe» trus testor & depono idem, quod Joannes deposuit. Nescit » enim Petrus quid Joannes depossuerit, neque quid Commis» sarius ab ipso exquisiturus erit. «

XXXV. Testis debet coram, & in præsentia judicis testimonium ferre; neque sufficeret scripto ad judicem misso testari. Etenim judicis aspectus, vel reverentia refrænat audaciam falsi, vel id ex vultu, & titubatione deprehendit judex, uti rectè observat Tuldenus in Codice ad titulum *De Testibus.*

XXXVI. Depositiones testium singulorum debent scripto excipi: alioqui Curia, aut judex non posset quidquam ex depositis legitimè judicare. In conscribendis autem testium depositionibus, à Commissario adhibenda est magna prudentia & diligens cautio, ut in scribendo linguam, idioma, & modum loquendi testium, quàm proximè imitetur, & iisdem utatur terminis, quibus testis usus est (l) in deponendo, ait Damhouderus ibidem *n.* 32. quod & expressè mandant sæpiùs allegatæ Ordinationes Curiæ Eccles. *tit.* 11. *art.* 44. additâ hâc ratione: *Quoniam in utroque idiomate magna vis verborum est.*

XXXVII. Eisdem Ordinationibus *art.* 43. statuitur: » Su» perflua præambula circa testimoniorum extensionem deinceps » volumus omitti; sed solùm præmitti nomen, cognomen Com» missarii, & testis, ejusdemque testis ætatem, habitationem, » an partium sit consanguineus, vel affinis, an eosdem nôrit, » & an commodum, vel incommodum ex litis decisione expec» tet; quodque citatus, expositisque specificè ei perjurii pœnis, » examinatus super interrogatoriis fieri petitis, puta, primo, » aut tali articulo, ita responderit. (m)

XXXVIII. Ne tamen compendiosè procedere volens, depositiones obscuras, aut ambiguas reddat, mandatur in iisdem Ordinationibus ibidem *art.* 44. » Nunquam, sub pœna trium » florenorum, scribetur, quòd unus testis concordat cum altero, » aut quòd testis deposuit contenta articuli esse vera, sed claris » & apertis verbis ad longum scribetur id, quod quisque de» posuerit, & attestatus fuerit. «

XXXIX. Ut verò certior, & firmior sit depositio; ipseque testis majori cum judicio & maturitate testetur, præcipitur eodem *art.* 44. » Et de verbo ad verbum testimonium notatum » testi relegetur, & iterum interrogabitur, an sua depositio sit » benè, fideliter, & juxta mentem suam, ac intelligentiam » scripta. « (n)

Idem mandant Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 37. adduntque, testes post habitum lecturam posse persistere, vel mutare.

XL. Ulteriùs depositio propriâ subscriptione (o) munietur, » si testis scribere nôrit; & si propter senium, imperitiam, & » alia impedimenta signare non valuerit, in ejus præsentia Com» missarius, vel Graphiarius, cùm aderit, apposito per depo» nentem propriâ manu aliquo signo ipsius nomen subscribet. «

Hæc in citatis Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum citato *art.* 44. Vide quoque *art.* 39. Ordinat. Curiæ Brab.

XLI. » Depositiones testium, donec à Judice publicatæ, » fuerint, secretas servent Commissarii, neque originales depo» sitiones Partibus tradantur; sed post publicationem petentibus » illarum copia conficiatur, & Commissarii testibus simile silen» tium (p) sub pœna arbitria imponent: prout etiam de jure » sub

(h) *Lex* 8. *tit.* 6. *lib.* 4. *Recop.* Si buenamente pudiere ser avido.

(i) *Lex* 31. *& Remis.* 8. *tit.* 16. *& L.* 24. *tit.* 22. *lib.* 2. *L.* 4. *tit.* 6. *etiam* 4. *& Remiss.* 3. *tit.* 7. *& L.* 1. *tit.* 8. *liber.* 4. *Recop.*

(k) *Lex* 24. *tit.* 16. *& 20. tit.* 22. *lib.* 2. *Recopilat.*

(l) *Lex* 11. *tit* 22. *lib.* 2. *Recop.* Si no como lo dicen.

(m) *Lex* 8. *tit.* 6. *lib.* 4. *ibi*: Facer los interrogatorios, y articulos de ello en primera, y segunda instancia.

(n) *Id quoque observari debet in Galliis, ut constat Decre-*

to Regio ann. 1670. *tit.* 7. *& in Hispania ex leg.* 8. *tit.* 6. *&* 13. *tit.* 25. *lib.* 4. *per verba*: Palabra por palabra, y que se afirmó en ello..... las lean presentes las partes.

(o) Y las firmen, *ut ait dict. leg.* 8.

(p) *In dicta L.* 8. *tit.* 6. *lib.* 4. *Recop. præcipitur, quòd Judex unicuique testi mandatum injungat.* Que no diga cosa alguna de lo que fuere preguntado, ni de su dicho asta que sea hecha publicacion: *Scribis autem in L.* 14. *tit.* 19. *lib.* 2. Porque las probanzas de las partes no han de ser vistas fasta que se mande facer publicacion dellas..... mandamos à los Escribanos,

» sub pœna damni, quod inde sequitur, resarciendi, servare » tenentur. « Ita dictæ Ordinationes Curiarum Eccles. *art.* 47. & concordat. *artic.* 37. Ordinat. Curiæ Brab.

XLII. De jure communi ante sententiam debet fieri publicatio depositionum, *Cap.* 24. §. DEBET ✠ *de Accusat.* Imò Glossa in *L.* PROLATAM, *Cod. de Sentent. & Interlocut.* sententiam nullam esse tradit, quæ non publicatis testimoniis lata est.

XLIII. In nonnullis tamen Curiis præsertim Regiis jam pridem invaluerat, ut nulla publicatio depositionum, etiam in causis civilibus, fieret; idque propter securitatem testium, ne ipsi incurrant odium partium, contra quas deposuerunt, & ut facilius deponant, quod fortè non auderent, si Partes illustres aut alii magni domini scirent, aut videre possent illorum depositiones; quod & in Gallia passim Curiæ servârunt usque ad annum 1539. quando Franciscus I. decrevit, ut in materiis civilibus ubique fiat publicatio depositionum, quousque aliter fuerit ordinatum.

Excipit tamen hæc ordinatio Parlamentum Parisiense, necnon Cameram supplicationum, in quibus non solet fieri publicatio, uti notat Rebuffus in tractatu *de Publicatione attestationum*, Glossâ unâ *num.* 2. & 3. additque nec in Parlamento Tolosano hunc articulum Ordinationis fuisse receptum, nec in supremis Curiis.

XLIV. Ex Gallia usus ille non publicandi depositiones etiam in Belgium irrepserat, uti de Mechliniensium & Flandrorum Consiliis testatur Damhouderus in *Praxi rerum civil. cap.* 182. & de Curia Hollandiæ testatur Merula in Praxi *lib.* 4. *tit.* 78. *cap.* 1. *num.* 3. eumque usum durâsse usque ad tempora Philippi II. Regis Catholici, satis intuitur in rescriptis ejusdem Philippi ad supplicationem Statuum Hollandiæ anno 1556. & ad supplicationem Statuum Brabantiæ anno 1575. quibus permittit & ordinat, ut in causis, etiam tunc pendentibus nondum decisis, ad petitionem partium fiat publicatio, & notificatio depositionum, seu attestationum. Rescripta latinè reddita extant apud Damhouderum dicto *cap.* 182. & datum ad supplicationem Statuum Hollandiæ refert Merula dicto *cap.* 1.

XLV. Sed cùm hæc rescripta non omnes Curias Belgii concernerent, usus antiquus in nonnullis adhuc Curiis (q) perseverabat, quousque per Edictum perpetuum Alberti & Isabellæ anni 1611. *art.* 10. ordinatum fuit, ut in omnibus Curiis & tribunalibus justitiæ, sive supremis, sive, subalternis, quæ Principibus suberant, publicatio depositionum fiat juxta dispositionem Juris communis: quod ubique hodie in Belgio observatur teste Christinæo ad Bugnonium de *Legib. abrog. lib.* 2. *c.* 117. utque fiat in suprema Curia, aliisque subalternis per totam Brabantiam, expressè præcipit *art.* 76. Ordinat. dictæ Cur.

XLVI. Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *art.* 48. volunt: » Terminis probatoriis elapsis (r) pe- » tent Partes à judice publicationem testium, qui de consensu » Partium publicationem faciet, & copiam decernet. Si tamen » altera pars in publicationem consentire recuset, ea non fiat, » nisi decreto judicis pro tribunali sedentis. «

Interdum autem & in civilibus causis depositiones ipsæ publicandæ non sunt; sed duntaxat nomina testium; ubi scilicet certum, aut verisimile erit, ex depositionum publicatione testibus periculum imminere; uti habent citatæ Ordinationes *art.* 49.

XLVII. Publicatio hæc potissimùm fit, ut Pars adversa possit scire quid testes deposuerint; atque ex illis cognoscere, in quo statu causa sit: an cedere, an ulterius decisionem causæ exspectare; ita ut videat, an dicta testium refellere queat, aut eorum auctoritatem enervare, objiciendo testibus ea, quæ fidem ipsorum diminuant, sive suspectam reddant.

XLVIII. Post publicatas attestationes non licet ampliùs ad alias productiones testium super iisdem articulis, vel planè contrariis recurrere, propter periculum subornationis, quæ facilè committi posset ad supplendas, vel emendandas priores attestationes, ut statuitur *art.* 74. Ordinat. Curiæ Brab. & multis citatis notat Christinæus loco citato *cap.* 109. asseritque, in Belgio usu receptum esse, ut nec per viam restitutionis id permitti soleat. (s)

XLIX. Quibusdam tamen casibus productionem testium, post factam publicationem admittendam esse ostendit Antonius Faber. in *Cod. lib.* 4. *tit.* 15. *def.* 5. monet tamen *definit.* 32. productionem testium post publicata testimonia parcissimè & perrarò esse indulgendam. *Definit.* 63. autem scribit, post apertas testificationes, si nondum sint didiscita testificata, audiri testes posse, quia cessat periculum subornationis.

L. Publicatis depositionibus, & nominibus testium, moribus hodiernis permittitur Partibus eos reprobare; (t) id est, exceptiones proponere, aut contra personas, aut dicta testium: ipsæque Ordinationes Curiarum Eccles. *tit.* 11. *art.* 50. volunt, ut » terminus octidui, vel quindenæ pro omnimoda dilatione, » & sub pœna seclusionis ad excipiendum contra testes, eorum- » que dicta præfigatur. «

LI. Reprobatio hæc frequenter sumitur ex factis, sive circumstantiis, quæ ipsas personas testium concernunt; allegantur- que ad enervandam, & minuendam fidem testium; puta, quòd sit infamis, perjurus, consanguineus producenti, aliaque similia, (u) quæ latè enumerant Damhouderus in *Praxi rer. civil. cap.* 186. & Merula *lib.* 4. *tit.* 78. *cap.* 4. hoc rectè monens *num.* 69. quòd ordinariè non tantum valeat testimonium testis pauperis, quàm divitis, eò quòd pauper faciliùs corrumpi possit.

LII. Notandum quoque monet *num.* 70. quòd testis consideretur in ea qualitate, qua erat tempore præstiti juramenti, & factæ depositionis; non tantùm qualis sit tempore reprobationis. Unde si post depositionem factus esset affinis illius, pro quo deposuit, non posset propterea reprobari, si modò tempore depositionis fuisset non suspectus.

LIII. Observat item *num.* 71. quòd testis ab una Parte pro se productus, non possit reprobari si in eadem, vel alia causa contra ipsam à Parte adversa producatur, quia per productionem factus est *omni exceptione major*: quod tamen intelligendum est, modò non accesserit nova aliqua circumstantia, quæ ipsum suspectum reddit; (x) puta, quia interea factus est affinis Partis adversæ, vel junxit se in causa, &c.

LIV. Desumitur quoque non rarò reprobatio ex aliquibus circumstantiis, quæ ipsas depositiones spectant; puta, quòd sint obscuræ, vacillantes, (y) nihil certò affirmantes aut negantes, sibi contrariantes, destitutæ rationibus scientiæ, (z) sine fundamento assertæ, impertinentes ad articulos propositos &c. Vide Merulam loco citato *cap.* 5. & Damhouderum *cap.* 185.

LV. Post reprobationes testium, & depositionum factas permittitur Partibus facere *salvationes*, quæ sunt defensiones, aut solutiones contra reprobationes à Parte productas, quibus suam productionem, suos testes, eorumque depositiones, justificare nititur.

LVI. In Ordinationibus Curiarum Eccles. citato *art.* 50. statuitur, ut exceptionibus per reprobationem exhibitis, similis terminus (octidui aut quindenæ) sub pœna seclusionis, » ad » *salvandum* statuatur, & per salvationum exhibitionem, vel » ubi Pars iis renuntiaverit, conclusum censebitur in causa.

LVII. » Illud tamen in prædictis exceptionibus & salvatio- » nibus sedulò cavendum erit (ajunt dictæ Ordinationes *art.* 15.) » ne quidquam allegetur, aut proferatur, quod earum naturam » non sapiat: & si contrà factum fuerit, nullam judex eorum » habeat rationem, quin etiam, si ita expedire judicaverit, pro » officio suo rejiciat. «

LVIII. Additur ibidem *art.* 52. » Si quæ facta in excep- » tionibus in testes, vel salvationibus allegentur, testes concer- » nentia, quorum probationem necessariam ad causæ decisio- » nem æstimabit judex, præfigetur quindena, vel mensis, ad eo- » rundem factorum probationem, prout res exiget, sub unica » tantùm dilatione. «

LIX. Principes in Edicto de 28. Novemb. 1611. interpretativo *art.* 10. Edicti perpetui ejusdem anni, volunt, ut in uno eodemque volumine testium personæ reprobentur, & depositiones ipsorum confutentur, idque sub unico termino aut dilatione; & simili ritu *salvationes* fiant. (a)

CA-

nos, &c. *Et in L.* 11. *tit.* 22. *lib.* 2. *Recop.* Que no trasladen las probanzas don se puedan leer antes de la publicacion.

(q) *Hæc praxis in Hispania observatur. Lex* 37. *tit.* 16. *Part.* 3. *L.* 11. *tit.* 27. *lib.* 2. *leg.* 5. & 6. *tit* 6. & *leg.* 1. & 3. *tit.* 8. *lib.* 4. *Recop.*

(r) *Lex* 10. *tit.* 6. *lib.* 4. *Reeop.*

(s) *Licèt in Hispania post testium publicationem ad alias productiones recurri non possit attamen conceditur nova productio per modum, seu viam restitutionis, ut asserunt leg.* 5. *titul.* 6. 3. *tit.* 8. 4. *tit.* 9. *lib. leg.* 5. & 6. *tit.* 5. *lib.* 4. & *Remiss.* 9. *tit.* 16. *lib.* 2. *Recop.*

(t) *Eadem praxis in Hispania servatur, dummodo exceptiones intra sex dies à die publicationis testium sint appositæ. L.* 1. *tit.* 8. *lib.* 4. *Recopilat.*

(u) *In Hispania à testimonio dicendo specialiter excluduntur per leg.* 8. & 10. *usque ad* 22. *tit.* 16. *Part.* 3. & *leg.* 6. *in fine tit.* 6. *Part.* 1. & *leg.* 8. *tit.* 6. *lib.* 4. *Recop. perjurus, excommunicatus, malæ famæ & vitæ, committens delictum, vel infamiæ factum, vilis, servus, mente captus, consanguineus usque ad quartum gradum, habens interesse in causa, familiaris, vel domesticus, magnâ amicitiâ adstrictus, capitalisque inimicus.*

(x) *Idem traditur in L.* 31 *tit.* 16. *Part.* 3.

(y) *Depositiones in Hispania* » no sean recibidas las no » expecificadas, « *ait L.* 2. *tit.* 8. *lib.* 4. *Recopil.*

(z) *Leges* 26. & 28. *tit.* 16. *Partit.* 3.

(a) *De probatione per testes in Galliis consulendum est Regium Decretum* 1670. *tit.* 15.

CAPUT VII.

De Probatione per instrumenta: et de Notariis Apostolicis, et Regiis.

1 *Frequens est probatio per instrumenta; & quid hîc significet instrumentum.*
2 *Auctoritas instrumentorum varia est pro diversitate illorum.*
3 *Quæ dicantur instrumenta publica.*
4 *Instrumenta publica debent esse confecta à persona publica, & in forma legitima.*
5 *Debet esse* publica *ad scribenda sive conficienda instrumenta.*
6 *Hinc Scriptura judicis non solet reputari pro publica.*
7 *Neque litteræ scriptæ à Rege.*
8 *Quare Scriptura non sit semper publica, licèt à publica persona sit scripta.*
9 *Qui hodie ad conficienda instrumenta sunt constituti, dicuntur* Notarii *à* Notis.
10 *Notarii alii Regii, alii Ecclesiastici; & unde hæc distinctio orta.*
11 *Notarii Ecclesiastici, alii sunt Episcopales, alii Apostolici; & cur priores penè desierint.*
12 *Synodus Tridentina permittit Episcopis examen Notariorum quacunque auctoritate creatorum.*
13 *Decretum Synodi quoad Notarios auctoritate Regia admissos in Belgio receptum non est.*
14 *Notarii Apostolici examinati à persona in Dignitate constituta juxta litteras Apostolicas possunt in Belgio ab Episcopis examinari.*
15 *Litteræ creationis Notariorum Apostolicorum expediuntur in forma commissoria; quæ refertur.*
16 *Creandus in Notarium ex tenore littterarum potest quamcunque personam in Dignitate constitutam in examinatorem eligere.*
17 *Hinc natum est fieri, ut & imperiti admittantur.*
18 *In Gallia Notarii Apostolici debent ab Ordinariis locorum examinari, & admitti.*
19 *Examinis, & admissionis litteras habere tenentur.*
20 *Nomina eorum, item locus domicilii & residentiæ registrari debent in Graphiaria Episcopali, & Curia Præsidiali ipsius Diœcesis, in qua residere volunt.*
21 *Tenentur residere in oppidis, & locis insignioribus, non ultra numerum à Curiis Præsidialibus taxatum.*
22 *Referuntur verba Edicti Henrici II. quibus præmissa statuuntur.*
23 *Hæc non tantùm in materia possessoria Beneficiorum obtinent.*
24 *Notarii Apostolici non possunt exercere in Gallia officium Notariatus, nisi in una Diœcesi, in qua juxta formam præscriptam admissi sunt.*
25 *In Belgio ex Edicto Caroli V. nullus potest exercere officium Notariatus, nisi à Concilio Provinciali prævio examine ad missus.*
26 *Negotia merè profana non aliter quàm coram Notariis à Regiis Consiliis admissis in Belgio expediri possunt.*
27 *Idipsum in Gallia jam pridem receptum; neque testamenta à Notariis Apostolicis confici possunt.*
28 *Hæc & aliorum Regnorum moribus recepta.*
29 *Notarii Apostolici pene solum in materiis Ecclesiastieis adhibentur; & quæ sint hæ materiæ, remissivè.*
30 *Expressio qualitatis, Curiæ in qua admissus, & loci residentiæ à Notario facienda.*
31 *Notarii instrumenta conficere non possunt nisi rogati; neque pro personis omnino ipsis ignotis.*
32 *Edicto Principum nostrorum injunctum Notariis servare protocolla, eaque fideliter registrare.*
33 *Quantum dependeat ab hac fideli conservatione*
34 *Notarius Apostolicus hanc conservationem juramento promittit.*
35 *An in confectione instrumenti publici requiratur subsignatio testium cum subsignatione Notarii.*
36 *Quid de expressione temporis, quo instrumentum conficitur; item de invocatione Numinis, anni regnantis Principis, &c.*
37 *Scripturæ signatæ à publicis Graphiariis vel Secretariis, vel sigillatæ publico sigillo; item acta judicialia pro scripturis* publicis *habentur.*
38 *Antiqua scripturæ aut vetusta insignia, quæque reperiuntur in antiquis libris, quam probationem faciant.*
39 *Quid de antiquis historiis.*
40 *Contenta in libris confectis per Oficiales* publicos, *quam fidem faciant.*
41 *Instrumentum sumptum ex archivo publico facit* plenam *fidem.*
42 *Quod dicatur archivum* publicum.
43 *Instrumentum* originale *unde dicatur; & quare vocetur* authenticum.
44 *Quod hodie habeatur pro instrumento* originali.
45 *Solus Notarius, qui confecit Minutam, potest ex minuta facere instrumentum originale.*
46 *Copiis licèt authenticis, quare in judicio fides adhiberi non soleat.*
47 *Debet conferri cum originali; & quomodo hæc collatio facienda.*
48 *Sicuti examen testium, ita & collatio instrumenti alteri committi per judicem potest.*
49 *Instrumenta, quæ vetustate corrumpi incipiunt, auctoritate judicis renovari possunt.*
50 *Traductionem solemnem exemplaris ex originali probat jus commune.*
51 *Traductio fieri debet ex originali.*
52 *Instrumentis publicis plena fides adhiberi solet quoad omnia quæ* dispositivè *asseruntur.*
53 *Quæ requirantur, ut fides instrumenti per testes enervetur.*
54 *Quædam negotia non nisi per scripturam probari possunt, & statuta eam probationem exigentia sunt strictè interpretanda.*
55 *Refertur articulus Edicti perpetui requirens probationem per scripturam in dispositione excedente summam 300. florenorum.*
56 *Similis est in aliis Regnis constitutio; & quæ ejus ratio.*
57 *Articulus non excludit juramentum litis decisorium, nec confessionem partis.*
58 *Hinc concluditur, scripturam non requiri ad substantiam actus, sed tantùm ad probationem; neque operari in foro Poli.*
59 *Non est exclusa probatio, quam faciunt libri mercatorum.*
60 *Edictum etiam admittit scripturam privatam.*
61 *Ut de fide scripturæ* privatæ *statuatur, triplex ejus species distinguenda.*
62 *Scriptura privata scripta in commodum scribentis fidem non facit.*
63 *Scriptura privata facit fidem contra scribentem.*
64 *De jure distinguitur scriptura causam debiti non exprimens, & eam exprimens.*
65 *Priori de jure fides plena contra scribentem non adhibetur; quod non ubique in praxi observatur.*
66 *Posteriori plena fides habetur tam de jure, quàm de praxi.*
67 *Quomodo cogendus quis sit ad regnoscendam suam scripturam.*
68 *Schedula etiam privata in juditio recognita habet paratam executionem.*
69 *Idque etiamsi esset sine die, & subscriptione.*
70 *Item si sola subscriptio fuerit recognita.*
71 *An sola appositio signi ejus, qui scribere nescit.*
72 *Ordinatio Regis Galliæ de hac recognitione, ejusque effectu.*
73 *Conforme Edictum Caroli V. Imp.*
74 *Quomodo scriptura probetur.*

I. FRequentissimam probationis speciem esse, quæ fit per testes, capite præcedenti diximus: alia est per vocem mortuam, sive per scripturas, seu instrumenta, de qua agitur tam in Jure Civili, quàm Canonico sub titulo *de Fide instrumentorum*, ubi speciatim explicatur, quam fidem instrumenta mereantur, & consequenter, quid in judicio probent.

Varia est *instrumenti* in genere significatio; sed hîc specialiter sumitur pro qualibet scriptura, quæ fidem rei, quam continet, judici facit, & causam instruit.

II. Fides autem instrumenti, seu auctoritas probandi varia est, pro diversitate instrumentorum; quæ alia sunt publica, alia privata; alia rursus originalia, alia vero exemplaria duntaxat: quorum nonnulla plenam, alia semiplenam, alia nullam, aut admodum exiguam fidem faciunt.

III. Publica instrumenta imprimis sunt, eaque hodie usitatissima, quæ à publica persona, veluti Notario in legitima forma confecta sunt.

IV. Duo proinde requiruntur, ut hoc pacto dicatur publicum, & legitimum instrumentum: nimirùm quòd conficiens instrumentum sit persona publica, id est, auctoritate publica ad conficienda instrumenta constituta; & secundò, quòd in legitima forma, quam leges, & stylus patriæ vel Curiæ requirunt, sit confectum. (b)

V. Neque enim sufficit, ut scribens sit persona *publica* simpliciter; sed requiritur, ut sit auctoritate publica constitutus ad scribendum, sive ad conficienda instrumenta, vel litteras expediendas, vel signandas; uti rectè notat Rebuffus in Tractatu

(b) *Ut publicum legitimumque sit instrumentum, debent in eo esse quæ continentur in leg. 13. tit. 25. lib. 4. Recop.*

tatu *de Chirographorum, & schedularum recognitione, num.* 1.

VI. Hinc refert *num.* 3. quòd » scriptura judicis, etiamsi » habeat testes inscriptos, censetur privata : quia scribere non » est judicum officium, sed tabellionum. « Dicitque ex Baldo; » sive scriptura fiat in judicio, sive extra à judice, poterit per » testes reprobari, quia non est publica. «

VII. Et *num.* 4. concludit, quòd » litteræ manu propriâ » Regis etiam Francorum scriptæ, licèt is sit publica persona » etiam in his, quæ ad suum pertinent officium, quia ad ejus » officium non spectat scribere, privatæ dicentur; & propte- » rea non faciunt fidem, nisi sigillo vel aliis adminiculis juven- » tur, & ideò Fiscus facit scripturas per tabelliones, vel alios » Officiales ad hoc deputatos.

VIII. » Nec est inconveniens (ait *num.* 7.) privatam scrip- » turam à publica persona emanare : quia in hoc, id est, quoad » scribendum non est publica, sed privata, per textum in » *L. 3. ff. de Offic. Præs.* ubi Magistratus est publica persona » in suo territorio, extra verò territorium est privata : & sic » extra officium, cui aliquis est præpositus, dicitur privatus. «

IX. Qui ad conficienda instrumenta promiscua, extrajudicialia & inter privatos conficienda sunt constituti, hodie communiter dicuntur *Notarii* à *notis*. Primitùs enim Notarii in conficiendis instrumentis quibusdam signis, sive notis utebantur brevitatis causâ, quas postmodum extendebant : uti notat Claudius Horry in suo Notario Apostolico *pag.* 14. edit. 1688. Dicuntur & alio nomine *Tabelliones* ; quorum in jure frequens mentio occurrit, videnturque cum hodiernis nostris Notariis convenire.

X. Porrò cùm non tantum super rebus temporalibus inter laicos, sed etiam spiritualibus, & inter Ecclesiasticos instrumenta ad probationem fieri soleant : imò posterioribus tandem seculis invaluerit in Curiis Ecclesiasticis idem modus probandi, qui in Civilibus, etiam cœperunt auctoritate Ecclesiasticâ creari Notarii, qui de rebus Ecclesiasticis, & inter personas Ecclesiasticas intrumenta conficerent. (c)

Hinc tandem invaluit duplex species Notariorum, nimirum Ecclesiasticorum, & Civilium, sive Regiorum.

XI. Ecclesiastici alii sunt *Episcopales*, qui auctoritate Episcopi Notarii creantur, (d) alii verò *Papales*, quos hodie Notarios *Apostolicos* (e) vocamus, qui nimirùm auctoritate Apostolicâ sive Papali constituuntur ; suntque hi soli hodie ferè noti. Cùm enim Episcopus tantùm queat dare auctoritatem conficiendi instrumenta limitata ad suam Diœcesim, maluerunt recurrere ad Sedem Apostolicam, à qua illimitatam auctoritatem accipiunt.

XII. Verùm facilitas, qua in Curia Romana jam pridem hæc facultas obtinebatur, numerum excessivum Notariorum, ac sæpè admodum imperitorum invexerat, & quorum imperitia plurima damna, & multarum occasio litium oriebatur, uti deplorat Synodus Tridentina *Sess.* 22. *cap.* 10. *de Reform.* statuitque propterea, quod » possit Episcopus quoscunque No- » tarios, etiamsi Apostolica, Imperiali, aut Regiâ auctoritate » creati fuerint, etiam tanquam Delegatus Sedis Apostolicæ, » examinatione adhibitâ, eorum sufficientiam scrutari : aliisque » non idoneis repertis, aut quandocunque in officio delinquen- » tibus, officii ejus in negotiis, litibus, & causis Ecclesias- » ticis, ac spiritualibus exercendi usum perpetuò, aut ad tem- » pus prohiberi ; neque eorum appellatio interdictionem Ordi- » narii suspendat. « (f)

XIII. Dum de promulgatione Concilii Tridentini per Belgium facienda ageretur, ad citatum Decretum notârunt plerique illud quod dicitur, Notarios auctoritate Imperiali, vel Regiâ creatos, adhuc ab Episcopis examinari posse, admitti non posse illæsa auctoritate Regia ; & omnino observandum Edictum Caroli V. Cæsaris de creatione Notariorum an. 1533.

Conformiter ad hanc notam, Notarii Regii, seu auctoritate Regia admissi ab examine Episcoporum hîc in Belgio eximuntur ; nec unquam Episcopi, eorumve Officiales simile examen prætendunt, aut prætendisse sciuntur.

XIV. Quin nec Notarii Apostolici hodiè solent hîc in Belgio examen Ordinarii subire, modò à persona in dignitate Ecclesiastica juxta litteras Romanas admissi fuerint. Volunt tamen Ordinationes Curiar. Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.* 1. *art.* 6. ut » omnes Notarii Apostolici, etiam Ecclesiastici, intra tres » menses, Officiali cujusque Diœcesis, litteras suæ creationis os- » tendant; & si ei visum fuerit, eos juxta *cap.* 10. *Sess.* 22. *Conci-* » *lii Trident.* examinet, & si minùs idoneos repererit, eis in ne- » gotiis, litibus, aut causis Ecclesiasticis, ac spiritualibus, of- » ficii exercendi usum perpetuò, vel ad tempus inhibeat, sub » pœna arbitraria, eaque gravi. Permittendi autem registrabun- » tur à Graphiario singularum Curiarum, & horum Statuto- » rum observationem, quantum eos concernent, promittent. «

XV. Ex moderno stylo Curiæ Romanæ litteræ creationis Notariorum expediuntur in forma *commissoria*, inscribunturque non rarò generaliter personis Ecclesiasticis in dignitate constitutis, vel earum cuilibet in solidum, diciturque » Dis- » cretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam habemus, » per præsentes committimus, & mandamus : ut si prævio ri- » goroso examine eundem N. vitâ, moribus, practicâ, litte- » ratura, cæterisque partibus habilem, & idoneum esse cogno- » veritis, seu aliquis vestrûm cognoverit, & super quo cons- » cientiam vestram oneramus, ipsum in notarium & Tabellio- » nem publicum, & Judicem ordinarium cum solitis facultati- » bus, Apostolicâ auctoritate prædicta ordinetis, creetis, & ins- » tituatis, seu aliquis vestrum creet, ordinet & instituat, ip- » sumque per pennam & calamare, aliaque consueta insignia » de dictis Officiis investiatis, prout nos in eventum prædictum » harum serie ordinamus, creamus, & investimus cum faculta- » te quoad pias & Ecclesiasticas causas, ac ab eis dependentes » & concernentes tantùm per quascunque mundi partes, civita- » tes, terras, oppida, castra, villas & omnia alia totius orbis » loca Sanctæ Romanæ Ecclesiæ mediatè, vel immediatè subjec- » ta, quouscunque contractus, distractus, conventiones, acta, » actus judiciarios, inter vivos & causâ mortis donationes, tes- » tamenta, codicillos, & omnes alias ultimas voluntates, cæte- » raque instrumenta ad forum Ecclesiasticum duntaxat perti- » nentia rogandi, recipiendi, subscribendi, & publicandi, om- » niaque alia faciendi, quæ ad officium Notarii Tabellionisque » publici, & Judicis ordinarii pertinere dignoscuntur, quod- » que ad eundem D. N. Notarium, Tabellionemque publicum, » & Judicem ordinarium tanquam ad personam authenticam » publicè recurratur, instrumentisque publicis per eum confi- » ciendis stetur, firmiterque credatur, & plenaria fides adhi- » beatur in judicio & extat. «

XVI. Itaque approbandus in Notarium litteras alicui personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ sibi magis notæ, quamque sibi magis affectam credit, præsentat : qui præmisso examine secundum tenorem illarum, & præstito priùs juramento (cujus formula in litteris exprimitur) ipsum auctoritate Apostolica Notarium creat ; idque illimitatè ad omnes Diœceses in loca, atque in hîc in Belgio sæpiùs nulla alia Ordinariorum prævia examinatione, aut dimissione ; vi hujus admissionis instrumenta publica conficiunt ; & pro publicis Notariis Apostolicis se gerunt.

XVII. Quia verò hoc examen committitur personæ ab ipso examinando eligendæ, haud difficulter intelligitur, quam parum efficax sit hujusmodi examen ad impediendum admissionem Notariorum insufficientium, & ex quorum imperitia plurima incommoda, & lites nata sunt oriri, & indies oriuntur.

XVIII. Ut proinde efficaciùs hisce incommodis occurratur, ordinatum fuit in Gallia Edicto Henrici II. anno 1550. quod se refert ad Edictum anni 1547. quòd fides non adhibebitur instrumentis factis per Notarios Apostolicos, nisi prius fuerint examinati, & admissi per Archiepiscopos, Episcopos, eorum Vicarios vel Officiales, & præstito coram ipsis juramento.

XIX. Hujus examinis, admissionis, & præstiti juramenti debent habere litteras sub sigillo Diœcesani, sive Vicarii seu Officialis. Per Vicarium enim ibidem significari Officialem sive Vicarium habentem tribunal, satis manifestum est ex contextu, & praxis confirmat.

XX. Requiritur præterea, quòd nomen, cognomen eorum, & locus domicilii, & residentiæ registrentur in Graphiaria Curiæ Archiepiscopalis, aut Episcopalis. Registratio hæc pariter fieri debet in Curia Regia Præsidiali dictæ Diœcesis.

XXI. Denique requirit Edictum, ut resideant in Urbibus, vel Oppidis, & insignioribus locis Diœcesis. Idque intra numerum à Curiis Præsidialibus pro ratione Diœcesis taxatum.

XXII. Verba Edicti sunt : *Premierement, que par nous Cours souveraines, & autres nos Juges, en jugeant le possessoire des Benefices contentieux, ne cera foy adjoustée és procurations pour resigner, ne revocation d' icelles, prinses de possesion, & autres actes & instruments passez par Notaires Apostoliques, s' ils ne sont prealablement examinez, & receus par les Archevesques, Evesques, leurs Vicaires, ou Officiaux, & fait serment entre leurs mains, & de ce ayant lettres sous leurs sceaux, fait aussi enregistrer és Greffes des Cours desdits Archevesque & Evesque & Cours Presidiales de nostre Royaume, suivant l' Edict par nous fait, leurs noms & surnoms, & declarer le nom du lieu de leur demeurance qu' ils seront tenus faire aux villes, & plus notables lieux desdits Dio-*

(c) *Leg.* 32. *tit.* 3. *Remiss.* 8. & *Act. Acordatum* 6. *c.* 18. *tit.* 8. *lib.* 1. *leg.* 9. & 11. *tit.* 1. 19. 27. & 33. *tit.* 25. & *Remiss.* 26. *tit.* 25. *lib.* 4. *Recop.*

(d) *Lex* 49. *tit.* 25. *lib.* 4. *cap.* 1. 2. 3. 4. & 5.

(e) *Dicta lex cap. init.* 6. 8. 9. & 10.

(f) *Hodie in Hispania juxta dispositionem cap.* 6. *leg.* 49. *tit.* 25. *lib.* 4. *Nullus Notariatus Apostolici titulus, post diem* 17. *Januarii ann.* 1770. *expeditus, admittitur. Verba dicti cap. sunt* : Mando no se dé el PASE en lo sucesivo á ninguno (*titulo de Notaria*) de los que vengan de Roma.

Dioceses, respectivement : selon le departement & nombre qu'il sera advisé. Id est : » Primò ut nec Senatus nostri Supremi, » nec alii nostri Judices dum de possessione Beneficiorum con» tentiosorum cognoscent, fidem adhibeant procuratoribus ad » resignandum, seu earum retractationibus, inductionibus in » possessionem, aliisque actis, & instrumentis per Notarios » Apostolicos confectis, nisi prævie fuerint examinati, & ad» missi ab Archiepiscopis, Episcopis, eorum Vicariis, aut » Administris, & ad manus eorum juramentum præstiterint, lit» terisque sigillo eorum munitas desuper obtinuerint, & ad » Grapheja Curiarum dictorum Archiepiscoporum, Episcopo» rum & Curiarum nostri Regni Præsidialium juxta Edictum » quo à Nobis emanavit, retulerint nomina sua, cognomina, » indicaverintque nomen loci commorationis suæ, quam obs» tricti erunt facere in Civitatibus, locisque Diœcesium cele» brioribus respectivè, juxta distributionem & numerum, qui » designabitur. « (g)

XXIII. Et licèt Edictum non loquatur expressè, nisi quantum ad fidem adhibendam in judicio possessorio ; tamen idem esse in judicio petitorio in quacunque Curia causa agitetur ; neque tantùm in causa Beneficiali, sed & in alia quacunque testantur passim Pragmatici post Molinæum ad hunc textum.

XXIV. Eodem edicto §. 2. statuitur, quòd Notarii non possint fungi officio Notariatus, nisi in una duntaxat Diœcesi sub pœna falsi, & nullitatis contractuum. Verba sunt : *Et ne pourront lesdicts Notaires exercer lesdicts Notariatz qu' en un Diœcese sur peine de faux, & de nullité des contracts qui seront receus hors du Diœcese, au quel ils auront esté receus.* Id est : » Nec fas erit dictis Tabellionibus nisi in una duntaxat Diœ» cesi munus suum exercere, sub pœna falsi, & rescissionis » contractuum, quos confecerint extra Diœcesim, in qua fue» rint, recepti. (h)

Itaque Notarii Apostolici non possunt in Gallia conficere publica instrumenta, aliosve Actus Notariales exercere, nisi in illa Diœcesi, in qua admissi sunt, juxta formam antèa expressam ; & si fecerint, incurrunt pœnam falsi, & contractus coram ipsis facti sunt nulli.

XXV. Edicto Caroli V. de 7. Octobris 1531. quod extat parte 1. Edictorum Flandriæ *lib.* 3. *rubr.* 1. cautum est §. 4. ut nullus possit exercere officium Notariatus, nisi prævie examinatus, & admissus à Concilio Provinciali cujusque territorii, sive loci, in quo hujusmodi officium exercere volet, litterasque admissionis obtinuerit ; idque, ut ait Edictum, ad obviandum abusibus, & fraudibus, qui per Notarios committebantur in grave præjudicium subditorum. Verba Edicti sunt: *Ende omme se voorziene op de ghebreken, faulten ende abusen, die in onzen voorseyden landen ghecommitteerdt worden, by den Notaerissen ofte Tabellionem : by eenighe uyt simpelheyt ende ignorantie, ende by den anderen, met propooste ende opsetten wille, tot grooten intereste van onzen onderzaten, ende van der ghemeinaer welvaerdt : hebben vuy ghestatueerdt ende statueren, dat van nu veordts aen nyemandt tot det voorzeyden staete gheadmitteerdt en zal worden, dan vermaerde ende welghefameerde lieden, ende de ghene, die by examinatie ende onderzouk van den Hooft ende lieden van onzen Raeden ende Provincialem Rechteren, in elck landt bysondere bevonden zullen worden daer toe expeert, bequaeme ende sufficient te zyne, ende voor zulcke gheapprobeerdt : ende dat daer afblycke by acte van den voorschreven Raeden ende Provincialen Recheteren.* Id est : » Ad occurrendum defectibus, » erroribus, & abusibus, qui in dictis nostris regionibus per » Notarios, aut Tabelliones committuntur, ab aliquibus qui» dem simplicitate, & ignorantia, ab aliis verò deditâ operâ, » in grave subditorum nostrorum, & boni publici detrimen» tum : mandavimus prout & mandamus, ut nulli in posterum » ad id muneris assumantur, nisi qui sunt probè noti, & bo» næ familiæ, talesque, qui prævio examine, & inquisitione » Præsidis & Consiliariorum nostrorum, Judicumque Provin» cialium, in qualibet particulari Provincia ad id reperientur » idonei, capaces, & habiles, ut tales fuerint approbati, & » hujuscemodi constet per acta dictorum Consiliariorum, & Ju» dicum Provincialium. (i)

XXVI. Conformiter ad hoc Edictum, notoria est Praxis Belgii, nullos Notarios hîc in Curiis secularibus aut contractibus, aut actibus Civilibus expediendis admitti, nisi à Curia Regia cujusque Provinciæ admissi sint. Neque facilè in Belgio admitteretur auctoritas Notarii Apostolici in actibus merè profanis.

XXVII. In veteri stylo Parlamenti Parisiensis, *part.* 3. *tit.* 25. *art.* 2. habetur Ordinatio Caroli VIII. de anno 1490. » Prohibemus omnibus subjectis nostris laicis, ne habeant passa» ri vel recipi facere contractus eorum per Notarios Apostoli» cos, Imperiales, vel Episcopales in materiis temporalibus, » vel profanis ; alioquin nulla fides adhibebitur, reputabuntur» que nulli, & nullius eficaciæ seu virtutis. «

Refertur idem articulus inter probationes Libertatum Ecclesiæ Gallicanæ *cap.* 7. *num.* 45. additâ nota, in qua plura referuntur conformia arresta huic ordinationi ; asseriturque obligationes factas coram Notariis Apostolicis non esse subjectas provisioni. Prohibitum esse Notariis Apostolicis conficere inventaria. Item testamentum confectum per Notarium Apostolicum esse nullum ; quod & asserit Broudæus in notis ad Louëtium *lit. N. num.* 5. idque indifferenter sive testamentum sit laici sive Ecclesiastici ; tametsi testamentum factum coram *Curato* & duobus testibus sit validum ; quia Curatus ad excipienda testamenta est auctorizatus, etiam per Edicta Regia, non autem Notarius Apostolicus. Testamenta enim hodie censentur spectare non ad jurisdictionem Ecclesiasticam, sed secularem; uti ibidem notat Broudæus. Vide etiam Claudium Horry in suo Notario Apostolico *pag.* 16. *edit.* 1688.

XXVIII. Ordinationes, & consuetudinem Regni de non adhibendis Notariis Apostolicis in Negotiis merè civilibus esse conformes moribus, & statutis omnium passim Regnorum, (k) notatur in citata nota ad *cap.* 7. probationum libertatum Ecclesiæ Gallicanæ.

XXIX. Solent Notarii Apostolici hodie expedire instrumenta in materiis Ecclesiasticis, ac præsertim Beneficialibus, & quæ in Curiis Ecclesiasticis ac nominatim in Curia Romana tractari debent. Quæ verò sint materiæ expediendæ per Notarios Apostolicos ex hodierno stylo Regni Galliæ, breviter enarrat Claudius Horry loco citato *pag.* 6. (l)

XXX. Notarius in confectione instrumenti debet facere mentionem suæ qualitatis, & in qua Curia sit admissus, & loci suæ residentiæ, quemadmodum Notarii Regii in Belgio observant. (m)

XXXI. Notarii non nisi à partibus rogati instrumenta conscribere, aut alios actus notariales ad ipsas spectantes excipere debent. Imò Edicto 4. Octobris 1540 (quod extat Parte 1. Edict. Flandriæ *lib.* 3. *Rubrica* 1.) cautum est, ne ulli Notarii contractus, aut testamenta conficiant pro Personis, quæ ipsis ignotæ sunt ; nisi testes viri probi, & noti affirment eas esse tales, quales se indigitant ; illudque actis inscribatur, & earum simul domicilium. Idipsum & in Gallia cautum esse notat Bignonius de *Legibus abrogatis, lib.* 2. *cap.* 115.

XXXII. Eodem Edicto præscribitur, quòd Notarii tenebuntur conficere sufficientia & justa registra, & prothocolla omnium contractuum, testamentorum, aliorumque actuum, quos conficient, eaque registrabunt juxta ordinem temporis, quo confecta sunt : atque in calce cujuslibet testamenti, contractus vel actus, notabunt prædictum registrum, illudque solicitè custodient, ut ad illud, & in casum necessitatis recursus haberi queat ; idque sub pœna privationis officii, & inhabilitatis ad illud, & insuper correctionis arbitriæ. Verba Edicti sunt : *Dat alle Notarissen gheadmitteert ende gheapprobeert sullen ghehauden wessent te macken goed ende rechveerdich registre ende prothocolle van allen contracten, testamenten ende ander acten die zy passeren ende ontfanghen sullen, ende de zelve registreren by ordere dat zy die ontfanghen zullen hebben ende ghepasseert : ende in thende van elck contract, testament, oft ander actenct, teckenen tvoorseyde register, ende tselve wel bewaeren om daer toe recours t' hebbene wanneer dat van noede wesen sal : op de peyne ghipriveert te wesen van den woorseyden state, ende verclaert inhabil nemmermeer te moghen exerceren officie ende boven dien arbitralicken ghecorrigiert.* Id est. » Ut » omnes Tabelliones admissi, & approbati, obstringantur confi» cere sinceros, & fideles Commentarios, & prototypa con» tractum, testamentorum, aliorumque actorum, quæ admise» rint & receperint, eademque eo ordine, quo exceperint in » ta-

(g) *Distinctio Notariorum, qualitates, & eorum functiones præscribuntur quoad Hispaniam in leg.* 49. *cap.* 1. 2. 3. 4. & 5. *tit.* 25. *lib.* 4. *Recop.*

(h) *In Hispania cùm sint cuilibet loco Tabelliones destinati, qui vulgò del* Número *vocantur, neque ii extra dictum locum, neque Judices cum aliis suum munus exercere valent. L.* 8. *tit.* 5. & 26. *tit.* 6. *lib.* 3. & 1. *tit.* 25. *lib.* 4. *Recop.*

(i) *Nemo in Hispania Tabellionatus officium exercere potest, quin, præhabitis suæ aptitudinis & fidelitatis testimoniis, à Judice sui domicilii munitis, à Supremo Castellæ Senatu examinatus, & approbatus fuerit, & 25. annos ætatis habuerit, ut præscriptum est in L.* 47. *tit.* 4. *lib.* 2. & 1. 2. 3. & 49. *cum Act. Acord. L.* 3. 17. 20. 21. & 23. *tit.* 25. *lib.* 4. *Recop.*

(k) *In Hispania ita observatur per dispositionem leg.* 2. *t.* 8. *lib.* 1. 9. 10. & 11. *tit.* 1. & 19. 20. & 49. *cap.* 5. *tit.* 25. *Recopil.*

(l) *Functiones, quas Notarii Apostolici in Galliis peragere tenentur, præscribit Edictum, quod dedit Ludovicus XIV. mense Decembri* 1691. *& in Hispania Carolus III.* 18. *Januarii* 1770.

(m) *Leg.* 32. *tit.* 3. *lib.* 1. & 49. *cap.* 5. *verb.* para su custodia, *cùm leg.* 13. *tit.* 25. *lib.* 4. *Recop.*

» tabulas suas referre, & ad calcem cujusvis contractûs, testamen-
» ti, aut alterius acti prædictos Commentarios notare, eosque
» cautè asservare, ut ad eos passit recurri cùm opus fuerit; aliàs
» dicto munere privandi, & inhabiles declarandi, ut officium
» unquam exerceant, arbitrariaque iusuper pœnâ impositâ.

XXXIII. Meritò prothocolla, sive minutæ omni diligentia à Notariis conservari mandantur; quia scitur, quàm multa plerunque inde incommoda partibus obvenire queant; & quàm facilè defectu prothocollorum probatione juris sui destitui.

XXXIV. Hinc & inter cætera jurat in sua admissione Notarius Apostolicus: » Contractus in *Prothocollum* redigam; & » postquam sic redegero, malitiosè non differam contra volun-» tatem illorum vel illius, quorum vel cujus est contractus, su-» per eo conficere publicum instrumentum. «

XXXV. Ut instrumentum sit publicum, de jure communi requiritur, ut unà cum Notario interveniant, ut minus duo testes, hique cum Notario subscribant sive signent, *Cap.* 2. ¤ *de Fide Instrument.* & ibi Doctores, quod & in Gallia obtinet ex Edicto Aurelianensi *art.* 85. uti testatur Bignonius *lib.* 2. *cap.* 116. & in Sabaudia extare Senatus consultum, quo jubentur Notarii facere, ut tam à testibus quàm contrahentibus, si litteras sciant, instrumenta subscribantur, refert Antonius Faber in Cod. *lib.* 4. *tit.* 16. *Definit.* 19. *num.* 8. *in notis.* Apud Belgas non requiritur subscriptio testium, sed satis est nomina testium instrumento inscribi (n) nisi in causis majoris momenti, puta, ultima voluntate declaranda; ubi necessaria est duorum testium subscriptio, uti expressum est *art.* 12. Edicti de anno 1611. item pactis antenuptialibus, & similibus magni momenti. Vide Christinæum ad citatum locum Bignonii.

XXXVI. Præterà Notarius debet annotare annum, mensem & diem & locum ipsius contractus. (o) Quin invocationem Numinis annum regnantis Principis, & indictionem exprimenda esse vulgò tradunt Interpretes; quod tamen hisce in Provinciis à Notariis saltem Regiis non servatur; quamvis Notarii Apostolici invocationem Numinis præmittere, & annum regnantis Pontificis, necnon indictionem exprimere soleant.

XXXVII. Præter hæc instrumenta à publicis Notariis legitimè confecta, sunt & plures aliæ scripturæ, quæ pro publicis instrumentis reputantur, & in judiciis ad fidem adstruendam pro publicis habentur; puta, quæ à publicis Graphiariis vel Secretariis signata sunt: vel sigillo authentico Principum, Civitatum, aliorumque publicorum corporum. Item acta judicialia, quæ utrique Parti sunt communia, & registrata sunt ab illis, qui registrandi publicam auctoritatem habent. Vide Glossam ad *Cap.* 2. ¤ *de Fide instrument.* verbo, *Sigillum.* Merulam in Praxi *lib.* 4. *tit.* 66. *cap.* 2.

XXXVIII. » Antiquæ item, sive vetustæ scripturæ, anti-» qua arma, insignia, aut alia signa, aut scuta picta, aut ins-» culpta lapidibus, , sepulchris, aut tumbis, vel ad muros, aut » ad Columnas, ea omnia publicæ quoque sunt probationes, » ideoque judicem plurimum movent, ut ex his fidem colligat, » potissimùm si multum essent vetusta, aut si tam longo ste-» tissent tempore, ut eorum initii vix ulla extaret memoria; » ideoque & vehementem probationem procul dubio efficiunt: » & tantò majorem fidem faciunt, si cum iis & alia adminicula » concurrant. Sic etiam dici potest de illis litterarum, aut scrip-» torum Probationibus, quæ reperiuntur in antiquis Ecclesiarum » libris, Missalibus, Martyrologiis, aut in similibus, quorum » initii quoque memoria non existat. « Damhouderus *cap.* 174. Adde Glossam ad *cap.* 13. ¤ *de Probationibus.*

XXXIX. Idipsum notat Merula loco citato *num.* 7. additque *num.* 8. idem dici posse de iis, quæ in antiquis historiisoccurrunt: quod tamen intelligi oportet, si sint Historici fidedigni, aut saltem pro talibus publicè, & communiter reputati. (p)

XL. Si libri sint confecti per Officiales publicos, ad hoc publicè auctoritate Superioris constitutos, hujusmodi libri pro publicis habentur, & plenam fidem faciunt; præsertim in iis, quæ concernunt officium dictorum Officialium: uti post alios docet Molinæus ad *Consuetud. Paris. tit.* 1. §. 8. *n.* 23.

XLI. Vicem instrumenti publici habet quoque scriptura sive instrumentum sumptum ex Archivo publico; probatque plenè, etiamsi careat subscriptione Notarii, testibus, aliisque solemnibus publici instrumenti, (q) uti expressè notat Glossa citata.

XLII. Publicum Archivum dicitur, quod erectum est auctoritate *publicâ*, asservationi authenticarum scripturarum specialiter destinatum, atque sub custodia Officialis publici ad hoc deputati, quale est insigne illud Archivum præfecturæ Aurelianensis, unde promuntur documenta plenæ fidei, nedum inter Aurelianenses subditos illi Præfecturæ, sed inter omnes Regnicolas, imò inter quoscunque; teste Molinæo ibidem *num.* 30. additque: » Secus si de facto quoddam Archivum erigeretur à » non habentibus potestatem supremam legem condendi, & » Notarios publicos creandi; quia illud esset potiùs privatum » chartophylacium, vel bibliotheca, quàm publicum Archi-» vum, nec esset authenticum, nec scripturis inde prolatis cre-» derem fidem adhibendam, nisi essent in forma, & haberent » solemnia publici instrumenti, & maximè, quando ageretur de » utilitate eorum, qui constituerunt illud Archivum. «

XLIII. Quæ hactenus dicta sunt de instrumentis publicis, intelligenda sunt de ipsis Originalibus. Originale autem instrumentum est ipsa prima scriptura, quasi origo sit ipsius actus, & omnium exemplarium, uti exponit Covarruvias *Pract. qq. cap.* 19. *num.* 1. ubi & monet, Originale quoque rectè vocari *Authenticum*, tanquam certam fidem faciens: atque de hujusmodi scriptura *authent.* intelligi debet *Cap.* 1. ¤ *de Fide instrum.*

XLIV. Hodie originale instrumentum non est ipsa Minuta sive Matrix à Partibus, & Notario, subindè & testibus signata, quæ apud Notarium remanere debet; sed instrumentum ab eodem Notario juxta dictam Minutam confectum, & signatum; uti ibidem ex Molinæo ad *Consuetud. Paris. tit.* 1. §. 8. *n.* 42. rectè monet Covarruv. *num.* 2.

XLV. Si scriptura ab alio Tabellione ex ipso originali sit desumpta, hicque concordantiam cum ipso originali testetur; erit hæc scriptura *Exemplar* Originalis, non autem Originale; soletque hodie hujusmodi scriptura sive exemplar auctoritate Notarii ex Originali desumptum vocari *copia authentica*: quia licèt non parem fidem cum originali faciat, tamen aliqualem meretur, propter auctoritatem testantis.

XLVI. Interim exemplaria sive copiæ fidem in judicio non faciunt argumento *cap.* 1. ¤ *de Fide instrum.* ubi dicit Pontifex: » Si scripturam *authenticam* non videmus, ad exemplaria » nihil facere possumus. « Ibidem monet Glossographus: » Nota » quòd exemplari non creditur, nisi ostendatur Originale. «

Rationes, ob quas copiæ non credatur, sunt, quia relatum ad aliud probari debet ex illo, ad quod refertur. Deindè alius Notarius, aut copiam faciens subinde accipit, aut intelligit (etiam sine fraude) tractum litterarum, aut verborum aliter, quàm Notarius, qui originale confecit: è quo sensus æquivocus oriri posset; atque inde ulteriùs obscuritas, quin & falsitas; præsertim quòd lapsus temporis interdum inducat aliam formam litterarum & scriptionis. (r) Vide Merul. in *Praxi lib.* 4. *titul.* 66. *cap.* 4.

XLVII. Exemplaria autem plenam fidem (s) facient, si ad originales litteras per Judicem, vel Commissarium collata sint; idque in præsentia Partis adversæ, aut certè in ejus absentia, si ad collationem videndam fuerit vocata, & contumaciter se absentaverit; quemadmodum capite præcedenti de Juramento testium in præsentia Partis excipiendo dictum fuit: atque in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechliniensis sub eodem *art.* 41. agitur de citatione partis ad videndum jurare Partes, & instrumenta exhiberi, & cum suo originali conferri; & qualiter Parte per contumaciam absente in utroque pergendum sit.

XLVIII. Similiter sicuti examen testium subindè alteri judici committitur ad evitandos sumptus; ita collatio scripturarum cum instrumentis originalibus committitur judici loci, in quo originalia servantur; debebitque judex attentè advertere, an in ipso originali non insint aliqua vitia, aut an in ipse locus originalium litterarum non sit ipsi suspectus. Nam si » quæ vitia, aut suspiciones reperiat, ea vitia, scilicet sus-» pecta loca, nomen, summa, data, locum & similia dili-» genter annotabit, & ita notata, cum transumpta collatione, » remittet ad Commissarium, aut ad priorem judicem. «

XLIX. Ita Damhouderus in Praxi rerum civilium *cap.* 174. *num.* 9. ubi & *num.* 10. monet, quòd si aliqua instrumenta fuerint negligenter custodita, aut vetustate corrumpi incipiant, tùm judex possit eadem in præsentia Partis vocatæ restituere, & renovare, ita ut sint legibilia.

L. De hac traductione instrumenti ex ipso originali textus est specialis in *Cap. fin.* ¤ *de Fide instrum.* ubi decernitur: » Si instrumenta propter vetustatem, vel propter aliam justam » causam exemplari petantur, coram ordinario judice vel de-» legato ab eo specialiter præsententur: qui si ea diligenter » inspecta, in nulla sua parte vitiata repererit, per publicam » personam illa præcipiat exemplari, eandem auctoritatem per » hoc cum originalibus habitura. «

LI. Notant autem hîc communiter Doctores, quòd exemplatio hæc fieri necessariò debeat ex originali seu authentico instrumento. Si enim facta esset duntaxat ex aliquo exemplari etiam solemni, & in forma legitima confecto, non crederetur, etsi etiam solemnis traductio facta esset: & ita in Praxi servari tradunt citati à Covarruvias *Pract. qq. c.* 21. unà tamen notante, quòd id fallat, si originale & prothocollum sint deperdi-

(n) *Ita in Hispania stabilitum est in leg.* 13. *tit.* 25. *lib.* 4. *Recop.*
(o) *Dicta leg.* 13. *cum* 32. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop.*
(p) *Act. Acord.* 12. *tit.* 7. *lib.* 1. *Recop.*
(q) *L.* 25. *&* 26. *t.* 25. *lib.* 4. *cum leg.* 15. *t.* 6. *lib.* 3. *Recop.*
(r) *Lex* 3. *tit.* 5. *lib.* 4. *Recop.*
(s) *Lex* 14. *glos.* 6. *tit.* 28. *partit.* 3. *& leg.* 16. *&* 17. *t.* 25. *lib.* 4. *Recop.*

dita: item si primum exemplar auctoritate judicis sit traductum ex originali vocatis Partibus, ut tunc exemplum ex hujusmodi exemplari productum fidem faciat inter easdem partes, earumque hæredes, plura ibidem de fide exemplarium traductorum examinante.

LII. Instrumentis publicis legitimè confectis, & in judicio judici exhibitis, plena fides adhiberi solet; adeò ut ulterior judici probatio requirenda non sit: creditur que omnibus, quæ instrumento *dispositivè* asseruntur: neque facilè contra instrumentum publicum legitimè confectum testes recipiendi sunt, juxta illud Pauli Juris-Consulti 5. *Sent.* 15. *Testes cùm de fide tabularum nihil dicitur, adversus scripturam interrogari non posse*, id est, standum esse instrumento, nisi falsum arguatur, scripturæ fide in dubium vocatâ, uti exponit post Cujacium Diodorus Tuldenus ad titulum Codicis *de Fide Instrument. n.* 2.

LIII. Ibidem notat Tuldenus, quædam esse instrumenta, quæ impugnari testibus non licet, ut monumenta publica, libros Civitatum, & hujusmodi. De reprobatione instrumenti per testes, vel instrumento inscriptos, vel extraneos consule Covarruviam *lib.* 2. *Var. resolut. cap.* 13. *numer.* 11. ubi observat, legem regiam (t) in Hispania quatuor exigere, ut per testes fides instrumenti *directè* improbetur. » Primum, quòd » tabellio alioqui nutantis sit fidei: quippè quæ ex fama dubia » quoquo modo sit. Secundum, testes esse probos viros. Ter» tium, actum ipsum, cujus instrumentum meminit, non es» se antiquum, sed paucis ante annis contigisse. Quartum, quòd » omnes testes instrumento adscripti, unanimi, & concordi » testimonio adversus instrumentum jurati testificentur. «

LIV. Sunt quædam negotia, quæ ferè non nisi per instrumenta probari possunt, veluti res antiquitùs gestæ, itemque acta judicii, aliaque nonnulla relata à Tuldeno ad citatum titulum *num.* 2. ubi tamen *num.* 3. monet, *regulariter* quæcunque negotia vel contractus etiam sine scriptura valere, dummodò aliundè de veritate constet: atque hinc ulteriùs concludit *numer.* 4. strictè esse interpretanda statuta, quæ contractus certæ quantitatis, celebratos sine instrumentis declarant irritos.

LV. Simile aliquod statutum publicatum fuit per Principes nostros anno 1611. Edicti perpetui *art.* 19. circa dispositiones, sive per ultimas voluntates, sive inter vivos, quæ excedunt æstimationem 300. florenorum, quas omnes in scriptis fieri mandant; decernentes, quòd solæ scripturæ sive instrumenta super his confecta fidem facient: factâ inhibitione judicibus recipiendi ullas alias probationes. Verba sunt: *Om dieswille datter vele processen worden gheroert tusschen onse ondersaeten ter oirsake van de menichvuldicheyt van feyten, die men voorthrenght ende poseert gheschiedt ende ghevallen te vvesent in de conventien ende contracten, te oirsake vande vvelcke men ageert, ghelyck oft daer meer vvaer gheseydt oft besproken gevveest als inhouden de instrumenten daer op ghemaeck, t' zy onder hunne signaturen, oft vvel voor Notarissen ende Ghetuyghen: ghelyck, oock op t' stuck vande dispositien rakende testamenten, contracten van houvvelyck, ende alle andere specien van couventien, oft dispositien causerende eene groote onsekerheyt, ende somtyts diversiteyt, ia contrarietey in t' betoonen, met belemmeringhe van processen, tot grooten Schaede van partien; Wy, om hier inne te versien, hebben gheordonneert ende ordonneren mits desen, dat van alle saeken, vvaer van onse ondersaten sullen vvillen handelen oft disponeren; excederende de vveerde van dry honder-Ponden Arthois eens, t' zy by ordonnantie van uytersten vville, gyften, contracten van houvvelyck vercopinehen oft andere contracten, hoedanich die zyn t' zy van reele saken oft in gelde, vande vverde als boven, dat sy het selve doen by ghescrifte, t' zy onder heure signaturen, oft voor Notarissen ende Ghetuyghen, oft andere openbare persoonen (naer die qualiteyt ende importantie vande voorseyde contracten ende dispositien) de welke daer van sullen maken de instrumenten in behoirlycke vorme; de vvelcke alleene sullen dienen tot bethooninghe van t' ghene voornoemtis sonder dat de Rechteren sullen moghen ontfanghe eenighen anderen thoon by Ghetuyghen boven t' inhouden vande selve.* Id est: » Cum multæ inter subditos nostros lites suscitentur ob multitudinem factorum, quæ producuntur aut occurrise sup» ponuntur, in conventionibus, & contractibus, ratione cu» jus proceditur, ac si plura expressa, & conventa forent; » quam in actis desuper seu chirographo suo munitis, seu co» ram Notario & testibus conscriptis contineatur, prout & » in casu dispositionum testamenta concernentium, pacta nup» tialia, aliudque omne conventionum genus, aut dispositio» num, unde magna incertitudo, aliquando diversitas, quin » & contrarietas in producendo exurgit, cum litium intrica» tione, gravique partium detrimento. Nos quo his provide» mus, mandavimus, & hisce mandamus, ut omnis negotii, » de quo convenire, aut disponere subditi nostri intendent, » si valorem trecentarum librarum Artesiarum semel duntaxat » excedat, seu per dispositionem ultimæ voluntatis, donatio» num, pactorum nuptialium, venditionum aliorumve contrac» tuum, qualecunque id fuerit, seu quidpiam reale, seu pecu» nia valoris, ut suprà scripto tabulæ conficiantur, vel sub » suo chirohrapho, vel coram Notario & testibus, vel perso» nis aliis publicis, (juxta qualitatem & momentum dictorum » contractuum, & dispositionum) qui desuper acta secundum » formam legitimam præscribent, quæ sola inservient ad de» monstrandum, quod suprà dictum est, nec poterunt Judi» ces præter eam, quæ ibidem continetur, aliam per testes, » probationem accipere. «

LVI. Articulum hunc desumptum esse ex Constitutione Franciæ à Carolo IX. Molinis data anno 1566. *art.* 54. observat Antonius Anselmo in Commentario ad hunc articulum §. 3. notatque, in aliis Regnis, & Provinciis similes Constitutiones vigere, ad diminuendas & abbreviandas lites.

LVII. Refert ibidem Anselmo §. 8. non semel decissum fuisse in Regiis Consiliis, hunc articulum non excludere juramentum litis decisorium, uti nec confessionem Partis in judicio factam.

LVIII. Interpretationis quoad probationem per juramentum meminit quoque Tuldenus loco citato *num.* 4. atque inde concludit, non ad substantiam, sed ad probationem, scripturam exigi: notatque, hæc statuta eâdem ferè ratione niti, qua jus Romanorum actionem negans ex pactis non roboratis stipulatione. Nam invenitur idem incommodum perplexarum litium ex lubrica, & obnoxia testium sæpè dissidentium fide.

Ex his facilè intelligitur, quòd ordinatio hæc duntaxat concernat formam probationis in judicio, nullatenus verò ipsam obligationem in foro poli; eamque ex conventione contractam esse, tametsi per scripturam in judiciis probari nequeant.

LIX. Quin & declaratum fuit, non esse exclusam probationem, quam de jure, statuto, aut consuetudine merentur libri mercatorum. (u) Quam fidem autem mereantur libri mercatorum, vide apud citatos ab Anselmo ad *art.* 20. Edicti perpetui §. 3. Hoc interim certum est, similes libros non probare nisi de rebus ad mercaturam, quam exercent magistri librorum, spectantibus.

LX. Meminit autem Edictum duplicis scripturæ, scilicet *privatæ* & publicæ; atque utramque ad probationem sufficere insinuat. Scriptura enim, quæ duntaxat munitur signatura vel sigillo alicujus privati, revera privata censetur; hanc autem sufficientem esse indicat his verbis: *T' zy onder hunne signature.*

LXI. Ut autem intelligatur, quam fidem mereantur scripturæ privatæ, notandum, hujusmodi scripturas privatas trifariam distingui posse.

Sunt enim harum aliæ, quæ in proprium commodum à privato sunt conscriptæ. Aliæ vero pro aliis, sive in commodum aliorum; & tertiæ tam pro semetipsis, quàm pro aliis sunt conscriptæ.

LXIII. Scriptura illa, quam quis pro semetipso, sive in proprium duntaxat commodum scribit, nullam in propria causa, & pro suo commodo probationem efficit, nec pro ipso scribente quidquam probat. (x)

LXIII. Illa autem scriptura, quam quis scribit, aut signat, vel suo sigillo munit, vel probat in commodum alterius & ad sui obligationem, probat contra scribentem; & de hac scriptura agit Edictum perpetuum citato *art.* 19.

LXIV. De hac quoque privata scriptura agitur in *cap.* 14. ✠ *de Fide instrum.* ubi respondit Pontifex, quòd » si cautio » *indeterminatè* loquatur, adversarius teneatur ostendere de» bitum, quod continetur in ea. Sed si causam, propter quam » hujusmodi scriptura processit, expresserit, in eadem con» fessioni ejus stetur, nisi probaverit se indebitè promisisse. «

LXV. Ex hoc textu communiter duo concludunt Doctores. Ex primo scilicet membro Decretalis, quod privatæ scripturæ, apochæ sive chirographa obligationem *sine causæ* continentia, id est, causam obligationis non exprimentia, de jure sint nullius momenti, (y) aut certè efficaciæ perquam exiguæ; nisi tamen consuetudo, aut statutum aliter disponeret quemadmodum Brugis, Antuerpiæ, ac in aliis civitatibus, in quibus frequente mercatores negotiantur, statutum esse, quòd su-

(t) *Lex* 115. *tit.* 18. *Part.* 5.

(u) *Mercatorum libri in Hispania vulgo* de caja, *sive aliarum personarum particularium, qui eos in sua potestate retinent, licet per se aliam, quam contra ipsos fidem non faciant, ac proinde neque probationem, ut ajunt L.* 121. *tit.* 18. *Parte* 3. *& leg.* 23. 24. 25. *tit.* 19. *lib.* 9. *Recop. servatis in eis circumstantiis, quæ præscribuntur in leg.* 10. *&* 11. *tit.* 18. *lib.* 5. *& 5. tit.* 14. *lib.* 9. *Recop. plenam fidem facere absdubio est.*

(x) *Dicta L.* 121. *tit.* 18. *Part.* 3.

(y) *In Hispania* » paresciendo que alguno se quiso obli» gar á otro por promision, ò por algun contrato; ò en otra » manera, sea tenudo de cumplir aquello, que se obligó, « *ait L.* 2. *tit.* 16. *lib.* 5. *Recop. quæ praxis & hodie servatur.*

super privata scriptura sive obligatione etiam *non causata*, nec ullam obligationis causam continente jus reddatur, testatur Damhouderus in *Praxi rerum civil. cap.* 175.

LXVI. Ex posteriori Decretalis membro deducitur, scripturam privatam continentem causam obligationis contra scribentem *plenè* probare; quod & in Praxi receptum esse testatur Merula in Praxi Curiæ Hollandicæ *lib.* 4. *tit.* 66. *cap.* 3. *num.* 4. & de moribus nostris Zypæus in Notitia Juris Belgici *tit. de Fide Instrum. num.* 2. dicitque Damhouderus loco citato *numer.* 9. quòd si ipse suam scripturam in judicio confiteatur illicò esse condemnabilem, ac debere statim exsolvere; aut si contra eam aliquid dicere vellet, nantizare aut consignare condemnaretur summam in sua privata scriptura contentam.

LXVII. Testatur quoque Rebuffus in præfatione Tractatûs De Chirographorum & schedularum recognitione *num.* 44. practicam Galliæ esse fundatam in consuetudine, & Ordinationibus Regiis, » ut qui habet schedulam alicujus, citare faciat eum » visurum recognoscere; sive (ut dicunt) confiteri vel negare » suum chirographum, & si confiteatur se scripsisse, vel alium » suo mandato, tenebitur munire manum, & *garnire* summam » contentam in schedula. Si verò Reus illam neget, datur dila» tio Actori ad probandum, nec condemnatur Reus ad garnien» dum, vel solvendum, donec probatum fuerit eum scrip» sisse. «

LXVIII. Habet autem cedula sive scriptura privata in judicio recognita *paratam* executionem, saltem de consuetudine; (z) quia habetur hæc recognitio pro confessione: confessus autem in jure habetur pro judicato, & judicatum habet executionem, uti ibidem notat Rebuffus *num.* 46.

LXIX. Idque procedit, tametsi schedula esset minus solemnis, putà sine die & subscriptione: quia si equidem Reus fateatur à se scriptam, tenebitur garnire sive nantizare. Licèt enim instrumentum per se non sit sufficiens ad probandum, tamen partis confessio in judicio facta manet rata; uti notat Rebuffus ibidem *num.* 48. additque, quòd scriptura sic recognita sit major quolibet instrumento etiam publico, & quibuscunque testium depositionibus.

LXX. Imò ut quis condemnetur ad garniendum sive nantizandum, sufficit recognitio solius subscriptionis, vel scripturæ, licèt negaretur debitum: tunc enim judex eum condemnaret ad nantizandum salvis suis defensionibus.

LXXI. Sigilli vel signi appositi per eum, qui scribere nescit, recognitio sufficiens est ut condemnetur ad garniendum, nisi tamen probaret per alium esse sigillum appositum; utpote quia illud perdiderat, & ita judicatum fuisse ait Rebuffus *numer.* 62. addens: » Ideò inventa est hæc clausula, quæ in fine » sigilli apponi solet: *Et in fidem præmissorum jussimus has lit*» *teras sigilli nostri appensione communiri.* « Non tamen facilè præsumendum est, sigillum per tertium esse appositum, præsertim si de sigillo publico agatur, uti ex Molinæo ad Consuetudines Parisienses monet Covarruvias Pract. *quæst. cap.* 22. *numer.* 9.

LXXII. Plura circa formam, & effectus hujus recognitionis videri poterunt apud Rebuffum in hoc tractatu, ubi & latè exponit Ordinationem Francisci I. Regis Franciæ anni 1539. *art.* 92. & 93. quorum hic est tenor: *Que toutes parties qui seront adjournées en leurs personnes, en cognoissance de cedule, seront tenus icelles cognoistre, ou nyer en personne, ou par Procurieur specialement fondé, par devant le juge Seculier, en la jurisdiction duquel seront trouvez sans pouvoir alleguer aucune incompetence: & ce avant que de partir du lieu, où lesdits Partiers seront trouvées: autrement lesdits cedules seront tenues pour confessées par un seul defaut, & emporteront hypotheque du jour de la sentence, comme si elles avoyent été confessées.* Id est: » Ut quæcunque partes personaliter citatæ » ad agnitionem schedulæ eas obstringantur vel personaliter ad» mittere vel negare, aut per Procuratorem specialiter consti» tutum coram Judice seculari, sub cujus jurisdictione depre» hendentur, nec licebit iis defectum jurisdictionis obtendere: » idque antequam excedant loco, in quo partes convenerit, » aliàs dictæ schedulæ censebuntur admissæ ob unicam vadimo» nii desertionem, hypothecamque evincent à die latæ senten» tiæ, non secus ac si admissæ fuissent. «

Si aucun est adjourné en cognoissance de cedule, & compare, ou conteste denyant sa cedule, & par apres élle est prouvée par le creancier, l'hypoteque courra & aura lieu du jour de laditte denegation & contestation. Id est: » Si aliquis cite» tur ad agnitionem schedulæ compareatque, vel de illa conten» dat, suamque esse abnuat, posteaque per creditorem probe» tur, hypotheca à die recusationis, & controversiæ locum ob» tinebit, & effectum sortietur. «

LXXIII. Conforme est Edictum Caroli V. de 7. Martii 1537. extans parte 1. Edict. Brabantiæ *lib.* 3. *tit.* 12. *cap.* 4. quo edicitur, ut si quis in judicio conveniatur super obligatione contenta in schedula, quòd prima die juridica, si Reus personaliter præsens sit, vel in termino, quem ipse judex, una tantùm dilatione concessa, assignaverit, tenebitur schedulam agnoscere, vel diffiteri; & si agnoscat schedulam à se scriptam, subsignatam, vel suo signo signatam, vel suo mandato sive jussu, indilatè condemnabitur summam in schedula expressam *nantizare*, sive consignare apud judicem; quam summam sic nantizatam poterit Actor levare sub sufficienti & idonea cautione fidejussoria arbitrio judicis, de restituenda prædicta summa in casum, quo deprehenderetur per definitivam non fuisse debitam. Hæc tamen consignatio indicenda non est, si Reus velit intra octiduum (a) probare legitimam exceptionem contra illam schedulam; quæ dilatio ipsi à judice indulgenda erit, & non longior. Si Reus die statuto non compareat, judex consignationem decernet, modò de legitimè facta citatione constet.

Si autem Reus schedulam à se, aut suo jusso scriptam, aut signatam neget, & postmodum judici ostendatur ipsum calumniosè negâsse, tunc Reus condemnabitur (b) in solutionem dictæ summæ, & ab omni exceptione, in pœnam mendacii excludetur; ac insuper in mulctam pecuniariam æquivalentem sextæ parti summæ in schedula expressæ.

Notandum hoc Edictum specialiter concernere mercatores, atque editum esse, ne cursus mercaturæ sisteretur per dilationes solutionis.

LXXIV. Quomodo autem probatio scripturæ fieri debeat, sive per testes, sive per comparationem litterarum, præsertim juxta Constitutionem in *L.* 20. *Cod. de Fide Instrument.* & Authenticas ei subjectas; videri poterit apud Rebuffum in Præfatione Tractatûs *de Chirographorum Recognit. num.* 28. & Gudelinum *de Jure noviss. lib.* 4. *cap.* 11.

CAPUT VIII.

De Juramento suppletorio ob defectum probationum.

1 *Juramentum semper existimatum ut medium expediendarum controversiarum.*
2 *Hinc in judiciis ob defectum probationum juramentum jam pridem adhibitum.*
3 *Propterea dictum* suppletorium, *tanquam in causis dubiis defectum probationum supplens.*
4 *In Legibus Romanis frequens illius mentio, sed nulla in pristinis Canonibus.*
5 *Videtur cum stylo forensi in forum Ecclesiasticum intrâsse.*
6 *Alexander III. resolutionem suam ex legibus petit.*
7 *In Decretalibus Gregorii IX. sub titulo* De jurejurando *extat unica Decretalis de hoc juramento.*
8 *Refertur textus hujus Decretalis.*
9 *Ex hoc textu includitur, hoc juramentum non esse deferendum, nisi defficiente alia probatione.*
10 *Causa debet esse admodum dubia, ut huic juramento possit esse locus.*
11 *Reprehenduntur Judices nimis facilè hoc juramentum deferentes.*
12 *Delationem hujus juramenti ad supplendum defectum probationum reprobat Antonius Faber.*
13 *Indubitatum est admodum parcè & circumspectè juramentum hoc deferendum; quia jurans constituitur judex in propria causa.*
14 *Ex delatione hujus juramenti natum est fieri, ut mali in causa injusta vincant, & boni causam justam perdant.*
15 *Antiquæ Visigothorum Leges vetant facilè hoc juramentum deferre.*
16 *Idipsum inculcant Capitularia Regum Francorum.*
17 *In Gallia consuetudinaria vix est aliquis usus hujus juramenti.*
18 *Etiam in his partibus rarus est usus; & quare.*
19 *Ob periculum perjurii non defertur in criminalibus, nec in actione famosa.*
20 *Similiter nec in causa Civili ardua, & notabili.*
21 *An res sit ardua, attendenda conditio personarum, & locorum.*
22 *Dum de re temporali agitur, rarò deferendum pauperibus.*
23 *Ob periculum perjurii non condemnandus Reus eadem sententia.*

(z) *In Hispania non virtute consuetudinis, sed legis* 5. *& 6. tit.* 21. *lib.* 4. *Recop.* » los conocimientos reconocidos por » las partes.... trayan aparejada execucion, « *virtute cujus ait L.* 6. *ejusd. tit. & lib.* » lo mande (*Judex*) executar. «

(a) *Videatur L.* 19. *tit.* 21. *lib.* 4. *Recop. & 2. & 3. ejusdem tit. & lib. ubi dicitur decem dies in Hispania consignari ad legitimam exceptionem prophanam.*

(b) *Praxis Hispania tenet, quòd in executivis summa debiti apud aliquem deposita, judicium convertatur in Ordinarium, adeò ut solutio non verificetur usque ad sententiam definitivam.*

tentia, qua Actori defertur juramentum.

24 *Judex non rogatus hoc juramentum non defert, ne ad perjurium incitare videatur.*

25 *Homines nimis faciles sunt ad pejerandum, ubi agitur de lucro.*

26 *Concluditur, summa cum moderatione juramentum hoc deferendum.*

I. JUramenti apud omnes semper summa religio fuit, atque ad dirimendas controversias medium maximè opportunum existimatum. Hinc illud apud Romanos in *L.* 1. *ff. de Jurejurando*, » maximum remedium expediendarum litium in » usum venit jurisjurandi religio, qua vel ex pactione ipsorum » litigatorum, vel ex auctoritate judicis deciduntur controver- » siæ. «

II. Inde contigit, ut judices ob defectum probationum in causis decidendis juramentum adhibendum judicaverint; ut dum veritas per testes, instrumenta, similesve ordinarias species probationis haberi non posset, per jurisjurandi religionem veritas à litigantibus eliceretur.

III. Idcircò hoc juramentum meritò dictum fuit *suppletorium*, quasi nimirùm defectum probationum *supplens*. » Solent » enim sæpè judices in dubiis causis, exacto jurejurando, se- » cundum eum judicare qui juraverit, « ait Cajus Juris Consultus in *L.* 31. *ff. de Jurejurando*: Et Imperatores Diocletianus, & Maximianus in *L.* 3. *Cod. de Rebus creditis & jurejurando.* » In bonæ fidei contractibus, necnon etiam in cæteris causis, » inopiâ probationum, per judicem jurejurando causâ cognitâ » res decidi oportet. «

IV. Hujus juramenti in legibus quidem Romanis frequens mentio occurrit; compertumque est, juramenti hujus usum fuisse Romanis multùm familiarem; at in pristinis Canonibus aut Pontificum epistolis vix ulla est juramenti hujus, aut similis, ad causarum decisionem à judice adhibendi memoria.

V. Admodum verisimile est, hoc juramentum ex foro seculari unà cum stylo forensi in forum Ecclesiasticum intrâsse; apparetque ex Pontificum responsis, Pontifices legum præscriptum in materia hujus juramenti fuisse secutos.

VI. Unde Alexander III. reprobans consuetudinem, quæ apud quosdam invaluerat, » ut cùm aliquis intentionem suam » fundaverit instrumentis, aut testibus introductis, Sacramentum » nihilominus deferatur: quòd si subire noluerit, fides probatio- » nibus exhibitis non habetur. « Fundamentum reprobationis hujus allegat: quòd hæc consuetudo nulla sit ratione subnixa: » sed manifestè (ait) *legibus* adversetur, quæ tunc demum ad » hujusmodi suffragium decurrendum esse decreverunt, cùm » alia legitimè non suppetunt. « Ita legitur in secunda Collectione Decretalium apud Antonium Augustinum *de Probationibus*, *cap.* 1.

VII. Unicam Decretalem de hoc juramento habemus in Decretalibus Greg. IX. sub titulo *de Jurejurando*, nimirùm *cap. fin.* ejusdem tituli; & quam uti, post Cujacium ad hoc Capitulum notavit Emmanuel Gonzalez in notis ad eandem Decretalem, Gregorius IX. totam deprompsit ex edicto Prætoris, & ejus interpretatione per Prudentes factâ. » Nec est (ait » Gonzalez) in hoc titulo (De Jurejurando) alia, quæ ad jura- » mentum decisorium litis spectet, nisi præsens; cùm in aliis » actum esset de juramento extrajudiciali in aliis actibus validis & » invalidis præstito. «

VIII. In hac igitur Decretali significat, cuidam judici Gregorius IX. » Juramentum à te (Judice) parti delatum, nisi jus- » ta de causa non potuit recusari; quamvis quod in judicio à » parte parti defertur, recusari possit licitè ac referri. Nec li- » ceat convento famosa actione referre hujusmodi jusjuran- » dum. «

Sed ne judex hujus probationis usum semper adhiberi posse arbitraretur, subjungitur: » Sanè si actor omninò in probatio- » ne defecerit, reus debet (etsi nihil præstiterit) obtinere. Præ- » sumptione verò faciente pro illo, reo deferri potest, ad osten- » dendam suam innocentiam, juramentum, nisi judex (inspectis » personarum & causæ circumstantiis) illud actori videat defe- » rendum. «

IX. Ex hoc itaque textu uno consensu deducunt Interpretes, juramentum hoc non esse à judice deferendum, nisi in causis admodum dubiis, & quando per ordinaria probationis media veritas haberi nequit. Hæc enim probationis species est merè subsidiaria; ideoque non admittenda, nisi *deficientibus aliis probationibus*, uti loquitur *L.* 35. *ff. de Jurejurando.*

X. Ulteriùs, probatio per juramentum non est assumenda à judice, nisi causa ita sit disposita, ut nequeat se determinare, ob argumenta utrinque militantia, pro qua Parte, id est, an pro reo, an pro actore sit pronuntiandum: neque medium ordinarium suppetit, quo jus unius, alteriusve partis ulteriùs elucescat, ut se judex in pronuntiando determinare queat.

XI. Hinc Duarenus *Lib.* 2. *Disp.* 33. causas *dubias*, in quibus judices solere deferre hoc juramentum asserit *L.* 31. *ff. eod.* interpretatur illas causas, in quibus judices eò redacti sunt propter paritatem probationum, ut hæsitent, & in utramque partem propendeant, & inclinent: reprehenditque tanquam iniquum, quod nonnulli tradunt, hoc juramentum posse in supplementum probationis deferri actori, modò vel unum testem protulerit.

XII. Antonius Faber in Codice *lib.* 4. *tit.* 1. *Definit.* 1. *nota* 9. advertens, quòd » omnibus in re propria dicendi testi- » monii facultatem Jura submoverunt, eadem ratione putat nec » defendi posse ullâ juris ratione jusjurandum, quod *suppleti- » vum* vocant. « Et *Definit.* 4. dicere audet, *jam pridem inveterato errore obtinuisse*, ut si alteruter litigantium *semiplenas*, ut vocant, probationes adferat, quòd justis probationibus deerit, exacto per judicis officium à petente jurejurando suppleri possit. Et in notis *num* 5. eandem suam sententiam repetens ait: *Error enim Interpretum, & Pragmaticorum ille est.*

XIII. Quidquid sit de hac Fabri opinione, hoc equidem indubitatum est, admodum parcè, & circumspectè hoc jusjurandum à judice Parti in supplementum probationis deferendum esse: quandoquidem negari nequeat, quin verum sit, per hanc juramenti delationem jurantem in re propria testem adhiberi, atque ab ejus juramento causæ decisionem peti.

XIV. Quid enim hinc natum consequi, nisi ut homines parùm religiosi, facilè spe victoriæ consequendæ illecti ad perjuria inducantur; ali verò perjurii metu deterriti, etiam juramentum sibi delatum in causa justa præstare recusantes, causâ cadant.

XV. Unde in antiquis Visigothorum legibus legitur *L.* 2. *cap.* 22. » Judex, ut benè causam cognoscat, primùm testes » interroget: ac deinde scripturas inquirat, ut veritas possit » certiùs inveniri, ne ad Sacramentum facilè veniatur. Hoc enim » justitiæ potiùs indagatio vera commendat, ut scripturæ ex om- » nibus intercurrant, & jurandi necessitas sese omninò sus- » pendat. «

XVI. Et in Capitularibus Regum Francorum *lib.* 7. *cap.* 97 » Volumus, ut Sacramenta citò non fiant, sed unusquisque Ju- » dex priùs causam veraciter cognoscat, ut eum veritas latere » non possit, ne facilè ad Sacramenta veniat. «

XVII. Refert Rebuffus in Proœmio ad Constitutiones Regias *Glossa* 5. *num.* 58. non servari in patria consuetudinaria Regni Galliæ citatam *L.* 31. *ff. De Jurejurando*, & *L.* 3. *Cod. eod.* » Quia (ait) vix defertur juramentum in supplementum pro- » bationum in contractibus stricti juris; etiamsi semiplenè pro- » batum fuerit; sed reum Judex absolvit, nisi hoc à Rege per » rescriptum concedatur. «

Addit nihilominus, » quòd serventur leges illæ in patria ju- » ris scripti, in qua (ait) sine litteris Judex defert, si expediat, » juramentum, etiam in contractibus stricti juris. «

XVIII. Testantur quoque Pragmatici nostrates juramenti hujus suppletorii usum moribus nostris non planè abiisse in desuetudidem, uti pluribus citatis refert Simon à Gronewegen *De Legibus abrogatis*, *ad L.* 3. *Cod. de Rebus creditis*; addens tamen, quod » *rariùs* soleant hodie Judices in supplementum » probationis alterutri litigantium juramentum deferre. «

Rationem præmittit desumptam ex *L.* 8. *ff. de Condit. Institut.* Quia » faciles sunt nonnulli homines ad jurandum contemptu religionis, alii perquam timidi metu divini Numinis us- » que ad superstitionem. «

XIX. Sed & passim Pragmatici tradunt, hoc juramentum ob perjurii periculum magna cum moderatione, & circumspectione esse deferendum.

Atque imprimis juramentum hoc in vicem probationis non esse deferendum, cùm criminaliter agitur: imò vel civiliter ex actione famosa, qua Reus damnatus redderentur infamis, tradunt comuniter Doctores ad *Cap. fin.* ✠ *de Jurejurando* ubi dicit Pontifex: *Nec liceat convento famosa actione referre hujusmodi juramentum.* Rationem illius allegat Damhouderus in *Praxi rer. civil. cap.* 179. *num.* 9. » Ne videlicet Reo detur » occasio pejerandi, ut scilicet infamiam evadat. «

XX. Sicuti ob periculum perjurii juramentum hoc deferendum non est in causa criminali, aut famosa; ita nec in causa civili, ardua, & notabili, quemadmodum post Glossam ad *L.* 31. *ff. de Jurejurando.* notant Doctores. Nemo enim non videt periculum esse pejerandi, ubi de re ardua & notabili perdenda aut lucranda agitur.

XXI. Dicitur autem causa ardua, magna vel modica, juxta conditionem personarum litigantium, & ex diversitate locorum, uti post Panormitanum ad *Cap. fin.* ✠ *de Jurejurando*, notârunt Doctores. Certum enim est, rem respectu unius personæ posse æstimari arduam, & magnam, quæ alteri personæ esset modica; ita ut respectu illius esset evidens pejerandi illecebra, & non respectu hujus.

Similiter de loco dicendum; nam in quibusdam locis res habetur pretiosa, quæ in aliis reputatur vilis, uti monet ibidem Panormitanus.

XXII. Dicit quoque ibi Panormitanus, circa personas at-

Di-

tendendum etiam est, num divites sint, an pauperes; præsertim si de re temporali agatur. Nam cùm pauperes magis temporalibus indigeant, atque harum defectu multa incommoda sustinere cogantur, verendum ne ad consequendam rem temporalem, aut eam conservandam proniores ad perjurium reddantur.

XXIII. Observandum monet Antonius Faber loco citato *Defin.* 1. *notâ* 10. quòd » Senatus Sabaudiæ districtè observet, » ut non condemnetur Reus eadem interlocutione, qua actor » admittitur ad jusjurandum suppletivum, ne quidem cùm hac » clausula quam inferiores Judices addere solent, *& præstito ju-* » *rejurando.* Ita enim videretur is, qui certus esset de victoria, » invitari ad jurandum, ac fortasse ad pejerandum. Ergo in tem- » pus præstiti juramenti est differenda condemnatio. «

XXIV. Hæc ille, qui & *Definit.* 8. monet, quòd hoc juramentum suppletivum à Judice deferendum non sit, nisi *petentii*; nec sufficere, quòd jus, & justitiam, uti ex vulgari Advocatorum stylo fit, sibi administrari petierit. » Nam sicuti (ait) non » facilè quisquam credendus est jurare velle: ita nec ad juran- » dum à judice invitandus est, propter periculum perjurii, si » juretur; aut suspicionem calumniæ, si jusjurandum à Judice » non petenti oblatum recusetur. «

XXV. Additque rectè *nota* 6. » Etsi enim non præsumitur » jurans immemor salutis æternæ, nemo tamen nescit, quàm fa- » cilè plerique vel pro re minima pejerent. «

XXVI. Ex his, aliisque facilè intelligitur, verissimè monere Pragmaticos, per Judices maximo cum moderamine & circumspectione hoc juramentum esse deferendum, eò quòd per illud Pars quodammodo in propria causa testis constituatur, & spe lucri assequendi, aut damni evitandi ad perjurium incitetur, & quasi impellatur. (c)

TITULUS VIII.

De Instructione Causarum Criminalium.

CAPUT I.

DE ACCUSATIONIBUS, ET IMFORMATIONIBUS PRÆVIIS.

1 *In foro Ecclesiastico multis seculis criminum punitio sine formalitatibus juris peracta fuit.*
2 *Forma hodierna criminalis fori Ecclesiastici ex Legibus Civilibus desumpta.*
3 *Concilium Lateranense IV. triplicem modum crimina prosequendi proponit.*
4 *Primitùs est per accusationem, cujus definitio proponitur.*
5 *De Jure Accusatio fieri debet per libellum.*
6 *Forma accusationis in Legibus Romanis expressa, qua occasione in foro Ecclesiastico olim recepta.*
7 *Accusans in libello accusationis inscribere se tenebatur de Jure Romano; quod & Jure Decretalium cautum est.*
8 *Ad quid se obligaret accusans per hanc* inscriptionem.
9 *Forma inscriptionis exptessa apud Gratianum.*
10 *Etiam in Belgio aliquando fuit necessitas inscriptionis.*
11 *Ad præveniendum nimium accusandi pruritum inducta necessitas inscriptionis.*
12 *Ad præveniendum privatorum accusandi pruritum, adempta ipsis hodie est auctoritas accusandi criminaliter, & publicis Officialibus reservata.*
13 *His Officialibus remissa est inscriptio, quæ & hodie penè à foro recessit.*
14 *Interdum tamen pœnâ extraordinariâ ob malè institutam accusationem puniuntur.*
15 *Officiales hi non solent quoque in expensas solvendas condemnari.*
16 *Articulus Ordinationum Curiæ Brabantiæ super expensis factis per Procuratorem Regium in causa criminali.*
17 *Quid de his habeant Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum.*
18 *Deficiente accusatore Judex ex officio potest procedere via inquisitionis.*
19 *De Jure hic procedendi modus erat* extraordinarius; *at de consuetudine est ordinarius.*
20 *Hodie semper proceditur in causa criminali viâ inquisitionis.*
21 *Inquisitio hodie sumi solet pro prævia informatione.*
22 *Formare inquisitionem est idem, quod facere processum* informationis.
23 *Inquisitio seu informatio prævia dicitur hodie basis processus criminalis.*
24 *Sententia Officialis cassata ob defectum præviæ informationis.*
25 *Eam requirunt Edicta Principum nostrorum.*
26 *Informatio prævia fieri debet auctoritate Judicis.*
27 *Informatio* generalis *instituenda, dum constat de crimine, sed de auctore indicia non habentur.*
28 *Ut contra particularem instituatur specialis informatio, requiruntur indicia prævia.*
29 *De jure communi necessaria est publica infamatio.*
30 *De consuetudine sufficiunt indicia.*
31 *Quæ indicia, aut infamatio ad informationem* specialem *instituendam sufficiant.*
32 *Denuntiatio hodie aperit viam inquisitioni.*
33 *Etiam privati denuntiatores admittuntur; sed judicis est advertere, quorum denuntiatio sit recipienda.*
34 *Hujusmodi Denuntiatores, si falsò denuntient, condemnandi in expensas, & interesse.*
35 *Quando Procurator Regius teneatur nominare denuntiatorem, seu infligatorem.*
36 *Quid circa hoc obtineat in Gallia.*
37 *Potest capi prævia informatio, tametsi nullus sit denuntiator, modo sufficientia præcedant indicia.*
38 *Hæc informatio institui potest contra absentem non citatum.*
39 *In processu informativo testes examinantur Parte non citata.*
40 *Denuntiator citari solet ad subministranda indicia.*
41 *Informationes accipiendæ quàm secretissimè.*

I. MUltis seculis forum internum quoad punitionem criminum non fuisse omninò separatum à foro externo fusè deduximus supra *Titulo* 4. *cap.* 1. neque illo tempore in discussione, vel inquisitione criminum, eorumque punitione intervenisse formalitates juris: sed eas demum circa seculum XII. in forum Ecclesiasticum irrepsisse, quando scilicet forum externum in punitione criminum à foro interno omninò separatum erat.

II. Et sicuti causæ civiles, tum ex legum præscripto in judiciis Ecclesiasticis instrui & decidi cœperunt; ita & causæ criminales in foro Ecclesiastico secundum formam fori civilis instrui cœperunt: satisque ex dicendis hoc titulo apparebit, modum procedendi in cirminalibus Jure Canonico præscriptum primitùs ex ipsis Legibus fuisse desumptum.

III. Concilium Lateranense sub Innocentio III. in *cap.* 24. ✠ *de Accusationibus*, allegat triplicem modum crimina prosequendi, per accusationem denuntiationem, & inquisitionem. Accusationem *laxiores Casuistæ, quos inter primum obtinet locum Filiutius,* tract. 25. c. 11. *Laymanus* lib. 1. tract. 2. cap. 4. *Sanchez* lib. 3. cap. 5. *& Tamburinus, qui* lib. 3. cap. 3. §. 2. num. 1. *expressè docet* licitum esse jurare sine animo jurandi, sive res sit levis, sive gravis.

Sanctis Doctoribus Chrysostomo, Basilio, Hieronymo, ea laxiorum Casuistarum doctrina ideò nota fuit, ut ore & calamo eam respuerent, unum laudabo Chrysostomum; cujus hac de re oraculum lib. de exhortat. virgin. cap. 11. *extat consignatum.* » *Quid nos, inquit, Scriptura admonet, consideremus;* » *non jurandum facilè, quia plerumque multi casus accidunt.....* » *ut qui jurat, in perjurium incidat.* «

Hoc juramento in Hispania rarò utitur; attamen dari potest casus, in quo delationi ejus sit locus, non tantùm à partis petitione, sed etiam ex Judicis officio; quo in casu ejus probatio pro plena habetur, ut nos edocet L. 2. tit. 11. Part. 3.

(c) *Testatur S. Augustinus, quòd gravius homicidio crimen admittatur ab eo, qui juramentum exigit ex homine, quem novit pejeratum.* » *Ille, qui hominem provocat ad jurationem,* » *& scit eum falsum esse juraturum, vincit homicidam; quia* » *homicida corpus occissurus est, ille animam: imò duas ani-* » *mas, & ejus, quem jurare provocavit, & suam.* « Augustinus à Gratiano relatus, Can. *Ille*, causa 22. quæst. 5.

Et sanè sive exigatur, sive fiat juramentum, summo judicio & discretione summa opus est. Ad juramentum præstandum nemo adigi debet, nisi ubi urget jussa & gravis necessitas. Egregia profecto habetur illa Isocratis sententia his verbis: Jusjurandum, si deferatur, accipe duobus de causis, aut ut te à turpi criminatione liberes, aut ut amicos ex magnis periculis liberes; ob pecunias verò Deum non jures, ne quidem si verum juraturus sis; aliis enim putaveris pejerare, aliis avarus esse. *His sanè verbis damnatur doctrina, quam docuerunt*

IV. *Accusatio* est criminis alicujus apud judicem competentem, vindictæ publicæ causâ inscriptione interveniente, legitimè facta delatio; (d) uti scribit Hostiensis in *Summa*, *tit. de Accusationibus*.

V. De jure accusationem faciendam esse *in scriptis* per libellum communiter docent Interpretes ad *L. 3. ff. de Accusationibus*; & satis insinuat Gratianus ad calcem *Canonis* 5. *Caus.* 2. *quæst.* 8. ubi & formam libelli accusatorii desumptam ex citata *Lege* 3. proponit.

VI. Multa præterea refert Gratianus, quæ ad formam accusationis pertinent: sed omnia desumpta penè sunt ex suppositiis, & falsis Decretalibus epistolis primorum Pontificum, quæ verisimiliter ex Legibus Romanis circa seculum IX. confictæ, ac dein in Decretum Gratiani relatæ, occasionem dederunt posterioribus Pontificibus formam accusationis iis expressam suis Decretalibus inserendi; eamque tanquam Sacris Canonibus jam pridem approbatam retinendi.

VII. Illud præcipuè in libello accusationis observandum occurrit, quod accusans teneretur in libello se inscribere ad pœnam talionis; ut est textus in citata *L. 3. Cod. Qui accusare non possunt*. Idque non tantùm in publicis delictis, sed etiam privatis criminaliter intentatis, *L. fin. ff. de Privatis delictis*; quod & probat Pontifex in *cap.* 16. ✠ *de Accusationibus*, dicens: quando crimen opponitur in modum accusationis *oportet inscribi*; quoniam ad depositionem instituitur accusatio. Rursus in citato *cap.* 24 innovato per Concilium Tridentinum *Sess.* 24. *cap.* 5. *de Reformat.* decernitur » ut criminalis accu» satio, quæ ad diminutionem capitis, id est, ad degradatio» nem intenditur, nisi legitima præcedat inscriptio, nullatenus » admittatur. (e)

VIII. » Inscribere autem, est obligare se ad *eandem* pœ» nam, si non probaverit, quam reus debuit pati, si probâsset » accusator, « inquit Glossa ad citatum *cap.* 16. verbo, *oportet inscribi*. Addit Julius Clarus in *Practica criminali*, *lib.* 5. §. *fin. quæst.* 12. *num.* 16. de forma inscriptionis esse, non tantùm se obligare ad similitudinem pœnæ, sed insuper promittere, accusationem prosequi usque ad finem.

IX. Hæc forma inscriptionis sat luculenter expressa est in *Can.* 4. *Caus.* 2. *quæst.* 8. qui desumptus est ex suppositiitia Sixti III. ad Episcopos Orientales. » Qui crimen objicit, scribat *se* » *probaturum*... Et qui non probaverit, quod objecit, pœnam » quam intulerit, ipse patiatur. «

X. Hanc inscriptionem hîc in Belgio in usu fuissse, testantur Tabulæ Legum Brabantiæ anni 1312. in quibus legimus, Joannem Ducem pœnam *talionis* disertè innovâsse, decrevisseque eo loco habendum esse eum, qui alium in jure accusâsset, & accusationem non probâsset, quo alius habendus fuisset probato crimine.

XI. Necessitas hujus inscriptionis (f) inducta apparet, ut homines à calumniis deterrerentur, nec facilè ex odio, aliave passione ad accusandos, & calumniandos innocentes prorumperent.

Cuilibet enim privato tunc temporis licebat alium de crimine ad vindictam *publicam criminaliter* accusare, & convenire; nisi speciali lege ab accusando prohiberetur; tametsi nullum ejus privatum interesse interveniret, *L. 8. ff. de Accusat.* ideoque expediebat, accusandi nimium quorundam pruritum pœnarum metu coërcere.

XII. Hodie ad præveniendum illum accusandi, imò & calumniandi pruritum, aliaque plurima incommoda, quæ ex privatorum accusationibus oriri nata sunt, consuetudine, & specialibus locorum legibus ubique passim sublata est hæc auctoritas accusandi criminaliter, sive ad vindictam publicam.

Testatur Guil. Benedicti, qui à 250. & amplius annis scripsit, in repetitione *cap.* RAYNUTIUS ✠ *de Testamentis*, verbo, *Mortuo itaque testatore*, *num.* 200. quòd in Regno Galliæ locum non habeat titulus de *Accusationibus*: » imò (ait) per ordinatio» nes Regias nullus admitteretur, etiam pro sua vel suorum in» juria ad aliquem accusandum de crimine ad fines judiciales, & » vindictam *publicam*, nisi duntaxat pro *suo interesse civili*. Sed » omnia crimina promoventur, & persequuntur per procurato» rem Regium in qualibet Baylivia, & Senescalia institutum, » & de publico stipendiatum à Rege. « De eadem Praxi Regni Galliæ testantur Rebuff. in proëmio ad Constitutiones Regias *Glossa* 5. *num.* 92. & 105. Imbertus *Pract. civil. & crimin. lib.* 3. *cap.* 1. *num.* 3. & 4. & passim omnes Pragmatici.

Idipsum in Belgio servari testantur Zypæus in Notitia Juris Belgici, *tit. Qui accusare non possunt*; & Gudelimus de Jure Novissimo *Lib.* 5. *cap.* 14. *num.* 12. ubi ait: » Quilibet » olim secundum Juris Romani regulam accusator esse potuit; » sed moribus nostris licèt quivis ad indicandum, denuntian» dumque flagitium admittatur, tamen unus est, qui ex officio, » nomine fisci seu Reipublicæ, ultionem criminum persequi» tur, atque is in Tribunalibus Regiis Procurator Generalis, » seu Regius; (g) in Tribunalibus autem Episcoporum, nec » non hujus universitatis, *Promotor* vocatur. (h) Quod optimè » videtur introductum, quandoquidem nemo privatus, perso» nam accusatoris absque summa invidia, & odio illius, quem » accusat, amicorumque ejus suscipere potest. «

Vide plures ejusdem praxeos testes apud Christinæum ad Bugnionium *lib.* 1. *cap.* 13. & Simeonem A Groenewegen *de LL. abrog.* ad tit. Cod. *de his*, *qui accusare non possunt*.

XIII. His autem publicis accusatoribus, inscriptionis vinculum & talionis periculum moribus hodiernis quoque remissum: eò quòd ipsis ratione officii crimina publica prosequendi, & criminosos accusandi necessitas incumbat; uti omnes Pragmatici uno quasi consensu testantur; asseruntque solemnem illam inscriptionem, uti & pœnam talionis penitus à foro recessisse; earumque usum planè sublatum. Consuli poterunt Julius Clarus loco citato *quæst.* 12. & 18. item Christianæus & Groenewegen cum pluribus ab ipsis citatis.

XIV. Sed ne publici hi Officiarii auctoritate sibi concessâ in perniciem privatorum abutantur, & Legum obtentu, iræ & ultioni obsequantur, nullam omninò criminalem accusationem, nisi decreto judicis, & ex præcedenti informatione instituere possunt; & si secùs faciant, imò vel ultra informationem procedant, Reumque de crimine accusent vel vexent, de quo nihil in informationibus occurrit, pro ratione calumniæ, & judicantium religione mulctantur & puniuntur; uti notat Damhouderus in *Praxi Rerum criminal. cap.* 6. & plures allegati per Groenewegen loco citato. Repeti possunt, quæ dicta sunt suprà *Tit.* 6. *c.* 5. *de Promotore*.

XV. Eadem ratione, qua Procurator Regius, Promotor, aliique publici Officiarii non tenentur se inscribere; etiam ubique penè moribus obtinuit, ut tametsi causâ cadant, in expensas non condemnentur; (i) uti notant passim Pragmatici, & notanter quoad Belgium post Damhouderum in *Praxi rerum crim. cap.* 222. *numer.* 7. Anselmo ad *art.* 9. Edicti perpetui, §. 8. modò tamen Officiarius cum omni modestia, integritate, & humanitate causam prosequatur, ac officium suum exerceat; ita ut dici possit, eum indiscretè, importunè, vel per calumniam egisse, uti loquitur Anselmo: qui dein §. 9. subjungit: » Sed si nec delictum, nec famam, nec vehementem » aliquam præsumptionem probaverit; sed calumniosè, & do» losè aliquem in Jus vocâsse reperietur, si inquisitum seu accu» satum ante sententiam diffamaverit, in corona civilium publi» cè de delicto reo imposito buccinaverit, aliave præstiterit, ex » quibus animus passionatus, & depravatus elici posset, in ex» pensas necnon damna, & interesse condemnandus venit; quin » injuriarum pars eo casu agere poterit; nunquam enim aut do» lus, aut calumnia debet manere imponita. «

XVI. Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 110. decernunt, ut si Procurator Regius succumbat in causa, quam sine Decreto Curiæ suscepit, condemnabitur in expensas ex proprio solvendas. Si verò succumbat in causa suscepta ex Decreto Curiæ, tunc si non sit locus compensationi, equidem condemnabitur in expensas, sed solvendas ex ærario Curiæ. Verba articuli

(d) *Lex* 1. *tit.* 1. *Part.* 7.

(e) *Accusationem in Hispania in scriptis faciendam esse, præcipit L.* 14. *tit.* 7. *Part.* 7. *per verba*: » Debelo facer por » escrito. «

(f) *Licèt in Hispania inscriptio, in textu relata, videatur necessaria, attentis Legibus* 26. *tit.* 1. *Part.* 7. & 9. *tit.* 20. *lib.* 4. *For. Legum, hodie tamen non est in usu, sive tractetur de publicis delictis, vel de privatis criminaliter intentatis, ut colligitur ex LL.* 19. 20. & 21. *tit.* 1. *Part.* 7.

(g) *In Hispania cuilibet pro privato crimine contra eum commisso accusatio criminalis competit; pro publico autem, licèt antea etiam competeret, L.* 2. *tit.* 1. *Part.* 7. & *L.* 14. *tit.* 8. *Part.* 7. *hodie tamen cum creati sint Procuratores Regii Fiscales, ut super hujusmodi criminibus invigilent, ut probatur ex ferè toto tit.* 13. *lib.* 2. *Recop. hæc privata auctoritas quoad delicta publica sublata est; adeò ut in locis, ubi Regius Senatus, ac per consequens Fiscalis non est, inferiores Judi-*

ces Promotorem causæ nominare debent, non autem Fiscalem, ut in L. 14. *tit.* 13. *lib.* 2. *Recop. cautum est.*

(h) *In Ecclesiasticis Tribunalibus Hispaniæ non Promotor, ut in Belgio, sed Fiscalis etiam nominatur; ut ex verbis L.* 30. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop. scilicet*: » Que los Obispos, y Pre» lados de nuestros Reynos pongan por FISCALES personas de » Orden Sacra, &c « *comprobatur.*

(i) *Cum Procuratores Fiscales nomine Regiæ Coronæ lites prosequantur, omnesque impensæ pro eorum defensione factæ de Regio ærario deducantur, ut præventum est in Reviss.* 1. *tit.* 13. & *leg.* 67. *tit.* 5. *lib.* 2. & 10. *tit.* 20. *lib.* 4. *Recopil. Procurator Fiscalis Regius, aliique publici Officiarii non tenentur ex proprio expensas solvere; sed nulla habita differentia inter acta decreto Senatus, aut vi suorum officiorum, semper ex Regio ærario solvuntur, ut colligitur ex L.* 8. *tit.* 4. *lib.* 1. *Recop.*

ñi sunt: *Dat soo vvanneer onsen vvoorschreven Procureur sal gheraecken te succumberen in enighe sacken daer toe by egeen ordinantie van onsen voorscheeven Raede en heeft ghehadt, sal ghecondamneert vvorden als de saecke dat hyscht, in de kostem, om die te betaelen uyt syaen eyghen buydele; ende indien by succumbeert in saeken daer toe by ordinantie ghehadt, sal even ghelyk ghecondemneert vvorden in de kosten, soo vvanner dee materie egéen compensatie en admitteert, maer sullen alsdam de kosten betaelt vvorden by den Ontfangher van den exploicten, tot onse laste.* Id est: » Si quando præfatus noster Pro» curator causâ cadat, ad quam instituendam mandatum à Con» silio nostro præfato non acceperat, condemnabitur, prout res » exigit, in expensas proprio sumptu faciendas; si verò in ac» tione, quam ex mandato instituit causâ ceciderit, eodem mo» do in expensas condemnabitur, si res nequeat compensari, ve» rùm nostro tunc sumptu persolventur per ærari Receptorem. «

XVII. Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechliniensis *tit.* 11. *art* 59. volunt, ut » quotiescunque ratio» ne officii Promotor aliquem in jus vocaverit; tenebitur omni» nò, aut delictum probare, aut saltem famam. » Cùm autem » non proprio motu, sed præcedente Decreto (k) Judicis, aut » nostro, vel Vicariatûs, aliquem citari curaverit vel arrestari, » cùm diligentiam suam præstiterit, nihil ei imputabitur. «

Dein *art.* 60. subdit: » Si verò nec delictum, nec vehemen» tem aliquam præsumptionem probaverit, (l) sed calumniosè & » dolosè aliquem in jus vocâsse reperietur, tunc ipse Promotor » in expensas condemnatus, illas Parti restituet: quin & injuria» rum Pars agere poterit. Si verò non ipsum quidem principale » delictum, v. g. adulterium, concubinatumve probaverit, sed » præter famam, præsumptionemve vehementem, aliquos ac» tus alios illud plerumque comitantes, præcedentesque illici» tos, ac scandolosos, ob horum probationem Reus juxta actuum » enormitatem, scandalum, & conscientiam Judicis in partem, » aut solidas expensas condemnari poterit. «

XVIII. De jure communi si legitimus accusator deerat, ne crimina manerent impunita, poterat judex nonnunquam via inquisitionis contra criminosos procedere; de qua in *c.* 19. 21. & 24. ✠ *de Accusat.* Tuneque dicitur judex procedere à seipso, sive ex officio.

XIX. Eodem jure inspecto, hic modus procedendi via inquisitionis erat extraordinarius, & tantùm in defectum legitimi accusatoris assumendus, uti latè ostendit Julius Clarus loco citato *quæst.* 3. *n.* 4. & 5. At hodie de consuetudine hic modus procedendi viâ inquisitionis revera est ordinarius; quia moribus hodiernis non solet accusatio, sive processus criminalis contra aliquem seu in tribunali civili seu Ecclesiastico institui, nisi præviâ inquisitione.

XX. Testatur quoque Guillelmus Benedicti loco citato *numer.* 201. » Quòd hodie omnia expediuntur per viam inquisi» tionis; imò (ait Benedicti) cùm hodie semper procedatur per » inquisitionem loco accusationis surrogatam, sicut damnatus viâ » accusationis erat infamis; ita nunc si damnetur viâ inquisitio» nis, proviso quòd damnatus tali pœna afficiatur. « (m)

XXI. Notandum enim, quòd procedere via inquisitionis non sit, quando Judex transmittit reo inquisitionem, ut nonnulli arbitrantur; sed actus inquisitionis secundum communem loquelam & dispositionem appropriatur primo actui, quo mediante, per viam officii Judex videtur velle procedere contra aliquem, non autem attribuitur actibus sequentibus processus, uti monet Julius Clarus citata *q.* 3. *n.* 2. ibidem addens: » Et sic » rectè loquendo, inquirere contra aliquem, non est ei trans» mittere inquisitionem, sed est recipere testes, seu informatio» nes contra eum. Charta verò inquisitionis sive libellus crimina» lis, qui contra reum formatur, atque ei intimatur cum termi» no comparendi, est actus communis utrique modo proceden» di. Et ideò indifferenter transmittitur reo absenti, tam si pro» cedatur ad accusationem seu querelam partis, quam si proce» datur ex officio. «

XXII. Itaque formare inquisitionem contra aliquem est facere processum informativum, assumendo informationes contra reum super delicto. Ex his dein informationibus elicitur titulus & series facti, quæ postea narratur in libello accusationis, & Reo transmittitur vel communicatur in vim citationis.

XXIII. Inquisitio igitur seu informatio prærequiritur hodie, ut publici Accussatores, qui soli moribus hodiernis ad accusandum criminaliter & ad vindictam publicam admittuntur, accusationem instituere, aut contra reum libellum accusationis offere possint. Ideoque tradunt communiter Pragmatici, moribus hodiernis informationem esse bassim processus criminalis. Carolus Fevretius de *Abusu*, *lib.* 8. *cap.* 3. *num.* 1.

XXIV. Refertque Joannes Tournetius in Collectione arrestorum *Lit. A. cap.* 125. condemnatum quendam Officialem per Parlamentum Regium in mulctam 25. pataconum, quia omissa informatione incœperat ab interrogatione Rei; & vi confessionis à Reo elicitæ processerat ad sententiam definitivam privationis Beneficii.

XXV. » Hæc autem inquisitio, quam vulgò informationem » *præviam* vocamus, ex judicis & officio & auctoritate semper » fiat necessum est, « ait Damhouderus in *Praxi rerum crimin. cap.* 8. *num.* 1. additque *num.* 2. » Nemo enim nisi solus Judex, » aut Judicis potestatem habens, de crimine efficaciter inqui» rere potest. «

XXVI. Idipsum ordinatum per Edictum criminale Philippi II. de 9. Julii 1570. *art.* 51. extatque parte 2. Edict. Brabantiæ *lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1. vetatque sub gravi pœna omnibus Notariis, Secretariis, Graphiariis, & generatim omnibus personis quæ non sunt judices, nec commissionem aut auctoritatem habentes ad capiendas informationes præparatorias, testes audire, attestationes dare, aut speciales actus exercere in causis & processibus coram aliis judicibus pendentibus: inhibendo insuper judicibus ullam rationem habere hujusmodi informationum aut attestationum.

XXVII. Et quidem si de crimine commisso judici constet, sed auctor crininis omninò ignoretur, nullaque fama, aut indicia hactenus aliquem in particulari de crimine perpetrato suspectum reddant; tunc vel Procurator Regius, Promotor aliusve publicus Officialis auctoritate judicis *generaliter* inquirit, sive *generalem* informationem instituit interrogando testes, quos de negotio informatos putat, aliaque tentat, quæ ad detegendum auctorem commissi criminis conducere posse credit. Hæc vocatur informatio sive inquisitio *generalis.*

XXVIII. Ut autem fiat inquisitio sive informatio *specialis* contra particularem & individuam personam, debent saltem aliqua indicia præcedere, quæ personam judici meritò de crimine commisso suspectam reddant.

XXIX. Et quidem jure communi inspecto, ac signanter Decreto Concilii Lateranensis in *cap.* 24. ✠ *de Accusat.* communiter tradunt Canonistæ, non posse institui hanc informationem *specialem* contra particularem personam, nisi præcedat *publica* diffamatio. » Sicut enim (ait Concilium) accusationem le» gitimam debet præcedere inscriptio, sic & inquisitionem *cla» mosa insinuatio* prævenire. «

XXX. Verùm ut informatio etiam specialis contra aliquem, sumatur, ex praxi hodierna sufficit, si indicia habeantur, quæ ipsum de crimine revera suspectum reddunt: quod & notavit Julius Clarus loco citato *quæst.* 6. *num.* 1. Postquam enim dixit, Canonistarum opinionem esse, requiri *formam publicam* præcedentem, quæ sit *vice accusationis*, ut quasi populus videatur illum ut Reum criminis judici deferre, seu apud judicem accusare, subjungit: » Sed certè quidquid sit de jure, » totum contrarium docet practica, quæ communiter observa» tur. Judex enim constito de delicto, assumit informationes in » genere, & interrogat primò testes, quos putat esse de nego» tio informatos, super veritate criminis, scilicet an sciant, » quis maleficium illud commisserit. Et si dicant se nescire, tunc » interrogat eos super diffamatione neminem nominando, sed in » genere interrogando, contra quem illius delicti fama laboret: » & si ex eorum dictis resultet probatio facta contra aliquem, » tunc specialiter contra eum inquirit, & ad ulteriora contra eum » procedit, vel per citationem, vel per capturam juxta qualita» tem indiciorum. «

XXXI. Quin fama contra aliquem de commisso crimine queat aperire viam inquisitioni, dubium non est. Quæ autem fama sive diffamatio requiratur, vel sufficiat ad instituendam specialem inquisitionem, seu informationem, generaliter determinari nequit: pendetque plurimùm à Judicis arbitrio, qui attentis gravitate criminis, conditione & qualitate, ac bonâ famâ, ac vitæ integritate infamati, necnon personis, quæ huic famæ occasionem dedisse creduntur, judicet, num sufficiens fama sit, ut hîc & nunc contra infamatum informatio capiatur Vide Damhouderum in *Praxi Rerum crim. cap.* 9.

XXXII. Denuntiatio frequenter quoque hodie aperit viam inquisitioni, seu informationi instituendæ: nam licèt de jure communi, præsertim Canonico, quidam modus ordinarius proce-

(k) *In Hispania absque speciali judicis mandato neminem Officiales* (*vulgò* Alguaciles) *apprehendere possunt, L.* 5. & *Act. Acord.* 7. *cap.* 22. *tit.* 23. *lib.* 4. & 13. *tit.* 8. *lib.* 2. *ibi*: » algun mandamiento para prender; « *nisi actu delictum committatur, quia tunc absque dicto mandato apprendere possunt, L.* 7. *tit.* 23. *lib.* 4. & *Act. Acord.* 5. *tit.* 8. *lib.* 2. *Recopil.* » No prendan sin mandamiento, salvo á los que hallaren hacien» do delito. «

(l) *Aliqua præsumptio, vel delicti probatio capturæ decreto præcedere debet, ut in leg.* 1. *tit.* 29. *Part.* 7. *per verba.* » Infamado ó acusado seyendo algun home de yerro que oviese » fecho.... puedelo mandar recabdar el Juez Ordinario. «

(m) *Quæ D. Van Espen tractat à num.* 20. *usque ad finem hujus capitis primi, expressis verbis confirmantur tit.* 17. *Part.* 3. & 1. & 29. *Part.* 7.

cedendi contra criminosos sit denuntiatio, quemadmodum describitur in *cap.* 24. ✠ *de Accusat.* hodie tamen denuntiatio nihil aliud operatur, nisi quòd succedat loco diffamationis vel querelæ, & sic aperiat viam Judici ad inquirendum contra aliquem adeò quòd ita dicatur procedere Judex ex officio, quando præcedit sola denuntiatio, sicut quando præcedit sola diffamatio. Ita Julius Clarus *quæst.* 7. *num.* 1.

XXXIII. Observat ibidem Clarus *num.* 7. quòd de consuetudine passim servetur, ut non modò Officiales ad hoc constituti admittantur ad denuntiandum, sed & alii. Idipsum tradit Damhouderus *cap.* 6. monetque *num.* 12. » Judicis esse, ante» quam denuntiationem acceptet, diligenter introspicere, ac » animadvertere personæ denuntiantis qualitatem, ingenium, » mores, omnesque conditiones; nec non studiosè & accuratè » perscrutari singulas tam denuntiatoris, quàm aliarum rerum » penè omnium circumstantias, ne cui (quod hujusmodi rerum » neglectu fieri potest) temerè odiosam molestiam pariat, ac » frustra in graves expensas inducat. «

XXXIV. Si quis sponte, & voluntariè, non ex necesitate officii, aliquem Judici super certo crimine denuntiaverit, & factâ informatione, & processu absolutò reperiatur falsò & calumniosè denuntiâsse, poterit denuntiator condemnari in expensas, uti notat Julius Clarus citatâ *quæst.* 7. *num.* 12. & *quæst.* 10. *num.* 4. item Antonius Faber in *Cod. lib.* 9. *tit.* 2. *defin.* 9. & 13. qui & dicit, » quòd instigator accusationis, qui » per calumniam instigâsse ex litis eventu probatur, condem» nandus sit in omne, quod Rei interest. « Adde Paponium *lib.* 24. *tit.* 1. *arresto* 2.

XXXV. Insuper addit Faber citata *definit.* 10. *notâ* 4. » Quòd non cogatur Fiscalis Procurator nominare instigatorem, » nisi eo demum tempore, quo ex eventu judicii apparet, ca» lumniosam fuisse accusationem. Et ideò (ait) non facilè debet » Procurator Fiscalis instigatorem occultum audire, nisi priùs » & privata saltem scriptura subscribat, veramque esse affirmet » accusationem. «

XXXVI. In Gallia, si accusati manifestè innocentes reperiantur, Procurator Regius delatorem suum nominare tenetur, propter expensas scilicet, damna, ac interesse Parti adjudicandas, ex constitutione Aurelianensi *art.* 37. Verba articuli sunt: *Nos Procureurs, ou des hauts Justiciers, seront tenus nommer le denonciateur (S' ils en sont requis) apres que la cause aura obtenu jugement & arrest d' absolution, afin de recours des despens, dommages & interest contre qui il appartiendra.* Id est: » Nostri aut Judicum supremorum Procuratores obstrin» gentur nominare delatorem (si ad id rogentur) postquam cau» sa fuerit per judicium terminata, lataque absolutionis senten» tia, ut ratione sumptuum, & detrimenti, recursus habeatur » adversus eum, ad quem res pertinebit. « Vide Appendicem ad » citatum titulum Paponii *arresto* 3. ubi & notatur, hunc articulum duntaxat habere locum in casu absolutionis *puræ* ac *simplicis*, non verò si accusatus in lite ordinaria duntaxat admittatur, vel usque ad novum mandatum remittatur sub conditione quotiescunque se repræsentandi.

XXXVII. Si nullus adsit denuntiator, sint tamen indicia non levia contra certam personam, poterit Judex ex officio informationem accipere; ita tamen, ut ritè ponderet indicia, num revera sint sufficientia, habita consideratione personæ accusatæ, & criminis cujus rea agitur. Nam ex omnium Doctorum sententia in materia indiciorum non potest statui certa regula, sed totum relinquitur judicio Judicis, qui secundum qualitatem personarum, & delicti indiciorum judicabit, num indicia sufficiant ad capiendam informationem contra illam personam.

Ne Promotores, aut Procuratores Officii spe alicujus lucri, vel ex alia subinde carnali passione ad informationes contra honestas, & bonæ famæ personas nimis leviter prosiliant, easque hoc pacto suspectas reddant, & infament, passim ubique receptum est, Promotores, & Procuratores non posse informationes capere nisi prævia Judicis licentia: atque nominatim Statuta hujus Universitatis habent. » Promotor nullam contra » quemquam præparatoriam informationem capiat sine jussu » D. Rectoris. «

XXXVIII. Hæc informatio præparatoria cùm tantùm fiat in ordine, ut Judex sciat, num sint sufficientia indicia ad agendum criminaliter adversus aliquem; aut ut perveniatur ad notitiam ipsius auctoris; ideò consuetudine receptum est, hanc informationem, seu inquisitionem fieri posse, etiam adversus absentem nulla præcedente contumacia.

XXXIX. Ulteriùs certum est, quòd de consuetudine, ac stylo omnium Curarum in informatione, sive generali, sive speciali testes examinentur non citata Parte, sive persona, contra quam fit informatio; ne si citaretur, posset aufugere, aut testes subornare. Vide Julium Clarum in *Practica criminali, quæst.* 11.

XL. Si forsam adsit denuntiator sive querelator, quamvis citari non debeat, tamen cauti & justi Judices (ait Clarus ibidem) semper citari illum faciunt ad subministrandum indicia si quæ habet ad coadjuvandum intentionem Fisci.

XLI. Denique hæ informationes debent accipi quàm potest secretissimè; ne personæ, contra quas inquiritur, antequam sint condemnatæ, per hasce contra se institutas informationes infamentur. Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechliniensis *tit.* 7. *art.* 3. injungunt Promotoribus, ut » caveant, ne quem » innocentem per calumniam in jus vocent, aut importunè, vel » indiscretè aliquos exagitent, defectusque propalent, ac accu» satos seu inquisitos, præsertim Ecclesiasticos, ante sententiam » diffament, sed cum omni modestia, integritate, & humanita» te officium suum exerceant. « (n)

CAPUT II.

De Captura vel citatione *personali* accusatorum, et quæ circa incarceratos servanda.

1 *Ex informationibus præviis judex dispicere debet, num decernenda sit captura.*
2 *Nemo apprehendendus nisi auctoritate judicis.*
3 *Officiarii hodie vi generalis mandati ad apprehensionem procedere nequeunt.*
4 *Quæ à judice in decernenda captura de jure communi sint attendenda.*
5 *Juri communi hac in parte conformes sunt ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum.*
6 *Dictæ Ordinationes vetant apprehensionem personæ notabilis qualitatis nisi communicatione facta Episcopo aut Vicariatui ejus.*
7 *Captura non facilè decernenda contra personas Ecclesiasticas.*
8 *Ordinariè non decernenda Contra Clericos, si cautionem præstent* de parendo.
9 *Synodus Tridentina innuit, non esse decernendam capturam, ubi de fuga non timetur.*
10 *Ex communi Doctorum sententia non est procedendum ad incarcerationem, dum agitur duntaxat de pœna pecuniaria, & Reus offert cautionem sufficientem.*
11 *Idque etiam dum Reus crimen est confessus, vel in flagranti delicto est deprehensus.*
12 *Edictum Philippi II. vult relaxari captivos sub cautione, si non plane de delictis constet, nec agatur de delictis atrocioribus.*
13 *Etiam aliquando relaxatio hæc annuenda, ubi agitur de delicto capitali.*
14 *Potest interdum judex accusatum militibus custodiendum, vel alicui tuto loco committere.*
15 *Interdum pro cautione fidejussoria admittenda juratoria.*
16 *Quomodo probetur accusatum non posse invenire cautionem fidejussoriam.*
17 *Jure Romano captivi non debent malè tractari, sed à custodibus carcerum eis humanitas exhibenda.*
18 *Consuetudo hoc jus non abrogavit, licèt à multis negligatur.*
19 *Volunt Edicta Principum nostrorum, ut causæ captivorum celeriter terminentur.*
20 *Volunt insuper ab inferioribus judicibus quater in anno transmitti nomina captivorum ad superiores judices.*
21 *Præterea singulis mensibus volunt visitari carceres per officiarios & judices, & interrogari captivos super iis, quæ ad causæ expeditionem conducere possunt.*
22 *Item an omnia necessaria captivis subministrentur.*
23 *Quæ à custodibus carcerum observanda circa captivos, & qui in custodes eligendi, speciali Edicto Philippi II. expressum est.*
24 *Huic Edicto consonant ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum.*

Ad

(n) *In causis Criminalibus legibus Hispaniæ tribus modis proceditur. Primò, per viam* INQUISITIONIS, *ut asseritur in Summar. tit.* 1. *Part.* 7. » Faciendo ende pesquisa. « *Quæ quidem generaliter aut particulariter fieri potest; priori modo non nisi ex Principis mandato juxta leg.* 2. *tit.* 17. *Part.* 3. & 3. *tit.* 4. *lib.* 8. *Recop.* „ Que no se haga pesquisa general.... salvo „ si nos fueremos suplicados por alguna Ciudad ó Villa, ó lu„ gar, y entendieremos que cumple á nuestro servicio: " *cui adde L.* 4. & 11. *ejusd. tit. & libr. Particulariter verò ex officio Judicis, quando de crimine, non de reo constat, maximèque in delictis in leg.* 36. *tit.* 6. *lib.* 3. *Recop. contentis: Et generaliter quotiescunque infamia præcederit, absque dubio Judicem de quocunque delicto inquirere posse L.* 2. *tit.* 17. *Partit.* 3. *declarat. Secundo, per modum* DENUNTIATIONIS *in causis criminalibus proceditur, ut dicitur in Summar. tit.* 1. *Part.* 7. „ O por denunciacion: " *Tertio & ultimo, per* ACCUSATIONEM, *ita ajunt tot. ferè tit.* 1. *Part.* 7. & *leg.* 4. *tit.* 2. & 7. *tit.* 23. *lib.* 4. *Recop.* „ sobre querella, ó acusacion."

25 *Ad quid teneatur custos, si ejus negligentia Reus è carcere fugerit.*
26 *Comessationes, lusus chartarum, inhonestæ conversationes in carceribus non permittendæ.*
27 *Solicitè à Judicibus attendendum, qui in custodes carcerum eligantur.*
28 *Jam pridem usitatum fuit per Episcopos carceres visitari.*
29 *Imperatorem voluerunt carceres Episcopis semper patere.*
30 *Imperator Justinianus optavit bis per hebdomadam carceres per Episcopos visitari.*
31 *Insuper voluit per Episcopos indicari negligentia judicum circa captivos.*
32 *S. Carolus præbuit exemplum piæ solicitudinis erga captivos.*
33 *Voluit semel in hebdomada visitari captivos cum relatione ad Episcopum.*
34 *Constituit insuper protectorem incarceratorum; & quod hujus officium.*
35 *Etiam per Episcopum ipsum voluit aliquando visitari carceres.*
36 *Ex Decreto Concilii Toletani anni* 1565. *Episcopi quolibet mense carceres visitare debent.*
37 *Visitatio carcerum per Episcopos aut Pastores valdè hodie optanda.*
38 *Ubi non apparet decernenda captura, locus erit citationi ipsius Rei.*
39 *Quid citatio* personalis.
40 *In Edicto Principum componitur cum captura; & quare.*
41 *Citatus* personaliter *non potest comparere per procuratorem, nisi ad allegandum impedimentum.*
42 *Interdum citatio personalis ex decreto Curiæ convertitur in citationem simplicem.*
43 *Citati* personaliter *relaxandi non sunt antequam respouderint.*
44 *Ex Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum subindè respondendum* personaliter *extra materiam criminalem.*

I. INformationibus contra Reum captis, Judex despicere debet, num decernenda sit captura ipsius rei, sive accusati; vel an simpliciter citandus, aut saltem sub cautione de se sistendo usque ad sententiam sibi relinquendus.

II. Prudentis enim Judicis examini tantum relictum est, ut is inquirat, & judicet, an apprehensione digna sit diffamatio, quæ contra Reum habetur, *L.* 3. *Cod. de Exhibit. Reorum*, ubi Imperatores præcipiunt, » neminem in judicio exhibendum, nisi de cujus exhibitione Judex pronuntiaverit. «

III. Hinc moribus nostris in vim generalis mandati, & vi officii non possunt officiarii procedere ad apprehensionem personalem, priusquam indiciis, & informatione præparatoria, facinus exploraverint, & à Judice decretum (o) apprehensionis obtinuerint, uti rectè notat Antonius Perezius ad *tit. Cod. de Exhibendis reis*, *num.* 1.

IV. Porrò, Judex hîc attendere debet conditionem personæ ipsius rei, qualitatem criminis objecti, necnon indicia commissi criminis, quemadmodum eleganter expressit Ulpianus in *L.* 1. *ff. de Custodia, & exhibitione Reorum.* » De custodia Reorum Proconsul æstimare solet (ait) utrum in carcerem recipienda sit persona, an militi tradenda, vel fidejussoribus committenda, vel etiam sibi. Hoc autem vel pro criminis, quod objicitur, qualitate, vel propter honorem, vel propter amplissimas facultates, vel pro innocentia personæ, vel pro dignitate ejus, qui accusatur, facere solet. « (p)

V. Hactenùs dicta sat conformia sunt Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechlin. *tit.* 7. *art.*8. quo cavetur, ut Promotores » ad incarcerationem non procedant, nisi prævio Judicis decreto, qui nec id concedet, sine diligenti informatione præparatoria, nisi periculum esset fugæ, si informatio capienda, vel decretum Judicis exspectandum esset ante incarcerationem: vel nisi in flagranti crimine reus deprehenderetur, vel demùm nisi post tres citationes in judicio reproductas, præcedente debitâ informatione declaratus fuerit contumax: data nihilominus, hoc ultimo casu, optione Reo criminis non gravissimi, seu veniendi ad carceres, seu loco carceris præstandi cautionem sufficientem de sistendo se juri, & implendo judicato, nisi ex causis aliter Judici videretur. «

VI. Addunt insuper citatæ Ordinationes *art.* 9. » Si tamen personæ essent notabilis qualitatis non apprehendentur, nisi negotio nobis (Episcopo) vel Vicariatui ante communicato quando moram hoc faciendi res patietur. «

VII. Et sanè quia incarceratio fieri nequit sine notabili ipsius rei infamia, & incommodo, Judices præsertim Ecclesiastici, decreta aprehensionis, & incarcerationis maximè contra Clericos, & personas Ecclesiasticas non facilè decernere debent.

VIII. *In cap.* 15. *de Sentent. excommunicat. in VI.* respondit Bonifacius VIII. » Clericos si de parendo juri tibi fidejussoriam dederint cautionem, detinere non debes, nisi excessus enormitas, vel alia causa rationabilis eos suaserit detinendos. «

IX. Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 7. *de Reformat.* tradens formam, qua Episcopus procedere debet contra Canonicos Capitulorum Cathedralium exemptorum, inter alia dicit: » In criminibus ex incontinentia provenientibus, de qua in Decreto *de Concubinariis*, (q) & in atrocioribus delictis, deposition em, aut degradationem requirentibus, ubi de *fuga* timetur, *ne judicium eludatur*, & ideò opus sit *personali* detentione, possit initio solus Episcopus ad summariam informationem, & necessariam detentionem procedere. «

Hîc non obscurè innuit Synodus ex summaria informatione detentionem non esse decernendam, ubi de fuga ipsius Rei non timetur: vel ubi periculum non est, ne per ejus fugam judicium reddatur elusorium.

X. Hinc communiter docent Doctores, non esse procedendum ad incarcerationem, quin & incarceratos esse relaxandos, si Reus, seu accusatus præstet cautionem sufficientem se in judicio sistendi, & judicato satisfaciendi, quandocunque pœna non nisi pecuniaria crimini imminet; quorum opinioni accedens Tuldenus loco citato, addit eam opinionem admittendam, » ubicunque fuga Rei non eluserit executionem: Ergo (ait) & in relegatione.

XI. » Adsentior & iis (pergit Tuldenus) qui idem statuunt, quamvis causa jam ad exitum decurrat; relaxandum nempè interventu sponsoris Reum: idemque, etsi Reus confessus, convictusve, ac proinde etsi in flagranti delicto deprehensus, aut ejus publicâ evidentiâ oppressus. Quid enim interest justitiæ, aut accusatoris, dum de judicato mox solvendo, non tantùm de reo sistendo, certiùs cautum est. «

XII. Edictum criminale de 5. Julii 1570. *art.* 53. vult, ut statim atque de innocentia captivi constabit, dimittatur, & absolvatur: redarguens errorem quorundam, qui laudem esse justitiæ putant, neminem è carceribus relaxare: cùm vera laus consistat in expedita causæ cognitione, & justa condemnatione, vel absolutione; & si per informationes de delicto non plenè constet, sed tantùm sit suspicio, vel dubium (modò materia sive crimen non sit nimis enorme) ut relaxetur sub cautione fidejussoria, vel juratoria pro qualitate personæ, & delicti. Verba Edicti sunt: *Dat soo geringhe bliicken sal vande innocentie ende onnoselheyt vande gevanghenen, wyllen wy, dat alle saken gepostponeert ende te rugge ghestelt, die yughen ende Rechters verstaen sullen, om hem te ontstaen, ende absolveren, vvesende een abuys, hem te laten duncken die eerre vander Justitien te ziine niemanden te relaxeren: de welcke gheleghen is, mits ghevende goet, cort ende oprecht vonnisse, tot absolutie oft condemnatie: Ende indient t' eenemael ende gheheeliicken en bliicke vander misdaet, naer die informatien ende devoor deshalven ghedaen: maer datter alleenelick suspicie oft tvviffel valt (indien de sake ende materie niet te seer svvaer en is) sullen die ghevanghenen gheslaeckt vvorden tot eerbieden, op cautie oft borchtocht fidejussoire oft juratoire nae de qualiteyt vande persoonen ende der misdaet. De selve confirmerende oft anderssins ordinerende, soomen de sake ende materie bevinde sal ghedisponeert.* Id est: » Quàm primùm de innocentia captivi constabit, volumus, ut quibuslibet sepositis, & omissis nil priùs Judices curent, quàm eos dimittere, & absolvere, cùm abusus sit, quòd quispiam sibi persuadeat agi existimationem justitiæ, si quis absolutus dimittatur: quæ in eo sita est, ut æqua, brevisque seu absolutionis, seu condemnationis sententia proferatur; si verò post inquisitionem, aliaque adhibita media, non omninò, & liquidò de crimine constet, suspicio verò duntaxat aut dubium supersit (si modò causa non sit nimium enormis) dimittenten-

Et cùm Carcer non semper ad pœnam, sed ad custodiam detur, in causis præcipuè civilibus, & ubi pœna tantùm pecuniaria resultari potest, loco carceris fidejussio admittitur, ut ajunt L. 2. *tit.* 24. *lib.* 4. *Remiss.* 2. *tit.* 16. *lib.* 5. *L.* 18. *tit.* 9. *lib.* 3. *&* 16. *tit.* 18. *lib.* 4. *Recop. per verba*: „ O dando fianzas sea suelto. " *Et jure Partitarum probatur ex leg.* 4. 5. *&* 10. *tit.* 29. *Part.* 7. *in qua ultima asseritur, quod fidejussore dato potest quilibet carceribus relaxari, si pœna pecuniaria est imponenda.*

(o) *Vide quæ capite præcedenti num. XVII. prænotata sunt.*

(p) *In Hispania pro diversitate delicti, qualitateque personæ ad custodiam procedendum est. Ideò in Act. Acord.* 16. *cap.* 28. *tit.* 2. *lib.* 3. *Recopil. præceptum est, habere* „ distintas Carceles para unos y otros: *adeò ut Nobiles sive generis, aut qualitatis* „ tengan carcel apartada de la que tienen los „ Pecheros, y la otra gente comun, " *ut ait L.* 11. *tit.* 2. *lib.* 6. *sub hac tamen cautione expressa in leg.* 37. *tit.* 2. *lib.* 3. *Recop. quòd* „ sean Caballeros, y personas principales que lo „ merezcan, y no à otros ningunos: " *quod etiam comprobatur per verba*: „ segun el Ome fuere. " *L.* 16. *tit.* 1. *Part.* 7.

(q) *Decretum istud refertur Sess.* 24. *cap.* 8. de Reform. *& Sess.* 25. *cap.* 14. de Reform.

» tentur captivi mediante cautione fidejussionis, aut juramenti, » attentâ personarum, & criminis qualitate. Quod vel observa- » bitur, vel aliter decernetur, prout exiget causæ dispositio ip- » sius Rei. «

In atrocioribus delictis, putâ voluntariis homicidiis, relaxationem sub cautione vetat Edictum de 1. Julii 1616. *art.* 20.

XIII. Dec hac relaxatione sub cautione fidejussoria latiùs agiit Damhouderus *in Praxi Rerum Civil. cap.* 20. ubi inter alia quoque observat *num.* 11. quòd subindè accusatus de crimine, pro quo ex jure communi, & forma Statutorum pœna corporalis est imponenda, possit à Judice sub hac cautione relaxari; quod & Tuldenus notavit, loco suprâ citato, concludens: non esse generaliter verum, quod communiter asserunt Interpretes, relaxationem hanc non esse annuendam, ubi de crimine capitali agitur. (r) Nam si (ait) » cui naturæ, & anteac- » tæ vitæ probitas suffragatur, quantò atrocius intentatus cri- » men, tantò id ab illo, & à verisimilitudine magis abhorret. » Ergo si spectatæ probitatis vir accusatur, non quia crimen ca- » pitale est, ideò is statim carceri mancipandus; sed si gravibus » ejus indiciis non urgetur, commitendus plerumque est fide- » jussoribus. «

XIV. Monet autem Julius Clarus loco citato *quæst.* 64. quòd subindè » possit Judex Reum consignare militibus, ut cus- » todiant illum in loco aliquo tuto extra carceres; vel fidejusso- » ribus, qui promittant, eum in loco aliquo tenere, vel statue- » re palatium, vel civitatem pro carcere sub fidejussione, quan- » do qualitas personæ hoc requirit, & Judex credit pro certo » illum non fore culpabilem. « (s)

XV. Quâ formâ concipi debeat fidejussio, & quæ dicenda sit sufficiens, ibidem exponit Clarus; unà notans, quòd de jure, & consuetudine interdum relaxandi sint Rei sub cautione *juratoria*, cum fidejussorem; reperiri nequeunt; quòd & citatus *art.* 53. Edicti criminalis anni 1570. manifestè supponit. Hanc consuetudinem laudat Clarus; ni Rei (ait) qui aliàs essent rela- » xandi, ubi fidejussorem invenirent, in carceribus marces- » cant. «

XVI. Dicit ibidem Clarus *num.* 15. communiter receptum esse, » eo ipso quòd Reus cum juramento affirmet, quòd non » putat invenire posse fidejussorem, satis censeatur probàsse » difficultatem præstandi fidejussorem. «

In Practica tamen (ait ibidem) apud nos servatur, quòd » Judex ex officio summariè & sine scriptis cum interventu Fis- » ci se informat de facultatibus ipsius rei aliter, quàm per ejus » juramentum; & deindè fit ordinatio, quòd relaxetur cum ju- » ratoria cautione, cum participatione & interventu Fisci, & » subscribitur à Fiscali, & Judex est postea tutus in Syndicatu. «

XVII. Cùm jure Romano carceres non ad pœnam, sed ad custodiam sint constituti, severè legibus vetitum est captivos malè tractari, quemadmodum latè exponitur in *L. fin. Cod. de Custodia reorum*; neque ipsis captivis per corruptos carcerum custodes humanitas ñegetur, ut noxius citò puniatur, & innocens obsolvatur: quin & ipse custos carceris, » intra trigessi- » mum diem semper ingerat numerum personarum, varietatem » delictorum, clausorum ordines, ætatemque vinctorum. Quòd » si hæc prætermiserit, officium quidem viginti libras auri ærario » nostro jubemus inferre: judicem verò desidem ac resupina cer- » vice tantùm titulum gerentem, extorrem impetrata fortuna, de- » cem auri libras multandum esse censemus. «

XVIII. Rectè notavit Zypæus in Notitia Juris Belgici *tit. de Custodia reorum, num.* 1. quòd » usus hoc non præcissè servet, » non (ait) aliquâ vernaculâ lege obstante, sed *negligentia.* «

Et sanè si Principum nostrorum Edicta attendamus, reperiemus, non minorem his, quàm Romanis de captivis curam fuisse.

XIX. Imprimis in citato Edicto de anno 1571. mandant *art.* 38. etiam Regiis Consiliis, ut non ultra annum captivos suos detineant; nec reorum causas ultra illud tempus protrahant; & in casum non determinationis ipsi Principi indicare teneantur rationes retardationis. Quin & Edicto perpetuo anni 1611. *art.* 40. edicitur, ut non ultra *sex menses*, postquam ipse processus fuerit instructus, sententia differatur.

XX. Et *art.* 34. mandatur omnibus inferioribus judicibus, catalogum omnium captivorum quater quotannis, nimirum *quatuor temporibus* ad superiores transmittere; ut hi examinent, num nihil negligentiæ in terminandis his causis ex parte Judicum aut Officiariorum interveniat. Plura eumdem in finem decernuntur ibidem *art.* 35. 36. & 37.

XXI. Præterea *art.* 39. mandatur, ut Officiarii personaliter, aut in eorum à civitate absentia ipsorum locum tenentes, ut minus singulis mensibus semel visitabunt carceres, præsentibus duobus è Judicibus & Graphiario criminali, ipsosque captivos singulatim alloquentur, eos interrogantes super iis, quæ videbuntur convenire ad causarum expeditionem.

XXII. Insuper attendent, num carceres sint tales, ut captivi securè & tutò ibidem custodiantur: an captivis necessaria subministrentur in victu, & potu, ac straminibus juxta ordinationes Regias; ipsique carceres non sint infecti, vel fœteant; aliaque similia: *Quando quidem* (ait Edictum) *carceres sint ad custodiam, & non ad vindictam.*

Idipsum circa visitationem carcerum, qui subsunt Consilio Brabantiæ, fieri vult procuratorem generalem vel ejus Substitutum, ipsique quater in anno assistant duo Consiliarii à Superioribus designandi.

XXIII. Quæ hîc statuta sunt circa subministrationem necessariorum ad victum, & potum captivorum; necnon expurgationem & munditiem carcerum, repetuntur in Edictum ejusdem anni 1570. quod speciatim concernit ipsos custodes carcerum: ubi latiùs declaratur & decernitur, quæ ab his observanda; & qui ad hoc officium assumendi sint. Habetur hoc Edict. part. 2. Edict. Brabantiæ, *lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1.

XXIV. Plura quoque consona dicto Edicto de officio custodis carcerum habentur in Ordinationibus Curiarum Eccles. *tit.* 10. atque inter cætera *art.* 1. quòd » erit diligens in custo- » diendis captivis, ac non solùm de sua diligentia, sed & » uxoris, & omnium, qui de sua familia sunt, tanquam pro- » priâ respondebit, nec juramentum solum, sed & cautionem ea » de causa præstare tenebitur. «

XXV. Deindè *art.* 2. additur: » Cùm ejus aut suorum ne- » gligentiâ aliquem è carceribus fugere contingerit, ad omnia, » quibus tempore fugæ captivus obligatus erat, tam ratione de- » licti, quàm expensarum, obligabitur; nisi subtilem fractu- » ram probare possit, aliamve causam adferre, quæ secundum » juris depositionem eundem excuset. «

XXVI. Præcipitur quoque *art.* 7. quòd » comessationes » captivorum, lusus chartarum, aut similes, nullo modo admit- » tet, sed benè eorum loco libros pios subministravit. « Hoc ipsum præcipit citatum Edictum; unâ vetans in carceribus sive custodiis exerceri popinas, *cabaretten*, aliasque inhonestas conversationes tenere.

XXVII. Quanta ab inhumanis custodibus miseri captivi patiantur, singulatim enarrat Damhouderus in *Praxi rerum crim. cap.* 17. optatque » ut judices in assumendis custodibus seu Commentariensibus, vigilantes sint & prudentes, ne quibus- vis citra delectum hoc officium committant, » quin potiùs eli- » gant viros bonos, cordatos, humanos, mites, misericordes, » benignos, affabiles, pios, bonæ constientiæ, timentes Deum, » qui suis captivis diligenter necessaria subministrent, eos sub- » inde consolentur, & ut pii patres-familias, in quibusvis ne- » cessitatibus juvamen, & solatium præbeant afflictis. Nihil » piaculi, nihil spurcitiæ, nihil exactionis, nihil imposturæ, ni- » hil fraudis, nihil criminis, nihil denique maleficii, aut per » se, aut per alios, in suos carceres irrepere sinant. «

XXVIII. Quia inter opera misericordiæ non minimum est captivos visitare, eorumque miserias sublevare, jam pridem sanctissimi Episcopi & Pastores sui muneris existimârunt, carceres adire, & captivorum curam agere.

XXIX. Hanc Episcoporum operam in captivos probantes Imperatores, voluerunt, carceres semper ipsis patere.

Extat in appendice Codicis Theodosiani lex Honorii Imp. in hæc verba: » Eam quoque Sacerdoti concedimus facultatem, » ut carceris ope miserationis aulas introeat, medicetur ægros, » alat pauperes, consoletur insontes, & cùm singulorum causas » cognoverit, interventiones suas apud judicem competentem » suo jure moderetur. «

XXX. Et Justinianus Imp. in *L.* 22. *de Episcopali audientia, ante Dominicam Palmarum, Sabbatum Pentecostes, & Vigiliam Nativitatis Domini fit: altera, quæ omnibus in Sabbattis cujusque hebdomadæ fieri debet vel à duobus Consiliariis (ubi est Consilium Supremum) ut ait L.* 1. *tit.* 9. *lib.* 2. *Recopil.* „ Que el Sabado de cada semana dos del nuestro Con- „ sejo, “ *vel à duobus Auditoribus, ut etiam ait lex* 3. *ejusd. tit. & lib.* „ vayan dos Oydores;“ *quin per eas excludantur Prætores, Judicesque inferiores à continua carceris, vinctorumque cura, ut expressè præcipitur in leg.* 14. *tit.* 7. *lib.* 2. *Recopil.* „ I los dichos nuestros Alcaldes los visiten en la car- „ cel, y vean como estan presos, y como estan tratados: “ *Addens Actor. Accord.* 23. *tit.* 5. *lib.* 3. *ejusd. Recopil.* „ Re- „ conociendo frequentemente las carceles y presos. “

(r) *Per verba, si pœna pecuniaria est imponenda, dictæ legis* 10. *tit.* 29. *Part.* 7. *abs dubio in Hispania fidejussores in causis, in quibus pœna corporalis timetur, non admittuntur.*

(s) *Quæ D. Van Espen circa Carcerum custodes, & eorum obligationes tractat à* num. 14. *usque ad* 27. *hujus capitis, conformia sunt doctrinæ Hispanæ, quæ circa idem stabilita est in toto tit.* 24. *lib.* 4. *cum Remiss. ejusd. ea excepta, quæ in num.* 22. *circa carcerum visitationem præscribuntur, nam in Hispania duo Visitationis genera agnoscuntur: Generalis, & Particularis, Act. Acord.* 16. *cap.* 26. *& Act. Accord.* 23. *dubitat.* 9. *tit.* 2. *lib.* 3. *Remiss.* 1. *tit.* 9. *Actor. Acord. lib.* 2. *& Remiss.* 5. *tit.* 9. *lib.* 2. *legum Recop. ibi:* „ Asi en las Vi- „ sitas generales como en las de los Sabados: “ *Prima, quæ*

tia, solicitudinem Episcoporum erga captivos excitare volens, jubet: » Deo amabiles locorum Episcopos per unam cujusque » hebdomadæ diem, id est, feria quarta, aut sexta, quæ & *pa-* » *rasceve* appellatur, eos, qui in custodia habentur, visitare, » & diligenter inquirere causam ob quam detinentur. «

XXXI. Insuper, » licentiâ datâ Deo charissimis pro tem- » pore Episcopis, si quam negligentiam admissam cognoverint, » ab Illustrissimis & Magnificentissimis atque Clarissimis pro tem- » pore Magistratibus, vel iis, qui illis parent officiis, talem » ipsorum negligentiam indicandi, ut conveniens adversus ne- » gligentes animi nostri motus exurgat. « (t)

XXXII. Sanctus Carolus, quem Pastoralis solicitudo gloriosum reddidit, nihil omittere volens, quod ad paternam boni Pastoris curam spectaret, illustre omnibus Pastoribus benignitatis & piæ solicitudinis erga miseros incarceratos exemplum præbuit.

XXXIII. Imprimis in Concilio suo Mediol. I. *part.* 2. *tit. de Carceris custodibus*, statuit, ut Episcopi » curent etiam » per certos homines, ab eis diligendos, semel in hebdomada » visitandos eos, qui in carcere tenentur: qui si illos indig- » niùs, & acerbiùs tractari compererint, deferant ad Episco- » pum, qui pro sua prudentia, ac pietate, ne quid iniquius fiat, » omninò provideat.“

XXXIV. Ultra hos carcerum Præfectos, voluit, ut esset præterea Protector carceratorum unus ex Canonicis ordinariis Ecclesiæ Metropolitanæ, quem Archiepiscopus libero arbitrio suo deligat singulis bienniis.

Hujus officium esse declarat, » speculari & invigilare super » advocato, & Protectore pauperum, & Præfecto spirituali car- » cerum, ac rursus collaterali, ac satellitibus, & carcerum cus- » todibus, ne muneri suo ulla in re desint, aut quid aliud com- » mittant in damnum carceratorum.

„ Solicitè propterea investiget de cura spirituali carcerato- „ rum; & rursus de corporali, deque illorum causarum ex- „ peditione, & quomodo cum illis agatur ab his singulis ad „ quos spectat.

„ Visitet pluries, & saltem bis in hebdomada singulos car- „ ceratos, etiam qui in carceribus secretis sunt, habito consen- „ su Vicarii criminalis, seu cum ejus interventu, vel Promo- „ toris Fisci, alteriusve, quem Vicarius criminalis maluerit; „ si id expedire judicaverit.

„ Sæpiùs etiam in hebdomada convocet Præfectum spiri- „ tualem carcerum; cum eoque tractet ea omnia, quæ ad mo- „ rum correctionem, corporisque carceratorum necessitates, & „ egestates pertinent; ac prompto animo audiat etiam ea, quæ „ in dies ab ipso referuntur; & quæ provisione indigere cogno- „ verit, omni solicitudine, ut opus erit, provideat, procuretve.

„ Si carceratos ipsos universos vel singulos, morum disci- „ plina, correctione, monitioneve indigere invenerit, opportu- „ nè admoneat, & corripiat; si alios muneri suo deesse, sin- „ gulos sui officii moneat, excitetque; tum Vicarium causarum „ criminalium, generalem etiam & Archiepiscopum, ut opus „ fuerit, adeat.“

XXXV. Non contentus si per alios Episcopus carceratorum curam agat, decernit, in suo Concilio Mediol. III. *tit. de Iis quæ ad Episcopale forum pertinent*, ut » Episcopus non so- » lùm per certos homines, ut primùm à nobis constitutum est, » sed etiam ipse aliquando in anno carcerem visitet: in eoque » inclusos paternâ charitate consoletur, pieque in Domino ad- » hortetur.

Videat item, ut eis ad corporis sustentationem, & ad jus- » tum patrocinium non desit quidquam; tum in primis non li- » bri spiritualis lectio, non crebræ religiosorum hominum co- » hortationes, tum ne denique aliquid ad animæ salutem. «

XXXVI. Concilium Toletanum anno 1565. *Act.* 2. *Decreto* 13. dicit: » Episcopi saltem quolibet mense carceres, » quos ad Reorum custodiam opportunos habere debent, ipsos- » que Reos illic detentos per se ipsos, si præsentes in eodem » loco sint, visitare teneantur. «

XXXVII. Quàm optanda sit hodie hæc Episcoporum, & pastorum in visitandis carceribus, & Reis illic detentis cura nemo non fatebitur, qui attenderit, quàm misera & diuturna soleat esse incarceratorum conditio, in tantum subsidio temporali destitutorum, ut antequam nocentes declarentur, morte durius supplicium substinere cogantur. Cui accedit privatio penè omnis spiritualis solatii; quod tamen miseris illis in eo statu constitutis summè necessarium est; ut vel maximè hic sua erga hos miseros, & desolatos teneantur Pastores misericordiæ, & pietatis viscera aperire. Si omnibus exprobraturus sit Christus, Matt. cap. 25. vers. 43. *In carcere eram & non visitasti me,* expendant Pastores, quàm horribile eis futurum sit, si oves suas in carcere constitutas non visitaverint!

XXXVIII. Si visis informationibus, & attentis qualitate delicti, & personæ, aliisque circumstantiis, videatur non esse decernenda apprehensio personæ, tunc locus erit citationi ipsius accusati vel inquisiti.

XXXIX. Citatio autem duplex est, personalis, & simplex. *Personalis* dicitur, eò quòd citatus *personaliter* coram Judice comparere teneatur; estque hæc citatio affinis ipsi citationi reali seu apprehensioni; ac propterea qui eo modo citatus est ad respondendum, quod nostrates vocant *daechsel personeel*, dicitur citatus ut respondeat *pede ligato*, hoc est, uti *captivus*, (u) quemadmodum notat Damhouderus in *Praxi Rerum crim. cap.* 34. quare & hujusmodi citatio ipsum citatum infamare suprà notavimus.

XL. Hinc in Edicto perpetuo de anno 1611. eadem moderatio præcipitur in decernenda citatione hac *personali*, quæ servanda est in Decreto apprehensionis: interdiciturque *artic.* 39. Officiariis procedere ad capturam personæ, aut citationem ipsius *personalem*, nisi in tribus casibus: scilicet, si reperiatur in flagranti delicto; si Judices decreverint, visis præviis informationibus Reum esse apprehendendum, vel citandum *personaliter*; vel in casum accusationis, & ad instantiam Partis *formalis*, in locis, in quibus hæc est in usu. Verba articuli sunt: *Soo verbieden wy aen alle de voorseyde Officieren te procedere tot apprehensie vande persoonen hebbende fixe, vvoninghe, noch de selve se daghen om te compareren in persoone ten zy om eene vande drye naest-volghende saken: te vveten dat hybevonden zy in t' teghenvvordigh misdaet; dat de Rechteren ghedecerneert hebben dat hy ghevanghen vvorde, oft comme compareren en persoone op de informatien preparatoire by hen ghesiem; oft vvel by accusatie, ende ter instantie van Partie formele ter plaetsen daer die vvord ghebruygkt.* Id est: » Prohibemus prædictis quibuscunque Ministris, ne personam » ullam fixum habentem domicilium apprehendere moliantur, » neque aliquem citent, ut personaliter compareat, nisi ob » unam ex tribus causis infra positis; videlicet si quispiam de- » prehensus fuerit in flagranti delicto: si Judices decreverint in- » carcerandum, aut eum personaliter mandaverint comparere, » expensis per eos præviis inquisitionibus: aut demum ratione » accusationis, & instante parte formali, iis in locis, in quibus » id obtinet. «

XLI. Citatus *personaliter* debet comparere in persona, nec admittitur procurator. Si tamen *infirmus* sit, aut alio legitimo impedimento detineatur, potest mittere *excusatorem*, quem Galli vocant *exoniatorem*; de quo agit Rebuffus in suo Tractatu *de Excusationibus sive exoniis*, ubi *num.* 18. dicit, quòd » Curiæ Franciæ admittant excusationem in criminalibus, quan- » do *per se* debet quis comparere, & non per Procuratorem: » tunc si citatus ille morbo sontico detineatur, poterit excusa- » torem mittere ad eum excusandum; non autem reciperetur, » si causas innocentiæ allegaret, & ita servant etiam supremæ » Curiæ Franciæ. « Latè ibidem examinat, quæ sint dicenda legitima impedimenta, ob quæ mitti possit excusator; monetque *num.* 60. quòd » hodie ista exonia seu excusatio, tantùm » in Francia recipiatur in criminalibus, quando Reus debet com- » parere *personaliter*; & sic vidi (ait) in forensi judicio serva- » ri; (x) in Civilibus verò Procuratorem mittere debet. «

XLII. Hæc & praxi Belgicæ conformia esse testatur Damhouderus loco citato *cap.* 25. cujus hic est titulus: *de exoniando in materia criminum.* Item Gerardus à Wassenaer in Praxi judiciaria *cap.* 27. *num.* 4. dicitque moribus nostris quandoque per libellum supplicem à Curia impetrari, ut litteræ citationis ad *personaliter* comparendum mutentur in simplicem citationem ad tollendam infamiæ notam, si delicti levitas id permittat.

XLIII. De hac citatione agitur in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 454. & sequentibus, mandaturque *art.* 457. ut captivi, vel citati *personaliter* ex Decreto Curiæ non relaxentur, priusquam ipsi responderint, & Fiscales Regii, aut alii Officiales suas cœperint conclusiones, & ordinatum fuerit, quâ formâ in materia proposita procedetur.

XLIV. Etiam in Curiis Ecclesiasticis citationi *personali* in criminalibus locus est, si eam decernendam judex judicaverit: imò Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *art.* 14. dicunt, quòd » citatus in causis officii, defloration is, » oppositionis bannorum, vel alimentationis prolium, tenebitur » in *persona* prima vice comparere; alioquin contumax erit, » nec poterit Advocatum, vel Procuratorem adhibere, nisi ad » articulos illorumque circumstantias *personaliter* responde- » rit. « (y)

CA-

(t) *Lex* 48. *tit.* 6. *Part.* 1.

(u) *In Hispania citari solet ex decreto Judicis*, „ que se „ presente en la Carcel para tomarle declaracion. “

(x) *In Causis Civilibus nemo in Hispania tenetur personaliter comparere, nisi in causis magni momenti, ut præscribitur in leg.* 15. *tit.* 3. *lib.* 4. *& speciali Senatus mandato, dicta L.* 5. *& Act. Acord.* 35. *tit.* 19. *lib.* 2. *Recop.*

(y) *In novis Cleri Gallicani Collectaneis* tom. 7. col. 812. *&c. & quæritur, an in citationibus personalibus Officialis teneatur accusationum capita exprimere?*

CAPUT III.

De Examine Rei, et de Tortura.

1 *Promotor juxta Ordinationes Curiarum Eccles. debet* intra triduum *exhibere libellum contra incarceratum.*
2 *Similiter Fiscales, & Officiales Regii infra* triduum *exhibere debent sua* interrogatoria.
3 *Interrogatoria hæc sunt articuli informationis præviæ, super quibus reus est examinandus.*
4 *Reus à Judice vel Commissario indilatè examinandus; & quid in hoc examine attendendum.*
5 *Reus sine mora ad interrogata respondere tenetur.*
6 *Et quidem ante datas defensiones, aut copiam interrogatoriorum.*
7 *Responsiones Rei in scriptis exceptæ communicandæ Promotori, aut Fiscalibus, qui iis visis conclusionem capiant.*
8 *Quid circa conclusionem capiendam statuat Edictum perpetuum ann.* 1611.
9 *Si videatur confessio Rei sufficiens, petitur* jus dici: *sin minùs, petitur, ut testes recolligantur, aut si opus sit, confrontentur.*
10 *Quare & quomodo testes auditi in informatione debeant recolligi, sive examinari.*
11 *Quid* confrontatio; *& quando adhibenda.*
12 *Testes, priusquam confrontentur, debent esse recollecti.*
13 *Datur Reo facultas reprobandi testes ante confrontationem, sed non post.*
14 *Reus non relaxandus ante factam responsionem.*
15 *Processus criminalis non semper eodem modo instruitur.*
16 *Si Reus ex sua confessione, & informatione parùm gravetur, processus instituitur modo servari solito in civilibus.*
17 *Aliàs extraordinariè Reo in carcere constituto.*
18 *Reo semper dandæ suæ defensiones, & dilationes sufficientes ad eas faciendas.*
19 *Quomodo nominandi, & examinandi testes, quos Reus ad probandam innocentiam, aut reprobandos testes contra se producere vult.*
20 *De Jure Decretalium nomina testium, & eorum depositiones, Reo communicanda.*
21 *Non tamen communicanda, priusquam sint recollecti, seu reexaminati.*
22 *Ob periculum imminens testibus, ex Ordinationibus Curiarum Eccles. depositiones non sunt publicandæ.*
23 *Quomodo huic periculo aliqui occurrere velint.*
24 *In processu criminali examinando magna discussione opus est.*
25 *Ubi de pœna corporali agitur, requiruntur probationes claræ, & indubitatæ.*
26 *An ex indiciis, & conjecturis concludi possit, & locus sit juramento suppletivo.*
27 *An spontanea confessio Rei ad condemnationem sufficiat.*
28 *Hodie, dum plena probatio non habetur, solet nonnunquam Reus applicari* torturæ, *seu* quæstioni.
29 *Aliqui hanc torquendi praxim improbant; quorum primum argumentum proponitur.*
30 *Secundum argumentum contra praxim torturæ.*
31 *Tertium argumentum.*
32 *Convenit inter Doctores Reum torquendum non esse, dum alio modo veritas haberi possit.*
33 *Idipsum expressum in Edicto Philippi II.*
34 *Injustum apparet, Reum non convictum de crimine puniri per tormenta torturæ.*
35 *Confessio Rei facta in tortura exiguam, aut nullam fidem meretur.*
36 *Ex hodierna praxi confessio facta in tortura debet renovari à Reo extra torturam*
37 *Sed nec hæc renovatio magnam addit fidem; & quare.*
38 *Plura argumenta contra usum torturæ, præsertim in examinandis maleficiis remissivè.*
39 *Certum est torturam cum magna moderatione, & circumspectione adhibenda.*
40 *Tortura non imponenda, nisi ob crimen admodum grave.*
41 *Requiruntur indicia gravia, & conformia tali medio de crimine commisso contra Reum.*
42 *Videtur requiri tanta probatio, ut sola confessio deesse videatur.*
43 *Non sufficit testimonium unius, quantumvis magnæ auctoritatis & fidei.*
44 *Plures personæ exemptæ à tortura, ac nominatim mulieres prægnantes.*
45 *Si dubium sit, an mulier sit prægnans, à tortura abstinendum.*
46 *Tortura adhibenda præsente Judice, ipsiusque arbitrio.*
47 *Hodie adhiberi solet, ut habeatur Rei confessio; & quare.*
48 *Quare in Curiis Ecclesiasticis Rei non torqueantur.*

I. IN Ordinationibus Curiar. Eccles. Provinciæ Mechl. *titul.* 11. *cap.* 55. statuitur: »Si Promotor per incarce»rationem inceperit, statim, vel ad minimum *infra triduum*, »libellum exhibebit super excessibus & delictis Rei, qui trade»tur Judici, aut ejus commissariis à Judice nominandis.«

II. Similiter Ordinationum Curiæ Brabantiæ *art.* 454. statuitur, ut si quis ex Decreto Curiæ captus fuerit, aut *personaliter* citatus, Fiscales Regii, aliique Officiales tenebuntur intra *triduum* exhibere interrogatoria, sive gravamina, concepta super delictis, & malefactis prædictorum captivorum, tradenda Commissario à Curia ad examen captivorum, vel citatorum deputato.

III. Hæc interrogatoria non faciunt libellum, sed potiùs sunt ea, quæ per informationem præviam Fiscus, seu Procurator Regius ad onus captivi, sive capti accepit. Unde Damhouderus in *Praxi rerum Criminal. cap.* 30. *num.* 1. ait: »In »crimine *criminaliter* intentato per Fiscum ex officio (poten»tissimum malefico capto) nullam Fiscus petitionem, sive li»bellum format: sed Curiæ illico præviam informationem com»municat: cupiens, ut maleficus Reus super ejusdem informa»tionis articulis, ligato pede, examinetur.«

IV. His interrogatoriis Judici sive commissariis exhibitis; tunc juxta citatum Articulum Ordinationum Curiarum Ecclesiasticarum »Judex vel Comissarii in præsentia ipsius Promoto»ris, vel etiam Advocati Fiscalis (si adesse velit) secundum »prædictum libellum Reum examinabunt, diligenterque ani»madvertent, si Reus constans sit, an vacillet; & desuper »judicium suum separatim annotabunt, & judici exhibebunt.«

Hæc desumpta apparent ex citato articulo Ordinationum Curiæ Brabantiæ.

V. Et quidem in Criminalibus Reus in Carcere constitutus, vel personaliter citatus, & comparens, debet sine mora ad interrogata respondere; neque datur ei dilatio ad deliberandum; idque observari generaliter in praxi testatur Julius Clarus in *Pract. Criminali, quæst.* 45. *n.* 7.

VI. Insuper ibidem *num.* 8. testatur, quòd de consuetudine Reus interrogetur, & examinetur ante datas defensiones, & copiam indiciorum, sive informationum; allegatque ibidem plures Practicos, qui asserunt, ita quotidiè practicari, ac esse receptum stylum, usum, & consuetudinem.

VII. Post hæc decernitur in citatis Ordinationibus Curiarum Eccles. »Responsiones Rei in scriptis redactæ Promotori »tradentur, qui communicato consilio cum advocato Fis»cali, demum concludet contra Reum pertinenter, & of»fert Promotor probare; deinde captivus capiet terminum »ad se justificandum, qui si aliquas justificationes, factaque »contraria exhibuerit, scripto poterit Promotor replicare, & »procedetur ulteriùs, prout superiùs statutum est; salvo, »quòd in his causis incarceratorum de triduo ad triduum pro»cedetur.«

Similiter in dictis Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 455. mandatur, ut responsiones Rei in scriptis redactæ communicabuntur Fiscalibus, aliisque Officialibus, ut iis visis capiant conclusionem pro exigentia materiæ, & prout ipsis expedire videbitur.

VIII. Et ne Officiarii cavillos patiantur, super formalitate conclusionis, suffecerit illos ex informationibus, confessionibus, & probationibus delictum proponere, ut puniatur deliquens pro ratione juris, Edictorum, seu aliâ pœnâ, quæ justa, & æqua videbitur; ita cautum Edicto perpetuo Alberti & Isabellæ an. 1611. *art.* 41.

IX. Deinde *art.* 456. statuitur, quòd si confessionem Rei reperiant sufficientem, petent jus super ea dici; sim minùs, ordinabitur, ut testes recolligantur, & si opus sit, confrontentur; idque una duntaxat dilatione ex moderatione Curiæ. Verba articuli sunt: *Ende indien sy de confessien sufficient bevinden, sullen recht nemen ende begeren op de selfde ende ingevalle neen, soo sal men ordineren, dat de getuyghen gerecolleert vvorden ende soo verre het noodt zy, geconfronteert: ende om dat te doen en sal maer dilay ghegheven vvorden ter discretie ende moderatie van den Hove.* Id est: »Quod si »confessionem reperiant sufficientem, jus desuper pronuntiari »requirent: sin minùs, statuetur, ut testes iteratò interro»gentur, & si opus, cum Reo componantur, quod ut fiat, »prorogatio non concedetur, nisi pro prudentia & modera»tione Curiæ.«

X. De recollectione seu reexamine testium in criminalibus agit Julius Clarus citata *quæst.* 45. dicitque, quòd »si Reus »delictum neget, debeant testes, qui informatione prævia »auditi fuerunt, rursus examinari, citato Reo ad videndum »eos jurare. Et valde erraret judex, (ait) qui omissâ tali re»petitione testium procederet ad torturam vel condemnationem: »nam testes recepti ante litis contestationem nullam fidem fa»ciunt

» ciunt contra Reum, cum sint examinati ipso non citato. Et » adverte, quia hæc repetitio fieri debet cum omnibus illis qua- » litatibus, quæ requirerentur, ubi isti testes repetendi nun- » quam fuissent examinati. «

XI. Interdum quando testis aliquid deponit directè contrarium ei, quod dixit Reus: vel ipse testis deponit de visu, tunc testis jubetur suam depositionem renovare in præsentia, & *conspectu* ipsius Rei, atque hæc renovatio depositionis vocari solet *confrontatio*, quasi facta *fronte ad frontem*, uti notat Damhouderus in *Praxi rerum criminal. cap.* 47. *num.* 2. additque *num.* 3. quòd » similem quoque confrontationem Judex exer- » ceat, quoties duo testes in materia criminali disconveniunt, » ita ut alter suspectum accuset, alter excuset; maximè si ali- » ter veritas constare nequeat. « Vide etiam Julium Clarum loco citato *quæst.* 45. *num.* 14.

XII. Juxta Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 461. testes *confrontandi* debent esse recollecti sive reauditi, & tum demum super iis, in quibus contra accusatum persistunt, *confrontari*: quod & non obscurè supponit *art.* 56. *tit.* 11. Ordinationum Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. mox citandus.

XIII. Insuper *art.* 460. volunt dictæ Ordinationes Curiæ Brabantiæ, prævie ad confrontationem interrogari Reum, num testes contra se productos reprobare velit; velitque habere dilationem ad absolvendam reprobationem, ut in confrontatione hujus reprobationis possit haberi ratio; si autem Reus dicat, se nolle reprobare, ad ea post factam confrontationem non admittetur. Verba articuli sunt: *Ar eermen procederen sal totter voornoemde confrontatien soo salmen vraghen den gheaccuseerden, oft by de ghetuyghen, die tegem hem geproducert gevvest hebben, vvilt reprocheren oft vverdeleghen, ende hebben dilay om van syne reprochen te moghen dienen, om in die confrontatie daer op te nemen alsulcke consideratie als t' behooren sal, ende indien de gheacuseerde seeght niet te vvillen reprocheren de ghetuyghen, soo en sal hem daernaer niet toegelaten vvorden om t' selve te mogen doen.* Id est: » Antequam proce- » datur ad prædictam testium cum Reo commisionem; in- » terrogabitur accusatus utrum testes contra se productos re- » probare, aut rejicere desiderat, prorogationemque cupiat; » quà eorum refutationem instruat, ut in dicta ejus cum testi- » bus commissione, istius, ut æquum fuerit, ratio habeatur. » Si autem accusatus dicat, se molle testes reprobare, non erit » ipsi deinceps licitum id facere. «

XIV. Statuunt autem allegatæ Ordinationes Curiarum Eccl. *cit. art.* 56. » Nunquam Reus incarceratus relaxari poterit an- » te responsionem super libello, & conclusione Promotoris, » vel etiam (si Judex partibus auditis ita faciendum decreve- » rit) antequam testes super informatione præparatoria auditi sub » juramento repetiti, & cum eodem reo confrontati fuerint; id- » que etiam præstitâ cautione, quam Judex secundum delic- » ti & personarum qualitatem præstandam esse decreverit. «

Hæc omninò conformia sunt iis, quæ decreta sunt *artic.* 457. 458. 459. Ordinat. Curiæ Brabantiæ: uti & stylo Parlamenti Mechliniensis tit. *De Procesu criminal. art.* 5. 6. & 7.

XV. Processum criminalem non eodem semper modo instrui supponit citatus *art.* 457. Ordinat. Curiæ Brabantiæ, vetans relaxationem citati *personaliter*, priusquam determinatum sit, *quo modo* in materia hac erit procedendum: quod & consonat stylo Parlamenti Mechliniensis dicto *art.* 5. cujus styli meminit Damhouderus in Praxi rerum criminal. *c.* 34. *n.* 1.

XVI. Dicit autem Damhouderus, si Reus interrogatus personaliter, sive *pede ligato* » in respondendo nihil fateatur, nihil- » que affirmet sibi contrarium, causæve suæ damnosum, ne- » que item admodum gravetur ipsa informatione prævia, reci- » pitur tum ad processum ordinarium, in quo admittitur oc- » cupaturus per procuratorem, & ut defensiones suas peragat » scripto.

XVII. » Verùm si idem citatus (pergit Damhouderus) in- » terrogatus *pede ligato*, cœperit quippiam confiteri sibi dam- » nosum ac onerosum; aut si inter respondendum quid variet, » dubiisve sententiis fluctuet & hæsitet, præbens hac similive oc- „ casione sese suspectum, undeque evidentia indiciorum, aut „ suspicionum adversus ipsum nascantur argumenta: decernit „ tum Curia, eundem citatum debere recipi in carceris custo- „ diam, ut ibi processus ipsius agatur & tractetur. "

XVIII. Quomodocunque processus criminalis agatur, dandæ sunt Reo suæ defensiones, & dilationes competentes, ut innocentiam suam probare queat; ita tamen ut in causa incarceratorum Ordinationes Curiarum Ecclesiast. *art.* 55. procedi velint de *triduo ad triduum*.

XIX. Et *art.* 462. Ordinat. Curiæ Brabantiæ, & *art.* 10. Parlamenti Mechl. decernunt, ut si accusati allegent aliqua facta peremptoria in jure fundata ad ostendendam innocentiam, vel reprobandos testes, jubebuntur incontinenti nominare testes, quibus hæc facta credunt probanda. Qui testes sic designati examinabuntur per Commissarios Curiæ expensis Accusatorum, si ferendis expensis sint sufficientes, alias expensis Principis, uti præscribitur *art.* 463. Ordinat. Curiæ Brabantiæ, *art.* 11. Parlamenti Mechl.

XX. Ut autem Reo sua prosit defensio, danda sunt ei nomina testium; necnon dicta ipsorum publicanda ad effectum, ut possit seipsum defendere, & suas exceptiones proponere adversus eorum dicta & personas: quemadmodum expressum est in Decreto Conc. Lateranensis sub Innocentio III. in *Cap.* 24. ✠ *de Accusat.* ubi in terminis decernitur, „ Inquisito exponen- „ da esse illa capitula, de quibus fuerit inquirendum, ut fa- „ cultatem habeat defendendi seipsum: & non solum dicta, „ sed etiam omnia nomina ipsa testium sunt ei (ut quid & à „ quo sit dictum appareat) publicanda, necnon exceptio- „ nes, & replicationes legitimæ admittendæ: nec per suppres- „ sionem nominum infamandi, per exceptionum verò ex- » clusionem deponendi falsum audacia præbeatur. "

XXI. Copia tamen processûs, sive dictorum non datur, nisi testes auditi in processu, informationis fuerint recollecti, sive ipso reo citato rursus legitimè reexaminati, uti notat Julius Clarus *quæst.* 49. *num.* 8. aitque ita practicari.

XXII. Verùm quia ob potentiam accusati, aut consanguineorum, vel amicorum ejus subinde timendum est, periculum grave imminere testibus, si eorum nomina, & depositiones publicentur, per Ordinationes Curiarum Eccles. *tit.* 12. *art.* 49. decretum, ut „ in criminalibus Judex depositiones testium non „ publicet, sed solùm nomina eorum communicabuntur Parti. "

XXIII. Eandem ob causam, referente Julio Claro citatâ *quæst.* 49. *n.* 3. „ inolevit practica, quòd dentur nomina tes- „ tium confusa, & separata à dictis testium ob potentiam Reo- „ rum, ne possint scire, quid ab eorum unoquoque dictum fue- „ rit. " Sed quàm facilè in notitiam hanc venire queat Accussatus, aut ejus familiares, nemo non intelligit, qui advertat, quàm proclives sint futuri testes ad revelandas suas depositiones, quæ Accusato potenti contrariæ non erunt: è quo tunc haud difficile erit concludere, qui graviores contra Accusatores depositiones dederint. Quamvis forma Jure communi præscripta æquior appareat; utpote ampliorem dans facultatem Reo se defendendi.

XXIV. Processu plenè instructo, Judicis est processum diligenter examinare, & discutere, num probationes contra Reum sint sufficientes ad condemnationem: cumque in causis criminalibus majus præjudicium, & periculum soleat versari, quàm in Civilibus, etiam omnia hîc accuratiùs perpendenda sunt.

XXV. Et quidem in causis criminalibus, præsertim si agatur de crimine atroci & capitali, vel quod pœnâ corporali plectendum est, requiri non tantùm plenam probationem, sed indubitatam, & *luce* meridianâ clariorem, communiter tradunt Doctores & Pragmatici argumento *L. fin. Cod. de Probation.*

XXVI. Hinc plures contendunt ex indiciis & præsumptionibus ad condemnationem in criminalibus, ubi de pœna corporali infligenda, agitur procedi non oportere; uti videre licet apud Damhouderum in *Praxi rerum criminal. cap.* 54. & Julium Clarum in *Practica criminali*, *quæst.* 21. 22. & 66. Et *q.* 63. ostendit, in similibus causis criminalibus non deferri juramentum suppletivum; tametsi etiam cum semiplena probatione concurreret probitas Partis seu Accusatoris.

XXVII. Ulteriùs, si agatur de crimine capitali, judex nequidem ad condemnationem procedere potest ex *spontanea*, & *ultronea* Rei confessione: „ sed practica est, ait Julius Clarus „ *quæst.* 65. quòd quando Reus est *sponte* confessus, judex „ mittat eum in carcerem, & apud acta præfigat ei terminum „ ad allegandum quidquid vult, ne condemnetur, & ad omnes „ suas defensiones faciendas; quo elapso, si nihil probet, po- „ test postea condemnari. Et hanc practicam servat totus mun- „ dus, ut dicit Salicetus in *L.* 2. *Cod. de Custod. Reorum.* " Hactenus Clarus, qui addit, quòd practica generalis observet, ut etiam confesso detur terminus defensionis, licèt dilationem ipse non petierit. Vide Antonium Fabrum in Codice *lib.* 9. *tit.* 21. *Definit.* 8. ubi ostendit, confessioni subinde deferendum esse.

XXVIII. Si judex videat, probationes non esse omninò convenientes & claras, non poterit Reum condemnare, præsertim ad pœnam capitalem vel corporalem, sed si habeatur semiplena, aut etiam plusquam semiplena probatio, tum hodie nonnunquam in judiciis secularibus Reus applicabitur torturæ, sive quæstioni, ut vi tormentorum à Reo confessio crimis extorqueatur.

XXIX. Quidam hanc praxim Christiano judici licitam esse negant; eo quòd iniquum, & ratione omninò alienum appareat, probationes à Reo ipso petere, eumque tormentis afficere, antequam probatus sit nocens, ut se ipsum nocentem esse fateatur.

Unde hîc rectè jam pridem dixit S. Augustinus *lib.* 19. *de Civitati Dei*, *cap.* 6. „ Cùm quæritur, utrùm sit nocens, cru- „ ciatur; & innocens luit pro incerto scelere certissimas pœnas, „ non quia illud commisisse detegitur, sed quia non commissis- „ se

„ se nescitur, ac per hoc ignorantia Judicis plerumque est calamitas innocentis. "

„ XXX. Fatendum quoque est, hanc probationem omninò ancipitem esse, nec certæ fidei: quia aliis patientia facilè mendacium facit, aliis infirmitas necessarium: ut rectè expressit Ulpianus in *L.* 1. §. 23. *ff. de Quæstionibus*, dicens: „ Quæstioni fidem non semper, nec tamen nunquam habendam, Constitutionibus declaratur: etenim res est fragilis & periculosa, & „ quæ veritatem fallat. Nam plerique patientiâ sive duritia tormentorum ita tormenta contemnunt, ut exprimi eis veritas „ nullo modo possit: alii tanta sunt impatientiâ, ut quodvis „ mentiri quàm pati tormenta velint. Ita fit, ut etiam vario „ modo fateantur, ut non tantum se, verùm etiam alios comminentur. "

„ XXXI. Ulteriùs dicunt dicti Auctores: vel Reus de crimine ipso est *plenè* convictus, vel non. Si sit convictus, crimenque plenè probatum, Reus tormentis subjiciendus non est, ut confessio ab ipso extorqueatur: cùm ad condemnationem *confessio* necessaria non sit, ubi aliunde de veritate commissi criminis sufficienter constat; uti expresse cavetur in *L.* 9. *ff. de Quæstion.* ubi dicitur rescriptum esse ab Imperatore, nec de *servis* quæstionem habendam, nisi dum aliter veritas haberi non potest. Quod requiritur in *L.* 12. *Cod. eod.*

XXXII. Unde teste Julio Claro *in Pract. crimin. quæst.* 64. *num.* 5. concludunt *omnes* Doctores, Reum torqueri non posse, si aliter constet de delicto. Dicitque Damhouderus in *Praxi crimin. cap.* 35. *num.* 3. quòd » Judex ad quæstionem seu „ torturam prosilire non debeat, si aliqua aliâ viâ leviori vel „ veriori possit objecti criminis veritas inveniri, ac haberi, „ quantumcunque etiam adsint vel verisimilia indicia. " Testaturque, communem esse Doctorum opinionem, „ quòd probato delicto judex nequeat Reum quæstioni tradere. "

XXXIII. Idipsum cautum est Edicto criminali Philippi II. Regis Catholici de 9. Julii 1570. *art.* 42. ubi vetatur applicatio ad torturam, dum habetur probatio criminis certa, & indubitata; abrogatis contrariis quibuscunque consuetudinibus, Statutis, aut observantiis, quæ potiùs abusus sunt. *Daer die preuve seken en ontvvyffelachtigh is, verbieden vvy de pynbanck t' appliceren: abolerende oock inden selven gevalle, alle, costuyme, statuyten oft observantien ter contrarien, die eer abuysen syn dan anderssins.* Id est: „ Cùm probatio certa, & „ indubitata fuerit, inhibemus, ne inflicta in reos tormenti „ quæstio adhibeatur, abrogantes etiam in hoc casu quamlibet „ consuetudinem, statutum, aut usum contrarium, quæ potiùs tanquam abusus reputanda sunt. "

XXXIV. Si verò de delicto *non plenè* constet, sed tantùm semiplena, aut saltem non plena probatio habeatur, æquitati & rationi naturali omninò contrarium apparet, hujusmodi non convictum, & quem esse nocentem nondum probatum est, condemnare non ad pœnam duntaxat pecuniariam, sed corporalem, ipsâ subinde morte duriorem; uti est supplicium torturæ, quale hodie haberi consuevit, & describit Damhouderus *cap.* 36.

XXXV. Denique dicunt hi Auctores, per confessionem Rei in tormentis factam Judicem æquæ incertum esse de innocentia vel nocentia Accusati, atque ante elicitam hujusmodi confessionem: quandoquidem, ut ante notatum est, admodum fragilis ac dubia sit tormentis hujusmodi extorta confessio.

XXXVI. Confessionis istius fragilitatem nemo negare potest: ideoque uno consensu tradunt Criminalistæ, & praxeos hujus patroni confessionem tormentis extortam fidem exiguam, aut nullam mereri, nisi eam Reus extra torturam renovaverit & confirmaverit; quemadmodum citato Edicto criminali Philippi II. *art.* 4. præcipitur ut qui in tortura confessus fuerit crimen, rursus intra unum diem sequentem interrogabitur extra torturam & locum torturæ, ut videatur, an in confessione facta persistat.

XXXVII. Verùm nec hæc approbatio, praxi hodiernâ spectata fidem magnam facere potest. Si enim confessionem in tortura factam retractet, solet rursus torturæ applicari; quod & Edictum arbitrio Judicis committit. Hanc reapplicationem ut evadat Reus, quidnî facilè confessionem licèt falsam confirmet; præsertim cùm ei tormentorum & pœnarum recens sit memoria, & vivax adhuc sensus? Accedit, quòd hæc repetitio torturæ nonnunquam sæpiùs fiat.

XXXVIII. Ob hæc, aliaque jam pridem in usum torturæ invectus est Ludovicus Vives in notis ad S. Augustinus *lib.* 19. *de Civit. Dei*, *cap.* 6. & plura argumenta recenter congessit August. Nicolas Consiliarius Regius in Parlamento Burgundiæ in *Dissertatione Morali & Juridica*: *Si tortura sit medium securum ad detegenda & probanda crimina occulta*; contenditque parùm conveniens & Christianum esse medium; plurimis seculis apud nos incognitum; multis incommodis, præsertim in inquirendis & examinandis maleficis obnoxium; meritoque ejus usum abrogandum non minore ratione, quàm purgationum vulgarium, quorum usus non minùs probatus & stabilitus aliquando fuit.

XXXIX. Quidquid sit de hujus & quorundam etiam eruditorum Auctorum opinione improbantium usum torturæ, tanquam medium inordinatum ad detegendam veritatem, hoc certum est, Judices in hujusmodi applicatione summa moderatione, & circumspectione procedere debere.

XL. In primis fatentur omnes, indicendam non esse, nisi quando agitur de crimine admodum gravi, ob quod pœna gravis corporis afflictiva sit imponenda: ne aliàs major, aut gravior pœna infligatur nondum convicto, aut condemnato, quàm imponeretur convicto, & condemnato. Julius Clarus *quæstio* 64. *num.* 3. Damhouderus *cap.* 35. *num.* 4.

XLI. Secundò indubitatum est, requiri indicia gravia de commisso delicto contra Accusatum, priusquam torturæ subjiciatur: neque sufficere quæcunque indicia, sed proportionata tali medio, & tantis cruciatibus Reo inferendis. „ In hoc „ autem, quæ dicuntur indicia ad torturam sufficientia, scire „ debes (ait Clarus *num.* 13.) quòd in materia indiciorum, & „ torturæ propter varietatem negotiorum, & personarum, non „ potest dari certa doctrina, sed remittitur arbitrio judicis, ita „ dicunt communiter Doctores. " Monetque ibidem, quòd Judices Deum timentes debeant semper præ oculis habere, ne aliquem injustè tormentis subjiciant.

XLII. Rectè notat Tuldenus in Codice *tit. de Quæstionibus num.* 2. post Auctores ibidem citatos, quòd indicia debeant esse liquida, & urgentia, & cum re, de qua agitur, conjuncta, non longè petita, & ambigua, adeò ut sola confessio deese videatur; quod & Edicto Criminali Philippi II. *art.* 42. cautum est: quamvis & aliquid semiplenæ probationi deferre videatur. „ Veruntamen non simpliciter illud, sed secundum „ juris terminos exaudiendum existimem, " ait Zypæus in *Notitia Juris Belg. tit. de Quæst. num.* 3.

XLIII. Observat quoque ibidem Tuldenus *num.* 5. plerosque putare, quòd unicus testis extra suspicionem, cujusque assertioni de ipso delicto alia pro Reo indicia non adversentur, sufficiat ad torturam, » sed (ait) hoc non est admittendum, ni» si aliud quoque criminis indicium concurrat. Quàm enim præ» posterum, cùm Reus unius testimonio non revincatur, ubi » pecuniolæ periculum vertitur, convinci tantillà probatione » Reum, ubi de discrimine salutis cernitur? « Unde & referente Zypæo loco citato *num.* 2. » In Gallia S. Ludovicus ad » unius testis, vel maximè fidei quamvis, noluit quemquam » torturæ subjici: quod & hic (ait) habent multarum urbium » privilegia. «

XLIV. De jure plures sunt personæ, quæ à tortura eximuntur, quas recitat Julius Clarus citata *quæst.* 64. monetque, nonnullas hodie privilegium illud amisisse. Illud autem privilegium religiosè observatur & meritò circa mulieres prægnantes; adeo ut non torqueri, sed nec terreri queant; idque etiam observandum, quamvis esset prægnans ex adulterio, etiamsi in ipso carcere ad evitandam torturam dolosè concepisset: & licèt tantùm esset prægnans de pauco tempore, uti communiter docent Doctores. Nam cùm mulier prægnans eximatur à tortura, non ut ipsi, sed ut fœtui consulatur, cessat consideratio indignitatis; uti notat Tuldenus *num.* 3.

XLV. Si Judex dubitet, num mulier prægnans sit, tenetur consulere Medicos, & obstetrices; quibus auditis, si dubium maneat, num sit prægnans, indubiè ob periculum, quod fœtui posset imminere, abstinendum est à tortura.

XLVI. Ad hæc inter omnes convenit ipsam torturam præsente Judice, & pro modo, & tempore ab eo præscripto fieri debere; neque adeo extendi, ut corpori patientis ullam gravem læsionem, aut mutilationem infligat. Quæstionis enim modum Judices arbitrari debent, & tormenta adhibenda sunt, non quanta Accusator postulat, sed ut moderatæ rationis temperamenta desiderant; quod & plurium civitatum consuetudinibus, ac nominatim Antuerpiensis, expressum est; quibus cavetur, ne Schultetus captivum ad torturam ducat, nisi ex prævio Judicis decreto, *eoque præsente* neque eum graviori torturæ subjiciat, quàm Judici adhibenda videatur. Vide Simonem Van Leeuwen in *Censura Forensi*, *parte* 2. *lib.* 2. *cap.* 8. *num.* 17. & ab eo citatos.

XLVII. Plura de hac praxi, & usu moderno torturæ videri possunt apud Pragmaticos, quos citatus Van Leeuwen refert; hocque sat innuit, hodie plerunque adhiberi torturam in Reum plenè aut ferè plenè convictum, ut propria confessio de crimine commisso à Reo extorqueatur: eò quòd hîc apud multos receptum sit, pœnas capitales ferri non posse nisi in *confessos*, tametsi plenæ probationes adsint; idque ne appellationi aut provocationi locus sit; de quo latiùs infra *tit.* 10. ubi una discutietur, num hujusmodi confessio idonea sit ad denegandum remedium appellationis.

XLVIII. Quia tortura, (z) prout hodie in Curiis Secula-

(z) *Postquam de eo, quod in Hispania circa accusationes, informationes, capturam, citationemque personalem accusatorum*

laribus adhibetur, ad judicium sanguinis non parum accedit, non solet in Curiis Ecclesiasticis in his partibus nec contra laicos adhiberi; ne Ecclesiastici Judices videantur judicium sanguinis exercere. (a)

CAPUT IV.

De Purgatione vulgari, et Canonica.

1 *Olim potiùs ad purgationes vulgares, quàm ad* torturam *in rebus dubiis recurrebant.*
2 *Purgationis vulgaris triplex species.*
3 *Purgationes per aquam frigidam frequens mentio apud auctores IX. seculi, & sequentium.*
4 *Cur Purgatio hæc diceretur* judicium.
5 *Qui in hoc judicio innocentes, & qui nocentes judicarentur.*
6 *Immergendi in* aquam *in Ecclesiam adducebantur: ibique plures orationes super iis fundebantur.*
7 *Missa specialis celebrabatur.*
8 *Orationes specialiter fiebant, ut Deus* veritatem *in hac purgatione* manifestare *dignaretur.*
9 *Ante communionem immergendi adjurabantur, ut* veritatem *commissi criminis manifestarent.*
10 *Si non confitebantur crimen, dabatur eis Sacra Communio ad probationem.*
11 *Missa expleta fiebat aqua benedicta, è qua immergendi bibebant ad* probationem.
12 *Fiebat adjuratio* aquæ, *ut per eam Deus signum operaretur ad manifestationem veritatis.*
13 *Quo ritu post hanc conjurationem homines in aquam projicerentur.*
14 *Indicantur auctores referentes Ritus, exorcismos, & orationes in hac purgatione solitos adhiberi.*
15 *Ritum hujus purgationis tanquam ab Eugenio II. Papa probatum, & in Franciam missum exhibet Mabillonius.*
16 *Argumenta quæ suadent, hunc ritum non posse adscribi Eugenio.*
17 *Adferuntur nonnulla, quæ insinuant, eum Eugenio adscribendum.*
18 *Certum est, purgationes vulgares aliquot seculis multùm frequentes fuisse.*
19 *Describitur judicium sive purgatio aquæ* ferventis.
20 *Cur manus, postquam in aquam ferventem missa fuerat, involveretur sub sigillo judicis.*
21 *Quid judicium ferri* candentis.
22 *Ritus hujus judicii descriptus in Legibus Anglicanis.*
23 *In Hispania frequens ob contemptum juramenti.*
24 *Creditum fuit, quòd Deus ad preces & exorcismos per aliquod signum ostenderet veritatem.*
25 *Non adhibebantur, si veritas aliter innotescere poterat.*
26 *Nonnulli has purgationes non probabant.*
27 *Prævaluit tamen earum usus, præsertim in Gallia.*
28 *Seculo XII. etiam in Belgio probationum vulgarium usus fuit.*
29 *Decretum contra probationes vulgares sub nomine S. Gregorii retulit Gratianus.*
30 *Sed erravit Gratianus, hujusmodi Decretum S. Gregorio adscribendo.*
31 *Extat apud Gratianum Decretum Stephani V. purgationes has reprobans.*
32 *Sed nec hoc inter scripta hujus Pontificis reperitur.*
33 *His auctoritatibus Pontifices usi sunt seculo XII. contra has purgationes, & signanter Alexander III.*
34 *Innocentius III. eas reprobavit*
35 *Honorius III. eas reprobatas supposuit, quia per illas Deus tentari videtur.*
36 *Seculo XIII. planè reprobatæ supponebantur.*
37 *Usus probationis per aquam* frigidam *in aliquibus partibus adhuc hoc seculo aliquatenus perseveravit.*
38 *Probatio fiebat sine pristinis ritibus, exorcismis; & quare.*
39 *Hic usus reprobatus, remissivè.*
40 *Ex usu probationum vulgarium ostenditur fallacia argumenti à praxi communi.*
41 *Jam pridem receptum, ut Clericis de crimine infamatis purgatio Canonica indiceretur; & quare.*
42 *Plerumque fiebat per juramentum ad corpora aut Reliquias Sanctorum.*
43 *Juramentum hoc exigi cœpit adhibitis compurgatoribus; & quare.*
44 *Refertur à Gratiano & in Decretalibus Gregorii Decretum sub nomine Synodi Agathensis hujus purgationis mentionem faciens.*
45 *Sed non videtur illi Synodo posse adscribi.*
46 *Constat tamen, ritum hunc purgationis notum fuisse seculo VI.*
47 *Quare purgatio, quæ fiebat adhibitis compurgatoribus, diceretur fieri,* manu sexta, septima, *&c.*
48 *Quot essent adhibendi Compurgatores, pendebat ab arbitrio judicis.*
49 *Quid Compurgatores jurare debeant.*
50 *Refertur tenor hujus purgationis Canonicæ.*
51 *Compurgatores adhibendi, quibus vita & conversatio infamati est nota.*
52 *Debent & ipsi esse honestæ vitæ.*
53 *Olim etiam in Curiis secularibus Belgicis hæc purgatio nota fuit.*
54 *Quando Officialis contra laicum ea uti queat ex Concordatis Hannoniæ.*
55 *Hodie usus adhuc superest in Curiis Ecclesiasticis.*
56 *Sed usus etiam hic rarior.*
57 *Non adhibenda nisi tanquam medium extraordinarium & subsidiarium, aliis probationibus deficientibus.*
58 *Ob periculum perjurii rarò adhibenda.*

I. PLuribus seculis ignotam fuisse apud Occiduos Europæos probationem per torturam notat Augustinus Nicolas Consiliarius Parlamenti Franco-Comitatûs Burgundiæ in sua dissertatione: *An tortura sit medium securum ad probationem criminum occultorum*, pag. 209. dicitque, quòd populus ille circa seculum VII. & sequentia ad probandum crimina occulta recurrerit potiùs ad purgationes, quas hodie *vulgares* dicimus, tanquam *vulgi* potiùs quàm Canonum auctoritate inductas; & de quibus agitur sub titulo Decretalium *de Purgatione vulgari*; & pluribus locis apud Gratianum.

II. Purgationis hujus vulgaris, quæ olim ad criminis probationem adhibebatur, variæ fuêre species, atque inter eas notissimæ & magis usitatæ, aquæ frigidæ, aquæ calidæ, & ferri candentis.

III. De purgatione per aquam *frigidam* frequens est mentio apud Auctores seculi IX. & sequentium: eamque appellabant vel *judicium aquæ frigidæ*: vel etiam frequenter, simpliciter *judicium aquæ*, uti ostendit Du Cange in suo Glossario mediæ, & infimæ latinitatis, verbo *aquæ*, vel *aquæ frigidæ judicium.*

IV. Dicebatur *judicium*, quia immersio in aquam frigidam adhibebatur, ut *judicaretur*, num immersus esset nocens, an innocens; ita ut ex his, quæ circa immersum contingebant in hac purgatione, resultaret *judicium* de nocentia, vel innocentia immersi: quemadmodum & in purgatione per aquam *calidam*, & ferrum *candens* fiebat; unde & similiter dicebatur *judicium aquæ calidæ*, & judicium ferri *candentis.*

V. Itaque de crimine aliquo suspectus, vel de eo accusatus in aquam demergebatur: & si supernataret, nocens, ac Reus: contrà si in imum delaberetur, innocens judicabatur. Un-

rum observatur, cap. 1. & 2. hujus tituli prænotatum est, sequitur ut nunc de Rei examine, & Tortura quæ in nostro Regno sunt specialiora, etiam notemus. Postquam enim summaria informatio præsente judice recepta est, leg. 28. & 44. tit. 6. lib. 3. & 19. & 60. cap. 5. tit. 5. lib. 2. Recop. reusque in carcerem conjectus est, ut præscribitur in leg. 3. 5. & 6. tit. 29. Part. 7. in Hispania præhabitis rei declaratione, confessioneque, ut ita demonstrat L. 4. tit. 29. Part. 7. per verba: „De„ ve le facer jurar que diga la verdad de aquel fecho sobre que „ le recabdaron. " *& confirmat L. 6. tit. 6. lib. 2. Recop. ad probationem Causa recipitur cum omnibus qualitatibus, sermone patrio* con todos cargos de publicacion, conclusion y citacion; *quâ impleta, ratificationeque testium juxta L. 23. tit. 16. Part. 3. facta, si delictum plenè probatum fuerit, usque ad prolationem sententiæ, ejusque executionem proceditur: sin autem delictum tantùm semiplenè probetur, & quæ sint indicia contra reum; ut veritas patescat, quando aliter probari non potest, ut ait L. 1. tit. 30. Part. 7.* „ Que no se podrian saber „ de otra guisa, " *& indicia sint vehementiora, ut in leg. 2.*

tit. 30. Part. 7. indicatur per verba: „ A menos de saber an„ te presunciones ò sospechas ciertas de los yerros sobre que „ fueron presos, " *proceditur ad torturam, ut per eam defectus probationis suppleatur, & prosequi posset usque ad causæ conclusionem. Attamen tali tortura, neque contra nobiles, ut ajunt leg. 61. tit. 4. 4. & 13. tit. 7. lib. 2. & Remiss. 1. tit. 2. lib. 6. Recopil. aut alios aliqua præeminenti qualitate suffultos, ut traditur in leg. 2. tit. 30. Part. 7. per verba:* » A ninguno » que sea menor de catorce años, nin à cavallero, nin à Maes» tro de leyes, ò de otro saber, nin à ome que fuere Conseje» ro señaladamente del Rey, ò del Comun de alguna Ciudad, » ò Villa del Rey, nin à los hijos de estos sobredichos, nin à » muger que fuere preñada: « *neque ultimò contra illos, qui in L. ultima, tit. 30. Part. 7. numerantur (certis gravissimis criminibus exceptis) tortura uti non potest.*

(a) *Id observatur in Tribunalibus Gallicanæ Ecclesiæ, ut docet Auctor novorum Collectaneorum Cleri Gallicani* tom. 7. col. 1267. *quod Hispanæ Praxi consonum est.*

Unde Hincmarus in Opusculo *de Divortio Lotharii*: » Sed in » aquæ frigidæ judicio hoc constare videtur, quòd *innoxii sub-* » *mergantur*, aqua *culpabiles supernatant*. « Et rursus dans rationem, cur immergendus fune ligaretur, ait: „ Colligatur „ autem fune, qui examinandus in aquam dimittitur.... scilicet „ ne, aut aliquam possit fraudem in judicio facere, aut si aqua „ illum velut *innoxium receperit*, ne in aqua periclitetur, ad „ tempus valeat retrahi."

VI. Ritus hujus vulgaris probationis hoc ferè modo peragebatur: Primo homines mittendi ad comprobationem judicii *aquæ*, peracto priùs trium dierum jejunio adducebantur in Ecclesiam; ibique super eos in oratione prostratos Presbyter dicebat aliquas orationes, quibus Deum deprecabatur, ut veniam poscentibus indulgere dignaretur, & ab eis iram suæ indignationis avertere.

VII. His orationibus completis, surgebat Presbyter unà cum hominibus illis, & coram ipsis Missam canebat. Vocabatur autem *Missa judicii*; eratque specialiter in hunc finem composita.

VII. Ipsæ orationes speciatim dirigebantur, ut per hanc probationem Deus manifestare veritatem dignaretur. Prima Collecta hæc erat: „ Absolve quæsumus, Domine, tuorum „ delicta famulorum, ut à peccatorum suorum noxibus, quæ „ pro sua fragilitate contraxerunt, tuâ benignitate liberentur, „ & in hoc judicio, prout meruerunt, tua justitia prævenien- „ te ad *veritatis* censuram pervenire mereantur."

In præfatione inter alia dicebatur: „ Supplices exoramus, „ ut famulos tuos illos non de præteritis judices reatibus, sed „ hujus *culpæ veritatem* spectantibus insinues, quatenus & in » hoc populus tuus præconia nominis tui efferat, & te vitæ præ- » sentis & perpetuæ auctorem agnoscat. «

Benedictio ad *judicium* continebat inter cætera: » Fac in » conspectu populi tui, ut nullis malorum præstigiis *veritatis* » tuæ fuscentur examina. « Et in oratione post communio- » nem: » Et in famulis tuis *veritatis sententiam* declaret. «

IX. Dum in Missa præventum erat ad Communionem, antequam communicarent, interrogabat eos Sacerdos cum adjuratione dicens: » Adjuro vos illum, & illum per Patrem, & Fi- » lium, & Spiritum Sanctum, & per vestram Christianitatem, » quam suscepistis, & per Unigenitum Dei Filium, & per is- » tas sanctas reliquias, quæ in ista Ecclesia sunt, & per istud » Baptismum, quo vos Sacerdos regeneravit, ut non præsu- » matis ullo modo communicare, neque accedere ad Altare, » si hoc fecistis, aut consensistis, aut scitis quis hoc egerit. «

X. Si omnes tacerent, porrigebat singulis in aquam mittendis Sacram Communionem, dicens: » Corpus hoc, & Sanguis » Domini nostri Jesu Christi sit tibi ad *probationem hodie*. «

XI. Missâ expletâ faciebat Sacerdos aquam benedictam, pergebatque ad locum, ubi homines probabantur, dabatque iis bibere de aqua, dicebatque singulis: *Hæc aqua fiat tibi ad probationem.*

XII. Post hæc fiebat conjuratio aquæ. Hæc conjuratio, licèt non eadem formâ ubique exprimeretur, tamen ubique ad idem tendebat; hocque unum à Deo petebatur, » ut virtutem » suæ benedictionis his aquis infundere, & novum ac mirabile » signum in eis ostendere dignetur, ut innocentes à crimine » furti, vel adulterii, aut alterius nævi, cujus examinationem » agimus, more aquæ in se recipiant, & in profundum pertra- » hant; conscios autem hujus criminis à se repellant, atque re- » jiciant, nec patiantur recipere corpus, quod ab onere bonita- » tis evacuatum ventus iniquitatis alleviavit, & inane constituit; » sed quod caret pondere virtutis, careat pondere propriæ subs- » tantiæ in aquis. «

Hæc licèt non iisdem verbis, eodem nihilominùs sensu in aliis adjurationis formulis exprimuntur; evincuntque signum innocentiæ fuisse, si immersi ad ima descenderent; nocentiæ verò si supernatârent.

XIII. Post conjurationem aquæ, exuebantur homines immergendi in aquam propriis vestimentis, & osculabantur singuli evangelium, & Crucem Christi, & aqua benedicta super omne aspergebatur; & qui aderant, omnes jejunare debebant; & sic projiciebantur singuli in aquam; & si submergebantur, inculpabiles reputabantur: si supernatarent, rei esse judicabantur.

XIV. Hos ritus unà cum exorcismis, necnon Missâ his correspondente exhibuit Stephanus Baluzius Tomo 2. Capitularium Regum Francorum inter veteres formulas Exorcismorum *capit.* 2. Similiter ritum, & exorcismos exhibet Delrio, Disquis. Magicar. *lib.* 4. *cap.* 4. *quæst.* 4. *sect.* 4.

XV. Ritum hujus purgationis refert quoque Joannes Mabillonius *pag.* 47. tomo 1. Analectorum sub hoc titulo: *Probationes per aquam frigidam ab Eugenio Papa II. institutæ.* Dein subjungit: *Conjurationem hominis*; item *orationem ad aquam benedictam.*

Post hæc dicitur: » Hoc autem judicium creavit Omnipotens Deus, & verum est, & per Dominum Eugenium Apos- » tolicum inventum est, ut omnes Episcopi, Abbates, Comi- » tes, seu omnes Christiani per universum orbem eum obser- » vare studeant, qui à multis probatum est, & verum inven- » tum est. Ideo enim ab illis inventum est, & institutum, ut » nulli liceat super Sanctum Altare manum ponere; neque su- » per Reliquias, vel Sanctorum Corpora jurare. «

Annotat autem ibidem Mabillonius, sed hæc sumpsisse ex Remigianis pervetustis membranis seculo IX. exaratis.

XVI. Natalis Alexander tomo 14. Histor. Ecclesiast. *capit.* 1. *art.* 4. (b) agens de Eugenio II. vix sibi persuadere potest, id judicium ab Eugenio Papa inventum, & ab omnibus Christianis observari jussum. Id enim instituisse dicitur Eugenius; ut *nulli liceret super Sanctum Altare manum ponere, neque super Reliquias, vel Sanctorum Corpora jurare.* Incredibile est (ait Natalis Alexander) prudentissimum Pontificem, ut morem jurandi super Altare, & Reliquas Sanctorum in Ecclesia ab antiquo receptum abrogaret, ritum invexisse, quo Deus tentaretur, miraculum ab ipso postulando absque necessitate; nimirùm, *ut si culpabilis est hic homo, nullatenùs recipiatur ab aqua.*

Ad hæc » an credibile est (ait Natalis Alexander) Euge- » nium II. vetuisse juramentum super Altare, vel Reliquias » Martyrum, propter periculum perjurii; & jussisse, ut homi- » nibus de homicidio, aut furto suspectis Corpus Christi dare- » tur ad probationem; qua in re periculum evidens erat sa- » crilegii. «

XVII. Negari non potest, quin hæc meritò suspectam faciant *aquæ frigidæ*, quæ Eugenio adscribitur, probationem; licèt teste Mabillonio non tantùm in membranis Remigianis hæc Eugenio II. adscribatur; sed insuper extet vetus collectio Canonum in Monasterio Sancti Mariani apud Antisiodorum adservata, in qua forma judicii per aquam frigidam refertur cum hoc titulo: » Hoc judicium, atque examinationem misit *Domi-* » *nus Apostolicus* in Franciam, ut non violarentur Sacra Altaria » Sanctorum, sed per hanc adjurationem, & judicium aquæ fri- » gidæ possit patescere veritas. «

Præterea Du Cange in suo Glossario verbo *Aquæ judicium*, ubi plura ad hoc judicium spectantia retulit, inter alia dicit, quòd Ordo ad hoc examen habeatur in codice Ms. S. Laurentii propè Leodium cum hoc Procœmio: » Examen aquæ frigidæ. » Quando Romani propter invidiam tulerunt Domino Leoni » Papæ oculos, & linguam propter thesaurum S. Petri, tunc » venit ad Imperatorem Carolum, ut eum adjuvaret de suis » inimicis. Tunc Imperator reduxit eum Romam, & restituit » eum in locum suum, & thesaurum supradictum non potuit » invenire nisi per istud judicium. Quod judicium fecerunt Bea- » tus Eugenius, & Leo, & Imperator, ut Episcopi, & Abba- » tes, & Comites firmiter teneant, & credant, quia probatum » habuerunt illi Sancti Viri, qui illud invenerunt."

XVIII. Hoc & non obscurè supponit, ritum hunc ab Eugenio probatum, & in Franciam missum fuisse. Quidquid sit, hoc satis constat, ritum hunc multis seculis tum in Francia, tum alibi multum familiarem fuisse, uti & alias purgationes vulgares, uti infra ostendetur, ubi priùs de duabus aliis purgationis speciebus pauca notaverimus.

XIX. Aquæ *ferventis* judicium, seu examen erat quo quis de crimine suspectus, ut se purgaret, manum in aquam ferventem nudato brachio immittebat, atque si illæsam extraheret, innocens; si contrà, Reus pronuntiabatur.

Hoc judicium eodem penè ritu peragebatur quo præcedens: uti patet ex Ordine peragendi, & exorcismis & orationibus solitis, quas exhibet Delrio loco citato; & plura apud Du Cange in suo Glossario, verbo: *Aquæ ferventis judicium*: notatque, quòd lapis in cacabum demergeretur, quem Reus extraheret, immissâ in aquam ferventem manu, vel brachio.

XX. Notandum autem, quòd manus extracta, „ cum mag- „ na diligentia sic fieret involuta sub sigillo judicis signata usque „ in die tertio, quo visa sit viris idoneis, & æstimata." Ita habetur in ordine hujus judicii apud Delrio, creditque hunc ritum eò referendum; „ quia si præstigio aliquo manus læsa, „ vel illæsa esset, interea, evanescente præstigio, Rei veritatem „ apparituram credebant."

XXI. Probatio per ferrum *candens* vel *ignitum*, seu judicium *ferri candentis* erat, quo suspectus de crimine ad innocentiæ probationem, nudâ manu ferrum *candens* tangebat; quam si illæsam retraheret, innocens; si adustam, nocens judicabatur.

Hoc judicium eodem rursus ritu peragebatur, quo judicium aquæ *ferventis*; imò & eadem adjuratione benedicebantur ferrum candens ad probationem, & aqua *fervens*; uti videre est in formulis adjurationis relatis per Stephanum Baluzium tom. 2. Capitularium inter veteres formulas exorcismorum *cap.* 4.

XXII. Ritus hujus judicii describitur in legibus Ecclesiasticis Æthestani Regis Angliæ *cap.* 7. & 8. extatque *tom.* 9. Concihujus operis extitit.

(b) *Citatur istius Historiæ editio in* 4. *vel in* 8. *quæ prima Van Espen Jur. Eccles. Pars III. Tom. II.*

ciliorum general. *col.* 585. vultque expressè, ut dum probatio peragitur, » non sit illic alia locutio, quàm ut precentur sedu- » lò Deum Patrem Omnipotentem ut veritatem suam in eo ma- » nifestare dignetur : & bibat accusatus aquam benedictam, & » inde conspergatur manus ejus, qua *judicium* portare debet, id » est, *ferrum candens.* «

XXIII. Probationem hanc sat frequentem in Hispania fuisse seculo XII. eamque injunctam, quia homines præsertim plebei nihil faciebant perjuria, probat charta Sancii Regis Arragoniæ relata apud Du Cange in Glossario, verbo *Ferrum candens.* » Mando & judico (ait) ut si aliquis homo rusticorum vo- » luerit extrahere de Monasterio illo terram, aut vineam, aut » aliquam hæreditatem, veniat ad S. Joann. & juret super illud » altare : postquam juraverit, accipiat *ferrum calidum judicia-* » *le*, sicut mei Villani faciunt, & omnis terra... Et proinde » pono, & mando hoc judicium, quia multi sunt inflati spiritu » maligno, quia non timent perjurium de jure, & ideò quod » juraverit, salvum fuerat per ferrum. « (c)

Plura de hoc judicio *ferri candentis* videri possunt apud Delrio *lib.* 4. *Disquisit. Magic. cap.* 4. *sect.* 3. & Du Cange in Glossario verbo *Ferrum candens.*

XXIV. Ex ipsis precibus & exorcismis facilè est colligere, quòd tunc temporis crederetur, & persuasum esset, quòd ad preces, & exorcismos illos publicè recitatos, necnon jejunia, quæ jungebantur, Deus per miraculum ostenderet innocentiam hominis accusati in aquam immissi, aut ferrum candens tangentis ; non secùs ac olim ad preces Sanctorum similia miracula ostenderat, maximè si aliter veritas haberi non posset.

XXV. Neque enim hæ probationes adhibendæ erant, nisi ubi veritas haberi aliter non posset, quemadmodum in Jure Feudali Saxonum *cap.* 24. *art.* 19. legitur: » Aqua vel ferro non » licet in causa aliqua experiri, nisi in qua modis aliis non po- » terit veritas indagari. « Et quia totus effectus hujus judicii expectabatur à speciali Dei bonitate, & omnipotentia, dici solebant *judicia Dei* ; quasi Deus hîc de innocentia, vel nocentia Accusati judicium ferre deberet.

XXVI. Insuper & illud constat, quòd licèt longè, lateque horum judiciorum usus esset diffusus, à multis probatus, & etiam publicis Legibus & Ritibus firmatus, nihilominus non defuerint, qui usum hunc non probarent.

Et quidem in Capitulari Ludovici Pii anni 829. *cap.* 12. legitur : » Ut examen aquæ *frigidæ*, quod hactenus faciebant, » à Missis nostris omnibus interdicatur, nec ulteriùs fiat. « Extat illud Decretum *Additione* 4. ad Capitularia Regum Francorum *cap.* 113. & *lib.* 2. *Legum Longobard. tit.* 55. *cap.* 32. Similiter Hildegarium Meldorum Episcopum de hoc ritu circa idem tempus dubitâsse, probat Epistola Hincmari Remensis ad eundem scripta, quâ ipse Hincmarus hoc judicium multis argumentis nititur probare, & scrupulos Hildegario eximere.

XXVII. Unde ex hac Epistola Hincmari, aliisque posterioribus monumentis, & Auctoribus, & hoc fatendum est, Decretum Ludovici Pii non fuisse totaliter, nec ubique etiam per Galliam receptum, vel observatum ; quod & probat Synodus Nannetensis, celebrata anno 895. nam *cap.* 22. judicium ferri *candentis* probatur : quin & in Concilio Helenensi anno 1065. habito ab Archiepiscopo Turonensi, & aliis Episcopis, mandatur fieri *judicium aquæ frigidæ.*

XXVIII. Refert Meyrus in Annalibus Flandriæ, ad annum 1164. quòd eo anno Philippus Comes Flandriæ novas Leges dederit Neoportuensibus: » quibus ex Legibus intelligere » licet (ait Meyrus) Flandros adhuc ea tempestate candentis la- » minæ usos fuisse Judicio. Verba etenim Legis hæc sunt : *Si* » *quis vulnus in nocte acceptum alii imputaverit, si Scabinis dig-* » *num videtur*, FERRO CANDENTI *se excusabit accusatus, si* » *aufugerit, manum perdet.* Item in alio capite : *Si fur voca-* » *tus accusatus fuerit, ferro candenti se excusabit : si culpa-* » *bilis permanserit, suspendetur, & si accusans in ante jura-* » *mento defecerit, accusatus liber erit.* «

Scribit quoque Damhouderus in *Praxi Rerum Crim. cap.* 43. » Gandensibus Civibus à Comite Flandriæ indultum privilegio » fuisse, sese purgare *aquâ frigidâ* : quod sanè interpretandum » est (ait Damhouderus) de aqua frigida, & adhibitis consuetis » funibus. «

In charta Baldumi Flandriæ, & Hannoniæ Comitis, qua Gerardimontensis oppidi Leges, & Privilegia à Prædecesoribus suis concessa firmat, ac stabilit circa finem seculi XI. conceditur inter alia, ut *nemo cogatur subire judicium ignis, & aquæ*, nimirum aquæ *ferventis*, quod cum judicio *ignis* conferri solebat. Extat hæc charta apud Miræum inter Diplomata Belgica *cap.* 60.

XXIX. Gratianus *Caus.* 2. *quæst.* 5. *Can.* 7. sub nomine S. Gregorii ad Brunichildam Reginam Francorum retulit hæc: » Vulgarem denique, ac nulla Canonica Sanctione fultam Le- » gem, ferventis scilicet, sive frigidæ aquæ, ignitique ferri con- » tractum, aut cujuslibet popularis inventionis (quia fabricante » hæc sunt omninò ficta invidiâ) nec ipsum exhibere, nec ali- » quo modo volumus te postulare, imò Apostolicâ auctoritate » prohibemus firmissimè.«

XXX. Verùm ut rectè advertit Delrio *citatâ Sectione* 3. hoc adscribere Gregorio, » facinus hoc Gratiani est, vel inscitia » Scriptorum. Nihil tale Gregorius rescripsit. Lege totam il- » lam Epistolam ad Brunichildam Reginam Franciæ, quæ su- » perest, videbis purpureæ clamidi assutum, flamineum limbum; » quem nec S. Ivo Carnotensis agnovit, nec antiquior Gratiano » quod sciam.«

Eundem errorem notavit Antonius Augustinus *lib.* 2. *de Emendat. Gratiani*, *Dial.* 12. observans, ea verba sumpta esse ex Epistola Alexandri Minoris, id est, II. prout etiam annotârunt Correctores Romani ad citatum Canonem.

XXXI. Profert ibidem Gratianus *Can. XX.* sub nomine Stephani V. Humberto Episcopo Moguntino : » Ferri candentis, vel aquæ ferventis examinatione confessionem extorquere » à quolibet Sacri non censent Canones : & quod Sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosâ adinventione non est præsumendum. Spontaneâ enim confessione, vel » testium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei » timore, commissa sunt regimini nostro judicare. Occulta verò, & ignota illi sunt relinquenda, qui solus novit corda filiorum hominum.«

XXXII. At inter Epistolas Stephani V. qui sedit seculo IX. nulla reperitur Epistola Episcopo Moguntino inscripta, nec alia, cui hoc Decretum sit insertum. Ut proinde & hoc Decretum admodum suspectæ fidei videatur : præsertim quòd si hujusmodi Responsum Pontificis eo tempore emanâsset, illud vulgaribus hisce purgationibus, quæ eo tempore maximè frequentabantur, indubiè oppositum fuisset, quod tamen non legitur.

XXXIII. Quidquid sit illud haud dubium est, quin hisce auctoritatibus à Gratiano sub nomine illorum Pontificum relatis usi sunt sequentes Pontifices, qui post tempora Gratiani usum harum purgationum improbârunt.

Et quidem Alexander III. *Epist.* 19. ad Upsalensem Archiepiscopum, postquam dixit ; „ Ferventis verò aquæ, vel can- » dentis ferri judicium Catholica Ecclesia contra quemlibet etiam » nedum contra Episcopum non admittit ; « immediatè subjungit : » Unde Stephanus Papa V. ferri candentis, inquit, vel » aquæ ferventis examinationem, &c. prout suprà, ex Gratiano » relata sunt. «

XXXIV. Sequentes Pontifices eundem usum tanquam superstitiosum, & ad Dei tentationem spectantem reprobârunt: judicatque Innocentius III. in *Cap.* 10. ✠ *de Excessibus Prælat.* Episcopum, qui judicio *ferri candentis* auctoritatem præstitit, indignum Altaris ministerio.

XXXV. Dein Honorius III. in *Cap.* 3. ✠ *de Purgatione, vulgari*, scribit, compellendos esse Fratres Templarios, ut à probatione *ferri candentis* desistant : » cùm hujusmodi judicium » (ait) sit penitùs interdictum, ut pote in quo *Deus tentari* vi- » detur. «

Hîc quoque patet, quòd Honorius illud non prohibeat ; sed prohibitum supponat : apparetque aliunde satis certum, quòd purgationes illæ vulgares eâ ætate planè vetitæ ac illicitæ supponerentur, & sacris Canonibus contrariæ.

XXXVI. Hînc cùm apud Gratianum *Caus.* 2. *q.* 5. *Can.* 15. uti & in prima collectione Decretalium apud Antonium Augustinum in *Cap.* 1. *de Purgat. vulgari*, sub nomine Concilii Triburiensis legeretur: » Nobilis homo, vel ingenuus, si in Syno- » do accusatur, & negaverit, si eum constiterit fidelem esse » cum 12. ingenuis se expurget. Si autem deprehensus fuerit in » furto, aut perjurio, aut falso testimonio, ad juramentum non » admittatur, sed sicut, qui ingenus non est, *ferventi aqua*, » *aut candenti ferro* se expurget. « Raymundus Decretalium Gregorii IX. Compilator hoc Decretum referens *in Cap.* 1. ✠ *de Purgat. Canon.* hæc verba : *Ferventi aquâ, aut candenti ferro* omisit tanquam disciplinæ sui temporis contraria, & faventia purgationibus vulgaribus, quas Sacris Canonibus contrarias non dubitabat.

XXXVII. Sed sicut vulgares superstitiones, cùm semel radices egerunt, difficulter eradicantur difficillimeque à superstitiosis observationibus populus abducitur; ita & hîc contigit. Nam de suo tempore asserit Delrio loco citato *Sect.* 4. quòd » in » multis locis Germaniæ, maximè Westphaliæ circulo, uteren- » tur hac probâ *aquæ frigidæ* in maleficis indagandis ; quas enim » famâ, vel aliarum depositione suspectas habent, eas (ait) sta- » tim absque ulteriore inquisitione capiunt, captasque extra ur- » bem deducunt, & in aquam frigidam ita conjiciunt, ut dex- » tra manus sinistro pedi, sinistra verò dextro pedi sit alligata ; » & si supernatant, veneficas vehementiùs suspicantur, & id- » circo

(c) *Initio XI. seculi in Germania examen innocentiæ factum fuisse incedendo super carbones ignitos, refert P. Barre in sua Allemanniæ historia.* Tit. 3. pag. 613. edit. Paris. 1748.

» circò duriori subjiciunt quæstioni: sin submergantur, inno-» centes esse credunt. «

Similiter Zypæus in notitia Juris Belgici *tit. de Purgatione Canonica*, asserit, quòd » indocti quidam de facto adhuc nuper » usi sint proba aquæ frigidæ, in eam injectis iis, qui de magia » accusabantur: quæ si immergerentur, insontes; si supernata-» rent, reæ redebantur: improbato jure (ait) & more. «

XXXVIII. Dicit autem ibidem Delrio, quòd judices hâc probâ uterentur » sine ulla Dei invocatione, sine ullo ritu pie-» tatis aliquid præferente. « Quod contigisse credo, quòd nulli Sacerdotes benedictionem aquæ ad hanc probationem, aliosque ritus impendere vellent ob Decretum Concili Lateranensis sub Innocentio III. in *Cap.* 9. ⁂ *Ne Clerici vel Monachi secularibus negot.* quo statutum est, nec ullus » Subdiaconus, Diaco-» nus, vel Sacerdos purgationi aquæ ferventis, vel frigidæ, seu » ferri candentis ritum cujuslibet benedictionis, aut consecra-» tionis impendat. «

XXXIX. Interim & hanc probam ut superstitiosam, & illicitam multis refellit ibidem Delrio *quæst.* 5. atque hodie uno consensu reprobantur, & exulant hîc à judicis hujusmodi vulgares probationes; uti testantur Damhouderus in *Praxi rerum crim. cap.* 43. Zypæus loco mox citato, aliique passim Pragmatici.

XL. Potest nihilominus ex his omnibus concludi, quàm fallax sit argumentum ex praxi multorum in Ecclesia etiam publicis aliquorum legibus probatâ, & ritibus publicis exornatâ petitum. Cùm hîc similem videamus pluribus seculis usitatam, tandem ut superstitiosam, & Dei tentativam improbatam.

XLI. Præter has vulgares probationes, fuit jam pridem alia usitatissima, quâ infamati, præsertim Ecclesiastici, de crimine, sese expurgare jubebantur. » In priscis enim Ecclesiæ Catholi-» cæ temporibus tanta erat Partibus honestatis cura, ut nedum » in Clericis aperta crimina non tolerarent, sed neque suspicio-» nem seu infamiam criminis sustinere vellent, « ait Ignatius Łopez in sua *Praxi Can. crim. cap.* 148. » atque ideò (ait) con-» tra quos de crimine, infamia, aut grave scandalum, seu ve-» hemens suspicio surgebat, purgationem Canonicam indicen-» dam decreverunt. «

XLII. Hæc autem purgatio plerunque fieri solebat præstito juramento de innocentia, tactis sacrosanctis Evangelis, vel Sanctorum Reliquiis.

Apud S. Gregorium *lib.* 2. *indict.* 10. *epist.* 23. legitur, quòd cùm de quodam Episcopo *sinister rumor* spargeretur, & factâ districta inquisitione de iis, quæ sparsa fuerant, nullam in eo de iis culpam invenisset: » Sed ne quid videretur omissum » (ait) quod nostro potuisset dubium cordi remanere, ad Bea-» ti Petri Sacratissimum Corpus districta eum ex abundanti feci-» mus Sacramenta præbere. « Integer textus Gregorii extat apud Gratianum *Caus.* 2. *quæst.* 3. *Can.* 6.

Rursus *lib.* 6. *epist.* 18. Sanctus Gregorius cuidam Diacono scribit, quòd sibi de ipso aliqua fuissent nuntiata, quæ officii ipsius propositum non leviter macularent: ac propterea curæ sibi fuisset, ea diu ac subtili investigatione perquirere; ac dein subjungit, » & quoniam nil, quod tibi noceret invenimus, ne » qua de his, quæ dicta fuerant, suspico remaneret, ad ple-» nissimam te satisfactionem, si ab eis insons extiteris, ad sacra-» tissimum corpus Beati Petri Apostolorum Principis districta » fecimus Sacramenta præbere. «

Pluribus aliis locis de hac purgationis specie agit S. Gregorius; atque signanter *lib.* 7. *ind.* 2. *epist.* 80. committit causam cujusdam Maximi Episcopo Revennæ, cum hac clausula: » Si » idem Maximus coram vobis & Chartulario nostro de simonia-» ca hæresi præstito se *Sacramento* purgaverit, atque de aliis » ante corpus S. Apollinaris, sicut scripsimus, tantummodò re-» quisitus liberum se esse responderit. «

XLIII. Cùm autem infamatus de crimine in purgatione per Sacramentum, sive jusjurandum constituatur quasi judex in propria causa; ideoque purgatio hæc videretur exigui ponderis ad probandam innocentiam infamati; præsertim quòd qui aliis enormibus criminibus se inquinare ausi sunt, haud difficulter his perjurium ad evadendas pœnas essent adjecturi; ideò & Veteribus jam pridem placuit, ut non solus infamatus suam innocentiam interposito Sacramento, sive jurejurando assereret; atque hoc modo se à criminis infamia, vel suspicione purgaret; sed exigebantur illa Sacramenta ab infamatis *cum tribus, aut quinque, aut septem Collegis sui ordinis*, aut loquitur Ivo Carnotensis *epistola* 54. & 206.

XLIV. Sub nomine Synodi Agathensis refert Gratianus *Causa* 2. *q.* 5. *Can.* 12. & in *Cap.* 2. ⁂ *de Purgat. Canon.* » Si » Accusatores legitimi non fuerint, qui ejus (Presbyteri) crimi-» na manifestis indiciis probare contenderint, & ipse negaverit, » tunc ipse cum *sociis septem* ejusdem Ordinis (si valet) à cri-» mine seipum expurget. Diaconus verò, si eodem crimine ac-» cusatus fuerit, cum *tribus* se expurget. «

XLV. Si satis constaret, Decretum hoc esse Synodi Agathensis, quæ habita est anno 506. dubitari non posset de antiquitate hujus ritus; sed cum inter vulgatos Canones hujus Synodi Decretum hoc non reperiatur; atque in Collectione Conciliorum rejiciatur ad calcem Synodi extra numerum Canonum, nihil certi pro antiquitate hujus ritus hinc statui potest.

XLVI. Indubitatum nihilominus est, ritum hunc purgationis esse antiquum; ejusque tanquam jam usitati sæpiùs meminit Gregorius Turonensis, ac signanter *lib.* 8. *Hist. Francorum, cap.* 9. & 40. & in Capitularibus Regum Francorum frequens occurrit mentio hujus purgationis; atque signanter *lib.* 3. *c.* 9. statuitur, ut accusati de conspiratione, si liberi homines fuerint *jurent cum* IDONEIS JURATORIBUS *hoc pro malo non fecisse.* Et in lege Salica *tit.* 50. CONJURATORES dicuntur. Et *lib.* 5. *Capitular. cap.* 52. & 62. SACRAMENTALES, in verbis; » Quod si ne-» gare voluerit, cum *duodecim Sacramentalibus* juret. « Et alio loco *Juret cum suis* SACRAMENTALIBUS.

XLVII. Debebant ergo una cum infamato alii testes *jurare.* Cùm autem constet, manum semper fuisse symbolum fidei; atque idcirco in judiciis, & contractibus, ubi fides addicitur, manus porrigi, in signum fidei, solitum quoque fuit: uti & hodie, porrectis manibus juratur; indeque nihil frequentius in antiquis legibus, quàm *manu quinta, manu sexta, septima, vel duodecima* se purgare; id est, quinque, sex, septem, vel duodecim adhibitis juratoribus.

Hoc sensu accipitur *Cap.* 8. ⁂ *de Purgat. Can.* ubi mandat Pontifex cuidam Episcopo » quatenus si accusatores ido-» nei non apparuerint; ut cum *septima*, aut *quinta manu* sui » Ordinis (sicut expedire cognoveris) per purgationem Cano-» nicam innocentiam suam ostendat, ipsi injungas. « Et in *cap.* 5. » ⁂ *eod.* injungitur cuidam Episcopo, quòd, *tertia manu* sui » Ordinis, & *quarta* Abbatum, & Religiosorum Sacerdotum, » de simonia debeat se purgare. «

XLVIII. Et in *cap.* 10. ⁂ *eod.* Innocentius III. scribit Senonensi Archiepiscopo: » Atendentes autem vulgatam infamiam » grave scandalum, & vehementem suspicionem ex testium dic-» tis obortam, quæ contra Decanum facere videbantur, quum » propter eorum quodlibet ei esset purgatio indicenda, & ser-» vantes justitiam, & mollientes rigorem, purgationem ei *quar-» tæ decimæ manus* sui Ordinis duximus indicendam. «

Ex his Decretalibus uno consensu concludunt Canonistæ, numerum compurgatorum, sive conjuratorum, non esse præcisè in jure determinatum; sed judicem secundum qualitatem delicti, vehementiam infamiæ, & conditionem personæ, majorem, vel minorem numerum requirere debere; quemadmodùm etiam jam pridem scripsit Ivo Carnotensis *epist.* 206. „ Posuerunt au-„ tem in discretione Episcoporum, ut secundum quod audiunt „ malam famam Presbyterorum crebrescere, & ingravescere, „ exigant purgatoria Sacramenta à Presbyteris infamatis, cum „ tribus, aut quinque aut septem collegis. "

XLIX. Hi compurgatores non debent jurare, quemadmodum ipse infamatus de veritate, sed » id solum tenentur jura-» mento firmare, quod veritatem credunt eum dicere, qui pur-» gatur; uti scribit Innocentius III. in *cap.* 13. ⁂ *eod.* vel ut „ quòd idem Pontifex exprimit in *cap. fin. eod. credunt eum* » *verum jurâsse.* «

L. Hunc tenorem purgationis exprimens Pontifex in *cap.* 5. ⁂ *eod.* ait: „ Porrò purgationis tenor erit hujusmodi: Episcopus (infamatus de Simonia) jurabit primùm super Sancta Dei „ Evangelia, quòd pro Ecclesia Sancti Petri Presbytero P. „ danda, nec ipse per se, nec per submissam personam, nec „ aliquis pro eo se sciente pretium recepit: deinde purgato-„ res supra Sancta Dei Evangelia jurabunt, quòd ipsi credunt „ eum verum jurâsse. "

LI. Ut autem compurgatores hujusmodi testimonium de infamato reddere queant, debet ipsis vita, & conversatio infamati apprimè esse nota; ut ex illa fundatam conjecturam concipiant, ipsum revera crimen, de quo infamatur, non commississe; ac proinde revera credere „ ipsum *verum* jurâsse, » quemadmodum expressit Pontifex in *cap.* 7. ⁂ *eod.* dicens: » ut autem idonei appareant, necesse est, ut ejus, quem pur-» gare debent, vitam, & conversationem agnoscant. « Et in *cap.* 10. ⁂ *eod.* vult Inocentius III. „ ut compurgatores sint, „ qui conversationem, & vitam ipsius non tam moderno tem-„ pore noverint, quàm transacto: " si nimirum crimen, de quo infamatur, dicatur *transacto* tempore commissum, uti exponit Panormitanus.

LII. Ulteriùs, ut comprobatorum testimonium fidem addat juramento, & assertioni informati, requiritur, ut hi sint *illius honestatis, & opinionis, ut verisimile sit, eos nolle amore vel odio seu obtentu pecuniæ pejerare*; uti loquitur Pontifex in *cap.* 7. ⁂ *eod.* sive ut sint *fide Catholici, & vitâ probati*; quemadmodum dicitur in *cap.* 10. ⁂ *eod.*

LII. Hanc purgationem etiam in Curiis secularibus olim in Belgio notam fuisse, probant antiquæ tabulæ Legum Brabantiæ, quas anno 1312. dedit Joannes II. Dux Brabantiæ, quemadmodum notat Zypæus in *Jure novo de Purgat. Canon. num.* 1.

LIV. In Concordatis inter Episcopum Cameracensem, & Consiliarios Hannoniæ anno 1441. *art.* 25. conventum est, quod

„ quòd in casu vehementis suspicionis, aut notoriæ infamatio„ nis, unde oriri posset grave scandalum, Officialis poterit „ etiam contra laicum purgationem more consueto indicere.“ Habetur hoc Concordatum *part.* 1. Edict. *Brab. lib.* 1. *tit.* 1. *c.* 3.

LV. Usus hujus purgationis in Curiis Ecclesiasticis etiamnum superest; in secularibus vis apparet; quanquam Damhouderus in *Praxi Rerum Crim. cap.* 44. dicat, quòd ad imitationem Curiarum Ecclesiasticarum, subinde etiam in tribunalia Secularia seu prophana in Flandria, nec non aliis in locis hac forma purgationis utantur.

LVI. Quin & teste Zypæo loco citato, etiam in Curiis Ecclesiasticis *rarior* ejus est usus. Testatur quoque Ignatius Lopez in annotatione ad *cap.* 148. *Pract. Can. Crimin.* Bernardi Diaz, „ quòd non facilè per Judices Ecclesiasticos Canonica „ purgatio incidenda sit, cùm fragilis fallax, & incerta sit; eò „ quòd ab hominum judicio dependeat. Quod in causis fidei Ma„ driliana instructione *cap.* 17. his verbis definitum est. Ob ma„ litiam humanam purgatio Canonica, periculosissimum est re„ medium, præsertim his temporibus. Idcoque non multùm est „ in usu, quare utendum raro, & cum magna causa.“

LVII. Illud quoque certum, purgationem hanc non esse indicendam, nisi ubi dubium est, num infamatus revera crimen commiserit, & viâ ordinariâ veritas detegi nequit, quemadmodum in relatis Epistolis S. Gregorii manifestum est, & sæpiùs Pontifices responderunt, ac signanter in *Cap.* 3. & 15. *X de Purgat. can.* atque uno consensu tradunt Canonistæ, dicentes, purgationem hanc esse remedium *subsidiarum* indagandæ veritatis, deficientibus aliis remediis.

LVIII. Quin & Judices meritò in indicenda hac purgatio, ne circumspecti esse debent, ne eam faciliùs indicendo sacrilegii, & perjurii participes efficiantur. Etenim cùm homines qui magnorum criminum sunt rei, ausi fuerint propter utilitatem, aut voluntatem, quas in criminibus quæsiverunt, graviter impingere in legem æternam ejusmodi crimina prohibentem, magnopere timendum est, ne ut supplicium, & infamiam, quæ ob crimina commissa imminent, evadant, pejerare audeant. Facilè est hinc videre, quàm sæpè sacrilegum sit ab ejusmodi criminosis expetere, ut juramento se purgent; cùm si non certum sit, saltem admodum verisimile, quòd pejerabunt, si crimen revera commiserint. Temerarium proinde est credere, quòd tale crimen non commiserint, quia jurant se non commisisse. (d)

TITULUS IX.

De Sententiis earumque Executione.

CAPUT I.

De Sententia definitiva, Interlocutoria, et Provinciali.

1 *Quid sententia; & quid res judicata.*
2 *Senteutia alia* definitiva, *alia* interlocutoria.
3 *Describitur sententia* definitiva, *& quare hæc sola propriè dicatur sententia.*
4 *Quid sententia* interlocutoria.
5 *Exempla aliqua utriusque sententia.*
6 *Senteutia iuterlocutoria est duplex.*
7 *Exponitur, quando sit interlocutoria habent* vim definitivæ.
8 *De hac interlocutoria loquitur Synodus Trident.* sess. 24. cap. 20. de Reformat.
9 *Expressit Synodus præcipuum indicium, è quo dignoscitur, an habeat vim definitivæ.*
10 *Plura exempla hujus sententiæ exhibentur.*
11 *Sententia super pleno possessorio in materia beneficiali est definitiva.*
12 *Recredentialis autem est merè interloctuoria.*
13 *Sententia* provisionalis *solet esset tantùm simpliciter interlocutoria.*
14 *Quid sit sententia provisionalis, & cur ejus usus inductus, & cur dici nequeat definitiva.*
15 *Solet provisio decerni, ubi est periculum diminutionis cultûs divini.*
16 *In causa alimentorum frequenter est locus sententiæ provisionali.*
17 *Provisio hæc facienda filio, sive in prima, sive in secunda instantia.*
18 *Potest peti in qualibet parte litis.*
19 *Debet tamen actor probare filiationem, seu aliam qualitatem, aut saltem, quasi possessionem.*
20 *Provisio in causa portionis congruæ eidem fundamento innititur.*
21 *An Religioso appellanti à Decreto Abbatis adjudicanda per* provisionem *necessaria ad prosequendam causam.*
22 *Utrum adjudicanda Religioso accusanti Abbatem super indebita administratione Monasterii.*
23 *Quæ in hisce à Judice cavenda.*
24 *Plures causæ, in quibus adjudicatur provisio, remissivè.*
25 *Judex in sententia exprimere debet, sententiam duntaxat esse* provisionalem.
26 *De jure provisio decerni potest à Judice causæ principalis.*
27 *In Gallia prætenditur, ad Judicem secularem spectare dare provisionem.*
28 *Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechliniensis supponunt, Judicem Ecclesiasticum etiam posse dare sententias provisionales.*
29 *Quomodo hæc danda in causis testamentariis, vel contractuum antenuptialium.*

I. SEntentia dicitur ipsa pronuntiatio, sive definitio Judicis finem controversiæ imponens. Res verò judicata est ipsa causa controversa, quæ finem controversiæ pronuntiatione Judicis accepit, *L.* 1. *ff. de re jud.* Quanquam & sententia, quatenus decurso appellationis tempore, manet, veluti à Partibus approbata & judicata non malè quoque res judicata dicatur; eoque pacto dici soleat sententiam transire vel transivisse in *rem judicatum.*

II. Cùm autem Judex soleat, non tantùm suâ pronuntiatione determinare, sive definire causam principalem, sive eam, super qua principaliter inter partes controvertitur; sed sæpiùs etiam nonnullas in principio litis vel ejus decursu incidentes quæstiones; hinc alia dicitur sententia *definitiva*, verò alia *interlocutoria.*

III. Definitiva propriè dicitur, qua Judex, quantum ex se est, finem imponit principali controversiæ; ipsamque causam inter Partes prudentem dirimit, ac definit. Et quia hæc sola sententia propriè causam *definit*, & controversiam *dirimit*, etiam sola propriè *sententia* vocatur, utpote per quam ipse judex super controversia pendente sententiam suam dicit.

IV. Interlocutoria vocatur, pronuntiatio judicis super aliquo articulo negotium principale non dirimens, idque sive articulus sive punctum, quod deciditur, principium, medium, sive finem litis concernat; modò non definiat negotium *principale*, super quo lis contestata fuit. Unde ex Martino in additionibus ad Hostiensem in Summa *tit. de Sententia*, dicitur sententia interlocutoria, „ quæ non super principali, sed super aliis quæs„ tionibus fertur principali causa durante. (e)“

V. Hinc infert Rebuffus in Repetitione *L.* QUOD JUSSIT *ff. de Re judicata* in præfatione *num.* 53. sententiam esse definitivam, si pronuntietur satisdandum esse, vel non, quando *principaliter* petebatur, aliàs secùs. Item si de nullitate actus *principaliter* dubitetur, & super eo feratur sententia, dicetur definitiva. Plura ibidem profert exempla sententiæ definitivæ, quæ ostendunt, sententiam definitivam requirere, ut per eam finis imponatur negotio *principali.* Si autem tantùm decidatur incidens aliquis articulus, manente interim principali negotio indeciso, non dicitur sententia definitiva, sed *interlocutoria*; quasi manente principali controversia Judex duntaxat *interloquatur*, ut principale negotium meliùs terminari queat: dicitque Rebuffus in tractatu *de Sententiis executoriis, &c. in præfat. num.* 5. quòd omne Decretum Judicis, vel, ut vulgò

(d) *Licèt plura tormentorum genera adinventa sint, ut suprà in textu, tamen in Hispania duobus præcipuè olim tantùm utebatur: scilicet, unum, quod verberum ictibus fiebat: alterum, quod in hominis suspensione, scapulis oneratis, & cruribus cum loricis, vel alia re gravi, consistebat, ut expressis verbis traditur in L.* 1. *tit.* 30. *Part.* 7. „ E como quier que las „ maneras de ellos son muchas; pero las principales son dos: la „ una se face con feridas de azotes; la otra es colgando al ome „ que quieren atormentar de los brazos, è cargandole las espal„ das, è las piernas de lorigas, ò de otra cosa pesada.“ *Hodie tamen usitatius est, quod Hispano idiomate* de cuerda, *& quod* de agua *vocatur.*

(e) *De Sententiis, eorumque differentiis tractant Leges Hispanæ* 1. *tit.* 17. *&* 1. *&* 3. *tit.* 18. *lib.* 4. *& postremo* 8. *tit.* 2. *lib.* 3. *Recopil.*

dicimus, *apunctamentum* dicatur sententia *interlocutoria*.

VI. Sententia autem interlocuria duplex est. Una habens *vim definitivæ*, atque à sententia definitiva ferè solo nomine distincta. Altera merè & simpliciter interlocutoria.

VII. Prior appellatur illa sententia, quæ quidem principale negotium absolutè non dirimit; sed tantùm aliquem articulum causæ principali incidentem, aut connexum; atque eatenus *interlocutoria* vocatur; sed articulum talem incidentem ita dirimit, ut per hanc suam sententiam parti litiganti damnum inferat irreparabile per definitivam, aut appellationem à definitiva, quapropter hæc sententia quantumvis interlocutoria, dicitur habere *vim definitivæ*.

Cùm enim hujusmodi sententia non *per interim*, sed absolutè articulum illum dirimat, & præjudicium Parti litiganti inferat, quod per definitivam, aut appellationem à definitiva *reparari* nequit, (f) eundem effectum huic sententiæ leges dederunt, quem habet sententia definitiva, quæ negotium principale dirimit.

VIII. De hac sententia interlocutoria loquitur Synodus Trid. *Sess.* 24. *cap.* 20. *de Reform.* dum ibidem statuit, ut » neque appellationes à sententiis Ordinariorum interpositæ per Superiores quoscunque recipiantur, eorumve commissio, aut inhibitio fiat, nisi à definitiva, vel à *definitivæ vim* habente, & cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat. «

IX. Expressit hîc Synodus præcipuum indicium unde dignoscatur, num sententia interlocutoria habeat *vim definitivæ*: si nimirum inferat tale gravamen parti, quod nec per sententiam definitivam, nec per appellationem à sententia definitiva reparari potest.

X. Plurima exempla hujus sententiæ allegant Rebuffus loco citato, & Damhouderus in *Praxi rerum civil. cap.* 145. atque hic pro primo exemplo allegat: » Si pars declinaret, aut remissionem à Judice peteret, & si tunc Judex nihilominus eidem » parti mandaret, & ordinaret, ut respondeat, (g) ea ordinatio est interlocutoria definitivam sapiens, quia ipsa remissioni petitæ præjudicat, ab appellando partem illam excludit, & » ipsi perpetuum silentium imponit: ideoque effectum definitivæ » meritò obtinet. «

XI. Dicit ibidem *num.* 8. quòd sententia data super possessorio sit interlocutoria simplex; sed quando proprietas ipsa cum possessorio conjuncta, & annexa est, eo casu ipsa censeatur definitiva. At Nicolaus Tuldenus *Litt. I.* notat ex Maranta, hanc esse adhibendam distinctionem, » ut si agatur super possessorio » *principaliter*, & in eo lis contestetur, sententia in eo lata mera sit definitiva, quia causam definiat possessorio principaliter » intentatam, (h) non obstante quod in petitorio possit revocari; quia id novum esset judicium: sed si possessorium tractetur incidenter, tunc sit interlocutoria. «

Et sanè nemo ambigit, quin sententia lata in Consiliis Regiis super *pleno* possessorio in materia Beneficiali sit definitiva; habeatque omnes proprietates sententiæ definitivæ, ut colligi potest ex dictis suprà *tit.* 2. *cap.* 3.

XII. At sententia recredentialis in materia Beneficiali rectè dici potest *sententia interlocutoria* & quidem *simpliciter* sive *merè* interlocutoria non habens vim definitivæ: eò quod tantùm jus faciat *interim*; nec inferat damnum *irreparabile* per sententiam definitivam super principali; uti suprà loco citato ostensum est.

XIII. Imò omnis sententia provisionalis, quæ hodiè est frequentissima, præsertim in Curiis Regiis, solet esse duntaxat interlocutoria, & quidem sæpiùs merè interlocutoria non habens vim definitivæ: quia sententia provisionalis non solet imponere finem controversiæ principali; quin & sæpius nullum damnum infert, quod per definitivam reparari nequeat.

XIV. Cùm enim sententia definitiva ferri nequeat, nisi primùm judex de causa principali *plenè* cognoverit, consequens est, sententiam provisionalem nequaquam dici posse definitivam. Provisio enim à judice conceditur, ut præsenti necessitati *interim* provideatur, tametsi nondum de causa principali *plenè* cognoverit; uti rectè advertit Rebuffus in Tractatu *de Sententiis provisionalibus*, ubi *num.* 22. dicit, ob justam & necessariam causam provisionem esse faciendam, & maximè quando imminet periculum si non fiat. Et *numer.* 14. dixerat: » Provisio » est pronuntiatio præjudicialis judicis, Divini cultus, seu alimentorum ratione, aut alia necessaria, & justa causa facta. « (i)

XV. Unde cùm publicè expediat, cultum Divinum occasione litis inter privatos excitatæ non diminui, nec populum interim eo privari; solet judex providere, ut *interim* dum quæstio principalis inter Partes agitatur, cultus Divinus peragatur, exemplo Pontificis in *cap.* 28. ✠ *de Appell.* ubi mandavit Salesberiensi Episcopo, ut pendente appellatione per Canonicum quendam residere recusantem » interjectâ, *interim* alicui honestæ » personæ vices ejus in Ecclesia committat, & ei de Beneficiis » illius assignet, unde possit congruè sustentari.

Ad hunc textum reflectens Rebuffus *num.* 37. ait: „ Ecce „ quomodo pendente etiam appellatione fit provisio favore Ec„ clesiæ & Divini cultus, tam Ecclesiæ, quam personæ, quæ „ Ecclesiæ servire debet durante provisione: Judex enim pen„ dente lite per modum provisionis servitium Ecclesiæ sic fa„ ciendum esse pronuntiavit."

XVI. Frequens est hæc sententia provisionalis in causa alimentorum, de qua expressè loquitur Constitutio Caroli VII. Regis Galliæ *art.* 51. vetans, similem provisionen per judices Regios adjudicatam, per appellationem suspendi. De qua provisione latè agit Rebuffus in citato Tractatu *art.* 1. *glossa* 2.

XVII. Notat autem juxta hodiernam praxim, faciendam esse hanc provisionem filio tam in prima quàm secunda instantia; idque ex æquitate receptum esse, ne fame pereat, & ne cogatur ob defectum pecuniarum processum deserere, & litibus renuntiare: & ita non semel decisum fuisse & servari in Gallia testatur.

XVIII. Quin & addit, quòd si non fuerit petita provisio in prima instantia, peti queat in secunda, & adjudicari; imò addit *num.* 14. hanc provisionem peti posse in qualibet parte litis, quia filius semper gravatur.

XIX. Si tamen is, qui titulo filiationis petit provisionaliter alimenta, non esset in possessione filiationis, sive publicè non haberetur pro filio illius, cui prætendit succedere, tunc non fieret provisio, nisi priùs probata esset filiato, quæ est fundamentum provisionis, uti rectè monet Rebuffus ibidem *num.* 25. „ Nam oportet (ait) probare saltem quasi possessionem filiatio„ nis, vel alterius qualitatis intentatæ."

XX. Et quia causa portionis congruæ Parocho assignandæ est causa alimentorum, in hac sumariè & provisionaliter adjudicationem fieri debere, latè ostendi suprà *part.* 2. *tit.* 34. *cap.* 5.

XXI. Simili ratione, quia subinde solent Abbates, aliique superiores Religiosorum ultra modum in Religiosos sævire, ideoque compellunt eos od appellandum; *interim* pendente appellatione judex his Religiosis poterit providere pro alimentis, & litis prosecutione, uti notat Rebuffus in præfat. *num.* 107. Magna tamen hîc adhibenda à judice cautela, ne rigor disciplinæ per hujusmodi appellationes, & provisiones infringatur, & Monachorum inobedientia, & dissolutio foveantur.

XXII. Eadem provisio interdum facienda, si Monachus Abbatem suum accuset pro utilitate Ecclesiæ; putà, quòd bona Monasterii dilapidet, computus non reddat, indisciplinatè vivat &c. vel etiam si Monachus Monasterii sui reformationem prosequatur; uti tradit Rebuffus ibidem *num.* 106. argumento *Cap.* 11. ✠ *de Accusat.* ubi expressè respondit Pontifex, quòd Monachi ab accusatione sui Abbatis non sint ullatenus repellendi: » Quibus, si quidem (ait Pontifex) cùm proprium non habeant, de rebus Monasterii expensæ debent necessariæ, donec causa debitum finem accipiat, ministrari. «

XXIII. Antequam autem hæc provisio Monacho adjudicetur,

(f) *Lex* 3. *tit.* 18. *& 7. tit.* 17. *& Act. Acord.* 7. *cap.* 3. *tit.* 20. *lib.* 4. *cui addenda est L.* 10. *tit.* 7. *lib.* 2. *Recop. ibi:* » Y que solamente de la sentencia difinitiva, ó de la Interlocu» toria, cuyo agravio no se pudiese reparar en la difinitiva, de » que segun derecho ha lugar apelacion, otorgue la apelacion, » y no en otra manera. « *Adeò ut etiam recursus per viam violentiæ contra Judices Ecclesiasticos, appellationem de interlocutoriis sententiis vim diffinitivæ, vel gravamen irreparabile in ea non continentibus, denegantes, in tribunalibus superioribus non admittitur, L.* 37. *tit.* 5. *lib.* 2. *Recopil. attamen ab actis interlocutoriis, hoc gravamen continentibus, in Tribunalibus superioribus supplicari posse, ait L.* 1. *tit.* 19. *lib.* 4. *Recopil. cui locus non est in supplicatione, vulgo* de mil y quinientas, *leg.* 5. *tit.* 20. *lib.* 4. *Recop.*

(g) *Lex* 1. *tit.* 5. *lib.* 4. *Recop. verbo* de incompetencia de Juez, *cum L.* 3. *tit.* 18. *ejusd. lib.* » O si fuere razonado contra » el por la parte que no es juez, y prueba la razon por que no » es juez, y el juez se pronunciare por juez, « *à Judicibus inferioribus appellari potest: à Superioribus verò neque supplicari, ait L.* 4. *tit.* 5. *lib.* 4. *ejusd. Recopil.* » En la sentencia, » que dieren los del nuestro Consejo, i el Presidente, i Oydores de nuestras Audiencias, en que se pronunciaren por Jue» ces, ù por no Jueces, que no aya lugar suplicacion, ni nu» lidad, ni otro remedio, ni recurso alguno.

(h) *Vide leg.* 8. *tit.* 20. *lib.* 4. *Recop. ex qua infertur à sententia in possessorio appellari posse: à Tenuta seu Majoratuum possessione, quamvis prior sententia sit difinitiva, ab ea supplicari non posse, ajunt L.* 5. *tit.* 19. *lib.* 4. *& leg.* 9. *&* 10. *tit.* 7. *lib.* 5. *Recop.*

(i) *In Hispania à decretis provisionalibus, & præcipuè iis, in quibus periculum est in mora, appellationi locum non esse, determinant, L.* 6. *tit.* 18. *lib.* 4. *L.* 15. *in fin. tit.* 7. *lib.* 7. *L.* 7. *cap.* 1. *tit.* 7. *lib.* 1. *& L.* 6. *tit.* 9. *lib.* 2. *Recop.*

tur, meritò attendet judex, num prætextus utilitatis Monasterii in accusatione Abbatis, non sit pallium inobedientiæ vel rebellionis; prætextus reformationis, velamen vagationis, & excursionis.

XXIV. Plures alios casus, quibus provisio à judice adjudicanda est, ibidem exponit Rebuffus; additque eam fieri posse etiam in casibus ibi non expressis, dum occurreret alia justa causa, vel similis, vel major expressis.

XXV. Monet insuper *num.* 141. quòd in sententia exprimi debeat, tantùm *per modum provisionis* condemnationem fieri. „ Si verò judex simpliciter condemnaret, malè faceret (inquit) „ quia ante plenam probationem non debet fieri condemnatio; „ quæ tamen condemnatio per provisionem fit, dummodò *sum-* „ *mariè* appareat; & ideò exprimi debet."

XXVI. Si juris rationem attendamus, provisio decernenda est ab iisdem judicibus, ad quos materiæ principalis cognitio spectat: quia regulariter is potest de accessoriis cognoscere, qui de principali; & ideò de hac provisione cognoscit is, qui de principali; ait Rebuffus *num.* 31.

XXVII. Addit autem Rebuffus ibidem *num.* 32. „ Servatur tamen in hoc Regno contrarium, quòd judices laici pro- „ visionem adjudicare possunt læso, vel vulnerato, etiam à „ Clerico solvendam: ne is remittetur ad suum judicem Eccle- „ siasticum in causa principali, donec executio facta fuerit su- „ per provisione; & sic hæc provisionis materia maximè co- „ ram judicibus secularibus exercetur, cùm ipsi sic usi fue- „ rint, & ab Ordinationibus concedatur. Et si judex Ecclesias- „ ticus ad aliam provisionem Clericum condemnaret, abutetur, „ & potest tamquam ab abusu de eo appellari, ut censuit Se- „ natus anno 1524. die 15. Decembris. Imò dicunt Regales „ (pergit Rebuffus) judicem Ecclesiasticum non posse condem- „ nare laicum ad provisionem Clerico faciendam: licèt non „ debeat esse melioris conditionis judex laicus quàm Ecclesias- „ ticus, tamen Curia Parisiensis dixit abusum fuisse Officialem „ Parisiensem in eo, quòd purum laicum condemnaverat ad „ provisionem Clerici anno 1524. die 14. Februarii."

XXVIII. Certum est in ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechliniensis supponi, etiam judicem Ecclesiasticum posse condemnare per provisionem. Nam titulus 13. totus est *de materia provisionali*; atque per plures articulos disponitur, qualiter in materia provisionali judex procedere debeat; ac nominatim quomodo provisio danda contra eum, cujus chirographum producitur, de qua latiùs actum est supra *tit.* 7. *cap.* 4.

XXIX. Dicitur quoque *art.* 7. „ Quibus in locis cognitio „ validitatis testamentorum vel contractuum antenuptialium, ad „ Judicem Ecclesiasticum spectat, si instrumentum manifestum „ vitium non continet, sed extrinsecus perfectum apparet, etiam- „ si falsum, irritum, ruptum, inofficiosum, nullumve esse di- „ catur, per provisionem effectum illud sortiri sub cautione de- „ bere, declarabitur; salva allegatorum penitiori inquisitione, si- „ ve ex eo agat ex asse institutus hæres, sive ex parte."

CAPUT II.

Quæ observanda ante sententiæ prolationem; et quæ juramenta a Judicibus præstanda.

1 *Ante pronuntiationem sententiæ Partes utrinque in suis allegationibus audiendæ.*
2 *De Jure communi Parte una in causa concludente, alteri ad concludendum certum tempus præscribere Judex potest.*
3 *Id conforme hodiernæ praxi.*
4 *Post conclusionem causæ nullæ novæ factæ à Partibus allegari possunt sine licentia Curiæ per libellum* Civilem *impetranda.*
5 *Occasione hujus libelli nova lis institui vetatur.*
6 *Conclusio in causa tantùm ligat Partes, non autem Judicem.*
7 *Motiva juris dari possunt post conclusionem in causa.*
8 *Postquam in causa conclusum est, examen totius causæ à Judice instituendum.*
9 *Ut examen causæ facilius & exactius fiat, designatur* Relator *sive* Referendarius; *& unde sic dictus.*
10 *A quo designandus.*
11 *Senatores solicitare non possunt, ut Relatores designentur.*
12 *Relator Partibus litigantibus non indicandus.*
13 *Quis delectus in constituendo Relatore haberi debeat.*
14 *Relatores ad solicitationem Partium dandi non sunt.*
15 *Quo modo causa per Relatorem in Curia referenda.*
16 *Post relationem integra coram Senatu legenda.*
17 *Absoluta lectura tenetur rursus Relator causam summariè repetere.*
18 *In Curiis Ecclesiasticis non solet esse* Relator: *Quia in his est unicus Judex.*
19 *Secus dum plures sunt; uti in tribunali Academico* Quinque Judicum appellationum: *quod nnà describitur.*
20 *In lectione, & relatione causæ Senatores debent esse attenti.*
21 *Absoluto causarum examine, Judex de justitia causæ statuere debet, seposito omni partium singulari affectu.*
22 *Monitum Justiniani ad Judices.*
23 *Conforme monitum Josaphat Regis Judæ.*
24 *Olim Judices in singulis causis jurabant, se secundum justitiam judicaturos.*
25 *Hodie idem jurant Judices in assumptione ad officium.*
26 *Jurant quoque se nihil à Partibus accepturos.*
27 *Quid hac in parte in Provinciis Confœderatis ordinatum.*
28 *Quid in Gallia.*
29 *Judices ob malè judicata frequenter restitutioni obnoxii sunt.*
30 *Parùm speranda est executio Legum adversus Judicum corruptionem, nisi constituantur judices avaritiam odientes.*
31 *Difficulter habentur boni judices, ubi officiorum venalitas invaluit.*
32 *Justinianus nullum medium efficacius reperit contra judicum corruptionem, quàm si* gratis *assumerentur.*
33 *Venalitatem officiorum dixit esse totius nequitiæ principium.*
34 *Justiniani formula, qua assumpti ad officium Judicis jurare debebant, se nihil pro eo dedisse, aut promisisse.*
35 *Similis formula ante Justinianum præscripta.*
36 *Binæ formulæ similis juramenti hodie hîc usitatæ.*
37 *In litteris* Patentibus *exprimi debet, juramentum esse præstitum; & in continuatione Magistratuum renovari.*
38 *Ut juxta has formulas verum juretur, debet omnis rei temporalis datio, vel promissio, directa, & indirecta abesse.*
39 *Qui pecuniam dat, aut promittit amico collatoris, ut ejus favore officium assequatur, juramentum hoc præstare non potest.*
40 *Quomodo non rarò peccetur per eos, qui prætextu Religionis Monasteriis munera largiuntur, ut favore eorum ad officia promoveantur.*
41 *Praxis communis, vel Principum conniventia, dantes, aut promittentes à perjurio eximere nequit.*
42 *Neque restrictio mentalis.*
43 *Dubium à Parochis Lovaniensibus propositum tribus Facultatibus hujus universitatis occasione juramenti à Magistratu præstari soliti.*
44 *Responsum Facultatum, quo usus restrictionum mentalium reprobatur.*
45 *Scopus omnium juramentorum est, ut habeantur judices, qui sine acceptione personarum justitiam administrent.*
46 *Causæ pauperum æquè ac divitum expediri debent.*
47 *Judex in definienda causa nullo privato affectu duci potest.*
48 *Ubique abesse debet casus* pro amico.
49 *Licèt etiam causa utrinque sit admodum dubia.*
50 *In casu perplexo interdum res litigiosa inter Partes dividenda; unquam autem utendum est casu* pro amico.
51 *Ne Judex à justitiæ tramite deflectat, debet in eo esse magnus amor veritatis & justitiæ, reliquos humanos affectus superans.*
52 *Meritò dum judicandum est, exposcit lumen à Patre luminum.*

I. PRiusquam Judex ad sententiam definitivam procedat, præmittenda matura & exacta discussio; jubeturque Judex „ utramque partem sæpiùs interrogare, num quid novi „ aliquid addere desideret: cùm hoc ipsum ad alterutram partem proficiat, sive definienda causa per Judicem, sive ad majorem potestatem referenda sit, *L.* 9. *Cod. de Judiciis.* Quam legem Tribonianus interpolavit ex *L.* 1. *Cod. Theod. de Officio Judicis in causis cognoscendis*, cujus hæc est sententia, „ Judex cùm causam audire cœperit, Litigatorum assertiones: „ vel responsiones patienter accipiat, & omnia plena discussione perquirat. Nec priùs litigantibus sua sententia velit obviare, nisi quando ipsis peractis omnibus, jam nihil amplius in „ contentione habuerint, quod proponant: & tandiù actio ventiletur, quousque rei veritas perveniatur, frequenter interrogari oportet, ne aliquid prætermissum fortasse maneat: quia „ si apud ipsum finienda causa est, totum debet agnoscere."

Itaque ante pronuntiationem sententiæ, nimirum definitivæ, & in causis magni momenti, quæque accelerationem specialem non requirunt, audiendæ sunt utrinque Partes in suis allegationibus; ipseque Judex allaborare debet, ut ipsa causa *plenè* instruatur; nihilque omittatur, quod ad elucidandam veritatem, & assequendam justitiam causæ conducere possit.

II. Si unus litigantium ulterioribus productionibus, aut allegationibus renuntiaverit, dicatque se nihil amplius habere, quod proponat, alter verò nondum velit renuntiare, sed moras nectat, prætexens se habere, quæ ulteriùs proponat: voluit Justinianus, *triginta* dies ad eam rem dari, tum alterum mensem indulgeri: & si ne quidquam tunc ille proponat, mensem

sem præfigi ei tertium ad proferendum reliquas suas allegationes probationesque ; eoque spatio elapso , Judicem causam concludere absque exspectatione longiore , *Novell.* 115. *cap.* 2. addens rationem suæ Constitutionis : *Ne litigatoribus malè certantibus liceat causarum exitum ultra protrahere.*

III. Hinc concludunt communiter Pragmatici, juri conformem esse hodiernam praxim , quæ habet , quòd altera parte concludere in causa nolente , Judex ea invita in contumaciam ex officio causam pro conclusa acceptare , & ulteriùs ad sententiam procedere queat. (k) Vide Damhouderum in *Praxi rerum civil. cap.* 191. & latiùs Merulam in Praxi Curiæ Hollandicæ *lib.* 4. *tit.* 84.

IV. Ubi per conclusionem in causa partes ulterioribus allegationibus renuntiârunt , aut Judice pronuntiante in causa esse conclusum , ulterioribus allegationibus via præclusa est (l) nihil *novi* ad causam spectans allegari ulteriùs potest , nisi de speciali licentia Curiæ , per specialem Libellum petenda ; quem Libellum vocant *Requestam seu libellum civilem* ; diciturque *art.* 466. *Ordinat. Curiæ Brabantiæ* , eam licentiam non esse dandam sine magna & notabili causa : *t' Welck sy nochtans niet en sullen mogen doen sonder groote ende merckelycke saecke.* Id est : „ Quod nihilominus sine gravi , & notabili causa facere non poterunt."

V. Insuper *art.* 469. vetatur , occasione hujus libelli civilis litem institui à principali distinctam ; sed si pars adversa contendat , libellum non esse admittendum , rationes rejectionis unà cum libello esse jungendas causæ principali ; & si ex rationibus allegatis appareat , eum esse rejiciendum , id in sententia super principali exprimi debere. Verba articuli sunt *Wy willen ende ordonneren dat die voersz requeste metter altercatie van partie gevueght sal woden totem principalen processe , om in 't visiteren van dien daer op genomen te worden sulcken aenschouvv als't behooren sal , ende ingevalle dat in't visiteren van den principalem processe men bevindt , dat de voorschreben brieven behooren gherejectert te vvorden , vvy vvillen't selve gedeclareert te zyne by de sententie diemen tem principale gheven sal , sonder datmen den Partyen sal moghen ordonneren verscheydelijck te procederen op't principael ende Requesten Civile.* Id est : » Volumus , & statuimus , ut præfatus libel- » lus cum altercatione partis jungatur liti principali , ut in il- » lius examine habeatur ratio ejus , prout æquum fuerit. Si au- » tem in examine litis principalis deprehendatur , prædictas lit- » teras esse rejiciendas , volumus ut in sententia definitiva litis » principalis idipsum exprimatur ; nec fas erit partibus injunge- » re , ut seorsim super principali litigent & super libello » civili. «

VI. Notandum autem , conclusionem in causa tantùm fieri respectu ipsarum Partium , ut scilicet ipsæ Partes ab ulteriore causæ instructione , & factorum allegatione abstinere debeant; nequaquam verò respectu Judicis. Potest enim Judex ex officio rescindere conclusionem , partibusque injungere *ulteriorem* causæ instructionem & elucidationem : quo nihil hodie usitatius est. Vide Merulam citato titulo , *cap.* 2. *num.* 6. & ibi citatos.

VII. Insuper nunquam censetur conclusum in causa quoad ea , quæ juris sunt. Unde & licet litigantibus post conclusionem in causa exhibere (m) *motiva* juris tot , quot iis videbitur; nec Parti eorum communicatio facienda est. Merula ibidem *numer.* 9.

VIII. Conclusione causæ factâ , judex tenetur se accingere ad totius causæ examen , omniaque diligenter discutere , & singula à Partibus hinc inde allegata attentè examinare ; cavendo, ne unius Partis rationes , & fundamenta celeriùs , quàm alterius percurrat ; sed pari attentione , absque ulla personarum acceptione , utrinque allegata ponderare.

IX. Ut examen , & discussio causæ exactiùs fiant , ipsequo status causæ , & difficultas quæstionis meliùs percipiatur , & Judicibus innotescat , in plerisque Curiis & Tribunalibus , præsertim secularibus , usitatum est , ut mox à conclusione causæ nominetur unus è Senatoribus , (n) cui causa examinanda discutiendaque committitur ; quique eam breviter in Senatu exponat , & *referat* , quem propterea *Relatorem* , vulgò *Rapporteur* , vocant.

X. In Belgio à Præside Consilii è Senatoribus assumi solet; nominatimque edicitur *art.* 79. Ordinationum Curiæ Brabantiæ causas per Cancellarium distribuendas esse prout ei videbitur; ita tamen , ut non distribuat illi , coram quo testes auditi fuerunt , nisi per Curiam aliter ex causa esset ordinatum.

XI. Item *art.* 80. decernitur , Senatores nec per Partes, nec per alios directè aut indirectè instare posse apud Cancellarium , ut relationem alicujus causæ habeant ; aut alteri factam sibi assumere possint. *Dat onse Raedts luyden onsen voorsz. Cancellier by hen oft by Partyen noch iemand anders directelyck oft indirectelyck en sullen mogen solliciteren om eenighe rapporten te hebben , noch rapporten over nemen anderen ghedistribueert.* Id est : » ut Consiliariis nostris non liceat cum per se, » tum ad interventionem partium, aut cujuscunque demum, præ- » dictum nostrum Cancellarium directè , aut indirectè inducere, » ut alicujus causæ relationem obtineant , aut ut relationes aliis » distributas assumant. «

XII. Et ne litigantes Referendarium ad sibi favendum alliciant , aut solicitent , cautum est *art.* 85. ut nulli de Senatu, sive ipse Referendarius , sive alii significent Litigantibus , cui relatio causæ sit commissa , sed id silentio premant. Verba articuli sunt : *dat die van onsen Raede , het zy Rapporteur oft andere , de Partyen niet en sullen ue kennen gheven , vvie heur Proces beeft te rapporteren , maer sullen t' selve secreet houden.* Id est : » Ut Consiliarii nostri , sive litis Relator, sive alius , non » declarent partibus , cui litis earum relatio sit commissa ; at si- » lentium desuper servent. «

Idipsum habent Instructiones Curiæ Hollandicæ *art.* 150. apud Merulam *lib.* 4. *tit.* 85. *cap.* 5. adduntque , quòd si Referendarius aliquo modo à litigantibus molestetur , ita ut suspicetur , iis innotuisse , relationem causæ sibi esse commissam, tenebitur id Curiæ significare , ad hoc ut causa alteri referenda committatur ; vel aliàs per Curiam , prout visum fuerit , provideatur.

XIII. Monet ibidem Merula *cap.* 3. *num.* 1. Præsidem, Cancellarium , aliumve , cui designandi Referendarios cura incumbit , debere sedulò attendere , quis præ cæteris ex Senatoribus huic , illive causæ examinandæ , & referendæ conveniat. Licèt enim supponatur , omnes Senatores esse juris , & praxeos scientiâ ritè instructos , certum tamen est , unum in una materia, alium in alia magis versatum , & industrium esse ; posseque facilè ipsi Præsidi , aut Cancellario innotescere ex conversatione, necnon discursibus in Senatu habitis , unum præ alio his , illisve causis referendis fore aptiorem.

XIV. Multùm ergò ab officio boni & justi Præsidis , aut Cancellarii recedunt , qui ad solicitationem Partium , aut amicorum , aut quod pejus est , interventu munerum , Referendarios causarum designant , non quos referendis causis judicant capaciores , sed Partibus solicitantibus magis placentes.

XV. Officium Referendarii est ; postquam causam reperierit debitè instructam , eandem diligenter examinare , atque ex actis litis debita extracta conficere , ut per ea queat cognoscere , & in Senatu ostendere , quæ ad intellectum , & decisionem causæ servire possunt.

XVI. Factâ per Referendarium summaria causæ relatione juxta prædicta extracta , tunc causa integra , priusquam ad decisionem veniatur , in Curia legenda est ; & si aliqua instrumenta sint exhibita , quibus Pars exhibens uti nollet , sed tantùm certâ illius clausulâ ; vel una , vel plures clausulæ ad causam spectarent , tunc Referendarius tenetur eam , vel eas clausulas ad materiam spectantes designare , ut super iis tantò attentiùs reflectatur : atque cum arbitrio Curiæ vel hæ duntaxat clausulæ , vel totum instrumentum legatur , prout cautum est *art.* 83. Ordinat. Curiæ Brabantiæ.

XVII. Lecturâ absolutâ , debet rursùs Referendarius distinctè repetere , & indicare puncta , & difficultates , à quibus ipsa decisio causæ præcipuè dependet *art.* 84. Verba sunt: *Ende naer dat t' proce ghelesens sal vvesen , soo sal den Rapporteur* » de su derecho. « *Cui addenda est L.* 10. *tit.* 13. *lib.* 2. *ejusd. Recopil.*

(k) *In Hispania , certis incidentibus , quæ in prosecutione causæ contingere possunt , exceptis , dupliciter in lite concluditur ; vel à petitione partium , aut judicis officio : priori modo , ante actum probationis , seu post factam probationum publicationem : officio verò judicis causa pro conclusa habetur post præsentatos replicationis duplicationisque libellos , etiam si id ita Partes non postulent , L.* 1. 9. & 10. & *Remiss.* 9. *tit.* 6. *lib.* 4. *L.* 4. *prope finem tit.* 16. 8. *tit.* 24. *L.* 5 & *tit.* 4. *lib.* 2. *L.* 47. *tit.* 4. *lib.* 3. & 2. *in fin. tit.* 5. *lib.* 4. & *ultimò Actum Acord.* 2. *tit.* 24. *lib.* 2. *Recopil.*

(l) *Leg.* 5. *tit.* 6. 4. & 5. *tit.* 9. 3. *tit.* 8. *lib.* 4. & 4. *tit.* 16. *lib* 2. *Recopil verb.* sean ningunos.

(m) *Lex* 4. *tit.* 16. *lib.* 2. *Recopil.* » Concluso (*el Pleyto*) » entonces cada una de las partes , ò Abogados , ò Procuradores » por palabra , ò por escrito antes de la sentencia informe al Juez

(n) *Cùm officium Relatoris in Hispania stabilitum sit , de eo , ejusque qualitatibus tam in sui receptione , quàm exercitio præcipuè loquantur leg.* 1. & 25. & *Act. Acord.* 16. *tit.* 17. *lib.* 2. *Recop. infertur , quòd nullus ex Consiliariis teneatur in hoc Regno sicut in Belgio causam recitare , neque alia peragere , quæ Officii Relatoris sunt , & tradit D. Van Espen à num. X. usque ad XIV. adeò ab antiquo juxta leg.* 3. 4. 5. 9. 11. & 21. *tit.* 11. & *Remiss.* 14. & *Actum Acord.* 29. *tit.* 19. *lib.* 2. *ejusd. Recop. Relatoribus tantùm à Præside , & Auditoribus Regiis committebantur non* à conclusione litis , *ut dicitur* in textu , *sed quolibet in Recursu , ubi informationi sit locus , Actum Accord.* 39. *tit.* 19. & *Remiss.* 22. *tit.* 17. *lib.* 2. *Recop.*

porteur gehouden syn bescheyeliick te verbaelen ende te toucheren die puncten ende difficulteyten, op de vvelcke de decisie van de materien staen sal. Id est: » Lite verò perlecta, causæ Re» latoris munus erit, ut distinctè repetat, & indicet puncta, & » difficultates, à quibus decisio causæ pendebit.“ (o)

XVIII. In Curiis Ecclesiasticis non solet esse Relator sive Referendarius: quia unicus solet in his esse Judex, qui Assessore uti consuevit, qui causam discutiat, eique referat, de quo suprà actum est *tit.* 6. *cap.* 1.

XIX. Ubi autem Tribunal Ecclesiasticum constat pluribus Judicibus, etiam ex illis eligitur aliquis Relator, vel Commissarius, qui causam instruit, dirigit, & aliis summariè refert. Simile tribunal ex antiquissima consuetudine habet Academia Lovaniensis, constans ex quinque Judicibus, & idcircò dictum Tribunal *Quinque Judicum*, ad quos à sententiis Rectoris Academici immediatè appellatur, neque de ullis causis cognoscunt in prima instantia, sed solùm de causis appellationum; ideò dicti Judices *appellationum*. Hos Judices, sive Tribunal describunt Fasti Academici Studii generalis Lovaniensis *pag.* 34. edit. anni 1650. his verbis: » Quòd si Rector judicando errâsse, aut » malè & perperam judicâsse dicatur, errorem illum corrigit ip» sa Universitas, id est, *quinque Judices appellationum*, qui » Universitatem repræsentant, (quosque Universitas eam in rem » ab ipsa sui origine, singulis semestribus, quoties novus eligitur » Rector, ex qualibet Facultate nominare, & deputare solet) » coram quibus, seu majori parte eorundem, omnibus tamen » vocatis, Rector sententiam suam justificare tenetur.“

Hi quinque Judices mox ut electi sunt in ipsa Universitatis Congregatione, » unum ex eorum Collegiis in *Commissarium* » eligere debent, mandando illi vices suas pro observatione ter» minorum in causis appellationum observandorum, ac pro in» terlocutoriis vim definitivæ sententiæ non habentibus; cui sit » auctoritas, & potestas alios Judices, & Collegas per unum ex » Bedellis convocandi, cùm res postulabit. « Ita ordinant Statuta Universitatis, titulo *de Officio, & Jurisdict. DD. Quinque Judicum causarum appellationum.*

XX. Sanè evidens est, hæc omnia unicè ordinata esse ut Judices de causa sint plenè, & perfectè instructi, priusquam causam decidant; quo spectat quoque *art.* 89. earundem Ordinationum, ubi præcipitur, ut Cancellarius, & Consiliarii tempore relationis, & lectionis causarum diligenter attendant, operamque diligentem adhibeant, (p) ut eas benè intelligant & retineant; ut nec eodem tempore aliud aliquid legant, scribant, conferant, vel aliquid agant, quo ab audiendo, intelligendo, & retinendo impediri, aut diverti possent, aut alios impedire, vel divertere.

XXI. Factâ totius causæ discussione, omniumque allegatorum maturâ consideratione, Judicis est, sepósito omni humano affectu, solam justitiam, & veritatem præ oculis habendo, seriò perpendere, & discutere â qua Parte stet justitia causæ.

XXII. Hunc in finem statuit Justinianus in. *Leg.* 14. *Cod. de Judiciis*, » omnes omninò Judices Romani Juris dispensato» res non aliter litium primordium accipere, nisi priùs ante se» dem judicialem sacrosanctæ deponantur scripturæ; & hæ per» maneant non solùm in principio litis, sed etiam in omnibus » cognitionibus, usque ad ipsum terminum, & definitivæ sen» tentiæ recitationem. « Deindè subjungit: » Sic etenim atten» dentes ad sacrosanctas Scripturas, & Dei præsentia consecrati, » ex majore præsidio lites diriment, scituri, quòd non magis » alios judicant, quàm ipsi judicantur: cùm etiam ipsis magis, » quàm partibus terribile judicium est: si quidem litigatores sub » hominibus, ipsi autem Deo inspectore adhibito causas profe» runt trutinandas. «

XXIII. Illud est, quod jampridem priùs Rex Judæ Josaphat *lib.* 2. *Paralip. cap.* 19. *vers.* 16. præcepisse Judicibus legitur: *Videte* (ait) *quid faciatis: non enim hominis exercetis judicium, sed Domini; & quodcunque judicaveritis, in vos redundabit.*

Deindè addit vers. 7. *Sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite; non est enim apud Dominum Deum nostrum iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munerum.*

XXV. Ad ipsum tendit, quòd Judices olim nullam causam suscipere poterant, *nisi priùs sacramentum præstitisent omnimodò sese cum veritate, & Legum observatione judicium esse disposituros.* Uti refertur in citata *Leg.* 14.

XXV. Hodie Judices, non quidem ad singulas causas, sed semel in assumptione ad officium Judicis simile juramentum præstare jubentur. Et quidem juxta formulam juramenti præstandi ab omnibus, qui in Judices assumentur (quæ habetur ad calcem Edicti criminalis de 5. Julii 1570. extatque parte 2. Edictor. Brabant. *lib.* 2. *tit.* 3. *cap.* 1.) jurat assumendus, quòd administrabit omnibus subditis aliisque, à quibus requiretur, *bonam, veram, & sinceram justitiam, absque intuitu lucri, odii, invidiæ, vel amititiæ cujusquam; & quod nulli favebit ultra id quod ratio, & justitia permittent.* Verba articuli sunt: *Ick swere, dat ick sal doen ende administreren goede waerachtighe, ende oprechte Justitiæ, den ondersaten ende andere, die my des versoechen sullen, sonder aenschouw te nemen op vvinningh, haet, nyde, oft vrindtschap van jemanden, ende sonder jenant meer te favoriseren, dan recht ende redene toelatende zyn.* Id est: » Juro me curaturum, ut administretur bona, » vera, & sincera justitia subditis meis, aliisque id requirentibus, » seposito omni intuitu lucri, odii, invidiæ, aut amititiæ cujus» quam, nec ulli quoquo modo suffragaturum, ultra quod ra» tio & justitia permittent. «

XXVI. Insuper jurat juxta eandem formulam, quòd nihil petet aut exiget à quopiam, imò nec acceptabit, tametsi ex *gratitudine sponte* offerretur, aut daretur; sed contentus erit salario à Principe sibi designato; nec patietur, quòd aliquis sibi subditus, vel ipsi assistens aliter faciet. Verba sunt: *Dat ick van niemanden, vvie dat oock sy, egheene dinghen eysschen oft exigeren en sal, noch oock aenverden oft ontfanghen, alvvaert dat de selve my van selfs uyt danckbaerheyt ghepresenteert oft ghegheven vvierden; maer sal te vreden zijn met mijne vvedden ende behoorliicke salarisen by ziine Majesteyt tot miinen voorseyde staet gheordineert: ende en sal niet lijden dat eenighe, vvesende ende mynen last ende bevel, oft die my assisteren, anders doen sullen.* Id est: » Quod à nullo quocun» que demum quidquam petam, aut exigam, neque etiam re» cipiam, aut admittam, quantumvis etiam ultroneè, & ex » gratitudine offerretur, aut donaretur; sed quòd contentus ero » mercede mea, & stipendio convenienti, per suam Majesta» tem pro conditione mea prædicta designato. Deindè quòd » non permittam, ut ullus curæ meæ aut imperio commissus, » aut qui mihi assistet, aliter faciat. «

Idipsum exprimitur in formula juramenti præstandi ob omnibus judicibus in Brabantia, (q) quæ extat in Læto introitu Caroli V. & Philippi II. *art.* 11. inserto Parti. 1. Edict. Brabantiæ *lib.* 2. *tit.* 1. *cap.* 15.

Si hæ formulæ Juramenti seriò expendantur, apparebit quomodo Judices non tantùm vi officii sui teneantur sine ullo muneris intuitu, aut amicitiæ, sed & vi sui juramenti omnibus indiferenter justitiam administrare, & ab omni munere etiam gratuitò oblato abstinere.

XXVII. Refert Simon Vant Leewen in censura Forensi *parte* 1. *lib.* 5. *cap.* 7. in Hollandia cautum esse: Ubi ut Præ» sides, Senatores, earundem conjuges, liberi, ministri, aut » alii, quos in familia alunt, de Partibus litigantibus ulla dona » quantulacunque, ne esculenta, potulentave accipiant, severis» simè prohibetur, sub pœna ordinis motionis, arbitrariæ in» super correctionis: Tenenturque Senatores utriusque Curiæ » Hollandiæ, quotannis se solemni juramento expurgare, ne» que à se, neque à conjugibus, liberisve suis, aut à familia, » ullove alio ad ipsos pertinente, hac in re ipsis conscüs fuisse » peccatum, & nequid imposterum peccetur se probè cura» turos. «

XXVIII. Plura eundem in finem ibidem ordinata recitat: monetque *num.* 3. similia etiam statuta, apud Gallos reperiri; quodque nominatim Edicto Caroli IX. & Henrici III. etiam *esculenta*, & *potulenta* præberi prohibita sint sub pœna (r) concussionis, & remotionis à munere in judice, in litigante ut causâ cadat, eaque re frustretur, cujus causâ judicem donis delibus *præstatur, ut est præscriptum in leg.* 5. & 6. *tit.* 5. *lib.* 2. *Recop. & ab inferioribus Judicibus in executione leg.* 3. *tit.* 9. *L.* 11. & 40. *tit.* 6. *lib.* 3. & 7. *tit.* 2. *lib.* 7. *ejusd. Recopil.*

(o) *Licèt totus titulus* 17. *lib.* 2. *Recop. agat de Relatoribus; de ejus officio specialiter tractant leg.* 5. 6. 8. & 12. *In prima enim præcipitur, quòd* » para hacer relacion de ellos (de » los Pleytos): « *In secunda*: » saquen las relaciones, y vean » diligentemente los procesos y escrituras; « *In tertia*: » pon» gan el nombre como se llaman, y de donde es vecino, y que » edad tiene, y si es pariente de algunas de las partes, y si » concurren en él algunas de las preguntas generales. « *In quarta vero*: » Fagan relacion: « *quo functus est officio suo.*

(p) *Ut in relatione causæ attentas aures Judices adhibeant, præcipitur eis in leg. Hispana* 18. *tit.* 4. *lib.* 2. *Recop. quòd* » en el interin que se face relacion de los negocios refrénen ha» blas, è interposiciones. «

(q) *In Hispania simile juramentum à Judicibus Superiori-*

(r) *In Hispania Judices Superiores incurrunt in pœnas in leg.* 56. *tit.* 5. *lib.* 2. *Recop.* » I pierdan el juzgado, y oficios, » y sean, y finquen inhabiles dende en adelante para haber juz» gados, ni oficios publicos, y sean echados del Consejo, y » Audiencias, y tornen lo que asi llevaren con el doblo: « *Inferiores verò in eas, quæ in L.* 5. *tit.* 9. *continentur*: » Que » pierda por el mismo hecho el oficio, y que nunca mas haya » el dicho oficio, ni otro, y peche lo que tomare, con el do» blo, y sea para nuestra Camara, y finque en nuestro alve» drio de les dar pena por ello. «

Inire fuerit aggressus, conformiter ad jus Romanum in *L.* 1. & *fin. Cod. de Pœna judicis, qui malè judicavit.*

XXIX. Et licèt hodiè ob malè judicatum rarò judices conveniantur, aut condemnentur; eò quòd concussio, & dolus, vel corruptio difficulter probari queant, nihilominùs certum est, quòd judices munera accipientes, non tantùm violationis juramenti rei sint coram Deo; (s) sed & non rarò obnoxii sint restitutioni eorum, quæ Pars litigans per iniquam sententiam passa est; tametsi etiam supponatur, nec ex proposito, nec dolo malo, judices iniquam sententiam tulisse: sed per crassam juris ignorantiam, aut excæcationem, neglectum examini, quæ munera acepta in ipsis pepererunt juxta illud Sàpientis; *Munera excæcant oculos sapientum.* (t) Quandonam autem juxta hodiernos mores possint judices ob malè judicata conveniri in foro *externo*, etiam criminaliter, vide Bigonium, *de Legibus abrogatis*, *lib.* 1. *cap.* 124. & ibidem citatos à Christinæo in notis.

XXX. Verùm parum proderunt juramenta; parum efficient leges etiam severissimæ adversus judicum corruptionem, nisi & sine corruptione, & acceptione personarum judices constituantur, qui oderint avaritiam, & justitiam magis quàm munera diligant, eamque omni humano favori præponant; sintque tales, quales describuntur *Exodi* 18. *v.* 21. *Viri potentes*, & *timentes Deum*, *in quibus sit veritas*, & *qui oderint avaritiam.*

XXXI. Verùm spes exigua est, hujusmodi judices eligendos, si per pretia, & munera, & non per merita ad officia via pandatur: nam uti rectè respondisse fertur S. Thomas Aq. Ducissæ Brabantiæ interroganti: Dum licitum esset vendere officia secularia, venditionem illam sibi expedientem omninò non videri: » Cùm frequenter contingat (ait) quòd magis idonei sint » pauperes, ut tale officium emere non possint. Quin etiam si » tales divites sint, tamen quia boni sunt, officia non ambiunt, » nec ad lucra inhiant: & sic illa officia emunt ut plurimùm hi, » qui pejores sunt. «

XXXII. Quinimò Justinian. Imp. noctu, diuque animo versans, quomodo à Judiciis injustitiam, quam in omnibus penè causis invenerat, arceret, hoc unum fore remedium agnovit: » Si (ait) Præsides gentium, quicunque civiles administra- » tiones Provinciarum habent, *puris* procuremus uti *manibus*, & » ab omni abstinere acceptione, pro illis solis contentos eis, quæ » à Fisco dantur. « *Novella* 8. in Præfat. §. 1.

Sed quâ ratione id obtinebitur? » Non aliter (inquit) fiet, » nisi & ipsi cingula sine mercede accipiant, nihil omninò dan- » tes nec occasione suffragiorum, neque iis, qui cingula habent, » nec alli omnium ulli.

» Consideravimus enim (pergit Imperator) quia licèt quæs- » tus immodicus imminuitur imperio, attamen nostri subjecti in- » crementum maximum percipient, si indemnes à judicibus con- » serventur; & imperium & *Fiscus abundabit utens subjectis* » *locupletibus*; & uno hoc introducto ordine, plurima rerum » & innumera erit ubertas. «

XXXIII. Post hæc enumeratis multiplicibus incommodis, quæ ex venditione officiorum in Rempublicam & subditos nata sunt redundare, audet concludere; *Et omnino una quædam est hæc omnium occasio malorum: & decipere suffragium à Judicibus totius nequitiæ est principium.*

Suffragium hîc est pecunia, quæ suffragatoribus Aulicis datur, promittiturve honoris adipiscendi causâ. Vide *not.* 3. ad citatam Novellam.

XXXIV. Hoc ut exactiùs observaretur, statuit *cap.* 7. ejusdem Novellæ, quòd is, qui acceperit administrationem jurare debeat: *Nihil penitùs nec quolibet se præbere: neque occasione suffragii, neque patrocinii, & neque promittere, & neque de Provincia profiteri dirigere, neque gloriosissimis Præfectis, neque aliis cingula habentibus, neque iis, qui circa illos constituti sunt, nec alteri cuilibet per occasionem patrocinii.*

XXXV. Similis formula juramenti præstandi ab iis, qui ad provincias administrandas accedunt, extat in *L. fin. Cod. ad Legem Juliam repetundarum*, ubi tamen luculentiùs exprimuntur, quæ in ipsa formula Justiniani non quidem nominatim exprimuntur, sed tamen comprehenduntur; nimirùm *se pro administrationibus sortiendis, neque dedisse quidpiam, neque daturos unquam postmodùm fore, sive per se, sive per interpositam personam, in fraudem Legis, sacramentique, aut venditionis-, donationisve titulo, aut alio velamento cujuscunque contractus.*

XXXVI. Binæ sunt formulæ juramenti hodie in Belgio usitatiores, juxta quas assumendi ad officium judicis vel Magistratus jurare jubentur, non absimiles prædictis formulis jam pridem ab Imperatoribus præscriptis. Una eaque prolixior contenta in Læto introitu Principum nostrorum, qua assumendi ad Officia, & magistratus jurant, se nec pecuniam, bona, munus, mitam, nec aliquod obsequium, nec beneficium dedisse, promisisse, obtulisse, aut dari, promitti, vel offerri suo nomine curâsse: insuper nec precibus solicitâsse, aut solicitatorem interposuisse quocunque modo. Verba formulæ idiomate vulgari expressæ sunt: *Dat sy om Broghemeesterschap Schependomme, ende Raedtschap, goet, geldt gifte, myde noch eenigherhande diensten, noch goet, ghegheven, gheloft, noch ghebodenen hebben, noch doen gheloven, gheven, noch bieden jemandem van heurem wegen, noch daeromme ghebeden, noch doen bidden, in eenigher manieren.* Id est: » Quòd ipsi pro » Consulatu, Scabinatu, assessu Consilii, nec bona, pecuniam, » munera, nec cujuscunque generis obsequia, aut compensa- » tiones dederint, promiserint, obtulerint, nec promitti dare, » aut offerri cuiquam sui nomine curârint, nec idcircò rogârint, » aut rogari jusserint quocunque modo. « Extat parte I. Edict. Brabantiæ *lib.* 2. *tit.* 1. *cap.* 15. *art.* 11.

Altera formula succinctior, qua omnes passim ad officia quæcunque promovendi jurare jubentur ad manus Regis, sive Primarii Officiarii, aut alterius, qui nomine Regis juramentum excipere solet; exprimitur in Edicto Philippi IV. de 2. Maii 1626. quod extat *Parte* 1. *Edictorum Brabantiæ*, *lib.* 3. *tit.* 14. *c.* 2. Juxta hanc formulam promovendus jurat, se nec pro statu isto assequendo, nec ejus intuitu quidquam cuipiam, sive in pecunia, sive in alia quacunque re obtulisse, promisisse, aut dedisse; nec item offerri, promitti aut dari curâsse, vel curaturum, aut daturum, directè vel indirectè, aut quovis alio modo: salvo duntaxat eo, quod pro expeditione erogari consuevit. Tenor formulæ vulgari idiomate expressæ est: *Dat hy om den voorschreven staet te berchryghen, oft ter ocrsaecke van dien, egheene geldt, noch eenighe andere dighen, hoedaenich die souden mogen zijn niemanden gheboden, belooft, noch ghegheven en heeft, noch doen bieden, belooven, noch gheven en sal, vvyen dattet oock zy, directelick, oft indirectelick noch andersints in eenigher manieren, behalvens t' ghene, datmen ghevvonnelick is tegheven voor d' expedietie, ende depeche.* Id est. » Quòd » ipse, ut prædictum statum adipisceretur, aut ratione illius, » nec pecuniam, nec aliud quidpiam qualecunque demum cui- » piam obtulerit, promiserit, aut dederit, nec offerri, pro- » mitti, aut donari curaverit, nec daturus sit, cuicunque tan- » dem directè, aut indirectè, nec alio quocunque modo, eo » duntaxat excepto, quod pro litterarum confectione dari con- » suetum est. « (u)

XXXVII. Vult autem Princeps, (x) ut in omnibus commissionibus, sive litteris *patentibus* expediendis, super provisione officiorum, hæc formula juramenti inseratur: ideoque indilatè hoc juramentum præstari præcipit, nec antequam præstitum sit, litteras, sive *patentes* provisionis tradi. Insuper declarat, idipsum observandum in renovatione & *continuatione* Magistratuum: neque posse novos Magistratus ante præstitum hoc juramentum ullam functionem Magistratûs obire sub pœna nullitatis; quodque dicta officia vacabunt, & pro ea vice ad Principis collationem spectabunt.

Si in litteris continuationis dicatur, sub *juramento antea præstito*, tunc per acceptationem litterarum, & continuationis, censetur *renovatum* juramentum, tametsi, illud expressè & nominatim non repetatur.

XXXVIII. Si prædictæ juramenti formulæ, in verbis quidem nonnihil differentes, sed in substantia, & sensu planè conformes, ritè expendantur, non obscurum erit, omnem planè pecuniæ, alteriusve Rei temporalis dationem, promissionem, vel oblationem, directè vel indirectè, pro assequendo officio, debere esse exclusam, ut juramentum citra perjurium juxta prædictas formulas præstari queat.

XXXIX. Insuper nequaquam ambiguum est, eum citra perjurii crimen hoc juramentum præstare non posse, qui licèt Principi, aut Magistratui, ad quem officii collatio spectat, pecuniam munusve non obtulerit, promiseritve, illud tamen promissit obtulitve per se vel per alium directè vel indirectè illis, quos sciebat gratiâ apud Principem vel Collatorem valere. Quia licèt non immediatè Collatori officii pro assequendo officio pecuniam, aliudve temporale dederit, reverà tamen, saltem indirectè & obliquè ad officium illud assequendum, & Collatorem

(s) *Dicta l.* 36. *tit.* 5. *lib.* 2. *Recop.* » So pena que por el » mismo hecho sean avidos por quebrantadores del Juramento. «

(t) *Ecclesiast. cap.* 20. *v.* 31. *legitur.* : Dona excæcant oculos Judicum.

(u) *In Hispania quibus qualitatibus præditus esse debeat qui ad Judicis officium assumitur, tradunt leg.* 1. & 3. *tit.* 9. *lib.* 3. *Recop.* & *quæ quibusque in casibus salaria percipere possunt, leges* 2. *tit.* 5. *lib.* 3. & 4. *tit.* 4. *lib.* 2. *Acta Acord.*

(x) *Lex* 7. *tit.* 1. *lib.* 8. *Recop.* » Juren en el nuestro Con- » sejo las cosas contenidas en las leyes del Ordinamento de Al- » cala de Nares: *cui addendæ sunt leg.* 44. *tit.* 4. *lib.* 2. & 21. *tit.* 7. *lib.* 3. & *Actum Acord.* 4. *cap.* 3. *tit.* 1. *lib.* 8. *ejusd. Recopil.*

rem inclinandum, pecuniam dedit, aut promisit: unde nec verè jurare potest se pro assequendu officio nihil dedisse, promisisse, aut obtulisse *directè vel* INDIRECTE, *aut alio* QUOVIS MODO.

XL. Dicit Zypæus *lib.* 1. *de Judice, cap.* 38. *n.* 5. quòd ambitiosis, contra quos apud Romanos variæ leges lâtæ fuerunt, » hodie accedant, quæ in speciem Religionis fortunas effundunt » & aliquibus piis locis donationes faciunt, ut per eorum Præ- » fectos suffragia consequantur, quæ apud alios emere non li- » ceat. «

Sanè qui munera offerunt Monasteriis, aliisve piis locis, ut iis mediantibus Sodalium illorum gratiam aucupentur, atque hoc pacto per ipsorum intercessionem & commendationem à Principe, aut Magistratu officium obtineant, non tantùm ambitionis, sed & perjurii rei sunt; si juramentum ad præscriptum suprà expressæ formulæ faciant. Nimis enim manifestum est, hujusmodi munerum dationem ultimatè fieri, ut per ipsos Monasteriorum & piorum locorum Præfectos & Sodales ad officia perveniatur.

XLI. Qui ex multorum praxi, & Principum, ut ajunt, scientia & conniventia pallium contegendi sua juramenta sibi conficiunt, attendant, quòd licèt Principi quidem fas esset ex justa causa præstandum sibi juramentum interdum remittere, nequaquam tamen multorum praxis, aut Principis conniventia, imò nec expressa voluntas sufficiens est, ut dum juramentum sub certa verborum formula præstatur, possit citra perjurium ad eam formulam jurari, si vera non sint, quæ juramento asseruntur. Itaque qui jurat, se nec directè vel indirectè pro assequendo officio pecuniam dedisse, à perjurio excusari nequit, si pecuniam directè vel indirectè dederit per quamcunque contrariam praxim, aut Principis scientiam & conniventiam.

XLII. Neque juramentum justificabit, quod forsan in mente aliquid subintelligat contrarium ei, quod formula exprimit,

(y) *Resolutio trium Facultatum, Juris Canonici, & Juris Civilis.*

Respondetur, non licere. Et quisquis eorum aliquid, quæ in istis formulis tanguntur, juxta quod planissimè verba sonant, fecerit; tamen & juraverit se non fecisset, est indubitati perjurii reus. Non est ista in puteum Democriti abstrusa veritas, ut nonnulli putant, sed ita perspicuè oculis humani generis exposita, ut non minus dolendum sit, imperitorum animos propriis cupiditatibus ita obscurari, ut eam, jam olim inter Ethnicos indubitatam, à peritioribus veluti dubiam discutiendam censeant; quam ipsos peritos cupiditatibus alienis usque adeò lenocinari, ut rem lucidissimam tortuosis ratiocinationibus quodammodo obruere, ac de conscientia hominum delere velle videantur. Quid enim? An forte non est jusjurandum, quo se dicunt sanctè promittere, tactisque Evangeliis jurare? An non disertis verbis omnia & singula se fecisse, vel facturos esse negant *per se, per alios directè vel indirectè, quocunque modo*, quæ secundum apertissimum verborum sensum, quem ex Principis, & Reipublicæ mente habent, & omnium hominum sano judicio præ se ferunt, eos fecisse, vel facere se sciunt, & in ipso casu supponuntur? Falsum ergo esse sciunt, quod jurant, & proinde perjurium est. Quid enim perjurium, nisi jurare, quod falsum quis arbitretur: videlicet non se fecisse vel facturum esse, quod se fecisse aut facere norit? Unde Aug. *Serm.* 28. *de verbis Apost. cap.* 2. totius humani generis sensum de illa veritate promens, *Da* inquit, *alium, qui scit falsum esse, & dicit verum esse, & jurat tanquam verum sit, quod scit falsum esse. Videtis, quàm ista detestanda sit bellua, & de rebus humanis exterminanda! Quis enim hoc fieri velit? Omnes homines talia detestantur.* In quo genere jurantium viderint illi, num ab Augustino comprehensi sint, qui sciunt se præsentationibus, promissis vini cerevisiæ, pecuniarum effusionibus, nundinatos esse magistratus, Lectiones, aut officia: & scientes, videntesque, coram scientibus, Deo ipso, quem testem invocant, inspectante, nihilominùs jurant non fecisse, videant, inquam, etiam atque etiam, utrum ipsi non sint, *qui jurant tanquam verum sit, quod sciunt falsum esse*; & simul videbunt, quàm *detestandæ belluæ, & de rebus humanis exterminandæ*, veritate per os Augustini loquente, decernantur. Cujus quidem rei ratio ut enucleatiùs intelligatur, & occurratur frivolis quorundam cavillationibus, quibus tanquam ficulniis foliis turpitudinem tegunt, sciendum est, certam, receptissimamque esse veritatem, etiam apud illos, qui quàm maximè habenas adulterandæ veritati laxaverunt, fallaciisque verborum perturbârunt humani generis commercium, eum, qui sponte suâ, nemine, nisi propria ambitione assequendi honoris impellente, juramento sese ingerit, & ejus necessitati se exponit; atque interim Princeps vel per se, vel per statutum justissimis de causis latum, præcipit, ut juret veritatem, non posse aliter jurare, quàm secundum mentem Principis, ac Statuti. Tunc enim quidquid aliàs licere, vel non ipseque sensus obvius præfert, & intelligit is, cui juramentum præstatur. Quia ut rectè expressit S. Isidorus relatus apud Gratianum *Caus.* 22. *quæst.* 5. *Can.* 9. » Quacunque arte verborum » quisque juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc » accipit, sicut iste, cui juratur, intelligit. Dupliciter autem reus » fit, quia & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo » capit.“ His consonat hoc Augustini *Epist.* 125. „ Illud sanè » rectissimè dici non ambigo, non secundum verba jurantis, sed » secundum expectationem illius, cui juratur, quam novit ille » qui jurat, fidem jurationis impleri. Nam verba dificillimè com- » prehendunt maximè breviter sententiam, cujus à jurante fides » exigitur. Unde perjurii sunt, qui servatis verbis, expectatio- » nem eorum, quibus juratum est, deceperunt.“

XLIII. Latissimè hunc restrictionum mentalium fucum jam pridem refutârunt tres superiores hujus Universitatis Facultates, in responsione data Parochis hujus oppidi Lovan. qui propositis suprà expressis juramenti formulis quæsierant: » Utrum » liceat ambire Magistratum, aut officium, solicitando suffragia » Collatorum, promissis symphosiis, pecuniis, muneribus per „ se vel per suos? Rursus: Utrum liceat munera, simphosia, „ pecunias, aut simile quidpiam accipere, per se vel per suos, „ aut sinere, ut promittantur sibi, in eum finem, ut ad officium „ quodcunque suæ collationis aliquem suo suffragio quis promo- „ veat, & simul tamen liceat ista juramenta respectivè præstare?“

Hæc erat Parochorum propositio; cujus secundum membrum reflectit ad juramentum, quod promovendus ad Magistratum etiam præstare tenetur; nimirum, „ se non accepturum, sive » per se ipsum, sive per alium, ullum munus, aut oblationem » honorariam sive in pecunia, sive in bonis, pro collatione cu- » jusquam officii, vel ministerii, sibi competente; nec permis- » surum, ut ulla sibi fiat ejusmodi promissio eo intuitu.“

XLIV. Huic propositioni responderunt dictæ tres Facultates, id non licere. (y) » Et quisquis (inquiunt) eorum aliquid » quæ licere quispiam dixerit, cessat omnis causa, vel in speciem legitima fucandæ veritatis. Nam & Princeps, ut supponimus, legitimè jubet, & Principi legitimè jubenti obediendum esse lex humana, & divina, & naturalis, & æterna testatur; nec Principi obedire potest, nisi eo sensu jurando, quem mens Principis postulat, & ipsa verba planissimè profitentur. Nam in illis circumstantiis, nescio, quo privato sensu à sensu Principis, & Statuti, & Reipublicæ, & omnium hominum alieno jurare, non est obedire Principi, sed illudere: neque calliditas ista à perjurio jurantem liberat, sed eum reddit Principis indignatione, & humani generis detestatione digniorem. Omnem enim fidem ex ejus commercio funditus tollit, qui in tam rationabilibus circumstantiis adhuc à verborum strophis, & occultis sensûs versutiis præsidium petendum putat. Atqui hæc omnia in præsenti casu concurrunt liquidissimè. Nam & Princeps legitimus jurari veritatem jubet, & legitimè jubet, & tota Respublica id, quod jubet, probat, & quo sensu jubeat, verba clamant, ut vel tardissimis notum est: & res gravissima est, & Reipublicæ omninò necessaria, & neminem ad juradi necessitatem adigit, nisi propriæ ambitionis æstus, qui ad honores per ambitûs corruptelas anhelat, & properat. Quis igitur dubitet, hîc fidem, atque sinceritatem jussui, statutoque Principis, & exspectationi Reipublicæ deberi, nisi qui dolosè jurando fallere, & omnem loquendi sinceritatem, omnem jurisjurandi fidem ex hominibus exterminatam cupit? Cui enim, quando, quomodo quisquam injurato credat, si neque juratis hîc tutò credi potest? Si, inquam, liceat hic commentitio verborum fuco Principis, & Reipublicæ, & omnium hominum expectationem fallere; & de cœptis interrogatum, de aliis jurare? Hoc enim non jurare, sed pejerare est. Nam, ut optimè verissimeque S. Aug. Epist. 224. *Expectationem eorum, quibus juratur, quisquis deceperit, perjurus est*: quod cum prædictis saltem circumstantiis, si unquam absolutissimè verum esse, nullum dubium esse debet. Quam perversitatem nimis Reipublicæ etiam in loquendo, nedum in jurando, pernitiosam graviter perstrinxit Tertull. lib. 4. cont. Marc. c. 38. *Justa, & digna præscriptio est in omni quæstione ad propositum interrogationis pertinere debere sensum responsionis. Cæterum aliud consulenti, aliud respondere dementis est.* Et Aug. Ep. 224. fallaciis pejerantium terminos collocans, fidentissimè dicit: *Illud sanè rectissimè dici non ambigo, secundum expectationem illius, cui juratur, quam novit ille, qui jurat, fidem jurationis impleri: nam verba difficillimè comprehendunt maximè breviter sententiam, cujus à jurante fides exigitur. Unde perjuri sunt qui servatis verbis, expectationem eorum, quibus juratum est, deceperunt.* Propter quam, credo, absolutissimam Augustini resolutionem veritas illa in Jus Canonicum, Sancto Isidoro Hispalensi Episcopo verba præformante translata est, Cap. *Quacunque*, articulo vigesimo secundo, quæstione quinta. Sanctus Isidorus lib. 2. sentent. cap. 31. *Quacunque arte verborum quisquis juret, Deus tamen, qui conscientiæ testis est, ita hoc accipit, sicut ille cui ju-*

» quæ in istis formulis tanguntur, juxta quod planissmè verba » sonant, fecerit, & tamen juraverit se non fecisse, est indu-

juratur, intelligit. Dupliciter autem reus fit, qui & Dei nomen in vanum assumit, & proximum dolo capit. Unde perjurium, simul ac dolum in hujusmodi jurejurando, quod ad privatas intentiones relicto legitimo verborum sensu detorquetur, non minùs Isidorus atque August. detestantur; Isidorus ibid. dum non minus ita jurando quàm *proximum dolo capiendo*, jurantes reos fieri volunt. Nempe uterque regulam à spiritu Sancto fixam intuebatur; qui cum rogaretur à Propheta suo. Ps. 14. *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo?* Planissimum responsum dedit, non solum dicendo: *qui loquitur veritatem in corde suo*, ibid. v. 3. & 5. quod omnes isti Principum, & Reipublicæ Ludificatores pro se jactitant; sed etiam addendo: *Qui non egit dolum in lingua sua: qui jurat proximo suo, & non decipit*: Quanto justiùs addas: Qui jurat Regi suo, & Reipublicæ, & non decipit? Nam hujusmodi deceptio, si uspiam, certè in istis nostri casus circumstantiis, tam æquis ex parte Regis, & Reipubl. tam iniquis ex parte ambientium, qui ultrò præcipites in istas mentiendi, & pejerandi angustias ruunt, maximè detestabilis est: ut sanè adversus tales potissimum sententias suas Scriptura, & veteres isti pronuntiaverint, quibus & Zacharias exitium comminatur, Zachar. 5. 3. & 4. *Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ: & veniet ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & consumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus.*

Deinde ex alio capite doctrinæ istius veritas perspicuò constare potest: quando enim à Principe, vel Collegiis pupularibus aliqui ad Magistratum, vel Professiones Academicas adsciscuntur, inter Eligentes, Electosque expressum hoc intercedit pactum, ut non alia lege ad Magistratum, aut professionem admoti censeantur, quam si solemni jurejurando hi se de ambitu purgaverint; illi verò præterea se viros idoneos, Officiis, atque Lectionibus, citra personarum acceptionem, ac munerum sordes, se admoturos receperint, juxta formulas juramenti supra descriptas. Jam verò certum est, & omnium Doctorum sententiâ indubitatum, à conventionibus, pactisque mutuis sive tacitis, sive expressis, omnem abesse debere fraudem, dolumque malum; multòque magis à Sacramentis, quibus conditionem appositam se servaturos alter alteri spondet ac jurat. Est autem fraus, dolusque malus, *sicut scit omnis, qui verba Latina intelligit, cum aliud agitur, & aliud fingitur*, inquit Augustinus *Tract. 7. in Joann.* & in *Psalm.* 5. & in 14. Vel, ut alibi post Philosophos dicit: *Cum aliud agitur, aliud simulatur: cùm aliud ore profertur, aliud pectore tegitur.* Tull. lib. 3. offic. Quod qui faciunt, ut olim rectè quidam dixit, *perfidi, improbi, malitiosi sunt*: qui autem Dei testimonio fidem simulationis istius supplere volunt, perfidiæ addunt perjurium. Alterutrum autem quisquis tanquam licitum in conventiones humanæ societatis admittit, omnia profectò vincula mutui commercii disrumpit, omnem fidem adimit dicentibus, promittentibus, jurantibus; pontemque sternit, per quem omnes fraudes, mendacia, perjuria tuto transeant. Hoc certè scio, quisquis hujusmodi restrictionum, vel potiùs fraudium, aut mendaciorum strophas in mutuis conventionibus permissas putat, nemini succensere debere, qui sibi juranti, cœlumque & terram in fidei subsidium invocanti, non crediderit. Quâ pœnâ talibus nulla forsan justior, & ad perversitatem illam corrigendam opportunior infligi posset: nimirum, ut suam omnibus hominibus fidem in loquendo suspectam esse sentiant, qui eam ex hominibus docendo sustulerunt. Fixum ergo, ratumque maneat, à pactis mutuis omnem abesse debere fraudulentiam: omnem ergo occultam restrictionem, quæ verbis ex mente paciscentium non comprehenditur. Tantò enim perniciosior ille dolus est, quantò latentiùs lædit; tantò detestabilior, quantò majori hypocrisi sub integritatis pallio latet. Ex quo nascitur, ut omnium gentium judicio, quisquis in paciscendo, pactique conditionibus jurejurando sanciendis, etiam hostem, nedum Principem fefellerit, aliud animo cogitans, aliud verbis præ se ferens, sacrilegus & perjurius sit. Talis judicatus est olim Cydias, Historiam narrat ex Herod. Stobæus serm. 26. qui cùm aurum ex deposito reddendum suscepisset, baculum, cui illud incluserat, Archetimo cuidam, qui deposuerat, manu tenendum tradidit, interea testem invocans Deum cum versuta mentis interpretatione, se aurum ei reddidisse. Sed Deo suam à fraudibus vindicante veritatem, baculus per Archetimum iratum fractus, aurum effusum, dolus detectus fuit; Cydias cum detestatione humani generis mala morte periit. Tales & illi multò potiori jure sunt, qui cum Professionem, vel Magistratum, sub lege præstitæ vel præstandæ integritatis, à nundinationum sordibus acceperint, eamque pecuniarum & munerum acceptione apertissimè violaverint; audacter jurant, eam se præstitisse, videlicet (sicut mentis restrictione Principem suum ludificantur) quia non acceperunt, ut non nemo, *publicè*, ut alii, » bitati perjurii reus. « Quam suam assertionem solidissimè adstruunt, refutatis argutiis, & detectis palliis, quæ ingeniosa

non ab indignis: ut alii, *non ultra solum.* Quasi vero acceptio clancularia, aut ab eis, quos ipsi dignos judicant, aut per corruptos hominum mores jam consueta, non sit acceptio munerum, non sordes, non damnatæ impositâ lege corruptelæ. Sic enim his auctoribus, etiam Romanus populus pejerare potuisset, se nihil omninò accepisse, quando usque adeò consuetudine quâdam ambitus invaluerat, ut corruptelis uterentur ὡς ἐργαλείοις νομίμοις *ut opificio consueto*, Plut in Catone Uticensi, palamque in foro, mensæ pecuniis plenæ ponerentur, quibus suffragia populi redimerent. Nihil enim ultra consuetum, nihil nonnunquam palàm, nihil sæpiùs ab indignis accipiebant. Item in Cæsare. Nam Cæsar inter cæteros industria, fortitudine domi bellique clarus, & perquàm dignus fuit, qui Gallicarum opum profusione obnoxiam tenebat plebem. Sed quemadmodum nemo dubitat, intollerandas istas fuisse Romani populi corruptelas, ita & nostrates esse, certum est: & neutræ restrictionum beneficio inter jurandum interposito, à manifesti perjurii labe excusari possunt. *Fraus enim astringit*, non dissolvit perjurium, Cicero *lib. 3. Offic.* Nec vero veritas ista tam obscura est, ut vel in solis Doctoribus Ecclesiasticis, vel in Sacris Litteris quærenda sit. Vidit eam, scripsit, opereque expressit impietas Paganorum, ut pietas Christianorum nostrorum erubesceret. Marcus enim Attilius Regulus, cùm à Cartaginensibus captus, eis non per Sacramenta Dei veri, sed per Dæmonum inquinamenta jurare cogeretur, ut nisi captivorum commutationem impetrasset, rediret ad carcerem: non putavit in istis angustiis aliquâ jurandi dexteritate sibi posse subveniri, sed horrendos corporis cruciatus sibi revertendo subeundos potiùs arbitratus est, quàm fallaciter suum de reditu jusjurandum intelligendo, vel non redeundo, pejerare. Perjurium enim se omninò fore judicavit, si aliud juraret, quàm quod legitimus verborum sensus præ se tulit, quodque ab illo non Rex, non Respublica sua, sed hostis firmandum Sacramenti sanctitate postulabat. Nam hinc est etiam illud præclarum, & ab Augustino epist. 224. celebratum, quòd Romana Censura post acceptam Cannensem cladem noluit retinere in numero Senatorum (Polib. & Aug. unum fuisse volunt ex decem. Livius verò, & Attilius Græcus plures, de quo & Tull. in fine *lib. 3. Offic.*) non solùm eos, qui metu mortis, crudeliumque pœnarum apertissimè pejerare, quàm ad castra Pœnorum redire maluerunt; sed etiam illos, qui reatu perjurii se putaverant absolutos, quia post præstitum jusjurandum quasi aliquid obliti, ficta nescio qua necessitate, reversi fuerant, quam quodam jurandi artificio præter mentem eorum, quibus juraverant, excepisse videbantur. Omnibus enim notis, ignominiisque confectos esse tradunt, ut quidam eorum mortem sibi exemplo consciverint; cæteri non foro solùm omni deinde vitâ, sed prope luce, ac publico caruerint. Vide Livium *lib. 32. in fine.* Tull. in *fine lib. 3.* Offic. *Ita non attenderunt*, inquit Aug. Epist. 224. *qui eum Senatu pepulerunt, quid ipse jurando cogitâsset, sed quid ab illo ii, quibus juraverat, expectarent.* Hæc legimus, hæc miramur, hæc infidelium sensa & facta laudibus in cœlum tollimus; & nos Christiani disputandum putamus, utrum perjurii sint, qui non hostibus, sed Reipublicæ, & Regi suo, nullo mortis justæ vel injustæ, nullo carceris arcedendi metu, sed se ambitionis æstu stimulante ultro sese ad Magistratum & Officia, & inde ad jusjurandum subeundum offerunt, scientiâque facti sui, & constientiâ reclamante pejerant, nihil eorum se fecisse vel facturos esse, quæ jurisjurandi formula exprimuntur? Et quod magis intolerabille est, ad hoc nefas quasi licitum, viri boni, nescio quâ Theologiæ quasi limatioris fiducia annuendum esse decernunt. Quid enim est hoc aliud, quàm artem fallendi Principem, & Rempublicam adeoque pejerandi tradere, si verum est, quod verissimum esse in casu longè mitiori docuit August. 224. *Perjuros esse, qui servatis verbis expectationem eorum, quibus juratum est, deceperunt?* Quæ si temporibus Augustini monstra sententiarum prodiissent, quantâ vocis contentione, & animi gemitu iterum juxta doctrinæ suæ jam traditæ regulam exclamasset. Lib. cont. mendac. cap. 18. *Et sunt in eis docti, qui etiam regulas figunt, finesque constituunt, quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi estis fontes lachrymarum! & quid faciemus, quò ibimus, ubi nos occultabimus ab irâ Veritatis, si non solùm negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria?*

Ab hujus labe criminis aliqui se immunes putant, quòd non aliter censeant intelligendum huc jusjurandum, vel aliter â Principe intelligi, quàm ne corumpantur donis, promissisvè Collatores, ut in personam indignam suffragium suum conferant. Argumento esse, quod Princeps sciat istam donandi, potandique consuetudinem, nec in statuti (ut sonat) transgressores animadvertat. Ita vindex criminum, in eorum patrocinium accersitur; sed toto cœlo falluntur: primò, quia ex conniventia Principum, scelerum licentiam colligere, fallacissimum est argumen-

sa ambitio ad excusandas execusationes in peccatis, & ad perjuria in occulis hominum pallianda & occultanda adinvenit. Et quia etiamnum hodiè videntur multi hujusmodi vanis prætextibus illudi, & perjuria manifesta tegere velle, non inconveniens credidi, hanc integram Consultationem hîc exhibere.

XLV. Interim si Principum mens in præscribendis prædictis juramentis attendatur, constabit, omnia hæc juramenta unicè instituta, & ordinata esse, ut Judices, & Magistratus constituantur *Viri potentes, & timentes Deum, in quibus sit veritas, & qui oderint avaritiam*; *Exod. cap.* 18. *vers.* 21. & qui sine ulla personarum acceptione, (z) ulliusque retributionis intuitu, administrent omnibus indiferenter justitiam; ita ut nulla ipsis sit distantia personarum; ita parvum audiant, ut magnum; nec accipiant cujuspiam personam, quemadmodum Judicibus jam pridem præcepit Deus per Moysen *Deuteronomii* 1. addens: *Quia Dei judicium est.*

XLVI. Unde & in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 21. præcipitur, ut Consiliarii, aliique de Curia pauperibus *pro Deo*, id est, *gratis* inserviant, atque æquè pauperibus, quàm divitibus parati sint.

Quod ut exactius servetur, *art.* 20. interdicitur Consiliariis à litigantitibus ante vel post sententiam accipere præter constituta salaria quodcunque munus, sive sub prætextu habendæ expeditionis, vel alio quocunque, sub pœna quod hujusmodi munus dantes, aut acceptantes arbitrariè corrigentur. Verba articuli sunt: *Dat alle, die van onsen vvoorsz. Raede sullen hen respective te vreden houden mette gagien, die den by ons toeghevueght ende gheordineert zyn, ende oock metten anderen accidenten van rapporten ende vocatien, sonder dat jemandt van hen, oft iemandt anders in heuren naeme eenighe schincken oft ghiften voor oft naeer t' vonnisse sal moghen van d' eene oft d' andere Partyen litigantem, oft van heuren vveghen otfanghen, het vvare onder t' pretext van expeditie oft andersints, op de pene dat de ghene, die hen vervoorderen, de voorscreven schencken oft ghiftent de doen oft ontfaen, sullen arbitrarlyck ghecorrigeert vvorden.* Id est: » Ut omnes, qui de Consilio nos-
» tro
quod à dignis quàm quòd ab indignis accipiantur munera. Toto enim Edicto illud imprimis spectat Princeps, quemadmodum late in ipsa Præfatione, aliisque locis declaratur, ne populus exactionibus, aliisque illicitis emungendæ pecuniæ modis à Magistratibus, Præfectisque suis opprimatur, dum pretium, quo in venandos honores, & officia, plenâ manu fusum fuit, paulatim iterum cum fœnore colligitur. Quod profectò malum Reipublicæ ab omnibus illis ambitiosis suffragiorum corruptionibus imminet. Nec vero unquam hujusmodi leges, & juramenta, sic intellecta fuerunt in Rebuspublicis, quæ sordes ambientium severè coërcendo, oppressiones justitiæ & populi, aliaque mala, à cervicibus suis arcere voluerunt. Testis est Romana, in qua semper Ambitus, hoc est, criminis affectati perperam honoris, fuerunt rei, quotquot in se populi suffragia pretio pertraxissent, sive de cætero digni, sive indigni haberentur. Qua de causa crimen istud etiam in maximis illius Reipublicæ viris tum accusatum, tum magna severitate vindicatum est. Nam ut Salustius, *Vir bonus ad honores & imperium vera via*, Salust. in Conjur. Catil. hoc est, ut eum exponit Aug. *lib.* 5. *de Civit. cap.* 12. virtute *nititur malus*: *malus dolis, atque fallaciis contendit*; inter quas profectò, munerum corruptelæ non infimum locum tenent. Itaque postquam suffragiorum invaluisset corruptela per adulteratos populi mores, & Cato legem à Senatu ferendam curasset, quo Magistratus designati, si neminem accusatorem haberent, Plut. in Catone Minore, *jurato judicio offerre cogerentur, atque ibi rationem parati Magistratus reddere*, etiam perjuri habiti sunt, non solùm suffragatores, qui pretio in Candidatos traducti probarentur, sed etiam Candidati, si cujus facta Sacramento ejus dissona probata fuissent. Quam propterea legem ita timuêre Candidati, ut periculosissimus tumultus adversus Catonem concitatus fuerit. Nimirum quia nondum dedicerant à Christianis Ethnici dexteritatem deponendi istius metus, subtilem, *inquam*, illam Theologiam, qua legitimam Reipublicæ Sanctionem de non comparandis, aut vendendis pretio suffragiis, quam juxta Reipublicæ mentem violassent, sine perjurio se non violasse jurarent. Perjuri igitur fuerunt Ethnicorum judicio, qui Magistratus aut officia pretio ambientes, se pretium non dedisse pejerassent. Perjuri fuerunt etiam Imperatorum judicio, Theodosii, & Valentiniani, qui cum jussissent Magistratus, Leg. *Sancimus ejusmodi*, Cod. ad Legem Juliam Repetund. *juratos inter gesta depromere, se pro administrationibus sortiendis, neque dedisse quidpiam, neque daturos unquam postmodum fore, sive per se, sive interpositam personam in fraudem legis Sacramentique*, quæ formula hodierno juramento, de quo tractamus, est simillima, adversus transgressores, tanquam publico crimine neglecti Sacramenti perjuros, addunt, *Si quis ausus fuerit præbita Sacramenta negligere, non modò adversus accipientem, sed etiam adversus dantem accusandi cunctis tanquam crimen publicum concedimus facultatem.* Quòd si quis à Romanis Imperatoribus, & Ethnicis Senatoribus, & priscis Romanæ Curiæ Censoribus, tanquam Theologiæ imperitis, ad subsellia Theologorum Christianorum provocandum putet, profectò causa, de qua satagimus, finita est. Perjuri enim fuerunt, etiam Principis Theologorum Augustini judicio: qui de tali suffragiorum suorum nundinatore populo, quia juratus in suffragia mittebatur, sine fluctuatione decernet: Aug. lib. 3. de Civit. cap. 2. *Quid aliud toties Senatores currupti in judiciis, toties populus in suffragiis, vel in quibusque causis, quæ apud eum concionibus agebantur, nisi etiam pejerando peccabant? Nam corruptissimis moribus ad hoc mos jurandi servabatur antiquus, non ut à sceleribus metu Religionis prohiberentur, sed ut perjuria quoque sceleribus cæteris adderentur.*

menti genus. Nam in criminibus vindicandis multa possunt Principes, quæ non expediunt; multa expediunt, quæ non possunt, multa possunt & expediunt, sed opportunius differentur; multa, quia publicæ probationis luce destituta, quamvis severissimè punienda relinquunt Deo, qui solus occultorum testis, & judex est. Deinde, quod putant Principem & Rempub. intelligere cum ista restrictione juramentum sine dubio falsum est. Primò quia non potest cadere in priorem juramenti partem, qua quisque jurat, *se non ambivisse muneribus Magistratum.* Illius enim sensus absolutus est, quod munera nulla dederit; quibus suffragia compararet, seposita omni dignitatis, indignitatisque consideratione. Quid enim magis fingi posset fatuum quàm jusjurandum ab aliquo de sua dignitate, seu capacitate postulare, ut videlicet juret, nullis muneribus, quibus eligentes corruperit, se ambivisse, ut se indignum eligerent? Igitur neque restrictio illa in posteriorem partem cadere potest, quâ iidem jurant, *se munera non accepturos.* Dissertè enim additur *quod similiter*, sive eodem sensu, quo jurent se non dedisse, jurent se non accepturos esse munera. Deinde quemadmodum officia conferre indignis propter munera, gravis noxa Reipublicæ est, ita & muneribus corrumpi, ad officia minus dignis conferenda, præteritis dignioribus, Reipublicæ vehementer noxium est. Utrumque ergo incommodum amolliri voluerunt, qui in bonum Reipublicæ istas jurisjurandi formulas præscripserunt. Denique, quia juramenti objectum, sensus & veritas ex verborum, quibus expressum est, significatione pendet, non ex conceptibus, quos sibi pro arbitrio jurantes formant. Ex mentali autem restrictione verborum significationem suspendere, est omnem istorum vocalium signorum vim, ac certitudinem, adeoque omnem humanæ societatis fidem, quæ citra illam subsistere nequit, uno lætali ictu interimere. Cum ergo in præscriptis jurisjurandi formulis nullum verbum sit, quod vel dignitatis vel indignitatis significationem præ se ferat, non est illa juramenti interpretatio, sed adulteratio. Dignitatis ergo eorum, qui concurrunt, æstimatio, conscientiæ cujuscunque juxta naturæ legem relicta fuit, non autem juramento illigata; propterea quòd plerumque illius comparatio incertior sit, quam ut juramento asseri possit: mala autem fides in illa spectanda secretior sit, quam ut deprehendi possit. At verò quia munerum oblatio, Collatorum judicia excæcare, & affectum potentissimè ad se trahere solet, illæque sinceritatis pestes facilè notari possunt, in eas cautio juramenti palàm directa fuit, ut universim excluderentur. Ad extremum Rex ipse sensum juramentorum talium nuper perspicuè exposuit. Nam in Edicto an. 1626. quo Sacramentum omnibus officiorum Candidatis imponitur, disertissimis verbis declarat in præfatione se non permittere, *Ut collatores officiorum ex eis emolumentum suum capient, non magis venditione, aut elocatione quàm aliâ quacunque ratione: neque ut quisquam accipiat, aut largiatur quidquam respectivè in recognitionem, aut gratitudinem, directè vel indirectè, quocunque modo.* An dignis vendere, & elocare, à dignis pretium emungere, caveas cerevisiarias exugere, non est suum captare emolumentum? Hinc ulteriùs in eodem Edicto Art. 1. cuncta officia, quæ tali modo extorta, fœdataque fuerint, ipso jure vacare & impetrari posse decernuntur. An dignorum officia non sunt officia? Hinc quotquot præterea pretii alicujus accepti aut dati culpâ detinentur, ab officiis dejiciendos, & ad hoc ipsum vel aliud administrandum tota vitâ inhabiles esse sancitur. Quæ profectò manifestissimè clamant, omnes omninò quorumlibet corruptelas, sive digni sive indigni videantur Candidati, Regia Sanctione esse suppressas. Et sanè remedium, quod sordibus istis coercendis jam olim publicâ auctoritate oppositum fuit, hoc sensu intellectum nullius fuerit, esseve poterit utilitatis: juramento enim satisfecerit, fidemque purgaverit suam, quisquis dixerit se dignum putavisse, qui revera indignus fuerit: adeoque jurisjurandi violati non nisi à seipso damnari poterit. Neque minùs contra scopum hujusce Regiæ Sanctionis tendit,

(z) » *Que maguer en juicio no debe haber accepcion de personas.*« *ait L.* 44. *tit.* 18. *lib.* 6. *Recop. cui consonæ sunt LL.* 59. *tit.* 5. *&* 16. *cap.* 3. *tit.* 6. *lib.* 2. *ejusd. Recop.*

» tro sunt, respectivè contenti sint mercede, ipsis per nos assig-» natâ & constitutâ, prout & aliis adventitiis emolumentis li-» tium relatarum, & operæ impensæ, ita ut nulli suorum aut cui-» cunque alteri liceat eorum nomine, munera quæpiam, seu do-» na tam antè, quàm post latam sententiam, ab una seu altera » litigantium parte, aut eorum intuitu recipere, quantumvis » accelerandæ causæ, aut alio obtentu, arbitraria punitione in » eos constitutâ, qui prædicta munera, aut dona offerre, seu ad-» mittere præsument. «

XLVII. Judex igitur diligenter excussâ causâ omnique adhibitâ operâ, ut notitiam veritatis & justitiæ habere possit, tenetur sine ullo personarum privato affectu, humanoque, & particulari intuitu in justitia & veritate judicare, & sententiam ferre, neutri litigantium plus favendo, quàm ipsa justitia & veritas favent; atque ita ostendat reipsâ, se non Dominum & arbitrum, sed ministrum duntaxat Justitiæ; juxta illud S. Ambr. in *Ps.* 118. » Bonus Judex nil ex arbitrio suo facit, sed juxta Le-» ges & jura pronuntiat, Statutis juris obtemperat, nihil indul-» get propriæ voluntati. «

XLVIII. Apage ergo illum horrendum, & omnis justitiæ eversivum *casum pro amico*, qui judicem non ministrum, sed Dominum, & arbitrum justitiæ constituit: meritoque Alexander VII. & Innocent. XI. duas propositiones huic *casui pro amico* impensiùs faventes, latamque portam pandentes respectivè condemnârunt. Propositio ab Alexandro damnata hæc est: *Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest Judex pecuniam accipere pro ferenda sententia in favorem unius præ alio.* Ab Innocentio proscripta hæc est. *Probabiliter existimo, Judicem posse judicare juxta opinionem etiam minùs probabilem.*

XLIX. Nunquam igitur Judex, tametsi causa utrinque sit admodum dubia, & probabilis, potest uni magis, quàm alteri litigantium *ex prævio affectu* favere, sed decidere tenetur, prout in casu dubio Leges decidi volunt. Puta, si agatur de causa criminali, tunc licèt sint probationes admodùm urgentes contra Reum, quæ causam reddant dubiam, nihilominus Reus erit absolvendus, non ex favore speciali ipsius Judicis erga Reum; sed quia Leges nolunt Reum condemnari, præsertim ad pœnam capitalem, nisi *plenè* probatum sit crimen; imò probationes sint luce meridianâ clariores. (a)

Similiter & in causa Civili, in dubio uni, alterive Parti favendum erit, non quia Judex ei magis afficitur, sed quia Lex ob specialem rationem, vel ob conditionem personæ, puta, quia minor est, aut pupillus, vel ob favorem causæ, v. g. quia agitur de causa pia, disponit, ut in dubio pro Reo, aut Actore dicatur; quo casu potest dici, quòd Lex dubietatem causæ tollat, ipsique Judici ostendat, pro quo judicare debeat. (b)

L. Sed quid, si omnibus attentis, & maturè ponderatis, causa maneat utrinque admodum dubia, nec lex disponat, cui adjudicari debeat? nec hoc casu fas est judici pro *amico* judicare, aut se justitiæ Dominum gerere; sed ubique se ut verum justitiæ ministrum exhibere, omni humano favore vacuum, causamque sine aceptione personarum decidere debet: & si deprehendere nequeat, cui eam secundum leges & regulas justitiæ adjudicare debeat, tenebitur rem controversam inter partes dividendo, unicuique pro ratione dubii assignare, quemadmodum jam pridem ostendit Juris-Consultus in *L. 40. ff. de Hæredib. instit.* & ex Navarro notat Zoësius ad titulum Digestorum *de Judiciis, num.* 2.

LI. Ut autem judex animo ita indifferenti causam expendat & judicet, necessarium est, ut se affectibus & passionibus evacuet, atque in ipso amor justitiæ & veritatis omnem spem, timoremque humanum superet; isque tam fortis, & constans sit pro justitia, ut superare queat omnem affectum cujuscunque alterius rei, cujus habendæ cupiditate, aut amittendæ timore dimoveri posset ab administrandâ, indifferenti animo sine ulla personarum acceptione, justitia. (c) Id indicare voluit Ecclesiasticus monens filium suum cap. 7. v. 6. *Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates: ne fortè extimescas faciem potentis, & ponas scandalum in æquitate tua* Et ibidem cap. 4. v. 33. *Pro justitia agonizare pro anima tua, & usque ad mortem certa pro justitia; & Deus expugnabit pro te inimicos tuos.*

LII. Et quis est, qui inter omnes humani intellectus tenebras, omnesque irruentes tentationes & passiones à justitiæ tramite non aliquando deflectat, nisi ei datum fuerit desuper, eumque dirigat, illuminet, & sustineat Spiritus Sapientiæ, Spiritus scientiæ & fortitudinis? Proinde meritò cum Salomone sæpiùs ad Deum clamat Judex, præsertim dum causæ decisio urgetur: *Da mihi sedium tuarum assistricem Sapientiam.... & mitte illam de cœlis sanctis tuis, & à sede magnitudinis tuæ ut mecum sit, & mecum laboret; ut sciam, quid acceptum sit apud te.* Sap. cap. 9. v. 4. & 10.

(a) *In Hispania in criminali causa debent probationes esse ut præscribitur in leg. 26. tit. 1. Part. 7. scilicet:* » sean cier-» tas y claras como la luz, de manera que non pueda sobre ellas » venir dubda ninguna. «

(b) *Judices in Hispania secundum allegata & probata in causa judicare tenentur: expresse præcipit L. 10. tit. 17. lib. 4. Recopilat.* » Segun la verdad que halláren probada en los tales » pleytos. « *quod & etiam confirmant leg. 22. tit. 4. & 8. tit. 13. lib. 2. ejusd. Recop.*

(c) *Lex Hispana 1. tit. 9. lib. 3. & 1. tit. 6. lib. 2. Recop. addunt* » sepan servir á Dios... y teman á Dios.

CAPUT III.

De Forma concipiendi, et pronuntiandi sententiam, et de condemnatione in expensas, et interesse.

1 *Sententia concipienda est prævia plenaria causæ discussione.*
2 *Sententia scripto mandanda est.*
3 *Justinianus nonnullas sententias excipit.*
4 *Hodie Sententia sive* dictum *scribitur.*
5 *Quod vocetur* dictum; *& quid sententia* extensa.
6 *Primitùs Sententiæ in foro Ecclesiastico non ferebantur ex* scripto.
7 *Hodie dispositio Juris Civilis etiam in foro Ecclesiastico recepta est.*
8 *Hoc tamen non obtinet in sententia interlocutoria.*
9 *De Jure communi, & stylo fori Ecclesiastici sententia à judice pronuntianda est.*
10 *Et à* sedente *pro tribunali.*
11 *Jus civile permittit Illustribus personis; ut sententias per* alios *pronuntient.*
12 *Ad harum exemplum id & Episcopis permittitur de Jure Canonico.*
13 *Hodie Magistratus Civiles sententias pronuntiant per suos Secretarios, aut Graphiarios.*
14 *In quibusdam Curiis sententia non recitatur, sed duntaxat Partibus traditur.*
15 *De Jure communi sententia pronuntianda Partibus præsentibus, aut saltem citatis: cui consonat stylus Curiarum Ecclesiasticarum, sed non secularium.*
16 *Sententia de jure ferenda in Procuratorem; secùs de Praxi.*
17 *Quo die sententia pronuntianda.*
18 *Sententia definitiva debet etiam esse super expensis, & interesse.*
19 *An ob omissam condemnationem in expensas possit Victor appellare.*
20 *Regula communis victum victori in expensas esse condemnandum.*
21 *Nonnunquam licita expensarum compensatio.*
22 *Frequentiorum expensarum compensationem coërcuit Edictum de anno* 1611.
23 *Renovavit Edictum anni* 1685. *& quid hoc contineat.*
24 *His Edictis consonant Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl.*
25 *Quid agendum, dum in Scripturis Partium multa inutilia, & impertinentia miscentur.*
26 *Hodie solent in sententia interlocutoria reservari expensæ in definitivam: nec de hac reservatione loquuntur Edicta.*
27 *Judex in sententia non solet exprimere determinatam summam expensarum; sed earum taxationem sibi reservare.*
28 *Quomodo hæc taxatio fiat.*
29 *Quæ in taxatione attendenda ex Ordinationibus Curiæ Brabantiæ.*
30 *Forma taxandi expensas utrique Curiæ seculari, & Ecclesiasticæ conformis.*
31 *Taxa expensarum tradenda victo; & quare.*
32 *Condemnatio ad interesse, & restitutionem fructuum quomodo de jure facienda.*
33 *Interdum Judex ex oficio taxat interesse; interdum injungit Parti, ut specificet suum interesse.*
34 *Declaratio interesse à victore exhibita, tradenda Parti victæ ad diminuendum.*
35 *Advocati puniendi, qui excedunt taxando interesse.*
36 *Plura circa taxationem interesse, & restitutionem fructuum, remissivè.*

I. IMprimis jam pridem ab Imperatoribus ordinatum fuit in *L. 2. Cod. de Sent. ex breviculo recitandis*, » ut Judi-» dices, quos cognoscendi, & pronuntiandi necessitas tenet, » non subitas, sed deliberatione habita post negotium senten-» tias ponderatas sibi ante forment. « Requiritur igitur, ut Judex sententiam suam formet præmissa de toto negotio plena deliberatione, & causæ discussione: de quo actum capite præcedenti.

II. Addunt dein Imperatores: » Et emendatas statim in li-» bel-

» bellum secura fidelitate conferant, scriptasque ex libello Par- » tibus legant. «

Hîc patet, sententiam *scripto* (d) esse mandandam, & ex scripto pronuntiandam: quod & apertiùs declaratur in *L.* 3. *Cod. eod.* ubi Imperatores renovantes prius Statutum, quo mandabatur Judicibus, ut *ultimas definitiones* (sive sententias definitivas) *de scripti recitatione proferrent*, huic adjiciunt Sanctioni, » ut sententia, quæ dicta fuerit, cùm *scripta* non es- » set, nec nomen quidem sententiæ habere mereatur. «

III. Justinianus Imperator ab hac generali regula excipit in *Novella* 17. *cap.* 3. (è qua sumpta est Authentica NISI, subjecta citatæ legi 3.) breves lites, & maximè vilium personarum, » tunc enim (ait) *sine scriptis* (e) & sine aliqua expensa » cognoscere Præsidem oportet. «

IV. Hodie similiter sententiæ in scriptum rediguntur, prius quam pronuntientur; & quidem juxta Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 91. ipse commissarius sententiam, sive *dictum*, ut vocant, concipere & *scribere* debet, illudque Consilio prælegere, ut approbetur.

V. Hoc *dictum* vocatur *breviculum*, Gallicè *Brief*, quasi brevi compendio exprimens sententiam judicis super causa controversa: unde nec in illo scribuntur dicta partium, & responsiones, uti notat Rebuffus tract. De Sententiis *art.* 3. *num.* 40. Si tamen pars petat suis expensis, sententiam habere cum summaria narratione eorum, quæ hinc inde dicta, & allegata fuerunt, poterit id à Secretario, sive Graphiario fieri; modò tamen exactè servetur formula ipsius *Dicti*, in quo nec jota mutari potest: diciturque tunc sententia *extensa*. Vide *art.* 155. *Ordinat. Curiæ Brabantiæ.*

VI. In supra allegata Authentica, quà à generali Lege de ferenda sententia *ex scripto*, excipiuntur causæ breves, & maximè vilium personarum, additur & hæc exceptio: *Nisi Episcopus cognoscat inter suos subditos*: quæ desumpta est ex *Novella* 83. Justiniani, qua declarat: » Ut si quis habet adversus » Clericos quamlibet pecuniariam causam, priùs ad Deo ama- » bilem Archiepiscopum pergat, sub quo constitutus est, & in- » terpellet eum, & ex *non scripto* judicium mereatur; & si hoc » fiat, nec inquietet eum, nec trahat ad Auditoria Civilia, ne- » que à sacro eum vocare faciat ministerio, sed ex non scripto » examinetur negotium sine damnis, & accipiat formam forsan » etiam scriptam, si hoc quoque Partes voluerint, & poposce- » rint, & liberentur alterutro certamine. «

Ex hoc contextu Justiniani manifestum est, quòd Imperator supposuerit, apud Episcopum summariè & citra formam judicialem causas examinari, & definiri; ac ideò, nec scriptura opus esse, quæ in summariis nec hodie requiritur: atque ita durante vetere disciplina fori Ecclesiastici, nec hæc formalitas exigebatur.

VII. At postquam forma judicialis, & forensis intravit in forum Ecclesiasticum, etiam & hæc formalitas necessaria fuit, & expressè declaratur in *Cap. fin. de sententia, & re judicata, in VI.* ubi refertur, & probatur suprà relata *Lex* 3. qua ait, sententiam, quæ ex non scripto recitaretur, nec nomen sententiæ mereri.

VIII. Notat autem ibidem Glossa verbo *definitiva*, quòd hæc intelligenda sint de sententia *definitiva*, non autem interlocutoria; quia necesse non est, quòd hæc proferatur & recitetur in scripto. » Poterit ergo (ait) Judex interloqui, & postea » interlocutoriam illam tabellio rediget in scriptis: nec est etiam » de necessitate, quòd redigatur in scriptis: sed aliàs non creditur » judici, nisi id pateat per scripta actorum. «

IX. Sententia ab ipso judice partibus prælegenda est, citata *lege* 2. *Cod. de Sententiis ex breviculo recit.* Quod & probatur à Pontifice in allegato Capitulo finali: additque expressè, quòd sententia definitiva debeat à judice, *non ab alio* de scripti recitatione proferri: quòd & Officiales, aliique inferiores judices Ecclesiastici observant; præcipiturque in Ordinationibus Curiarum Eccles. Provinciæ Mechliniensis *tit.* 11. *art.* 57. » ut judex » pro tribunali sedens in loco consistoriali, die juridica, definitivam sententiam *in scriptis* ferat. «

X. Dicitur *Sedens*; quia in dicto Cap. finali expressè decernitur: » Sententia, quam scripto edi à Judice litigatoribus » non recitari, vel ipso *stando*, *non sedendo* proferri contingit, » *nullius* penitùs est momenti. «

XI. Ab hac tamen regula facit citata *Lex* 2. hanc exceptionem: » Exceptis, tam viris eminentissimis Præfectis prætorio, » quàm aliis illustrem administrationem gerentibus, cæterisque » illustribus judicibus, quibus licentia concedatur etiam per offi- » cium suum, & eos, qui ministerium suum eis accommodant, » sententias definitivas recitare. «

XII. Ad exemplum illustrium personarum, permittit quoque Pontifex in dicto *cap. fin.* ut Episcopo sententiam ab eo ferendam liceat *per alium* recitare: » quem (ait) propter dignita- » tis prærogativam ampliori convenit honore fulgere. «

XIII. Eodem forsan exemplo illustrium personarum, mos receptus in Curiis secularibus, sententiam recitari ex scripto, non ab ipso judice, sed à Graphiario sive Secretario Curiæ, præsente Senatorum cætu, aut saltem coram duobus Curiæ Commissariis, uti post alios citatos notat Christinæus ad Bignonium *lib.* 1. *cap.* 13. & de Gallia testatur ibidem Bignonius, uti & *lib.* 2. *cap.* 136.

XIV. Imò in quibusdam Curiis moris est, ut sententia non recitetur, sed solùm per Graphiarium in scriptum redacta Partibus tradatur; quemadmodum annotat Tuldenus ad titulum *Codicis de sententiis ex breviculo recitandis*, *num.* 4. addens: » Quod quidam minus laudant: quia per publicam recitationem, » minorem fore putant confidentiam deflectendi ab æquitate. Pu- » dor enim per oculos maximè subit, & impudentia secretò » animatur. « Idipsum notavit Perezius ad eundem titulum, *num.* 6.

XV. De jure, sententia pronuntianda est Partibus præsentibus, aut saltem ad audiendam pronuntiari sententiam citatis, & non comparentibus. De unoquoque enim negotio præsentibus, quos causa contigit, judicare oportet, inquit *L.* 47. *ff. de Sent. & re jud.* & ita servatur in Judiciis Ecclesiasticis: sed in Curiis secularibus (f) non solent partes citari ad audiendam pronuntiari sententiam, uti monet Zypæus in *notit. Juris Belg. tit. de Sent. num.* 6. & latè Merula in *Praxi*, *lib.* 4. *tit.* 89. *cap.* 1. *n.* 10. rationes hujus praxeos allegans.

XVI. Similiter tametsi de Jure Civili debeat sententia ferri in Procuratorem, qui per litis contestationem censetur factus dominus litis, *leg.* 1. *Cod. de Sententiis & interlocut. omnium jud.* hodie tamen indistinctè in ipsos Dominos concipi & ferri solent omnes sententiæ; idque ubique in omnibus passim Curiis, tam Ecclesiasticis, quàm secularibus observatur, uti videri potest apud auctores citatos à Christinæo ad Bignonium *lib.* 2. *cap.* 32. Quia Procuratores hodierni, non Domini litium, sed ministri Litigantium habentur.

XVII. Sententia pronuntiari potest omni die juridica: (g) singulariter tamen & solemniter in aliquibus Curiis pronuntiari solent quater in anno; scilicèt ultima die juridica ante vacantias Paschatis, Pentecostes, Augusti, Nativitatis Domini. Merula loco citato *num.* 11.

XVIII. Quia per sententiam definitivam finis totalis imponendus est Partium disceptationi, idcircò non tantùm super principali, sed & accessoriis, ut sunt expensæ litis, fructus interim percepti, vel percipiendi, damnum & interesse, pronuntiari debet; ut ita controversia super his, unà cum principali terminetur. (h)

Et quidem juxta *Leg.* 3. *Cod. de Fructibus, & litium expensis*, » terminato, transactoque negotio, posthac nulli ac- » tio, neque ex rescripto super sumptuum petitione præstetur, » nisi Judex, qui de principali negotio sententiam promulga- » vit, cominùs partibus constitutis juridica pronuntiatione sig- » ni-

(d) *In Hispania præceptum est per leg.* 27. *tit.* 6. *lib.* 3. *Recop.* » Los Escribanos sienten todos los Autos... y todas las » sentencias ansi civiles como criminales que sean firmadas de » él... sean en escrito: « *idemque asserit L.* 8. *tit.* 19. *lib.* 2. *addens*: » asienten los nombres de las partes: « *Lex verò* 16. *lib.* 9. *lib.* 3. *prohibet* » que no se asienten por escrito, sino la » condenacion, ó absolucion: « *& Leg.* 24. *tit.* 8. *lib.* 2. » assentar autos... sino les fuere pedido por las partes, ó el Alcalde que conosció de la causa, lo mandare de su oficio. « *Ex quibus constat acta sententiasque scripto mandari deberi, ut quotiescunque opus fuerit de illis constet; quapropter etiam se leg.* 12. *tit.* 20. *lib.* 2. *Recop. cautum est*: » Tengan (los Escriba- » nos) guardados los originales de las sentencias difinitivas. «

(e) *Eo in loco D. Van Espen de Judiciis verbalibus, vel amicabili partium compositione loqui absdubio est; nam aliàs hæc doctrina contraria esset Hispan.* 19. *tit.* 9. *l.* 3. *Recop. in qua dicitur*: » Y que no se siente por escrito sino la condena- » cion, ó absolucion. «

(f) *Leg.* 4. *&* 5. *tit.* 18. *lib.* 4. *Recop.*

(g) *Qualis rectè dicatur dies juridica, explicat Hispana lex.* 4. *tit.* 9. *lib.* 3. *Recop.* » Guardando los dias de las fiestas, » y de las ferias. « *& quamvis ex ea etiam inferatur nullum in die festo actum judicialem exerceri posse, per leg.* 2. *tit.* 4. *lib.* 4. *Recop. litis contestatio exclusa est per verba*: » si quiera sea » feriado, ó no. «

(h) *Huic doctrinæ consonæ sunt in Hispania leg.* 20. *tit.* 9. *&* 39. *tit.* 2. *lib.* 3. *&* 52. *tit.* 5. *lib.* 2. *Recop. In Galliis verò Officiales, sive Metropolitani, sive Primatiales, cùm judicium pronuntiant, dicere non possunt*: Rescindimus appellationem, & id omne à quo provocatum est. *Consulatur hac de re Fevretius lib.* 7. *de* Abusu, cap. 7. num. 5. & tom. 7. novorum Cleri Gallicani Collectaneorum, col. 976. 977. &c. *Ad supremam tantùm Curiam spectat annulare appellationem, id est, pro infecta habere, inquit Rebuffus in proœmio Concordat.* art. 20. pag. 497. edit. Parisiens. 1664.

» nificaverit, *victori causæ restitui debere expensas*, (i) *aut super his quærelam jure competere.* «

Ratio subjungitur: » Post absolutum enim dimissumque ju» dicium, nefas est litem alteram consurgere ex litis primæ » materia. «

XIX. Si Judex condemnationem expensarum omiserit, non propterea de jure, victori appellare licet, *L. fin. Cod. Quando provocare non est necesse*: Sed aliud praxis videtur recipere, atque appellationem ab omissa condemnatione in expensas admittere; soletque dici appellatio *à minima*. Praxis enim habet, ut litigantes concludendo etiam petant condemnari Partem adversam in expensas; ac per consequens, judex non condemnando, conclusioni non satisfecisse censetur. Vide Christinæum in notis ad Bignonium *lib.* 1. *cap.* 15. *litt. B.*

XX. Et quia Pars causâ cadens, præsumitur alteram injustè in judicium vocâsse, eique injustè litem movisse, communis regula est, victum victori in expensas condemnandum, juxta *L. penult. Cod. de Fructib. & expens. lit.* in verbis: » Constitutio præcipit, ut quivis Judex in sententia sua jubeat » *victum* factos in judicio *sumptus* præstare.

XXI. Cùm tamen nonnunquam contingere queat, causam addeò fuisse utrinque obscuram, tantaque etiam pro victo argumenta, ut reverà nulla possit dici suffuisse temeritas litigandi ex parte victi; sed probabilem admodum rationem judicio experiendi habuisse videatur, poterit quoque Judex in hujusmodi casibus, victum ab expensarum vel saltem earum parte absolvere; & uti hodie loquuntur, vel in totum vel pro parte *expensas compensare*: id est, ut utraque pars in totum, vel pro parte suas expensas ferat: atque hujusmodi expensarum compensationem hodiè, tam in Curiis Ecclesiasticis, quàm secularibus frequentari videmus.

XXII. Sed quia praxis invaluerat, quòd leviori ex causa frequenter fieret expensarum compensatio, ac per hoc temeritas litigantium foveri videretur, Principes nostri Edicto anni 1611. *art.* 9. inhibuerunt omnibus Judicibus compensare expensas, etiam inter consanguineos, vel affines, nisi ex *gravi admodùm causa.* Verba articuli sunt: *Om eenighsints te bedvvingen de temeriteyt van de litigantem, verbieden vvy aen alle subalterne ende overste Recheteren, te ghebruycken compensatie van kosten, maer vvel van condemnatie, tot laste van den gene, die ten principaelen sal vierliesen, alvvaert soo, dat de Partyen maeschap vvaeren, oft geallieert, ten zi nochtans om seer groote oorsaecken, vvaer mede vvy belasten hunne conscientien.* Id est: » Ut aliqualiter cohibeatur litigantium temeri» tas, inhibemus omnibus, tam subalternis, quàm Supremis Ju» dicibus, ne compensationis expensarum consuetudinem indu» cant; ac contra condemnationis, onere illius qui cadet cau» sâ principali, quantumvis etiam sanguinis vel affinitatis neces» situdo inter partes intercederet, nisi tamen ratio gravis subes» set, & eatenus eorum conscientiam oneramus. «

XXIII. Addit præterea, ut ad præveniendas tergiversationes & calumnias, omnes judices observent Edictum de ultima Augusti 1685.

Extat hoc edictum parte 2. Edict. Flandriæ *lib.* 1. *Rubr.* 5. In hoc Edicto imprimis decernitur, ut in condemnatione, & taxatione expensarum, diligenter attendatur, & inspiciatur status causæ, uti & levitas, temeritas, calumnia sive dolosa protractio Partium litigantium; sic ut compensatio expensarum non fiat, ne ob proximitatem sanguinis, affinitatis, vel conjunctionis inter litigantes, nec alio quocunque prætextu, nisi ex bonis, probatis, sufficientibus & legitimis causis, è quibus certi esse possumus de bona fide eorum, qui causâ ceciderunt. Verba Edicti sunt: *Ordonneren ende statueren, dat vvortaen inde condemnatien ende taxatien van de kosten, alle goed ende zorghfuldigh aenschauvv ende regard ghenomen sal vvorden op de ghelegenheyt, van de zaken, mitsgaders op de lichveerdigheyt, temeriteyt, calumnie oft bedrieghelycke stuyeringhe van de procederende Partyen, sonder de kosten te compenseren, noch om maechscap van bloede, affiniteyt, oft alliance, dier soude moghen tusschen de selve partyen vvesen, noch onder eenigh andere deksel, ten vvaere om goede oprechte suffissante ende Wettelicke reddenen, vvaer der men versekert vvaere van de goede trauvve van den ghenen in de saecke vervalende.* Id est: » Mandamus & statuimus, ut in posterum quoad condemnatio» nem, & impensarum taxationem justè & sedulò causæ statum » expendant: similiter & levitatem, temeritatem, calumniam, » aut dolosas partium litigantium protractiones; nec impensas » compensabunt ob consanguinitatem, affinitatem, aut conjunc» tionem, quæ inter dictas partes intercedere posset, nec alio » quocunque obtentu, nisi ob bonas duntaxat, æquas, sufficien» tes & legitimas rationes, ex quibus de bona fide illius, qui » cadit causâ, liquidò constaret. «

XXIV. His Edictis quoad condemnationem in expensas planè conformis est *art.* 58. *tituli* 11. *Ordinat. Cur. Eccles. Provinciæ Mechliniensis*: Caveat autem Judex diligenter, » ut ob» viam eatur calumniis temerè litigantium, ne unquam expen» sas compenset, vel reservet, sed semper in easdem victum » condemnet, nisi aliter ipsi videatur, ex justa, rationabili, & » gravi causa in jure fundata; quæ tamen majus momentum ha» beat, quàm sit vicina solùm consanguinitas. «

XXV. Monet Antonius Anselmo in commentario ad citatum *art.* 9. *Edicti perpetui*, §. 3. cùm in scripturis occurrunt inutiles repetitiones, discursus in aëre, impertinentes allegationes, &c. non quidem compensatio fiat expensarum, sed pronuntietur, ut earum in taxatione expensarum ratio habeatur; ipsique Advocati, qui excessum hujusmodi commiserunt, aliquâ parte salarii sui priventur, uti anno 1650. pronuntiavit Senatus Mechliniensis in hæc verba: *Se condamne les reformans és depens au proces, la taxe de quelle sera faite moderement en consideration de la superfluité des exhibitions, & prolixité des escriptures y servies. Ordonnans la Cour aux Advocats de part, & d' aultre, de se contenter de la moitié des salaires qu' autrement leur eussent estre deuz au regard desdits scripts.* Id est: » Condemnentur reformantes in expensas litis, quarum ta» xatio fiet cum moderamine, attentis exhibitionibus superfluis, » & scripturarum eo servientium prolixitate. Mandàtque Curia » Advocatis utriusque partis, ut dimidia mercedis parte, quæ » aliàs eis debita fuisset ratione instrumentorum litis, sint con» tenti. «

XXVI. Edictum non loquitur de reservatione expensarum; sed eam arbitrio Judicis reliquit. Unde & hodie usus habet, ut expensarum reservatio in sententia interlocutoria fiat usque ad sententiam definitivam; uti monet Anselmo loco citato §. 6. licèt conveniens judicet, expensas retardati processûs in quolibet articulo, qui processum retardat, Victori refundere, non expectatâ sententiâ definitivâ.

XXVII. Hodie non solet Judex condemnando Actorem vel Reum in expensas, determinare in ipsa sententia certam summam, sed simpliciter condemnat in expensas litis, earum taxationem sibi reservando.

XXVIII. Igitur Victor, juxta hodiernum stylum, expensas libello comprehendit, isque victo communicatur: ut eo viso examinet, num victor nullas expensas superfluas, aut in lite non factas expresserit, aut earum modum excesserit, atque eas arguendo, prout sibi visum fuerit, diminuat.

Quibus absolutis Judex Acta processûs, & alia ex parte litigantium allegata, & verificata discutit, & summam expensarum taxat & moderatur.

XXIX. De hac taxactione agitur in Ordinationibus Curiæ Brab. *tit.* 2. *cap.* 24. ubique pluribus articulis præscribitur, quid in hac taxatione à Commissario ad taxationem faciendam deputato, sit observandum; atque nominatim *art.* 630. Scripturas non esse taxandas, quæ in visitatione & decisione processûs non fuerunt. Et *art.* 631. quòd nullæ expensæ taxabuntur, nisi priùs fuerint legitimè verificatæ.

Et ne per comparitiones *personales* adversa pars nimiùm gravetur, deciditur *art.* 633. quòd tantùm poterunt taxari ad onus succumbentis *tres* comparitiones personales: nisi Cancellario, & Senatui ob notabiles rationss aliud videatur.

XXX. Hæc forma taxandi expensas in Curiis secularibus servari solita, exprimitur quoque in Ordinationibus Curiar. Eccles. Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *art.* 62. his verbis: » Ad videndum » taxari expensas, quæ per Judicem, aut Commissarium cum » Graphiario taxandæ erunt, unam duntaxat fieri volumus cita» tionem ad diminuendum; & die serviente exhiberi expensa» rum specificationem in scriptis: citatus autem non comparens » secludetur, & à Judice ad taxationem procedetur sine ulte» riore dilatione. Comparente verò citato, præfigetur ei ter» minus diminuendi peremptorius, sub pœna seclusionis, sub » quo sine ulla ulteriore dilatione diminuere tenebitur, si di» minuere velit; & Judex, aut Commissarius specificationem » cum actis conferet, & dispiciet, quæ utiles, quæ inutiles ex» pensæ fuerint. «

XXXI. Additur dein *art.* 63. » Taxa verò expensarum reo » petenti à Graphiario tradetur, ne existimet ignorantes plus » justo exigi; & ne fortè officiariis nostris occasio detur peten» di ultra debitum: quòd quidem si unquam attentârint, punien» tur, ultra admissionem salariorum, multâ arbitrariâ. «

XXXII. Non tantùm in expensas victus victori condemnari solet, sed in restitutionem fructuum, præsertim perceptorum post litis contestationem, & interesse, quod ob intentatam litem victor passus est, juxta *L.* 2. *Cod. de Fructibus, & litium expensis.* Quæ hîc de jure attendenda sint, breviter annotat Merula citato *tit.* 89. *cap.* 1. *num.* 17. & 18.

XXXIII. In Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 620. præcipitur, ut in condemnatione damni, & interesse exprimatur determinata summa, quæ examinato processu Judicibus æqua videbitur, attenta gravitate causæ, & qualitate litigantium; non per-

(i) *Lex* 7. *tit.* 22. *&* 8. *tit.* 3. *Part.* 3. *&* *L.* 14. *lib.* 2. *Rec.* *Van Espen Jur. Eccles. Par III. Tom. II.*

permittendo Partibus litigantibus dare per declarationem dictum damnum, & interesse, nisi materia esset tanti momenti, qualitatis, & considerationis, ut Judices non possent prædictum damnum, & interesse taxare, nisi prævia informatione; quo casu poterit per Curiam ordinari, ut damnum & interesse per declarationem exhibeantur, idque intra certum præfixum terminum. Teneturque Pars intra illum terminum suam declarationem exhibere sub pœna seclusionis, *art.* 622.

XXXIV. Post exhibitam autem declarationem, Pars victa unicam duntaxat habebit dilationem, ut damnum, & interesse à victore exhibitum diminuere queat. Diminutione factâ, si Curiæ videatur, dabitur utrique Parti unus terminus ad se de omnibus informandum, & post hunc singulæ Partes habebunt terminum ad reprobandum, & solvendum, eruntque omnes termini peremptorii.

XXXV. Articulo 621. præcipitur Advocatis, ut in libellando damno & interesse, non aliud interesse exprimant, nisi quod attentis conditione actionis, è qua oritur, & qualitate litigantium, de jure debetur; interdicendo Advocatis taxationem excessivam damni, & interesse sub pœna arbitraria; & quòd condemnabuntur restituere expensas suis Clientibus, quas ob hanc inordinatam taxationem passi sunt. Mandatur autem Consiliariis, ut his seriò intendant, ipsosque Advocatos hac in parte excedentes puniant ad terrorem aliorum per suspensionem ab Officio, aut alia pœna, prout ad promovendam justitiam expedire judicabunt; interdicendo Procuratoribus facere dictam declarationem damni, & interesse. Verba articuli sunt: *Dat d' Advocaten stellende by gheschrifte die voorsz. Declaratie, niet en sullen moghen eysschen ander eschaden oft interesten, dan de ghene diemen naer rechte schuldigh is, nemende aeuschouw op de qualiteyt van de actie van de welcke sy proceederen, ende op die conditie van partyen, den selven Advocaten verbiedende excessiven beysch te maecken van de voornoemde schaden ende interesten, op de pene van arbitralyck ghecorrigeert te worden, ende daer toe noch ghecondemneert heuren meesters te betalen die kosten die sy daeromme sonder redenen gesupporteert sullen hebben: Ordinerende dien van onsen Raede daer op goede consideratie te nemen, ende te corrigeren d' Advocaten ten exemple van de andere die de contrarie doen sullen, t' nzyby suspensie van heure staten, oft anderssins, ghelyck sy tot worderinghe van de justitie sullen vinden behoorende: ende verbiedende den voorsz. Procureurs te maecken die voorgenoemde declaratie van schaden ende interessen.* Id est: » Ut Advocatis prædictam declarationem scripto exhibentibus, » non liceat aliam damni & incommodi compensationem exige- » re, quàm talem, quæ secundum Justitiam ipsis debeatur, atten- » tâ qualitate actionis, super qua litem instruunt, & partium » conditione: iisdemque Advocatis inhibemus, ne prædictorum » damni, & incommodi compensationem exigendo excedant, » arbitrariè aliàs puniendi: insuperque condemnandi, ut Clien- » tibus suis sumptus persolvant, quos idcirco sine causa impen- » derint: injungimusque Consiliariis nostris, ut ad hæc seriò » reflectant, & in Advocatos secus facientes ad aliorum exem- » plum animadvertant, seu muneris sui temporariâ mulctatio- » ne, seu alio modo, qui administrandæ justitiæ maximè vide- » bitur conducere: inhibemusque Procuratoribus, ne prædic- » tas damni, & incommodi declarationes conficiant. « (k)

XXXVI. Si quis plura de hac condemnatione, & taxatione expensarum, damni, & interesse, & restitutione fructuum scire velit, consulere poterit duos Tractatus Rebuffi, quorum alter est *de Expensis, & Interesse*, alter verò *de Fructibus, & illorum Restitutionibus.*

CAPUT IV.

De Executione Sententiæ.

1 *Sententia sine executione inutilis est.*
2 *Semper aliquod spatium condemnatis ad satisfaciendum sententiæ indultum fuit.*
3 *Justinianus condemnatis inducias quadrimestres concessit.*
4 *Easdem probat Jus Canonicum, quod tamen eas limitari, aut prolongari à Judice permittit.*
5 *Hodie ferè induciæ hæ arbitrariæ factæ sunt.*
6 *Solet tamen aliquod spatium indulgeri.*
7 *Quid de his habeant Ordinationes Curiarum Ecclesiasticarum.*
8 *Quomodo hodie à debitoribus impetrentur* **rescripta** moratoria, *quæ executionem suspendant.*
9 *Exacto tempore induciarum, executio petitur à judice, qui sententiam tulit.*
10 *Forma decernendi executionem varia est pro varietate tribunalium.*
11 *Executio committi solet Apparitoribus: qui ob id &* Executores *dicuntur.*
12 *Pœna Apparitorum in Curiis Ecclesiasticis, qui donis aliove modo corrupti executionem differunt.*
13 *Prætextu interjectæ appellationis Apparitores ab executione desistere non possunt, nisi de mandato Curiæ pateat.*
14 *Apparitores in executione sententiæ ministros sibi adjungere interdum possunt.*
15 *Pro executione sententiæ Judicis Eccles. potest Apparitor implorare auxilium Magistratûs Civilis.*
16 *Ordo executionis præscriptus de jure communi.*
17 *An ordo à jure præscriptus servetur in Gallia.*
18 *Ordinem à jure præscriptum in Belgio non servari testantur Pragmatici.*
19 *In Brabantia tamen aliqua illius ratio habetur.*
20 *De Jure communi aliqua bona exempta ab executione; & quid de his habeant mores hodierni.*
21 *Jam pridem Clero Gallicano datum fuit privilegium, quod eorum* mobilia *capi non possent.*
22 *Quomodo hæc immunitas posterioribus Regiis Edictis restricta fuerit.*
23 *Pro executione sententiæ non procedendum ad incarcerationem, nisi deficientibus bonis temporalibus.*
24 *Ob æs alienum homines liberi de Jure Civili in servitutem redigi non poterant.*
25 *Nonnulli putant eodem jure debitorum incarcerationem fuisse vetitam.*
26 *Contraria sententia hodie in praxi recepta: & quando ad incarcerationem procedi queat.*
27 *Etiam mulieres incarcerari possunt contra Constitutionem Justiniani.*
28 *Quid in harum incarceratione cavendum.*
29 *In Gallia Personæ insignitæ Ordine sacro ob debitum Civile incarcerari non possunt.*
30 *Fallit tamen subinde ob specialem circumstantiam.*
31 *Ab incarceratione liberat* cessio *bonorum.*
32 *Sola professione debitoris de Jure Civili* cessio *hæc fieri poterat.*
33 *Hæc cedendi facilitas sublata in Gallia & Belgio; & quæ forma præscripta.*
34 *De declaratione bonorum, eorumque cessione facienda à cedente; & quæ sibi retinere queat.*
35 *Quæ observari velint Ordinationes Curiæ Brabantiæ.*
36 *Cessio bonorum non liberat ab obligatione solvendi, si cedens ad meliorem fortunam devenerit.*
37 *Cedentis bona post cessionem acquisita creditoribus addicenda, salvis tamen cedenti suis necessariis.*
38 *Hoc beneficium non datur decoctoribus, aliisve, qui dolo malo debita contraxerunt.*
39 *Edicta Regia contra decoctores.*
40 *Quibusdam datum privilegium, quod circa cessionem bonorum excuti nequeant ultra quàm facere possunt.*
41 *Hoc Privilegium competere Clerico ex* Cap. 3. ℣ de Solut. *communiter tradunt Canonistæ.*
42 *Contraria praxis aliquando videtur fuisse recepta in Gallia.*
43 *Clericus vi hujus privilegii non eximitur ab obligatione solvendi debita; sed ne excommunicari queat.*
44 *Ultimum remedium executionis in Curiis Ecclesiasticis est excommunicatio.*

I. QUemadmodum Leges in Republica nullius sunt utilitatis, si earum non habeatur executio, ita & sententia inutilis, & sine effectu erit, si non obtineatur ejusdem executio. Non est quidem ab executione incipiendum; sed sententia præcedere debet, executio sequi. *L.* 1. *Cod. de Execut. rei jud.*

II. Verùm jam pridem apud Romanos receptum fuit, humanitatis causâ, ut non protinus ad actionem, executionemque ejus, quod judicatum erat, progredi liceret; sed spatium aliquod condemnatis indultum fuit intra quod judicato satisfacere possent.

III. Et quidem cùm circa hoc tempus sæpiùs variatum fuisset, tandem Imperator Justinianus quatuor menses condemnatis dedit ad solutionem pecuniariam, eosque à die condemnationis, vel si provocatio fuerit porrecta à die confirmationis sententiæ connumerandos, *L. penult. & fin. Cod. de Usuris rei jud.* declaratque in dicta Lege finali, *quadrimestres* inducias, quas dedit condemnatis, etiam ad fidejussores eorum, & mandatores extendi, *ne Legi fiat derogatum.*

IV. Easdem inducias observandas esse declarat Pontifex in *cap.* 26. ℣ *de Offic. Jud. Deleg.* supponitque Pontifex in *cap.* 15. ℣ *de Sent. & re jud.* unà tamen declarans, hoc spatium quadrimestre posse nonnunquam à judice arctari, vel prolongari.

V. Hinc forsan tandem invaluit, ut in nonnullis Curiis, in-du-

(k) *Vide suprà citatas leg.* 10. 11. 12. 18. 19. & 20. *tit.* 16. & *leg.* 6. *in fin. tit.* 22. *lib.* 2. *Recopil.*

duciis illis legalibus abrogatis, nullum tempus sit præscriptum, quo executio sententiæ differri debeat; sed mox executio ejus fieri queat, nisi Judex sententiæ executionem ad quadrimestre, aut etiam diutius, ex certa, aut rationabili causa prorogare vellet; quemadmodum de Flandriæ Consilio, & Parlamento Mechliniensi testatur Damhouderus in *Praxi Rerum Civil. c.* 256.

Dicit quoque Zypæus in *Notitia Juris Belgici, tit. de Executione rei judic.* » Executio hodie ad quadrimestre, aut aliud » certum juris spatium non differtur. « Similiter Gudelinus *de Jure novis lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 6. ait: » Moribus multorum » tribunalium nullum tempus certum, quo differatur executio, comparatum est, sed totum arbitrio Magistratûs re» lictum. «

VI. De eodem usu testatur Merula in *Praxi Curiæ Holland. lib.* 4. *tit.* 93. *cap.* 7. addit tamen, quòd conveniat, ut Victor partim ex humanitate, partim ex necessitate differat executionem ad 2. aut 3. hebdomadas à lata sententia, quod est tempus, intra quod condemnatus adhuc appellare posset: » adeò » ut apud nos (ait) locum magis habeant 30. dies, quos condem» natis largiuntur Leges 12. tabularum, quàm bimestre ex » *Leg.* 2. *Cod. Theod. de Usuris rei jud.* vel quadrimestre ex » Constitutione Justiniani. «

Ex Ordinationibus Curiæ Brabantiæ dantur condemnato 12. dies post sententiæ insinuationem *art.* 641. Vide Christinæum ad Bignonium *de Leg. abrog. lib.* 1. *cap.* 148. ubi unà annotat, quæ tempora in aliis tribunalibus sint assignata.

VII. In Ordinationibus Curiarum Ecclesiast. Provinciæ Mechl. *tit.* 11. *art.* 61. dicitur: » Postquam sententia interlo» cutoria, vel definitiva transierit in rem judicatam, decernan» tur statim ad Partium instantiam monitoriales ad parendum » infrà tempus congruum à Judice præfigendum; & monito » non comparente, executoriales in forma, mandenturque exe» cutioni; monitiones autem sufficiet facere Procuratoribus tra» ditâ copiâ sententiæ. « (l)

VIII. Solet moribus nostris Reus ad inopiam redactus adversus debitum, quod inficiari nequit, moderatas, & arbitrarias solvendi inducias petere, & impetrare, sub cautione intra certum tempus præstanda: dicunturque litteræ, quibus hujusmodi induciæ indulgentur, vulgò *Brieven van atterminatie*; latinè *Rescripta moratoria*, (m) de quibus Ordinationes Curiæ Brab. *art.* 480. & seqq. ubi tamen *art.* 484. declaratur, quòd nullæ litteræ induciarum, quomodocunque decretæ, effectum sortientur adversus sententias, quæ transierunt in rem judicatam. *En sullen egheene brieven van respiite hoe vvel die gheinterineert ziin, effect sorteren teghen vonnissen gegaen in crachte van ghevvysde dinghen.*

IX. Exacto tempore, quod hodie arbitrio Judicis, vel ex Ordinationum præscripto condemnatis ad satisfaciendum judicato indulgetur, executionem aggredietur Magistratus, qui sententiam tulit, à quo litteræ executoriales petuntur & conceduntur.

X. Et quidem ad exequendam rem judicatam, in Superioribus tribunalibus mandata executoria decernuntur, quibus Apparitores committuntur ad exequendam sententiam iis affixam: in inferioribus verò tribunalibus sententia tantum scriptis mandata executori traditur, ut executioni mandetur; non ulteriùs requisito Judice; uti refert Simon Van Leewen in *Cens. forensi part.* 2. *lib.* 1. *cap.* 33. *num.* 7. & 8. Cæterùm oportet in his attendere singulorum tribunalium Ordinationes, & stylum.

XI. In exequendo solent Magistratus uti apparitorum ministerio, qui idcirco & *Executores* dicti fuerunt. Et in *Leg.* 8. *Cod. de Execut. rei judicatæ* scribitur: » Executorem eum so» lum esse manifestum erit, qui post sententiam inter Partes » audita omni & discussa lite prolatam, rei judicatæ vigorem ad » effectum videtur adducere. «

XII. Executionem sententiarum fieri per Apparitores in Curiis Ecclesiasticis Belgicis manifestum ex quotidiana Praxi, & constat ex earum Ordinationibus; diciturque *tit.* 9. *art.* 13. » quòd si pecunia, aut aliis doniis corrupti executionem distu» lisse deprehensi fuerint, debitum, & expensas solvent, & ul» teriùs pœna perjurii, & concussionis (citra aliquem veniæ » spem) ultra officii privationem, & inhabilitatem ipso facto in» currendam, plectentur. «

XIII. Magistratus seculares (n) similiter per Apparitores sententias exequuntur, uti & praxis, & singularum Curiarum Ordinationes evincunt; multaque præscribunt, quæ in exequendis sententiis, ab Apparitoribus observanda sunt; mandaturque *art.* 587. Ordinat. Curiæ Brab. quòd si quis se gerat ut appellantem *ab executione* alicujus Apparitoris exequentis sententiam Curiæ, non propterea Apparitor supersedeat ab executione; sed in executione cœpta perget, quousque de inhibitione aut prohibitione patescat per patentes litteras Consilii.

Huic consonat *art.* 65. *tit.* 11. Ordinat. Curiar. Eccles. quo dicitur: » Executio sententiæ nunquam retardabitur, vel omittetur, etiamsi comdenatus allegaverit gratiam nostram, vel Vi» cariatûs, nisi illam *realiter*, & *in scriptis* in forma debita *au» thentica* exhibeat. «

XIV. Si sententiæ exequendæ Executor solus *per se* non sufficiat, ministros pro qualitate causæ & oppositionis, quæ timetur & prævidetur, secum assumere potest; ipsiusque Magistratûs auxilium (o) implorare, aut interdum etiam manum militarem advocare; uti indicat *art.* 637. *Ordinat. Curiæ Brabantiæ.*

XV. Supponunt quoque Ordinationes Curiar. Eccles. *tit.* 9. *art.* 15. quòd Apparitores in executione sententiæ requirere possint Magistratum laicum. Mandatur enim, ut si Magistratus laicus Apparitori auxilium præstare recuset, recusationem hanc Apparitor fideliter Officiali referat.

XVI. Inspecto jure communi forma exequendi ferè hæc est: Si damnatus quis sit rem certam restituere, præstareve, ea ipsi aufertur, etiam interdum, si opus est, manu militari, *L.* RESTITUERE, *ff. de Rei vindicat.*

Si verò damnatus sit quis pecuniam solvere, pignora capiuntur, atque distrahuntur, ut ex pretio victori satisfiat, *L.* 4. *ff. de Sent. & Re jud.*

Ordo autem executionis tunc is est juxta *L.* 5. *A Divo Pio, ff. eod.* ut primum res mobiles pignori capiantur, deinde ammobiles, postremo jura & nomina: ideò initium sumitur à rebus mobilibus, quòd earum quàm rerum soli promptior minusque damnosa sit distractio. Idcircò autem postremus locus tribuitur nominibus, quòd in eis persequendis negotium habere oporteat, non tantùm condemnato, sed cum extraneis ejus debitoribus.

XVII. Ordinem hunc in executione rei judicatæ non observari in Gallia testatur Bignonius *lib.* 1. *cap.* 141. idque abrogatum esse ait, ad obviandum fraudibus eorum, qui mobilia sua occultabant; asseritque L. Maitre in suo Tractatu *de Subhastationibus, cap.* 27. omninò liberum esse inchoare ab immobilibus. Id tamen aliquid restringunt ad executionem adversus majorem. Mobilia enim minorum credunt priùs capienda esse, priusquam ad eorum immobilia deveniatur, ut asserit ibidem Bignonius.

XVIII. De Belgio testatur Zypæus loco supra citato, in executione ordinem mobilium, immobilium, & nominum non servari. Et Gudelinus *de Jure noviss. lib.* 4. *cap.* 16. *num.* 8. ait: » Mores & Sanctiones aliquorum tribunalium nullam hujus» modi ordinis habent rationem, executionem ordiri permit» tentes à rebus quibuslibet, prout eæ magis occurrunt, vel » promptiùs ex iis judicatum redigi posse Apparitori vide» tur. « (p)

XIX. Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 641. permitunt, ut condemnatus intra 12. dies à facta insinuatione sententiæ, possit executori assignare mobilia, ut super iis sententiam exequatur; si autem assignare intra illud tempus neglexerit, tunc Apparitori liberum erit exequi sententiam super bonis quibuscunque ipsius condemnati, neglecto ordine à jure præscripto.

Hic

(l) *In Hispania dummodo sententia non transierit in rem judicatam, leg.* 6. & 8. *tit* 17. & 1. *tit.* 21. *lib.* 4. *Recop. vel ab ea interposita sit appellatio, tit.* 18. *aut supplicatio (dum ei locus est) tit.* 19. *ejusd. lib. executioni mandari non potest; aliàs mandato executoriali obtento, illud adimpleri debet juxta præscriptum in toto penè titulo, & Remissionib. tit.* 17. *lib.* 4. *Recop. & à petitione partis, & absque aliqua mora proceditur servata forma, quæ in L.* 19. *dict. tit.* 21. & *lib.* 4. *ejusd. Recop. continetur.*

(m) *Cùm moratoriam debitori concedere in Hispania sit actus Regaliæ Principis, Act. Acord.* 17. *tit.* 4. *lib.* 6. *Recopil. ejus concessio Tribunalibus, Senatibusve superioribus, ejus personam repræsentantibus, addicta est, Act. Acord.* 49. & 69. *tit.* 4. *lib.* 2. & *L.* 15. *tit.* 5. *ejusd. lib.* & *leg.* 2. *cap.* 8. & 36. *cap.* 16. *tit.* 5. *lib.* 9. *ejusd. Recop.*

(n) *Consonant leg.* 7. 8. 11. 12. 15. 17. & 18. *tit.* 21. *lib.* 4. *Recop. in quibus Apparitores, vulgò* Alguaciles, *dicitur esse*

Hic *executionum commissarios; quibus additur Scriba, qui de actibus testimonium præstet, Remiss.* 14. & *leg.* 7. *tit.* 21. *lib.* 4. *leg.* 8. *tit.* 21. & 7. 8. & 14. *tit.* 8. *lib.* 2. *Recop. adeò ut si in sui muneris executione omissi fuerint, pro prima vice in suspensione ab officio per annum & interesse; pro secunda ad duos annos & interesse; pro tertia verò perpetuò ab officio, executione, & interesse incurrunt, L.* 13. *tit.* 8. *lib.* 2. *ejusd. Recopil.*

(o) *Judices Ecclesiastici si contra laicos in Hispania procedant, permaximè imploratio brachii secularis necessaria est, leg.* 6. *tit.* 4. & *Remiss.* 6. *tit.* 8. *lib.* 1. & *leg.* 14. & 15. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recop. si verò contra Ecclesiasticos denegari non potest, leg.* 2. *tit.* 3. & 6. *tit.* 4. *lib.* 1. *Recopil.* » Queriendo » ayuda de nuestro brazo seglar, en lo justamente pedido, se » les está mandado dar. «

(p) *Ordinem, qui in Hispania circa executionem servari debet, præscribit leg.* 19. *tit.* 21. *lib.* 4. *Recop.*

Hîc aliquam rationem ordinis à jure præscripti haberi notat Christinæus ad citatum locum Bignonii; ideoque negat, ordinem juris scripti in Brabantia totaliter abrogatum; quamvis fateatur, aliquarum civitatum ac signanter Lovaniensis, hunc ordinem in executione suarum sententiarum totaliter abrogâsse.

XX. Sunt insuper nonnulla bona, quæ de jure executioni non sunt subjecta, ut sunt instrumenta rusticorum ad agriculturam necesaria; (q) de quibus in *Leg. 7. & 8. Cod. Quæ res pignori obligari possunt*, & Authenticâ iis subjecta; item proventus Ecclesiastici Clericorum, libri Scholarium, & Advocatorum. (r) Sed nec hæc in Gallia, uti nec apud Nos in usu sunt, saltem quando alia bona desunt; uti testatur Zypæus in *Not. Juris Belgici tit. de Execut. rei jud.* dicens: » Instru» menta etiam agricolarum, ut nec pignori dari, ita neque exe» cutioni subjici poterunt, quò minùs colendæ telluri, sationi, » & annonæ incommodaretur. (s) Id hodie minùs servatur: sed » tamen iis parcitur, dum alia bona reperiri possunt: quod & in » Advocatis, Scholaribus, & Ecclesiasticis obtinet. « Hæc Zypæus.

XXI. Refert Renatus Choppinus *L. 1. de Moribus Parisiorum, tit. 1. num.* 8. privilegium Philippi IV. Regis Galliarum, quo cavetur, fas non esse creditori, Sacerdotum supellectili, moventibusque aliis manum injicere publicam. Verba privilegii sunt: » Item volumus, quòd si mandaverimus, bona » alicujus Prælati, vel Clerici Clericaliter viventis capi, seu ad » manum nostram poni, virtute mandati nostri bona eorum » *mobilia* non capiantur, saisiantur, neque domus illorum dis» cooperiantur. «

Meminit & ejusdem privilegii *lib. 3. de S. Polit. tit. 2. numer.* 2. notatque conformiter ad illud privilegium judicatum fuisse anno 1528. » ne Trecensis Ecclesiæ Canonici excubias » agere pignorum captione cogerentur. Cùm enim Clericorum » supellex (ait Choppinus) tum pignorari nequiret, vetante Phi» lippi IV. Sanctione, judicatum est illic, res *mobiles* Sacrati » Ordinis, ne pro excubiis quidem esse pignoris jure capiendas. «

XXII. Verùm posteriori Edicto Aurelianensi de an. 1560. *art.* 28. sublata est hæc mobilium Sacerdotis prærogativa, restrictaque ad ornamenta destinata ad servitium Divinum, eorum libros, & vestes ordinarias, & necessarias. Verba articuli sunt: *Toutes personnes Ecclesiastiques pourront estre indifferemment executées en leurs meubles, sauf ês ornamens servans, & destinez à l' Eglise, leurs livres, vestemens ordinaires, & necessaires.* Id est: » Quælibet personæ Ecclesiasticæ pignoribus po» terunt mulctari, (t) salvis tamen ornamentis Ecclesiasticis » functionibus destinatis, libris eorum, vestibusque ordinariis, » & necessariis. «

Prærogativa sive immunitas ab executione quoad sacram suppellectilem renovata est rursus Edicto Blesensi, ann. 1579. *art.* 57. eadem immunitate indulta omnibus mobilibus in usum necessarium, & domesticum, & eorum libris.

XXIII. Si bona sufficientia non reperiantur, quibus judicato satisfiat, extremum remedium contra judicatos est, ut in carcerem retrudantur. (u) Humanior namque sententia est, ut eò non confugiatur, quandiu bona reperiuntur, quæ capi distrahique possunt; cùm nec pro debito Fisci facilè quis sit conjiciendus in vincula, ait Petrus Gudelinus *de Jure Noviss. liber 4. cap. 16. num.* 14.

XXIV. Extat Constitutio Imperatorum *L. 12. Cod. de Obligationibus, & Actionibus.* » Ob æs alienum servire liberos » creditoribus, jura compelli non compatiuntur. (x) « Consonat *Novella* Justiniani 134. §. QUIA VERO. Sensus Legis est, quod qui solvendo non sunt, suis creditoribus servire non cogantur. Neminem enim ingenuorum Lex ea facere vult, quæ sunt servilia.

XXV. Hinc concludunt nonnulli interpretes, hoc jure, pro civili debito neminem manu injecta capi posse, nisi aliud expressè sit conventum. Ita Dionysius Gothofredus in notis ad citatam Legem. Videtur & in eum sensum Legem illàm accepisse auctor Decretalis relatæ in *cap. 2.* ✠ *de Pignoribus*, ubi dicitur: » *Lex* habet, ut homo liber pro debito non teneatur, » etsi res defuerint, quæ possint pro debito addici. «

XXVI. Existimat tamen Gudelinus loco citato, *num.* 15. simplicem carceris custodiam his Legibus sublatam non fuisse: » Etenim (ait) usum quidem carceris adhuc retinemus, » sed ultra adversus judicatos non progredimur. «

Hisce consonat *art.* 658. *Ordinat. Curiæ Brab.* quo cavetur, Executorem non posse apprehendere condemnatum, si is offerat bona sufficientia judicato, aut Executori constet bona condemnati esse sufficientia. Sed si condemnatus sit in defectu offerendi, nec Executori constet de bonis, super quibus executio fieri queat, tunc poterit executor apprehendere condemnatum, eumque carceri mancipare, & ibidem retinere quousque judicato satisfecerit; modò tamen Victor id petat, & pro expensis respondeat, easque ferre velit. Tenor articuli est: *Dat egh een Executeur uyt crachte van eenighe sententie oft executien op sententien en sullen moghen apprehenderen den ghecondemneerten in synen persoon, so verre hy bevvyst (met allen den bescheede daer toe diemende onder behoorelycke expurgatie van eede) oft den Executeur blyke van eenighe haeffelycke oft erffelycke goeden, ghenoech zynde om d' executie te doene: maer naer dien den ghecondemneerde in gebreke vvare, versocht zynde van den Executeurs van eenighe goeden daermen d' executie aen mocht doen, te bevvysen, ende niet en blecke van eenighe goeden, daer aen de voorsz executie soude gedaen moghen vvorden, soo sullen de voorsz. Executeurs moghen apprenderen den persoon van den ghecondamneerden, ende den selven ghevanghen setten, ende houden tot dat hyden vonnisse voldaen heeft, ende dit alsoo verre de ghene die t' vonnisse ghevvonnen heeft, dat versoeckt ende voor die kosten sprectk, ende die verleghen vvilt.* Id est: » Quòd nulli executori vi alicujus sententiæ, aut » sententiæ executionis fas erit condemnatum personaliter ap» prendere, si probet (indiciis quibuslibet eò pertinentibus in» terpositâ juramenti debitâ expurgatione) aut Executori cons» tet, bona ejus, seu mobilia, seu immobilia executioni suffi» cere. Sin verò condemnatus deficeret, rogatusque ab Exe» cutore bona quæpiam pignorandi designare, nec constaret de » bonis, quæ pignorationi subjici possent, tum liberum erit exe» cutoribus prædictis personam condemnati apprehendere, & » incarcerare, & donec sententiæ fecerit satis, detinere; idque » si is, qui litem obtinuit hoc requirat, de expensis caveat, eas» que velit persolvere. «

XXVII. Vide plura de hac incarceratione apud Christinæum in notis ad Bignonium *L. 1. cap.* 16. & ibi citatos; qui & ibidem notat, tam de moribus Galliæ, quàm Belgii, mulieres etiam carceri mancipati contra Constitutionem Justiniani in *Novella* 134. quòd & Zypæus monet in *Notitia Juris Belg. de Executione rei judic. num.* 3. » Sed rariùs (ait) ob debita pecu» niaria, nisi fortè pœnalia, (y) aut fiscalia. «

XXVIII. Rectè autem monet Bignonius loco citato *numer.* 8. quacunque de causa mulieres ergastulo mancipentur, debeant ita teneri, ubi viris non pateat aditus, (z) conservandæ muliebris pudicitiæ ergo: additque Gudelinus *Lib. 5. de Jure Noviss. cap. 14. num.* 1. rationem quamdam sexus haberi debere, saltem eatenùs, ut quemadmodum anteriore *L. 3. Cod. de Custodia Reorum*, cautum fuit, mulieres in carceribus à viris separentur.

XXIX. In Gallia præcitato *art.* 57. Edicti Blesensis declaratum est, quòd executio contra Ecclesiasticos constitutos in Ordine Sacro non possit fieri per incarcerationem personarum; cujus privilegii meminit Choppinus *lib. 3. de Sacr. Polit. tit. 2. num.* 2. » Nam ut viro Senatorio ultimum supplicium carcerem » æstimabat Syllanus ille apud Plutarchum in Cicerone, ita Ec» clesiæ Presbyteris (ait Choppinus) gravior est vinculorum » coërctio, & in sacra capita pœnalis carcer toti Ordini pro» bo»

(q) *Ita in Hispania præceptum est quoad Agricolas in lege 25. tit. 21. lib. 4. leg. 5. tit. 17. lib. 5. & leg. 25. tit. 13. lib. 8. quoad arma, æquosque Equitum, L. 27. tit. 21. lib. 4. & quoad Nobilium habitationes, L. 13. tit. 2. lib. 6. salvo casu debitorum Regalium; reditus ex agris, & decimarum, L. 25. tit. 13. lib. 8. & 26. tit. 21. lib. 4. Recop. cum antecedenti.*

(r) *Lex 3. tit. 10. Part. 2.*

(s) *Hac de causa in Hispania etiam quoad debita Regalia in L. 25. tit. 21. lib. 4. Recop. indultum est Agricolis* » en un » par de bueyes, mulas ò otras bestias de arar.... no pueden » ser executados. «

(t) *In Hispania bona Clericorum, salvis suis personis, executioni affecta sunt, quando ad contribuendum pro communali obligati sunt, leg. 11. & 12. tit. 3. lib. 1. Recop. & si in negotiis secularibus se immiscuerint, & gabellam non solverint, virtute Act. Acord. 1. tit. 18. lib. 9.* » Las Justicias los com» pelan à ello.... y los demàs bienes que tubieren proprios de » sus Beneficios, dexando reservadas sus personas. « *Alias non.*

(u) *Licèt in Hispania debitor sufficientia habeat, si ab eo fidejussor, vulgò* de saneamiento, *non datur, in carcerem includitur L. 19. tit. 21. lib. 4. & L. 4. tit. 16. lib. 5. Recop.*

(x) *Contrarium olim in Hispania servabatur, nam L. 4. tit. 16. lib. 5. Recop. præcipiebat:* » que el deudor sea entre» gado al acreedor. « *& confirmant leg. 5. 6. 7. & 8. ejusd. tit. & lib. & in ultima additur:* » Para que le sirva por la deuda. « *Hodie verò si bona habet debitor, in eis fit executio, aliàs si eis careat, & in carcerem detentus sit, inopia, impossibilitateve probata, libertatem adipiscitur.*

(y) *Ob debitum pecuniarium, etiamsi ad fiscum pertineat, mulieres incarcerari in Hispania non permittunt Remiss. 7. tit. 21. & leg. 8. & 10. tit. 3. lib. 5. Recop. Si autem ex delicto proveniat, huic indulto non est locus, Remiss. 7. tit. 24. lib. 4. & 8. tit. 16. lib. 5. & L. 6. tit. 2. lib. 6. ejusd. Recopil.* » No hay lugar..... si la tal deuda descienda de delito. «

(z) *Lex Hispana 2. tit. 24. lib. 4. Recop. præcipit* » tengan » en carcel aparte à las mugeres. «

» bosior, quo sævus creditor ob civili debiti æris negotium mulc-
» tatos velit insontes. «

XXX. Aliquando tamen judicatum fuisse, rectè incarceratum fuisse Presbyterum ob debitum civile, eò quòd in fraudem, & ad eludendum creditorem Presbyter factus esset: restitissetque Executori exequenti sua mobilia, ibidem refert Choppinus.

XXXI. Ulterius omnibus debitoribus tribuit beneficium effugiendi carcerem cessio bonorum. (a) Ex commiseratione enim inductum est hoc remedium extraordinarium cessionis bonorum per legem Juliam in *L.* 4. *Cod. Qui bonis cedere possunt.*

Per hanc cessionem bona omnia creditoribus cessa, licentia iis est ea distrahendi, ut ex eorum pretio, quatenus fieri potest, singulis satisfiat, dicta *L.* 4.

XXXII. Cessio hæc de Jure Civili sola professione, & vivâ voce sine ulla speciali solemnitate, aut Judicis venia peragi potest: nam dixit Theodosius Imperat. ut refertur in *L.* 6. *Cod. eod.* » In omni cessione bonorum ex qualibet causa facienda, » scrupulositate priorum legum explosa, professio *sola* quæren- » da est. « Deindè additur §. 1. » Idem dixit, in omni cessione » sufficit voluntatis *sola* professio. «

XXXIII. Verùm cùm hæc facilis cedendi libertas multis daret ansam fraudandi creditores, in Gallia sancitum fuit Edicto Ludovici XII. *cap.* 70. ut nemo nisi præsens, & in judicio, discinctusque, ac nuda cervice cedat bonis; quod & in Belgio observari mandat Edictum Caroli V. anni 1541. 20. Octob. & publicatum in Consilio Flandriæ 8. Novembr. ejusdem anni, ex tatque *part.* 1. *Edictor. Flandriæ lib.* 3. *Rubric.* 1. Verba Edicti sunt: *Seront tenuz requirir l' intherinement de leurs lettres deschaintz, & à teste nue en personne, & non par Procureur.* Id est: » Debebuntque litterarum suarum approbatio- » nem, discincti, & aperto capite nec per Procuratorem, sed » personaliter rogare. «

XXXIV. Insuper eodem Edicto cavetur, ut qui litteras impetrârunt ad cessionem faciendam, eas in judicio offerant unà cum synopsi jurata omnium bonorum. Ac insuper quod si cedens ulteriora bona acquirat, ea mox ad commodum creditorum consignare debebit: tantummodo sibi retento unico lecto, & quæ eò pertinent, unoquoque ex quolibet supellectilium genere, ut vasa ænea, aut stanum retinere non possint: nisi ista fecerint, beneficio cessionis excidant. Verba Edicti sunt: *Que tous impetrans de cession, seront tenuz de présenter leurs lettres en jugement endedans le mois de l' impetrátion: avec l' estat de tous leurs biens; & iceulx abandoner à leurs crediteurs, sans en retenir la maniance, & affirmer ledict estat per serment, requerir l' intherinement de leurs lettres deschaintz, & à teste nue, en personne, & non par procureur.* Id est: » Quòd omnes, » qui cessionis beneficium impetraverint, debebunt litteras suas » in judicio exhibere intra mensem ab impetratione, simulque bo- » norum omnium suorum statum, eaque dimittere creditoribus, » nec administratione eorum sibi reservata, dictumque statum » juramento confirmabunt, litterarumque suarum approbatio- » nem, discincti, & aperto capite, non per Procuratorem, » sed personaliter rogabunt. «

Que les ditz impetrans de cession, acquerans aultres biens, seront tenuz les consigner au profict de leurs crediteurs. Et ne pourront retenir qu' un lict avec sa suyte, & de chascune partie de meuble une. Pourveu qu' ilz ne pourront avoir ny staint, ny vasselle d' argent, ny autre mouble de valeur. Et ce qu' ilz auront d' avantage, seront à chascune fois tenuz de consigner au profict de leurs crediteurs: à peine de perdre l' effect de leurs lettres de cession. Id est » Quod dicti cessionis beneficium im- » petrantes, aliaque bona acquirentes, ea emolumento credi- » torum cedere debebunt, unumque duntaxat lectum cum ad- » junctis retinere ipsis licebit, unicamque ex qualibet specie su- » pellectilem, modo non sit stannea, neque argentea, aut ali- » cujus pretii: simul atque verò ampliùs horum quidpiam ha- » buerint, creditorum emolumento cedere debebunt, alias lit- » terarum suarum beneficio excidant. «

XXXV. Idem penè præscribitur *art.* 477. Ordinat. Curiæ Brabant. additurque, quòd qui litteras cessionis impetrare vult, debeat jubere citare omnes suos creditores, eosque ex scripto designare, necnon per inventarium omnia sua debita, & credita, ac bona cum oneribus illis impositis, itemque causam debiti: quibus actis, Supplicanti annuetur provisio continens factam declarationem; ipsique creditores citabuntur, & copiam dictarum litterarum accipere poterunt; & die præfixâ, tenebitur Supplicans comparere in persona, & ulteriùs procedere, & conformiter ad Edictum de ann. 1541. supra citatum. Articulus ita habet: *Alle de ghene, die in onsen Rade brieven van cessien sullen vuillen obtineren van saecken, die daer behooren, sullen gehoudeu zyn te doen daghen houre Crediteurs, ende de selve over te gheven in ghescrifte, en by inventaris alle heure schulden, vueder-schulden ende goede die sy hebben, meten lasten daer op staende; ende die saecken, daer uyt die schuldt gesproten sal zijn ende dit gedaen zinjde sal hen provisie verleent worden innehoudende t' voorscheven verclaren, ende sullen die Crediteurs ghedaecht worden, ende copije hebben vande voorsz. Brieven indyen sy die begheeren, ende ten daghe dienende sullen d' Impetranten schuldich zijn in persoon te compareren, ende voorts procederen achtervolghende onse ordinantien van den jare eenenveertich* Id est: » Quicunque litteras cessionis impe- » trare cupient, à Consilio nostro in causis eò referendis tene- » buntur creditores suos citare, iisque scripto, & in forma in- » dicis designare, quantum aliis debeant, & ipsis vicissim de- » beatur, bonaque sua omnia cum oneribus, quibus obstringun- » tur, resque illas, ob quas æs alienum contraxerint: quo per- » acto concedetur ipsis rescriptum continens prædictam declara- » tionem; citabunturque creditores, quibus dictarum litte- » rarum exemplar, si id cupiant, tradetur. Obligabunturque » impetrantes personaliter comparare, & ulteriùs procedere jux- » ta statuta nostra anni quadragesimi primi. « (b)

XXXVI. Hæc quæ tum hoc articulo, tum præcitato Edicto statuuntur, ac decernuntur quoad ipsum cessionis effectum nimirùm quòd cessio bonorum liberet quidem debitorem à carcere, non autem ab obligatione, conformia sunt juri communi, juxta *L.* 1. *Cod. eod.* ubi expressè dicitur: » Qui bonis ces- » serint, nisi solidum creditor acceperit, non sunt liberati. In » eo enim tantummodò hoc beneficium eis prodest, ne judicati » detrahantur in carcerem. «

XXXVII. Si ergò postmodum alia rursus bona acquirant, ea rursus creditoribus addicenda sunt, etiam de jure communi; modò tamen modicum non sit. Nec enim fraudandus est quotidianis alimentis, ut ait *L.* 6. *ff. de Cessione bonorum.* (c) Quid autem sit modicum, Judicis est æstimare. Cùm tamen hæc retineantur in præjudicium creditorum indubiè sat pareus debet esse Judex in hac æstimatione, ipsique debitores modicis esse contenti; quemadmodum & citatum Edictum Caroli V. satis indicat. Ut autem effectus istos consequantur cedentes, oportet infortunio quodam bonis suis sint lapsi, aut in debita inciderint: in his enim solis locum habet commiseratio, quæ huic beneficio originem dedit, eisque solis convenit ratio expressa in §. *fin. Instit. de Actionib.*

XXXVIII. Hinc decoctori minimè competit hoc beneficium; cùm non sit dignus commiseratione, qui sua turpitudine causavit sibi inopiam. Cujus ordinis etiam sunt, bona sua in fraudem creditorum dissipantes, vel alienantes. Similiter qui dolosè cum creditoribus suis versati sunt, utpotè scientes se solvendo non esse. His adde eos, qui spe & animo cedendi contraxerunt; uti de his, aliisque notavit Henricus Zoësius ad titulum Digestorum *de Cess. bonorum, num.* 11.

XXXIX. Contra hujusmodi decoctores, & dolosos creditorum defraudatores, necnon abusus sub pallio hujus beneficii cessionis bonorum committi solitos, plura, eaque acerbissima extant Principum nostrorum Edicta, quorum summaria referunt Zypæus in Notitia Juris Belg. *tit. de Cess. bonorum*, & Antonius Anselmo in Codice Belgico, verbo *Banckerotiers*; declaratque inter alia Carolus V. Edicto de 7. Octob. 1531. extatque parte 1. Edictor Flandriæ, *lib.* 3. *Rubr.* 1. » ut qui » foro cedunt, & per fraudem ab aliis auferunt pecuniam, » merces, nomina, habeantur, prout eos Imperator declarat, » pro furibus manifestis, eorumque occultatores & receptores » fraudis conscii, nisi eos officiario manifestent; & qui in re- » bus eorum fraudulenter versantur, aut cum fugitivis nego- » tiantur, ut socii, aut aliter creditores eorum se simulant, » aut fraudibus eorum quomodocunque opem ferunt, omnes » omnium locorum immunitatibus priventur, extrahi possint, » & convicti publicè puniantur, sine conniventia, ad exem- » plum, bona sequestrentur ad conservationem juris omnium » creditorum. « (d)

XL. Nonnullis ad evitandum carcerem cessio bonorum necessaria non est, eò quòd speciali privilegio, seu beneficio competentiæ ipsis cautum sit; cujus effectus est, quòd is, cui competit, excuti, vel ut ait Mevius *executari*, id est, sublatis pignoribus ad solvendum æs alienum adigi non possit, ultra quam facere potest. Quales de jure sunt parentes, patronus, so-

(a) *Contrarium observatur in Hispania, ut colligitur ex lege* 4. 5. 6. & 7. *tit.* 16. *lib.* 5. *Recop. Adeò ut bonorum cessio bona fide facta verificetur, debent à debitore duæ relationes juratæ præsentari, una bonorum, altera creditorum; videatur* Paz 4. part. tom. 1. cap. 8. num. 1. usque ad 3. & *etiam notandum est, quòd vel cessio debet fieri à reo vinculis addito, aut dispositioni judicis in carcere præsentato.*

(b) *Quæ D. Van Espen tractat à num.* 33. *usque ad* 36. *hujus capitis, praxi Hispanæ consona esse, etiam tradit Paz in loco paulò antea citato.*

(c) *Adde legem Hispaniam* 3. *tit.* 15. *Part.* 5.

(d) *Doctrinam, quæ num.* 38. & 39. *continetur, comprobat totus ferè tit.* 19. *lib.* 5. & *specialiter L. fin. cum leg.* 13. *tit.* 1. *lib.* 1. *Recop.*

socius, & maritus conventus ad restitutionem dotis; donator respectu donatarii, (e) de quibus §. 37. & 38. *Institut. de Actionibus.*

XLI. Idem privilegium datum apparet Clerico in *cap.* 3. ℵ *de Solutionibus*, ubi casus proponitur, quòd Odoardus Clericus conventus esset à suis creditoribus coram Officiali Archidiaconi Remensis super quibusdam debitis, ipseque Officialis in eum recognoscentem hujusmodi debita, sed propter rerum inopiam solvere non valentem excommunicationis sententiam promulgâsset. De hac sententia Officialis ab Odoardo interpellatus Pontifex, mandavit Officiali: »Quatenùs si constiterit, »quòd prædictus Odoardus in totum, vel pro parte non pos»set solvere debita supradicta, sententiam ipsam sine difficul»tate qualibet relaxetis, recepta priùs ab eo idonea cautione, »ut si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita dicta per»solvat.«

Ex hac Decretali communiter concludunt Canonistæ, Clericis datum esse beneficium *competentiæ*; uti videri potest apud Fagnanum ad hanc Decretalem; qui & ibidem examinat, quæ requirantur, ut Clericus hoc beneficio competentiæ uti queat: probatque *num.* 58. de jure non requiri, ut Clericus ad obtinendum hoc beneficium priùs *cedat* bonis: quamvis fateatur, nonnullos ex antiquis Canonistis contrarium jam pridem sustinuisse.

XLII. Et hæc opinio in Gallia jam pridem recepta videtur; nam notat Molinæus ad hanc Decretalem, verbo: SENTENTIAM IPSAM SINE DIFFICULTATE: *Hoc non solet servari in Gallia, nisi bonis cedant.* Testaturque Bignonius, *de Legibus abrogatis, lib.* 1. *cap.* 12. Arresto Parisiensi decisum esse ann. 1529. in bonis non contractis, aut acquisitis pro Ecclesia, Clericos non gaudere privilegio, sed bonis cedere teneri.

XLIII. Quidquid sit de hac praxi Galliæ, illud certum est, quòd Clericus ad inopiam redactus vi hujus privilegii non liberetur ab obligatione satisfaciendi suis creditoribus; si ad meliorem fortunam pervenerit, uti evidens est ex ipso Cap. *Odoardus*; sed tantùm liberatur interim, dum satisfacere nequit, ab excommunicatione, tametsi bonis non cedat; quemadmodum laici bonis cedentes, beneficio cessionis, liberantur à carcere.

XLIV. Sicuti enim in Tribunalibus secularibus extremum, & extraordinarium remedium adversus condemnatos est incarceratio, utpotè quæ decernenda non est, nisi ubi aliter executio sententiæ haberi nequit; ita in tribunalibus Ecclesiasticis extremum remedium est, ut condemnati non satisfacientes sententiis, *Anathemate* aliisve censuris feriantur: quo similiter utendum non esse, nisi omnibus aliis deficientibus, declaravit Synodus Trident. *Session.* 25. *cap.* 3. *de Reform.* (f)

Huic Decreto consonant Ordinationes Curiarum Ecclesiast. Provinciæ Mechlin. *tit.* 11. *art.* 67. quo statuitur: »Contra »contumaces, & solvere nolentes sententiæ omnes mandabun»tur executioni, cum invocatione (quatenus opus est) auxilii »brachii secularis. Ad censuras autem non facilè procedatur.« De hac moderatione in procedendo per censuras latiùs agetur infrà, *tit. de Censuris.*

TITULUS X.

De Appellationibus, & Recusationibus.

CAPUT I.

DE FREQUENTIA APPELLATIONUM IN CURIS ECCLESIASTICIS.

1 *Primis seculis admodum raræ erant provocationes à decisionibus Episcoporum.*
2 *Excommunicatio lata ab uno Episcopo, servanda erat ab omnibus.*
3 *Permiserunt tamen Patres Nicæni, sententiam Episcopi subindè examinari.*
4 *Eum in finem bis in anno habenda erat Synodus Provincialis.*
5 *Examen sententiæ latæ ab Episcopo in Synodo Provinciali erat species aliqua appellationis.*
6 *Circa seculum IX. cœperunt multiplicari appellationes, & gradus appellationum stabiliri.*
7 *Institutæ appellationes, à quibuscunque Judicibus Ecclesiasticis* immediatè *ad Pontificem.*
8 *Cœpit Curia Romana admittere appellationes à quibuscunque sententiis etiam merè interlocutoriis; quin & causarum evocationes.*
9 *Querela S. Bernardi de hac appellationum frequentia, & earum facili admissione.*
10 *De iisdem queritur Hildebertus Archiepiscopus Turonensis.*
11 *Metropolitani, & Primates imitati sunt Curiam Rom.*
12 *Quomodo labentibus seculis continuò extensa sit appellandi libertas.*
13 *Querela Joannis Gropperi in Concilio Tridentino contra abusus appellationum.*
14 *Plures abusus in hanc appellationum materiam irrepsisse satis agnovit Synodus.*
15 *Decretum Synodi restringens facultatem appellandi.*
16 *Synodus vetans appellationem ab interlocutoria non habente* vim definitivæ, *vel à gravamine per definitivam reparabili, concordat Juri Civili.*
17 *Quod decrevit Synodus Tridentina, erat cautum per regulam* 36. *Cancellariæ.*
18 *Similiter & in Concordatis Gallicanis.*
19 *Quid circa hanc restrictionem decreverit S. Congregatio sub Clemente VIII.*
20 *Non obstante hac restrictione adhuc nimia est appellationum frequentia in Curiis Ecclesiasticis.*
21 *Admittitur appellatio ab omni gravamine per definitivam non reparabili.*
22 *Item si non possit reparari sine difficultate, aut si in totum reparari nequeat.*
23 *Hinc penè ab omni Judicis Decreto appellatio admittitur.*
24 *Recipitur appellatio ab admissione, vel non admissione probationis.*
25 *Item à coarctatione dilationum.*
26 *Interdum & à citatione ob breviorem terminum assignatum.*
27 *Similiter & à delatione juramenti, vel à declaratione judicis, qua se competentem pronuntiat.*
28 *Hæc frequentia appellationum viam pandit ad lites æternizandum.*
29 *Admittitur toties appellatio, quousque habeantur tres sententiæ conformes.*
30 *Quomodo intelligatur, quòd de Jure Canonico non possit nisi* secundò *ab eadem sententia appellari.*
31 *Interdum expectandæ sunt quinque sententiæ antequam executio haberi queat.*
32 *Id declaratur exemplo.*
33 *Subindè sententia transit in rem judicatam, licèt tantùm duæ sententiæ in causa appellationis sint prolatæ.*
34 *Quandonam admittantur quatuor appellationes, & requirantur quinque sententiæ, ut executio habeatur.*
35 *Quandocunque habentur tres sententiæ conformes, sententia mandanda est executioni non obstante quacunque oppositione.*
36 *In Gallia in appellatione ab interlocutoria* secunda *sententia conformis executioni mandatur.*
37 *Post tres sententias conformes non solet recipi appellatio tanquam ab abusu.*
38 *Quandonam habeatur sententiarum conformitas.*
39 *Hæc sententiarum conformitas de jure requiritur in omni appellatione.*
40 *Huic praxi præcipuè adscribenda jurisdictionis Ecclesiasticæ collapsio.*
41 *Appellationes admittuntur non tantùm in causis civilibus, sed etiam criminalibus.*
42 *Moribus hodiernis in foro seculari non solet admitti appellatio in criminalibus.*
43 *Quæ ratio hujus consuetudinis, & an satis fundata.*

I. PRimis seculis admodum raras, & in usitatas fuisse appellationes, & provocationes à sententiis, sive decisionibus Episcoporum, satis notum est. Cùm enim Episcopi tunc temporis non more judicium secularium, secundum formam, & rigorem Legum, aut stylum forensem; sed potiùs per modum arbitri causas, & quæstiones, modo quasi paterno deciderent, rarò ab eorum decisionibus provocabatur; imò provocandi libertas in multis causis, præsertim civilibus adempta erat,

(e) *Lex.* 1. *tit.* 15. *Part.* 5.

(f) *In Galliis non observatur praxis feriendi anathemate debitores ad solvendum æs alienum; etiam cùm recusant solvere. In Hispania autem censuris uti potest, quando alia remedia non sufficiunt, ut ultimò constitutum fuit in Concordato inter S. Sedem, Regemque nostrum ann.* 1737. *celebrato, art.* 10.

erat, uti suprà *titul.* 1. *capit.* 3. ostendimus.

II. Imò Episcoporum sententias, etiam excommunicationis in Clericos, aut laicos latas, volebant pristini Patres ab omnibus *inviolabiliter* servari, atque ab Episcopo suo excommunicatum, ab omnibus ubique Episcopis pro excommunicato haberi, & tractari volebant; quam regulam renovavit Synodus Nicæna *Can. V.* dicens: » De iis, qui à communione segregati sunt, » sive Clericorum, sive Laicorum sint ordinis, ab Episcopis, » qui sunt in unaquaque Provincia, valeat sententia secundum » Canonem, qui pronuntiat, eos, qui ab aliis ejecti sunt, non » esse ab aliis admittendos. «

III. Nihilominùs attendentes Patres Nicæni, inter Episcopos nonnunquam reperiri, qui hac sua potestate, ex humana aliqua passione in subditorum gravamen abutuntur, atque subinde esse Fidelium de Episcoporum sententiis justas querelas, volucrunt, ut » examinetur, nunquid vel pusillanimitate, vel » contentione, vel aliqua ejusmodi Episcopi acerbitate, con» gregatione pulsi sint.

IV. » Ut hoc ergo convenientem examinationem accipiat, » (inquiunt Patres Nicæni) rectè habere visum est, ut singulis » annis in unaquaque Provincia bis in anno Synodi fiant: ut » cùm omnes Provinciæ Episcopi in eundem locum communi» ter conveniant, ejusmodi quæstiones examinentur: & sic quos » Episcopum offendisse constiterit, justè esse à Congregatione » separati apud omnes videantur, donec Episcoporum Con» gregationi videatur pro iis humaniorem proferre sententiam. » Synodi autem fiant, una quidem ante Quadragesimam, ut » omnibus animi sordibus sublatis, purum munus Deo offera» tur: secunda autem autumni tempore. «

V. Non dubium, quin hæc adversus Episcoporum excommunicationes querela coram Synodis Provincialibus proposita, species quædam fuerit appellationis; quæ tamen non habebant effectum suspensivum, sed dèvolutivum duntaxat: eratque potiùs simplicis querelæ propositio, quàm appellatio, cujus nec vocabulum occurrit. Neque eo tempore reperitur usitata fuisse appellatio à sententiis Episcoporum ad Metropolitanos, & ab his ad Primates, ac ab his demum ad Pontificem. Hi enim appellationum gradus sequentibus seculis stabiliti fuisse videntur. (g)

VI. Circa seculum IX. per Pseudo-Isidorum publicatis spuriis illis, ac famosis epistolis Decretalibus sub nomine primorum Pontificum, admodum frequentes cœperunt esse appellationes. Ut enim rectè advertit Vir eruditus Claudius Fleury *Parte* 3. *Instit. Juris Canonici*, *cap.* 23. hæ Decretales stabiliunt diversos gradus jurisdictionis, Archiepiscoporum, Primatum, & Patriarcharum, ad quos gradatim appellari posset; uti videri potest ex fragmentis illarum Decretalium relatis apud Gratianum, *Causa* 2. *q.* 6.

* Idipsum clarissimus Auctor latiùs exposuit in suo discursu quarto historico *num.* 5. ubi monet, præcipuum vulnus per hunc falsarium disciplinæ Ecclesiasticæ inflictum fuisse stabiliendo Jus appellandi ad Romanum Pontificem à quibusvis Episcoporum in quacunque materia latis Decretis, idque indifferenter sive contra Laicos, sive contra Clericos: imò notat confictoris harum Decretalium præcipuum scopum fuisse hoc Jus appellandi ad Romanum Pontificem asserere, quasi ex Traditione Apostolica descendens, & Primatui Romani Pontificis divinitùs annexum.

Et sanè videmus in his Decretalibus sub nomine primorum Pontificum generaliter, & sine exceptione assertum hoc Jus.

VII. In iisdem etiam Decretalibus asseritur auctoritas liberè provocandi à quibuscunque judicibus, in quibuscunque causis ad Romanum Pontificem. » Si quis vestrum pulsatus fue» rit in aliqua adversitate, licenter hanc Sanctam & *Apostoli*» *cam* Sedem appellet, & ad eam quasi ad Caput, suffugium » habeat, ne ipse innocens damnetur, aut Ecclesia sua detri» mentum patiatur. « Ita ex supposititia epistola Sixti Papæ I. *Caus.* 2. *Can.* 4. *q.* 8. & *Can.* 8. ex epistola Zepherini: » Ad » Romanam Ecclesiam ab omnibus, maximè tamen ab opres» sis appellandum est, & concurrendum quasi ad matrem, ut » ejus uberibus nutriantur, auctoritate defendantur, & à suis » oppressionibus releventur: quia non potest, nec debet ma» ter oblivisci filium suum. «

VIII. Cœperunt autem in Curia Romana recipi appellationes non tantùm à sententiis definitivis, sed & interlocutoriis. Nec in majoribus duntaxat causis, sed & levioribus. Quin & ipsæ causæ principales sepiùs evocabantur ad Curiam Romanam, etiam interdum in prima instantia.

IX. Hæc frequentia appellationum, & causarum evocatio seculo XII. adeò invaluerat, ut de ea plures Sanctissimos Viros graves querelas deposuisse legamus. S. Bernardus ad Eugenium III. *lib.* 3. *de Consideratione*, *cap.* 2. » Quantos (ait) no» vimus appellâsse pulsatos, quò interim liceret, quod nun» quam licet? Nonnullis etiam quoad vixerunt, licuisse appel» lationis suffragio nefaria scimus, verbi gratia incestum, adul» terium. Quale est hoc, turpitudini patrocinari, quod vel » maximè formidari à turpibus oportebat? Quousque murmur » universæ terræ, aut dissimulas, aut non advertis? Quousque » dormitas? Quousque non evigilat consideratio tua ad tantam ap» pellationum confusionem, atque abusionem? Præter jus & » fas, præter morem & ordinem fiunt. Non locus, non mo» dus, non tempus, non causa discernitur, aut persona. Præ» sumuntur leviter passim, plerunque & nequiter. Volentes » malignare, nonne his potissimùm terreri solebant? Nunc ter» rori ipsi ex his magis fiunt, atque id bonis. Antidotum versum » in venenum, non mutatio dexteræ Excelsi hæc? «

* Sub finem hujus capitis 2. S. Bernardus laudat Eugenium his verbis: » Benè facis tu, quòd appellationum negato suffra» gio, imò suffugio, multa remittis negotia ad cognoscentes, » vel, qui noscere citiùs possunt: ubi enim certior ac facilior, » notio, ibi decisio tutior expeditiorque esse potest. «

Evidens est ex omnibus, quæ contra has appellationes, earumque abusus scripsit S. Bernardus, ipsum has appellationes nequaquam probâsse, atque magis optâsse, ut negotia absolverentur in locis, ubi sunt exorta, uti & jam pridem optavit & fortiter ursit S. Cyprianus Epistolâ 59. ad Cornelium Papam. Illud interim videmus, quòd, licèt S. Bernardus eam appellationum frequentiam, & earum faciliorem admissionem propter abusus mirum in modum improbaverit, nihilominùs dicere noluerit eas Traditioni Apostolicæ, & pristinæ Ecclesiæ disciplinæ esse adversas, quin imò non obscurè asseruit hoc Jus appellandi ad Romanum Pontificem ejus primatui divinitus esse annexum in verbis citati *capitis* 2. Appellatur de toto mundo ad te: id quidem in *testimonium singularis primatus sui.*

Nec mirum quandoquidem jam tempore S. Bernardi Decretales Epistolæ primis Romanis Pontificibus falsò supposite à trecentis & ampliùs annis tanquam veræ & authenticæ ab omnibus passim essent recognitæ: neque S. Bernardo earum falsitas nota esset, neque in suspicionem veniret.

Cùm igitur in his Decretalibus videret Jus appellandi ad Romanum Pontificem clarissimè expressum, credidit S. Bernardus, Jus hoc *primatui* Romani Pontificis ex Traditione Apostolica esse annexum: eò quòd ex his Epistolis, quæ authenticæ horum Pontificum Epistolæ credebantur, haberetur, illud ab initio Ecclesiæ constanter fuisse assertum, quod & loco citato notavit præclarissimus supra citatus Historicus.

Eâdem ratione contigit, ut Auctores ejus ætatis etiam eruditione & pietate clari hoc Jus appellandi ad Romanum Pontificem, aliaque nonnulla primatui Romani Pontificis tanquam ex Traditione Apostolica descendentia adscribant, quæ demum sequentibus seculis ob auctoritatem harum falsarum Decretalium Romano Pontifici fuerint adscripta.

De appellationibus verò, quæ ad Summum Pontificem seculo XII. ferebantur, S. Bernardus Epistola 178. ad Innocentium II. queritur: ait enim Episcoporum auctoritatem contemni, ac minui, quòd appellationes ab ipsorum sententiis Romæ facilius reciperentur, ipsorumque decreta quantumvis æquissima suspenderentur.

X. Contra eundem appellationum abusum, & Episcopalis auctoritatis depressionem sub idem tempus ad Honorium II. Pontificem scripsit Hildebertus Turonensis Archiepiscopus *epist.* 82. » Quaslibet appellationes in Romana vigere, & sus» cipi Ecclesia, cis Alpes auditum non est, nec ex Sacris tra» ditum institutis. Quòd si fortè hujusmodi emersit novitas, ut » placeat, omnem indifferenter admittere appellationem, Pon» tificalis censura peribit, & omninò conteretur Ecclesiasticæ » robur disciplinæ. Quis enim raptor ad solam anathematis com» minationem non statim appellabit? Quis Clericus, aut Pres» byter, frustratoriæ appellationis refugio non putrebit, aut » etiam sepelietur in stercore suo? Quis Episcopus habebit in » promptu, non omnem dico, sed aliquam ulcisci inobedien» tiam? Ejus virgam quævis appellatio quassabit, solvet cons» tantiam, severitatem emolliet, adducens & illi silentium, & » reis impunitatem delictorum.... Dilatione nempe censuræ fa» cinora fovebuntur, & venient in profundum iniquitatis impu» nè delinquentes, &c. «

XI. Metropolitani Primates, aliique Superiores, ad quos per appellationem causæ devolvebantur, facilè hoc exemplum in recipiendis quibuscunque appellationibus secuti fuerunt, ob lucrum, quod ex causarum disceptatione, vel ipsi, vel eorum Ministri accipiebant.

XII. Imò labentibus seculis eò deventum fuit, ut non tantùm à sententiis Judicum, & actibus judicialibus appellatio admitteretur, sed à quibuscunque etiam extrajudicialibus Decretis provisionalibus, tametsi ab Episcopis tempore visitationis pro morum emendatione, & Ecclesiasticæ disciplinæ reformatione editis; idque non solùm quoad effectum devolutivum, sed & suspensivum.

Con-

(g) *Qui plura voluerit, legat eruditam Dissertationem, quam D. Van Espen adornavit in Synodum Nicænam* Schol. in Can. 5.

XIII. Contra hanc appellationum frequentiam, atque inde resultantem Ecclesiasticæ disciplinæ, & judiciorum eversionem in Concilio Tridentino plures è Patribus conquesti fuêre; atque præ cæteris Joannes Gropperus in hunc appellationum abusum vehementiùs insurrexit; ostenditque, labentibus seculis, Episcopos non tantùm sublatis Synodis more Judicum secularium, forum & officiales instituisse, sed & ad abusus longè majores, quàm in foro seculari: gradum non cunctanter fecisse. In foro seculari, inquiebat, provocationem non fieri, nisi ad judicem immediatè superiorem; tantum abesse, ut fas sit, ad supremum primo saltu tendere. Neque licere in articulis causæ provocare à Decretis Judicis, quæ vocantur *interlocutoria*; sed causæ finem, & decreta litis decissoria necessariò esse expectanda. At contrà in judiciis Ecclesiasticis, & appellari à singulis actis judicis, unde causarum immensitas nascitur; & *immediatè* ad supremum, unde sequitur, extra territorium, magno cum sumptuum impendio, & aliorum intolerabilium malorum mole, proficiscendi necessitas. (h)

Hæc non alium ob finem à se dicta protestabatur Gropperus, nisi ut huic abusui, qui omnen prorsùs corrumpit disciplinam, cum maximo populi & onere, & sumptu, & offendiculo, remedium saltem apponeretur: & dum pro temporum conditione, ad suam primam originem reduci in totum non potest, saltem appellationes in foro Ecclesiastico ad Juris Civilis formam reducerentur.

XIV. Dubitari nequit, quin Synodus Tridentina sat apprehenderit abusus, qui sensim in has appellationes irrepserant; satisque adverterit, eversionem disciplinæ, causarumque protractionem, & subditorum dispendia ex his abusibus sequi.

Indicant id Decreta ejusdem Synodi, quæ plura in hac quàm ferè in ulla alia materia, edita sunt, & per varias sessiones dispersa; quibus pro temporum conditione abusibus in hac materia sensim inductis mederi voluit, licèt integram medelam afferre non potuerit; quemadmodum in decursu hujus tituli notabitur.

XV. Imprimis *Sess.* 24. *cap.* 20. *de Reformat.* decretum fuit, » ne appellationes ab Ordinariis interpositæ per Superio» res quoscunque recipiantur, earumve commissio, aut inhibi» tio fiat, nisi à definitiva, vel à definitivæ vim habente, & » cùm gravamen per appellationem à definitiva reparari ne» queat. «

XVI. Indubitatum est, hoc Decreto restrictam esse libertatem, quam Jus Canonicum tribuebat, appellandi ab *omni* sententia *interlocutoria*, omnique judiciali gravamine; notantque Doctores, hac in parte Jus Canonicum esse reductum ad Jus Civile, quod à sententia interlocutoria, quæ per definitivam reparari potest, appellationem non admittit; uti videri potest apud Fagnanum ad *Cap.* SUPER EO, ✠ *de Appellat.*

XVII. Quod hoc suo Decreto cavit Synodus Tridentina, jam ante expressum erat in *Regula* 36. Cancellariæ, quâ voluit Pontifex, ut litibus finis celeriùs imponatur, & litigantium parcatur sumptibus & expensis, quòd in causis in » Ro» mana Curia pendentibus, & quas imposterum in ea quovis » modo contigerit agitari, nulli ante definitivam sententiam li» ceat appellare; nec appellatio, si fuerit commissa, debet » admitti, nisi ab interlocutoria, quæ vim habeat definiti» væ, vel à gravamine minimè concernente negotium principa» le, quod non possit per appellationem à definitiva sententia » reparari; nullæque causæ appellationum hujusmodi comit» tantur, nisi in commissione exprimatur, quòd interlocuto» ria vim definitivæ habeat, vel gravamen sit tale, quod in » appellatione à dèfinitiva non valeat reparari. «

XVIII. Cautum quoque erat in Concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. Regem Galliæ *tit. de Frivolis appellat.* „ Ne à gravamine in quacunque instantia, ante difinitivam sen„ tentiam quomodolibet appelletur, nisi forsitan tale gravamen „ extiterit, quod in definitiva reparari nequiret. "

XIX. Anno 1600. 16. Octob. Sacra Congregatio causis Episcoporum præposita, ex sententia Clem. VIII. quosdam articulos sanxit in materia appellationis observandos, quos ad calcem Ordinationum suarum Curiarum adjici voluerunt Episcopi Belgici; & ab omnibus observari de novo, quatenus opus est, præceperunt *tit.* 16. *art.* 10.

In Decreto hoc S. Congregationis *art.* 5. decernitur: „ Ne „ dum causæ coram inferioribus Judicibus pendent, ante de„ finitivam sententiam, vel vim definitivæ habentem, de gra„ vamine illato, superiores cognoscere valeant, licèt citra præ„ judicium cursus causarum se id facere contestentur: nec ad „ hunc effectum liceat eis inhibere, aut simpliciter mandare, ut „ ipsis copia processûs trasmittatur, etiam expensis appellantis."

Itaque hodie contra dispositionem Juris Canonici, appellatio recipienda non est ab interlocutoria, nisi vim *diffinitivæ* habente; & cujus gravamen per appellationem reparari nequit.

XX. Tametsi nonnihil hodie restricta sit appellatio à sententiis interlocutoriis, nihilominùs adeò frequens manet appellatio, ut ipsa jurisdictionis Ecclesiasticæ prolapsio, imò totalis penè ejus interitus huic appellationum frequentiæ adscribenda penè unicè videatur.

XXI. Salva quippe manet appellatio non tantùm à sententia diffinitiva, sed & interlocutoria habente *vim deffinitivæ*; quin & ab omni gravamine per appellationem à definitiva non reparabili.

XXII. Idem esse docent communiter Canonistæ, si tale gravamen posset reparari, sed magna cum difficultate, aut præjudicio partis, ut videri potest apud Hieronymum Gonzalez ad Regulam 8. Cancellariæ, *Glossa* 9. *num.* 177.

Addit dein *num.* 178. item quando gravamen potest per difinitivam reparari, sed non ex toto, quia tunc quoque datur appellatio. » Necnon (ait *num.* 179.) quando articulus interlo» cutoriæ esset præjudicialis negotio principali. «

XXIII. His positis nullum penè Decretum à judice interponitur, à quo appellari nequeat; cùm vix aliquod decretum sit, quo non inferatur gravamen aliquod, per difinitivam, vel appellationem à difinitiva irreparabile, saltem quoad aliquam partem.

XXIV. Et quidem hinc concedi appellationem ab admissione injusta articulorum partis adversæ, seu à non admissione articulorum & probationis, aut exceptiones ipsius partis appellantis, tradunt communiter Doctores citati apud Gonzalez *num.* 190.

XXV. Refertque *num.* 191. resolutum in Rota fuisse, nullam sententiam, quæ lata erat post appellationem interpositam à coarctatione dilationum à jure præscriptarum, cùm tali casu appellatio sit legitima.

XXVI. Idemque est (ait Gonzalez *num.* 193. & 194.) si appelletur à citatione, continente breviorem terminum quàm sit opportunus; vel appelletur à citatione ad locum non tutum.

XXVII. Eodem fundamento appellari potest à dilatione juramenti alteri Parti à Judice factâ. Item si Judex se pronuntiet competentem, aut incompetentem, expressè vel tacitè ad ulteriora procedendo.

Plurimi alii cassus, quibus potest ab interlocutoria, etiam post Decretum Concilii Tridentini, appellari, referuntur apud Gonzalez, & alios ab ipso citatos.

XXVIII. Quæ omnia evincunt, quàm obvia sit, etiam post restrictionem à Concilio Tridentino inductam, appellandi copia iis, qui lites, & quæstiones æternizare volunt: præsertim si attendatur, quòd non tantùm in prima instantia occurrat prædicta libertas appellandi à sententia interlocutoria; sed etiam in secunda & tertia instantia: quas singulas haud difficile fuerit vitiligatoribus, & Curiarum tabulis, per interpositas appellationes in plurimos annos protrahere.

XXIX. Accedit, quòd etiam juxta modernam disciplinam liberum sit in Curiis Ecclesiasticis à sententia, sive deffinitiva, sive interlocutoria vim deffinitivæ habente, cujus gravamen per appellationem à deffinitiva non est reparabile, toties appellare, donec habeantur tres sententiæ conformes. Ideoque si ab aliqua interlocutoria sit appellatum, debebit principalis processus sisti, quoad usque per *tres* sententias *conformes*, si toties Partes appellare voluerint, quæstio decissa fuerit.

XXX. Verum quidem est, de Jure Canonico non posse nisi secundò ab eodem sententia appellari, *Cap.* 39. & 65. ✠ *de Appel.* Idque conformiter ad Jus Civile sub titulo Codicis, *Ne liceat in una, eademque causa tertiò provocare.* Verùm illud intelligendum est de una, eademque persona, ut scilicet eadem Pars non possit, nisi secundò appellare; sed institui possunt super eadem causa, eodemque Decreto quatuor appellationes, duæ scilicet ab utraque Parte.

XXXI. Porrò quatuor his appellationibus respondebunt quatuor sententiæ, quæ cum sententia lata in prima instantia erunt quinque sententiæ, ultra quas nulla amplius expectanda erit; sed sententia illa executioni mandabitur, cui duæ aliæ fuerint conformes; sive à qua fuit appellatum, & bis confirmata.

XXXII. Exemplo res clariùs patescit. Petrus in prima instantia sententiam obtinuit. Joannes Pars adversa appellat. Judex appellationis sententiam priorem retractat. Ab hac sententia Petrus appellat. Hic Judex primam sententiam confirmat, & retractat secundam. Rursus Joannes appellat. Judex hic iterum retractat sententiam latam in prima instantia, & confirmat latam in secunda instantia. Petrus ab hac sententia apellat. Hic tandem primam rursus sententiam ratificat.

Itaque reperiuntur quatuor appellationes; duæ nimirum interjectæ à Joanne, & duæ à Petro. Sunt autem quinque sententiæ computatâ sententiâ latâ in prima instantia; quæ sententia cùm sit per duas sententias confirmata, reperiuntur tres sententiæ *conformes* in favorem Petri; cui per consequens sine ulteriore appellatione victoria cedit; & prima sententia transit in rem judicatam. Si

(h) *Hæc à Groppero dicta sunt ann.* 1551. *Istam in Concilio Tridentino probárunt sententiam Allemani, & Hispani.*

XXXIII. Si Petrus in prima instantia pro se sententiam obtinet, hæcque sententia in secunda & tertia instantia per Joannem instituta, confirmata fuerit, nulla ulterior appellatio interveniet; sed prima sententia per *duas conformes* confirmata transibit in rem judicatam: quia scilicet in eadem causa jam sunt tres sententiæ conformes.

XXXIV. Itaque quatuor appellationes admittuntur, ubi sententiæ ita inter se discrepant, ut ante datam quintam sententiam non reperiantur *tres* conformes.

XXXV. Si autem post 2. vel 3. appellationes habeantur *tres* sententiæ conformes, ulterior appellatio non admittetur, sed sententia executioni mandabitur, non obstante quacunque oppositione, etiam ex capite nullitatis; uti deciditur in *Clem. I. de Sent. & re judic.* ubi dicitur; » Ut calumniis litigantium occurratur, is, qui in beneficiali, vel alia quavis causa tres contra se in petitorio vel possessorio sententias reportavit, ad agendum de nullitate ipsarum, vel alicujus ex eis nullatenus admittatur, donec hujusmodi sententiæ plenariæ fuerint executioni mandatæ. «

Hoc jus relatum quoque fuit in Pragmaticam Sanctionem; atque ex hac in Concordatum inter Leonem X. & Francisc. I. Regem Galliæ *tit. de Frivolis appell. §. Prohibuimus*; nimirum quoad appellationes à sententiis definitivis.

XXXVI. Quoad autem appellationes ab interlocutoria, volunt *secundam* sententiam conformem executioni mandandam esse, quacunque appellatione interpositâ non obstante: asseritque Rebuffus in commentario ad hunc textum, pronuntiatum fuisse in Senatu anno 1542. contra rescriptum impetratum post interlocutoriam confirmatam, ut abusivè impetratum & concessum.

XXXVII. Testatur quoque ibidem, quòd anno 1543. Cardinalis Ferrariensis » appellans contra tres sententias conformes » ad Senatum tanquam *ab abusu*, dicens citationes non valuisse, » non fuerit receptus, sed fuerit ad emendam condemnatus.“ Addit præterea Rebuffus: » Et ideò post *tres* sententias coram Judicibus Ecclesiasticis latas conformes, vidi impetrari litteras à » Cancellaria directas Seneschallo, aut Ballivo, seu Gubernatori, Judici Partium, in quibus mandatur ipsis, ut has sententias exequantur, non obstantibus oppositionibus, & appellationibus, si constaret eidem de dictis tribus sententiis definitivis conformibus, vel duabus interlocutoriis.“ (i)

XXXVIII. Sententiarum autem conformitas adesse dicitur, quando est conformitas, sive identitas rei, causæ, & personarum, sive verè, sive interpretativè. Quia si una sententia sit contra Petrum, & secunda contra ejus hæredem, qui causam defuncti resumpsit, censebitur identitas personæ interpretativè: eò quòd hæres interpretatione juris sit eadem persona cum defuncto. Vide Salgado *De Protectione Reg. part. 3. cap. 16. num. 26. 27. & 28.* & ibi citatos.

Notat insuper ibidem *num. 29.* ex Covarruvia *Practic. quæst. cap. 25. num. 6.* quòd dum ultima sententia duabus aliis est conformis, easque confirmans, „ adjecto tamen aliquo modo „ deramine, aut aliqua declaratione, quæ prioribus aliquid ad„ dat, & sic quando per tertiam sententiam infertur novum gra„ vamen, & condemnat in id, de quo primæ sententiæ minimè tractavêre, quoniam ab hoc novo gravamine licet iterum „ per condemnatum appellationem emittere, eique est deferen„ dum omninò, respectu duntaxat illius novi additamenti; li„ cèt sententia, quatenus cum aliis sit conformis, exequenda „ est, etiam pendente appellatione ab hoc novo gravamine, cu„ jus respectu hæc ultima diversa est à prioribus.“

Addit *num. 33.* ex Scaccia *De Appellat.* quòd hoc casu sententia, quæ pro una parte est appellabilis, non considerabitur ut individua, sed ut dividua. Deinde fusiùs examinat, quæ sententiæ dicendæ sint conformes, aut difformes.

XXXIX. Interim illud indubitatum est, etiam hodie post Decretum Concil. Trid. secundò appellari posse à sententia definitiva, & quacunque sententia interlocutoria, & gravamine, quæ per sententiam definitivam, aut appellationem à definitiva plenè reparari non possunt. Insuper quòd requirantur *tres* sententiæ *conformes*, priusquam vel sententia definitiva, vel similis interlocutoria in rem judicatam transeat, & plenam executionem habeat, si pars adversa toties appellare voluerit.

XL. Si quis expendat, quantum temporis requiratur, ut hujusmodi *tres* sententiæ *conformes* obtineantur, & quàm facile sit & obvium, præsertim Vigilatoribus, & injustam causam foventibus, appellationes à Decretis, quæ in progressus litis feruntur, multiplicare, nequaquam mirabitur, jurisdictionem Ecclesiasticam ob hanc frequentiam appellationum adeò prolapsam, causasque passim omnes ad tribunalia Regia devolvi, ubi citra ulteriorem appellationem, si suprema sint, aut saltem post unam appellationem, si Provincialia duntaxat sint, finis controversiæ speratur; ubi econtra in Curiis Ecclesiasticis ob multiplices has appellationes, litigantes faciliùs sperare possunt finem vitæ, quàm finem causarum.

XLI. Hæc appellandi facultas, non tantùm in causis civilibus, sed etiam criminalibus obtinet. Nam si jus commune, seu Civile, seu Canonicum attendamus, æquè in criminalibus, quàm civilibus appellatio admittitur. Cumque appellationes in foro Ecclesiastico tantopere viderentur multiplicatæ, earumque interpositione, crimina quantumvis gravissima manerent impunita, frequenter etiam cum notabili Reipublicæ, & potilici regiminis perturbatione factum est, ut Regii Judices se nonnullis causis criminalibus Clericorum immiscere, earumque cognitionem sibi attribuere cœperint; ut supra *tit. 3. cap. 2.* ostensum est. Quomodo autem Canones, ac novissimè Synodus Tridentina cavere voluerint, ne per frequentes appellationes, Prælati in corrigendis subditorum excessibus non impedirentur, infrà *cap. 3.* videbitur.

XLII. Moribus hodiernis passim receptum est, à sententia criminali in foro seculari non appellari; ac notanter in Brabantia cautum Edicto Caroli V. de 14. de Maii 1530. extatque *parte 1. Edict. Brabantiæ, lib. 2. tit. 2. cap. 4.* & rursus confirmatum Edicti Philippi II. de 9. Julii 1570. *art. 64.* extatque *part. 2. Edict. Brab. lib. 2. tit. 3. cap. 1.*

Idipsum & in Flandria obtinere declaratum 17. Nov. 1517. & de hac Flandriæ consuetudine testatur Damhouderus in *Praxi rerum crimin. cap. 151. num. 3.* Idque in Consilio Flandriæ observari asserit, etiamsi Rei proprio ore nil confessi sint, modò legitima, digna, certaque probatione convicti fuerint; atque ita in eodem Consilio judicatum fuisse dicit.

» In Flandriæ verò aliis Senatibus (ait Damhouderus *n. 4.*) » nequaquam obediunt, aut deferunt appellationi in materiis cri» minalibus, maximè in definitivis: quod in iis neminem cor» poraliter punire possint, nisi ex propria confessione convic» tum.

» Nec etiam admittunt reformationem hujusmodi definitiva» rum (pergit Damhouderus) ob eandem rationem: quod tamen » subinde permittunt in sententiis exiliorum. Nam hoc casu Do» mini de Consilio largiuntur, & expediunt Reo exulanti litte» ras reformatorias, quibus ei potestatem faciunt, se tutò & li» berè posse recipere, & ire per totam Flandriam, excepto » tantùm loco, ubi exilii sententiam accepit. «

Belgicæ praxi plerosque aliorum mores conformes esse ostendit Christinæus in notis ab Bignonium *de Legibus abrogatis, lib. 3. cap. 146.* Et Covarruvias *Pract. qq. cap. 23. num. 5.* ait: » Usus forensis apud Hispanos, & *ferè toto* in Orbe Chris» tiano hactenus obtinuit, ut in criminalibus, quoties *corporalis* » pœna est infligenda, appellatio minimè admittatur ad execu» tionem impediendam, sive quis damnetur ex propria confes» sione, sive testibus tantùm fuerit convictus. «

Verùm addit ipse Covarruvias: » Quem usum ipse probare » nequeo, nec opinor probari jure posse. Idcirco Judices admo» neo, ut priusquam exequantur criminales sententias, cautissi» mè singula expendant. Poterit enim contingere, quem falsis » testibus convictum fuisse; aut iniquissima, ac crudeli admodum » quæstione inductum, & coactum esse crimen de se falsum: cu» jus rei veritas forsan apud appellationis Judicem constare po» terit. « (k)

CA-

Verùm enim verò, cùm vel causa possit inchoari terminarique aut in Tribunalibus Superioribus, vel coram Judicibus inferioribus: si ante eos, latâ sententiâ, ab eis intra terminum quinque dierum à die notitiæ ad Superiorem appellatur, ut ait L. 1. tit. 18. lib. 4. Recop. *hasta cinco dias que viniere à su noticia*: quæ appellatio in utroque effectu, scilicet suspensivo (si causa non est executiva) & devolutivo admitti debet, L. 6. in princip. ejusd. tit 18. quæ verò si confirmatur ab altero, alioque Superiore, appellationi iterum locus non est, imò ut ait L. 5. tit. 17. lib. 4. *Luego se dè de ellas nuestra carta egecutoria.* & 2. ejusd. tit. & libr. addit: *No haya mas alzada de revista*, quod etiam confirmant tit. 19. & Remiss. 5. ejusd. tit. & libr.

Si in Tribunalibus Superioribus causa conclusa sit, definito principali, appellationi non datur recursus; attamen supplica-

(i) *Observandum tamen est adesse casus in quibus tres sententiæ conformes latæ à Judicibus Ecclesiasticis non impedirent appellationem* ab abusu (*in Gallia*); *v. g. si ageretur de decimis infeudatis, de possessorio Beneficii, de jure Patronatus laici, aut de simili materia, cujus cognitio indubitanter pertinet ad Judicem civilem, uti infra dicetur* cap. 4. num. 40. hujus tit. 10.

(k) Appellatio (ut in textu dicitur) est securum refugium iis, qui persecutionem patiuntur: ideò partes, in Hispania, si sibi injuriam inferri à Judice in sententia judicaverint, appellatione uti posse, tam in sententia deffinitiva, quàm interlocutoria gravamen in definitiva irreparabile continenti, probat L. 1. tit. 1. lib. 4. Recop. per verba: *Que quisieren apelar, sintiendose por agraviados...* Leg. 1. tit. 18. lib. 4. *pueda apelar.*

CAPUT II.

De Forma interponendæ, et prosequendæ appellationis, fatalibus, et Apostolis.

1 *Debet de jure appellari ab inferiori ad* immediatum *superiorem.*
2 *Non potest de jure civili appellari* omisso medio; *quod & praxi tribunalium secularium est conforme.*
3 *Vetitum in Parlamento Mechliniensi recipere appellationes Flandrorum omisso* medio.
4 *Appellationes omisso* medio *etiam Jure Canonico vetitæ.*
5 *Admittit tamen immediatè ad Pontificem omisso* medio; *quare admittitur?*
6 *In Gallia non admittitur appellatio ad Pontificem omisso* medio.
7 *Quomodo* gradatim *appellari debeat.*
8 *Appellatione devoluta ad Sedem Apostolicam, debet causa committi judicibus delegatis* in Partibus *ex Concordatis Galliæ.*
9 *Eadem est Praxis Belgii.*
10 *Hinc evitantur incommoda, quæ ex appellatione ad Pontificem omisso* medio *urgebat Gropperus.*
11 *Appellatione coram Pontifice introductâ, & causâ decissâ ulteriori appellationi adhuc locus est.*
12 *Qua ratione causâ in prima instantia, aut secunda coram Pontifice decisâ dentur ulteriores appellationes sine detrimento Primatûs Sedis Apostolicæ.*
13 *Per appellationem* immediatè *ad Pontificem non minuuntur appellationes.*
14 *Ex Constitutione Justiniani appellari debet intra* 10. *dies à lata sententia.*
15 *Hæc Constitutio recepta est à Jure Canonico, etiam in appellatione ab actu* extrajudiciali.
16 *Consonat & passim stylus Curiarum.*
17 *A sententia D. Rectoris Academici appellandum intra triduum.*
18 *De Jure appellari potest viva voce Judice adhuc sedente pro tribunali: sed id non ubique hodie licet.*
19 *Debet appellari in* scriptis. *si non incontinenti appelletur.*
20 *Hactenus dicta consonant Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum Provinciæ Mechlin.*
21 *De Jure debent intra statutum terminum peti litteræ dimissoriæ sive* apostoli.
22 *Unde hæ litteræ dicti* apostoli.
23 *Triplex genus apostolorum.*
24 *Quid intra tempus non petit apostolos, censetur renuntiare appellationi.*
25 *Olim peti debebant iteratò per distincta tempora; hodie petuntur* sæpiùs *unico contextu.*
26 *Potest Judex, à quo petuntur apostoli, accipere terminum juris, vel alium terminum præfigere.*
27 *Judex non facilè recusare potest apostolos reverentiales.*
28 *Ordinatio Curiæ Rectoralis de non respondendo de refutatoriis.*
29 *In Curiis secularibus desiit usus apostolorum, qui nec in Curiis Ecclesiasticis in Gallia necessarii sunt.*
30 *Ad introducendam, & finiendam appellationem Justinianus annum indulsit, & ex causa biennium.*
31 *Hic terminus etiam jure Canonico probatus.*
32 *Etiam quoad appellationes ab actibus extrajudicialibus.*
33 *Terminum introducendæ appellationis à Jure statutum judex, à quo ex causa abbreviare potest.*
34 *Terminus à judice præfixus, dicitur terminus* hominis.
35 *Unde hi termini dicantur* fatalia *appellationum.*
36 *Fatalia à jure præscripta præsertim finiendis causis appellationum in desuetudinem abierunt.*
37 *Fatalia introducendæ, & prosequendæ appellationis ferè singularum Curiarum Ordinationibus sunt præfixa.*
38 *De Fatalibus introducendæ appellationis ex Ordinatione Parlamenti Mechliniensis.*
39 *Quæ sint in Curia Brabantiæ.*
40 *Specialis praxis Curiæ Hannoniæ.*
41 *Quæ fatalia in Curiis Ecclesiasticis Provinciæ Mechl. sint præscripta.*
42 *Quid observandum in Curia Rectorali.*
43 *Contra lapsum fatalium non facilè danda restitutio.*
44 *Appellatio debet à judice declarari deserta.*
45 *Quæ ab Actore petenda, & quomodo probetur dezertio.*
46 *In causa appellationis de jure communi possunt* nova *facta allegari, congruitque praxis inferiorum Magistratuum.*
47 *Appellatione institutâ in supremis Curiis causa decidenda est ex actis primæ instantiæ, si causa in* scriptis *instructa fuerit.*
48 *Quid circa hunc articulum obtineat in Flandria.*
49 *Quid in Curia Rectoris, & Conservatoris Academici.*
50 *In Curiis Ecclesiasticis* nova *facta allegari possunt.*
51 *Ex Decreto Synodi Tridentinæ tenetur appellans acta coram judice* à quo *transferre ad judicem appellationis.*
52 *Quomodo puniendus Notarius, aut Judex copiam actorum dare recusans.*

I. DE forma appellationis imprimis est, ut appellatio fiat ab inferiore ad superiorum, & quidem immediatum; uti apertè jam pridem leges præscripserunt; adeò quidem, ut Imperatores Antonius & Verus rescripserint in *L.* 21. *ff. de Appellat.* „ appellationes, quæ rectò ad Principem fac-„ tæ sunt, omissis his, ad quos debuerunt fieri, ex imo or-„ dine ad Præsides remitti. Iidemque rescripserunt, ab Judice, „ quem à Præside Provinciæ quis acceperit, non rectè ad im-„ peratorem appellatum esse: ideoque eum reverti ad Præ-„ sidem debere.“

II. Hinc concludunt communi suffragio Interpretes, de Jure ad Tribunal Nuntiaturæ, usque quod tres sententiæ conformes verificentur, declarat Regia Ordinat. 26. Novemb. ann. 1767. & alia ann. 78. in qua præcipitur, quòd in causis Ecclesiasticis exactè serventur Act. Acord. 6. tit 8. lib. 1. Recop. vulgò *la Concordia* de Faquineti, Bulla Innocentii XIII. quæ incipit, *Apostolici Ministerii*, à Benedicto XIII. confirmata, Concordatum inter Regem nostrum, Sanctamque Sedem ann. 1737. celebratum, Bullæ Benedicti XIV. quæ incipiunt: *Ad militantis Ecclesiæ regimen*: & *quamvis paternæ vigilantiæ*, & quoad Regulares Bulla Clementis XII. quæ incipit: *Alias nos*, quod etiam hodie in novi Rotæ Tribunalis erectione à Clemente XIV. suo Brevi 26. Martii ann. 1771. penè stabilitum est, paucis additis, nonnullisque reformatis.

Quamvis in Dominiis Indicis circa modum procedendi in judicio leges Castellæ serventur, cùm eorum Tribunalia ad plures casus & causas, quàm Hispana se extendant, & de quibus tractant Titul. 15. 16. 18. & 32. lib. 2. Recop. Indic. inter eas notabile est, quod circa interpositionem & prosecutionem Appellationum in causis Ecclesiasticis quoad ipsa dominia determinatum est in Brevi Gregorii XIII. sub data 15. Maii ann. 1573. nam in eo indulgetur: Primò quod appellatio nunquam ad Sedem Apostolicam, sed à Suffraganeo ad Metropolitanum interponi debeat: vel ab eo ad Suffraganeum si priùs Metropolitanus cognoscat. Secundò, si eorum conformes sententiæ fuerint, ea in auctoritatem rei judicatæ transit, & ab eo, qui priùs cognoscit, executioni mandatur. Tertiò, si non fuerint conformes, tunc secunda appellatio admittitur ad alium Metropolitanum, seu Diocessanum proximiorem ei, qui priorem sententiam protulit; cui & etiam executio committitur. Quod Breve à Supremo Indiarum Senatu observari præceptum est in Regia Schedula 7. Martii ann. 1606. quæ hodie est L. 10. tit. 9. lib. 1. suæ Recop.

tione uti posse, si intra decem dies in definitiva, & intra tres in interlocutoria à die notificationis introducatur, ajunt Leg. 1. & 2. tit. 19. lib. 4. Recop. *Dentro de tercero dia... de diez dias*, verùm ab eo, quod in gradu supplicationis determinatum fuerit, *no haya mas alzada, ni suplicacion*, ait L. 2. addens 3. ejusd. tit. 19. *ni suplicar de ella... sino en caso que ha lugar segunda suplicacion*: totus tit. 20. ejusd. tit. & libr. Neque etiam prolatâ sententiâ, *vulgò en revista*, à Judice superiore, appellationem, neve supplicationem introduci potest, *quier venga por apelacion, ò en otra qualquiera manera*, ùt præscribit L. 1. tit. 19. ejusd. lib. 4.

Licèt appellatio (ut suprà dictum est) admitti debeat in utroque effectu, suspensivo scilicet, & devolutio, excipiuntur casus in lege expressè determinati, & quando ex executione sententiæ maximum gravamen resultari potest, L. 6. & 9. tit. 18. L. 15. prope medium tit. 7. lib. 7. & L. 6. tit. 14. lib. 2. In causis *executivis* nunquam admittitur, imò sententia executioni mandatur, L. 19. tit. 21. lib. 4. *sin embargo de qualquiera apelacion.* Quod etiam accidit in *arbitrariis* Sententiis, L. 4. per verba: *se execute*, 24. & Act. Acord. 1. tit. 21. & 13. tit. 18. lib. 4. quibus conveniens erit addere Remiss. 2. 3. 4. 6. 9. 10. 11. & 12. dicti tit. 19. cum leg. 20. & 52. tit. 4. & L. 30. tit. 11. lib. 2. L. 4. tit. 5. L. 5. tit. 17. L. 5. tit. 20. & L. 3. tit. 9. lib. 4. atque etiam Remiss. 15. 16. 17. 18. 19. & 20. tit. 19. L. 12. tit. 16. & Acta Acord. 5. 6. 7. 8. & 9. ejusd. tit. 19. libr. 4. Recop.

Cùm causæ criminales cum civilibus pari passu ambulent; ita, eodemque modo appellatio, vel supplicatio introduci, & prosequi debet, L. 14. tit. 6. & 10. tit. 7. & Remiss. 16. tit. 7. lib. 2. L. 1. 9. & 14. tit. 1. lib. 3. & L. 1. tit. 18. & Rem. 2. 6. & 15. tit. 18. lib. 4. Recop.

In causis Ecclesiasticis gradatim procedi deberi, scilicet ab Ordinario ad Metropolitanum, ab eo ad Synodales, & ex eis

re Civili appellari non posse ad judicem superiorem, etiam Principem, ejusque Senatum *omisso medio*; quod & hodie tribunalia secularia observant: (l) nec solent Consilia Regia appellationes ab inferioribus Magistratibus *omissis mediis* recipere, nisi in singularibus quibusdam, & exceptis casibus.

III. Unde & Edicto 7. Octob. 1523. inhibitum fuit Parlamento Mechliniensi recipere appellationes Incolarum Flandriæ *omisso medio*. Verba edicti sunt: *Avons ordonné, & ordonnons par ces presentes, que lesdictz de nostre Grand Conseil ne despecheront, ne pourront despecher doresnavant aucuns relievemens d' appel ou reformation des sentences & apointemens interlocutoires & diffinitifz, renduz en nostredit Pays de Flandres, par quelque loy que ce soit*, omisso medio, *pour en avoir & retenir pardevers eulx la cognoisance. Ainsi voulons & ordonnons, que la cognoissance des causes & procez audict cas d' appel ou reformation, demeure & appartiens aus Juges ou Loix dudict pays, & à chascun par degrè respectivement, qui en out accoustumé & en doivent cognoistre.* Id est: » Mandavimus, & mandamus per præsentes, ut prædicti magni nostri Senatus Consiliarii, non concedant, aut concedere » possint litteras ad persequendam provocationem, aut ad reformandas sententias, aut interlocutiones decretorias, aut definitivas pronuntiatas in dicta nostra Flandriæ provincia, qualiscunque lex obtendatur, *omisso medio*, ut ipsi de causa » cognoscant. Sed volumus, & mandamus, ut causarum & litium cognitio, in casu dictæ provocationis, aut reformationis spectet & fiat ad Judices, & Leges patrias, & ad eos » gradatim respectivè, qui de iis & solent, & debent cognoscere. «

IV. Secundum Jus Civile etiam sæpiùs responderunt Pontifices in causis ad forum Ecclesiasticum spectantibus. Et quidem cùm quidam appellâssent à sententia Archidiaconi ad Metropolitanum, omisso Diœcesano Episcopo, ad quem fuerat *gradatim* appellandum, ipseque Officialis Archiepiscopi non obstante exceptione per Partem adversam oppositâ processisset. Honorius III. mandavit quibusdam Judicibus à se delegatis, *quatenus sententias post hujusmodi appellationem latas denuntient penitùs non valere.* Idem jus asseritur *in cap.* 1. §. 1. *de Appellat. in VI.*

V. Verùm in hoc Jus Canonicum à Civili recedit, quod cùm hoc nequidem ad Principem immediatè, *omisso medio* appellari permittat, Jus tamen Canonicum concedat appellationem ad Pontificem Romanum *omissis mediis*, (m) *cap. fin.* ✠ *de Foro comp. cap.* 7. & 54. ✠ *de Appellat.* Quod conforme est Canonibus, qui sub nomine primorum Pontificum referuntur apud Gratianum *caus.* 2. *q.* 6. & supra capite præcedenti relati sunt.

* Tota illa appellandi ratio ad Romanum Pontificem *omisso medio*, suam indubitanter originem habuit ex hoc principio, quòd Romanus Pontifex sit Ordinarius Ordinariorum, sive auctoritate Episcopalem habeat immediatam in omnes Ecclesias particulares, (n) hoc autem principium originem suam habet ex supositiiis illis Decretalibus sub nomine primorum Romanorum Pontificum seculo VIII. orbi Catholico obtrusis, & in Decretum Gratiani postmodum relatis, quibus & Romani Pontifices tanquam indubitatis pristinæ ætatis monumentis in suis postmodum Decretalibus usi fuere, suamque potestatem asseruerunt, uti in decursu hujus operis sæpius annotatum fuit.

Cùm autem Ecclesia Gallicana non recognoscat Romanum Pontificem ut *Ordinarium Ordinariorum*, (sæpiùs notatum est) idcircò indubiè non admittit appellationes ad Romanum Pontificem *omisso medio.*

VI. Id quidem constat ex Concordatis inter Leonem X. & Franciscum I. habitis. Verba Concordatorum sub titulo *de Frivolis Appellationibus* sunt: » Volumus, quod, si quis offensus coram suo Judice justitiæ complementum habere non pos» sit, ad *immediatum* superiorem per appellationem recursum » habeat; nec ad aliquem superiorem, etiam *ad nos* (Leo» nem IX.) & *Successores* nostros, vel Sedem Appostolicam » prædictam, *omisso medio.* «

VII. Hic articulus desumptus ex Sanctione Pragmatica tit. *De Causis*; notatque hîc Glossographus verbo *medio*, gradatim esse appellandum, id est, ad eum, qui in gradu proximo est superior eo, a quo appellatur; puta, ab Archidiacono ad Episcopum, ab Episcopo ad Archiepiscopum, ab Archiepiscopo ad Primatem, ab illo ad Papam.

VIII. Additur in iisdem Concordatis: » Si quis verò immediatè subjectus Sedi Apostolicæ, ad eandem Sedem duxerit » appellandum, causa commitatur in partibus per rescriptum, » usque ad finem litis, videlicet usque ad tertiam sententiam » conformem inclusivè, si ab illis apellari contigerit. Nisi propter defectum denegatæ justitiæ, aut justum metum: & tunc » committi debeat in partibus convicinis, & cum causarum expressione. Quæ etiam de illis, etiam legitimè aliàs quàm per » juramentum, coram Judicibus à Sede Apostolica deputandis » constare debeat. Processus autem contra præmissa attentatos, » nullos, & irritos esse volumus; ac rescripta contra præmissa » impetrantes, in expensis, damnis & interesse condemnari debere decernimus, atque declaramus. «

Notat hîc Rebuffus, » quamvis iste textus loquatur de subjecto *immediatè* Sedi Apostolicæ, tamen idem in hoc Regno, » in alio quocunque appellante ad Papam obtinet, ut causa debeat in *partibus* committi; & si contrarium fiat, ad Senatum » appellatur tanquam ab abussu. «

IX. Hoc jure utimur quoque in Belgio, ut nimirùm causæ quacunque ratione devolutæ per viam appellationis ad Sedem Apostolicam commiti debeant Judicibus delegatis in *Partibus*, uti fusiùs ostendimus supra *tit.* 5. *cap.* 3.

X. Unde licèt in Belgio admittatur subinde appellatio ad Sedem Apostolicam *omisso medio*, nihilominus cavetur incommodum, quod contra hujusmodi appellationes ad Supremum Tribunal *omisso medio* in Concilio Trid. urgebat Gropperus: quandoquidem stante hac Belgica disciplina, nequaquam ex simili appellatione sequatur, extra territorium, magno cum sumptuum impendio, & aliorum intolerabilium malorum mole, proficiscendi necessitas; quemadmodum urgebat Gropperus.

XI. Ex suprà relatis verbis Concordati intelligitur, quòd licèt causa in prima, aut secunda instantia fuerit introducta coram Sede Apostolica, nihilominùs possit à lata sententia sæpiùs appellari, videlicet usque ad tertiam sententiam conformem: quod & in Belgio constantissimè observatur.

XII. Licèt enim appellatio institui nequeat, nisi ab inferiore ad superiorem, adeoque non videatur à Sede Apostolica ad alium judicem appellari posse, quemadmodum à sententia Principis, sive supremi ejus Senatûs ulterior appellatio non admittitur; tamen receptum est à Sede Apostolica appellari, non quidem ad alium judicem superiorem, sed ad eandem Sedem Apostolicam seu Pontificem meliùs informatum: soletque novum Rescriptum à Pontifice, sive ejus in Partibus residente Nuntio vel Pronuntio impetrari, quo alius Judex in Partibus delegetur, qui de causa appelationis rursus cognoscat; potestque appellatio sic toties reiterari, quousque habeantur tres sententiæ conformes.

XIII. Quare rectè notat Franciscus Salgado *de Protectione Reg. part.* 3. *cap.* 16. *num.* 68. quòd licèt hodie in foro seculari rarò, aut nunquam accidere possit, ut super aliqua causa dentur quinque sententiæ, cùm post primam, aut secundam instantiam recurratur ad suprema Prætoria, ubi causæ per duas duntaxat sententias finiuntur, secus tamen esse in foro Ecclesiastico, ubi omnes gradus reperiuntur per *rescripta impetrata*: hoc est, ope impetrationis rescriptorum, appellationes ita instituuntur, ac si revera tot essent gradus Superiorum, ad quos ab inferioribus per gradus appellatio progrederetur: adeoque nec per appellationem ad Sedem Apostolicam causa acceleratur, aut apellationes minuntur.

XIV. Olim statutum fuit, ut si quis in judicio propriam fuerit causam prosecutus, atque superatus voluerit provocare, *eodem die* vel *altero* libellos appellatorios offerre deberet; is verò, qui negotium tuetur alienum, etiam *tertio* die provocare posset, *L.* 6. §. 5. *Cod. de Appellat.* Sed Justinianus hoc jus mutavit, constituitque *Novella* 23. *cap.* 1. ut omnes appellationes indistincte *intra* 10. *dies* à recitatione sententiæ intentare liceat: è qua Novella dessumpta est Authentica *Hodie*, subjecta citato §. 2. diciturque: » Hodie autem cuilibet tribuitur » spatium decem dierum à sententiæ recitatione computandum. «

XV. Hæc Justiniani Constitutio probata est etiam de Jure Canonico; declaravitque Bonifacius VIII. in *cap.* 8. *de Appellat. in VI.* quòd ab actibus extrajudicialibus, in quibus potest appellatio interponi, debeat provocatio fieri intra *decem* die-

admittitur, sed in Rotæ Tribunali omnes causæ terminari debent.

(l) *Quantumvis inspecto jure commune Hispano doctrinæ* in textu *appositæ consonæ sint L.* 24. *tit.* 4. *& leg.* 21. *&* 23. *tit.* 5. *lib.* 2. *leg.* 6. *tit.* 14. 24. *tit.* 4. *&* 2. *tit.* 18. *lib.* 4. *Recopil. attamen Supremo Castellæ Senatui privative competit à quocunque judice sibi causam avocare, ut comprobant leg.* 21. *&* 22. *tit.* 4. *lib.* 2. *Recop.* » que entendieren cumple á nuestro servicio, y » al bien de las Partes: « *cui adde leg.* 10. *in fin. tit.* 9. *lib.* 3. *ejusd. Recop.*

(m) *Hodie in Hispania virtute Brevis Clementis XIV.* 26. *Martii* 1771. *nullo in tempore appellatio ad Sanctam Sedem*

(n) *Ita recognitum est in Hispania in Concordato inter Sedem Apostolicam, Regemque nostrum Catholicum ann.* 1753. *inito, quod integrum refertur in leg.* 11. *tit.* 6. *lib.* 1. *Recop ubi conventione* 7. *dicitur*: » Y salva siempre la suprema autoridad » que el Pontifice Romano, como Pastor de la Iglesia universal, tiene sobre todas las Iglesias y personas Ecclesiás» ticas. «

dierum spatium, (o) scilicet à die sententiæ gravaminis illati. (p)

XVI. Quod & moribus Belgii & Curiarum Ordinationibus consonum esse ostendit Christinæus ad Bignonium *de Legibus abrogat. lib.* 2. *cap.* 130. & notanter expressum est *art.* 583. *Ordin. Curiæ Brabantiæ*, numerans dies illos à die latæ sententiæ, vel à diæ, quâ scivit sententiam latam fuisse. Vide etia Merulam in *Praxi Curiæ Hollandiæ*, *lib.* 3. *cap.* 2.

Ex Statuto hujus Uuiversitatis à sententia D. Rectoris appellandum est intra *triduum* ad Dominos quinque Judices Appellationum.

XVII. Interponenda autem ita est appellatio, ut de ea interposita appareat: non tamen necesse est illam præsentare Judici sedenti pro tribunali, sed potest ubique præsentari; imò sufficit illam præsentare actorum Magistro, seu Notario in absentia Judicis, ut ait Maranta *part.* 6. *actu.* 2. *num.* 134.

XVIII. De jure communi à sententia, mox ut lata est, potest vivâ voce, id est, Judice adhuc sedente pro tribunali appellari, *L.* 14. *Cod. de Appellat.* sufficitque dicere, *Appello*, *L.* 2. *ff. eod.* hocque scribi in actis per Notarium, seu Graphiarium, sive Secretarium Curiæ. Notat tamen Simon à Groenewegen ad citatam *legem* 14. quòd » nonnullorum locorum » moribus vivâ voce appellare in facie Judicis nefas sit. « Mores, & consuetudines, necnon Ordinationes singularum Curiarum in his observanda sunt.

XIX. Si non fuerit incontinenti vivâ voce appellatum, tunc imponenda est scripto appellatio. (q) *Leg.* 3. *ff. eod.* idque per Libellum, qui contineat à quo appelletur, adversus quem, & à qua sententia, *Leg.* 1. §. *fin. ff. eod.* Vide Imbertum *Instit. Forens. lib.* 2. *cap.* 2. Andræam Gayl. *lib.* 1. *observ.* 130.

XX. Hæc omnia expressa sunt in Ordinationibus Curiarum Eccles. Prnvinciæ Mechl. *tit.* 16. *art.* 1. » Qui gravatum per » prioris Judicis sententiam se sentiet, poterit appellare verba» liter illicò apud acta, Judice, qui sententiam tulit, adhuc pro » tribunali sedente: alioquin in scripto Judici intra decennium » à lata sententia insinuando: & appellatio alias interposita nul» la erit, neque causam ad superiorem devolvet. «

XXI. Non sufficit autem appellatum esse statim, aut ex intervallo, nisi etiam appellans intra statutum tempus petat *Apostolos*, id est, litteras dimissorias, quas Judex, à quo appellatum est transmittit ad Judicem, ad quem appellatum est, in testimonium, & fidem appellationis interpositæ.

XXII. Dicuntur ergo Dimissoriæ, quia ut dictum est, per eas causa transmittitur ad Judicem, qui appellatus est, *L.* 106. *ff. de V. S.* & *L. unica ff. de Libellis dimissoriis*: ubi & *Apostoli* vocantur à Græco ἀποστέλλω, quod est *mitto*, quia mittuntur ad Judicem ad quem, ut de causa appellationis instrui possit, ait Andræas Vallensis ad *tit. de Appellat.* §. 10. *num.* 2.

XXIII. Apostoli hodie sunt in triplici differentia. Primi dimissorii, qui sunt litteræ ad Judicem appellatum directæ, testificantes de appellatione coram Judice à quo, vel aliis personis legitimè interpositâ, & admissâ.

Alii sunt Reverentiales, quando non ob justitiam causæ, sed solùm ob reverentiam Superioris, ad quem appellatum est, defertur appellationi; hique hodie ordinarii, & penè soli in usu sunt.

Refutatorii denique sunt, quibus Judex à quo significat judici ad quem, se non admisisse appellationem, de quibus in *L. fin.* §. IN REFUTATORIIS, *Cod. de Appell.*

XXIV. Hodie » ab eo, qui appellat, intra 30. dies ins» tanter Apostoli peti debent, & eidem intra dictum tempus » à Judice exhiberi: aliàs præsumitur appellationi suæ renuntia» re Appellans, si eos intra diem tempus petere prætermittat, » etiamsi vadat, aut mittat ad appellationem hujusmodi prose» quendam. « *Cap.* 6. *de Appellat. in VI.*

XXV. In eodem capitulo non obscurè indicat Pontifex, quòd Apostoli *instanter* per diversa tempora petendi sint; sive *sæpiùs* apud Judicem pro iis obtinendis instandum, quod & supponitur in *Clem.* 2. *eod.* ubi dicitur: » Quamvis rigor juris » exposcat, eum qui appellat debere petere Apostolos congruo » loco, & tempore, *sæpiùs* & *instanter*: Nos tamen ante» quam & communem observantiam litigantium sequi, & » æquitatem rigori præferri volentes, decernimus sufficere, quòd » per appellationem *simul uno* contextu Apostoli instanter & » sæpiùs postulentur. «

Hoc nunc jure utimur; solentque unico contextu peti Apostoli hac ferè formulâ: Peto respondere de Apostolis *instanter*, *instantiùs*, *instantissimè*.

XXVI. Potest Judex à quo petuntur Apostoli assignare petenti certum terminum, aut etiam terminum juris ad recipiendos Apostolos, intra quem si *signanter*, & sæpiùs, saltem uno contextu non petat, vel recuset recipere oblatos, appellationi suæ appellans renuntiare censetur, dicta *Clementina* 2.

XXVII. Additur in eadem Clementina: „ Quòd si Judex „ in termino ad dandum Apostolos præfixo per eum ipsos ap„ pellanti petenti non dederit; aut si dum peterentur Apostoli, „ responderit se daturum eosdem, nullo termino certo sibi „ præfixo, vel intra juris terminum se eos asseruerit velle dare, „ & posteà per appellantem congruo loco, & tempore sæpiùs, „ & instanter uno contextu etiam requisitus, eos non curave„ rit intra eundem terminum exhibere: appellationem suam ex „ tunc prosequi possit appellans, ac si expressè fuissent eidem „ Apostoli denegati. "

Hîc satis innuitur, ordinariè appellationi deferendum; neque facilè de *refutatoriis* esse respondendum; præsertim si sit sententia definitiva de se appellabilis: quia de justitia sententiæ jam latæ ulteriùs ipse Judex à quo judicare non potest; sed Judici ad quem judicium permittere debet.

XXVIII. Unde in Ordinationibus Curiarum DD. Rectoris, & Conservatoris Privilegiorum hujus Universitatis *art.* 49. decernitur: „ Quoniam lites sæpiùs oriuntur super Apostolis; ac » refutatorii Apostoli à definitiva non magnum habeant momen„ tum, cùm adeatur nihilominùs Judex superior, qui inhibet, „ revocatque attentata: Judex deferat omni appellationi à de„ finitiva, nisi appellans fuerit manifestè contumax: aut talis „ sit casus, in quo non cadit de jure appellatio. "

XXIX. In Curiis, & tribunalibus secularibus usus Apostolorum passim abolitus est; (r) uti observat Gudelinus de Jure

(o) *Olim in Hispania intra biduum, vel triduum in foro seculari appellatio interponebatur, L.* 1. *tit.* 15. *lib.* 2. *Fori*; *postea ad decem dies prorogatum fuit, L.* 22. *tit.* 23. *Partit.* 3. *jure verò novissimo, ut antea dictum est, intra quinque dies à die notitiæ interponenda est, L.* 1. *tit.* 18. *lib.* 4. *Recop.*

(p) *Appellatio dividitur in judicialem, & extrajudicialem Hæc definitur à Lyncker* tract. de gravam. *extrajud. cap.* 1. *sect.* 1. §. 2. » *Provocatio à gravamine fit per Judicem, vel* » *Partem extra judicium illato, vel inferendo.* « *Vestigia hujus appellationis in Jure Canonico passim occurrunt. An in Jure Civili detur facultas provocandi* ab actibus extrajudicialibus? *disputatur inter Jurisconsultos Germanos. Lynckerus loco citato* sect. 3. *docet hanc appellationem agnosci in jure Civili*; *sed negat Bohemerus lib.* 2. *tit.* 18. §. 2. *sic enim loquitur*: » *Fateor* » *patere recursum ad Superiorem à facto Judicis iniquè gravan*» *tis Partem, sicuti in genere, qui iniquè aliquem gravat, que*» *relam desuper movere potest. Verùm hic recursus, seu quere*» *la, non est appellatio propriè dicta, intra decendium interpo*» *nenda, sed simplex querela, quæ imploratur protectio Superio*» *ris, & quæ cum appellationibus nihil habet commune.* «

(q) *Intra quinque dies in Hispania appellatio interponi debere sæpiùs dictum est, & tradit L.* 1. *tit.* 18. *lib.* 4. *Recop. attamen an viva voce, scriptove non distinguit*; *priùs rarò, secundum semper nostra praxis observat.*

(r) *In Tribunalibus secularibus Hispaniæ, quando interponitur appellatio de eo petitur testimonium*; *quod continere debet naturam, qualitates, causam, ejusque sententiam, ut appellans intra terminum præscriptum à Judice* à quo, *aut à leg.* 2. *& 15. tit.* 18. *lib.* 4. *Recop.* » al plazo que le pusiere el Juzga» dor... hasta 40. dias si fuere allende los Puertos; si fuere aquen» de 15. si fuere en la Villa hasta tercero dia, « *coram Judice ad quem comparere debeat, ut omnibus ab eo rite perpensis,* » den... compulsorios en forma, para que... se trayga el proce„ so, *ut ait L.* 79. *cap.* 18. *tit.* 4. *lib.* 3. *Recop. & confirmant L.* 10. *tit.* 18. *& Remiss.* 12. *tit.* 25. *lib.* 4. *ejusd. Recopil. Si autem appellans intra terminum præfixum non comparuerit, à causa cadit, ut ait L.* 1. *cum* 15. *tit.* 18. *lib.* 4. „ al plazo „ que le pusiere el Juzgador.... finque firme, " *si secus fuerit* » sea llamado, « *ait etiam L.* 5. *ejusd. tit. & lib.*

Quod anteà dictum est, procedit, quando superiùs Tribunal extra oppidum Civitatemve inferioris est, nam si ibi etiam consistat, & præcipuè in Regia Curia, appellans per libellum Tribunali Superiori se præsentat, gravamen exprimens, & petens ut Scriba compareat ad causæ relationem faciendam, ut præscribunt Acta Acord. 9. 11. & 18. *tit.* 8. & *L.* 16. *cap.* 17. *tit.* 6. *lib.* 2. *cum remissione* 32. *tit.* 25. *lib.* 4. *Recop. quod ita concessum, die designato, adstantibus partibus, factaque causæ relatione lis terminatur, & executioni mandatur, ut ajunt Remis.* 23. *& Act. Acord.* 3. *ibi*: » confirmando, ò revocan» do, acabe el negotio, « *tit.* 18. *lib.* 4. *Recop. Per transenam notare non pigeat, quòd si in Curia de debito agatur, & id summam quindecim millia drachmarum non attingat, ad Aulam, vulgò* la Sala de Alcaldes, *non ad Supremum Senatum interponitur appellatio. Circa alia superiora Tribunalia extra Curiam, vide L.* 1. *& 11. tit.* 2. *& L.* 12. *& 23. tit.* 3 *lib.* 3. *leg.* 21. *tit.* 8. *lib.* 2. *& Act. Acord.* 13. *prope finem tit.* 1. *libro* 4. *Recop.*

Postremò circa appellationum à Prætore ad Senatum, vulgò Ayuntamiento (*ubi consuetum est fieri*) *terminos formamque tradunt leg.* 7. 28. *& 29. tit.* 18. *& leg.* 32. *& 43. tit.* 25. *lib.* 4. *Recop.*

re novissimo *lib. cap.* 14. & pluribus citatis Christinæus ad Bignonium *lib.* 1. *cap.* 98. Quin imò teste Claudio Fleury in Instit. Juris Eccles. *part.* 3. *cap.* 23. ne quidem in Curiis Ecclesiasticis illorum usus superest in Gallia; sed appellatio interponitur per actam, & introducitur per libellum, aut commissionem Metropolitani, quæ supplet vices litterarum relevii. Verba Auctoris sunt: *On n' use plus même en cour d' Eglise* D' APOTRES, *ou de Lettres de renvoy, que l' Appellant devoit obtenir du Juge* A QUO: *mais l' appel s' interjette par un acte, & se releve par requête, ou par commission du Metropolitain, qui tient lieu de relief.* Id est: „ Abolitus est etiam in Curiis Ecclesias-„ ticis usus *Apostolorum*, aut litterarum dimissionis, quas ap-„ pellans impetrare debebat à Judice A QUO: verùm provocatio „ interponitur per actam, ejusque persequendæ professio fit per „ libellum, aut mandatum Metropolitani, quod hîc vices su-„ bit diplomatis ineundæ provocationis. "

Verisimile est, quòd hæc praxis invaluerit in Curiis Ecclesiasticis, postquam Edicto Regio anni 1667. ordinatum fuit, ut in tribunalibus Ecclesiasticis teneretur forma Tribunalium Civilium.

XXX. Tempus introducendæ, & finiendæ appellationis hodie de jure communi est annus, (s) vel ex causa biennium à die interpositæ appellationis. *Auth.* EI QUI, *Cod. de Temporibus, & reparat. appellat.* quæ relata est à Gratiano in *Canone* 41. *Caus.* 2. *quæst.* 6.

XXXI. Hic terminus etiam Jure Canonico præscriptus est *cap.* 4. & 5. ℣ *de Appellat.* Et quidem in posteriori scribit Alexander III. » Quod si ante Sententiam, vel posteà fue-» rit appellatum, hujusmodi Appellantibus annus indulgetur; » aut ex necessaria, & evidenti causa biennium. «

XXXII. Et in *Clementina* 3. *eod.* declaratur, » quòd sicut » appellationem judicialem, sic & extrajudicialem intra annum » à die interpositionis ipsius, vel à die illati gravaminis, ubi à » futuro gravamine appellatur, prosequi, & finiri tenetur Ap-» pellans. Quod si justo cessante impedimento non fecerit, de-» be bit ejus appellatio deserta censeri. «

XXXIII. Et hic quidem est terminus *juris*; quem ipse Judex *à quo* subinde abbreviare potest, juxta illud quod verbis suprà relatis immediatè subnectit Alexander III. Nisi » forte Ju-» dex à quo appellatum fuerit, secundum locorum distantiam, » & personarum, & negotii qualitatem *recisius* tempus fuerit » moderatus. «

XXXIV. Terminus à judice præfixus vocatur terminus *hominis*; declaraturque in *Clem.* 4. *de Appellat.* » Quandiu appel-» lationis prosecutio per compromissum, vel alias de Partium » expresso consensu differtur: tempus ad prosequendum ean-» dem *ab homine* vel *à jure* præfixum currere nolumus Appel-» lanti: nisi fortè Judex videns ex dilatione periculum immine-» re, præciperet in illa procedi. «

XXXV. Hæc tempora vocantur *fatalia* appellationis, eò quòd si hæc elabi sinantur, appellatio efficiatur deserta, & quasi moriatur, seu *fato* quodammodo extingatur. Vide Wamesium ad *Cap.* 5. ℣ *de Appellat. num.* 2.

XXXVI. Observant autem communiter Pragmatici, hæc *fatalia* nostris, & aliorum moribus in desuetudinem abiisse; præsertim quatenus præfigunt terminum *finiendæ* appellationis. Sicuti enim primæ instantiæ, postquam in causa conclusum est, perpetuæ sunt, ita & hodie apellationum instantiæ. Gudelinus *lib.* 4. *de Jure novissim. cap.* 14. *num.* 30. & plures citati à Christinæo in notis ad Bignonium *lib.* 1. *cap.* 100.

XXXVII. Verùm licèt nec fatalia ad introducendam, aut prosequendam appellationem à jure præscripta moribus ubique serventur, certa tamen singularum Curiarum instructionibus introducendæ, & prosequendæ appellationis fatalia sunt constituta; quæ si appellans negligat, deserta censetur appellatio.

XXXVIII. In Ordinationibus Parlamenti Mehliniensis, *tit. de Materia appellat. art.* 2. dantur tres menses à die factæ appellationis ad introducendam appellationem sub pœna desertæ appellationis. Et contra lapsum dicti temporis non vult concedi relivium à Parlamento, nisi ex causa urgente fundata in jure. Verba articuli sunt: *Qui voudra appeller de sentence contre lui renduë dont est permis d' appeller, sera tenu ce faire en dedans dix jours, selon la disposition du droict écrit: & relever son appel, ensemble executer celui, & faire servir le jour en dedans trois mois du jour de l' appellation interpossée, à peine de desertion. Et contre ledit temps ne sera accordé aucun relief par lesdits de nôtre grand Conseil, ne fût pour cause urgente fondée en droict.* Id est: » Qui à sententia adversus se la-» ta, à qua provocare licitum fuerit, Judicem superiorem ap-» pellare intendet, juxta Juris scripti constitutionem, intra de-» cem dies id facere obstringetur, interpositæque provocatio-» nis persecutionem profiteri, eandemque executioni mandare, » & instruere ad diem intra trimestre ab interposita appellatione » sub pœna deserti vadimonii, quo tempore elapso non conce-» dentur à magno nostro Consilio litteræ actionis restitutoriæ, » nisi ob causam urgentem in jure fundatam. «

XXXIX. Ordinationes Curiæ Brabantiæ *art.* 583. concedunt duntaxat *viginti* dies ad introducendam appellationem computandos à lapsu decem dierum, qui dati sunt ad appellandum sub pœna desertæ appellationis. Tenor articuli est: *Sal gehouden zyn.... binnen twintigh dagen naer de expiratie van de voornoemde thien dagen, oft dat t' vonnisse tot synder kennisse ghekomen sal zyn, syn brieven van appellatien releveren ende executeren, op de pene van desertien, ende dat die Recheters* à quibus *sullen moghen procederen tot executien van heuren vonnisse, al ofter niet af geappelleert en waer, waer tegen men niet en sal mogen releveren, ten ware om saecken van mynoriteyt, sieckte, notelycke absentie, oft andere pregnante redenen den Hove daer toe moverende.* Id est: » Obstringetur » intra diem vigesimum, post lapsum prædictorum decem die-» rum, aut ex quo sententia ipsi innotuerit, interpositæ pro-» vocationis persecutionem profiteri, eamque exequi sub pœna » deserti vadimonii, quodque Judices *à quibus* sententiam la-» tam executioni mandare possint, non secus ac si nulla es-» set interposita provocatio, adversus quæ restitutionem perse-» qui non licebit, nisi ob rationes aut minoris ætatis, aut mor-» bi, aut absentiæ necessariæ, aut aliam demum causam ur-» gentem, quæ Curiam permoverent. «

XL. Quin in Curia Hannoniæ debet appellari inter decem dies & decem noctes à die intimatæ sententiæ, & primâ die juridicâ introduci appellatio, modò inter diem juridicam, & interjectam appellationem fuerint septem dies liberi; idque sub mulcta sex florenorum, quâ mediante poterit & sequenti die juridica appellatio introduci. Verba *art.* 443. Ordinationum dictæ Curiæ sunt: *Lequel appel estant ainsi interjecté, devra estre relevé aux premiers plaids de nostredite Cour ensuyvans, pourveu qu' il y ait sept jours francs depuis l' appel; si non ledit appellant encherra en six florins d' amende au profit de l' Officier, & juge subalterne dont seroit appellé, & lui sera neanmoins encor permis de relever sondit appel aux seconds plaids aprés qu' il l' aura interjecté, & si lors il demeure encore defaillant de le faire, son appel sera déclaré pery & desert, & ledit appellant condamné aux depens, aussi en la moitié de l' amende du fol appel.* Id est: » Quam provocationem sic interpositam prosequi » oportebit prima die juridicâ dictæ nostræ Curiæ subsequente, » modò ab interposita appellatione septem dies liberi elapsi fue-» rint, alias provocans mulctam incurret sex florenorum ad » emolumentum Ministri, & Judicis inferioris, à quo provo-» caverit, licebitque ei nihilominùs sequenti die juridicâ appel-» lationem interpositam persequi; si autem & tunc deficeret, » declarabitur provocatio ejus irrita, & deserta, provocansque » condemnabitur in sumptus; insuperque ut medietatem mulc-» tæ ob inanem provocationem persolvat. «

Neque in Curiis Ecclesiasticis *Fatalia* à jure præscripta ubique servantur.

XLI. In Ordinationibus Curiar. Eccles. Provinciæ Mechlin. *tit.* 16. *art.* statuitur: » Et intra 30. dies à sententia petitis de-» bitè Apostolis tenebitur Appellans impetrare à Judice *ad* » *quem*, citationem, seu litteras Relevii, & illas exequi in-» tra 20. dies à die ultimæ responsionis Apostolorum numeran-» dos, nisi Judex respondens de Apostolis alium terminum » præscripserit. Post illud tempus citari poterit ad docendum » de facta diligentia, intra certum tempus Judicis arbitrio mo-» derandum; eoque lapso & neglecto, appellatio declarabitur » deserta, & procedetur per Judicem *à quo* ad executionem „ rei judicatæ. "

XLII. Ordinationes Curiæ. DD. Rectoris, & Conservatoris Privilegiorum hujus Universitatis *art.* 49. præscribunt, „ ut „ simul atque appellatum est, præfigatur terminus Appellanti „ ad introducendam appellationem coram superiore Judice: sci-„ licet ut non tantùm interim Rescriptum impetretur, verùm „ etiam & Pars sit citata, & Appellans interim ibi compareat; „ & interea cesset executio. "

XLIII. In citatis Ordinationibus Curiarum Ecclesiasticarum *art.* 3. decernitur insuper: » Contra lapsum fatalium appellan-» di, & appellationem introducendi, & prosequendi, non po-» terit Judex ad quem restituere, nisi pars doceat per se non » stetisse, seu aliam causam alleget, & probet non levem, sed » in jure legitimè fundatam. «

XLIV. Ut autem Judex à quo ob desertam appellationem ad executionem sententiæ procedere queat, debet ipsa appellatio à Judice *ad quem* declarari deserta. Hæc declaratio ab appellato petenda est: quia multæ excusationes proponi possunt, ob quas non sit deserta appellatio; ubi autem potest defensio-

(s) *In Hispania tempus introducendæ, prosequendæque appellationis annuum est, quo elapso, firma rataque efficitur sententia, ut asserunt L.* 11. *tit.* 18. *lib.* 4. *& Act.* 6. *tit.* 14. *lib.* 2. *Recop. & arctiùs Act. Acord.* 13. *ejusd. tit. & lib.* no le cumpliendo pasado el dicho año, se embiarà à executar.

sio (t) competere, requiritur sententia declaratoria *Cap.* CUM SECUNDUM, *de Hæreticis, in VI.*

XLV. Monet autem Rebuffus in Tractatu *de appellationibus. art.* 5. *num.* 28. in hac materia desertionis tria peti ab Actore. Primò declarari appellationem desertam, eò quòd non relevavit illam intra tempus præstitutum; vel non est eam prosecutus. Secundò, quòd decreta à Judice, & statuta suum sortiantur plenum effectum. Tertiò, quòd reus appellans condemnetur in expensas instantiæ desertionis.

Probatur autem desertio appellationis ex inspectione, & collactione actorum; si nimirùm ex his appareat, Appellantem intra præstitutum tempus appellationem non instituisse, aut prosecutum fuisse.

XLVI. Si Jus commune attendamus in *L.* 6. §. 1. & *L.* 37. *Cod. de Appellat.* & *L.* 4. *Cod. de Temporibus appellat.* permittitur Appellantibus uti novis allegationibus, factaque deducere, quæ in prima instantia omissa fuerunt; & idque & moribus observari saltem in Curiis subalternis asserit Christinæus ad Bignonium *lib.* 2. *cap.* 127. Adde & Simonem à Groenewegen ad citatam *legem* 4. ubi notat, quòd hæc lex etiam hodie obtineat.

XLVII. In Curiis supremis tamen, si appellatum sit à sententiis *per scriptum* instructis, ex iisdem actis judicandum est *an benè, an malè* appellatum, vel reformatum sit; ibidem monet à Groenewegen, & nominatim præscribitur *art.* 609. *Ordinat. Curiæ Brabantiæ*; nisi sit obtenta licentia à Curia allegandi *nova* facta; quæ si obtenta fuerit, causaque appellationis ex *novis* factis decisa sit, idipsum in sententia exprimendum erit, juxta *art.* 613. dictarum Ordinat. His conformis est *art.* 456. Ordinationum Curiæ Hannoniæ. (u)

XLVIII. Edicto de ultima Junii 1495. mandatur, ut lites à quatuor primariis civitatibus, sive Magistratibus Flandriæ decisæ, & per appellationem, vel reformationem ad Consilium Provinciale Flandriæ devolutæ ex iisdem actis definiantur, an malè, vel benè judicatæ sint: sic tamen, ut acta transferantur debitè clausa, sigillata, & præsentibus procuratoribus Partium recognita; & Judices sententiam suam sic latam defendant. Habetur Edictum *part.* 1. *Edictor. Flandriæ lib.* 1. *Rubr.* 6.

XLIII. Citatæ Ordinationes Curiæ Rectoralis, & Conservatorialis *art.* 55. statuunt: »Ut apud *quinque Judices* ju»dicetur ex *iisdem* actis, an benè, vel malè: & non liceat no»va facta allegare, vel non probata probare, nisi ex causa, & »præstito juramento, uti in prima instantia dictum, « nimirum *art.* 14.

L. Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechliniensis sufficienter indicant *tit.* 16. *art.* 12. nova facta in Priore instantia non allegara, in causa appellationis posse allegari; nam volunt, ut »die serviente Appellans litteras relevii reproducet, »& simul sine ulteriore dilatione Procurator de mandato do»cebit, & gravamina per articulos exhibebit; & simul ulteriùs »allegabit, quæcunque in *priori* instantia *non allegaverit*, quæ »ad rem suam facere existimabit. «

LI. Vult autem Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 20. *de Reform.* ut »si quis in casibus à jure permissis appellaverit, aut »de aliquo gravamine conquestus fuerit, seu aliàs ob lapsum »biennii.... ad alium judicem reccurrerit: teneatur facta om»nia, coram Episcopo gesta, ad judicem appellationis expen»sis suis transferre, eodem tamen Episcopo priùs admonito; »ut, si quid ei pro causæ instructione videbitur, possit judici »appellationis significare. Quòd si appellatus compareat, co»gatur tunc is quoque actorum, quæ translata sunt, expensas »pro portione sua, si illis uti voluerit, subire, nisi aliter ex »loci consuetudine servetur, ut scilicet ad appellantem inte»grum hoc onus pertineat. «

LII. Utique appellans in prosequenda sua appellatione, defectu actorum, non impediatur, Synodus adjungit: »Porrò »ipsam actorum copiam teneatur Notarius, congruâ merce»de (x) acceptâ, appellanti quantò citiùs, & ad minùs intra »mensem, exhibere. Qui Notarius si in differenda exhibitione »fraudem (y) fecerit, ab officii administratione arbitrio Ordi»narii suspendatur; & ad dupli pœnam, quanti ea lis fuerit »inter appellantem, & pauperes loci distribuendam, compel»latur: Judex verò, si & ipse impedimenti hujus conscius »particeps fuerit, aliterve obstiterit, ne appellanti integrè acta »intra tempus traderentur; ad eandem dupli pœnam, prout »suprà, teneatur: non obstantibus quoad omnia supra scripta, »privilegiis, indultis, concordiis, quæ suos tantùm teneantur »auctores, & aliis quibuscunque consuetudinibus. «

(t) *Quoties in Hispania allegetur justum impedimentum ad prosequendam & finiendam causam intra annum, appellans eam prosequi potest, ne determinatum est in leg.* 2. & 11. *tit.* 18. & 14. *tit.* 3. *lib.* 4. *Recop.*

(u) *In Hispania in secunda instantia potest allegari & probari, quod in prima omissum fuit: ita L.* 2. *tit.* 19. *lib.* 4. Que la parte pueda alegar lo que no alegó, y probar lo que no probó, & *quod inter alia tradit L.* 4. *tit.* 9. *ejusd. lib.* 4. *Recopil.*

CAPUT III.

De Effectu Appellationis.

1 *Pendente appellatione nihil innovandum.*
2 *Idque donec in causa appellationis fuerit pronuntiatum.*
3 *Hic effectus appellationis etiam jure Canonico probatus.*
4 *Appellatione pendente innovatum à judice* à quo *revocari debet per judicem* ad quem *tanquam attentatum.*
5 *Id etiam obtinet in appellatione quantumvis frivolâ, si Judex* à quo *eidem detulerit.*
6 *Hic effectus non habetur, nisi appellatio Judici* à quo, & *Parti fuerit intimata.*
7 *Appellatio* ab interlocutoria *non habet hunc effectum ante inhibitionem Judicis* ad quem.
8 *Ratio differentiæ inter appellationem à definitiva, & interlocutoria.*
9 *Post inhibitionem innovatum est cassandum, licèt ratio inhibitionis vera non fuerit.*
10 *Attentata revocanda per judicem* ad quem.
11 *Per appellationem jurisdictio Judicis non omninò tollitur, sed suspenditur.*
12 *Judex* à quo *potest vi retentæ jurisdictionis ordinare, quæ ad expeditionem appellationis conducunt.*
13 *Duplex appellationis effectus devolutivus, & suspensivus.*
14 *Effectus suspensivus nonnullis appellationibus nominatim substractus.*
15 *Jure Decretalium in causis* correctionis *non datur appellatio cum effectu* suspensivo.
16 *Hæ Decretales etiam locum habent in correctione Clericorum secularium.*
17 *A correctione legitima appellari non posse cum effectu suspensivo definit Concilium Lateranense IV.*
18 *Conforme est Decretum Synodi Tridentinæ.*
19 *Admittitur tamen appellatio cum effectu* devolutivo.
20 *Prædicta Decreta procedunt in quorumcunque Superiorum correctione.*
21 *Si Prælati excesserint formam correctionis, ab eorum Decretis potest appellari cum effectu suspensivo.*
22 *Dum à correctione appellatur debet exprimi causa gravaminis, & excessus.*
23 *Decretum contra Regulares temerè ad Curiam Romanam appellantes.*
24 *A lata sententia excommunicationis non appellatur cum effectu* suspensivo.
25 *Excommunicatus potest denuntiari non obstante appellatione.*
26 *Quare ab excommunicatione lata appellatio non detur cum effectu suspensivo.*
27 *Ab excommunicatione nondum absolutè inflicta appellari potest cum effectu* suspensivo.
28 *Nonnulla sunt tribunalia, à quorum sententiis non appellatur quoad effectum* suspensivum.
29 *Quomodo hoc jure gaudeat sententia quinque judicum hujus Universitatis, si sit conformis sententiæ D. Rectoris.*
30 *Sententiæ non excedentes summam* 50. *florenorum in Curiis Ecclesiasticis Provinciæ Mechl. mandantur executioni non obstante appellatione.*
31 *In causis officii, defloralionis & similibus privilegiatis non recipitur appellatio cum effectu* suspensivo.
32 *Neque in causa alimentorum.*
33 *Quid de causis Beneficialibus.*

I. REgula ab omnibus uno consensu recepta est, pendente appellatione nihil posse innovari seu attentari, sed omnia in eadem statu, in quo erant tempore introducendæ, vel introductæ appellationis, quandiu de ea cognoscitur, manere oportere, *L. unica ff. Nthil innovari appellatione interposita*, ubi scribitur: »Appellatione interposita, (z) sive ea recepta sit, »sive non, medio tempore nihil novari oportet: si quidem fue»rit recepta appellatio quia recepta est: si verò non est recep»ta, ne præjudicium fiat quoad deliberetur, utrum recipien»da sit appellatio, an non sit. «

II. Deinde additur §. 1. »Receptâ autem appellatione tan»diu nihil erit innovandum, quandiu de appellatione fuerit pro»nuntiatum. «

Hæc

salvo por escrituras autenticas, y por confesion de la parte.

(x) *Quoad forùm seculare præceptum est in Hispania, in leg.* 16. *tit.* 8. *lib.* 2. *Recop. quòd appellans teneatur Scribæ actorum copiam exsolvere: & quotam l.* 27. *ejusdem tit. & lib. præscribit.*

(y) *In Hispania si negligentes fuerint* sean obligados de pagar el interese à la parte, *ait dicta L.* 16. *tit.* 8. *lib.* 2. *Recop.*

(z) *Leges* 14. 26. & 27. *tit.* 23. *Part.* 3.

III. Hæc regula etiam Jure Canonico probata est; atque » Pontifex ait in *cap.* 7. *de Appellat. in VI.* » Non solùm innovata post appellationem à definitiva sententia interjectam debent semper (exceptis casibus, in quibus jura post sententiam prohibent appellare) ante omnia per appellationis Judicem penitùs revocari: sed etiam ea omnia, quæ medio tempore inter sententiam, & appellationem (quæ postmodum intra decendium (a) interponitur ab eadem) contingit innovari ac si post appellationem eamdem innovata fuissent. «

IV. Itaque si post appellationem à definitiva quidquam innovaverit aut attentaverit judex *à quo*, illud imprimis statim, & ante omnia per judicem appellationis remedio attentatorum revocari, irritari, seu cassari debet, *Cap.* 55. ✠ *de Appellat.*

V. Si Judex *à quo* appellationi quantumvis frivolæ detulerit, mox ab ulteriore causæ prosecutione desistere tenetur; & si quid pendente appellatione innovaverit, tanquam *attentatum* erit revocandum. Rationem assignat Pontifex in *Cap.* 5. *de Appellat. in VI.* » Quia Judex ipse, quantum in se fuit, à se jurisdictionem abdicavit eamdem, appellationi deferens minùs justè, totius causæ decisio in Superioris est potestate transfusa.«

VI. Ut tamen attentata post appellationem interpositam à definitiva revocentur, necesse est, appellationem fuisse intimatam Judici, & Parti; nam aliàs Judex, & Pars eam ignorantes possunt de jure procedere in causa, nec tunc per eos attentata revocantur, uti tradit Maranta *part.* 6. *actu* 2.

VII. Quin & ulteriùs declarat Pontifex in *cap.* 7. *de Appellat. in VI.* quòd » illa, quæ post appellationem interpositam » ante definitivam sententiam innovantur, donec appellationis » causam veram esse constiterit, renovari non debent: nisi Ju» dex appellationis (postquam sibi constiterit per appellationem » emissam, ex causa probabili fore ad se negotium devolutum) » inhibeat canonicè Judici (à quo appellatum extitit) ne proce» dat: tunc enim quidquid post inhibitionem hujusmodi fuerit » innovatum, est (licèt causa eadem non sit vera) per eundem » appellationis Judicem ante omnia in statum pristinum redu» cendum. «

VIII. Cùm enim Judex *à quo* ante sententiam definitivam non sit functus suo officio, maneatque adhuc Judex in causa principali post latam sententiam *interlocutoriam*, hinc receptum apparet, quòd per appellationem ab hac sententia non claudantur ejus manus, nec processus ulterior sistatur, quousque per judicem appellationis habita de veritate causæ appellationis summariâ informatione, *inhibitio* facta fuerit.

IX. Factâ autem inhibitione, si quid innovatum fuerit, tanquam attentatum ante omnia in pristinum statum est reducendum; etiamsi causa appellationis allegata non fuerit vera, ut dicit Pontifex in citato *cap.* 7. idque ad contemptum Judicis *ad quem*; qui in causa appellationis reputatur Superior respectu Judicis *à quo*.

X. Attentata autem pendente appellatione revocanda sunt per judicem ipsum appellationis, dicto *Cap.* 7. Hæc enim revocatio attentatorum, quæ fit cum privilegio *ante omnia*, pars quædam est appellationi cohærens; ut non sit propterea conveniens, alium Judicem de ea cognoscere; ne quæ in causa sunt continentia, & cohærentia, separentur & in plures Judices diffundantur. Accedit, quòd cùm per attentata lædatur jurisdictio judicis *ad quem*, etiam ratio postulet, ut per illum solum prudenter illa corrigantur.

XI. Quamvis per appellationem à definitiva causa totaliter devolvatur ad judicem appellationis; non ideò tamen omninò tollitur jurisdictio Judicis *à quo*, sed potiùs suspenditur, eatenus scilicet, ut nihil queat in causa decernere, aut facere, quod appellationi, aut appellanti præjudicare posset; nequaquam verò suspenditur jurisdictio quoad ea, quæ tendunt ad faciliorem, expeditioremque appellationis prosecutionem; circa quæ jurisdictionem suam adhuc retinet Judex *à quo* etiam post interpositam, & receptam appellationem.

XII. Ex hac retenta aliquali jurisdictione profluit, quòd Judex à quo provocatum est, compellere appellantem queat, ut appellationem interpositam prosequatur, (b) *Cap.* 14. ✠ *de Appllat.* deinde, ut Appellans intra certum tempus iter arripiat, ut provocato Judici se exhibeat; item inhibere, ne lite pendente attentet; item ab excommunicatione absolvere, si ab ipso Appellans excommunicatus fuit; & pleraque alia, quæ tendunt ad appellationis expeditionem, non etiam ad ulteriorem causæ cognitionem. Ita Wamesius ad *cap.* 17. ✠ *de Appellat. num.* 3.

XIII. Ordinarius igitur appellationis effectus est, sistere executionem sententiæ judicis *à quo*; omnemque ejus vim suspendere, ac integram causæ cognitionem ad Judicem superiorem deferre. Itaque appellatio de se & ex natura sua habet duplicem effectum, nimirùm devolutivum, & suspensivum. Priorem quidem in quantum appellatione mediante, causæ cognitio & decisio devolvitur ad judicem appellationis. Posteriorem autem, in quantum per appellationem suspenditur effectus, sive executio sententiæ, à qua appellatum est.

XIV. Verùm quia hæc sententiarum & decretorum *suspensio* occasione appellationis interjectæ frequenter plurima, eaque gravissima parit incommoda, visum fuit, nonnullis appellationibus effectum hunc suspensivum nominatim adimere; ipsarumque sententiarum, aut Decretorum executionem permittere, non obstante appellatione; quamvis etiam ab iisdem tententiis appellatio quoad effectum *devolutivum* (c) permittatur.

XV. Ita cuidam Abatti Ordinis S. Benedicti rescribit Alexander III. in *cap.* 3. ✠ *de Appellat.* » Si quando quilibet subditorum tuorum ad remedium appellationis convolaverit, non » ideò minùs eum juxta tenorem mandati, quod in predicta » Regula (Sancti Benedicti) continetur, & institutionem Ordinis » corrigas, & castiges. «

Rationem præmisit: » Quia remedium appellationis non ideò est inventum, ut alicui à religionis, & Ordinis observantia exorbitanti debeat in sua nequitia patrocinium exhibere. «

Et rursus in *Cap.* 26. ✠ *eod.* ex Concilio Lateranensi sub Alexandro III. decernitur: » Nec subjecti contra disciplinam » Ecclesiasticam in vocem appellationis errumpant... Præcipuè » verò (ait Concilium) hoc in Religiosis volumus observari; ne » Religiosi, cum pro aliquo excessu fuerint corrigendi, con» tra regularem Prælati sui & Capituli disciplinam appellare » præsumant, sed humiliter ac devotè suscipiant quod pro sa» lute sua fuerit eis injunctum. «

XVI. Cæterùm etsi hæ Decretales *nominatim* loquantur de *Religiosis*, inspectâ tamen earum mente, vindicant sibi locum etiam in aliis subditis, uti communiter tradunt Doctores, quos citat & sequitur Prosper Fagnanus in *cap.* AD NOSTRAM ✠ *de Appellat. num.* 4.

XVII. Hinc uno quasi consensu post Glossam ad citatum *cap.* 3. tradunt Doctores, *à correctione legitima* non appellari, saltem quoad effectum *suspensivum*.

Hæc regula evidentiùs probatur in *cap.* 3. ✠ *de Officio Jud. Ordinarii*, ex Concilio Lateranensi sub Innocentio III. ubi generaliter pronuntiatur: » Ut *correctionis*, & reformationis of» ficium liberè valeant exercere, (Ecclesiarum Prælati) decerni» mus, ut *executionem* ipsorum nulla consuetudo, vel *appella*» *tio* valeat impedire. «

XVIII. His aliisque Decretis inhærens Synodus Tridentina in variis Decretis declaravit, mentem suam esse, ut executio correctionis via appellationis nequaquam sisteretur. Et quidem *Sess.* 22. *cap.* 1. *de Reform.* cùm decrevisset, ut quæ aliàs à Summis Pontificibus, & à sacris Conciliis de Clericorum vita, honestate, cultu, doctrina retinenda, ac simul de luxu, comessationibus, choreis, aleis, lusibus, ac quibuscunque criminibus, nec non secularibus negotiis fugiendis copiosè ac salubriter sancita sunt, eadem in posterum iisdem pœnis, vel majoribus arbitrio Ordinarii imponendis, observentur, immediatè Synodus subjungit: » Nec appellatio *executionem hanc*, quæ ad morum » *correctionem* pertinet, suspendat. «

Et rursus speciali Decreto id inculcavit Synodus *Sess.* 24. *cap.* 10. *de Reformat.* cujus Decreti verba sunt: » Episcopi, » ut aptiùs, quem regunt, populum possint in officio, atque » obedientia continere, in omnibus iis, quæ ad visitationem, » ac morum correctionem subditorum suorum spectant, Jus, & » potestatem habeant etiam tanquam Apostolicæ Sedis Delega» ti, ea ordinandi, moderandi, puniendi, & exequendi, jux» ta Canonum Sanctiones, quæ illis ex prudentia sua pro sub» ditorum emendatione, ac diœcesis suæ utilitate necessaria vi» debuntur. Nec in his, ubi de visitatione, aut morum correc» tione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, seu » querela, etiam ad Sedem Apostolicam, interposita, execu» tionem eorum, quæ ab his mandata, decreta, aut judicata fue» rint, quoquo modo impediat, aut suspendat. «

XIX. Appellationem in casu *correctionis* non admitti quoad effectum *suspensivum* satis clarè exprimitur; at eam excludi quoad effectum *devolutivum* ex verbis Decretorum elici nequit: quin & consulta S. Congregatio Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum respondit, appellationem in causis correctionis esse permissam, ita tamen, ut non suspendat executionem; sive non habeat effectum *suspensivum*. Hacque ratione conciliari posse ejusdem Concilii Decretum *Sess.* 13. *cap.* 1. *de Reformat.* quo permittitur appellatio in causa correctionis post sententiam definitivam, vel antea, si gravamen sit irreparabile. Vide Fagnanum loco citato *num.* 6. & sequentibus, ubi &

(a) *Decendium, id est, spatium decem dierum.*

(b) *L.* 2. *tit.* 18. *lib.* 4. *Rec.* Al plazo que le pusiere el Juzgador, sea tenido el que se alzò de la seguir, *& LL. ejusd. tit. & lib.* y si no lo hiciere que finque la sententia firme, y valedera.

(c) *In leg.* 6. *tit.* 18. *lib.* 4. *Recop. proponuntur casus, in quibus in Hispania appellatio tantùm quoad effectum devolutivum admittitur.*

& varias Congregationis Declarationes refert, quibus probatur Concilium Tridentinum non sustulisse appellationem in causa correctionis quoad effectum *devolutivum*; sed tantùm quoad effectum *suspensivum*: id est, causa correctionis possit quidem per appellationem ad Superiorem deferri, ut hic de correctione, an benè, an malè facta sit, cognoscat; sed executionem correctionis interim impedire nequeat, aut inhibere Superiori corrigenti, ne ad executionem illius progrediatur. (d)

XX. Nec illud duntaxat procedit in correctione Prælatorum Regularium, aut Episcoporum respectu suorum Clericorum, sed & omnium etiam inferiorum, qui Jus corrigendi, & puniendi, vel ex consuetudine, indulto, aut privilegio obtinet; quemadmodum ostendit Zypæus *Consult.* 3. *de Accusat.* occasione cujusdam Clerici, qui Præfecto ceremoniarum in obeundis *Divinis* Officiis obedire jussus, & ob contumaciam, atque insolentia verba, à *Capitulo* culpam agnoscere, & ibidem deprecari jussus, diffugio appellationis se tueri volebat, de quo casu resolvit ibidem Zypæus, appellationem interjectam à Clerico non posse *executionem* sistere, utpote in materia correctionis.

XXI. Concilium Lateranense in citato *cap.* 13. declarans, correctionis aut reformationis executionem non posse per appellationem suspendi, addit hanc exceptionem: *Nisi formam in talibus excesserunt* (Prælati) *observandam.* Hinc communiter concludunt Canonistæ, appellationem etiam quoad effectum *suspensivum* admitti à Decretis in visitatione Episcoporum, si *judicialiter*, & *formato* processu Episcopus processit ad punitionem alicujus: quia similis processus metas & formam correctionis excedit; & ita resolvisse S. Congregationem testatur Fagnanus ad *Cap.* 3. ✠ *de Appellat. num.* 24. additque Pontificem facta sibi relatione, sententiam Congregationis probâsse; ut si Episcopus *judicialiter* processit ad definitivam, non comprehendatur hîc casus appellatione correctionis morum, & detur appellatio etiam *suspensiva.*

XXII. Videri quoque potest Salgado *de Protectione Regia part.* 2. *cap.* 15. qui *num.* 70. notandum monet, » quòd quando est appellatio permissa à correctione, seu visitatione, puta, propter excessum (ut supra diximus) debet exprimi causa gravaminis, sive agatur in judicio, sive extra judicium, sive ante sententiam, sive post sententiam, Scaccia in *Tract. de Appellat. quæst.* 17. *limit.* 36. *num.* 13. Philip. Franch. *in cap.* AD NOSTRAM 3. *sub num.* 3. & 4. *de Appellat.* illam reddentes rationem: quia quando Jus resistit appellationi nisi in certo casu speciali, tunc appellans debet illum exprimere casum, ut sic appareat, appellatum esse in casu permisso, cui regula non resistit. «

XXIII. Contra Regulares ab ordinationibus, & correctionibus ad Curiam Romanam temerè appellantes, Decretum Congregationis Episcoporum, & Regularium recitat Fagnanus ad *cap.* DE PRIORE ✠ *de Appellat.* ibidem ostendens, quàm parum conveniat Regularibus, ad extera tribunalia appellare, & lites prosequi.

XXIV. Similiter appellatio à lata sententia excommunicationis effectu *suspensivo* destituitur, *Cap.* 8. ✠ *de Officio Ordinarii* & *Cap.* 53. §. 1. *de Appellat.* Et in *cap.* 20. *de Sentent. excommunic. in VI.* declarat Pontifex: » Sicut excommunicatio, sic ab officio vel ab ingressu Ecclesiæ lata suspensio, aut ipsius effectus, per appellationem sequentem minimè suspenduntur. « Et in *cap.* 37. ✠ *de Appellat.* scribit Lucius III. quòd per appellationem nequeant declinare *interdictum*, cui ante appellationem eos constat fuisse suppositos.

Ex his unanimi consensu tradunt Canonistæ, à sententia excommunicationis, alteriusve censuræ dari quidem appellationem quoad effectum devolutivum; sed non quoad *suspensivum*, id est, per appellationem non suspendi executionem sententiæ.

XXV. Quin & respondet Pontifex in citato *cap.* 53. excommunicatum non obstante appellatione posse denuntiari; quin & proventus posse subtrahi. » Nos itaque (ait) respondentes, quòd cùm executionem excommunicatio secum trahat, & excommunicatus per denuntiationem ampliùs non ligetur, excommunicatum denuntiare potest, ut ab aliis evitetur. Et illi proventus Ecclesiastici meritò subtrahuntur, cui Ecclesiæ communio denegatur. «

XXVI. Ratio proinde hujus Juris esse videtur, quòd sententia excommunicationis, alteriusve censuræ videatur secum trahere executionem; neque indigeat ulteriùs ullo alio Judicis ministerio, ut executioni mandetur, quemadmodum in aliis sententiis; pro quarum executione post earum prolationem requiritur Judicis auctoritas, quæ per appellationem ad Judicem superiorem translata, & à Judice à quo adempta est: ac proinde ejus auctoritate executioni mandari nequit.

XXVII. Hinc facilè intelligitur, quare in casu *cap.* 40. ✠ *de Appellat.* appellatio effectum excommunicationis impediat. Erat enim lata excommunicatio sive censura sub conditione, hac formula: *Nisi sempronio intra* 20. *dies satisfeceris, te excommunicatum, vel suspensum, aut interdictum esse cognoscas*: ac per consequens necdum executionem secum trahere potuit: ideoque si ante lapsos 20. dies appellaverit, licèt postmodum ad diem statutum non satisfecerit, scribit Pontifex, sibi videri, quod hujusmodi sententiam appellationis obstaculum debeat impedire. Unde hîc notat Glossa: » Et ita suspenditur sententia, quæ nondum tenet. Non enim tenebit, nisi extante conditione; ex quo autem teneret, non suspenderetur ejus effectus. «

XXVIII. Sunt & nonnulla tribunalia, quorum sententiæ licèt ulteriùs examinari queant, & etiam corrigi, nequaquam interim cognitione pendente, sententiarum effectus suspenditur; quemadmodum de sententiis primariarum Civitatum Brabantiæ, & aliorum nonnullorum Magistratuum, à quibus non appellatur, sed *reformatur*; (e) item Supremarum Curiarum, quæ per Revisionem, seu propositionem erroris nonnunquam corriguntur, ostendetur titulo sequenti.

XXIX. Hujusmodi Jure utitur quoque tribunal Academiæ, quod vocatur *quinque Judicum appellationum* (de quo supra *cap.* 3.) Si enim sententia quinque Judicum sit *conformis* sententiæ Domini Rectoris, à qua fuit appellatum, tunc sententia hæc *Quinque Judicum* executioni mandatur non obstante appellatione ad Sedem Apostolicam juxta Statutum Universitatis de 26. Februarii 1570. & à Senatu Brabantiæ confirmatum 7. Decembris 1572. Verba Statuti sunt: » Quòd omnes & singuli, qui ratione, seu ad causam puræ vel purificatæ obligationis in Jus vocati, eandem obligationem pro sua recognoscunt, vel *binis sententiis conformibus*, à Domino Rectore sciliçet & quinque Judicibus sunt vel erunt condemnati, ulteriore dilatione, oppositione, seu tergiversatione, novaque appellatione interposita non obstantibus, tenebuntur infra tempus statuendum ad summæ, seu rei in eodem chirographo, binisve dictis sententiis contentæ nantizationem, salvo ipsi nantizanti suo jure, si quod habet, ubi & contra quos id prosequendum putabit utilissimum. «

Extat hoc statutum unà cum acta confirmationis ejusdem Statuti per Regiam Majestatem in Consilio Brabantiæ *parte* 3. *Edict. Brabantiæ lib.* 1. *tit.* 5. *cap.* 31. & 32.

XXX. Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechliniensis *tit.* 16. *art.* 7. volunt, ut » sententiæ, quæ non excedent quinquaginta florenos, sub fidejussoria cautione executioni mandabuntur, non obstante appellatione, & sine illius præjudicio. «

XXXI. Et *art.* 8. » In causis officii, defloralionis, & similibus privilegiatis, cum sententia excedet dictam summam, tamen quoad expensas litis, sub simili cautione, executioni sententiæ mandabuntur. Quod in causa matrimoniali etiam sub cautione obtinebit, quotiescunque pars appellata pauperlatem juraverit: neque in dictis casibus Judex *à quo* ulteriùs appellationi deferre tenebitur. «

XXXII. Deinde *art.* 9. » In causis verò alimentorum nunquam apellatio executionem sub cautione faciendam suspendet, quando agetur de alimentis cessuris, vel cessis tempore litis, aut intra annum; secus in antiquioribus, nisi ob ea „ adhuc obærata Pars doceatur. "

XXXIII. Denique ne occasione interjectæ appellationis in causis Beneficialibus Officium Divinum negligatur *art.* 11. decernitur: „ In causis beneficialibus, quominus Ecclesiastica „ servitia minuantur, etiamsi appellatum erit, fructuum per„ ceptio victori sub cautione tribuetur, aut saltem apud ter„ tiam personam sequestrabuntur, quòd ultimum semper fiet, „ quoties neuter litigantium residebit. « (f)

CAPUT IV.

De Reformatione, Revisione, et Appellatione tanquam *ab abusu.*

1 *Quid reformatio.*
2 *Qui Magistratus in Brabantia hoc jure utantur.*
3 *In quo reformatio ab appellatione differat.*
4 *Nonnullæ Civitates in Flandria eo jure gaudent.*
5 *Ab appellatione magis recedit* Revisio *quàm reformatio.*
6 *Describitur Revisio seu propositio erroris.*
7 *Revidendi licentia debet per libellum obtineri à Principe, ejusve Senatu.*

Hic

(d) *Vide Actum Acord.* 6. *cap.* 22. §. 15. *tit.* 8. *lib.* 1. & *Acta Acord.* 4. *cap.* 24. 25. & 35. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recop.*

(e) *In Tribunalibus Superioribus Hispaniæ, probata priori sententia, quæ vernaculo idiomate vocatur* de vista *ejusd. reformatio peti potest, ubi est locus, non verbo* appello, *sed per verba* reformar, suplir, corregir ó enmendar, *qui recursus* de supplicatione *vocatur. Videatur penè totus titulus* 19. *cum ejus Remissionibus lib.* 4. *Recop.*

(f) *Doctrinæ hujus Capitis consona est quæ traditur quoad Hispaniæ Regna in toto tit.* 23. *Part.* 3.

8 *Hic libellus continere debet errores, quos in Sententia intervenisse prætendit Supplicans.*
9 *Plerumque peti debet intra biennium.*
10 *In Gallia, uti & in Brabantia instituenda intra annum.*
11 *Judices arresti etiam interveniunt revisioni ejusdem arresti.*
12 *His Judicibus alii à Principe adjunguntur, qui* Adjuncti *dicuntur.*
13 *Tenetur revidens intra* tres *menses ab impetrata acta revisionis petere à Principe nominari* adjunctos.
14 *Revidens tenetur nantizare summam pecuniæ, quæ pro expensis adjunctorum sufficiat.*
15 *Qui in Belgio ad Revisiones evocari soleant.*
16 *Adjuncti nominari non possunt ad postulationem Revidentis.*
17 *Juramentum adjunctorum.*
18 *Revisio non datur; ubi arrestum tantùm latum est in causa* possessorii.
19 *Uti nec contra decreta interlocutoria.*
20 *Revisio instituenda ex iisdem actis.*
21 *Revisio non suspendit arresti executionem; nequidem quoad expensas.*
22 *Species provocationis à communi appellatione plurimùm recedens dicta appellatio* ab abusu.
23 *Formula hujus appellationis præcipuè complectitur* abusum, *quem Judex Ecclesiasticus committit.*
24 *Hæc species appellationis vix nota fuit ante seculum XVI.*
25 *Sub initium seculi XVI. adhuc non appellabatur tanquam* ab abusu *ob violatam Pragmaticam Sanctionem.*
26 *Tunc contra violatores Pragmaticæ Sanctionis agebatur viâ* nullitatis.
27 *Ubi non erat exressa* nullitas, *appellabatur tanquam* ab abusu.
28 *Præter appellationes* ab abusu *aliis remediis utebantur ad retinendam Canonum & Legum observantiam.*
29 *Omnia illa media post publicata Concordata sensim abrogari cœperunt, retenta sola appellatione tanquam* ab abusu; *& quæ præcipua abrogationis occassio.*
30 *Super quibus appellationes tanquam* ab abusu *instituantur.*
31 *Diversa forma eas interponendi, dum agitur contra Bullam, aut Rescriptum Pontificis, & dum instituuntur contra sententias aut Decreta Episcoporum aut aliorum Judicum.*
32 *Hæ appellationes tantum instituendæ & recipiendæ, ubi abusus est* notorius.
* *Casus, in quibus Rescriptorum Romanorum per appellationem tanquam* ab abusu, *aut per aliud medium executio sententiæ.*
33 *Jam pridem optavit Philippus Probus, ut nominatim per Concilium Trid. casus, quibus hæ appellationes recipi possent, fuissent expressi.*
34 *Hanc determinationem sæpiùs à Rege postulavit Clerus Gallicanus; sed obtinere non potuit.*
35 *Appellatio hæc admitti non debet, nisi in causis arduis, & ubi publicum pateretur.*
36 *Ideò in his appellationibus semper intervenit Procurator Regius tanquam pars formalis.*
37 *Abusus semel formatus semper durat.*
38 *Lapsus fatalium non reddit hanc appellationem desertam respectu procuratoris Regii.*
39 *Etiam interdum admittitur contra tres sententias conformes.*
40 *Hæ appellationes non instituendæ nisi coram supremis Curiis.*
41 *Appellatione hac introducta ligantur manus judicis* à quo.
42 *Si appelletur à correctoriis, non suspenditur executio; nec mandata Episcoporum in visitatione facta.*
43 *Principes nostri nolunt per has appellationes turbari jurisdictionem Ecclesiasticam; & quomodo procedi velint, si hæc limites suos excedat.*
44 *Non volunt eas admitti, ubi de correctione Religiosorum, aut Clericorum agitur.*
45 *Idipsum & in Hispania obtinet.*
46 *Datur tamen etiam Religiosis recursus ad tribunalia Regia ob illatam violentiam.*
47 *Recursus ad tribunalia Regia titulo violentiæ, vel oppressionis, item retentio litterarum Apostolicarum alibi usitata penè coincidunt cum appellationibus tanquam* ab abusu.

I. REformatio hîc accipitur pro quadam specie provocationis, quæ in Belgio, & alibi instituitur à sententiis quorundam tribunalium inferiorum, à quorum sententiis ad superiora tribunalia provocari quidem potest, sed non per modum simplicis appellationis, sed *reformationis.*

II. Hoc privilegio in Brabantia gaudent quatuor primariæ civitates, Lovaniensis, Bruxellensis, Antuerpiensis, & Silvæducensis, & aliæ nonnullæ privilegiatæ, de quibus loquitur *art.* 585. Ordinat. Curiæ Brabantiæ, quo decernitur: Si quis queratur de sententia lata à Magistratu dictarum civitatum, quæ non sit appellabilis, sed reformabilis, teneatur ab ea reformare intra annum à die latæ sententiæ; & non obstante hac reformatione, sententia mandabitur executioni, etiam sine cautione, casu quo id, quod executioni mandatur, per sententiam sit reparabile; nisi reformans infra 14. dies à lata sententia declararet coram Judicibus *à quo* se velle à sententia reformare; quo casu urgens executionem tenetur præstare cautionem restituendi executum. Verba articuli sunt: *Ende indien hem jemand beklaeght van de vonnissen ghegheven by den Wethouderen van eenen van de vier Hooft-steden ons landts van Brabandt, oft andere steden geprivilegeert, heure vonnissent niet appellabel, maer alleen reformabel zynde, die sal daer af moeten reformeren binnen den jare van den datum van den vonnisse, ende niet tegenstaende die voorsz. Reformatie soo sullen alsulcke vonnissen ter executien ghestelt worden sonder cautie, so verre t' ghene datmen executeren sal reparable zy, ten ware dat den reformant biennen vyfthien daghen naer de sententie, verclaerde in presentie van den Rechetere ghegheven hebben die sententie, dat hy in meyninghe is te reformeren, in welcken ghevalle die ghene die d' executie vervolgen sal, gehouden zyn te stellen sufficiente cautie van t' gheexecuteer de te restitueren.* Id est: » Si verò quispiam » conqueratur de sententia lata per Magistratum alicujus è » quatuor primariis Civitatis ditionis nostræ Brabantiæ, aut al» terius Civitatis privilegio donatæ, quarum sententiæ reforma» tioni tantùm, non autem provocationi obnoxiæ sunt, is in» tra annum à lata sententia reformationem persequetur; qua re» formatione non obstante, mandabitur executioni sententia » absque cautione, si modò id, quod executioni mandabitur, » sit reparabile, nisi tamen reformationem intendens intra quin» decim dies à lata sententia coram Judice qui eam dixit, men» tem suam persequendæ reformationis aperiret; quo casu is, » qui urgebit executionem, obstringetur, ut satis caveat de res» titutione executionis. «

III. Hinc facilè apparet, in quo reformatio differat ab appellatione; & in quo horum tribunalium prærogativa præcipuè consistat; nimirùm, quòd per reformationem ab eorum sententiis non suspendatur earum executio, quemadmodum per appellationem, sed executio habeatur, saltem sub cautione.

IV. Testatur quoque Damhouderus in *Praxi rerum Civil. cap.* 237. *num.* 4. quòd » Reformatio non suspendat executio» nem in quatuor membris Flandriæ, quia illa habent paratam » executionem; adeò ut qui ab illis appellare, vel reformare » volet, is statim, non obstante appellatione, vel reformatione » consignare tenebitur. «

Hîc rursus sufficienter innuit Damhouderus, *Reformationem* ab Appellatione penes solùm effectum distingui; atque in hoc tribunalium illorum prærrogativam præcipuè consistere, quòd eorum sententiæ executioni mandari queant, non obstante provocatione.

V. Magis à communibus regulis appellationis recedit provocatio, sive querela, quæ instituitur contra sententias sive arresta Parlamentorum, sive *Supremarum* Curiarum Regiarum; soletque dici *Revisio*, vel etiam *propositio erroris.*

VI. Sicuti enim à sententiis Præfectorum Prætorio non datur appellandi facultas, sed duntaxat datur licentia Principi supplicandi, ut sententiæ prolatæ *error* demonstrari queat; ita quoque negatur facultas appellandi ab arrestis, sive sententiis Supremi Parlamenti, concessa tantummodò Principi, ejusve Senatui supplicandi licentiâ, ut ab ipso Principe vel ejus Senatu obtineatur ejusdem arresti, seu sententiæ prolatæ *Revisio*, sive reexamen, quo denuò examinetur, num in ejusdem prolatione nullus *error* intervenerit.

VII. Itaque si quis credat per arrestum, sive sententiam *Supremæ* Curiæ, à qua nec appellari, nec reformari potest, se esse læsum, credatque errorem esse commissum, debet ipsi Principi, vel ejus Curiæ supplicare, (g) ut possit *errorem* contra judicatum proponere, sive revisionem habere.

VIII. Debet autem libellus, quo Principi, ejusve Curiæ pro *revisione* supplicatur, continere gravamen, seu errores, quos in ipso arresto intervenisse prætendit Supplicans, quemadmodum notat Rebuffus in *tractatu de Supplicationibus, seu Francorum propositionibus, in præfatione num.* 12. cui & consonat *art. tit.* 12. *leg.* 36. & 68. *tit.* 5. *lib.* 2. *L.* 9. *tit.* 13. *lib.* 8. *cum omnibus Remiss. in fin. tit.* 19. & *Act. Acord. tit* 19. *lib.* 4. *Recop.*) *locus est, non potest uti appellationis, sed supplicationis nomine, quamvis utraque eundem effectum producat.*

(g) *Quotiescunque in Tribunalibus Superioribus Hispaniæ profertur sententia vulgò* de Vista, *& de ea iterum cognoscitur, si de ea cognosci,* (*quod non semper accidit, ut ajunt L.* 4. *tit.* 5. *cum Remiss.* 4. *tit.* 18. *L.* 2. *tit.* 7. *L.* 3. *tit.* 9. *leg.* 5. & 9. *tit.* 17. *lib.* 4. *L.* 17. *tit.* 16. *L.* 13. & 20. *tit.* 4. *L.* 5. *Van Espen Jur. Eccles. Pars III. Tom. II.*

art. 660. Ordinat. Curiæ Brabantiæ, ubi expressè præscribitur, quòd libellus pro habenda *revisione* offerendus Curiæ, debeat continere media, & rationes, quibus probare contendit prætextum errorem: *Inhoudende die middelen ende redenen by den welcken sy sullen willen sustineren t' voorschreven erreur.* Id est: » Continens (libellus) rationes, & causas, quibus dictum » errorem probare contendent. « Idipsum habetur in Ordinat. Parlamenti Mechlin. *tit. de revisione, art.* 1.

IX. Dicit Damhouderus in *Praxi Rerum Civil. cap.* 247. hanc supplicationem olim fieri potuisse intra 10. annos ex stylo Parlamenti Mechlin. nunc verò intra *duos* annos per novam constitutionem, uti citato *art.* 1. exprimitur: quod conforme esse Juri communi in *Auth.* QUÆ SUPLICATIO, *Cod. de Præcibus Imp. offerendis*, & plurimarum Curiarum ordinationibus notat Christinæus in notis ad Bignonium *lib.* 2. *cap.* 139. *litter. C.*

X. In Gallia tamen hodie intra *annum* impetrari debet, teste Rebuffo loco citato *num.* 57. similiter in Ordinationibus Curiæ Brabantiæ *art.* 660. edicitur, ut si qui contra arresta hujus Senatus volunt proponere *errorem*, tenebuntur *intra annum* à pronuntiatione dictorum arrestorum, libellum suum supplicem Curiæ presentare.

XI. Cùm in revisione, seu propositione erroris, non arguatur iniquitas sententiæ, aut inscitia, vel malitia Judicis, sed solum dicatur, errorem aliquem intervenisse, & ad eum detegendum acta litis revideri petat Supplicans, ideò ipsa revisio, sive propositio *erroris* instituenda est coram iisdem Judicibus, qui arrestum protulerunt; ut ipsi acta revidentes, & à Supplicante instructi expendant, num error aliquis commissus appareat: nec debent esse, ait Rebuffus loco citato *numer.* 83. ita pertinaces, ut si videantur errâsse, suos sustineant errores.

XII. Quia tamen difficulter adducuntur Judices ad fatendum errorem commissum, propriamque retractandam sententiam, hinc Judicibus, qui pronuntiationi sententiæ interfuerunt, solent à Principe, aut Curia alii adjungi, qui unà cum prioribus de proposito errore judicent; uti notat Rebuffus loco citato *num.* 83. Postquam enim dixit, revisioni, sive propositioni erroris interesse eos Judices, qui primò judicârunt, addit: » Postea Rex potest nominare alios plures, quàm ipsi sint, qui » priùs judicârunt: Si tamen Rex eos nominaverit, Curia solet » illos assumere, nec tamen minùs assumit, quàm essent in primo judicato. «

XIII. Per Ordinationes Parlamenti Mechl. *tit. de Propositione erroris, art.* 4. statuitur, quòd Impetrans intra *tres menses* ab impetrata acta revisionis, teneatur requirere à Principe, ut sibi concedantur Adjuncti ad revidendum, & revisitandum processus, qui ei concedentur in tali numero, qui conveniens videbitur. Verba articuli sunt: *L' Impetrant sera tenu en dedans trois mois à compter du jour dudicte acte, requirer à nous de lui accorder Adjoinctz, pour recevoir, & revisiter ledict procez; lesquels lui seront accordez jusques à tel nombre que trouveront convenir.* Id est: » Obstringetur impetrans intra » tres menses à die dictæ Actæ nos requirere, ut adjunctos ei » concedamus ad recognoscendam, & recolendam dictam li» tem; qui adjuncti ipsi concedentur, tali quidem numero qui » judicabitur expedire. «

Idipsum præscribitur *art.* 663. Ordinat. Curiæ Brabant. nisi quòd hîc exprimatur Adjunctorum numerus *Octonarius*; & quod Supplicans nullo nominare in sua supplica queat.

XIV. Volunt quoque utriusque Senatus Ordinationes in citatis articulis, Adjunctos concedi sub conditione, quòd Impetrans tenebitur namptizare in Graphiaria Curiæ tantam summam pecuniæ, quæ arbitrio Curiæ sufficiat solvendis vacationibus dictorum Adjunctorum. *A la charge que l' Impetrant sera tenu de namptir au greffe de nôtre dict grand Conseil autant e denier qu' il semblera à icelle Cour estre requirè pour payer, & satisfaire les vacations desdicts Adjoincts.* Id est: » Sub onere » quòd Impetrans obstringetur tantam pecuniæ summam in » Graphio dicti nostri magni Consilii deponere, quanta dictæ » Curiæ requiri videbitur, solvendis vacationibus dictorum Ad» junctorum. «

XV. Vult insuper hic articulus Ordinationum Parlamenti Mechl. non alios in adjunctos designari, nisi Consiliarios Curiarum Regiarum, nisi ex causa aliter per Principem fuerit ordinatum: *Et ne seront pris autres Adjoincts, si non gens de nos Consaulx; u' est que pour aucuns bons regards, autrement en soit par nous ordonné.* Id est: » Nec alii adjuncti assumen» tur, nisi Curiarum nostrarum Consiliarii, nisi ob justas ra» tiones aliter per nos statuatur. «

Ordinationes Curiæ Brabantiæ non determinant qualitatem Adjunctorum: solentque hodie ad revisiones arrestorum supremarum Curiarum præter Regios Consiliarios, etiam vocari Doctores Juris hujus Universitatis.

XVI. Hoc addunt Ordinat. Curiæ Brabantiæ *art.* 664. vetitum esse concedere dictos Adjunctos, ad nominationem aut requisitionem Impetrantium. *Ende verbieden t' accorderen eenige Adjoincten ter nominatie oft vervolge vande Impetrantem.* Id est: Inhibemus, ne ad nominationem, aut requisitionem impetrantium adjunctus quispiam concedatur.

XVII. In utriusque Senatus Ordinationibus edicitur, quòd Adjuncti per Curiam evocati tenebuntur comparere, & jurare quòd debitam servabunt reverentiam huic Curiæ, quòd in hac causa non fuerint consulti, nullumque directè, aut indirectè Judicium dederint; quòd opiniones suas sincerè dicent juxta conscientiæ suæ dictamen, sine favore, odio, aut dissimulatione; quòd silentio prement ea, quæ durante processus visitatione audiverint, aut intellexerint. Verba articuli 5. Ordination. Parlamenti Mechl. sunt: *Que lesdicts Adjoincts mandez par ladicte Cour, seront tenuz y comparoir, & à leur venue jurer, d' eux porter reveremment vers ladicte Cour, & qu' ils n' ont donné advis n' y consulte audict procés directement, ne indirectement, & qu' ils donneront leur opinion sincerement, comme en leur conscience, & bonne justice, ils trouveront convenir, sans port, faveur, haine, ou dissimulation, qu' ils tiendront secret ce q' ils oyront, & entendront du proces à la visitation d' iceluy.* Id est: » Quòd dicti adjuncti per Curiam evocati » comparere obstringentur, & in adventu suo jurare se reve» rentiam deditam erga dictam Curiam exhibiturus, nec judicio » aut consilio directè, seu indirectè in dicta lite se intervenisse: » insuperque se opinaturos sincerè, prout juxta conscientiæ & » æquitatis dictamen judicabunt expedire; favore, odio, & » dissimulatione sepositis, silentioque se pressuros quidquid in » dictæ litis recognitione audient, & percipient. « Eodem planè tenore exprimitur *art.* 665. Ordinat. Curiæ Brabantiæ.

XVIII. Cùm autem hoc revisionis remedium sit planè extraordinarium, ideoque & de speciali gratia à Principe sit impetrandum; eidem locus non est, si aliud remedium ordinarium corrigendi commissum errorem supersit. Hinc jam pridem ordinatum fuit per Ludovicum XII. Regem Galliæ, propositionem erroris non esse admittendam in causâ possessoria, seu Ecclesiastica, seu prophana: eò quòd post judicatum possessorium superest petitorium, ubi error in decisione possessorii admissus corrigi potest. Consonant Ordinationes Parlamenti Mechl. *art.* 8. & Curiæ Brabantiæ *art.* 667.

XIX. Similiter iisdem Ordinationibus præscribitur, nullam propositionem erroris admittendam contra decreta interlocutoria Parlamenti, per definitivam reparabilia: *Semblablement contre appoinctemens interlocutoires donnez en nostre dict grand Conseil reparables en definitive, ne sera admis de proposer erreur.* Id est: » Similiter contra interlocutiones decretorias pro» nuntiatas in magno nostro Senatu, quæ per definitivam pos» sint reparari, non admittetur ut quis objiciat errorem. Idip» sum in Gallia ex Ordinatione Regia servatur. Vide Rebuffum » in dicto tractatu *art.* 1. *Glos.* 25.

XX. Revisio fieri debet ex iisdem actis, è quibus arrestum, quod *erroris* arguitur, prolatum fuit: nec recipiuntur Partes ad producendum aliquid aliud, ut ex iisdem actis judicetur, ait Rebuffus in præfatione citati tractatus *num.* 80. quod & innuit *art.* 660. Ordinat. Curiæ Brab. cavens, libellum supplicem pro habenda revisione non posse tendere ad alleganda *nova* facta, vel probationes.

XXI. De Jure communi si supplicatum fuerit intra 10. dies, sententia sive arrestum mandabitur quidem executioni, sed præstita cautione fidejussoria; si autem post. 10. dies supplicatum fuerit, judicatum mandabitur executioni sine ulla cautione, *Auth.* QUÆ SUPPLICATIO *Cod. de Precibus Imp. offerendis.* Verùm hæc distinctio à foro recessit; testaturque Rebuffus in allegata præfatione *num.* 38. se non vidisse cautionem præstari in Regno Franciæ, sed executionem faciendam pendente processu pronuntiavit Senatus Parisiensis anno 1540. ait Rebuffus Nec tantùm quoad principale, sed etiam ipsas expensas, arresti executionem in Gallia fieri non obstante propositione erroris, asserit ibidem Rebuffus *num.* 40. & consonat praxis Belgica, satque dilucidè exprimitur *art.* 660. Ordinat. Curiæ Brabantiæ.

XXII. Est & tertia species provocationis hodie usitatissima præsertim in Gallia, quæ quidem sortietur nomen Appellationis, sed à communi appellatione plurimùm distat; nec in Jure nostro occurrit, scilicet *appellatio tanquam ab abusu*; (h) qua non

(h) *Cùm in suis Hispaniæ Dominiis Catholicus Rex auctoritatem cognoscendi de injuriis, violentiisque à Judicibus Ecclesiasticis suis Vasallis illatis habeat, ut ajunt L.* 2. *tit.* 6. *lib.* 1. *verb.* i proveer de las Injurias, *cum Remiss.* 2. *tit.* 5. *lib.* 2. *L.* 18. *cap.* 1. *tit.* 7. *& Remiss* 9. *tit.* 3. *lib.* 1. *L.* 18. *tit.* 5. *lib.* 2. *& Act. Acord.* 3. *&* 4. *cap.* 18. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recop. ab eis appellatur ratione vis illatæ vulgò* recurso de fuerza *& talis recursus eundem effectum in Hispania producit ac in Gallia appellatio* ab abusu, *cum hæc ab alia utroque nomine tenus tantum distinguatur.*

Vis

non appellatur à Judice inferiore ad superiorem ; sed à Judice Ecclesiastico ad Parlamentum Regium seu ipsum Regem, tanquam *abutente* sua potestate, & jurisdictione contra jura, quorum tuitio, & defensio Regi incumbit.

XXIII. Licèt enim *abusus* significatio quamcumque ministerii aberrationem complectatur, sive in negotiis Ecclesiasticis, sive etiam in temporalibus versetur, attamen formula appellationum *ab abusu* specialiter accommodata est à Pragmaticis antiquis querelæ illi, quæ deferebatur ad Parlamenta Regia de *abusibus* Judicum Ecclesiasticorum contra jura Regia, aut ea, quorum protectio, aut tuitio Regi incumbebat.

XXIV. Convenit inter ipsos Pragmaticos Galliæ, atque zelossissimos hujus appellationis Patronos appellationes has vix fuisse in usu ante tempora Ludovici XII. & Francisci I. Regum Franciæ ; uti multis ostendit ipse Carolus Fevretius tractatu de Abusu *lib.* 1. *cap.* 2. (i)

XXV. Sub initium seculi XVI. scribens Aufrerius Tractatum *de Potestate seculari super Eccl.* ait *Regula* 2. *Fallen.* 31. jurisdictionem Regiam se immiscere judiciis Ecclesiasticorum in Regno Galliæ » Ubicunque per Prælatos, Clericos, vel alios » quoscunque aliquid fit, vel attentatur contra *Decreta* Basilien- » sis Concilii, & *Pragmaticam* Sanctionem. «

Et *Fallentiâ* 30. dixerat, eandem jurisdictionem se immiscere judiciis Ecclesiasticorum, » ubi Ecclesiastica abutitur *no-* » *toriè* suâ jurisdictione, vel potestate. Quo casu etiam contra » Clericos concedi solent per Cancellariam litteræ in causa ap- » pellationis, ab *abusu notorio* vulgò nuncupatæ. «

Ex his Aufrerii verbis colligimus, tunc temporis adhuc distincta fuisse rescripta ob *Pramagticam infractam*, & appellationes *ab abusu* ; neque ob contraventionem Pragmaticæ fuisse institutam appellationem tanquam *ab abusu* ; uti quoque rectè advertit Petrus de Marca *lib.* 4. *de Concord. Sacerd. & Imp. cap.* 19. *num.* 5.

XXVI. Pragmaticæ violatæ rei in Jus vocabantur, nulla appellationis mentione injecta, eleganti ratione, ait De Marca ibidem : Quia cùm de actûs vel sententiæ *nullitate* quereretur, necesse non erat, ut ex provocatione ageretur, quemadmodum docet titulus Codicis, *quando provocare non est necesse.* Quam provocandi necessitatem eo casu expressa etiam Decretalium verba removerunt ; imò verò huic remedio *nullitatis*, etiam post varias sententias, locum esse voluerunt *Cap.* 1. ℟ *de Sent. & re jud.* & *Clem.* 1. *eod.*

XXVII. » In cæteris articulis (pergit De Marca) qui Prag- » matica non continebantur, atque adeò eorum *nullitas* nondum » erat constitutione aliqua præjudicata, appellatione utebantur; » sed ea cautione, ut *abusus* mentio injiceretur; ne quis existi- » maret Magistratuum consilium illud fuisse, ut Ecclesiasticam » jurisdictionem seculari submitterent. Quare non de re ipsa se » judicium suscepturos, sed de potestatis abusu extraordinaria » cognitione habita, protectionis Jure oppressis opitulaturos hac » formulâ profitebantur. Simplicem enim, & meram appellatio- » nem à Curia Ecclesiastica ad Curiam Regiam nunquam in » Gallia admissam fuisse fatentur Petrus de Cuneriis, Masuerius, » & Joannes Galli. «

XXVIII. Itaque eo tempore adhuc vigebant duo remedia ad retinendam Canonum, & Decretorum executionem, scilicet Rescripta ob Pragmaticam *infractam* data, & appellationes *ab abusu*, uti notat de Marca ibidem *num.* 7. Ulteriùs addit : Aliâ formulâ utebantur, si secularis jurisdictio invaderetur ab Ecclesiastica, scilicet mandatis, quibus invasio prohibebatur sub mulctæ comminatione, quorum meminere antiqui Pragmatici.

XXIX. Publicatis Concordatis, quod contingit circa annum 1518. omnia alia remedia, quibus jam priùs usi fuerant, vel ad retinendam Canonum, & Decretorum executionem, & jurisdictionis secularis defensionem, abrogari cœperunt ; visumque satius est, omnia illa remedia (de quibus videri possunt De Marca & Fevretius locis citatis) unica formula complecti, appellationis *ab abusu* ; ea præcipuè de causa, quòd Regiis Constitutionibus Ludovici XII. & Francisci I. præcisa erat & abolita *nullitatis* ratio apud tribunalia Judicum, etiam in causis civilibus, & omnia adversus sententias auxilia ad appellationis solemnia erant redacta, uti ibidem monet De Marca.

XXX. Itaque hodie & custodia Canonum, (k) & auctoritas, his appellationibus ex usu Regni Galliæ retinetur : instituunturque appellationes *ab abusu* cùm adversus Decreta Conciliorum, receptas consuetudines, & Jura Regni, aut Jurisdictionem Regiam Judex Ecclesiasticus aliquid per *abusum* attentat : quod his verbis à Pragmaticis efferri solet : *Cùm violantur Decreta, Constitutiones Regiæ, & libertates Ecclesiæ Gallicanæ.* » Et generaliter, si constanti usu recepti Canones, vel in- » veteratæ consuetudines, adjectæ in fundandis Beneficiis con- » ditiones, privilegia Ecclesiis legitimè indulta, vel cætera, in » quibus (ait De Marca) libertates Ecclesiæ Gallicanæ constitui » solent, aliquo pacto violentur, appellationibus istis omnia » restituentur in integrum, & in contrarium acta rescindentur. «

XXXI. Hoc tamen discrimine lites ejusmodi instituuntur, ut si de Rescriptis Romanæ Curiæ per obreptionem elicitis agatur, ab executione Rescripti, non autem à concessione provocetur; ut etiam hoc loquendi genere reverentia, quæ Apostolicæ Sedi debetur, omnibus significetur. Secùs se habet in Episcoporum Judiciis, à quibus, non autem à sola eorum executione, appellari solet.

XXXII. Constat has appellationes primitùs dictas fuisse *ab abusu* NOTORIO, quemadmodum ex supra relatis verbis Aufrerii manifestum est : aitque Rebuffus in Tractatu *De Appellat. tanquam ab abusu* : » In hoc Regno introducta est appellatio, » quæ vocatur à *notorio* abusu : quando *palam* & *notoriè* quis » sanctis Decretis, ac Constitutionibus, privilegiisque Galliæ » perperam utitur. « Unde asserere non veretur Petrus De Marca *lib.* 4. *de Concord. Sacerdotii, & Imp. cap.* 20. *num.* 2. » Debet eo solùm casu institui, cùm abusus est *apertissimus*, *no-* » *torius*, *& manifestus*, juxta veterem harum appellationum for- » mulam, quæ *ab abusu* NOTORIO inscribebatur, alioqui in spe- » cie dubia, & controversa satius est Ecclesiasticis Judicibus li- » tem relinquere. « Pluribus hoc requisitum asserit Fevretius *de Abusu*, *lib.* 1. *cap.* 2. *num.* 5. citatque nonnulla arresta, quibus declaratum fuit appellationem non esse admittendam, nisi occurrat *abusus notorius* ; dicitque meritò usum appellationum tanquam *ab abusu* ad hanc formulam revocandum, obligandosque appellantes, ut unà cum libello supplice exprimerent *notorios* abusus, super quibus suas appellationes vellent fundare; ut si hujusmodi non essent, declararentur Appellantes non receptibiles.

* Clerus Gallicanus non semel institit apud Regem, ut determinarentur & specificarentur nominatim casus, in quibus posset admitti appellatio tanquam *ad abusu* ; sed id hactenus obtinere non potuit. Interim Michaël Roussel in Historia Jurisdictionis Pontificiæ *lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 10. enumerat plures Romanæ Curiæ dispositiones, seu rescripta, à quarum executione appellatur tanquam *ab abusu.*

» Episcopi Romani (ait) licèt tanta sit in dispensationibus auc- » toritas, eas tamen (inquit) non admittit nostra Jurisprudentia se- » cularis in Curiis supremis aliquot casibus, ut adversus regulas » de *publicandis resignationibus*, & de *verisimili notitia*; nec ad- » versus Concordata, nec plerunque adversus sancta Decreta, & » Canonicas Constitutiones, nec adversus leges fundationis Ec- » clesiarum, Cathed. Collegiatarum, & aliarum dictas, nec » adversus jura patronatûs Laicorum, nec adversus Constitutio- » nes *legatis* (*si sibi appellationes reservent*) *& à recursu*, *vulgò* de Millones, *ad Supremum Castellæ Consilium privativè spectant* : *ita præscriptum est in Actis Acord.* 23. *&* 25. *& leg.* 22. *&* 23. *tit.* 4. *lib.* 2. *in leg.* 62. *cap.* 25. *& Act. Acord.* 15. *cap.* 25. *& Actis Acord.* 35. *&* 71. *cap.* 13. *tit.* 4. *lib.* 2. *& Remiss.* 19. *tit.* 8. *&* 27. *tit.* 4. *& Actis Acord.* 4. *&* 5. *tit.* 8. *lib.* 1. *Recop.*

(i) *Appellationes* ab abusu *esse antiquiores Regno Ludovici XII. ostenderunt D. De Marca lib* 4. *de Concordia Sacerd. & Imper. cap.* 1. 7. 19. 20. 21. *& Auctor Collect. novorum Cleri Gallicani* tit. 7. col. 1543. *&c. Harum Appellationum originem eruditus ille Collector revocat ad tempora Phllippi III. qui regnare cœpit anno* 1270.

(k) *In Hispania* » para que no se falte á lo dispuesto por » los Sagrados Canones, cuya proteccion me pertenece, « *ut ait L.* 37. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop. &* » se tenga cuidado de la guar- » da de las cosas establecidas por el Santo Concilio de Tren- » to. « *L.* 66. *ejusd. tit. & lib.* „ de que soy Protector." *Act. Acord.* 9. *tit.* 3. *lib.* 1. *imploratur Regis auxilium*, *cujus in nomine*, *Cancellariis*, *Audientiisque*, *seclusis Supremus Castellæ Senatus de his privativè cognoscit*: *ita præcipitur in leg.* 81. *tit.* 5. *lib.* 2. *Recop.* » se remitan á los del nuestro Consejo. «

Vis itaque committitur (*quæ* en conocer y proceder *vernaculo idiomate nominatur*) *quando Judex Ecclesiasticus se intromittit ad cognoscendum de negotiis purè temporalibus*, *& inter laicos* ; *aut impedit*, *ut tributa Regia exigantur* ; *vel judicem laicum suam jurisdictionem exercentem turbare*, *aut eundem de competentia in prima instantia inter Ecclesiasticos cognoscentem censuris innodare conatur*, *ut cautum est in L.* 14. *tit.* 3. *lib.* 3. *L.* 19. *tit.* 20. *lib.* 2. *&* L. 7. *&* 43. *cap.* 5. *tit.* 2. *lib.* 3. *& postremò Act. Acord.* 4. *cap.* 2. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recop.*

En no otorgar *committitur etiam vis ab Ecclesiastico*, *quando aut appellationem non admittit*, *vel in uno tantùm effectu*, *scilicet devolutivo*, *& non simul in suspensivo etiam admittit*, *ut est expressum in leg.* 36. *tit* 5. *lib.* 2. *& leg.* 7. *&* 43. *cap.* 5. *tit.* 2. *lib.* 3. *ejusd. Recop.*

En el modo de proceder, *quando non procedit juris ordine servato*, *vel censuris utitur in casibus non expressis in Act. Acord.* 4. *cap.* 14. *&* 18. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recop.*

Horum recursuum cognitio spectat ad Regia Tribunalia intra quorum Diœceses Ecclesiastici sunt, *L.* 19. *tit.* 5. *lib.* 2. *Rec. qui proveniunt ab spoliis*, *vi à Judicibus Ecclesiasticis Matriti*, *Complutique existentibus illata*, *à judicibus à Supremo Senatu de-*

» nes Regias, & judicia earundem supremarum Curiarum, nec » in temporalibus, ut quis per istas dispensationes privetur illis, » aut donetur: neque enim temporalitatem subjectam esse vo- » lumus Ecclesiasticæ dispositioni, at Regiæ tantùm, & Laicæ; » denique nec adversus libertatem, & privilegia Ecclesiæ Gal- » licanæ, ut dicimus: in his etenim casibus, si quid decreve- » rit per dispensationem Summus Pontifex, admittuntur à Se- » natoribus nostris appellationes tanquam *ab abusu*, & solent » irritam facere, aut dispensationem, aut impetrationem quo- » modo relatam: atque dicuntur istæ appellationes successis- » se appellationibus, quæ quondam ad ipsum Summum Pontifi- » cem deferebantur; aut ad proximum futurum Generale Con- » cilium; sicque occurrere visum est inverecundiæ impetrantium » à Summo Pontifice per obreptionem & subreptionem, quæ » ipse benè consultus fortasse non concederet. «

Addit Roussellus: » Nec dissimiliter Hispani solent, si quod » exoratum est ab eodem Pontifice, lædit eorum politiam, pri- » vilegia Regis, & Regni, Concilia Generalia, & Indulta Apos- » tolica, jubere Bullas in consistorium Regium afferri, (l) ut su- » breptionis admoneatur Summus Pontifex, & huic provideat; » ut refert Bobadilla. « In Belgio similia Rescripta Curiæ Ro- manæ, sive dispensationes, qualia enumerat Roussellus à Curiis Regiis non facilè admitterentur; utpote neque in Belgio ad- mittitur Romana dispensatio super iis, quæ vel temporalia, vel jura Regia, Vassallorum, vel etiam receptas leges, privilegia, aut inveteratas consuetudines patriæ, aut etiam Ecclesiarum fun- dationes violarent aut inverterent: atque similium Rescripto- rum, aut Bullarum executio per denegationem, seu non con- cessum placiti Regii sisti consuevit.

XXXIII. Jam pridem Philippus Probus in notis ad Sanctio- nem Pragmaticam *tit. de Causis*, §. SI VERO, verbo *In Parti- bus*, optabat, ut exprimerentur determinati casus per Conci- lium Tridentinum (quod tunc agebatur) quibus hæ appellatio- nes institui possent: » Utinam super hoc certum fieret Decre- » tum per ipsum Concilium (Tridentinum) ubi casus cognitionis » hujusmodi abusuum describerentur *certi*: quod si non fiat, » semper Clerus murmurabit, & nunquam ille in animo, & sua » jurisdictione stabit tranquillus, cùm per eum appellandi mo- » dum Jurisdictionis Ecclesiasticæ nervus ferè in totum sat con- » tritus & diruptus. «

XXXIV. Idipsum sæpiùs optavit, & à Rege postulavit Cle- rus Gallicanus, uti testatur Fevretius loco citato, ac signanter anno 1606. sed frustrà; hoc unum respondente Rege, appella- tiones tanquam *ab abusu* semper fuisse admissas quotiescunque contraventum fuit sacris Decretis, Conciliis, & Constitutioni- bus Canonicis, auctoritati Regiæ, & Jurisdictioni ejus, Legi- bus Regni, immunitatibus, & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, & Arrestis Parlamentorum in conformitatem illorum pronun- tiatis: & quia impossibile erat casus particulares determinare, qui ex generalibus causis proveniunt, Sua Majestas mandavit omnibus Parlamentis, ut curent solicitè, ne Ecclesiastici præ- textu harum appellationum in sua Jurisdictione turbentur. Ut- que frequentia earundem restringatur, voluit, ut Judices pro- nuntient, benè vel malè, & abusivè judicatum, & condemnent in mulctam 120. librarum illum, qui judicatur malè appellâsse, uti latius refert Fevretius.

XXXV. Appellationem hanc esse remedium extraordina- rium, nec illud assumendum, nisi in causis arduis, & ubi Pu- blicum pateretur, nemo Pragmaticorum ambigit. Observatque De Marca *loco citato*, *num.* 3. quod judicia Canonica olim po- tissimùm à Principibus tentata, aut suspensa sint, si periculum scandali & offensionis *publicæ* emergeret ob apertissimam Canonum violationem, quæ maximè piorum animos lædere solet.

XXXVI. Asserit quoque Fevretius *loco allegato*, *num.* 9. quòd cùm abusus semper attendat interesse *publicum*, Advoca- ti, & Procuratores Regii semper se forment Partem in his ap- pellationibus; adeo quidem, ut privati non possint convenire, aut transigere, nisi de consilio, & assensu Officii Fiscalis, sive Advocati, & Procuratoris Regii; qui & media compositionis à Partibus litigantibus proposita rejicere potest, si intelligat subesse aliquam collusionem inter litigantes Publico præjudicio- sam; atque ita non semel judicatum refert Fevretius *lib.* 1. *de Abusu*, *cap.* 2. *num.* 9.

XXXVII. Recepta quoque est in Gallia Regula, & huic consona praxis, quòd *abusus* semel formatus nequeat ullâ tem- poris præscriptione purgari. » Abusus enim perpetuò & conti- » nuò gravat, ideoque ab eo in perpetuum appellatur, « ait Rebuffus in Procœmio *de Unionibus*. Refertque Tournetius in *sua Collectione Arrestorum*, *litt. A. num.* 84. » provocationem » ab executione diplomatis, quo Summus Pontifex, de Colle- » gii sententia Sanctorum Joannis, & Lazari Hierosolymitano- » rum Sodalitia copulaverat, per Regium actorem, publicum- » que veluti ab abusu interpositam admitti placuit, longissimâ » annorum serie, nempe 300. nihil impediente: secundumque » procuratorem pronuntiatum est, quòd neque rectè, neque » ordine, nec solemnibus observatis, ea processisset Kalend. » Mart. 1547.

XXXVIII. Eadem ratione dicunt Pragmatici Galliæ, quòd lapsus fatalium hanc appellationem non reddat desertam; sed non obstante negligentia partis in introducenda vel prosequen- da appellatione, possit Procurator Regius eandem semper pro- sequi, si interesse *publicum* prosecutionem exigat. Vide Fevre- tium ibidem *num.* 13.

XXXIX. Quin nec tres sententiæ conformes semper has ap- pellationes, ex sententia Gallorum, excludunt, uti testatur Re- natus Choppinus de Sacra Politia *lib.* 2. *tit.* 1. *n.* 5. dicens: » Imò & nostrate fori disciplina admittuntur provocationes à » *trina conformi* Pontificum sententia ad Regium Senatum de » Jure decimæ, quam nunc primum appellans *feudatariam* es- » se intenderit. Abusus quippe in *publicas* leges nullo privatæ » partis silentio confirmatur, nec inde appellantium querela de- » pellitur taciti consensus præscriptione, mulctarumve senten- » tiarum consimilium. Nam hæ, si abusivè dictæ postmodum » ostendantur, nusquam vim obtinuerint rei judicatæ. Auctori- » bus Curiæ Decretis innumeris, quibus ego post adversarias pa- » tronorum actiones latis interfui. «

XL. Ulteriùs cum in his appellationibus agatur de re ardua concernente interesse publicum, ideò ad Supremas Curias, tan- quam majores Judices remissæ sunt; nec alia tribunalia de his causis cognoscere possunt, Fevretius *loco citato*, *num.* 22.

XLI. Appellatione tanquam ab *abusu* introductâ, & re- ceptâ ligantur manus Judicis à quo, ejusque jurisdictio omni- nò suspenditur: ut si quidquam pronuntiet, aut executioni mandet in præjudicium interpositæ appellationis, id tanquam at- tentatum irritetur, & cassetur. Fevretius ibid. *num.* 16.

XLII. Veruntamen ne prætextu & pallio harum appella- tionum Clerici uterentur ad subterfugiendam Prælatorum suo- rum disciplinam & morum emendationem, & debitorum suo- rum solutionem protrahendam, prudentissimè jam pridem sta- tuit Franciscus I. edita Constitutione anno 1539. *art.* 5. ut si de emendatione Clericorum, vel de actione merè personali aga- tur, appellatione non suspendi judicatum, sed judicium ad Curias supremas tantùm devolvi; sive ut appellatio tantùm ha- beat effectum devolutivum, non suspensivum. Verba articuli sunt: *Que les appellations comme d' abus interjectez par les Prestres, & autres personnes Ecclesiastiques ès matiéres de discipline, & correction, ou autres pures personnelles, & non dépendantes de realité, n' auront aucun effect suspensif. Ains non obstant lesdites appellations, & sans préjudice d' icelles pourront les Juges d' Eglise passer outre contre lesdites per- sonnes Ecclesiastiques.* Id est: » Quòd provocationes tanquam » *ab abusu* à Presbyteris, aliisque personis Ecclesiasticis inter- » positæ in materia disciplinæ & correctionis, aut alia causa me- » rè personali, nec à realitate dependente, effectum suspensio- » nis nequaquam sortietur: verùm non obstantibus dictis provo- » cationibus, & sine earum detrimento licebit Judicibus Eccle- » siasticis contra dictas personas Ecclesiasticas ultra progredi. «

Idipsum renovatum Edicto Molinensi anno 1571. *art.* 59. nulla tamen factâ mentione actionis *personalis*.

Imò verò ex Edicto lato 1612. patet, à Conciliis Provin- cialis Decretis, & Episcoporum mandatis, quæ visitando Pa- rochias dederunt, in iis, quæ officia Divina, disciplinam Ec- clesiasticam, vel morum correctionem spectant, Curias Supre- mas

(l) *Rescripta, de quibus hîc agit D. Van Espen, sunt ea, quæ contra Regium Patronatum conceduntur, L. 25. tit. 3. & L. 5. tit. 6. lib. 1. & Remiss. 1. tit. 5. lib. 2., vel contra Pa- tronatum laicale, dicta L. 25. Remiss. anter. cum 1. tit. 6. lib. 1. vel quando alienigenis Beneficia, pensionesve conferun- tur, L. 14. 16. 18. & 34. tit. 3. lib. 1. vel si quid stabilietur contra dispositum in leg. 24. tit. 3. lib. 1. & Leg. 25. cum dic- ta Remiss. 1. tit. 5. lib. 2. circa Præbendas, vulgo* de Oficio. *Si alii, quàm Originarii (ubi est consuetudo) ad Beneficia admit- tuntur, Remiss. Act. Acord. tit. 6. lib. 1. & leg. 21. 23. & 25. tit. 3. lib. 1. cum Remiss. 1. tit. 6. lib. 1. & Remiss. 1. tit. 5. lib. 2. vel cuilibet coadjutoria conferatur, Act. Acord. 9. tit. 3. lib. 1. & maximè filio. L. 26. dict. tit. & libr. & aut non Reg- nicolis sive extra Regnum commorantibus, jurisdictionis de- legatio committatur, Act. 3. & 6. cap. 10. tit. 8. lib. 1. Recop. quibus in casibus cùm ea, inconsulto Summo Pontifice, conces- sa esse intelligantur, retinentur; & ita hodie observatur vir- tute Concordati inter Sanctam Sedem, Regémque nostrum Catholicum ann. 1753. celebrati.*

In Dominiis Hispaniæ Indicis Regia Tribunalia eorundem etiam cognoscunt de violentiis à Judicibus Ecclesiasticis illa- tis, leg. 134. & sequentes tit. 15. lib. 2. Recop. Indiar. ac etiam Rescripta retinent, & ut ait Solorzano in Politic. tit. 4. lib. 2., Supremo Indiarum Senatui remittunt, cui eorum cognitio spec- tat, Remiss. 2. tit. 4. lib. 2. Recop. Castellæ.

mas sub titulo *abusûs* provocari non posse. Uti refertur in *Actis Cleri Gallicani.* (m)

XLIII. Similiter & Principes nostri nolentes, ut sub prætextu harum appellationum, aut alterius recursûs ad tribunalia Laicalia, auctoritas Prælatorum in reformandis, aut corrigendis moribus, & castigandis eorum defectibus & vitiis impediretur, declarârunt in Ordinationibus Parlamenti Mechl. *tit. de Requestes, art.* 4. Quia in locis ubi solent admitti appellationes in casu *abusus*, plures præsumunt appellare à Judiciis Judicum Ecclesiasticorum tanquam *ab abusu* ad impediendum duntaxat ipsorum processus, & ad evitandam correctionem, & punitionem suorum criminum, & delictorum, & postmodum appellationes non introducunt, aut introductas permittent fieri desertas. Ideò (inquiunt) desiderantes, ut uniquique sua servetur integra Jurisdictio, ipsaque justitia sine obstaculo exerceri queat, inhibetur Magno Consilio Mechliniensi recipere dictas appellationes, aut dare litteras admissionis, nisi constet per probationem libello annexam, quòd processus per Judicem Ecclesiasticum inchoati vergant in præjudicium jurisdictionis suæ temporalis, aut Judicum Vassallorum suorum, Civitatum, aut aliorum subditorum suorum; quo casu poterit Consilium Regium expedire litteras patentes cassatoriales, mandata, vel litteras clausas pro exigentia materiæ. Verba articuli sunt: *Pour ce qu' és lieux où l' on est accoustumé admetre appellations en cas d' abus, plusieurs s' avenchent d' appeller des procédures des Juges Ecclésiastiques comme d' abus seulement pour empescher lesdites procédures, & afin d' éviter correction & punition de leurs crimes & delicts, & aprés ne relievent lesdites appellations, ou aprés les avoir relevé, les laissent tomber en interruption. Nous désirans qu' à chacun sa jurisdiction soit gardée, & afin que justice puist estre administrée sans empeschement, deffendons ausdicts de nostre grand Conseil de recevoir ne admettre lesdictes appellations, ne sur ce donner lettres de relief. N' est qu' il leur apperre par enseignement attaché à la dicte requeste, que les procédures par le Juge d' Eglise commencés, tendront ou seront au préjudice de nostre jurisdiction temporelle, ou de nos Juges vassaux, villes, ou autres nos subjectz: auquel cas se pourront decerner lettres patentes de cassation, commandemens, ou lettres closses, selon l' exigence de la matiere.* Id est: » Quia in locis, in quibus obtinuit consuetudo, ut admittantur provocationes in casu abusus, plures » præsumunt provocare à tribunalibus Judicum Ecclesiastico» rum velut propter abusum, ad impediendum duntaxat dicta » Judicia, & evitandum correctionem, & pœnam criminibus & » delictis suis debitam, nec dictas provocationes postmodum » prosequuntur, aut persecutas interruptione dilabi patiuntur. » Nos cupientes, ut sua cuique Jurisdictio salva conservetur, & » ut Justitia absque ullo impedimento administretur, inhibemus » Consiliariis magni nostri Senatus, ne dictas provocationes ad» mittant, nec earum persequendarum litteras concedant, nisi » documentis dicto libello annexis constaret, discussionem à » Judice Ecclesiastico tentatam cedere in detrimentum Jurisdic» tionis nostræ secularis, aut Judicum clientum nostrorum, Ci» vitatum, aut aliorum nobis subditorum; quo casu aut litte» ras patentes rescissionis, aut mandati, aut clausas poterunt » expedire, prout materia exiget. «

XLIV. Et *art.* 15. inhibetur Consilio admittere ullas appellationes tanquam *ab abusu* interjectas per personas Religiosas, aut constitutas in sacris, aut dare ullam aliam provisionem in materia correctionis, vel punitionis criminum, aut delictorum per ipsos commissorum. Verba sunt: *Si deffendons ausdicts de notre grand Conseil de reçevoir, ne admettre lesdicts appellations, comme d' abus, interjectées par gens d' Eglise, Religieuz, ou constituéz* in sacris: *ne aussi bailler autre provison en matiere de correction, ou punition des crimes, & delicts par eux commis, & perpetrez.* Id est: » Hinc prohibemus Con» siliariis magni nostri Senatus, ne dictas provocationes tanquam » ab abusu interpositas per personas Ecclesiasticas, Religiosas, » aut in sacris constitutas recipiant, aut admittant, neque etiam » provisionem concedant in materia correctionis, aut punitionis » criminum, & delictorum per eas commissorum & patra» torum. «

XLV. Similiter in Hispania non admittitur recursus ad tribunalia Regia ubi agitur de correctione, & punitione Religiosorum per suos Prælatos intra claustra Monasteriorum, quemadmodum scribit Salgado *de Supplicatione ad Sanctissimum, parte* 2. *cap.* 11. *num.* 104. (n)

XLVI. Addit tamen *num.* 105. » quando inter eosdem Re» ligiosos Regulares violentia aliqua vel illata est, vel timetur, » tunc ob scandalum sedandum, & ad tollendam vim, Senatus » hic Supremus cognoscit de hujusmodi causis, & juxta casuum » qualitatem providet, ut sibi magis visum est pro quiete Reli» gionum Regularium, & ut scandalum evitetur, juxta *dicta* » *L. Regiam* 40. quæ Consilio huic Supremo privativè ad alias » Cancellarias reservavit harum causarum expeditionem.... Nec » tunc Senatus providet, ut in cæteris violentiis; sed ordinat se» cretè quod aptius sit negotii qualitati ad consequendam tran» quilitatem, & quietem inter Regulares. «

XLVII. Hic rursus ad tribunalia Regia in casum violentiæ vel oppressionis; item retentio litterarum Apostolicarum, (o) tametsi alio nomine vocentur, & diversa nonnihil formula ad praxim deducantur, non absimilem tamen effectum sortiuntur, & eisdem fundamentis innituntur, quibus appellationes *ab abusu*; uti ex Tractatibus Francisci Salgado *de Supplicatione ad Sanctissimum*, & *de Protectione Regia*, aliisque Pragmaticis Hispanis facilè videri potest, & ostendit Fevretius *de Abusu, lib.* 1. *cap.* 3. *num.* 8. quemadmodum & remedium cassationis, & denegatio Placeti Regii, quibus in Belgio utimur, non multùm ad iis distant: quibus omnibus Judices Regii ita moderatè uti debent, ut nec ipsam Episcoporum & Prælatorum in Ecclesiæ regimine, nec in moribus, & excessibus suorum subditorum corrigendis auctoritatem impediant, aut suam in alienam messem falcem immittant.

CAPUT V.

De Recusatione Judicis.

1 *Recusatio similis appellationi quod effectum.*
2 *Quid recusatio Judicis.*
3 *Recusationis variæ sunt causæ: & sæpiùs ab arbitrio Judicis dependentes.*
4 *Recusatio proponenda est per libellum.*
5 *Judex ob suspicionem non removetur, nisi à Parte fuerit suspectatus, seu recusatus.*
6 *De jure causa suspectationis inserenda est libello.*
7 *Consonat & hodierna praxis.*
8 *An omnes causæ suspectationis simul proponi debeant.*
9 *Judex recusatus de Jure Canonico non cognoscit de causa recusationis.*
10 *Ex dispositione Concilii Lateranensis eligendi arbitri, qui de causa judicent; & quomodo hi eligendi.*
11 *Quare hi dicantur arbitri* juris.
12 *Arbitri hi more judicario procedunt; & ab ipsorum sententia appellari potest.*
13 *Judices arbitris terminum præfigere possunt, intra quem procedant.*
14 *Recusari potest, tam Judex Ordinarius, quàm Delegatus.*
15 *Nec tantùm Judex, sed & Assessor, Commissarius, Graphiarius, similesque recusari possunt.*
16 *In his recusandis levior causa sufficit, quàm in recusatione judicis.*
17 *Moribus hodiernis integrum Corpus Consilii, aut Magistratus recusari nequit.*
18 *Singuli tamen recusari possunt; & causa à reliquis de Consilio, aut Magistratu non recusatis examinatur.*
19 *Quod & in Curiis Ecclesiasticis, ubi plures sunt Judices meritò recipitur.*
20 *Si major pars Magistratûs, aut Senatûs suspectetur, quæ via ineunda.*
21 *Recusatio proponenda ante omnem actum judicialem.*
22 *Potest etiam post litem contestatam proponi, si causa de novo emerserit.*

(m) *Non pigeat excipere quid Ludovicus XIV. in suo Edicto ann.* 1695. *hac de re decreverit; suis enim prædecessoribus aliter aut clariùs locutus fuisse videtur art.* 36. „ Que les apella» tions comme d' abus qui seront interjettées des Ordonnances, & » Jugemens par eux rendus pour la celebration du service divin, » reparation des Eglises, achats d' ornemens, subsistance des » Curés, & autres Ecclesiastiques, qui deservent des Curés re» tablissement ou conservation de la clôture des Monasteres des » Religieuses, correction des mœurs des personnes Ecclesiasti» ques, & toutes autres choses concernant la discipline Ec» clesiastique, & celles qui seront interjettées des Reglemens » faits, & Ordonnances rendues par les dits Prélats dans les cours » de leurs visites, n' auront effet suspensif, mais seulement dé» volutif; & seront les Ordonnances & Jugemens exécutés non » obstant les dites appellations, & sans y préjudicier.

(n) *Adde leg.* 40. *tit.* 5. *lib.* 2. *Recop.*

(o) *Omnes Bullæ, Brevia, & Rescripta Pontificia, antequam in Hispania executioni mandentur, debent in Supremo Castellæ Senatu præsentari, ut si nil contineant contra Coronæ Regalias, Concordata, Consuetudines, Nationis jura, gravamen publicum, seu privatum, aut alia, quæ in §§.* 2. 3. 4. 5. 7. & 8. *legis* 37. *tit.* 3. *lib.* 1. *Recop. continentur, apponatur eis, vulgò* el Pase, *ut ait suprà citata L.* 37. *aliàs executio suspenditur, ut expressè præceptum est in leg.* 49. *capit.* 6. *tit.* 25. *lib.* 4. *ejusd. Recop. per verba*: Se retengan en el Consejo.

23 *Potest & proponi, si ignorata fuerit.*
24 *Quis sit effectus propositæ recusationis.*

I. SUb eodem titulo Decretalium agitur de Appellationibus, & Recusationibus; eò quòd appellatio, & recusatio in multis conveniant; præcipuè quoad effectum suspendendi auctoritatem & jurisdictionem Judicis, uti communiter observant Doctores.

II. Recusatio itaque dicitur, Judicis causâ suspicionis à Parte proposita declinatio.

Hîc enim propriè recusatio accipitur pro declinatione, sive exceptione contra Judicem à Parte ex causa suspicionis propositâ, quòd in hac causa Judex non videatur satis indifferens, sed adversæ Parti plus justo addictus.

III. Cùm autem suspicio hæc oriri queat ex variis causis, etiam variæ ac multiplices sunt causæ recusationis, quas latè prosequitur Rebuffus in tractatu de *Recusationibus*, *art.* 9. & post ipsum Nicolaus Tuldenus in notis ad Damhouderum in *Praxi rerum civil. cap.* 225. aliique ab ipsis citati; neque in particulari omninò determinari possunt, & frequenter ex circumstantiis à Judice æstimandæ sunt; nisi aliquæ in Curiarum ordinationibus, vel specialibus statutis sint expressæ.

IV. Recusatio autem proponenda est, non voce, sed *scripto* ad exemplum appellationis ab *interlocutoria*, quæ in scriptis fieri debet, *cap.* 1. *de Appel in* VI. Ideoque libello opus est qui judici exhibeatur, si præsens sit; secus si absens, *Lege fin. Cod. de Excep.* Et ita communiter teneri docet Rebuffus in dicto tractatu *art.* 5. *num.* 6. ut & respondit in quadam facti specie Wamesius *Consil.* 152. *num.* 5.

V. Quod & notat in commentario *cap.* 61. ✠ *de Appellat.* ubi & monet *num.* 11. nunquam ipso jure propter suspicionem removeri etiam *suspectissimum* Judicem, etiam ex speciali causa jure comprobatâ, si non quoque ut suspectus recusatus sit: nec posset eo titulo sententia nullitatis argui.

VI. Similiter exemplo appellationis à sententia interlocutoria receptum est de Jure Canonico, causas recusationis esse inserendas libello recusationis, contra dispositionem Juris Civilis in *L.* APERTISSIMI, *Cod. de Judiciis*: quo Jure sufficere videtur, si Recusans interposito juramento asserat, Judicem sibi esse suspectum.

VII. Jure Canonico, hac in parte, consentit praxis & stylus inferioris Germaniæ regionum, per quem stylum suspicionis causæ in scriptis allegari debent, ait Damhouderus in *Praxi rerum civil. cap.* 125. *n.* 19. & plures ejusdem praxeos in Superiore Germania citat Tuldenus in notis ad dictum locum Damhouderi, dicitque Rebuffus loco citato *num.* 15. quòd *semper* causa specialis est exprimenda, nec sufficeret generalis expressio.

VIII. Quin & asserit Damhoderus ibidem *num.* 17. » quòd » debeant omnes suspicionis causæ simul proponi, & nequa» quam hodie una & cras altera, nisi fortassis aliæ de novo ad » recusantis notitiam, sive cognitionem provenirent. « Adde Wamesium citato *Consil.* 152. *num.* 12. Nescio an id per omnia praxi hodiernæ consonet.

IX. Causâ recusationis propositâ, si Judex recusatus eam vel non sufficientem agnoscat, vel factum quod pro causa suspicionis & recusationis allegatur, falsum dicat; ne in propria causa Judex constitui videatur, non potest ipse de causa recusationis cognoscere; sed subsistere debet; & in causa ulteriùs non procedere.

X. Ex dispositione autem Concilii Lateranensis sub Innocentio III. in *Cap.* 61. ✠ *de Appell.* eligi debent *arbitri*, qui de causa suspicionis sive recusationis cognoscant.

Vult autem Concilium, ut » ipse (Recusans) cum adversa» rio vel (si fortè adversarium non habeat) cum Judice arbitros » communiter eligat; aut si communiter convenire non possint, » absque malitia ipse unum, & ille alium eligat, qui de suspi» cionis causa cognoscant: & si nequiverint in unam concor» dare sententiam, advocent tertium: ut quod duo ex ipsis » decreverint, robur obtineat firmitatis. «

XI. Arbitri hi sic electi dicuntur arbitri *juris* ad distinctionem arbitrorum ex *compromisso*: eò quòd à Jure potius, quàm à Partibus constitui videantur; quia ad eos eligendos, Partes à Jure quodammodo adiguntur: cùm econtra compromissarii libera voluntate compromittentium eligantur; uti suprà *tit.* 5. *cap.* 4. dictum est.

XII. Itaque hi arbitri sic electi more judiciario causam suspicionis, & recusationis examinant, & super ea sententiam proferunt, à qua, si pars condemnata se gravatam sentiat, non tantùm reduci, quemadmodum *à laudo* arbitri compromissarii, sed tanquam à sententia *judiciario* more prolata, appellari potest: non secùs atque ab alia quacunque sententia definitiva: atque hinc rursus via aperta, causas in immesum protrahendi.

XIII. Sed ne ipsi arbitri causam protrahant, atque interim Judex procedere impediatur statuit Innocentius IV. in *cap.* 2. *de Appel. in VI.* » ut ipsis arbitris per Judicem competens ter» minus præfigatur intra quem in idem conveniant, vel tertium » concorditer advocent, cum quo ambo vel alter eorum, ejus» dem suspicionis negotium terminare procurent. Alioquin » Judex ex tunc in principali negotio procedere non om» mittat. «

XIV. Recusari autem potest Judex, non tantùm delegatus, sed & ordinarius, quemadmodum decisum est de Jure Canonico in *cap.* 41. §. 3. & *cap.* 61. ✠ *de Appell.* quod & moribus hodiernis receptum est: licèt de Jure Civili quoad Judicem ordinarium non una sit Interpretum sententia. (p)

XV. Nec tantùm Judicem, sed & ejus Assessores, imò & auditores, & etiam Commissarios & Adjunctos recusari posse notat Damhouderus citato *cap.* 125. *num.* 13. additque Nicolaus Tuldenus in notis, etiam recusari posse Notarium, Graphiarium, (q) Consultorem, & testium Examinatorem, (r) idem asserit Rebuffus in tractatu *de Recusat. art.* 9. *num.* 49.

XVI. Notatque ibidem Tuldenus ex Rebuffo *num.* 4. quòd in recusatione Graphiarii, aut Notarii sufficiat levior causa, quam in recusatione Judicis; imò vel solum juramentum sine expressione alicujus specialis causæ posse sufficere; quia non agitur de magno præjudicio.

XVII. Moribus hodiernis totum Collegium sive Senatum recusari non posse receptum esse testantur Christinæus *vol.* 2. *Decis.* 148. *num.* 15. & de Flandria Damhouderus citato *c.* 125. *num.* 9. & de Praxi Hollandiæ Merula *lib.* 4. *tit.* 4. *cap.* 1. ac pluribus citatis asserit Simon A Groenewegen ad *Leg.* APERTISSIMI, *Cod. de Judiciis.*

XVIII. Singuli tamen ex Consiliariis, & Judicibus tam Ordinariis, quàm Delegatis ex Juris Canonici dispositione recusari possunt: ita tamen, ut causæ suspicionis vel recusationis, non ab *Arbitris* Juris, sed ex stylo Belgii ab aliis de Collegio, ubi suspectus sedet, examinari debeant.

XIX. Hæc expeditior via est, recusationis causas expediendi: undè & merito in foro Ecclesiastico recipienda, ubi tribunal Ecclesiasticum è pluribus judicibus constat; quale est tribunal nostrum Academicum *quinque judicum Appellationum*, cujus mentio facta est supra *cap.* 2. resolutumque est per Universitatem non ita pridem, quòd, si unus horum judicum recusetur, causæ recusationis, non ab Arbitris, sed reliquis judicibus non suspectis sint examinandæ & terminandæ.

XX. Si autem ex Senatoribus vel Judicibus plures suspectentur seu recusentur, tunc subinde recusationis cognitio ad judicem superiorem spectat, aut subinde à Principe alii non suspectis judicibus adjunguntur, eisque hujus causæ cognitio, atque decisio injungitur. Vide Simonem à Groenewegen ad *L.* APERTISSIMI, *Cod. de Judiciis*, & Damhouderum in *Praxi Rerum Civil. cap.* 125. *num.* 10. & 11.

XXI. Recusatio tanquam species exceptionis dilatoriæ, & de-

(p) *Cùm in Hispania sub nomine Judicis plures veniant, aliique sint Superiores, aliive inferiores, antequam de recusatione agatur, de eorum differentia, dignitate, auctoritateque agendum est. Superiores Judices tituli* 4. 5. 6. 7. & 11. *lib.* 2. *Recop. nominant Præsidibus, Consiliariis, Judicibus Curiæ, vulgò* Alcaldes de Corte, *Auditoribus, Prætoribus Nobilitatis, & rerum Capitalium.*

Inferiores verò sunt: Judices Provinciæ, tit. 8. *lib.* 2. *Assessor, vulgò* Asistente, *& Prætores, tit.* 5. & 6. *Judices pedanei Ordinarii, & Delegati, & Arbitri, tit.* 9. *lib.* 3. *& Judices arbitri juris, sive arbitratores, leg.* 4. *tit.* 21. *lib.* 4. *Recopil.*

Omnes Judices, exceptis arbitris, qui tantùm quando nova causa, aut notitia post ejus nominationem advenit, ut ait L. 31. *tit.* 4. *Part.* 3. *recusari possunt. Superiores eo modo, & forma, quæ traditur in toto tit.* 10. *& ejus Actis Acord. lib.* 2. *Recop. sub eaque etiam formula & stylo; quòd latè tradit D. Gonzalo Suarez de Paz* part. 6. tom. 1. cap. 1. §. unico.

Inferiores verò tam Ordinarii, quàm Delegati, non expressâ à parte Recusationis causa cum juramento, recusari possunt, L. 1. *tit.* 16. *lib.* 4. *Recop. & de iis, qui Judici associantur, tres tantum recusari in jure est permissum, denegatumque ut fiat recusatio generalis, ut determinatum est in Regia Schedula* 27. *Maii, & Actum Accord. diei* 13. *ejusdem Mensis ann.* 1766. *eoque in casu Judex alios ejusdem Tribunalis sibi associat, & contra hoc neque instantia, contextatio, vel quid aliud permittitur.*

(q) *In Hispania Scribæ seu Tabelliones recusari possunt, L.* 79. §§. 51. & 53. *tit.* 5. *lib.* 3. *hac tamen distinctione, ut si sit Senatûs, vulgò* de Ayuntamiento, *vel* del Numero, *alius ei committatur; aliàs alter nominatur, ut præter dict.* §§. 51. & 53. *tit.* 5. *lib.* 3. *ajunt L.* 22. *tit.* 22. *lib.* 2. & *L.* 1. §. 16. *tit.* 27. *lib.* 4. *Recop.*

(r) *Quoad Hispaniam adde Recitatorem, vulgò* Relator, *qui ut asseritur in L.* 18. *tit.* 10. *lib.* 2. *Recop. etiam recusari potest.*

declinatoriæ fori, debet non tantùm ante litem contestatam, sed & omnem actum judicialem proponi; ne aliàs in judicem consentiri, & suspicionis seu recusationis causa non curari videatur, *L. fin. Cod. de Excep.* Unde Actori non permittitur recusatio Judicis, quem ipse ultrò adiit, & ad quem Reum pertraxit; uti rectè notavit Wamesius *Concil.* 152. *num.* 6.

XXII. Si tamen causa recusationis post litem contestatam *de novo* emerserit, poterit judex ex hac causa recusari *cap.* 24. ✠ *de Off. Jud. Deleg.* & *cap.* 4. ✠ *de Except.* Neque litem contestando, censeri potest recusationi sive suspicioni renuntiâsse, cujus causa tempore litis contestatæ nondum nata erat.

XXIII. Quin etsi ante litem contestatam causa recusationis revera jam subesset, poterit nihilominus proponi, si is, » qui vo- » luerit eam proponere, fidem faciat juramento se postmodum » ad illius notitiam pervenisse; « uti loquitur Pontifex in citato *cap* 4. An etiam post causam conclusam liceat sub prætextu *de novo* emergentis causæ, vel ejus ignorantiæ judicem recusare; vide Wamesium citato *Consil.* 152. *num.* 7.

XXIV. Propositâ legitimè & servato juris ordine ipsâ recusatione, suspenditur jurisdictio & auctoritas judicis; teneturque pendente causâ recusationis judex supersedere: veriusque est, acta à judice pendente recusatione, non tantùm esse revocanda, probatâ causâ recusationis, sed esse *ipso jure* nulla; tametsi postmodum declararetur recusationis causam fuisse insufficientem, causaque ad judicem recusatum fuerit remissa: idque exemplo appellationis, cui hac in parte recusatio æquiparari solet. Vide Vallensem in Paratitlis Decretalium ad *tit. de Appellat.* §. 19. *num.* 4. & 5.

TITULUS XI.

De Pœnis, & Censuris Ecclesiasticis.

CAPUT I.

De Pœnis Ecclesiasticis.

1 *Semper in Ecclesia fuit auctoritas imponendi criminosis pro qualitate criminum, & conditione personarum convenientes pœnitentias.*
2 *Quandiu forum externum non fuit separatum ab interno, etiam pœnæ impositæ fuêre cum respectu ad forum internum.*
3 *Postmodum Pœnitentiæ impositæ pro foro interno, cœperunt per modum pœnæ decerni in foro externo.*
4 *Disciplina circa impositionem pœnarum successu temporis mutata fuit.*
5 *Eleemosynæ frequenter jam pridem in pœnitentiam assignatæ.*
6 *Hinc in forum Ecclesiasticum introductæ pœnæ pecuniariæ.*
7 *Harum pœnarum frequens mentio in Decretalibus.*
8 *In imponendis his pœnis cavenda est suspicio turpis quæstûs.*
9 *Suspicionem ingerunt Judices, qui passim omnes pœnas convertunt in pecuniarias.*
10 *Vehementer suspecti sunt, qui de ipsis participant.*
11 *Synodus Tridentina vult pœnas* pecuniarias *applicari piis locis.*
12 *Noluit Synodus ea directè vel indirectè Episcopis applicari.*
13 *Nec* piis *locis, si hæc applicatio aliquo modo cedat in commodum Episcopi.*
14 *Decretum S. Caroli in hac applicatione.*
15 *In Gallia debet exprimi in sententia pius* usus, *in quem multa pecuniaria sit applicanda.*
16 *Idipsum cautum est Edicto Principum nostrorum.*
17 *Inter pœnitentias jam pridem fuit reclusio in Monasterio.*
18 *Hujus meminit Synodus Agathensis.*
19 *Similiter & S. Gregorius, & Decretales Gregorii IX.*
20 *Hodie etiam inter pœnas Ecclesiasticas computatur.*
21 *Rebelles, & majorum criminum rei includendi* carceribus.
22 *In claustro Canonicorum olim erant carceres.*
23 *Clericos criminosos posse* arctæ *custodiæ deputari, respondit Innocentius III.*
24 *Carcer* perpetuus *de Jure Canonico in pœnam constitui potest.*
25 *Id & hodiernæ praxi consonat.*
26 *In Clericis incarcerandis quæ attendenda.*
27 *Clerici per Judices Ecclesiasticos non sunt communibus carceribus mancipandi, sed Episcopalibus.*
28 *Variis ex causis olim Pœnitentibus imponebatur recessus ex propria patria.*
29 *Subdiaconum calumniatorem mandat S. Gregorius in* exilium *deportari.*
30 *Hinc concludunt Canonistæ, inter pœnas Ecclesiasticas esse deportationem in exilium.*
31 *Nec Sanctus Gregorius, nec antiqui Canones videntur loqui de* propriè *dicta deportatione in* exilium.
32 *Uti nec S. Ivo Carnotensis.*
33 *Deportatio in* exilium *videtur ad Secularem potiùs quàm ad Ecclesiasticam potestatem spectare.*
34 *Idipsum & Decretales Pontificum supponunt.*
35 *Hinc deducunt Pragmatici Judici Ecclesiastico fas non esse aliquem in* exilium *relegare.*
36 *Fas tamen est Episcopo Clericos exteros ad suas proprias Diœceses remittere.*
37 *Quin & obligare citra relegationem criminosos ad recessum è Diœcesi.*
38 *Pœnitentiæ corporis afflictivæ olim pœnitentibus imponi consuetæ.*
39 *Pœnam flagellationis ab Episcopis impositam testantur SS. Augustinus & Gregorius.*
40 *Hæc flagellatio apparet fuisse adinstar paternæ duntaxat correctionis.*
41 *Cavendum erat Episcopis, ne adhibendo hanc pœnam facerent contra præceptum Apostoli,* non percussorem.
42 *Vetitum esse Episcopis cædere aliquem propriis manibus, asserunt Canonistæ.*
43 *Cavendum præterea erat, ne pœna hæc transiret in vindictam sanguinis.*
44 *Pœnæ publicæ fustigationis à foro Ecclesiastico passim recessit.*
45 *Si Clericus ob atrox crimen sit afficiendus pœna sanguinis, tradendus erit potestati Seculari.*
46 *Priusquam potestati Seculari puniendus tradatur Clericus, à gradu suo deponendus, seu degradandus est.*
47 *Id fieri voluit Justinianus.*
48 *Causa depositionis solebat primitùs in Synodo Episcoporum tractari, præsertim in secunda instantia.*
49 *Ob defectum Synodorum permissum fuit causam examinari à certo numero Episcoporum.*
50 *Episcopi omnes interveniebant ut Judices causæ.*
51 *Canones de omni depositione loquuntur.*
52 *Canones certum numerum præfigentes, qui de causa depositionis judicârunt, à Canonistis intelecti de prima instantia.*
53 *Quomodo numerus Episcoporum Canonibus expressus tandem in sola degradatione actuali fuerit requisitus.*
54 *De requisita tot Episcoporum assistentia in Sacerdotum degradatione querela Principum Germaniæ.*
55 *Synodus Tridentina permisit degradationem assistentibus Abbatibus, aut personis in dignitate constitutis.*
56 *In degradatione Clericus insignibus Clericalibus exuendus.*
57 *Quomoda vestibus Clericalibus exuatur.*
58 *Quâ formâ verborum utatur Episcopus degradator.*
59 *Degradatum Episcopus denuntiat privilegiis Clericalibus privatum, & foro Seculari subjectum.*
60 *Episcopus pro degradato intercedit, ni pœnâ sanguinis afficiatur.*
61 *Degradatio de jure, & ex præscripto Pontificalis etiam facienda est de simplicibus Clericis.*
62 *Sed hodie in desuetudinem abiit.*
63 *Degradatio Clericorum* in sacris *constitutorum anno* 1571. *Edicto Regio in Gallia stabilita.*
64 *Minùs tamen hodie videtur ibidem observata.*
65 *In Belgio Sacerdotes pœnâ sanguinis à Judice Seculari non afficiuntur sine prævia degradatione.*

I. INdubitatum est, penes Ecclesiam semper fuisse auctoritatem imponendi pœnas sive pœnitentias pro qualitate criminum, & conditione pœnitentium, quibus & ipse Pœnitentes Deo pro commissis peccatis satisfaciant, & à peccatis quasi fræno quodam coërceantur, cautioresque & vigilantiores in futurum reddantur; nec non publico scandalo, si peccata publica sint, satisfiat.

II. Sicuti autem primitùs Ecclesia, ejusque Ministri adversus sceleratos & peccatores non procedebant, nisi cum respectu ad forum pœnitentiale, ipsumque forum internum, seu pœnitentiale non esset planè à foro externo & forensi separatum, (uti supra *tit.* 4. *cap.* 1. notavimus) si nec pœnas Ecclesia, ejusque Ministri infligebant, nisi cum quodam respectu ad forum

pœ-

pœnitentiale ; ut proinde undecim circiter seculis pœnæ Ecclesiasticæ potiùs habuerint rationem pœnitentiarum, quàm pœnarum; quemadmodum totis illis seculis, forma procedendi Ecclesiæ adversus criminosos, magis ad ipsum tribunal pœnitentiæ, quam ad forense & judiciale referebatur.

III. Cùm autem circa seculum XII. forum externum & judiciale separari cœpit à foro interno & pœnitentiali, illudque exerceri ad normam judicii forensis & secularis, cœperunt quoque illa quæ pridem ad correctionem duntaxat, & in pœnitentiam pro delictis ab Episcopis & Sacerdotibus fuerant injuncta, eisdem in foro judiciali admodum judicii forensis per modum pœnæ ad vindictam publicam per sententiam imponi, & per Ministros publicos Justitiæ forensis infligi, seu executioni mandari.

IV. Quemadmodum autem disciplina circa punitionem criminum multum mutata fuit, quando forum externum & judiciale à foro interno & pœnitentiali fuit sejunctum; ita quoque tunc ipsa disciplina circa impositionem pœnarum non parùm mutari cœpit, quemadmodum in decursu apparebit.

V. Cum Scriptura nos doceat, efficacissimum remedium esse ad placandam Dei offensam, & eluenda peccata eleëmosynas in sinus pauperum effundere, juxta illud à Daniele datum consilium Nabuchodonosor Regi: *Peccata tua eleëmosynis redime; & iniquitates tuas misericordiis pauperum*, Dan. 4. ℣. 24. Et rursus Ecclesiast. cap. 3. ℣. 33. *Ignem ardentem extinguit aqua & eleëmosyna resistit peccato.* Usitatissimum semper fuit in Ecclesia, ut pœnitentibus in remedium suorum peccatorum eleëmosynarum elargitio pro modo facultatum à Sacerdotibus imponeretur.

VI. Postquam autem forum externum & forense à foro interno & pœnitentiali separatum fuit, eleëmosynarum hæc elargitio, quæ in *pœnitentiam* ad expurgationem & satisfactionem criminum imponi consueverat, cœpit ab ipsis officialibus & Judicibus Ecclesiasticis, etiam per *modum pœnæ* ad *vindictam publicam* delictorum imponi, & *judicialiter* decerni: atque hinc *pœnæ pecuniariæ* in forum Ecclesiasticum intrârunt.

VII. Harum pœnarum sat frequens mentio occurrit in Decretalibus nostris, ac signanter Alexandri III. & Innocentii III. quarum textus infrà referentur; ideoque nec dubitari potest, quin, inspecto *jure* communi, & juxta disciplinam Decretalibus expressam, Judex Ecclesiasticus possit imponere pœnas *pecuniarias*. Unde cùm tempore Philippi Valesii Regis Franciæ conquerentur Barones Franciæ per os Petri Cugnerii de Officialibus, qui suis monitionibus opponebant pœnas pecuniarias, respondit nomine Prælatorum Berthrandus Episcopus Eduensis: » Ad 27. articulum qui loquitur de *pœnis pecuniariis* quas Of» ficiales in suis monitionibus apponunt dicit, quòd licitum est » eis tales pœnas apponere, tam de consuetudine, quàm de » *jure*, quia ex quo licet sententiam excommunicationis appo» nere, quæ est major, licet apponere pœnam pecuniariam, quæ » est minor. Item ex quo tali Judici Ecclesiastico subditi exis» tunt, & sic est eorum Ordinarius, Judex ipse potest in ta» li casu eis apponere pœnam pecuniariam, vel aliam secundum » quod videbitur ipsi expedire. Et ad hoc jus divinum & huma» num concordant. «

VIII. Verùm sicuti Sacerdotes solicitè cavere debent, ne ex pœnitentiis pecuniariis sibi lucrum quærere videantur uti suprà *part.* 2. *tit.* 6. *cap.* 4. *n.* 14. notavimus; sic & hodie Judices Ecclesiastici circa harum pœnarum impositionem, ita se gerere tenentur, ne videantur eas in proprium suum emolumentum potiùs, quam ad criminum vindictam & delinquentium correctionem ipsorum imponere.

Hinc Concilium Lateranense in *cap.* 13. ✠ *de Officio Ordin.* postquam monuerat Prælatos, quòd ad reformandos Clericorum suorum mores diligenter deberent intendere; ac declarâsset, quòd neque appellatio suspenderet reformationis effectum, unà monet Prælatos, provideant, ut hoc salubre statutum ad *quæstum pecuniæ* non convertant.

IX. Hanc suspicionem difficulter evadent Prælati, & Judices Ecclesiastici, qui neglectis aliis pœnis canonicis passim pro quibuscunque excessibus pœnas pecuniarias imponunt. Quapropter Alexander III. in *Cap.* 3. ✠ *De Pœnis* mandat, districtè inhiberi Archidiaconis Conventrensis Episcopatûs: » ne » pro corrigendis excessibus, & criminibus puniendis à Cleri» cis & Laicis pœnam *pecuniariam* exigant. «

Hîc notat Glossographus, non esse absolutè vetitum Judici Ecclesiastico infligere pœnam *pecuniariam*; sed eam non esse infligendam, ubi crimen aliam pœnam spiritualem requirit: ideoque rectè hîc notat Fagnanus *num.* 3. » adversus Prælatos, » qui crebrè & facilè pœnas pecuniarias infligunt, oriri *vehementem* præsumptionem avaritiæ. « Vide latiùs Covarruviam *Lib.* 2. *var. resol. cap.* 9. *n.* 9.

X. Vehementior erit hæc præsumptio, si has pœnas pecuniarias Prælati, eorumve Officiales sibi directè vel indirectè applicent; atque ex pœnarum inflictione lucrum aliquod capient.

Hinc post Glossam ad *Cap.* 2. ✠ *de Pœnit.* notant Doctores, » quòd pœnam *pecuniariam*, quam recipit Episcopus » ab aliquo, *sibimet appropriare non debeat*, « dicitque Covarruvias loco citato: » Præ cæteris à Judicibus Ecclesiasticis & » Prælatis est observandum, ut pœnas *pecuniarias*, pro crimi» nibus inflictas, in pios usus potiùs, quàm in propriam utilita» tem erogare curent. «

XI. Igitur Synodus Tridentina omnem avaritiæ aut turpis quæstûs notam à Prælatis amoveri studens, volensque cavere, ne videantur pœnæ à superioribus in proprium potiùs ipsorum emolumentum, quàm ad vindictam criminum, & correctionem delinquentium infligi, declaravit *Sess.* 23. *cap.* 1. *de Reform.* quòd Superior Ecclesiasticus teneatur fructus, quos Episcopi aliive Beneficiati ob non residentiam amittunt, *fabricæ* Ecclesiarum aut *pauperibus* erogare. Idipsum mandat observari *cap.* 14. *Sess.* 25. circa pœnas concubinariorum. Et generaliùs eâdem *Sess. cap.* 3. ubi permittens, ut Judex Ecclesiasticus in causis civilibus, ad forum Ecclesiasticum quomodolibet pertinentibus, contra quoscumque etiam Laicos per *mulctas pecuniarias* procedere queat, addit hanc cautionem: *Quæ piis locis, ibi existentibus, eo ipso, quòd exactæ fuerint, assignentur.*

XII. Noluit ergo Synodus, ut Episcopi sibi directè aut indirectè mulctas sive pœnas pecuniarias applicent, sed eas piis usibus assignari voluit.

Hinc consulta S. Congregatio *super negotiis Episcoporum*, an pœnæ *pecuniariæ* possint ab Episcopo pro aliqua parte applicari Procuratori Fiscali, Executoribus, ac Ministris Curiæ pro *expensis* tribunalis & *Palatii* Episcopalis, & *Domûs* Vicarii, respondit: nihil solvi posse, cùm pœna hæc *piis locis applicanda sit.* Fagnanus ad *cap.* 2. ✠ *de Pœnis.*

XIII. Quinimò, uti notat Fagnanus ibid. *num.* 31. » hæc » applicatio non modò prohibetur fieri Procuratori Fiscali, » sed etiam locis piis, si id cedat aliquo modo in utilitatem » Episcopi. Unde cùm fuerit quæsitum, an Episcopus vigore » consuetudinis loci possit tutâ conscientiâ applicare pœnas vel » mulctas Sacristiæ vel Fabricæ Ecclesiæ, quæ, etsi aliquid ha» beant, non tamen possunt absque auxilio impensis necessa» riis respondere; S. Congregatio censuit, posse Episcopum » hujusmodi pœnas applicare Fabricæ, vel Sacristiæ Ecclesiæ, » dummodò talis applicatio directè vel indirectè non cedat in » ipsius Episcopi utilitatem. «

XIV. His congruit Decretum S. Caroli in Concilio Mediol. 1. *tit. de Pœnis*, ubi decrevit, ut » quotiescunque delic» ti causâ Clerici mulctandi sunt, quæ ab ipsis exigenda erit pe» cunia, nullo modo ad Episcopum perveniat, in ejusve com» moda quavis ratione convertatur; sed idem Episcopus parte » pecuniæ, quæ tertiam non superet, assignata delatori, re» liquam piis operibus aut locis, quibus ei videbitur, omninò » attribuat. «

XV. Refert Renatus Choppinus *Lib.* 2. *de Sacra Polit. tit.* 3. *num.* 9. non semel judicatum fuisse, fas non esse Judici Ecclesiastico *simpliciter* condemnare quempiam ad pœnam *pecuniariam*, sed in ipsa sententia exprimendum *pium usum*, in quem ipsa pœna sit convertenda. » Ut enim demus (ait Chop» pinus) Judici cuilibet *mulctæ* dicendæ jus esse, cui publicum » judicium sit: hoc ita intelligi debet, si Ecclesiasticus mulctam » in pium quemdam usum *judicans* destinârit. Quâ formulâ ac » cautione sacer Magistratus licitè mulctam indicit Litigatori » pro arbitratu. Et ità per Senatum judicatum anno 1530. ibi» dem testatur. Verùm purè damnato & mulctato Litigatore » censetur Episcopus reorum damnationes transferre in rem » suam, privatumque usum iniquo exemplo voluisse. «

XVI. Similiter in Edicto Principum nostrorum de 20. Septemb. 1608. super observatione dierum festorum expressè dicitur, quòd Judices Ecclesiastici possint per præventionem agere contra violatores festorum; & si hi procedant ad condemnationem in mulctam *pecuniariam*, hæc fiat cum debita moderatione, & ad commodum pauperum, aut alicujus hospitalis nominatim in sententia exprimendorum. Verba Edicti sunt: *Ende procederen by de Geestelycke Rechters tot condemnatie van eenige boeten van ghelde, dat het sy met alsulcke moderatie als dat behoort, ende ten profyte van de Aerme, oft van eenige Godtshuysen* PARTICULIERLICKEN *te verklaeren by de seive vonnisen.* Id est: » Si coram Judicibus Ecclesiasticis » procedatur ad condemnationem mulctæ pecuniariæ, fiat eâ, » quâ æquum est, moderatione, & in emolumentum pau» perum, aut quorundam Xenodochiorum, quod ipsum spe» cialiter in sententia exprimetur. « Extat Edictum *parte* 2. Edict. Flandriæ *lb.* 1. *Rub.* 1..

XVII. Inter species pœnitentiarum fuit & jam pridem reclusio pœnitentium in aliquo Monasterio, ut ibidem peccata sua deflere, & exercitia pœnitentiæ ab hominum conspectu remoti, facilius subire, & occasiones peccatorum evitare possent.

XVIII. Istius pœnitentiæ meminit Synodus Agathensis *Can. L.* apud Gratianum *Dist.* 50. *Can.* 7. decernens: „ Si „ Episcopus, Presbyter, aut Diaconus capitale crimen com„ miserit, ab officii honore depositus, in *Monasterium* detru„ da-

„ datur, & ibi, quandiu vixerit, laicam tantummodo commu-„ nionem accipiat.“

XIX. Meminit & hujus retrusionis S. Gregorius *Lib.* 2. *Epistol.* 27. mandans quibusdam Judicibus à se delegatis, ut, si quendam Bonifacium, præmissâ cognitione cujusdam facinorosi criminis reum esse apparuerit, „ tunc non solùm Dominici „ Corporis & sanguinis comunione privatus sit, verùm etiam „ in *Monasterium*, ubi pœnitentiam agere debeat, *retrudatur* „ ut criminis sui maculas convenienti valeat apud æternum Ju-„ dicem lamentatione purgare.

Rursus eodem lib. *Epist.* 40. jubet Diaconum in crimen carnis prolapsum in *Monasterium*, ubi pœnitentiam peragat, *tradi*; „ ita ut nulla exinde ei sit quoquomodo egrediendi licentia, „ nisi (ait) hoc nostra permisserit fortâsse præceptio.“

In Decretalibus quoque sæpiùs hujus retrusionis fit mentio, puta, *cap.* 6. §. *fin.* ✠ *de Homicidi* & *cap.* 35. ✠ *de Sententia Excom.*

XX. Hodie hæc una est ex pœnis Ecclesiasticis; solentque Episcopi, eorumve Officiales non rarò injungere Sacerdotibus, aut Clericis in vitium aliquod prolapsis, ut se ad tempus vel perpetuò ad Monasterium, aut Seminarium Clericorum retrahant, ibique certa pietatis & pœnitentiæ præscripta exercitia in peccatorum expiationem & vitæ emendationem subeant.

XXI. Verùm aliquorum ea est durities & malitia, ut nec Monasterium locus eis servandis sat tutus sit, nec disciplina regularis ad eos continendos, & à vitiis retrahendos sufficiens; majusque periculum immineat, ne ipsi alios suis pessimis exemplis inficiant, quàm sit spes ipsos piorum exemplo convertendos; unde jam pridem in usu fuit, ut & in ipsis Monasteriis essent loca quædam separata, quibus tanquam in carcere incorrigibiles & majorem scelerum rei recluderentur.

XXII. In Regula Canonicorum anno 816. apud Aquisgranum præscripta *cap.* 134. dicitur: „ Si uterque, & qui flagella-„ tur, & quem flagellari ætas aut qualitas personæ prohibent, „ adhuc *incorrigibiles* extiterint, sit locus intra claustra Cano-„ nicorum, sicut multis in locis noscitur esse, quo ad tempus „ retrudantur, & secundum modum culpæ castigentur.“

XXIII. Et consultus Innocentius III. De Clericis graviter excedentibus, qui tutè non possunt Monasteriis ad agendam pœnitentiam deputari, an à Prælatis *arctà* possent *custodiæ* mancipari, respondet in *cap.* 35. ✠ *de Sent. Excommun.* „ Quòd „ cùm Prælati excessus corripere debeant subditorum, & pu-„ blicè utilitatis intersit ne crimina remaneant impunita, & per „ impunitatis audaciam fiant, qui nequam fuerant, nequiores: „ non solùm possunt, sed debent etiam Clericos, postquam „ fuerint de crimine Canonicè condemnati, sub *arcta custodia* „ detinere: qui cùm sint incorrigibiles, nec Monasteriis valeant „ custodiri, ad similia vel pejora facilè laberentur.“

XXIV. Quin in *cap.* 27. §. 1. ✠ *de V. S.* rescribit Episcopo Parisiensi, „ ut falsarium in *perpetuum* carcerem ad agen-„ dam pœnitentiam includat, pane doloris, & aqua tristitiæ „ sustentandum, ut commissa defleat, & flenda ulteriùs non „ committat.“

Tandem Bonifacius VIII. editâ constitutione in *cap.* 3. *de Pœnis*, *in VI.* declaravit, „ quamvis ad reorum custodiam, non „ ad pœnam carcer specialiter deputatus esse noscatur: Nos ta-„ men non improbamus seu convictos (eorum excessibus & per-„ sonis, cæterisque circunstantiis providâ deliberatione pensa-„ tis) in perpetuum, vel ad tempus, prout videris expedire car-„ ceri mancipes ad pœnitentiam peragendam.“

Quod hîc in principio suæ constitutionis asserit Pontifex, id ex Jure Civili desumptum est; quo Jure carcer ad custodiam, non ad pœnam destinatus dicitur, *L.* 8. §. SOLENT, *ff. de Pœnis.*

XXV. Interim hæc pœna in Curiis Ecclesiasticis recepta est; testeque Renato Coppino *lib.* 2. *de Sacra Polit. tit.* 3. *num.* 12. vulgò etiam *perpetuis* vinculis plectuntur Sacerdotes.

Et reverà hodie carcerem assignari posse in pœnam, & pœnitentiam, supponunt Ordinationes Curiarum Eccles. Provinciæ Mechl. *tit. de Custode carceris*, *art.* 9. ubi decernitur: „ Condemnatos ad *pœnitentiam* in pane doloris, & aqua tristi-„ tiæ agendam, in eadem pœnitentia custodiet, recepturus à „ Sigillifero pro ratione temporis & expensarum, prout æquum „ erit.“

XXVI. Rectè dixit Bonifacius VIII. in citato *cap.* 3. *de pœnis*, *in VI.* in hac ad carceres condemnatione, à judice esse procedendum, *excessibus & personis ceterisque circumstantiis provida deliberatione pensatis.* Certum enim est, pœnam carceris, præsertim *perpetui* aut *diuturni* esse admodum gravem, neque pœna mortis multò inferiorem, imò quandoque duriorem: ut proinde passim moneant Canonistæ pœnam *perpetui* carceris infligendam non esse, nisi pro crimine atroce, quòd de Jure Civili morte plectendum esset.

Insuper Judex Ecclesiasticus incarcerationem ita ordinare debet, ut quantum fieri potest, per eam incarcerati ad meliorem vitam reducantur. Nam uti monet Innocentius III. in citato *cap.* 27. ✠ *de V. S.* hæc incarceratio fit, ut incarceratus *commissa defleat*, & *flenda ulteriùs non committat.* Id est, ut convertatur & vivat. Quanta autem cura & in spiritualibus & corporalibus carceratis sit exhibenda, præsertim à Pastoribus & Episcopis, dictum est supra *tit.* 8. *cap.* 2.

XXVII. Porrò Clerici per Episcopos includendi non sunt communibus & laicalibus carceribus, nec ad hoc condemnandi auctoritas est penes Judices Ecclesiasticos; sed Episcopi suos *proprios* habent carceres, qui olim erant apud Ecclesiam vel domum Episcopalem, dicebanturque *Diaconica*, vel *Diaconia*; hodie autem carceres *Episcopales* vocantur; de quibus in Concilio Lambethensi celebrato anno 1261. legitur: „ Item speciali „ præcepto statuimus, quòd quilibet Episcopus in suo Episco-„ patu habeat unum vel duos carceres, prout competentiùs & „ securiùs poterit providere, pro Clericis flagitiosis deprehensis „ in crimine vel convictis, juxta censuram Canonicam deti-„ nendis.“

XXVIII. Inter pœnitentias olim pœnitentibus imponebatur recessus à propria patria, ut vel occasiones peccandi vitarent, vel scandali occasio populo adimeretur, aut etiam ut extra propriam patriam & propinquorum & familiarium conspectum faciliùs pœnitentiæ opera subire possent; aut etiam ut vel hæc à propinquis & consanguineis sejunctio, & diuturnioris itineris susceptio eis pro pœnitentia essent.

XXIX. De hac forsam specie relegationis in pœnitentiam impositæ loquitur S. Gregorius *lib.* 9. *Epist.* 66. ubi cuidam Episcopo mandari vult, ut Subdiaconum calumniatorem, priùs Subdiaconatûs privet officio, atque verberibus publicè castigatum, faciat in *exilium* deportari. Hic textus refertur in *cap.* 1. ✠ *de Calumniat.*

XXX. Hinc communiter concludunt Canonistæ post Glossam ad hoc Capitulum, quòd hanc pœnam *exilii* Ecclesia imponat, quod & varii Canones apud Gratianum supponere videntur; ac signanter *Can.* 9. *Caus.* 3. *q.* 4. item *Can.* 3. *Caus.* 3. *q.* 5. & *Can.* 23. *Dist.* 63.

XXXI. Verùm Canones hos non de pœna veri & civilis exilii, quos per deportationem vel relegationem extra territorium aliquod quispiam relegatur, intelligi; sed vel de *exilio* accepto in allegata significatione, vel certè de pœna, quæ relegationi intra Monasterium esset affinis, depositionemque sive degradationem Canonicam subsequente, monet eruditus auctor Notarium in citatam Epistolam S. Gregorii *num.* 6.

XXXII. Hoc sensu exilium quoque accepisse videtur Ivo Carnotensis *epist.* 186. (s) scribens Episcopo Aurelianensi: „ Oportet, ut adhibitis vobis aliis quinque Episcopis, publicè „ detractis Sacerdotalibus indumentis, per singulos eum gra-„ dus deponatis, & depositum *perpetuo* carcere damnetis, aut „ in æternum exilium detrudatis.“ Rationem hanc adjiciens; „ Quod à *conspectu* eorum, qui *scelus* ejus cognoverunt, re-„ movendus sit, ne fœda facti memoria simplicium mentes „ perturbet.“

XXXIII. Nam, uti ipse Auctor notat, pœna *vera exilii* sive *relegationis*, qua quis per sententiam relegatur extra aliquod territorium, eique ingressus *territorii* illius inhibetur, „ durior est, & terrestrem dominationem referens, quam ut „ ab Episcopis imponi queat.“

XXXIV. Et quidem sub nomine Concilii Antiocheni refertur in prima collectione Decretalium apud Antonium Augustinum, titulo *de Clerico excommunicato minist. cap.* 25. quòd si Clericus excommunicatus; & ab Ecclesia expulsus nihilominùs in sua præsumptione perseveret, atque pœnas hasce contemnat, & Episcopus emendare non petuerit, *Regis judicio* EXILIO *damnetur.*

Raymundus hoc idem Decretum referens in *cap.* 2. ✠ *eod.* post ly *judicio* addit hæc: *Ad requisitionem Ecclesiæ*, ut sit sensus: *Regis judicio ad requisitionem Ecclesiæ exilio damnetur.* Sed sive *sine* sive *cum* hoc additamento legatur, equidem non obscurè supponitur, quòd *exilio damnare* sit Regiæ auctoritatis, & judici.

Idipsum supponit Clemens III. in *cap.* 10. *de Judiciis* dicens, si Clericus ob commissum crimen depositus fuerit, & post dispositionem incorrigibilis manens excommunicatus, atque tandem contumaciâ crescente anathematis mucrone percussus, „ postmodum verò si in profundum malorum veniens con-„ tempserit, cùm Ecclesia non habeat ultra quid faciat, ne „ possit esse ultra perditio plurimorum, per secularem compri-„ mendus est potestatem, ita quod ei deputetur *exilium*, vel „ alia legitima pœna inferatur.“

Nequaquam obscurum est, Pontificem in hac Decretali pœnam exilii non inter pœnas Ecclesiasticas, aut ab Ecclesia infli-

(s) *Hæc Epist. in Edit. Paris. an.* 1647. *recensetur* 162. *Reperitur pag.* 68. *col.* 2. *Scripta dicitur Joan. Episcopi Aurel.*

fligendas reputare ; sed inter pœnas per *Secularem Potestatem* infligendas, postquam inflictæ fuêre omnes pœnæ Ecclesiasticæ ; & *Ecclesiæ non habet ultra quid faciat.*

XXXV. Hinc deducunt Pragmatici, jus non esse judici Ecclesiastico, Clericum aut laicum in *exilium* mittere, sed id spectare ad potestatem Regiam : Et quidem Guillelmus Benedicti ad *cap.* RAYNUTIUS ✠ *de Testamentis*, Verbo *Et uxorem*, *num.* 453. asserit, suo tempore (t) in Gallia servatam opinionem, quòd judex secularis *bannire* Clericos posset. Neque id fas esse Ecclesiastico Judici non semel judicatum fuisse testatur Choppinus *lib.* 2. *de S. P. tit.* 3. *num.* 12. Et in Commentario ad leges Municipales Andegavensium *lib.* 1. *cap.* 39. *num.* 5. ait : » Pontificii verò Judices ideò *exilio* nequeunt mulc- » tare sontes, quod prorsus *territorio* careant, etsi non Dioe- » cesi, intra quam, Diris devoto reo, piorum cœtu inter- » dicunt. *Relegatio* enim fori est *profani*, ut execratio sacra, » Ecclesiastici. « Idipsum pluribus arrestis confirmatum dicit Fevretius *de Abusu lib.* 8. *cap.* 4. *num.* 11. Vide etiam Peleum in Actionibus forens. *lib.* 8. *cap.* 61. ubi asserit, licitum quidem esse Superiori Regulari mittere sub obedientia Religiosum sibi subditum de uno Monasterio ad aliud : sed per modum pœnæ & *relegationis*, eum dimmittere, & expellere nequaquam posse.

XXXVI. Notat quoque Fevretius loco citato, fas esse Episcopo, Sacerdotes extraneos non Beneficiatos ob malam conversationem de sua Diœcesi dimittere ad proprias : eò quòd juxta Canones Clerici teneantur singuli in suis propriis Diœcesibus deservire ; nisi per Beneficium legitimè alteri Diœcesi sint incorporati : ideoque Episcopus similes è sua Diœcesi dimittens, non relegat aut in exilium mittit, sed ad propriam Diœcesim remittit.

XXXVII. Et in *cap.* 3. ✠ *de Crimine falsi* scribit Urbanus III. cuidam Episcopo, ut Clericis falsariis » degradatis in » signum maleficii caracterem aliquem imprimi faciat, quo in- » ter alios cognoscantur ; & *Provinciam* ipsam eos *abjurare* » compellens, abire permittat. « Quidni & hodie hoc modo obligare posset Judex Ecclesiasticus, ut è Provincia emigraret, tametsi absolutam pœnam relegationis seu exilii decernere non posset. (u)

XXXVIII. Non dubium quin jam pridem usitatum fuerit ut Pœnitentibus imponerentur nonnuuqnam pœnitentiæ *corporis* afflictivæ ; utque Episcopi & Prælati suis respectivè Clericis & Monachis hujusmodi pœnitentias subinde imponerent ; eosque etiam corporaliter castigarent.

XXXIX. De virgarum pœna ab Episcopis adhibita loquitur S. Augustinus *Epistol.* 133. ad Marcellinum, eum exhortans, ut nolit perdere *paternam diligentiam*, quam in inquisitione Donatistarum servaverat : » Quando (ait) tantorum sce- » lerum confessionem non extendente eculeo, non sulcantibus » ungulis, non urentibus flammis, sed *virgarum verberibus* eruis- » ti. Qui modus coercitionis à Magistris Artium liberalium, & » ab ipsis Parentibus adhibetur, ut & sæpè in judiciis solet *ab* » *Episcopis* adhiberi. « Refertur apud Gratianum *Caus.* 23. *q.* 5. *Can.* 1.

Hujus correctionis meminit quoque S. Gregorius citatâ *Epistola* 66. ejusque fragmentum refertur in *cap.* 1. ✠ *de Calumniat.* ubi Subdiaconum calumniatorem mandat publicè *verberibus castigatum* in exilium deportari.

XL. Verum ex citatis verbis S. Augustini manifestum est, hanc flagellationem seu castigationem fuisse ad instar *paternæ* cujusdam correctionis, quâ Parentes in filios, & Magistri liberalium Artium in discipulos uti consueverunt. Hanc Abbates in Monachos ex Regulæ præscripto jam pridem exercuisse supra *part.* 1. *tit.* 31. *cap.* 3. notavimus. Admodum ergo verisimile est, Episcopos & hoc correctionis genere in *juniores* suos Clericos *paterno* more primitùs usos fuisse.

XLI. Duo autem in usu hujus pœnitentiæ Episcopis cavenda erant. Primum quidem, ut eâ moderatione uterentur, ut se Pastores, *non percussores* ostenderent.

De Episcopis circa hoc excedentibus loquitur S. Gregorius *lib.* 2. *Epist.* 52. *ind.* 2. dicens : » Quid autem de Episcopis, » qui verberibus timeri volunt, Canones dicant, benè fraternitas » vestra novit. Pastores enim facti sumus, non percussores. » Egregius Prædicator dicit : *Argue, obsecra, increpa in omni* » *patientia & doctrina.* Nova verò atque inaudita est ista præ- » dicatio, quæ verberibus exigit fidem. « Estat apud Gratianum *dist.* 45. *Can.* 1.

Haud obscurum est, S. Gregorium hic indicare *Can.* 38. vulgò *Apostolorum*, relatum à Gratiano ibidem *Can.* 7. quo decernitur : » Episcopum, aut Presbyterum aut Diaconum, qui » *verberat* eos qui peccant, vel infideles qui injuriam fecerunt, » & per hoc vult pertimefacere, *deponi* jubemus. « Vide quoque *Canon.* 8. ejusdem Distinctionis desumptum ex Concilio III. Bracarensi.

XLII. Quin & in *Can.* 25. *dist.* 86. legitur : » Non licèt » Episcopo *manibus suis* aliquem *cædere*. Hoc enim alienum à » Sacerdote esse debet. « Hic post Glossam ad *cap.* 24. ✠ *de Sent. Excomm.* notârunt Canonistæ, quòd quidem liceat Abbati in *propria* persona *causâ regularis* disciplinæ, verberare Monachum ; non autem id licere Episcopo.

XLIII. Adhæc in hujus pœnæ impositione eâ moderatione procedendum esse monet Alexander III. in *cap.* 4. ✠ *de Raptoribus*, quòd *flagella in vindictam sanguinis minimè transire videantur.*

XLIV. Cùm autem publica flagellatio, qualis hodie criminosis per publicum justitiæ executorem fieri solet, ad vindictam *sanguinis* pertinere videatur, hæc pœna passim à foro Ecclesiastico recessit ; testaturque Ignatius Lopez in notis ad Praxim criminalem Bernardi Diaz *cap.* 133. eam in Curiis Ecclesiasticis Hispaniæ non consuevisse imponi ; asseritque quoque Julius Clarus in *Pract. crim. quæs.* 70. *num.* 2. eam nec in Ducatu Mediolanensi in persona alicujus Clerici servari.

Quin & teste Fevretio per Arrestum Parlamenti Parisiensis anno 1562. ad conclusionem Advocati Fiscalis, dictum fuit malè & abusivè judicâsse Officialem condemnando aliquem ad fustigationem publicam ; inhibitione facta omnibus Officialibus & Judicibus Ecclesiasticis similes pœnas imponere.

XLV. » Si ita gravis fuerit excessus, quòd mortem, vel de- » truncationem membrorum debeant sustinere, vindictam re- » serves Regiæ potestati, « scribit Alexander III. Panormitano Archiepiscopo in *cap.* 4. ✠ *de Raptoribus.*

Igitur si Clericus de excessu & crimine adeo gravi fuerit convictus, ut pœnam mortis aut truncationis membrorum mereatur, non à Judice Ecclesiastico, sed Laico hujusmodi pœna infligenda erit ; atque hîc locum habebit, quod ait Pontifex in *cap.* 10. ✠ *de Judiciis.* » Cùm Ecclesia non habeat ultra quod » faciat, per *secularem* comprimendus est potestatem. «

XLVI. Cæterùm priusquam Judici seculari tradendus sit, priùs Sacerdotali, & Clericali dignitate ab Ecclesia privandus, & quasi ad Laicalem conditionem reducendus est ; id est juxta hodiernam phrasim, degradandus, sive de gradu & ordine dejiciendus.

XLVII. Id tempore Justiniani receptum fuisse manifestum est ex ejus *Novella* 83. ubi declarans in Præfat. §. 2. de criminibus *Civilibus* Clericorum competentes judices cognoscere, addit hanc cautionem : » Illud palam est, si reum esse pronuntia- » verit eum qui convenitur, Præses Provinciæ, et *pœna* judica- » verit dignum ; priùs hunc *spoliari* à Deo amabili Episcopo Sa- » cerdotali dignitate, & ita sub legum fieri manu. «

Voluit ergo Justinianus, Clericum de crimine *civili* convictum & condemnatum, priùs ab Episcopo Sacerdotali dignitate spoliandum, antequam per Judicem secularem seu legalem pœnæ subjici possit, sive *sub legum fieri manu.*

XLVIII. Porrò cùm de depositione Episcoporum, Presbyterorum, aliorumque Ministrorum Ecclesiæ agebatur, solebat causa jam pridem ad Synodum Episcoporum referri, ibique discuti & decidi, quemadmodum testatur Synodus Hispalensis II. *Can. VI.* extatque apud Gratianum *Caus.* 15. *quæst.* 7. *Can.* 7. ubi dicitur : » Episcopus Sacerdotibus ac Ministris so- » lus honorem dare potest, auferre solus non potest. Si enim hi, » qui in seculo à dominis suis honorem libertatis adepti sunt, » in servitutis jugum non revocantur, nisi publicè apud Præto- » ris ac Præsidis tribunal in foro fuerint accusati ; quantò magis » hi qui divinis Altaribus consecrati, honore Ecclesiastico de- » corantur ? Qui profecto nec ab uno damnari, nec uno ju- » dicante poterunt honoris sui privilegiis exui ; sed præsentati » Synodali judicio, quod Canon de illis præceperit, definiri. «

Illud autem vel tunc præcipuè obtinebat juxta *Canon. V.* Nicænum, si Presbyteri, aliive Clerici de proprii Episcopi sententia querentur ; quam in Synodo Episcoporum totius Provinciæ examinari voluit citatus Canon, uti supra *tit.* 10. *cap.* 1. notatum est.

XLIX. Sed quia difficulter similes Episcoporum Synodi habebantur, quoties Clericorum querelæ contra proprios Episcopos deferebantur, in Concilio Carthaginensi II. suggessit Felix Episcopus » secundum statuta veterum Conciliorum, ut si quis » Episcopus (quod non optamus) in reatum aliquem incurrerit, » & fuerit nimia necessitas, non posse plurimos congregare, ne » in crimine remaneat, à 12. Episcopis audiatur, & Presbyter » à 6. Episcopis cum proprio suo Episcopo audiatur, & Diaco- » nus à tribus. « Apud Gratianum *Caus.* 15. *quæst.* 7. *Can.* 4.

Canonem hunc loqui de secunda instantia, sive casu appellationis credit Zonaras ; ne aliàs repugnet Canoni IV. Antiocheno, quo supponitur, Presbyterum, aut Diaconum à proprio Episcopo

(t) *Videbat Guillelmus Benedicti, exeunte XV. seculo.*

(u) *Id quoque in Galiis observatur, modò actus, quo Presbyter ad suam remittitur Diœcesim, nihil contineat, quod per modum sententiæ exilii exprimatur. Id enim abusivum foret. Consult. 7. novorum Collect. Cleri Gallicani, col.* 1260. *&c.*

Episcopo sine Synodo *deponi* posse. Extat apud Gratianum *Caus.* 11. *quæst.* 3. *Can.* 61.

L. Quidquid sit, hoc certum est, Episcopos omnes, sive in Synodo sive extra Synodum cum proprio Episcopo congregatos, fuisse veros Judices causæ; adhibitosque non ad solemnitatem aut formam actus duntaxat, sed ad causæ examen & judicium ferendum.

LI. Ulteriùs indubitatum est, hîc non tantùm de actuali depositione, quæ hodie vulgo *Degradatio* dicitur; sed de quacunque depositione à sacro ministerio & dignitate Sacerdotali agi.

LII. Denique & illud sat manifestum apparet, quod dictum Canonem Carthaginensem, & alios nonnullos idem decernentes, & à Gratiano eodem loco relatos Canonistæ intellexerint jam pridem de prima instantia: quasi is Episcoporum numerus absolutè & generaliter in depositione etiam Presbyterorum & Diaconorum necessarius esset.

LIII. Cùm autem successu temporis jurisdictio contentiosa per solum Episcopum vel ejus Officialem exerceri cœpit; etiam auctoritas depositionis Clericorum soli Episcopo ejusve Officiali attributa fuit. Ne tamen à Canonum dispositione planè recedi videretur, numerus Episcoporum dictis Canonibus Carthaginensibus expressus, sine ullo ad Synodum respectu restrictus fuit ad depositionem actualem & solemnem, quam *degradationem* dicimus, quemadmodum rescripsit Bonifacius VIII. in *cap.* 2. *de Pœnis, in VI.* dicens: » quòd verbalis degradatio seu depositio ab Ordinibus vel gradibus Ecclesiasticis est à proprio Episcopo sibi assistente, in degradatione Clericorum in sacris » Constitutorum Ordinibus, *certa Episcoporum numero definito* » *Canonibus*, facienda: quanquam proprii Episcopi sententia sive » aliorum Episcoporum præsentia sufficiat in degradatione eorum, qui minores duntaxat Ordines receperunt. «

Hîc per Canones intelligi citatos Canones Carthaginenses, & consequenter in degradatione requiri numerum Episcoporum in dictis Canonibus expressum, post Glossam uno consensu tradidere Canonistæ; & ita in degradatione Episcopi requiri assistentiam 12. Episcoporum, in Presbyteri sex, & Diaconi ac Subdiaconi trium Episcoporum; quod & praxis comprobavit, & in Pontificali Romano sub titulo de Degradatione expressum est.

LIV. Cùm autem sæpè ob Episcoporum raritatem, gravesque expensas tot Episcoporum conventus non sine difficultate, magnisque sumptibus in nonnulli regionibus haberi posset, præsertim in Germania, propter Episcoporum ibidem paucitatem; ideoque nec hæc degradationis solemnitas facilè peragi posset: quo fieret, ut enormia Clericorum crimina impunita manerent; & quin & ansa majore cum audacia crimina perpetrandi dari videretur, apud Adrianum VI. conquesti fuere Principes Germaniæ *art.* 21. inter 100. gravamina eidem Pontifici exhibita, ubi dicunt: » Et tandem ut in peccatis maleficiisque perpetrandis magis adhuc foveantur, præter omnem æquitatis rationem, aliquatenus interdictum est Archiepiscopis, & Episcopis, ne malefactores hos publicè criminali judicio reos agere » possint, nisi priùs degradatos; id quod tantis sumptibus, tantaque pompâ celebrari oportet, ut propterea perquam rarissimùm uncti illi malefactores meritâ plectantur pœnâ. «

LV. Eandem querelam in ipso Concilio Tridentino renovârunt Episcopi Germaniæ, quibus moti Patres Tridentini declarârunt *Sess.* 13. *c.* 4. *de Reform.* quòd Episcopus *per se* » seu » *illius Vicarium*... ad actualem atque solemnem degradationem » ab ipsis Ordinibus & gradibus Ecclesiasticis, in casibus, in » quibus aliorum Episcoporum præsentia, in numero à Canonibus definito requiritur, etiam absque illis procedere liceat; » adhibitis tamen, & in hoc sibi adsistentibus totidem Abbatibus, usum mitræ & baculi ex privilegio Apostolico habentibus, si in civitate aut Diœcesi reperiri & commodè interesse possint, alioquin aliis personis in Ecclesiastica dignitate » constitutis, quæ ætate graves, ac juris scientia commendabiles existant. «

Cùm Synodus requirat, ut personæ in dignitate constitutæ ab Episcopo assumendæ, sint *juris scientiâ commendabiles*, videtur Synodus indicare hanc Prælatorum assistentiam non tantùm ad solemnitatem & meram cæremoniam requiri, sed ut unà Episcopo in discussione causæ assistant: quemadmodum citati Canones Carthaginenses exigebant Episcoporum conventum, ut ab omnibus causa accusatorum discuteretur & judicaretur, uti suprà notavimus.

LVI. Ut autem Clericus, quantum fieri potest, clericali charactere ac dignitate spolietur, & ad statum ac conditionem laicalem reducatur, judicatum fuit, non tantùm verbaliter & per sententiam Judicis deponendum esse Clericum Judici seculari tradendum, sed præmittendam esse realem exauctorizationem seu degradationem, ad exemplum » exauctorizationis » ejus qui militiæ deservit *armatæ*; cui *militaria* detrahuntur » *insignia*, sicque à militia remotus castris ejicitur, privatus » consortio & privilegio militari, « ut ait Bonifacius VIII. in citato *cap.* 2.

LVII. » Clericus igitur (pergit Bonifacius) degradandus » vestibus sacris indutus, in manibus habens librum, vas, vel » aliud instrumentum, seu ornamentum ad ordinem suum spectans, ac si deberet in officio suo solemniter ministrare, ad » Episcopi præsentiam adducatur, cui Episcopus publicè singula, sive sint vestes, calix, liber, seu quævis alia, quæ illi » juxta morem ordinandorum Clericorum, in sua ordinatione » ab Episcopo fuerint tradita, seu collata, singulariter auferat, » ab illo vestimento seu ornamento, quod datum vel traditum » fuerat ultimò inchoando, descendendo gradatim, degradationem continuet usque ad primam vestem, quæ datur in collatione tonsuræ; tuncque radatur caput illius seu tondeatur, » ne tonsuræ seu clericatûs vestigium remaneat in eodem. «

LVIII. Deinde formam subjicit, dicens: » Poterit autem » Episcopus in degradatione hujusmodi uti verbis aliquibus ad » terrorem illis oppositis, quæ in collatione Ordinum sunt prolata, dicendo Presbytero hæc vel similia verba, in remotione » Planetæ: *Auferimus tibi vestem Sacerdotalem, & te honore* » *Sacerdotali* privamus: sicque in remotione reliquorum insignium similibus verbis utens in ablatione ultimi, quod in collatione Ordinum fuit primum, infra scripto, vel alio simili modo pronuntiet sive dicat: *Auctoritate Dei omnipotentis Pa-* » *tris, & Filii, & Spiritûs Sancti, ac nostrâ, tibi auferimus* » *habitum Clericalem, & deponimus, degradamus, spoliamus,* » *& exuimus te omni Ordine, Beneficio, & privilegio Cleri-* » *cali.* «

LIX. Hæc degradationis forma extat & in hodierno Pontificali Romano, ubi & additur, quod factâ juxta prædictam formam degradatione, » si fuerit talis casus, quo degradatus tradi debeat Curiæ seculari, Pontifex degradator degradatum » amplius non tangit, sed in hunc modum contra ipsum pronuntiat dicans: *Pronuntiamus, ut hunc exutum omni Ordine, &* » *privilegio Clericali, Curia secularis in suum forum recipiat de-* » *gradatum.* «

LX. Tandem ne ad sanguinis vindictam concurrere videatur, ex præscripto Pontificalis, » tum Pontifex degradator efficaciter, & ex corde, omni instantiâ, pro miserrimo illo derelicto intercedit apud judicem secularem, ut citra mortis » periculum, vel mutilationis, contra degradatum sententia moderetur, dicens: *Domine Judex rogamus vos cum omni affec-* » *tu, quo possumus, ut amore Dei pietatis & misericordiæ in-* » *tuitu, & nostrorum interventu precaminum, misserimo huic* » *nullum mortis vel mutilationis periculum inferatis.*

» Quo facto (ait Pontificale) Ministri Curiæ secularis degradatum sub sua custodia recipiunt & discedunt. «

De præmisa intercessione Pontificis degradatoris pro degradato vide dicta *part.* 2. *tit.* 10. *cap.* 4.

LXI. Ex ipsa Decretali nec non Pontificali Romano constat, solemnem hanc degradationem etiam usitatam fuisse respectu Clericorum primæ Tonsuræ & Minorum Ordinum; quamvis hæc à solo Episcopo sine aliorum assistentia peragi potuerit.

LXII. Testatur quoque Guillielmus Benedicti ad *Cap.* RAYNUTIUS ✠ *de Testam.* verbo ET UXOREM, *num.* 440. suo tempore communem fuisse Canonistarum opinionem, etiam simplicium Clericorum degradationem esse necessariam; sed in Gallia tamen non fuisse receptam, dicens: » Attamen in præsenti Regno, & Curia Franciæ, quoties Clericus *simpliciter Tonsura-* » *tus* de crimine detinetur à seculari potestate, si delictum sit » tale pro quo puniendo Ecclesia non habet de jure quod faciat; ut quia delictum est ita atrox, quod Ecclesia pœnam » pro illo non habet condignam, his casibus per judicem secularem punitur absque alia declaratione seu *degradatione* » per Ecclesiam fiendâ de perditione privilegii, quo est ipso facto privatus, licèt videretur declarationem esse necessariam per » *cap.* CUM SECUNDUM *de Hæreticis, in VI.* & *cap.* SI JUDEX » *de Sentent. Excomm. in VI.* quæ jura hoc casu non servantur in Regno, nec servata fuerunt Ecclesiâ sciente & tolerante. «

Quod de Regno Galliæ testatur Benedicti, hoc, & hîc in Belgio obtinet; ut nimirùm degradatio simplicium Clericorum exoleverit; & ad Clericos *in sacris* constitutos restricta sit.

LXIII. Hinc anno 1561. Edicto Caroli IX. Regis Galliæ declaratum fuit, quòd Presbyteri & promoti *ad sacros* Ordines non sunt afficiendi ultimo supplicio pro commissis criminibus sine prævia *degradatione*, nullâ factâ mentione *simplicium* Clericorum.

LXIV. Sed si recentioribus ac Modernis Galliæ Pragmaticis, & Scriptoribus fides sit, nec hæc Caroli IX. Constitutio hodie in Gallia servatur, asserentibus: Degradationem etiam Presbyterorum de enormi & privilegiato crimine non requiri, eamque in desuetudinem abiisse eo prætextu, quòd Episcopi prætenderent, se non esse simplices Ministros degradationis; sed & judices criminum, seque de crimine cognoscere debere, priusquam ad degradationem procedant; uti latè deducit Loyseau in tractatu *de Ordinibus*, *cap.* 9. & plures citat Carolus Fevretius de Abusu *lib.* 8. *cap.* 4. qui postquam dixit, duplicem

cem de jure esse Clericorum depositionem, una verbalem, aliam actualem, adhibitis solemnibus ceremoniis in Pontificali præscriptis, subjicit: at hoc impræsentiarum non observatur, creditur que, esse sufficienter degradatos per atrocitatem criminis, quod commisserunt. (x)

LXV. In Belgio tametsi rara admodum sit hæc cæremonialis, & solemnis, ac publica Sacerdotum, aut aliorum *in sacris* constitutorum degradatio, nihilominùs in desuetudinem non abiit; diciturque & XVII. seculo ab Archiepiscopo Mechliniensi Jacobo Boone adhuc facta: neque hactenùs scimus, ullum *in sacris* constitutum pœna corporali per Judices laicos punitum sine prævia degradatione.

SUPPLEMENTUM

AD CAPUT I.

1 *Pœnæ pecuniariæ à Judicibus Ecclesiasticis primitùs non imponebantur.*
2 *Sensus Canonis Concilii Carthaginensis circa pœnas temporales.*
3 *Canonis sensus mutatus, vel potiùs ab Isidoro Mercatore depravatus videtur.*
4 *Canonis hujus mutatio dedit Judicibus Ecclesiasticis occasionem decernendi pœnas civiles.*
5 *Usque ad seculum VIII. pœnæ non imponebantur nisi cum respectu ad forum Pœnitentiale.*
6 *In custodia detinebantur olim Clerici non in publicam Criminum vindictam, sed per modum Pœnitentiæ.*
7 *Judici Ecclesiastico olim non licuit decernere pœnas, quibus reus ad suum crimen confitendum adigeretur.*
8 *Nec hodierna Jurisprudentia licet.*
9 *Pœna pecuniaria à Judice Ecclesiastico inflicta sub nomine eleemosynæ exprimi solet.*
10 *Hic enim Judex usum istius pecuniæ exprimere in sua sententia tenetur.*

* I. SUperiori capite observatum est, primis seculis morem non fuisse, ut Episcopi Clericis, seu Laicis criminum licèt atrocium reis pœnas etiam pecuniarias per modum pœnæ, sive in vindictam ipsorum criminum imponerent; eò quod vindictam criminum per pœnas sive pecuniarias, sive corporales scirent pertinere ad jus *gladii*; huncque non Ecclesiæ, sive Prælatis Ecclesiasticis, sed Principibus, eorumque Magistratibus à Deo datum.

Et sanè Episcopis eâ ætate persuasum fuisse, sibi fas non esse pœnas pecuniarias, aliasve civiles Clericis in vindictam criminum, aût coercitionem suâ auctoritate imponere, indicârunt Patres Africani, ubi in Concilio Carthaginensi an. 401. decreverunt: & illud *petendum, ut statuere dignentur* (Imperatores) *ut si quis cujuslibet honoris Clericus judicio Episcoporum quocunque crimine fuerit damnatus, non liceat eum, sive ab Ecclesiis, quibus præfuit, sive à quolibet homine defensari interpositâ pœnâ damni*, PECUNIÆ, *atque honoris, quo, nec ætatem, nec sexum excusandum esse præcipiant.*

II. Ad hunc Canonem rectè notat Zonaras » Nequaquam » hoc Canone prohiberi Clericis appellare à sententia Episcoporum, si se gravatos existiment; sed duntaxat postulandum ab Imperatoribus, ne justa sententia Episcoporum lata » contra Clericum per quemquam vi, aut armis impediatur. Ut » igitur id nec ab Ecclesiis, id est, Ecclesiasticis viris, aut » aliis quibuscunque attentetur petendum, censent ab Imperatoribus: ne liceat eum ab Ecclesiis, quibus præfuit defensari *interposita pœna damni, pecuniæ, atque honoris.*«

Quapropter ad hoc Decretum reflectens Petrus de Marca in opusculo de Veter. Collect. Canonum non sine fundamento monet: » Lex petenda erat ob *civilem* pœnam, quæ ab Ecclesia infligi non poterat, sed tantùm *canonica.*«

III. Præterea notat ibidem De Marca collectori illius farraginis, quæ sub nomine Concilii Carthaginensis V. extat » visum fuisse ut Canonem istum secundum in sua collectione » locaret *constituendo* Synodi *auctoritate*, quod postulandum » erat à Principibus, & *illud statuendum*, (inquit) & cætera » subjungit.«

Hæc rectè à viro erudito notata: sed illud mirum à viro hîc non fuisse agnitam collectionis hujus corruptricem manum, nec fœtidas Pseudo-Isidori merces subodorâsse.

Interim & illud non immeritò monuit De Marca ex hac Canonis mutatione seu potiùs corruptione factum, » ut plures me» diæ ætatis Pontificum constitutiones damno honoris, & privatione dignitatum afficiendos jubeant, qui suis Decretis re» luctati fuerint.«

IV. Neque dubium, quin hic Canon ita conceptus dederit occasionem Judicibus Ecclesiasticis imponendi quoque pœnas *pecuniarias*, & civiles, præsertim postquam in Decretum Gratiani per modum absoluti Canonis, & à *Concilio Carthaginensi V. editi relatus fuit Caus.* 21. *quæst.* 5. *Can.* 3.

V. Et sanè ante evulgatam, & receptam Isidorianam Collectionem Ecclesiam nec pœnis pecuniariis, nec corporis afflictivis in vindictam criminum, aut adversus suorum Decretorum violatores usam fuisse legimus: imò usque ad seculum VIII. nonnisi per modum pœnitentiæ cum respectu ad forum pœnitentiale, quasi in modum eleemosynæ, aut pœnitentiæ pœnas imposuisse, constat ex Epistola Gregorii II. ad Leonem Isaurum Imperatorem, in qua scribit: » Vides Imperator, Pontificum & » Imperatorum discrimen? Si quispiam te offenderit, domum » ejus publicas, & spolias, solam illi vitam relinquens, tandemque illum etiam, vel suspendio necas, vel capite truncas vel » relegas, eumque à liberis & ab omnibus cognatis & amicis suis » amandas. Pontifices, non ita. Sed ubi peccârit quis & confessus fuerit, suspendii, vel amputationis capitis loco Evangelium » & crucem cervicibus ejus circumponunt, eumque tanquam in » carcerem in secretaria, sacrorumque vasorum æraria conji» ciunt, in Ecclesiæ Diaconia, & in Cathecumina ablegant, ac » visceribus ejus jejunium, oculisque vigilias, & laudationem » ori ejus inducunt. Cumque probè castigarint, probeque fame » afflixerint, tum pretiosum illi Domini corpus impertiunt, & » sancto illum sanguine potant, & cùm illum vas electionis res» tituerint, ac immunem peccati, sic ad Dominum purum, in» sontemque trasmittunt.« Habetur hæc Epistola tom. 7. Concil. General. col. 26.

VI. Quod in hac Epistola scribit Gregorius, criminosos ad agendam pœnitentiam conjici in secretaria, sacrorumque vasorum æraria, aliaque loca, non absimile est retrusioni in Monasteria, cujus etiam in antiquis Canonibus & Pontificum Decretis mentio occurrit. Hæc enim in Monasteria retrusiones eâ ætate non imponebantur in vindictam publicam criminum, nec in vicem incarcerationis sed per modum pœnitentiæ. Monasteria enim erant loca pœnitentium, & ad pœnitentiam salutarem agendam opportuna, & destinata; neque alium in finem Clerici, aut Laici ad Monasteria relegebantur, nisi quòd ea loca utpote à mundi tumultibus separata, opportuniora reputarentur ad agendam convenientem pœnitentiam: tametsi labentibus seculis hæc in Monasteria retrusio in vicem incarcerationis ad vindictam publicam criminum imponi cœperunt.

VII. Altera occurrit difficultas, an Judex Ecclesiasticus possit tormenta decernere, quibus reus ad suum crimen confitendum compellatur? Usus reos tormentis addicendi Ecclesiæ ignotus erat XI. & XII. seculo; id enim constat Hildeberto Cenomanensi Episcopo: quænam Ecclesiæ mens sua ætate extiterit in pœnis statuendis exponit in sua Epistola 30. » Reos in» quit, tormentis afficere, vel suppliciis extorquere confesio» nem, censura Curiæ est, non Ecclesiæ disciplina: Ecclesia » non est carnifex, sed sacrifex; & pro reis immolat, reos au» tem immolare non solet.« *Tom.* 21. *Bibliothec. Patrum. pag.* 128.

VIII. Id quoque censet Ducasse Officialis Condomensis in suo Tractatu *de Jurisdict. Eccles. cap.* 12. simulque hodiernam disciplinam in pœnis decernendis ab Ecclesiasticis Judicibus observandam exhibet.

Quamvis Senatus Parisiensis nunquam abusivas declaraverit Sententias, quibus Galli Officiales decreverunt tormentis probatoriis adigendum esse Clericum, ut suum crimen fateretur, videtur tamen expedire, ut tales Sententias nunquam pronuntient. Atque, ni fallor, id concludi potest ex Edicto, quod mense Augusto 1670. dedit Ludovicus XIV. Galliarum Rex his verbis: *S' il y a preuve considerable contr l' accusè d' un crime, qui merite peine de mort, & qui soit constant, tous Juges pourront ordonner qu' il sera appliquè à la question, ou cas que la preuve ne soit pas souffisante.* Id est: » Si probatio gravis existat adversus hominem crimine capitali accusatum, Judex quilibet » decernere poterit accusatum tormentis esse addicendum, si » probatio non sit sufficiens ad eum convincendum. Porrò Or» do judiciarius postulat, ut tormenta probatoria ab eo statuantur » Judice, qui capitis damnare potest; sed Judex Ecclesiasti» cus non potest capitis damnare: quapropter nec habet facultatem decernendi tormenta probatoria.« (y)

IX. Idem Auctor *column.* 1241. 1242. &c. discutit pœnas, quas reis possunt vel nequeunt imponere Judices Ecclesiastici. Observat autem post Du-Casse eruditum Officialem, quod ubi agi-

(x) *In Gallia initio XVII. seculi mos degradandi Clericos in sacris Ordinibus constitutos adhuc observatur; id constat exemplis, quæ tom. 7. novorum Cleri Gallicani Collectaneorum referuntur, col.* 1317. *Tandem recusantibus Episcopis degradare Clericos, quos Judices capitis damnaverant, usus degradationis interiit. Ibid. col.* 1318. *&c.*

(y) *Uterque numerus VII. & VIII. desumptus est ex Epistola, quam D. Van Espen ann.* 1726. *scripsit mense Julio ad D.... Officialem Cameracensem.*

agitur de pœnis pecuniariis Judices Ecclesiastici non soleant in ea, quam ferunt, sententia exprimere mulctam pecuniariam sub nomine pœnæ, sed sub nomine *eleemosynæ* in pauperes, vel locum religiosum, vel aliud pium opus impendendæ.

X. Notat insuper Du-Casse in suo Tractatu *de Jurisd. Eccles. tit. 2. cap.* 12. quòd Judex Ecclesiasticus idcirco non possit aliquem condemnare in mulctam pecuniariam sine expressione usûs, in quem sit expendenda, quia Episcopus sive Ecclesia *Fiscum* non habet, quemadmodum Principes seculares suum habent, in quem pœnæ pecuniariæ per Magistratus Regios inflictæ referuntur: & ideò Judices Regni possunt similes pœnas infligere, quæ ipso facto censeantur Fisco Regio applicatæ.

CAPUT II.

De Censuris in Generali.

1 *Veteres non tam strictè & præcisè de censuris locuti sunt, sicut Recentiores.*
2 *Probari non potest, veteribus tantùm fuisse* tres *species censuræ.*
3 *Non tantùm hodierna, sed & antiqua loquendi phrasis in hac materia ad intelligentiam Canonum necessaria.*
4 *Juxta modernam disciplinam tantùm computantur* tres *species censuræ.*
5 *Degradatio, depositio, similesque pœnæ Canonicæ hodie non dicuntur censuræ.*
6 *Hinc censuræ descriptio ita circumscribenda, ut prædicta excludantur; quod difficile esse agnoscunt Scholastici.*
7 *Traditur definitio censuræ hodie communis.*
8 *Non ex Canonibus, sed ex traditis communiter à Scholasticis confecta apparet.*
9 *Auctoritas ferendi censuras dependet ab auctoritate* Clavium.
10 *Hinc mulieribus competere nequit.*
11 *Obstat* Cap. 12. ✠ de Majoritate & Obedientia.
12 *Communis solutio Canonistarum.*
13 *Meritò dubitatur, num hæc solutio sensui & menti Decretalis conveniat.*
14 *Olim dependebat auctoritas ferendi censuras à potestate* Clavium, *quæ etiam spectabat forum pœnitentiale.*
15 *Neque olim sejuncta fuit potestas Ordinis & jurisdictionis.*
16 *Postquam invaluit distinctio jurisdictionis fori externi & interni, auctoritas ferendi censuras illi attributa fuit.*
17 *Hinc invaluit, nomini fas esse ferre censuras, nisi habeat, jurisdictionem in foro externo.*
18 *Auctoritas ferendi censuras refertur ad ea, quæ sunt jurisdictionis, & non Ordinis, competentia Episcopo confirmato nondum consecrato.*
19 *Hæc & Clericis primæ Tonsuræ competere possunt.*
20 *Unde & his potest esse auctoritas infligendi censuras.*
21 *Potest hæc auctoritas acquiri præscriptione & consuetudine.*
22 *Non potest ferri nisi in subditos.*
23 *Regulares tamen quamvis exempti tenentur observare censuras ab Episcopis latas.*
24 *Plura de Censuris, remissivè.*

I. SI Morino credimus *lib. 6. de Sacram. Pœnit. cap. 25. num.* 12. » Ars illa strictè præciseque & secundum formalitates logicas de Censuris Ecclesiasticis loquendi & philosophandi per undecim & amplius secula Ecclesiasticis auctoribus cognita non fuit. Ut enim (ait) præteream Burchardum Wormatiensem Episcopum, & Ivonem Carnotens. Canonistarum suo tempore Coryphæos, in quorum Collectionibus nihil ejusmodi deprehenditur; Hugonem Victorinum his posteriorem tot scriptis celebrem, in quibus tamen nihil ejusmodi agitur: Lombardus & Gratianus ... ille Theologorum, hic Canonistarum, qui annis post Ivonem quinquaginta, & seculo duodecimo in decimum tertium jam inclinante per orbem Christianum celeberrimi fuerunt, nihil tamen scripserunt, ex quo conjici possit, hunc de Censuris præcisum & artificialem loquendi modum illis fuisse cognitum; imò de Gratiano facilè demonstrari posset, illi fuisse prorsus incognitum, aut tunc velut paucis sic philosophantibus planè præteritum. «

II. Pergit dein Morinus: » Unde enim apud eos colligitur esse tres tantùm Censuras: Depositionem & Degradationem eo nomine non esse censendas: Interdictum censuram esse, non autem cessationem à divinis: Irregularitatem impedimentum esse Canonicum, non Censuram: Censuras ad forum externum pertinere, non ad internum sive Sacramentum Pœnitentiæ: Imò ubi apud eos ipsum Censuræ nomen sit acceptum, & à cæteris pœnis, & impedimentis Ecclesiasticis distinctum? «

III. Tametsi aliter Posteriorum Pontificum Decretales, & has secuti Recentiores Canonistæ & Theologi de censuris loquantur, quàm Veteres per undecim circiter secula locuti sunt: nihilominùs nisi ad veterum de censuris loquelam attendatur, à Canonum & Antiquorum sensu & mente sæpiùs aberrabitur: quapropter hodiernam de censuris disciplinam, & loquendi phrasim ita exponam, ut tamen nec veterem tanquam inutilem & planè abolitam silentio præteream.

IV. Cæterùm secundum modernam Canonistarum & Theologorum sententiam, non nisi *tres* sunt species censuræ Ecclesiasticæ expressæ in *Cap.* 20. ✠ *de V. S.* ubi quærenti, quid per *Censuram* intelligi debeat, dum in litteris Apostolicis inseritur, ut *per censuram* procedatur, respondit Innocentius III. » quòd per eam non solùm *interdicti*, sed & *suspensionis* & » *excommunicationis* sententia valet intelligi.

» Nota (ait hîc Glossa) quod nomine censuræ Ecclesiasticæ » *interdicti*, *suspensionis*, & *excommunicationis* sententia intelligitur. «

V. Glossam secuti Canonistæ & Theologi Scholastici uno consensu asserunt præter has *tres* species, nullam esse Ecclesiasticam censuram: ac per consequens depositionem, degradationem, irregularitatem, aliasque pœnas Ecclesiasticas, aut impedimenta Canonica, non esse species censuræ, nec nomine censuræ venire.

VI. Censura igitur definienda est, & ita circumscribenda, ut tres illas species comprehendat, & reliqua jam relata excludantur; quod difficile esse agnoscunt passim Canonistæ & Theologi Scholastici; ut propterea nec in Censuræ descriptione conveniant; uti videre est apud Suarezium de *Censuris, disp.* 1. *sect.* 1.

VII. Ipse autem, rejectis nonnullorum descriptionibus, eam definit: » Pœna spiritualis & medicinalis privans usu alicujus spiritualium bonorum, per Ecclesiasticam potestatem ita imposita, ut per eandem ordinariè absolvi possit. « Suarezium secutus Vallensis *tit. de Sent. Excommunicat.* §. 1. *num.* 2. eandem definitionem allegat, & alii passim recentiores.

VIII. Si quis & hanc descriptionem criticè examinare vellet, dubito, num & eam non in multis defectuosam reperiret; equidem hoc sat certum est, hanc definitionem apud Antiquos haud reperiri, nec Veterum de Censuris phrasi & disciplinæ aptatam; sed potiùs accommodatam iis, quæ post Glossas & Decretalium Interpretes Scholastici passim de Censuris tradiderunt, & in Scholis recepta erant, quemadmodum, & ipse Suarezius fatetur, dicens: » Hæc descriptio desumpta est ex „ iis, quæ jura & Doctores communiter de censuris tradunt: » ab his enim sumenda est definitio & essentia talium rerum mo„ ralium, quæ ex arbitrio hominum pendent. «

IX. Hoc omnium Canonistarum & Theologorum consensu receptum hodie est, potestatem ferendi censuras dependere à potestate *Clavium*: ac per consequens, nulli posse competere auctoritatem ferendi censuras, nisi habenti usum *Clavium*.

X. Hinc ulteriùs concludunt, fœminis quantumvis in dignitate constitutis, non esse jus ferendi censuras: quia potestatis *Clavium* incapaces sunt; uti docent Doctores ad *Cap.* 10. ✠ *de Pœnitent. Remiss.* ubi inter alia rescribit Innocentius III. » Licèt Beatissima Virgo Maria dignior & excellentior fuerit » Apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus *Claves* Regni Cœlorum commisit. «

XI. Dicitur in *Cap.* 12. ✠ *de Majorit. & Obedient.* quòd quædam » Abbatissa plerumque Canonicas suas, & Clericos » suæ jurisdictioni subjectos propter inobedientias & culpas eorum *officio Beneficioque suspendat*: « Mandatque ibidem Pontifex Abbati S. Michaëlis Abradensis Diœcesis, » quatenus » dictas Canonicas & Clericos, ut Abbatissæ præfatæ obedientiam, & reverentiam debitam impendentes, ejus salubria » monita & mandata observent, Ecclesiastica censurâ com» pellat. «

Hîc apparet, Pontificem agnoscere auctoritatem in Abbatissa *suspendendi* Clericos *ab officio & beneficio*: quandoquidem ad observantiam *suspensionis* cogendos dicat Clericos & Canonicas, qui ideò obedire renuebant, *quòd eadem Abbatissa excommunicare eos non posset*, uti in ipsa Decretali asseritur. Itaque videtur, Pontificem, vel suspensionem illam non habuisse pro *Censura*, vel putâsse, dictæ Abbatissæ posse competere auctoritatem ferendi *Censuras*.

XII. Verum ut hanc difficultatem evadant moderni Decretalium Glossatores, & Doctores Scholastici, & Decretalem hanc cum communi de Censuris opinione concilient, dicunt illam suspensionem non censuram, sed *prohibitionem* quandam, vel privationem, quæ latè loquendo *suspensio* vocari potest; uti loquitur Suarezius *de Censuris, Disputat.* 2. *sect.* 3. *num.* 6. infertque: » Tantum ergo illud erat quoddam » mandatum, quod per mulierem interdum fieri potest. Unde » (quod notandum est) Pontifex ibi non respondet (pergit Suarezius) servari debere *Censuram* ab Abbatissa latam, sed » præceptum & mandatum ejus: & cuidam Abbati injungit, » ut, si subditi illius Abbatissæ obedire noluerint, eos per » censuras obedire compellat: indicans suspensionem Abbatis-

» sæ

» sæ non fuisse censuram, sed simplicem prohibitionem, seu » mandatum. «

XIII. An hæc explanatio verbis & menti Decretalis satis quadret, nescio : illud sat constat, suspensionem antiquitùs non æquè ac hodie censuris à potestate clavium dependentibus fuisse annumeratam ; neque eam inter suspensionem ut est censura, & quatenus est *præceptum* aut *mandatum*, distinctionem sive subtilitatem notatam fuisse.

XIV. Adhæc licèt auctoritas ferendi censuras semper dependerit à potestate *Clavium*, nequaquam erat sejuncta à potestate *Clavium*, quæ spectat forum *pœnitentiale* internum. Nam uti capite præcedenti, & *tit.* 4. *cap.* 1. notatum fuit, forum internum sive Pœnitentiale multis seculis à foro externo sive contentioso separatum non erat ; ideoque illis seculis auctoritas ferendi censuras spectabat quidem ad *Clavium* potestatem; sed quæ sejuncta non erat ab ea, quæ per Claves exercetur in foro *Pœnitentiali*.

XV. Ignota etiam & tunc erat distinctio inter Jurisdictionem fori interni seu Pœnitentialis, & Jurisdictionem contentiosam sive fori externi : sicut & illa, quæ hodie usitatissima est distinctio potestatis *Ordinis*, quæ magis forum *internum* ; & potestatis *jurisdictionis*, quæ magis ad forum *externum*, & contentiosum refertur, planè erat incognita.

XVI. Postquam autem distinctio fori *interni*, & fori *externi*, unà cum distinctione potestatis *Ordinis & Jurisdictionis* invaluit : auctoritas ferendi censuras ad forum externum & Potestatem *jurisdictionis* referri cœpit ; & à potestate, quæ per Claves exercetur in foro *Pœnitentiali*, & spectat ad potestatem Ordinis, totaliter separari.

XVII. Hinc communi Doctorum calculo hodie probatum est, neminem posse ferre censuram virtute Clavium nisi qui *Jurisdictionem* (z) habeat in foro *externo* : nec sufficiat, quòd habeat usum *Clavium* in foro *Pœnitentiali* absolvendi, & retinendi peccata.

XVIII. Ulteriùs, cùm potestas censuras ferendi spectet ad ea, quæ *jurisdictionis*, & non quæ *Ordinis* sunt ; consectarium est eam & competere Episcopo confirmato, & non ordinato : quia huic competunt omnia, quæ jurisdictionis sunt, uti ostendimus *part.* 1. *tit.* 14. *cap.* 5. Unde notat Suarezius loco citato *sect.* 2. *num.* 6. quòd Episcopus Ordinatus destitutus proprio Episcopatu, puta, *titularis*, non possit ferre censuras: » quia (ait) hæc potestas non comitatur necessariò potestatem » Ordinis, seu consecrationis Episcopalis, sed comitatur Pas» torale munus, cùm ad potestatem *jurisdictionis* spectet. «

XIX. Præterea quæ jurisdictionis contentiosæ sunt, & referuntur ad potestatem Clavium, prout hæc in foro externo exercetur, etiam Clericis primæ Tonsuræ competere posse crediderunt Canonistæ, atque ita communi praxi comprobatum est.

XX. Hinc & concludunt à simili Clerico primæ Tonsuræ ferri posse Censuras vi jurisdictionis sibi competentis ; uti monet Suarezius ibidem *Sect.* 3. *num.* 11. » Ratio est (ait) quia » hæc jurisdictio per se & natura sua non supponit characterem, » cùm ad forum contentiosum pertineat. «

XXI. Addunt, & hanc potestatem, quemadmodum reliqua, quæ jurisdictionis sunt, posse acquiri consuetudine, & præscriptione : creduntque communiter Canonistæ, Plebanum, de quo in *Cap.* 3. ✠ *de Officio Ordinarii*, ex speciali consuetudine, aut præscriptione potestatem ferendi censuras habuisse.

XXII. Denique cum jurisdictio alicujus non se extendat ultra ejus territorium ejusve subditos, neque ipsa censura ab hac jurisdictione emanans potest se ultra subditos extendere : ideoque censura lata in non subditum, nulla & irrita est defectu jurisdictionis.

XXIII. Sed ne prætextu exemptionis à jurisdictione Episcoporum Censuræ Episcopales à Regularibus contemnerentur, atque ita earum vilesceret auctoritas ; statuit Synodus Trident. *Sess.* 25. *cap.* 12. *de Regularibus.* » Censuræ & interdicta ne» dum à Sede Apostolica emanata, sed etiam ab Ordinariis pro» mulgata, mandante Episcopo, à Regularibus in eorum Ec» clesiis publicentur atque serventur. «

XXIV. De Censuris à jure, & ab homine latis ; item *latæ*, & *ferendæ* sententiæ ; de forma & conditionibus in probatione censurarum observandis ; quæ causa requiratur, quis item earum effectus, & quomodo solvi queant, notabitur in singularum Censurarum, præsertim excommunicationis expositione.

(z) *In Hispania solùm Jurisdictionem Ecclesiasticam habentes Censuris uti possunt, L.* 1. *& 2. tit.* 3. *lib.* 1. *Recopil. dummodo pro rebus Ecclesiasticis tantùm eis utantur, L.* 2. *tit.* 5. *lib.* 1. *pro profanis verò non posse, ajunt L.* 8. *tit.* 3. *& L.* 5. *tit.* 8. *lib.* 1. *licèt aliquo modo ut Ecclesiasticæ res*

CAPUT III.

De variis Excommunicationis Speciebus.

1 *Nonnullæ excommunicationis species Veteribus usitatæ, Recentioribus incognitæ ; & è contra.*
2 *Tam illarum, quàm harum notitia necessaria.*
3 *Species excommunicationis olim usitata rationem* pœnæ *potiùs, quàm* censuræ *habens.*
4 *Hujus excommunicationis exemplum in Episcopo sine causa absente à Synodo Provinciali.*
5 *Qua ratione hæc pœna dici queat excommunicatio.*
6 *Non tamen excommunicatio, quæ sit censura.*
7 *Species excommunicationis, qua Ecclesiæ se mutuò excommunicant, & à mutua communione recedunt.*
8 *Communio mutua Ecclesiarum noscebatur ex litterarum* Formatarum *commercio.*
9 *Hæ litteræ certâ* forma *conceptæ, erant symbola mutuæ communionis.*
10 *Probatur auctoritate S. Augustini, & Synodi Antiochenæ.*
11 *Admissio Fidelium ad mutuas Ecclesias in Divinis erat evidens communionis argumentum.*
12 *Recedebant à mutua communione, prædicta communionis argumenta sibi mutuò negando.*
13 *Hæc Ecclesiarum mutua separatio non erat propriè censura : nec fiebat auctoritate* Clavium.
14 *Probatur exemplo S. Epiphanii subtrahentis se à communione Joannis Hierosolymitani.*
15 *Hac ratione quisque privatus se à communione alterius subtrahere potest.*
16 *Sic & olim Plebs à sui Pastoris, aut Episcopi communione se subtrahebat.*
17 *Ob abusus id vetitum per Synodum VIII. Œcumenicam.*
18 *Hæ separationes licèt non essent propriè species* censuræ; *tamen à Veteribus* excommunicationes *dicebantur.*
19 *Excommunicatio vulgò* minor *qualis sit ?*
20 *Non videtur Veteribus ante seculum XIII. nota fuisse.*
21 *Hodie passim obsoleta est.*
22 *Antiquitùs quatuor gradus pœnitentiæ totidem excommunicationes* minores *dictæ fuêre.*
23 *Id & nonnulli Scholastici notárunt.*
24 *Nisi hoc observetur, sæpiùs à sensu Canonum aberrabitur.*
25 *Excommunicatio, quâ Pœnitentes segregabantur, comparata ad propriè dictam excommunicationem, meritò dicta* minor.
26 *Assignatur distinctio utriusque.*
27 *Una dicta* medicinalis, *& altera* mortalis *ab Augustino.*
28 *Medicinalis excommunicationis vix meminere Recentiores; & hodie excommunicatio sumitur pro* majore.
29 *Hodie vix alia sub nomine excommunicationis nota est.*

I. VAriæ sunt excommunicationis species, quarum quædam primitùs multùm usitatæ ac notæ fuerunt : hodie verò parum cognitæ & minùs adhuc usitatæ. Aliæ verò olim omninò aut penè ignotæ, posterioribus verò seculis frequentissimæ & novissimæ.

II. Ne autem ob ignorantiam earum, quæ veteribus *excommunicationis* dicebantur, à Canonum & Patrum sensu aberremus, non tantùm species excommunicationis hodie pervulgatas, sed Patrum ætate frequentatas proponemus, & naturam earum paucis explanabimus ; ut dum in Sacris Canonibus, aut Patrum monumentis de excommunicatione agitur, non arbitremur eam semper accipiendam esse juxta phrasim, & acceptionem excommunicationis apud modernos Canonistas, & Theologos Scholasticos usitatam ; atque hinc in gravissimos errores incidi nonnunquam contingat.

III. Prima itaque species excommunicationis Antiquis usitatissima, est illa, quæ non propriè rationem *censuræ*, sed *pœnæ* cujusdam duntaxat habet.

IV. Excommunicationis hujus exemplum occurrit in Episcopo sine justa causa non accedente ad Synodum Provincialem. Hunc enim Synodus Cartaginensis V. *Can.* 10. jubet *Ecclesiæ suæ communione esse contentum.* Et Synodus Arelatensis Canone 19. *alienum* facit à Fratrum communione. Denique Synodus Tarraconensis *Can.* 6. » usque ad futurum Concilium cunc» torum Episcoporum charitatis communione privat ; sicut *Sta» tuta Patrum* (ait) sanxerunt. «

V. Quin hæc communionis privatio dici queat quædam *excon-*

considerare possent, L. 3. *tit.* 10. *lib.* 1. *ejusd. Recopil. attamen eis modicè semper est utendum, & solum quando alia juris remedia non sufficiunt ; ut ultimò constitutum fuit in Concordato inter S. Sedem, Regemque nostrum Catholicum an.* 1737. *celebrato, art.* 10.

communicatio, dubitari nequit. Cùm enim hîc Episcopus jubeatur esse contentus communione suæ Ecclesiæ, ac insuper privetur *aliarum Ecclesiarum*, *& Coepiscoporum communione*, censetur respectu illarum Ecclesiarum esse *excommunicatus*. Et quidem hæc excommunicatio quatuor capita complectebatur, quæ videri possunt apud virum eruditum Paschasium Quesnellium in notis ad *Epist.* 60. S. Leonis, & apud Morinum ibidem citatum.

VI. Verùm quia hujusmodi privatio communionis permittit Episcopo excommunicato liberam suæ Ecclesiæ, & plebis communionem; nec non passivam, & activam Sacramentorum administrationem, hæc excommunicatio propriè dici non potest excommunicatio, quæ vulgò dicitur *censura* Ecclesiastica; sed *pœna* quædam *Canonica*, quemadmodum in terminis notat Stephanus Quaranta in *Summa Bullarii*, verbo *Concilio Provinciali*, *quæstione* 18. » & ideò (ait) trina monitio in ea non re» quiritur, secùs in excommunicatione, quæ est censura Eccle» siastica. « Unà ibidem monens, ad inferendam *pœnam suspensionis* non requiri monitionem, quando profertur *ut pœna*; quando autem *ut censura*, trinam monitionem debere præcedere.

VII. Alia species excommunicationis, quæ propiè *censura* Ecclesiastica dici non potest, neque à potestate, aut usu *Clavium* dependet, est illa, quâ Episcopi, aut Ecclesiæ à mutua se communione separant, atque ita una alteram quasi excommunicat. Ut hoc excommunicationis genus facilùs intelligatur, observandum, totius orbis Ecclesias particulares communione inter se junctas esse, atque ex his omnibus veluti unam universalem Ecclesiam coalescere.

VIII. Porrò hæc communio ex duobus potissimum innotescebat. Primò ex litteris *communionis*, quas Episcopi, & Ecclesiæ sibi mutuò mittebant. Ita optatus Milevitanus, ut se suosque cum totius orbis Ecclesiis communione junctos esse demonstraret, dicit se cum Syricio, Episcopo Romano communicare, *cum quo* (inquit) *totus orbis commercio* FORMATARUM *in una communionis societate concordat.*

IX. Quod Optatus litteras vocet *formatas*, significat illas certâ formulâ conceptas fuisse, quas tanquam fidei suæ tesseras, & consensionis suæ symbola, Episcopi sibi mutuò, sed præcipuè ad Romanum Pontificem mittebant.

X. Sic *formatas* appellari testis est S. Augustinus *epist.* 44. Disputans enim cum Fortunio Episcopo Donatistâ asserere conante, *ubique* terrarum esse cum ipsis communionem. » Quæ» rebam (ait Augustinus) utrum epistolas *communicatorias*, quas » *formatas* dicimus, posset, quo vellem, dare, & affirmabam » quod manifestum erat omnibus, hoc modo illam terminari » posse quæstionem. «

Manifestum ergo erat, tempore S. Augustini communionem unius Ecclesiæ cum aliis probari per litteras communicatorias, sive *formatas*, quasi sibi mutuò in signum consensionis & communionis mittebant. Apud Eusebium quoque *lib.* 7. *Hist. Eccles. cap.* 30. refertur Epistola Synodi Antiochenæ ad Dionysium Romanæ Urbis Episcopum, & ad Maximum Alexandrinum, quam ad omnes deinde Provincias transmiserunt, qua significant depositionem Pauli Episcopi Samosateni, & Domini in ejus locum ordinationem. » Quod, quidem (ajunt) idcircò » vobis significavimus, ut ad eum *scribatis*, & ab eo *communi*» *catorias* litteras accipiatis. «

XI. Altera communionis tessera erat, Fidelium ultro citroque ex una ad aliam Ecclesiam commeantium in communionem receptio, modò Episcopi sui litteras commendatitias adferrent; de quibus litteris loquitur *Canon* 33. Apostolorum. Laodicenus *Canon* 41. Antiochenus *Canon* 7. perperam à Gratiano *dist.* 71. *Can.* 9. ad Clericos restrictus, uti in notis ad hunc Canonem annotavimus.

Nullum sanè unionis & communionis mutuæ inter Ecclesias potest esse argumentum evidentius, quàm Fidelium mutua ad communionem & societatem in Divinis & sacris receptio.

XII. His præmisis non difficile erit intelligere, quomodò Ecclesiæ sese mutuò excomunicarent, seu à se mutuò dividerentur. Dum enim Ecclesia aut Episcopus in alterius Ecclesiæ aut Episcopi doctrina vel disciplina perversum quid arbitrabatur, negabat, aut etiam rejiciebat litteras communionis; aut repellebat à communione fideles illius Ecclesiæ, tametsi litteris *commendatitiis* ab Episcopo suo instructi venirent.

XIII. Verùm hæc Ecclesiarum mutua excommunicatio non erat propriè censura Ecclesiastica, qua una Ecclesia aliam potestate *Clavium* ligaret sed nuda communionis subtractio seu denegatio, quam una Ecclesia alteri sibi nullatenus subjectæ facere poterat.

XIV. Ita Epiphanius non nisi Episcopus aut ad summum Archiepiscopus, propriè & auctoritate Clavium excommunicare non potuit Joannem Episcopum Hierosolymitanum ipsi nullo titulo subditum, & tamen ad eum ita scribit *epist.* 60. inter Hieronymianas: » Fecistis nos etiam pœnitentiam agere, quare *vo*» *bis communicaremus*, ita Origenis errores & dogmata defen» dentibus. Simpliciter loquor, nos secundum quod scriptum » est, (a) nec oculo nostro parcimus, ut non effodiamus eum, » si nos scandalizaverit: nec manui, nec pedi, si nobis scanda» lum fecerit, & vos ergo sive oculi nostri, sive manus, sive » pedes fueritis, similia sustinebitis. «

Ex his manifestum est, Epiphanium subtractionem communionis non in potestatem *Clavium*, sed in generale præceptum de vitanda spiritualis damni occasione refundere.

XV. Porrò non tantùm una Ecclesia alteri Ecclesiæ communionem ob simile periculum perversionis aut scandali occasionem negare potest, aut subinde debet; sed & privatus quisque ob idem periculum sibi imminens, alteri communionem meritò negat, juxta illud Apostoli 2. *ad Thesal.* 3. *Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini Jesu Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis.*

Hîc nequaquam *propriè* ab Apostolo excommunicari jubentur Fratres inordinatè ambulantes, sed datur opportunum documentum bonis Fidelibus, ut quando ipsi cognoverint etiam *privatim* aliquem *inordinatè* ambulantem, ab ejus se subtrahant communione seu potiùs conversatione; tum ne ipsius consuetudine corrumpantur; tum etiam ad medelam & confusionem delinquentis; subdit enim vers. 14. *Hunc notate, & ne commisceamini cum illo, ut confundatur.*

XVI. Eodem documento non tantùm Frater à Fratre sibi jam pridem cavit ad monitum Apostoli: sed interdum plebs à suo Pastore. » Sic cùm primùm Nestorius in publica Synaxi » hæresim suam prompsisset his verbis: *Si quis Mariam Dei*» *param esse dixerit, anathema sit*, clamor quidem oritur, & » excursus fit ab *omni plebe*. Neque enim illi ampliùs cùm talia » sentiret, *communicare* volebant; ita ut populus Constanti» nopolitanus à *synaxi abstineret*: « ita scribit S. Cyrilus *epist.* 18. ad Cœlestinum Papam.

XVII. Plurima hujusmodi exempla in antiquitate occurrunt; adeò ut VIII. Synodus Œcumenica animadvertens, sæpè sine causâ contigisse, ut plebs sui Episcopi tanquam de hæresi suspecti, aut scelere aliquo inquinati, & Episcopi suorum Metropolitanorum, & Metropolitani sui Patriarchæ communionem facilè vetarent, & abrumperent, coacta sit edere *Canone* 10. » Nullus Clericus ante diligentem examinationem & » *Synodicam* sententiam à communione proprii Patriarchæ non » se separet, licèt criminalem quamlibet causam ejus se nosse » prætendat: nec recuset nomen ipsius referre inter Divina » Mysteria. Idem statuimus de Episcopis erga proprios Metro» politas; similiter & de Metropolitis circa Patriarcham suum. » Qui verò contra fecerit, ab omni Sacerdotali operatione & » honore decidat. «

XVIII. Hæc ergo similesve à communione separationes nequaquam erant species censuræ Ecclesiasticæ, prout hæc à potestate *Clavium* procedit, & non nisi in subditos evibrari potest; neque propriè dicta excommunicatio, quæ non tantùm *aliquorum* communione privat; sed rescindit à totius Ecclesiæ communione excommunicatum tanquam Ethnicum & Publicanum, uti infra ostendetur: tamen à Veteribus excommunicationes dicebantur: agnoscebantque in citatis verbis Apostoli ad Thessalonicenses *excommunicationem*, uti notat Estius ad Textum Apostoli.

XIX. Est & quædam species excommunicationis apud Scholasticos, & Canonistas recentiores notissima, licèt hodie vix usitata, & veteribus planè incognita, quæ sola tamen hodie dicitur *excommunicatio minor.*

Hæc ex comuni Theologorum, & Canonistarum sententia incurritur propter communicationem cum innodato *majore* excommunicatione *extra crimen*, propter quod excommunicari meruit; privatque solummodo passivà Sacramentorum perceptione: quemadmodum dicitur in *Cap. fin.* ✠ *de Clerico excommunicato minist.* & *Cap. penult.* ✠ *de Sentent. excom.*

XX. Utriusque hujus Decretalis Auctor inscribitur Gregor. IX. nec scio num antiquiora aut alia occurrant in Jure nostro Decreta hujus excommunicationis mentionem facientia; quod & Glossa non obscurè innuit, dum ad citatum *cap. fin.* notat, quòd » hæc Decretalis quoad suam materiam sit cele» brior & famosior quâlibet aliâ. Nam infinita jura sunt loquen» tia de excommunicatione *majore*, quæ infertur ab homine; » sed de minore, quæ infertur à Jure sunt jura *paucissima*, & » apertè non providentia sicut hoc Capitulum. «

Fatetur & Christianus Lupus *tomo.* 1. *Scholiorum in Canones*, *pag.* 491. » Antiquitùs nulla erat excommunicatio *minor*; » sed quivis excommunicato communicans incurrebat idem pe» nitùs excommunicationis vinculum, quomodo nunc commu» nicans in crimine. « De hoc effectu excommunicationis dicemus infra.

XIX. Hanc speciem excommunicationis circa seculum XIII. for-

(a) *Matth. cap.* 5.

forsan inductam à multis annis prope obsoletam esse notavit Morinus *de Administratione Sacramenti Pœnitentiæ lib. 6. cap. 25. num. 13.*

XXII. Monet nihilominus ibidem Morinus *minoris* excommunicationis species quatuor, sive gradus apud Antiquos fuisse frequentissimos.

Prima quidem à sola Eucharistiæ participatione excomunicabat, sive interdicebat.

Secunda priore gravior, ab Eucharistia & precibus Eucharisticis sive Fidelium arcebat.

Tertia addebat expulsionem sive excommunicationem à precibus super Cathecumenos, & Pœnitentes substratos factis.

Quarta denique ab omni Ecclesiæ ingressu eos excommunicabat.

Has quatuor excommunicationis species, seu pœnitentiæ gradus latiùs explicuimus *part. 2. tit. 6. cap. 3.*

XXIII. Quamvis hæ à communione separationes *hodie* nomine *excommunicationis* non veniant; certum tamen est olim etiam appellatas esse *excommunicationes*: fateturque Suarezius *de Censuris disput. 24. sect. 1. num. 6.* »interdum vocari *excommunicationem* in *antiquis* Canonibus solam privationem »Eucharistiæ, cujus usus per antonomasiam dicitur *communio*: « quomodo accipi videtur (ait Suarezius) illa vox in *Canone.* NEMO, *Caus. 11. q. 3.* & in *Can.* DE PRESBYTERORUM, *Caus. 17. q. 4.*

Monet quoque ex Victoria, prædictos quatuor pœnitentiæ gradus, sive à communione separationes olim potuisse vocari *minores* excommunicationes: additque: »Sic etiam in Regula »S. Benedicti multa leguntur de excommunicationibus Regula»ribus (ut ita dicam) quæ in pœnam Monachis imponebantur, »quæ censuræ non erant, sed prohibitiones, & separationes »quædam. « De his egimus *part. 1. tit. 31. cap. 3.*

XXIV. Hinc patet, quàm procul sæpiùs à sensu & mente Canonum aberrare contingat eos, qui nulla habita phrasis, qua Veteres vocem *excommunicationis* sumebant, consideratione, credunt, omnibus locis, quibus vox *excommunicationis* occurrit, eam juxta modernam vocis hujus significationem esse accipiendam.

XXV. Equidem illud certum est, quatuor prædictas excommunicationis species, etiam earum quartam omnium gravissimam, quâ pœnitentes non tantùm ab Eucharistica communione, sed à publicis Fidelium conventibus & communione arcebantur, non fuisse nisi *minorem* excommunicationem, factâ comparatione ad excommunicationem, quæ hodie *major* dicitur, & olim *anathema* vocari solebat.

XXVI. Per priorem enim Pœnitentes nequaquam *à corpore Ecclesiæ* rescindebantur; sed in corpore Ecclesiæ remanentes, etiam Fidelium & Ecclesiæ precibus & suffragiis juvabantur. Quin & pro ipsis, tanquam pro filiis & membris suis, Ecclesia plurimùm solicita erat; volebatque, ut Episcopi & Sacerdotes eorum curam solicitam agerent, quemadmodum ostendimus *parte 2. tit. 6. cap. 3.* Hos à communione & societate Fidelium duntaxat pro tempore aliquo ad vulnerum medelam, scandali dati reparationem, & populi ædificationem removebat. Utque ostenderet non omninò tanquam membra putrida & mortua à corpore suo esse abscissos, si tempore pœnitentiæ nondum exacto, nec reconciliatione obtenta, eos mori contigisset, *oblationes* ipsorum in signum communionis recipiebantur. Vide Gabrielem Albaspinæum Episcopum Aurelianensem *lib. 2. Observat. cap. 4.*

Excommunicati verò excommunicatione, quæ hodie dicitur *major*, à corpore Ecclesiæ tanquam *Ethnici & Publicani* rescindebantur; & ut tales quodammodo reputabantur: unde nec eorum in publicis precibus aut suffragiis ratio habebatur, saltem tanquam membrorum Ecclesiæ; & si in ea excomunicatione è vivis decessissent, oblationes ipsorum rejiciebantur, in signum quod Ecclesia nullam cum ipsis communionem fovisset, nec post mortem tanquam sui Corporis membra eos agnoscere vellet.

XXVII. Hinc prior excommunicatio, quâ Pœnitentes à communione removebantur, dicebatur excommunicatio *medicinalis*; hæc verò quâ rebelles & scelerati ac obdurati absolutè à Corpore Ecclesiæ rescindebantur, vocabatur excommunicatio *mortalis.*

Utriusque hujus excommunicationis sæpiùs meminit sub nomine *medicinalis & mortalis* S. Augustinus, ac signater *libro 50. Homiliarum, Homiliâ ult.* hæc habet: »Nos verò quenquam »à communione cohibere non possumus, quamvis hæc prohi»bitio nondum *mortalis* sit, sed *medicinalis*, sed nisi aut sponte »confessum, aut in æquo sive seculari, sive Ecclesiastico judi»cio nominatum atque convictum. « Et *in lib.* post collationem contra Donatistas ait: »Neque à populo Dei separamus »quos, vel degradando, vel excommunicando, ad humiliorem »pœnitentiæ locum redigimus. « Quibus verbis Augustinus apertè distinguit excommunicationem medicinalem, quâ homo ad humiliorem pœnitentiæ locum redigitur, ab excommunicatione mortali, quæ hominem à populo Dei separat.

XXVIII. Hujus excommunicationis *pœnitentialis* seu *medicinalis*, uti & aliarum, quæ licèt propriè non sint *censuræ*, tamen olim excommunicationes frequenter dicebantur, vix meminêre Juris Canonici Glossographi aut Theologi Scholastici; atque hinc sensim contingit, Canones de *excommunicatione* loquentes, passim & indifferenter intellectos fuisse de excommunicatione majore & *mortali*; ut tandem invaluerit, quòd *excommunicatio simpliciter* possita inteligenda sit de excommunicatione *majore* sive *mortali*, quemadmodum etiam respondisse videtur Gregorius IX. in *Cap. penult.* ✠ *de Sent. excommun.* dicens: »Si quem sub hac forma verborum *illum excommuni»co*, vel simili à judice suo excommunicari contingat: dicen»dum est, eum non tantùm minori, quæ à perceptione Sacra»mentorum, sed etiam *majori* excommunicatione (quæ à com»munione Fidelium separat) esse ligatum. «

XXIX. Itaque cùm spectatâ modernâ disciplinâ, & loquendi formâ, sola *excommunicatio major* seu *mortalis*, nomine excommunicationis intelligatur, nec alia penè nota sit; etiam de hac duntaxat hoc titulo tractabimus; & quæ circa eam & pristina fuerit, & hodierna sit disciplina Ecclesiæ examinabimus: hoc unum tamen præmonentes, ne antiquiores Canones de *excommunicatione* loquentes, indifferenter de excommunicatione *majore* accipiantur: ne aliàs à Canonum sensu aberretur.

CAPUT IV.

De Effectu Excommunicationis.

1 *Excommunicatio major abscindit excommunicatum à corpore Ecclesiæ.*
2 *Hanc abscissionem admodum gravem crediderunt Patres.*
3 *Excommunicatus habetur ut Ethnicus & Publicanus.*
4 *Unde privatur omni eo, quod* tanquam *Ecclesiæ* membro *competere posset.*
5 *Quare excluditur à Divinis Officiis.*
6 *Olim & moris fuit nomen ejus è dyptichis Ecclesiæ eradi.*
7 *Pro excommunicato tanquam Ecclesiæ* membro publicè *orandum non est.*
8 *Potest tamen sicuti pro Ethnico & Publicano.*
9 *Excommunicati ab omnibus Officiis Ecclesiasticis excluduntur.*
10 *Excommunicatus ex verbis Christi tantùm excluditur ab iis, quæ Fidelibus competunt*, ut membris *Ecclesiæ.*
11 *Exclusio eorum à communione in* civilibus *est tantùm juris positivi Ecclesiastici.*
12 *Omnis illa communio ex præcepto Christi neganda est Excommunicato, quâ ut* membrum *Ecclesiæ agnosceretur.*
13 *Hodie non omnis excommunicatus est vitandus juxta Extravagantem Martini V.*
14 *Tenor hujus Extravagantis sub nomine Concilii Constantiensis.*
15 *Hæc Extravagans tametsi non extet in actis istius Concilii, nihilominus usu Ecclesiæ recepta est.*
16 *Excommunicatus juxta hanc Extravagantem non est vitandus, nisi sententia fuerit publicata, vel denuntiata.*
17 *Nec sufficit sententiam in aliquem* specialiter *esse prolatam.*
18 *Non obstante hac Extravagante Excommunicatus interdum esset rejiciendus, tanquam* publicus *peccator à Sacramentorum susceptione.*
19 *A regula in Extravagante posita excipitur Notorius Clerici percussor.*
20 *Multa intervenire possunt, ut nec hic vitandus sit.*
21 *Circa vitationem Excommunicatorum multùm attendenda praxis Ecclesiæ.*

I. PEr excommunicationem majorem, quæ olim *mortalis*, & vulgò *anathema* dicebatur, Excommunicatum à Corpore Christi, quod est Ecclesia, separari & abjici, & tanquam *Ethnicum* & *Publicanum* è Fidelium Albo expungi, manifestè significant verba Christi, quibus hanc potestatem Ecclesiæ expressit, & Apostolis credidit: Matth. *cap. 18. v. 17. Si Ecclesiam non audierit, sibi tibi sicut* ETHNICUS, & PUBLICANUS: quasi diceretur, ita abscindatur à corpore Ecclesiæ, tanquam si esset *Ethnicus & Publicanus.*

II. Ad hanc à Corpore Ecclesiæ rescissionem reflexêre Patres, ut hujus excommunicationis gravitatem Fidelibus persuaderent.

S. Augustinus *tract. 27. in Joannem*, ait: »Nihil enim sic »debet formidare Christianus, quàm *separari à Corpore Chris»ti.* Si enim separatur à *Corpore Christi*, non est membrum, »non vegetatur spiritu ejus: *Quisquis autem*, inquit Apostolus »ad Rom. cap. 8 v. 9. *non habet spiritum Christi, non est »ejus.* « Extat apud Gratianum *Caus. 11. q. 3. Can. 33.*

III. Primarius itaque excommunicationis effectus est, separatio Excommunicati à corpore Ecclesiæ: ita ut non ampliùs ut mem-

membrum istius corporis, sed tanquam Ethnicus & Publicanus reputandus & tractandus sit.

IV. Hinc ulteriùs consequitur, vi hujus excommunicationis excludi & privari Excommunicatum omni jure, quod ei competebat tanquam membro corporis Ecclesiæ; omnibusque, quæ Fidelibus ut *membris* Ecclesiæ competunt.

V. Hac de causa excommunicati ad publicas preces, Divinaque Officia solis Fidelibus, & Ecclesiæ Filiis patentia, admittendi non sunt. Unde *Canone* 10. vulgò *Apostolorum*, decernitur: » Si quis cum excommunicato, vel in domo una pre» catus fuerit, is segregetur. « Quâ ratione innodentur excommunicatione Sedi Apostolicæ reservata, qui excommunicatos ad Missarum solemnia adducunt, & exire prohibent, vide *in Clem. 2. de Sentent. Excomm.*

VI. Ideò jam pridem moris fuit, nomina excommunicatorum è dyptichis Ecclesiarum eradi; eò quòd habere *nomen in dyptichis*, & inter Missarum solemnia ex iis nomen alicujus recitari, indicium esset, illum esse de communione Fidelium, & de corpore Ecclesiæ; uti docet Theodorus Antidori Episcopus in expositione Missæ ita scribens: » Vivorum enim in sacris li» turgiis celebratur memoria, ut subditorum erga Superiores » obedientia, & *viventium* in eadem fide ac mysteriis *unio*, & » commemoratio indicaretur. « Vide latiùs Du Cange in suo Glossario mediæ & infimæ latinitatis, verbo *diptycha*, ibidem varias species diptychorum referens, & singulorum usum exponens.

VII. Ab omnibus igitur publicis precibus, quæ specialiter pro Fidelibus, & membris Ecclesiæ *ut talibus* funduntur, excluduntur excommunicati, atque hujusmodi præces pro ipsis recitari vetantur; ne hac pro ipsis recitatione, viderentur tanquam *Ecclesiæ membra* agnosci, & ad fidelium communionem admitti; eoque sensu verum est, quod dicitur in *Cap. 28. de Sentent. Excomm.* & notant communiter Interpretes, pro excommunicato non esse *publicè* orandum.

VIII. Verùm sicuti pro Ethnicis, Hæreticis, & Schismaticis publicè orat Ecclesia in die Parasceves, ut ab errore suo convertantur, & ad sinum matris Ecclesiæ revertantur; quidnî & pro quibuscunque excommunicatis *publicè & directè* orari poterit, ut resipiscant, & spiritus illorum salvus sit in die Domini?

Itaque Ecclesia orat pro Hæreticis & Schismaticis, licèt excommunicatis, non orationibus institutis pro suis membris, sed aliis institutis pro iis, qui tales non sunt; uti loquitur Martinus Navarrus in *Summa cap. 27. num. 71.* ex quo ulteriùs ibidem infert, quòd licèt nemo debeat orare nomine Ecclesiæ, & tanquam persona publica pro infidelibus, & excommunicatis orationibus deputatis ad orandum pro *suis membris*, possit tamen orationibus, quas habet compositas ad orandum pro infidelibus, & excommunicatis. Vide latiùs Estium in 4. *Sent. dist.* 18. §. 12. & 13. ubi multis probat, Ecclesiam etiam *directè* orare pro excommunicatis.

IX. Interim si excommunicati nequidem ad communes Synaxes, & Ecclesiasticos conventus, omnibus passim Fidelibus & membris Ecclesiæ patentes admitti queant, ne hac admissione ad communionem & societatem Fidelium, à qua abscissi sunt, admitti videantur; multò minus admittendi sunt ad functiones, & Ordines, aut Beneficia Ecclesiastica, à quibus non tantùm Ethnici, & Publicani, sed & multi è Fidelibus excludendi sunt. Et si per excommunicationem tanquam putrida membra à Corpore Ecclesiæ rescindantur, quantò magis ab omni Ecclesiastico officio, quod non nisi vivis ac excellentioribus Ecclesiæ membris committendum est, submoveri & excludi debent. Hinc multis seculis ignota fuit quæstio hodie è Scholasticis agitata, num excommunicatus *ipso jure*, & de facto excidat suo Beneficio, & similes quæstiones.

X. Dicet quis, si excommunicatus non sit vitandus, nisi ut *Ethnicus & Publicanus*, non videtur excommunicatus excludendus à communi Fidelium conversatione, aut civili commercio: Nam nec *Ethnicus*, nec *Publicanus* ab his excludendi sunt; nec vetuit Christus Fidelibus communicare in his cum Ethnicis & Publicanis.

Verùm est attendendo sola Christi verba, quibus auctoritatem excommunicandi expressit, non videntur excommunicato ea neganda, quæ Ethnicis & Publicanis permittuntur; cum Christus solùm dicat, Ecclesiam non audientem habendum esse ut Ethnicum, & Publicanum. At ipsi Apostoli, eorumque successores, ut Fideles a contagio vitiorum & errorum cautiùs præservarentur, voluerunt etiam à familiari ac civili communione excommunicatorum abstineri, juxta illud Joannis Apostoli Epist. 2. *Si quis venerit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, nec* ave *ei dixeritis: qui enim dicit ei* ave, *communicat operibus ejus malignis.*

XI. Sed cùm hæc solum ab Apostolis, eorumque Successoribus, ut facilius contagium vitiorum, & errorum vitaretur, præscripta fuerint, illa non juri divino, sed humano adscribenda sunt: quod & Almaynus in *tract. de Potestate Ecclesiæ, q. 1.* annotavit, ubi ait » Tertium Corollarium quod sequitur est, » quod vitare excommunicatum, quantum ad collocutionem, & » illa quæ sunt merè civilia, non videtur esse de jure Divino. « Eodem fundamento Joannes Driedo de *Libertate Christiana, cap. 14.* docet nos ex Constitutione Juris Divini non prohiberi cum Hæreticis edere & bibere.

Et apertius Christianus Lupus cùm annotâsset quomodo circa IX. & X. seculum excommunicationis effectus de repulsione excommunicati à societate civili ultra modum fuisset extensus, ut propterea editis Decretis eum paulatim remittere debuerint Pontifices, tandem addit: *Omnis hæc res non est dogmatis, sed disciplinæ: ideoque per Ecclesiam potest ex causis disponi variè, atque mutari.* Tom. 5. Schol. pag. 132. Et pag. 130. relatis litteris Innocentii III. ad Crucesignatos, ait: *Et hinc lucet, Catholicos Galliæ, Germaniæ, Angliæ ac Belgii incolas cum habitantibus istic Hæreticis posse liberè in civilibus tractare.*

XII. Itaque, ut verbo concludam, ex præcepto divino excommunicatus tanquam *Ethnicus & Publicanus* vitandus est; sive omnis illa communio ei neganda, quæ *Ethnico & Publicano* negatur, nec alteri quam fidei & Ecclesiæ communione juncto conceditur, quia si hæc communio concedatur, jam pro fideli hoc ipso agnoscitur.

XIII. Sed nec sic juxta modernam Ecclesiæ disciplinam vitandus omnis excommunicatus excommunicatione *majore*, sed soli illi excommunicati, de quibus loquitur Extravagans Martini V. quæ incipit: *Ad evitanda.*

XIV. Extravagans hæc sub nomine Martini V. tanquam edita in Concilio Constantiensi refertur à S. Antonino in Summa *part. 3. tit. 25. cap. 3.* his verbis » Ad evitanda scandala, & » multa pericula, subveniendumque conscientiis timoratis, quod » nemo deinceps à communione alicujus in Sacramentorum ad» ministratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque divinis, » vel extra prætextu cujuscunque sententiæ, aut Censuræ Eccle» siasticæ suspensionis, aut prohibitionis ab homine, vel à jure » generaliter promulgatæ, teneatur abstinere, vel aliquem vi» tare, aut interdictum Ecclesiasticum observare, nisi sententia, » prohibitio, suspensio, vel censura hujusmodi fuerit in vel » contra personam, Collegium, Universitatem, Ecclesiam, aut » locum certum *à Judice publicata, vel denuntiata specialiter,* » *& expressè.* Salvo, si quem pro sacrilega manuum injectione in » Clericum in sententiam latam à Canone adeò notorie consti» terit incidisse, quod factum non possit aliqua tergiversatione » celari, neque alio sufragio excusari. Nam à communione illius » licèt denuntiatus non fuerit, volumus abstineri juxta Canoni» cas sanctiones. «

XV. Tametsi hujus Extravagantis nulla mentio occurrat in actis Concilii Constantiensis; neque de sinceritate aut veritate illius aliunde constare videatur, quam ex relatione S. Antonini & Doctorum, qui ejus fidem verisimiliter sunt sequuti, nihilominus usus illius, quasi communi Ecclesiæ consensu receptus est, neglecto quoque tenore ejusdem Extravagantis prout legitur *Sess 20.* Concilii Basiliensis, quemadmodum notavit Suarezius *de Censuris, disput. 9. sect. 2. num. 5.* dicens hanc formam, *usu totius* Ecclesiæ jam esse approbatam & receptam. » Et constat (ait) ex usu Galliæ, Germaniæ &c. ubi Catholici si» ne scrupulo communicant cum hæreticis publicis & Schismati» cis: & idem servari videmus in aliis regionibus inter Catholicos.«

XVI. Ex hac Extravagante usu totius Ecclesiæ probatâ & receptâ consequens est, excommunicatum sive ab homine sive à Canone, non esse vitandum, etiam in Sacramentorum administratione, vel receptione, aut aliis quibuscunque Divinis vel extra, *prætextu excommunicationis*, nisi sententia vel censura fuerit in vel contra personam à Judice publicata vel denuntiata specialiter & expressè.

XVII. Imò nec sufficit sententiam *specialiter & expressè* à Judice in aliquem esse pronuntiatam, ut hoc titulo sit vitandus, sed insuper requiritur, eum post sententiam publicè tanquam excommunicatum esse *denuntiatum.* Hancque sententiam esse probabiliorem, & in praxi sequendam, monet Suarezius loco citato *num. 8.* » Quia consuetudo, quæ est optima legum » interpres, ita legem illam acceptavit, & interpretata est. Et » propterea quia id est maximè consentaneum fini illius legis, » scilicet ad evitanda scandala &c. « Rectè quoque notat, quòd Extravagans non requirat tantùm, ut sententia specialiter & expressè in aliquem sit lata, sed etiam ut sit *publicata vel denuntiata.* » Quæ duo verba (ait) non ponuntur disjunctivè tanquam » diversa, sed tanquam æquipollentia, nisi quod participium » *publicata*, propriè refertur ad censuram vel Sententiam: *De*» *nuntiata* verò ad personam. «

XVIII. Additum fuit, prætextu *excommunicationis*, qua interdum à perceptione Sacramentorum præsertim Eucharistiæ, ut publicus & notorius criminosus repellendus esset, juxta tradita *part. 2. tit. 5.*

XIX. Ab hac regula non vitandi excommunicatum nisi *denuntiatum*, excipitur in hac Extravagante (uti refertur sub nomine Martini V.) is, quem constiterit pro *sacrilega* manuum

injectione in Clericum in sententiam latam à Canone incidisse; sed *adeò notoriè, quod factum non possit aliqua tergiversatione celari, neque alio suffragio excusari.*

XX. Cùm autem multa intervenire queant, quæ vel facti notorietatem obscurent, aut ipsum factum à sacrilegio sive sacrilega manuum injectione quasi diabolo suadente factâ, uti loquitur Canon, excusari possint; varii quoque sunt casus, quibus juxta hodiernam disciplinam, Percussorem Clerici non esse vitandum tradunt Doctores; uti videri potest apud Suarezium dicto loco.

XXI. Ulteriùs cum vitatio excommunicatorum, præsertim in *civilibus*, multùm dependeat à jure positivo humano, ac pleraque sint meræ disciplinæ; optimum est, se in hoc puncto praxi & consuetudini Ecclesiarum, & locorum, in quibus versamur, conformare.

CAPUT V.

EXCOMMUNICATIO NON FERENDA SINE GRAVI CAUSA; ET AN INJUSTA SIT SERVANDA, VEL TIMENDA.

1 *Excommunicatus abscinditur à corpore Ecclesiæ.*
2 *Hinc excommunicatio reputata semper fuit pœna* gravissima.
3 *Hanc noluerunt Canones infligi nisi pro delicto mortali, eoque enormi.*
4 *Multum excedunt Prælati, qui pro re temporali, & levi excommunicationem infligunt.*
5 *Vetat & Synodus Tridentina Monitoriales, seu Excommunicationes ad finem revelationis* ex levibus *causis concedi.*
6 *Hæ excommunicationes in Belgio vix notæ; & quæ harum origo.*
7 *Dum in Canonibus subinde occurrit excommunicatio pro* levi *culpa, intelligitur species excommunicationis minoris.*
8 *Crimen dignum excommunicatione, non tantùm debet esse grave, sed &* probatum.
9 *Quamvis aliquando imposita fuerit pœnitentia* publica *pro delictis* occultis, *nunquam tamen excommunicatio.*
10 *Canon Carthaginensis inhibens Episcopo excomunicare illum, quem scit ex secreta confessione criminosum.*
11 *Potest tamen* secretè *ei interdicere communionem.*
12 *Excommunicatio sine justa causa lata dicitur* injusta, *nec per eam ligatur excommunicatus coram Deo.*
13 *Nec per hanc excommunicationem læditur.*
14 *Potiùs obest excommunicanti, quam excommunicato.*
15 *Plus timeri debet peccatum quantumvis leve, quàm injusta excommunicatio.*
16 *Judæi metu excommunicationis Christum fateri non audentes.*
17 *His similes Christiani, qui eodem metu veritatem erubescunt.*
18 *Excommunicatio quo sensu timenda.*
19 *Exponitur textus S. Gregorii.*
20 *Excommunicatio in publico nonnunquam servanda, licèt sciatur esse injusta.*
21 *Interdum etiam publicè contemni potest.*
22 *Meritorum est pro bono pacis ferre patienter pœnam excommunicationis injustæ.*
23 *Quod suo tempore frequens dixit Augustinus, quomodo & hodie non rarò fiat.*

I. EX dictis capite præcedenti intelligimus per excommunicationem *majorem* excommunicatum abjici & rescindi ab Ecclesia tanquam putridum membrum, atque reputari tanquam Ethnicum & Publicanum.

II. Hinc nemo dubitaverit, pœnam excommunicationis esse admodum gravem, imò inter omnes pœnas gravissimam, qui seriò attenderit, quid sit ab Ecclesia abscindi.

Scribit S. Cyprianus *Epist.* 62. »Tunc quidem gladio occidebantur, quando & adhuc circumcisio carnalis manebat. »Nunc spirituali gladio superbi & contumaces necantur, dum »de Ecclesia ejiciuntur. Neque enim vivere foris possunt, cùm »Domus Dei una sit, & nemini salus esse, nisi in Ecclesia »possit.«

Et S. Hieronymus *Epist.* 1. »Nunc inobediens spirituali »mucrone truncatur, aut ejectus de Ecclesia *rabido dæmonum »ore* discerpitur.« Unde nec dubitat S. Augustinus dicere *lib. de Corrept. & Gratia, cap.* 15. excommunicationem esse pœnam *gravissimam.*

III. His omnibus insistens Concilium Meldense apud Gratianum *Caus.* 14. *quæst.* 3. *Can.* 41. Anathema dicit esse *æternæ mortis damnationem*; *& non nisi pro* mortali, ait, *debet imponi crimine.*

Rectè proindè Synodus Arvernensis apud Grat. dicto loco *Canone* 42. ait: *Nullus Sacerdotum quemquam rectæ fidei hominem pro parvis & levibus causis à communione suspendat.* Quod ipsum & Apostolus ostendit, dum priusquam incestuosum Corinthium Sathanæ traderet, criminis atrocitatem exaggerat, dicens: *Auditur inter vos fornicatio, qualis nec inter gentes.* I. Cor. cap. 5. v. 1.

IV. Quidnî ergò dicamus cum pio ac erudito Joanne Gersone: »Prælatos illos, qui pro temporalibus evitandis aut po»liticis incommodis conservandis excommunicationes passim »proferunt, adeoque *æternæ mortis* damnationem, similes es»se illi, qui volens abigere muscam à fronte vicini, eam secure »percutiens vicinum stolidiùs excerebravit; aut ei parem esse »dixerim (ait) qui studens curationi modici vulneris in pede »equi, pedem confestim abrupit, equumque peremit.«

V. His consonat Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 3. *de Reformat.* præcipiens, ut »excommunicationes illæ, quæ mo»nitionibus præmissis ad finem revelationis, ut ajunt, aut pro »deperditis seu subtractis rebus ferri solent, à nemine prorsus, »præterquam ab Episcopo decernantur; & tunc non aliàs quàm »ex re *non vulgari*, causâque diligenter ac magna maturita»te per Episcopum examinata, quæ ejus animum moveat; »nec ad eas concedendas cujusvis secularis etiam Magistratus au»toritate adducatur; sed totum hoc in ejus arbitrio & cons»cientia sit positum, quando ipse pro re, loco, persona, aut »tempore eas decernendas esse judicaverit.«

VI. Cùm similes monitoriales, & excommunicationes in Belgio vix notæ sint, de iis earumque forma & origine nihil dicam; videri poterunt Piasezius in *Praxi part.* 2. *cap.* 4. & Carolus Fevretius *de Abusu*, lib. 7. *cap.* 2. unà referens qui respectu harum monitorialium sit usus Galliæ; item Morinus *de Sacramento Pœnit. lib.* 2. *cap.* 7. qui & ibidem ait, has excommunicationes sive monitiones ad finem revelationis esse reliquias veteris disciplinæ, quæ cogebat Fideles ad denuntiandum aliorum peccata *occulta*; hoc tamen unà monens, quòd antiquus modus cogendi ad revelandum, »multò esset acceptior »& clementior, cùm totus (ait) in salutem proximi vergeret, »nullumque ex eo temporale emolumentum Accusator & Ju»dex eflagitarent, aut etiam sperarent, sed solam animæ »conversionem, & curationem attenderent.«

VII. Interim sat significat Synodus Tridentina, nequaquam ex *levibus* causis excommunicationem esse infligendam: convenitque inter Theologos, & Canonistas, pœnam hanc utpote *gravissimam* infligendam non esse, nisi propter peccata *mortalia*, eaque graviora.

Quod si interdum Concilia aut Patres excommunicationem infligant, aut decernant pro *levi* causa, tunc juxta phrasim ejus ætatis excommunicatio accipienda pro una è *minoribus* tunc satis usitatis, & de quibus egimus *cap.* 3. ut dum in Concilio Carthaginensi IV. *Can.* 24. excommunicandus esse statuitur, »qui Sacerdote verbum faciente in Ecclesia, egressus de audi»torio fuerit.« Quis credat pro tam levi causa quenquam ab Ecclesiæ corpore abjiciendum tanquam Ethnicum & Publicanum?

VIII. Nec tantùm *grave* crimen requiritur in excommunicatione, sed insuper ut in judicio sit probatum.

Cùm enim in excommunicatione majore seu Anathemate interveniat externum Ecclesiæ judicium, ipseque excommunicandus invitus ac publicè expellatur è societate Fidelium, crimen non tantùm grave, sed & publicum, & in foro externo sat probatum sit oportet. *Ubi*, ait Origenes Hom. 20. in Josue, *peccatum non est* evidens, *ejicere ab Ecclesia neminem possumus*; *ne fortè eradicates zizania, eradicemus & triticum.* Utque plura, quæ apud Antiquos his similia passim occurrunt, omittamus, in *Cap.* 48. *de Sent. Excom.* in Concilio Lateran. sub Innocentio III. præcipitur expressè, ut *caveat Prælatus diligenter, ne ad excommunicationem cujusquam absque* manifesta *& rationabili causa procedat.*

IX. Et certè quamvis nonnulli cum Morino *lib.* 5. *de Pœnit. cap.* 9. & *seq.* rectè sustineant, per mille annos pœnitentiam publicam, seu excommunicationem medicinalem etiam pro peccatis *occultis* fuisse impositam, nemo tamen dicere ausus hactenus fuit, aliquem *invitum* ab Ecclesia tanquam *rebellem* expelli potuisse ob crimen *occultum* ipsi soli Confessario notum.

X. Unde in Concilio Carthaginensi VII. anno 419. statutum fuit *Can.* 6. »Item placuit, ut si quando Episcopus dicit »aliquem *sibi soli* proprium crimen fuisse confessum, atque ille »neget, non putet ad injuriam suam Episcopus pertinere, »quòd illi soli non creditur. Et si scrupulo propriæ conscien»tiæ se dicit neganti nolle communicare, quandiu excommu»nicato non communicaverit suus Episcopus, eidem Episcopo »ab aliis non communicetur Episcopis, ut magis caveat Epis»copus, ne dicat in quenquam, quod aliis documentis con»vincere non potest.«

XI. Extat apud Gratianum *Caus.* 6. *quæst.* 2. *Can.* 3. sub nomine Concilii Africani; notantque ibidem Correctores Romani, in Africano Concilio post verbum *communicare* sequi: SECRETE *tamen interdicat ei communionem, donec obtemperet.* Adde quæ notavi in tractatu Historico-Canonico ad hunc Canonem.

Si

XII. Si excommunicatio justâ causâ sit destituta, ipseque qui hac censura feritur ut nocens, reverâ sit innocens, excommunicatio hæc à Doctoribus dicitur injusta; nec per eam excommunicatum *coram Deo* ligari docent. Neque enim ministri Ecclesiæ potestatem habent coram Deo, seu *in cœlis* ligandi illum, qui non priùs proprio delicto seipsum ligavit; aut gratia, & donis Spiritûs Sancti privare, qui in se priùs Spiritum Sanctum non extinxit.

XIII. Hinc illud Origenis relatum à Gratiano sub nomine S. Hieronymi *Caus.* 24. *quæst.* 3. *Can.* 4. »Si quis non recto »judicio eorum, qui præsunt Ecclesiæ, depellatur, & foras »mittatur, si ipse non ante exiit, hoc est, si non ita egit, ut »mereretur exire, nihil læditur in eo, quod non recto ju»dicio ab hominibus videtur expulsus. Et ita fit, ut interdum »ille, qui foras mittitur, intus sit; & ille foris, qui intus re»tineri videtur.«

XIV. Et ex S. Augustino *Caus.* 11. *quæst.* 3. *Can.* 87. »Illud planè non temerè dixerim, quòd si quisquam Fidelium »fuerit anathematizatus injustè, potiùs ei oberit, qui facit, »quàm qui hanc patitur injuriam. Spiritus enim Sanctus ha»bitans in Sanctis, per quem quisque ligatur, aut solvitur, »immeritam nulli ingerit pœnam.«

Neminem itaque apud Deum nocentiorem, aut pejorem facit, aut interioris gratiæ Divinæ influxu privat excommunicatio in innocentem lata.

XV. Hinc ulteriùs sequitur homini Christiano plus timendum esse qualecunque leve peccatum, quàm qualemcunque injustam censuram: Quia homo Christianus ex fide vivens, nihil in hoc mundo timere debet, nisi quod sibi apud Deum nocere potest, Deumque sibi magis offensum reddere: quod per omne quantumvis leve peccatum contingit, non verò per excommunicationem, quam quis injustè patitur. Ideoque homo Christianus debet esse paratus potiùs sustinere excommunicationis fulmen, quàm aliquod peccatum committere; vel à veritate vel leviter recedere, aut veritatem erubescere metu excommunicationis.

XVI. Verendum aliàs ne similes simus Principibus illis, de quibus dicitur Joann. 12. vers. 42. quod quidem *in Christum crederent*, *sed propter Pharisæos non confitebantur*, *ut ex Synagoga non ejicerentur*. Ratio subjungitur: *Dilexerunt enim gloriam hominum magis*, *quàm gloriam Dei*.

XVII. Ad quæ reflectens pius, ac eruditus Auctor Compendii Moralis Evangelicæ, ait: »Metus calamitatis, injustè »alicujus excommunicationis nos perdere valet, quandoquidem »multos forsitan Judæos perdiderit, de innocentia, & divini»tate Jesu Christi convictos. Nulli rei quæ nobis ab hominibus »auferri possit, adhærere debemus, si volumus conservare »quod solus Deus potest nobis donare. Potest animam salvare »sine Sacramentis, & extra exteriorem Ecclesiæ communio»nem; non potest salvare, quandiu officio suo, & obligationi »illum apertè profitendi præfert vel usum Sacramentorum, vel »communionem istam exteriorem.«

Hæc meritò expendent, qui metu incurrendæ alicujus qualiscunque censuræ, v. gr. suspensionis, aut interdicti ab Ecclesiasticis functionibus, veritatem agnitam publicè profiteri verentur.

XVIII. Hinc tamen nullatenus consequens est, injustam censuram semper posse palam contemni, ac negligi; & nullatenus esse timendam. Imprimis enim à subdito eatenus timenda Superioris sententia, ut eam expendat, vereaturque num eam propter suam culpam, quam ipse forsan non satis apprehendit, non mereatur.

XIX. Hoc sensu intelligendum, quod ex S. Gregorio refertur 11. *quæst.* 3. *Can.* 1. *Sententia Pastoris sive justa*, *sive injusta fuerit*, *timenda est*; ut ex integro contextu S. Gregorii in homil. 26. in Evangelia non obscurum est. Post relatam enim, non quidem iisdem verbis, sed eodem sensu prædictam sententiam, rationem timendi allegans, ait: »Ne is, »qui subest, & cùm injustè ligatur, ipsam obligationis suæ »sententiam, & aliâ culpâ mereatur. Pastor ergò vel absol»verè indiscretè timeat vel ligare. Is autem, qui sub manu »Pastoris est, ligari timeat vel injustè, nec Pastoris sui judi»cium temerè reprehendat. Nec etsi injustè ligatus est, ex ip»sa tumidæ reprehensionis superbia, culpa, quæ non erat, »fiat.«

Eatenus ergò duntaxat timendam esse injustam excommunicationis sententiam voluit ibi S. Gregorius, quòd quis non temerè ac superbè, & arrogânter Superioris judicium reprehendat, sed potiùs vereatur, ne forsam pœnam suâ culpâ meruerit.

XX. Adhæc, quia sæpè contingit, injustitiam censuræ esse ipsi excommunicato notam, sed publicè ignotam; neque facilè aliis probari, aut persuaderi posse, etiam eatenus tunc censura ligare poterit, ut in publico ei se subjicere deberet in quantum non obedientia in scandalum fidelium injustitiam censuræ ignorantium, cederet; & Ecclesiæ ac Superiorum contemptum præ se ferret. Atque ita simili casu censura ligat solùm in foro exteriori ratione scandali, quod ex ejus violatione oriretur: quia, ut benè ratiocinatur Suarezius *de Censuris*, *disput.* 9. *sect.* 7. *num.* 16. »Si scandalum quacunque ratione »cesset, & innotescat aliis qualitas sententiæ, & hominis in»nocentia, cessabit obligatio: ergo signum est, totam hanc »obligationem esse ratione *scandali* vitandi.« Hæc Suarezius qui ibidem *num.* 17. nomen *scandali* hîc accipi dicit, non tantùm ut est contra charitatem, sed etiam contra *obedientiam* Ecclesiæ, cui multum derogaretur, si talis censura *publicè* contemneretur. Et ideò hæc censura eatenus valida est, quòd ob vitandum illud scandalum in foro exteriori reverâ servanda sit. Id est, ita se gerere debeat, in publico, sententiæ parendo, quousque etiam in publico de ejus justitia ita constet, ut scandalum fidelium timendum non sit. Hoc sensu verum est, contingere posse, ut ait Innocentius III. in *cap.* 28. ✠ *de Sent. Excomm. Ut qui liber est apud Deum*, *Ecclesiasticâ sit innodatus sententia*.

XXI. Si verò publica ac notoria sit censuræ injustitia, vera tunc erit sententia Gelasii Papæ apud Gratianum *Causa* 11. *quæst.* 3. *Can.* 46. »Cui est illata sententia deponat errorem, »& vacua erit. Sed si injusta est, tantò eam curare non de»bet, quantò apud Deum, & Ecclesiam ejus neminem potest »unquam gravare sententia. Ita ergò ea se non absolvi desideret, »qua se nullatenus perspicit obligatum.«

XXII. Porrò cùm quis Censuræ injustæ causâ vitandi scandali, aut amore conservandæ pacis, ac unitatis Ecclesiasticæ se humiliter subjicit, ac exteriora detrimenta patienter sustinet, nullatenùs exterior illa ab Ecclesiæ communione, & Sacramentorum perceptione separatio nocebit, sed *erit ad meritum*, ut ait S. Thomas. Et S. Augustinus docet »de bonis viris, quos »divina providentia sinit per nonnullas nimium turbulentas car»nalium hominum seditiones expelli de Congregatione Eccle»siæ, si hanc contumeliam, vel injuriam suam patientissimè »tulerint pro pace Ecclesiæ; neque ullas novitates schismatis, »vel hæresis moliti fuerint, docebunt homines, quàm vero af»fectu, & quantâ sinceritate charitatis Deo serviendum sit.. *hos* »*coronat in occulto Pater*, *in occulto videns*.« *Lib. de vera Religione*, *cap.* 6. Imò ut idem Doctor advertit, »spirituales »homines hujusmodi adversis magis proficiunt, quia (inquit) »cùm aliqua adversitate vel necessitate hominum videntur ex»pelli, ibi magis probantur, quàm si intùs permaneant; cùm »adversus Ecclesiam nullatenùs eriguntur, sed in solida unita»tis petrâ fortissimæ charitatis robore radicantur.« *Lib.* 1. *de Baptismo contra Donatistas*, *cap.* 17.

XXIII. Si non tantùm ad excommunicationis, sed quaslibet censuras attendamus, atque sub his omnem quamcunque à sacris Ministeriis suspensionem, atque interdictionem comprehendamus, non immeritò dicere poterimus, quod S. Augustinus verbis relatis ex *libro de vera Religione*, subjecit: „Rarum hoc videtur genus, sed tamen exempla non desunt, imò „plura sunt quàm credi potest,“ qui injustas censuras seu excommunicationis, seu suspensionis, aut interdicti, sincerissimâ charitate pro pace Ecclesiæ patientissimè sustinent.

CAPUT VI.

EXCOMMUNICATIO NON NISI IN CONTUMACES FERENDA: ET DE EXCOMMUNICATIONE *LATÆ* SENTENTIÆ.

1 *Excommunicatio non infligenda ob peccatum etiam grave, nisi* inobedientiam *adjunctam habeat.*
2 *Id convenit pristinæ Ecclesiæ disciplinæ.*
3 *Hæc disciplina ex traditione Apostolica tanquam conformis verbis Christi descendisse videtur.*
4 *Etiam jure Decretalium requiritur* competens *monitio prævia.*
5 *Monitio competens dicitur* tertiò *facta.*
6 *Ut monitio sit competens, debent monendi* nominatim *exprimi.*
7 *Debent monitiones fieri cum dierum aliquorum intervallo.*
8 *Quantum debeat esse hoc intervallum.*
9 *Permittit Concilium Lugdunense, unam monitionem fieri pro pluribus; & quâ formâ hæc fiat.*
10 *Synodus Tridentina vult saltem* binam *monitionem præmitti.*
11 *Formula excommunicationis in Pontificali Romano supponit* trinam *monitionem.*
12 *Necessitas præmittendi* monitiones *non videtur consistere cum excommunicatione* latæ *sententiæ.*
13 *Doctores agnoscunt hic difficultatem.*
14 *Proponitur quorundam solutio difficultatis.*
15 *Solutio hæc difficultatem non tollit.*
16 *Videtur mens Ecclesiæ esse, ut peccator nominatim de suo peccato moneatur, antequam excommunicetur.*
17 *Eandem difficultatem vidit, & proposuit Gersonius.*
18 *Quomodo eam Gersonius evadere studeat.*

19 *Multis seculis videtur excommunicatio* latæ *sententiæ fuisse ignota.*

20 *Meritò dubitatur, num in Decreto Gratiani ulla talis occurrat.*

21 *Labentibus seculis harum excommunicationum numerus multùm crevit.*

22 *Incommodum hujus multiplicationis exaggerat* Godscalcus Rosemundus.

23 *Quid in his emendari conveniat, expendere debent Ecclesiarum Prælati.*

24 *Indubitatum, graviorem causam requiri in excommunicatione* latæ, *quàm ferendæ sententiæ.*

25 *Excommunicationes* latæ *sententiæ demum obligant, dum leges debitè sunt promulgatæ.*

I. AD Excommunicationem, saltem quæ ab homine fertur, non solùm requiri peccatum mortale, illudque grave; sed insuper necessarium esse ipsius excommunicandi contumaciam, quâ Ecclesiam monentem audire renuit, satis significat Christus *Matth.* 18. declarans tum demum excommunicandum, sive rescindendum tanquam Ethnicum, & Publicanum *si Ecclesiam non audierit.*

Ut enim rectè advertit pius Joannes Gersonius *de Vita Spirituali, lect.* 4. *corollar.* 14. » Dum semper est paratus audire » Ecclesiam, cur habebitur sicut Ethnicus, & Publicanus? Cur » ab ea abscindetur? unde & ibidem dicit, expediens esse, nul» lam excommunicationis ferri sententiam, nisi pro *manifesta* » contumacia, qua se monstrat aliquis audire Ecclesiam non » paratum. «

II. Id satis consonum est veteri Ecclesiæ disciplinæ, quæ trinam monitionem præmitti voluit sententiæ excommuncationis.

Sic Synodus Œcumenica Ephesina in sua relatione ad Religiosissimos Imperatores de depositione Nestorii, postquam exposuisset, eum secundò vocatum renuisse Synodo se sistere, subdit: » Porrò autem cùm Canones præscribant tertiò quoque » contumacem esse admonendum, missis iterùm aliis ad illum » Episcopis, durum & immorigerum eundem invenimus. « Tomo 3. Concilior. General. *col.* 570.

Dioscorus quoque in Concilio Chalcedonensi ante excommunicationem *ter* vocatus dicitur; idque *secundum sanctos Canones.* Tomo 4. Concil. General. *col.* 421.

III. Hanc disciplinam ex Apostolica traditione tanquam verbis Christi consonam ad Nos pervenisse admodum verisimile est. Nam uti advertit Suarezius *disput.* 3 *Sect.* 9. » Jura, quæ de illo » (jure trinæ monitionis) loquuntur, non significant illud de » novo statuere, sed illud supponere, ut *perpetuò* in Ecclesia » observatum. « Unde & in *Can.* 5. *Caus.* 16. *q.* 7. apud Gratianum sub nomine Concilii Rothomagensis, statuitur, ut » de» cimas solvere nolentes, *secundum Domini nostri præceptum* » admoneantur *semel, & secundò, & tertiò*; qui si non emen» daverint, anathematis vinculo feriantur. «

Conformis est & hæc disciplina materno Ecclesiæ in filios affectui, quo ad exemplum Christi omnes vult salvos fieri; nec quenquam perire, aut è suo sinu ejicere, nisi contumacem, ac rebellem, vocemque Matris audire renuentem.

IV. Hinc nec Jure novo ab hac disciplina recessum est. Et quidem in *cap.* 48. ✠ *de Sententia Excomm.* Concilium Lateranense sub Innocentio III. prohibet, sententiam excommunicationis à quocunque Judice proferri, *nisi competenti monitione præmissâ.* Et in *cap.* 3. *de Sent. excomm. in VI.* non nisi *post monitionem canonicam*: & in *cap.* 5. *eod. in VI.* dicitur; *Excommunicationes quascunque absque competenti monitione præmissâ promulgatas esse injustas.*

V. Monitio *competens* passim a Canonistis post Glossam ad dictum *cap.* 48. verbo *Competenti*, intelligitur *trina* monitio, quæ expositio ubique recepta est.

VI. Utque hæc monitio sit Canonica, voluit Gregor. X. in Concilio Lugdunensi *cap.* 9. *de Sent. Excomm. in VI.* » ut in» ter monitiones, quas jura statuunt præmitti, Judices sive mo» nitionibus tribus utantur, sive una pro omnibus observent ali» quorum dierum intervalla; nisi facti necessitas ea suaserit mo» deranda. «

VII. Notat hîc Glossa, » quòd *tres* monitiones, quæ de» bent præcedere excommunicationem, debeant habere interval» la; nec possunt fieri continuè, & ad minus inter quamlibet » monitionem debent esse duo dies; ex quo textus loquitur in » plurali. «

VIII. Verùm cùm Concilium numerum dierum non expresserit, apparet, illud dierum intervallum requisivisse, quod attentis circumstantiis Judex arbitrabitur sufficere, vel requiri, ut de contumacia, sive inobedientia, seu rebellione excommunicandi sufficienter pateat: quod & Glossa ibidem verbo *Competenti*, indicat, dicens: » Hoc Judex moderabitur pro personarum & negotii qualitate. «

IX. Permittit autem Concilium Lugdunense, quòd Judex uti queat una monitione pro *tribus*: quod desumptum apparet ex Jure Civili, quo permittitur Judici in *L.* 72. *ff. de Judiciis*, uti uno edicto *peremptorio* citatoriali pro pluribus. Hæc autem monitio duplici formâ fieri solet secundum Glossam; interdum (ait) sic: » monemus te, quòd usque ad diem talem pro primo, » talem pro secundo, talem pro tertio, &c. Interdum unam » tantùm dat dilationem, ut monemus te quòd usque ad talem » diem pro primo, secundo, & tertio peremptorio à commu» nione talis, &c. Et hoc ultimo casu est intervallum inter mo» nitionem, & sententiam; « nimirum tale, quod sufficiat, ut convincatur contumax.

X. Verùm quia hac potestate Judices Ecclesiastici non satis circumspectè uterentur; sed sine ulla prævia monitione ad excommunicationem levi ex causa non rarò prosilirent; Synodus Tridentina Canonicam disciplinam reducere, quantum temporum durities patiebatur, desiderans, voluit, ut Judex ad excommunicationem non procedat, *nisi delicti qualitas, præcedente* BINA *saltem* MONITIONE, *etiam per Edictum, id postulet.* Sess. 25. de Reformatione, cap. 3.

XI. Quin & in formula excommunicationis, quæ extat in moderno Pontificali Rom. protestatur Prælatus excommunicans: *Monuimus enim excommunicandum canonicè primò, secundò, tertiò & etiam quartò, ad ejus malitiam convincendam, ipsum ad emendationem, satisfactionem & pœnitentiam invitantes, & paterno affectu corripientes.*

XII. Sed quæ de præmittenda monitione *competenti* hactenùs dicta sunt, consistere non videtur cum excommunicatione, quæ vulgò dicitur *latæ sententiæ*; id est, quæ *ipso facto*, sive ipsa admissione delicti sine ulteriori sententia Judicis, per ipsam Legem infertur, quæ hac similive forma exprimi solet: Qui hoc illudve fecerit sit *ipso jure*, vel *ipso facto* excommunicatus. Opponitur autem illi, quæ vocatur *ferendæ* sententiæ, id est, quæ non incurritur, nisi à Judice feratur: soletque hac formula exprimi: Qui hoc, illudve fecerit, *excommunicetur*, vel præcipimus *sub pœna excommunicationis.*

XIII. Sanè fatendum est, difficile satis videri, qua ratione disciplina de *trina* monitione præmittenda consistat cum excommunicatione *latæ* sententiæ: aut quomodo aliquis nunquam speciatim monitus queat tanquam *rebellis* ab Ecclesiâ abscindi, & haberi ut Ethnicus & Publicanus.

XIV. Respondent quidem nonnulli, qui non obedit Legi prohibenti quidam sub pœna excommunicationis *ipso facto* incurrendæ, præsertim si eam non ignoret, sufficienter censetur contumax & rebellis ipsi Ecclesiæ: adeoque alia monitione non eget; ipsaque lex pro monitione est.

XV. Verum quidem est, legem quamcumque monere subditum de obedientia legis: atque non obedientem constitui legis prævaricatorem: at quòd sola legis trangressio aliquem constituat ad mentem Christi & Ecclesiæ contumacem & rebellem, ita ut tanquam talis ab Ecclesiæ corpore rescindi possit, non satis apparet. Videtur etenim, quòd Christus voluerit, ut peccator seu transgressor legis *primò* de suo peccato moneatur, & si iterato monitus Ecclesiam non audierit, tunc demum tanquam putridum membrum, de cujus sanatione quodammodo desperatum est, abscindatur à corpore Ecclesiæ, ne reliqua membra inficiantur.

XVI. Hanc quoque fuisse mentem Ecclesiæ non obscurè innuunt Canones, quibus præscribitur, ut *trina* monitio excommunicationi præmittatur, dum inter ipsas monitiones etiam temporum intervalla servanda mandantur: quod clarè supponit, Canones eos intelligi non posse de monitione, quæ sola legis ac pœnæ denuntiatione fieri dicitur: quandoquidem hæc nulla temporis intervalla admitat.

XVII. Eandem difficultatem vidit, & proposuit Gersonius loco citato, dicens; » Cæterùm dum aliquis ex ignoran» tia quanquam culpabili, aut ex infirmitate & passione vitiosa, » non tamen *contumaci*, facit aliquem actum pro quo est sta» tuta sententia excommunicationis *latæ* sententiæ ab aliquo Præ» latorum, videant Juristæ & Judices, si talis possit dicit ex» communicatus *ipso facto*: cùm semper sit & fuerit promptus » stari correctioni Ecclesiæ super suo delicto, prout supponi» tur; quia non ex contemptu Clavium et Jurisdictionis Eccle» siasticæ, sed aliunde motus malum fecit. Non enim quæli» bet inobedientia contumacia reputatur. «

XVIII. Hanc difficultatem ut evadat Gersonius, docet ibidem, prout accepit à suo Præceptore, » eas excommunicatio» nes (*latæ* sententiæ) tantummodo operari ut absque processu » alio, aut nova constitutione possit Judex statim probato facto » vel confesso ferre Juris sententiam, & eandem publicare, non » sic ubi Canones essent solùm *ferendæ* sententiæ, quoniam mo» nitiones & processus secundum terminos Juris prærequire» rentur multiplices. «

XIX. Quidquid sit de hac Gersonii solutione, & expositione, hoc sat constat: quòd per decem facilè secula ignota fuerit hæc species excommunicationis: ita ut in Canonibus paulo antiquioribus nunquam legantur hæc aut similia verba: *sit ipso facto excommunicatus: qui id fecerit, ipso jure excommunicationem*

nem incurrat: sed tantùm: *si quis id fecerit excommunicetur, deponatur*, &c. quibus ut consentiunt Canonistæ, & Theologi, non exprimitur excommunicatio *latæ sententiæ*, sed *ferendæ* duntaxat.

XX. Si decretum Gratiani revolvatur, atque formulæ, quibus excommunicatio exprimitur, ritè expendatur, nescio, utrum vel una reperietur excommunicatio *latæ* sententiæ.

Dicitur quidem in *Canone* SI QUIS SUADENTE DIABOLO, *Causa* 17. *quæst.* 4. qui violentas manus suadente Diabolo in Clericum, vel Monachum injecerit *anathemati subjaceat*: sed num hæc formula excommunicationis sit latæ, an duntaxat sententiæ ferendæ, meritò ambigitur. Quandoquidem hæc formula non videatur magis latam sententiam importare, quàm hæ, *sit anathematizatus, sit sequestratus*; quæ tamen juxta Glossam in *cap.* 2. ✠ *de foro, competenti*, verbo *sequestratus*, non nisi excommunicationem *ferendæ* sententiæ significat: ideoque non sine fundamento opinantur nonnulli excommunicationem illam, de qua in dicto Canone *Si quis suadente diabolo*, magis ex interpretatione Doctorum, quàm mente auctoris, pro excommunicatione *latæ sententiæ* tandem receptam, & habitam esse.

XXI. Illud haud dubium, quin labentibus seculis continuò frequentiores factæ sint similes excommunicationes *latæ* sententiæ. Et quidem teste Martino Navarro in Manuali *cap.* 27. *numer.* 49. Ad annum usque 1398. quo promulgatus est Sextus Decretalium, vix inveniebantur XXXVI. casus excommunicationis *latæ* sententiæ, qui in pauciores quàm 26. redigi possent. » Per *solum* autem Sextum Decretalium (ipso Navarro notante) » inducti sunt XXXII. casus excommunicationis *latæ* sententiæ, » & per solas Clementinas quinquaginta: Postea per Bullam Cœ» næ, per Extravagantes impressas, per constitutiones Syno» dales, & Provinciales, per visitationes, & reservationes secu» larium, & Religiosorum penè innumeræ. « Hæc Navarrus, qui & monet » quòd videatur valdè utilis, imò & neces» saria limitatio earum aliqua, saltem quo ad forum Cons» cientiæ."

XXII. Incommodum, & periculum animarum ex frequenti illa excommunicatione *latæ* sententiæ proveniens, multùm exaggeravit Godscalcus Rosemundus sub initium præcedentis seculi in hac Lovaniensi Academia S. Theologiæ Professor, & Collegii Adriani VI. primus Præses in suo Confessionali ita loquens: „ Valde inconsultum, & periculosum est, quòd Epis» copi in suis Statutis, cæteri quoque Judices tam faciles sint in » multiplicando censuras; unde expediens esset, ut etiam in» quit Gerson, ut omnes Constitutiones sententiæ excommu» nicationis latæ sententiæ in Jure, vel Statutis contentæ, qua» rum usus nullus est, aut plus obest, quàm prodest, expressa » revocatione cassarentur in Provinciis, & Diœcesibus, & in » Ecclesia universali. Expediens etiam esset, ut nulla excom» municationis sententia terretur de facto à jure, vel à judice, » neque pro præsenti, neque pro futuro, nisi pro manifesta con» tumacia, quâ quis ostendit se non paratum audire Ecclesiam. » Quomodo aliter haberi debet sicut Ethnicus, & Publicanus, » si Ecclesiam audire paratus est? Etiam consultum & ex» pediens videretur, ut nullus alium excommunicatum vitare » teneretur, nisi postquam à suo judice denuntiatus fuerit ta» lis. Et quòd solus excommunicatus, aut suspensus à judice, » & pro tali denuntiatus contrahere diceretur irregularitatem » immiscendo se Sacramentis, & quod solus talis à potestate ab» solvendi in foro constientiæ spoliatus censeretur. Postremo lo» co hîc à Rosemundo optatum, hodie ex communi Theologo» rum, & Canonistarum sententia receptum est conformiter ad » Extrav. MARTINI V. AD EVITANDA, *cap.* 20."

XXIII. Quid attentis temporum & locorum circumstantiis hac in parte conveniat, judicandum est ab Episcopis, ac præsertim Summo Pontifice, penes quos exercitium & auctoritas Clavium: ut eis ad ædificationem Ecclesiæ & populi sibi commissi utantur.

XXIV. Cæterum indubitatum est, quòd si omnium consensu ad excommunicationem *mortalem*, seu anathema, quod præviis monitionibus in veros contumaces & rebelles fertur, requiratur grave & execrabile crimen, multò sanè gravius & execrabilius esse debeat crimen, ob quod feratur excommunicatio *latæ sententiæ*, qua nimirùm homo per solam transgressionem, nullâ prævîâ monitione, aut verâ in crimine contumaciâ, à corpore Ecclesiæ tanquam Ethnicus & Publicanus resecatur.

XXV. Illud quoque certum est, quòd cùm excommunicationes *latæ* sententiæ dependeant à virtute & efficacia Canonis sive legis eas infligentis, debeant quoque non secus ac leges, à quibus dependeant, & ad quorum observantiam feruntur, legitimè & juxta singularum Provinciarum receptos mores promulgari & publicari, ut iis in locis obligare queant.

CAPUT VII.

EXCOMMUNICATIO NON NISI ALIIS MEDIIS FRUSTRA ADHIBITIS, ET CUM MAGNA CIRCUMSPECTIONE FERENDA.

1 *Ad instar periti Medici Prælatus resecare membrum non potest, nisi aliis remediis deficientibus.*
2 *Nec non nisi dolens; & tanquam ultimum remedium.*
3 *Synodus Tridentina inhibet Judicibus procedere per Censuras in Causis civilibus, antequam alia media fuerint frustra tentata.*
4 *In causis etiam criminalibus quantum fieri potest, vult à Censuris abstineri.*
5 *Si executio sententiæ haberi queat per invocationem Brachii secularis, non est utendum censuris.*
6 *Hinc in Belgio ob debita civilia non solet per Censuras procedi.*
7 *Experientia docet ordinariè plus nocere, quàm prodesse Ecclesiæ, uti censuris ad defensionem temporalium.*
8 *Non tantùm delinquentis contumacia, & criminis enormitas, sed & aliæ circunstantiæ in ferenda excommunicatione attendendæ sunt.*
9 *Prælati attentè considerare debent bonum* pacis, & unitatis, *ubi de excommunicatione agitur ex S. Augustino.*
10 *Huic regulæ institit Apostolus, & post ipsum Patres.*
11 *Hinc prima regula in ferendis Censuris observanda est, ne eradicando zizania, eradicetur & triticum.*
12 *Secundum hanc regulam non facilè ad excommunicationem procedendum, dum persona, aut crimen habet sociam multitudinem.*
13 *Quomodo agendum cum multitudine peccante.*
14 *Ex dictis statuitur secunda regula in ferendis Censuris servanda.*
15 *Hæc regulæ meritò attendendæ, dum agitur de repellendis publicis criminosis à susceptione Sacramentorum.*
16 *Regulæ istæ ostendunt, non facilè ad excommunicandos Principes esse progrediendum.*
17 *Edicto Caroli V. vetitum in Belgio Judicibus Ecclesiasticis uti Censuris in Judices laicos ratione contentionis super jurisdictione.*
18 *Idipsum innuunt Concordata Brabantiæ.*
19 *Similiter & Edictum Philippi II. ad Synodum Cameracensem.*
20 *Quid in Gallia quoad hoc punctum observetur.*

I. QUemadmodum periti medici ad membrorum resectionem non accedunt, nisi necessitate, ac gravitate vulneris compulsi, aliisque mediis frustra tentatis: ita pia Mater Ecclesia ad membrorum suorum rescissionem non nisi necessitate urgente, aliisque omnibus mediis frustra adhibitis, cum magno animi dolore accedit. *Cum dolore enim amputatur* (ait Ambros. lib. 1. Offic. capite 27.) *etiam quæ putrit pars corporis, & diu tractatur, si possit sanari medicamentis; si non possit, tunc à medico bono abscinditur. Sic Episcopi affectus boni est, ut optet sanare infirmos, serpentia auferre ulcera, obducere aliqua, non abscindere; postremò quòd sanari non potest, cum dolore abscindere.*

II. Et S. Leo Epist. 95. ait: *Nulli Christianorum facilè communio denegetur, nec ad indignantis hoc fiat arbitrium Sacerdotis, quod in magni reatus ultionem* INVITUS, & DOLENS, *quodammodo debet inferre animus.*

Hac de causa excommunicatio *ultimum remedium*, & *ultima pœna* dicitur.

III. Hic ex præscripto Synodi Tridentinæ *Sess.* 25. *cap.* 3. *de Reform.* „ In causis judicialibus mandatur omnibus Judici» bus Ecclesiasticis cujuscunque dignitatis existant, ut quando» cunque executio realis vel personalis in qualibet parte judi» cii propria auctoritate ab ipsis fieri poterit, abstineant se, » tam in procedendo, quàm in definiendo, à Censuris Eccle» siasticis, seu interdicto.

Deinde subjunctis variis mediis, quibus judices sententiarum suarum executionem urgere possunt, vult, ut non procedatur ad excommunicationem, nisi in casibus, ubi omnibus adhibitis mediis executio haberi nequit, & *erga Judicem contumacia nota est.*

IV. „ In causis quoque criminalibus (ait Synodus) ubi exe» cutio realis vel personalis, ut suprà, fieri potest, erit à Cen» suris abstinendum."

V. Cùm verò jam pridem probaverit Ecclesia, ut ubi potestas Ecclesiastica haud sufficit, potestas civilis jungatur, (quod hodie dicimus *implorare brachium seculare*) uti videre est in Canone V. Antiocheno, relecto in Concilio Chalcedon. actione IV. Nequaquam ad excommunicationem procedendum erit, si executio sententiæ obtineri, aut rei contumacia fran-

gi-

gi per implorationem brachii secularis possit.

VI. Qua propter hîc in Belgio excommunicationes ob debita civilia vix locum habere possunt, aut latæ admittuntur, eò quòd per alia media Juris, & quidem faciliùs & minori cum strepitu executio in similibus sperari possit, quàm per censuras.

VII. Sanè excommunicatione, aliisque censuris moderatè admodum & parce utendum pro defensione temporalium, & illud suadet, quòd experientia doceat, ut jam pridem notavit Gersonius *de Potestate Eccles. considerat.* 4. quòd applicatio gladii spiritualis ad defensionem temporalium confusionem magnam in Ecclesia, vilipensionem vel contemptum Evangelicæ hujus censuræ induxerit, & inducat. *Itaque*, ait Gersonius, *sicuti temporalitas addita est Ecclesiæ pro dote sua, videri posset aliquibus, quòd ad ejus defensionem similiter addere suffecerat adversus impetitores pœnam vel censuram temporalem, ut est mulctatio pecuniaria, vel corporalis detentio, vel arrestatio bonorum propriorum.*

VIII. Insuper cùm hæc pœna sit *gravissima*, trahatque secum separationem violentam membri à suo corpore, non tantùm gravitas delicti, & contumatia delinquentis attendendæ sunt, sed & personæ excommunicandæ conditio, nec non temporum & locorum circumstantiæ expendendæ; ut omnibus ritè perpensis videatur, num excommunicationis in his circumstantiis sperandus sit effectus ab Ecclesia intentus: atque ita non *temerè*, sed cum magna circumspectione à Prælatis procedatur.

IX. Regulas prudentiales hîc servandas tradit S. Augustinus *lib.* 3. *contra Epistolam Parmeniani*, atque imprimis *numer.* 1. hanc fundamentalem: » Omnis pia ratio, & modus » Ecclesiasticæ disciplinæ unitatem Spiritus in vinculo pacis ma- » ximè debet intueri, quod Apostolus *ad Ephes. cap.* 4. suf- » ferendo invicem præcepit custodiri; & quo non custodito » medicina vindictæ, non tantùm superflua, sed etiam pernicio- » sa, & propterea jam nec medicina esse convincitur. «

X. Huic regulæ institisse Apostolum multis ostendit, *numer.* 8. & 9. laudatque S. Cyprianum, & Episcopos Africanos, quòd unitatem scindere noluerint, licèt ratio non deesset, » propter compensationem (ait) custodiendæ pacis & unitatis; » propter salutem infirmorum, & tanquam lactentium frumen- » torum, ne membra Corporis Christi per sacrilega schismata » laniarent. «

XI. Prima itaque regula, quam in ferenda excommunicatione servare debent Prælati, est, cavere ne per excommunicationem eradicando zizania, eradicetur & triticum.

XII. Hanc regulam ex dictis Christi confirmans, ait *numer.* 13. » Nam & ipse Dominus cùm servis volentibus zizania » colligere dixit: *Sinite utraque crescere usque ad messem*; » præmisit causam dicens: *ne fortè cùm vultis colligere zizania, eradicetis simul & triticum.* Ubi satis ostendit, cùm metus ita te non subest, sed omnino de frumentorum certa stabilitate certa securitas manet, id est, quando ita cujusque crimen notum est, & omnibus execrabile apparet, ut vel nullos prorsus, vel non tales habeat defensores, per quos possit » schisma contingere; non dormiat severitas disciplinæ, in qua » tanto est efficacior emendatio pravitatis, quandò diligentior » conservatio charitatis. «

Quandonam verò id sine labe pacis, & periculo schismatis fieri posse videatur, exponit his verbis: » Tunc autem hoc sine labe pacis & unitatis, & sine læsione frumentorum fieri potest, cùm congregationi Ecclesiæ multitudo ab eo crimine, » quòd anathematizatur, aliena est. « Rationem subjungit: » Tunc autem adjuvat Præpositum potiùs corripientem, quàm » criminosum resistentem: tunc se ab ejus conjunctione salubriter continet, ut nec cibum quisquam cum eo sumat, non » rabie inimicâ, sed coërcitione fraternâ. Tunc etiam ille & timore percutitur, & pudore sanatur, cum ab universa Ecclesia se anathematizatum videns, *sociam turbam*, cum qua in » delicto suo gaudeat, & bonis insultet, non potest invenire..... » Et *num.* 14. revera si contagio peccandi multitudinem invaserit, divinæ disciplinæ severa misericordia necessaria est: » nam consilia separationis, & inania sunt, & perniciosa atque » sacrilega: quia & impia, & superba sunt, & plus perturbant » infirmos bonos, quàm corrigunt animosos malos. «

XIII. Ne tamen videatur correctio multitudinis peccantis planè negligenda, paucis interjectis subjicit Augustinus *num.* 16. » Turba autem iniquorum, cùm facultas est in populis promendi sermonem, generali objurgatione ferienda est: & maximè » si occasionem, atque opportunitatem præbuerit aliquod Domini flagellum desuper, quo eos appareat pro suis meritis » vapulare. Tunc enim aures humiles præbet emendatorio sermoni calamitas auditorum, faciliùs in gemitum confitendi, » quàm in murmura resistendi, afflicta corda compellit. «

XIV. Altera igitur Regula in ferenda excommunicatione ex præcitatis verbis Augustini servanda est: ne facilè procedatur ad excommunicationem, dum vel ipsum crimen, vel persona excommunicanda sociam habeat multitudinem.

XV. Hæ regulæ meritò quoque expenduntur à Pastoribus aliisque Ecclesiasticis in corripiendis publicè, aut removendi à Sacramentis notoriis & scandalosis peccatoribus, quod innuit Augustinus *Epist.* 153. *num.* 21. in nova editione.

XVI. Ex allegatis Regulis conficitur insuper, magnâ circumspectione & prudentiâ procedendum esse, dum de Principibus eorumque ministris excommunicandis deliberatur; cùm hi soleant habere multitudinem sibi sociam, multosque sortiri suorum criminum defensores.

* Hoc argumentum prosequitur Guillielmus Barclajus in Tractatu *de Potestate Papæ*, *cap.* 26. *pag.* 663. apud Glodastum *tomo* 3. Monarchiæ, ubi quidem concedit esse potestatem in Ecclesia excommunicandi Principem ob pertinaciam in hæresi; meritoque Episcopos suis exhortationibus monere posse subditos, ne Principem in suis erroribus & hæresi sequantur: sed tamen nullatenus inde consequens esse, penes Ecclesiam, aut Pontificem esse auctoritatem absolvendi subditos ab obedientia, quam debent ipsi Principi, vel Principi ob pertinaciam in hæresi principatum adimendi. Et *cap.* 31. ostendit, quæ sit optima ratio, & quam per decem secula constantissimè conservârunt Romani Pontifices & Episcopi Principibus debitam observantiam custodiendi, & subditos ne erroribus, vel vitiis eorum inficiantur præmuniendi; solidissimeque in hoc Tractatu ostendit, quòd licèt Christianis facillimum fuisset primis seculis hæreticos Imperatores dejicere, nunquam tamen id attentasse; sed è contrario, quamvis ipsorum hæresim maximè abhorrerent, ipsis tamen in politicis omnem obedientiam exhibuisse conformiter ad doctrinam Apostolorum, qui soliciti fuêre, ut primi Christiani sive ex Judæis, sive ex Gentilibus ad Christum conversi plenam subjectionem & obedientiam exhiberent Principibus etiam Ethnicis, in iis, quæ Religioni Christianæ non repugnabant.

XVII. Altera subjici potest ratio, cur in excommunicandis Principibus moderatio adhiberi debeat. Nimirum experientiâ compertum est, excommunicationes vel censuras Ecclesiasticas in ministros Regios, præsertim ob conflictum jurisdictionis vibratas, plus contentionis & turbationis in Rempublicam & populum parere, quàm ædificationis. Jam pridem in Belgio cautum fuit Edicto Caroli V. de 4. Octob. 1540. extante *parte* 1. *Edict. Fland. lib.* 3. *Rubr.* 1. quòd Judices Ecclesiastici uti non poterunt censuris contra Judices Regios in his, quæ ad horum officium spectant: sed si suam jurisdictionem lædi prætendant, jubentur de eo per libellum informare Judices laicos; qui saltem ad bimestre ab ulteriore progressu subsistere debent, ut interea Superiorem horum Judicum informare queant. Verba Edicti sunt: » Similiter ad occurrendum quæstionibus, & » dissidiis, quæ quotidie inter Ecclesiasticos Judices & nostros » enascuntur, & providendum scandalis inde orientibus: Man- » damus & statuimus, ut in posterum prælatis Judicibus Ecclesiasticis non liceat uti censuris, aut monitionibus comminatoriis, contra ministros nostros, judicesque seculares, ratione » officii ipsorum. Verùm utentur requisitione, quâ præmissa » tenebuntur judices seculares (casu quo idem obtemperare noluerint) ad mensem unum ab omni ulteriori processu cessare, » in finem, ut prædictis judicibus Ecclesiasticis, aut eorum » Promotoribus, & Ministris tempus suppetat, quo sibi provideant, & debitam justitiæ administrationem impetrent; & » ne requisitione sua frustrentur, arbitrariæ correctionis pœnâ » indictâ, si eo casu prædicti nostri Ministri in prædicto proces- » su ulteriùs perrexerint. «

XVIII. Et *art.* 29. *tit.* 9. *Concordatorum* inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem habet: „ Insuper visum est Commissariis, quod si super præmissis, & articulis superiùs non de- „ cisis dubium emergat, aut difficultas oriatur inter Justitiarios „ Principum, talis difficultas terminari, & sedari debeat mutuis communicationibus, vel litteris, ita quòd una Jurisdic- „ tio aliam non turbet, aut impediat. «

XIX. Similiter & in Edicto Philippi II. ad Synodum Provincialem Cameracensem *art.* 16. expressè decernitur, ut si Episcopi prætendant per Judices Regios subalternos Jurisdictionem suam in aliquo violari: recursum habere debent ad Consilium Regium Privatum, ut hoc de controversia decernat quod juris.

XX. Quod Edicto Caroli V. pro Belgio decretum fuit, id & in Gallia statutum & jam pridem observatum fuisse multis contendit Carolus Fevretius *de Abusu*, *lib.* 1. *cap.* 6. unà tamen monens, vetitum non esse Episcopis contra Judices laicos per censuras procedere, si notoriè in materia purè Ecclesiastica, puta, materia doctrinæ contra Jurisdictionem & auctoritatem Episcoporum attentarent; quod & exemplo sat recenti confirmat. Videri etiam potest Petrus de Marca *lib.* 4. *de Concordia Sacerd. & Imp. cap.* 21. ubi ostendit, qua ratione contentiones super Jurisdictione Ecclesiastica inter Episcopos, & Consiliarios Regios decidendæ sint per Supremum Regis Consilium.

CA-

CAPUT VIII.

De Forma, et Ritibus ferendæ Excommunicationis.

1 *Olim nulla specialis forma, aut ritus noscitur fuisse.*
2 *Episcopus sententiam excommunicationis simpliciter proferebat.*
3 *Labentibus seculis excommunicationes frequentiores factæ cœperunt vilescere.*
4 *Hinc necesse fuit externus ritus iis adjungere.*
5 *Ex Præscripto Pontificalis Romani Episcopus cum* 12. *Presbyteris excommunicationis sententiam profert.*
6 *Qua ratione hic ritus ex antiqua disciplina descendat; & quomodo ab hac differat.*
7 *Ritus hodiernus extinguendi candelas ardentes est recentioris instituti, & hactenus Græcis ignotus.*
8 *Aliqui credunt eum seculo XI. non esse antiquiorem.*
9 *Eum esse antiquiorem evincit Regino Abbas Prumiensis.*
10 *Non pertinet ad substantiam, aut efficaciam excommunicationis, sed ad terrorem incutiendum.*
11 *Ad sustinendam auctoritatem excommunicationum necesse fuit implorare potestatem secularem.*
12 *Ad incutiendum terrorem pertinent quædam expressiones verborum.*
13 *Item quod insordescens per annum habeatur suspectus de hæresi.*
14 *Vult Pontificale hodiernum excommunicationem notificari per Parochias, & vicinis Episcopis: qui est ritus vetustissimus.*
15 *Semper in Ecclesia excommunicatus ab uno Episcopo ab omnibus vitandus fuit.*
16 *Hanc disciplinam non introduxit, sed confirmavit Synodus Nicæna.*
17 *Hinc mos invaluit notificandi excommunicationem per litteras.*
18 *Sententia excommunicationis in* Scriptis, *& expressâ causâ ferri debet.*
19 *Copia authentica dari debet excommunicato.*
20 *Hæc observanda duntaxat in excommunicatione* ferendæ *sententiæ; quid in* latæ.

I. PRistinis Ecclesiæ seculis nulla specialis legitur excommunicationis forma, nec certi ritus præscripti reprehenduntur; sed in hoc unum intenti erant Prælati, ut accuratè examinarent causam excommunicationis, ipsiusque criminosi dispositionem; an nullo alio leniori remedio ad pœnitentiam, & correctionem adduci posset; quemadmodum latè describitur *lib.* 2. *Constitut.* vulgò *Apostolicarum*, *cap. XXXVII.* nullâ factâ mentione de aliqua forma, rituve in ferenda excommunicationis sententia servandis; imò simpliciter dicitur *cap.* 38. si præmissis *tribus* monitionibus, » aliquis durus obstinatusque erit, » dic Ecclesiæ: hanc si contempserit, neque audire voluerit, » sit tibi ut Ethnicus & Publicanus, & ne eum ad Ecclesiam tan» quam Christianum admittas; imò tanquam Publicanum devita.«

II. Itaque Episcopus adhibito Clero suo sententiam excommunicationis, simpliciter nullo externo aut speciali ritu adhibito pronuntiabat, & quem à pœnitentia alienum videret & obduratum, hunc cum mœrore ut *insanabilem* ejiciebat ab Ecclesia, ut dicitur *cap.* 42. lib. citati.

III. Verùm cùm labentibus seculis multiplicarentur excommunicationes, ipsique judices non eam moderationem & circumspectionem in iis ferendis adhibere viderentur, quam hujusmodi pœnarum inflictio requirebat, nec semper finem, quem Ecclesia intendit, præ oculis haberent, cœperunt quoque laicis præsertim potentioribus vilescere, & contemni.

IV. Ut ergo auctoritas major ipsis censuris conciliaretur, terrorque populo incuteretur, cœperunt circa seculum IX. aut X. certæ formulæ & ritus introduci, quæ & sensim majus incrementum acceperunt.

V. Dicit hodiernum Pontificale Romanum titulo de Ordine excomunicandi: » Quando anathema, id est, solemnis » excommunicatio pro gravioribus culpis ferri debet, Pontifex » paratus amictu, stolâ, pluviali violaceo, mitra simplici assis» tentibus sibi duodecim Presbyteris superpelliceis indutis, & tam » ipso quam Presbyteris *candelas ardentes* in manibus tenenti» bus sedet super faldistorium ante altare majus, aut alio loco » publico, ubi magis sibi placebit; & ita pronuntiat, & pro» fert anathema.«

VI. Hic consensus Episcopi assistentibus 12. Presbyteris vestigium & reliquiæ sunt veteris disciplinæ quæ causas Clericorum volebat ab Episcopo assistente sibi Clero suo discuti, & terminari, uti sæpiùs in hoc opere monui: sed hæc Presbyterorum sive Cleri assistentia non erat *merè cæremonialis*, uti est hodie, sed judicialis: nam & ipse in examine ac discussione causæ Episcopo assistebat, unumque cum Episcopo *Senatum* constituebat.

VII. Ritus candelas ardentes in manibus tenendi, easque pronuntiato anathemate, in terram projiciendi, quemadmodum Pontificale præscribit, ritus est recentioris instituti, solis Latinis notus, Græcis hactenus ignotus; uti notat Christianus Lupus tom. 5. Schol. in Canones *pag.* 829.

VIII. Eum non esse antiquissimum fatetur ibidem *pag.* 830. Lupus, dicitque se ignorare vetustiorem ejus memoriam, quam à Lemovicensi Synodo celebrata anno 1031. ubi *Sess.* 1. Synodus excommunicat quosdam alienarum rerum raptores sub hac formula: *Sicuti hæ* LUCERNÆ *extinguuntur in oculis vestris, ita gaudium eorum extinguatur in conspectu Sanctorum Angelorum nisi ante mortem ad satisfactionem venerint.*

IX. Licèt fateamur, ritum hunc primis Ecclesiæ seculis fuisse ignotum, nihilominus eum fuisse in Ecclesia notum ante dictam Synodum evincitur ex Reginone Abbate Prumiensi, qui floruit circa initium seculi X.; adeoque integro facilè seculo ante dictam Synodum. Hic autem *Lib.* 2. *de Disciplinis Eccles. cap.* 412. refert formulam excommunicationis cum hac clausula: *sicut hæ lucernæ extinguuntur in oculis vestris, ita gaudium eorum extinguatur in conspectu SS. Angelorum, nisi ante mortem ad satisfactionem venerint.*

Imò videtur formula hæc à Reginone, tanquam tum temporis usitata referri; unde incertum est, quo præcisè tempore introducta sit.

X. Hoc certum hunc ritum nullatenus ad substantiam spectare ipsius excommunicationis, neque ei majorem aliquam vim, aut efficaciam addere; sed ad exprimendum vivaciùs ipsum excommunicationis effectum & terrorem illius incutiendum unicè esse inductum; idque verisimiliter circa seculum IX. & X. quando ipsæ excommunicationes ob suam frequentiam vilescere, & contemni cœperunt.

XI. Similiter labentibus seculis ad sustinendam auctoritatem excommunicationum opus fuit laicam potestatem implorare, ut qui gladio spirituali à vitiis, aut errore non revocarentur, pœna temporali compellerentur. Et quidem seculo XIII. à S. Ludovico Rege Galliæ decretum legimus, » ut si aliqui » per annum contumaces extiterint, extunc compellantur red» dire ad Ecclesiasticam unitatem; *ut quos à malo non retrahit* » *timor Dei, saltem pœna temporalis compellat.* Unde præcipi» mus (ait) quod Balvii nostri omnia bona talium excommuni» catorum mobilia & immobilia post annum capiant, nec eis ali» quo modo ea restituant, donec prædicti absoluti fuerint, & » Ecclesiæ satisfecerint.« Plura vide in hanc rem apud Du Cange in Glossario verbo *Excommunicati*, qui ibidem notat, interdum etiam absolutionem petendam à Judicibus Regiis coactos fuisse sub pœna carceris.

XII. Eundem in finem tendunt execrationes & terribiles verborum formulæ, quibus ipsa sententia excommunicationis pronuntiatur, quæ variæ sunt pro diversitate formularum; atque inter alia in formula Pontificalis dicitur: *Et damnatum cum diabolo, & Angelis ejus, & omnibus reprobis in ignem æternum damnatus, donec à laqueis diaboli resipiscat &c.*

XIII. Ad idem tendit, quod recentioribus Decretalibus similiter inductum est, & cujus meminit Synodus Trid. *Sess.* 25. *cap.* 3. *de Reform.* „ ut si obdurato animo censuris annexus, „ in illis per annum insorduerit, etiam contra eum tanquam „ de hæresi suspectum procedi possit.“ Quod tamen hodie juxta suum rigorem non observatur, nisi in Provinciis ubi tribunal Inquisitionis est stabilitum, uti monet Fleury in Institutionibus Juris Ecclesiastici *parte* 3. *cap.* 22. in fine.

XIV. Quod verò ex Pontificalis præscripto injungatur, ut prolato anathemate sive excommunicatione „ Epistola Presby„ teris per Parochias, & etiam vicinis Episcopis mittatur, con„ tinens nomen excommunicati, & excommunicationis causam, „ ne quis per ignorantiam ulteriùs illi communicet:“ ritus est admodum antiquus, & ex traditione Apostolica ad nos transmissus.

XV. Hoc enim semper in Ecclesia usitatum fuit, ut excommunicatus ab uno Episcopo, ab omnibus vitandus esset, & reputandus tanquam Ethnicus & Publicanus. Hujus disciplinæ exemplum habemus in Marcione, qui ab Episcopo ob stuprum excommunicatus, cùm Romam venisset post mortem Hyginii Papæ, & à Clero Romano in communionem admittii postulâsset, respondit Clerus, se id facere non posse sine arbitrio & consensu Episcopi ejus, uti latiùs ex Epiphanio refert Baronius ad Annum 146.

XVI. Hanc disciplinam non introducens, sed renovans Synodus Nicæna I. *Canone V.* statuit: „ ut de iis, qui com„ munione privantur, sive ex Clero, sive ex laico ordine ab „ Episcopis uniuscujusque Provinciæ servetur hæc sententia se„ cundum Canonem, qui pronuntiat, ut qui ab aliquibus ab„ jiciuntur, ab aliis non recipiantur.“ (b)

Ne

(b) *Can. V. Concil. Nic. doctè & nitidè à D. Van Espen exponitur in Dissert. in Synod. Nic.* scholion. *in V. Can.*

XVII. Ne igitur ignorantiam prætenderent Episcopi, jam pridem usitatum fuit, ut excommunicationis sententia per Parochias ubique publicaretur, & Episcopis intimaretur. Hinc Regino Abbas Prumiensis relatâ formulâ excommunicationis seculo XI. usitata, subjungit: „ deinde epistolæ Presbyteris per „ Parochiam mittantur continentes modum excommunicationis, „ in quibus jubeantur, ut diebus dominicis post lectionem „ Evangelii plebibus sibi commissis publicè annuntient ipsam „ excommunicationem, ut ne quis per ignorantiam communi- „ cet excommunicato, oportet etiam, ut aliis Episcopis ipsa „ excommunicatio manifestetur.“ Hæc ille *lib. 2. de Eccles. disc. cap.* 410. dictaque sua confirmat ex *Can. II.* Toletani I.

XVIII. Præter verborum formulas, & externos aliquos ritus ad terrorem adhiberi solitos, recentior quoque disciplina induxit, ut qui excommunicat, excommunicationem *in scriptis proferat, & causam excommunicationis expressè conscribat, propter quam excommunicatio proferatur. Cap. 1. de Sent. Excommunicationis, in VI.*

XIX. Ubi insuper præcipitur excommunicanti, „ exem- „ plum ejusmodi scripturæ excommunicato tradere intra men- „ sem, si requisitus fuerit, super qua requisitione fieri vult „ publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici si- „ gillo authentico consignatas.“

XX. Et hæc quidem in excommunicatione *ferendæ sententiæ* juxta modernam Ecclesiæ disciplinam servanda sunt: Quoad excommunicationem verò *latæ sententiæ* servari debent illa, quæ in legis, aut Canonis promulgatione, & confectione præscripta sunt.

CAPUT IX.

De Interdicto.

1 *Interdictum hodie sumitur pro distincta specie censuræ.*
2 *Descriptio interdicti.*
3 *Quomodo excludatur excommunicatio.*
4 *A suspensione quomodò distinguatur.*
5 *Per interdictum non vetatur usus omnium rerum Divinarum.*
6 *Allegata descriptio interdicti accommodata Recentiorum placitis.*
7 *Interdicti divisio; & quid interdictum* locale.
8 *Quid interdictum* personale.
9 *Mixtum ex utroque.*
10 *Interdictum locale* generale *describitur.*
11 *Quid interdicto* generali *civitatis, aut villæ, vel castri contineatur.*
12 *Interdictum locale particulare: & Ecclesiâ particulari interdictâ quid comprehendatur.*
13 *Interdictum personale* generale.
14 *An Clero interdicto & populus censeatur interdictus, vel è converso.*
15 *Quid interdictum personale* speciale.
16 *An interdicti localis meminerit S. Basilius.*
17 *De hoc interdicto non loquitur S. Augustinus.*
18 *Interdicti* localis *meminisse videtur S. Gregorius Turonensis.*
19 *Usus interdicti generalis maximè invaluit circa seculum X. & sequentia; & quæ hujus occasio.*
20 *Illustris illius forma proposita, & probata in Synodo Lemovicensi.*
21 *Eam* novam *fuisse testantur Auctores coævi.*
22 *Interdicta præsertim Generalia posterioribus seculis multùm frequentia fuerunt.*
23 *Populus per illa Divinis Officiis, & Sacramentis, atque instructionibus frequenter sine propria culpa privabatur; idcircò Pontifex interdicti rigorem mitigare cœperunt.*
24 *Alexander III. permittit Baptismum administrari parvulis, & pœnitentias morientibus.*
25 *Innocentius III. indulsit prædicari verbum Dei, & dari Sacramentum Confirmationis: & Clericis sepulturam in cœmeterio.*
26 *In Conventualibus Ecclesiis submissâ voce recitare Divina Officia; atque peregrinis, & Cruce signatis etiam sanis ut detur Pœnitentia concedit.*
27 *Gregorius IX. permittit in Ecclesia interdicta Missarum solemnia semel in hebdomada sub certis conditionibus celebrari.*
28 *Amplius de interdicti rigore relaxavit Bonifacius VIII.*
29 *Ratio relaxationis petita à detrimento spirituali, quod populus patitur.*
30 *Judices Ecclesiastici minùs circumspectè, & potiùs ex cupiditate, quàm charitate interdicta ferebant.*
31 *Constitutio Bonifacii VIII. contra hæc temeraria interdicta.*
32 *Concordata Brabantiæ ad scandala vitanda modum interdictis ferendis præscripserunt.*
33 *Idipsum præstitum à Synodo Basiliensi.*
34 *Non sine magna causa, & moderatione, & circumspectione interdictum generale infligendum.*
35 *Major causa, & prudentia in ferenda hac generali censura, quàm excommunicatione requiritur.*
36 *Ratio eò debet esse major, quò latius se interdictum extendit.*
37 *Qui effectus interdicti circa cessationem à Divinis.*
38 *Per celebrationem in loco interdicto incurritur irregularitas.*
39 *Interdictum differt à simplici cessatione à Divinis.*
40 *Hæc minora quàm interdictum, præsertim generale, habet incommoda.*

I. Inter species veræ, & propriè dictæ censuræ Ecclesiasticæ hodie uno consensu numeratur *interdictum*; & accipitur pro censura ab excommunicatione, & suspensione distincta; quamvis & in his censuris aliquod interdictum sive interdictio interveniat.

II. Describitur autem communiter *interdictum*, ut est specialis, & distincta species censuræ: » Censura Ecclesiastica pro- » hibens usum quarundam rerum divinarum, ut Fidelibus com- » munem, quatenus talis est.“

III. Excommunicationem hîc excludi dicunt; quia etsi hæc prohibeat quoque rerum quarundam divinarum *usum*, non tamen *quatenus est usus*, sed prout est quædam *communicatio* cum Fidelibus.

IV. A suspensione autem distingui notant, quia hæc privat quidem spiritualium rerum usu; sed non *ut communi Fidelibus*, at solis Clericis proprio; uti capite sequenti notabitur.

V. Dicitur autem in definitione ALIQUARUM *rerum divinarum*: quia interdictum non privat *omnibus* rebus divinis; sed illis duntaxat, quæ in Jure expressæ sunt, & modo etiam in Jure declarato, uti ex dicendis patebit.

VI. Hæc interim satis probant, hanc descriptionem desumptam, & circumscriptam esse conformiter ad ea, quæ à Recentioribus Canonistis, & Theologis Scholasticis circa hanc speciem censuræ recepta reperiebantur. Nec enim in pristinis Canonibus, & Auctoribus has præcisas, & determinatas differentias censurarum facilè reperies.

VII. Interdictum autem jam descriptum dividitur in locale, & personale, & mixtum.

Locale dicitur, quod directè fertur ad locum, ne in eo exerceantur divina, secundum modum à Jure definitum.

In discriptione dictum est *directè* ferri ad locum: quia *indirectè* etiam refertur ad homines: quatenus in eo *loco* divinis interesse nequeunt; Sed tamen quia *directè* solum locum respicit, *non personas*; ideò personæ possunt alio loco divinis assistere, Sacramenta accipere, atque in locis sacris alibi sepeliri: ideoque nec personæ interdictæ dicuntur.

VIII. Interdictum *personale* vocatur, quod dirigitur immediatè, & directè ad *personam*, eique interdicit certum quendam rerum divinarum usum: differtque à *locali*, quod non tenentur ad certum locum. Nam si persona simpliciter si interdicta, nec alibi divinis interesse potest, ipsumque interdictum vulgò dicitur *ambulare* cum persona, & esse *ambulatorium*; nullus autem locus propterea *interdicto* est suppositus, possuntque alii non interdicti in loco divinis interesse.

IX. Mixtum appellatur, collectum ex utroque; id est, quod & directe in locum, & in personam fertur, atque tam personæ quàm locus interdicto *æquè directè* subjacent.

X. Interdictum tam locale, quàm personale ulteriùs dividitur in universale, & singulare.

Locale universale sive generale solet vocari illud, quo interdicto subjicitur locus plura alia loca sub se continens, & suis limitibus comprehendens, ut sunt Regnum, Provincia, Civitas, Diœcesis, &c.

XI. Hujus interdicti mentio occurrit in *Cap.* 10. & 17. *de Sentent. Excommunicat. in VI.* declaratque in posteriore Bonifacius VIII. quòd si » civitas, castrum, aut villa Ecclesiasti- » co subjiciantur interdicto, illorum suburbia, & continentia » ædificio eo ipso intelligi interdicta.“ Rationem subjungit: » Nam licèt prædicta videantur aliàs murorum ambitu termina- » ri, hoc tamen casu ne vilipendi valeat sententia interdicti (quod » fieret, si posset in ipsorum suburbiis, vel continentibus ædifi- » ciis licitè celebrari, ut priùs) expedit, interpretationem fieri » latiorem.“

XII. Interdictum particulare est, quo solummodo interdicto subjicitur locus aliquis particularis; puta, unica Ecclesia; uti sat insinuatur in citato *Cap.* 17. declaratque ibidem Bonifacius VIII. quòd ratio, quæ suadet, civitate interdicta, censeri quoque interdicta suburbia, etiam suadeat, ut » si sit » Ecclesia interdicto supposita vel subjecta, nec in Capella ejus » celebrari, nec in cœmeterio ipsius eidem Ecclesiæ contiguis » poterit sepeliri; secus si ei contigua non existant.“

XIII. Personale interdictum generale dicitur, quo aliqua Commmunitas, ac proinde plures homines complectens, interdicitur; ut si incolæ certæ civitatis, si quoddam Capitulum, si Collegium, si Monasterium &c. accipiendo nimirum Collegium, & Monasterium pro solis personis, ita ut non interdi-

ca-

catur locus. Requiritur etiam, ut homines illi plures interdicantur sub nomine ipsius Communitatis, puta, Civitatis.

XIV. Hujus interdicti mentio fit in *Cap.* 16. *de Sent. Excommunicat. in VI.* declaratque: » Si sententia *interdicti* profe» ratur in *Clerum*, non intelligi (nisi aliud sit expressum in » ea) interdictus populus; nec etiam è converso. Unde uno in» terdicto ipsorum, alius licitè admittitur ad Divina. «

XV. Si aliqui etiam plures interdicantur expressis *nominibus propriis*, & non quatenus constituunt Communitatem, aut Collegium, dicetur Interdictum *particulare*; quia omnes subjiciuntur interdicto ut *particulares*.

XVI. Interdicti generalis, quo Provincia, civitas, aut communitas quædam interdicto subjicitur, & quod hodie consuevit nomine *interdicti* intelligi, meminisse S. Basilium *epistola* 244. credunt nonnulli; ubi interrogatus, quid agendum de illo, qui filiam alicujus rapuerat, resolvit, filiam Parentibus suis restitui, ipsum Raptorem, ejusque complices excommunicari debere: *Villa verò* (ait) *quæ Raptorem susceperit cum Rapta, nec reddiderit, prorsus suspensa sit à precibus, & orationum communione.*

Verùm ex contextu patet, Basilium hîc non loqui de *villa*, prout locum, aut domum quandam significat; sed de familia, quæ Raptorem cum Rapta susceperat; hancque non *interdicto* propriè dicto subjecit, sed in *pœnitentiam* à communione excludendam censuit.

XVII. Similiter quæ sub nomine S. Augustini ex Epistola ad Bonifacium refert Gratianus *Caus.* 17. *q.* 4. *Can.* 8. tametsi essent revera S. Augustini, hujus censuræ antiquitatem minimè probarent: cùm evidens sit, non nisi denegata communione in pœnitentiam ibidem agi.

XVIII. Propriùs ad hanc censuram spectare videtur exemplum relatum à S. Gregorio Turonensi *lib.* 8. *Hist. Francorum, cap.* 31. Cùm enim S. Prætextatus Episcopus Rothomagensis in Ecclesia ipso die Paschatis Divina officia peragens, fuisset trucidatus » Leudovaldus Episcopus Bajocensis Epistolas per om» nes Sacerdotes direxit, & accepto consilio *Ecclesias Rotho» magenses clausit*, ut in his populus *solemnia Divina non » spectaret*, donec indignatione communi reperiretur hujus auc» tor sceleris. « (c)

Nequaquam negari posse videtur, quin hinc aliquam Interdicti speciem habeamus; adeoque facilè crediderim, circa seculum VI. ob enormia crimina cœpisse aliquando civitatis, aut Diœcesis Ecclesias interdicto subjici.

XIX. Sed cùm admodum rara, & extraordinaria essent hæc exempla; nec per omnia conformia illis, quæ jura posteriora de hac censura *interdicti* edicunt, putant non pauci Viri eruditi, originem ejus referendam potiùs esse ad seculum X. aut XI. creduntque, interdictum præsertim *generale*, præcipuè cœpisse frequentari, quando Principes particulares, qui sub Carolo Magno, ejusque Successoribus duntaxat fuerant Provinciarum Gubernatores, se in earum Dominos absolutos erexerunt.

Ut enim horum contumaciam frangerent Episcopi, generali Provinciarum, aut civitatum interdicto uti cœperunt: ut populus tædio affectus, etiam ipsum Principem ab obedientiam quodammodo adigeret.

XX. Quidquid sit, certum est, quòd nulla illustrior forma, atque ipsam Interdicti hodiernam formam, & rationem proprius exprimens, occurrat, quàm in Synodo Lemovicensi ann. 1031. celebrata. In hac enim Odoricus Abbas suggerens Episcopis medicinam adversus generalem morbum, qui contumaciæ Principum, & Magistratuum secularium adscribebatur, adhibendam, ait: » Nisi de pace acquieverint, ligate *omnem terram* Lemo» vicensem publica excommunicatione, eo videlicet modo, ut » nemo nisi clericus, aut pauper mendicans, aut peregrinus ad» veniens, aut infans à bimatu, & infra, toto Lemovicinio se» peliatur, nec in alium Episcopatum ad sepeliendum porte» tur. Divinum Officium per omnes Ecclesias latenter agatur, » sed Baptismus petentibus tribuatur. Circa horam tertiam sig» na sonent in Ecclesiis omnibus, & omnes proni in faciem » preces pro tribulatione, & pace fundant. Pœnitentia, & via» ticum in exitu mortis tribuatur; altaria per omnes Ecclesias, » sicut in Parasceve, nudentur, & cruces, & ornamenta ab» condantur, quia signum luctus & tristitiæ omnibus est. Ad » Missas tamen, quas unusquisque Sacerdotum januis Ecclesia» rum obseratis fecerit, altaria induantur, & iterum post Mis» sas nudentur. Nemo in ipsa excommunicatione uxorem du» cat: nemo alteri osculum det: nemo clericorum, aut laico» rum, vel habitantium, vel transeuntium, in toto Lemovici» nio carnem comedat, neque alios cibos, quàm illos, quibus » in Quadragesima vesci licitum est. Nemo laicorum, aut cle» ricorum tondeatur, neque radatur, quousque districti Prin» cipes, & capita populorum per omnia sancto obediant Con» cilio. Si quis verò probatus fuerit aliquo modo hujus vin» culi violator, non recipiatur nisi cum digna pœnitentia. «

Placuit Odorici consilium Patribus istius Synodi.

XXI. Hoc consilium ad praxim deductum fuisse ab Episcopo Lemovicensi judicat Ademarus Engolismensis scribens circa » idem tempus: Alduinus Episcopus Lemovicensis pro nequi» tia populi *novam* observantiam constituit, scilicet Ecclesias, » & Monasteria cessare à Divino cultu, à Sacrosancto Sacrifi» cio, & populum quasi Paganum à divinis laudibus cessare, » & hanc observantiam excommunicationem censebat. «

An antiquius hujusmodi interdicti exemplum extet, nescio, interim hoc evincit Auctoris hujus testimonium observantiam tunc adhuc fuisse *novam*. Unde & eodem seculo Ivo Carnotensis *Epist.* 94. vocat interdictum, *remedium* INSOLITUM, ob suam nimirum novitatem.

XXII. Hoc quoque indubitatum est, labentibus seculis usum interdictorum præsertim *generalium* mirum in modum fuisse extensum; eoque Pontifices, & Episcopos frequentissimè usos esse, ut Principes & Magistratus, qui particulares excommunicationes in suas personas latas contemnebant, ad obedientiam, & restitutionem adigerent: atque ipsis excommunicationibus vim & efficaciam adderent.

XXIII. Sed cum hæc interdicta plerumque indicerentur ob crimen à *solo* Principe, aut Magistratu commissum, ipseque nihilominùs populus sæpiùs planè innocens eodem interdicto involveretur, & Ecclesiasticis Sacramentis, & Divinis Officiis, & instructionibus salutaribus privaretur; idque cum summo salutis discrimine, idcircò diversi Pontifices diversa temperamenta his interdictis adhibuêre.

XXIV. Seculo XII. ad Episcopos per Angliam constitutos scribit Alexander III. in *cap.* 11. ✠ *de Sponsalib.* ut si Rex Angliæ ad eorum commonitionem non restituat uxores filiis suis intra certum terminum, ut » ex tunc in quacunque (ait) Pro» vinciarum vestrarum detinentur, vel transferuntur (uxores fi» liorum Regis) donec ibi fuerint, *nulla Divina Officia* cele» bretis, nec permittatis aliquatenus celebrari *præter Baptis» mum parvulorum, & pœnitentias morientium.* «

XXV. Ulteriùs Innocentius III. in *cap.* 43. ✠ *de Sent. Excom.* permittit tempore interdicti populo prædicari *Verbum Dei*; & parvulis dari Sacramentum *Confirmationis.* Et in *cap.* 11. ✠ *de Pœnit. & remiss.* indulget, ut tempore interdicti » Cle» rici decedentes, qui tamen servârint Interdictum, in cœme» terio Ecclesiæ sine campanarum pulsatione, cessantibus so» lemnitatibus omnibus, cum silentio tumulentur. «

XXVI. Insuper » & in Coventualibus Ecclesiis bini & bi» ni, vel simul tres horas Canonicas valeant legere, non can» tare, januis clausis, interdictis, & excommunicatis exclusis, » voce ita remissâ, quæ exteriùs audiri non possit. «

Denique indulget, ut Cruce signatis & peregrinis, etiam benè valentibus *detur pœnitentia, cùm postulaverint.*

XXVII. Post hæc Gregorius IX. in *cap.* 57. ✠ *de Sent. Excom.* » permittit Ecclesiarum Ministris semel in hebdomada » tempora interdicti, non pulsatis campanis, voce submissa, » januis clausis, excommunicatis, & interdictis exclusis, Missa» rum solemnia celebrare causa conficiendi Corpus Domini, » quod decedentibus in pœnitentia non negatur. «

XXVIII. Demum Bonifacius VIII. in *cap.* ALMA MATER. *De Sent. Excom. in VI.* in multis rigorem interdicti relaxavit: atque imprimis, ut » non tantùm morientes, sed etiam viven» tes tam sani, quàm infirmi ad pœnitentiam licitè admittan» tur.... Præterea quòd singulis diebus in Ecclesiis & Monaste» riis Missæ celebrentur, & alia Divina Officia sicut priùs, sub» missâ tamen voce, & januis clausis, excommunicatis & inter» dictis exclusis, & campanis etiam non pulsatis..... In festivita» tibus verò Natalis Domini, Paschæ, ac Pentecostes, & As» sumptionis Virginis gloriosæ, campanæ pulsentur, & januis » apertis altâ voce Divina Officia solemniter celebrentur, ex» communicatis prorsus exclusis, sed interdictis admissis, qui» bus, ob reverentiam dictarum solemnitatum, (& ut ipsi ad » humilitatis gratiam & reconciliationis affectum faciliùs incli» nentur) præfatis diebus participationem permittimus divino» rum: sic tamen quòd illi, propter quorum excessum in» terdictum hujusmodi est prolatum, altari nullatenus appro» pinquent. «

XXIX. Rationem hujus relaxationis, & mitigationis præmisserat Bonifacius, dicens: » Quia verò ex districtione hujusmo» di Statutorum excrescit indevotio populi; pullulant hæreses, » & infinita pericula animarum insurgunt, ac Ecclesiis sine cul» pa eorum debita obsequia subtrahuntur. «

Eandem rationem tangit idem Pontifex in *Extravag.* 2. *de Senten. Excomm.* his verbis: » Tolluntur mortuis, seu minuun» tur suffragia, præsertim per oblationem frequentem hostiæ » salutaris, adolescentes, & parvuli participantes rariùs Sacra» menta, minus inflamantur, & solidantur in fide, fidelium te» » pes» orbis Christiani partibus.

(c) *Ex isto exemplo conjicere solent Canonista antiquiora Interdicti localis vestigia reperiri in Gallis, quàm in cæteris*

» pescit devotio, hæreses pullulant, & multiplicantur pericu-
» la animarum."

XXX. Testatur quoque ibidem Pontifex, quod » nonnulli
» judices *nimis promptè* ad proferendas sententias interdicti,
» etiam in negotiis sive causis, quæ interdum *plus ex cupidita-*
» *tis*, quàm charitatis radice perspicuis indiciis procedere ar-
» guerentur. «

XXXI. Ut his inordinatis interdictis modum ponat, cavet,
» ut nulla Provincia, civitas, castrum, villa, locus, territo-
» rium, vel districtus auctoritate ordinaria, vel delegata sup-
» ponatur Ecclesiastico interdicto pro pecuniario debito, vel
» pro cujusvis monetæ, vel pecuniæ quantitatæ quacunque oc-
» casione, vel causa, seu quovis quæsito colore: pro eo ma-
»ximè quod ipsorum Domini, Rectores seu Officiales, quo-
» cunque nomine censeantur, aut incolæ seu habitatores, aut
» singulares personæ ipsorum statutis, vel statuendis, ordi-
» natis, vel ordinandis terminis hujusmodi debitum seu quanti-
» tatem non solverunt hactenus, aut in antea non persolvent. «

XXXII. In Concordatis quoque inter Carolum V. & Episcopum Leodiensem *tit.* 8. cautum est: » Propter scandala vi-
» tanda, ut honor Dei, & jura serventur, de cætero interdic-
» tum, ut cessus (d) à Divinis nullatenus poni poterunt, pro
» quocunque delicto alicujus singularis personæ, sed solum pro
» delicto Domini loci, Rectorum, seu eorum Officialium, vel
» Communitatis delinquentis, communicato consilio offendentis
» realiter & de facto Clericos in sacris Ordinibus constitutos,
» aut beneficiatos, si verò Beneficiis actu deservientes; quo ca-
» su, si Dominus Rector, vel Communitas delictum infra
» mensem emendare recusaverint, vel quando singularis per-
» sona præmissa perpetrârit, & dictus Dominus Rector, vel
» Officialis talem singularem malefactorem, infra dies octo, si
» præsens fuerit, non apprehenderit, vel absentem, infra men-
» sem non bannierit, aut apprehensum ad satisfaciendum infra
» dies octo non compulerit, sed Communitas præmissa sic fie-
» ri non procuraverit, tunc nisi de diligentia, per eos super
» præmissis facta, constiterit; cessus, vel Interdictum poni po-
» terit, aliàs non: reservatâ Judici Ecclesiastico, & seculari
» (ut præmissum est) correctione offendentium realiter perso-
» nas Ecclesiasticas, vel eis realiter injuriantes. «

XXXIII. Similes penè limitatio jam pridem facta est in Concilio Basileensi *Sess.* 20. insertaque Pragmaticæ Sanctioni, & Concordatis Galliæ sub titulo *de Interdictis non leviter ponendis.*

XXXIV. Meritò monet ad illum textum Glossographus Pragmaticæ Sanctionis, » non sine magna causa, & maturitate
» gravi esse procedendum ad Interdictum generale, ne facilè in-
» finiti inculpabiles propter delictum paucorum à Sacramentis
» interdicti censeantur. «

Addit deinde: » Discretio fundet, ut primò delinquentes
» specialiter & nominatim interdicantur, & non alii. Ut ab ini-
» tio delinquentes generaliter non interdicantur quoad omnes
» effectus interdicti, sed quoad quosdam; scilicet primò inter-
» dicatur culpabilibus Corpus Christi, & sepultura in cœme-
» terio, & sic paulatim procedendo de effectu in effectum. Et
» demùm cùm in profundum malorum laberentur, propter eo-
» rum culpam Interdictum generale proferendum, ut omnes in-
» culpabiles contra delinquentes insurgant. «

XXXV. Sanè si in ferenda excommunicatione in unam & singularem personam, gravis causa, magnaque prudentia & circumspectio requiratur, ut in antecedentibus ostendimus, quantò magis in ferendo *interdicto* præsertim generali, quo plures innocentes solent involvi, crimen enorme necessarium, summaque circumspectione procedendum est.

XXXVI. Hoc autem indubitatum est, eo majorem, & graviorem causam requiri, majoremque necessitatem, & circumspectionem, quo interdictum est generalius, & ad plura loca, & personas se extendit.

XXXVII. Qui sint effectus Interdicti, & à quibus tempore interdicti sit abstinendum, facilè colligi potest ex Decretalibus supra relatis: cessandum enim est ab omnibus sacris functionibus sub modo & forma ibidem expressis.

XXXVIII. » Is verò, qui scienter in loco celebrat supposi-
» to *interdicto* (nisi super hoc privilegiatus existat, aut à jure
» est concessum eidem) irregularitatem incurrit: à qua nequit
» per alium, quàm per Romanum Pontificem liberari, & adeò
» efficitur inteligibilis, quod nec ad eligendum cum aliis debe-
» bit admitti. « *cap.* 18. §. 1. *de Sent. excomm. in VI.*

Notant autem Doctores, quòd etsi hîc tantùm fiat mentio *celebrationis*; eaque soleat restringi ad *celebrationem Missæ*, hîc tamen comprehendere omnem Divinorum celebrationem, etiam Sacramentorum administrationem; nimirum juxta limitationem suprà ex Decretalibus relatas.

XXXIX. Interdictum à simplici *cessatione à divinis* esse distinctum: nec hanc esse propriè *censuram* Ecclesiasticam communiter observant interpretes; & sat evidenter exprimitur in *cap.* 18. *de Sent. excom. in VI.* dum dicitur, quòd » is, qui
» in Ecclesia sanguinis effusione pollutâ, vel qui præsentibus
» majore excommunicatione nodatis, scienter *celebrare* præsu-
» mit: licèt in hoc temerariè agat, *irregularitatis* tamen (cùm
» id in jure expressum non sit) *laqueum non incurrit*; « quem tamen incurreret, si cessatio à Divinis cum *Interdicto*, ut est censura, coincideret: quia indubitatum est, hujusmodi cessationi à Divinis supposita esse Ecclesiam sanguinis effusione pollutam; neque in ea ante reconciliationem Divina officia, præsertim Missarum solemnia celebrari posse, uti ostendimus *parte* 2. *tit.* 16. *cap.* 4.

XL. Cùmque cessatio à Divinis à jure ob crimen in Ecclesia commissum, ad terrorem populi infligatur, atque tantùm in Ecclesia speciali crimine polluta à Divinis cessetur ob delictum publicum; non solet hæc cessatio à Divinis secum trahere magna incommoda; nataque est populo salutarem terrorem & criminis horrorem incurrere; unde meritò hæc à Divinis Officiis cessatio servatur; atque sæpiùs expediret, ut Ecclesiæ reconciliatio ad aliquod notabile tempus differretur, præsertim si de crimine enormi agatur, & aliæ non desint Ecclesiæ, in quibus Divina officia peragantur. (e)

CAPUT X.

De Suspensione.

1 *Suspensio hodie distincta species censuræ.*
2 *Ejus definitio.*
3 *Desumpta ex iis, quæ de hac censura tradunt recentiores.*
4 *Quomodo ab excommunicatione distinguatur.*
5 *Suspensio est Censura propria Clericis.*
6 *Suspensio alia est ab officio, alia à Beneficio.*
7 *Prior importat Suspensionem ab Ordine, & jurisdictione.*
8 *Suspensio ab Officio non privat iis, quæ sunt communia laicis.*
9 *Suspensio potest esse partialis ad ea, quæ sunt Ordinis vel quæ jurisdictionis, aut aliqua eorum.*
10 *Etiam limitari potest ad locum.*
11 *Simpliciter expressa non restringitur ad tempus.*
12 *Potest tamen restringi.*
13 *Hæc expirat per lapsum temporis.*
14 *Quid suspensio à Beneficio, & quomodo restringi queat.*
15 *Multis seculis ignota fuit distinctio Suspensionis à Beneficio & ab Ordine.*
16 *An hodie Suspensio ab officio importet Suspensionem à Beneficio.*
17 *Suspensio debet ferri in scriptis causâ expresâ.*
18 *Debet dari copia Suspenso, si petat.*
19 *Hæc non requiruntur in Suspensione* latæ *sententiæ; & hæc quid sit.*
20 *Suspensio non privat Clericum suo Beneficio, aut Officio.*
21 *Qua ratione suspensio censeatur non perpetua.*
22 *Quomodo distinguatur à depositione.*
23 *Clericus suspensus ab Ordine fit irregularis, si exerceat ea, quæ Ordinis illius sunt.*
24 *Idque de jure etiam in Clericis minorum Ordinum obtinere verius est.*
25 *Secus attendendo multarum Ecclesiarum consuetudinem.*

I. Inter species censuræ hodiæ numeratur *suspensio*, juxta Responsum Innocentii III. in *cap.* 20 ✠ *de V. S.* & ubi notant uno consensu Interpretes; eamque esse censuram distinctam ab Excommunicatione, & Interdicto.

II. Definitur autem communiter Suspensio prout est censura distincta à reliquis censuris: » Censura Ecclesiastica, qua
» Clericus ob culpam suam prohibetur ab Executione potesta-
» tis Ecclesiasticæ, quam habet ratione officii, aut Beneficii
» Ecclesiastici, vel in totum, vel pro parte, vel ad tempus, vel
» in perpetuum."

III. Non dubium, quin hæc definitio accommodata sit iis, quæ à Canonistis, & Scholasticis recentioribus communiter de hac censura traduntur. Licèt enim in sacris Canonibus frequenter mentio fiat de Interdictione, aut Suspensione Clericorum à suis functionibus pro meritis culpæ: nihil tamen de suspensione, prout constituit præcisè speciem censuræ, eamque à reliquis formaliter distinctam, occurrit. Simpliciter de hac Suspen-

(d) *Id est, cessationes à Divinis Officiis.*

(e) *In Hispania neque pro Bullarum, Compositionum virtute earum, debiti particularis ratione, aut contra Regiæ Jurisdictionis usum Interdictum imponi posse, vetant leg.* 4. *tit.* 8. *lib.* 1. *&* 7. *tit.* 1. *lib.* 4. *Recop. Neque etiam per spatium triginta dierum in locis, ubi Regia Curia stiterit, quod ita constat concessum à SS. Papa Paulo III. per suum Breve anno* 1548. *citatum in Act. Acordat.* 1. *tit.* 8. *lib.* 1. *& confirmatur in Remiss.* 30. *tit.* 4. *lib.* 2. *Recop.*

pensione tanquam pœna Clericis pro modo culpæ infligendâ agitur.

IV. Dicunt autem communiter Doctores hanc suspensionis censuram distingui ab Excommunicatione : quia licèt hæc etiam privet Excommunicatum exercitio, & usu potestatis Ecclesiasticæ, non privat tamen cum hoc exercitio, quatenus est *usus* alicujus potestatis Ecclesiasticæ convenientis ratione officii, vel Beneficii, uti privat suspensio : sed tantùm privat illo exercitio, sive usu ut habet rationem *communicationis* cum Fidelibus.

V. Hinc & profluit; quòd excommunicatio sit censura communis laicis & Clericis; suspensio autem propria sit solis Clericis, qui capaces sunt potestatis Ecclesiasticæ, à cujus consequenter usu in functione prohiberi, sive suspendi possunt.

VI. Ex allegata definitione facilè colligitur, Suspensionem imprimis dividi posse in eam, quæ est ab officio, & eam, quæ est à Beneficio.

VII. Suspensio ab officio simpliciter expressa importat suspensionem ab executione Ordinis, & jurisdictionis, quemadmodum tradunt Interpretes ad *cap.* 1. *de Sent. & re jud. in VI.* ubi dicitur, quòd si suspensus *ab Officio* damnabiliter se *Divinis* ingesserit, irregularitatem incurrat : adeoque supponitur, suspensum ab officio nullis se posse Divinis ingerere.

VIII. Per suspensionem *ab Officio* suspenditur Clericus ab omni officio Ecclesiastico, sive illud ab Ordine, sive à jurisdictione dependeat; modò verè sit officium Ecclesiasticum: nam iis, quæ laicis æquè ac Clericis communia sunt, hæc censura non privat. Unde per suspensionem nullus privatur passivâ Sacramentorum participatione, neque ingressu Ecclesiæ, aut communibus Ecclesiæ sufragiis, vel Ecclesiastica sepultura, aliisque similibus, quæ nec ab Ordine, nec à jurisdictione Ecclesiastica dependent.

IX. Licèt autem hæc suspensio simpliciter expressa suspendat ab omnibus, quæ Ordinis & jurisdictione sunt, nihilominùs subindè vel tacitè vel expressè potest limitari, vel ad ea, quæ Ordinis, vel ad ea quæ jurisdictionis sunt; quinimò ad certum aliquem & determinatum actum vel Ordinis, vel jurisdictionis, quæ vocari solent Suspensiones *partiales* : neque suspensio limitata ultra expressos limites est extendenda : quales partiales suspensiones in Jure expressas plures recitat Glossa ad *Clem.* 3. *de Pœnis.*

X. Potest quoque suspensio restringi ad certum locum; ut nimirùm tantùm suspendatur ab Ordinis vel jurisdictionis executione in certo loco; quo casu liberè in aliis locis officio suo fungi poterit.

XI. Suspensio simpliciter lata, sicuti ad nullum certum Ordinis vel jurisdictionis actum restringitur; ita quoque ad nullum determinatum tempus limitatur, sed censetur esse perpetua, saltem *negativè*, id est, quòd nullum certum terminum durationis assignatum habeat, duratura quousque ab habente potestatem tollatur; qui incertus terminus tacitè semper includitur, atque in hoc suspensio differt à depositione quæ *positivam* quandam perpetuitatem durationis includit.

XII. Quin tamen suspensio possit ad certum, & determinatum tempus, non secus atque ad certum actum restringi indubitatum est : multasque hujusmodi suspensiones notavit Glossographus ad citat. *Clem.* 3. verbo *Suspensio.*

XIII. Suspensio autem ita ad tempus limitata, ultra tempus non durat; sed lapso tempore expirat, etiam sine Judicis absolutione : quemadmodum docent communiter Doctores post Glossam in *cap.* 48. ✠ *de Sent. Excommun.* & ad *Clement.* 1. *de Decimis*; ubi & notat Glossa verbo DONEC, quod si suspensio lata sit cum clausula : *Donec satisfecerit*, sufficiat Judicis declaratio super satisfactione *sine alia absolutione.*

XIV. Suspensio *à Beneficio* dicitur, quâ Clericus à perceptione fructuum Beneficii, aut aliis à Beneficio dependentibus suspenditur.

Sicuti autem suspensio ab officio potest esse partialis & limitata, tàm quoad actum, quàm quoad tempus; ita & hæc limitari potest ad quandam partem fructuum, aut ad certum tempus.

XV. Non dubium, quin multis seculis ignota fuerit distincta suspensio à Beneficio, quodque suspensio ab Ordine secum traheret suspensionem à perceptione fructuum, quæ ab Ordine, sive illius exercitio dependebat, nullis adhuc specialibus Beneficiorum titulis erectis, uti *parte* 2. *tit.* 18. *cap.* 1. ostendimus.

XVI. Hodie verò controvertitur inter Doctores, num suspensio ab officio secum trahat suspensionem à Beneficio : quemadmodum videri potest apud Suarezium *de Censuris*, *disp.* 26. *sect.* 3. atque ob hoc dubium solent Judices volentes ab utroque suspendere, dicere, *ab officio, & Beneficio.*

XVII. Ut autem certiùs constet de suspensionis natura, & quousque hæc se extendat, debet Judex eam *in scriptis* proferre, & causam expressè conscribere, propter quam suspensio proferatur; quemadmodum in terminis statuitur *in cap.* 1. *de Sent. Excomm. in VI.*

XVIII. Additur insuper : exemplum verò hujusmodi scripturæ teneatur (Judex) suspenso tradere intra mensem, si fuerit requisitus; super qua requisitione fieri vult publicum instrumentum, vel litteras testimoniales confici, sigillo authentico consignatas.

XIX. Et hæc quidem ubi agitur de suspensione à Judice proferenda. Secùs autem de suspensione *latæ sententiæ*, quæ nimirùm à Lege, seu Canone infligitur; puta, qua ordinans alienum Diœcesanum sine licentia sui Ordinarii à collatione Ordinum per annum, & ordinatus à susceptorum Ordinum executione, quandiu proprio Ordinario videbitur, est suspensus ex decreto Concilii Tridentini *Sess.* 23. *cap.* 8. *de Reform.* Et *cap.* 10. declarantur ab officio & Beneficio per annum ipso jure suspensi, concedentes dimissorias contra formam Decreti dicto capite expressi.

In his enim & similibus suspensionibus à jure inflictis requiritur Legum ipsarum, à quibus dependent, legitima promulgatio; quemadmodum suprà de Excommunicationibus *latæ* sententiæ notatum fuit.

XX. Cujuscunque naturæ, aut extensionis sit suspensio, certum est, quòd tantùm ipsum Clericum ab officio, vel Beneficio *suspendat*; id est, impediat, quominus suo officio, liberè fungatur, functionesve ei annexas exerceat, aut emolumenta percipiat : nequaquam autem ipsum privet *officio*, aut *Beneficio.*

XXI. Hinc ipsa suspensio, quamvis ad nullum certum durationis terminum limitata sit, nihilominùs ex se denotat quandam remisibilitatem & spem restitutionis; eò quòd officium & Beneficium Clerico suspenso integrum relinquat.

XXII. Ex his quoque manifesta est differentia inter simplicem suspensionem, & depositionem. Hæc enim non tantùm ab executione officii, & Beneficii suspendit Clericum, sed absolutè deponit, atque officio & Beneficio absolutè privat, titulumque auffert; in tantum, ut sine nova collatione & titulo ad officium vel Beneficium redire nequeat.

Verum quidem est, nec per depositionem ab Ordine tolli characterem Ordinis, atque depositum ab Ordine Sacerdotii remanere revera Sacerdotem; tamen depositio hæc etiam differt à suspensione : eò quòd ipsa depositio significet privationem perpetuam, & irremissibilem usûs Ordinum, non ita autem suspensio; uti notant communiter Canonistæ & Theologi Scholastici, quamvis fateantur depositionem ab Ordine subinde vocari suspensionem *perpetuam.*

XXIII. Tametsi Clericus ab Ordine suspensus non privetur absolutè suo Ordine, neque usu sui Ordinis, nihilominùs si durante suspensione exerceat functiones sui Ordinis, à quo suspensus est, fit irregularis.

XXIV. Hoc & procedere in Clericis minoribus duntaxat Ordinibus initiatis, latè probat Fagnanus ad *Cap.* SI QUIS PRESBYTER ✠ *de Clerico excom. ministrante* : modò tamen exerceant aliquid deputatum *certo Ordini*, & insuper illud agant *tanquam Clerici* sive Ordinibus insigniti : secus si obeant illa tanquam alii laici sine respectu ad Ordines : quemadmodum solent passim etiam per laicos obiri ministeria Ordinum minorum; quamvis secus fieri optet Synodus Tridentina.

XXV. Quia equidem passim consuetudo habet, ut functiones minorum Ordinum obeant etiam laici, plures tam Theologi quam Canonistæ sustinent, quòd stante hac consuetudine Clericus in minoribus constitutus & *suspensus* non fiat *irregularis*, quantumvis obeat functiones minorum Ordinum; sed quæ ex consuetudine suæ Ecclesiæ indifferenter exercentur *à laicis*, & Clericis. Quæ sanè opinio, stante hanc consuetudine, nescio, an omninò rejicienda sit. Auctores hujus opinionis citatos, vide apud Fagnanum loco citato *num.* 6.

CAPUT XI.

De Absolutione a Censuris.

1 *Censura tollenda ab eo, qui eam tulit.*
2 *Vel ab illo, qui ipsum repræsentat.*
3 *Olim ab Episcopo censuram tollere recusante recurri debebat ad Synodum Provincialem.*
4 *Disciplina hæc expressa Canone Concilii Nicæni.*
5 *Censura ab Episcopo inflicta vim suam retinebat quousque per Synodum judicatum erat, eam tollendam.*
6 *A judicio Synodi ulterius non appellabatur.*
7 *Refertur Canon Africanus inhibens appellationes Ultramarinas.*
8 *Quomodo hunc Canonem interpolaverit Gratianus.*
9 *Tempore Gratiani receptæ erant appellationes ad Metropolitanos, & ab his ulterius ad Sedem Apostolicam.*
10 *Ad quem à recusante Episcopo recurrendum pro obtinenda absolutione à censura lata ab homine.*

11 *Censura* latæ *sententiæ ordinariè tolli potest per proprium Episcopum, aut proprium Sacerdotem.*
12 *Quis nomine proprii Episcopi intelligatur.*
13 *Per proprium Sacerdotem intelligitur quilibet Presbyter habens auctoritatem absolvendi à mortalibus Sacramentaliter.*
14 *Absolutio à censuris à Confessariis solita præmitti absolutioni Sacramentali est duntaxat ad* cautelam.
15 *Similiter & illa, quæ Bullis & Litteris Pontificiis de stylo inseri solet.*
16 *Absolutio ad* cautelam *interdum datur ad petitionem alicujus.*
17 *Absolutio ad* cautelam *multis seculis ignota fuit.*
18 *Presbyter simpliciter approbatus non absolvit à censuris* reservatis; *& de harum origine, & progressu, remissivè.*
19 *Qui habet auctoritatem absolvendi à casibus reservatis Papæ, etiam habet absolvendi à censuris eidem reservatis.*
20 *Idem videtur de censuris Episcopo reservatis.*
21 *Quomodo facultas absolvendi à reservatis concedenda, remissivè.*
22 *Absolutio à censuris in Sacramento Pœnitentiæ tantùm operatur in foro conscientiæ.*
23 *Pro foro externo quoad reservatas Papæ, recurrendum ad Sedem Apostolicam; & quomodo absolutio expediatur.*
24 *De auctoritate Episcoporum absolvendi à censuris reservatis ex delictis* occultis, *remissivè.*
25 *An Judices Regii cogere possint Judices Ecclesiasticos ad tollendas censuras.*

I. EXcommunicatum ab uno Episcopo esse ab omnibus habendum tanquam excommunicatum, suprà *cap.* 8. ostensum est.

Hinc & regula fluxit ab omnibus passim probata, censuram ab homine latam jure communi & ordinario esse tollendam ab eodem, à quo lata fuit.

II. Hîc tamen non ipsa singularis, atque individua persona excommunicantis attendenda est; sed ipsum officium seu dignitas, vi cujus auctoritas ferendi censuras competit illi, qui censuram tulit.

Unde censura inflicta per Episcopum jure suæ ordinariæ jurisdictionis, potest eo mortuo solvi ab omni eo, qui in ejus jurisdictionem ordinariam succedit; puta, Capitulo Sede vacante, vel Vicario à Capitulo constituto, nisi restrictam auctoritatem acceperit; item successore in Episcopatum.

III. Quòd si is, qui censuram protulit, nolit eam tollere, credatque censurâ innodatus, censuram esset injustam, aut saltem eatenus satisfecisse, ut absolutionem mereatur obtinere; jam pridem decretum fuit, ut is Synodo Provinciali bis quotannis celebrandæ se sisteret: ut hæc omnibus perpensis, vel censuram confirmaret, vel infirmaret; eam vel injustam declarando, vel ipsum querellantem à censura absolvendo.

IV. Hanc disciplinam exhibet Synodus Nicæna *Can. V.* dicens: »De his, qui communione privantur, seu ex Clero, »seu ex Laico Ordine, ab Episcopis per unamquamque Pro»vinciam sententia regularis obtineat, ut hi, qui abjiciuntur, »non recipiantur ab aliis. Requiratur autem, ne pusillanimita»te, aut contentione, aut alio quolibet Episcopi vitio videan»tur à congregatione seclusi. Ut hoc ergò decentiùs inquira»tur, benè placuit annis singulis per quamcumque Provinciam »bis in anno Concilia celebrari, aut communiter omnibus si»mul Episcopis Provinciæ congregatis, discutiantur hujusmo»di quæstiones, & sic qui suo peccaverint evidenter Episcopo, »excommunicati rationabiliter ab omnibus æstimentur; usque»quo vel in communi vel Episcopo placeat humaniorem pro »talibus ferre sententiam. Concilia verò celebrentur, unum qui»dem ante Quadragesimam Paschæ; ut communi dissensione »sublata munus offeratur DEO purissimum: secundum verò cir»ca tempus Autumni.«

V. Juxta disciplinam itaque hoc Canone firmatam, excommunicati à suo respectivè Episcopo tanquam tales habendi sunt, quousque vel Episcopis in Synodo congregatis, vel ipsi Episcopo, qui excommunicavit, placuerit humaniorem pro talibus ferre sententiam.

VI. Supponit non obscurè ipsa Synodus Nicæna, excommunicationem latam ab Episcopis à nullo, nisi à Synodo Provinciali posse infirmari, neque ab hujus judicio ulteriùs appellari posse: quod & ipse Christianus Lupus in *Tract. de Appel. cap.* 12. fatetur, dum de censuris in laicos, aut inferiores Clericos prolatis agitur: atque multis probârunt, & magno studio, & ferventi animo sustinuerunt Episcopi Africani in causa cujusdam Appiarii Presbyteri à suo Episcopo depositi, & à Zosimo R. Pontifice in communionem suscepti; uti videri potest in his, quæ observavimus ad Canones Codicis Africani.

VII. Hinc & Codicis illius *Can. CXXV.* ait: »Item pla»cuit, ut Presbyteri, Diaconi, vel cæteri inferiores Clerici, »in causis, quas habuerint, si de judiciis Episcoporum suo»rum questi fuerint, vicini Episcopi eos audiant, & inter eos »quidquid est, finiant, adhibiti ab eis ex consensu Episcopo»rum suorum. Quod si & ab eis provocandum putaverint, non »provocent nisi ad Africana Concilia, vel ad Primates Pro»vinciarum suarum. Ad transmarina autem qui putaverit ap»pellandum, à nullo intra Africam in communionem sus»cipiatur.«

VIII. Gratianus quidem relato hoc Canone *Caus.* 2. *q.* 6. *Can.* 35. addit hanc clausulam; *nisi fortè Romanam Sedem appellaverint*, »quasi Africani trans Mare appellantes, alio quàm »ad Romanum Pontificem appellare consuevissent,« uti notat Severinus Binnius ad *Can. XXII.* Concilii Milevitani II. explodens ineptam hanc Gratiani exceptionem: qui ignorans pristinam disciplinam, Canones sæpiùs ad sui temporis disciplinam retorquet; uti pluribus exemplis in notis ad Canones ostendimus.

IX. Scimus enim tempore Gratiani morem fuisse, ut à Judiciis Episcoporum non tantùm ad Synodos Provinciales, aut Provinciarum Primates, vel Metropolitanos appellaretur; sed insuper ab horum judicio ad Sedem Apostolicam appellare liberum esse. Quod vel ex sola declaratione S. Bernardi adversus abusus appellationum ad Regiam Curiam constat, ac signanter *lib. 3. de Consid. ad Eugenium cap.* 2. Et *Epist.* 178. in editione Horstii, ubi queritur, per has appellationes justitiam in Ecclesiis deperire, annullari claves Ecclesiæ, Episcopalem omninò vilescere auctoritatem. Vide latiùs supra *tit.* 10. *cap.* 1. ubi & verba S. Bernardi relata sunt.

X. Potest ergò juxta recentiorem & modernam disciplinam absolutio à censuris impendi imprimis ab eo qui eas tulit. Si verò eam impendere recuset, recurri potest ad ejus Superiorem, v. gr. ab Episcopo ad Metropolitanum, à Metropolitano ad Primatem, aut Romanum Pontificem: ut causâ discussâ ad Ordinarium absolvendus remittatur, aut si absolutionem recuset, superior eam impertiatur, prout exprimitur in *Cap.* 7. §. SANE *de Sentent. excomm. in VI.* ubi dicitur: »Sanè si cer»tum est excommunicationis sententiam esse justam, velut »cùm propter manifestum excessum est in aliquem promulgata: »Superior Judex (nisi periculum sit in mora) excommunica»tum ad excommunicatorem prorsus remittere debet: nec de»bet eum absolvere, nisi excommunicator requisitus malitiosè »illi absolutionis beneficium deneget exhibere. Si verò constet »hujusmodi sententiam esse injustam, nequaquam remittendus »est ad suum excommunicatorem excommunicatus; sed debet »sine difficultate aliquâ mox absolvi. Quod si dubitetur, utrum »justa sit, vel injusta, superior (nisi excommunicatori deferat) »relaxare juxta formam Ecclesiæ potest illam: quanquam ho»nestiùs & convenientiùs agat, si ei deferat in hoc casu. Ubi »autem Superiori competit de excommunicatione cognoscere, »absolutio seu relaxatio, quam ipse fecerit, tenet, licèt for»sitan sit justa: quoniam etsi contra jus litigatoris, non tamen »contra jus Constitutionis absolvit.«

XI. Et hæc quidem de absolutione à censuris ab homine latis. Quoad censuras verò latas à jure sive *latæ* sententiæ, hæc regula communiter statuitur; Si Pontifex, aut Conditor Canonis earum absolutionem specialiter non reservaverit, absolvi unusquisque poterit à proprio Episcopo, imò & à proprio Parocho. Quæ Regula apertè traditur in *Cap.* NUPER ✠ *de Senten. Excom.* cujus hæc sunt verba: »In secundo verò casu à »suo Episcopo vel proprio Sacerdote poterit beneficium abso»lutionis obtinere; quamvis enim & tunc non judicis, sed ju»ris sententiâ excommunicato communicans sit ligatus; quia »tamen Conditor Canonis ejus absolutionem sibi specialiter non »retinuit, eo ipso concessisse videtur aliis facultatem rela»xandi.«

XII. Observat Suarezius *De Cens. Disput. 7. Sect.* 3. nomine Episcopi in hoc Decretali intelligi Episcopum proprium ipsius Excommunicati; item omnem illum, qui in jurisdictionem Episcopalem succedit.

XIII. Per *proprium Sacerdotem* intelligi *proprium Parochum* excommunicati notat idem Auctor; quamvis ex ratione ipsius Decretalis intelligatur *quilibet* Presbyter habens auctoritatem absolvendi tanquam minister Sacramenti Pœnitentiæ à peccatis *mortalibus*; præsertim, quia uti ibidem *sect.* 4. *numer.* 9. rectè monet Suarezius, quatenus munus illud exercent Presbyteri, subeunt vices, & munus proprii Sacerdotis.

XIV. Itaque verbo dicam, omnis Sacerdos legitimè approbatus pro confessionibus audiendis potest absolvere ab excommunicatione, aliisque censuris à jure latis non reservatis, quod & innuit formula absolutioni Sacramentali præmitti solita: Absolvo te ab omni vinculo excomunicationis, & suspensionis, interdicti, in quantum possum ac indiges.

Hæc autem absolutio dicitur ad *cautelam*: quæ etiam non petenti, neque de aliqua à se contracta censura hæsitanti, aut suspicanti, impenditur; & semper solet præmitti absolutioni Sacramentali: ne alias absolutio Sacramentalis propter censuram à pœnitente contractam invaliditatis periculo exponatur.

XV. Similiter & omnibus Rescriptis, Bullis & Privilegiis Apos-

Apostolicis inseri consuevit sub hac formula : *Te ab omni vinculo excommunicationis, quod incurristi, absolventes, vel absolutum fore censentes* : uti nimirum hac mediante absolutione, effectum ipsius Privilegii, vel alterius gratiæ concessæ possit consequi non obstante excommunicatione, si quam incurrisse potuisset. Unde & additur : *Ad effectum præsentium litterarum consequendum, & non aliàs.* Hæ absolutiones solent etiam vocari *generales*; eò quòd nullam specialem censuram respiciant.

XVI. Interdum absolutio ad *cautelam* conceditur ad petitionem partis, cùm nimirum dubitatur, an excommunicationem incurrerit, vel excommunicatio injusta sit, aut denique ob periculum mortis, aut certum, & determinatum effectum jam obtinendum, v. gr. ferendi testimonium comparendi in judicio, obtinendi Beneficium &c. Quibus casibus non omninò solvitur excommunicatio, sed tantùm quoad certum effectum, aut durante impedimento, quo sublato, rursus in excommunicationem reincidit, teneturque absolutionem ab excommunicatione petere, ideoque hæc absolutio dicitur *cum reincidentia, vel ad reincidendum.*

Hujus absolutionis mentio fit in *Cap.* 9. ✠ *de Excep.* Cùm enim quidam Canonici Pragenses vellent apud Sedem Apostolicam prosequi ordinationem Ecclesiæ Pragensis, eisque objicerentur quædam *suspicionis* & amotionis à Beneficiis sententiæ, quas, ut ipsi dicebant, possent probare per testes idoneos & instrumenta : » Ne tamen (ait Pontifex) ordinationem Pragen-» sis Ecclesiæ, propter quam veneratis, hujusmodi objectio-» nis obstaculo contingeret retardari, sententias ipsas relaxamus » *ad cautelam.* «

XVII. Hæ absolutiones *ad cautelam* usque ad seculum IX. aut X. quando excommunicationes frequentiores esse cœperunt, ignotæ fuisse videntur ; quia olim hoc jure utebantur, inquit Cujacius ad *Cap.* 1. ✠ *de Judiciis*, ne quis excommunicatus absolveretur ante discussam, finitamque excommunicationis causam : qui & ibidem notat Raymundum immutâsse verba Canonis Africani (qui in dicto *cap.* 1. refertur) ut eum ad sui temporis disciplinam inflecteret, addendo hanc clausulam, *donec satisfactione præmissa fuerit absolutus*, quæ desumpta est ex *Cap.* 23. ✠ *de V. S.* in quo respondit Innocentius III. quòd excommunicatus ob contumaciam absolvendus sit statim atque satisfecerit, puta, præstitâ cautione judicio standi, etiamsi criminalis causa nondum peracta fuerit. Ut plenius notavit ad *Canon. LXXXVII.* in Codice Africano.

Cæterum de hac specie absolutionis videri potest Joannes Tournetius in Tractatu *de Absolutione ad Cautelam*, inter Opera Francisci Florentis.

XVIII. Hactenus dicta circa auctoritatem absolvendi à censuris juxta citatum *Cap.* NUPER, intelligenda sunt, nisi absolutio à censuris specialiter Papæ, ut Episcopo, vel aliis Prælatis sit reservata : quæ reservatio posterioribus seculis multum excrevit ; ut ex dictis *parte* 2. *tit.* 6. *cap.* 7. colligi potest, ubi de Casibus reservatis, eorumque origine, necnon scopo reservationis pluribus actum est.

Notatum autem ibidem fuit, à casibus Papæ reservatis neminem posse absolvere extra necessitatem, nisi qui auctoritatem à Papa absolvendi obtinuit.

XIX. Qui autem habet potestatem absolvendi à peccatis reservatis in foro Pœnitentiali, etiam potest absolvere à censuris reservatis ; eò quòd omne peccatum reservatum Papæ habeat annexam censuram similiter reservatam ; cùm ergo à peccato nemo absolvi queat, nisi priùs absolvatur à censura illi annexa, necesse est, ut qui potestatem concedit absolvendi à peccato, etiam concedat absolvendi à censura.

XX. Licèt autem nonnulli sint casus reservati Episcopis, qui censuram annexam non habent ; nihilominus si indefinitè concessa fuerit ab Episcopo licentia absolvendi à reservatis, censebitur etiam data pro reservatis habentibus censuram annexam; & consequenter ad absolvendum à censuris reservatis, quæ casibus sive peccatis illis sunt annexæ, & à quibus absolutio dari nequit, nisi prævia absolutione à censuris annexis.

XXI. Quomodo cum moderatione & prudentia hæc facultas concedenda sit, ne aliàs reservatio casuum, & censurarum reddatur planè inutilis, ac fine, quem Ecclesia intendit, frustretur, ostendi supra *cap.* 7.

XXII. Notandum autem, quòd facultas dari solita Confessariis ad absolvendum à casibus, & censuris reservatis, concernat duntaxat forum *conscientiæ* & Pœnitentiale, non autem forum externum.

XXIII. Unde ut habeatur absolutio à censuris, aut casibus Papæ reservatis pro foro *externo* oportet recurrere ad Papam, præsertim si agatur de peccatis *publicis* ; soletque in Dataria expediri commissio ad Ordinarium, ejusve Officialem, ut eum juxta tenorem commissionis auctoritate Apostolicâ absolvat: non secùs atque in aliis dispensationibus & absolutionibus fieri consuevit.

XXIV. Quoad censuras ex delictis *occultis* Papæ reservatis auctoritâtem satis amplam dedit Synodus Trid. *Sess.* 14. *Cap.* 6. *de Reformat.* de cujus intellectu egimus *p.* 2. *tit.* 10. *cap.* 6. & 7. Cùm autem censuræ reservatæ labentibus seculis multum excrevissent, atque sæpe difficilis esset ad Sedem Apostolicam recursus, Synodus Tridentina *Sess.* 24. *cap.* 6. *de Reformat.* declaravit, quòd » liceat Episcopis in irregularitatibus omnibus & » *suspensionibus*, ex delicto occulto provenientibus, exceptâ eâ » quæ oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis » ad forum contentiosum, dispensare : « quid dicatur *occultum* aut *deductum ad forum contentiosum* ad sensum hujus Decreti notavimus *part.* 2. *tit.* 10. *cap.* 6. & de excepta irregularitate ex homicidio voluntario ibidem *cap.* 7.

XXV. Porrò cum auctoritas absolvendi à censuris dependeat ab auctoritate *Clavium*, & potestate Ecclesiastica, etiam hæc integra Ecclesiæ, ejusque ministris relinquenda. Hinc Synodus Tridentina *Sess.* 25. *cap.* 3. *de Reformat.* declarat ; quòd » nefas sit seculari cuilibet Magistratui prohibere Ecclesiastico » Judici, ne quem excommunicet ; aut mandare, ut latam ex-» communicationem revocet sub prætextu, quòd contenta in » præsenti Decreto non sint observata ; cùm non ad seculares, » sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat. «

Dum in Belgio de promulgatione Concilii Tridentini ageretur, ad citatum Decretum notârunt Magistratus Regii, uti refert Antonius Anselmo in Triboniano Belg. *cap.* 32. §. 46. „Ver-» siculo *Nefas autem sit*, &c. Magistratibus omnibus severè in-» terdicitur, ne excommunicationes Ecclesiasticæ potestatis » impediant, aut jam latas revocari mandent. Hic rursus pleri-» que obloquuntur, Judices Regios hac auctoritate ab omni » memoria in Belgio usos, ut censuras impedire possint, vel » ad revocandum cogere Ecclesiasticos remedio immissionis in » eorum temporalia, quando excessus & abusus id postulant. Alio-» quin tolli è medio remedia cassationis, & aliarum provisionum » Regiarum, veluti quæ dicuntur *Provisions en cas d' abus,* » *voye de fait & autres*, quæ suâ consultatione, ajunt Braban-» ti, præcipua esse auxilia tuendæ Regiæ dignitatis, & jurium » subditorum.“

Scio in Belgio, aliisque nonnullis Provinciis (f) Magistratus Regios, etiam post Synodum Tridentinam, hac auctoritate usos; sed illud certum, id fieri nequaquam posse, nisi Judices Ecclesiastici notoriè suâ auctoritate, in opressionem subditorum, & turbationem Reipublicæ, abutantur ; quemadmodum suprà *tit.* 10. *cap.* 4. ostendimus, ubi de Appellationibus tanquam *ab abusu* egimus.

TITULUS XII.

De Exemptione à Jurisdictione Ordinariorum.

CAPUT I.

QUALITER MONACHI PRIMITUS SUBJECTI FUERINT EPISCOPIS.

1 *Monachi primitùs fuêre meri laici.*
2 *Planè à Clericis distincti, nec disciplinæ Clericali, sed Laicali subjiciebantur.*
3 *Monachus in crimen prolapsus ut Laicus puniebatur.*
4 *Etiam pœnitentiæ* publicæ *subdebatur.*
5 *Cum reliquo populo Ecclesias Parochiales frequentabat.*
6 *Distinctio Monachorum, & Clericorum probatur testimonio S. Hieronymi.*
7 *Primis seculis Monachi non magis quàm reliqui Laici Episcopis subjecti fuerunt.*
8 *Seculo V. specialiter Episcopis subjici cœperunt.*
9 *Id primus Synodo Calchedonensi suggessit Marcianus Imperator.*

(f) *Repete hîc quæ in fine cap.* 9. *hujus tit. prænotata sunt; cui etiam addendum est quod in leg.* 14. *tit.* 3. *lib.* 3. *Recop. scilicet* : Y absolver á los descomulgados... y manden que ab-*Sug-*» suelvan de qualesquier Censuras. « *Ex quo infertur, in Hispania Judicibus Ecclesiasticis à Supremis Senatibus præcipi posse, ut quemlibet à Censuris impositis absolvant.*

10 *Suggestioni Marciani assensio Synodus Chalcedonensis Monachos Episcopis subjiciens.*
11 *Ratio hujus subjectionis.*
12 *Disciplinam à Synodo Chalcedonensi inductam probavit Justinianus Imp.*
13 *Hæc Monachorum subjectio apud Græcos generaliter probata.*
14 *Placuit & Latinis.*
15 *Decretum Synodi Aurelianensis I. de hac Monachorum subjectione.*
16 *Conforme Decretum Concilii Epaonensis.*
17 *Item Synodi Aurelianensis II.*
18 *Quibus consonat Arelatense V.*
19 *Et penè infiniti alii Canones, remissivè.*
20 *Conformiter ad hos Canones respondit Bonifacius VIII. de jure communi Monasteria subjici Ordinariis.*
21 *Hæc resolutio à Canonistis pro regula recepta.*

I. EX his, quæ de Monachorum instituto, vivendique ratione S. Augustinus *lib.* 1. *de Moribus Ecclesiæ Catholicæ*, *cap.* 31. Cassianus *collat.* 18. *cap.* 4. (quorum verba *parte* 1. *tit.* 24. *cap.* 1. relata sunt) aliique Monachorum Patres scripserunt, manifestum est, Monachos ex suo instituto de sorte & genere laicorum esse; atque à reliquis fidelibus laicis distinctos penès solam perfectiorem vitæ rationem, & majorem, & arctiorem à mundi tumultibus, ac secularium hominum conversatione separationem.

II. Quare & Monachorum institutum, ab instituto Clericali omninò separatum, & distinctum esse nemo Veterum dubitavit: ipsosque Monachos non disciplinæ Clericali sed laicali subjectos fuisse constat.

III. Si Monachi in crimen incidissent, non pœnam suspensionis, aut depositionis, quæ erat pœna propria Clericis, sed pœnam excommunicationis, quæ laicorum erat, subibant; uti constat ex *Canone* 2. & 8. *Chalcedonensi*, *Can.* 82. *Trullano* aliisque multis.

IV. Patrum disciplina Clericum in crimen prolapsum à publica pœnitentia eximebat, ne scandalum in populo generaretur, & Clericalis Ordo vilesceret; ac Monachus non secus ac quivis de populo eidem subdebatur, uti constat ex S. Leone, qui ad Rusticum Episcopum Narbonensem scribit *cap.* 12. Propositum Monachi proprio arbitrio, aut voluntate susceptum deseri non potest absque peccato. » Unde qui relicta singularitatis » professione, ad militiam, vel nuptias devolutus est, *publicæ* » pœnitentiæ satisfactione purgandus est. « Plura in hanc rem videri possunt apud Morinum *lib.* 6. *de Administ. Sacramen. Pœniten. cap.* 13.

V. Scitur quoque Monachos tanquam laicos cum reliquo populo ad Ecclesias Parochiales primitùs convenisse, ut ibidem sacris Mysteriis participarent, uti ex S. Athanasio in apologia pro fuga sua, Paladio in Historia Lausiaca in vita S. Apollo *cap.* 52. aliisque tam clarè eruitur, ut sine ulla hæsitatione scibat Morinus loco citato *lib.* 2. *cap.* 17. *num.* 12. quòd » Mona- » chi omnes si in urbibus aut non longè ab iis ipsos versari opor- » tebat, ad Ecclesiam unà cum cætera plebe, loco tamen pri- » mo ut nobilior Dominici gregis portio sessuri conveniebant. «

VI. Denique notum est illud S. Hieronymi apud Gratianum *Caus.* 16. *q.* 1. *Can.* 6. » Alia causa est Monachorum, » alia Clericorum. Clerici pascunt oves, ego pascor: illi de Al- » tario vivunt, mihi quasi infructuosæ arbori securis ponitur ad » radicem, si munus ad altare non defero. «

VII. Cùm igitur Monachi non de Clericorum, sed laicorum sorte essent, etiam Episcopis non aliter, quàm reliqui laici subdebantur; nec in ipsos majorem, quàm in cæteros laicos auctoritatem primis saltem tribus seculis Episcopi habuisse videntur: nec Canon aliquis reperitur, qui eos primis illis seculis *speciali* ratione Episcopis subjecerit; aut aliquam nominatim in Monachos auctoritatem Episcopis dederit. Quapropter per tria illa secula nec quidquam de Monachorum à potestate Episcoporum exemptione aut immunitate legitur; sed Episcopi, quemadmodum totius populi, ita & Monachorum sibi subjectorum Pastoralem solicitudinem & curam paternam gerebant: ipsique Monachi Episcopos tanquam suos Patres spirituales, & Dispensatores mysteriorum Dei colebant & reverebantur: cæterùm tanquam laici legibus & potestati Principum & Magistratuum secularium subjiciebantur.

VIII. Verùm cùm multiplicato Monachorum numero, & per varias regiones extructis Monasteriis, ipsi Monachi a reliquo populo externo vitæ genere magis continuo distingui, & insuper Ecclesiasticis negotiis, ac Ecclesiæ regimini se immiscere cœperunt; visum fuit Monachos, tanquam a reliquo populo singulari vivendi ratione sejunctos, & Deo ac religioni specialiter consecratos, Episcopis ampliùs subjicere; ipsisque Episcopis in Monachos & Monasteria ampliorem auctoritatem attribuere.

IX. Id primùm in Synodo Chalcedonensi à piissimo Imperatore Marciano suggestum fuit. Legitur enim Actione ejusdem Synodi, Imperatorem ad Sanctam Synodum dixisse: » Quædam » capitula sunt, quæ ad honorem vestræ reverentiæ vobis ser- » vavimus, decorem esse judicantes, à vobis hæc regulariter » potiùs formari per Synodum, quàm nostrâ lege sanciri. «

Primum inter hæc ab Imperatore suggesta Capitula erat: » Eos, qui verè & sincerè solitariam arripiunt vitam, debito » honore dignos judicamus. Quoniam verò quidem sub prætex- » tu solitariæ vitæ, & Ecclesias & communes perturbant cau- » sas; placuit nullum quidem ædificare Monasterium præter vo- » luntatem Episcopi civitatis, neque in possessione præter do- » mini possessionis consensum. Eos verò Monachos, qui per » singulas civitates sunt, atque provincias, *subjici Episcopo*, & » quietem amplecti, & intendere solùm jejunio, & orationi, & » neque Ecclesiasticis, neque publicis importunos rebus existe- » re; nisi fortè jubeatur eis propter necessariam causam ab » Episcopo civitatis. Sed neque potestatem habere Monachos » suscipiendi in Monasteriis suis servos, aut inscriptitios præter » voluntatem dominorum. «

X. Huic Capitulo à Marciano suggesto respondit *Can. IV.* ejusdem Concilii, qui his verbis expressus legitur ex versione Gentiani Herveti: » Qui verè & sincerè Monasticam vitam ag- » grediantur, digni convenienti honore habeantur. Quoniam au- » tem nonnulli Monachico prætextu utentes, & Ecclesias & ne- » gotia civilia perturbant, & temerè, citra ullam discriminis ra- » tionem, in urbibus circumcursantes, quin etiam Monasteria » sibi constituere studentes, visum est, nullum usquam ædifi- » care, nec constituere posse Monasterium, vel oratoriam do- » mum præter sententiam ipsius civitatis Episcopi: Monachos » autem, qui sunt in unaquaque Regione, & civitate *Episcopo* » *subjectos esse*, & quietem amplecti, & soli jejunio & orationi » vacare, in quibus ordinati sunt, locis fortiter perseverantes, » nec Ecclesiasticis, nec secularibus negotiis se ingerere, vel » communicare propria relinquentes Monasteria, nisi quando- » que à civitatis Episcopo eis permissum fuerit; nullum autem » in Monasteriis servum recipi, ad hoc ut sit Monachus, præ- » ter voluntatem sui domini. Eum autem, qui hanc nostram » definitionem transgreditur, definimus esse excommunicatum, » ne nomen Dei blasphemetur: civitatis autem Episcopum opor- » tet eam quam par est, Monasteriorum curam gerere. «

XI. Si articulus à Marciano Imp. Synodo suggestus, & Canon Synodi illi respondens expendantur, manifestum apparebit, specialiter Monachos, licèt non in sortem Clericorum allectos, Episcopis subjectos voluisse Marcianum, & huic consentientes Synodi Chalcedonensis Patres, idque hac præcipuè ratione, ne per Monachos Ecclesiæ perturbarentur; ipsique Monachi curâ & solicitudine *speciali* Episcoporum quietè in suis Monasteriis jejunio & orationi juxta vocationem suam vacarent.

XII. Disciplinam hoc Canone ad suggestionem Marciani expressam, tam Imperatores suis Legibus, quàm Ecclesia suis Canonibus firmârunt, & frequentissimè renovârunt.

Et quidem Justinianus Imperator non tantùm sancivit *Novella* 67. nullum Monasterium ædificari, antequam civitatis Episcopus orationem in eo faciat, & crucem figat; sed insuper *Novella* 123. *cap.* 21. statuit: » Si quis contra Clericum, aut » Monachum, aut Diaconissam, aut Monastriam, aut Asce- » triam habeat aliquam actionem, adeat priùs sanctissimum Epis- » copum; *cui* (ait) *horum unusquisque subjaceat*. «

XIII. Licèt hîc Monachus à Clerico distinguatur, nihilominùs utrumque Episcopo catenus subjici videmus, ut utriusque judex Episcopus constituatur: unde & generaliter ex Nomo-Canone Græcorum dicitur in *L.* 40. *Cod. de Episcopis & Clericis*: » Monasteria degunt seu censentur sub *Episcopis* ter- » ritoriorum suorum, & Abbatum quidem curam gerunt *Epis-* » *copi*, Monachorum verò Abbates. «

XIV. Similiter per Occidentem hæc Episcoporum in Monachos, & Monasteria auctoritas, horumque obediendi necessitas admodum placuit, & generaliter recepta, ac probata fuit.

XV. Paucis à celebrata Synodo Chalcedonensi habita Synodus Aurelianensis I. statuit *Can. VII.* » De Abbatibus, & in » Religionis professione viventibus, ne sine discussione, & » comendatitiis Episcopi ad Dominos sive Reges accedere præ- » sumant. « Deinde *Can. XXI.* » ut Abbates pro humilitate » Religionis in Episcoporum potestate consistant; & si quid » extra Regulam fecerint, ab Episcopis corrigantur, qui se- » mel in anno, in loco ubi Episcopus elegerit, accepta voca- » tione conveniant: Monachi autem Abbatibus omni se obe- » dientiæ devotione subjiciant. « Apud Gratianum *Caus.* 18. *quæst.* 2. *Can.* 16.

XVI. Concilii Epaonensis anno 517. *Can. VIII.* Abbates prohibentur res Monasteriorum sine consensu Episcopi vendere. Et *Can. XIX.* dicitur: » Abbas si in culpa reperiatur, » & innocentem se asserens, ab Episcopo suo noluerit acci- » pere successorem, ad Metropolitani judicium deducatur. « Quid evidentius Episcoporum in Abbates, & Monachos auctoritatem probare posset?

In

XVII. In Synodo Aurelianensi II. anno 533. *Can. XXI.* statuitur: » Abbates, qui Episcoporum præcepta despiciunt, » ad communionem nec penitùs admittantur, nisi contumaciam » susceptâ humilitate deponant. « Hâc subjectionis notâ majorem nulla dari posse videtur.

XVIII. Et Arelatense Concilium V. *Can. II.* generaliter definit, ut » Monasteria vel Monachorum disciplina ad eum per- » tineant Episcopum, in cujus sunt territorio constituta. «

XIX. Infiniti penè sunt Canones etiam seculo *IX.* & sequentibus editi, quibus uno consensu declarârunt Concilia, Monachos obedire debere Episcopis *secundum Canonicam auctoritatem*: quâ clausulâ indubiè antiquos Canones, ac præsertim Chalcedonensem indicatos, & renovatos voluêre. Concilia hæc citata habentur ordine temporis servato in Repagulo meo Canonico *part. 2. cap. 1. Regula 1.*

XX. Secundum hanc Canonum uniformem definitionem respondit Bonifacius VIII. in *Cap. 7. de Privilegiis*, *in* VI. Ordinarium super sua jurisdictione in personas Regulares suæ Diœcesis de jure communi habere fundatam intentionem; atque; quòd si qui se exemptos prætendunt, privilegium per se sufficiens, quando solo privilegio se defendunt, vel saltem tale, quod præscriptioni Canonicæ causam præstet, cùm præscriptionem allegant, non exhibuerint, Ordinarii suâ jurisdictione uti possint in eosdem *liberè*, donec de præscriptione Canonica fecerint *plenam* fidem.

Rationem suæ resolutionis addit Pontifex: 1. *Cùm de jure communi Ordinariorum intentio sit fundata.*

XXI. Quam regulam probant, ac tuentur uno consensu Canonistæ; eamque post Glossographum fundant in *Canone* 10. *Caus.* 16. *quæst.* 7. ubi ex Concilio Aurelianensi *Can.* 19. dicitur: » Omnes Basilicæ, quæ per diversa loca constructæ sunt, » vel quotidie construuntur, placuit secundum *priorum Ca-* » *nonum regulam*, ut in ejus Episcopi potestate consistant, in » cujus territorio positæ sunt. « Hinc & illud Glossæ communiter à Canonistis probatur: » Ad Episcopum pertinet omnis » cura suæ Diœcesis, tam in *Monasteriis*, quàm in aliis Ec- » clesiis, « scilicet de jure communi.

CAPUT II.

Seculo VI. et sequentibus varia privilegia, sive immunitates Monachis concessa fuere, sed salva Canonica, et spirituali in Monachos auctoritate.

1 *Seculo sexto & sequentibus cœperunt privilegia, & immunitates impetrari, ut quieti Monachorum, & rerum temporalium conservationi consuleretur.*
2 *Variis prætextibus, & titulis temporalia Monachorum divertebantur, & eorum solitudo turbabatur.*
3 *Episcopi certam portionem ex oblationibus, quæ Monasteriis fiebant, prætendebant.*
4 *Idque non obstante Canone Illerdensi.*
5 *Jura quædam in ordinatione Monachorum exigebant.*
6 *Similiter pro receptione sacri Chrismatis, & Olei.*
7 *Item in benedictionibus, & installationibus Abbatum.*
8 *Hujusmodi etiam jura prætendebantur in dedicatione, & consecratione Ecclesiarum, & Altarium.*
9 *In visitatione Monasteria magnis sumptibus gravabantur.*
10 *Exigebantur insuper Jura Synodica, & Cathedratica.*
11 *Episcopi sibi attribuebant jus constituendi Abbates.*
12 *Nec non peragendi Officia publica cum concursu populi in Ecclesiis Monachorum.*
13 *Privilegia, & immunitates seculo sexto & sequentibus hæc jura duntaxat respiciebant.*
14 *Probatur ex responso S. Gregorii ad querelas Monachorum Castelliensium.*
15 *Item ex litteris ejusdem Pontificis ad Vigilium Episcopum Arelatensem.*
16 *Idem expressit S. Gregorius in Epistola ad Fortunatum Episcopum Neapolitanum.*
17 *Et fusiùs in litteris ad Abbatissam Massiliensem.*
18 *Apud Gratianum proferuntur Canones pro immunitate Monasteriorum conflati partim ex Epistolis Sancti Gregorii, partim ex fictitio Concilio Romano.*
19 *Quis genuinus horum Canonum sensus, & unde desumendus.*
20 *S. Gregorius providit quieti Monachorum, non detrahendo auctoritati spirituali Episcoporum.*
21 *Eundem fuisse scopum privilegiorum, quæ circa ea tempora indulta sunt, probat formula privilegii à Marculfo Monacho exarata.*
22 *Præfatio Episcopi elargientis privilegium in hac formula expressa.*
23 *Episcopus dicit omnia exprimendo, quæ ab Episcopo, & à Monachis mutuo respectu sint observanda.*
24 *Primus articulus hujus formulæ spectat immunitatem à Juribus in Ordinationibus exigi tunc solitis.*
25 *Secundus immunitatem à juribus in consecratione Altaris.*
26 *Tertius indulget Monachis liberam Abbatis electionem.*
27 *Quartus præservat omnia Monasteriis oblata ipsorum Monachorum usibus, & dispensationi.*
28 *Quintus articulus concernit Officia publica, seu Missarum solemnia ab Episcopis in Monachorum Ecclesiis non peragenda siue eorum consensu.*
29 *Sextus vetat Monasteria sumptibus gravari ab Episcopis, dum Officia divina in Monasteriis peregerunt.*
30 *Clausula hisce articulis subjecta Canonicam Episcoporum in Monachos auctoritatem conservans.*
31 *Formulario Marculfi consonat privilegium, quod datum dicitur seculo VII. Monasterio S. Dionysii.*
32 *Et plura alia privilegia Monasteriis Gallicanis concessa.*
33 *Privilegia eligendi Abbatem præcipuè petebantur ad excludendos Abbates commendatarios, & seculares.*
34 *Privilegia ad conservationem temporalium, & juris eligendi pertinuisse, probatur ex privilegio dato Capitulo Harlebecano.*
35 *Item ex privilegio concesso Abbatiæ Grimbergensi.*
36 *Simile est privilegium datum Abbatiæ Tongerloensi.*
37 *Privilegia hæc auctoritati spirituali Episcoporum non officiebant.*
38 *Id ex allegatis privilegiis sufficienter liquet quædam esse supposititia.*
39 *Apud Græcos non permittitur in fundatione Monasteriorum detrahi auctoritati spirituali Episcoporum.*

I. CIrca seculum sextum, & sequentia passim Fundatores privilegia & immunitates Monasteriis à se fundandis, aut fundatis postulare & impetrare cœperunt: non quidem ut canonicam Episcoporum in Monachos aut Monasteria auctoritatem excluderent, aut violarent; sed ut quieti Monachorum, ac conservationi disciplinæ regularis, necnon rerum temporalium, quas in Monachorum & pauperum necessitates obtulerant, consulerent.

II. Notum quippe est, circa hæc tempora non tantùm potestates seculares, sed & nonnullos Episcopos, variis prætextibus, & speciosis in speciem titulis, Monachorum quietem, ac disciplinam Regularem cœpisse turbare, & temporalia Monasteriorum in suos usus vindicare; uti seculo VII. deplorat Concil. Toletan. IV. *Can. LI.* dicens: » Nuntiatum est præ- » senti Concilio, quòd Monachi Episcopali imperio servili ope- » ri mancipentur, & jura Monasteriorum contra Statuta Ca- » nonum illicita præsumptione usurpentur; ita ut penè ex Cœ- » nobio possessio fiat, atque illustris portio Christi ad igno- » miniam, servitutemque perveniat. Quapropter monemus eos, » qui Ecclesiis præsunt, ut ultrà talia non præsumant; sed hoc » tantùm sibi in Monasteriis vindicent Sacerdotes, quod præ- » cipiunt Canones, id est, Monachos ad conservationem sanc- » tam præmonere, Abbates, aliaque Officia instituere, atque » extra Regulam facta corrigere. Quòd si aliquid in Monachis » Canonibus interdictum præsumpserint, aut usurpare quidpiam » de Monasterii rebus tentaverint, non deerit illis sententia ex- » communicationis, qui se deinceps nequaquam sustulerint ab » illicitis. «

Et rursus seculo VIII. conqueritur Concilium Toletanum IX. *Can. II.* quorundam Episcoporum aviditate & incuria in horrendam incidisse ruinam; ideoque necesse fuisse, eorum instaurandorum curam Fundatoribus & Patronis committi. Vide *Canon.* 32. *Caus.* 16. *q.* 7. qui ex citato Canone Toletano desumptus, & cujus verus sensus ex integro illo Canone hauriendus est.

III. Varii autem prætextus & tituli fuerunt, quibus Episcopi, & temporalia in usus suos derivarent, & disciplinam per regulas Monachorum institutam turbarent.

Imprimis, cùm Episcopi certam portionem secundum famosam proventuum Ecclesiasticorum divisionem (de qua actum est *parte 2. tit. 32. cap. 6.*) ex rebus Ecclesiæ haberent; eandem quoque ex oblationibus, quæ Monasteriis sibi subjectis fiebant, prætendebant.

IV. Decretum quidem legitur sub initium seculi VI. *Canon. III.* Synodi Ilerdensis apud Gratianum *Caus.* 16. *q.* 1. *Can.* 34. ut » ea, quæ in jure Monasterii de facultatibus offe- » runtur, in nullo Diœcesana lege ab Episcopo contingantur: « sed præterquam quòd nesciatur, an hic Canon executionem plenam obtinuerit, illud certum est, hoc Synodi Ilerdensis Decretum extra Provinciam Tarraconensem, in qua Synodus habita fuit, non obligâsse, aut receptum fuisse; præsertim, quia in ipso Canone satis insinuatur, singulari jure id esse statutum.

V. Prætereà cùm seculo septimo, & sequentibus è Monachis plures ad sacros Ordines præsentari inciperent, Episcopi eos ad oblationes aliquas faciendas constringebant; easque tanquam

quam quædam jura sibi debita asserebant, prætexentes exemplo Orientalium, de quibus scribit Balsamon, quod dicerent, *non esse mercedem Ordinationis, quod alimentorum gratiâ Pontifici datur.* Quamvis hasce exactiones, ut & eas, quas Archidiaconi, aut Canonici ab instituendis, aut recipiendis ad possessionem tanquam quædam jura exigere consueverunt, Ecclesia nunquam non fuerit detestata (uti suprà *pate* 2. *tit.* 26. *capit.* 2. *& tit.* 30. *cap.* 1. ostensum est) eliminare tamen non potuit; quemadmodum ex iteratis sæpiùs adversus eas Decretis patescit.

VI. In sacri Chrismatis, aut Olei receptione à Monachis jura quædam exigebantur ab Episcopis, eorumve Ministris; & quamvis hujusmodi exactiones tanquam de Simonia & turpi quæstu ut minimum suspectas, iteratis Conciliorum Decretis essent proscriptæ, nihilominùs quia tanquam quædam jura inoleverant, usus earum eradicari non potuit; sed speciali privilegio adversus hæc, aliaque similia tueri se Monasteria debuerunt; ipsique Fundatores in ipsa fundatione impetrârunt.

VII. In Abbatum benedictionibus, aut installationibus jura quædam, vulgò *Enthronistica*, Episcopi, & Archidiaconi, eorumve ministri prætendebant: eaque tanquam jura quædam sibi longo usu & consuetudine debita, & probata asserebant, & rigorosè exigebant. Hasce exactiones sæpiùs similiter per Synodorum, atque Pontificum Decreta reprobatas scio; sed tamen ut ab his penitùs abstinerent, Episcopis, Archidiaconis, aliisque Ecclesiæ Ministris persuaderi non potuit, sed ea inter sua jura numerare, & tanquam talia expetere perrexerunt.

VIII. Non minùs frequentes, nec minùs inolitæ erant exactiones, quas & nomine *jurium* palliârunt, in consecratione Altarium, & Ecclesiarum dedicatione (ut ex frequenti earum reprobatione constat) quibus & Monasteriorum facultates sibi Episcopi, eorumque Officiales attrahebant.

IX. Justum esse, ut Episcopo visitanti victualia dentur suprà *part.* 1. *tit.* 17. *cap.* 2. diximus; sed notum est, quàm gravia sæpè onera, prætextu horum victualium subditis suis, & Ecclesiis Episcopi, aliique Ecclesiarum Prælati imposuerint. Cumque Episcopi ex auctoritate per Canones sibi data, Monasteria, non secùs atque alias Ecclesias, visitare possent, dici vix posset quàm graves & excessivos frequenter sumptus hinc Monasteria ferre deberent.

X. Nec tantùm visitationis jura, sed insuper *Synodica*, id est, quæ à Presbyteris ad Synodum accedentibus exigebantur; item *Cathedratica*, in honorem, sive recognitionem Cathedræ, seu superioritatis & eminentiæ solvebantur, aliaque similia, de quibus in *cap.* 16. ✠ *de Officio Ordinarii*, à Monasteriis exigebantur.

XI. Juxta regulas Monasticas, ac signanter S. Benedicti Abbas Monachorum à Monachis eligendus est, uti suprà *part.* 1. *tit.* 31. *cap.* 8. notavimus: at sucessu temporis, Episcopi ex auctoritate sibi in Monasteria competente, Abbatum electionem & ordinationem Monachis ademerant, & sibi attribuerant: & quidem ut vel faciliùs res Monasteriorum in suum usum converterent, aut pro arbitrio disponerent, nonnulli propinquos suos, & consanguineos Monasteriis Abbates præficiebant, uti testatur Concilium Toletanum X. *Can. III.* quo ejusmodi Abbatum institutio irrita declaratur, & Episcopus ob id annuæ seu annali excommunicationi subjicitur. Ut ergo electio Abbatis Monachis ad præscriptum regulæ libera relinqueretur, Fundatores quasi per privilegium impetrabant.

XII. Ulteriùs credebant Episcopi vi suæ in Monasteria auctoritatis, sibi liberum esse quoties vellent ad Ecclesias, seu Oratoria Monachorum accedere, ibique publica Officia Divina cum magno populi concursu peragere. Cùm autem hujusmodi populi concursus, Monachorum solitudinem, necnon disciplinam Monasticam turbarent, soliciti fuêre Monachi, & eorum Fundatores, ne per similes publica Officia in eorum Ecclesiis fierent; sed ipsorum Ecclesiæ, seu Oratoria solis Monachis deservirent.

XIII. Si quis expendat privilegia, seu immunitates, quæ à seculo VI. usque ad seculum XI. aut XII. Monasteriis indulta leguntur, vix aliud in iis reperiet concessum, quàm immunitatem à prætensis juribus supra recensitis, liberam Abbatis electionem, & quæ ad conservandam Monachis quietem & solicitudinem, necnon Monasticam disciplinam conducere videbantur: salva interim Episcoporum spirituali jurisdictione in Monachos & Abbates.

XIV. Conquesti fuerant apud S. Gregorium Monachi Castellienses, quòd Episcopus Scyllitanus (in cujus civitate hoc Monasterium erat extructum) quædam in suo Monasterio vellet inducere, contra ea, quæ à prædecessoribus suis promissa, & longa consuetudine servata erant. Præterea questi fuerant Monachi, Episcopum quædam de Monasterio sub xenii quasi specie abstulisse. Ad has Monachorum querelas scribit ad Episcopum S. Gregorius *lib.* 7. *epist.* 33. *indict.* 1. imprimis, ut si quid indecenter recolat accepisse, sine dilatione restituat; » ne » (ait) avaritiæ te graviter culpa redarguat, quem largum erga » Monasteria magis debuerat Sacerdotalis munificentia demonstrare. «

Deindè concludit: » Servatis itaque omnibus, quæ à tuis » sicut diximus, prædecessoribus promissa sunt, ac servata, cu- » ræ tuæ sit circa actus, ac vitam consistentium illic Monacho- » rum te vigilantem insistere: & si quempiam illic pravè con- » versari, aut in aliquam immunditiæ, quod absit, culpam in- » veneris incidisse, districta, ac regulari emendatione corrigere. » Nam sicut ab iis, quæ incongruè usurpantur, fraternitatem » vestram volumus abstinere, ita in his, quæ ad disciplinæ rec- » titudinem, vel animarum custodiam pertinent, esse solicitam » modis omnibus admonemus.

Sic itaque voluit Monachorum vexationi occurrens, eorum jura illibata servari, ut tamen Canonica etiam Episcopi auctoritas integra servaretur.

XV. Scribit quoque idem Sanctus Pontifex Vigilio Episcopo Arelatensi *lib.* 7. *epist.* 116. quòd Childebertus Francorum Rex intra muros Arelatensis civitatis Monasterium virorum constituens, » quædam ibidem pro habitantium sustentatione con- » cessit. Cujus (ait) ne voluntas unquam duceretur in irritum, » & ea, quæ pro quiete Monachorum disposita fuerant, turba- » rentur, quæque contulit jure ejusdem Monasterii, episto- » lis suis Apostolicâ petiit auctoritate firmari: hoc quoque suæ » petitioni subjungens, ut eidem Monasterio tam in disposi- » tione rerum, quàm in ordinatione Abbatis quædam pariter » privilegia largirentur. «

Post hæc significat, hæc Regis postulata tanquam æquitati consona à suo Prædecessore fuisse probata, concludens hac ad Episcopum exhortatione: » Fraternitas ergo vestra ita se in cus- » todiendis eis exhibeat; quatenus & omnem occassionem in- » quietudinis excludat, & aliis hæc operari suadeat, dum se in » custodienda defuncti piissima voluntate, solicitam, ut decet, » exhibuerit & devotam. «

XVI. Hîc rursus manifestum est, privilegia à Fundatoribus postulata unicè ad conservationem rerum temporalium, & quietis Monachorum collimasse: quod & significat *lib.* 7. *epist.* 15. *indict.* 2. scribens Fortunato Episcopo Neapolitano, eundem exhortans, quatenus ad Monasterium ibidem constructum, » cum » Abbas postulaverit, ingravanter accedat, venerandæ solemnia » dedicationis impendens. Et quoties necesse fuerit, à Presby- » teris Ecclesiæ tuæ in loco sancto deservientibus celebrentur sa- » crificia veneranda Missarum; ita ut in eodem Monasterio » nec fraternitas tua, nec Presbyteri, præter diligentiam dis- » ciplinæ, aliquid molestiarum inferant, aut si quid illic pro di- » versorum devotione commoditatis accesserit, sibi existiment » vindicari, cùm Monachis in eodem loco deservientibus de- » beat proficere quidquid à fidelibus offerri contigerit. «

Vult ergò S. Gregorius, ut nihil molestiarum Monachis ab Episcopo, ejusve Presbyteris inferatur, nihilque de rebus temporalibus vindicetur, salva tamen *diligentia disciplinæ*, quam debet Episcopus circa Monachos adhibere. Fragmentum epistolæ jam relatæ extat in *cap.* 1. ✠ *de Statu Monachorum.*

XVII. Ex his intelligi potest, quo privilegia Monasteriis indulta tenderent, quidque comprehenderent, quod tamen luculentius expressit in *epistola* 12. *lib.* 6. *indict.* 15. quæ inscribitur *Respectæ Abbatissæ de Galliis Masiliæ*, ubi scribit se ad postulationem Fundatorum Monasterio, cui hæc respecta præerat, privilegia quædam indulsisse.

Privilegia autem sunt. Primum, quòd » obeunte hujus Mo- » nasterii Abbatissa, non extranea, sed quam Congregratio de » suis elegerit, ordinetur; quam tamen, si digna hoc ministe- » rio judicata fuerit, ejusdem loci Episcopus ordinet. «

Secundum privilegium erat: » In rebus autem, vel in dis- » positione Monasterii ejusdem, nec Episcopum, neque Ec- » clesiasticorum quemquam aliquam habere decernimus potesta- » tem; sed hæc ad solicitudinis tuæ, vel quæ post te in eodem » loco fuerit Abbatissa, curam statuimus per omnia pertinere. «

Tertium exprimitur his verbis: » Die siquidem natalis, vel » dedicationis supradicti Monasterii, Episcopo illic Missarum » sacra conveniat solemnia celebrare, à quo tamen ita est hoc » officium exolvendum, ut cathedra ejus nisi prædictis diebus, » dum illic Missarum solemnia celebrat, non ponatur. Quo » discedente similiter etiam cathedra illius de eodem Oratorio » auferatur. Cæteris verò diebus, per Presbyterum, qui ab eo- » dem Episcopo fuerit deputatus, Missarum officia peragantur. «

Quid his privilegiis continetur, nisi libera Abbatissæ electio, rerum temporalium Abbatissæ concredita dispensatio, & officiorum publicorum per Episcopum ibidem celebrandorum ad certos dies facta restrictio.

Et ne prætextu horum privilegiorum Episcopi auctoritas in corrigendis Abbatissæ aut Monialium excessibus videretur violata, subjungit Gregorius: » Præterea erga vitam actusque an- » cillarum Dei, sive Abbatissæ, quæ in suprà scripto fuerit Mo- » nasterio constituta, Episcopo secundum Dei timorem, soli- » citudinem statuimus adhibere; ut si aliquam de illic habitanti- » bus exigente culpa oportuerit ultioni submitti, ipsa justa sa- » cro-

» crorum Canonum vigorem modis omnibus debeat vindicare. «

XVIII. Profert Gratianus sub nomine S. Gregorii *Caus.* 18. *q.* 2. *Can.* 5. & 6. quædam privilegia Monachis indulta, qui Canones ac signanter Canon 5. conflati sunt partim ex Epistolis S. Gregorii, partim ex quodam Concilio, quod à S. Gregorio habitum fuisse fertur. Verum Concilium illud esse supposititicum, & commentum otiosi cujusdam Monachi, qui ex variis epistolis Gregorii I. maximè verò *epist.* 18. *lib.* 7. scripta ad Marianum Ravennatensem Episcopum, notavit vir eruditus Franciscus Florens in Commentario ad *caus.* 16. *& seqq. de Statu Monachorum*, cui & pasim eruditi consentiunt, & recenter observavit auctor notarum in dictam epist. 18. S. Gregorii, & fusius Joannes Launoius in Assertione inquisitionis in privilegium S. Medardi *part.* 2. *cap.* 10. *art.* 3.

XIX. Itaque quod genuinum ex S. Gregorio in citatis textibus Gratiani reperitur, desumptum est ex Epistolis S. Gregorii, nimirum citata *epist.* 18. & *epist.* 41. & 43. *lib.* 4. è quibus & verus Canonum sensus hauriendus est; quod & Correctores advertisse videntur, ad Epistolas has pro intellectu Canonum remittendo.

Epistolæ autem si expendantur, apparebit, nihil de Canonica Episcoporum auctoritate substractum; sed tantùm rebus temporalibus, & quieti Monachorum consultum. Unde in *epist.* 18. permittitur, » ut visitandi, exhortandique gratiâ ad Monasterium quoties placuerit, ab ejusdem *civitatis* » *Antistite* accedatur: sed sic charitatis officium illic *Episcopus* » impleat, ut gravamen aliquod Monasterium non incurrat. «

XX. Itaque S. Gregorius privilegia & immunitates Monasteriis dedit, non quibus à correctione Episcoporum subtraherentur; sed quibus quieti Monachorum consuleretur, & Monasteria à variis gravaminibus liberarentur.

XXI. Eandem fuisse formam privilegiorum, quæ seculo VI. & aliquot sequentibus Monasteriis Gallicanis indulta leguntur, vel sola formula privilegii à Marculfo Monacho exarata probat.

Marculfus enim seculo VII. sub Landerico Episcopo Parisiensi, ut putat Hieronymus Bignonius, & post ipsum Sirmondus, vel seculo VIII. sub Landerico Episcopo Meldensi, ut credit Launoius, composuit duos libros formularum, quarum prima est formula, seu formularium privilegii Monasterio alicui concedendi; cujus formulæ ea solet esse conditio, ut solis penè nominibus & tempore mutatis, in omnibus eadem retineatur.

XXII. In hac itaque formula, Episcopus privilegii auctor primo præfatur, quòd Monachorum quieti providere volens nullatenus à Prædecessorum in concessione hujus privilegii vestigiis recedat. » Dum ab antiquitùs (ait) juxta Constitutionem » Pontificum per Regalem sanctionem Monasteria sanctorum » *Lirinensis*, *Augaunensis*, *& Luxoviensis*, vel modo innumerabilia per omne Regnum Francorum sub libertatis privilegio videntur consistere. «

XXIII. Hæc præfatus Episcopus subjungit: » Quid verò » vos vel successores vestri, Sancto suadente Spiritu, deinceps » custodiatis, imò sanctæ illius Ecclesiæ Episcopus debeat ad» implere, huic paginæ credidimus inserendum. «

Post hæc articulos, & puncta privilegio contenta subjicit.

XXIV. Primus articulus his verbis exprimitur: » Ut de » vestra Congregatione, qui in vestro Monasterio sancta de» beant bajulare officia; quin Abbas cum omni Congregatione » poposcerit à nobis, vel Successoribus nostris sacros percipiat » gradus, *nullum* pro ipsorum *honore* præmium percepturus. «

Ecce indulta immunitas à juribus, quæ in Ordinatione Episcopi sibi debita prætendebant.

XXV. Secundus articulus est: » Altare in ipso Monaste» rio prædictus Episcopus benedicat; & sanctum Chrisma an» nis singulis, si voluerint postulare, pro reverentia loci *sine* » *pretio* concedat.

XXVI. Tertius articulus liberam Abbatis electionem spectans, ita exprimitur: » Et juxta divinam dispensationem, cùm » Abbas de ipso Monasterio à Domino migraverit; quem una» nimiter omnis congregatio illa Monachorum ex seipsis, op» timæ regulæ compertum & vitæ meritis congruentem, simi» liter sine præmio memoratæ urbis Episcopus ipse promoveat » Abbatem. «

XXVII. Quartus articulus decernens dispensationem eorum, quæ à fidelibus offeruntur, debere esse penes Congregationem, non autem Episcopum; neque ipsum, ejusve Archidiaconos, aliosve Ministros quidquam posse de iis accipere, erat his verbis expressus: Nullam penitùs aliam potestatem ab » ipso Monasterio, neque in rebus, neque in ordinandis per» sonis, neque in villabus ibidem jam conlatis, aut deinceps re» gio munere, aut privatorum conlaturas, vel in reliqua subs» tantia Monasterii nos, Successoresque nostri Episcopi, aut » Archidiaconi, seu cæteri ordinatores, aut quælibet alia per» sona prædictæ civitatis habere non præsumant; aut quodcun» que de eodem Monasterio sicut de Parochiis, aut cæteris Mo» nasteriis, muneris causa audeant sperare, aut auferre. Nec » de hoc, quod à Deum timentibus hominibus transmissum, aut » in altario offertum fuerit, aut in sacris voluminibus, vel qui» buscunque speciebus ad ornatum divini cultus pertinet, ad » præsens conlata, vel deinceps conlatura fuerint, auferre » præsumant. «

XXVIII. Quintus articulus erat de non peragendo publico Divino Officio in Ecclesiis, aut Oratoriis Monasteriorum, nisi ipsa Monachorum congregatione petente: » Et nisi rogatus » à Congregatione illa, vel Abbate pro oratione lucranda, nulli » nostrûm liceat Monasterii adire secreta, aut finium ingredi » septa. «

XXIX. Articulus sextus, vetans ab Episcopo ibidem divina peragente Monasterium gravari, erat: » Et si ab eis illuc » Pontifex postulatus pro lucranda oratione, vel eorum utili» tate, accesserit, celebrato ac peracto divino mysterio, sim» plici ac sobria benedictione percepta, absque ullo requisitu » domum studeat habere regressum. «

Rationem concessæ immunitatis: » Ut quatenus Monachi, » qui *solitarii* nuncupantur, de perfecta quiete valeant duce » domino per tempora exultare, & sub sancta regula viven» tes, & beatorum Patrum vitam sectantes, pro statu Ecclesiæ, » & salute Regis, vel patriæ valeant plenius Dominum exo» rare. «

XXX. Ex his evidens est, totum hoc privilegium spectare ad asserenda, & conservanda Monasteriis temporalia à Fundatoribus donata, aut à Fidelibus oblata; atque Monachis restituendam libertatem eligendi Abbatem, nec non eos à quibusdam prætensis juribus eximendum, & quietem Monachalem eis procurandam, non autem ad eximendum ipsos à Canonica Episcoporum subjectione, quod & clausula præcedentibus articulis subjecta expressit. » Et si aliquid ipsi Monachi de eorum » religione tepidi, aut secùs egerint, secundum eorum Regu» lam ab eorum Abbate, si prævalet, corrigantur. Sin autem, » Pontifex de ipsa civitate coercere debet, quia nihil *de Cano» nica auctoritate convellitur*, quidquid domesticis fidei pro » quietis tranquillitate tribuitur. «

XXXI. Huic formulario planè conformia sunt, quæ eodem & aliquot sequentibus seculis Monasteriis concessa circumferuntur privilegia.

Sub idem penè tempus formulas suas edidit Marculfus & id est, seculo VII. si Bignonio & Sirmondo credimus) postulante Clodoveo II. Galliarum Rege, Landericus Parisiensis Episcopus cum reliquis Episcopis anno 658. privilegium Monasterio S. Dionysii dedisse fertur: cujus privilegii meminit Amoinus *De Gestis Francorum*, *lib.* 4. *cap.* 41. scribens: quod Clodoveus Rex anno 16. ex quo sceptra susceperat Regalia, Pontifices, & totius gentis Principes Clippiacum convenire jubens, mediusque inter eos solio residens, his inter alia verbis allocutus sit: » Intentionem igitur nostri cordis vos, Sacerdotes, » qui *Dii* vocati estis, & filii Excelsi omnes, attendite & audite; » auditam, si approbaveritis, una nobiscum ad effectum adduce» re elaborate. Nostri itaque devotio hæc extat animi, ut Mo» nasterium Patroni Domini Dionysii, in quo ipse cum con» sortibus testimonii veritatis requiescit humanus, & piæ memo» riæ genitores nostri (dominus videlicet Dagobertus, ac domi» na Nantildis) se sepeliri mandaverunt, ab omni solvamus do» minio mortalium: quatenus Abbas vel Fatres eo loco com» manentes, possessiones à Parentibus nostris sive ab aliis Fide» libus Christianis sibi traditas absque ullius dominantis inquie» tudine possidentes, pro salute nostra, ac statu regni nostri li» beriùs Deum deprecentur. Huic autem nostræ suggestioni con» sentit venerabilis Vir Landericus Parrichisiacæ Urbis Præsul: » In cujus Diœcesi Cœnobium illud situm est, & cui usque ad » præsens tempus subjectum fuit. «

Hinc sat manifestum est, privilegium hoc possessiones duntaxat, ac temporalia à Regibus eidem Monasterio oblata respicere, quod & ostendit ipse tenor privilegii, quod integrum retulit Hieronymus Bignonius in notis ad citatam formulam Marculfi; & novissimè insertum est tom. 6. Conciliorum general. *col.* 487.

XXXII. Extat eodem tomo Conciliorum *col.* 527. privilegium libertatis, quod datum creditur à Bertefrido Episcopo Ambianensi, probantibus plurimis aliis Episcopis, Monasterio Corbiensi, postulante Clotario III. Rege ejusdem Monasterii Fundatore; estque simile prædicto formulario Marculfi, uti etiam observavit Jacobus Sirmondus in observatione huic privilegio subjuncta, & latiùs Hieronymus Bignonius in citatis notis, articulos hujus privilegii cum articulis dicti formularii Marculfi conferens.

Plura similia passim prostant privilegia Monasteriis Gallicanis sub simili formula indulta, ut Monasterii Carelesii tomo 8. Conciliorum General. *col.* 459. privilegium Monasterii S. Martini Turonensis anno 862. in Synodo Pistensi confirmatum; eodem tomo Concil. General. *colum.* 1935. Privilegium à Synodo Suessionica concessum Monasterio Solemniacensi, eodem tomo Concil. *colum.* 804.

XXXIII. In hoc privilegio notandum, quòd specialiter caveatur, » ut eundem locum non aliter nisi tutelâ defensionis ac » tuitionis Reges usurpent, nec cuiquam Clericorum Canonici » habitus, aut laicorum, quod absit, eum attribuant. « Quibus verbis exclusos volebant Abbates Commendatarios & seculares, quos sub id temporis Reges Monasteriis præficere cœperunt.

Legimus quoque anno 878. à Joanne VIII. Monachos Floriacenses petiisse privilegium eligendi è suis Abbatem regularem. » Quamvis privilegia multorum meruerint Episcoporum, » ad reprimendum quorumlibet illicitam cupiditatem humiliter » postulare, ut super Abbate *regulari* ex iis eligendo, etiam » nostræ auctoritatis privilegia consequantur. « Extat privilegium *Tomo* 9. *Concil. General. colum.* 318.

Et dum Concilium Tullense II. anno 859. *Can. XI.* servari vult Monachis Monasterii Floriacensis *auctoritatem privilegii regularis*, unicè intendit, Monachis illis illæsum servari jus eligendi Abbatem regularem ex suis adversus Archiepiscopum Bituricensem: qui favore Regis Abbatiam illam *irregulariter retinebat*, uti in citato Canone asserunt illius Concilii Patres.

XXXIV. Itaque per omnia hæc privilegia præcipuè tendebant, ut temporalia Monasteriorum non diverterentur, nec Monachi variis prætextibus gravarentur, & ut electio Abbatis esset penes Monachos secundum Regulam S. Benedicti; atque ita Abbates commendatarii, & seculares excluderentur.

Plura similia extant privilegia etiam seculo XI. Monasteriis nostris Belgicis indulta; atque inter alia, extat apud Miræum in Codice piarum Donationum *cap.* 50. privilegium à Balduino Episcopo Noviomensi & Tornacensi datum anno 1063. Ecclesiæ Harlebecanæ, quam Adela Comitissa Flandriæ construxit, *atque ibidem servientes sub professione Canonica in religionis habitu vivere instituit.* Hoc privilegio sola immunitas quoad bona temporalia conceditur, retento annuo censu Episcopo solvendo; additurque: » Quòd si Episcopus, sive suus » minister pro tenenda Synodo, vel aliqua quomodolibet cau- » sa ad aliquam prædictarum Ecclesiarum huic Monasterio (quod » hodie Capitulum Canonicorum est) incorporatarum venerint, » nihil exigentes de rebus ad Ecclesiam pertinentibus, de suis » propriis vivant, contenti prænominato censu quotannis."

XXXV. Et *cap.* 52. refertur diploma Alexandri II. Papæ, quo institutionem hujus Ecclesiæ Harlebecanæ, nec non prædictam Balduini Noviomensis Episcopi concessionem confirmat; » ipsamque Canonicam (id est Canonicorum Ecclesiam) cum » omnibus sibi pertinentibus sub tutela Apostolicæ Sedis susci- » pit, & confirmat quidquid hactenus habuit, tam largitione » piissimorum Principum, quàm oblatione quoruncumque Fi- » delium, juxta nobilissimi præceptum Regis Francorum Phi- » lippi, & præceptum Balduini Noviomensis Episcopi, vel dein- » ceps habitura est, tàm in terris, quàm in vineis, & villis, & » Ecclesiis majoribus & minoribus, omnibusque rebus mobili- » bus, & immobilibus, ita ut non liceat cuiquam Ecclesiastica- » rum, vel secularium magnæ parvæque personæ prænomina- » tam Canonicam de suis omnibus inquietare; vel quid ab eis » jure in alienum transferre, salva *in omnibus proprii Episcopi* » *reverentia.* De ordinando verò Præposito in eodem loco, hoc » Apostolica auctoritate sancimus, ut nullus ibi præsumat quem- » quam proponere contra Canonicam regulam; sed defuncto » Præposito uno, congregatio eligat, vel de eadem congrega- » tione, si ibi idoneus inventus fuerit, vel de alia, quem potio- » rem vitæ meritum commendaverit, juxta Canonicam re- » gulam."

Necesse non est ostendere, quod hoc privilegium, non ad eximendum Ecclesiam illam à Canonica Episcoporum subjectione, sed ad conservationem temporalium, & liberam electionem Præpositi Congregationi asserendam tendat, ipsa verba idipsum evidenter exprimant.

Non absimile privilegium refertur ibidem *cap.* 88. quod Monasterio Grimbergano anno 1132. indulsit Liethardus Episcopus Cameracensis, expressè dicens: » Ecclesiæ Cameracensi hoc » solum de illa habendum retinui, ordinationem Fratrum, & » *filialem loci subjectionem.* «

XXXVI. Denique *cap.* 89. referuntur litteræ, quibus anno 1133. Burchardus Cameracensium Episcopus petitionem Religiosorum virorum, Walmanni videlicet Antuerpiensium Abbatis, & Bernardi Claræ-vallensis (hic est S. Bernardus, vulgò *Doctor mellifluus*) approbat, supplicantium, ut Ecclesiam de *Tongerlo* libertate donaret, quatenus in ea Fratres Præmonstratensis Ordinis, sub regula S. Augustini degentes, liberè & quiete Deo famulari valeant.

In quo autem hæc postulata libertas consistat, contextus concessionis Episcopalis aperit: » Prædictam Ecclesiam beatæ » Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ (ait) ab omni exac- » tione, debitisque obsoniis, ad sustentandos Canonicos, in ea » Deo, sanctæque ejus Genitrici servientes liberam facio."

» Deinde (ait) ut Canonicum & justum est, libens consti- » tuo, ut in constituendo Abbate sanior pars conventus liberam » potestatem obtineat; electus verò Cameracensi Episcopo præ- » sentetur, ut ab eo sine ulla contradictione, vel cujuslibet per- » sonæ aliqua exactione consecratus, in Parochia sua jus syno- » dale liberè obtineat."

Posthæc indulget, » quòd Abbas ad Synodum non cogatur, » nisi *sigillatis Episcopi Litteris* fuerit evocatus."

Denique temporalia Monasterii speciatim in his Litteris, sive charta immunitatis exprimens, ea auferri, aut dissipari à quocunque sub interminatione æternæ damnationis prohibet; concluditque: „ Pax igitur & benedictio conservatores protegat: » dissipatores verò ultio ignis æterni cum diabolo feriat."

XXXVII. Ex his, aliisque, quæ passim referuntur, Monasteriis ad postulationem plerumque ipsorum Fundatorum seculo VI. & sequentibus indulta privilegia, manifestum est, ea non fuisse exemptiones à Canonica Episcoporum jurisdictione in corrigendis Monachorum & Abbatum excessibus; sed duntaxat privilegia libertatis circa rerum temporalium dispensationem, & Abbatum electionem, immunitatis à certis oneribus seu prætensis juribus, quibus Monasteria in temporalibus gravantur, & Monachorum quies multùm sæpè turbabatur.

XXXVIII. Et licèt non omnia, quæ passim referuntur, quin nec illa, quorum suprà meminimus, Dionysianum & Corbiense ab omnibus ut sincera agnoscantur; imò non sine fundamento à nonnullis viris eruditis habeantur pro supositiis & confictis, nihilominus valeant ad probandum, quæ fuerit privilegiorum ejus ætatis forma.

Neque enim dubitari potest, quin privilegiorum similium fabricatores, ea ad veri privilegii normam, quantum in ipsis erat, adornarent, ut tanto facilius pro veris supponerent, & eorum suppositio & fictio difficiliùs detegeretur.

Adhæc dubitari fas non est, similium privilegiorum consarcinatores studuisse Monasteriorum libertates & exemptiones amplificare; nihilque omisisse quod cum aliqua veri specie ad eam amplificationem dici potuisset; ac per consequens, si temporum illorum disciplina omnimodas à Jurisdictione Episcoporum exemptiones novisset, non dubium, quin hi privilegiorum fabricatores similibus exemptionibus sua fictitia privilegia auxissent.

XXXIX. Theodorus Balsamon ad Canonem VI. Chalcedonensem citatis Canonibus, qui Monasteria Episcopis subjiciunt, dicit: » Clerici ergo, vel Monachi, qui dicunt hodie se Pa- » triarchæ, vel regionis Episcopo non esse subjectos, tanquam » sint liberæ mansionis vel Ecclesiæ, proferentes utique etiam » à Fundatoribus sanctorum statutorum ordinationes, quid ad » hæc respondebunt? Omninò nihil. Etiamsi enim quis funda- » tor Monasterii, vel Ecclesiæ in suis statutis, vel ordinatione » sua decreverit, non subjici eorum Monachos, vel Clericos re- » gionis Episcopo, non audietur, ut qui divinis, sacrisque Ca- » nonibus contraria statuerit, & quæ stare non possunt, scrip- » serit."

CAPUT III.

Quorum auctoritate privilegia, seu immunitates Monasteriis olim indulta sunt.

1 *Ab Episcopis primitùs data fuisse privilegia evincit Formula Marculfi.*
2 *Probant quoque pleraque privilegia Monasteriis indulta.*
3 *Hæc Episcoporum auctoritas vindicata in Concilio Romano anno* 1200.
4 *Plures nonnunquam Episcopi eidem privilegio subscribebant.*
5 *Etiam in Synodis privilegia confirmabantur.*
6 *His privilegiis etiam Regia auctoritas accedebat.*
7 *Privilegium S. Dionysii confirmatum fertur auctoritate Clodovæi II.*
8 *Frequentem fuisse regiam confirmationem probat formula Marculfi, quæ inscribitur*, concesio Regis ad hoc privilegium.
9 *Eam consuevisse concedi ipsa formula indicat.*
10 *Confirmantur, quæ ab Episcopis erant concessa.*
11 *Vetat quocunque prætextu quidquam de rebus temporalibus Monasterii auferri.*
12 *Dat quoque immunitatem ab oneribus Fiscalibus.*
13 *Concessio Regis fiebat ad postulationem Fundatorum; solebantque fundationes sub conditione concedendæ immunitatis fieri.*
14 *Fundatores curam Episcoporum, & Regis protectionem implorabant.*
15 *Ad quid tenderet immunitas à Fundatoribus postulata.*
16 *Ratio concessæ immunitatis meritò à Monachis attendenda.*
17 *Concessio immunitatis Regiæ nihil de auctoritate Episcoporum detrahebat.*
18 *Privilegia etiam auctoritate Sedis Apostolicæ confirmari petierunt Monachi, & Fundatores.*
19 *Probatur ex Epistola Benedicti III.*
20 *Privilegium à Pontifice confirmatum tantùm spectabat res temporales Monasterii, & electionem Abbatis.*

Os-

21 *Ostendit Pontifex* speciali *ratione injustum esse, ut Episcopi* Galliæ *quidquam de rebus Monasterii in suos usus converterent.*

22 *Argumentum Pontificis supponit, Clericos divites non posse de proventibus Ecclesiasticis vivere.*

23 *Privilegium à Benedicto III. concessum confirmavit, rursusque renovavit Nicolaus I.*

24 *Ex hujus confirmatione evincitur, liberam Abbatum electionem fuisse solicitatam ad excludendos Abbates seculares.*

25 *Privilegia tantùm à Pontifice confirmabantur, quæ ab Episcopis erant obtenta.*

26 *Pontifices per suas confirmationes non detrahebant Episcoporum in Monasteria Canonicæ auctoritati.*

27 *Privilegia ab Episcopis dari, & Sedis Apostolicæ & Regum auctoritate roborari, scribit* S. Ivo Carnotensis.

28 *Fundatores Monasteria subjicientes protectioni Sedis Apostolicæ à jurisdictione Episcopi non eximebant.*

I. PRivilegia, seu immunitates seculo VI. & sequentibus auctoritate Episcoporum concessa fuisse, vel sola formula Marculfi Monachi (de qua capite præcedenti) evincit. Solus enim Episcopus tanquam privilegii, & immunitatis Auctor loquens introducitur his verbis: » Domino sancto, & in Chris» to venerabili Fratri illi Abbati, vel cunctæ Congregationi Mo» nasterii illius in honore beatorum illiorum ab illo in pago illo » constructo, *ille Episcopus.* «

II. Evincunt id quoque omnia passim privilegia, quæ eo tempore Monasteriis concessa leguntur & asseruntur, atque signanter quorum præcedenti capite relata sunt, quæque Monasteriis Harlebecano, Grimbergano, ac Tongerloensi indulta ex Miræo retulimus, etiam seculo XII. auctoritate Episcoporum privilegia hujusmodi data esse probant.

III. Auctoritatem Episcopalem circa hujusmodi privilegiorum concessionem mirè confirmat, quod anno 1002. in Synodo Romana coram Sylvestro III. Papâ contigisse fertur. Cùm enim Pontifex assereret, Abbatiam Perusinam sub jure & dominio esse Ecclesiæ Romanæ, variaque privilegia Prædecessorum suorum protulisset, ait Episcopus: » Privilegia hæc non » reprobo; sed sine *consensu Antecessoris mei*, cujus tempo» ribus illud prius privilegium factum est, factum fuisse dico; » si solum viderem consensum, haberem inde æternum silen» tium. Cui è contra omnis clerus S. Romanæ Ecclesiæ ait: vi» dimus omnes Epistolam Antecessoris tui, in qua & consen» sus erat, & precibus, ut hoc fieret, Episcopus obnixiè pos» tulat; cujus rei testes sumus, & secundum Canonicam sanc» tionem verum fuisse comprobamus. «

IV. Ut autem major esset privilegii efficacia, illud non rarò à pluribus Episcopis probabatur, ut indicat citata formula Marculfi. In fine quippe formulæ dicitur: » Quam constitutionem » nostram, ut firmis subsistat vigoribus, & nos & Fratres nos» tri Episcopi subscriptionibus, manibus nostris decrevimus » roborari. «

V. Imò plurima referuntur privilegia in Synodis Episcoporum probata, quin & subindè Synodos Episcoporum ad probandum simile privilegium convenisse legitur.

In Synodo Valentina anno 584. postulante Guntheramno Francorum rege probata legitur immunitas, seu privilegium Monasterii SS. Marcelli & Symphoriani, ut si quid prælatus Rex Basilicæ S. Marcelli, » sive in Ministerio Altariorum, sive » in quibuscunque speciebus, quæ ad divinum cultum pertine» re noscuntur, contulisse, vel adhuc conferre voluerit, ne» que Episcopi locorum, neque potestas Regia quocunque tem» pore successura, de eorum voluntate quidquam minorare, aut » auferre præsumat. « Extat tom. 5. Concil. gen. *col.* 976.

Notat autem ibidem Severinus Binius, in hoc Concilio nihil aliud factum inveniri, quàm quod ad instantiam dicti Regis Guntheramni, donationes, quas ob pias causas ipse, ejusque Posteri contulerant, vel collaturi essent, privilegiis & immunitatibus Ecclesiasticis donatæ fuerint.

Capite præcedenti retulimus, quomodo teste Amoino, datum fuerit privilegium Monasterio S. Dionysii in Conventu omnium Episcoporum Galliæ.

Extat quoque tom. 9. Concilior. Gen. *col.* 918. Conventus Episcoporum anno 1040. quo non absimile privilegium, seu immunitas conceditur Monasterio Vindocinensi, quod Gaufredus inclytus Comes, & uxor ejus construxerant. Ex quo patet, etiam seculo XI. hujus generis privilegia, & immunitates ab Episcopis fuisse data, & in Synodis probata.

VI. Adhæc, ut firmiora essent ab Episcopis concessa privilegia, atque adversus potentiorum incursiones, & vexationes tutiores redderentur Monachi, eorumque res temporales facilius conservarentur, moris fuit, ut hisce privilegiis & immunitatibus Regia auctoritas, seu confirmatio accederet.

VII. Refertur tom. 6. Concil. Gener. *col.* 489. præceptum, sive confirmatio Clodovæi II. Regis, privilegii vel libertatis Monasterii S. Dionysii, quod Landericus Episcopus Parisiensis, annuentibus aliis Galliæ Episcopis, dicto Monasterio indulserat.

VIII. Quàm autem frequens ac usitata esset Regia hæc privilegiorum confirmatio probatur ex Marculfo Monacho, qui inter formulas suas etiam hujus confirmationis formulam retulit immediatè post formulam privilegii ab Episcopis concedi soliti sub hac Epigraphe: *Concessio Regis ad hoc privilegium*: qua describitur forma in confirmatione Regia servanda. *Lib.* 1. *Formul. num.* 2.

IX. In ipsa quoque formula concessionis indicantur, hanc concessionem Regiam solitam esse concedi. » Nec nobis (ait) » aliquis detrahendo æstimet in id nova decernere carmina, dum » ab antiquitùs juxta Constitutionem Pontificum per regalem » sanctionem Monasteria sanctorum illorum, vel cætera in reg» no nostro sub libertatis privilegium videtur consistere: ita & » præsens valeat Deo adjutore constare.

X. Post hæc subjiciuntur ea, quæ ex concessione, seu privilegio Episcoporum Monasteriis indulgeri solebant, quæ à Rege confirmantur, & observari mandantur.

» Adjicientes (pergit post hæc formula) ut nulli penitùs » judicum vel cuilibet hominum licentia sit de rebus præfati Mo» nasterii absque voluntate ipsorum servorum Dei in aliquo » iniquiter defraudare aut temerario spiritu suis usibus usurpare; » ne, quod primitùs est, & Dei iram incurrat & nostram offen» sam; vel à fisco grave damnum sustineat. «

XI. Utque plenius esset privilegium, adjungit: » Illud no» bis pro integra mercede nostra placuit addendo, ut tam quod » ex nostra largitate quàm delegatione ipsius, vel cæterorum, » aut cujuslibet ibidem est, aut fuerit devoluta possessio, quo» que tempore nulla judiciaria potestas, nec præsens, nec suc» cidiva, aut causas audiendo, aut aliquid exactando ibidem » non præsumat ingredere; sed sub omni immunitate hoc ip» se Monasterius (g) vel Congregatio sua sibimet omnes fredos » concessos debent possidere. «

XII. Deinde ad integram Monasterii libertatem, & immunitatem, etiam à Fiscalibus oneribus Monasterium exemptum declaratur. » Et quidquid exinde Fiscus noster forsitan de eo» rum homines, aut ingenuos, aut servientes in eorum agros » commanentes, vel undecunque poterat sperare ex indulgen» tia nostra in luminaribus ipsius sancti loci, vel in stipendia » servorum Dei, tam nobis in Dei nomine viventibus, quam » per tempora succedentibus Regibus pro mercedis compendio » debeant cuncta proficere, ut pro æterna salute vel felicitate » patriæ, seu Regis constantiam delectet ipsis Monachis im» mensam Domini pietatem jugiter implorare. « (h)

XIII. In ipsa formula annotatur concessionem Regiam fieri ad petitionem illius, qui Monasterium fundaverat, aut fundare intendebat. Constat enim ad horum petitionem hujusmodi immunitates concedi solitas fuisse: ipsasque dotationes, & fundationes sub conditione hujusmodi immunitatis plerumque factas probat prima formula lib. 2. Marculfi, quæ inscribitur: *De magna re qui vult ex Xenodochio, aut Monasterio construere.* Hic post enumeratas res in constructionem aut fundationem Monasterii destinatas adjicitur: » Ea scilicet ratione, atque præ» textu, ut remota Pontificum, simulque & Ecclesiasticorum » omnium officialium, seu publicorum omnium potestate, » nullas functiones, vel exactiones, neque exquisita, & lauta » convivia, neque gratiosa, vel insidiosa munuscula, neque » etiam caballorum pastus, aut peravereda (i) vel cæteras an» garias, aut in quodcunque functionis titulum dici potest, de » ipsa facultate penitùs non requiratur, sed sub integra emu» nitate facultaticula ipsa, sicut à me hucusque possessa est, » in jure Oratorii sancti illi & prædictorum pauperum debeant » Deo protegente & opitulante persistere. «

XIV. Posthæc Regem, & Episcopos obtestatur ipse Fundator, ut omni exactione, & vexatione, velint abstinere, & Monachos tueri, » ut hac voluntate mea pro nullis occasioni» bus, sicut existente sine Deo cupiditate res exigi solet, nul» là ratione, nulloque tempore convellere permittatis, sed » per solicitudinem, & curam Episcopi constare potiùs pro » reverentia Trinitatis immensæ, vestro tempore, & studio, » vel opere jubeatis, quatenus ut & ille vobis mercedem res» tituat in futuro, qui scit me eleemosynis ipsis sanctis Dei » pau-

(g) *Monasterius, id est, Monasterium.*

(h) *Plurima in Marculfi formulis leguntur, quæ Marculfo ignoscenda sunt, inquit doctissimus Hieronymus Bignonius in notis ad Marculfum; cùm ille infelici, ac barbaro seculo vixerit.*

(i) *Paravereda, vel Paraveredi sunt equi* agminales, *quorum usus fuit in cursu publico, non quidem in viis publicis, sed in transversariis & militaribus, ut* veredorum *usus in viis publicis. Ita Gothofredus ad leg.* 3. *Cod. Theodos.* de cursu publico.

» pauperibus pro amore Domini nostri Jesu Christi ardenti de» siderio tribuisse. «

XV. Non obscurum ex his est, hanc immunitatem unicè à Fundatoribus postulari consuetam, ut quæ pro eleemosynis in usum & necessitates pauperum Christi oblata sunt, in usus profanos non divertantur, ipsique Monachi in quiete ac regulari observantia sine vexatione vivere possent: quod & in formula Regiæ concessionis exprimitur, ubi rationem suæ concessionis Rex allegat: » Ad petitionem illius (Fundatoris) clemen» tia nostra pro quiete ipsorum servorum Dei præceptionem vi» goris nostri placuit propalare, sub quo tranquilitatis ordine, » Domino protegente, ipsi Monachi juxta Religionis normam » in perpetuum valeant residere, elegimus, ut & hac serie de» beat plenius declarari. «

XVI. Optandum, ut qui Monasteriorum suorum immunitates & privilegia jam pridem Regum, atque Episcoporum munificentia, postulantibus Fundatoribus impetrata, tantopere urgere & inclamare solent, etiam ad rationem concessionis attenderent; atque rebus sibi à Fundatoribus oblatis, & à Regibus, & Episcopis, aliisque immunitate donatis, uterentur juxta intentionem Fundatorum, & Regum, aliorumque, qui privilegia annuerunt, ut res illæ in eleemosynam sanctis Dei pauperibus pro amore D. nostri Jesu-Christi ardenti desiderio consecratæ (ut loquitur formula *de Fundando Monasterio*) etiam tanquam eleemosynæ, & pauperum Dei necessitatibus, non autem in luxum & usus planè profanos impenderentur.

XVII. Admodum notanda clausula, quam allegatis verbis subjungit formula concessionis Regiæ. » Quia nihil de *Canonica* » *institutione* convellitur, quidquid ad domesticos fidei pro » tranquilitatis pace conceditur. « Hæc clausula ostendit similibus privilegiis, & immunitatibus, nihil de Canonica auctoritate, quibus Monasteria spirituali Episcoporum directioni subduntur, detrahi. Et sanè Regum, ac Principum mens fuit, Monachos contra Potentiorum vexationes & oppressiones suâ auctoritate protegere, nequaquam verò à Canonica subjectione eximere, uti infrà latiùs ostendetur.

XVIII. Privilegia ab Episcopis concessa, & Regia auctoritate firmata necdum sat valida erant, ut temporalia Monachorum contra Potentiorum invasiones tuta essent, aut jus eligendi Abbates regulares illibatum servaretur; quare Monachi, eorumve Fundatores, hæc privilegia etiam auctoritate Sedis Apostolicæ, præsertim seculo IX. & sequentibus, firmari postulârunt; ipsaque Monasteria sub speciali ejusdem Sedis protectione esse voluerunt.

XIX. Extat tom. 8. Concil. General. *col.* 235. epist. Benedicti Papæ III. super confirmatione privilegiorum Abbatiæ Corbejensis, in qua narrat, Abbatem Corbejensem petiisse, » ut nostræ (ait) auctoritatis privilegium super electionis propriæ » statu, & rerum suarum libera possessione, seu dispensatio» ne prædicto Monasterio Corbejæ concederemus. «

Hîc adverte privilegium petitum à Pontifice tantùm ad rerum temporalium possessionem & dispensationem, atque ejus liberè electionis pertinuisse.

XX. Narrat dein Pontifex, quòd Abbas ipsi ostenderit privilegia ab Episcopis edita: unum à Præsule Ambianensi, nimirùm Bertefrido (ad cujus Diœcesim locus ille pertinet) & Coëpiscopis suis factum atque roboratum, quod refertur tomo 6. Concil. General. *col.* 527. alterum ab Archiepiscopo Remensis Ecclesiæ Hincmaro, & universali Concilio Episcoporum Galliarum conscriptum, & subscriptionibus propriis roboratum. Extat tom. 7. Concil. General. *col.* 1848.

Quid hæc privilegia continerent, audiamus: » In quibus » privilegiis decretum est, ut præfatum Monasterium Corbejæ, » & rerum suarum liberam obtineant dominationem, & eligen» di sibi Abbatem de suis semper habeant potestatem. «

Post hæc asserit Pontifex, quod Imperatoris Lotharii, & Ludovici, ac Caroli supplicatio accesserit » idipsum postulan» tis, videlicet ut Episcoporum privilegia nostra quoque auc» toritate firmarentur. «

His præmissis duo illa in privilegiis Episcoporum contenta auctoritate suâ ipse confirmat, & Monasterio Corbejæ in perpetuum salva esse voluit.

XXI. Ut verò integra maneat rerum temporalium possessio penes Monasterium, vetat Episcopis, eorumque Archidiaconis, & ministris, ne quidquam ex iis, quæ ad Monasteria pertinent, sibi vindicent.

Quàm singulari ratione injustum sit, ut Episcopi Galliarum quidpiam è rebus ad Monachorum usus destinatis, in suos proprios converterent, sequenti probat argumento: » Cumque » Galliarum permaximè Ecclesias fidelium collationibus à Deo » constet esse ditatas, ut nemo sit ferè Episcoporum, cui suæ » sumptus Ecclesiæ satis superque non sufficiant, cujus gratiâ » necessitudinis, quæ servorum Christi sunt usibus collata, in » suos convertere sumptus præsumant. «

XXII. Consequentiam probat sequenti ratiocinatione: „ Si » enim Clericorum, qui de propriis abundant redditibus, com» municatio prohibetur cum eis, quæ conferuntur Ecclesiæ, ne » dum illi acceperint, qui de propriis abundant, eorum qui » nihil habent, inopia non levetur; qua conscientia Episcopus » suæ sumptibus Ecclesiæ sufficiens, quæ servorum Dei fue» rint usibus collata præsumat contingere? «

Hîc per transennam lector annotet, tanquam indubitatum assumi, Clericum, qui de propriis abundat redditibus, non posse communicare de iis, quæ Ecclesiæ conferuntur. Hoc testimonium addi cupio illis, quæ de hoc argumento fusè dicta *part.* 2. *tit.* 32. *cap.* 5.

XXIII. Idem privilegium rursus renovavit, & confirmavit Benedicti III. immediatus successor Nicolaus I. uti patet ex ejus Epistola 24. ad Trasuleum Abbatem Corbejæ; quæ confirmatio itidem evincit privilegium hoc non spectâsse nisi rerum temporalium conservationem, & liberam Abbatis electionem.

XXIV. Probat quoque hanc præcipuè solicitatam, ut excluderentur Abbates seculares; dicit enim: » Abbatem verò » Fratres ipsius Monasterii de *se ipsis* eligendi semper habeant » potestatem, & eam personam eligant, *quæ Monachi propo» situm & habitu & moribus profiteatur*, non Canonicum aut » Laicum, neque alterius Monasterii Monachum: quoniam » Monachico Ordini præficere vel Laicum, vel Canonicum, » non est servare Ordinis professionem, sed evertere: quod » unusquisque Præpositus, cujus est Ordinis, ejus quoque » erit & propagator; nec benè disponet aliquando cujuscunque » militiæ vitam, cujus non fuerit ipse, qui disponit æmulator. «

Et infra: » Qua de re præcipimus omninò, ut Monasterio » Beatorum Petri & Pauli, quod *Corbejæ* dicitur, nullam præ» ficiant personam, vel ex sibi militantibus, vel ex alieno Mo» nasterio sumptam, quæ non per electionem sumatur proba» bilem, sive de laico, sive de Canonico, sive de quocunque » fuerit Ordine. «

XXV. Plurima hujusmodi confirmationis Pontificia diplomata passim referuntur; quæ unà ostendunt Pontifices eo tempore, privilegia ab Episcopis concessa, auctoritate sua potiùs roborâsse, quàm nova concessisse. Nec enim Pontificis auctoritas necessaria videbatur, ut similia privilegia obtinerentur, quæ Canonicæ institutioni non obviabant; sed auctoritas Pontificia implorabatur, ut privilegia ab Episcopis canonicè ac legitimè indulta, contra malevolorum conatus illæsa manerent.

XXVI. Ulteriùs, quia Pontifices suam duntaxat addere solerent auctoritatem privilegiis ab Episcopis indultis, & auctoritate Regia frequenter etiam probatis, nihil quoque de Canonica Episcoporum auctoritate spirituali in Monasteria diminuerunt; sed voluerunt, ut indulta ab Episcopis suum perennem obtinerent effectum.

XXVII. Hæc brevi compendio seculo XI. expressit S. Ivo Carnoten. *epist.* 193. monens Gaufridum Bellovacensem Episcopum, ut privilegia Ecclesiæ S. Quintini intemerata servaret, quæ *à Prædecessoribus obtinuit, Apostolica manus roboravit, Regiaque Majestas Pragmatica sanctione firmavit.*

XXVIII. Similiter dum Fundatores cœperunt Monasteria à se fundata speciali protectioni Sedis Apostolicæ immediatè subjicere, nequaquam Monachos ab Episcoporum spirituali jurisdictione & correctione exemptos voluerunt, sed ut sub protectione Sedis Apostolicæ contra Potentiorum invasiones, & vexationes tuti, & quieti essent; ut infrà latiùs ostendetur.

CAPUT IV.

De Initiis, et Progressu Exemptionum.

1 *Privilegia primitùs Monachis indulta propriè non sunt exemptiones.*
2 *Divisio exemptionis in partialem & totalem; & quid partialis.*
3 *Quid totalis.*
4 *Hæc à S. Bernardo dicta est* emancipatio.
5 *Rectè vocatur* emancipatio.
6 *Ex privilegiis jam pridem Monachis indultis non probatur antiquitas exemptionum.*
7 *Nonnulli originem exemptionum ad Tempora S. Gregorii referunt; sed minus rectè.*
8 *Privilegium exemptionis, quod Monasterio S. Medardi à S. Gregorio datum dicitur.*
9 *Privilegium hoc multis titulis ut supposititium rejicitur.*
10 *Similiter & privilegium, quod ab eodem Sancto Pontifice datum dicitur Xenodochio Augustodunensi.*
11 *Supposititium est privilegium, quod à S. Germano Parisiorum Episcopo datum fertur Monasterio S. Germani.*
12 *Initium executionis nonnulli repetunt ex Synodo Carthaginensi anni* 524. *sub Bonifacio.*
13 *Referuntur acta hujus Synodi.*
14 *Acta, quæ huic Synodo adscribuntur, non evincunt plenam Monasteriorum exemptionem.*

Ac-

15 *Acta illa de suppositione sunt suspecta.*
16 *Quin ob allegatam hanc Synodum quædam privilegia reddantur de suppositione suspecta.*
17 *Privilegium, quod Monasterio S. Martini Turonensis dedisse fertur Adeodatus Papa.*
18 *Privilegium hoc supponit, quod jam pridem Sedes Apostolica exemptiones dederit, sed ob abusus dare desierit.*
19 *Privilegium noluit concedere Pontifex, nisi de consensu Episcoporum constaret.*
20 *Plura sunt, quæ hoc privilegium de suppositione reddunt suspectum.*
21 *Ante seculum XI. distinctio inter Monasteria exempta, & non exempta non incurrit.*
22 *Neque Prælatorum adversus exemptiones querelæ, quæ seculo XII. & sequentibus frequentes fuerunt.*
23 *Invectiva S. Bernardi in Monachos exemptionem ambientes.*
24 *Rejicit prætextum Monachorum de libertate Monasterii.*
25 *Cluniacenses Monachi suas propugnant immunitates tanquam à Sede Apostolica ex voluntate Fundatorum indultas.*
26 *Impugnatores ad Sedem Apostolicam remittunt.*
27 *Sanctus Bernardus Eugenio III. Papæ querelam contra exemptiones proponit.*
28 *Indignum censet, Ecclesias inferioribus subtrahere, & Sedi Apostolicæ immediatè subjicere.*
29 *Nullum esse bonum fructuum exemptionum prætendit.*
30 *Eas repugnare justitiæ.*
31 *Nec esse conformes voluntati Fundatorum.*
32 *Immunitates, & protectiones à Fundatoribus expetitæ pro exemptionibus à Monachis acceptæ.*
33 *Contra exemptiones sub nomine Archiepiscopi Cantuariensis scribit Petrus Blesensis.*
34 *Exemptiones multùm obesse Monasteriis scribit.*
35 *Rogat Pontificem, ne credat Privilegiis, nisi iis visis, quia multa falsa allegantur.*
36 *Acerrima ejusdem Petri Blesensis contra exemptiones Epistola ad suum fratrem Abbatem.*
37 *Contra exemptiones scribit Joannes Sarisberiensis.*
38 *Similiter Petrus Cantor.*
39 *Horum testimonio evincitur, exemptiones ante seculum XI. vix notas fuisse.*
40 *Conciliorum de his querela.*
41 *Ordinum Mendicantium Fundatores meritò exemptiones respuerunt.*
42 *Sanctus Franciscus noluit à suis Sodalibus privilegia impetrari.*
43 *Contra mentem S. Francisci quidam ejus Filii exemptiones impetrare cœperunt.*
44 *Id & in aliis Ordinibus contigit.*
45 *Exemptiones à Mendicantibus impetratæ cur specialiter odiosæ.*
46 *Episcoporum Provinciæ Remensis anno 1287. querelæ occasione privilegiorum.*
47 *Querelæ Episcoporum contra exemptiones in Conc. Viennensi.*
48 *Privilegia hæc summum incrementum accepêre tempore schismatis Avenionensis; & quid circa hæc decreverit Martinus V. in Concilio Constantiensi.*
49 *Contentiones, & difficultates exortæ occasione exemptionum colliguntur ex Decretalibus in Corpore Juris extantibus.*
50 *Capitula, & Universitates studiorum etiam eximi cœperunt.*
51 *Exemptiones Capitulorum Canonicorum seculo XIII. nondum notæ videntur.*
52 *Occasio exemptionis Capitulorum.*
53 *Quâ ratione exemptæ videantur Universitates.*
54 *Etiam particulares personæ eximi cœperunt.*

I. VAria privilegia & immunitates jam pridem Monachis & Monasteriis indulta fuisse, *capite* 2. ostendimus; sed illa solùm immunitatem à certis oneribus, & jus eligendi Abbatem spectâsse, ibidem notavimus. Quapropter hæc privilegia, seu immunitates, non veniunt proprie nomine *exemptionis*, prout hodie communiter sumitur vox *exemptio*, ubi de Monasteriorum, Capitulorum, aliorumque Corporum, aut locorum vel personarum exemptione agunt Canonistæ: quamvis aliàs similes immunitates dici possent *exemptiones*, quatenus per eas Monasteria, aliaque Corpora à quibusdam juribus eximuntur.

II. Hac ratione nonnulli è recentioribus Canonistis exemptionem dividunt in partialem, & totalem. Sub priore comprehendentes omnes illas, quibus conceditur immunitas sive exemptio à jurisdictione Episcopi, vel Ordinarii, quoad certos quosdam articulos, puta *Cathedratico*, *Synodico*, aliisque ad legem Diœcesanam, juxta recentiorem Canonistarum opinionem, spectantibus; hæcque rursus generalior, vel restrictior est, quatenus à pluribus, aut paucioribus hujusmodi Juribus exemit, quod ex tenore privilegii sive immunitatis dignosci debet, quemadmodum capite sequenti ostendetur.

III. Totalis autem, & quæ hodie simpliciter & communiter *exemptio* nuncupatur, & de qua præcipuè hoc titulo agitur, à Canonistis definiri solet, libertas illimitata à potestate & Jurisdictione Ordinarii cum immediata subjectione Sedi Apostolicæ; ita ut sic exempti non tantùm sint absoluti à Jurisdictione Ordinarii, quoad Jura illa, quæ ad legem Diœcesanam referri solent, sed etiam ab iis, quæ ad legem Jurisdictionis spectant, ut sunt correctio, punitio &c. atque ipsum exemptum quodammodo subtrahit auctoritati & Jurisdictioni spirituali sui Episcopi, & immediatè subdit Sedi Apostolicæ.

IV. Hanc speciem exemtionis maluit S. Bernardus vocare *emancipationem*, quam immunitatem aut privilegium, *epist.* 42. dicens: *Spoliant* (Abbates) *Ecclesias*, ut EMANCIPENTUR; *redimunt se, ne obediant.*

V. Nec sanè incongruè *emancipatio* vocatur, argumento ducto *emancipatione* legali, qua filii-familias potestati paternæ subtrahuntur, & in quandam libertatis speciem vindicantur, ac sui Juris efficiuntur.

VI. Itaque exemptio hæc omninò disparata est à privilegiis & immunitatibus jam pridem ab Episcopis indultis, & Apostolicâ, ac Regiâ auctoritate roboratis, de quibus supra *cap.* 2. & 3. actum est. Quare & ex hujusmodi privilegiis nihil pro auctoritate, aut antiquitate exemptionis (prout hodie sumitur, & subtractionem à Canonica Episcoporum auctoritate & correctione complectitur) desumi potest; quandoquidem prædicta privilegia & immunitates Canonicam Episcoporum auctoritatem non attigisse ostenderimus.

VII. Quo verò tempore non tantùm immunitates, sed & exemptiones à Canonica Episcoporum subjectione postulari, ac impetrari per Monachos à Sede Apostolica cœperint, non una est omnium opinio.

Nonnulli credunt, S. Gregorium quædam Monasteria & pia loca exemptionis privilegio donâsse, atque à potestate Ordinariorum solvisse, & Sedi Apostolicæ immediatè subjecisse.

Negari nequit, quin S. Gregorius specialem in Monachos, & Moniales, eorumque Monasteria curam suam, ac solicitudinem Pastoralem impenderit; multumque solicitus fuerit, ne indebitis oneribus gravarentur, aut vanis prætextibus & dominandi quorundam libidine vexarentur & turbarentur; sed nusquam eos à Canonica subjectione Episcoporum exemit, aut Episcopali censuræ substraxit; imò ab Eusebium Abbatem scribit *lib.* 2. *Epist.* 24. *indict.* 10. »Qui se contra Præpositos suos »erigunt, profectò ostendunt, quia servi Dei esse contemnunt.« Ulteriùs eundem Abbatem de suo Episcopo justè conquerentem, à subjectione non absolvit; sed ut se humiliter subjiciat hortatur. »Et quidem ab illo (Episcopo) hoc quod »factum est, minimè fieri debuit, à te tamen omnino debuit »humiliter suscipi: & rursum cùm gratiam reddebat, ad eum »cum gratiarum actione debuit occurri. Quod quia ita à te fac»tum non est, adhuc cognosco, quia nobis omnino lachry»marum opus est. Non enim grande est iis non esse humiles, »à quibus honoramur, quia & hoc seculares quilibet faciunt. »Sed illis maximè humiles esse debemus, à quibus aliqua pati»mur: nam Psalmista dicit: *Vide humilitatem meam de inimicis »meis.* Nos cujus vitæ sumus, qui humiles esse etiam Patribus »noluimus?« Plura vide supra *cap.* 2. ubi ostendimus, privilegia à S. Gregorio indulta nullatenus ad hanc exemptionem pertinuisse.

VIII. Exstat quidem ad calcem Epistolarum S. Gregorii privilegium amplissimum exemptionis, quod Suessonensi Monasterio S. Medardi concessisse dicitur hic Sanctus Pontifex. Verùm si tenor hujus privilegii duntaxat inspiciatur, apparebit indignum esse, quod tanto Pontifici adscribatur. Quis enim unquam inscriptionem in Epistolis Pontificum vidit huic similem, *Pretiosissimis lapidibus meritò renitentibus, omnibusque sanctæ Dei Ecclesiæ membris, quorum universale Caput est Christus: Gregorius licèt sanctæ Romanæ Sedis Pontificio sublimetur, humillimus tamen servorum Dei servus.*

IX. In ipso privilegii contextu plurimæ occurrunt insolitæ & barbaræ expressiones à stylo & ætate S. Gregorii omninò alienæ: item prærogativæ, & Jura Abbati Monasterii S. Medardi conceduntur, nullatenus moribus, & disciplinæ istius ætatis consentanea: in ipsis quoque subscriptionibus crassissimi deprehenduntur errores; quemadmodum post Cardinalem Perronium, Jacobum Sirmondum, aliosque viros eruditos deduxit & ostendit Joannes Launoius Theologus Parisiensis in Scripto, cui titulus: *Inquisitio in privilegium, quod Gregorius Papa primus Monasterio S. Medardi dedisse fertur*; ac dein latiùs in *Assertione* ejusdem inquisitionis, ubi adeò dilucidè suppositionem, & fictionem hujus prætensi privilegii demonstrat, ut non credam quòd eruditus ullus illud amplius sustinere audebit; præsertim cùm teste Cardinale Bonâ, nec hoc privilegium inter Opera S. Gregorii reperiatur in Archivis Romanis, at sibi à dic-

dicto Cardinale scriptum asserit Auctor notarum in Epistolas S. Gregorii editionis anni 1675. (k)

X. Privilegium, quod S. Gregorius dedisse dicitur Xenodochio Augustudinensi, & refertur *lib.* 11. *Epist.* 10. licèt non æquè à moribus & disciplina ætatis Gregorianæ exorbitet ut præcedens, nihilominus plura exhibet suppositionis argumenta deducta à Joanne Launoio in citata Inquisitione *Corollario* 2. & latiùs in Appendice ad citatam Assertionem cap. 10. Item in Assertione Inquisitionis in *Chartam immunitatis, quam B. Germanus Parisiorum Episcopus Suburbano Monasterio dedisse fertur, parte* 4. *cap.* 8. quamvis & ipse Launoius *parte* 2. *sect.* 5. ejusdem Assertionis ostendat, hoc qualecunque privilegium, Abbatem jurisdictioni Episcopi non subtrahere, sed subjicere: ideoque nullum hinc pro antiquitate exemptionis argumentum desumi posse, quantumvis privilegium genuinum esse probaretur.

XI. Privilegium, quod Monasterio S. Germani in Suburbio Parisiensi circa tempora S. Gregorii datum scribitur à S. Germano Parisiorum Episcopo, non obscuriora, nec pauciora præfert fictionis, & suppositionis indicia, quàm illud quod Monasterio S. Medardi indultum fertur à S. Gregorio, quæ latè & dilucidè deduxit citatus Joannes Launoius, tam in Inquisitione in chartam immunitatis S. Germani, quàm in ejusdem *Inquisitionis Assertione* contra librum Roberti Quatremarii Monachi pro defensione dicti privilegii editum.

XII. Christianus Lupus in Scholiis ad *Canonem IV.* Chalcedonensem ait, quòd » Monachis adversus Episcoporum excessus libertatem dare cœperit ad S. Fulgentii preces Bonifacius » Archiepiscopus Carthaginensis, cujus (ait) Synodus extat integra in Biblioteca Vaticana. « Meminit & hujus Synodi Joannes Mabilonius *lib.* 1. *de Re Diplomatica cap.* 3. qui & huic exemptionum initium aliquid adscribit.

XIII. Synodum hanc in suo specilegio edidit Lucas Dacherius, & tomo 4. Concil. General. *col.* 1641. inseruit Labbeus, qui recitatis actis hujus Concilii, ad calcem *col.* 1649. monet: » Decretum autem hujus Concilii extat in alio Codice Longobardico vetustissimo Bibliotecæ Vaticanæ *num.* 5845. « Deinde immediatè subjicit: *In Concilio sub Sancto Bonifacio Episcopo apud Carthaginem.* » Erunt igitur omnia omnino Monasteria, sicut semper fuerunt, à conditione Clericorum modis » omnibus libera, sibi tantùm & Deo placentia. «

Eodem tomo Concil. General *col.* 1785. extant Concilii Carthaginensis sub Reparato Episcopo anno Christi 534. acta nonnulla, in quibus prædicti Concilii Chartaginensis sub Bonifacio mentio fit; refertque, quòd » Felix Episcopus Ecclesiæ » Zactarensis Provinciæ Numidiæ dixit: De Monasterio Abbatis » Petri, ubi nunc Fortunatus Abbas constitutus est, quæ temporibus factæ memoriæ Bonifacii in Concilio universali nobis » etiam præsentibus acta sunt, in convulsa permaneant. «

Post hæc subditur: » Cætera verò Monasteria etiam ipsâ libertate plenissima perfruantur, servatis limitibus Conciliorum » suorum in hac duntaxat, ut quandoque voluerit sibi Clericos » ordinare, vel Oratoria Monasteriis dedicare, Episcopus, in » cujus plebe vel civitate locus Monasterii existit, ipse hujus » muneris gratiam compleat, salvâ libertate Monachorum, nihil » sibi in his præter hanc ordinationem vindicans, neque Ecclesiasticis eos conditionibus, aut angariis subdens. Oportet enim » in nullo Monasterio quemlibet Episcopum cathedram collocare; aut qui fortè habuerint, habere: nec aliquam ordinationem, quamvis levissimam, facere, nisi Clericorum, si voluerint, habere: esse enim debent Monachi in Abbatum suorum potestate. Et quando ipsi Abbates de corpore exierint, „ qui in loco eorum ordinati sunt, judicio Congregationis eligantur: nec officium sibi hujus electionis vindicet, aut præ„ sumat Episcopus. Si qua verò contentio, quod non optamus, „ exorta fuerit, ut ista Abbatum aliorum concilio sive judicio „ finiatur."

XIV. Si acta hujus Concilii ritè expendantur, meritò ambigitur, num Monasteria ab omnimoda Episcopi jurisdictione spirituali eximantur; an verò immunitatem duntaxat à Juribus quibusdam temporalibus consequantur, ut Episcopus, *neque Ecclesiasticis eos conditionibus, aut angariis subdat*, atque liberam electionem Abbatis permittat.

XV. Adhæc, Ferrandus Diaconus Carthaginensis & Cresconius Bonifacio, sub quo Synodus Carthaginensis de privilegio Monachorum habita dicitur, coævi fuerunt; quorum prior Canones Carthaginenses in compendium redegit, ediditque sub titulo, *Breviarium Canonicum*; posterior verò Canones in unum Corpus redegit, & tamen neuter Synodi à Bonifacio habitæ, aut Canonum ab ea Synodo de libertate Monastica editorum meminit. Meminisset autem uterque, vel alteruter sine dubio (ait Joannes Launoius in citata Assertione Inquisitionis in Chartam Immunitatis S. Germani *parte* 4. *cap.* 6. *sect.* 1.) cùm ex subjecta materia, quæ tractaretur, tum ex eo quoque, quòd facta tunc temporis Synodus in utriusque oculos, manum & calamum incurrisset.

XVI. Hinc non leve de veritate ac sinceritate hujus Synodi dubium oritur. Imò Joannes Launoius, vel hinc pro suppositione privilegiorum Monsaterii Fossatensis, Sandionysiani, & Corbejensis argumentum desumit, quod in his privilegiis hujus Synodi Carthaginensis acta, & Canones reclamentur: præsertim quia in duobus posterioribus privilegiis dictis Canonibus jungitur S. Augustini liber *de Ecclesiasticis Gradibus*, quia tamen nec in Catalogo librorum S. Augustini, quem confecit Possidius, extat; nec Venerabilis Beda meminit; neque in ulla Operum S. Augustini editione comparuit hactenus, etiam inter Opera quæ vel Librariorum errore, vel unius Codicis compactione Augustino perperam adscripta, & in appendices in ultima editione rejecta sunt.

XVII. Refertur tomo 6. Concil. General *col.* 523. Epistola Adeodati Papæ scripta circa annum 675. ad universos Episcopos Galliæ de privilegio, quod concessum est Abbati Monasterii S. Martini Turonensis.

XVIII. In hac Epistola narrat Pontifex, quòd Ægidius religiosus Presbyter, & Abbas Monasterii S. Martini sibi supplicaverit, ut privilegium ei concedere dignaretur; ac dein subdit: » Parumper autem ambiguimus, idcircò quod mos, atque » traditio Sanctæ nostræ Ecclesiæ plus non suppetat à regimine Episcopalis providentiæ religiosa loca secernere. «

Ad quæ verba reflectens Baronius ait: » Ex cujus Scripto » illud fit manifestum, jam cessâsse Romanos Pontifices ejusmodi immunitates concedere Monasteriis, cùm dicat: Mos, atque » traditio Sanctæ nostræ Ecclesiæ plus non suppetat à regimine » Episcopalis providentiæ religiosa loca secernere. Id fortasse, » quod experimento didicissent, ejusmodi immunitates obfuisse » potiùs, quàm profuisse Monasticæ Observantiæ. «

XIX. Dein prosequitur Pontifex, narrans, quòd ubi Crotberti Turonensis Episcopi libertatem Monasticam scripto concessam comperit, » in cujus volumine (ait) & aliorum per Gallicanam videlicet Provinciam constitutorum Antistitum ad id » consensum præbentium subscriptiones superannexas inspexi» mus; nullatenus jam exortem rationis, ac Canonicæ regulæ » tantorum Episcoporum consonam sententiam fore perpendi» mus. Propterea & nos erga quod iidem Fratres nostri reve» rendissimi præsentes conferre providerunt, simili censura ex » auctoritate profecto Apostolorum Principis, cui claves ligandi, atque solvendi conditor, atque redemptor omnibus tribuit, identidem firmari concessimus. «

Hinc non obscurum est, Pontificem noluisse priùs hoc privilegium concedere, nisi postquam ipsi compertum fuit, Episcopos jam tum illud dedisse, aut consentire saltem voluisse, quod & solicitè cavit, ubi in fine rursus hanc clausulam parenthesi includit, *quod etiam Præsules consona sententia definierunt.*

Unde si verum, atque genuinum sit Adeodati hoc privilegium, ex illo constat, seculo VII. solitos non fuisse Pontifices hujusmodi privilegia concedere, nisi illa prævìè ab Episcopis essent concessa, aut probata: ita ut Pontificalis concessio veriùs esset privilegii ante dati confirmatio, quàm novi concessio.

XX. Dixi, si verum, atque genuinum sit Adeodati privilegium; multa quippè sunt, quæ non parùm suspectum reddant hoc privilegium, seu Epistolam Adeodati.

Atque imprimis, quòd innuat jam cessâsse Pontifices hujusmodi immunitates concedere Monasteriis; indirectè innuendo, antehac à Pontificibus plures similes immunitates indultas fuisse, uti notavit Baronius: cùm tamen nullibi hujusmodi authentica privilegia à Pontificibus ante annum 675. concessa reperiantur, neque ullus illius ætatis Scriptor illorum meminerit; nec legantur ullæ querelæ adversus similium privilegiorum abusus, ob quos Pontifices à dandis supersedissent.

Præterea, quod non semel occurrat *Religiosus Presbyter & Abbas*, argumentum est haud leve, hanc Epistolam seculo X. aut XI. quo Abbates seculares invaluerant, fabricatam esse; quo argumento aliquando P. Papebrochius inductus fuit, ut hoc privilegium tanquam fictitium rejiceret in Propilæo antiquario, tomo 2. Sanctorum mensis Aprilis præfixo, ubi *parte* 1. *c.* 10. *num.* 127. ita loquitur: » Quod apud Baronium ex Papirio » Massono habetur velut ab Adeodato Papa sub anno 675. con» cessum Turonensi Monasterio, & Monachis S. Martini, id » licèt sit mutilum extrema parte, satis tamen habet unde no» vitia fictio deprehendatur, dum identidem *Religiosi* Abbatis » meminit ex usu ejus temporis, quo res Monastica tantum » dispendium accepit, quantum quæri vix fas est per Abbates » *seculares.* «

Scio

(k) *Eruditi Benedictini è Congregatione S. Mauri, qui Opera S. Gregorii Magni anno* 1705. *ediderunt, Privilegium de quo agitur è sua expunxerunt editione. Quapropter rectè concluditur, ab ipsis habitum fuisse ut spurium illud Privilegium, adeoque ab illis perperam S. Gregorio adscriptum.*

Scio ipsum Patrem Papebrochium in suo Conatu Chronico historico Judicium suum de fictione hujus privilegii retractâsse, eidem Turonensi Monasterio libenter gratulans tam vetustum privilegium. Quod advertit (ait) *Religiosum* hîc non aliter dici, ac nunc diceremus *Reverendum*; quam reflexionem desumpsit ex Mabilonio *lib.* 1. *de Re diplomat. cap.* 3. qui ibidem ostendere conatur, titulum *Religiosi* datum fuisse Abbatibus ante exortos Abbates seculares.

Verùm si totus privilegii contextus legatur, nescio an ibi Papebrochius sat grave suæ retractationis fundamentum habuerit.

Et ut daremus, vocem *Religiosus* hîc non apponi Abbati *seculari*; neque hinc fictionis sufficiens argumentum desumendum foret, nequaquam tamen propterea Turonensi Monasterio de antiquitate seu privilegio *gratulandum* videbatur: quandoquidem alia essent non levia indicia & argumenta, quæ hoc privilegium ut minùs admodum de fictione, & suppositione suspectum faciant; quæ doctè proponit Joannes Launoius in assertione Inquisitionis in privilegium S. Medardi *parte* 3. *cap.* 20.

XXI. Quidquid sit, hoc satis compertum est, quòd ante seculum XI. aut XII. distinctio inter Monasteria exempta, & non exempta in Synodis aut genuinis scriptis illius ætatis non occurrat; sed Monasteria passim generaliter & indefinitè Episcoporum spirituali regimini subjecta dicantur.

XXII. Insuper & illud notandum, quòd ante illa secula non occurrant illæ adversus hasce Monasteriorum, aut Abbatum exemptiones querelæ: quæ seculo XI. & sequentibus frequentes & graves fuêre. Indicium haud obscurum vel seculo XI. primùm esse exortas exemptiones illas, aut saltem adeò multiplicatas, ut multorum querelas excitarent.

XXIII. Sanctus Bernardus sub initium seculi XII. scribens ad Henricum Senonensem Archiepiscopum, sive in tractatu *de Moribus & Officio Episcop. cap.* 9. quàm altè de Abbatibus exemptionem à jurisdictione Episcoporum ambientibus, queritur: „Miror (ait) quosdam in nostro Ordine Monasteriorum » Abbates hanc humilitatis regulam odiosâ contentione infringere: & sub humili (quod pejus est) habitu & tonsura tam » superbè sapere, ut cùm ne unum quidem verbulum de suis » imperiis subditos suos prætergredi patiantur, ipsi propriis obe» dire contemnant Episcopis. Spoliant Ecclesias, ut emancipa» tur, redimunt se, ne obediant. Non ita Christus, ille siqui» dem dedit vitam, ne perderet obedientiam: quâ isti ut ca» reant, totum fere suum, suorumque victum expendunt. Quid » hoc est præsumptionis ò Monachi? Neque enim quia Prælati » Monachis, (l) ideò non Monachi: nempe Monachum facit » professio, Prælatum necessitas."

XXIV. Et infra: „Sed non propter me, inquit, facio, sed » quæro Ecclesiæ libertatem. O libertas omni (ut ita loquar) ser» vitute servilior? Patienter ab hujusmodi libertate abstineam, » quæ me pessimæ addicat superbiæ servituti. Plùs timeo den» tes lupi, quàm virgam pastoris. Certus sum enim ego Mona» chus, & Monachorum qualiscunque Abbas, si mei quando» que Pontificis à propriis cervicibus excutere jugum tentavero, » quòd Satanæ mox tyrannidi meipsum subjicio. Advertens ni» mirùm cruenta illa bestia, quæ circuit quærens quem devo» ret, elongatam custodiam: heu! statim insilit in præsumpto» rem. Meritò enim non cunctatur præsidere superbo, qui se » jure regem gloriatur super omnes filios superbiæ. Quis dabit » mihi centum in mei custodiam deputari Pastores? Quantò » plures sentio mei curam gerere, tanto securior exeo in pas» cua. Stupenda insania! Animarum non cunctor turbas mihi » custodiendas colligere: & unum super propriam gravor ha» bere custodem? Et quidem subjecti me de redenda pro se ra» tione solicitant. Qui autem præsunt mihi, *ipsis potius* (Paulo » dicente) *pervigilant tanquam rationem pro me reddituri.* Illi » etsi honorant, onerant: hi non tàm premunt, quàm protegunt. » Scio me legisse: *Judicium durissimum his, qui præsunt, exi» guo autem conceditur misericordia.* Quid igitur vos, ò Mo» nachi, Sacerdotum gravat auctoritas? Metuitis infestationem? » Sed si quid patimini propter justitiam, beati. Secularitatem » contemnitis? Sed Secularior nemo Pilato, cui Dominus as» titit judicandus."

XXV. Quamvis hæc contra sui Ordinis Abbates dicat Bernardus, certum nihilominus est, & Cluniacensibus id ipsum à S. Bernardo objectum esse, ex *Epist.* 28 *lib.* 1. Petri Venerabilis Abbatis Cluniacensis. In hac enim Epistola scribit hic Abbas Cluniacensis, inter alia objici Cluniacensibus, quòd *proprium Episcopum habere refugerent.* Respondet verò Petrus, id verum non esse, cùm *pro proprio* Episcopo agnoscant Romanum Episcopum. „Hunc unum & maximum nos habere Epis» copum gloriamur (ait) *huic soli* specialiter obedimus: ab hoc » solo si causa, quod absit, exigeret, interdici, suspendi atque » excommunicari possumus. Hoc ipsius Sanctæ Sedis irrefragabi» lis sanxit auctoritas: nec unius tantùm, sed multorum De» creta inde apud nostram matricem Ecclesiam conservantur. » Hæc ipsi ita condiderunt, non ut hanc, de qua loquimur, » Cluniacensem Ecclesiam alteri Episcopo priùs eam possiden» ti auferrent, sed à Fundatoribus, qui eam in proprio alodio » construxerant, rogati ut propriam retinuerunt, atque soli Ro» mano Pontifici eam in æternum subjacere decernentes, plu» ribus hoc privilegiis confirmaverunt."

XXVI. Rationibus his justificationem Cluniacensium adductis tandem concludit: „Si autem adhuc perstatis, & nos » malè agere jactatis, illum, quem obtendimus, impetite, & » nobis dimissis cum illo agite."

XXVII. Videns ergo Bernardus, Cluniacenses, aliosque ab Episcoporum auctoritate sesse subtrahentes, auctoritatem Sedis Apostolicæ in suam defensionem advocare; hocque clypeo se tutos credere, querelam suam scribens ad Eugenium III. Papam exponendam credit *lib.* 3. *cap.* 4. *de Consideratione.* „Mur» mur loquor (inquit) & querimoniam Ecclesiarum truncari se » clamitant, ac demembrari. Vel nullæ, vel paucæ admodum » sunt, quæ plagam istam aut non doleant, aut non timeant. » Quæris quam? Subtrahuntur Abbates Episcopis, Episcopi » Archiepiscopis, Archiepiscopi Patriarchis, sive Primatibus. » Bonane species hæc? Mirum si excusari queat vel opus. Sic » factitando probatis vos habere plenitudinem potestatis; sed » justitiæ fortè non ita. Faciti hoc, quia potestis, sed utrum & » debeatis, quæstio est."

XXVIII. Posthæc ostendere conatur, quàm indecens sit, Ecclesias Episcopis inferioribus substrahere, & sibi immediatè subjicere: „Quid item tam indignum tibi, quàm ut totum te» nens, non sis contentus toto, nisi minutias quasdam, atque » exiguas portiones ipsius tibi creditæ universitatis, tanquam » non sint tuæ, satagas nescio quomodo adhuc facere tuas? » Ubi etiam meminisse te volo parabolæ Nathan de homine, » qui multas oves habens, unam, quæ erat pauperis concupi» vit. Huc quoque veniat factum, imò facinus Regis Achab, » qui rerum summam tenebat, & unam vineam affectabat." Avertat Deus à te quod ille audivit: *Occidisti, & possedisti.*

XXIX. Deinde ne forsan ob fructum, & commodum in Monasteria, & disciplinam Regularem ex concessa exemptione redundantia, eam justè à Sede Apostolica concedendam esse crederet, subjungit: »Nolo autem prætendas mihi fructum » emancipationis ipsius: nullus est enim, nisi quod inde Epis» copi insolentiores, Monachi etiam dissolutiores fiunt. Quid » & quod pauperiores? Inspice diligentiùs talium ubique liber» torum, & facultates, & vitas, si non pudenda admodum & » tenuitas in his, & in illis secularitas invenitur. Matris noxiæ » libertatis gemina soboles hæc. Quidnî peccet licentiùs vagum » & malè liberum vulgus, cum non sit qui arguat? Quidni li» centiùs quoque spolietur, ac deprædetur inermis religio, cum » non sit qui defendat?"

His, aliisque emancipationum incommodis relatis, concludit: »Non est arbor bona faciens fructus tales, insolentias, » dissolutiones, dilapidationes, simultates, scandala, odia: » quodque magis dolendum inter Ecclesias inimicitias graves, » perpetesque discordias. Vides quàm verus sit sermo ille: *Om» nia mihi licent, sed non omnia expediunt.* Quod si fortè nec » licet: Ignosce mihi, non facilè adducor consentire, quod » tot illicita parturit."

XXX. Præterea emancipationes seu exemptiones justitiæ, quæ jus suum cuique tribuendum docet, repugnare contendit: »Tunc tibi licitum censeas, suis Ecclesias mutilare membris, » confundere ordinem, perturbare terminos, quos posuerunt » patres tui? Si justitiæ est jus cuique servare suum; auferre » cuiquam sua, justo quomodo poterit convenire?"

XXXI. Cùm autem Cluniacenses dicerent, Cluniacum ab ipso Fundatore fuisse Sedi Apostolicæ subjectum, & in sua fundatione ab eâdem retentum: ideoque nihil Episcopo subtrahi à Sede Apostolica, sed duntaxat retineri, quod petente Fundatore ipsa acceptavit; respondit S. Bernardus: »Non» nulla tamen Monasteria, sita in diversis Episcopatibus, quòd » specialiùs pertinuerint ab ipsa sui fundatione ad Sedem Apos» tolicam pro voluntate Fundatorum, quis nesciat? Sed aliud » est quod largitur devotio, aliud quod molitur ambitio impa» tiens subjectionis." Quasi diceret; verum est nonnulla Monasteria ab ipsa sui fundatione ad Sedem Apostolicam pro voluntate Fundatorum specialiter pertinere: sed *aliud est quod largitur devotio*, nimirùm Fundatorum, *aliud quod molitur ambitio impatiens subjectionis*: hæc enim à disciplina, & correctione, atque subjectione Episcoporum se subducere per emancipationem molitur; illa verò non quærit, nec largitur emancipationem; sed solam Sedis Apostolicæ protectionem ad conservationem eorum, quæ à Fundatoribus donata sunt, & liberæ Abbatis electionis. Quod à S. Bernardo verissimè dictum fuisse, ex dictis capite præcedenti colligi potest, & latiùs expo-

(l) *Id est, Gallico idiomate*: Quoique vous soyez Supérieurs de Moines, vous n' avez point perdu la qualité de Moines.

ponetur capite sequenti, ubi ostendemus, quòd Fundator Cluniacensium duntaxat Sedis Apostolicæ protectionem postulaverit; & quòd specialis protectio Sedis Apostolicæ non inferat exemptionem.

XXXII. Hinc & sat apparet, quòd privilegia & immunitates jam pridem ab Episcopis & Romanis Pontificibus concessa, tanquam plenæ exemptiones, sensim à Monachis reputari cœperint. Unde & Petrus Abbas Cluniacensis in citata *Epistola* 28. ut exemptionum antiquitatem adstrueret, allegat Epistolas S. Gregorii ad Luminosum Abbatem, & Castorium Episcopum Arminensem: cum tamen nec S. Gregorius in his epistolis de exemptionibus loquatur, nec data primitùs privilegia ad exemptiones à spirituali Jurisdictione spectarent, uti *cap.* 2. dictum est.

XXXIII. Circa idem tempus, quo in Galliis contra exemptiones seu emancipationes queritur S. Bernardus, in easdem stylum strinxit in Anglia celebris ac ille eruditus Bathoniensis Archidiaconus Petrus Blesensis.

Fidem facit Epistola 68. quæ quidem sub nomine Richardi Archiepiscopi Cantuariensis dirigitur ad Alexandum III. sed Petri Blensensis calamo, & stylo exarata. In hac vehementi, atque acerbiore stylo exemptiones invadit, easque iisdem penè coloribus quibus Bernardus depingit. „ Adversus Primates „ & Episcopos intumescunt Abbates, nec est, qui majoribus „ suis reverentiam exhibeat & honorem. Evacuatum est obe„ dientiæ Jugum, in qua erat unica spes salutis, & prævari„ cationis antiquæ remedium. Detestantur Abbates habere suo„ rum excessuum correctorem, vagam impunitatis licentiam „ amplectuntur, claustralisque militiæ Jugum relaxant in om„ nem desiderii libertatem. Hinc est, quòd Monasteriorum fe„ rè omnium facultates datæ sunt in direptionem, & prædam. „ Nam Abbates exteriùs curam carnis in desideriis agunt, non „ curantes dummodò lautè exhibeantur, & fiat pax in diebus „ eorum: claustrales verò tanquam acephali otio vacant & va„ niloquio: nec enim præsidem habent, qui eos ad frugem „ vitæ melioris inclinet. “

XXXIV. His, aliisque pessimis emancipationum, & exemptionum fructibus enumeratis, concludit: „ Quid est exi„ mere ab Episcoporum Jurisdictione Abbates, nisi contuma„ ciam, ac rebellionem præcipere, & armare filios in pa„ rentes? “

Deinde nonnullis interpositis, ait: „ Monasteria enim, „ quæ hoc beneficium damnatissimæ libertatis, sive Apostolica „ auctoritate, sive quod frequentius est, bullis adulterinis adep„ ta sunt, plus inquietudinis, plus inobedientiæ, plus inopiæ „ incurrerunt: ideoque & multæ domus, quæ nominatissimæ „ sunt in sanctitate & religione, has immunitates, aut nun„ quam habere voluerunt, aut habitas continuò rejecerunt. “

XXXV. Denique rogat Pontificem, ut si Malmisburiensis Abbas (occasione cujus hæc epistola scripta fuit) ipsum accedat: „ illius non admittat privilegia, donec manifestè liqueat „ ex collatione scripturæ, & Bullarum, quo tempore, & à „ quibus Patribus sint indulta. “

Rationem hujus præmittendæ indagationis subjungit: Falsa„ riorum enim præstigiosa malitia ita in Episcoporum contu„ meliam se armavit, ut falsitas in omnium ferè Monasteriorum „ exemptione prævaleat, nisi in decisionibus, & examinatio„ nibus faciendis Judex veritatis exactior districtissimus in„ tercedat. “

XXXVI. Contra exemptiones non mitiori stylo à Petro Blesensi exarata est *epistola* 90. qua fratrem suum recenter electum in Abbatem Maniacensem hortatur, ut vel hisce » exemp» tionis privilegiis vel dignitati Abbatiali renuntiet: Si Roma» nus Pontifex à jurisdictione vestri Episcopi vos exemit, no» lite, quæso, uti privilegio, quod materiam rebellionis in» ducit. «

Et infra: » Per salutem itaque Patris, qui nos genuit, & » per ubera, quæ suximus in eadem matre, frater, unicè vos » adjuro & deprecor, ut in signum *plenæ humilitatis*, Ponti» ficalia resignetis insignia: aut, si hoc sine scandalo fieri nequit, » renuntietis in manu Domini Papæ Monasterii administrationem, » & substituto ibi ad instantiam vestram Pastore idoneo, vos » ad claustrale otium & salubrem militiam convertatis.

XXXVII. Eodem declinante seculo XII. scribebatur Joannes Saresberiensis Episcopus Carnotensis, vir in divinis Scripturis eruditus, & in secularibus litteris nobiliter doctus, nec minus religione, quàm scientia venerabilis, teste Joanne Trithemio.

Hic *lib.* 7. *cap.* 21. *de Nugis Curial.* teterrimo stylo describit quosdam hypocritas, qui sub pallio religionis homines miserè seducebant, & eorum marsupia evacuabant; utque hæc impunè faciant: » Ad Ecclesiam Romanam confugiunt (ait) » quæ mater pietatis Religioni consuevit providere quietem. » Implorant opem ejus, protectionis implorant clypæum, ne » cujusquam possint malignitate vexari, & se possint pleniùs » exhibere, & charitatis exhibere manus, ne decimas dent, » Apostolico privilegio muniuntur. Procedunt ulterius, & quo » sibi plura impunè liceant, *à jurisdictione* omnium Ecclesia» rum seipsos eximunt, & efficiuntur Romanæ Ecclesiæ filii spi» rituales. «

Dein relatis pluribus horum hypocritarum fraudibus, & excessibus addit hoc notandum: » Si eis obloqueris, religionis » inimicus, & veritatis diceris impugnator. « Hoc quam frequenter hodie verificetur, notius est, quàm ut probari debeat.

XXXVIII. Hisce omnibus consonat, qui sub finem seculi XII. floruit Petrus Cantor, qui multum invehitur in has exemptiones, in Verbo abbreviato *cap.* 44. cujus hoc est summarium: *Contra eos, qui exuunt se à jurisdictione suorum Prælatorum*: atque inter alia dicit: » Cùm quælibet Provincia suum » habeat Metropolitanum, quælibet Diœcesis suum Episcopum, » absurdum & enorme videtur, Ecclesiam vel Abbatem esse » in Episcopatu illius, & de Episcopatu illius, & non sub Epis» copo illius Diœcesis, non ei subjectus, licet sit de Episcopatu, » & in Episcopatu illius. «

XXXIX. Horum aliorumque querelæ admodum verisimile reddunt exemptionum usum seculo XII. vel initium sumpsisse, aut magnum tum incrementum accepisse, ut tot querelas præteritis temporibus ignotas excitârit.

XL. Verùm licet hæ sanctorum & illustrium virorum querimoniæ novitiam probare videantur exemptionum originem, has tamen suffocare non potuisse evincunt sequentium seculorum frequentissimæ querelæ, nec non remedia ad earum abusus coercendos abhibita. Concilium Lateranense sub Alexandro III. in *cap.* 3. ✠ *de Privileg.* ait: » Fratrum, & Coepis» coporum nostrorum conquestione comperimus, quòd Fra» tres templi & Hospitalis, & alii Religiosi indulta sibi ab Apos» tolica Sede privilegia excedentes, contra Episcopalem auc„ toritatem multa præsumant, quæ ad scandalum faciunt, & „ grave pariunt periculum animarum. “

Easdem querelas seculo XIII. renovavit Concilium Lateran. sub Innocentio III. in *cap.* 12. ✠ *de Excessib. Prælat.*

XLI. Eodem seculo XIII. exorti Ordines Fratrum Mendicantium; attendentes eorum sanctissimi Fundatores, & Patres, quantas hæc privilegia in Ecclesia turbationes, & Episcoporum atque Prælatorum querelas & offensiones excitarent, ab iis abstinendum judicârunt; atque subjici Episcopis voluerunt: præsertim quia Ordines suos ita instituere intendebant, ut ipsorum Sodales Episcopis & Pastoribus cooperatores, ac subsidiarii accederent; uti supra *part.* 1. *tit.* 3. *capit.* 7. ostendimus.

XLII. Quam alienus ab exemptionibus ac privilegiis fuerit S. Franciscus, ostendit piissimum ejus Testamentum, in quo inter alia monita hoc moriens Filiis suis datum voluit: » Præci» pio firmiter Fratribus universis per obedientiam, quod ubi» cunque sint, non audeant petere aliquam litteram in Cu» ria Romana: « adeoque nec litteras exemptionis: quod & probat ejusdem Sancti Patris apoplitegma: » Hoc meum & Fra» trum meorum est privilegium, nullum habere privilegium su» per terram, sed omnibus obedire, & inferiores nos omni» bus reputare. «

XLIII. Meritò proinde Cardinalis Baronius ad annum 676. notat, » ut Monachi ab Episcopali obedientia hujusmodi pri» vilegiis se subtraherent, nec gratum fuit S. Francisco; sed » Fratris Eliæ, hominis non divino spiritu, sed carnis pruden» tia nitentis, opus fuit. «

XLIV. Quod in Ordine S. Francisci effectum fuit, per Fratrem Eliam, ejusque asseclas, id & sensim in cæteris Mendicantium Ordinibus obtinuit.

XLV. Cùm autem hæc privilegia ultra Monasticam, ac domesticam disciplinam ad functiones hierarchicas, ipsi extenderent; atque in his ab Episcopali auctoritate exemptos se prætenderent, mirum quanta ex his privilegiis scandala, & contentiones exorta sint; quantæque adversus hos privilegiatos Fratres hinc excitatæ Prælatorum querelæ.

XLVI. Gravissimas querimonias Episcoporum Provinciæ Remensis circa annum 1287. (dum notabilis Belgii nostri portio huic Provinciæ in spiritualibus suberat) videre licet in Epistola Circulari ex Concilio Provinciali data: quâ deplorant scandala & animarum pericula, quæ in populo & Clero sunt exorta, eò quòd Fatres Prædicatores & Minores Bullas privilegiorum se intelligere dicerent, & assererent » eo modo quod dilu» cidè obviant Juri communi, Conciliis; & Constitutionibus » Romanorum Pontificum, & intentioni etiam concedentis. «

Vide latiùs hæc relata in Epilogo *Repaguli Canonici adversus nimiam exemptionum à jurisdictione Episcoporum extensionem*: ubi & referuntur verba Alvari Pelagii ex *lib.* 2. *de Planctu Ecclesiæ*, *cap.* 66. quibus exponit, quanta mala Ordo Minorum passus sit, quia contra voluntatem S. Francisci in suo Testamento declaratam privilegia fuerunt impetrata.

XLVII. In Concilio Viennensi sub initium seculi XIV. » agitatum fuisse de revocandis exemptionibus, restituendoque » Episcopis vetere Jure in religiosas familias, quæ in eorum» „ Dioe-

„ Diœcesibus agerent, „ scribit Odericus Raynaldus in appendice ad annum 1312. *num.* 24. Aditque: „ Afferebantur etiam „ ab Episcopis variæ querelæ contra exemptos, à quibus Epis„ copalis ordinis auctoritatem contemni, pluraque contra fas sub „ exemptionum clypeo pertentari expostulabant. „

XLVIII. Porrò privilegia hæc nunquam majus incrementum sumpsêre, quàm cùm in Ecclesia Romana schismata fuerunt: tunc enim Romani Pontifices, aut pro talibus se gerentes, ut Ordines, Capitula, vel potentiores personas sibi faventes haberent, facilè novis privilegiis & gratiis cumulabant; quemadmodum in luctuoso illo schismate, quod ab obitu Gregorii XII. incœpit, & vix finem accepit in electione Martini V. contigisse deplorat ipse Martinus V. in Bulla *De Exemptionibus*, *Sess.* 43. Concilii Constantiensis evulgata, in *grave ipsorum Ordinariorum præjudicium*: quapropter, paucis exceptis, omnes exemptiones ab obitu dicti Gregorii XI. concessas sacro approbante Concilio (Constantiensi) revocat, atque Ecclesias, Monasteria, & alia loca in pristinam Ordinariorum jurisdictionem reducit, addita hac notanda clausula: *Non intendimus exemptiones de cætero facere, nisi causâ cognitâ, & vocatis quorum interest.* Extat hæc Bulla Martini V. *Tom.* 12. *Concil. General col.* 254.

XLIX. Cæterùm quàm frequentes fuerint circa has exemptiones excessus, quotque excitatæ quæstiones seculo XIII. & sequentibus, probant omnia illa tum Conciliorum Decreta, tum Pontificum Romanorum Decretales Corpori Canonico inserta, quibus & quæstiones resolvuntur, nec non regulæ quædam statuuntur, quibus abusibus obviam eatur, & exemptionibus hisce limites figantur, quæ pro hodierna praxi & disciplina capite sequenti exponemus.

L. Ex citata Bulla Martini V. patet, non tantùm Religiosos, eorumque Monasteria privilegia exemptionis obtinuisse; sed & Capitula Canonicorum, nec non Studiorum Scholas, sive Universitates, à jurisdictione Episcoporum fuisse exempta; quod & moderna praxis quoque evincit.

LI. Quandonam Capitula Canonicorum præsertim Cathedralium exemptiones prætendere cœperint, incertum est. Illud apparet seculo XII. nondum horum exemptiones notas fuisse. Neque enim ullæ de hac exemptione apud S. Bernardum, aliosve ei coævos Auctores querimoniæ occurrunt; sed hæ duntaxat contra Religiosorum exemptiones diriguntur.

LII. Quapropter admodum verisimile est, ad exemplum Religiosorum, seculo XIII. & sequentibus, Capitula cœpisse exemptiones à jurisdictione Episcoporum prætendere; easque sensim prætextu immunitatis in temporalibus, & correctionis, quam Capitulum vel Decanus habebant, invaluisse, dissimulantibus subinde Episcopis, aut etiam consentientibus, maximè dum electio Episcoporum à Capitulis dependebat; uti rectè advertit, & deduxit Advocatus Regius coram Parlamento Parisiensi, in causa pendente in eodem Parlamento inter Archiepiscopum Senonensem, & ipsius Capitulum Cathedrale prætendens exemptionem. Integer discursus refertur in opere, cui titulus: *Journal des Audiences*, *tom.* 3. *lib.* 1. *cap.* 31. Plura Capitula etiam Cathedralia exempta enumerat Joannes Lomede in Senatu Parisiensi Patronus in Tractatu *De Exemptionibus Ecclesiasticis*, *cap.* 4.

LIII. Universitates quando jurisdictioni Ordinariorum subtrahi, & Sedi Apostolicæ immediatè subjici cœperunt, similiter incertum est. Illud valdè verisimile est, rationem hujus subtractionis esse, quòd cùm Universitates præcipuè ad scientias tradendas sint institutæ; atque inter scientias emineat scientia Theologica, quæ & difficiliores & graviores quæstiones, & controversias parere solet, maluerint, tutiusque judicaverint Sedi Apostolicæ suarum difficultatum & quæstionum decisiones, ac unâ modum docendi, & regimen Academicum, esse subjectas, quàm particulari Episcopo, in cujus Diœcesi Universitas est erecta. Accedit, quòd tandem invaluisset, ut publicæ Universitates auctoritate Sedis Apostolicæ erigerentur, & privilegiis donarentur, quemadmodum sub initium seculi XV. hæc Universitas Lovaniensis auctoritate Martini V. primùm quoad quatuor Facultates erecta est, quibus per Eugenium IV. suum immediatum successorem Facultas Theologica adjuncta, variisque privilegiis per dictos Pontifices, eorumque successores decorata fuit Universitas; quam & sibi immediatè subjectam voluerunt, uti & modò ab Ordinarii Jurisdictione exempta manet; uti ex Præside Everardi refert Erasmus à Chokier De Jurisdictione Ordinarii in exemptos *parte* 1. *quæst.* 27. & addit: *Lateque per privilegia Lovanii typis mandata probatum est.*

LIV. Exemplo Religiosorum, & Canonicorum cœperunt & singulares personæ seu Regulares seu seculares variis titulis sibi exemptionem, & libertatem à subjectione sui Episcopi impetrare (m), quemadmodum ipsa Synodus Trident. pluribus locis insinuat, atque signanter *Sess.* 24. *cap.* 11. *de Reformat.* Ubi & deplorat, has exemptiones perturbationem in Episcoporum jurisdictione excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere. Sed de his latiùs infrà *cap.* 6.

(m) *Plures solent afferri causæ, quæ Summos Pontifices ad Exemptiones concedendas moverunt; has longè serie exponit auctor anonymus* dans le Traité historique & dogmatique des Privileges & des Exemptions Ecclesiastiq. *cap.* 14. & 15. *pagin.* 131. & *sequent.*

CAPUT V.

Principia quædam Juris in hac materia Exemptionum notanda.

1 *Exemptiones juri communi sunt adversæ.*
2 *Ideoque & odiosæ.*
3 *Et etiam tanquam odiosæ restringendæ.*
4 *Non judicandum pro exemptione, nisi verbis expressis sit concessa.*
5 *Receptio in protectionem specialem Sedis Apostolicæ non probat exemptionem.*
6 *Fundatores solebant petere litteras protectionis; & nominatim protectionum Sedis Apostolicæ petiit Fundator Cluniacensium.*
7 *Jubet hic Fundator annuum censum solvi Ecclesiæ Romanæ.*
8 *Solutio census in signum protectionis non arguit exemptionem.*
9 *Fundator Cluniacensium censum voluit solvi in signum* protectionis.
10 *Licèt non exprimatur censum solvi in signum* protectionis, *non tamen ejus solutio infert exemptionem.*
11 *Unde non rectè voluerunt Cluniacenses Monasterium suum in sua fundatione fuisse exemptum.*
12 *Sed rectè dixit S. Bernardus, aliud esse, quod largitur* devotio Fundatorum, *& aliud, quod molitur* ambitio *impatiens subjectionis.*
13 *Quandonam solutio census probet exemptionem.*
14 *Exemptio non probatur verbis* narrativis *in Litteris Pontificis occurrentibus.*
15 *Exemptio probatur, si Pontifex possitivè asserat, ipsam Ecclesiam esse exemptam.*
16 *Item si asserat, eam ad jus, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ* specialiter, *vel* simpliciter *pertinere.*
17 *Item si pronuntiet, quòd Ecclesia sit* libera; *vel quòd ad indicium* libertatis, *solvat censum R. Ecclesiæ.*
18 *Si Ecclesiam eximat ab Ordinarii potestate.*
19 *Si recipiantur in proprios, &* speciales subditos *R. E. secùs si in speciales* filios.
20 *Quæ ratio diversitatis.*
21 *Cur dominus servum nominando suum filium censeatur dare libertatem potiùs, quàm Pontifex nominando filios R. E.*
22 *Licèt Abbati, aut Capitulo detur jurisdictio, non propterea arguitur exemptio.*
23 *Dum exemptio est dubia, Ordinarius utitur sua auctoritate.*
24 *Si possessio sit pro exemptione, hæc manet quousque contrarium in petitorio probetur.*
* *Exemptionum privilegia diligenter probanda sunt.*
25 *Exemptio intra terminos privilegii concludenda.*
26 *Et ex tenore privilegii de ea judicandum.*
27 *Divisio exemptionis in personalem, & localem, seu mixtam.*
28 *Utriusque exemplum ex Jure communi.*
29 *Exemptio personalis apparet magis odiosa.*
30 *Exemptio localis, seu mixta non operatur, si delictum sit commissum, aut contractus initus, vel res sita in loco non exempto.*
31 *Secus si fuerit personalis.*
32 *Exemptio Ecclesiæ Conventualis, aut Collegiatæ non comprehendit Presbyterum habentem curam Parochianorum; & quare*
33 *Exemptio personalis sequitur personam ubicunque locorum.*
34 *Non tamen extenditur ad ea, quæ gerit ut Præfectus loco non exempto.*
35 *Exemptio Canonicorum Capellæ Ducis Burgundiæ non eximit in qualitate Parochorum.*
36 *Ex his conficitur regula, quòd exempti in una qualitate non sint propterea exempti in alia qualitate.*
37 *Hinc exemptio Canonicorum non extenditur ad functiones hierarchicas.*
38 *Similiter exemptio Academica non extendenda est ultra quæ sunt Academica.*
39 *Unde admittit Academia Ordinationes Episcoporum super vita & honestate suorum Clericorum in Academia residentium.*

40 *Decretum Synodi Mechliniensis super delatione habitus Clericalis à Beneficiatis Academicis.*
41 *Optandum, ut Episcopi Beneficiatos in Academia studentes ad habitum Clericalem cogerent.*
42 *Exemptio Regularibus indulta restringenda ad ea, quæ* ut Regulares agunt.
43 *Unde ad functiones hierarchicas non porrigenda.*
44 *Exemptio etiam totalis non abscindit exemptos à Diœcesi, nec facit locum exemptum nullius Diœcesis.*
45 *Tenentur exempti generalibus Legibus concernentibus regimen Diœcesis in materia omnibus communi.*

I. IN præcedentibus abundè probatum fuit, non tantùm Clericos, sed & Monachos, & Moniales speciatim jurisdictioni, & correctioni Episcoporum ex Canonica institutione esse subjectos, ac per consequens, exemptiones, seu Clericos seu Monachos ab ea subducentes Canonicæ Institutioni & Juri communi esse odiosas.

II. Cùm autem Ecclesia desideret, ut quantum fieri potest, Canones & Jura morum directionem & disciplinam spectantia inviolata permaneant, violentum omninò atque *odiosum* reputat omnem, quem ob certas circunstantias pati cogitur, à Sacris Canonibus, & Jure communi recessum. Unde illud Glossæ à Canonistis vulgò probatum: *Regulæ, & antiquo juri standum est, nisi in quantum reperimus recessum.*

III. Hinc nemo Canonistarum dubitat, quin exemptiones tamquam à Jure & Canonibus recedentes, comprehendantur sub *odiosis*; de quibus pronuntiat *cap.* 1. *de R. I. in VI. Odia restringi, & favores convenit ampliari.* Similiter & hanc Juris Regul. in *cap.* 28. *eod.* exemptionibus esse applicandam: *Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam in consequentiam sunt trahenda.* Præsertim quia exemptiones sunt ex iis privilegiis, & recessibus à jure communi, quæ vix ab excessibus libera sunt: ut ob eas præcipuè factum videatur, ut in Decretalibus unus, idemque titulus inscribatur: *de Privilegiis & Excessibus privilegiatorum.*

Ex quo ulteriùs concluditur, exemptiones intra ipsum verborum rigorem ita esse restringendas, ut quantum tenor ipsorum patitur, à Canonibus & Jure communi non recedatur, ipsaque Ordinariorum jurisdictio salva maneat.

IV. Conformiter ad has regulas rectè resolvit Zypæus *Consult.* 1. *de Privilegiis*: » Exemptiones *odiosæ* sunt tanquam ju» ri communi adversariæ, Hierarchiæ Ecclesiasticæ inimicæ, & » quæ Jus alteri auferant, scilicet auctoritatem suam Ordina» riis locorum: quod Princeps, aut Pontifex *nunquam facere* » *censetur*, nisi *disertis admodum verbis* expresserit. «

Hinc illud Canonistarum: *Exemptio indiget speciali beneficio, quia est* ODIOSA, *& pugnans contra jus commune.*

Conforme igitur Juris Regulis, atque menti Ecclesiæ est Decretum Patrum Concilii Tolosani, quo XVI. seculo decreverunt: » ut hunc in exemptionum cognitione Episcopi modum » adhibeant, & ut illas *ad unguem* observent, & ultra quam » loquuntur, minimè extendant. « Rationem hanc sui Decreti præmittentes, quia » Episcoporum jurisdictioni non mediocre » impedimentum, exemptis profusioris vitæ occasionem, Chris» tianis non vulgare scandalum afferre, laxiùs quàm par sit, ac» ceptæ exemptiones consueverunt. « Ann. 1590. *parte* 4. *capit.* 16.

Itaque nequaquam exemptio judicanda, nisi *expressis*, & claris verbis exemptio concessa sit.

V. Quibus autem verbis censeatur concessa exemptio, sæpiùs dubitatum fuisse evincunt Responsa, & Declarationes Pontificum, quæ super his emanârunt, & Corpori Juris inclusa sunt.

Quæsitum aliquando fuit ab Innocentio III. » Utrum Cleri» ci, & laici, qui litteras *protectionis* ostendunt, in quibus per» sonæ suæ expresso nomine cum omnibus rebus suis sub Apos» tolica *protectione* consistere declarantur, à jurisdictione Epis» copi Diœcesani sint exempti? « Respondet Innocentius in *cap.* 18. ✠ *de Privileg.* » Quòd per litteras hujusmodi ab Epis» coporum suorum potestate minimè subtrahuntur. «

Ex hoc Pontificis Responso, junctâ Decretali Alexandri III. in *cap.* 8. ✠ *eod.* unanimi consensu concludunt Canonistæ post Glossam ad dictum *cap.* 8. verbo *Protectione*: » Licèt Papa re» cipiat aliquos sub sua *protectione*, non sunt propterea sub» tracti à jurisdictione Episcoporum. «

VI. Hujusmodi litteras protectionis solebant expetere Fundatores Monasteriorum, & Ecclesiarum, quibus quieti Monachorum tam in temporalibus, quàm spiritualibus prospicere, non autem à Jurisdictione Episcoporum eximere intendebant. Atque nominatim Guillielmus Dux Aquitaniæ, & Comes Avernorum Cluniacensium Fundator voluit, ut » Monachi in Clu» niaco juxta S. Benedicti Regulam viventes haberent *tuitionem* » ipsorum Apostolorum (Petri & Pauli) atque Romanum Pon» tificem *defensorem*. « Extat hæc fundatio, seu testamentum dicti Fundatoris tomo 8. Concil. General *col.* 565.

VII. Jubet insuper Fundator Cluniacensium, ut Monachi persolvant ipsi Ecclesiæ Romanæ quandam speciem census, nimirum: » Ut per quinquenium Romæ ad limina Apostolorum » ad luminaria ipsorum concinnanda *decem solidos* præfati Mo» nachi persolvant. «

VIII. Porrò notum est, solutionem censûs non inferre exemptionem; præsertim si expressè dicatur, eum persolvi in signum protectionis, uti citato *cap.* 8. declaravit Alexander III. dicens: » Si ad indicium perceptæ protectionis census » persolvitur, non ex hoc juri Diœcesani Episcopi aliquid de» trahitur. «

IX. Fundatorem autem Cluniacensium jussisse censum hunc persolvi ad indicium *protectionis* indicat ipse Fundator, dum verbis suprà citatis, quibus censum persolvi mandat, immediatè subdit: » Habeantque *tuitionem* ipsorum Apostolorum, at„ que Romanum Pontificem *defensorem*. «

X. Quinimò, si dicatur simpliciter, „ quod aliqua Eccle» sia Romanæ Ecclesiæ annuum censum solvat, non propter hoc » exempta Ecclesia dici debet," ait Bonifac. VIII. in *cap.* 10. *de Privil. in VI.*

» Idem dicimus (pergit Bonifacius) si circa aliqua per pri» vilegium concedatur libertas, & clausula de censu annuo per» solvendo sequatur: ut si aliquibus quòd ab alio, quàm à Papa, » seu ejus Legato excommunicari, suspendi, aut interdici non » possint, vel aliquid aliud specialiter a Sede Apostolica sit in» dultum: vel etiam dicatur, quòd in speciales Romanæ Eccle» siæ filios sint assumpti, & sequatur in privilegio, quòd Ec» clesiæ Romanæ ad indicium libertatis perceptæ annum cen» sum solvant. His enim & consimilibus casibus sic in certis pri» vilegiatis articulis Ordinariorum jurisdictioni quantum ad alia » sunt subjecti. «

XI. Ex his patet, multum aberrâsse Cluniacenses à mente sui Fundatoris, dum prætendebant, Monasterium suum in sui fundatione à jurisdictione Episcopi fuisse exemptum, & soli Romano Pontifici subjectum.

XII. Rectè verò dixit Sanctus Bernardus: » Aliud est quod » largitur *devotio* (Fundatorum) aliud quod molitur ambitio im» patiens subjectionis. « Illa nimirum largitur *protectionem* adversus oppressiones & infestationes, hæc verò impatiens subjectionis molitur jugum Canonicæ subjectionis excutere. Vide dicta capite præcedenti, & latiùs in Repagulo Canonico adversus nimiam exemptionum extensionem *regula* 6.

XIII. Ut autem solutio censûs probet exemptionem, „ de» bet *indefinitè* dici, quòd Ecclesiæ Romanæ annuum cen» sum solvat ad perceptæ indicium libertatis," uti in citato *cap.* 10. loquitur Bonifacius VIII. Hinc concludit Erasmus à Chokier de Jurisdictione Ordinarii in Exemptis *parte* 1. *q.* 10. *num.* 8. ut ex censu probetur exemptio, „ debet aliunde ap» parere, quòd ex causa concessæ exemptionis illius solutio » pensitetur."

XIV. Insuper, „ si Papa in aliquo privilegio, vel scrip» tura *non facta principaliter* super donatione, vel sententia » exemptionis, seu etiam libertatis, aliquam Ecclesiam ad jus » & proprietatem Romanæ Ecclesiæ pertinere, vel consimilia » verba narret, non propterea illius Ecclesiæ exemptio est pro» bata, nisi de libertate aliter doceatur: " uti scribit Bonifacius in citato *cap.* 10.

Hinc uno consensu concludunt Canonistæ, exemptionem Ecclesiæ sufficienter non probari per verba *narrativa*; quia, ut hîc notat Glossa, verbo *Probata*, „ jus commune est con» trarium, & sequerentur hoc casu plenæ exemptiones."

XV. Probatur verò exemptio juxta declarationem Pontificis in citato *cap.* 10. Primò, „ si Ecclesiæ, vel Monasterio » exemptionis privilegium concedendo, vel super ipsius exemp» tiones sententiando (cum de ipsius exemptionis negotio age» retur) asserat ipsam Ecclesiam fore exemptam. «

XVI. Secundò, si asserat, „ eam juris Beati Petri existere, » sive ad jus, & proprietatem Romanæ Ecclesiæ, vel ad Ro» manam Ecclesiam specialiter, & sine medio, vel etiam sim» pliciter pertinere, per hoc plenè debet exempta hujusmodi » Ecclesia judicari."

XVII. Tertiò, „ si privilegium contineant, vel ipse Papa » per modum exprimat supra scriptum, quòd Ecclesia sit *libe» ra*, seu quòd potiatur Romanæ Ecclesiæ libertate; vel quòd » in hoc prærogativa gaudeat speciali: aut si dicat *indefinitè*, » quòd Ecclesiæ Romanæ solvat annuum censum ad *perceptæ* » indicium *libertatis*. "

XVIII. Quartò, si asserat, quòd „ ipsam Ecclesiam exi» mat ab Ordinarii potestate: vel quòd non audeat Episco» pus Chatedram collocare, aut imperandi (seu ordinationem » quamvis levissimam faciendi) exercere aliquam potestatem. «

XIX. Denique, „ si aliqui recipiantur in *proprios & spe„ ciales subjectos*, censentur exempti."

„ Non sic (ait Pontifex) si in proprios, & *speciales fi„ lios* Romanæ Ecclesiæ sint suscepti: tales quippe exempti „ propterea non existunt."

Ra-

XX. Rationem diversitatis allegat hîc Glossa, verbo *Non existunt*, quia „ ubi Papa exprimit aliquos *speciales subjectos*; » si essent alii subjecti, non essent *speciales* subjecti; & ideò » illa verba exemptionem faciunt. Sed licèt aliquis sit filius, non » sequitur quod sit *specialis* subjectus: quia unius potestatis fi- » lius, alteri potestati posset esse subjectus: & ideò aliud hîc, » aliud ibi. Filiatio ergo amorem, & privilegium denotat, spe- » cialis subjectio exemptionem. «

XXI. Notat quoque ibidem Glossa, quòd huic Pontificis resolutioni non obstet *Lex unica*, *Cod. de Latinis lib. toll.* in qua » si dominus apud acta nominet servum *filium suum*, dici- » tur ei *libertatem* concesisse: quia ibi sibi soli (domino) fit » præjudicium: hîc autem fieret præjudicium Ordinario, cu- » jus jurisdictioni potiùs est favendum. «

XXII. Per hoc quòd Abbati, aut Decano, seu Capitulo detur potestas corrigendi, & puniendi suos respectivè Monachos, aut Canonicos, non censetur data exemptio ab auctoritate Episcopi: sed duntaxat illa cumulativè data præsumitur, quemadmodum jam pridem in formula privilegii à Marcullo Monacho exaratâ notatum fuit his verbis: » Et si aliquid Mona- » chi de eorum Religione tepidi haud secus egerint, secundum » Regulam ab Abbate, si prævalet, corrigatur: sin autem, Pon- » tifex de ipsa civitate coercere debet; quia nihil de Canonica » auctoritate convellitur, quidquid domesticis fidei pro quietis » tranquilitate tribuitur. « Vide Zypæum *Consult.* 1. *num.* 28. *de Majoritate*, & *Obed.* & Fagnanum *ad Cap.* QUANTO ✠ *de Officio Ord.* ubi latè probat, quòd jurisdictio alicui data, censeatur in dubio *cumulativè*, non privativè concessa.

XXIII. Si verba privilegii sint *dubia*, aut de titulo exemptionis non facta *plena* probatio, poterit Ordinarius sua auctoritate & jurisdictione uti, quoadusque ipsa exemptio *plenè* probata sit. (n) Cùm enim jurisdictio Ordinarii de Jure communi fundata sit in omnes Ecclesias suæ Diœcesis, hæc integra manet, quandiu non sit *plenè* probatum, speciali titulo quoad hunc articulum derogatum esse Juri communi: quod in terminis declaravit Pontifex in *Cap.* 7. *de Privilegiis*, *in VI.* cujus verba retuli suprà *cap.* 1.

Conformiter ad hanc regulam à Canonistis communiter probatam tradit Zypæus in Jure novo *tit. de Officio Ordinarii*, *num.* 19. » In iis ubi exemptio *dubia* est, Episcopus *ex asse* » sua jurisdictione uti potest, adeoque etiam in casu *Capituli* 3. » *sess.* 6. Concilii Tridentini *solus* procedere potest, donec Ca- » pitulum per tres conformes sententias docuerit de legitima sua » exemptione: ut Congregatio Concilii, inquit, Joanni Mal- » dero Episcopo Antuerpiensi respondit & aliàs sæpiùs. «

XXIV. Si tamen Monasterium, aut Capitulum esset in quasi possessione exemptionis, non posset Ordinarius ipsum Monasterium, aut Capitulum in hac quasi possessione turbare, nisi via Juris ostenderetur, hanc quasi possessionem esse vitiosam, & titulo sufficienti destitutam, quemadmodum in simili dictum est *part.* 2. *tit.* 33. *cap.* 3. *num.* 20.

* Observat Hieronymus à Costa in suo Tractatu Gallico de Origine, & progressu Proventuum Ecclesiasticorum *pag.* 326. eam esse consuetudinem, & praxim Regni Galliæ, quòd sola possessio non judicetur sufficiens pro asserenda exemptione, sive Regularium sive Secularium à Jurisdictione Ordinariorum, sed præter possessionem exigatur titulus, cui innitatur ipsa exemptio, in legitima forma productus. Prima ratio hujus praxis ea est, ut asserit dictus Auctor, quia frequenter habetur similis possessio exemptionis, eò quòd ipsi tituli exemptionum non sufficienter fuerint visi & examinati, qui tamen ordinariè falsi & suppositii post diligens examen reperiuntur. De hac falsificatione & suppositione jam pridem conquestus fuit Petrus Blesensis, ut capite præcedenti *num.* 35. relatis ejusdem verbis observatum est, & nonnulla Romanis Pontificibus, ac signanter sancto Gregorio, falsa supposita privilegia notavimus *eod. capit. num.* 8. 9. *&c.*

Secunda ratio hujus praxeos allegatur, quòd exemptio, cùm deroget juri communi, & jurisdictioni Ordinariorum non debeat admitti, nisi legitimo titulo innixa, ac justis de causis concessa; cui adjungi potest (ait idem Auctor) quòd falsitas nunquam possit locum facere præscriptioni, & possessio, quæ originem habet ex mala fide possidentis, nequeat facere justam possessionem.

Non immeritò addit hîc Auctor summo cum rigore examinanda esse hujusmodi exemptionum privilegia, utpotè juri communi, & Ordinariorum jurisdictioni adversantia; nec quidquam vigore hujusmodi privilegiorum ipsis privilegiatis annuendum, nisi quod evidenter in ipsis titulis exhibitis, & probatis est expressum; notatque omninò necessarium, ut ipsum privilegium evidentibus terminis sine omni ambiguitate fuerit expressum.

Insuper observat idem Auctor, quòd, quo antiquiora sunt privilegia, eo minùs sunt extensa, si legitima sint: quandoquidem, uti ex antiquis formulis patescit, hæc penè nihil aliud concernant præter liberam potestatem eligendi per Monachos Abbates, & rerum temporalium conservationem, manente integrâ in cæteris canonicâ Episcoporum auctoritate, quod & fusiùs suprà fuit expositum & probatum.

Plura, è quibus similium privilegiorum suppositio & falsificatio à perspicacibus Judicibus deprehendi possit, eruditè ibidem proponit dictus Auctor, quæ meritò attendentur ab iis, quibus hujusmodi privilegiorum veritas, vel falsitas examinanda, & ponderanda committitur.

XXV. Ulteriùs exemptiones tanquam Juri communi adversæ, non tantùm *plenè* probandæ sunt; sed insuper intra ipsos terminos exemptionis sive privilegii concludendæ, ut non recedatur à Jure communi, nisi quatenus ipse tenor privilegii recedere cogit.

XXVI. Hinc Alexander III. in *cap.* 8. ✠ *de Privil.* monet Legatum suum, » quòd inspicienda sunt Ecclesiarum pri- » vilegia, & ipsorum tenor sit diligentiùs attendendus. «

Et in *cap.* 7. *cod.* quærenti Episcopo, qua libertatis prærogativa gauderent Templarii & Hospitalarii, respondit idem Alexander III. » Non dubitamus quin aliam libertatem habeant in » locis, in quibus antequam pervenissent ad eos, fuerant habi- » tatores, quod totum ex *inspectione Privilegiorum* plenius ad- » vertere potes, & secundum quod inveneris, ita observes. Sic » enim eos *volumus Privilegiorum suorum servare tenorem*: quod » eorum metas minimè transgredi videantur. «

XXVII. Ex ipso proindè tenore privilegii de exemptione judicandum est; atque imprimis attendendum, quæ species exemptionis sit, an personalis, an localis, seu mixta.

Personalis est, qua particulares duntaxat personæ eximuntur, nulla habita ratione loci.

Hujusmodi habent certæ personæ propter privilegium specialiter iis indultum non loci vel Monasterii alicujus, sed favore personali, uti loquitur Joannes Lomede in citato Tractatu *cap.* 2. aitque hoc modo exemptos Aulicos Regis Franciæ esse, & agnoscere tontùm magnumFranciæ Eleemosynarium. Asseritque *cap.* 4. *num.* 4. » Aulicis exemptis esse magnum Fran- » ciæ Eleemosynarium pro Episcopo. «

Locales verò sunt, quæ fiunt loco, vel Monasterio; ita ut personæ sint exemptæ cum respectu ad locum.

XXVIII. Utriusque privilegii mentio occurrit in *cap.* 3. *de Privilegiis*, *in VI.* ubi Pontifex omnes Indulgentias, & privilegia quibuscunque singularibus personis Ecclesiasticis, vel secularibus cujuscunque sint dignitatis, vel præeminentiæ, quòd interdici à quocunque, vel excommunicari non possint, nec terræ, vel Ecclesiæ ipsorum Ecclesiastico interdicto supponi, sub quacunque forma verborum concessa, ad Ordinariorum sententias & processus prohibet extendi.

Excipit autem Pontifex Indulgentias & Privilegia Religiosis quibuscunque, non personarum duntaxat, sed Ordinum privilegiatorum vel locorum ratione sub hujusmodi forma concessa; ut scilicet hæc etiam ad sententias Ordinariorum extendantur.

XXIX. Hîc non tantùm habemus distinctionem privilegii personalis, & realis, sive localis; sed insuper quòd latiorem & favorabiliorem interpretationem accipiat privilegium Monasterio, aut integro Ordini indultum, quàm privilegium certis & particularibus, ob favorem personalem concessum; hocque quàm illud magis odiosum sit, ut ex sequentibus apparebit.

XXX. Et quia exemptio localis, puta, Monasterio concessa, quendam respectum habet ad locum, ita ut Religiosi censeantur exempti tanquam membra istius Monasterii, Concilium Lugdunense sub Innocentio IV. in *cap.* 1. *de Privileg. in VI.* » Declaratione irrefragabili definivit, quantumcunque sic exemp- » ti gaudeant libertate, nihilominùs tamen ratione delicti, sive » contractus, aut rei, de qua contra ipsos agitur, ritè possunt » coram locorum Ordinariis conveniri, & illi quoad hoc suam » in ipsos jurisdictionem (prout Jus exigit) exercere. « Si nimirum delictum commissum, vel contractus initus, aut res sita sit in loco non exempto, & exemptio fuerit localis.

XXXI. Nam » cùm data fuit exemptio ratione personæ, » & non loci, ut privilegio concesso Capellanis & Familiaribus » Papæ, contra illos cessat Constitutio dicti *cap.* 1. Tunc enim » ratione delicti puniri non possent ab Ordinario, « uti notavit Joannes Lomede in dicto tractatu *capit.* 6. *num.* 7.

XXXII. Ulteriùs ex ipsa exemptionis conditione, quæ vult, exemptionem extra terminos privilegii non extendi, respondit Pontifex in *cap.* 9. *de Privilegiis*, *in VI.* quòd » per exemp- » tionem Ecclesiæ concessam, ipsa Ecclesia, & ipsius Mona- » chi, vel Canonici, Clerici etiam & Conversi perpetuoque » oblati (non autem Ecclesiæ ejusdem Presbyter, qui Paro- » chia-

(n) *Si quis scire voluerit falsitates, quæ Bullam exemptionis spuriam & irritam efficiunt, consulat Innocentium III. Cap.* Licèt, extra, de Crimine falsi. *Quin & Lucius III. addit fidem non esse adhibendam Bullis, in quibus occurrunt culpæ graviores adversus constructionem, quales sunt solœcisimi. Lucius cap.* Ad audientiam, *extra, de Rescriptis.*

» chianorum curam habet, quoad ea, quæ ad curam eandem » pertinent, nec ipsi Parochiani) etiam intelligantur exempti. «

Cùm enim hîc ageretur de Ecclesia Conventuali, vel Collegiata (ut rectè notavit Glossa) propriè ad eam pertinent Monachi, Conversi, & perpetuò oblati, aut Canonici, & Clerici; sed nequaquam Præsbyter, seu Vicarius, qui curam habet Parochianorum *quoad ea*, quæ ad eandem curam pertinent, quia hæc potiùs spectant ad Ecclesiam Parochialem, quàm Conventualem, vel Collegiatam; cui congruunt ea, quæ sunt propria Officia Religiosorum, & Canonicorum. Quapropter Presbyter hîc quatenus curam habet Parochianorum, propriè non pertinet ad Ecclesiam Conventualem, aut Collegiatam.

Quia tamen Ecclesia, quæ eximitur, principaliter erat Conventualis, vel Collegiata, censetur quoque exempta *ut talis*; atque per consequens, illi soli exempti, qui ad eam sub illa qualitate spectant.

XXXIII. Si aliquibus sit privilegium concessum, ne quisquam Episcopus, vel Archiepiscopum pro ulla causa, ullove loco ipsos interdicere, suspendere, vel excommunicare præsumat, in ipsos Ordinarii jurisdictionem suam *quantum ad illa*, ubicunque illi fuerint, penitùs exercere non possunt, uti ait Concilium Lugdunense in *cap.* 1. §. IN EOS *de Privil. in VI.* quia personale est.

XXXIV. Addit autem Concilium: » Nisi forsan ipsi Mo» nachi ad Monasteriorum suorum Prioratus Ordinariis eisdem » subjectos (ut vel eorum regimen, vel in eis tanquam proprii » locorum ipsorum Monachi resideant) fuerint destinati: tunc » enim, etsi liberè possint ad eadem Monasteria revocari, ac » tam illorum, quàm ipsorum Prioratuum Monachi reputen» tur.... ratione tamen eorundem Prioratuum dicti Ordinarii sua » jurisdictione in ipsis etiam quoad præmissa (quandiu moran» tur in illis) uti possunt. «

Hîc rursus habetur, quòd exempti, vel privilegiati sub una qualitate, non censeantur exempti, vel privilegiati sub alia qualitate.

XXXV. Idipsum clarioribus terminis expressum est in *cap.* CUM CAPELLA 16. ✠ *de Privileg.* » Cùm enim Capella » Ducis Burgundiæ gaudere diceretur privilegio, quòd nullus » Archiepiscopus, vel Episcopus in personas Canonicorum » ejusdem Capellæ suspensionis, vel excommunicationis, aut » interdicti sententias audeat promulgare; quidam Capellæ su» pradictæ Canonici, qui *Parochiales* Ecclesias ab Episcopo „ tenebant, occasione privilegii prælibati in *his etiam*, qua„ rum jurisdictio ad Episcopum pertinebat, ita se dicebant „ exemptos, ut quantumcunque graviter interdum excederent, „ Episcopi correctioni recusarent & sententiæ subjacere.“

Super his à Lingoniensi Episcopo interrogatus Innocentius III. mandat Episcopo: „ Quatenus in *quantum* exempti „ sunt ejusdem ratione Capellæ, Apostolicis privilegiis deferas „ reverenter; sed in *quantum* ratione Parochialium Ecclesia„ rum, vel aliàs jurisdictionem tuam respicere dignoscuntur, „ officii tui debitum in eosdem liberè prosequaris.

XXXVI. Ex hac & præcedentibus Decretalibus eliciunt Canonistæ hoc commune principium: Si in unam, eandemque personam concurrant diversæ qualitates, quòd exemptus sub una qualitate non censeatur propterea exemptus sub alia qualitate; neque exemptio trahi queat ad ea, quæ sub hac qualitate exercet: sive quòd exemptus subjaceat, ratione rei non exemptæ, jurisdictioni Ordinarii quoad rem non exemptum; quemadmodum privilegium datum alicui Corpori, quòd qui de hoc Corpore sunt, non possint conveniri nisi coram certo Judice, intelligi debet de his, quæ competunt personis, quatenùs de hoc corpore sunt. Vide Choppinum *lib.* 2. *de Sac. Pol. tit.* 5. *num.* 13.

XXXVII. Ex hoc principio consequens est, quòd exemptio data Canonicis, vel Ecclesiis Canonicorum nequeat extendi ad functiones Parochi, aut Confessarii, aliasve, quæ Hierarchicæ potiùs, quàm Canonicales sunt; sed hæc exemptio restringenda sit ad ea, quæ Canonicos *ut* Canonicos spectant; eo quòd sub hac qualitate censeantur exempti.

XXXVIII. Similiter si Academia sit exempta, intelligenda est exemptio quoad ea, quæ *Academica* sunt. Unde si Academicus induat aliam qualitatem non exemptam, non censebitur exemptus quoad ea, quæ sub qualitate facit; puta, si sit Parochus, Confessarius, Concionator &c. quod & notoria hujus Academiæ praxis confirmat, sua supposita quoad hasce functiones jurisdictioni Ordinariorum submittens, neque ad similia jurisdictionem suam extendens.

XXXIX. Hinc non improbatur, quod tradit Zypæus *respons.* 2. *de Magistris.* » Ordinariorum Decreta Synodalia, seu „ alia super Beneficiis studiosos non minùs, quam alios absen„ tes ligant, & decernere super iis Ordinarii possunt, quod jus, „ & ratio exigit: “ quæ nimirum ad vitam, & honestatem Clericorum, & Beneficiatorum pertinent, nec regimen Academicum & studiorum attingunt.

XL. Quare nec Academiæ ingratum fuit Decretum Concilii Provincialis Mechliniensis I. *tit. de Vita, & honestate Clericorum, cap.* 4. quo decrevit, ut „ Clerici, qui in *Acade„ miis* resident, intra mensem à die publicati hujus Concilii „ Provincialis, corona, pileo, caligis simplicibus & vestitu „ ordini suo, & vocationi congruo utantur; & singulis annis „ hujus rei testimoniales litteras sigillo Universitatis munitas, ei, „ cui litteras testimoniales studii exhibere debent, tempore con„ gruo transmittant. Qua in re si defectuosi fuerint, fructibus „ suorum Beneficiorum priventur.“

XLI. Optaret sanè Academia hæc Lovaniensis, ut Episcopi suos Canonicos, aliosque Beneficiatos studiosos, ad habitum vocationis suæ congruum, privatione fructuum, aut etiam Beneficiorum cogerent: nec permitterent eos passim in habitu merè laicali laicaliter vivere: quod non æquè ipsa Universitas efficere potest, tum quòd in ipsos *ut Canonicos* jurisdictionem non exerceat, tum quòd frequenter ignoret eos esse Canonicos aut Ecclesiasticos, qui exteriùs nihil Canonicale aut Ecclesiasticum præferunt.

XLII. Regulares quoque exempti suam exemptionem concludere debent ad ea, quæ ipsis *ut Regularibus* competunt, quæque disciplinam & regimen regulare spectant. Si autem occurrat materia non exempta, sive quæ ad Regulares non ut Regulares pertinent, ad hæc exemptio extendi nequit.

XLIII. Hinc consequens est, exemptionem Ordinum Mendicantium, quamvis esset ampla & indefinita, non posse trahi ad functiones Hierarchicas; eo quòd hæ ad materiam *non exemptam* spectent, non ad Regulares *ut Regulares*, sed speciali titulo, ut Episcoporum, & Parochorum in his functionibus coadjutores, & subsidiarios. Quare S. Thomas 2. 2. *quæstio* 188. *art.* 4. agens de Religionibus ad prædicandum vel confessiones excipiendas institutis, quales sunt Ordines Mendicantium, dicit id ipsis non ex *officio proprio* competere, sed auctoritate *superiorum* & *inferiorum*, ad quos *ex officio pertinet*. Per Superiores ibidem intelligit Episcopos: per Inferiores verò *minores Prælatos*, id est, Plebanos, & Parochos, quibus jure proprio, & officio hujusmodi functiones competunt.

Si igitur functiones illæ non competant Regularibus *ut Regularibus* ex officio, sed & alia qualitate adjectitia & extraordinaria, nimirum quatenus auctoritate Prælatorum ad functiones has tanquam subsidiarii assumuntur, manifestum est, exemptionem Regularibus, sive Ordinibus Mendicantium indultam, non magis posse extendi ad Regulares has functiones obeuntes, quàm exemptio Canonicorum Capellæ Ducis Burgundiæ potuerit extendi ad ipsos Canonicos, quatenus Parochiales Ecclesias tenebant, juxta citatum *cap.* CUM CAPELLA. Plura de prohibita hac extensione dixi in *Repagulo Canonico adversus nimiam exemptionum extensionem*; ubi & ostendi, quàm latè hac in materia suas exemptiones quidam Regulares extendant cum summa Ecclesiasticæ hierarchiæ, & Episcopalis auctoritatis perturbatione: atque hac ratione præbeant Episcopis justissimas rationes querelarum adversus exemptiones: quæ facilè cessarent, si intra justos limites, ad mentem concedentium, & Juris certissima principia continerentur; ostenderturque capite sequenti, hanc præcipuè extensionem in Synodo Tridentina fuisse contra exemptiones exaggeratam, & à Synodo improbatam.

XLIV. Exemptio etiam totalis, quamvis sic exemptos solvat à jurisdictione Episcopi, sive Ordinarii, tamen sic exemptos, aut locum exemptum non dimembrat à Diœcesi, sed manent in ipsa Diœcesi, & membra Diœcesis, licèt privilegiata, quemadmodum communiter notant Doctores ad *cap.* 19. ✠ *de Officio Ordinarii*; item ad *cap.* 7. *eod. in VI.* Et notavit post alios Canonistas Prosper Fagnanus ad dictum *cap.* 19. *num.* 10. dicens: » Ecclesias exemptas hoc differre ab Ecclesia *nullius* » Diœcesis, quòd Ecclesiæ exemptæ in Diœcesi esse dicuntur; » Ecclesiæ verò *nullius* Diœcesis neque sint de Diœcesi, neque » in Diœcesi. Itaque (ait) Status *nullius* Diœcesis liberat non mo» dò à subjectione, sed etiam à situatione, & denominatione, » exemptio verò tantùm à subjectione. «

XLV. Cùm ergò exempti sint in Diœcesi, ejusque sint membra, consequens est, quòd ita se exhibere debeant, atque suis privilegiis ea cum moderatione uti, ut nec ipsa membrorum unitas dissolvatur, nec Episcopale regimen inutile reddatur, aut impediatur.

Sicuti ergo Clerus, licèt à jurisdictione laicali exemptus tenetur Legibus, & Ordinationibus Politicis in materia Clericis & Laicis communi, & quæ nisi à Clericis observarentur, suum perderent effectum in summam Reipublicæ perniciem; ita quoque exempti tenentur generalibus Legibus Episcoporum in materia omnibus cummuni; & quas si exempti non servarent, summa in Diœcesi oriretur scissura, & Legum vilesceret apud populum auctoritas, qui & exemplo exemptorum ad earum transgressionem, seu non observantiam incitaretur; quemadmodum latè ostendi in citato Repagulo Canonico *Regula* 8. & *cap.* 2. §. 12. & 13. & aliqua dicentur capite sequenti occasione Decretorum Synodi Tridentinæ in materia exemptionum.

Exemptio jam pridem à S. Bernardo dicta fuit *emancipatio*

ad

ad similitudinem emancipationis Civilis, qua filius *emancipatur*, seu solvitur à patria potestate, & sui juris efficitur.

Sed sicuti filius emancipatus, & civiliter solutus à patria potestate, nihilominùs Patri suo reverentiam debitam negare non potest; similiter quacunque ratione exempti à potestate Ordinarii, sive Episcopi, cui quasi subjecti nascuntur, ea, quæ reverentialia sunt, negare nequeunt, nec ad illa exemptio se extendit, uti communiter notant Canonistæ, atque post alios ait Prosper Fagnanus ad *cap.* CONQUERENTE ii *de Officio Ordinarii, num.* 16. » Exemptum à Jurisdictione Episcopi non » censeri exemptum à jure reverentiali. « Et quoad Capitula exempta latè ostensum est suprà *parte* 1. *tit.* 8. *cap.* 2. quibus addi possunt, quæ habet Broudæus in Notis ad Louetium *litt. M. num.* 18. & De Luca *disc.* 1. *de Regular. num.* 21.

Ad hæc principia, & regulas si exemptiones Capitulorum, Monasteriorum, & Academiarum servarentur, nec ultra suos limites contra Pontificum mentem extenderentur, sperandum esset, magna ex parte querelas, & contentiones occasione harum exemptionum admodum frequentes, sopiendas, & extinguendas: atque Synodum Tridentinam, ut incommodis ex his exemptionibus provenientibus occurreret, ad prædicta principia exemptionum usum reduxisse, capite sequenti ostendemus.

CAPUT VI.

Quid Synodus Tridentina circa Exemptiones statuerit.

1 *Tempore Concilii Tridentini fuisse plures exemptorum abusus probat Conventus Delectorum Prælatorum sub Paulo III.*

2 *Probant idipsum querelæ Episcoporum contra exemptiones.*

3 *Germani petunt in Synodo Tridentina, ut omnes exemptiones revocentur.*

* *Exemptionum revocatio, uti desiderabatur, non potuit obtineri in Concilio Tridentino.*

4 *Licèt Synodus non revocaverit omnes exemptiones, eas tamen multum limitavit.*

5 *Quod sat conforme fuit postulatis Gallorum.*

6 *Ex Decreto Synodi Trid. Regularis exemptus degens extra Monasterium subjicitur jurisdictioni Ordinarii.*

7 *Quis censeatur degens extra Monasterium.*

8 *Regularis in Universitate degens extra Conventum subjicitur Ordinario.*

9 *Licèt degat de licentia sui Superioris.*

10 *Regulares degentes in Monasterio delinquentes in loco* non exempto *ab Ordinario puniri possunt.*

11 *Regularis degens in Monasterio delinquens cum scandalo populi puniendus à suo Superiore instante Ordinario, & Superiore negligente ab Ordinario.*

12 *Episcopus potest mox à commisso delicto informationem capere, & ad Superiorem mittere.*

13 *Sufficit una monitio Episcopi.*

14 *Tenetur Superior de punitione certiorem reddere Episcopum.*

15 *Decretum Synodi procedit, tametsi delictum commissum sit in loco exempto.*

16 *Constitutio Clementis VIII. pro executione hujus Decreti contra Superiores in puniendo negligentes.*

17 *Exempti in Civilibus, si judicem specialem non habeant, coram Ordinariis conveniendi.*

18 *Quid in Belgio circa hoc obtineat.*

19 *Clerici seculares speciali exemptione gaudentes subjiciuntur correctioni Ordinarii.*

20 *Cur Clericorum Secularium & Regularium extra Monasterium viventium exemptio singulariter odiosa.*

21 *Ex singularium personarum exemptionibus plura incommoda oriri vidit Synodus Tridentina.*

22 *Quid circa eas decreverit.*

23 *Capitulorum exemptiones quare specialiter odiosæ.*

24 *Capitula Cathedralia ab Episcopis visitari voluit Synodus Tridentina.*

25 *Absolutam abrogationem exemptionum Capitulorum præsertim Cathedralium postulârunt Episcopi Hispaniæ; Capitulis se opponentibus.*

26 *His exemptionibus vehementer se opposuit Cardinalis Lotharingiæ.*

27 *Decretum Synodi præscribens formam procedendi per Episcopum contra Capitula Cathedralia exempta.*

* *Curia Romana favet semper Exemptionibus Capitulorum.*

28 *Synodus non intendit minuere, sed augere auctoritatem Episcopi in Capitula exempta.*

29 *Synodus voluit exemptiones extendere ad materiam non exemptam.*

30 *Hinc non extenduntur ad ea, quæ spectant curam piorum locorum non exemptorum.*

31 *Nec ad functiones Hierarchicas.*

32 *Neque ad leges communes in materia communi.*

33 *Jurisdictio delegata à Synodo data Episcopis non derogat ordinariæ, & est favorabilis.*

I. QUantumvis per varias Pontificum Constitutiones, necnon Synodorum Decreta exemptionibus varii limites positi essent, quibus aliquatenus occurri posse videbatur incommodis ex illis profluentibus, nihilominùs summos fuisse circa tempora Concilii Tridentini exemptionum, & Privilegiorum excessus plura probant.

II. Præclarus ille Prælatorum Conventus à Paulo III. instante Concilio Tridentino inductus ad colligendos abusus in hoc Concilio reformandos (de quo Conventu diximus *part.* 2. *titul.* 28. *cap.* 1.) abusum harum exemptionum nequaquam dissimulavit, sed verbis, quæ atrocitatem ejus significabant, Pontifici exposuit: » Alius abusus magnus, & minimè tolerandus, » quo universus populus Christianus scandalizatur, est ex im» pedimentis, quæ inferuntur Episcopis in gubernatione suarum » ovium, maximè in puniendis scelestis & corrigendis. Nam » primò multis viis eximunt se mali homines, præsertim Cleri» ci, à jurisdictione sui Ordinarii: deindè si sunt exempti, con» fugiunt statim ad Pœnitentiariam, vel ad Datariam, ubi con» festim inveniunt viam impunitati, & quod pejus est, ob pe» cuniam præstitam: hoc scandalum, Beatissime Pater, tan» toperè conturbat Christianum populum, ut non queat verbis » explicari. Tollantur, obtestamur Sanctitatem Tuam per san» guinem Christi, quo redemit sibi Ecclesiam suam, eamque » lavit eodem sanguine: tollantur hæ maculæ, quibus si dare» tur quispiam aditus in quacunque hominum Republica, aut » Regno, confestim, aut paulò post in præceps rueret, nullo» que pacto diutiùs constaret posset; & tamen putamus nobis » licere, ut per nos in Christianam Rempublicam inducantur » hæc monstra. «

Quàm acriter in privilegia Regularium præsertim Ordinum Mendicantium, ob eorum ad functiones etiam hierarchicas extensionem nonnulli Patres sub initium Synodi insurrexerint, patet ex oratione Brachi Martelli Episcopi Fesulani pronuntiata in Congregatione generali die 10. Maii 1546. cujus quoque meminimus suprà *part.* 1. *tit.* 6. *cap.* 8. atque inter alia dicit, quod obtenderent habere jus concionandi sine licentia Episcopi: » Ni» mirum (ait Martellus) habent suum illud, quod dicitur, *in» gens mare & immensum*; cujus fragore nihil est quod per» horrescatis, Pontifices. Non enim ejus fluctibus Ecclesiæ sanc» tæ navicula obrui potest, quamvis hoc tempore tot tempes» tates, tot procellas concitaverit perditorum nequitia aliorum.« Tom. 14. Concilior. General. *col.* 1638.

III. Quæ fuerit Episcoporum, & de Principum Germaniæ de Exemptionibus sententia facilè intelligi potest ex articulis, qui ipsorum nomine pro reformatione exhibiti fuerunt, quorum quartus erat: » Revocandas omnes exemptiones contra » Jura communia passim concessas. Monasteriaque omnia sub » Episcopi potestate constituenda sub cujus sunt Diœcesi. «

* In Historia Concilii Tridentini refertur, quòd Episcopi non tantùm Germani, sed etiam Hispani, desideraverint, ut integra Exemptionum revocatio fieret à Synodo Tridentina. Optabant enim ut omnia Monasteria Regularium, necnon Capitula Canonicorum juxta canonicam institutionem Episcopis cujusque Diœcesis immediatè subjicerentur, sed eam revocationem nequaquam probâsse Aulam Romanam; utique Aulæ Episcopos Italiæ omni modo favisse. Et quidem narrat Petrus Suavis *in Historia Concilii Tridentini pag.* 319. *editionis anni* 1658. quòd, cùm quidam Episcopi viderent decreto, quod extat *cap.* 5. *Sess.* 14. *de Reform.* insertam exemptionem, quâ mediante à Decreto exciperentur Univarsitates Generales & Collegia Doctorum seu Scholiarum, & Regularia loca, necnon hospitalia actu hospitalitatem servantia, sustinuerunt absurdissimè *exemptionem à regula esse latiorem ipsâ regulâ*, quadoquidem plures sint in Monasteriis, & Collegiis, quàm extra illa viventes, per quos abusus essent metuendi, quibus per hoc Decretum Synodus occurere volebat.

Narrat autem hîc Historicus, quod ea res quidem per Legatum Romanum fuerit nuntiata: sed responsum esse, *re non ita pridem Paulo III. Pontifice determinatâ, nimirum esse necessarium ad tuendam auctoritatem Apostolicam, ut Fratrum Conventus, & Academiæ omninò à Pontifice pendeant, nihil opus erat nova deliberatione.*

Cardinalem Pallavicinum *in Historia Concil. Trid. lib.* 12. *cap.* 13. *num.* 8. reflectentem ad hanc reflexionem, & narrationem Petri Suavis malè habet *hoc Decretum à Suavi non præteriri sine asterisci sui luce*, sed tamen vera esse narrata à Suavi sat apertè fatetur; nam candidè fatetur Romanam Curiam nequaquam voluisse exemptiones, præsertim Regularium totaliter revocari, eò quòd magnopere intersit hujus Curiæ Regulares immediatè Potifici subjici, & ab eo dependere: » Haud » equidem inficior (inquit) unum ex emolumentis, quæ Regu» larium immunitas secum fert, in eo situm, quòd auctorita» tem Sedis Apostolicæ sustineat secundum institutionem Chris» ti

» ti & Ecclesiæ bonum : cùm in comperto sit omne Monarchiæ » regimen, quo se illæsum tueatur, opus habere in singulis » Provinciis aliquo prævalido præsidio ejusmodi subditorum, » qui Principi per se, ac perpetuo illic dominanti nequaquam » subjiciantur. «

Non dubium, quin huic politicæ rationi potissimum innitantur omnia privilegia ac facultates, quæ tum Regularibus, tum Universitatibus, & Capitulis à Romanis Pontificibus indulta leguntur, ut nimirum mediantibus hisce privilegiis & facultatibus, hæc corpora, eorumque singula membra Sedi Apostolicæ magis redderentur obnoxia, & ad tuendam ejus auctoritatem, à qua vigor, & valor horum privilegiorum dependent, essent procliviora, uti & observavi *part.* 2. *tit.* 6. *cap.* 6.

Revocationi privilegiorum, & exemptionum tam conventibus Regularium, quàm Capitulis Canonicorum indultorum, & hoc obstitisse videtur, quòd Romani censerent hæc privilegia, & exemptiones per Sedem Apostolicam concessa non posse nisi per ipsum Pontificem revocari, quemadmodum notavit Orator Regis Christianissimi in notis ad Decreta *Sess.* 24. *de Reform.* promulganda, quas ipse è Concilii Trid. se subtrahens, & Venetias de mandato Regis proficiscens ad Regem transmisit.

Inter hæc autem capita sextum erat de revocandis exemptionibus Capitulorum. » Hoc autem totum caput (ait) de abrogan- » dis, aut, certè moderandis Canonicorum exemptionibus ab » Hispanis Episcopis, & bonis omnibus vehementer eflagitatum, » ex ea tantùm causa rejectum est, quod non placuit exemptio- » nes à Romanis Pontificibus Canonicorum Collegiis concessas, » etsi ex iis maxima incommoda proficiscantur, ab alio quàm » à Romano Pontifice tolli, aut minui posse. « In Libro cui titulus : *Memoire sur le Concile de Trente*, *pag.* 578.

Ex ipsa Historia Concilii Trident. nequaquam ambiguum est, reformationi disciplinæ non exiguum obstaculum objectum fuisse, quòd Romani plurima ad solum Romanum Pontificem spectare, nec aliis fas esse ad ea manum mittere contendant, uti circa reformationem Cardinalium ipsiusque Curiæ Romanæ patuit.

IV. Licèt Synodus Tridentina non judicaverit, attentâ temporum conditione, omnes exemptiones revocandas, uti postulabant Germani, tamen ad eam moderationem, eosque limites reduxit per varia Decreta, ut si hæc exactè & ex mente Synodi observarentur, sperandum esset, quo plerisque exemptionum incommodis occurreretur : videturque in hoc Gallorum postulata potiùs, quàm Germanorum secuta.

V. Non enim petebant Galli revocandas omnes exemptiones, sed aliquas duntaxat : circa omnes verò justam moderationem. Inter articulos reformationis ex parte Gallorum Synodo oblatos vigesimus sextus hanc materiam concernens erat conceptus his verbis : » Restituantur Episcopis intra omnem Diœce- » sim Ecclesiasticæ jurisdictiones, & tollantur omnes exemptio- » nes, exceptis Capitibus Ordinum, iisque quæ ipsis subsunt » Monasteriis, & quæ Capitula faciunt generalia, & iis Monas- » teriis, quibus multis jam retro seculis evidentibus scriptorum » monumentis constat datam esse exemptionem ; quæ tamen ne » à correctione omninò eximantur, aliqua ratione provideatur. « Extat libello cui titulus, *Memoires pour le Concile de Trente*, *pag.* 372. edit. anni 1654.

VI. Ut ergo sciatur, intra quos limites exeptiones hodie ad præscriptum Concilii Tridentini sint concludendæ, & quæ sit Episcoporum in exemptos jurisdictio, præcipua Concilii super hac materia edicta Decreta repræsentabimus : apparebitque, Decreta Concilii in omnibus esse admodum conformia principiis in Jure communi capite præcedenti allegatis.

Imprimis itaque *Sess.* 6. *cap.* 3. *de Reformat.* decernitur: „ Nemo secularis Clericus, cujusvis personalis, vel Regularis „ extra Monasterium degens, etiam sui Ordinis privilegii præ- „ textu tutus censeatur, quominus, si deliquerit, ab Ordina- „ rio loci, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, secundum „ sanctiones Canonicas visitari, puniri, & corrigi valeat. "

VII. Notat post alios Barbosa de Officio Episcopi *Allegat.* 105. *num.* 16. verbum illud, *extra Monasterium*, intelligi, de eo qui non vivit sub Superiore *conventualiter*, ut declaravit Sacra Congregatio his verbis : „ Regularis manens extra „ claustrum de licentia superioris etiam in domo deputata ad „ erectionem Monasterii, nisi in dicta domo sit Regularis obser- „ vantia, ut saltem vivat sub Superiore conventualiter, si de- „ liquerit, potest puniri ab Ordinario. "

VIII. Hæc Congregationis resolutio consona apparet Decreto ejusdem Synodi *Sess.* 25. *cap.* 4. *de Regularib.* quo mandatur, ut „ Regulares, qui studiorum causa ad Universitates „ mittuntur, in Conventibus tantùm habitent, alioquin ab Or- „ dinario contra eos procedatur. "

IX. Cùm autem in hoc Decreto agatur de Regularibus, qui de *licentia Superiorum* studiorum causâ in Universitatibus morantur, consequens est, quòd si Regularis extra claustrum degens, deliquerit, possit ab Ordinario puniri, tametsi degat extra claustrum de *licentia Superioris*.

X. Verùm cùm non obstante prædicto Concilii Decreto *Sess.* 6. *cap.* 3. à nonnullis prætenderetur, quod Regulares delinquentes extra Monasterium in loco *non exempto* puniri non possent *ab* Ordinario ; si modò *revera* habitarent in claustro, contra manifestam juris rationem, quæ vult, delicta ad exemplum aliorum, etiam judicialiter puniri in loco, in quo commissa sunt, uti & legibus Romanis statutum fuit : ideò Synodus *Sess.* 7. *cap.* 14. *de Reformat.* Constitutionem Innocentii IV. in Concilio Lugdunensi relatam in *Cap.* 1. *de Privil. in VI.* renovavit, qua declaratur, quòd etiam Regulares quantacunque gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti in loco *non exempto* commissi, coram locorum Ordinariis conveniri, & illi quoad hoc suam in eos jurisdictionem exercere possint. Vide Constitutionem latam capite præcedenti.

XI. Ulteriùs Synodus providere volens, ne prætextu exemptionis Regularium delicta, quæ populo in scandalum esse possent, manerent impunita, & ne Episcopis auctoritas deesset scandala è populo amovere, decrevit *Sess.* 25. *cap.* 14. *de Regularib.* ut „ Regularis, non subditus Episcopo, qui intra „ claustra Monasterii degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, „ populo scandalo sit ; Episcopo instante, à suo Superiore intra „ tempus ab Episcopo præfigendum, severè puniatur, ac de pu- „ nitione Episcopum certiorem faciat : sit minus à suo Superiore „ officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit. "

XII. Refert Barbosa citatâ *Allegatione* 150. S. Congregationem declarâsse, Episcopum passim statim habitâ notitiâ commissi delicti capere informationem, & eam ad Superiorem delinquentis mittere, ut nequeat ignorantiam prætexere.

XIII. Insuper declaravit, ut satisfactum censeatur istis verbis *instante Episcopo*, sufficere unicam monitionem ab Episcopo factam esse, & Superiori intimatam ; eique tempus præfixum fuisse ad præscriptum Concilii.

XIV. Adhæc, non sufficere, ut Superior Regularis sententiam, aut ejus acta ad Episcopum transmittat, sed opus esse, ut de punitione ipsa, & de sententiæ executione Episcopum certiorem faciat.

XV. Denique declaravit, hoc Decretum etiam vindicare sibi locum, quando Regularis in claustro degens, adeò notoriè delinquit cum scandalo intra *ipsam Ecclesiam* ; adeoque etiam in loco *exempto* : atque ita per hoc Decretum videtur Synodus Tridentina extendisse, & ampliâsse Constitutionem Concilii Lugdunensis innovatam *Sess.* 7. *cap.* 14. *de Reformat.* quia hæc tantùm loquebatur de delicto commisso in loco non *exempto* : ut proindè in præsenti Decreto Synodus magis attenderit ad scandalum datum, quàm ad locum, in quo fuerit datum.

XVI. Cùm verò nonnulli Regularium Superiores in executione hujus Decreti essent admodum tepidi ; quin & moniti ab Episcopis super delictis commissis, delinquentes ad alia suorum Ordinum loca extra Episcopi Diœcesim ex industria impunitos transmitterent, Clemens VIII. editâ Bullâ : quæ incipit, *Suscepti Regiminis* 39. *in Bull. R.* mandat exactè hoc Synodi Decretum ab omnibus Regularium Superioribus observari. » Cæte- » rum si Superior (ait) in Regularem delinquentem non ani- » madverterit, quinimò si illum impunitum ad alia suorum Or- » dinum loca extra Episcopi Diœcesim, ut præfertur, trans- » miserit, volumus & simili motu atque auctoritate decernimus, » ut Superior instante Episcopo intra terminum ab Epis- » copo præfigendum, & sub eisdem indignationis nostræ, ac » privationis Dignitatum, & officiorum obtentorum, necnon » & sub inhabilitatis ad illa & alia imposterum obtinendum, » ac ulteriùs privationis activæ & passivæ vocis, ad quas à ne- » mine præterquam à nobis & à Romano Pontifice pro tempo- » re existente restitui possit, ipso facto similiter incurrendis pœ- » nis, ipsum regularem delinquentem loco, ad quem trans- » missus fuit revocare, & in quo deliquit constituere, seu sis- » tere teneatur. Quod si hoc etiam facere prætermiserit, per » præsentes similiter statuimus, ut Ordinarius loci, ad quem » Regularis delinquens transmissus fuerit, super præmissis ab » Ordinario loci, in quo deliquit, similiter requisitus vel aliàs de » illius delicto informatus, ut præfertur, tanquam Sedis Apos- » tolicæ Delegatus (o) prædictum Concilii Decretum omninò » exequi, & in Regularem delinquentem severè animadvertere » possit & debeat. «

XVII. In citato *cap.* 14. *Sess.* 8. postquam Synodus innovavit Constitutionem Concilii Lugdunensis, addit insuper, » quod in civilibus causis mercedum, & miserabilium persona- » rum Clerici seculares, aut regulares extra Monasterium de- » gentes, quomodolibet exempti, etiam si certum judicem à » Sede Apostolica deputatum in partibus habeant ; in aliis verò, » si ipsum judicem non habuerint, coram locorum Ordinariis, » tanquam in hoc ab ipsa Sede delegatis conveniri, & jure me- „ dio

(o) *In Galiis Episcopus tunc non censetur agere ut Sedis Apostolicæ Delegatus, sed suo utitur jure, id est, Episcopalis. Vide Repagulum Canonicum D. Van Espen* part. 2. capit. 1. Reg. 10.

„ dio ad solvendum debitum cogi & compelli possint: privile-
„ giis, exemptionibus, Conservatorum deputationibus, & eo-
„ rum inhibitionibus adversus præmissa nequaquam valituris. «

XVIII. In Belgio jam pridem per Edictum Caroli V. sublatæ fuêre omnes generatim Conservatoriæ, neque hodie ullus est in Belgio privilegiorum Conservator, unico Universitatis Lovaniensis Conservatore excepto, qui ex speciali gratia, & speciali indulto ejusdem Caroli V. continuatus fuit. Prius Edictum abrogatorium Conservatoriarum de anno 1500. extat *parte* 1. *Edicti Fland. lib.* 1. *Rubrica* 8. & *parte* 1. *Edict. Brab. lib.* 1. *tit.* 1. *cap.* 18. posteriùs autem *parte* 3. *Edictorum Brab. lib.* 3. *tit.* 5. *cap.* 8. quare in Belgio seculares & Regulares exempti in civilibus coram locorum Ordinariis conveniendi sunt ad præscriptum hujus Decreti.

XIX. Insuper ne Episcopi in corrigendis subditorum suorum excessibus per exemptiones impedirentur, declarat Synodus *Sess.* 14. *cap.* 4. *de Reformat.* quòd „ si Episcopi in Ec-
„ clesiis suis resederint, quoscunque seculares Clericos, qua-
„ litercunque exemptos, qui aliàs suæ jurisdictioni subessent, de
„ corum excessibus, criminibus, & delictis, quoties, &
„ quando opus fuerit, etiam extra visitationem tanquam ad hoc
„ Sedis Apostolicæ Delegati, corrigendi & castigandi faculta-
„ tem habeant: quibuscunque exemptionibus, declarationi-
„ bus, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concordiis,
„ quæ tantùm suos obligent auctores, ipsis Clericis, ac eorum
„ consanguineis Capellanis, familiaribus, procuratoribus, &
„ aliis quibuslibet, ipsorum exemptorum contemplatione &
„ intuitu minimè suffragantibus. "

XX. Ex his satis colligitur, Synodo admodum odiosam apparuisse exemptionem Clericorum Secularium & Regularium extra sua claustra degentium; utpote qui inter subditos Episcoporum passim versantes, faciliùs per suos excessus populo scandalo esse, & Episcopale regimen turbare possunt, ac insuper extra disciplinam aliorum Superiorum quodammodo viventes, majorem libertatem sibi assumunt, quàm in Claustris sub disciplina Regulari & Superiorum subjectione viventes.

XXI. Unde & ipsa Synodus *Sess.* 24. *cap.* 11. *de Reform.* fatetur, „ privilegia & exemptiones, quæ variis titulis plerisque
» conceduntur, hodie perturbationem in Episcoporum jurisdictio-
„ nem excitare, & exemptis occasionem laxioris vitæ præbere."

XXII. Hîc autem præcipuè sermonem esse de exemptionibus Clericorum secularium, aut regularium, vel nulli Religioni adscriptorum, aut extra eam viventium, significant quæ eodem capite statuuntur circa subjectionem eorum, qui variis titulis particularibus se exemptos prætendebant, etiam eo prætextu, quod alicui Monasterio, militiæ, aut Hospitali, aut Collegio addicti essent, „ exceptis iis, qui prædictis locis, aut
„ militiis actu serviunt, & *intra* eorum septa ac domos re-
„ sident, *subque eorum obedientia* vivunt, sive iis, qui le-
„ gitimè, & secundum Regulam earundem militiarum profes-
„ sionem fecerint. "

XXIII. Exemptio Capitulorum præsertim Cathedralium, quæ unum cum Episcopo, tanquam Capite, Corpus & Senatum Ecclesiæ constituunt, non parum odiosa visa fuit, unde & serò satis invaluit.

XXIV. Hinc & Synodus Tridentina *Sess.* 6. *cap.* 4. *de Reformat.* decrevit, quòd » Capitula Cathedralium, & alia-
» rum majorum Ecclesiarum, illorumque personæ nullis *exemp-*
» *tionibus*, consuetudinibus, sententiis, juramentis, concor-
» diis, tueri se possint, quominùs à suis Episcopis, & aliis
» majoribus Prælatis, per se ipsos, vel illis, quibus sibi vide-
» bitur, adjunctis, juxta Canonicas sanctiones, toties quoties
» opus fuerit, visitari, corrigi, & emendari, etiam auctori-
» tate Apostolicâ possint & valeant. «

XXV. Sed cùm Decretum duntaxat daret auctoritatem Episcopis corrigendi, & emendandi in ipsa visitatione, Episcopis satisfactum non fuit; sed rursus in ultimis Sessionibus sub Pio IV. totalem Capitulorum, signanter Cathedralium exemptionis abrogationem postulârunt, præsertim Episcopi Hispaniæ, quorum Capitula penè omnia plena immunitate gaudebant; scribitque Pallavicinus *lib.* 22. *Hist. Trid. cap.* 10. *num.* 3. » His-
» paniæ Capitula Tridentum misisse Patralium Canonicum Se-
» goviensem, Procuratorem suum, immunitatem ab Episcopo-
» rum auctoritate, ab ipsis possessam, defensurum, ad quam abro-
„ gandam rescitum fuerat, illius Regni Episcopos adspirare. "

XXVI. Quo zelo contra Capitulorum exemptionem peroraverit Cardinalis Lotharingiæ narratur à Pallavicino *lib.* 23. *cap.* 3. *num.* 6. dixitque Cardinalis, nullam pestem à se magis noxiam putari, quàm hujusmodi immunitatem Collegiorum Clericorum, cùm plura membra sine capite monstrum evadant, indicavitque unà quæ fuerint præcipuæ causæ hujusmodi immunitatum.

XXVII. Cùm igitur summa esset Capitulorum, & Episcoporum super his contentio, tandem compositum & editum fuit Decretum *Sess.* 25. *cap.* 6. *de Reformat.* quo supra citatum Decretum *Sess.* 6. *cap.* 4. renovatur, & ad Ecclesias Collegiatas generaliter extenditur; ac insuper ut illud Decretum observetur, non solùm quando Episcopus visitat; sed & quoties ex officio, vel ad petitionem alicujus, contra aliquem ex contentis in dicto Decreto procedit.

Verùm ubi „ *extra visitationem* processerit, vult Synodus ut infrascripta omnia locum habeant, videlicet, ut „ Capitu-
„ lum initio cujuslibet anni eligat ex Capitulo duos: de quorum
„ consilio, & assensu Episcopus, vel ejus Vicarius, tam in for-
» mando processum, quàm, in cæteris omnibus actibus usque
» ad finem causæ inclusivè, coram Notario tamen ipsius Episco-
» pi, & in ejus domo, aut consueto tribunali procedere teneatur
» Unum autem tantùm sit utriusque votum, possitque alter
» Episcopo accedere. Quod si ambo ab Episcopo discordes in
» aliquo actu, seu interlocutoria, vel definitiva sententia fue-
» rint, tunc intra sex dierum spatium cum Episcopo tertium
» eligant. Et si in electione tertii etiam discordent, ad vicinio-
» rem Episcopum electio devolvatur; & juxta eam partem, cum
» qua tertius conveniet, articulus, in quo erat discordia, ter-
» minetur; aliàs processus & inde secuta nulla sint, nullosque
» producant juris effectus. In criminibus tamen ex incontinen-
» tia provenientibus, de qua in Decreto de Concubinariis; &
» in atrocioribus delictis, depositionem, aut degradationem
» requirentibus, ubi de fuga timetur, ne judicium eludatur, &
» ideò opus sit personali detentione, possit initio solus Epis-
» copus ad summariam informationem, & necessariam deten-
» tionem procedere; servato tamen in reliquis ordine præmis-
» so. In omnibus autem casibus ea ratio habeatur, ut juxta qua-
» litatem delicti, ac personarum, delinquentes ipsi in loco de-
» centi custodiantur."

Hujus Decreti clausulas, formamque præscriptam explanat Zypæus *Consult.* 4. *de Offic. Ordin.*

* An Episcopus possit sine adjunctis in generali visitatione Canonicis imponere pœnam *extraordinariam* tendente magis ad correctionem morum, quàm ad punitionem, quærit Pignatelli *tom.* 1. *Consult.* 61. resolvitque non posse, quia ex hoc fieri posset fraus sancto Concilio danti conjudices: atque ita indirectè possent puniri sine adjunctis, quod tamen abhorruit sanctum Concilium propter solitam æmulationem inter Episcopos, & Capitula, illis tendentibus ad Monarchiam, his tuentibus auctoritatem Sedis Apostolicæ, id quod in politia Ecclesiastica magni momenti est.

Hîc rursus notandum, quòd non obscurè fatente hoc Auctore Romana Curia sustinuerit exemptiones Capitulorum Cathedralium eâ inter alias ratione, ut sic exempta Capitula auctoritatem Apostolicam contra Ordinarios sustinerent.

XXVIII. Synodus tamen in fine sui Decreti adjicit hanc clausulam: „ Hæc autem omnia, & singula in iis Ecclesiis locum non
» habeant, in quibus Episcopi, aut eorum Vicarii ex consti-
» tionibus, vel privilegiis, aut consuetudinibus sive concordiis,
» seu quocunque alio jure *majorem* habeant potestatem, auctori-
» tatem, ac jurisdictionem, quam præsenti Decreto sit com-
» prehensum, quibus Sancta Synodus derogare non intendit. «

Ad quam reflectens Zypæus ait: „ Illud autem est assiduum
» Concilii propositum restituere Episcopis legitimam jurisdic-
» tionem, multis ante privilegiis accisam, augere potiùs pro
» tuenda Ecclesiæ disciplina, quàm minuere. «

XXIX. Illud quoque propositum fuit Concilii, ut exemtio Canonicorum, aut etiam Regularium, non extenderetur ad ea, quæ Canonicis, aut Regularibus sub alia qualitate competunt, juxta regulam capite præcedenti propositam.

XXX. Hinc tam Regulares, quàm Canonici exempti si administrationem, aut curam habeant Hospitalium, fundationum piarum, Cappellarum, aut Confraternitatum, aliarumque domorum, aut piorum locorum non exemptorum, rationem reddere tenentur Episcopo, eique subjiciuntur in his, quæ dictam administrationem spectant, *Sess.* 22. *cap.* 8. & 9. *Sess.* 25. *c.* 8. *de Reform.* & latiùs dictum est *parte* 2. *tit.* 37. *cap.* 2.


XXXI. Eodem ex capite nec Capitulorum, nec Monasteriorum exemptio extenditur ad ea, quæ curam animarum personarum secularium Episcopo subjectarum concernunt, *Sess.* 21. *cap.* 8. *de Reform.* & *Sess.* 25. *cap.* 11. *de Regular.* & latiùs ostensum est in *Repagulo Canonico*, & pluribus locis hujus operis, quibus adde Bullam Gregorii Papæ XV. quæ incipit, *Inscrutabili* 26. *in Bull. Rom.*


XXXII. Similiter exemptiones noluisse Synodum extendi ad leges communes in materia communi ostendit *Sess.* 25. *c.* 12. *de Regularib.* declarando, inflictas Censuras, & dies Festos ab Episcopis indictos, etiam à Regularibus servandos.

XXXIII. Quod verò in ipsa Synodo sæpiùs injungatur, ut Episcopi procedant *tamquam Sedis Apostolicæ Delegati*, non arguit in ipsis defectum potestatis ordinariæ; quemadmodum ostenditur in citato *Repagulo*, *Regula* 10.

Ostenditur quoque in eodem *Repagulo*, quòd Episcopus auctoritate delegata procedens, queat non tantùm de causa cognoscere, sed sententias proferre, easque per censuras exequi, eamque delegationem esse favorabilem.

FINIS.





VAN ESPE
JUS
ECCLESIA

2

2954